



SEMINARII
TOTIVS PHILOSOPHIAE
Tomus Secundus,

PLATONIS PHILOSOPHORVM PRINCIPIS, Platonicorúmque omnium, veterum, Græcorum, Latinorum, Arabum, & Neotericorum Platonicæ philoſophiæ Interpretum, DOCTRINAM, DEFINITIONES, QVÆSTIONES, CONCLVSIONES, ſententiáſque omnes integras & abſolutas, perſpicua methodo digeſtas, complectens.

IOANNIS BAPTISTÆ BERNARDI, *Patritij Veneti, ſtudio & labore collectus.*

Altera EDITIO, emendatior.





IN OFFICINA
Iacobi Stœr, & Franc. Fabri Lugdunenſis.
M. D. XCIX.

TYPOGRAPHUS LECTORI, SALUTEM.



FIDEM liberamus, Lector Beneuole. Quod tibi eramus polliciti, nempe Platonis, Philosophorum veterum facilè principis, Seminarium, ne quid à nobis desiderares, accipe. Miraberis, quòd magister discipulum, Aristotelem Plato sequatur. Sed Ioannis Baptistæ Bernardi collectoris institutum mutare noluimus, & quod ille distinxerat, posterioribúsque curis adscripserat, aliter collocare. Cuius sui consilij rationem, sequens ad Aloisium filium epistola declarat. Fuit equidem nobis ea mens, videlicet Platonem & Platonicos primo loco collocare, Aristoteli & Peripateticis secunda tribuere subsellia: sed quum variæ sint Philosophandi rationes, Peripatum cum Academia confundere nobis fuit religio. Habes igitur præstantissimorum Philosophorum Scholas & dissertationes distinctas: atque facilè potes ingenio tuo pastum ex his & istis, quo ordine libuerit, subministrare. Unum petimus, vt ordine collectanea ista tractare discas, & à riuulis ad fontes ipsos penetrare. Nec enim ex Dictionariis & Seminariis ita sapere oportet, vt mens authorum in eorundem scriptis inclusa te lateat, quæ sæpius & attentius euoluere necesse est, si postea cum fructu aliquo, memoriæ iuuandæ gratia & vt iudicium confirmes, hoc Seminario vel sententiarum Indice vti cõstituis. Multorum auctorum, & omnis generis voluminum lectio, aliquid vagum, instabile & infructuosum habere videtur. Certis, probatis & veræ philosophiæ doctoribus adhærere & horum præceptis innutriri conuenit, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter teneat. Idem contigit librorum helluonibus, quod hominibus in peregrinatione & discursationibus perpetuis vitam agentibus: multa perlustrant & faciunt hospitia, nullas amicitias. Ne animum distraheret librorum & interpretum multitudo, quum tot disquisitionum circulus seculorum curricula potius quam annos aliquot vitæ hominis requirat, innumera scripta contrahere hoc tomo Bernardus voluit, vt compendiò Platonicorum arcana feliciter comprehenderes. Si quando ad ipsos auctores diuertere libuerit, habes hîc stationem in qua tuto conquiescere possis. Ut lubet, age: & de aliorum vigiliis prudenter & candide iudica. Porrò, quum paucis philosophandum sit, vt fert vetus præceptum, vide ne doctior tantùm ex Platonicorum & aliorum sophorum meditationibus, sed etiam quantum fieri poterit sapientior, id est pietatis, æquitatis, temperantiæ amantior, euadas in dies. Aliqua quotidie remedia ex philosophiæ promptuario compara tibi aduersus pestes in hac vita grassantes, quæ librorum admiratores & contemptores variis modis pessundant: & cùm multa percurreris, pauca quædam excerpe, quæ postea concoquere possis. Magnorum virorum sensui multum crede, aliquid & tuo vindica. Illi disquisita magno labore non vt inuenta perfectè, sed quærenda & examinanda tibi reliquerunt. Horum exemplo tota mente prouide ne res, nè verba te decipiant. Res discerne: verba expende: vt prudenter loqui & cogitare valeas. Cæterùm, vt de hac nostra opella subiiciam aliquid, dum tuo commodo consulere conor, si quid desideras quod tuæ exspectationi non satis respondeat, sincerum meum affectum operarum erratis & aliis typographiæ næuis venia dignis oppone. Aliorum verò philosophorum Seminaria, si Deus votis nostris annuerit, proximè sequens seculum exhibebit. Vale. Ex Typographeio nostra, pridie Calendas Martias, Anni CIƆ. IƆ. XCIX.



IOANNES BAPTISTA BERNARDVS, IOANNI Aloysio filio S. P. D.



CVM lucubrationes, Ioannes Aloysi fili, in lucem protulerim, quas in Aristotelem, & in celeberrimum quemque Peripateticę philosophiæ assectatorem, siue is Græcus, siue Arabs, siue Latinus fuerit, mihi quondam comparaueram: & cùm in ipsis pollicitus fuerim, me primo quoque tempore in medium etiam prolaturum eiusdem rationis opus, tam in Platonem, quàm in omnes quotquot vnquam ad manus meas peruenerunt Platonicę disciplinę scriptores: rem mihi prorogandam non amplius iudicaui: sed sine longiore temporis interuallo, quod spoponderam, bona fide dependendum, & optimarum rerum studiosis hos meos labores liberaliter impartiendos, cùm eos mirificum fructum omnibus allaturos esse confidam. Quoniam autem eas vigilias, quas in Aristotelem elucubratus fueram, prius in hominum manus edendas curaui, nemini profectò admirationem afferre debebit, si hanc in Platonem commẽtationem tomum alterum appellauerim: licet tum ob Platonis antiquitatem, tum ob Platonicæ philosophiæ præstantiam æquum esse videretur, vt ipsa ordine quoque primũ locum habere, & primi tomi nomini nuncupari debuerit. Pari quoque ratione absurdum videri non debebit, si in hoc ipso volumine aliquis inuẽtus fuerit author, qui cùm Platonem ætate longe antecesserit, ordine tamẽ Platonem subsequatur. Nam & propter efflorescẽtem rerum sublimium in Platone cognitionem, & propter eiusdem diuinitatem per omnes orbis terrarum oras cõstanti fama, atque omnium sermone celebratam, nunquam adduci potui, vt eum de priore dignitatis gradu deiicerem. Hoc itaque munere te donatum volo, & tuo nomine, quemadmodum etiam Aristotelicum tomum in lucem proferendum esse constitui. Quamuis enim id multis annis, multis vigilijs, multisque laboribus olim mihi parauissem, tamen illud vnum desiderium, quo tibi gratificari summopere cupio, tantum apud me habuit ponderis, & momenti, vt planè decreuerim, licet profectò præter animi mei sententiam, id ipsum cum cæteris omnibus hominibus, vt tu optas, totum, quantum quantum est, communicare. Ab ipso enim edendo hæc me prius ratio valde abducebat, quòd viderem neminem in hunc vsque diem ausum fuisse (quod quidem sciam) tam arduum & periculosum opus nõ dicam perficere, sed ne tentare quidem, tum propter argumenti excelsitatem, tum verò etiam propter ingentem, quæ in hoc diuino authore quam plurimis in locis latet, obscuritatem. Verùm quem-

admodum

admodum in summis rerum difficultatibus qui vel incœpit, is facti dicitur habere dimidium, ita quoque ego, qui huiusmodi prouinciam plenam laboris, & periculi aggredi primus ausum sum, tãtos in ea me sentio fecisse progressus, vt mihi videar apertam expeditamque viam reperisse, atque alijs etiam indicasse, imò verò strauisse, & muniuisse, qua sine vllo negotio studiosissimus quisque difficili atque arduo ascensu iuga illa, nobilia, & illustria scientiarum domicilia, superare possit. Nam quamuis ex commẽtationibus illis in Aristotelem nostris quam plurimum emergat vtilitatis, tamen nonnulli prius in huiusmodi rebus conatus suos exercuerant, & faces nobis prætulerant non obscuras. In Platonem verò nullus omnino extitit, (quod quidem sciam, vt pauloante dixi) qui ingenium suum in hoc elucubrationis genere vnquam probauerit, quique nobis vestibulum aditúmue vllum fecerit ad illustrãda tanti viri monumenta. Fuerunt quidem interpretes, qui solito & omnibus trito interpretandi more Platonem interpretati sunt; sed qui hac expeditissima scriptionis ratione opera eius dilucidauerint, aut ad ea tam apertè & planè explicanda mẽtem appulerint, planè nulli. Cæterum quemadmodum apertè video omnia Platonis scripta apud elegantiorum literarum magistros semper floruisse gratia, & authoritate, & admirabili quodam doctrinæ splẽdore semper omnium doctorum oculos in se conuertisse, adeo vt per multorum seculorum spacium, omni Philosophia Aristotelis longe post habita, omnes vnum Platonem, tanquam vberrimum veræ Philosophiæ fontem sequerentur: ita quoque certo scio tibi & vniuersæ Venetæ iuuentuti, quorũ ad commoda & ornamenta, & ad ea omnia, quæ in nostra Repub. sunt amplissima, consequenda permagni interest sententiarum grauitate, & singulari quadam dicendi facultate pollere; ex hisce nostris commentationibus multò maiorem, quam quis verbis exprimere vnquam possit, vtilitatem allatum iri. Nam, per Deum immortalem, quis est vel mediocri ingenio præditus, qui, si in vestigijs Aristotelis insistat, & eius præceptiones ab optimis interpretibus expositas sequatur: diuinumque illud & planè incredibile dicendi genus, & egregiam illam tractandarum rerum Platonis formam sibi ob oculos proponat, nõ statim traducat omnium mortalium animos in sui admirationem, siue velit loquendo sensus suos explicare, siue eos literarum monumentis consignare? cui nam obsecro deesse possit vnquam argumentum, & rerum collocandarum ratio, quancunque velit rem dictione vel scriptione exprimere? Statuat porrò vt lubet, de quauis re proposita disputare, si quæ seminarium nostrum complectitur, accuratè & diligenter euoluerit, nunquam se se doctrinæ, & eloquentiæ angustijs opprimi, nunquam rationes suas inopia affligi, nunquam aduersæ Mineruæ flatu in Philosophiæ pelago sua vela vrgeri iure conquereretur. Exploret porrò quantum velit Aristotelis opera: verset porrò, vt libet, Platonis monumenta. Excutiat innumera secula, & quidem exterorum oculorum acutissima acie cunctas interpretum commentationes; nihil vnquam profectò in illis authoribus inueniet notatu & obseruatu dignum, quod idem, & quidem sine vlla cunctatione, in nostro seminario non reperiatur. Quod vel multorum annorum spatio, & magna adhibita diligentia, & operoso molestóque labore vix ac ne vix quidem colligere pòterit, id totum vno temporis articulo, vnum in locum collectum, & miro quodam ordine collocatum intuebitur. Verùm de summa huius seminarij vtilitate quoniam & abunde in epistola primi tomi locuti sumus, & quanta ea

sit, omnibus iam cognitum est & exploratum, ideo ea in præsentia prætermittenda nobis esse censemus. Eadem quoque ratione nihil dicemus de modo, & ordine, quem vt ad studiosorum iudicium, & ad popularem intelligentiam res ipsas accommodaremus, magno eorum cum fructu obseruauimus: cùm in eadem epistola de eo vberrimè egerimus. In hoc enim tomo eundem planè ordinem, quem in primo secuti sumus, nisi quatenus ipsa rerum necessitas nos adegit, vt propter disiunctissimas, & inter se maxime diuersas rationes, quibus præstantissimi illi Philosophi in tradendis disciplinis vsi sunt, caput aliquod in diuisionibus immutaremus. Fruere igitur felix, Ioan. Aloisi fili, his meis laboribus, tibique totum, quicquid est, studiosi homines acceptum referant, & vni meæ in te pietati ascribant, & attribuant. Tu enim is vnus extitisti, cuius causa ad omnium commodum hæc omnia in lucem prodierint. Vale.

AVCTO-





AVCTORVM E QVIBVS OPVS HOC EXCERPSIMVS, NOMINA ET SCRIPTA.

PLATONIS *Dialogi.*

Eutyphron siue de sancto.
Socratis Apologia.
Crito, siue de eo quod faciendum est.
Phædon, siue de anima.
Cratylus, siue de nominibus.
Theætetus, siue de scientia.
Sophista, siue de eo quod est.
Politicus, siue de regno.
Parmenides, siue de ideis.
Philebus, siue de voluptate.
Symposium, siue de amore.
Phædrus, siue de pulchro.
Alcibiades primus, siue de natura humana.
Alcibiades secundus, siue de oratione ad Deum
Hipparchus siue lucri studiosus.
Amatores, siue de Philosophia.
Theages, siue de sapientia.
Charmides siue de temperantia.
Laches, siue de fortitudine.
Lysis, siue de amicitia.
Euthydemus, siue litigiosus.
Protagoras, siue sophistæ.
Gorgias, siue de Rhetorica.
Menon siue de virtute.
Hippias maior, siue de pulchro.
Hippias minor, siue de mendacio.
Ion, siue de Iliade.
Menexenus, siue Epitaphius.
Clitophon, siue exhortatorius.
Timæus, siue de natura.
Critias, siue Atlanticus.
Minos, siue de lege.
De legibus.
Epinomis, id est legum appendix, siue Philosophus.
Libri de Republica.
Epistolæ.

PLATONI *adscripti Dialogi.*

Axiocus siue de morte.
De iusto.
De virtute, an doceri possit.
Demodocus, siue de consilio dando.
Sisyphus, siue de consultando.
Eryxias aut Erasistratus, siue de diuitiis.

MERC. TRISMEGISTI.

Pimander.
Asclepius.

TIMÆVS LOCRVS.

De anima mundi & natura.

ARISTOTELIS

Theologia, siue mistyca philosophia secundum.

ÆGYPTIOS

De causis.

SPEVSIPPI.

Definitiones.

APVLEI.

Metamorphoses.
Floridorum lib.
De Deo socratis.
Apologia.
De mundo.
Asclepius.

XENOCRATES.

De morte.

MACROBIVS.

In somnium Scipionis.

DIONYS. AREOPAGITA.

De mystica Theologia.
De diuinis nominibus.

PLOTINVS *in Enneadibus.*

Quid animal, quid homo.
De virtutibus.
De dialectica.
De beatitudine
Vtrum beatitudo in temporis productione consistat.
De pulchro.
De primo bono, cæterisque bonis.
Vnde mala.
De rationali exitu ex hac vita.
De mundo.
De circulari motu.
Vtrum stellæ aliquid agant.
De duabus materijs
De eo quod in potentia est, & quod in actu.
De qualitate & specie.
De mistione per omnia.
Cur quæ videtur procul exigua videtur.
Contra putantes mundi opificem, & mundum, esse malum.
De fato.
De prouidentia. lib. 1.
De prouidentia, lib. 2.
De eo qui nos sortitus est dæmone.
De amore.
Quòd incorporea non patiantur.
De æternitate & tempore.
De natura, contemplatione, & vno.
De diuersis considerationibus.
De essentia animæ primus & secundus
De dubijs animæ; primus, & secundus, & tertius.
De sensu, & memoria.
De mortalitate animæ.
De animæ descensu in corpora.
Vtrum omnes animæ vna sint.
De tribus substantiis principalibus.
De generatione & ordine eorum, quæ sunt post primum.
De substantijs cognoscentibus, atque superiore.
Quomodo à primo fiet quod est post primum, & de vno.
Quòd intelligibilia non sint extra intellectum & de bono.
Quomodo quod est superius ente non intelligat, & quid primò sit intelligens, & quid secundò.
Vtrum singularium etiam sint ideæ.
De intelligibili pulchritudine.
De intellectu, ideis, & ente.
De generibus entis lib. primus, secundus, & tertius.
Quod vnum, idemque simul vbique sit totum lib. primus, & secundus.
De numeris.
Quomodo idearum extitit multitudo, atque de bono.
De libertate & voluntate vnius.
De bono vel vno.

PORPHIRIVS.

De occasionibus & causis nos ad intelligibilia ducentibus.
De abstinentia animalium.
De sacrificijs, dijs, & dæmonibus.
Quod antiqui animalibus abstinebant

MAX. TYRIVS.

Sermones.

IAMBLICHVS.

De Mysterijs.

CHALCIDIVS.

In Timæum Platonis.

SYRIANVS.

In Metaphysica.

PROCLVS.

In alcibiadem Platonis, de anima dæmone, de sacrificio & magia.
Elementa Theologica & physica.

ALCINOVS.

De doctrina Platonis.

PSELLVS.

De dæmonibus.

SYNESIVS.

De somnijs.

PLVTARCHVS.

De genitura animæ in Timæo Platonis.
De quæstionibus Platonicis.
De Socratis dæmone.

PRISCIANVS *Lydius.*

In Theophrastum de sensu, phantasia & intellectu.

GEORG. GEMISTVS

De Virtutibus.

PHILO IVD.

De opificio mundi.
De legis allegoriis lib. primus & secundus,
De cherubim.
De sacrificijs Abelis & Caini.
Quòd deterius insidiari soleat potiori.
De Agricultura.
De Plantatione Noe.
De Temulentia.
De his verbis, Resipuit Noe.
De Gigantibus.
Quòd Deus sit immutabilis.
De confusione linguarum.
De Abrahamo.
De migratione Abrahami.
De congressu quærendæ eruditionis gratia.
De profugis.
Quis rerum diuinarum Hæres sit.
De Ioseph.
De somnijs.
De vita Mosis liber primus, secundus, & ter.
De charitate.
De creatione principis.
De fortitudine.
De decalogo.
De specialibus legibus.
De circuncisione.
De monarchia lib. primus, & secundus.

De sacerdotum honoribus.
De victimis.
De victimas offerentibus.
Mercedem meretricis non recipiẽdam.
Quòd omnis liber sit probus.
De vita contemplatiua.
De nobilitate.
De præmijs & pœnis.
De execratione.
Quòd mundus sit incorruptibilis.
In flaccum.
De legatione ad Caium.

AVERROES.

In rempublicam Platonis.

BESSARIO. Card.

In calumniatorem Platonis.

MARS. FICINI.

Theologia Platonica.
De vita.
Apologia.
Quòd necessaria sit ad vitam, securitas & tranquillitas animi.
Epidemiarum antidotus.
Epistolarum.
Compendium Platonicæ Theologiæ.
De Philosophia Platonica.
Orphica comparatio solis ad Deum, & declaratio idearum.
De Platonicorum contemplationibus
Apologia in librum de sole & lumine.
De sole.
De lumine.
De voluptate.
In Platonem epitome, & commentaria
In Plotinum commentaria.

IO. PIC MIRANDVL.

In orationem dominicam.
Heptaplus.
Apologia.
De ente & vno.
De hominis dignitate.
Ad Christianæ vitæ institutionem.
Epistolæ.
De Astrologia.

IO. FR. PIC. MIRANDVL.

De studio humanæ, & diuinæ philoso.
Defensio de vno & ente.
De imaginatione.
De appetitu primæ materiæ.
De elementis.
De imitatione.
De rerum prænotione.
Examen vanitatis doctrinæ gentium.
Epistolæ.

GABR. BVRATEL.

De ideis.
De ente & vno.
De animi natura, ac definitione.
De reminiscentia.
An visio fiat extramittendo.
De hominis fœlicitate
De mundi æternitate.
De tempore.
De rerum omnium communitate.
De materia ac priuatione.

FR. PATRIC.

De republica.
De regno & regis institutione.

SEB. FOXIVS.

In Phædonem Platonis.
In rempublicam Platonis.

IA. CARPENTAR.

In Alcinoi institutionem.
In eius defensionem.

AVG. STEVCH.

De Perenni Philosophia.

M. ANT. NATTA.

De immortalitate animi.
De pulchro.


ST. COMB.

De ascensu hominis ad Deum.

LEO HEBR.

De amore.

DICTIO-




DICTIONVM ET MATERIARVM OMNIVM QVÆ IN SEMINARII PHILOSOPHIÆ TOMO SECVNDO, vel paucis vel prolixè explicantur, Alphabeticus INDEX.

Numerus paginam demonstrat. Quæ asteriscum præfixum habent, methodicè tractantur.

**

Odium

** 4



Cicero libro 1. Tuscul. quaest.

PHILOSOPHIA verò omnium materiarum, quid est aliud, nisi, vt Plato ait, donum, vt ego, inuentum deorum? Hæc nos primùm ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinémque animi erudiuit: eadémque ab animo, tanquam ab oculis, caliginem dispulit, vt omnia supera, infera, prima, vltima, media videremus. Prorsus hæc diuina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas. Quid est enim memoria rerum & verborum, quid porrò inuentio? profectò id, quo nec in Deo quidquam maius intelligi potest.

Cic. Tuscul. quæst. lib. vltim.

O vitæ philosophia dux, virtutis indagatrix, expultríxque vitiorum, quid non modò nos, sed omninò hominum vita sine esse potuisset? Tu vrbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti, tu eos primò inter se domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum & vocum communione iunxisti: tum inuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti: ad te confugimus, à te opem petimus: tibi nos, vt antea magna ex parte, sic nunc penitus, totósque tradimus.

L. Apuleius de dogmate Platonis.

COnsideranti mihi sæpè alias virtutes, indagatrix, expultríxque vitiorum, diuinarum particeps rerum philosophia videbatur, & nunc maximè cum naturæ increpatione, cùm remotarum ab oculis rerum inuestigationem sibi vendicet. Nam cum cæteri magnitudine rei territi, eiusmodi laborem arduum & profundum existimarent, sola philosophia suum non despexit ingenium, nec indignam se existimauit, cui diuinarum humanarúmque rerum disceptatio deferatur. Quid enim mundo præstantiùs? Lauda quam putas speciem, portio à te laudabitur mundi.

IOANNIS



IOANNIS BAPTISTAE BERNARDI PATRITII VENETI,

Seminarium Philosophiæ Platonicæ.



Abuater, Tripidis filius, fuit Philosophus, aliàs Ababater: Altasibi filias, fuit Astrologus. *Pic. Mir. in Astrologiam lib. 1.*

Ab asino decidere, prouerbium. *Pla. de legib. dial. 7.*

Abyssum vocat terram Moyses, id est materiam trinè dimensum in altissimas profunditates extrusam, super quam tenebræ, id est priuatio est. *Io. Pic. Mir. in Heptaplum lib. 1, cap. 2.* Abyssus est aquarum profunditas, *idem, ibid lib. 5, cap. 1.*

A bono quicquid prouenit, vestigium, figurámque boni habet, aut ab illo quatenus inde descendit: prouenit autem in intellectum ab illo, & vita, & propter illum intellectus extitit. Item inde specierum pulchritudo descendit, omnia profectò boniformia erunt, vita intellectus, idea. *Plo. En. 6. lib. 7. cap. 18.*

Abram interpretatur pater sublimis: Abraham verò, pater electus vocis. Primus verò indicat Astrologi cum & meteorologicum, Chaldeorum placitis tanta cura deditum, quanta solent parentes suis filiis incumbere: posterior sapientem, nam per vocem sermo qui profertur indicatur, per patrem mens cuius principatum est. nam sermo intus conceptus, naturaliter pater est, vt antiquior, serens quæ dicenda videntur: electus verò bonitatem declarat. *Phil. Iud. de Abraham.*

Abraham Iosepho tradidisse astrologiam credimus. sed non diuinatricem, sed mathematicam de motib. siderum. *Io. Pic. Mir. in Astro. lib. 12. cap. 1.* Abraham natus est plus quinquaginta annis ante obitum Noe. *Aug. Steuc. de peren. phil. lib. 1. cap. 1.*

Absoluendi interdum rei sunt, & si deliquerint, vbi è republica esse cernimus. *Fran. Patricius de republ. lib. 6. cap. 5.*

Abstrahere nil aliud est, nisi imaginata, quæ potentiâ intellectu fuerint, facere actu intellectum. *Bes. Car. in calumniatorem Plat. lib 3. cap. 25.*

Absurda, & insolita dicere, & audire, vitandum est. *Plat. de legibus, dial. 7.*

Ab vno negamus multitudinem, totum, figuram, in aliquo esse, motum, statum, quantum propriè spectat ad vnum; qui primus negationis ordo est Secundus negationis ordo est, vt negemus ab vno idem, alterum, simile, dissimile, æquale, inæquale, senius, iunius, quantum spectat & ad se & ad alia. Tertius negationis ordo, vt opinabile, scibile, nominabile, tolluntur ab vno quantum ad alia pertinet. *Mar. Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 66.*

Academici noui à veteribus ita dissentiunt, vt facilius sit omnem arenam numerare, quàm eorum sententias conciliare posse. *Gab. Buratellus, de hominis felicitate, lib. 6.*

Accidentia in hoc mundo sunt diuersa ab anima, sunt autem connaturalia animæ, proueniunt enim à natura ipsius. *Arist. Theologia Ægypt. lib. 1. cap. 3.*

Accidens nullo modo potest generare substantiam, sed materiam duntaxat accidentali quadam præparatione disponere. *Mar. Fic. in Platonica Theologia lib. 4. cap. 1.* Accidens nullum est nobilius substantiâ. *idem, ibid. lib. 6. cap. 7.*

Accidentia competunt compositis, & formis, quæ sunt in subiecto, formis immaterialibus non conueniunt. *Iamblicus de mysterijs.* Accidentales qualitates, quæ propriæ sunt generib. vel speciebus, & essentias complent, ac perficiunt omnes sub earum ideis exemplariter comprehenduntur; quæ verò cæteræ sunt exemplaria non habent, sed causas propinquas non solum in complexionibus corporum, sed etiam in ipsis naturis, in quibus talium insuper rationes sunt seminales. *Mar. Fic. in Pla. Parmenidem, cap. 10.*

Accidentia quæ in ordine corporum alicubi sunt, nusquam in eodem ordine, s. corporali substantiæ erunt. *Mar. Fic. in Plo. En. 1. li. 2. cap. 1.* Accidentia vbique rediguntur ad quæ dam substantialia, proportione quadam congruente sibi. *Idem, in Plo. En. 3. lib. 5. cap. 3.* Accidentia solùm percipit sensus, substantiam opinio, id est ratio vtens imaginatione. *Idem, in Theophrastum cap. 41.*

Accidentia inseparabilia habent ideas in Deo non solùm cognitionis, & imitationis, sed etiam actu, quia Deus producit illa, vt causa vniuersalis omnium in proprio subiecto. *Gab. Buratellus, de ideis, lib. 1.* Accidentia separabilia habent ideas in Deo non solum cognitionis, & imitationis, actu, sed etiam opere, seu factione, quia non solùm statim Socrates est musicus, sed successu temporis potest fieri musicus. *idem, ibid.*

Accipiter albus captus est Mirandolæ. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam doct. Plat lib 5.*

Accusatio in alium Athenis actio appellabatur, non causa. *Plat. in dial. de Sancto.*

Acerbus sapor fit, cùm quæcunque ingressa sunt venas, quæ circa linguam sunt ad rariores, & teneras carnis partes illabentia, dum terrestres quædam illorum partes colliquescunt, venas contrahunt, & resiccant. si sunt asperiora, sit vt dixi, sapor acerbus, si minus aspera, austerus. *Plat in Timæo.*

Acheron sub terra flumen est locus purgatorius, atque ad curam pertinet, & mærorem, & respondet aeri, ac parti meridianæ mundi. *Mar. Fic. in Phædrum.*

Acidus sapor fit, cum acrium materia præattenuata fuerit à putredine, & in angustas venas, & partes quæ isthic insunt terrestres, & eas quæ moderatum aerem habent, ingreditur, ita vt motu suo efficiat, vt illæ inter se misceantur, dum autem miscentur, inter se obuoluantur, & in alias ingredientes alias cauas efficiant bis quæ ingressa sunt circuntensas, nimirum humiditate circa aerem cauâ circuntensâ, aliquando purâ, quo humida vasa aeris aquæ cauæ, ac rotundæ fiant, & quæ quidem ex pura humiditate sunt, pellucida cõsistant, bullarum nomine appellata. quæ verò ex terrestri, quæ simul mouetur, & eleuatur, ebulitionis & fermentationis nomine cognominetur, quarum affectionum causæ, vt dictum est, acidus appellatur. *Plat. in Timæo.*

Acris sapor fit, cùm quæ oris caliditate participarunt & ab ipso læuigata efferuescunt rursus vicissim id quod calefecit accendunt, & vrunt, & præ leuitate sursum ad capitis sensum feruntur, & secant omnia, quæ ipsi occurrunt. *Plat. in Timæo.*

Acria medici nominant, quæ suo calore linguam exulcerant, vt piper. *Iac. Carpen Alcinoo de sensione.*

Actionis diuisio.

Actiones aliæ natura, aliæ arte perficiuntur, naturâ partim fiunt ab ipso toto erga partes, partim à partibus erga totũ, partim à partib. in partes: quæ arte aguntur duobus potissimum modis aguntur, aut vt ars operi dedit initium, sic ipsa operi imponit finem, vt statuarius in statua: aut viribus naturalibus vtitur ad operum naturalium actiones, vel passiones perficiendas, vt medicina: veluti si verò actiones, quib. totus mundi circuitus in se ipsum agit; aut in partes,

dum euoluit, tum se ipsum certâ quadam conditione disponit, tum partes suas secum ipse componit. partes inquam tum quæ in ipso circuitu sunt, tum quæ sunt, & inde distribuuntur in terris; partium verò ad partes actiones, & passiones, omnibus fermè manifestæ sunt. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 31.*

Actionis omnis, quæ impetum animi sequitur, vel boni consecutio finis est, vel euitandi mali. *Mar. Fic. in Plat. Philebo, lib. 5. cap. 1.*

Actio omnis aut à natura corporum prouenit, aut animi impetu, aut rationis consilio, & habitu, aut mentis intelligentiâ: si à natura corporum prouenit, ad certum aliquid tendit; si ab animi impetu ad finem quoque tendit, si ab operatione rationis consilium sequens prouenit, aliquem expetit finem, nam consultare inquirere est, & qui inquirit, vt inueniat quærit, & qui quærit, quærit vt postquam inuenit, quiescat: quæ quies est finis, & à morali virtute vel habitu finem optat: at si ex mentis intelligentia agit, ad finem certè agit. *Mar. Fic. in Plat. Philebo lib. 1.*

Actio vbi transit extra, est aliud quàm esse, & vbi actio, quæ manet intus, ab aduentitia forma procedit, aliud est, quàm esse, & vbi intima est, & perpetua, & à forma solum essentiali, idem est, quod esse, vel saltem quod existere dicitur. *Mar. Fic. in Plo. En. 3. lib. 1. cap. 1.*

Actionis causa.

Actiones iuxta suam naturam peraguntur. *Plat. in Cratylo.* Actio minusquàm oratio veritatem attingit. *Idem, de republica, dial. 9.* Actionem curat iuuenis validus, contemplationem senex & impotens. *Max. Tyrius serm. 6.*

Actiones non ex seipsis bonum afferunt, sed affectiones ipsæ actiones efficiunt bonas. *Plo. En. 1. lib. 5. cap. 10.* Actiones rerum immaterialium non ita fiunt, vt vires ipsæ, quæ agũt, interim alterentur, alioquin interirent, sed potius efficiunt permanendo. *Idem. En. 7. lib. 6. cap. 3.* Actionis animæ ibi principium posuerunt, vbi instrumenti est principium. *Idẽ, 4. lib. 3. cap. 3.*

Actio, quæ fit pro esse, fit absque cura, & labore. *Mar. Fic. in Platonica Theo. lib. 2. cap. 8.* Actio nulla prouenit à communi aliqua consideratione, nisi intercedat aliqua particularis existimatio: quia motus actionésque circa particularia sunt. *idem, ibid. lib. 9. cap. 4.* Actio exterior semper in naturali rerum ordine procedit ab interiori actione: & idem opus actioni persimile. *idem, ibid. lib. 11. cap. 4.* Actio in quolibet rerum ordine ita naturâ comparatum est, vt in summo illius genere sit passionis expers, & passio in infimo sit actione priuata in medijs composite media. *idem, lib. 16. cap. 1.*

Actio omnis à summo agente, appetitio omnis à summo fine ducit originem. *Mar. Fic. in epist. lib. 2.* Actio ab essentia prouenit, qualis ergo essendi conditio, talis agendi conditio est, & è conuerso. *idem, ibid.* Actiones in infinitum pergerent, si non esset aliquid, vltra quod agens nihil exigit. *idem, in Pla. Phileb. lib. 1. cap. 2.* Actiones porrigi in infinitum non possunt. *ibid.* Actiones, & motus omnes cælestes & naturales ab ipsa Dei contemplatione, tanquam à principio ducuntur veluti ad finem. *Idem, in Pla. dial. 2. de republica.*

Actionem aliquam passio non comitatur, vt intelligentiam, & sensum, aliquam comitatur intus, vt conterere conterentem vicissim. & calefacere frigefacientem; aliquam comitatur extrinsecus, & hoc dupliciter, aut enim actionem manifesta passio comitatur foris, vt secantem, aut occulta vt incedentem, imò & occultissima, vt augeri, & formari corpus ab anima. *Mar. Fic in Plot. En. 6 lib. 1. cap. 8.*

Actio omnis in motu quomodolibet posita, tanquam non omnino perfecta, refertur in causam, & illam permanentem, De eo quod ab alio mouetur, non est dubium, motum & actionem ab alio proficisci, quod ex se, id est naturâ suâ mouetur, habet suapte naturam quod mouetur, quòd autem simpliciter agat, atque sit, aliunde sortitur. *Mar. Fic. in Plotini En. 3. lib. 1. cap. 21.*

Actionum liberarum principia in anima nostra duo sunt intellectus, & ratio, quorum opera potest anima præter ipsum quod habuit ab initio, progredi, sed intellectus profecit subito, factúsque est animus ex humano diuinus, ratio verò proficit tempore, deficitque similiter. *Mar. Fic. in Plotini En. 3 lib. 3. cap. 4.*

Actiones tales esse solent quales agens institutus est finis. *Sebast. Foxius præfatione in republica Plat.* Actio nunquam existit nisi agens sit potentior patiente. *Iac. Carp. in Alcinoi definitione.* Actiones ex in quibus obeundis agens cum potentia materiæ communicat, intenduntur & remittuntur & cum ipsa remissione agentis defatigatio necessaria est coniuncta. *idem, in Alcinoi digres. 3.* Actionum, & facultatum vbi est proportio quædam, ibi quoque proportionem adesse oportet partium organicarum quæ illis subseruiũt. *idem, in Alcinoi dig. 8.*

Actionem rei qui tollit, rem totam etiam aufert quia natura nihil otiosum patitur. *M. Ant. Natta de immor. an. lib. 3.* Actio illa pulchra iudicanda, quæ virtuti adiuncta est, deinde quæ se locis, temporibus, personis, negotijsque aptarit. *idẽ, de pulchro, lib. 2.*

Actionis finis.

Actio omnis in seipsa dum peragitur, nec honesta, nec turpis est sed in ipsa operatione, prout peracta fuerit, talis euadit, si honestè peragitur, ac rectè, honesta, sin minus, turpis. *Pla. in Symposio.* Actio omnis quatenus malum operatur, mala est, quatenus bonum, bona, & quatenus bona honesta, quatenus mala, turpis. *idem, in Alcibiad. 1.*

Actiones omnes, quæ fiunt, vt quis citra tristitiam & iucunde viuat, honestæ sunt, & vtiles, & opus honestum, bonum, & vtile est. *Plat. in Protag.* Actionem communem quicunque tractant, quando & sibi ipsis, & actioni animaduertunt, omnia pulchra & bona efficiunt; at vbi mentem non adhibent, contra. *Idem, de legibus, dial. 6.* Actio quæ iusta fuerit, ferè quantum cum iustitia coniuncta est, in tantum etiam honesti particeps est. *ibid.* Actio contemplationis gratia fit, ideò agentium finis contemplatio est. *Plot. En. 3. lib. 8. cap. 3.*

Actio si à materia proueniret, aut à dimensione, vna esset omnium operatio, at cum diuersæ appareant diuersorum corporum actiones, non per materiam, dimensionemve vnam, sed per varias ipsorum qualitates operantur: quia qua ratione sunt, eadem agunt, sunt autem non per molem in specie hac, vel illa, sed per hanc, vel illam formam, ergo per formam operantur, præsertim cùm agens per formæ qualitates patienti propinquet, prius, quàm per terminos quantitatis, ac per formæ vim transeat in materiam alienam potius, quàm per quantitatis dimensionem, & singula materiæ puncta non dimensione attingat, sed qualitate. *Mar. Fic. in Platonica Theologia lib. 1. cap. 2.*

Actio complexionis, & eius formæ semper per qualitates, ex quibus ipsa est conflata, peragitur. ideò nunquam tam sublime complexio operatur, quin ad illud qualitatum se vires extendant. *Mar. Fic. in Pla. Theologia lib. 7. cap. 8.* Actionis principium, & finis contemplatio est. *idem, in Pla. dial. 2. de republ.* Actio omnis & publica, & priuata de mente Platonis non ad copiam, non ad potentiam, non ad victoriam, sed ad ipsam iustitiam penitus referenda est. *ibid.*

Actio conducit ad sanitatem, non effluxio. *Mar. Fic. in Theophrasti. cap. 29.* Actio quæ animi impetum, iram, metum, cupidinem sequitur, finem aliquem respicit: nam si nihil moueret extrinsecus animi impetus nullus insurgeret, ab aliquo ergo extrinsecus surgit impetus ille, quod vel bonum iudicatum est, vel malum, vel neutrum: si neutrum, nouus impetus non concitaretur, si bonum ad consequendum egit, si malum, ad euitandum. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. c. 1.*

Actiones omnes etiam si honestissimæ videantur, nihil pendit Plato, nisi ad diuini boni imitationem, consecutionémque conducant, & speculationes omnes negligit, nisi ad diuinum bonum inueniendum conferant; & si quo pacto nos inde diuertant, detestatur. *Mar. Fic. in Plat. de republica dial. 7.* Actiones vel ad virtutis, vel ad vitij habitum vergunt, si ad virtutis habitum, voluntariæ sunt: si ad vitij habitum, partim voluntariæ sunt, quia animo consentiente fiunt: partim inuoluntariæ, quia ad detrimentum, deformitatem, morbum elata deducunt, quæ nemo vellet. *idem, in Pla. de legibus, dial. 9.*

Actio vt perfecta.

Actiones bene distribuuntur, si referuntur in essentias, id enim est illorum esse, actum hoc edere. *Plotinus En. 3. lib. 1. cap. 1.* Actioni perfectæ tria potissimùm exiguntur, vt agens in se ipso potissimùm sit, vt ad motum promptissimũ, vt facile penetret patiens, & ipsum patiens agenti proximè vniatur; quibus omnibus moles corporis est impedimento. *Mar. Fic in Plat. Theol. lib. 1. cap. 2.*

Actio illorum, qui ipso esse aguntur, illaboriosa est, ideò diuinis tribuitur. *Mar. Fic. in Pla. Phileb. lib. 1. cap. 28.* Actio illa maximè actio est, quæ passioni, & impedimento mixta non est, & quia ad obiectum optimum, id est maximè actu fertur. *idem, ibid. cap. 32.*

Actio omnis vt perfecta perueniat, oportet vt agens duplo sit potentius subiecto: quia cùm intendat seipsum geminare, proportione indiget geminante. alioqui reluctans subiectum perfectam impedit actionem. *Mar. Fic. in Plat. legum appendic.*

Actio honesta est, & necessaria prodesse hominibus & publice, & priuatim; honesta, quia quemadmodum quodlibet corporis membrum non sui ipsius tantum sed aliorum etiã, maximè verò totius est, sic homines aliis aliorum sunt, ac potissimè speciei: necessaria verò, quia nisi aliis viueris, nõ potes tibi viuere, & nisi domesticis, patriæque succureris, res profectò familiaris, & publica, vel destituta gubernatore nutabit, vel à deterioribus gubernata periclitabitur, & faciet naufragium. *Mar. Fic. in Plat. epist. 9.*

Actio vt temporalis & naturalis, & vehemens.

Actio mobilis, cum imperfectior sit stabili, significat essentiã, in qua est, ab alio proficisci, & à stabili quęnam eiusdem essentiæ potentia regitur. *Mar. Fic. in Plotini En. 3. lib. 1. cap. 2.*

Actio temporalis motus ab omnibus numeratur, ideò qualitas omni ea parte subiicitur motui. *Mar. Fic. in Platonica Theologia lib. 1. cap. 4.*

Actio vehemens est, vbi virtus ingens est in artifice. *Mar. Fic. in epist. lib. 3.* Actio naturalis pendet ex motu, principium verò motus est vita *idem, in Plo. En. 2. lib. 3 cap. 13.*

Actio vt ad genus iudiciale pertinet.

Actionem appellabant Athenienses, & non causam cum aliis elium eccesabat. *Plato de Sancto.* Actio non differt à faciẽdo consilij ratione, sed eo quod in faciendo, præter factionem ipsam, opus aliquid relinquitur, vt domus, aut aliquid huiusmodi. *Bes. Card. in Trapezuntiũ, lib. 6. cap. 8.* Actio omnis immeneos elicita à toto composito, elicitur mediante forma sibi dante esse, sed intelligere est actio immanens. *Gab. Buratellus de Reminiscentia, lib. 4.*

Actiua vita hominis à contemplatiua plurimũ distrahit. *Mar. Fic. in epist. lib. 10.* Actiuæ vitæ multæ sunt procellæ, contemplatiuæ tranquillitas. *idem, in Pla. de republica, dial. 6.* Actiua vita, & eius actio cũm corporis ministerio plurimum vtantur, impediuntur sæpenumero, & quæ contemplatiua vita speculatur, ad officia morum transferre desiderent. *Alcinous cap. 2.*

Actor orationem primam in iudicio habeat, secundam in iudicium postulatus. *Pla. de legibus dial. 9.*

Actus duplex, separabilis, vt nauta à naui: & sic anima est actus alius inseparabilis, vt caliditas ab igne, item actus alius est perfectio materiæ suæ, vt caliditas ignis, alius agit perfectionem, & sic anima est actus. *Arist. Theologia Aegyptia, lib. 3. ca. 6.* Actus prior est potentiã. *Suessanus in 13. metaph. cap. 7.*

Actum habet quælibet res existens, veluti quandã sui similitudinẽ, & adeò vt re ipsa existente, actus existat, & illa manente, prodeat ad remotũ, partim longius, partim breuius, partim debiles ac exiles, partim quoque latentes. Quorundam verò maiores sunt actus, procùlque funduntur, & quando ad remota procedunt, ibi existimandum est esse, vbi agens est, & potens, rursusque non currit. *Plotin. En. 4. li. 5 c 7.*

Actem quendam ab ipso vno consistente, procedere asserere possumus, vt à sole lumen, intellectum scilicet, & omnem naturam intelligibilem, ipsum verò in summo intelligibilis mundi vertice conquiescens, in eo regnare, non segregans à se ipso quod inde micat: vel lumen aliud ponemus supra lumen, quid semper manendo intelligibile fulgeat, quod enim ea ipso micat, nec segregatur ab eo, nec rursus est idẽ, sic tale est, vt non sit essentia, vel quasi cæcum, sed videt, cognoscitque seipsum, primũmque cognoscens est, illud autem vt intellectu superius est, sic est & superius cognitione, & vt nulla re indiget, sic nec cognitione indiget, sed ipsa cognitio collocatur in natura secunda. *Plot. En. 5. lib. 3 cap. 12*

Actus alius est essentiæ, alius ab essentia manans, qui est actus essentiæ ita se habet, vt vnumquodque tale ipsum ipse actus existat, actus ab essentia manans ille est, quem necessarium est ex vno quoque sequi, differentem ab illo, à quo effluxit. *Plo. En. 5. lib. 4. cap. 2.* Actus ab aliis segregans se, atque cohibens ad interiora, nihilque videns, cernit protinus lunam non in alio aliud, sed ipsum secundùm seipsum solum purũ, ex se ipso repente coruscans. *idem, En. 5. lib. 5. cap. 7.* Actus est alicuius potentia actiui. *idem. En. 6. lib. 1. cap. 17.*

Acte quod est omne, qua actu, perfectum est. *Proc. Elem. Theo. cap. 77.* Actus omnis ex potentia inexistente perrenit. *idem, ibid. cap. 79.*

Actus diuinus in se ipso subsistit. *Mar. Fic. in Platonica Theologia lib. 2. cap. 4.* Actus naturã suã terminum non includit; nam subiici termino passio est, quæ actui est opposita, & in tantum actus patitur terminum, in quantum subiecto cuidam, vbi aliquid passiuæ potentiæ est, innititur. *idem, ibid.*

Actus purus vt est infinitus affirmatione, sic pura priuatio est infinita negatione. *Mar. Fic. in Pla. Theo. lib. 12. cap. 4.*

Actus mixtus nusquam erit, si nusquam erit potentia mixta, nec purus actus, si pura potentia reperiri nequit. *idem, ibid. lib. 11. cap. 3.*

Actus proprius essentiam propriam comitatur, & è conuerso. *ibid. lib. 11. cap. 1.*

Actus quamuis in vniuerso secundùm naturæ ordinem prior quam potentia sit, in eodem tamen subiecto secundùm tempus posterior est, quoniam à potentia in actum motus efficitur. *Mar. Fic. in Plat. Theologia lib. 18. cap. 3.* Actus omnes secundi à Deo excitantur, & roborantur; ideò ipse potentiarum omnium dicitur actus, id est omnes potentias in actum reducens. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 71.*

Actus omnes, vnum simpliciter quæ post primum sunt, esse non possunt, vnum ergo multa sint oportet; melius autem est esse vnum omnia, quam vnum aliqua, dummodo in vno omnia possideamur. *Mar. Fic. in Pla. Phileb. lib. 1. cap. 31.*

Actus quisque tam primus, quàm secundus à Deo datus, cuiusque bonum dicitur; & dicitur cuiusque summum bonum, quia sine vllo impedimento integram agendi secundùm sui naturam vim exercet, expeditissiméque operatur. *idem, ibid.*

Actum in vnum suum omnia se colligent, vt vno hoc centro sui, centro omnium hæreant. Ipsum bonum centrum est omnium, quia ab illo omnia, & ad illud; & vt lineæ omnes à centro manantes, punctum in se habent, & in centrum terminantes puncto suo, punctum circuli attingunt, sic omnia à Deo vno actu pendentia, vnum actum retinent, quo vno redeunt in vnum primum, & illud attingunt. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 32.*

Actus, & potentia quodammodo opponitur, ideo in creatione esse, quod essentiæ datur, rationem actus habet, essentia verò quæ suscepit, habet potentiæ rationem. *Mar. Fic. in Pla. Phileb. lib. 2 cap. 1.*

Actus primus, idest Deus speciem actũmque rebus singulis producendo largitus est, qui actus cum in subiecto patiente susceptus fuerit, debilis est, & ad operis executionem impotens; sed diuini solis perpetua, & inuisibilis vis semper omnibus adstat, fouet, viuificat, excitat, complet, & roborat. Vt est actus omnium, & roborat, bonum dicitur, vt viuificat, lenit, & mulcet, & excitet, pulchrum; vt in obiectis, quæ noscenda sunt, tres illas animæ vires allicit, pulchritudo; vt in cognoscente potentiam illam applicat cognitio, veritas; vt bonum est, procreat, regit, & complet; vt pulchrum illuminat, gratiamque infundit; omnia verò præparata esse oportet ad gratiam diuini fulgoris excipiendam, corpora proportione, voces harmonia: officia morum rectitudine ad bonum finem: disciplinas ordine ad obiectum verum: animam puritate per auersionem ab inferis, & conuersionem ad supera: mentem per æternum in ipsum bonum intuitum. *Mar. Fic. in Pla. Phileb.*

Actus, qui est forma, vel loco formæ quoniam ad subiectum accedit, velut adhuc informe, atque impotens, indiget quodam exterioris causæ beneficio; actui verò qui actio est, ex ipsa formæ vel habitus potestate prodit. *Mar. Fic. in Plot. En. 2. lib. 5.* Actus solus vbi est, & non potentia, vt in primo sempiterna res est, quoniam ad nullam aliam formam potentia ibi latet. *idem, in Plot. En. 3 lib. 9. cap. 4.*

Actus, quod principium rerum est, etsi non dicitur propriè agere, vel actionem habere, tamen hinc aguntur, hinc agũt omnia; hunc actum ne appelles intellectum, vel intelligentiam, qualem Plotinus vbique affirmat, nam apud eum intellectu vel primo aliud est natura intelligens, aliud actus intelligendi, item essentia, vita, intelligentia, sunt ibi distincta, rursus differentes rerum ideæ inter se formaliter, absolutáque ratione differentes similiter ab intelligentia, per quam eas ipsa mens intelligit; has doctrinas nec Platonici, nec Christiani summo competere putant, denique summus ille non ideò se intelligit, vt sibimet se copulet quasi disiunctum, nec ideò rursus alia, vt sic inde intelligendo proficiat: nam & melius aliquid rebus largitur, id est fruitionem sui, & meliori modo quàm cognoscendo se fruitur, & per vnitatem intellectu superiorem fruuntur Deo, vt Areopagita asserit. *Mar. Fic. in Plo. En. 5. lib. 6 cap. 6.*

Actus vitalis omnis est immortalis; & qui ab anima nostra in corpus intenditur eam perpetuò comitatur, & qui in corpus idem manet ab anima mundi, hancque animam assiduè sequitur. *Mar. Fic. in Plo. En. 4. lib. 5. cap. 7.*

Actus & existere quomodocunque idem est, actus solet tanquam præstantius excogitari, illic certè actus considerari potest existentiam suam, quasi comitem secum ferre. *idem, in Plot. En. 6. lib. 8 c. 20.*

Actus ad formam, potentia ad materiam pertinet. *Iac. Carp. in Alcinoo. dig. 3.*

Actiua philosophia diuiditur in eam partem, quæ mores hominum curat, quæ domum, & quę rem publicam gubernat & tuetur; prima moralis, secunda domestica, tertia ciuilis

dicitur. *Alcinous, c. 3.*

Actorum bonorum nulla est lingua, quæ non deploret interitum. *Aug. Steuch. de peren phy. li. 1 cap. 5.* Actus felicissimæ illius nostræ cum Deo copulationis omnem delectationem, iucunditatem, & gaudium exuperare videtur. *Leo Hebræus de Amo. dial. 3.* Actus tres intellectuales ad rerum procreatarum vniuersitatem perficiendam, atque ad creatorem ipsum reducendã concurrunt. *idem, de Am. dial. 3.*

Acumen, & velocitas siue in corporibus, siue in animis, siue in vocibus semper laudanda est, quæ in multis sub fortitudinis nomine laudamus, sed si acutiora quàm oportet sint, vituperamus. *Pla. de regno.*

Adam aliis nomen imposuit, sibi non, quia naturam propriam ignorauit. *Philo Iud. in legis allegorias, lib. 1.* Adamum solum post peccatum, Deus vocat dicens, vbi es, non autem vxorem: quia vxor est sensus, & sensus est pars bruta, quæ redargutionem non recipit, Adam mens est, quę redarguitur. *idem, ibid lib. 2.*

Adam creatus est ad implendas sedes, ob angelorum casum, inanes. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in epist. lib. 3.* Adam vixit annos mille demptis septuaginta. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 1. cap. 1.*

Adam apud Hebræos hominem significat, & marem simul fœminámque complectitur. *Leo Heb de Am. dial. 2.*

Adamas Magneti præsens, quòd rapit magnes aufert. *Mar. Fic. in Platonica Theologia. lib. 4. cap. 1.*

Ad Deum bonum summum vnum si quis accedis, discedat oportet ab infimis, à malo, à multitudine, excedat etiam intellectum. *Mar. Fic. in Plo. En. 6. lib. 9. cap. 3.*

Adesse alterum alteri duobus modis dicitur, vel cùm quod præsentiâ suâ melius, vel deterius illud permutatione quadam afficiat, quod in corporibus præsertim viuentibus est manifestum: aliquando aliquid alicuius præsentiâ sine susceptione melius fit, aut deterius seorsum à passione, vt de anima dicebatur. *Plotin. En. 3. li. 6. cap. 9.*

Ad finem aliquid tendere duobus modis est, aut propria operatione, aut aliena. propria vt homo & reliqua, quæ ratione pollent: aliena vt ea quæ ad finem aliunde mouentur, vt à sagittario sagitta dirigitur, & reliqua inanima. *Bes. Card. in Trapezuntium lib. 6. cap 2.*

Adiunctio omnis ablationem, & defectum inducit. *Plo. En. 3. lib. 9 cap. 3.* Adiunctum semper impedit cognitionem eius, cui adiunctum est. *idem, En. 4. lib 7. cap. 10.*

Admirari est affectio philosophica, & non est aliud philosophiæ principium, quàm hoc. *Pla. in Thea.* Admirationem conciliat rebus raritas, contemptum conuersatio. *Apul. de Deo Socratis.* Admiratio à nouitate proficiscitur. *Mar. Fic. in epistolis. lib. 1.* Admirationem sola nouitas afferre solet. *idem, de sole cap. 13.* Admiramur propriè magna. *idem, in Pla. conuiuium, or. 1. cap. 2.*

Admonitionem priuatam requirunt, quæ inuitè admittuntur. *Plato Apologia.* Admonitio quæ in somno apparet, est cùm angelicæ bonitatis consiliis regimur, & admouemur. *Chalcidius in Pla. Timaeum.*

Adolescentium primam curam habere debent reipublicæ gubernatores, quo optimè euadant, vt optimum agricolam par est nouellas plantas plurimum curare, deinde alias. *Pla. de sanct.* Adolescentes à Socrate non didicerunt, sed ipsi à se ipsis interrogationum medio multa ac præclara inuenerant, & apud se ipsos continuerunt. *idem, in The.* Adolescentium studia erant literæ, citharam pulsare, & lucta, & reliqua certamina. *Idem, in Theage.* Adolescentum maxima cura habenda est. *idem, in Lachete.*

Adolescentium animos persuadere quis potest quicquid tandem velit. *idem, de legib dial. 2.*

Adolescentiæ quales sunt mores, tales vt plurimum sunt habitus senectutis, & tales sunt defunctorum affectiones. *Mar. Fic. in Pla. Theologia lib. 18. cap. 10.* Adolescens caret vt sit senex, credat se posse senescere, seniores honoret. *Idem, in epist lib. 3.* Adolescentes Plato, nec in Philebo, nec in Republica ad dialecticam libentes admittit, ne insolentiores efficiantur. *idem, in Pla. Parmen. cap. 35.*

Adolescentia est semen futuræ reipublicæ. *idem, in Pla. conui, or. 7. cap. 16.*

Adonis horti sunt, qui non fructuum, sed florum causa coluntur. *Mar. Fic in Pla. phædr. cap 51.*

Adorationis Dei finis supremus est, vt animæ conuersionem cum ipsa permansione coniungat, & quidquid à diuina vnitate processit, rursus idem firmiter restituat vnitati, lumineque nostram superno lumine circunfundat. *Mar. Fic. in Pla. Timaeum, cap 6.*

Adoratio sola recta animas beatæ reddit patriæ. *idem. ibid.*

Adorare debemus, vt ait Porphyrius, quia cum Deus nobis prouideat, & res nostræ possint aliter se habere, certè pro rerum nostrarum vsu vtiliter adoramus. Si boni sumus, similes Deo facti proprius Deo coniungimur, in qua coniunctione adorationis vis tota consistit, nempe cùm filij Dei simus. Sed sic ab eo, quasi in exilio, & carcere segregati suppliciter adorare decet, quò hinc liberati reuertamur ad patrem: alioqui similes erimus eorum, qui parentum patrocinio sunt orbati; at cùm vniuersi partes simus, vniuerso indigemus, ipsa enim ad totum conuersio partibus salutem præstat. Si virtutem sectaris adorandus est qui totam virtutem continet, ipsum namque amare bonum causa erit, & sibi eius, quòd tibi expedit boni, siue corporeum opta bonum extas in vniuerso virtus omnia continens corpora: inde igitur prouenire necesse est partibus omnibus salutem. *Mar. Fic. in Pla. Time. cap. 6.*

Adrastia, id est ineuitabilis quædam prouidentiæ diuinæ lex quæ non solùm mundanas, sed etiam super mundanas leges facit, ordinésque distribuit. *Mar. Fic. in Pla. Phæ. cap. 24.*

Aduersariorum insidiis nulli faciliùs capiuntur, quàm qui secundâ pugnâ elati sunt. *M. Anton. Natta, de pulchro, lib. 1.*

Aduersariorum insidias qui euaserunt, securius omnibus pugnant. *idem, ibid.*

Aduersitates maximæ non possunt mutare felicitatem, num quid erit tam magnum, vt mutare possit, qui ad altiora his omnibus se contulit, nec ab inferioribus his vllis vltra dependet? *Plotin. En. 1. lib. 4. cap. 7.* Aduersitates non amare iubemur, sed tolerare, vt ait August. *Io. Fran. Pic. Mir. de (?) cap. 2.*

Adulatio.

Adulationem voco omnes curas, & circa corpus, & circa animam, & circa aliud, cuiuscunque quis voluptatem curet, ita vt melioris, & deterioris considerationem negliget. *Pla. in Gorgia.* Adulatio omnis fugienda. *ibid.* Adulatio, & illiberalitas oritur cùm quis eundem animi impetum multiplici bestiæ subdit, & pecuniarum, & inexplebilis ipsius cupiditatis gratia irritatum illum à teneris, pro Leone Simiam fieri assuefecit. *idem, de rep. dial. 9.*

Adulatio est conuersatio ad voluptatem absque ratione boni habitus, ad oblectamentum consuetudinis tendens, mediocritatémque transgrediens. *Speusippus de Platonis definitionibus.* Adulationis vbi imminet suspicio, innuere præstat, quam rem explicare. *Mar. Fic. epist. lib. 5.*

Adulatio, & assentatio sunt vitia animi angusti, viri mendacis, ignaui, seruilis, futilis humilis, abiecti, e timore manans, & nullam beneuolentiam in se habens. *Franc. Patri. de regno, lib. 4.*

Adulatoria ars in quatuor diuiditur prima obsoniorum structrix, quæ se simulet optimos corpori cibos nosse, & medicinæ subest, si medicus, & obsoniorũ structor decertarent cum pueris, aut hominibus, qui vt pueri amentes sunt, medicus fame moreretur: hanc artem non voco, sed experientiam, quia coniecturam facit absque optimo, & quia nullam rationem habet eorum, quæ affert qualia sunt naturâ; gymnasticam subit comptoria; & legislatori subit sophistica, & iustitiæ rhetorica. *Pla. in Gorgia.*

Adulator non est expers doloris *Max. Tyrius serm. 4.*

Adulatore nulla perniciosior principibus pestis. *Franc. Patric. de regno, lib. 4.* Adulatores capitali supplicio Athenienses priscis temporibus ex veteribus legibus afficiebant. *idem, ibid.*

Adulteri maximam hominum inuidiam contrahunt, & non modo eos quos iniuria lacessunt in se vltores prouocant, verum maritos pænè omnes, qui eandem contumeliam, & iniuriam formidant. *Franc. Patri. de regno, lib. 4.*

Aediles ex secundis, & primis censibus quinque eligantur: fiat autem ipsorum electio vt vrbis curatorum, vt decem eligantur per suffragia, vt ex his quinque sortiantur, & approbatos ipsos principes pronuncient, quiuis eligat quemlibet, qui noluerit, mulctetur quinquaginta drachmis, adhoc vt pro malo viro habeatur, accedat ad concionem vt communem conuentum, qui volet, secundo, & primo censui decem dragmarum mulcta incumbat, si non in conuentu præsens quis æstimationem faciat, tertio, & quarto censui ea necessitas non immineat, sed impanis dimittatur, nisi magistratus denunciarint omnibus, vt ex necessitate quadam conueniant. *Pla. de legibus. dial. 6.*

Aediles gubernationem circa forum à legibus constitutam custodiant, & templorum, ac fontium, in foro curam gerant, vt nemo quicquam iniuriâ afficiat, si verò quis iniuriâ affecerit puniant plagis, & vinculis seruum, & peregrinum: at si sit indigena in ipsorũ potestate sit mulctare vsq; ad drachmas centum nomismatis, & iudicantes in communi cum vrbis curatoribus duplam huius mulctam exigant: idem de vrbis curatoribus, *Pla. de legib. dial. 6.*

Aedilibus

Aedilibus omnia circa forum curæ esse debent, & post templorum visitationem cura ipsorum est in foro, ne quis iniuriam faciat in his, quæ ad hominum vsum pertinent, vt petulantiæ, & temperantiæ inspectores sint, & castigent eum, qui castigatione opus habet, & ex venalibus considerent quæ circa exteros constituta sint. *Pla. de legibus, dial. 8.*

Aedificij opaci, quòd aerem contineat, & aurum, si aspersum aqua pauimentum sit, flatum, & ventum ciet, migrante ex sede sua ob irrumpentem humorem, atque impulso aere, ita natura comparata sunt, vt summoueantur à seipsa, & decedant vicissim, quòd non sit receptaculum vacuum, quo locatum alterum alterius vicissitudinem non sentiat. *Plut. in quæstionib. Platon.*

Aegestatem pellere qui vult, non pecuniæ adiiciendum, sed cupiditati potius contrahendum. *Mar. Fic. de volup. ca. 4.*

Aegyptij.

Aegyptij in templis scripta seruant, quæcunque vbique terrarum, aut pulchra, aut magna, aut aliquo alio modo insignia facta sunt, & apud ipsos, & apud alias gentes. *Plat. in Timæo.* Aegyptij memorias rerum seruant, quia nec ob ignem, nec ob diluuia periere. *ibid.* Aegyptij colūt Neith, quam græci Athenam, id est Mineruam vocant *ibid.*

Aegyptij sacerdotes de priscis rebus maximè periti erant, ita vt Solon compererit neque se ipsum, nec vllum alium Græcum quicquam, vt ita dicam de talibus nosse. *Pla. in Timæo.*

Aegyptius sacerdos admodum senex dixit ô Solon, Solon, vos græci semper pueri estis, senex autem Græcus non est: iuuenes estis animis omnes, neque habetis in ipsis ex veteri narratione priscam opinionem, neque aliquam disciplinam tempore canam, quia multi interitus fuere, & per ignem & per aquam. *ibid.*

Aegyptij primi participationem deorum sortiti sunt ideò Deos inuocantem potissimum approbare censent, quando ægyptio ritu vocantur. *Iamblichus de mysterijs.* Aegyptum barbarus scythes, aut Indus inhabitabit, & religionis suæ suggeret fabulas, sola quæ supererunt verba, lapidibus incisa, facta pernarrant. *L. Apul. Asclepius.*

Aegyptij deorum statuas construebant tales, vt loquerentur, & irent. *Mar. Fic. in Pla. Theol. lib. 13. cap. 3.* Aegyptij solis philosophis, & his absolutis, & insuper sacris, regni gubernacula concedebant, atque adeò putabant nihil absque diuino auxilio posse feliciter agi, vt omnia publica à sacris virisque auspicarentur, & nihil absque diuina inspiratione intelligi posse adeò asserebant, vt ait Iamblicus, vt omnes apud illos philosophantium libri Mercurij Dei nomini sint adscripti, quasi non hominum sint inuenta, sed Dei. *idem, in Plat. de Rep. dial. 7.* Aegyptij sacerdotes ex philosophorum numero eligebant, & ex cœtu sacerdotum regem. *idem, in arg. Mercurij Trismegisti.*

Aegritudo est opinio alicuius mali præsentis. *Francis. Patri. de regno, lib. 4. cap. 8.* Aegrotos desperatæ salutis à Pæone, & nonnullis alijs medicis musicæ oblectamentis curatos fuisse constat. *idem de repub. lib. 1. cap. 2.*

Aemiliæ virginis vestalis vestis carbaseæ fascia statim accensa est ad eius preces, vt ostenderet eius innocentiam. *Franc. Patri. de repub. lib. 4. cap. 5.*

Aemulari indignos non conuenit, nec miseros, sed misereri. *Pla. in Gorgia.* Aemulatio est calcar ad capessenda ardua & difficillima. *M. Ant. Natta de pulchro, lib. 5.*

Aemulatio est dolor animi, quum alius potitur ea re, quam tu concupiueris, & tu ea careas. *Franc. Patri. de regno, lib. 5. cap. 12.* Aemulatio duplex, alia est cum animi dolore, quòd alius habet, quod habere non potes; alia ea similitudine oritur, & imitatione, non ex inuidia, quæ laudāda est. *idem, ibi.*

Aenigma.

Aenigma magorum. Est res vndique lucida, vndique obscura, est media partim lucida, partim obscura, in ordine corporum res vndique lucida est stella quælibet super lunam, obscurus vndique est aer, media luna, in ordine spirituum mens est lumine plena, anima irrationalis vacua, rationalis medium tenet, partem habet intellectualis luminis, parte caret, ac partem quam habet à Deo ceu luna à sole. alias aliter accipit in vtraq; figuram, ideò merito super eū est angelus, qui tanquā stella, quod super lunā, & totus semper, & eodem pacto sui solis luce refulget. *Mar. Fic. in Plat. Theologia lib. 1. cap. 5.*

Aenigmata mittebant olim Reges finitimi alterutris, & sophisticas quæstiones, quas si nesciret alter dissoluere, pecunia, aut aliqua parte regni mulctabatur, & qui vincebat sapientior habebatur. Idem græci, sublatis mensis, sibi ipsis gryphos, nodos, & scrupos, vt dicebant, cum pœna, & præmio proponebant. *M. Anto. Natta de pulchro, lib. 1.*

Aeolus in numen collocatus est, quia docuit rationem ventorum, vnde fluxit nauigandi vsus. *Fran. Patr. de regno, li. 1. ca. 9.*

Aequale.

Aequale ipsum à rebus æqualibus differt; & res æquales non possumus scire, nisi prius æquale ipsum nouissemus: at æquales res sensu percipimus, æquale ipsum sensu percipi nequit, ergo nos cognoscimus æquale antequam sensus adepti essemus, ergo ipsius æqualis ante natiuitatem cognitionem habemus. *Plato in Phædone.*

Aequalia sunt, quæ easdem mensuras habent. *Plat. in Parmenide.* Aequale quod est, easdem cum illo, cui æquale est, mēsuras habet. *idem, ibid.* Aequalia sunt, quæ inter se nec maiora, nec minora sunt, *ibid.* Aequalia si inæqualibus addantur tum tempori, tum alij cuipiam æquali, semper distare faciunt quanto primò distabant. *ibid.*

Aequalitas media est inter magnitudinem, & paruitatem. *Plato in Parmenide.* Aequalitas Geometrica multum potest inter deos, & homines. *idem, in Gorgia.* Aequalitas amicitiam efficit, vt est in prouerbio. *Idem. de legib. dial. 6.*

Aequalitas primum in quantitate est symptoma. *Procl. in Eucl. lib. 3. com. 8.* Aequalitas est terminus, & mensura inæqualitatis. *idem, ibid. com. 17.* Aequalitas eorum quæ eiusdem sunt speciei, sponte naturæ proueniens est, considerationé-que sola indiget: eorum autem quæ dissimilis speciei sunt, propter eam, quæ iuxta speciem fit mutationem, ortu, machinationéque æqualitas indiget, cùm per se sit inuentu difficilis. *Idem, in Euc. li. 4. com. 58.*

Aequalitas in ciuilibus muneribus distribuendis semper seruanda est non arithmetica, quæ sæpe iniustissima est, sed Geometrica, per quam considerantur merita singulorum; & ea ratione singulis distribuantur, vt quæ proportio meritorum est ad merita, eadem quoque munerum sit ad munera, neque æqualia sint munera muneribus, sed munera meritis: geminam ergo considerabis æqualitatem muneris ad munus, tum muneris ad meritum, illam sæpe noxiam, rarò vtilem, & tum demum vtilem, si ōai forte. Hanc verò quotidie necessariam, in hac vtrique totam consistere rationem iustitiæ, & hanc in Iouis iudicio esse positam, eiúsque notionem hominibus vix, paucisque tribui, sed quotacunque nobis adsit, per hanc solam cuncta seruari. *Mar. Fic. in Pla. de legib. dial. 6.*

Aequalitas inter ciues concordiam parit. *Franc. Patri. de Repub. lib. 1. cap. 6.* Aequalitas finiti potius, quàm infiniti conditio quædam esse videtur. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*

Aequinoctialia puncta omnia imaginaria sunt, & à nostra cogitatione pendent, quæ possent mathematicis ad inueniendos motus, & supputanda planetarum loca deseruire; sed virtutum origines, & influxuum aliquorum principia statui non possunt. *Io. Fic. Astr. in ap. l. 8. cap. 3.*

Aequitas est iustorum conducentiúmque remissio, moderatio in commerciis, ordo rationalis animæ, quo ad honesta & turpia. *Speusip. de Plat. definitionib.*

Aequitas pacis tempore in iudiciis dominetur oportet, summum ius, summa iniuria. *Franc. Patric. de regno, lib. 2. cap. 17.*

Aer.

Aeris portiones ex vna parte dissolutæ duo ignis corpora fieri possunt. *Pla. in Timæo.* Aer dicitur ab eo quod ἀρει id est eleuat, quæ in terra sunt, aut quod ἀεὶ ῥεῖ id est semper fluit. *idem, in Cratylo.*

Aere separato ab aliis elementis, & diuiso ex duabus totis, & dimidiā vnā, tota aquæ species concrescit. *Idem, in Tim.*

Aeris pars purissima cognomine Aeter vocatur turbulentissima caligo, & tenebræ, & aliæ sine nomine species factæ sunt propter triangulorum inæqualitatem. *ibid.* Aerem per vim compactum nihil nisi secundum elementum solum, non violenter coactum solus ignis liquat. *ibid.*

Aer est corpus non compositum ex corporalibus. *Mercur. Trismegist. Pimand. cap. 2.* Aer est elementum, cuius omnes loci mutationes secundùm naturam sunt. *Speusippus de Pla. definitionibus.*

Aer obtenebratur defectu, & absentiā luminis, ita nec in nobis, nec in dæmonibus ita malum est, quasi existens aliquid, sed tanquam defectus aliquis, per quem proprium bonorū consummatione caremus. *Dion. Areop. de diuin. nom.*

Aer dum illuminatur non patitur. *Plotin. En. 4. lib. 5. cap. 6.*

Aerem vocauit tenebras, vt atrum naturaliter. *Phil. iudæus de mundi opificio.* Aer impleuit omnem illam immensam regionem vacuam, desertámque, quæ ad nos vsque à lunari orbe pertinet. *Idem, ibid.*

Aer descendet si in sublimi ignis regione ponatur, aqua ascēdit si sub terram cohibeatur. *Mar. Fic. in Pla. Tim. cap. 15.*

Aer aquā duplo acutior, triplo mobilior, quadruplò subtilior *idem, ibid.* Aeri, & aquæ tribuit Plato medias figuras, scilicet aeri octoedrū, & aquæ icosaedram, quæ mediis ele-

mentis conueniunt, cum inter ignem, & terram medio modo se habeant. *ibid. cap. 40.*

Aer raritate magis conuenit cum igne, quam densitate cum aqua, ideo & maiore aeris mole, & vehementiore cum densatione opus est, vt ex aere concrescat aqua, eiusmodi vero excessum, cum alio excessu compensat, nam aer magis cũ aqua congruit hebetudine, & mollitie quadam, quam acumine vehementiaque cum igne. *Mar. Fic. in Pla. Tim. ca. 43.*

Aeri conuenit octoedra facies habens octo. *ibidem. cap. 42.*

Aeri conuenit figura icosaedra facies viginti habẽs. *Mar. Fic. in Pla. Timae. cap. 42.* Aer iu cucurbitulis ignitis rapidissime fugit, ne igitur vacuum inde contingat, aer nobis intimus educitur in cucurbitulam, humoremque rapit secũ, atque cutem. *ibidem. cap. 83.* Aer eum vicissim è corpore expellatur, ne detur vacuum, compellimur vicissim iterum per os, & nares aerem respirando recipere. *ibidem. cap. 81.*

Aer in tres regiones destribuitur, in sublimen lunæ proximã, quæ appullatur ignea, in mediam quæ dicitur, aer aereus, in infimam, quæ dicitur aer aqueus, & sic dæmones intra ordines sic nuncupatos distributi sunt. *Mar. Fic. in Plo. En. 3. lib. 5. cap. 6.*

Aer dum fit visio nec patitur ab illa specie, si qua mittitur ab obiecto, nec patitur ab ipso lumine per quod mittitur, qua ratione lumen, sic cum momentu adest, & abest, nec remanet illuminante subtracto, & est vbique totũ: ex quo apparet lumen nec fieri proprium aeris qualitatem, nec esse re vere corporeũ, proinde incorporeũ hoc non tã prouenit ex corpore, quam vita mundi. *Mar. Fic. in Plo. En. 4. lib. 5. cap. 3.* Aer non est necessarius medius inter visum, & visibile, ad hoc ipsum proprie, vt forma obiecti imprimatur deinceps per partes aeris succedendo, vnde tandem imprimatur in oculo. *idem, ibidem.*

Aer qui radium excipit, reflectitur, & secum radium à speculo ad oculum refert. *Iac. Car. in Alcinoi cap. 25.* Aer si cum aqua compararetur, est calidus, si cum calore vitali, temperatus. *idem, in Alcinoi dig. 8.* Aer in pulmonibus inspiratione, & expiratione sæpe renouatur, & agitatur. *ibidem.*

Aerarij magna habenda est in republica ratio, sunt enim pecuniæ nerui ciuitatis. *Fran. Patric. de Rep. lib. 3. cap. 9.*

Aerugo dicitur, id quod ex terra æri permixtum est: quum inueterata ambo rursus secernuntur, vt hoc ipsum per seipsum conspicuum fiat. *Pla. in Tim.*

Aerũna est ægritudo laboriosa. *Fr. Pat. de regno, lib. 5. cap. 18.*

Aes conflatum est propinquum auri partibus, densitate densius auro, & quod terræ parte modica, & tenui participat, vt durius sit; verum eo quod magna inter se spatia habet, leuius, ex splendidis & compactis aquis genus vnũ est, & æs conflatũ factum est. *Plato in Timæo.* Aes Veneri tribuunt Alchimici. *Mar. Fic. in Plo. En. 2. lib. 2. cap. 6.*

Aesculapius si Dei filius fuit non fuit turpis lucri auidus, si vero fuit turpis lucri auidus, non fuit Dei filius. *Pla. de Rep. dial. 3.*

Aesopi tanta fuit apud antiquos philosophos dignitas, vt vniuersam morum philosophiam ab eo in his fabulis comprehensam elegantissime dicant. *Seb. Foxius in phædonem Pla.*

Aestimatio accommodatur figmentis commentitijsque, imaginarijsque rebus, quæ iuxta veros simulate vultus, corpora tamen perfecta, & viua non sunt. *Chalcid. in Pla. Tim.*

Aetatum ordo sequitur ordinem vniuersi, prima ætas lunarem potestatem sequitur, tunc enim secundum nutritiuam, & vegetalem viuimus facultatem; secunda mercurialem, cum literarum, & ludorum studium exercemus: tertia veneream quando turgent membra seminibus, & ad genituram incitamur; quarta solarem, regnat vigor; quinta martium, in qua potentias, & victorias affectamus, sexta Iouiam, quæ prudentiam, & actiuam vitam desiderat, septima Saturniam, in qua naturæ consentaneum est à generatione desistere, & ad incorporeem vitam se transferre, *Proclus in Alcib. Primo.*

Aetates quinque, prima sensu trahitur, secunda sensu magis allicitur, quam ratione, tertia alternis pariter rationis, & sensus persuasionibus trahitur, quartu ratione potius, quã sensu trahitur, quinta ratione tantum regi debet; prima, & secunda Veneri subiecta est, reliquæ Mercurio. *Mar. Fic. de vita producenda, lib. 2. cap. 25.*

Aetatis vnius studium tædium alteri affert. *Fran. Patric. de regno, lib. 3. cap. 2.*

Aeternitatis diuisio.

Æternum aliquid non esse duobus modis est, compositione vnus, alter qui est in alio, *Procl. ele. Theol. cap. 49.* Aeternitas vna sempiterna, alia secundũ tempus; ille stans sempiternitas, hæc in fieri; illa vnitum habet esse, & tot ũ simul hæc vero effusa, & explicata secundum temporalem extensionem; illa quidem tota per se, hæc vero ex partibus quarum singulæ separatæ sunt secundum prius, & posterius, *idem, ibidem. cap. 56.*

Aeternitas, quid est.

Æternum dicitur incognitum, & sempiternũ incorruptibile, & immortale, antiquissimum, totum nostri temporis ductũ. *Dio. Are. de diui. nom.* Aeternitatem esse intelligibilem essentiam dixerunt. *Plotin. En. 3. lib. 7. cap. 1.* Aeternitas aliud quiddam est quàm natura intelligibilis, esse tamen circa illam, vel in illa, vel illi adesse fatentur. *idem, ib.*

Aeternitas non simpliciter est idem cum statu, nec fortè simpliciter, sed cum statu, qui circa essentiam esse censetur, si enim idem cum statu esset, statum non dicemus æternum, nã æternum est quòd æternitatis est particeps, & si in statu contineretur ipsum semper, reliqua entia genera ab æternitate segregabimus, & æternitas nõ in statu solũ, sed etiã in vno intelligere, & indistantiæ munus æternitati seruandũ, ne fortè idem sit cum tempore; at status, qua ratione status est, nec vnius, nec indistantis in se intelligentiam continet; participat ergo statum æternitas, nec ipse status est, & in vno manere prædicamus. *Plot. En. 3. lib. 7. cap. 2.*

Aeternitas est circa ens in ipso esse vita simul tota plena, & vbique prorsus indistans. *Plotin. En. 3. lib. 7. cap. 2.* Aeternitas essentiæ primæ inest, non extrinsecus contingit, sed est illa, & ex illa, & simul cum illa: nam quæ primò sunt, consistere oportet primis, & primis inesse. *idem, ib. cap. 3.* Aeternitatem si quis definiet esse vitam iam infinitã ex eo quòd sit vniuersa, nihilque amittat, cùm nihil vel præteritum sit, vel sit futurum, alioquin iam tota non esset, is profectò proxime ad diffinitionem accedet. *idem, ibid. cap. 4.*

Aeternitas nũ sit circa mentem, tẽpus circa animã diximus. n, tẽporis natura circa animæ actionẽ esse, & ab ipsa pendere, quomodo fieri põt vt diuiso tẽpore, non simul & actio diuidatur, & conuersa ad præteritũ memoriã in anima mundi non faciat: iam verò in æternitate identitatẽ, in tempore diuersitatem collocare debemus. An animas nostras cũ mutationem admittunt, tũ aliam, tũ indigentiã, tanquam in tẽpore esse dicimus? animam verò totius generare quidem tempus, non tamen esse in tempore? & generat tempus non æternitatẽ, quia quæ generant non sunt sempiterna, sed tẽpore cõprehẽsa cùm & animæ non sint in tẽpore, sed earũ actiones: at animæ sempiternæ sunt, & quòd est in tẽpore, è tempore comprehenditur. *Plotin. En. 4. lib. 4. cap. 16.*

Aeternitas est vita manens in eodem, totum præsens semper habẽs, nec nunc hoc, postea aliud sed cuncta simul, & finem indiuiduum, in seipse manens, in præsenti semper existens. *Plotin. En. 3. lib. 7. cap. 2.* Aeternum nisi aliquid sit sui natura, nec generatio subsistet. *Syrian. in 2. Metaphysic.* Aeternitas omnis infinitas quædam est, non autem omnis infinitas æternitas. *Procl. elem. Theol. cap. 92.* Aeternitas est mensura æterni mundi status. *Alcin. cap. 14.* Aeternitas est tãquem cognata inuisibili, & mente sola præhensibili naturæ. *Phil. Iud. de mundi opific.* Aeternitas est momentũ, siue punctum per se semper stabile, cui neque antecedit punctum, neque succedit, & mensura quietis, vt motionis mensura est tempus. *Mar. Fic. in Epist. lib. 2.* Aeternitas est ipse in eodem status, & mensura quædam in æternis, stabilibusque permanens. *idem, in Pla. Parmenid. cap. 74.*

Aeternitas est vigor quidam ipsius essentialis, intellectualisque vitæ, semper ipse vigens æquè, simúlque sua omnia possidens, nec amittens sui aliquid, nec nouum aliquando munus acquirens. *Mar. Fic. in Plo. En. 3. lib. 7. cap. 1.* Aeternitatis ratio, & appellatio non tam propria est essentia, vel intelligentia, quàm vita. *idem, in Plo. En. 3. lib. 7. cap. 1.*

Aeternitas est tota vita simul interminabilis, & perfecta possessio. *Gab. Burat. de mundo. lib. 7.* Aeternitas est vita simul tota plena, & vbique prorsus indistans. *idem, de tempore, lib. 8.*

Aeternitas est quædã deificatio. *Aug. Steuc. de per. Phy. lib. 7. c. 2.*

Aeternum, vt se habet ad tempus.

Aeternitas, & tempus diuerse inter se sunt, & æternitas circa sempiternam naturã est, tẽpus verò circa id quod fit. *Plot. En. 3. lib. 7. ex proem.* Aeternum quòd est, quàuis indiuisibile sit secũdùm tẽpus, tamen per omnẽ cursum tẽporis seipsum porrigit, & quãuis sit indiuisibile secundùm spatium, tamen per omne spatiũ dilatatur, & vt se habet tẽpus ad æternitatem, sic se habet temporale ad æternum. *Mar. Fic. in Plat. Theol. lib. 5. cap. 6.* Aeterna res vt extra tempus est semper, ita extra locum esse videtur vbique. *idem, ibi.*

Aeternitatis vnicum punctum permanens, omnia temporis momenta currentia præsens aspicit, vt centrum stans lineæ currentis. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 36.* Aeterna temporalibus anteponebat Plato, & magis iniustitiã timebat, quàm mortẽ; pro veritate, pietate, caritate nõ dubitaret

labores,

labores, penuriam, contumelias, iniurias, verbera, mortémque subire. *Idem, in Plat. apologiam.* Æternis de rebus rationes semper stabiles sunt, de mobilibus semper mobiles, & mutabiles. *Idē in Plat. Timæo c. 7.* Æternitas in statu est, in mūdo sēsibili multiplicitā eius motus sequitur: motū verò, tempus, æternitatis imago. *Idem, in Plat. Timæum, cap. 18.*

Æterni proprietates.

Æternum omne quod non est, vel compositum est, vel in alio subsistit. *Procl. Ele. Theol. cap. 48.* Æternarum rerum nullam agentem causam ponit *Aristot. Bess. Cardin. in calumniatores Plat. lib. 2. cap. 6.*

Æternos præstat amare, quàm iudicare. *Mar. Fic. in epist. lib. 1.*

Æternitas tria in se consideranda habet, vnicum actum, stabilitatem, infinitatem totam simul. Tempus singulare illud vnum, continuitate, & suo quodam vno iugiter repetito, statum illum, restitutione, infinitatem simul totam infinitate sua per vices explicata, pro viribus æmulatur. *Idem, in Plat. Timæum, cap. 18.*

Aeternitatis in formali ratione tria præcipuè continentur, status scilicet, & sempiternitas, quasi dicas, ipsum semper, & identitas, siue vnitas, siue vt ita dixerim, indistantia. *Mar. Fic. in Plot. En. 3. lib. 6. cap. 1.* Aeternitatem Platonici primùm ponunt in prima mente, deinde in mentibus aliis, tertio in corporibus, quatenus illis stabile quidquam reseruatur. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 7. cap. 1.*

Aeterna non habent agens nisi secundùm similitudinem, nec causas formalem, & finalem: & si habent agens, non erit nisi in quantum est forma illi, & conseruans ipsum. *Gab. Burated. de mot. lib. 7.* Aeterno nihil noxium est, & nulla immortalitas est cum exceptione. *Aug. Steuch. de perenni philo. lib. 9. cap. 12.*

Aether est aer ignitus. *Ma. Fic. in Plot. En. 3. lib. 4. cap. 3.* Aetheris locum dum declarare vult Aristo. vacillat. *Io. Fran. Pic. Mir. in examen doct. lib. 6. cap. 20.* Aether exteriorem prouinciam sortitus est, in sphæras vagantium, & non vagantium distributus quibus aer succedit, in medio verò terra vnà cum eius humore residet. *Mar. Fic. [illegible] 35. in Alcin.* Aether ex mente Plotini propter suam maximam tenuitatem omnia corpora penetrat vniuersi. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.*

Aetnæ montis Vulcani causa est sulphuris minera. *Aristot. de causis proprietatum elementorum, cap. 3.*

Aetites lapis, vel aquilinus habet à Venere, & Luna, vt vuluæ ad motus partum mox, & facillimè citet. *Mar. Fic. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. cap. 12.*

Aeuum est imago non facti temporis. *Timæus Locrus de mundi anima & natura.* Aeuum ab eo quod est semper dictum est. *Plo. En. 3. lib. 7. cap. 3.* Aeui mansio propria est, temporis proprium est progredi, æui nullæ partes, & substantia vniformis in solo perpetuo præsenti est. *Calcidius in Timæum Platonis.* Aeuum angelicum in temporis, atque æternitatis confinio collocatum est. *Leo. Heb. de Amo. dial. 3.*

Affectio & Affectus.

Affectio in nobis triplex voluptatis hæc, doloris alia, tertia quæ absque corpore in anima est, & ab expectatione oritur. *Pla. in Phil. bo.* Affectiones tres Stoici laudabiles afferunt, gaudium, voluntatem, cautionem. *Franc. Pat. de regno, lib. 5. cap. 1.* Affectus maximè mouendi vis in Chalcidonia. *Pla. in Phædra.*

Affectus est motus animæ ratione carentis, gratiā boni cuiusdam, vel mali, quæ etsi sunt nostrā operā, nihilominus in nostra potestate summum non existunt, sæpéque inuoluntariis nobis oriuntur, & voluntati repugnant, quæ reiicimus cùm per consilium ipsa confutamus, siue vt decet, siue non; id agamus. *Alcinous, cap. 28.* Affectus non concitatur ex indifferenti occursu, sed ex eo, quod aliquid vel bonum, vel malum apparet, perturbationes nascuntur. *Idem, ibid.* Affectus simplices, & præcipui duo sunt, voluptas, & dolor, cæteri ex his velut ex elementis conficiuntur. *ibid.*

Affectuum amator odit rationem rectam gubernare solitam, vt puer odit pædagogum. *Phil. Iudæus de sacrificiis Abelis & Caini.* Affectibus quod agimus omne culpabile est; & laudabile, quod cū certa ratione, & scientia agimus. *Idem, quòd Deus est immutabilis.* Affectus sex numerat Plato, voluptatem, dolorem, Timorem, fiduciam, cupiditatem, & Iram. *Eust. 2. ethic. cap. 1.* Affectus qui præmittet ne per verba capirent, grauiores redduntur. *Phil. Iudæus de Ioseph.*

Affectus inueteratus priorem mutat corporis cōplexionem, & in suam trahit naturam. *Mar. Fic. in Plat. Theologiæ lib. 13. cap. 4.* Affectus adulterini quatuor, imitantur quatuor furores poeticum scilicet, mysteriale, vaticinium, & amatorium: nam poeticum musica vulgaris, quæ auribus tantùm blanditur; mysteriale, vana multorum hominum superstitio; vaticinium, fallax peritiæ humanæ coniectio; amatorium libidinis impetus. *Idem, in Pla. conuiuium. art. 7. cap. 13.*

Affectus erga corpora omnes dæmones habent, primi demones secundùm quandam diuinæ prouidentiæ mentem, secundi humanos quidem, sed moderatos, tertii ad perturbationes nostras iam declinātes. *Mar. Fic. in Plat. apologiam.* Affectus pertinent ad partem animi inferiorem, iudicia, & opiniones ad superiorem. *Iac. Car. in Alcinoi parte 1. cap. 24.*

Affinium officium est, vt meminerint se lege quasi natura quadam ita esse coniunctos, vt rem, operāmque suam communicare sibi inuicem debeant. *Mar. Fic. in epistolis, lib. 3.*

Affirmando, quæ aliquis dicit, vel negādo, facilè homines ducuntur ad intelligentiam eorum, quæ dicuntur. *Plato de republica, dial. 7.* Affirmantes de Deo aliquid, cùm omnem exuperet positionem, suppositoriam affirmationem oportet ab eo, quod est illi cognatius exoriri: contra cùm negamus, quòd ablationem omnem excedit ab his, quæ longius ab eo distant, rectè inchoamus ablationem. *Dionysius Areop. de trin.*

Affirmationes & negationes aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares. *Alcinous cap. 6.* Affirmationes circa summum Deum fallaces admodum & periculosæ sunt: solemus enim in quotidianis nostris affirmationibus certam quādam speciem proprietatémque concipere, & applicare aliquod alteri, & definire. Hoc autem agere circa primum nefas est. *Marsil. Ficin. in Plato. Parmenid. c. 54.* Affirmās multa ligat in vnum. *Idem in Plato. Phileb. lib. 1. cap. 23.*

Afflictiu sæpe per noctem soles designari. *Io. Picus Mirand. de regnin deug.*

Agamemnon valdè perseuerans significat. *Plat. in Cratylo.*

Agens.

Agens, & patiens vnum de vno firmiter cogitari non potest. *Plato. in Thæ.* Agens nihil est quicquam prius, quàm cum patiente congrediatur, nec patiens, quàm cum agente. *Idem, ibid.* Agens, & patiens per se ipsum nihil verum est, sed ex vtrisque inter se congredientibus. *ibid.*

Agere, & facere non est idem, nec operari, & facere. *Plat. in Charmide.* Agens primum agit per essentiam, sine subiecto. *Aristot. Theolog. Ægypt. lib. 4. cap. 6.* Agens omne per voluntatem agit bonum, & malum; at agens supra voluntatem solum agit bonum. *Idem, ibid. lib. 6. cap. 1.* Agens perfectum simpliciter est quod agit per solam essentiam, non per qualitatem, imperfectum verò, quod per qualitatem, non per essentiam agit, & agentis perfecti omne opus perfectum est. *Idem, ibid. lib. 5. cap. 6.*

Agens in aliud per modum causæ non est in ea, nisi per modum, qui est causa eius. *Arist. de causis, cap. 3.* Agens, inter quod & factum suum non est continuatio, penitus est agēs verum, & regens faciens res per finem decoris, post quod non est possibile, vt sit decus aliquod, & regit factum suum per vltimum regiminis, quod quia regit res per modum quem agit, & non agit nisi per ens suum, ergo ens eius iterum erit regimen eius. *Idem, ibid.*

Agentis cuiusque est naturalis intentio sibi simile pro viribus generare, & vna quæque res tunc maximè generat, cùm in natura sua maximè bene se habet. *Mar. Fic. in Dion. Areop. de diuin. nomin.* Agens, quòd patiatur in agendo conditio est rerum materialium. *Plot. En. 3. lib. 9. cap. 2.*

Agentia nulla præter incorporea sunt, si quidem corpora passibilia sunt, & fluentia, neque semper eodem modo se habentia, nec in eodem statu perseuerantia, & in quibus aliquid efficere videntur, multo magis pati reperientur, vnde vt est aliquid, quod omnino patitur, sic necesse est esse aliquid, quod omnino agat, quòd incorporeum est. *Alcinous, cap. 12.*

Agendi vis in natura incorporea cōsistit, cùm videamus corpus, quantò propinquius sit incorporeis, tantò ad agendum efficacius esse, quod etiam patet, quia Deus, qui incorporeus omnino est, omnia facit, & nihil patitur: materia, quæ vltima corporalium est, omnia patitur, nihil agit. *Marsil. Ficin. in Plat. Theolo. lib. 1. cap. 2.* Agens omne tantò est validius, quantò remotiorem ab actu potentiam patiendi producit in actum: maiore enim virtute opus est ad aquam calefaciendam, quàm aerem. *Idem, ibid. lib. 2. c. 4.*

Agens primū, & agentia reliqua in hoc differunt, quòd agens primum ita per esse dicitur operari, vt per esse purū agat; reliqua per esse, id est per virtutem aliquam naturalem, siue (vt ita loquar) essentialē; itaq. operationē, quæ à cōsilio proficiscitur, antecedit operatio, quæ à virtute essētiali peragitur; hanc rursus illa, quæ à puro fit esse; & quantò quæ virtute fit, facilior est, quàm quæ fit cōsilio, tantò quæ puro esse expletur, facilior est, quàm quæ virtute. *Marsil. Ficin.*

in Platonica Theologia.lib.2.cap.8.

Agens nullum effectus pauciores, & minus varios facere posset, quàm Deus, imò vnicum prorsus ageret Deus, si per solum meræ naturæ modum operaretur, cùm diuina natura sit omnium simplicissima; non ergo naturali instinctu impellitur ad agendum. *Mar. Fic. in Platonica Theologia.lib.2.cap.11.* Agens primum, & purus actus non potest subire conditionem subiecti, cui subiecta sunt omnia. *idem, ibid.*

Agentia omnia quicquid agunt, virtute primi agentis agunt. *ibid.lib.3.cap.1.*

Agens voluntate liberâ præstantius agit, quam quòd impulsu naturæ necessariò impellitur ad agendum. *Mar. Fic. epist.lib.2.* Agendi quatuor sunt gradus, humana ratio agit consilio, ac sequente consilium electione: ars quoque quandiu imperfecta est: consummata verò ars ad faciendũ electione non indiget, sed ita facit habitu, vt natura virtute. Naturale agens naturali virtute, id est bonitate facit, non essentiâ purâ. Deus denique tanquam ipsum bonum ipsâ suâ ex essentia purâ, id est bonitate facit, si quidem boni participatione cætera faciunt quidquid agunt. *idem, in Dyonisij Areo. de diu.nom.*

Agens omne, vt actu est, agit, agendo in aliquod sibi simile tendit; igitur in aliquem actum tendit, & omnis actus boni rationem habet. *Mar. Fic. in Plat. Phileb.lib.2.cap.3.* Agentia sui gratiâ agunt, ergo agens primum sui gratiâ agit omnia, ergo illud est vltimus omniũ finis. *idẽ, ibid.lib.1.cap.2.* Agens supremum, vt omnia agentia secunda mouet, sic ad agentis supremi finem oportet fines secundorum agentium ordinari *ibid.cap.30.* Agentium omnium posteriorum fines à primo agente ad finem suum propriũ diriguntur. *ibid.*

Agens nullum ad resoluendum contendit simpliciter, vt resoluat, sed vt se augeat, vel propaget. *Mar. Fic. in Plo. En.2.lib.9.cap.3.* Agens, & patiens nihil secundùm se ipsum est, sed in alterno congressu vtrunque est. *idem, in Pla.Th.* Agentia partim naturâ, partim voluntate faciunt, & in primo agente, quæ consequentibus diuisa sunt, sunt vnita: nã deus voluntate, & naturâ facit; idémque in eo est natura, & volũtas. *idem, in Plo. En. lib.1.cap.6.* Agens primum omnium est Deus, & ipsius voluntatis nihil aliud est finis, quàm sua bonitas, & in Deum omnia reflectuntur, *idem, in Pla. Phileb. lib.1.cap.30.*

Agentem causam vocat Moyses cœlum. *Io. Pic. Mir in Hepta. lib.1.cap 2.* Agens in aliud quantò proximus est patienti, tantò agit efficacius, tamen astrologi, si Iupiter est in Cancro, & Mars in Leone, non pati Iouem à Marte aiunt. sed si erit magis distans in Virgine puta, patietur, quo quid absurdius? *idem, in astrologiam, lib.6.cap.5.*

Agens per intellectum, necessariò continet rei faciendæ idolum, ac exemplar. *Gab. Buratel de Iden, lib.1.* Agens duplex, verum, & similitudinarium. verum vnde motus principium; similitudinarium est agens sine motu, per simplicem emanationem. *idem, de mundo, lib.7.* Agentia quædam præcedunt suum effectum tempore, quædam naturâ. *idem, ibid.* Agens primarium rebus ipsis insitum, forma est in naturalibus, materia verò ipsis affectionibus subiecta. *Iac. Carp. in Alcinoi cap 9.*

Agri.

Agrorum distributionis modus ita seruandus est; primò eam numeri molem constituere oportet quantam esse opus est; postea de ciuium distributione, in quot, & quantas partes diuidenda sis, consentiendum est; in his, & agri, & habitationes quàm maximè æquales diuidantur; iusta itaque multitudo non aliter rectè dici potest, quàm ad agros, & vicinarum regionum ciuitates comparatione factâ, & ager tantus sit, vt tot temperatos nutrire possit, nec ampliore opus est, & tot sint, vt vicinos iniuriam inferentes propulsare possint, & vicinis suis quibus iniuria infertur, non omnino desperatum auxilium ferre. *Plat. de legibus, dial. 5.*

Agrorum in distributione legislator primis, & delubra, & omnia quæ conueniunt assignabis, vt singularum partium cœtus, iuxta constituta tempora congregati, & ad quosuis necessarios vsus facilitatem sibi præparent, & alter alterum cum sacrificiis amicè excipiat, & familiaritatem contrahãt, & se mutuò cognoscant, quo maius ciuitati bonum contingere non potest, quàm vt ciues inter se noti sint. *Plat. de legibus. dial.5.*

Agrorum curatores victum sic habeant; primum in singulis locis sint conuiuia, in quibus omnes in communi victu habeant; qui verò ab hoc sodalitio recedit, aut quacunque die, vel nocte alibi dormit, non ex principium iussu, aut sum mâ quadam necessitate incũbente, si manifestauerint ipsum quinque illi, & scriptum proposuerint in foro, vt qui custodiam deseruerit opprobrus expositus sit, velut; qui, quantò in se fuit, rempublicam prodiderit, & impetatur plagis à quouis obuio, & volente ipsum verberare impunè, quòd si quis ex principibus tale quid faciat, omnes sexaginta hoc obseruent; qui verò sensit, & audiuerit, & non accusauerit, iisdem legibus obnoxius sit, & maiore quàm iuuenis pœnâ afficiatur, & circa omnes iuuenum magistratus ignominiâ afficiatur. Horum diligentes exploratores sint legum custodes, vt non fiant, & si fiunt, vt puniantur. *Plat. de legibus, dial. 6.*

Agrorum curatores per hos duos annos victu humili contenti sint, ita vt postquam delecti sint, cum quinque illis congregati consultent, velut famuli, & qui non habituri sint alios seruos ac ministros, neque aliorum agricolarum, ac vicinorum ministris ad sua priuata ministeria vtentur, sed solum ad publica, de cæteris ista statuant velut victuri sint, ita vt sibi ipsis ministrent. *Plat. de legib dial 6.*

Agrorum curatores omnem regionem armati perscrutentur æstate, & hyeme, & custodiæ, & locorum omnium semper cognoscendorum gratiâ, non leue studium est omnes cognoscere suam regionem, cuius rei gratiâ venatio omnis ab adolescentibus exercenda est. *Plat. de leg dial.6.*

Agrorum terminos nemo moueat; & terminorum testis est Iupiter contribulis. qui non obediuerit, duplicis pœnæ reus sit, vnius & primæ viti, secundæ ex lege. *Plat. de legib. dial. 8.*

Agrum auitum non licebat per leges Romanas alienare, nisi prius alius pararetur non minoris prouentus, & ipsum malè colere, censorium iudicabatur. *Franciscus Patritius de republica, lib. cap.7.*

Agros stercorare deterrimum est, ideò laudandus Hesiodus, qui sterquilinium prætermisit, salubritati potius, quàm fertilitati consulens, satis enim ex lupinorum, & fabarum foliis tempestiuè subuersis, agrum pingue fieri posse putauit. *Mar. Fic de vita producenda. cap 7.*

Agros, qui colere vult, vrbanam vendat domum, nec malit vrbanum, quàm rusticum larem colere; nam cui magis cordi est ciuile domicilium, rustico prædio non est opus. *Fran. Patri. de Republ. lib. 1. cap. 7.*

Agere præsupponit esse. *Gabri. Burat de animæ natura. lib. 3.*

Agere rectè, nil aliud est quàm cum virtute, & officio viuere, sibi & suis prodesse, & alienis non obesse. *Franciscus Patricius, de regno, lib. 8. cap. 7.*

Agesilaus Lacedæmonius nec pingi, nec fingi vnquam permisit, diffidens formæ suæ. *L. Apulei Apologia prima.*

Agricola.

Agricola prius curare debet plantas nouellas, deinde alias: sic reipublicæ gubernatores primò adolescentes curare debent, deinde alios. *Plat. in dial de Sancto.* Agricolæ summa cura est alimentum ex terra. *idem, ibid.* Agricola est, qui nouit plantarum præcium in quali & regione, & tempore, pro dignitate plantari oportet. *idem, in Hipparchum.* Agricolæ optimi sunt, qui maximam agriculturæ peritiam tenent. *idem, de Republica, dial.3.* Agricola mansueta nutrit, & domestica facit, agrestia verò enasci prohibet. *ibid. dial. 9*

Agricola, qui magis est robustus fructuosior, qui debilior sanior, qui timidus tutior, qui voluptarius moderatior. *Max. Tir. serm. 14.* Agricolæ primi sacrificia, & deorum solemnitates inuenere, ad torcularia stantes dionisiacos choros inuenere, in areis cereris sacra peragere; Mineruæ ob oleæ inuentum diuinos honores impenderunt; primi primitias fructuum diis obtulerunt. *Idem, ibid.* Agricola ex agris fit miles. *ibid.* Agricola, & terræ operarius differunt, quia agricola peritiæ fidem astruit, terræ operarius est qui mercedem spectat. *Plu. ind. de agr.*

Agricola felix est non qui serit, sed qui segetem colit & metit. *Mar. Fic. epist. lib.1.* Agricolæ officium est de agriculturæ opportunitate consulere aerem, & agricolas scoiores, & cum tanta fide, liberalitatéque hospitibus suos agri fructus offerre, quantò illi cum fœnore illos reddit ager. *idem, epist. lib.3.* Agricola ambulator odio dignissimus. *Fran. Pat. lib.1. cap.8.*

Alas animarum appellat Plato igniculum per quem anima ad cælestia erigitur, qui cùm in ea animi nostri parte, qua contemplantur, ipsius veri cupiditate excitetur, in altera autem quæ ad actiones pertinet, ipsius boni amore, fit vt cùm te vnum sit ipsum bonum, & ipsum verum, duabus alis coniũctis, pro duplici animi nostri functione in hac vita ad illud, à quo sumus profecti contendamus. *Iac. Carp. in Alcinoo, c. 4.*

Alarum fractio in anima quàm dixit Plato, Aristoteles ait in quinto capite primi libri misticæ philosophiæ esse peccatum. *Steph. Comen. de ascensu hominis ad Deum lib. 2. cap. 7.*

Albus color dicitur qui visum disparat. *Plat. in Timæo.*

Alborum omnium pulcherrimum est quod sincerissimum, in quo nulla alia coloris pars inest. *idem, in Philebo.*

Albedo

Albedo quæ est in parte lactis non est pars albedinis, quæ est in toto lacte, sed partis quidem est albedo, nó autem pars est albedinis, per se enim albedo magnitudine caret. *Plo. En.4.lib.3.cap.2.* Album est ens & ens album differunt, nam cùm dicimus ens album, ens habet album; cùm dicimus album ens, album habet ens quodãmodo inclusum. *Idem, En.6.lib.3.cap.6.*

Albumasar.

Albumasar tradit Iouem diuitias significare, Mercureum sapientiam, & quoniam hæ res oppositæ sunt, ideo Iouis, & Mercurij domus oppositæ sunt, scilicet Virgini piscis, Geminis Sagittarius; sed si ita placet cur Veneris ac Mercurij domus inter se non sunt oppositæ, cum magis opponuntur libido Venerea, & Mercurialis contemplatio? sed consonãtes sunt Libra Gemini, Virgo Taurus, & cum Iouialis æquitas, & violentia Martialis maxime inuicem aduersentur, cur, & horum sedes non pugnant, Aries Sagittarius, Piscis Scorpio? *Marsi. Ficin in Plotin. En.2.lib.3.cap.2.*

Albumasar nec philosophus fuit, nec dialecticus, & in mathematicis imperitus, erat enim grãmatices artis professor, & à scribendis histories, vt narrat Auenrodan, ad Astrologiem se conuertit, & tamen doctus in sua professione fuit, vt putet Ptolomæum, qui scripsit Astrologiam sub Adriano, & Antonino, fuisse vnum ex regibus Aegypti, qui fuerunt quingentis annis prius. *Ioan. Picus Miran. in astrologiam. lib.1.* Albumasar fuit philosophus, & alius Albumasar fuit astrologus. Arabes vero diuersis nominibus eos apellant: nam philosophum Albumasar, astrologum Aboasar vocant. *idem, ibidem.*

Albumasar nostram legem duraturam dixit annis 1460. fretus magnis coniunctionis, & errauit. Abraam Iudæus venturum Messiam prædixit anno 1464. Arnaldus Hispalus venturum Antichristum dixit anno 1341. & sic omnes, qui ex magnis coniunctionibus aliquid prædixerunt, falsi inuenti sunt. *Ioan. Picus Mirand. in Astrolog. lib.3.cap.1.*

Alcibiades dupliciter considerari potest, vt anima simpliciter, & vt anima. Socrates ad eum vicem gerit mentis, vt corpore vtens, Socrates egit partes boni dæmonis. *Procl. in Alcib. Primo, cap 1.*

Allegorica disciplina manat omnis, quia mundi tres, Intellectualis, cœlestis, & sublunaris vnus est mundus, & ita astricti vinculis concordiæ vti naturas ita & appellatione mutuâ sibi liberalitate condonant. *Ioan. Picus Mirand. in Heptapl. præfatione.*

Alexander.

Alexander imaginem suam noluit à multis artificibus contaminari, sed edixit vniuerso orbi ne quis effigiem regiam temere adsimilaret ære, colore, cælamine, quia ipse solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinaret, solus Pyrgoteles cælamine excuderet. *L. Apul. Floridorum lib.1.*

Alexandri exercitu e morbis mox deperiturus; euasit discrimen, remedij adhibitis in somno à Dionysio Deo. *Iambl. de mundi mysterium.*

Alexander ne somno deciperetur, ænea conchâ suppositâ, brachio extra cubile exerto, pilam in manu argenteam tenebat, vt somnum pilâ decedens romperet. *Francisc. Patri. de Republica, lib.3.cap.5.* Alexander Macedo cæteros æquales suos vicit currendo. *idem, ibid. cap.3.*

Alexander Magnus pilâ ludebat, & inter ludendum collusores omnes aliquid petentes afficiebat muneribus; quo circa Serapion adolescens modestus, & facetus, qui crebro cum eo ludebat nihil poscens, nihil vnquam dono tulit, hoc animaduertens, pilam ad alios omnes, præterquam ad regem mittebat, at Alexander dixit; quid ad alios pilam mittis, ad me autem nunquam? respondit Serapion, non petis: hoc audiens rex leuiter arrisit, & confestim munera quàm maxima; ei afferri iussit. *Francisc. Patr. de regno, libr. 3.cap.9.*

Alexander Aphrodisæus sensit animam mortalem; atqui diligenter eius scripta considerauerit, videbit quatuor esse rationes, quibus probat immortalitatem animarum. *August. Steuc. de peren. phi. lib.9.cap.31.*

Alia ab vno, & tota, & secundùm partes, & infinita sunt, & fine participant, & dissimilia, & similia sunt inter se, & sibiipsis, nam quatenus infinita sunt secundùm suam ipsorum naturam, eatenus omnia patiuntur idem, & quatenus omnia fine participant, eatenus etiam idem patiuntur. *Pla. in Parm.*

Alicuius quæ sunt, qualia quædam sunt, qualis cuiusdam sunt: ipsa verò singula vniuscuiusque solùm, nam quod maius tale est, aliquo maius est, & quod multò maius, multò minore, & quod aliquando maius est, aliquando minore & quod maius futurum est, futuro minore, & plura ad pauciora, dupla ad dimidia, & crassiora ad leuiora, velociora ad tardiora, & calida ad frigida, & omnia his similia referuntur. *Plat. de rep. dial. 4.*

Alicuius quæcunque sunt, ea si sole sunt, ipsorum solorum sunt, si verò qualia quædam, qualium quorundam. *Plato de Repub. dial. 4.*

Aliena nemo vastet, nec auferat, nec vlla vicinorum re vtatur, si non cum venia possessoris id sibi liceat, nam ex hoc omnia mala dependent. *Plat. de legib. dial. 10.*

Alimentum.

Alimentum corporis siccum est cibus, humidum potus. *Plato in Hipparco.* Alimentum à radice cordis à fonte ventriculi inducitur in corpore, quod si plus irrigatur, quàm defluit incrementum dicitur si minus imminutio, vigor autem in horum confinio consistit. *Timæus Lo. de anima mundi. & nat.*

Alimentum eâ ratione sumitur, vt in substantiam eius, quod alendum est transeat, ideò cibus maximè cognatus esse debet illi, quod alendum est, vt in eius substantiam transire possit. *Marsi. Ficin. in Pla. Theologia, lib.8.cap 5.* Alimenta ro nobis assumpta per se non viue, rediguntur per spiritum nostrum ad vitæ nostræ formam: sic corpora nostra ritè accommodata corpori spirituique mundano, videlicet per res mundanas & per nostrû spiritum, hauriunt ex vita mûdana quàm plurimum. *Idem, de vita cœlitus cõparanda, lib.3.ca.1.*

Alimentum assumptum non solòm reparat, quod de nostri corporis solidiore, & carnosa substantia effluxit, sed etiam si in ea quædam intemperies sit, illud idem contraria sua qualitate, aut immutat, aut corrigit; sic aeris per occultam perspirationem, & manifestam respirationem non modò in vnus spiritus conuerti in locum, vt dissipati sunt, sed eos qui insunt suis fuligineisque excrementis repurgatos temperare, & prohibere, ne inflammentur, in quo eius de quo quæritur finis, & in relatione ad suum finem vsus est positus. *Iac. Carp. in Alcinoo cap.8.*

Alphonsus primus ad nonam sphæram loca planetarum supputauit. *Io. Pic. Mir. in Astrologiam, lib 8 cap.5.*

Allegorici sensus illi, qui aliquam rerum vel naturalium, vel cœlestium, vel diuinarum separatim, vel duarum simul, vel trium coniunctim, intelligentiam conducunt, vocari consueuerunt. *Leo. Heb. de Amo. dia.1.2.*

Alteratio, Alteritas.

Alteratum necesse est fieri aliud quàm prius, & perire ex priore habitu; & quod non alteratur nec fit, nec perit. *Plat. in Parmenide.* Alteratio vbi nulla est, nulla est passio. *Ploti. En 3.lib.6.cap.2.* Alterationem ex eo quod alteratur solemus animaduertere. *idem, En.6.lib.3.cap.25.* Alteratio, quæ ad melius nos conducit, vel conducit ad peius, pati, & passio dicitur. *idem, En.6.lib.1.cap.21.*

Alteritas in intellectu, vel primo quodammodo est non ens; quoniam est origo, vt hoc non sit istud, & istud non sit illud. *Mar. Fic. in Pla. Parmenide, cap.36.* Alterationis motum cùm nominet Plato, hoc in loco intelligendum est de omnibus speciebus motus præter localem. *idem, ibid. cap.63.* Alterationis motus in anima est quando affectum, & vitam, & formam, & actionem, vel superiorum vel inferiorũ habet, quasi facta iam altera. *ibid.* Alteratio in mentibus puris est, intellectuali potentiâ in obiectum intelligibile transformari. *ibid.*

Alteritas propriè dicitur proprietas quædam diuisoria, entibus insita, identitati per conciliationem aduenienti prorsus opposita. *Mar. Fic. in Parmenidem, cap.68.* Alterum quidquid est in ordine entium ab aliquo, per alteritatem cogitur esse alterum. *idem, ibid cap.82.* Altera quæ nominamus, seorsum subsistere iudicamus. *ibid. cap 87.*

Alteritas significare videtur diuisibilitatem ipsam, siue dualitatem, differentiæ omnis, & distinctionis originem, ad quã sane perueniendum est, abstractam, & ab omnibus particularibus differentibus, & differentiis absolutam; hæc quoniã omnis distinctionis formalis origo est, nimirum est, & aliquid, atque aliquid ens. *Marsi. Fic. in Pla. Soph. cap.37.*

Alteritas ipsa in quolibet dici potest non ens cum ente confusum, atque confundens tamen in opposito negatiuo, præcipuè non ens appellatur, interim enti permixtum. *Mar. Fi. in Pla. Sophist. cap.38.*

Alternatim, particulam dupliciter Geometræ sumunt, interdum iuxta talem situm, interdum iuxta talem rationum consequentiam. *Procl. in Eucl. lib.4.com.1.*

Amabile.

Amabile hic est potius id ipsum, quod in proportione refulget, quàm ipsa proportio. *Pla. En.6.lib.7.cap.22.* Amabile nobis est non materia, sed quod specie formatum est, species autem in materia fit ab anima, anima verò magis species est, magisque amanda, & intellectus magis species est, quàm anima, magisque amabilis; ideò primam ipsius pulchri naturam oportet super omnes limites formæ constituere. *idem, En.6.lib.7.cap.33.*

Amatum quidem adest, optatum verò deest. *idem, de Am. dial.*

Amare.

Amari apertè præstantius est, quàm occultè, & maximè generosissimos, & optimos, etiamsi sint deformiores aliis. *Plat. in Symposi.* Amat nemo quod suum est si est malum; nam & manus, & pedes, si praui sunt, resecare permittit: bonum enim solum homines amant, vt semper ipsis adsit. *idem, ibid.* Amat vnusquisque maximè id, cui eadem quæ sibi ipsi conducere putat, & quum, illo maximè bene habente, ex illius felicitate suam fælicitatem pendere arbitratur, sin minus è contra. *idem, de republ. dial. 3.*

Amant sapientes, cupiunt cæteri. *L. Apulei Apologia 1.* Amamus quem laudamus. *Idem, floridor. lib. 1.*

Amamus nunquam incognita, nec cognoscimus quicquam sine luce, nec absque calore quodam ad amandum aliquando prouocamur, & ad amorem & amicitiam necessaria est harmonica quædam congruitas. *Mar. Fic. epist. lib. 12.* Amori quod in spectandis formosis nos corripit, nec materia est, nec proportio, sed viridis quidam fulgor ab anima in proportione refulgens. *idem, in Plotini En 6 lib. 7 cap. 25.*

Amant nullæ res, nec amantur, absque mirifica primi boni gratia. *Mar Fic. in Pla. En. 6. lib. 7. cap 22.* Amantem qui non amat, homicidij est reus, imo fur, homicida, sacrilegus, & velot profanus impunè interfici potest. *idem, in Plat. conuiu. or. 2. cap 8.* Amare dicimus, quæ propter nos ipsos desideramus, quæ verò propter aliud quidpiam cupimus, minimè *idem, ibid. or. 5. cap. 2.*

Amant apud veteres & homines, & Dij. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 1. cap. 2.* Amant soli gratis, qui defunctos amant, à quibus plerique nil sperant. *idem, in epist. in dedicatione Athenagoræ.* Amat quicunque quamuis rem, re ipsa nondum integerrimè possidet, animi tamen cogitatione id ipsum cognoscit, iocundum iudicat, consequi posse confidit, hæc ipsa cognatio, iudicatio, spes, quasi præsens, aliqua absens boni anticipatio est: non enim arderet nisi ipsum placeret, nisi esset quodammodo prægustatum. *idem, in Plat. conuiu or. 6. cap. 7.*

Amare non tantùm dicuntur inferiora superiora, & corporea spiritualia, verumetiam vice versa superiora inferiora, & spiritualia corporea, quanquam diuersa quadam ratione. *Leo. Heb. de Am. dial. 2.* Amare nihil potest nisi prius existat. *Idem, dial. 1.*

Amator, Amatoria, Amatorius

Amator improbus est, qui corpus magis, quàm animam amat, nec stabilis est, vt qui nec stabilem rem amat, simul enim vt corporis flos deflorescit, quem amabat, auolat, multos sermones, & pollicitationes confundens. Qui verò bonorum morum amator est, per vitam omnem permanet, vt qui in rei stabilis amore colliquescat. Hos gratificari oportet, illos fugere. *Plat. in Symposio.*

Amatorum lex est, vt si quis aliquem colere vult, putans fore vt per illum melior fiat, aut in sapientia, aut in alia aliqua virtutis parte, hanc voluntariam seruitutem non turpem esse, neque adulationem appellandam esse: & cum hac lege oportet coniungere eam, vt amator amato gratificari inseruiat, quacunque re ipsi inseruire iustum est, hic vt illi qui ipsum sapientem, & bonum facit, quicquid iustum est subministret, & ille ad prudentiam, & reliquam virtutem conferre possit, hic eruditionem, & reliquam sapientiam adipiscatur, at si compertum fuerit amatorem malum esse, honestum erit illum decipere. *Plat. in Symposi.*

Amatoriæ necessitates acriores sunt, quàm illæ, quæ geometricæ sunt, ad multitudinem trahendam, ac perducendam. *Plato de republica, dial 5.* Amatores memores esse debent, & non immemores. *idem, ibid.* Amatorem suum maga mutauit in feram Castorem, quia in aliam temerasset, quia bestia illa se ab insequentibus præcisione genitalium liberat. *Apuleis metamor lib. 1.*

Amatoriæ vires aliæ sunt mundanæ, aliæ superiores, & mundanis præsunt ordines, & ornatus intellectualium, & intelligibilium amorum; super eos sunt ipsi per se intelligibilis ac diuini amorum, ibi reuera pulchrorum; & has omnes vires continet, & regit absoluta totius amoris causa, penes principium omnia supereminens, ad quam contendit pro cuiusque natura vniuersus rerum omnium amor. *Dionysius Areop. diui. nom.*

Amatoria passio influit animabus concupiscentibus pulchro se alicui commiscere, appetitúmque huiusmodi partim ipse penes temperatos, & factos ipsius pulchri domesticos, partim in turpem desinere actionem. *Ploti. En. 3. lib 5. cap. 1.*

Amatoria cohors hanc inter Deos proprietatem habet; summitatem eius quidem vnicam, & occultam, excogitamus primæ, & intelligibili pulchritudini copulatam penes supremos Deos, medium verò processum eius penes supermundanos Deos, intellectuali conditione fulgentem tertiú verò progressum eius circa mundum multifariam distributum, multósque ordines, neque vires ex se producentem. atque eiusmodi munera partibus mundi diuersis distribuentem: post hæc vnicum ac primum amoris principium, atque post tripartitam substantiam inde perfectam, varia iam turba refulget amorum, vnde chori Angelorum replentur amore, turbæ quin etiam dæmonum hoc plenè Deos sectantur Deos ad intelligibilem pulchritudinem reuocantes exercitus horum vnà cum dæmonibus, & Angelis circa ea pulchritudinem debacchantur: omnia denique suscitantur, reuiuiscunt, reuirescunt, incalescunt, circa pulchritudinis ipsius influxum animæ hominum huiusmodi inspiratione, & naturaliter Deo cognatæ, circa pulchrum mouentur assiduè, neque in generationis prouinciam delabuntur ad beneficium animis imperfectioribus exhibendum, & ad prouidendum his, quæ salute indigere videntur: Dei ipsi, & deorum pedisequi in habitu proprio permanentes sequentibus benefaciunt, & ad se conuertunt. hominum verò animæ deorsum lapsæ generationémque tangentes, beneficam Deorum prouidentiam pro viribus præ seferunt. *Proclus in Alcibiadem primum.*

Amator incorporearum rerum non potest cohabitare cum prono ad ista sensibilia. *Phil. iud. de migratione Abrahami.*

Amandi legitimus terminus est consuetudo, quæ tribus constat, cogitatione, aspectu, & auditu. *Mar. Fic. Epist. lib. 1.* Amator verus solus ille appellandus est, qui intelligit in omnibus bonis, quæ passim sibi offeruntur, & placent, nihil re vera sibi placere, quam diuinum ipsum bonum, ex quo, & per quod cuncta sunt bona, ideò in his omnibus ipsum amat; in ipso diligit omnia: ita vt neque ipsemet sibi sit dilectus, nisi in eo per quem hoc habet, vt sit diligendus. *idem, epist. lib. 3.*

Amatoris impetus nullo corporis aspectu vel tactu extinguitur: non enim corpus desiderat, sed splendorem per corpura refulgentem admiratur, affectat, & stupet: quapropter quid cupiant, aut quærant, amantes, ignorant. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium. or 2. cap 5.* Amatoria contagio facilè fit, & grauissima pestis euadit. *idem ibid. or 7. cap. 5.*

Amator non amatus mortuus est, nec reuiuiscet vnquam, nisi indignatio suscitet: at vbi amatus in amore respondet, in eo saltem vitam agit, amator in amato viuit. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium or. 2. cap 8.* Amatorius furor tribus aliis furoribus præstantior est, tum quia fit ex optimis, id est excitatur ipsâ pulchritudine, sapientiâ, & bonitate, & impletur vnitate nostrâ. tum quia nos cum Deo efficacius, firmiúsque coniungit. *idem, in Plat. Phædr. cap 6.*

Amatorius furor omnium potentissimus, & præstantissimus potentissimus. quia omnes alij ipso necessariò indigent, neque enim poesim, nec mysteria, nec vaticinia, sine ingenti studio, flagranti pietate, & sedulo diuinitatis cultu, consequimur: at cultus, pietas, studium. quid aliud dicimus, quam amorem; præstantissimus est, quia ad hunc, tanquam ad finem omnes dirigantur. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium, or. 7. ca. 15.*

Amatoris veri principium opus est, efficere hortandu, & monendo, vt mulier peramata, quam se cariorem habet, omnia eius consilia, & cogitationes ad honestatem, & decus referat; nihil in ea sit turpe. nihil illiberale, nam nulla turpitudo maior reperietur quàm libidini suæ inferiorem sexum prosternere, quem regere consilio oportebat. *Mi Am. Natta de pul. lib. 1.* Amandum est pulchrum, quod verè pulchrum est, & id singuli fatentur, sed in multis amor est opinati pulchri. *idem, ibid lib. 2.*

Ambrosia appellatur luminis diuini consecutio in mente. *Mar. Fic. in Plat. Philebum.*

Ameliræ aquam nullo vnquam vase contineri posse qui aiunt poetica metaphora est, significans inferiorem materiam, quæ flumen dicitur, fluitare per formas iugiter, atque fluctuare, item obliuionis vitium. *Mar. Fic. in Plat. in republic. dial 8.*

Amarus sapor fit, cùm ea quæ extergunt, & circa linguã quicquid est eluunt, si vltra mediocritatem id faciant, & insuper quid assumant, & corripiant, adeò vt etiam de natura ipsius aliquid eliquent, qualis est nitrorum facultas. *Pla in Timæo.*

Ambiguitas quæ Ἀπορία dicitur, id significat quod impedimento est ne progrediamur. *Plat. in Cratylo.* Ambiguitatem eius quod quærit amittit, qui aliquid inuenit. *idem, in Phileb.* Ambigunt de rebus inter se amici, contendunt inimici, *idē, in Protag.*

Ambitio & Ambitiosi.

Ambitiosi, si exercitus duces esse non possunt, tribunos militũ fieri, & si non à maioribus, & præstantioribus coluntur

à minoribus saltem, & vilioribus honorari, boni consulunt, vt qui omnino honorem affectent. *Plato de republica, dial.5.*

Ambitiosus vix est contumax, & à musis alienus, musarum tamen amans, & dicendi cupidus, non autem dicendi peritus, & seruis aliquibus molestus, non tamen vt seruos contemnet, vt is, qui multum eruditus sit; erga liberus est mansuetus. Principibus valde obediet, sed principatus studiosus, & ambitiosus erit, & non à dicendi facultate, nec ab vlla huiusmodi ad principatum contendit, sed ab operibus ciuilibus, ac militaribus, & qui venationes, & gymnasiorum est studiosus: dum iuuenis est, pecunias contemnet, quantò verò senior fit, tantò magis semper amplectetur, quia naturæ sit particeps pecuniæ amantis, non incertus ad virtutem, quia inferior est optimo custode. non enim habet musicam temperatam, quæ sola vbi adest, seruatrix virtutis per vitam inhabitat in eo, qui illam habet. *Plat. de republica, dial.8.*

Ambitio est habitus animę honoris gratiâ omnes sumptus admittens, præter rationis normam. *Speus. in Platonis definitionibus.* Ambitio in republica est res deterrima ciuitatem in primis partibus, inficit, & indignis plerisque honores, & magistratus potius, quam dignis tradit. *Franc. Patricius de reg. lib.6. cap.5.* Ambitio, & honoris studium interdum mores mutat. *Idem, ibid. cap 6.* Ambitio est honorum, & gloriæ immodica appetitio. *Idem, de regno lib.4. cap 20.* Ambitio tollit virtutis præmium, & deteriores semper melioribus præfert. *ibid.*

Amicitiæ species.

Amicitię tres sunt species, naturalis, ciuilis & hospitalis. *Fran. Patricius de regno, li.8 cap 9.* Amicitiam naturalem trifariam diuidunt, primam pietatem, secundam indulgentiam, tertiam necessitudinem. *Idem, ibid.*

Amicitia quid est.

Amicitia est amoris mutui. *Plat in Lyside.* Amicitia est confessio in rebus honestis, & iustis, eiusdem vitæ electio, consensus in deliberando, atque agendo, concordia in communione vitæ cum beneuolentia, communio in dandis, & accipiendis beneficiis. *Speusip. de Platonis definitionibus.*

Amicitia propriè nil aliud est, quàm beneuolentia publica; & hæc tunc existit, quando vterque bonum alteri, æque vt sibi esse desiderat, quæ quidam æqualitas non aliter, quàm per similitudinem morum seruatur, nam simile simili amicum est. *Alcinous cap.32.*

Amicitia est stabilis duorum animorum vnio in amando Deo; & sic non duo, sed tres, duo homines & vnus Deus. *Mar. Fic. epist lib.1.* Amicitia cùm ab amore vim, & nomen sumat, nil aliud est quàm mutuus amor, stabilis quadam, id est honesta consuetudine confirmatus; ideò qualis est amor, à quo ducitur amicitia, talis est & amicitia. *Idem, epist. lib.2.*

Amicitiam omnes communi quadam notione vnionem aliquam esse definiunt. *Idem, epist. lib 4.* Amicitiam veram Platonici philosophi definierunt, stabilem vitæ duorum vnionem. *Idem. in Alcinoi & Speusippi opuscula in præfatione.*

Amicitiam vult Plato esse honestam perpetuæ voluntatis cōmunionem, huius finem esse vitam vnam. principium eius, cognationem, medium autem Amorem. Vt honestam, excludit improborum hominum contubernia, lasciuorúmque congressus. Vt perpetuam, leues adolescentulorum beneuolentias, etiamsi honestę sint, nondum amicitias appellandas monet. Vt voluntatis, significat non similitudinem opinionis cuiusdam, vel artis ad amicitiam perficiendam sufficere. Vt communionem, beneuolentiæ vicissitudinem indicat. Huius finis est, vt à duobus animis vnus voluntate fiat, ex vna voluntate, vita vna, & demum ex vna vita, numinis vnius, & eiusdem ideæ fruitio. Principium à quo communis huius desiderium excitatur, cognatio est: cognatio conuenientiam in idea, sidere, genio, & quandam corporis, & animæ affectionem significat. *Mar. Fic. in Plat. Lysidem.*

Amicitiam Plato vult esse habitum quendam, ex amore diuturno contractum. *Mar. Fic. in Plat. Lysidem.* Amicitia est inueteratus amor, in quo plus voluptatis, quàm desiderij restat. *Idem, ibid.* Amicitia, cùm duorum consensu ad animum virtute colendum nitatur, nil aliud esse videtur, quàm duorum animorum summa in Deo colendo concordia. *in Alcinoi & Speusippi præfationem.* Amicitia est virtus reciprocæ beneuolentiæ. *Fran. Patricius de regno lib.8 cap 8.*

Amicitiam quid parit.

Amicitiam parit temporum æqualitas, ad æquales voluptates ducens, propter similitudinem: ideò aiunt, pares cum paribus facillime congregantur. *Plat. in Phædro.* Amicitiæ cupiditas causa est: & quod cupit, amicum est eius, quod cupit illud, etiam tunc cùm cupit. *Idem, in Lyside.* Amicitiam inter homines duo conciliant, virtutes, & cum aliis amicis beneuolentia. *Ioan. Franc. Pic. Mir. epist. lib.3.*

Amicitia perfecta nascitur, quoties cognatio adest, id est conuenientia in idea, sidere, genio, & animæ, & corporis affectione, atque animorum pulchritudo cōcurrit; quòd si corporis forma coniuncta est, citiùs amare incipiunt, & breui amicitiæ habitum assequuntur; at si corporis forma cum animi deformitate coniungitur, turpis congressus cupido exoritur, vnde petulantia, & deinde discordia oritur. *Mar. Fic. in Plat. in Lysidem.*

Amicitia nunquam est, si cognatio deest, si adest cognatio, deest omnis pulchritudo, interdum beneuoli potius, quàm amici, si autem cognationi pulchritudo corporis, non animi est adiuncta, pro amicitię desiderio, obscæni congressus ardor exoritur: cum vnus animo pulcher, alter turpis, admonitionis, & increpationis studium cognatio illa parit; quòd si pulcher vnius animus, alterius nec pulcher, nec turpis, docendi discendique volūtas inuicem ex cognatione prouenit: tandem ex increpatione illa, & hac doctrina, amicitia nascitur: at cognatio pulchritudinem vtrinque nacta, citò indissolubilem procreat amicitiam. *Mar. Fic. in Plat. Lysidem.*

Amicitia ex tribus fontibus solet emanare, ex vtilitate, ex iucunditate, atque ex honestate. *Leo Heb. de Am. dial.1.*

Amicitiæ proprietas.

Amicitia & amor, & cupiditas cognati est. *Plat. in Lyside.*

Amicitia quæ à contrariis est, grauis est, & aspera, & societatem non sæpe in nobis habet; quæ vero ex similibus mansueta, & socialis est per vitam. *Idem, de legibus dial.8.*

Amicitiæ forte partim ad hominem interiorem, & exteriorem, & partim ad interiorem hominem pertinent. *Plotinus En.1 lib.1. cap.1.*

Amicitiæ fides inter solos bonos reperitur. *L. Apul. de dog. Plat. lib.3.* Amicitia non est vacua voluptate *Max. Tyrius serm.4.* Amicitia si est morum æquabilitas, quomodo erit adulator amicus viro probo. *Idem, ibid.*

Amicitia quantò vetustior, tantò robustior; cætera quantò magis senescunt, tantò debiliora fiunt quod fit, quia probata fides comprobat amicitiam. *Mar. Fic. epist. lib.1.* Amicitiæ tanta vis est, vt hac solâ, vel sine legibus vllis humanū genus possit tranquillè & beatè viuere, & hac sublatâ nec leges, nec cætera hominum studia beatum efficere possint. *Idem, epist. lib 7.* Amicitiæ similitudinem sufficere ex Empedoclis opinione falsum esse declaratur, cùm artium multarum similitudo odium non amicitiam pariat. *Idem, in Plat. Lysidem.* Amicitia nihil sanctius apud Pythagoricos fuit. *Io. Pic. Mir. in epist.* Amicitia, quæ virtute oritur, nulla locorum intercapedine obliteratur. *Fran. Patricius de regno, lib.8 cap 8.* Amicitia propter virtutem, & honestatem contracta, amicitiæ tum voluptatis, tum vtilitatis gratiâ confectæ longè est præponenda. *Leo. Heb de Am. dial.1.* Amicitia honesta à sacris voluminibus quoque commendatur, mortalibúsque præcipitur. *idem, ibid.* Amicitia honesta ea vna duas personas, & ex duabus vnam duntaxat personam efficere solet. *ibid.*

Amicitia vt communiter dicta.

Amicitiæ impropriè dicuntur, patris in filius naturalis amor, cognatorum beneuolentia, & ea quæ ciuilis & rhetorice nuncupatur. *Alcinous cap.32.* Amicitiam, vel inimicitiam quandam inter res naturales esse nominamus, nam id à suis formis, seu mauis essentiis fluere potest, & ad qualitatem similitudinem, & repugnantiam spectare potest. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænotione lib. 7. cap. 7.*

Amicitia ciuilis vel socialis est voluntas erga aliquem, rerum bonarum illius causâ, quem diligimus, cum pari quoque eius voluntate. *Franc. Patricius de regno, lib.8. cap.9.*

Amicitia hospitalis est beneuolentia, quæ cum peregrinis, & aduenis contrahitur. *idem ibid. cap.13.*

Amicus.

Amico mortuo, nulla alia viuenti amico super est calamitas. *Plato in Critone.* Amicorum mala videre, & non dolere, sed gaudere non ne iniustum est? *idem, in Philebo.* Amicorum omnia sunt communia. *idem, in Phædro.* Amicorum omnia communia: *in Lyside.* Amicus solus bonus bono est, nam malus nec malo, nec bono vnquam amicus erit. *ibidem.* Amicum nec contrarium contrario, nec simile simili est. *ibid.* Amicus non amici alicuius gratiâ amicus est. *ibidem.* Amici qui esse volunt, natura quodammodo cognati esse debent aut secundùm animam, aut se secundùm aliquam animæ speciem, aut mores, aut formam. *ibid.*

Amicis debemus bona, mali verò nihil. *Plat. de republ. dial 1.*

Amici vt diis, & nobis ipsis simus, iustitiæ cum sapientia coniunctæ studiosi erimus. *idem, de republ. dial. 10.* Amicorum & sociorum beneuolentiam ad vitæ consuetudinem consequentur.

queatur, qui maiora, & præstantiora beneficia in se putant, quàm illi, & sua rursus in amicos beneficia minora censet, quàm ipsi sodales & amici. *idem, de legib. dial 5.*

Amicis constantibus, & sanis moribus præditis nihil maius, ac potentius homini contingere potest. *Plat. epist. 6.* Amicum, & hospitem infelici rerum successu utentem destituere mali viri est. *idem, epist. 3.* Amicis, ac fidis viris carere est maius signum vitij quod esse potest, & abundare, virtutis signum. *idem, epist. 7.*

Amicus quod sibi verè bonum videtur, illud commune vult esse amico, vt siue molestum, siue iucundum sit, eo ex æquo pariter cum amico perfruatur; adulator verò propriis cupiditatibus obsequens, ita se ad hominum congressus parat, vt ex his capiat proprium lucrum. *Max. Tyrius ser. 3.* Amicus, si pro amico subeat infortunium, vix sentit, adulator maximè sentit infortunium: amicitia probatione firmatur, adulator frangitur, illa tempore validior fit, adulatio deperditur, illa vtilitate non eget, vt firmior sit, hæc sine vtilitate stare nequit. *idem, ser. 4.*

Amicorum officium est communi inter se consilio quærere verum, communi auxilio sequi bonum. *Mar. Ficin. epist. lib. 3.* Amicorum quatuor paria celebrat antiquitas Pyladen, & Orestes, Damon, & Pythias, Achilles, & Patroclus. *Franc. Patricius de republ. lib. 4. cap. 3.* Amicus expertus non perditum est malum. *idem, de reg. lib. 7. cap. 8.* Amici ita habendi, vt putemus aliquando fore inimicos. *idem, ibid. cap. 9.*

Amicos graui aliqua calamitate oppressos subleuare, debitũ potius, quàm gratia esse videtur. *Leo Hebr. de amo. dial. 3.* Amicus Plato, amicus Socrates, amicior veritas ipsa. *idem, ibid.* Amicus ipsemet alter existit. *idem, dial. 1.* Duo qui sese mutuo amore prosequuntur, aut vnus tantummodò, aut quatuor debent existimari. cum vnusquisque in alio sit, & multiplicari duo quatuor efficiant. *idem, dial. 3.*

Amittimus ea quæ sunt, nam absurdum esset dicere nos amittere quæ nunquam fuerunt. *Plat. in ... ho.*

Ammonius fuit præceptor Plotini, & Origenis. omnes putabant intellectum diuinum sic se habere ad patrem Deum, id est ad ipsum bonum, vt lumen ad lucem; spiritum quoq; id est mundi vitam sic ad intellectum, vt calor ad lumen; & sic inter hos tres essentialem quandam differentiam afferre videntur: in cæteris tamen tantam esse in eis vnitatem probant, vt nulla possit singularior excogitari. Hactenus philosophorum, ea præsertim ætate, ingenia processerunt, sed horum iudicium ad sanctorum patrum concilia referendum est. *Mar. Fic. in Plotini En. 1. lib. 1. cap. 3.*

Ammonij discipulus fuit Plotinus annis vndecim. *Porphyrius in Plotini vita.* Ammonius Alexandrinus fuit magister Plotini quem ipse in omnibus fuit prosecutus. *Mar. Fic. in Plotini En. lib. 9. cap. 2.*

Amnes rapidius euehuntur quando exundant; at quando exigua, & caua vnda est, labitur ea imbecillitate lentè, quòd non decedat aer, neque multùm cohibeatur, & comprimatur. *Plutarchus de quæstionibus Platonicis.*

Amoris in vniuersalis quæ accidunt.

Amant singuli quæ bona putant, pulchra, & iusta; contraria odio habent. *Plat. in dial. de Sancto.* Amor omnes suo afflatu ad virtutem concitat, vt ei, qui optimus naturâ sit, similis euadat. *idem, in Symposio.* Amor omnis amici optimi fidem postulat. *Mar. Fic. epist. lib 6.*

Amor quid est.

Amor dictus est ἔρως, quia extrinsecus ἐρρεῖ, id est influit, & non proprius est hic fluxus habenti, sed inductus ius per oculos. & antiquitus ἔσρος appellabatur, ο enim pro ω vtebantur: nunc autem contra ω pro ο commutatur. *Plat. in Cratylo.* Amor magnus est Deus, & admirandus inter homines, & Deos, & multis nominibus, sed non minus propter originem. nam inter antiquissimos Deos habetur: nam amoris parentes nec sunt, nec fuerunt. nec ab vllo referuntur Poeta. sed Hesiodus primò asserit fuisse chaos, deinde terram omnium semper tutam sedem, atque amorem. *idem in Symposio.*

Amor non est Deus; appetit enim bona ob bonorum indigentiam, Dei autem pulchri, & beati sunt, nec bonorum indigentes. *Plat. in Symposio.* Amor est medium inter turpe & pulchrum; inter mortale, & immortale, estque magnus dæmon: dæmonium enim omne medium est inter Deum, & hominem. *idem, ibid.*

Amor est circa pulchrum. philosophus est, nam nec sapiens est, nec rudis: nam natus est ex patre sapiente, & opulento, & ex matre non sapiente, & egenâ. *Plat. in Symposio.* Amor est studium & diligentia eorum, qui ipsum persequuntur in pulchro, & secundùm corpus, & secundùm animam. *idem, ibid.* Amor non est pulcher, sed partus in pulchro. *ibid.*

Amor solus est præstantior consiliarius ad nos perducendos ad immortalitatis possessionem. *Plat. in Symposio.* Amor est cupiditas quædam, & qui amant & qui non amant, pulchrorum cupiditate tenentur. *idem, in Phedro.* Amor insania quædam est. *ibid.*

Amor corporeus non verus est amor, sed imago quædam, vel potius à vero amore ruina. *Dionys. Areop. de diuin. nom.* Amor est virtus vnifica, connectens, & mirificè commiscẽs in ipso quod pulchro, bonóque, propter pulchrum, bonúmque primò consistens, deinde ex pulchro, bonóq; propter pulchrum, & bonum foras emicans, vbi qui sunt eiusdem ordinis, alterna continet communione, priora verò ad inferiorum prouidentiam mouet, inferiora denique conuersione quadam superioribus alligat. *idem, ibid.*

Amorem siue diuinum siue angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem dixerimus, vitam quandam intelligimus vnificam, & commiscentem; superiora mouentem ad inferiorum prouidentiam, & quæ sunt eiusdem ordinis ad communionem mutuam adhortantem, inferiora tandem reuocantem, vt ad sublimia conuertantur. *Dionysius Areop. ex Hierotheo de diui. nom.*

Amoris si quis ponit principium antiquam ipsius pulchri insitam animabus appetitionem, notionem, cognitionem, & quandam irrationalem perceptionem, minimè aberrabit, turpe enim naturæ, & Deo contrarium est: natura enim pulchrum spectans agit, spectat autem determinatum, quod in boni ordine collocatur, interminatum verò turpe est, ordinisque contrarij, sed origo naturæ inde dependet à bono, & pulchro. *Plot. 5 lib. En. 35. cap. 1.*

Amor animæ sublimioris est Deus, qui animam semper cum illo coniungit; amor autem animæ iam permixtæ dicendus est dæmon. *Plot. En. 3. lib. 5. cap 4.* Amor animæ puræ Deus est. *idem, En. 3. lib. 5 cap. 6.* Amor est vt assiduus indiguus suapte naturâ. *idem, En. 3. lib. 5. cap. 7.*

Amorem magnum esse dæmonem in Symposio traditur: quia cùm amor omnium primus sit causa conuersionis omnibus rebus ad diuinam pulchritudinem, & mox inde sequentia replens, & sit medium inter appetibile, & appetens, & causa conuersionis sequentium in priore, vniuersa amatoria cohors in vestibulo causæ pulchritudinis constituta ad illam omnia conuocat, & medium processum facit inter amabile, atque illa, quæ reuocantur amore. *Proclus in Alcibiadem.*

Amoris igneum eloquia sacra appellare copulatorem solent, ab intelligibili intellectu procedens, sequentia cuncta inuicem, illique deuinciens: conciliat autem intelligibili pulchritudine Deos omnes, diis dæmones; dæmonibus, & diis nos coniungit: primò in diis super essentiam: secundo in dæmonibus per essentiam. tertiò in animalibus per illustrationis effectum. *Proclus in Alcibi. dem 1.*

Amor à corporea pulchritudine pendens mutabilis est; quoniam & illa mutabilis est. *Proclus in Alcibiad. 1.*

Amor est appetitus aliquis alicuius robustus, & vehemens, & qui amat appetit aliquid, quo indiget. *idem, ibid.*

Amor est animarum coniunctarum per mutuam beneuolentiam. *Philo. Iud. de eo qui rerum heres.*

Amor nil aliud est, quàm pulchritudinis desiderium. *Mar. Fic. epist. lib. 1*

Amor id mirabile habet non redamari: impium propter se amare quod est alterius gratiâ diligendum, & contra quod sui ipsius gratiâ est amandum, ob aliud diligere turpissimum odisse quem amaueras. *idem, epist. lib 3.*

Amor omnium perturbationum principium est: & voluptati semper dolor succedit. *Mar. Fic epist. lib. 10.*

Amor est appetitus non quiuis, sed ardens concitatus, anhelans. est igitur ardentissimus quidam motus: & vt ardor in aere non lucem soli insitam proximè sequitur, sed splendorem illinc in aere infusum, sic amor erga bonum ardens, non ab ipso videtur accendi aliter, quàm per intelligibile lumen intellectui, rationique insertum, siue mox rutilet ex alijs mentibus segregatis, siue per sensibile lumen gradatim ascendatur ad ipsum. *Mar. Fic. in Dionys. Areop. de diui. nom.* Amor est actionum omnium principium. *idem, ibid.*

Amor circulus quidam est, à bono manãs, per pulchrum progrediens, in pulchri imagines currens, & per illas ad pulchrum conuersus, & in bonum denique per pulchrum reuolutus. *Mar. Fic in Plat. Phileb. lib. 1. cap 30.*

Amor pulchri desiderium est, & amicitia ab amore & ducatur & dicatur necesse est: nam qui amici futuri sunt, pulchri sint, oportet, id est, vt animi sint pulchri. Homo enim animus est, & corpus hominis instrumentum, & qui pulchrum corpus amat, non hominem, sed ea quæ sunt hominis amat. *Mar. Fic. in Plat. Lysidem.*

Amor est exoriens amicitia, Amicitia est inueteratus amor, in quo plus voluptatis, quàm desiderij restat, ex quo sequitur, vt quod cupierat, iam delectetur: itaque amicitiæ habitus non necessario desiderio præsentia ardorem, sed delectationem exigit. *Marsi. Ficin. in Plat. Lysidem.*

Amor est pulchritudinis desiderium. *Marsi. Fic. in Plat. conuiu. or. 1. cap. 4.* Amor circulus est bonus, à bono, in bonum perpetuo reuolutus. *ibid. or. 2. cap. 2.* Amor res amara est, quia moritur quisquis amat, sui enim oblita eius cogitatio, in amato versatur *ibid. cap. 8.*

Amor nil aliud est quàm fruendæ pulchritudinis desiderium, hæc autem solis oculis comprehenditur; solo aspectu amator corporis est contentus, tangendi verò cupido non amoris est, sed petulantiæ species, & seruilis hominis perturbatio, lucem enim illam, & animi pulchritudinem sola mente comprahendimus. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 5. c. 9.*

Amor in omnibus ad omnia est auctor, seruatórque & artium vniuersalium dominus, & magister; hunc Orpheus vocauit solertè ingenium, omnium clauem habentem, & meritò dici potest nodus perpetuus, & copula mundi, partiúmque, & eius immobilia sustentaculum, ac firmũ totius machinæ fundamentum. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 3. c. 3.*

Amorem esse antiqui medici dixerunt, de ehuso loquentes passionem morbo melancholico proximam, eámque Rasis medicus coitu, ieiunio, ebrietate, deambulatione curari dixit. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 6. c. 9.*

Amor verus nil aliud est, quàm nixus quidam ad diuinam pulchritudinem euolandi ab aspectu corporalis pulchritudinis excitatus; adulterinus verò, ab aspectu in actum præcipitatio. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 7. c. 15.*

Amorem elatum esse, quia vel solus, vel maximè omnium nos eleuet ad sublimia. *Mar. Fic. in Plat. Phædr. c. 29.*

Amor est quædam voluntatis propẽsio erga pulchritudinem, qua fruimur, vel frui exoptamus. *M. Ant. Nat. de pulchro. lib. 1.* Amor vel eorum quæ sunt bona, vel eorum quæ à nobis bona iudicantur existit. *Leo Heb. de Amo. dial. 1.* Amor imaginarius cum desiderio in vnum concurrit, verus autem minimè *idem, ibid.* Amor est voluntarius quidam affectus quàm copulatissimè iis, quæ bona iudicantur, fruendi. *ibid.* Amor perfectus, amantis in amatum conuersio, desiderio quodam adiuncto vt amatum quoque in ipsum amantem conuertatur, esse definitur *ibid.*

Amor, è Platonis sententia, haud actu quidem, sed potestate tantummodò pulcher existit. *Leo Heb. de amore, dial. 3.* Amor propriè sumptus, pulchri desiderium, communiter verò consideratus, boni appetitus existere definitur. *idem, ibid.* Amor ex sententia Platonis partus ad pulchrum existere definitur. *ibid.* Amor communissimâ ratione sumptus desiderium alicuius rei existere definitur. *ibid.* Amor, è Platonis sententia, sempiternæ bonorum possessionis appetitio existere definitur *ibid.*

Amor primus sempiternus existit. *Leo Heb. de amore dial. 3.* Amor primus Dei in se ipsum existit. *idem, ibid.* Amor est causa propria, atque potissima, cur mundus in lucem editus fuerit. *ibid.* Amor, ac appetitus corporum inanimatorum, nec intelligibilis, nec sensibilis, sed naturalis tantummodò existit. *ibid.* Amor sensibilis, animæ sentientis affectio quædam existit. *ibid.*

Amor diuinus est Dei ipsius pulcherrimæ sapientiæ in eius formosissimam imaginem, id est in rerum ab eo procreatarum vniuersitatem quasi exitus quidam, vnà cum ardentissimo studio coniunctus, vt mundus ad summam ipsius Dei pulchritudinem reuertatur, & cum ea tandem copulatur. *Leo Heb. de ama. dial. 3.* Amor omnis tam sensibilis, quàm intelligibilis, pulchri fœtus pariendi vehemens quoddam desiderium existere definitur. *idem, ibid.* Amor intellectualis affectio nequaquam est appellandus *ibid.*

Amor intelligentium essentiarum est actus quidam intellectualis, ab omni prorsus naturali affectione seiunctus. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* Amor intellectualis nil aliud est, nisi intellectus ipsius à prima, seiunctáque & imperfecta, ad postremam copulantem, & perfectissimam pulcherrimi intelligibilis intelligentiam progressio quædam. *idem, ibid.*

Amor Dei optimi maximi in mundum à sese iam procreatum existit qualis perfectissimi artificis erga opus eo minus perfectum, vel superioris in inferius, vel patris in filium, vel causæ in singularem eius effectum. *ibid.*

Amorem existere, vt res quædam, apud omnes manifesta supponi debet. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* Amor in humano genere virorum in mulieres intensior, stabilior, magis proprius, occultiórque, quàm in cæterorum animantium speciebus marium in fœminas studium esse videtur. *idem, de Am. dial. 2.* Amor in humano genere cum rationali, seu voluntario amore, sensibilis quoque, & naturalis simul coniungitur. *ibid.*

Amoris species.

Amoris species tres sunt: qui corpus, & pulchritudinem amat, quasi pomorum fructibus expleri cupiens, sibi ipsi illa expetit, nullum honorem moribus animi eius, qui ab ipso amatur, tribuens; alius qui obiter corporis cupiditate tenetur, videt autem magis, quàm amat, anima animam prout decet appetens; is contumeliã arbitratur corporis societatem, temperantiam autem, & fortitudinem, & magnificentiam, & prudentiam venerans, simúlque colens, castus semper esse cum casto amato sibi volet; at qui ex ambobus mixtus est, tertius amor: primum, & tertium amorem cohibere debemus, at eum, qui virtutem amat, & iuuenem quam optimum fieri cupit in ciuitate nostra. *Plat. de legibus, dial. 17.*

Amoris sæui flamma parua quidem primo vapore delectat, sed fomento consuetudinis, exæstuat immodicis ardoribus, & totos comburit homines. *Apul. metamor. lib. 8.*

Amores quinque in nobis reperiuntur, duo extremi, medij tres, non dæmones solùm, sed affectus: primus ad diuinam pulchritudinem prouidendam est, cuius causa philosophiæ studia, iustitiæ, pietatisq; officia sequimur: secundus ad generationem stimulus: & hi sunt dæmones: quorum alter ad superna erigit, alter ad inferora deprimit; bonus ille, malus hic, qui etsi sit bonus, malus tamen dicitur, ob malum vsum: tres medij affectus: sed, si ad contemplatiuam promptι sumus, statim ex formæ corporalis aspectu ad diuinam contemplationem erigimur; si ad voluptuosam, statim concupiscimus; si ad actiuam, & moralem, in sola illa videndi atque conuersandi oblectatione perseueramus: primus diuinus, secundus ferinus, tertius humanus dicitur. *Marsil. Ficin. in Plat. conuiu. or. 6. cap 8.*

Amor alter simplex est, alter mutuus; simplex reddit quemcunque comprehenderit, prudentem ad prouidendum, acutum ad disserendum, facundum ad eloquendum, ad res gerendas magnanimum, ad iocos facetum, ad ludos promptum, ad seria quæque fortissimum. Mutuus, periculis pulsis securitatem, submotâ dissensione, concordiam, vitasq́ miseriâ præstat felicitatem, nam vbi mutua charitas, ibi nullæ insidiæ, ibi communia omnia, ibi lites, & furta, homicidia cessant, & prælia *Mar. Ficin. in Plat. conuiu. or. 3 c. 9.*

Amoris proprietas.

Amorem à nullo homine in hunc vsque diem pro dignitate, laudatum esse, sed tantum deum neglectum esse, quomodo non est res indigna? *Plat. in Symposio.* Amor solus hominibus rectè viuere volentibus per omnem vitam inducit, quod illis propositum est, quod neque cognatio, nec honores, nec diuitiæ nec aliud quicquam facere potest, in rebus turpibus verecundia, in honestis ambitiosum studium, nec absque hoc aut ciuitas aut priuatus aliquis magna, & honesta opera efficere potest. *idem, ibid.*

Amoris virtutem dij maximè honorant, magis tamen admirantur, & stupent, maioráque præmia conferunt cùm amatus amatorem diligit, quàm vbi amator amatum, diuinior enim est amator, quàm amatus, est enim numinis afflatu percitus. *Plat. in Sympo.* Amor medicinam, exercitatoriam corporum artem, agriculturam, musicam gubernat, astronomiam, præterea & vaticinium, *idem, ibid.* Amoris vim si homines percepissent, aras & sacrificia maxima illi fecissent; est enim omnium deorum humanissimus, vt qui adiutor hominum sit, & eorum malorum, medicus, quæ si curata essent, maxime humano generi felicitas contingeret. *ibid.*

Amor ex duobus vnus fieri cupit. *Plat. in Symposio.* Amor iustus est, quia volens à volente, quod sit, optet. *idem, ibid.* Amor temperans est; temperantia enim est superare voluptates & cupiditates: nulla autem voluptas potentior est amore. *ibid.* Amor venustatem in se habet, nam impudentia & amor perpetuum inter se bellum gerunt. *ibid.*

Amoris coloris pulchritudinem conuersatio inter flores significat, nam in non florente, & eo quod defloruit corpore, & anima, & quacunque alia re amor non insidet, vbi verò floridus, & odoratus fuerit locus, hic sedet, & manet. *Plat. in Symp.* Amor tenerrimus est, & mollissimus, & si incidit in hominem duris moribus præditum, discedit; si in mollem, inhabitat *idem, ibid.*

Amor natura odio habet senes, cum iuuenibus versatur & ipsis adest. *Plat. in Symposio.* Amor nec iniuriam facit, nec iniuriam patitur, nec à Deo, nec in Deum, nec ab homine, nec in hominem, nec ipse per vim patitur, si quid patitur,

vis

cis enim amorem non coniungit, neq; ipsa vim facit, quæque etiam amori omnia subministrat. *idem, ibid.* Amor fortis est, ipsi enim nec Mars resistit, non enim habet amorem Mars, sed Amor Martem, vt Veneris fabula narrat, porrò præstantior est qui habet eo qui habetur. *ibid.* Amor quam contigerit poeta fit, etiam si priùs à musis alienus fuerit, & omnes artes inuenit. *ibid.*

Amor alienationem à nobis euacuat, familiaritate nos replet, in sacrificiis præsidens, dux mansuetudinem suppeditans, feritatem exterminans, beneuolentiæ largitor, maleuolentiæ expulsor, propitius bonis, sapientibus spectabilis, diis admirabilis, inopibus expetendus, opulentis comparandus, deliciarum, illecebrarum, voluptatis, gratiarum, iucunditatis, ac desiderij pater, studiosus bonorum, in labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, omnium deorum, & hominum ornamentum, dux pulcherrimus, & optimus, quem omnes homines sequi oportet, pulchrè accinentes, & pulchra cantilena participantes, quam canit ille omnium deorum, & hominum mentes demulcens. *Plat. in Sympos.*

Amoris pulchritudinem qui à puero, & deinde consequenter rectâ speculatur, is ad finem iam amoris progressus, pulchritudinem quandam admirandæ naturæ derepente conspiciat, quæ semper est, neque parit, neque augescit, neque decrescit, & tota pulchra est, non hac parte pulchra, illâ turpis, nec modò pulchra, modò secus, nec ad hoc pulchra, ad illud turpis, nec hic pulchra, illic turpis, nec quibusdam pulchra, quibusdam turpis: & hoc est, si rectè pulchri amore velut gradibus vtens, ab vno in alium, ad omnia pulchra corpora, & à pulchris corporibus ad pulchras institutiones, & à pulchris institutionibus ad disciplinas, & à disciplinis in illam desinat disciplinam, quæ de nulla alia re est, quàm de ipsa pulchritudine, & cognoscat tandem ipsum quod est pulchrum: in illa vita nil aliud curæ est, nec aurum, nec argentum, nec cibum capere, nec bibere, sed solùm spectare & adesse. *Plat. in Sympos.*

Amor amoribus vt tyranni tyrannus dictus est: nam quasi præfectus signum cupiditates distribuit, & alatus, & magnus quidam factus esse videtur. *Plat. de republ. dial. 9.* Amor omnia audet. *idem in Timæo.* Amor nos amare impellit: id enim quod cognatum naturâ est, necessarium visum est nobis. *in Lysid.* Amor, amicitia, & cupiditas cognata sunt. *ibid.*

Amor diuinus excessum afficit, dum amantes sui iuris esse non sinit, sed amatorum iubet esse: nam superiora inferiorum prouidentiæ sese dedunt, æqualia conseruationi mutuæ se mancipant, inferiora diuinæ cuidam ad suprema conuersioni se ipsa deuouent. *Dionys. Areop. de diui. no.* Amor in vnum rapiens vehemens est. & quæ amant sæpe amata corrumpunt proprij boni auiditate, si corruptioni obnoxia sunt. *Plot. En. 3 lib. 2. cap 17.*

Amor nihil tam odit, quàm necessitatem & metum. *Max. Tyrius ser. 10.* Amor si est vitium, sub affectionis ponendus: si in ordine pulchrorum, vel rationis ordinem sequitur, ab affectione penitus seiunctæ, vel affectuum obedit cum ratione coniunctæ: quòd si amor est amicitiæ motus ad affectionem transferre oportet: cui oportet rectricem rationem imponere, et in virtutem euadat. *idem, ibid.*

Amore pulchri puro qui afficitur, solâ pulchritudine est contentus, siue recordatur, siue non: at qui admixtam insuper habet aliam quoque concupiscentiam immortalitatis in re ipsa mortali pro viribus comparandæ, hic in generatione perpetua, perseueranti̇que sempiterna, pulchrum quæritat, ac dum secundùm naturam progreditur, serit, & generat in pulchro serens, quidem in sempiternum, in pulchro autem propter quandam ipsius pulchri cognationem. *Plo. En. 3. lib. 5. cap. 1.* Amor conseruationi corporis plurimum confert, & successionum est auctor. *Chalcidius in Platon Timæum.*

Amoris munus in peruersum inaideos susceptaculum, vitam efficit intemperatam, & tyrannicam, vt apud Plotinum, defluxus mentis facit astutiam, & sapientiæ portio lapsa arteat sophisticam, Proclus in Alcibiadi 1. Amorem Diotima magnum dæmonem appellauit, quia medium implet: vbique inter illa, quæ appetunt, & quæ appetuntur, quod amandum primum vendicat gradum, amans gradum tertium ab amato: amor inter vtrumque medium colligans & congregans inuicem appetens, & appetendum, & impleos meliore deterius. *idem ibid.*

Amor, & gratia quò vehementior est, infirmior est, crebrioribus enim causis ingens amor, quàm mediocris offenditur: cætera quantò maiora tantò firmiora censentur. *Marsi. Fic. epist. lib. 5.* Amorem cæcum Poetæ fingunt, quia amator vel de seipso, vel de re amata vbi iudicat, sæpe fallitur. *idem, ibid.* Amore nil magis necessarium vel voluntarium est. *ibid.* Amor amantem in amatum transferre solet. *ibid. lib. 7.* Amoris incendium nullo prorsus corporis formosi sensu, vel vsu sedatur. *ibid.* Amor nil aliud desiderat quàm voluptatem. *ibid.* Amor magus, & natura maga dicitur propter reciprocos attractus, & illecebras, quæ secundum naturam procedunt. *idem in Plat. Sophista.*

Amor vniuscuiusque se extendit ad illud, cuius pulchritudinem admiratur. *Marsi. Ficin. in Platon. conuiu. or. 2. cap. 2.* Amoris conditio est, vt ad pulchritudinem rapiat, & deformem formoso coniungat. *idem, ibid. cap. 3.* Amor vnus breui tempore perficit, quod leges innumerabiles, & artes vix longo tempore assequuntur; nam à turpibus pudore absterret, ad honesta excellendi studium prouocat. *ibid. cap. 4.*

Amore in mutuo vna mors est, reuiuiscentia duplex: moritur enim qui amat in seipso simul; cùm se negligit reuiuiscit in amato: statim verò amatus cum ardenti cogitatione complectitur, reuiuiscit iterum cùm in amato se denique recognoscit, & amatum se esse non dubitat. *Marsi. Ficin. in Plat. conuiu. or. 2. cap 8.* Amor omnia facit, omnia seruat, similia ad similia trahit. *idem, ibid. or. 3. cap. 2.* Amor quidam est cupiditas, & perfectionis propriæ propagandæ, & absoluta perfectio, in summa Dei est potentia. *ibid.*

Amor amantem transfert in amatum. *Mar. Ficin. in Plat. epist. 6.* Amoris beneficia tria sunt, quod nos olim diuisos in integrum restituit, & in cœlum reducit: quod suis quemque collocat sedibus, facitque omnes in illa distributione quietos. quod omni expulso fastidio, suo quodam ardore oblectamentum quasi nouum nobis iugiter accendit in animo, redditque illum blanda & dulci fruitione beatum. *idem, in Plat. conuiu. or 4. cap 6.*

Amoris beneficio factum est, vt in diuersis felicitatis gradibus quisque portione suâ sit contentus absque aliorum inuidia, & sine satietate iisdem dapibus vescatur in æternum: nam vt oblectentur conuiuæ, non sufficiunt dapes, & vina, sed fame opus est & siti, & quamdiu auiditas permanet, tamdiu oblectantur, at hæc perpetuo inest: perpetuo ergo Dei beneficio accenditur in animo, & sic Deo tanquam nouo spectaculo beati semper gaudent. *Mar. Ficin. in Plat. conuiu. or. 4. cap. 6.* Amor omnia vincit, & nulli subiicitur, liber enim est, ac sua sponte in libera oritur voluntate, & seipso, tanquam sui ipsius præmio, contentus est, optimus est, quia optimos facit amantes. *idem, ibidem. or. 5. capite 8.*

Amor iuuenis dicitur, quia iuuenes vt plurimum amore irretiuntur, & eius insidiis tenerum ætatem appetunt iuuenilem: mollis, quia mitia ingenia faciliùs capiuntur, & capti, etsi ante feroces extiterint, mansueti redduntur: agilis, & flexibilis, quia & influit clàm, & similiter affluit; concinnus, & compositus, quia formosa & ordinata desiderat, & contraria fugit: nitidus quoniam in florida, & nitente ætate hominis aspirat ingenio, & florida concupiscit. *Marsi. Ficin. in Plat. conuiu. or 5 cap 7.* Amor necessitatem præcedit, si in Deo consideramus, si in rebus creatis necessitatis tyrannis amorem præcedit. *idem, ibid. cap 11.*

Amor & bonus, & beatus est, nam hominis figura sæpe propter bonitatem interiorem feliciter à Deo concessam, aspectu pulcherrimo splendoris sui radium per oculos intuentium transfundit in animam: vtque scintillis tanquam hamo quodam tractus animus properat ad trahentem, hunc tractum, qui & amor est, quoniam à pulchro bono feliciter dependens inde afficitur, pulchrum bonum, beatum dicimus: quoniam vario animo est per radij illius pulchri præsentiam iam accenso affectum medium inter pulchrum, & non pulchrum cogimur nominare, nam animus amantis partim habet rem ipsam pulchram, partim non habet. *Mar. Ficin. in Plat. conuiu. or. 6. cap 2.*

Amor partim diues, partim egenus, quia neque quod perfectè possidemus, neque quo caremus omnino ardere solemus, quærit enim quisque id quo caret, & rem omnino incognitam nemo quærit. *Mar. Ficin. in Plat. conuiu. or. 6. cap. 7.* Amoris intimum incendium sic externa sequuntur indicia, vt in sole, & igne calorem lux radij comitatur. *idem, ibid. cap. 9.*

Amor priuatus est propriis laribus, naturali sede, optata quiete, sine stramentis, & tegmine vllo: vbi enim quiescat & quo tegatur non habet. cum enim res quæque suam originem repetat amoris, igniculus à formosi corporis obiectu in appetitu amantis accensus, in corpus idem reuolare conatur, quo impetu & appetitum & appetentem secum euehit euolando. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 6 cap. 3.*

Amor, qui in cæteris negotiis incuriosum, & inertem facit amantem, in rebus amatoriis astutum reddit, & callidum, qui miris modis amati gratiam aucupetur, seu donis impliciet, seu capiat obsequiis, siue eloquio moleeat, siue cantu deliniat: idem furor qui obsequio blandum fecerat, arma ministrat, indignantibus aduersus amatam, ferocitatem, pro eo pugnantibus, securitatem, robúrque inuictum. *Marsi. Fic. in Plat. conuiu. or. 6. cap* 10.

Amor nudis pedibus depingitur, quia amator adeò in rebus amatoriis occupatus est, vt in cæteris vitæ officiis tam priuatis, quàm publicis, non cautus, vt decet, sed temerarius feratur. *Mar. Fic. in Plat conuiu. or. 6. cap. 9.* Amorem magum appellant, quia magicæ vis tota in amore consistit, magicæ enim opus est attractio rei vnius ab alia ex quadam cognatione naturæ: & mundi partes, vt vnius animalis membra, naturæ communione copulantur, & sicut in corpore membra é membris trahunt, sic in mundo ex amore fit communis attractio, quæ verè magica est. *Idem ibid. cap.* 10.

Amorem ideò sequi Venerem exponit Hermias, quia Venus est pulchritudo: & pulchritudinem sequitur amor. *Marsi. Fic. in Plat. Phadr. cap* 42. Amorem omnium tam superiorum quàm inferiorum claues habere, ait Orpheus, iudicésque animarum in aere, & æthere collocat Angelos prouidentiæ diuinæ ministros, quia anima labitur in elementa corporis elementalis amore; ac vicissim surgit in cœlestia amore hoc restricto, & cœlesti accenso. *Idem, in rempubl. dial.* 10. Amor in amatum conuertit amantem. *idem, in Plotinu En. 2. lib. 3. cap. 9.*

Amore nulla in nostris animis impetuosior affectio regnat: ideò quod amantes interdiu cogitant, noctu somniant. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænotione lib. 9. cap. 2.* Amor in causa est multorum malorum, de quibus multa exempla affert. *Fran. Patricius de regno, lib. 4. cap.* 11. Amor nisi arctius versaret pectora nostra quod præclarum vnquam extitisset facinus? *M. Ant. Nat. de pulchri. lib.* 5.

Amor cognitionem sibi præeuntem supponit. *Leo Heb. de Am. dial.* 1. Amor noster in Deum vehementi desiderio cognitionem eam Dei quæ nobis deficit comparandi nunquam destitutus reperitur. *idem, ibid.* Amor solus voluntatem ipsam alligat, atque deuincit. *ibid.* Amor triplex existit naturalis, sensibilis, & rationalis seu voluntarius. *ibid. dial.* 2.

Amor ex amante, & amato, quasi ex duobus principiis, duabúsque causis superioribus deduci videtur. *Leo Hebræus de Amore, dial.* 3. Amor diuino omnino attributus, nec vllam animi perturbationem, nec naturalem aliquam propensionem, nec vllum prorsus defectum in Deum ipsum inducit. *idem, ibid.* Amor noster in Deum, ipsum quoque ad nos redamandos quasi prouocare, deducereque videtur. *ibid.*

Amor duplex existit, sensibilis scilicet, ac spiritualis. *Leo Hebræus de Amore, dial.* 3. Amor iucundorum, & item virium ad laudabilem mediocritatem redactus, à materia quidem vtilitatem, siue iucunditatem, à forma verò honestatem accepisse videtur. *idem ibid.* Amor pulchram voluptatem, appetitus verò voluptatẽ non pulchram tanquam propriũ, & accommodatum finem sibi proposuisse videtur. *ibid.*

Amor Dei in mundum nondum procreatum, & amor eiusdẽ in mundum iam procreatum quamplurimum differre videntur. *Leo Heb. de Amo. dial* 3. Amor, ac appetitus infinitæ, diuinæq; illius pulchritudinis fruendæ angelicis mentibus insitus, nequaquam ad rem, quæ acquiri minimè possit contendit. *idem ibid.*

Amore vero atque perfecto amant ratione ordinariã spretã atque contemptã, extraordinariam rationem tantummodò sibi sequendam proponit. *Leo Heb. de Amo. dial.* 1. Amore propter insigne aliquod acceptum beneficium maiorem laudem irrationalia, quàm rationalia animantia reportant. *idem, ibid.* Amorem nobiliorem semper ignobilior quoque consequitur, haud tamen vice versã præstantior deteriorem concomitatur. *idem de Amo. dial.* 1.

Amoris perfecti finis haud quidem in corporum extrinseca, imperfectáque copulatione consistit; mutui tamen amantium complexus perfectum, atque internum ipsorum amorem arctius colligant, atque constringunt. *Leo Heb. de Amo. dial.* 1. Amoris, & sagittæ vulnera inter sese quàm simillima existunt. *idem, ibid.* Amoris maximæ vires, admirandique effectus sunt. *ibid.* Amoris causa amantes viuendo moriuntur, & moriendo viuunt. *ibid.* Amoris vires à nemine, nisi ab experto duntaxat perfectè comprehendi, iudicarique possunt. *ibid.*

Amoris communitas in nobis longè manifestior, quàm eiusdem origo. *Leo Heb. de Amore, dial.* 2. Amoris vires non tantùm ad animata, verùm ad inanimata quoque extenduntur. *idem, ibid.* Amoris humani generis duæ rationes propriæ, nec cum vlla brutorum specie communicatæ, quarum vna ex conuenientia naturæ, atq; temperamenti, altera ex moralibus, atque intellectualibus virtutibus originem suam deducit. *ibid.*

Amoris mirifica vis est. *Leo Heb. de Am. dial* 3. Amor omniũ circulus est, & cum essentiarum cunctarum circulo mirifice conuenit demonstrat. *idem, ibid.* Amor in brutis cum sensibili naturalis quoque coniungitur. *ibid. dial.* 2. Amoris quatuor conditiones necessariò requisitæ, videlicet non solum amorem esse rei pulchræ, amanti cognitæ, quæ vel deficiat, vel saltem aliqua ratione deficere queat, sed etiam quam amans vel assequi possit, vel speret. *ibidem, dial.* 3.

Amor è quo natus, & vt deorum antiquus.

Amorem ante deos omnes productum asserit Parmenides. *Plat. in Symposio.* Amor cùm antiquissimus deorum sit, maximorum bonorum nobis est auctor, nullum enim maius bonum contingere potest, quàm ei qui amat, amari. *idẽ, ibid.* Amor antiquissimus deorum est, & maximè honorãdus, & ad virtutem, & felicitatem consequendam hominibus tum viuis, tum mortuis maximam vim, & facultatem habet *ibid.* Amor magnus, & admirandus Deus est, qui semper omnia diuina, & humana extollit. *ibid.*

Amor cùm census, & paupertatis sit filius, ex patre habet quod insidiator sit semper bonorum, & pulchrorum, fortis, virilis, impetuosus, concitatus, venator vehemens, semper fraudes quasdam struens, prudentiam appetens, & acquirens, philosophans per omnem vitam, admirandus præstigiator, & fascinator, & incantator, & sophista, & natura nec mortalis, nec immortalis, sed eadem die floret & viuit: quum abundarit, aliquando moritur, & rursus reuiuiscit ob patris naturam, quod acquirit semper diffluit, quare neque vnquam penitus indigus est amor, nec diues: in sapientiæ, & ruditatis medio consistit. *Plat. in Symposio.*

Amor natus est ex censu, & paupertate, nam cùm ob Veneris natiuitatem conuiuarentur dij, cùm cœnati essent, accedit ad paupertas cibum petitura, & præ foribus astabat: census prouidentiæ filius nectare inebriatus (vinum enim adhuc non erat) in Iouis horto ingressus, grauatus dormiuit, et paupertas cùm ob inopiam consilium excogitasset, quomodo ex insidiis filium ex censo conciperet, cum ipso concubuit, & amorem concepit, quapropter etiam Veneris comes est, & minister, natus in illius natali celebritate, qui simul et natura amator sit pulchri, & Venus pulchra existit. *Plat in Symposio.*

Amor est cœlesti Venere natus, ad pulchrum inclinatus, habent esse in medio inter desideratum, & desiderantem, & Amorem Venus amando progenuit. *Plotin En. 3. lib. 5. cap.* 3. Amor natus est Venere mundana, vna cum matre coniugia, nuptiásque attingit, & quantum potest naturaliter prouocans ad memoriam animam ad superna conuertit, nam omnis anima bonum appetit. *idem, ibid.* Amor natus est, ex eo quod quasi ab ipsa re spectata defluit, imbuto oculo velut visione quadam cum imagine, & forte ob hoc dictus est ἔρως ἐκ τῆς ὁράσεως, id est visione substantiam habet. *ibid.*

Amoris mater est anima, Venus est anima, Amor est actus animæ bonum desiderantis. *Plotin. En. 3 lib. 5. cap.* 4. Amoris ingeniosa industria etiamsi impleatur non retinet, cùm ab indigentia proficiscatur. *idem, ib. c.* 7. Amoris mater est penuria, quoniam appetitio semper est indigentis, & materia est penuria, quoniam materia est omnium egena. *ibid. cap.* 9. Amorem genuerunt defectus, appetitus, atq; memoria rationum, conspirantes in anima. *ibid.*

Amorem semper procreat similitudo, *Marsi. Fic. in epist. lib.* 1. Amoris vbique causa est similitudo. *idem epist. lib.* 7. Amoris nomen Deo tribuerunt antiqui Theologi, quod & posteriores confirmarunt; nullum vero Deo congruum nomen cum rebus turpibus est commune: ideò sana mentis quisque cauere debet, ne Amorem, diuinum nomen, ad insanas perturbationes temerè transferat. *Idem in Plat. conuiu. or. 1. cap.* 4.

Amorem in omnibus diuina pulchritudo, id est sui desiderium procreauit, quoniam si Deus rapit mundum, & mundus rapitur, vnus continuus est attractus à Deo incipiens, transiens in mundum, in Deum desinens, qui quasi circulo quodam in idem, vnde manauit, iterum remeat. Circulus à Deo in mundum, & à mundo in Deum, tribus nominibus nuncupatur; prout in Deo, incipit, & allicit, pulchritudo; prout in mundum transiens ipsum rapit, Amor; prout in auctorem remeans ipsi suum opus coniungit, voluptas. Amor igitur in voluptatem à pulchritudine desinit,

finit. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 2. cap. 2.*

Amor est iunior Saturno, & Ioue: quia amore cælestes à patre creantur: iunior, quia creati patrem amant. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 3. cap. 10.* Amor omnibus ad omnia est ingenitus. *Idem, ibid. or. 3. cap. 1.* Amor ante necessitatem regnare dicitur, quia diuinus amor omnibus ex se natis dedit originem, in quo nullæ necessitatis violentiæ ponitur. *ibid. or. 5. cap. 10.*

Amor ab aspectu originem ducit, aspectus inter mentem & tactum est medius, hinc semper animus distrahitur, & sursum vicissim & deorsum iactatur, interdum amplexus cupido subditur, interdum pudicum amoris cœlestis desiderium. *Mar. Fic. in Plat. conuiu. or. 6. cap. 10.* Amoris causa oculi sunt, & origo: sed ad moderatum amorem, diuinitatis participem, non oculus solus, vt causa, sed partium cunctarum concordia, & iucunditas concurrit. *Idem, ibid. or. 7. c. 10.*

Amorem in rebus nostris similitudo mutuâ æquaque vtrinque ratione procreat mutuum. *Mar. Fic. in Plotini En. 3. lib. 3. cap. 4.* Amor omnis ad quodcunque bonum feratur accensus est naturaliter à primo bono. *Idem, in Plot. En. 6. lib. 9. cap. 9.* Amor nascitur à ratione, sensu & cognit. *A. Steuch. de perenni phil. lib. 6. cap. 9.*

Amor quem Plato, Venere recens exortâ, Poro Pæniaque prognatum fuisse testatur, corporeo tantummodò, atque mortali, nequaquam autem angelico, siue diuino mundo captari posse videtur. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.* Amor quando natus primus fuisse dicatur difficile profectò scitu, dubiúmque esse videtur. *Idem, ibid.* Amor ex amante, & amato, quasi ex parentibus vere propriéque dicitur natus fuisse. *ibid.* Amor primus apud Deum sub mundanæ procreationis exordia olim incœpisse videtur. *ibid.*

Amor ex pulchritudine tanquam ex causa efficiente procedit, minimè autem in ipsa, vt in subiecto consistit. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* Amor primus, Dei in mundum ipsum amore post habito, inter primum intellectum, primámque materiam exortus fuisse censetur. *Idem, ibid.* Amor in mundi ipsius partibus conspectus in angelicam regionem primùm incœpisse videtur. *ibid.* Amor angelici mundi propter maiorem pulchritudinis cognitionem, amori mundi ipsius inferioris est præponendus. *ibid.*

Amor communissimè sumptus ex pulchro adamato, quasi ex patre, & ex pulchri cognitione, vna cum eius absconsa in amante conspecta, quasi ex matre originem ducit. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* Amores omnes humani, ex intellectus, corporisque quasi parentum mutuo, atque reciprocanti amore, originem ducunt. *Idem, ibid.* Amores duo dissimillimi ex duabus variis, diuersisque Veneribus orti sunt. *ibid.*

Amor vt cœlestis, vt vulgaris.

Amori recto nihil furiosum, nec petulentiæ cognatum adhibendum est. *Pla. de Repub. dial. 3.* Amor, & amare non omnis honestus est, nec laude dignus, sed is, qui nos ad honestè amandum impellit: proinde vulgaris amor reuera vulgaris est, & prout contigerit omnia operatur, atque hic est per quem viles, & vulgares homines amant, & magis corpora, quàm animos, & hic est à Dea, quæ iunior est; at cœlestis Veneris amor ad iuuenes conuertitur, qui pubescentes barbam producere incipiunt, vt per omnem vitam simul conuersentur, & communem vitam peragant, non decepto ipso, ac deriso, vt eo relicto, ad alium accurrant. *Idem, in Symposio.*

Amoris insania ob maximam felicitatem nobis datur. *Plat. in Phædro.* Amor cœlestis est Vraniæ musæ, amor vulgaris est Polymniæ. *Idem, in Symposio.* Amor cùm alij dij beati sint (absit verbo inuidia) beatissimus omnium est, vt qui inter ipsos pulcherrimus sit, & optimus, iuuenis enim, & recentissimus est deorum, fugit enim senectutem, & ex natura ipsam odio habet, cum iuuenibus versatur. *ibid.*

Amor cùm censos, & paupertatis filios sit, semper pauper est, durus, squalidus, discalceatus, domus exors, ad humum depressus, stragula non habens, pro foribus, & sub dio dormiens, matris naturam habens, inopiæ semper contubernalis. *Plat. in Symposio.* Amor temperatorum, & iustorum studiorum, cum in magnis potentatibus oboritur, qui aut vrbius principium gerit, aut diuitiarum, aut generis eminentiâ præstant, beatè ipse quidem viuit, & beati hi sunt, qui sermones ex temperato ore procedentes audiunt. *Idem, de legibus, dial. 4.*

Amorem qui sequuntur mistum, erga mulieres inquam, quo perpetuitas generatione seruetur, neque ab hoc vsquam aberrant, hi pulchritudinem, perpetuitatémque exoptant. *Plot. En. 3. lib. 5. cap. 1.*

Amor honestus est animi generosi; turpis, abiecti; medij medius, non sic sunt tres amatorij affectus speciæ inuicem differentes; nam turpis solam corporis voluptatem sequitur, ideóque brutorum passio est, generosus nudum respicit animum, ad virtutis officia promptum; medius vtramque diligit tum corporis, tum animi pulchritudinem. *Alci. c. 32.*

Amor ad corpus ex aliqua parte declinans, dæmon potius quàm deus appellatur, nunquam in terrena corpora mersus, diuina ad homines, humana rursus ad eos traiicit. *Alcin. cap. 32.* Amor boni viri passionis expers est, artificiosus quodammodo est, vnde & in rationali animæ parte sedet, eiúsque cogitationes huiusmodi sunt, discernere qui ob animi dotes, sit beneuolentiâ dignus, & eum sibi conciliare: deinde eius quem amat cogitationes, & appetitiones si sint generosæ, & ad bonum animi feruore perferantur, laudat, & approbat, sin contra, nec assentabitur illi, nec suauibus verbis, obsequiísque deliniet sed absterrebit, & procurabit, vt melior euadat, & eius finis est, vt ex amore fiat amicitia. *Idem, ibid.*

Amor duplex, inhonestus, qui damnandus est; alter honestus, de quo etiam in sacris literis plura extant testimonia. *Bes. Card. in calumniatorem Plat. lib. 4. cap. 2.* Amor non est honestus, nisi religiosus, nec religio vera, nisi amore suscepta. *Mar. Fic. in Plat. lib. 1.* Amor feruens, & super cœlestis vitæ consideratio frequens, est optimum remedium contra mortis terrenæ venenum. *Idem, epist. lib. 1.* Amor vulgaris sæpe solet propter absentiam longam, & silentium diuturnum, refrigescere, & deleri. *Idem, in Plat. lib. 10.*

Amor omnis honestus est, & omnis amator iustus. pulcher enim est omnis, & decorus, & decorum propriè diligit; turbulentus autem ardor, quo ad lasciuiam trahimur, cùm ad deformitatem trahat, amoris contrarius iudicatur. *Marsil. Ficin. in Plato. conuiuium, or. 1. ca. 4.* Amor si erga hominem, pulchritudinem desiderat, humanæ autē corporis pulchritudo in quadam concinnitate consistit, concinnitas temperentia est, sola quæ temperata, modesta, decora sunt exigit amor: voluptates igitur gustus, & tactus, quæ vsque adeò vehementes furiosæque sunt, vt mentem è suo statu dimoueant, hominémque perturbent, amor non modo non cupit, sed abominatur, & fugit, vt quæ propter intemperantiam pulchritudini sunt contrariæ. *Idem, ibid.*

Amores gemini, veneréśque geminæ [illegible] solùm in mundi anima, verùm etiam in sphærarum, siderum, dæmonum, hominúmque animis insunt; & cum animæ omnes ad primam illam competenti naturalis ordinis serie referantur, necesse est, & amores omnes ad illius amorem ita referri, vt aliquo modo ab illo dependeant, & hos quidam simpliciter dæmones, illum verò magnum dæmonem appellare Diotima consueuit, qui per vniuersum mundum omnes suscitat ad amandum. *Mar. in Fic. in Plato. conuiuium, oratio. 6. cap. 8.* Amor vbi verus est, & integer, ibi & beneuolentiæ vicissitudo, quæ nullam admittit contumeliam, vel iniuriam: huius charitatis tanta vis est, vt ea solùm humanum genus tranquilla possit in pace seruare. *Idem, ibid. orat. 5. cap. 8.*

Amor Venereus dæmon triplex est. primus in Venere cœlesti à Platonicis ponitur, in ipsa videlicet angelicæ mentis intelligentia: secundus in vulgari Venere, id est in ea potentia, quam habet mundi anima generandi: tertius ordo dæmonum Veneris planetam comitentium, & horum alij purissimi, alij crassiores, & nebulosi aeris elemento sunt assignati. & in eos homines amoris vim iaculantur, in quibus bilis, humor colericus, & igneus dominatur: secundi in eis, in quibus sanguis, humor aereus; tertij, in quibus pituita, & atra bilis, & aqueus, & terreus imperet humor cupidinis, sagittis omnes homines, tum maximè Iouis, Phœbi, Martis, & Veneris vulnerantur. *Mar. Ficin. in Plat. conuiuium, orat. 6. cap. 5.*

Amor duplex, cœlestis, & vulgaris; cœlestem quandoque Deum vocamus, quoniam ad diuina dirigitur; vt plurimum dæmonem, quoniam inter inopiam, & copiam est medius: alterum semper Dæmonem, quoniam affectum aliquem ad corpus habere videtur, & ad inferiorem mundi plagam est procliuior, quod à Deo alienum est, dæmonum naturæ conueniens. *Mar. Fic. in Plato. conuiuium, orat. 6. cap. 7.* Amor ferinus, & humanus, nūquam sine indignatione esse potest. *Idem, ibid. cap. 10.* Amoris vulgaris passio in sanguine melancholico ponenda est. *ibid. or. 7. cap. 7.*

Amore diuino supra hominis naturam erigimur, est enim illustratio rationalis animæ, per quam Deus animam à superis delapsam ad infera, ab inferis ad supera retrahit. *M. Ficin. in Plato. conuiuium, or. 7. cap. 13.*

Amor Socraticus confert ad alas recuperandas & ad fœliciter videndum. *Idem, ibid. cap. 16.*

Amor vulgaris est insaniæ species, qua vulgares amantes noctu, diúque vexantur, qui, amore durāte, bilis incendio pri-

mum, deinde atræ bilis adustione afflicti, in furias, in ignem ruunt, quasi, cæci, quo præcipitentur ignorant. *ibi. cap.* 12.

Amor triplex, incontinens, continens, & diuinus, primus ad formam corporis præcipitat animum: secundus conuertitur ad pulchritudinem animi, mores, & sapientiam: tertius ad intelligibilem, & idealem reuocat pulchritudinem. *M. Ficin. in Plato. phædrum, cap.* 13. Amor purus ab impuro differt, quòd impurus animam sordidissimis rebus opprimit, purus verò animam nobilitat. *M. Ant. Natta. de pulchro, lib.* 1.

Amor diuinus non tantùm honestus, verùm fons quoque totius honestatis existit. *Leo Heb. de Am. dial.* 1. Amor duplex esse reperitur, alter quidem desiderij filius, qui citò deperditur, atque euanescit, reliquus verò desiderij ipsius parens, qui non solum incolumis perpetuò conseruatur, verùm maior, vehementiórque in dies reddi videtur. *idem, ibid.* Amor verus, atque perfectus à recta, cognoscentique ratione tantummodò procreatur: ab ea tamen, nec regi, nec gubernari postea sese consentit. *ibid.*

Amor verus atque perfectus nequaquam à ratione temperatur, quin ipse potius rationem exturbat. *Leo Hebr. de Amore. dial.* 1. Amor qui à ratione proficiscitur, post corporales complexus, haud tantùm nec remittitur, nec euanescit, verùm potius robur, & incrementum assumit. *idem, ibid.* Amor verus, atque perfectus, præstantis, & excellentis ingenij certissimum indicium esse videtur. *ibid.*

Amor diuinus, diuinúmque desiderium nullum prorsus Dei ipsius, sed rerum potius ab eo, procreatarum defectum atque imperfectionem significare videtur. *Leo Heb. de Amor. dial.* 3. Amor Dei in ea quæ ipse procreauit, patris in filium præceptoris in discipulum, studiosorúmque amicorum amori persimilis esse videtur *idem, ibid.* Amor diuinus ab humano, mortalíque amore differre conspicitur, quia in humano cum desiderium expletur, lætitiam quandam cum voluptate acquirunt, in diuino non sic: nulla enim in eo perturbatio est. *ibid.*

Amor noster in Deum nunquam ardenti quodam desiderio destitutus reperitur. *Leo Heb. de Am. dial.* 3.

Amor Dei in ea, quæ ipse procreauit, rerum potius Deo delectarum, quàm [illegible] eas summopere diligentis defectum, atque imperfectionem significat. *idem, ibid.* Amor Dei in mundum iam productum, mundo debitam, & conuenientem perfectionem largiri censetur. *ibi.* Amoris laudabiles effectus tum quantitate, tum etiam qualitate, prauos ac vituperabiles antecellunt. *ibid.*

Amorem diuinæ conuenire naturæ, & ratione demonstrari potest, & authoritatibus quoque confirmari. *Leo Heb. de Amo. dialog.* 3. Amore interno Dei in se ipsum postbabito, primus omnium reliquorum amorum Dei in mundum ipsum existit. *idem, ibid.*

Amore extrinseco Dei in mundum, tum duo mundi parentes, tum etiam ipsamet mundus originem traxisse dicuntur. *ibid.*

Amor haud tantùm mundi in eius conditorem, verùm etiam ipsius conditoris in mundum iam procreatum vniuersitatem ad primum earum principium reuocat, eásque cum ipsamet diuinitate postremò coniungit, & copulat. *Leo Heb. de Am. dial.* 3. Amor Dei in mundum iam procreatum, & in humanum præsertim genus, mundum ipsum, & intellectum præcipuè, tanquam mundi totius præstantissimam partem, ad suum principium reuocare, eúmque cum suo opifice coniungere, & copulare videtur. *idem, ibid.* Amor à mundo angelico primùm incepit, & mox in cœlestem, deinde in elementarem mundum distributus fuit. *ibid.*

Amor triplex, vtilis, iucundi, & honesti. *Leo Heb. de Amo. dial.* 1. Amor magnetis naturâ præditus esse videtur. *idem, ibi. dial.* 2. Amores tres ad mundi ipsius constitutionem confluxerunt, tum Dei scilicet in mundum, eiúsque parentes, tum etiam primi intellectus in primam materiam, primæque materiæ in primum intellectum, tum denique omniũ partium mundi, & in sese inuicem, & in ipsum etiam totum. *idem, dial.* 3. Amoris Platonica in ferinum, humanum, diuinúmque partitio, cum Aristotelica eiusdem in prauum, moralem, atque intellectualem diuisio, vna, eadémque prorsus est. *eod. dial.* 3.

Amor Dei in mundum iam procreatum, ad hoc, vt mundus ipse diuinam copulationem tandem assequatur, potissimum concurrit *Leo Heb. de Am. dial.* 3. Ad amorem aliquem insignem, & laudabilem constituendum, duo inprimis requiruntur, tum amati scilicet eximia, diuinaque propemodum forma: tum amantis ipsius excellens, atque præclarũ ingenium. *idem, ibidem.* Amor in vita intellectuali, atque contemplatiua vtilium, & iucundorum tam vehemens, quam mediocris, vt vitium quidem vituperari, remissus verò, vt egregia quædam virtus laudari consueuit. *idem, dial.* 1. Amorem internum Dei in seipsum æternum esse. *idem, dial.* 3.

Amoris finis, & in quo est.

Amor in his est, quæ pulchra sunt, & in his qui corpora pulchra non commixtionis gratiâ diligunt. *Plot. En.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. Amorem mundanum forté anima omnis habet, qui est dæmon, quem tradunt animam comitari, inferens voluptates naturales, quatenus naturaliter quælibet anima appetit. *idem, En.* 3. *lib.* 5. *cap.* 4. Amor necessariò semper existit quandiu est anima, ex appetitu animæ ad præstantius, bonúmque profectus. *ibid. cap.* 9.

Amor in animum influit, cùm in aliquod ipsum bonum influit euadit optabile, ipsum quasi colorat, dum rebus expetendis gratias largitur, appetentibus verò infundit amorem, & animus cùm influxum susceperit mouetur, quamuis ad pulchrum. *Plot. En* 6. *lib.* 7. *cap.* 22. Amoris acerrimos stimulos incitari ab ipso bono, quòd ab omni forma etiam intelligibili est se motum non est mirum, cùm anima cum ardenti illius flagrat amore, quancunque formam habet in se deponit, etiam si qua intelligibilis ipsius in ea sit forma. *idem, En.* 6. *li.* 7. *ca.* 34.

Amor, nisi pulchritudinem petat, frustra existit. *Max. Tyrius serm.* 11. Amor inuenitur inter voluptatem & dolorem. *Chalcidius in Timæum Platonis.* Amorem domini neque in primis entium, neque in vltimis collocare debemus; non in primis, quoniam ipsum amabile superius est amore, non in vltimis quoniam amans particeps est amoris: ergo amorem inter amabile, & amantem constituere oportet pulchro ipso posteriorem, cæteris verò quæcunque amant priorem asseuerare. *Proclus in Alcib.* 1. Amor nisi prius diuus esset, non obtigisset animabus hominum diuinis *idem, ibid.*

Amor cùm in libera voluntate sponte nascatur, ideóque sit liber, nullo vnquam pretio aut emitur, aut venditur, nisi seipso. *Mar. Fic. in epist. lib.* 1.

Amorem tanquam Deum, quia vbique est, & omnium insidet penetralibus, tanquam potentem dominum, cuius imperium effugere non valemus, tanquam sapientissimum iudicem, quem cogitationes nostræ latere non possunt, proculdubio metuamus hunc, quia creator est omnium, atque seruator, tanquam patrem veneremur, tanquam tutorem præsidiúmque colamus, hunc, quia artes singulas, edocet tanquam præceptorem sequamur, quo auctore sumus, & viuimus, quo seruatore perpetui permanemus, quo præside, & iudice gubernamur, quo præceptore ad benè beatéque viuendum instituimur, & formamur. *Mar. Ficin. in Plat. conuiuium, or.* 3. *cap.* 4.

Amorem ad scientias, figurat, & voces duntaxat pertinere volumus. *Mar. Fic. in Plat. conui. or.* 5. *cap.* 2.

Amore accensi, qui pulchritudinem sitiunt, si modò velint liquore hoc hausto, ardentissimam sitim extinguere, alibi quàm in materiæ fluuio, aut quantitatis, aut figuræ, aut colorum quorumlibet riuulis dulcissimum pulchritudinis huius humorem, quo sitis eorum accenditur, quærere debent Quò vos tandem miseri versetis amantes? quis vestri cordis flammas extinguet acerrimas? quis tandem sedabit incendium? Hoc opus, hic labor, in Dei solùm vultu vera pulchritudo existit. *idem, ibid. cap.* 3.

Amoris affectus particularis oritur duabus ex causis, tum quia Dei vultus nobis placet imago: tum quia hominis apte cõpositi species, atque figura, cum ea humani generis ratione quàm animus noster ab omnium auctore suscipit, & retinet aptissimè congruit, vnde hominis exterioris imago per sensus accepta transiénsque in animam, si hominis figuræ, quam possidet animus dissonat, è vestigio displicet, & odio tanquam deformis habetur: si consonat, illicò placet, & tanquam formosa diligitur: quo fit vt nonnulli nobis obuij continuò placeãt, aut displiceant, & nos affectus huiusmodi causas nescimus. *Mar. Ficin. in Plat. conuiuium, orat.* 5. *cap.* 5.

Amor cùm pulchritudinem quærat, quæ in ordine quodam, & temperantia consistit, viles & immoderatas concupiscentias aspernatur, à turpibus gestibus semper abhorret. *idem, ibid. cap.* 6.

Amor in appetitu sensus accensus à forma corporis per oculos inspecta creatur, non eo modo vt in corporis materia est, in phantasiam imprimitur, sed sine materia, ita vt certi cuiusdam hominis signato in loco, & tempore positi sit imago, & statim in mente huius imaginis species lucet, quæ non amplius, vt in phantasia, erat alicuius corporis similitudo, sed totius humani generis ratio esse videtur, & vt

& vt ex illa corporis amor, sic ex hac mentis amor oritur, ille existens in voluntate, hic in contemplatione, ille circa particularem vnius corporis formam, hic circa totius generis pulchritudinem locatus. ille deorsum ad ferinam, hic sursum ad angelicam vitam contemplandam attollit. *Mar. Fic. in Pla. conuiuium, or. 7. cap. 3.*

Amoris solutio duplex, altera naturæ, altera diligentiæ. Naturalis certis temporis interuallis perficitur, nam inquietudo tandiu perseuerat, quandiu infectio illa sanguinis per fascinationem infecta visceribus permanens, graui cor premit curâ, qua expurgatâ, amantium cessat inquietudo. In omnibus acquirit longum spatium, in melancholicis longissimum, præsertim si Saturni influxo fuerint infecti, adde & amarissimum, si Saturno retrogrado, vel Marti coniuncto, vel Soli opposito mancipati sint, & ægrotant diutissimè in quorum natiuitate Venus in domo Saturni fuerit, vel Saturnum, & Lunam vehementer aspexerit. Addenda est naturali purgationi diligentissima artis industria, primò cauendum ne immatura curemus euellere, vel amputare, neque summo cum periculo discindamus, quæ tutius dissuere possimus; consuetudinis intermissio facienda, & summopere cauendum ne lumina oculorum luminibus connectantur; vitia amati in animo reuoluenda sunt; pluribus, grauibus, variis negotiis animus applicandus; sæpe minuendus sanguis, vino claro vtendum, nonnunquam etiam ebrietate, vt veteri sanguine euacuato, nouus sanguis accedat, & nouus spiritus, exercitatione vsque ad sudorem sæpe vti præstat, & quæ medici ad cordis præsidium præbent, & cerebri alimentum sæpe etiam coeundum Lucretius præcipit. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium, or. 7. cap. 11.*

Amor eorum, quæ vel iam possideotur, vel minimè, ea æquo esse potest. *Leo Heb. de Amo. dial. 1.* Amor qui ea posteritate deducitur in humano genere, amplior quidem atque communior. attamen ex accidenti periculosior quãdoque, quàm in singulis brutorum speciebus esse videtur. *Idem, ibi. dial. 2.* Amor qui ex speciei similitudine nascitur tutior quidem, atque stabilior in brutorum, quàm in humano genere esse conspicitur. *idem, eod. dial. 2.*

Amor ex societate, & consuetudine sumptus, maior, vehemẽtiórque in humano, quàm in brutorum genere esse videtur, *Leo Heb. de Am. dial. 2.* Amor voluntarius in solis hominibus reperitur. *idem, ibid.* Amor rerum amatarum aliquem existendi modum supponit. *idem, ibid. dial. 3.* Amor honesti duplex existit, vel enim ad mobiles, vel ad intellectuales refertur virtutes. *ibid.*

Amor primus in rerum omnium procreatarum vniuersitate conspectus est. *Leo Heb. de Amo dial. 3.* amoris cuiuscunque finis in amantis ipsius voluptate potissimùm reponi videtur. *idẽ, ibid.* Amor à Platone magni cuiusdam dæmonis formâ & habitu figuratus, amoris tantùm humani, nequaquam autem angelici principium esse videtur. *ibid.*

Amor inter pulchrum, ac turpe medius collocatur. *ibid.*

Amor omnis omnisque appetitus ad bonum semper contendit. *Leo Heb de Am. dial 3.* Amor, appetitus, propensio, atque conatus, rebus procreatis in[illegible]nitus nunquam ad ea quæ nequeunt prorsus acquiri, verum ad illa tantùm quæ comparari quandoque possunt, contendit. *idem, ibid.* Amores omnes humani tribus potissimum speciebus includuntur, vel intellectum & honestatem respiciunt, vel corporis necessitatibus honestè prospiciunt, vel corporis libidini inseruiunt. *ibid.*

Amores non secus ac essentiæ vniuersi, à prima materia incipientes, & pedetentim ascendentes, in primo efficiente tandem consistunt. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* Amoris finis haud quidem in amantium doloribus, atque tormentis, sed in voluptate potius est reponendus. *idem, ibid.* Amoris cuiuscunque finis in voluptate consistit. *ibid.* Amorum prior semicirculus in descensu, & posterior in ascensu nimirum consistit. *ibid.* Amorum omnium nouissimus, atque postremus, in ipsa diuinitate denique terminatur. *ibid.* Amor mundo iam procreato, in angelica regione mox incœpit. *ibidem.*

Amor vt sui ipsius, & præceptoris in discipulum.

Amorem nimium sui ipsius vnumquemque fugere oportet. *Plat. de legib. dial. 5.* Amor sui ipsius est in causa omnium peccatorum: obcæcatur enim is qui amat circa id quod ab ipso amatur, vt iusta & bona, & mala malè iudicet, id quod suum est veritati semper præferre oportere putant. *idem, ibid.* Amare nec seipsum, nec sua oportet eum qui in magnum virum euadere velet, sed quæ iusta sunt, siue ea apud seipsum, siue apud alium magis peragantur. *ibid.*

Amor naturalis seipsum diligere facit. *Marsi. Fic. epist. lib. 1.*

Amor præceptoris in discipulum, quàm maximè spiritualis est. *Leo heb. de Amo dial. 3*

Amori qui sunt procliues, & vt inter se amantur.

Amori magis dedita, & procliues sunt quorum in genesi ita Venus, & Mercurius disponuntur, vt sub mutuum aspectum, vel congressum, aut receptionem, aut terminum, ingenij gubernacula concordi voluntate suscipiant. *Mar. Fic. epist. lib. 7.*

Amoris vicissitudinem inter illos præcipuam putant astrologi esse in quorum genesi luminum, id est Solis, & Lunæ commutatio fuerit. vt me nascente Sol in Libra, Luna in Ariete, te, nascente Sol in Ariete Luna in Libra, aut quibus signum idem simileve, idémque planeta similisve ascendarit, aut benigni planetæ similiter angulum orientes aspexerint, aut Venus in eadem natiuitatis domo, eodémq; gradu fuerit constituta. Addunt Platonici, quorum vitam dæmon idem, aut certè similis ducat: physici, & morales complexionis, nutrimenti, eruditionis, consuetudinis, consilij similitudinem, similis affectus causam esse volunt: denique vbi causæ plures concurrunt, ibi vicissitudo vehementior reperitur; vbi omnes, illic Pythiæ, & Damonis, Pyladis, & Orestis insurgunt affectus. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium, ora. 2. cap. 8.*

Amore irretiuntur citò, quibus nascentibus Venus fuerit in Leone, vel Luna Venerem vehementer aspexerit, & qui eadem complexione sunt prædili, in quibus dominatur pituita: nunquam melancholici; in quibus atra bilis, via capiuntur, sed capti nunquam postea liberantur. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium, or. 7. cap 9.*

Amoris solutio.

Amor intimus animorum, propter corporum extrinsecam copulationem, haud quidem dissoluitur, verùm magis corroboratur arctiúsque colligatur. *Leo Heb. de Amore, dial. 1.* Amorem naturalem speciei humanæ duæ causæ potissimùm dissoluunt, auaritia scilicet, curáque rerum superfluarum. *idem, ibid dial. 2.*

Amor vt se habet ad desiderium.

Amor ipsiusmet rei amatæ, desiderium verò eam habendi & consequendi esse videtur. *Leo Heb. de Amo. dial. 1.* Amor & desiderium, contrarij inter sese voluntatis affectus esse videntur. *idem, ibid.* Amor ac desiderium rei essentiam sibi requirunt. *ibid.* Amor ac desiderium rei cognitionem sub specie boni necessariò supponunt. *ibid.* Amor est duplex, verus, atque imaginarius. *ibid.*

Amor & desiderium, via quædam nos ab imperfecta, seiunctáque, ad absolutam, coniunctámque cognitionem perducens esse definitur. *Leo heb. de am. dial. 1.* Amor ac desideriũ fœlicissimam illam hominis cum Deo copulationem tum antecedere, tum subsequi optimè potest, diuersa tamen ratione. *idem, ibid.* Amor ac desiderium est medium quoddam nos ab imperfecta, seiunctáque, ad perfectam copulatámque cognitionem traducens. *ibid.*

Amor desiderium quoddam existit, maxima cum vnione, ea re, quæ bona existimatur, fruendi. *Leo heb. de amo. dial. 1.* Amor & desiderium in vnum conuenire optimè possunt. *idem ibid.* amor & desiderium dominandi tum vtilitatem, tum etiam iucunditatem participat. *ibid.*

Amor, & desiderium diuersis quibusdam definitionibus designari consueuerunt. *Leo. Hebr. de Am. dial 3.* Amor non secus, ac desiderium nonnullum rerum defectum, nonnullámque earum priuationem supponit. *idem. ibid.* Amor & desiderium re ipsâ idem penitus esse comperiuntur. *ibid.* Amor desiderium cum re amata absolutissimæ coniunctionis assequendæ existere definitur. *ibid.*

Amor à gaudio, lætitiâ, ac voluptate, quàm maximè differre, & vnus, idémque cum desiderio penitus esse videtur. *Leo heb. de amore dialog. 3.* Amor tum inferum erga supera, tum etiam superum erga infera in rebus procreatis conspectus, earum defectum, seu priuationem aliquam arguit, atque significat. *idem, ibid.* Amor superiorum in inferiora, atque præstantiorum in deteriora, longè maior vehementiórque, quàm horum in illa studium, atque beneuolentia esse videtur. *ibid.* Amor omnis desiderium quidem existit, haud tamen omne desiderium amoris propriè appellationem meretur. *ibid.*

Amores ac desideria pro iudiciorum diuersitate, diuersa quoque, ac multiplicia redduntur. *Leo heb. de amore, dial. 1.*

Amores humani, humanáque desideria, ab intellectus, & corporis nostri concordi diuisione, ex Platonis sententia, proficisci videntur. *idem, ibid.* Amoris duæ species à Theologis nonnullis constitutæ, quarum vna desiderium præcurrit, altera autem illud subsequitur. *ibid.*

Amoris ac desiderij plures differentesque gradus sunt, quorũ vnus alteri statim succedit. *Leo Heb. de amore, dial. 3.*

Amoris & desiderij essentia vna, eademque penitus est. *idem, ibid.* Amor apud bruta quoque, & desiderium in vnum prorsus conuenire videntur. *ibidem.* Amor honestorum ac desiderium in duobus intellectus nostri ornamẽtis præcipuè consistit, virtute, ac sapientia. *ibidem.*

Amor, vt coniugalis.

Amor coniugalis iocundus quidem præcipuè, cum honestate tamen, atque vtilitate consociatus quoque esse videtur. *Leo heb. de amore, dial. 1.* Amor coniugũ summi pulchri, summæque pulchritudinis amorem optimè quidem repræsentare videtur. *idem, ibidem. dial. 3.*

Amor, vt est in cœlestibus, & elementis.

Amor ex speciei similitudine sumptus, in elementis quoque non secus ac in animantibus reperitur. *Leo hebræus de amore, dial 2.* Amor, qui ex societate deducitur, in quatuor quoque elementis non secus ac in animantibus inesse conspicitur. *idem, ibidem.* Amor tum ex beneficio accepto, tum etiam ex successionis origine sumptus, in elementis, atque in mixtis eleganter admodum reperitur. *ibidem* Amor generandi in elementis, & in cõmunissima insuper rerum omnium inferiorum materia, distinctè admodum reperitur. *ibidem.* Amor mixtorum generandorum quatuor elementis infusus est. *ibidem.*

Amor in cœlestibus corporibus, nec non in spiritibus intelligentibus longe eminentior, perfectior, atque excellentior, quam in istis inferioribus reperitur. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.* Amor hæc duo tam diuersa generationis principia, formam scilicet, atque materiam, in vnum copulat, atque coniungit. *idem, ibid.*

Amor prius, & magis propriè intelligibili, quàm sensibili conuenit mundo, quinimo à spiritualibus in corporea traductus olim fuisse videtur. *ibid.*

Amor superiorum in inferiora, & spiritualium erga corporea longè perfectior, atque excellentior, quàm horum in illa studium, atque beneuolentia esse videtur. *Leo Heb. de amore. dial. 2* Amor animarum cœlestium in orbes sibi subiectos, & superiorum in inferiora, nec non spiritualium in corporea, ex altiori quodam amore originem ducit, quo huiuscemodi amãtia alios quosdam fines superiores prosequuntur. *idem, ibidem.* Amor rerum omnium vniuersitati non solum beatitudinem, sed etiam essentiam ipsam largitur. *ibidem.*

Amor tanquam vinculum quodam commune, superiora cum inferioribus, inferoáque cũ supernis, spiritualia cum corporeis, nec non corpora cum spiritibus, æterna cum mortalibus, & caduca cum perpetuis, creatorem cum rebus procreatis, & res conditas cum ipso tandem conditore copulat, atque coniungit. *Leo Hebræus, de Amore, dial. 2.*

Amor elementorum, aliorúmque corporum vitæ expertium in proprias regiones, ipsorúmque odium in regiones alienas, sibique inuisas, habet quandam conuenientiam cum amore, & odio animantium in rebus vtilibus complectendis, & noxiis respuendis. *idem, ibidem.*

Amor superiorum in inferiora inferiorum ipsorum perfectioni, atque ornamento, quàm maximè incumbit. *Leo heb. de am. dial. 3* Amor superiorum in inferiora rerum procreationi atque earundẽ conseruationi prospicere, amor verò inferiorum in superiora rerum ipsarum perfectioni, atque ad suum principium reuersioni incumbere potissimum existimatur. *idem, ibid.*

Amor tam superiorum in inferiora, quàm inferiorum in superiora, amantis ipsius voluptatem, etsi diuersâ quadam ratione, tanquam communissimum finem sibi proposuisse videtur. *Leo heb. de amore, dial. 3.* Amores omnes vniuersi ad mundi cum eius conditore arctissimam copulationem, tanquam ad actum postremum, & absolutissimum finem reducuntur. *idem, ibid.*

Analogia, Analysis.

ANalogiã omnia contineri dici solet: est autem analogia, vt se habet melius ad melius, sic deterius ad deterius. *Plot. En. 3 lib. 3. cap. 6.*

Analysis ad Geometrarum descriptiones pertinet, in eisque significat reuocationem eius, de quo quæritur, ad principia in suo genere omnino prima, per ea quæ intermedia sunt, in quibus nullus gradus sine vitio prætermitti potest. *Iac. Carpen. in Alcinoo prima digressione, de analytica methodo.*

Analysim ait Aristot. 3. Ethicorum, proposito fine media quærere debere per quæ is parari possit, & eum gradatim prosequi. Ad eam spectat analysis, quæ in deliberationibus humanis, eo loco notatur, & Geometrarum analysim in descriptionibus imitari, ascendere autem à mediis ad finem genesis est. *Iac. Carpen. in Alcin. prima digressione de analytica method.*

Analytica dignitate antecedit Topicam, Topica Analyticam vsu præcedit, & quoniam in ipso vsu exercendus est animus in probabili disputatione, ad inuestigandam veritatem, quam de hac posset iudicare per ea etiam perfectè, quorum illud propositum fuit arti Topicæ, hoc Analyticæ. *Iac. Carpenta. in Alcinoi prima digressione de analytica methodo.*

Analytica à Topicis in scriptis & sermonibus philosophorum, præceptis, & vsu, ex Aristotelis mente non minus distincta sunt, quàm in ratione loquendi & dicendi, Rhetorica & Grammatica. *idem, ibid.*

Anatomiam primus docuit Alcmeon Crotoniata. *Franciscus Patr. de Republ. lib. 4.*

Anaxagoras multas opes illi relictas neglexit, & perdidit. *Plat. dial. de pulchr.*

Anaxagoras posuit primum principium mentem, sine complexu, & sine alterius rei commixtione quod proprium, & solum Dei est. Si à Trismegisto petas quæ fuit hæc mens, respondebit, filius Dei mundi creator. *Aug. Steuc. de peren. phi. li. 1. cap. 4.*

Androgyni ipsius fabula, sub qua Plato humani amoris originem, eiúsque parentes artificiosissimè descripsisse videtur, desumpta est ex Mosaica humani generis procreatione. *Leo Heb. de am. dial. 1.*

Andronicus Peripateticus Aristotelis, & Theophrasti libros in tractatus distribuit. *Porphy. in Plo. vita.*

Ἄνθρωπος nominatus est, velut [illegible], hoc est considerans ea, quæ videt. *Plato in Cratylo.*

Angelorum diuisio.

Angelos plurimos, & pene innumeros esse patet, quia si species rerum naturalium in materia, quamuis in subiecto, angustæque fiet, tamen inter se non per subiectum, sed per se distinguuntur atque in numerum quamplurimum dilatantur, multò magis substantiæ ipsæ, quæ super materiam in se ipsis viuunt, per se ipsas distinctæ sunt, atque mira quadam absoluti generis sui fœcunditate, in species quasi in numeros prorsus amplificatæ, & præterea intelligibile genus suapte naturâ magis multiplicabile, quàm corporeum esse videtur, cùm numeri, dimensiones, & figuræ, & huiuscemodi in ipsis corporibus semper terminata sint, in mente absque termino, pro arbitrio protenduntur, & quæ in materia, particularia sunt, quæ in mente, vniuersalia. *Marsi. Fic. in Plat. Theo. lib. 1.*

Angelicos ordines nouem non solùm Christiani asserunt, sed etiam Platonici, præcipuè Proclus Syrianus, & hic nouenario, ideò vtitur numero Plato. *Mar. Fic. in Pla. de legibus, dialog. 1.*

Angelicæ hierarchiæ tres sunt, prima soli vacat, contemplationi, & ideò per aquas figuratur, quæ super cœlos sunt; medius ordo per firmamentum designatur; tertia etsi sit supra omne corpus naturâ, curat tamen, quæ sunt sub cœlo: diuiduntur etiam in principates, qui curant ea, quæ sunt circa res publicas, reges, & principes: in archangelos, qui circa mysteria, & sacras cerimonias versantur, & in angelos, qui priuatis student rebus, & singuli singulis hominibus adhibentur. *Io. Pic. Mirand. in Heptaplum, lib. 3. cap. 3.*

Angelus quid est.

Angelus propriè est mens, Deus verò supra mentium genus, ita vt sit mens mentium, & lumen luminum. *Mar. Fic. in Plat. Theolog. lib. 2. cap. 9.* Angelus est receptaculum specierum, & multitudo immobilis. *idem, ibid. lib. 3.* Angelus est lux sine motu celerrima. *idem, epist. lib. 2.*

Angeli intellectus, animæ intellectuales esse dicuntur. *Mar. Fic. in Dion. Areopa. de diu. nom.* Angelicæ mentes sunt, præter sphærarum animas, in quarum familiaritate animas nostras quandoque admitti posse sperat Socrates. *Idem, in Plat. Phædrum.* Angelicæ mentis actus, & imago est lux, quæ inest soli. *idem, in Plat. de Republ. dial. 7.*

Angelici intellectus sunt præfecti regendis sphæris, indiuisibiles secundùm locum, & immutabiles secundùm tempus, opposito modo se habentes atque naturalis vita, formáque corporea, diuisibilis, & mutabilis. *Mar. Fic. in Plat. Timæum, cap. 27.* Angelos esse apud Mosem, ait Philo, quos philosophi vocant dæmones. *Aug. Steuc. de peren. phi. li. 1. cap. 3.*

Angeli nomen est officij, non naturæ. *Idem, ibid. lib. 8. cap. 4.*

Angelus, vt bonus, & malus.

Angelis non inest malum, nisi quis dixerit, propterea malos esse, quia puniunt peccatores, sed eadem ratione castigatores errantium mali erunt, & sacerdotes, qui prophanos

à diuinis

à diuinis mysteriis arcent, sed hoc non est malum, sed contaminatum, & prophanum euadere. *Dionys. Areopag. de diuin. nom.*

Angelos si speciem boni præferens, diuinam exprimit bonitatem, existens, vel per participationem id ipsum secundo gradu, quod secundum causam est in se primo illud, quod exprimitur, certè imago Dei est angelus, & occulti luminis declaratio, ac speculum purum, nitidissimum, in quo nihil inquinatum, totam in se suscipiens pulchritudinem speciei ipsius, & figuræ diuinæ, & cum se ipso quantum fieri potest syncerè splendore declarans secretissimi illius silentij bonitatem. *Dionys. Areop. de diuin. nom.*

Angelis, & dæmonibus non est idem cognatum corpus. angelicum radios quosdam emittens oculis alterius sustineri non potest, dæmonicum, si vnquam tale fuerit, eloqui nescio: nunc verò obscerum, & tenebrosum existit: angelicum materiæ penitus expers, quapropter & per vniuersum solidum penetrat, & minus, quam solis radius passionibus est obnoxium: dæmonum corpora quamuis ob tenuitatem inuisibilia sint, attamen materialia quodammodo sunt, & passionibus subiecta; præsertim, quæ loca subterranea sibi cœpere, concreta sunt, tactui subiecta, cum pulsantur dolent, igni propinquantia comburuntur, adeò, vt etiam cinerem relinquant, quòd & apud Thuscos Italiæ populos accidisse historia traditur. *Mich. Psell. de dæmonibus.*

Angeli boni, nec falsi esse possunt, nec mendaces. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de præno. lib. 9. cap. 4.* Angelorum bonorum officium est offerre preces hominum Deo, quod non est dæmonum officium, sed vt dixi angelorum. *Aug. Steuc. de perenni philo. lib. 8. cap. 32.*

Angelus vt se habet ad inferiora.

Angeli cognoscunt terrena, non quia sensus sensibilia discant, sed quoniam propriam intellectus sui quodammodo iam diuini virtutem, eamque contemplentur. *Dionys. Areo. de diuin. nom.* Angeli si corpora mundi mouent, ipsi motis corporibus, nullo modo mouentur. *Mar. Fic. in Pla. Theo. lib. 1. cap. 4.* Angeli monendo prouident animæ viuificando, & consultando. *Mar. Fic. in Dionys. Areopa. de diu. nom.*

Angelica mens super animam inferioribus intra se nullis indiget viribus, sed plura mens est totaque mens, ac sufficiens item ad inferiora non vergit, sed in diuinitatem solam, vnde est, circuli more conuertitur. Ideò eius actio circulo comparatur, vna enim est actio, & æqualis, sicut ex vna, & æquali linea circulus & mira quædam vtriusque capacitas: præterea circulus est prima, & vltima figurarum: prima, quia vna contentus est linea: vltima, quia figuræ ex pluribus lineis constructæ, quo plures subeunt facies, eo propinquius paulatim ad circuli formam, quasi finem videntur accedere. similiter & intellectus omnium primus procreatur à Deo, & intellectualis vultus, id est absolutus ordo rerum vltimus omnium in speculo naturæ refulget, ad quem naturales formæ quasi finem magis gradatim, magisque accedunt. *Mar. Fic. in Plat. Tim. 27.*

Angelus corpus diuinum, anima corpus opacum metaphoricè cognominatur, donec scilicet in hoc cæco carcere clauditur. *Marsi. Ficin. in Plat. epist. 6.*

Angeli dantur nobis custodes, & à nobis eligitur quæcunque via nobis placet: vtra verè suscepta, suscipitur, & eligitur, genij, siue angeli, qui diligunt, amplectunturque bonos, execrantur, & auertunt se à malis. *August. Steuc. de perenni philosophia, lib. 8. cap. 24.*

Angeli vt à bono ipso pendent.

Angelis ab ipso bono adsunt superiores mundo ordines, vniones susceptionésque mutuæ, inconfusæ distinctiones, virtutes etiam inferiora reuocantes ad superiora, superiorum quinetiam ad inferiora prouidentia multiplex, propriarum cuiusque virium conseruatio, immutabiles in se reuelationes, & identitates, & summitates circa boni ipsius amorem, & quæcunque cœlestis hierarchiæ propria sunt. ipsæ scilicet purgationes angelicæ, supermundanæ illustrationes, & perfectiones consummantes angelicæ, vnde & illis boni indoles est indulta, munúsque tributum, quo occultam illam in se ipsa bonitatem ipsæ in se patefacerent, angelique existerent tanquam diuinum silentium nunciantes, & quasi conspicua quædam lumina, tanquam è vestibulo bonum ipsum in adytis latens sequentibus declarantia. *Dionys. Areop. de diu. nom.*

Angeli ab ipso bonitatis diuinæ bono habent, vt sint, viuant, intelligibiles sint supra mundanam conditionem, rationes rerum illustratione diuinâ, tanquam peculiares reportauerunt. & ad illa, quæ sibi cognata sunt sua bona traijciunt; & ab ipsa bonitate perseuerantiam habent, & firmitatem, & inde continentur, & custodiuntur, & vt sint, & bene sint inde sibi vendicant, atque ad illam pro viribus conformatæ bonitatis speciem perferunt. & vt lex diuina dicat sequentibus bonorum ex bono prouenientium consortium exhibent. *Dionys. Areop. de diu. nom.*

Angelorum sanctissimæ, & antiquissimæ potestates, quæ & verissimæ sunt, & velut in vestibulis superessentialis trinitatis collocatæ ab ipsa simul atque in ipsa, vt & sint, & diuinæ sint, acceperunt: & post illas secundo loco inferiores quæ sunt, inferiori conditione id ipsum habent; extremo quoque extrema quadam sorte si cum angelis comparentur, si cum nobis, ratione quadam id habent mundo superiore. *Dionys. Areop. de diui. nom.*

Angelus, quòd sit vnum, & quòd sit actus non à se, sed à Deo habet vero vno. quòd verò sit multiplex, per potentiam suscipiendi, & patiendi à se ipso habet quantum extra Deum productus, à productoris perfectione degenerat. *Marsi. Ficin. in Plat. Theol. lib. 3. cap. 1.*

Angelorum caput Deus est, qui radium suum rerum omnium creandarum rationibus præditum, per angelos omnes demittens gradatim format omnes, ita vt in singulis describat vniuersalem mundi figuram, nec solùm sublimes illos intellectus exornat, sed etiam per illos tanquam medios in mentes quoque rationalium animarum, quasi quosdam infimos angelos radium eundem traducit iisdem præditum rationibus; quæ dispositio rerum, & lex mentibus inscripta, prouidentia vocatur. *Mar. Fic. in Plat. Th. lib. 13. cap. 2.*

Angelos, quia participant diuinitate, Deos appellare possumus. sed cum absolutè Deum dicimus, nô aliquem eorum, sed sanctissimam, indiuiduam Trinitatem. *Io. Fic. Mir. in Hep. lib. 2. cap. 2.* Angeli, beatorúmque animi, etsi immensam Dei formam sibi acquirere nequeunt, cum ea tamen coniungi copularique, quàm optimè possunt. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*

Angelorum proprietas.

Angeli dicti sunt ob assiduum officium nunciandi Deo nostram indigentiam, & ad nos voluntatem Dei, & opem diuinam deferentes, *Chalci. in Plat. Timæum.* Angelos Moses vocat eos, quos philosophi genios. *Philo. Iud. de gigantib.*

Angeli omnino immobiles entitas antecedunt. *Marsi. Fic. in Plat. Theol. lib. 1. cap. 5.* Angelum prorsus immobilem esse Platonici arbitrantur, essentiâ, virtute, actione, quoniam semper sit idem, & æquè possit, intelligat semper omnia simul, & velit eadem, & quatenus in se est, agat subitò quicquid agit. *Idem, ibid. cap. 6.* Angelus non potest esse immobilis vnitas, ne duo extrema sine medio iungantur, immobilis est ergo non vnitas, est ergo immobilis multitudo angelus, & super ipsum est Deus, qui & vnus, & immobilis, & simplicissimus est *ibid.*

Angelica mens & indiuisibilis, & immutabilis est & super locum, & tempus omnino, nulla ratione quadrabit corpori diuisibili, mutabili, loco, temporique subiecto, aut formas in eo tales efficiet, nisi anima intercesserit, quæ, quia indiuisibilis est, superq; locum, formatur ab angelo, sine discissura quia verò mutabilis est, & aliquid habet temporis, congruit cum materia, & formas acceptas desuper deducit in se ipsa ad mutabilem, temporalémque naturam per quam facilè transeunt in corpus mutabile, & in ipso diuisibiles iam euadunt. *Marsi. Fic. in Plat. Theol. lib. 4. cap. 1.* Angelos Deum probabile est semel id eis omnibus impleuisse, humanam verò naturam quotidie implere. *Idem ibid. lib. 22. cap. 1.*

Angelus finitus est secundum esse, secundum essentiam infinitus est, & quodammodo secundum virtutem, & operationem. *Mar. Fic. in Plat. Theol. lib 15. cap. 22.* Angelus, cum eius mês sit stabilis, cuncta simul cernit, & formas & exemplaria, non in angelica natura cernit. nam sic angelum tantùm videret, sed in Dei essentia suscipit, ita vt oculus per solis lumen colorum omnium effectiuum, colorum eorundem suscipit formas, & videt colores, ita mens angeli per Dei lumen rerum omnium effectiuum, earundem rerum accipit species, & intelligit. *Idem in Plat. Theol. lib 16. cap. 1.*

Angelus substantiam habet, & qualitatem. *Mar. Fic. epist. lib. 2.* Angelos Platonico more cognominat Dionysius, & intelligibiles, vt alios illuminant, & intellectuales, vt illuminantur ab aliis. *Idem, in Dionys. Areopa. de diuinis nominib.* Angelis motum sempiternum, nisi actum exposueris, intelligentiam angelis celerrimè discernentem, attribuet, quod nonnulli comprobauerunt. *Idem, ibid.*

Angelicis in mentibus actus tres esse possunt, scilicet trina conuersio, vel ad Deum, vel ad se, vel ad sequentia; itaque angeli, quàmplurimi ad ipsum Deum amandum tota voluntate conuersi, semper euasere beati: nonnulli ad se emendos conuersi, facti sunt miseri, principio suo, & fine priuati, quibus hæc illinc euersio, & priuatio iudicatur malum, qui-

dam non solùm ad se amandos conuersi, verùm ad infima diligenda diuersi, omnium euasere miserrimi, quibus præter orbitatem illam, malum aliud contingit, multiplex videlicet perturbatio: primi quidem angeli sunt penitus à corporibus absoluti, nisi mirâ quadam facilitate cœlestia regant, interim diuina fruitione beati; secundi miseri, quia proprio amore decepti, elementisque sub Luna mox addicti, non tanquam animæ quædam prorsus infusi, sed ritu quodam quasi magico, diuinitus mancipati, quibus præter superiorem orbitatem illam, malum accidit, conditio ista seruilis, & indignatio sequens: tertij composita corpora, generationémque, & cultum ab hominibus cupientes, corporibus iam ex igne, aere, vaporibúsque terræ, & aquæ conflatis sunt immersi, asciscente hoc amore, & Deo compellente: hinc aeria facta sunt animalia vasta quidem, & celeritate, potentiâ, sensu mirabili, inuida, superba, malefica, quibus præter orbitatem, & iam dictam indignationem, malum est, perturbatio sensualis, passibque sensibilis: his præter intellectum, & voluntatem peruersam, consequenter inest imaginatio præceps, ira feruens, concupiscentia vehemens. *Marsi. Ficin. in Dionys. Areopagit. de diuin. nomin.*

Angeli species numerum habet solùm à tempore & loco immanis est. *Marsi. Ficin. in Plat. conuiuium. orat. 6. cap. 17.* Angeli sancta mens, nullo impedita corporis ministerio, in seipsam reflectitur, vbi Dei vultum in sinu suo insculptum introspicit, inspectum illico admiratur, auidissimé semper inhæret, valius illius diuini gratiam, pulchritudinem dicimus: auiditatem Angeli, Dei vultui inhærentem vocamus amorem. *idem, ibid. orat. 5. c. 4.*

Angelus duplicem imperfectionem habet, alteram, quia non est ipsum esse, sed essentia tantùm, cui participat esse accidit vt sit: alteram quia non est ipsa intellectio, sed aduenit ei vt intelligat cùm ipse natura sua sit intellectus intelligentiæ capax. *Ioan. Pic. Mir. in Hep. lib. 3. cap. 1.* Angelicæ operationes tres sunt, purgatio, illuminatio, & perfectio. *idem, ibid. cap. 5.* Angeli dicuntur moueri de loco ad locum, inquantum successiuè operantur in diuersis locis. *idem, in apolog.*

Angeli in sensum possunt, & phantasiam illabi, & eam afficere, & immutare queunt, quod clarum est; non tamē clarum est, eos posse in intellectum illabi, sed dubium est, sed secundariò, & quasi per accidens. *Io. Franc. Pic. Miran. de præn. lib. 2. cap. 3.* Angeli intuitus non pendent à superioribus velut auctoribus suis. *Aug. Steuc. de peren. ph. lib. 8 cap. 14.*

Angeli, ex Platone & Catullo, sunt cœlestes, præfecti legationibus inter nos, & Deum intercedentes, imperia Dei nobis, preces nostras Deis perferentes: delectantur bonis, adeunt domos castas, execrantur malos, auertunt se ab eis. *Aug. Steuc. de perenni philosophia, lib. 8 cap. 22.*

Angeli quoque in maxima illa totius mundi dissolutione, ex nonnullorum sententia denique corrumpentur. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* Angelicæ naturæ, quodam amoris, desiderij, ac potestatis genere accommodari posse videntur. *Idem, ibid.* Angelico in mundo diuinæ pulchritudinis defectus priuationem simpliciter quidem inducēs, minor, cognitionem verò suppeditans, & amorem, ac desiderium accendens, maior; in sublunari verò contra, hic quidem remissior, ille autem intensior esse conspicitur. *ibid.*

Angor est animi ægritudo præmens. *Francis. Pat. de regno, lib. 5. cap 24.*

Angulares figurarum coniunctiones nodos appellari ab oraculis, quia imagines sunt vnionum coarctantium, diuinarúmque coniunctionum, per quas ea, quæ natura discreta sunt, sibi inuicem cohærent. *Ia. Car. in Alc. cap. 22.*

Angulus.

Angulum alij veterum philosophorum in prædicamento relationis posuerunt, alij in quantitate, alij in qualitate. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 12.* Angulus indiget qualitate, per quam quasi propriam habet figuram, quantitate & respectu. *idem, ibid.* Anguli alij sunt in solidis, alij in superficiebus, & qui in superficiebus, alij simplices, alij mixti, alij ab vtrisque. *ibid.* Angulus est nota coarctationis, quæ in diuinis est, ordinisque diuisa in vnum, & partibilia in impartibilem naturam, & multa in copulationem colligentis communitatem. *ibid.*

Anguli qui sunt in superficiebus magis immateriales, & simpliciores exprimunt diuinorum vniones: qui in solidis, eas, quæ vsque ad inferiora progrediuntur, & disiunctis rebus communitatem, & vndequaque partibilibus eiusdem naturæ constructionem suppeditant: eorum qui in superficiebus, alij primas ipsarum immistásque affingunt, alij eas, quæ infinitatem progressionum in ipsis existentium complectuntur, & alij intelligentiæ formarum vnitrices, alij sensilium rationum, alij earum, quæ inter hos medium obtinent locum copulatrices. qui ex circumferentiis sunt anguli, causas imitantur, quæ intelligentem varietatem in vnionem conuoluunt; rectilinei verò eas quæ sensibilibus præsident, & rationum in his existentium coniunctionem præbent: mixti communitatum tam sensibilium quàm intellectualium formarum iuxta vnicam immobilem vnionem. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 12.*

Angulum rectum efficit ratio, quæ à fine prouenit, quæ ab infinito obtusum, & acutum. *Proc. in Eucl. lib. 2. c. 32.* Angulos rectos ad diuinorum ornatum, & diuinarum potentiarum puros, & immaculatos Deos emittunt tanquam indeclinabiles inferiorum prouidentiæ auctores. *idem, ibid.* Angulos obtusos, & acutos diis progressionis & motus potentiarúmque varietatis præbitoribus permitti dicunt. *ibid.*

Angulus circularis, & semicircularis quocunque recto minor, etsi non sint acuti, sunt tamen mixti, & non rectilinei. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 11.* Angulus obtusus rectilineus esse debet. *idem ibid.* Angulus rectus non rectorum est mensura, vt æqualitas inæqualitatis. *ibid.* Anguli ad verticem dicuntur, si duæ rectæ lineæ se inuicem secuerint. *ibid.*

Anguli deinceps sunt cùm recta linea insecta manens, illam suo extremo secans, duos angulos fecerit. *Procl. in Eucl. lib. 3. com. 13.* Angulorum æqualitas, & inæqualitas maximam vim habet ad augenda spatia, & minuenda. *idem, ibid. lib. 4. com. 9.*

Angulus orientis cùm sit vitæ incipiētis angulus & vitæ mors cùm sit contraria, cur morti non ascribunt angulum occidentis, orienti oppositum, sed morti octauam sedem assignant. *Mar. Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 3.* Angulos figurarum cœlestium admirātur astrologi, sed alibi gaudere planetas beneficos affirmant, Solem in nona, Lunam in tertia, Iouem in vndecima, Venerem in quinta. *idem, ibid.*

Angulum obtusissimum statim sequuntur duo recti, quia si vltra hunc dilatando processeris, peruenies mox ad planum in quod linea perpendiculariter incidens, rectos conficit geminos. *idem in Plat. Tim. cap 41.*

Angulos rectos, quia sui similes, vel omnino idem sunt interse, Pythagorici consecrant diis puris, & immaculatis, vt auctoribus diuinæ prouidentiæ, qua inferiora reguntur; & acutos, & obtusos diis progressionis, & motus, qui rebus naturâ constantibus varias facultates tribuunt. *Iac. Car. in Alcinoo cap. 21.*

Anima in vniuersale.

Anima quicquid occupat, ei semper vitam inducit. *Plat. in Phædro.* Anima ψυχὴ dicitur, quia causa viuendi, respirandi, ac refrigerandi sit corpori. *idem in Cratylo.* Anima cognoscit, essentia cognoscitur. *idem in Sophista.* Animæ vulgi hominum oculi diuinum intuentes splendorem, tolerare non possunt. *ibid.*

Anima similis est naturali facultati alati iugi, & aurigæ deorum equi, & aurigæ omnes, & ipsi boni sunt, & ex bonis. aliorum mixti, & primum quidem noster princeps bigas moderatur, deinde equorum alter pulcher & bonus est, alter ex contrariis, & contrarius. *Plat. in Phæ.* Animam nosce nos iubet qui seipsum nosce præcipit. *idem in Alcib. 1.* Anima si seipsam intueri debet, si se noscere volet, & in illum maximè ipsius locum, in quo virtus animæ, sapientia ipsa inest, & in aliam partem cui hæc similis est. *ibid.*

Animæ celeritas quædam est esse ingeniosam. *Plat. in Charmide.* Animam ea natura ingeniosam habere debet iuuenis pulcher, vt nihil illi desit. *idem, ibid.* Animæ omnes aggressiones, & tolerantiæ, præeunte sapientiâ in fœlicitatem desinunt, at præeunte insipientiâ, in contrarium. *idem, de virtute.*

Anima, quæ ad omnia est intrepida, & inuicta, animo præsente, animus est inexpugnabilis, & inseparabilis. *Plat. de Republica dialog. 2.* Animam fortissimam, & robustissimā nulla externa affectio perturbat, & mutat. *idem, ibid.* Animæ & sapientia in medulla est, cùm ait, ossa ob paucitatem animæ in medulla, sapientiâ vacua esse. *idem in Timæ.*

Animâ nulla possessio nobilior est homini, ad fugiendum malum, & ad inuestigandum, & eligendum id quod omnium optimum est, & vbi elegit ad cohabitandum cum ipso in communi per reliquam vitam; quapropter secundam honoris locum adepta est, tertium quiuis cognouerit secundum naturam esse corporis honorem. *Plat. de legib. dialog. 5.*

Anima omnis in iuuentute pauoribus versatur, & magis per timores moueri consuescit. Hoc autem timoris, & non fortitudinis exercitationem esse quiuis dixerit. *idem, de leg. dialog. 7.*

Anima in omnibus, quæ vndique mouentur, habitat, & omnia

omnia gubernat, nam & cœlum gubernat non pauciores, quàm duos beneficum, & maleficum; quod intelligendum non est de animæ substantia, sed de animæ potentia *idem de legibus, dial.* 10.

Animo omnia, quæ in cœlo, terra, ac mari sunt, suis motibus ducit, quorum nomina sunt velle, considerare, consultare, rectè opinari, itémque falsò, ita vt gaudeat, & tristetur, confidat, & timeat, odio habeat, & amet, & omnibus his cognatis, aut primariis motibus vtatur, qui secundarios corporis motus suscipient, ducunt omnia ad incrementum, & imminutionem, & dissolutionem, & coagmentationem, & ad hæc sequentes caliditates, frigiditates, grauitates, leuitates, durum & molle, album & nigrum, austerum, dulce, & amarũ, quibus omnibus si animus, quæ Dea est vtitur, vt mentem, & intelligentiam deam semper assumat, recta, & fœliciter, & omnia efficit; si dementia, & insipientia se coniungit, omnia his contraria facit. *Plat. de leg. dial.* 10.

Animã, quæ participant, iuxta fati ordinem, & legem mutantur, & quæ minus prauos mores habent minus mutantur, & circa regionis planitiem vagantur; quæ verò plures prauos mores habent, & iniustiores sunt, delapsæ in putidum, & infernos appellatos locos, qui orci, & similibus nominibus nuncupantur, valdè expauescunt, & somnis vexantur, & viuentes, & à corporibus solutæ, at anima maiore vitio, ac virtute prædita, cùm transmutatur propter suam voluntatem, & conuersationem vehementiorem, vbi virtuti diuinæ immixta excellenter talis fueris, fertur, ac transmutat locum totum sanctum, transportata in altum quendam meliorem locum, vbi contra, ad contraria vitam suam transfert; Hoc est deorum iudicium, qui Olympum incolunt. *Plat. de leg. dial.* 10.

Anima sola nullum colorem habet, & illi soli conuenit, vt greet, & formet. *Plat. in leg. app.* Animã præditum primam vnum ponendum est terreum, in quo omnes homines, & omnia, quæ multos pedes habent, & quæ pedibus carent, nec non quæ progrediuntur, & quæ stabilia sunt, & radicibus diuisa, vnum tantùm putare oportet, quòd omnia hæc ex omnibus generibus sunt, scilicet igne, aquã, aere, terrã, & æthere, sed multa eius pars terræ, solidæque naturæ est. Aliud animalis genus ponere est, secundum quod & nascitur & videri potest: plurimum ignis habet, habet tamen etiam terræ, & aeris, habet etiam aliorum omnium exiguas partes *idem, ibid.*

Anima superius collocata speculat formas sine tempore, nec indiget earum reminiscentiã, & multa vnico actu cognoscit, quia est supra tempus, vt illius causa: & intellectu non cogitatione cognoscit; & si cognoscit principium, finem, & medium, hoc non medio temporario, sed ordinario cognoscit. *Arist. Theol. Ægid. lib. 2. cap.* 2.

Anima vnica est, & simplex, sed multiplicantur virtutes eius vltra substantiam, etsi videtur operari plurima, simul eius opera sunt multa ratione patientium, nam corpora non recipiunt operationes animæ æqualiter, sed pro conditione sua; ergo pluralitas operationum inest rebus, non animæ. *idem. lib.* 1. 3. Animæ facies intellectus est ad quem inclinatur, & eum quo speculatur. *ibid. cap.* 5.

Anima quælibet, cùm operando impleuit hunc orbem sensibilem suis dignitatibus, coacta reuertitur ad intellectualem, quem complectitur tenaciter cognitione indubitabili, est autem nobilior illo, & egressa ab hoc, despicit inferiora, quia sunt simulacra eius, quæ non perseuerant, nisi illã subinde causã fingente. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 7. cap.* 8.

Anima vniuersalis absque labore regit, particularis cum labore, non enim sine cogitatione regit. *Idem, ibidem. cap.* 10.

Animæ proprium est, vt viuificet corpora. *Arist. de causis cap.* 1. *prop.* 3. Anima in omni res sensibiles sunt, quia sunt exemplum ei, & res intelligibiles in ea sunt, quia scit eas, & non factum est hoc, nisi quia est expansa inter res intelligibiles, quæ non mouentur, & inter res sensibiles quæ mouentur, & ideò imprimit res corporeas *idem, ibid. prop.* 13.

Animata vis postrema à terra exordiens, sese fundit per vniuersum: vis autem animæ sensualis, & quę inopinantem obtinet rationem, penes superiora viget in sphæris incubans inferiori potentiæ, & ex se ipsa vim huic porrigens vitalem magis, atque viuificantem: agitatur autem hæc ab illa circulariter complectente, totique insidente quantum ipsi eẽ recurrit in sphæras: itaque cùm illa hanc circulo comprehẽdat, meritò hæc conuiuens reflectitur in se ipsam huius verò reflexio corpus, cui est infusa contorquet. *Plot. En.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3.

Anima cuncta facit, habens principij rationem, plurimum recta procedit, quod si aliorsum adducta præuaricetur, iudicio quodam cursum eorũ sequitur, quæ efficiuntur in mundo, nisi fortè soluantur, permanet enim iudiciũ ipsum semper, cùm vniuersum ordine, & potentia dominantis regatur, & dirigatur, & huic seruiunt, & conferunt stellæ velut partes cœli non paruæ tum ad decorem totius formam, tum ad significationis officium, portendunt itaque omnia quæcunque in mundo sensibili oriuntur; faciunt verò alia, quæcunque faciunt manifestè *Plot. En.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8.

Animam post intellectum collocare debemus. *Plotin. En.* 2. *lib.* 9. *cap.* 1. Animæ proprias motiones habere debent. *idem. En.* 3 *lib.* 2. *cap* 7. Anima per totum cœlum reuolatur alias in aliis speciebus, siue in sensuali specie, siue in rationali, siue etiam in vegetali: multa enim & ab hominibus fiunt, quasi plantis; corpus enim vt planta, & ab intrinseco fit, & augetur. *idem, En* 3. *lib.* 4. *cap.* 2. Anima omnis bonum appetit *idem, En.* 3 *lib* 1. *cap* 5.

Anima quæ agit, quoties secundum naturam agit in rebus ratione determinatis probabile est essentiam esse & verè bonam, alia verè anima ex seipsa nõ agit, ideò nec aliud quàm passiones sunt. *Plot. En* 3. *lib* 5. *cap.* 7. Animæ consideratio est de qua diligentius, & illutius tractare debemus, tũ quia conducit ad ea, quorum ipsa est principium, tum quia conducit ad illa, ex quibus efficitur. *idem, En.* 4. *lib.* 3. *cap.* 3. Animæ omnes ex vna deducuntur, ex vna inquam multæ eodem tenore cum intellectu diuisæ eodem ordine, & non diuisæ, atque ratio mentis est anima, illa quæ permanet, & ab ipsa rationes partiales immaterialésque sicut alibi. *ibid. cap* 5.

Animæ principali principalis potentia conuenit, quia magis superius adhæret, illic enim vmbabus incumbentibus attentius potentia maior exoritur, conseruantes enim seipsas in tam illic fundamento facillimè faciunt, potentiæ enim maioris est non pati in his quæ facit. *Plotin. En.* 4. *lib.* 3. *cap.* 6.

Animæ opus, & quod in ipsa est, vigilans quiddam est, & efficax: & quod tendit in aliud, est persimile: efficit ergo vt & alia viuant quæcunque per se viuunt, & tali vitã viuant, quali viuit & ipsa; hæc viuens in ratione, tradit & corpori rationem, vt suæ rationis imaginem: etenim quantum vitæ impartit corpori, vitæ est imago, similique formas impartit corporeas, quarum possidet rationes, habet autem & deorum rationes, & omnium, quapropter & hic mundus omnia possidet. *Plat. En.* 4. *lib* 3. *cap* 11.

Animam quidquid attingit, sic inde perficitur, prout essentia animæ naturaliter se habet; hæc autem facit non aduentitiã quadam sententia, nec consilium, ac considerationem expectans, sic non natorã, sed per artem faceret acquisitã, ut per ipsam essentiæ potestatem est domina corporum, vt hæc non aliter fiant, aè disponantur, quàm ipsa perducat, cùm etiam quæ ab initio fiunt, non possint ipsius voluntati reluctari *Plot. En.* 4. *lib.* 3. *cap.* 10.

Animæ non dissonum est, quod mutentur de alio ad alium, cùm sol, & luna, & stellæ omnes locum mutent, & si qua anima neque quod hic est melius eligit, nec inquinatur deteriore, ad locum alium commutatur, purum quem elegerat, quandoque consecutura, punitiones animarum tales sunt, quales partium ægrotarum, vbi aliæ fomentis alligantur, aliæ circumciduntur, vel expurgantur, aliæ qualitatibus permutantur, vt sanum sit totum, singulis vbi expedit ritè dispositis, sanitas enim totius spectatur in primis hoc obligato, illo potius qualitatibus permutato, alio hinc expulso, quasi hic languente; illuc verò translato vbi minime langueat. *Plot. En.* 4. *lib.* 4. *cap.* 45.

Animæ expers nihil esse potest, at cùm interit corpus, quo pacto adhuc vita permanet? fortè nec perit: nam & hæc est quædam illustrationis imago, solum verò dicendum est ibi non esse *Plat. En.* 4. *lib.* 5 *cap* 7. Animæ quicquid inest, non est passio, sed efficacia *idem, En.* 4. *lib* 6 *cap* 3. Anima non solùm in aliis animalibus alia, & alia facit, sed in eodem cõtraria patit. *idem, En.* 4 *lib* 7 *cap.* 4. Anima non minus vna est, ex eo quòd plures sint vires, nam & in semine vires sunt multæ, semen vnum. *Ead. En.* 4. *lib.* 9. *cap.* 3.

Animæ magnitudinem hinc licet potissimum coniectare, quod quando moles ipsa fit maior, anima eadem per totam illam vndique se diffundit, quæ prius erat in mole minore. *Plot. En* 6 *lib* 4 *cap* 5. Anima nec cogitur diuisibilis fieri, quia multa sunt membra, vt quia sunt multæ multitudines, non ideò vnum diuiditur. *idem, ibid. cap.* 7. Anima nullas corporis passiones admittit, & nullo modo diuidi potest. *ibid. cap.* 8.

Anima vnaquæque, cùm hinc est penitus segregata, non propria duntaxat est vnaquæque, sed quando secernitur non loco, sed actu, & fit aliquid singulare, ipsa tunc portio quædã

est, non amplius vniuersa: quamquam & alio quodam pacto, vt vniuersa consistit, quando verò nulli propriè præsidet, prorsus est vniuersa, quippe quæ tunc potentiâ quædam pars esse sit iudicanda. *Plot. En 6. lib. 4 cap 16.* Anima informis esse debet, si omni carere debet, obstaculo, quod forsan impedire potest, ne ab ipse omnium prima natura illustretur, & impleatur, si materia omni formâ priuata esse oporteret, si omnes formas debet suscipere. *Idem, En 6. lib. 9 cap. 7.*

Animæ vniuscuiusque si seminaria habet rationes omnium, quæ necquitur, & explet, ibi sunt omnes ideæ, nam fatemur, quot mundus rationes habet, totidem quoque singulas animas possidere. *Plot. En. 5. lib. 9. cap 6.* Animæ omnis communis est essentia, & vita, & introducentes mentem eiúsque vitam, ponemus motum vnum genus, in omni vita communem, & essentiam & motum primum, qui & prima vita est, tanquam genera duo constituemus, & si vnum sint, intelligentiâ separare licet *idem, En. 6. lib 2. cap. 7.*

Anima intellectualis segreganda est à natura sensibili. *Plot. En 6 lib. 3. cap. 5.* Animæ multitudo est seminariæ rationis, nam anima & ratio est, & caput rationum, actúsque ipsius secundùm essentiam agunt, ipsæ sunt rationes essentia verò est vis seminalium rationum. *idem, Plot En. 6. lib. cap. 5.*

Anima lumen boni ipsius inspiciens ad res diuinas hoc circumfusa lumine concitatur, affectánsque lumen in his perfulgens, occursu eius admodum gratulatur. *idem, En. 6. lib. 7. cap. 22.*

Anima quodcunque formatum aspicit, aliud quiddam semper quod formauerit expetit, nam docet ratio id quod formam habet mensuratum esse, & id nuc vniuersum esse, nec per se sufficiens, nec suapte naturâ pulchrum, sed & hoc esse permistum, & vt oportet hæc mensurata esse, sic ipsum super pulchrum mensuræ nolibus liniis circumscribi, & si sic se habet, nec esse formatum, nec esse speciem, quod igitur primò est amabile, & primum visu, omnem speciem supereminet pulchrique intelligibilis illæ pulchritudo, decórque extat, ipsa boni naturæ. *Plot. En. 6 li. 7. cap. 33.*

Animu quod conciliauit, hoc & animæ diuinit. *Porphy. de occas.* Animâ omne quod præditum est, sensualem habet phantasiam, velut rationem quandam, fecit enim natura non vt simpliciter sentiret, & pateretur, sed vt perciperet quæ commoda forent sibi, & quæ incommoda: illa sequeretur, hæc fugeret: sensus vtrorumque animalibus singulis cognitionē affert; & hæc quæ sequuntur, quemadmodum est non adesse nisi habentibus ratiocinationem, iudicium, atque memoriam. *idem,* quòd nephas sit animalia cædere.

Anima per educationem, & bonam consuetudinem, eddita probâ naturâ, maximè cum his quæ propriè sunt bona, fæderatur, & vnâ & tempora, & ætates omnes consonctissime percurrit, his addenda est ars, quæ affectionibus sternit mentem: his modis animus fit beatus, & vita hominis sanitatem assequitur: obsequuntur affectiones rationi non iniunæ parent scientiæ. *Max Tyrius ser. 37.*

Animæ conceptio dicitur mens dolores, sensus, partus, reminiscentia, & intellige animos omnes verum concipere, dolores sensu sustinere, & ratione parere; & vt natura nil recipit nisi ex semine ortu, sed quodcunque procreatur seminis similitudinem habet, vt homo hominis sic animus si veritatem intelligat, necesse est seminibus rerum imbutum esse. *Max. Tyrius serm 28.*

Anima quorum causa est, eorum & mens non est. *Procl. Ele. Theol prop. 58.* Anima omnis diuina, diuina est per diuinū intellectum. *Idem, ibid pr 129.* Anima quod aliquando intelligens, aliquando non, intellectum proximè participet, est impossibile. *ibid. pr. 5.* Animæ omnes diuinæ dij sunt animasticè, omnes autem intellectualem participantes mentem deorum pedisequæ semper sunt: omnes verò mutationum susceptiuæ, duorum pedisequæ aliquando *ibid. pr 185.* Animâ priuatum, vita quoque priuatur, & habens animam vitam quoque habet *ibid. p. 188.* Animæ omnis qua anima vitam habet, non autem cognitionem, etenim ignorat interna. *ibid pr. 190.*

Anima omnis ex se viua est. *Procl. Ele. Theo prop 189.* Animu omnis media est inter impartibilia, & quæ circa corpora sunt partibilia *idem, ibid. pro. 190.* Anima omnis participabilis, corpore vtitur æterno primo, & ingenerabilem habet substantiam, & incorruptibilem *ibid prop. 199.* Animæ omnis essentia est vitalis, & cognoscitiua, vitæ essentialis & cognoscitiua, & cognitio & essentia, & vita, & simul in ipsa omnia, essentiale, & cognoscitiuum & omnia in omnibus, & seorsum singula *ibid prop. 197.*

Anima omnis mundana periodis vtitur propriæ vitæ, & reditibus. *Proc Elem. Theol. prop. 197.* Animæ omnis periodus tempore mensuratur, sed aliarum animarum periodus aliquo tempore mensuretur: primæ verò cum tempore mensurentur, vniuerso tempore mensurantur. *idem, ibid pro. 200.* Animasticæ omnis multitudinis diuinæ quidem existentiæ maiores cùm sint vlnis potestate, coarctantur secundum numerum: quæ verò seipsas sequuntur, semper & potestate, & quanto medium tenent in omnibus ordinem, particulares quidem potentiâ deteriores aliis sunt, in numerum verò maiorem sunt progressæ. *ibidem prop. 203.*

Anima diuina omnis multis quidem præstat animabus, Deos semper sequentibus, pluribus etiam earum, quæ aliquando hunc ordinē susceperunt. *Proc. Elem. Theol. prop. 204.* Anima omnis participabilis, essentiam quidem sempiternam habet, actionem autem in tempore. *Idem ibid. prop. 191.* Anima omnis participabilis semper entium est, & prima genitorum *ibid prop. 192.* Anima omnis proximè ab intellectu consistit. *ibid. prop. 193.*

Anima omnis omnes habet formas quas intellectus primò habet. *Proc. Elem. Theo. prop. 194.* Animu omnis omnes est res exemplariter quidem sensibilia, in imagine verò intelligibilis *idem, ibid. prop. 195.* Animæ deorum omnes pedisequæ, & semper Deos sequentes, sunt deteriores diuinis, eminent tamen particularibus animabus. *ibid. prop 202.* Anima omnis particularis hanc habet rationem ad animā, ad quem ordinatur secundùm essentiam, quam vehiculum ipsius ad illius vehiculum. *ibid. prop 205.*

Anima omnis particularis vehiculum à causa immobili habet, *Proclus, Elem Theol prop. 207.* Animæ omnis particularis vehiculum immateriale est, & indiuisibile secundum essentiam & impassibile. *idem, ibid prop. 208.* Animæ omnes connatum vehiculum, & figuram semper eandem, & magnitudinem habent, maius tamen, & minus videtur, & dissimile figura per aliorum corporum additiones, & ablationes. *ibid. prop. 210.*

Anima fit similis sentiendis, non ex eo, quod quicquam ab illis accipiat, sed quia secundum illorum rationem agit, videlicet per impressionem, apparitionémque quandam speciei ūni externorum, quo pacto anima pluribus atque contrariis simul fit aliquando similis, contraria non potest pati, agere potest *Prisc. in Theophr. cap. 6.*

Animæ proprius motus est circuitus, quia solus sempiternus, in seipsam circulo ipsa reflectitur. *Mar Fic. in Plat Theolog. lib. 5 ca. 8.* Animæ propria actio est viuificare, ergo animæ essentiæ vita est. *idem in Plat. Theolog lib. 5. cap. 14.* Animæ nullus præscriptus est magnitudinis terminus tum ex illa, quæ comprehensura est, tum quod spectat ad ipsius animæ substantiam *idem, in Plat. Theol. quæst. 2. cap 3.* Animæ vis infinita est, quæ nullo fiuitu superatur obiecto. *idem, in Plat. Theologia lib. 9. cap. 5.*

Animæ medium est inter mentem animæ caput, & idolum animæ pedem mens enim animæ inest, non quatenus anima propriè est, sed quatenus angelica, & à supernis mentibus occupata; idolum animæ, id est vita ex potentia corporis, non est animæ puræ officium, sed animæ iam vergentis ad corpus, sed inter hæc ratio interponitur, vis quædam vera eum propriè animarum, per quam à principiis rerum in vniuersali conceptu ad conclusiones, temporali successione discurrunt, & effectus in causas resoluunt, rursus causas in effectus deducunt; & hæc ratio intellectualis vocatur, discurrūt etiam conceptio particulari ad vniuersalis discursionis exemplar, quæ vocetur cogitatiua, & opinatrix. *Mar. Fic. in Pl. Theolog. lib. 13. cap. 2.*

Anima non solum semper esse, sed semper gigni à Platonicis iudicatur, scilicet quatenus vim suam beurit paulatim, & formas intrinsecas alias aliter explicat, & affectus, & actiones continuò variat *Marc. Fic. in Plat. Theol. lib. 17 cap. 2.* Anima vnaquæque ad angelum cursum pertinet præcipuè vt rectorem. *idem, in Diony Areop de diu. no.* Animæ viribus duæ subiiciuntur mouendi & nutriendi vigor; sed hæ cum superioribus animæ viribus aut nihil, aut parum in virtute communicant *idem, in Plat Menon. de virt.*

Animæ omnibus viribus id est commune, vt quælibet, earum sit affectio potentiæ naturalis actum pulchrius, dum decorum reddit, & vtilem ad finem virtutem vltimum consequendum *Marc. Fic. in Plat. virtut.* Animæ mobilis conceptio est non vns, quia non ens perfectum. *Idem, in Plat. Parmenidem, cap. 36.* Animam si deserat intelligibilis, & intellectualis substantia, imaginaretur falsò, & pro naturalib. formis simulachra quædam, & somnia effingeret. *idem, ibidem.*

Anima cùm in seipsa mouetur, secundum obtinet ordinem ad naturam eam, cuius essentia, & operatio est immobilis, nam omnibus agitatis, præcedit quod se ipsum mouet, & omnibus mouentibus, quod immobile, si igitur anima se ipsum mouens

mouens mouet alia, oportet ante ipsam esse, quod immobile mouet. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. c. 4.*

Anima cùm primùm ea fœcunditate referta est, per conuersionem ad superintelligibilem in seipse procreat pulchritudinem, & per conuersionem ad infra, sensibilium formarum in materia gignit decorem, quæ conuersione ad pulchritudinem anima vocatur Venus, & ideò plerique voluptatē Venerē nuncuparunt. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. c. 11.*

Anima quia media est inter nomina, & corpora, ideò triplicē sortita est potentiam, vnam qua superis coniungitur, vnam qua ad inferiora porrigitur, mediam qua mediam, suiq; vim propriam retinet; in suprema parte radius diuinæ mentis acceptus, mentis humanæ lumen dicitur, & animam ad superiorum contemplationem erigit: in media situs, rationis iudicium est ad ciuilem instruens disciplinam: in postrema residens, phantasiæ industria est, ad artes victui suppeditantes humano, & materiam artificis exornandam. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. c. 16.*

Anima cùm naturā suā sit media inter mentem, & corpus, vt corpus respicit, in eo nutritionis, augmenti, generationis opus exercet, & per illud sentit, nam cum corpus in corpore, sentit corpus per corpus; vt autem mentem respicit à corpore absolutam, atque inde pendet, ita agit iam, vt nec in corpore agat, nec per corpus: ideò quantu supernæ mentis vim sortita est sine sensuum instrumentis, secum ipsa res cogitat, vt per opinionem singulorum imagines, & naturas, vel per intellectum, & notionem communes, ac æternas rationes, ac per ratiocinationem secum ipsa de imagine in imaginem, vel de ratione discurrit in rationem, ac per memoriam hæc omnia seruat. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. c. 32.*

Animæ tanta est excellentia, vt re prorsus nulla indigeat ad essentiam. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. c. 48.* Anima vt materiam attingit naturā, vt instrumento vtitur, quo viuit materiem, mouet, & format, vnde generationes, augmenta, eorúmque contraria proficiscuntur. *idem, in Plat. Menon.* Animæ motus quasi rectus tribuitur, intelligentiæ circularis. *idem, in Sophista, c. 30.* Animæ inferiores partes superioribus parere requirit naturalis ordo, & vt totus animus pulcher, & vndique consonans sit, nec frustra agat, sed finem propositum consequatur, qualis est habitus, & temperata vita. *idem, in Plat. Gorgiam.*

Anima per se & in se mouetur, per se, quoniam principium motus existit: in se, quia in ipsa animæ substantia rationis, & sensus remanet operatio: ex his opus nullum necessariò resultat in corpore. *Mar. Fic. in Plat. Commen. or. 3. c. 3.* Animæ fœcunditas tota in hoc consistit, quod in eius penetrabilibus lux illa Dei fulget æterna, rationibus omnium, rationibus ideisque plenissima, ad quam anima quoties vult, vitæ puritate & summa studij intentione conuertitur, conuersa scintillis emicat idearum. *idem, ibid. or. 6 c. 13.*

Anima in se habet quatuor mundos, nam in natura animæ vegetali, in imaginatione, in ratione in intellectu animæ, quodammodo formæ sunt vniuersæ. *Mar. Fic. in Plat. Phædrum, c. 11.* Anima non potest eodem in tempore per eādem sui potentiam eadem de re contrario modo iudicare. *idem, in Plat. de repub. dial. 10.*

Animæ sic suapte naturā, suóque fato opportunè proprias quasdam tunc promunt vitas, quando ad easdem similiter vniuersale conuocat fatum, ita vt animarum chores suis quibusdam figuris saltaudi, variorúmque simul diuersitate saltantium fatalem inueniuntur cantum, & sonum; cantum quidem in cœlestibus animabus, in sphæris verò sonum, quemadmodum plantæ cuiuslibet germen propriis quibusdam figuris, & suo tempore pullulans, sponte videtur vnà cum vniuersali temporis verni natura ad idem prouocante concurrere. *Mar. Fic. in Plat. de rep. dial. 10.*

Anima si ratione, & intelligentia caret, materiam inordinatè mouebit. *Mar. Fic. in Plat. Timæum, c. 11.* Animæ ad essentiam tria pertinere volunt Platonici, subsistentiam, concordiam, speciem: & per hæc sequi virtutem, & actionem. *idem, ibid. cap. 17.* Animæ virtus ab ipso medio porrigitur per vniuersum; à media terra passim virtutem connectendi protendit, à media aqua diffundit vim vitalem, ab aere vim sensualem, ab igne rationalem, itidem à media mundi sphæra vim connectendi, à sphæra lunæ media generabilium, ingenerabiliúmque vim vitalem, à Sole mundi corde sensualem, à Zodiaco medio firmamenti rationem. *idem, ibid. c. 26.*

Anima cum triangulo comparatur, quia triangulus est prima figura earum, quæ pluribus constant lineis: anima similiter prima omniū in plures distribuitur vires, quæ in ipsa intelligentiæ subiguntur, ac produci videtur in rectum, dum a diuinitate labitur in naturam, in quo discessu ab intelligentia summe, in tres profluit vires inferiores, id est in discursum quendam rationalem, in sensum, in vegetandi virtutem, vt triangulus in tres diuiditur angulos. *Mar. Fic. in Plat. Timæū, c. 27.* Animæ singulæ vires sunt vnitas, intelligentia, voluntas, ratio, imaginatio, vis connectendi, vel generandi; at has duas postremas sæpe sub vna vel naturæ, vel vegetationis appellatione complectimur. *idem, ibid. c. 31.*

Animæ motus si ab intelligētia differatur penitus, statim tam in percipiendo, quàm in agendo solum transibit in rectum, quod autem repetat semetipsam, similésque per alia gyros glomeret, sortitur ab intellectu quodam superiore, qui & manens in se, & subitò conuersus in causam, largitur intelligentiam animæ, per quam quasi porrectam, manum sistit animam naturā propriā vagabundam, motúmq; eius irrequietum, & ad rectam extra se lineam naturaliter promotem, retorquet in orbem medium inter motum rectum, & quietem. Hinc anima in seipsa reditura meat, mentémque profundam circuit, & simili conuertit imagine cœlum. *Marsi. Fic. in Plat. Tim. c. 32.*

Animæ proprium motum esse in rectum, naturaliter ostendit diuisio in longum: mouetur enim natura à anima in sensum, & vegetādi, siue mouendi naturam. *Mar. Fic. in Plat. Timæū, c. 36.* Animæ motum simul tempus, & motus in mundo consequitur *idem, ibid.* Anima in se habet duplicem rectū motum, ideo Plato secat in duo, scilicet ad sentiendum, & mouendum, & ab anima in corpore esse geminum, scilicet vniformem, & multiformem. *ibid.*

Animarum gradus varij conficiuntur, quia vnitas, terminus, identitas, status gradatim in sequentibus minuuntur, gradibúsque paribus interim opposita crescunt, scilicet multitudo, infinitudóque, & diuersitas, atque motus, & ita per descensum varius gradus conficitur animarum. quamobrem aliæ animæ diuinæ sunt, vt sphærarum, & stellarum animæ, aliæ semper diuina sequentes, vt deorum, siue dæmonū in omnibus mundi sphæris vniuersaliter prouidentium; aliæ non semper æque diuina sequuntur, sed quandoque à superiore ad inferiorem contemplationis gradum generationi prouisuræ descendunt, nequaquam inde contaminandæ; aliæ quodammodo contaminabiles inde labuntur, sed leuiter quidem, ideóque breui in generatione mensuræ, aliæ grauius inæquabiles, idcircò tardius ad cœlestia reuersuræ. *Mar. Fic. in Plat. Timæum, c. 25.*

Anima quando solo vtitur vehiculo cœlesti, vitam, prouidentiámq; vniuersalissimam habet, quando insuper aereo, minus vniuersalem, vbi etiam terreno, particularem. *Marsi. Fic. in Plat. Timæum, c. 24.* Anima apud Plotinum significat hanc animam quodammodo demonstratam, vel euento cōpertam, quæ qualiscunque sit, alicubi, vel aliquando præsens adest. Animæ verò esse, vel ipsum quod est esse animæ, significat ipsam animæ naturam vt ita dixerim specialem, in quæ nec vllum ad ipsam animæ essentia necessarium desint, nec sit aliquid superuacuū. *idem, in Plot. En. 1. lib. 1. c. 2.*

Anima in quolibet animali communē profert spiritum membris cunctis infusum, sed alicubi etiam solum, alicubi humoribus, alibi membris insuper inuolutum, sed animæ particulares spiritum hunc, qui vapor sanguinis est, quo regunt corpus, ex sanguine calefacto producunt, spiritum verò cœlestem rationales animæ, quo quasi proximè se inuoluunt, ab ipsa cœli substantia vbique præsente suscipiunt, quem Plotinus alibi confitetur accipi etiam ab anima terræ. *Mar. Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. c. 3.*

Animæ substantia, & virtus superior si cum inferiore vita, & virtute comparetur, tum centrum, tum circumferentia indicatur: centrum quantum superior est, stabilior, & simplicior ob hæc reliqua prodit, ad hanc appetitu reuersura: circumferentia, quantum superior procul dubio multis inferiorem gradibus virtutis excedit: quo virtutis excessu velut ambitu quopiam ampliore inferiorem illam, velut angustiorem supereminet, & complectitur, & conseruat, ducit pariter, & reducit. *Mar. Fic. in Plot. En. 2. lib. 2. c. 3.*

Anima quæ in suo quodā summo intellectualis existit, in medio verò discurrens, in infimo verò vitalis tantùm, & viuifica, nō vt intellectualis, nec discurrens, sed vt vitalis generat, & viuificat. *Mar. Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 17.* Animarū essentia cùm sit mundanā naturā superior, atq; prior, non ex modo, sed ex ipsis accidit, vt in mūdo viuāt, & magis, & minus afficiantur ad mundum. *idem, in Plo. En. 3. lib. 2. c. 7.*

Anima quælibet intellectualis vt vult Plotinus nisi materiam reperit procreatam, procreatura videtur. *Mar. Fic. in Plot. En. 3. lib. 4. c. 5.*

Anima toto genere à materia separatur, ideò quamuis materiam procreet, longius tamen est extra materiam. *idem, in Plot. En. 3. lib. 6. c. 4.*

Anima viuendi principiūm mundanæ præcipuè, agit semper,

atque potissimum in seipsa, prout intelligētis eius hic quidem suam rationem format, inde quoque suam naturam. *idem in Plotino En 4 lib 3.c 10.*

Animæ in cœlo securæ illuminant, sub cœlo non absque cura. *Mar. Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. c. 17.* Anima in se officium habet recordationis, in intellectu verò non est reminiscentia. *idem, in Plot. En. 4. lib. 3. c. 25.*

Anima hic attentissimè cogitans aliquid, non potest interim aliud perspicuè cogitare: quia potentia est debilis, & quia non cogitat principia aliorum; corpore verò cassa, & mēte diuinā formata & potentia validissima est, & omnium principia contuetur, ergo & in illis omnia simul, præsertim cùm à motu & tempore omnia sint separata, & attingit ipsum vnum mente ideisque superius, & tamen adhuc inde omnia conspicit, potestas enim ipsius vnius cum primum in aliquid est in mente, vel anima percipitur, in plurima deriuatur. *Mar. Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 1.*

Anima naturaliter æterna desiderans, ac sæpe æternorum fiduciā negligit temporalia. *Mar. Fic. in Plot. En. 4. lib. 7. c. 15.* Anima cùm sit forma simplex, indiuidua, non alligata materiæ, nec dissolui potest, nec diuidi, nec disperdi. *idem, ibid.* Anima quælibet vt natura particularis seminales in se rationes continet omnium, quæ inde generanda sunt, formalibus differentiis inter se distincta. *idem, in Plot. En. 5. lib. 7. c. 5.*

Anima si suapte naturā intellectualis foret, animæ tū omnes, tum pariter intellectuales forent, quum verò non sint ita, meritò anima vel prima intellectualis euadit participatione quadam intellectus excelsioris. *Mar. Fic. in Plot. En. 5. lib. 9 c. 3.* Animæ mentis & consummatæ virtutes earum, extra ideam veræ res existunt, vt in idea; nec tam æquiuoca, quàm vniuoca denominatione sunt eadem, nec differunt, vt homo pictus à viuo, sed potius vt puer à viro. *idem, in Plot. En. 5 lib 9 c. 13.*

Animæ essentia, & vita re quidem ipsā sunt vnum, ratione verò differunt, nam anima per essentiam cum multis conuenit, à quibus per vitam differt vita illic scilicet animalis non accedit extrinsecus ad essentiam, sed emicat ab essentia, igitur & in ipsa essentiæ virtute latens vita viget, & in ipso vitæ actu manifestior explicatur essentia. *Mars. Fic. in Plot. En. 6. lib. 2. c. 6.*

Animæ quælibet intellectualis semper secundùm totam eius substantiam est, & in mundo vitæ simul, & in mundo corporeo, quamuis hic cunctas vires suas non exercet. *Mars. Fic. in Plot. En. 6 lib. 4. c 12.* Animæ omnes intellectuales vno intelligentiæ lumine potiuntur, vbique præsente, nusquam diuiso, in quo cunctæ sunt vnum, vt oculi multi vno solis lumine passim toto fruuntur. *idē, in Plot. En. 6 lib. 5. c. 10.*

Anima fons vitæ, & sensus, hæc duo prius, vberiusque spiritui tradidit, tanquam propinquiori, & per spiritum neruis, & carni communicat, ideò spiritus est præcipuum animæ instrumentum tum ad vitam & sensum membris impertiendū, tum ad sentienda quæ veniunt ab externis, & si pati debet, leuissimè pati opus est: vehementior enim passio soluit spiritum, & occupat animam, & iudicium disturbat, temperatur verò passio spiritus circa visum, & auditum, olfactum, per interuallum, aereumq; medium: circa gustum & tactum vbi non est eiusmodi medium, temperatur linguā & carne neruosā, quæ duo sunt quasi media quædam inter sensibile, & spiritum, quod præcipuum est instrumentū ad sentiendū, quæ duo possunt etiam dici sensus instrumēta, quatenus viuæ, & sensus participia sunt, & quatenus temperant passionē à sensibili vehementem, media. *Mar. Fic. in Theophrastum, c. 40.*

Anima est apud Platonem, quæ cum suo corpore coniuncta, animal vnum facit ex proprio corpore, & vita per hoc diffusa: & cum hoc intellectus, siue mens vnitur. *Iaco. Carp. in Alcinoum c. 4.* Animati totius necesse est partes singulas esse animatas. *idem, in Alcin. c. 11.* Anima non secus, ac luna modò tota, modò quadam sui tantum modò parte eclipsim pati videtur. *Leo Heb. de amo dial 3.*

Animæ diuisio.

Anima alia iusta, alia iniusta, alia sapiens, alia insipiens, quod fit præsentiā iustitiæ, vel contrariæ dispositionis. *Plat. in Sophista.* Animæ tres sunt partes, rationalis, concupiscibilis, & irascibilis. *idem, de republica, dial. 4.* Animæ quatuor habent affectiones, intelligentiam, cogitationem, persuasionem, assimilationem. *idem, ibid. dial. 6.*

Animæ affectionū diffinitio hæc est prima pars vocatur scientia, secunda cogitatio, tertia persuasio, quarta assimilatio: & hæ ambæ simul opinio, illæ ambæ simul intelligentia; & opinio circa generationem, & ea quæ fiunt versatur: intelligentia circa essentiam: & amplius essentia, ad generationē, intelligentia ad opinionem, scientia ad persuasionem: cogitatio ad assimilationem pertinet, in intelligentia scientia essentiam consequitur ad dialecticum pertinentem, cognitio sequitur essentiam ad mathematicum attinentem: in opinione fides, & imaginatio; per illam corpora, per hanc imagines corporum, & vmbræ. *Plat. de repub. dial 7.*

Animæ partes tres sunt, vna qua homo intelligit, secunda qua irascitur, tertia propter multiplicationem suo nomine appellari nequit, sed robustissimo appellatur, concupiscibili scilicet, ob vehementem cupiditatem circa cibum, potum, & res venereas. *Plat. de republica dial. 9.*

Animæ tres species constitutæ sunt, id est rationabilis, irascibilis, & concupiscibilis, & vnaquæque suos motus habet, & quæ à suis motibus quiescit eam debilissimam fieri necesse est; quæ verò in exercitiis, eam robustissimam, quapropter curandum est, vt motus moderatos inter se habeant. *Plat. in Tim.* Animæ pars quæ dolore, & voluptate afficitur quasi populus, & ciuitatis multitudo est. *idem, de legib. dial. 7.*

Anima an eodem, vel tribus singula facit difficile est scire, alio vt discamus, concitemur alio ad iram ex his quæ in nobis sunt, cupiamus tertio quodam voluptates alimenti, & generandi, & quæ sunt his cognata, aut totā animā in singulis hīs agamus, cùm ad ista progredimur. *dial. 4.* Anima duplicem partem habet, rationalem vnam, alteram irrationalem: rationalis, quæ sit tanquam ratiocinij gubernatrix, tanquam benigna, & studiosa mater, viam vitæ rectam demonstrans: irrationalis quæ amat, esurit, sitit, & circa alias voluptates velut cōsternata afficitur, cōcupiscentiis dedita, & repletionum quarundam, & voluptatum socia. *idem, ibid.*

Anima omnis nobiles tres habet operationes, operatio animalis, intelligibilis, & diuina; diuina operatio est, cum ipsa præparat naturam cum virtute, quæ est in ipsa à causa prima, & eius operatio intelligibilis est, quia ipsa scit res per virtutem intelligentiæ quæ est in ipsa; operatio verò animalis est, quia mouet primum corpus, & omnia corpora naturalia, quia est causa motus corporum, & operationis naturæ, quæ omnia efficit, quia est exemplum superioris virtutis. *Arist. de causis c. 3. prop 3.* Animarum alia est intelligibilis, quoniam pendet per intelligentiam: alia est anima tantùm, quoniam ex corporibus naturalibus est cui inest anima regens ipsam, & faciens directionem super ipsam, & de eis sunt, quæ sunt corpora naturalia tantùm, quibus non est anima. *idem, ibid.*

Animæ tres sunt partes, rationabilis, id est mentis portio, hæc capitis arcem tenet; irascibilis sub corde deducta; concupiscibilis infernas abdominis sedes obtinens, & quia luxuriæ dedita est, idcirco relegata est longius à sapientia. *L. Apul. de dog. Plat. lib. 2.* Anima bifariam sumitur vt propriè, & vt abusiuè, anima propriè mens est, abusiuè quæ vincitur custodiā corporis, cui mens diuina non subditur. *Macrob. in som. Scip. lib 1.*

Animam concupiscentiæ occupantes ducunt, & trahunt, nec permittunt vlterius penes nos actiones esse, sed passiones. *Plot. En. 3. lib. 1. c. 9.* Animæ omnes sunt omnia, secundùm verò quod operatur in ipsa quælibet est, quia aliæ in actione, aliæ in contemplatione, aliæ in appetitu enituntur: insuper differunt quia aliæ alia intuentur, & quæ intuentur eadem sunt, & fiunt. *idem, En. 4. lib. 3. c. 8.*

Animæ non similiter ad superna se habent, sed aliæ superis vniuntur, aliæ desiderio prope accedunt, aliæ minus id assequuntur, quatenus eisdem viribus non vtuntur, sed hæ potentiā vtuntur primā, istæ secundā, illæ denique tertiā, cùm tamē vires omnes vnaquæque possideat. *Plot. En. 4 lib. 3. c 6.*

Anima multiplex est alteritate, & non loco, & non distribuitur in partes vnā cū corporis partibus, sed passim est tota, cùm natura sit vnum aliquid, & impartibile: nec ob id quod anima vna sit, tollitur esse multas, vt nec ens vnum esse entia prohibet, nec illic multitudo vni repugnat, nec ob magnitudinē corporis putandū est fieri multitudinem animarum, sed etiam ante corpora extare, & multas, & vnā, in ipso enim toto iam multæ consistunt, non in potentia, sed in actu iam quælibet, vna enim multas non impedit, nec contra multæ vnam: distant enim inuicem non distantes, & adsunt inuicem non alienæ, nullis enim terminis separantur. *Plot. En. 6. lib 4 c. 4.*

Anima duplicem habet vitā, vnam cum corpore, aliam à corpore separatā, cùm vigilamus vtimur vitā, quæ est cum corpore, præterquàm si penitus ab eo separemur, quando dormientibus quodāmodo animus à corpore soluitur, tunc illa vitæ species secundùm seipsam permanens separatáque, siue intellectualis, siue diuina, protinus expergiscitur in nobis, agitq; vt sua fert natura, quoniā verū, & intellectus enim cōtēplatur, & anima generabiliū rationes in se cōplectitur, meritò secundùm causam cōprehendensē futura, in præcedētibus sui rationibus ordinata prænoscit. *Iamblichus de myster.*

;Anima

Anima omnis vel diuina est, vel mutabilis ea mente in ementiam, vel inter hæc media semper manens, deterior tamen est diuinis animabus. *Proc. Ele. Th. a. prop. 184.*

Animæ diuinæ omnes triplices habent actiones. has vt animæ alias vt quæ mentem suscepere diuinam, alias vt à dijs pendentes, & prouidentiam gerunt vniuersorum vt dij. cognoscunt verò omnia per intellectualem vitam, mouent autem corpora per se mobilem essentiam. *idem, ib. prop. 201.*

Animæ aliæ ex sphæra solari sunt, aliæ ex mercuriali, aliæ ex lunari & re vera hoc gloriari oportet, non quòd nobilitas secundùm terrenos genitores & vrbes. *Proc. in Alcibiade 1.*

Animarum duplex est cognitio, vna indistincta, & per simplicem, & nudam intelligentiam, altera dearticulata & scientiæ compos, & ambiguitatis expers. *idem, ibid.*

Animâ prædictorum mortalium genera tria creatis elementis restabant, volatilia, natantia, & gradientia, quorum generationem faber mundi filiis suis mandauit, nam si hæc ipse genuisset, ea immortalia natâ essent: illi à prima materia, particulas, quas exactis certis temporum curriculis redderent mutuantes mortalia finxerant animantium genera. *Alcinou. cap. 16.*

Anima tres habet partes rationalem in capite, irascibilem in pectore, cõcupiscibilem circa iecur & ventrem. *Philo Iud. in legis allegor. lib. 2.* Animæ nostræ pars quædam muta est, vt bruta, quædam vocalis, quæ ratione prædita est, qua sola Deus noscitur: reliquis nihil intelligibile comprehendere possumus. *idem, de eo quod Deus sit immut.*

Animarum alia per doctrinam, quod significat Abraham virtutem doctrinâ acquisitam, aliæ per naturam, quod Isaac significat, alia per meditationem ad virtutem aspirat. Iacob, vsu & meditatione virtutem paratam significat. sed si vnâ pollebant ex his, non ideò aliis carebant, nam doctrina sine natura, & meditatione perfici non potest, vt nec natura ad optatam metam peruenire potest absque doctrina, & meditatione, nec meditatio, nisi fundata in natura & doctrina. *Philo. Iud. de Abraham.*

Animarum aliæ assignatæ fuerunt mortalibus corporibus, & post certos temporum circuitus liberantur, aliæ diuiniorem habitum sortitæ totam terrenâ regionem contemnunt, in summo autem propè ipsum æthera sunt purissimæ Græcorum Philosophi eas appellant heroas genios: Moses ex re nomen facit eis, Angelos appellans, quod bonarũ rerum internuncij sint à summo rege ad subditos, ac rursum pro horum necessitatibus legatione ad illum funguntur. *Philo. Iud. de plantatione Noe.*

Animæ essentia duplex totius sanguinis, præcipuæ partis, spiritus diuinus. *Philo Iud. de eo quod Deus ... haer.* Animæ partem brutam in sex diuisit Deus, visum, auditum, gustum, odoratum, tactum, & vocem pronunciatiuam; partem verò rationalem indiuisam reliquit. *idem, ibid.*

Animam bifariam distinguunt Platonici, in imparticipatam, vt vniuersalis anima mundi, & tertia in diuinitate persona; aut participatam, quæ in corpore æterno, cùm æterna sit, vti necesse est, & cum suo esse animet, necessarium est æterno primo corpore, ingenito, incorruptibili vti; vocantur cœli, & syderum animæ, quæ diuina nominant animalia. *Bess. in calumniatorem Plat. 3. c. 3.*

Anima in se reuoluitur quatuor modis. per intellectum in naturam suam, quando quærit, inuenit, & considerat seipsam, per voluntatem in naturam eandem, quando se affectat, & amat: per intellectum in actum ipsum intelligendi quando & rem intelligit, & se intelligit intelligere per voluntatem in voluntatis actum, quando vult aliquid, & vult se velle. *Mar. Fic. in Plat. Theolog. lib. 8.* Animæ partes rectè Aristoteles vocauit mentem agentem & capacem, & duas esse vires in anima dixit. *idem, in Plat. Theologia lib 15 c. 18.*

Animam Platonici in tres distinguunt vires, intelligendi, irascendi, & concupiscendi: primam in duas scilicet in mentem vel contemplationi, vel actioni deditam; contemplatricem mentem sub nomine Saturni significant, actricem nuncupant Iouem, deinde animum, vel iracundiâ duriorem, Martem esse alunt, vel voluptate meliorem, Venerem arbitrantur. *Mar. Fic. epist. lib. 7.*

Animæ vis prima est mens secunda ratio, tertia phãtasia. quæ cogitatiuæ dicuntur, aliæ tres sunt quæ appetitiuæ vocantur, voluntas, irascendi vis, & cõcupiscendi. *Mars. Fic. in Plat. de virtut.* Animæ tres vires sunt vt in ignis substantia tres sunt vires præcipuæ, calor, lux, leuisque subtilitas, prima vis animæ est vitalis, secunda cognoscendi, tertia appetendi. *idem, in Plat. Phædr. c. 5.* Animarum particularium ordines tot sunt siue dæmoniacarum, quorum sunt in sphæris stellæ. *idem, ibid. c. 30.*

Animæ vires rationalis, irascibilis, & concupiscibilis non loco inter se, sed proprietate distinctæ sunt. *Mars. Fic. in Plat. de repub. dial. 4.* Animæ vires sunt rationales, irascibiles, concupiscibilis. *idem, ibid. dial. 8. c. 12.* Animæ vires Plato sæpe iubet extenuandas, alias augendas, omnésque significat inuicem proportione musica componendas. *ibid.* Animæ vis rationalis duplex alia speculatiua, quæ intellectus dicitur, alia practica, quæ ratio nominatur. *ibid.*

Animæ multiplex natura e Platone hic descripta est, in quo sub multiplicis bestiæ nomine intellige concupiscendi naturam, sub figura leonis irascendi vigorem, sub forma hominis rationem. *Mars. Fic. in Plat. de republica dial 9.* Anima implet totam mundi molem, aliis virtutibus alias mũdi partes moderando, & supremâ sui circa mundum virtute, id est intellectuali prouidentiâ mundum exuperans. *idem, in Plat. Timæum c. 26.*

Animæ differentias inter se habent est quatenus aliæ aliis opifice statim ab initio accommodatæ sunt stellis, id est ipse quidem animæ animis stellarum, earum quoque vehicula corporibus, & motibus earundem. *Mar. Fic. in Plat. Timæum c. 5.* Animarum nostrarum differentiam alij inter Platonicos numeralẽ tantùm putant, alij etiam specialem, vt vnũ animarum nostrarũ sit genus, in eo multæ animarũ species, sic etiã, multæ sub eadem specie. *idem in Plat. de legib. dial. 4.*

Animæ motus, quia primus est, atq; per se, ideoq; liber, potest in varias formas deriuari, vsq; adeò vt anima aliàs in habitũ inferiorẽ hominem, aliàs in habitum superiorẽ homine conuertatur, & illo quidem quasi grauitate quadã ad loca inferiora descendat, hoc quasi leuitate sublimia petat: ex quo apparet conceptos ex propriis motibus habitus cum diuinæ voluntatis lege concurrere: sic enim lex illa dictat bonis animis cœlestia, malis terrestria conuenire; sic omnino nullo extrinsecus impellente, & quasi naturali quodam instinctu, & bonorum habitus sponte superiora petunt, & malorum ad inferiora labuntur. *Mar. Fic. in Plat. de legib. dial. 10.*

Anima triplex, vna totius mundi, duodecim sphærarũ duodecim animæ, & in qualibet sphæra duodecim sunt ordines animæ. Hi ordines in cœlo sunt sydera, & stellæ, in terra homines, in æthere, aere, & aqua sublimiori sunt dæmones: in his singulis animam cõmũ rationalẽ corpori suo coniunctã animal procreare, id est cõpositum ex proprio corpore, vitáq; corpori prorsus infusã, quæ vita facta corporea, à triplici dependet anima, à propria scilicet, ab anima sphæræ, & à mundi totius anima. *Mar. Fic. in Plat. legum appendicem.*

Anima tres habet respectus, ab intellectu cognoscendi vim habet, sed hæc ipsa vis vt proximè ex intellectu pẽdens, ipsa quoq; est intellectus, semperq; patri cõtinua, sed illius formã actúq; semper cuncta simul intelligit: vt autem pro natura animæ capitur iam tempore quodam, & à potentia in actum successione discurrit, ratióq; & cogitatio nũcapatur, fit, quòd rerum species videat inter se distinctas habere: deniq; vt vergit ad animal, ex vniuersaliũ ratione ad particularis imaginationẽ iã descẽdit. *Mar. Fic. in Plo. En. 8. lib. 8. c. 8.*

Animæ triplices sunt, aliæ in superiori mundo semper, quales sunt sphærarum, stellarúmque, & illæ motuum superiorum animæ, aliæ in mundo inferiori tantùm, quales sunt vegetationi tantùm, & sensuum passionibus addictæ, aliæ mediæ scilicet rationales, siue nostræ sint, siue inferiorum dæmonum. *Mars. Fic. in Plotini En. 5. lib. 3 c. 8.* Anima triplici ad diuinitatem calle procedit, ratione, visu, auditu, & tres animorum naturæ illuc promptius euehuntur, tum philosophica rationi dedita, tum oculis amatoria, tum auditui musica. *idem, ibid.*

Anima vniuersi principium est omnium naturalium summatim, aliæ quodammodo sigillatim illa omnium in vniuersi forma, aliæ omnium in vniuersi partium formis. *Mar. Fic. in Plotini En. 3. lib. 3. cap. 15.* Animæ duplicem habet virtutem, alteram vt priuatã, id est alicui parti animi propriã. vt quælibet suum officium ritè peragat, alteram quasi publicã, vt omnes partes inuicem ritè concinant: à mente regatur ratio, huic irrationales vires obtẽperẽt. *idẽ, in Plo. En. 3. lib. 6. c. 8.*

Animæ humanæ differunt quatuor præcipuè, secundùm corporũ quodãmodo differentias, cùm motus magis minúsue concitatos, pro differentiis sanguinis, bilisve, & spiritus habere videntur: differunt secundò ex præcedenti vita. si verum est hanc ad actiones, illam ad contemplationẽ promptiorẽ extitisse: differũt tertiò specialibus quibusdã & quãmplurimis differentiis, quibus à summo quodam grado per secundum, tertiũ, & quartum distribuuntur: differunt quartò, quod quãuis quælibet anima rationalis sit vniuersum, potest tamen libero quodam motu aliter & aliter se afficere, prout alia se vertit ad vitam contemplatiuam, alia ad actiuam, alia ad voluptuosam. *Mar. Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 8.*

Animam alij vnam, alij plures, tres multis esse placuit vegeta-

lem,sensitiuam,intellectiuam,hanc propriam hominis, secundam communem cum brutis, tertiam cum plantis. qui tres fecere,vnam capiti,aliam præcordiis, tertiã hepati dedere, vnam qui putarunt varie opinati sunt. Aristot. vnam quæ reliquas potentiâ,& virtute contineret. Plato in rationalem, & irrationalem diuisit animam, & hanc in irascibilem,& concupiscibilem diuisit Aristot. quinque nominauit partes potestatésve,nutricem,sensitricem,motricem,intellectiuam: & Pythagoræ successores quinque tribuerunt partes.prudentiam,intellectum,scientiam,opinionem,sensum,Stoici octo fecere partes,vnicuique sensui suam dedere portionem,visui,auditui,odoratui, gustui,tactui,voci,seminali potestati,rationi,qua cæteræ mouerentur. *Io Franc. Pic. Mir. in exam. van. Doct.gentium lib.2.cap.14.*

Animæ intellectum alij coniunctum esse ita dicunt vt pars toto coniuncta est,aliqui diuersum esse. *Io. Fr. Pic. in exam. van doctr gent lib.1.cap 14.* Anima considerari potest dupliciter,vel ante vnionem corporis,& sic non est actio coniuncti , vel post vnionem, & sic est actio totius coniuncti. *Gab.Buat de animæ natura lib.3.*

Animæ à corpore separatio philosophica duplex, vna à perturbationibus per eam purgationem quam virtutes morales afferunt: altera à sensibus, ipsáque visione, vel imaginatione hausta per eam contemplationem: quæ propria eius muneris est, cuius participes deos omnes Plato esse ait in Timæo, homines autem paucos. *Iac Carpentarius in Alcinoi cap 1.* Animus humanus in corpore apud Platonicos dupliciter est,vel vt ergastulo , vel vt in naturali & grato domicilio. *Iac.Carpentarius d sensu.*

Animæ partes tres si ponimus, duas mortales, irascendi scilicet,& concupiscendi , vnam immortalem rationem scilicet,necesse est ponere animæ partes in nobis re.& substantia esse distinctas,quæ opinio etsi multis placet , Plotino tamen non placet,potest enim vna anima poni, & pro varietate trium facultatem tribus sedibus distingui. *Iac. Carpen.in Alcinoi digr.9* Animæ haud infixæ sunt facultates inferiores concupiscendi, vel irascendi,sed circa animam sunt , vt verrucæ ex Gregorij Nisseni opinione,ex cogitatrice animæ parte enascentes,*idem,ibid.*

Anima differt ab animo , si grammaticis credimus ; anima est qua viuimus , animus quo sapimus , at graues scriptores his vocabulis promiscuè vtuntur. *M. An. Natta de immor.anim. lib.1.* Anima duplicem habet intelligendi rationem , vnam per corpus,aliam per se ipsam, quæ magis congruit animæ,*idem ibid.lib.3.* Animæ opinionem Peripatetici triplicem habuerunt , alij ex materiæ gremio decerptam putarunt, alij per creationem incœpisse , immortalem tamen euasurã. alij vnicam ponunt animam intellectualẽ in bibumanis præsidentẽ. *Steph.Conneat.de ascensu mentis in Deũ lib.2.*

Animæ duplex , ambiguáque natura , tum spiritualis intelligentiæ , tum etiam corporeæ mutationis particeps esse videtur *Leo Heb de Amo dial.3.* Animæ diuersas modo ex intellectu ad corpus, modo ex corpore ad intellectum, cõmutationes,atque vicissitudines habent *idem,ibid.*

Anima quid sit.

Anima fons, & principium est aliis, quæ mouentur. *Plat. in Phadro.* Anima non est similis harmoniæ. nam hæc composita,illa simplex : harmonia posterior eo quod facit harmoniam,anima corpore prior.*idem,in Phadone.* Anima si esset harmonia.omnes animæ similiter bonæ essent.*ibid.* Anima si esset harmonia, pareret corpori *ibid.* Anima in nulla re animã aliã magis est vel minus, sed harmonia harmonia amplior & minor esse potest.*ibid.*

Animæ est disciplina.quæ trahit nos ab eo quod fit ad id quod est. *Plato de rep. dial 7.* Anima est quæ omnia circunducit, & ipsa gubernat,ipsiúsque curam gerit. *idem de legibus , dial. 10.* Animæ essentiam, & rationem si quis dicat esse à seipsa moueri non pudefiet. *idem,in Phadro.* Animæ definitio est,quod seipsam mouet.*idem,de legibus,dial 10.*

Anima est intellectus desiderans, & appetens desiderio vniuersali, & ipsa anima vniuersalis non separatur subitantiã à mundo intellectuali , sed desiderans particularia sub vniuersali opere recedit ab illo,ordináosque eadem,& peccatum accidens moderatur secundùm legam causæ propinquæ cœlestis. *Arist. Theolog. Ægypt lib.2.cap.3.* Anima quando subiicitur intellectui impossibile est vt sit immobilis, alioqui esset prædicato idem, at in intellectuali mundo mouetur potius rectè, quàm reflexè , in inferiori è conuerso.*idem,ibid lib.2.cap 4.*

Anima non est corpus. *Arist. Theolog. Ægypt.lib.3.cap.2.* Anima non est spiritus naturalis refrigerationis, qui ex commistione elementorum per subtiliationem aliquarum partium resultauit ; quia calor elemẽtarum pluribus animalibus dominatur , quibus inest anima absque huiusmodi spiritu. *idē,ibid. cap.2.* Anima non est commixtio naturarum differentium , quia sequeretur nobilius esse posterius ignobiliori : prior & nobilior est anima,naturã.*ibid.*

Anima non est corporis cõpositio. *Arist.Theol.Ægypt.lib.3.c.3.* Anima non est corporis forma, vt corpus tantum,sed est actus corporis physici organici potentiã viuentis , actus corporis est substantia : physici, quia non artificialis ; potentiã viuentis,non inanimati,organici quia in se instrumenta habet. Actus duplex,separabilis, vt nauta à naui ; inseparabilis vt caliditas ignis, actus est separabilis,quia nõ corrumpitur corrupto subiecto;& actus alius est perfectio materiæ suæ, vt caliditas ignis , quidam agit perfectionem , vt faber domus,anima agit perfectionem *idem,ibid.c.6.*

Anima est actus separabilis , & perfectio non vnius membri, sed omnium membrorum, & non est corruptibilis,quia habet perfectionem ex se,sine corporalibus organis *Aristot. Theologia Ægypt. lib 3 c.7.* Anima hominis non est perfectio naturalis,vt anima bruti, nam bruta reguntur instinctu naturali præter scientiam,homo etiam scientia.*idem,ibid.* Anima non est corpus. nec corpus tenuissimum , cùm non sit compositum.*ibid.lib.12.c.21.* Anima non est figura , nec corporis complexio.*eod.lib.12.c.14.*

Anima non est simulachrum expressum à materia , quoniam materia nequit formare essentiã animæ *Arist.Theologia Ægyptia lib 12.c 15.* Anima est annexa æternitati inferius.quia est susceptibilior impressionis, quàm intelligentia,& est supra tempus,quia est causa temporis.*idem,de consil.c.3 prop.2.* Anima est , quod se ipsum moues , vitalis motus animalibus causa. *Speusip.in Platonis definitionibus.*

Animæ est ipsum coniunctum ex eo videlicet quòd illic adest ipsa anima, cùm sit talis nõ tradente se ipsam in coniunctũ, vel in alteram eius partem sed conficiente ex corpore tali, atque quodam veluti lemine ab ipsa tradito, animalis naturam aliud aliquid existentem, cuius sit sentire,& cæteræ animales passiones. *Plot. En 1.lib.1.c.7.*

Animam ait Plato esse essentiam se mouentem , Xenocrates numerum se mouentem , Aristoteles entelechiam, Pythagoras,& Philolaus harmoniam, Possidonius ideam. Asclepiades quinque sensuum exercitium sibi consonum,Hippocrates spiritum tenuem per corpus dispersum , Heraclitus ponticus lucem, Heraclitus Physicus,scintillam stellaris essentiæ,Xenon concretũ corporis spiritum. Democritus spiritum insertum atomis,hac facultate positum, vt corpus illi omne sit peruium. Critolaus Peripateticus constare eam de quinta essentia, Hypparchus ignẽ, Anaximenes aera , Empedocles & Critias sanguinẽ, Parmenides,ex terra,& igne, Xenophanes ex terra,& aqua, Boethus ex aere, & igne, Epicurus ex aere,igne,& spiritu mistũ. *Macro in som.Scip lib.1.*

Animæ pulchritudo est virtus omnis *Plot. En.1.lib.6.c 2.* Animæ actio secundùm eius naturam,est bonum *idem, En.1.lib. 7.c.1.* Animam si affirmauerimus esse intelligibilis naturæ,formisq; diuinæ , forte manifestum non nihil in medium adducemus.*idem,En 4.lib 9 c 1.*

Anima & vnum,& multa,& partibilis,& impartibilis est, & id est quod Plato ait,mũdi artifice ex essentiã impartibili,eodẽ per se modo semper habente,& essentiã, quæ circa corpora fit partibili,tertiã quandam ex ambabus cõmiscuit essentiæ speciem est igitur anima vnum, hunc in modum, atque multa : species autem quæ sunt in corporibus multa simul & vnum,corpora verò multa solùm; denique quod supremum est,duntaxat vnum. *Plot. En.4.lib.3 c.2.*

Animæ pars vniformis est , at in continuo sic non est , nec vt magnitudo secatur anima. *Plot. En.4 lib 3.c 2.* Anima non est vna,& eadem in multis simul existens. *idem,ibid.cap.3.* Anima quantitatis est expers *idem, En 4.lib 7 c.5.*

Anima si sit corpus,nec sentire nobis dabitur, nec intelligere, nec scire,nec virtus omnino nobis inerit. *Plot. En.4.lib.7.c.6.* Animæ omnes ab eodẽ principio processerunt , propriam habentes vitam ; & hæ quoque sunt incorporeæ, indiuisibilisque essentiæ *idem, En.4 lib.7.cap 14.* Anima est vnus & simplex actus , & natura in viuendo consistens, non igitur potest dissolui vt compositum. *ibid cap 12.*

Anima lumen est quoddã ex mente productum,& circa mentẽ mentis connexu,nec in alio sedet,sed extat prope mentẽ, nec huic locus est vllus,neq; locus est mẽti, *Plot En.5.li.3.c.9.* Anima est in qualibet parte aeris, vt virtus rectrix in qualibet ponderis parte. & lumẽ idẽ indiuisibile, in qualibet aeris parte. *idem, En.6.lib.4.c.7.* Anima omnis intellectualis est expressa imago,& virtus quędã intellectus primi,per essẽtiã immobilis, quoniã ab immobili solũ existit essentia. *ib. c.10.*

Animæ substantia non in hoc substantiæ genere , sed in genere essentiæ separatæ collocanda est. *Plot.En.6.lib.3.cap.16.*

Anima

Anima cùm non sit corpus, & magnitudinis expers, potest in plurimum propagari, siue ante corpora, siue in corporibus eatenus propagatur. *idem, ibid. lib. 4. cap. 1.*

Anima medium quiddam est inter essentiam indiuiduam & essentiam vera corpora diuisibilem. *Porph. de occ. s.* Anima est essentia inextensa, immaterialis, immortalis, in vita habente ex se ipsa viuere, & esse similiter possidente. *idem, ib.*

Animæ intellectus diuinus dat esse per intelligere suum essentialem. *Iambl. de mysteriis.* Animę esse est quoddam intelligere Deum, vnde dependet: esse nostrũ est Deum cognoscere: quia præcipuum esse animæ est intellectus suus, in quo idẽ est esse, quod intelligere diuina actu perpetuo, & ab illo esse præcipuo deriuantur potẽtiæ animæ discurrentis. *Idem, ibi.* Anima est particeps intellectus magis partibilis, & multiformis ad gubernationem accommodati, & naturaliter inanimatis prouidet, aliàs aliis figuris affecta. *ib.*

Anima est genitrix formarum, & rationum mathematicarũ. *Procl. in Eucl. elem. lib. 3 cap. 6.* Anima non est tabella rationibus vacua, sed semper descripta: nã anima etiam ipsa, iuxta est iuxta mentem ipsã priorem se conuoluens, imago illius & adumbratio extrinsecus facta: si igitur cuncta intelligendo cognoscit, anima quoque cuncta animando, & illa per exempla, & anima per imagines: & illa contrahendo, anima distinguendo. *idem, ibid.*

Anima per essentiam est mobilis ea se ipsa; sed corpori coniuncta euasit quodammodo etiam mobilis aliunde, ideó ob potentiam se mouentem fœcunda est, & inuentionum propensior, & rationes parit, & scientias, sed propter conditionem mobilem aliunde, indiget frequenter ab aliis excitari. *Procl. in Alcib. 1.* Anima est toti corpori præsens, & omnibus membris, quamuis alia aliter membra participent. *idem, ibi.* Animæ solæ sunt iustitiæ participes. *ibid.*

Animus humanus sexcentis impulsibus sicut stimulis intentus, omnium est organorum versatilissimum, si quis ritè tractauerit eũ, quando momentum cœperit, vt ad id, quod est côceptum flectatur. *Plut. de Socra. dæmone.* Animæ è mente Platonis essentiam, esse numerum, qui ipse à se ipso mouetur pronunciauit Xenocrates: Crãtor verò Solensis temperauit animam ex intellectibili natura, & eâ, quæ illis sensu quæ accipiuntur, est opinabilis. *idem, de anim. creatione.*

Animam Plato nunquam numerum nominauit, sed naturam suâ sponte perpetuò mobilem, motúsque fontem, & caput: numero, & proportione, & concinnentia essentiam eius digessit quæ est subiecta, & recipit pulcherrimam ab his in seipsam speciem; non enim idem est, animæ essentiam numerum esse, & è numero constare, nam ex concinnentia consistit, tamen non est harmonia. *Plut. de anima creatione.*

Animæ essentiam Plato infinitionem in Philebo nominauit, in Timæo inconditum, immensum, mobile tamen suã sponte, & mouens principium, quæ mentem, rationem, concinnitatem, & solertiam est sortita, quod mundi anima fieret. *Plut. de anim. creat.* Anima est causa, & primordium motus, mens ordinis, & concentus in motu. *idem, ibid.* Animæ essentię à Platone non statuitur numerus, sed à numero digesta, & composita. *ibid.*

Anima non est species, vt ait Possidonius, tam species est immota, anima mobilis species corpori astricta, anima côtagionem materiæ fugiens, ad hæc Deus speciei imitator, vt exemplaris, sui, animæ vt opificij architectus. *Plut. de anim. creat.* Animæ propria est sentiendi modo, quæ mouetur ad id, quod sensui obiicitur foris. *idem, ibid.*

Animæ partes non sunt locis, vel appellationibus premendę, sed vis excutienda earum, & concinentia, nam quòd situ prima locata sit in humano corpore ratio, id ea accidens est, at primam & summam tenet potestatem ad appetitionẽ vt mese ad hypaten, & neten, animositatem, remittendo, & intendendo, & omnino concinentes, & consonas faciendo, vtriusque præcidens enormitatẽ, & vicissim non sinens laxari eas in totum, atque dormitare. *Plut. in quæst. Plat.*

Animę essentia si esset omnino perfecta, certè habitus, & actio imperfecta non foret, ab essentia solâ procedens. *Priscian. in Theophrast. de phantasia & intellectu, cap. 22.*

Animæ sua est eruditio, & multi animæ lumina parauerunt sibi in noctem, & tenebras, non in diem, & lucem, qualia sunt prima disciplinarum rudimenta omnia, & encyclopædia, quam vocant, ipsáque philosophia propter delicias expetita, & auctoritatem apud principes: at homo ciuilia diurnum parauit diem, & lucem in lucem, & honestatẽ propter ipsam solam, non propter aliud. *Phil. Iud. in leg. alleg. lib. 2.*

Anima corporis animati forma est. *Bes. in calum. Plat. lib. 2. cap. 7.* Anima media esse debebat, quia necesse erat in mundo fore genus animalium, quod ratione vteretur, huic eidem generi vitam, & spiritum ministraret, & inter duas positæ naturas, eandem, diuersámque, modò eiusdẽ naturæ contemplatur diuinitatem, attollens aciem ad sublimia, modò ad ima, sedemque diuersæ naturæ vergens, hæc iuxta opificij sui dispensaret, terrenisque impertiret prouidentiam. *Chalcidius in Timæum.*

Anima est multitudo mobilis. *Mar. Fic. in Plat. Theolog. lib. 1. cap. 9.* Animæ opus est vitalem motum præbere, qui per omnia viuentia funditur, rebus carentibus vitã non competit. *idem, ibid. lib. 2. cap. 6.* Anima est ex potentia, & actu composita, Deus enim solus est merus actus, angelus non; quia ex actu & potentia componitur. *ibid. lib. 3. cap. 1.*

Anima quod sit vna substantia, & quod sit actus stabilis per essentiam, non à seipsa sed à Deo sortitur actu vno, & stabilissimo, quod verò multiplex sit & passiua, ea se ipsa possidet, quia sub Deo locatur, quod verò mobilis, ea se ipsa; quia sub angelo est, vt igitur vnitas naturalis est Deo, sic angelo multitudo, & animæ naturalis motus. *Mar. Fic. in Pla. Theologia lib. 3 cap. 1.* Anima quoniam est primum mobile, inter omnia quæ sunt mobilia est per se mobilis. *idem, ibid.* Anima etsi à diuinis descendit, & capit diuina, tamen per naturam propriam mouetur, sempérque moueri potest, & viuere. *ibid.*

Anima neque extensa est, quia esset qualitas, neque in extẽsione sita alicubi, qui nõ per se & liberè moueretur, nisi subsisteret per se ipsam, quapropter est instar pũcti alicuius in se ipso viuentis, & ab omni quantitate, & situ penitus absoluti: ideò ambit æquo omnem corporis sitũ, & quando corpus ingreditur, quia ipsũ non est proprium quantitatis alicuius punctum, non astringitur ad punctum aliquod corporeæ quantitatis determinatur ad tangendum punctum alicuius quantitatis, sed est vt centrum in omnibus lineis, & circulo toto: & hinc sequitur, vt sit & diuidua simul & indiuidua: diuidua, quia per diuisionẽ corporis, vitalem sui vmbrã diffundit, dum diuersis corporis partibus se communicat: indiuidua, quia integra simul astat, & simplex: diuidua, quia vmbra eius in toto corpore est diuidua: & indiuidua, quia ipsa per modum indiuiduum est in qualibet corporis parte tota, & quoniam stabilem habet, & vnitam substantiam: diuidua, quia per operationem in plura diuiditur, dum operatur per motum, & tempus: indiuidua quia suspicit superiora, quæ admodum sunt vnita: diuidua, quia ad inferiora declinat, quæ plurimum diuiduntur, & cum corpora guberat, hæret diuinis. ideò corporum domina est, non comes. *Marsil. Ficin. Platon. Theolog. lib. 3. cap. 2.*

Anima est à Deo super materiam, vt eam non attingat elementorum procella, & iniquitas certantium qualitatum. *Marsil. Ficin. Plat. Theologia, lib. 5. cap. 6.* Anima, quia mera forma est, ideoque neque à sui forma neque à formantis lege discedit, permanet proculdubio immortalis. *idem, ibidem cap. 8.* Anima apud Platonicos est forma simplex per se subsistens, in essentia sua, perfecta, & integra, ad speciem quoque animalis efficiendam conducens. *ibid. cap. 12.*

Anima est forma simplex, & ita libera, vt neque ex pluribus partibus componatur, neque à materiæ visceribus eruatur: quando igitur fit, non potest ex rebus vllis prius existentibus generari, non enim ex rebus diuersis procul ante positis, deinde coactis in vnum, conficitur, cùm careat partibus, nec ex materiæ fomite prius informi, deinde formato, cũ sit supra materiam: igitur fit è nihilo: at aliquid è nihilo facere solius Dei potentiæ proprium est. *Mar. Fic. in Platon. Theol. lib. 5 c. 13.* Anima quæ tota est vita, per se viuit, præsertim cùm per se moueatur, si ita est, per se est vita: ergò animæ essentia est vita. *Idem, ibid. c. 14.* Anima, si humorum consonantia esset, vel ab ipsa dependens, nullo modo substantiarum, rerumque simplicium rationes cognosceret, affectaret, & caperet. *ibid. cap. 15.*

Anima, aut est aliquod corpusculum tenuissimum, corpori huic crassiori suffusum, siue igneum sit, vt Democritus, Leucippus, & Hipparchus existimant: siue aereum, vt Anaximenes, Diogenes Apolloniates, & Critias, siue aqueũ, vt Hippasus: siue terreum, vt Hesiodus, & Pronopides, siue ex igne, & aere constet, vt Boethus, & Epicurus: siue ex aqua & terra, vt Xenophanes; aut melior est anima, vt calor, vel complexio calida, vt Zeno Citticus, Cleantes, Antipater, Possidonius: aut potius aliquid, velut punctum aliquod lucidũ, quelnatis illius in quadã ipsius qualitatis, & corpusculũ parte potiori, puta cordi, vel cerebro assignatũ, ibi residẽs reliqua membra gubernans, vt est apud Crysippum, Archelaũ, Heraclidem Ponticũ: aut liberius aliquid, vt punctum, nulli parti affixum, sed tale, vt sit à corporis natura dependens, vel quia corporis complexio ipsum genuerit, vel quia genitor è materia eduxit, quod Xenophanes Colophonius, Asclepiades, Aristoxenus, Critolaúsque sequuntur; aut

diuinum quiddam est anima hominis, id est indiuiduum cuique parti corporis astans, & ita ab incorporeo auctore productum, vt solum ex agentis virtute, non ex materia dependeat, vt Mercurius, Zoroaster, Orpheus, Agalaophemus, Pythagoras, Plato docent: quorum vestigia sequitur plurimum physicus Aristoteles. *Mar. Ficin. Theologia lib. 6. cap. 1.*

Animæ tria potissimùm sunt officia, agit in corpora, agit per corpus, operatur per se ipsam; in corpus agit per eam potentiam, quam vegetatricem appellant Peripatetici, Platonici naturam: cùm generat corpora, nutrit, & auget, per corpus agit secundùm sensum tum exteriorem, quando audit, videt, olfacit, gustat, & tangit, tum interiorem, cùm corporum, quæ sensis extrinsecus imagines secum ipsa reuoluit: per se ipsam agit, cùm corpora neque per sensus exteriores attingit, nec imagines corporum per interiorem sensum colligit, sed ipsa mera via animæ incorporea, incorporei quid inuestigat, & inuenit, quod nec corpus sit, nec corporis alicuius imago, quam actionem intelligentiam nominamus. *Mar. Fic. Plat. Theologiæ, lib 6. cap. 2.*

Anima est forma corporis potissimùm, quia est proprium, internúmque operationum, & motionum principium, imo etiam principium essendi animali, quod totum ad formam spectat. *Mar. Ficin. Plat. Theologia, lib. 6. cap. 7.* Anima non potest esse corpus crassum, quia illius proprium est penetrare, implere, & mouere, quibus operationibus crassa corpora ineptissima sunt. *idem, ibid.*

Anima est solùm forma, nam si duas haberet partes, materiã, & formam, tria sequerentur absurda; primum quòd non secundùm se totam formaret corpus, quia non formaret ipsum per partem eius, quæ est materia: oportet totam propriam formam secundùm totam sui essentiam totam perficere materiam propriam: secundum, quòd pars illa animæ, quæ forma dicitur, duarum materiarum rationis eiusdem perfectio foret, quod natura non patitur, vt nec patitur formas duas rationis eiusdem eandem informare materiam; tertium quoniam anima in corpora hæc inferiora commutaretur, atque vicissim, si communem cum his materiam possideret. *Mar. Fic. Plat. Theologiæ, lib. 6 c. 7.*

Anima si esset qualitas corporalis, vel esset qualitas simplex, vel complexio, vel forma istis astricta; simplex esse non potest nam qualibet qualitas simplex, aut forma illam sequens, vnum quiddam facit duntaxat, ad opposita non extẽditur, nec etiam complexio, aut forma sequens complexionem, quoniam in hac semper vna quædam præ cæteris qualitas dominatur, cuius operatio ante alias viget in corpore, anima verò nulli qualitati, nulli proprio motui est astricta. *Marsi. Fic. Plat. Theologia, lib 7. cap 7.*

Anima non est qualitas, quia qualitas, quæ accidens est, subiecto iam facto aduenit, anima suum sibi fabricat corpus, factum seruat, dum deficit, reficit, & pugnantia elementa in vnum connectit, & abeunte animã, labitur corpus, nec prior complexio, vel species retinetur. *Mar. Fic. Plat. Theologia, lib 7 c. 9.* Anima cùm sit substantia, & complexio non sit substantia, cùm ex contrarijs qualitatibus constet, & suscipiat magis, & minus, ergo anima non est complexio. *idem, ibid.*

Anima si humorum esset harmonia ab ipsis tota penderet, nec ipsa eos moueret, sed illis ab alio agitatis anima oriretur. *Mar. Fic. Plat. Theologia, lib. 7. cap.* 10. Anima non solùm est subiectum virtutum, sed etiam principium. *idem, Plat. Theol. lib. 8 c. 3.* Animæ intellectualis vita nil aliud est, quàm intellectus diuini perennis actus, anima ab animæ non solutus à Deo. *ibid. lib. 12. cap. 4.* Animæ intellectualis vita est simulachrum vitæ, & mentis diuinæ. *ibid.*

Animam nostram Aristoteles in duodecimo de diuinis declarat esse formam corporis, incipere cum corpore, nec tamen desinere. *Mars. Fic. Plat. Theologia, lib. 15 cap. 7.* Anima est substantia incorporea, rationalis, & immortalis, corpori regendo accommodata. *idem, epist lib. 1.* Animæ sunt imagines Dei immortalis. *idem, epist. lib. 2.* Anima est lux quædam sine quantitate magna. *ibid.*

Animam numerum se mouentem ait Xenocrates, id est naturam multiplicem se mouentem, id est suâ proprietate mutabilem. *Mar. Ficin. Platonica Theologia, lib. 3. cap. 1.* Animæ, etsi fingantur, vt lumina, non sunt vt radij, sed vt luces, & hæ substantiales sensibili luce præstantiores. *idem, de lumine, cap. 3.*

Animæ motus est actio cum tempore, & quia prima actio cũ tempore est in anima, ideò primus motus est in anima, & est in ratione sui, inquantum iam à statu mentis degenerat, ideò ex vi naturæ inest ei motus, ergo ipsa principium motus existit, quare animam mens præcedit, sed supra mentem vnum existit, nam licet mens immobilis sit, non tamen vnum est. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. c. 4.*

Animæ finis compositum est, quia & ipsa vnum quiddam cõpositum est ex ea, quæ cognoscit potentiã, & ea quæ appetit, ex illa sapientiam postulat, ea alia voluptatem, sed ex his vnum fit, vt ex vtraque potentia vnum. *Mar. Fic. in Plat. Phileb. lib 1. cap. 34.* Anima est mentis vmbra, corpus est animæ vmbra. *idem, ibid. cap. 21.* Animæ propriæ sunt voluptates, & molestiæ, de præteritis, & futuris susceptæ. *ibidem, cap. 33.*

Animam cùm dicimus, priscorum more theologorum, vim in ratione, & sensu positam intelligimus, cùm naturam, vim animæ in generando collocatam; vim illam in nobis propriè hominem vocauerunt, istam hominis idolum, & simulacrum; & generandi facultas ideò mobilis, quia temporis spatio exequitur. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium ora. 2. cap. 3.*
Anima est domicilium humanæ cogitationis, spiritus est animæ domicilium, & corpus est spiritus domicilium. *idem, ibid. or. 6 cap. 3.*

Anima in vniuersi gradibus est primum, quòd mouetur, & ideò ex se mouetur, & alia mouet, ideò est motus principium, & eius motus tanquam primus, & naturalis est omnium perfectissimus, propterea vniuersalis, absolutus, circularis, & sempiternus; & animæ motus in vita consistit, & vita eius in motu perpetuo, ideò est immortalis. *Marsi. Ficin. in Plat. phæd. c. 5.*

Anima fons motionum appellatur, quia in se ipsa, ex ipsa, & in alia iugiter motus profluit voluntarius, & est principium motus quia mobilibus efficaciter dominatur. *Mar. Fic. in Plat. phæd cap. 6.* Animæ forma intima & diuina sulis diuinis nota est, nos enim per comparationem hanc excogitamus. *idem, ibid. cap. 7.* Animam peruenire per formulas ideariũ illi insitas ad ideas nil aliud est, quàm reminisci intelligibiliter illorum, quæ quondam animus viderat in cælis, suum ibi mundanum Deum sequutus. *ibid. c. 25.*

Anima rationalis est motionis ordinatissimæ domina. *Mar. Fic. in Plat. Timæum, cap. 11.* Anima, & materia informes sunt nisi Deus vtranque formet. *idem, ibid.* Animam harmoniam esse negat Plato in Phædone, id est partium corporalium ex ipsis confectam, & in eis iacentem in Timæo autem affirmat animam harmoniam esse partium suarum in se manentem, & ex se corpus contemperantem. *ibid. c. 17.*

Anima non solùm per numeros, sed per figuras describitur, vt per numeros quidem incorporea cogitetur, per figuras cognoscatur ad corpora naturaliter declinare. Conuenit triangulus animæ, quia sicut triangulus ab vno angulo in duos protenditur, sic anima ab indiuidua diuináque substantiã profluens, in naturam corporis labitur penitus diuisibilem, ac si cum diuinis conferatur, diuisa videtur: quæ enim illi per vnam, & stabilem virtutem agunt, atque subitò, hæc per plures mutabilésque vires, actionésque peragit, ac temporis interuallis: at si conferatur cum naturalibus, indiuisa cẽsetur, non enim alibi habet partes alias loco disiunctas, vt alia, sed est in qualibet totius parte tota. *Mar. Ficin. in Plat. Tim cap. 17.*

Animæ sunt paris stellis numero, non vna vni, semper enim per sequentes gradus virtus quidem minuitur sigillatim, sed compensanda summatim numerus augetur; pares igitur sunt numero, quia quot stellæ, totidem sunt rationalium species animarum, dæmonicarum, atque particularium, sed in specie qualibet particularium plures quam in dæmoniaca sorte, & cunctæ per quamlibet sphæram decocpa stellæ illius, & proprietate præditæ, & appellatione cognominatæ; atque insuper inter se proprietate iam variæ, quot sunt in eadem stella virtutes; & dicuntur stellis pares numero factæ, id est proportione numerosa consimiles; & stellas intelligendum est hic non solum conspicuas in cœlo, sed etiam non conspicuas, & sub cœlo. *Mar. Fic. in Plat. Tim c. 25.* Anima per suam essentiam est super futura, & super seriem naturalem mobilium causarum, sed per cœleste vehiculum in fato, per reliqua iam sub fato. *idem, ibid.*

Animæ harmoniam ostendit vbi ait Plato, intelligendum est non de harmonia, quæ in substantia animæ est penitus insolubilis, sed illa, quæ in actionibus desideratur. *Mar. Fic. in Plat. Tim. cap. 18.* Anima est substantia propriam habẽs potentiam, qua & moueatur ex se, & cætera moueat. *idem, in Plat. de leg. dial. 10.* Animo simplici attribuit Plato synceritatem, fidem in verbis, firmitatem in gestibus, & actionibus. *idem, in Plat. epist cap. 10.*

Anima, a Platonicis dicitur substantia, quæ prædita est his tribus, id est discursu, & vi discurrendo exordia sumit ab intelligentia, & ab imaginatione, & quatenus sic affecta est, vt vitam quandam in corpus effundat humanam, homo di-

citur,

citur; hæc est propriè anima; vitæ verò hinc effusa animatio, & vivificatio dici debet, sed communi licentia freti illam animam dicemus primam, hanc secundam, à prima secunda sumit vires, in prima ab intellectu ratio, è ratione imaginatio, id est, communis sensus proficiscitur; deinde sensus exterior in partes quinque diuisus, postremò potentia genitalis, quæ & natura vocatur generationis, augmenti, nutritionis origo. *Mar. Fic. in Plo. En. 1. lib. 1. cap. 1.*

Animam ab Aristotele dici actum, & perfectionem corporis, accipi potest non solùm pro forma, & anima à corpore inseparabili, sed etiam pro ea, quæ sit à corpore separabilis. *Mar. Ficin. in Plot. En. 4. lib. c. 1.* Anima non est dimensio, nec qualitas extensa dimensione, sed indiuiduum quiddam, non tanquam aliquis dimensionis terminus alicubi in dimensione signatus, sed inde solutum, in se consistens, extra totum quantitatis genus, eo quidam plus, quàm substantiæ genere, molem totam longissimo naturæ, virtutisque supereminens interuallo, vnde hoc ipso indiuiduo sui totam vndique molem, possidet, nec totum possidetur ab ipsa. *idem, ibid. lib. 3. c. 9.*

Anima cùm sit substantia incorporea, in se existens, non determinatur ad aliquem locum, nisi per inclinationem, & actionem circa illum; soluta è corpore terreno, si nullam retinet inclinationem eiusmodi, nusquam terrarum est, & vbique: at si ad terrena retinet inclinationem, circa hæc reuoluitur cum corpore spiritali, in quo & corporea patitur. *Mar. Ficin. in Plot. En. 4. lib. 3. c. 24.* Anima est per essentiam vniformem ordo quidam specialis, & firmus, futuri ordinis vniuersi exemplar pariter, & effector; & quantum in se est, efficere potest omnia simul, si materia possit omnia simul capere. *idem, ibid. lib. 4. c. 16.*

Anima substantia est, & vis, actus ille suus viuificus ab ipsa emissus inseparabilis est; substantiale aliquid est, & viuificus, & qualitas hinc corporei tributa accidentale quiddam est, & quasi vitale; & actum illum appellamus idolum animæ, in quo sensus est, & natura vegetalis: qualitatem illam imaginem animæ nominamus, & vmbram; ex hac, & corpore fit compositum, in quo sunt dolores, & voluptates corporeæ, quarum passionum sensus ad idolum, & animam perueniunt, passiones verò nequaquam. *Mar. Ficin. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 18.*

Animam existimabant esse spiritum, id est subtilissimum corpus, Stoici, & Epicurei, illi potius igneum, hi aereum, & veri que non quemlibet spiritum, sed certâ quadam proprietate effectum. *Mar. Fic. in Plot. En. 4. lib. 7. cap. 4.* Anima motus, effectúsque omniformes tam vegetatiua virtute per rationes seminales, quàm electione profert, & corpus certo quodam ordine ad certum auget terminũ, & interim permanet eadem; & anima tota est in qualibet, vel ficta portione animæ, vel verâ corporis portione, & tota virtus animæ in qualibet seminis gutta seruatur. *idem, ibid.*

Anima non est vna in omnibus speciei distincta numero, neque singulæ deriuatæ sunt ex vna diuisa, nã anima est substantia incorporea, indiuidua in se consistens. *Marsi. Ficin. in Plot. En. 4. lib. 9. c. 4.* Animam significat Plotinus vnam esse in cunctis corporibus non rationalem quidem, sed vegetalem, sensûsque confusi cuiusdam participem, sed rationalem quamlibet animam posse corpus suum vnà irrationali formare, si non sit ab anima mundi formatum. *idem, ibid. c. 5.*

Animæ quamuis essentia inter se distinctæ sunt, omnes tamen quodam modo sunt anima vna, tribus rationibus; primò, quia vna præest animarum generalis idea, & tota singulis inest: secundò, quia quælibet anima est forma penitus omniformis, ideò quælibet anima cæteras amplectitur animas, sed differt hæc ab illa, quoniam sub differenti actu, proprietatéque hæc, & illa sunt omniformes, sicut conueniunt, & differunt propositiones inter se geometriæ: tertiò, quia omnes in eodem puncto esse possunt, sicut lumina, imaginésque cœlorum atque confusione. *Mar. Fic. in Plot. En. 4. lib. 9. c. 5.* Animarum numerum ostendit manifestè Plotinus in libris de dubiis animæ. *idem, in Plot. En. 6. lib. 3. c. 7.*

Animæ vita solus Christus est. *Io. Pic. Miran. in or. Dominicam.*

Anime est tanquam tabula rasa, & quamuis Platonici vellent eam notionibus in corpus insculptam descendere, earum tamen obliuisci fatentur, vnde ei necessarius est sensus, & phantasiæ adminiculum ad reminiscendum. *idem, de imagin. cap. 6.*

Animam Thales primus vocauit naturam immobilem: Alchmaon per se mobilem, Pythagoras numerum seipsum mouentem, Plato substantiam intellectam, ea seipsa mobilem, & secundùm harmonicum numerum motam: Aristoteles entelechiam primam corporis naturalis potestate vitam habentis: Dicæarchus nihil esse animum voluit: Asclepiades sensuum exercitium esse ait, Philolaus harmoniam; cor alij animam dixere, alij cerebri partem: Zeno ignem, alij spiritum, alij corpoream, vt Archelaus, & ante illum Anaximenes, Anaxagoras, quem forte secutus est Varro, Parmenides, & Hippasus, qui igneam esse voluere, & Democritus: Stoici multi spiritalem esse multo calore participantẽ: Epicurus ex quatuor qualitatibus. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in examine vanitatis doctrinæ gentium, lib. 1. cap. 14.*

Anima substantiæ quidem simplex est, non tamen vt Deus, & intelligentia, constat enim ex intellectu agente, & possibili. *Gab. Burat. de animi natura, lib. 2.* Anima ex numeris harmonicis constat ob illam congenitam propensionem ad virtutes, quam veluti virtutum quædam semina in animo summus rerum omnium opifex posuit: dissonantia verò nil aliud est, quàm cæcus ille cursus ad vitia, ductore sensu, qui semper humanæ rationi, & virtuti aduersatur. *idem, ibid. lib. 3.* Anima est numerus numerans, qui non constat ex vnitatibus, & mouet seipsum, quia intelligit se ipsum. *ibid.*

Animam numerum seipsum mouentem ait Plato, & de variis animi motibus exagitat Aristoteles multis rationibus, & fabulam appellauit Pythagoreorum opinionem de animis humanis noua corpora ingredientibus, etiam belluarum. *Iaco. Carp. in Alc. præfatione.* Animam ex se moueri, quòd ait Plato, si intelligatur ex se agere, & suam functionem exercere, corpore nihil adiumenti conferente, facilè cognosces Aristotelem, & Platonem eadem penè fundamenta esse secutos in probanda immortalitate animæ, vt patet in Arist. primo de anima, cap. 2. *idem, in Alcinoi parte post. dig. 10.* Animæ accommodatus est numerus vigesimusseptimus, vt ternarij cubus, in quo maximè perfectio posita est, ideò illi accommodauere, vt formæ omnium perfectissimæ. *idem, in Alcinoi cap. 12.*

Anima, quæ vocatur ab Aristotele ψυχὴ alia est à mente, quæ dicitur νοῦς, quia illa est corporis perfectio, & actus, cũ corpore interiore censetur; at mens separabilis à corpore est, & vt ipse Aristoteles vbique ait, vt in libro de generatione animalium, ab elementis non nascitur, segregatúrque, exterius aduentat, in moralibus separatur, seiungitúrque à corpore, & è composito, vt quæ ab eo nihil generat, aliunde nata, verus homo, pars diuina, cuius duntaxat est fœlicitas vocauitem in libris de anima. *Aug. Steuc. de peren. phil. lib. 9. cap. 10.*

Animam nos tenere debemus ex diuo Augustino vnam esse suâ essentiâ, totam in toto corpore, & totam in qualibet parte; facultatibus tamen variè diuidit. *Iac. Carpen. in Alcinoi dig. 9.* Animus per se intellectualis est, affectionibus vacuus, & purus, & dum corpori adhæret, affectibus perturbatur, & quasi corporeus efficitur, nam illi corpus impedimento est. *Seb. Foxius in Platonis Phædrum.* Anima ab entelechia tanquàm res quædam mutabilis, à stabili differt. *Leo Hebræus de amore, dial. 3.* Animæ è Platonicorum sententia est numerus in orbem sese mouens. *idem, ibid.*

Animæ generatio cum eius proprium & locus.

Anima nostra dicta est etiam antequam in corpus deueniat, vt rursus essentia, & natura est, quæ cognomen habet eius, quod est. *Plat. in Phædone.* Animæ opera sunt propria, quæ per nullam aliam rem facere possumus, quàm per animam, vt curare, imperare, & consultare. *idem, de republ. dial. 1.*

Anima benè opera sua perficere non potest si propriâ virtute priuatur. *ibid.*

Animæ nostræ sunt priusquam nascamur. *Plat. in Phædone.*

Anima prior corpore facta est, cui corpus, vt dominanti subditum est secundùm naturam. *idem de legib. dial. 10.*

Anima si prior est corpore, & mores, & affectus, & voluntates, & ratiocinationes, & opiniones, & curæ, & memoriæ prius factæ sunt, quàm longitudo, latitudo, & profunditas, & corporum robur. *ibid. dial. 7.*

Animæ constitutionem fabricator in duplum diuisit, secundum longitudinem mediam ad medium, vtrasque inter se velut litteram Græcam appositam in circulum reflexit, & cùm ipsas inter se in occursu oppositione coniunxisset, etiam motu, qui secundùm eadem, & in eodem circum agitur, ipsas circumcirca comprehendit, & alterum foras, alterum intus fecit: externam igitur circumuolutionem de eiusdem natura cognominauit, internam de alterius. Eiusdem itaque circumuolutionem secundùm latus ad dextra circumduxit, alterius autem secundùm diametrum ad sinistra; dominium autem eiusdem, & similis circumuolutioni dedit; vnam enim non sectam dimisit; interna verò sexcies secta, & septem orbibus inæqualibus secundùm vnumquodque dupli, ac tripli interuallum, cùm vtraque tria sint, effectis, demandauit orbibus, vt contrario inter se modo progrederentur, celeritate tres similiter, quatuor autem, & inter se & cum tribus

dissimiliter, sed qui tamen ratione ferrentur. *Plat. in Timæo.*

Animæ constitutio postquam facta fuit, post hoc quodum corporeum intra ipsam fabricauit, & medium ad medium adductum adaptabat; at illa vbi ex medio ad extremum cœlum vndique se extendisset, & ipsum circumcirca extrinsecus obuelasset ipsáque in se ipsa concurreret, diuinum principium indesinentis, ac sapientis vitæ in vniuersum tempus incœpit. *Plat. in Timæo.*

Anima cùm sit commista ex horum trium partibus eiusdem scilicet, & alterius naturâ, & ex essentia, & iuxta proportionem diuisa, & alligata, ipsa ad seipsam reuoluitur, cùm aliquid, quod essentiam dissipatam, & quod indiuiduam habet, attigerit, tunc super se ipsam totam commouens ducit, & eam quæ quid idem sit, & à quo alterum, & diuersum, & ad quod maximè, & vbi, & quomodo, & quando contingit, vt singula ad singula quæ sunt, & patiantur, in his, quæ fiunt, non in his quæ semper secundùm eadem se habent. Sermo autem, qui secundùm idem verus est, dum circa alterum est, & circa idem in eo quod à seipso mouetur, fertur absque voce, & sono, & cum circa sensum ea positum quid fuerit, & alterius circulus rectus progrediens in omnem suam animam denunciauit, opiniones, & persuasiones sunt constantes, & veræ; cum verò circa rationis particeps fuerit, & eiusdem circulus bono cursu progrediens, ipsa significauerit, intelligentia, & scientia necessariò perficitur. Hæc autem duo in quocunque ex his quæ sunt accedunt, si quis id ipsum aliud quàm animam dicat, quiduis potius, quam id quod verum est dicit. *Plat. in Timæo.*

Animæ origo è cœlo manat. *Macrob. in som. Scip. lib. 1.* Animæ non ex eo, quòd mundus erat huc venerunt, sed ante mundum habuerunt, vt mundi quandoq; forent, mundana curarent, sistendi causæ forent, gubernarent, efficerentque vtcunque modo id facerent siue præsidendo ex se nonnihil attribuentes, siue immergendo se dederent, siue aliæ quidem sic, aliæ verò aliter id efficerent, prouidentiæ non est culpanda. *Plot. En. 3. lib. 1. c. 7.*

Animæ non fiunt à dæmonibus, sed suscipiunt & ab heroibus nonnihil, & ex se multa insuper adhibent, sed anima beneficâ voluntate deorum sæpe illuminata, dæmones supergreditur ad vitam angelicam potius, quàm animalem, & quamuis anima videatur omnes rationes, & vitas in se species exhibere, tamen determinata semper est secundum aliquid vnum, id est vnam speciem; atque interim ex causis præcedentibus alias aliàs se ipsam coordinat ipsa se mouens. *Iamb. de myst.* Anima ante elementa, & generationem, totam suam habet substantiam, eique vita quædam, nec corpori nec naturæ permista. *Procl. in Alcib. de prima.*

Anima cùm sensibili mundo institueretur, ortum eius ex indiuidua vita quæ mens, intellectúsque est, & alia, quæ per vniuersa corpora diuiditur, & scinditur, prouenit, vtque inter indiuiduam & diuiduam mediam animas locatam, vt immunis ab incorporatione in mundo esset intelligibili semper, stirpibus mutis, & item nihil sentientibus opitularetur. *Chalc. in Timæum Platonis.* Animæ principale positum in media sede cordis, sensuum exordia retinet, vt cùm quid nunciabant de proximo recognoscat vt aranea in medietate cassis omnia filorum tenet pedibus exordia, vt cum quid ex bestiolis plagas incurrerit, ex quacunque parte de proximo sentiat. *idem, ibid.* Animam in penetralibus cordis locatam ait Aristoteles *ibid.* Animæ vis principalis in cerebro collocata est iuxta Platonis mentem, *ibid.*

Animæ Crātor cùm iudicaret præcipuum officium esse iudicare intelligibilia, & sensibus subiecta, horúmque in se ipsis, & mutuæ diuersitates, affinitatesque, ex omnibus ait vt omnia habeat nota, esse compositam, ex quatuor esse, naturam intellectibilem, quæ perpetuò eadem, vnisque modi maneat, & illam, quæ in corporibus afficitur, & variat, & naturam eiusdem, & alterius; quòd etiam illarum vtraque alterius, & eiusdem contagione teneatur. *Plut. de anima creatione.*

Animæ geniturâ Xenocrates nihil aliud existimat, quàm genituram numeri indiuiduæ cum diuidua essentiæ confusione denotari, vnum indiuiduum esse, diuiduam multitudinem, ex his existere numerum, definiente numerum vno, quod infinitioni terminum addit, quam dyadem vocant interminatam, ita optimos numeros esse, qui monadis sint germanæ, nondum tamen hunc numerum esse animã, quia mouens, & mobile ab ea absit, attemperatis inter se eodem, & altero, quorum alterum est motionis, & mutationis principium, alterum animæ statio, & quies, animam extitisse, quæ non minus vt sistente, & stante, quàm agitante, & agitatã censetur. *Plut de anima creatione.*

Animam Platonici negant tempore genitam, sed virtutibus pluribus præditam esse. *Plutar. de anima creat.*

Anima ex seipsa vim passioni parentem germinat, mentem verò à potiore principio infusam sortita est. *idem, ibid.*

Animam componi ex partibus incorruptibilibus (intellectũ dico possibilem, & agentem) est opinio propria Auerrois, nec vniri corpori secundum esse, sed distributus omnibus. *Bes. in calum. Plat. lib. 3. c. 22.*

Anima non ab angelo vt Plotinus, & Proclus & nonnulli Platonici opinantur, sed à Deo; & Dionysius Areopagita, Origenes, Augustinus excellentissimi Platonici aiunt. *Fic. in Plat. Theol. lib. 5. cap. 13.* Anima à Deo summo sine medio procreatur. *idem, ibid.* Anima, etsi vt Angelus à Deo creatur, tamen quia sub altiori idea angelus creatus est, & anima sub inferiori, ideò perfectione non sunt pares anima, & angelus. *ibid.*

Animæ nouæ quotidie à Deo creantur, quia non licuit ab initio omnes creauisse, vt angelos: nam si diu à corporibus solutæ vixissent, syncerè iudicauissent quanto precioſior sit vita soluta, quàm alia, & nunquam corpora ingredi voluissent: videlicet, vt intellectuales sunt, nec Deus, vel angelus volunt liberam animæ voluntatem cogere, mens enim solâ persuasione mouetur: & vt animæ sphærarum non fuerunt creatæ ante sphæras, sic nec animæ nostræ ante corpora propria, & cum anima sit corporis actus, & formæ necessariò prius esse debet potentiã, quàm actus secundum potentiam, cùm è potentia in actum procedatur. *Fic. Plat. Theol. lib. 18. cap. 3.*

Animæ nouæ quotidie à Deo creantur, quia cuique formæ naturale est, vt materiæ propriæ vniatur: cuique enim rei prius tribuitur, quod secundùm naturam est, quam quod est præter naturam: animæ verò, quia anima est, prius conuenit, vt sit corpori coniuncta, quàm separata. *Fic. Plat. Theol. lib. 18. cap. 3.* Animas Deus parit quotidie non ad libidinẽ coeuntium, sed ad præscriptam legum prouidentiæ, quæ & numerum, & tempora concumbentium ab initio vidit in æuo, & ideò non simul creat, quia corpora per successionem generanda erant, & vt continuè angelos illuminat, sic quotidie animas procreat. *idem, ibid.*

Anima creatur post iactum semen diebus circiter quinque, & quadraginta, tunc enim corpus formatum est. *Fic. Plat. Theolog. lib. 18. cap. 6.* Animabus Orpheus nouem distribuit regiones: probis, vel octauam sphæram, vel planetas, vel ætherem sub planetis; mediis aquam, aerem, & terram; reprobis Charontem, Cocytum, & Pyriplegethontem, vbi nouies interfusa Styx interfusa coercet. *idem, ibid. c. 10.*

Anima nostra à prima mente gignitur, quæ prout à mente nascitur, mentis habet partem, quia à mente degenerat, & ad mentem vergit, non tota, & pura mens est, sed mens in anima, & animæ paret habens, vltra mentem, opinionem, sensum & gignendi naturam; idcircò animæ intentio non omnis semperque ad mentem est, sed ad corpora plurimum.

Anima, vt ab ipso vno omnium principio producitur, vnitatem quandam sortita est, quæ omnem essentiam eius vires, actionésque vnit, à qua, & ad quam ita cætera, quæ in anima sunt, se habent vt à centro, & ad centrum circuli lineæ. Vnit verò non modò animæ partes inuicem, & ad totam animã, sed animam totam ad ipsum vnum rerum omnium causam. *Fic. in Plat. Ionem.*

Animæ hominum cum à Deo creantur, integræ sunt, duobus exornatæ luminibus, ingenito, & infuso, vt ingenito æqualia, & inferiora, infuso superiora conspicerent: Deo æquare se voluerant, ad vnicum lumen ingenitum se reflexerunt. Hic diuisæ sunt, splendorem infusum amiserunt, ad vnicum lumen ingenitum se conuertentes, statimque in corpora cecidere, & superbiores factæ iterum diuiduntur, id est si naturali nimium confidant ingenio, lumẽ illud ingenitum, & naturale, quod restitit, quodammodo extinguetur. *Fic. in Plat. conuiu. or. 4. cap. 2.*

Anima ex Deo nata naturali quodam instinctu in Deum parentem suum conuertitur, & lumen habet geminum, naturale, & ingenitum, diuinum alterum, & infusum, quibus vna coniunctis, velut duabus alis, per sublimem volare possit regionem. *Fic. in Plat. conu. or. 4. c. 12.*

Anima semper est, & fit. quæ supra animam cogitantur, semper sunt, & nunquam fiunt; mundus nunquam est, sed semper fit; quæ in mundo gignuntur sunt nunquam, sed aliquãdo fiunt. *Fic. in Plat. Tim. cap. 7.* Anima, & mundus à Deo pendet, vt eadem scopulo inter stagnum, & torrentem posito, assiduè in stagno quidem est, in torrente verò fit imago, & euanescens iugiter recreatur, sic à Deo semper pendes vtrunque, sed aliter & aliter, nam ab ipso anima quidẽ semper est, mundus verò fit semper. *idem, ibid.*

Animæ compositioni, ac partitioni quinarium numerum conuenire

uenire tribus de causis arbitramur, primò quia, vt quinarius ex primo pari, & primo impari constat, sic anima ex diuidua, & indiuidua natura: secundò, quia genera quibus componuntur omnia à Deo per quinque distribuuntur, essentiã, idem, alterum, statum, motum: animam, vt omnium medij præcipuè quadam ratione ex ipsis quinque omnium generibus compositam arbitramur: tertiò cùm anima sit vniuersi medium, naturaliter suscipit quinarium vniuersi numeri medium: est enim quinarius perfectum denarij medium. *Fic. in Plat. Timæum, c. 27.*

Animam componit quinque modis Plato: primò ex quinque rerum generibus, secundo ex numeris, tertio ex concentibus numerosis, quarto ex motus figurarum, quinto ex principiis motionum, videlicet, vt possidens metaphysicorum, & mathematicorum rationes, ita cuncta cognoscat, scilicet essentias, numeros, concentus, figuras, & motus. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 27.* Animam Plato quatenus diuinis cognata est, ex rerum generibus, quæ primò diuinis insunt dicit esse compositam, quatenus cognata est naturalibus, miscet eam figuris, & motibus: quatenus inter vtraque mediũ obtinet, numerosis eam concentibus, rationibúsque contemperat. *idem, ibid.*

Anima ex essentia indiuidua, & diuidua, & ad res iudicandas, & peragendas apta est; nam quòd ex essentia constat quid sit vnumquodque definit; quia ex eodem cognoscit quid simplex, & si compositum, qua vnione coniunctum, & quomodo secum ipsum, & cum aliis consentiat; quia ex altero, quid sit diuersitatis in quolibet, & qua conditione, vel in se digeratur, vel secernatur à cæteris; quoniam ex statu quale, & quo pacto quoduis in se ipso permaneat; quia ex motu constat, cognoscit, à quali res quæque, & quali ratione dependeat, itẽ qualia, & quomodo faciat *Fic. in Plat. Tim. c. 32.*

Anima in fabricãda Plato genera rerum omnium certâ quadam ratione commiscet harmonicâ ratione, non arithmeticâ, alioqui iniusta foret alicubi distributio, nec geometricâ, quia tanta foret æqualitas in mixtura, vt cum extrema corporum diuersitate proximè conspirare non posset: at harmonica ratio variorum similitudine constans, & dissimilia facit similia, & inæqualia communi quadam æqualitate connectit. *Fic. in Plat. Tim. cap. 32.*

Animæ ad generationem cum ait Plato, Deum sumpsisse portiones septem, mysterium tetigit tum in musica, tum in natura. in musica, quia ad septimum vsque gradum omnis vocum progreditur discrepantia, post quem fit ad eandem reuolutio: in natura. tum quia multa per septenarium in naturalibus transfigurantur, tum quia septenarius vnitatem habet, vt copulam geminæ trinitatis, atque ex his geminis, & se ipsa, rursus explicat trinitatem, eiusmodi verò est vniuersi similitudo. *Fic. in Plat. Tim. c. 32.*

Animæ in constitutione colliguntur numeri lineares, superficiales, & solidi, vt cognoscamus animam penetrare per omnia, & amplificari passim, penitùsque implere. *Ficin. in Plat. Tim. cap. 33.* Animæ vnitas respondet essentiæ, intelligentia termino, voluntas infinitudini, ratio identitati, imaginatio alteritati, connectendi virtus statui, generandi vis motui *idem, ibid.*

Animam rationalem hominis ait Plato à Deo ex iisdem rerum generibus eodem in cratere commixtis, atque mundi animam fuisse conflatam, crater enim significat ipsam vitæ rationalis ideam: sed addit, ex reliquis superioribus commixtionibus fuisse confectam, significans particulares vitas vniuersali vitâ inferiores esse. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 36.* Anima per se ad rectum actum procliuior ab ipso Deo per intelligentiæ munus circulari motui prorsus accommodatur, ideo interfecat Plato lineas duas ad animam figurandam, & eas reflectit in girum. *idem, ibid.*

Anima nostra simili ratione atq; anima mundi commixta fuit, similésque circuitus possidet. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 38.* Anima geminis circulis describitur, firmamento scilicet non errante, & post firmamentum orbibus peruagantium planetarum: firmamenti circuitus ipsam identitatis, intelligentiæque naturam propriam refert: anfractus autem multiplices planetarum, propriè naturam alteritatis inferiorúmque animæ partium repræsentant, sed ex ipso animi motu simul, & tempore. tempus vna cum motu in mundo enniequitur *idem, ibid. c. 36*

Anima quoniam ex omnium generibus harmonicè conflata est, & conuertitur in seipsam facilè quælibet incidentia iudicat, formas earum in se prorsus agnoscens. *Ficin. in Plat. Timæo, c. 37.* Anima composita est ex natura indiuidua immobilique, item ex natura diuidua & mobili, atque mediã essentiã, cunctit in vnam speciem perfectè conciliatis, musicâ videlicet proportione. *idem, ibid. cap. 34.* Animam vbi Plato appellat generationem, & motionem, intellige per modum causæ, id est proprium motionis, & generationis principium. *idem in Plat. de leg. dial. 10.*

Animæ formatio tum per essentialem animæ instinctum, tũ per essentialem mentis actum efficitur: meritò igitur essentialis vndique formatio est à Deo. vt quemadmodum in mẽte, idem est essentia, quod intellectus, idem rursus esse, quod intelligere, sic in anima idem fiat intellectus, quod eius essentia, & idem intelligere fiat, quod & esse, præsertim quoniam intellectus ipse diuinus ipso prorsus intelligentiæ actu format animam. *Fic. in Plot. En. 1 lib. 5. cap. 3.* Anima in nobis superior nec à matre, nec à patre fit, sed à mundi anima procreatur, concurrentibus cœlestibus animabus, & concurrente plurimum superiore nascituri hominis anima. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. c. 9.*

Anima vnde venerit in corpus, variæ Platonicorum opiniones; à summo Deo prodire vetustissimi putauere, alij eius esse portionem; alij à summo creari Deo; alij ab anima mũdi; & eorum, qui creatam putant, alij ante corpus, ita vt ex se extaret, mox corpus ingrederetur, vel ad expianda prioris vitæ facinora vt Pythagorici, vel ad luenda supplicia, quæ ipsa incorporea luere nequiret. Aristoteles obscurè ita locutus est, vt quid senserit, magna sit disceptatio. Antiqui nostræ religionis scriptores, & ex gentibus aliqui mortalem sensisse putant, iuniores immortalem. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam. vanitatis doctr. gen. lib. 1. cap. 14.*

Animam Democritus, Hippocrates, Plato in cerebro locarũt: Erasistratus circa cerebri ventriculum, quod vocant *[illegible]*: Herophilus in toto pectore, Empedocles, & Aristoteles in corde; Stoici in corde, vel in spiritu circa; Diogenes in arteria cordis concaua; alij in toto corpore; alij in septo, quod diaphragma dicitur, alij in corpore: alij etiam circa corpus: & alij in ipso corpus collocarunt. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 1. cap. 14.*

Anima intellectiua licet sit tota in toto, & tota in qualibet parte, tamen eius propria operatio in capite viget. *Gab. Bura. de ideis lib. 1. cap. 10.* Anima, secundùm Platonem, licet sit æterna à parte post, non tamen est æterna à parte ante: nec valet Aristot. ratio, quia anima non est quoddam perfectum in specie, sed pars speciei *idem, de reminis. lib. 4.*

Animæ compositio antecedit apud Platonem in Timæo exactam explicationem earum, quæ pertinent ad corpus. *Iac. Car. in Alc. c. 12.* Animæ vim principalẽ in cerebro sitam Hippocrates, Democritus, & Plato; Strato in medio sincipite: Erasistratus medicus iuxta membranam cerebri, quam epicranidem vocat; Erophilus in ventre cerebri, Parmenides, & Epicurus in toto hominis thorace; Empedocles, & Aristoteles vna cum vniuersa Stoicorum societate, in corde: & horum alij in cordis ventre, alij in sanguine, alij in cartilagine, quæ cor obsepit, alij in ipso diaphragmate constituunt. *idem, in Alc. dig. 6.* Anima iuxta Aristotelis opinionem in corde est, & consequens est cor solum per animæ essentiam animatum esse, reliquas verò partes, per virtutes tantùm & facultates ab illa substantia in corde residente, cum spiritu effluente *ibid. dig. 9.*

Anima sic producitur à mente, vt oratio producitur ab animo. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 1. c. 12.* Animas quotidie creari est magis rationabile, quàm simul omnes, nam si prius in cœlo fuissent, cum ibi locus sit beatitudinis, quicquid ibi est semper esse necesse est. nec ibi aliquid esse debet ad malum anceps *idem, ibid. lib. 9. c. 19.*

Animas antea fuisse quàm in hanc vitam descenderent, fuit error philosophorum, qui ab Orpheo manauit, quod vt probarent, reminiscentiam superioris vitæ imaginati sunt, & quòd ob facinora in ante acta vita commissa in corpus traderetur. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 9. cap. 28.* Animi cùm à Deo immediatè formentur, non possunt corrumpi, nam ex his inferioribus causis est corruptio. *Mar. Ant. Nat. de immor. anima. lib. 2.*

Anima mundi, & cœlestis.

Animam mundi Deus in medium ipsius inditam per totum extendit, & adhuc extrinsecus corpus ipsã obuelauit, & in circulum se conuertens circumcirca cœlum vnum, solum desertum constituit, vt quod ob virtutem ipsum cum se ipso consuetudinem habere posset, & nullo alio opus haberet, & ipsum sibi ipsi satis notum, & amicum esset. *Plat. in Tim.*

Anima mundi visui exposita non est, rationis autem & harmoniæ particeps, ab optimo ex his, quæ intelligi possunt, & semper sunt, optima ex his, quæ facta sunt, facta est. *idem, ib.* Anima mundi composita est ex essentia indiuidua, & semper secundùm eandem se habente, & rursus ex diuidua, quę circa corpora fit; tertiam essentiæ speciem ex ambabus mediam commiscuit quæ & eiusdem, & alterius naturam ha-

beret, & secundùm hæc in medio, & indiuiduæ, & circa corpora diuiduæ ipsam constituit, & acceptis his, quæ tria essent, omnia in vnam ideam commiscuit, alterius naturam, quæ difficulter commisceretur in idem violenter coaptans, & postquam cum essentia commiscuisset, ex tribus vnum fecisset; rursus totum hoc in quod partes conueniret distribuit, vnam quanque vero ex eodem & altera, & essentia mistam. *Plat. in Timæo.*

Animam mundi postquam Deus fecisset ex tribus vnum rursum totum hoc in quot partes conueniret distribuit, vnam quamque ex eodem, & altero, & essentiâ mixtam, incæpit autem diuidere hoc modo; vnam detrahebat de toto partem, post hanc auferebat duplam huius, tertiam verò sesqualteram secundæ, triplam primæ, quartam duplam secundæ, quintam triplam tertiæ, sextam primæ octuplam, septimam vigesies septies, primam continentem, post hæc impleuit dupla & tripla interualla, partibus amplius illinc dissectis, & in horum medio positis, vt in vnoquoque interuallo duo media essent, quorum vnam eadem parte extremitates ipsas excedit, & exceditur, alterum æquale secundùm numerum excedit æquali item superatur, quum autem interualla sesquialtera, & sesquitertia, & sesquioctaua fuerint, ex his vinculis in prioribus interuallis sesquioctauo interuallo sesquitertia omnia explebat, relinquens vniuscuiusque ipsorum partem, hoc parti interuallo relicto, habente numeri ad numerum terminos 256 ad 243. & sane mixtum illud, ex quo hæc desecabat, sic iam totum consumpserat. *Plat. in Timæo.*

Animas Deus constituto vniuerso, diuisit æqualiuum syderibus numero, & singulas singulis assignauit, & velut in vehiculum impositis, vniuersi naturam ostendit, & leges fatales ipsis exposuit. *Plat. in Timæo.* Animas creauit Deus, infundens rursus in peiorem craterem, in quo vniuersi animam temperans miscuerat reliquias superiorum, ac eas miscebat aliquo quidem modo eodem, incorrupta verò non amplius similiter secundùm eadem, ad secunda, & tertia *idem, ibid.*

Animam vniuersi sic quodammodo Deus diuisit, vnam auferens primam, quæ est quatuor vnitatum, ad octo denarios, & tres centenarios, huius autem duplum, & triplum facile est computare, consistente primo, oportet autem esse omnes cum supplementis, & sesquioctauis, terminos sex & triginta, vniuersum verò numerum fieri oportet centena, & quatuordecim millia, sexcenta nonaginta quinque. *Tim. loc. de an. mundi, & natur.*

Anima mundi omnes animas distribuit tanquam circumcurrentes, harum partim mutantur in melius, partim in peius, nam reptilium animæ in aquatilia transmutantur, aquatilia in terrestria migrant, terrestria in volatilia succedunt, aereorum in hominem vertuntur, hominum animæ immortales in dæmones transeunt, dæmon in deorum chorum feliciter reuolat, chori deorum gemini, vagantium vnus, non vagantium alter; & hæc est suprema animæ gloria; & animæ malæ pœna est reuolutio in reptilia prauitate animæ, ignorantia boni inscia orbata oculis, corporis sese passionibus implicat cacodæmonis tum corrupta, se ipsam ignorans abiectis corporibus, monstrisque deformibus seruit, cordis suum, vt onus circumfert. *Merc. Trisme pim. c. 10.*

Anima vniuersalis nacta est potestatem faciendi formam in simplici materia, ac informi naturaliter. *Arist. Theo. Ægy. lib. 13. cap. 6.*

Animam cœli absurdum est putare cùm possit cœlum continere, & id semper efficiat, perinde ac si per violentiam continuerit. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 4.* Anima cœli mouendo nunquam defatigatur, nec enim vel ipsa trahit, vel corpus præter naturam agitur; nam id ipsum naturâ est, quòd ab anima vniuersi ordinatum est. *idem, En. 2. lib. 2. cap. 1.* Anima mundi vbique existens, non diuisa per partes, sed vbique tota, dat & cœlo, vt & ipsum, quod potest: fit vbique, potest autem ex eo quòd pertranseat, & pergrediatur per omnia *ibid.*

Anima mundi totum id ratione gubernat, vt in quolibet animal, ipsum vitæ principium, à quo singula viuentis membra formantur, & ad totum, cuius partes sunt, ordinantur: in toto sunt omnia, in partibus autem duntaxat quantum est vnumquodque. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 13.* Anima mundi procul ab omni sollicitudine viuit, nullâ consultatione gubernans, nec quicquam corrigens curiosè, sed ex ipso suo intuitu ad superna mirabili potentiâ totum ornans: quo enim magis in suo se figit intuitu, eo pulchrior, & potentior, atque hinc desuper hauriens in inferiora transfundit, & vt diuinitus illustrata, perlustrat. *idem, En. 2. lib. 2. cap. 2.*

Anima mundum faciens, nunquam aberrauit; nam si ab æterno, adhuc in errore permanet; si incipit, cur non antè aberrauit? mundum fabricasse dicimus, non inclinatione animæ, immo esse habemus minimè inclinatam; nec mundum genuit, vt honoretur; eorum hæc est opinio qui affectus sculptorum nostrorum ad superos transferunt. *Plot. En. 2. lib. 9. cap. 4.*

Anima non solùm vniuersi, sed cuiuslibet vna cum totius anima, at quæ principium sit non paruum cunctis contexere, cùm non vt cætera ex seminibus oriatur, sed in causarum generatione præcedentium ordine collocetur; quamobrem cùm à corpore remota viuit, maximè sui ipsius domina est, atque libera & extra mundanæ causæ potestatem, at corpori infusa non amplius dominandi habet potestatē, & libertatem, vt quæ cum aliis iam ordinata fuerit; si melior sit, in plurimis dominatur, in paucioribus si peior, & si bonitate naturæ sic ea cupiditatibus resistit, & dominetur, ipsa permutat, & non permutatur, & partim mutat, partim absque culpa permittit. *Plot. En. 3. lib. 1. cap. 8.*

Anima vniuersa amorem habet vniuersum, particularis vnaquæque suum, & particularis amor animam particularem comitatur vniuersalis vniuersalem. *Plot. En. 3. lib. 5. cap. 4.* Anima vniuersa nusquam facta est, neque progressa, neque enim erat quo progredi posset, sed proximum ei corpus effectum, participauit eam; ideòque anima non est in corpore, nec id Plato vnquam dixit, sed corpus in anima est inductum. cæteræ verò animæ habent vnde veniunt, ab anima enim ipsa veniunt, & habent ad quod descendant, & pertranseant; & vnde regrediantur: anima verò totius superiorem habitat regionem, vbi esse ipsius animæ fert natura; quod verò subest vniuersum iā subiectā propinquitate viuificatur, vt perspicuum corpus solis subiectum illuminatur *idem, En. 3. lib. 5. cap. 2.*

Anima vniuersi semper in corpore, non enim vt nostra, corpus relinquit. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 4.* Anima mundi, & nostra est principium motionis, & vtraque ex seipsa viuit, atque eodem attingit eadem, intelligens tum quæ in cœlo sunt, tum quæ supra cœlum, & omne quod secundùm essentiam est, & quid perquirens, & denique vsque ad summum omnium principium proficiscens; & constat ante corpus viuere ex eo, quòd per se ipsam ex intimis notionibus quid ipsum vnumquodque sit, inuenit, quadam scilicet reminiscentiæ munere. *idem, En. 4. lib. 7. cap. 12.*

Animæ vniuersi conuenit vt nunquam deteriori operi occupetur, nec mala subeat; sed quæ sequuntur ea velut contemplatione prospiciat, & interim superioribus semper incumbat, quod quidem simul in ea potest implere muneris vtriusque compote accipiente quidem deuper, inferioribus verò suppeditante; fieri namque non poterat, vt vim sit animationis se ad vtraque propagaret. *Plo. En. 4. lib. 8. cap. 7.* Anima mundi ipsa animalia omnia fecit inspirans eis vitam, quæ nutrit tellus, quæ mare quæ in aere sunt, & quæ in cœlo stellæ diuinæ Solem cœlumque hoc ingens exornauit, ordine perpetuo ducit, existens natura quædam ab his diuersa quæ ornat, quæ mouet, quibus suggerit vitam; ideò his omnibus præstantior est, cum hæc oriantur cum anima vis suppeditat vitam, & occidant cum destruit, ipsa verò semper sit, quòd nunquam deserat semetipsam. *idem, En. 5. li. 1. cap. 2.*

Anima mundi à deceptione libera est & ab his omnibus, quæ cæteras animas fascinare consueuerunt. ideò in habitu quietissimo constituta, & quicquid extrinsecus ambit vndique conquiescit. *Plot. En. 5. lib. 1. cap. 2.* Animæ mundi conformis est anima nostra; & cum anima mundi sit causa vt dij alij sint, antiquiorem iis Deum existere necessarium est; conformis quoque est anima nostra. *idem, ibid.* Anima mundi non in partes ac particulas diuisa vitam inserit singulatim, sed omnia se tota viuificat, tota vbique adest, simi lis effecta patri, tùm secundùm vnum, tum secundùm quandam per omnia amplitudinem: & cœlum, & si multiplex, & aliud sit alibi, est tamen animæ ipsius potentiâ vnum; & propter ipsam hic mundus est Deus, & Sol, & Stellæ, quoniam animatæ sunt; & nos quidquid habemus egregij, ob hoc ipsum duntaxat habemus; orbati animâ stercoribus abiectiores esse dicuntur. *ibid.*

Anima mundi dum se omnibus mundi partibus exhibet, non diuiditur in partes, vt quælibet pars sit ipsum totum; multa vnum essent prima, & vnumquodque primum, nec discernerentur ne cuncta simul sint vnum, & vires eius ab ea inseparabiles sunt, ibi enim impossibile est essentiam absque potentia esse, vel sine essentia potentiam; potentia enim illis est substantia, & essentia, vbique ergo ipsa est tota. *Plot. En. 6. lib. 4. cap. 9.*

Animam mundi quicquid potest accipere simul vbique totum accipit,

accipit, vt aures vocem audiunt, non diuiſam, totam vbique ſonantem. *idem, ibid. c.22.*

Animas proprias præſtantiores, & deteriores eſſe oportet præter mundi animam, intimis proprietatibus inter ſe diſtinctas. *Plot. En. 6. lib. 4 cap. 14.* Animarum intellectualiũ cœtus vna cum prima mente, & anima prima, qui mundus vitæ dicitur ſi ſemper eſt totus, & indiuiduus vbique, ſequitur, vt nec motu locali accedat ad corpora, ſed effectu quodam, nec corpora ad illum, niſi quadam præparatione formali, fermè vt ignis ad proximum ſulphur, vel lumen ad contiguum diaphanum, atque viciſſim. *idem, ibid. cap. 15.*

Anima mundi eſt vnum; & ipſum quod eſt vnum non tale eſt, vt quantum ſit metiri liceat, hæc enim conditio eſt alterius naturæ, quæ falsò ſibi vendicat ipſum vnum, & participatione ſolùm aſſequitur, vt appareat vnum: quod verè eſt vnum, ita eſt vnum, vt ex multis nõ ſit accumulatum, ne quodam inde ſublato, totum illud vnum intereat, & tale, vt nullis aliunde terminis ſeparetur, ne adhibitis ei quandoque cæteris, minus euadat, vbi ſint illa maiora, vel cupiens dilatari per omnia diſſipetur, & ita non totum omnibus adſit, ſed per artes prius ſuas illorum partibus appropinquet: at ſi hoc reuera ipſum ſit vnum, de quo vt de eſſentia liceat vnũ prædicari, oportet in ſe ipſo eſſe infinitum, & multitudo, & cùm ſit eiuſmodi, neceſſarium eſt vbique totum eſſe vnam in ſe rationem exiſtentem, & ſe comprehendentem, & cõprehenſorem eſſe ipſammet. *Plot. En. 6. lib. 5. c. 9.*

Animæ mundi magnitudo non eſt exiſtimanda ſecundũ molem, moles enim paruum quiddam eſt caſurum verſus nihilum, ſi quis inde detraxeris: at ex illa natura neque fas eſt detrahere, neque ſi forte ſubtraheres, vllo modo deficiet, & ſic nunquam abeſt ab illo, cùm nullum patiatur defectũ, ſed ſempiterna natura ſit, non fluens, & cùm non fluat neque enim habet quo fluat, totum iam penitus comprehendit, imò ipſa eſt vniuerſum, & maius, quàm vt ſecundùm corporeæ naturæ magnitudinem exiſtimetur. *Plo. En. 6 lib. 4. c. 5.*

Anima mundi poteſt tota eſſe in corporibus remotis, nam & anima noſtra tota eſt ſimul eadem in pede, & manu, nec obſtant ſenſus differentes, ac paſſiones quominus ſit vna, quia in homine quoque vnus eſt iudex, ſic & in anima mundi. *Plot. En. 6. lib. 4 c. 6.* Anima mundi cùm occupat totum, & corpus animatum ſuum, & communem habet, & differunt ibi hæ animæ adiunctis motibus, quia ſcilicet hæc eſt anima huiuſmodi, illa illiuſmodi. *idem, ibid.*

Animam mundi, quæ ſemper extitit, haud efficit Deus, ſed ornat, eàque ratione eam facere nõnunquam aſſeritur, quia excitat eam, & ad ſe ipſum eius mentem, velut ex profundo quodam ſomno conuertit, vt ad ea quæ intelliguntur à Deo aſpiciens, diuináſque notiones affectans, ſpecies, & formas inde recipiat. *Alcinous c. 14.* Anima mundi intelligendi naturâ prædita eſt, & opinandi, ſed illa ſtabilis, affectu vacãte, & in materia ſemper manente fixa; anima opinatrix diuidua vagáque, vt quæ materiæ agitabilis, & diſſipabilis cõtagione teneatur. *Plut. de ani. gener. è Tim.*

Animis mundi totidem ſaltem rationes rerum ſeminales diuinitus habet, quot ideę ſunt in mente diuina, quibus ipſa rationibus totidem fabricat ſpecies in materia. *Fic. de vita cœlitus comparanda, lib 3 c 1.*

Anima mundi, & cœleſtes ex eo quòd corporibus ſuis adſint, nec paſſiones inde ſuſcipiunt, nec ab intelligentiis diſtrahuntur: animæ verò particulares patiuntur vtrunque. *Iamb. de myſt.* Anima ſola eſt quæ per ſeipſam mouetur, ideò eſt motus mundi origo, & cauſa. *Chalc. in Pla. Timæum.* Anima iuxta Platonis opinionem, eſt ſubſtantia carens corpore, ſeipſam mouens, rationalis. *idem, ibid.*

Animam mundi Platonici Saturnum, Iouem, & Venerem vocant; prout ſuperna intelligit, Saturnum; prout cœleſtia mouet, Iouem, prout inferiora generat, Venerem. *Fic. in Plat. conuiuium, or. 2. c. 7.* Anima cœli tota eſt ſimul in quibuſlibet cœli partibus, & punctis, ideò cœlum, vt tota ſua anima fruatur, currit per omnes ſui partes, & rapidiſſimè aduolat, vt quoad fieri poteſt totum ſit ſimul vbique vbicunque tota ſimul ſit anima. *idem, ibid. or. 3. c. 2.*

Anima mundi ad ſuperna ſe flectens, ab illis ſimiliter & radium accipit, & accenditur, gignitque amorem affluentiæ, inopiæque participem. Hinc formis rerum omnium exornata, ad earum exemplar cœlos mouet, pérque potentiam generandi ſimiles illis formas in elementorum materia generat; & hic torſus Venerem geminam aſpicimus, alteram vim animæ ad ſuperna cognoſcenda, alteram item eiuſdem ad inferiora procreatricem: illa nõ eſt animæ propria, ſed imitatio angelicæ contemplationis, hæc naturæ animæ propria. *Pic. in Plat. conuiu. or. 6. c. 7.*

Animæ mundi pars vegetalis à Platone dicũtur Lacheſis, Cloto, & Atropon, ab aliis dicitur Veſta, Minerua, Mars, vel Martia. *Fic. in Pla. de repub. dial. 10.* Animæ mundi vegetalem partem appellat Plato tribus nominibus, Lacheſin quia rerum ſeminibus grauida eſt, & vitarum ſortibus, atq; formis, quas deſcenſuris inſerit animalibus: Cloto, quoniam inſitas vitæ ſortes ordine ſuo euoluit in actum viuendi, & explicat in effectum, Atropon, quoniam vitas iam euolutas in actum progreſſu quodam indeclinabili, ad ineuitabilem vſque terminum conſeruat, & cuſtodit. *idem, ibid.* Anima mundi neceſſitas eſt, & tres filiæ ſunt tres animæ vires ad fatalia pertinentes. *ibid.*

Animæ mundanæ ſubſtantia eſſentia indiuiſibilis eſt, & immutabilis, vt intellectus, & dici poteſt quodammodo diuiſibilis, & mobilis, quia fons eſt proprius virium quarundam ad diuiſibilia, & mobilia declinantium. *Ficin. in Plat. Timæum. c. 27.* Anima mundi eſt ſpecies eſſentiæ, tertia, inter indiuidua, æternáque, ac rurſus diuidua, & temporalia media, *idem, ibid.*

Anima mundi, etſi indiſſolubiliter compoſita eſt, tamen tantá eſt multiplicitate compoſita, vt naturali quadam inclinatione ad ea vergat, quæ ſunt omnino compoſita, idcircò compoſitis, quibuſcum naturali quadam non dico conſanguinitate, ſed affinitate conſentit, quodammodo ſimilis figuratur: & quia media eſt rerum, meritò, & ex omnibus cõponitur, & concorditer cuncta deuincit; ideò cuidam, vel concordiæ, vel concorditer compoſito comparatur: præſertim quoniam, quæ in natura inter ſe pugnant, anima inuicem conciliat, conciliata connectit, & connexa conſeruat: itaque non iniurià concordia quædam ſubſtantialis, ſiuè ſubſtantia maximè concors, indiſſolubiliſque anima inducitur. *Ficin. in Plat. Timæum. c. 28.*

Animam non immeritò Plato effectricem, & ſeruatricem, motricem omnium naturalium, muſicis præcipuè numeris, & rationibus deſcripſit, non mathematicis accidentibus, vt quidam calumniantur, ſed idealibus numerorum, metaphyſiciſque rationibus conſtitutam cum muſica conſonantia, quaſi viua ſit & rationalis, & efficax, & quàm ſimillima, animo quàm gratiſſima, & totum ſibi hominem vendicet, & quod maius eſt, per ipſam factus ſit animus, facta ſint omnia, per ipſam conſeruentur, per ipſam & moueantur. *Ficin. in Plat. Timæum, c. 8.*

Animam mundi Plato potiſſimùm concordiæ muſicæ ſimilem expreſſit, tum quia muſica conſonantia in medio elemento fit, aere ſcilicet, tum quia concentus muſicus animos alit audientium, cum & quæ ad viſum pertinent, etſi pura ſunt, tamen per imaginem ſolam abſque efficacia apprehenduntur, & quæ ad olfactum, tactum, & guſtum, pertinent vt materialia potius inſtrumenta ſenſuum titillant, quã animi intima penetrent. *Fic. in Plat. Tim. cap. 28.*

Animam mundi componens Deus, vtitur harmonicâ rationẽ tum in rerum generibus inuicem cõmiſcendis, tum in portionibus ipſis, quas ab iis accipiebat ad animam componendam, tum in natiuæ viribus ortum eius è veſtigio comitantibus, tum in mundi ſphæris animæ congruentibus. *Ficin. in Plat. Timæum, c. 32.* Anima mundi per eſſentiam dat eſſe rebus, per idem res ſibi coniungit, & aliis, per alterum verò ſeiungit, per ſtatum in natura propria confirmat, & ordinat, per motum mouet, & efficit, vt moueantur & agant, *idem, ibidem.*

Animæ mundi compoſitione Plato omnes rationes harmonicas comprehendit, digeſtis enim numeris, vnitate ſcilicet 2. 3. 4. 9. 8. 27. inter 9. & 8. eſt ſeſqui octaua proportio, tonus ſcilicet muſis nouem obtemperans, inter 3. & duo ſeſquialtera diapente gratiam vocis quintæ veneream: inter 4. & 3. ſeſquitertia diateſſaron Mercurialem vocis quartæ naturam ſeſe conſonantius accommodantem: inter duo & vnũ, & inter 4. & duas, & inter 8. & 4. Diapaſon, id eſt vniuerſam, & abſolutam octauæ vocis peperit melodiam Apollini dedicatam: in tripla inter 3. & vnum, & 9. & 3. & 27. & 9. Diapaſon Diapente, id eſt octauæ ſimul & quintæ Iouialem compoſuit ſymphoniam; in quadrupla inter 4. & vnum, & 8. & duo ſymphoniam contexuit Diſdiapaſon: iterum per ſonos quindecim Apollini concinentem, venuſtatem verò tum vocis tertiæ principiis inſeruit diateſſaron, tum vocis ſextæ ſinibus ſubnexuit diapente, vt delicatiore vocis mollitie, hinc ſecundæ, inde ſeptimæ vocis aſpectus leniretur, *Fic. in in Plat. Tim. c. 32.*

Animæ mundi ordo per tres ſeptenarios progreditur à ſeptenariis, qui ſecundùm tres animæ mundanæ vires diſtribuuntur: in hac enim intelligentia eſt circulus ſtabilis; circulus, quia illuc vnde eſt, reflectitur: ſtabilis, quia ſubitò ſub intelligentia, quaſi ſub firmamento tres ſunt vires; ſcilicet ratio vniuerſalis, imaginatio, vegetatio; in ratione ſunt tres

circuli quodammodo mobiles,& temporales: primus ab anima ad causam amandam, atque vicissim, naturali quodam instinctu clam ita ferente: secundus à rerum causis ad effectus considerandos, & è conuerso; tertius à formis,& ideis magis vniuersalibus ad minus vniuersales decursus, vicissimque recursus, in reliquis duabus viribus animæ omnino sunt circuli quatuor similiter temporales, in vtraque bini: primus ad causam suam reflexio naturalis, secundus ab eisdem formis ad easdem certa quædam interuallis certis, & perpetua reuolutio prouenit; itaque circuitus generationis necessariò cœli circuitum sequitur, hic verò circuitum animæ, reuolutio animæ orbem intelligentiæ comitatur. *Fic. in Plat. Timæum, c.32.*

Anima mundi triplici septenario regit mundum, primo occultis quibusdam septem viribus planetarum in firmamento per causas dominantiam, secundo septem planetarum formis in globis septem firmamento subiectis, tertio septē muneribus planetarum generationem sub Luna regētibus, quippe cùm sub Luna vinificum lumen Solis, calor vires Marti subiciatur, in terra superficies varia Mercurio, moles autem tota Saturno, at in medis regnat humor, & aereus obtemperat Ioui, aqueus Lunæ, mixtus Veneri,& agentes causæ sequuntur Solem, materiæ Lunam, fœcunditas causarum Iouem, materiarum fœcunditas Venerem, expeditio ad effectum velox Martem, & Mercurium, illum quidem propter vehementiam, hunc propter ipsam dexterrimam, & multiformem virtutem: cunctorum verò continuatio permanens Saturno potissimùm dedicatur. *Fic. in Plat. Timæum. cap.2.*

Anima mundi, & cœlestis potentiam habet & motricem, & intellectualem; intellectualis benefica est, cuncta ordine disponens; motrix carens benefica, id est ordinatrix, quatenus subest alteri cui nisi subesset, quantò efficacior est ad motum tantò magis carens arte præcipitaret vniuersum, atque confunderet. *Fic. in Pla. de legib. dial. 10.* Anima cœli cœlum mouet, primo modo à Platone descripto, cùm scilicet insit corpori cœlesti, vt anima nostra nostro corpori,& idem putant Platonici sensisse Aristotelem, & Theophrastum, & idem putant Platonem sensisse, alioqui non mobilis motor esset, sed immobilis. *idem, ibid.*

Anima à Luna, & Sole materialia, formaliáque dona per cuncta diffundit. *Fic. in Plat. Timæum, c.8.* Animam mundi summus, & omnino stabilis intellectus mobilium optimā procreauit, in huius gremio corpus mundi produxit animæ cōsentaneum, atque ad orbicularem animæ motionem orbicularitér reuolutum. *idem, ibid. c.19.*

Anima cœli sic fermè in suis partibus, quibusdam spiritualibus disposita est, vt in suis cœlum, quod est eius imago. *Ficin. in Plat. Tim. c.15.* Animæ orbis identitatis in anima est intellectus, alteritatis imaginatio, ex vtrisque permixtus: ratio hæc ritè ad imaginationem conuersa, opinionem procreat atque fidem, ad intellectum verò, scientiam; ac siue indiuiduas essentias consideret, siue diuiduas vtrobique cognoscit quo conueniant, aut differant, quæve sint qualitates, & habitudines mutuæ, vel actiones. *idem, ibid. c.17.*

Animam mundi Deus ex eadem principiorum mixtura, & animas nostras procreauit, æthereis inuoluit corporibus, aliasaliis astris accommodauit. quæ in terris sensuum perturbationes amputant, ad stellam suam reuolant; quæ ferinis perturbationibus superantur, habitu quodam quasi bruto pererrant donec mente perturbationes superante, purgatæ reuertantur ad stellas. *Fic. in Plat. Timæum, c.15.* Anima mundi à Deo processit perfecta, vt suam fermè ideam compleret, ideò ait Plato ipsam generum commutationem in consummatione animæ fuisse cōsumptam. *idem, ibid. c.36.* Animas cœlestia habere argumento sunt apud Platonem diuinitas substantiæ cœlestis, quantitatis amplitudo, qualitatis viuifica virtus omnium, motionis velocitas,& efficacia, & ex ordine,& tenoris eiusdem perseuerantia. *idem, in Plat. legum append.*

Anima cœlestis non cōiungitur cœlo quasi iam facto, sed ipsa potius fœcunditate suâ, quæ & superior est,& proxima cœlo adhuc inde futuro, parit vbique cœlum, dum ipsa tanquā maximè viuens, vbique spirat vitalem flatum. *Ficin. in Plotini En.2 lib.1.c.3.* Animæ cœlestis primum verbum est in mēte simplex omnino; secundum in ratione iam sibi distinctū; tertium in imaginatione, naturáque motum iam affectūmq; accipiens; quartum in prolatione, id est cœlum admittens iam, vna cum motu dimensionem: magnitudo siquidem virtutis in anima in viribus eius longè inter se distantibus, magnitudinem dimensionis facit in cœlo, motus animæ facit in cœlo motum, affectus efficaciam ad effectum, virtus rationalis alias gignit formas in cœlo, intellectualis claritas præstas lumen. *idem, ibid.*

Animæ cœlestis spiritu, vt Platonicè loquar, factum est cœlum imò huiusmodi spiritus est ipsum cœlum; ipsumus is est ignis, tantum hoc igne nostro subtilior, atque efficacior, quantò noster ignis acutior,& violentior aere. *Fic. in Plotini En.2. lib.3 c.3.* Anima cœli tria potissimum in se habet, vitam, intelligentiam, motum. *idem, ibid. lib.3. c.3.* Anima mūdi secunda, id est vita quædam per se irrationalis ab intellectuali mundi anima corpori mundano tributa, cùm sit vltimum vestigium diuinorum, similitérque semina velut vltima vestigia possideat idearum, nimirum & mundus ex hac vita, corporéque compositus, longè à diuinitate degenerat, & sæpe tum semina sua impediri videntur in opere, tum animal eiusmodi ad superiora collatum videbitur perfectū. *idem, ibid. c.17.*

Anima naturalis, quæ est vniuersalis ratio, proúque natura, est insuper plenitudo, multitudóque tota, sed longius ab vnitate discedens, nam tota hæc amplitudo sui quolibet continetur ac actu inquam, neque potentiâ: hinc ergo fit, vt partes quædam contrariæ sint quibusdam, siquidem altera in alteram non possit admitti. *Fic. in Plat. En 3. lib.2. c.16.* Animæ proprio carentes motu, imaginationísque expertes, concharum scilicet marinarum, atque plantarum viuificationes quædam, ex anima mundi potius fiunt, quàm animæ, vt in pilis animalium ex anima totius solet accidere, eásque in mundi vitam postremò resoluuntur. *idem, En. 3. lib 4. cap 4.*

Anima mundi, vt in se habet multitudinem virium, atque formarum, quodam modo mobilis est, accommodata ad corpus mundi viuificandum, ab ipsa mente diuina immobili omnino, habente multitudinem in se formatum, quamuis nō vsque ad minima differentium ibi, vt in anima differunt,& quatenus in mente diuina primum,& deinde in anima mundi regnat vnitas, vigétque simplicitas eminens inde ratione quadam intellectuali, sapienterque omnia regit. *Fic. in Plot. En.4. lib.1. c 1.*

Animarum cœlestium prærogatiua est, vt vtrumque munus obeant & contemplandi,& regendi corpora. *Ioan. Pic. Mir. in H. ptaplum lib 2. c.3.*

Anima mundi,& nostra dicitur infinita, quia sine fine vigeat, & vbique,& semper agere possit. *Fic. in Plot. En.4. lib.3. c.8.* Animæ mundi actio interna non tempore transigitur paulatim, sed momento tota simul impletur: ipsa igitur propria huius animæ actio non est in tempore, sed tempus generat in materia. *idem, En.4 lib.4. c.15.* Anima mundi non habet discursum temporalem, nec ambiguam consultationem, qua quod optimum est in ea, ab æuo semper suis viribus dominatur. *ibid. c.17.*

Anima mundi in ipsa idearum serie vniuersum hoc ab æuo contemplata, vna semel communi eligit electione totum mundi cursum, ita fore comprehans; interea natura vegetalis eius imago, sibi subdita absque electione sic totū transigit mundi cursum singulæ quoque sphærarum stellarúmque animæ se similiter habent ad Deum, ac mundum: & cum anima mundi vsque adeo tum voluntate, tum naturæ consentiunt, vt omnes in mundo actiones earum rectè possint animæ mundanæ actio nominari. *Fic. in Plotin En.4. lib. 4 cap.35.*

Anima mundi intellectualis,& sphæræ cuiuslibet, atque stellæ subiunctam habet vegetalem vitam suo infusam corpori, per quam non electione, sed naturaliter generantur, mouentúrque sequentia, & beneficia capacibus conferuntur, quicquid vsquam ex huiusmodi vitâ prorsus vitale hinc affluit,& beneficum, sed euadit alicubi noxium, vel quia materia non est capax, vt infirmus ad solis lucem, vel quia ex diuersorum mixtione aliud quiddam inde resultat, vt aureum solis lumen in nube rubrum euadit. *Ficin. in Plot. En. 4. lib.4. c.36.*

Animæ cœlestes inferioribus prouidentes inde non inficiuntur: dæmonicæ verò quædam,& nostræ, dum perficiūt corpora, quodammodo inficiuntur, propter curiosiorem prouidentiam circa prouinciam dariorem, sed loci malignitas mundi superioris felicitatem commemorat, & admonet illum vehementer affectare. *Fic in Plot. En.4. lib.8. c 7.*

Anima mundi cùm non habeat quantitatem, non est minor, vel maior quantitate, quàm mundus sed virtute, quam nec totus mundus totam capit: & eadem anima grandiori, & minori sufficit corpori, propter potentiæ magnitudinem. *Fic. in Plotini En.6 lib.4 c.5.* Anima mundi vt in corporibus ipsa non est corpus, vel passio, vel forma propria corporis, ita non est multiplex, nec diuiditur, nec partitur,& quoniā nulli mancipatur, expedita cunctis adest. *idem, ibid. c.8.*

Anima prima dum se totam multis mundi partibus exhibet, non

non multiplicatur in multas animas æquè primas, hæ enim nihil inter se differrent, nec in partes, est enim indiuisibilis, alioquin vbi recta ura molem accedit, prorsus debilitata deficeret. *Fic. in Plo. En. 1 lib. 4. c. 8.* Anima mundi, vt & mẽs, est indiuidua simul & vniuersum, ideò in mundo est vbique tota. *idem, ibid.*

Anima cœli quoniam in corpore suo omnia sensibilia habet per causas, ideò sensu quodam intimo per hoc, quasi per instrumentum simul, & causam, cuncta introspicit sensibilia: nostra verò quoniam in corpore nostro non sunt sensibilium principia, sensus cogitur extra prospicere. *Ficin. in Theophrastum. c. 13.*

Animam vnam solam esse non intendit Plotinus probare in his duobus libris, sed quod vna anima possit esse vbique, non obstante magnitudine, vel multitudine corporum, & quod non oportet in diuersis mundi partibus multas animas ponere, quia vna communis non sufficiat vbique esse, & regere. quod si multæ ponuntur, id fieri præter rationem. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 5. c. 7.*

Animos supercœlestes posuit Aristoteles, eisque proprium voluit intueri, intelligere, noscere cùm omnia, tum pulcherrimum, & formosissimum Deum. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 8. c. 5.*

Anima vt rationalis, & scientiis prædita.

Anima cum corpore si aliquid ratiocinari aggreditur, ab ipso decipitur. *Plat. in Phædone.* Animæ nostræ scientias adeptæ sunt antequam homines nati sunt. *idem, ibid.* Animæ habitus à disciplina, & meditatione, quæ motus sunt, acquirit doctrinas, & seruat, & melior euadit, à quiete verò, quæ discendi, & meditandi negligentia est, neque aliquid discit, & si quæ didicit obliuiscitur. *in Theæteto.*

Anima dum cogitat, non aliud agit quàm differere, & disputare, ipsa seipsam interrogans & respondens, affirens & negans. *Plat. in Theæteto.* Anima nostra columbarium habeat in quo volucres. id est scientiæ omnis generis sint gregatim, aliæ numero non magno, aliæ solæ passimdum pueri sumus vadunt in columbarium: pro volucribus scientias intelligere oportet. *idem, ibid.* Anima nostra dum è longinquo aliquid videt, quærit quid illud sit, & aliquando decipitur, aliquando videt vera, & similis est libro in quo affectiones scribunt, si vera opinio, vera sit, si falsa, falsa. & tunc temporis inest etiam pictor, qui imagines horum in anima pingit. *in Philebo.*

Animæ eruditione, nec hominibus, nec diis reuera vnquam quicquam præstantius est, aut erit. *Plat. in Phædro.* Animæ diuinæ essentia, quæ reuera est, & coloris, & figuræ, & tactus expers, sola intelligentia gubernatrice, & contemplatrice vtitur. circa quam veræ scientiæ genus hunc locum habet. *idem ibid.* Animæ diuinæ intuentur scientiam, iustitiam & sapientiam, non eam scientiam cui generatio adest, nec eam, quæ est alia in alio, in his quæ nos nunc dicimus, sed eam quæ in eo, quod reuera est id quod est, scientia existit. & vbi etiam alia quæ reuera sunt inspexit, & his nutrita est, rursus ad internam cœli partem subiens, domo reuertitur. *ibid.*

Anima rectè viuere volens optimi scientiam acquirere debet. *Plato in Alcibiade 2.* Anima disciplinis nutritur, & vt ne Sophista, laudans quæ vendit nos decipiat, diligenter cauendum est *idem, in Protagora.* Animæ an bona, vel mala sint nesciunt qui disciplinas per ciuitates circumuehunt, semper instar cauponum his, qui illas accipiunt; laudãt quæ vendunt omnia; forsan autem & horum aliqui ignorant, quæ vendant, an bona, vel mala animæ vt dixi sint; & cau pones vendunt merces quas vehunt, sed nesciunt, an illæ corpori bona, vel mala sunt, hoc autem scit medicus *ibid.*

Animæ rationali conuenit imperare, vt quæ sapiẽs specie sit, & prouidentiam totius animæ habeat, animi verò impetui conuenit, vt obediens sit, & illius auxiliatrix. *Plato de repu. dial. 4.* Animæ pars rationalis, & irascibilis etiam contra hostes externos optimè obseruabunt. dum pro vniuersa anima, & corpore hæc consilium init, illa verò pugnat, & principem sequitur, & fortitudine perficit ea, quæ consilio sunt decreta. *idem, ibid.*

Animæ species rationalis, & irascibilis concupiscenti præsidere debent, ne ex voluptatum corporis repletione mala, & robusta euadens, non quæ sua sunt faciat, sed in seruitutem redigere conetur, & imperare his quibus illi conuenit. *Plato de repub. dial. 4.* Animæ rationalis pars sapiẽtiæ est sons, & illa quæ in homine inoperatur & dictauit quæ facta sunt, & in illa est scientia quæ vnicuique conducit. *idem, ibidem.* Animæ rationalis, & irascibilis concordia parit temperantiam, cùm rationalis imperat, & irascibilis obedit. *ibidem.*

Anima ad inquisitionem eius quod intelligitur procedit duobus mediis, medio imaginum, quæ ab inferioribus assimulatæ sunt, & his ipsis ad illa velut euidentibus, opinionéque conceptis, ac diuisis; altero scilicet medio differendi facultatis supposita fundamenta & locos vnde progrediatur, & quousque nõ ad suppositum, ipsum videlicet vniuersi principium progressa, vbi ipsum attigit, rursus his quæ ex illo hærent inhærens, ita ad finem descendit, nullo penitus sensui exposita ad hæc vtens sed ipsis speciebus per se ad ipsas, & in species desinit. *Plat. de repub dial. 6.*

Animæ multò magis deterrentur in grauibus disciplinis, quã in Gymnasiis: familiarior enim est ipsis labor proprius, & qui cum corpore communis non est. *Plato de repub dial. 7.* Animæ nulla violenta disciplina stabilis est. *idem, ibidem.* Animæ intelligibilis pars si discendi cupida & sapientiæ amans appellatur, rectè nominatur. *ibid dial 9.*

Anima tota si philosophicam partem sequetur, & non seditionem agat, continget, vt vnaquæque pars, tum quæ sua sunt faciat, tum iusta sit, & vt vnaquæque voluptates suas, easque optimas, & quantum fieri potest verissimas sequatur: at cùm alia quædam superarit, contingit vt neque ipsa suã voluptatem comperiat, & alias cogat, vt alienam, & nõ veram persequantur. *Plat. de repub. dialog 9.* Animæ nostræ sorbatio inest, & rerum adumbrationis studium insidias tẽdens, nihil præstigiarum omittit. ideò mensurare, numerare, ponderare gratiosissima auxilia comparuerunt, vt in nobis non imperet id, quod apparet maius, aut minus, aut plus, aut grauius, sed id quod computauit, quod mensurauit, & ponderauit *idem, ibid. dial. 10.*

Animæ quoddam instrumentum expurgari in disciplinis mathematicis. persuadere non admodum vile est, sed difficile, quod ab aliis studiis perit, & excæcatur, quum melius sit hoc seruari, quàm innumeros corporis oculos: solo enim ipso veritas videtur. *Plato de repub. dial. 7.* Animæ rationis pars id quod optimum est volt: expers verò rationis in dolore ad luctum, & ad lamentationes nos ducit. *ibid. dial 10.* Anima nostra infinitis contrarietatibus simul ob orientibus plena est. *ibid.*

Anima dicenda est ex his, quæ sunt id, cui soli intelligentiam habere conuenit; hæc videri non potest, elementa sunt corpora quæ videri possunt: at intelligentiæ, & scientiæ amatorem necesse est sapientis naturæ causas primas prosequi: quæ verò ex aliis dum mouentur, & alia necessariò mouẽt, fiunt, eas secundas facere, & secundùm hæc nobis ambo causarum genera dicenda sunt. *Plat. in Timæum.* Anima sine ratione ex natura fit fortis, at sine ratione mentis prædita non est *idem, de legib. dial. 7.*

Anima eius animalis nunquam omnem virtutem accipere poterit, à quo ratio abfuerit, animal autem quod non cognoscit duo, & tria, par, & impar, & numerũ omnino ignorat, nunquam rationem dare poterit de his, quæ sensibus, & memoriã solùm complectitur; reliquam verò virtutem, fortitudinem, & temperantiam habere nihil prohibet; at veræ rationis expers sapiens non est, qui non est sapiens non habet omnes virtutes; quibus desunt virtutes felices esse nõ possunt. *Plat. in legum appendice.*

Animæ mente præditæ necessitas omnium necessitatum longè maxima est, imperans enim, & non subdita leges condit, & cùm id quod optimum est secundùm primam mentem consultauerit, impermutabile perfectè secundùm mentem euenit, & neque adamas præstantius, & firmius quid ipsa vnquam fuerit: sed reuera tres parcæ continent, ac conseruant, vt perfectum sit id, quod optimo consilio singuli Dei statuerant. *Plat. in legum appendice.*

Animæ humanæ altera pars est rationalis, & intelligens, alia rationis expers, & insipiens: rationalis verò id, quod melius est, de eiusdem natura est, id quod peius, de alterius, vtrumque verò circa caput firmam sedem habet, vt reliquæ tum animæ, tum corporis partes huic inseruiant, quemadmodũ sub ipsius tabernaculo vniuersorum partis rationis expertis ea pars, quæ ad iram concitatur circa cor, quæ concupiscit circa hepar sedem habet. *Timæus Locrus de anima & natura mundi.*

Animam humanam Deus ex eisdem rationibus, & potentiis contemperatam, & diuisam, distribuebat naturæ alteratrici tradidam, quæ ipsi successit in mortalibus, & diurnis animalibus efficiendis, quorum animas per influentem modum instillabat, alias à luna, alias à sole, alias ab aliis vagantibus in alterius parte, præter vnam quæ de eiusdem potentia est, quam in rationali parte immiscuit, imaginem sapientiæ his qui bono fato vtuntur. *Timæus Locrus de mundi anima & natura.*

Anima hominis in hunc vehitur modum, mens in rationẽ, ra-

tinin anima, anima in spiritu, spiritus in corpore; spiritus per venas, & arterias, & sanguinem diffusus animal vndique ciet, molemque corporis suspensam sustinet, & circumfert ideò multi decepti sunt humorem sanguinis animum esse existimantes. *Mer. Trismegisti Pimander cap.* 10. Animam hominis in fece corporis iacentem impossibile est diuinam assumere formam, nec Dei pulchritudinem intueri potest, nisi quis ante fuerit in Deum transformatus. *idem, ibem.*

Anima humana non omnis, sed pia, & beata, diuina, est postquam uerò huiusmodi anima per mortē à carcere corporis est exempta, cum omnis subierit virtutis, & pietatis manda ta, certè, aut mens, aut Deus efficitur. *Mercury Trismegisti Pimander, cap.* 10. Anima hominum corpore exuta non degenerat in corpora brutorum, hic enim impius error; verùm castigationis eius modus alter est, mens cū dæmon efficitur, ob obsequium Dei, iubetur igneum capessere corpus, inde in animam transfusa nefariam, eam flagellis verberat peccatorum, his animus verberatus iniquus, ad neces iurgia, rapinas, contumeliasque sese vertit, & ad vniuersa ea, quæ homines delinquunt, dilabitur *idem, ibidem.*

Anima hominis habet pro mente ipsum bonum, qua mente destituta nil agere, vel dicere potest, & qui hac destituitur nec homo appellari debet, *Mercury Trismegisti c.* 10. Anima humana omnis immortalis est, sed non vniformiter omnia *Eiusd. Ascl. cap.* 1. Anima mundi fit ex omnibus rerum formis, vt vnius corpus mundi ex omnibus corporibus *ibid.*

Anima non est corpus, nec moritur, sed permanet semper. *Arist. Theologia Aegyptia lib.* 1. *cap.* 2. Anima hominis tres habet partes vegetatiuam, sensitiuam; intellectiuam quæ separatur à corpore resoluto, & hæc immunis est, vtpote non peccando à coinquinatione corporis, & dissimilis alteri submersæ materiæ, quæ ideò facta est vt habitudo corporalis, accidentibus corporeis prohibeatur ascendere ad alterum mundum, ad quem non peruenit, nisi difficulter; ablatis viribus horum accidentium, & purgata à sordibus corporis, reuersa est incorruptibilis: quare anima non mouetur. *idem, ibidem, cap.* 3.

Anima dicitur moueri discendo res quoniam collocatur in confinio mundi intellectualis, fit autem motus eius reflexus, quia sciendo habet obuiam rem speculationi, deinde reuertitur ad essentiam, & dicitur moueri, quia variatur circa rem immobilem, intellectus verò inuariatus restat immotus *Arist. Theo. Aegyptia lib.* 2 *cap.* 4. Anima in mundo intellectiuo non alteratur, quia pura, & abstracta est, & in actu *idem, ibidem cap* 5.

Animam hunc mundum considerare antequam inhabitet, est quædam ignorantia, non scientia, quæ tamen est nobilior omni scientia, & hoc ideò quia intellectum superius agens ignorat, & inferiora; & immemor inferiorum, medio alio descendit ab illo honorabili, ad hunc mundum: intellectus ignorat auctorem, quia non cognoscit eum perfectè, & inferiora, quia illas res non secundum ipsas speculatur, sed altius cùm sit causa ipsarum: ergo intellectus scientia dicitur ignorantia comparata ad cognitionem Dei. *Arist. Theologia Aegyptia lib.* 2. *cap* 7.

Anima actu existens causatur ab intellectu. *Arist The. Æg. lib.* 3 *cap.* 4. Anima nobilis reliquit mundum superiorem, vt posteriora formet & regat, quo functa munere, experientia bonum, & malum cognoscit, & quamuis sensus prædominio submersa sit pelago materiæ, illustratio tamen ab intellectu ei non esset, immò iugiter illi influit, quoniam est substantialis ei, & nunquam ab ea diuellitur. *idem, ibidem lib.* 7. *cap.* 1.

Anima eadem potentia speculatur hic, & in intelligibili orbe, præter quod in corpore existens, indiget alio propter quod consideret abstracta, videlicet actu receptionis, quo formata potentia perspicit illa; sed in mundo altiori animæ existenti sola sufficit potentia, neque necessarius erat is actu, in substantiis namque intellectiuis supernis, quæ actu speculantur, ipsa potentia est perfectio, in corruptibilibus verò actus per quem ad finem peruenitur, perficit potentiam, ergo & hic, & ibi eadem potentia speculatur. *Arist. Theolog. Ægyp. lib.* 9 *cap.* 4. Animæ rationalis agens est Deus, qui essentiam agit, cùm ipse sit essentia. *idem, ibidem, lib.* 10. *cap.* 4

Anima rationalis producit sensualem, qua indiget, ab ipsa enim excitatur ad speculandum; vnitur autem sensitiuæ, alioquin non assentiretur affectibus, & naturalibus delitiis, nec commoda prosequeretur: quæ omnia illa contingunt ex communione cum sensitiua anima. *Arist. Theolog. Ægyp. lib.* 10. *cap.* 7. Anima humana cum sit nobilior, & sapientior reliquis, & propinquior substantiæ diuinæ, disposuit sibi corpus nobilissimum aliorum animalium. *idem, ibidem lib.* 12 *cap.* 2

Anima hominis non contulit homini instrumenta opportuna actionibus & instinctus naturales, vt brutis anima brutorum, sed tantum constituit corpus versatile pro multis organis, & docilitatem, extra peritiam pro instinctu naturali. *Arist. Theolog. Ægypt. lib.* 12. *cap.* 3. Anima humano organo non indiget, simplexque est, & ob id incorruptibilis. *idem ibid. cap.* 4. Animum si quis cognoscere ac speculari vult intellectúmque agentem, & essentiam primam, sedare debet sensum, & ad essentiam suam reuersus interius in seipso enixe consistat, & sic percipiet, id quod sensus attingere nequeunt *idem. cap.* 21.

Animæ tres partes tribus vitiis vrgentur, prudentiā indocilitas impugnat, quæ non abolitionem infert scientiæ, sed contraria est disciplinæ discendæ; huius duo sunt species, imperitia, & fatuitas, quarum imperitia sapientiæ, fatuitas prudentiæ est inimica; Iracundiam audacia, eius comitatum sequuntur indignatio, & incommobilitas, quæ non extinguit incitamenta iratum sed ea stupore deficit immobili; cupiditatibus luxuriam applicat, id ait appetitus voluptatem id est, desiderium ad fruendum potiendúmque haustus inexplebiles; ex hac manat auaritia, lasciuia quarum altera liberalitatem coercet, altera immoderatiua fundendo patrimonij prodigit facultates. *Apu. de dog. Plat. lib* 3.

Animæ si memoriam rerum diuinarum, quarum in cœlo erant consciæ, ad corpora vsque deferrent, nulla inter homines foret de diuinitate dissensio. *Macrobius in som Scip. lib.* 1.

Animæ rationales post sacros Angelorum intellectus per bonitatem ipsam consistunt, inde virtutem intellectualem habent, essentiam vitam immortalem, indéque ista essentia, & potentia ad angelicas vitas aspirant, inde per Angelos tanquam bonos duces reuocantur ad ipsam bonorum omnium principium bonitatem, splendorémque inde micantem pro modo suo compotes euadunt, & doni ipsius ad boni speciem pro viribus participes fiunt. *Diony. Areop. de diui. nom.*

Animæ motus circularis est ingressus in se ipsam ad exterois & intellectualium eius virium glomeratio vniformis, velut circulo quodam acta, inerrationem erraticam ei largiens, eámque à multis extrinsecus circumfusis diuertens, atque colligens primo in seipsam secundò tanquam vni formem tam effectam singulariter vnitis potestatibus copulans: tertiò hinc ad pulchrum bonúmque perducens, quod super omnia, quæ sunt, est vnum, atque idem, nec principium habens, nec finem, obliquè verò mouetur anima quatenus diuinis fruitur notionibus, pro sua duntaxat proprietate susceptis, non intellectuali, stabilique, forte, sed rationali, discursiuéque conditione, transeuntibus scilicet actionibus, & permultis *Dionysius Areop. de diuin. no.*

Anima lineā rectā mouetur quando non ingreditur in seipsam nec intellectuali, conformique proprietate mouetur, sed ad externa procedens ab eis, velut signis quibusdam, variis, multiplicibusque ad simplices, & vnitas contemplationes erigitur. *Dionysius Areop. de diui. nomi.*

Animæ facultatem rationalem per diuinam sapientiam habent, rerum veritatem circulari quodam discurso quærentes, & in eo quidem vnitis mentibus illis inferiores, quod partibili variaque conditione speculando procedunt. In eo verò quod multa in vnum colligant, intelligentias angelicas, quantum animabus conuenit, assequuntur *Dionysius Areopa. de diuin. nomini.*

Anima rationalis videndum est an aliud ipsa sis, an aliud anima esse; si aliud sit, compositum est anima, neque absurdum erit ipsam species iam aliquas suscipere, & talia quædam passiones eius existere, si modo id ratio permiserit, & omnino habitus affectionésque meliores, ac peiores, si verò idem est anima esse, species erit quædam anima, actiones eiusmodi non suscipiens, quas ipsa alteri infert: in seipsa verò actionem habens sibi cognatam quamcunque ratio demonstrauerit, & sic verum est dicere, animam immortalem esse, impatibile enim est immortale, alteri quidem non nihil ipsius impertiens ipsum ab alio, nihil accipiens, nisi quantum à superioribus acceperit quicquam, à quibus præstantioribus nihil segregatur. *Plotin. En.* 1. *lib* 1. *cap.* 2.

Anima habet vim sensualem, non sensibilia quidem, sed eorum imagines per sensum animali impressas oportet percipere; intelligibiles enim quodammodo sunt hæ species: qua propter sensus exterior huius sensus simulachrum est hic verò in essentia verior est, quippe cum imaginum tantùm sit absque passione perceptio, & ab his speciebus, à quibus animæ accipit sola viuentis imperium, opiniones, & cogitationes intelligentiæque proueniunt, vbi maxime

non

nos sumus. quæ verò ante hæc nostra sunt, nos autem sumus, quod est deinceps, animali desuper præsidentes, prohibebit tamen nihil vniuersum hoc animal appellare, sed quod inferius est dicere mistum; quod reliquum est, homo est verus, quantum verò inferius est partim leoninum, partim brutum omnino multiplex nominatur, concurrente enim homine vita cum anima rationali. quando ratiocinamur, nos certè ratiocinamur propterea quod rationis discursus animæ sunt actiones. *Plot. En.1.lib.1.c.7.*

Anima si non sumus, & perturbationes patimur, hæc certè anima patietur, & rursus faciet quæ nos facimus. forte & animæ diximus esse nostrum antequam separemur, quoniam & quæ patitur corpus nostrum, & nos perpeti dicimus; duobus enim modis nos dicimur, vel brute nobis annumerato, vel quod super hoc extat: brutum verò est viuificatum corpus, at verus homo est alius ab his purus. *Plotin. En.1. lib.1 cap.10.*

Animæ naturam si quis inspicere velit, oportet adiunctam secernere, atque philosophiam eius considerare, quæ attingat, & quibus cognata existens, id quod ipsa est, emittat; alia enim vita, & actiones aliæ, & quod patitur aliud: separatio, & reuocatio non solum ab hoc corpore, sed ab omni adiuncto esse debet; etenim in generatione est adiunctio, vel omnino generatio alterius animæ speciei esse videtur. *Pl. En.1.lib.1.c.12.*

Anima intelligit aliter quàm Deus, nam eorum quæ ibi esse dicuntur, partim aliter, quàm his fuit, partim nullo modo sunt ibi: & intelligere Dei, & animæ non est æquiuocum, sed illud primò, hoc autem ab illo procedens, se aliter habet, id est analogicè, vt sermo qui est in voce, est imitatio eius qui est in anima, ita qui in anima, eius, qui in superiore manet: sicut ergo sermo in prolatione ad sermonem animæ comparatus diuisus est, sic qui in anima ad superiorem diuisus est, ipsius interpres: virtus autem animæ est, mentis verò nequaquam, nec eius quod est mente superius. *Plo. En. 1.lib.2.c.3.*

Animi ad se conuertendi blandam virtutem quæ præsentia nō habent, nec ad felicitatem nobis quicquam adduunt; absentia verò propter contrariorum offendentium præsentiam requiruntur, rationi consentaneum est, necessaria potius, quàm bona censeri, nec fini videntur annumeranda, sed & absentibus ipsis, eorúmque contrariis imminentibus finis integer est seruandus. *Plot. En.1.lib.4 c.6.*

Anima incommodorum declinationem non præcipuo naturę voto eligit, sed præsentia solùm fugit rationis discursio, atque propellit, aut etiam commoda quærit adiungere: ipsa verò appetitio principalis ad id, quod optimum est, dirigitur, quo præsente impletur, & conquiescit; atque hæc vita est, quæ voluntate præcipua exoptatur. Necessariorum verò aliquid adesse, non voluptas est si propriè, ac præcipuè, non per abusam nominis voluntatem, quoniam & hæc adesse existimamus oportere, quoniam pro viribus a malis declinamus, quod tamen non est principaliter optandum, sed hac non indiguisse declinatione. *Plotin. En.1 lib.4.c.6.*

Animæ cùm quietem agit, quod tale in nobis est vt in eo imaginationes, sine noræ quædam cogitationis intellectusve refulgeant, tunc introspiciuntur imaginationes eiusmodi, & modo iam sensibili agnoscitur, vitam cum cogitatione priori intellectum & cogitationem agere: cùm verò id confunditur, propterea quòd perturbata sit corporis harmonia, tunc absque simulachro cogitatio, intellectúsque intelligit, & sine phantasia tunc agitur intellectio, *Plot. En.1. lib 4.c.10.* Anima in intellectum redacta pulchritudine mirificè proficit. *idem, En.1.lib.6.c.6.*

Anima, quæ vidit illud, quod præbet omnibus munera, & manet interim in seipso dum tradit, nec quicquam ab alio recipit, & videns adeò fruitur, vt similis ipsi fiat. quo pulchro vlterius indigebit? hanc enim visionem quisquis assequitur, euadit felici visione beatus, & qui non consequitur infelix est; nam non est miser, qui colores pulchros, & formosa corpora non consequitur, nec qui potentia, & regno excidit, sed qui huius solius caret possessione, pro qua sola regna, imperiáque totius terræ, maris, & cœli oportet abiicere, si relictis his omnibus, ac spretis, ad ipsum quis conuersus intueatur. *Plot. En.1 lib.6.c.7.*

Anima perfecta vergénsque ad mentem, pura semper est, procul à se materiam eliminans, & omne interminatum, immoderatum, malum; neque his propinquat, nec prospicit quidem; quamobrem pura permanet, intellectu prorsus determinata, atque mentis id non sustinet, sed ex seipsa progreditur in gradu quodam existens, neque perfecto, neque primo, velut illius imago ob ipsum defectum, quatenus defectu indeterminata ferè repletur, tenebrásque prospectat & iam habet materiam, in illud aspiciens, quod non cernit, & vt dici solet, tenebras aspicit. *Plotin. En.1.lib 8.c.7.* Anima rationalis homini accedit facto iam corpore. *idem, En.2.lib. 1.c.5.*

Anima non est talis, vt ipsa duntaxat qualemcunque acceperit ab externis passionem, talem reportet naturam, vt si naturam propriam nō possideat, sed oportet ipsam multò priùs quàm alia, vt quæ principij habet rationem, multas meritò vires proprias ad naturales actiones explendas habere. fieri namque nō potest, vt cùm essentia sit, non possideat vna cum illa actiones, appetitiones, & facultatem ad bene viuendum: quod igitur coniunctum est, ex ipso naturæ coniuncto dependet, & tale euadit, & tales nanciscitur actiones; anima verò si qua seiungitur, seiuncta, & propria peragit, passionésque corporis non esse suas existimat, cùm aliud se existere, aliud esse viuū corpus animaduertat. *Plotin. En 3.lib.3. cap.15.*

Anima non potest esse composita ex elementis, alioqui vitā non haberet, horum enim mistura vel calidum, vel siccum, vel frigidum, vel humidum, vel mistum aliquid ex his; & quomodo est virtus elementa connectens, si ex illis cōflata sit, & posterior? *Plot. En 2.lib.9.c.5.*

Anima cùm ab externis mutata agit aliquid & aggreditur, quasi cæca vtens motu, neque actionem, neque affectionem eiusmodi voluntariam, liberámque appellare debemus, similiter cùm ipsa ex seipsa peior existens, nō rectis vbique, neque principalibus motionum exordiis vtitur: at quoties rationem puram, & passionis expertem, tanquam propriam ducem habens aggreditur, hanc solam aggressionem indicare debemus, in nostro arbitrio sitam esse, veréque liberā, & id opus nostrum existere, quod non aliunde diuiditur, sed intrinsecus ab anima pura. *Plot. En.3.lib.1.c.9.*

Animæ electio domina est, & ea pars superat, quam ex superiori vitæ actu promptiorem habet, & quod eligit habet, nec commutat dæmonem, nec bonus hic in animę mos, nec malus. *Plot. En 3.lib.4.c.5.* Animæ rationali si quis inscitiā per negationem scientiæ prauitatem esse confiteatur, nullus ob hoc præsentiam afferet, at quando falsæ opiniones insunt, quæ potissimum faciunt prauitatem, animam ipsam in qualitatem aliquam permutatam esse videbit. *Idem, En. 3.lib.6 c.2.*

Animam philosophiæ studio reddere passionis expertem, est imaginationem, & affectum qui in eam incidit, & passionem inferi, extirpare philosophica ratione. *Plo. En.3.lib.6.c.5.* Anima quando rationi familiaris euadit, atque afficitur, simul profert, & expedita iam prodit in actum. *idem, En.3.lib. 8.cap.5.*

Anima particularis illustratur cùm ad superiora confugit, enim eam ipsi illic occurrit, at quando labitur ad inferius, in non ens labitur, id verò agit cum descendit, in semetipsam, affectans enim seipsam ad alien in se recipere, quod post ipsam sequitur iam facit, suum videlicet simulachrum, quod & non ens appellamus, quasi verò dilabitur per inane, & indeterminata illic euadit, & simulachri huius simulachrū indefinitum est, penitúsque obscurum, est enim rationalis omnis intellectualisque naturæ penitus expers, & ab ipso ente longissimè distans, interea quasi per media domesticam habet sedem; at rursus inferiora prospiciens, quasi secunda quodam oculorum iactu simulachrum formas, & hoc opificio delectata, intrat in ipsum. *Plot. En. 3. lib. 9. cap 2.*

Anima ipsa est quasi visus, & huic visus est mens, visus inquam indeterminatur, antequam videat, natus est videndam, & intelligendum, & talem esse, vt ad mentem fit. *Plot. En 3.lib. 6.c.3.* Animam, quod in Timæo dicitur, essentiā quadam indiuiduā, & quadam circa corpora diuisibili esse compositam, idem est, ac si diceretur, animam essentiā quadam constare partim apud superos permanente, partim ad inferiora vergente, quæ simul & independeat, & se interim ad hæc vsque propaget, nec aliter quàm ex centro linea protendatur. *idem, En.4 lib.2.c.1.*

Animæ admirandus, & diuinus est thesaurus, cùm magnitudine vacans, vniuersæ magnitudini adsit: alicubi existens ibi non existat, non alio quodam, sed eodem, adeò vt & diuisa sit in partes, & non diuisa; potius autem ipsa nec diuisa sit, nec diuisa fiat, manet enim ipsa tota, sed circa corpora dicitur esse diuisa, cùm corpora nequeant diuisibilitate propriā indiuisibiliter illam accipere, quo efficitur, vt partitio non animæ quidem passio sit, sed corporum. *Plot. En. 4.lib.2.c.1.*

Anima non est per terminum alicuius id quod est vt tanta, sed ipsa quantum vult existit, nec vnquam adducitur, vt extra hoc ipsum digrediatur, sed profluit per totum, quod

ex ipsa ita natura comparatum est, vt per corpora in corpora currat, nec à seipsâ distrahitur, quando inest & in digito manus simul, & pede, & nunquam desit cùm aliquid illā suscipere possis. *Plot. En. 4. lib. 3. c. 8.* Anima potest ex natura locorum, aquarum, & aeris multa cœlitus imminentia propulsare, habitatio, & vrbana consuetudo, complexionesque corporum cœlestibus resistunt influxibus. *idem, En. 4. lib. 3. c. 7.*

Animæ discursus rationalis contingit dum corpus habitat, in ambiguitate enim est, & curis sollicita, discursu enim rationis egere ad vitæ, veritatisque sufficientiam, ex quodam mentis detrimento cõtingit, vt & in artibus consultatio accidit, cùm artifex ambigit tanquam à perfecto deficiens: at rationales animæ dicuntur corporibus exutæ, quia cùm expedit ritè considerare possunt. *Plotinus En. 4. lib. 3. cap. 18.*

Animæ cùm corpora in cœlis habent, non vtuntur ibi sermonibus, qualibus apud nos ob indigentiam, vel ambiguitatem vti consueuerunt, cùm certo quodam ordine, & secundùm naturam singula illic agant, meritò nec imperant aliquid, nec consultant, cognoscunt verò munera inter se sua per reciprocam conscientiæ notionem, cùm & hic etiam tacentibus intuitu solo percipimus: ibi omne corpus est purum, & quilibet habitantium tanquam oculus, nihil ibi est occultum, nihil fictum, sed priùs quàm alteri quicquam dixerit intelligit alter, in aere verò incolentes, non absurdum est, & dæmones, & animas vocibus vti, animalia enim sunt. *Plot. En 4. lib 3. c. 18.*

Anima ad diuinum mundum profecta, & in illa essentia constituta, illa contemplabitur, in quibus est, & circa eadem aget, alioquin ibi non esset, & cum intelligentia omnis ibi sit temporis expers, versantur enim quæ ibi sunt in æternitate, non in tempore, ideò impossibile est illic esse memoriā non solùm nostrarum rerum, sed etiam quarumlibet aliarum: est enim vnumquodque præsens, quoniam neque discursus, nec ab alio in aliud permutatio, sed hic intuitus totus vna collectus, fit simul rerum similiter collectarum: & multas intelligentias, tanquam sensus multos in vnum vultum intuens, & in intellectu multa distincta sunt, non per distantiā temporalem, sed quodam ordine, ità vt potestas vna, sic erat vna, et multa esset in alio, neque secundùm intellectionem vnam omnia. *Plot. En 4. lib. 4. c. 1.*

Anima fortè nec sui ipsius reminiscitur, nec quòd ipse sit, qui contemplatur velut Socrates, vel alter. siquidem cùm hic contemplatur præsertim acerrimè, non conuertitur tunc per intelligentiam ad seipsam, sed habet quidem seipsam, actus autem eius ad aliud fit, & illud quasi materiam seipsam exhibens: formatur verò secundùm id, quod spectatur ab eo, & ipse in potentia se habens, tunc est actu aliquid cùm nihil intelligit; sin autem ipse talis est, vt omnia sit, quando seipsum intelligit, cuncta simul intelligit: quamobrem ita constitutus, & intuitu in seipsum, & seipsum actu cernens, cuncta simul habet inclusa, intuitu verò quodam in omnia seipsum similiter habet inclusum. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 2.*

Anima in mundo intelligibili videt ipsum bonum per intellectum, nec intellectus impedit, quominus ad ipsum vsque percurrat, quoniam quod est medium, non est corpus, vt ex eo valeat impedire, quamuis & medium in corporibus permittit sæpe à primis ad postrema descendere. *Plo. En 4. lib. 4. cap. 4.* Anima cuiuscunque meminit, ad idipsum est, atque efficitur, est enim meminisse imaginari vel intelligere, hæc autem imaginatio non in eo consistit, quod habeat aliquid, sed quod videat, disponatúrque, talisque ipsa sit. *idem, ibid. cap. 3.*

Anima in cœlis multas animas cognitas agnoscit, corpora enim circa se similibus in figuris habet, at si figuras mutent, & orbiculares efficiant, per mores, & modos proprios, vnicuique agnoscere videbuntur, & si confabulari liceat, & sic quoque se agnoscunt. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 5.* Animæ in cœlis non recordantur Deum vidisse, cùm hæc conditio sit eius, qui aliquando vidisse desierit, nec vixisse, quia viuunt, & cùm illic dies sit vnus, non vt multi dies numerantur. *idem, En. 4. lib. 4. c. 7.* Anima superior in agendo non patitur, & mens superne consistens, in corpora, & materiam non agit. *idem, En 4. lib. 4. c. 13.*

Anima nostra ambiguam consultationem habet, quia aliud, atque aliud ad vsum, atque ad præsens succurrit, non definitum in seipso, sed ad aliud semper atque aliud extrinsecam pertinens; & multa sunt in nobis quæ dominantur, atque mouentur, nec totum imperat: itaque & consilium aliud, quod est pro temporis oportunitate, quando necessitas postulat, nobis adest; & quia multa in nobis dominantur, necesse est multas in nobis imaginationes existere. *Plot En. 4. lib. 4. c. 17.* Anima dum id ipsa est, similiter quæ in seipsa sunt percipit solâ intelligentiâ etens. *idem, ibid. cap 17.*

Anima rationalis incorporea est, & essentia. *Plot. En. 4. lib. 9. c. 4.* Animæ si in se formam sensibilium imprimeret sentiendo, nihil opus esset vlterius extra videre, & cùm habeat intra se quod videre velit, non tanquam procul positum videret, nec iudicare posset quanta sit res externa, cùm forma accepta intus non possit ea esse maior; & non res ipsas videremus, sed vmbras, nec cernere possemus rem sic impositam pupillæ: duo esse oportet, quod videt, & quod videtur. *Plot. En. 4. lib. 6. c. 1.*

Anima sentit ea, quæ non habet. *idem, En. 4. lib 6. c. 2.*

Anima intelligibilium omnium vltima est, eorum verò quæ sunt in vniuerso sensibilis prima: ideò ad vtraque vergit, à superioribus bene afficitur, & reuiuiscit, ab inferioribus quadam similitudine fallitur, & tanquam delinita prolabitur, & cùm in medio sit constituta, vtraque percipit, superiora intelligit, in memoria scilicet reuocata, & sensibilia coaptans secum, afficit vt fulgeant, & ante oculos ponit, cùm vis animæ etiam prius adhæc præparata sit & eadem parturiat. *Plot En. 4 lib 6. c. 3.* Animæ mirandum est, sed non incredibile, attribuere memoriam, cum ipsa nihil in se accipiat, & tamen quæ non accipit animaduertit. *idem, ibid.* Anima vtens numero multitudinem metitur, quoad quantum spectat. *idem, En. 6. lib. 1. c. 4.*

Anima nostra quando cum anima mundi perfecta euat, & ipsam fore perfectam inquit Plato, & seipsam per sublimia collaturam, ac totum mundum gubernaturā: quando enim inde nō abijt, nec se immergat corporibus, nec sit alicuius, tunc eam quoque, vt mundanæ animæ collegam, vniuersum æquâ facilitate recturam, quasi non sit animæ malum præbere corpori essendi, & bene essendi potentiam: non enim prouidentia omnis in deterioribus dispensandis inhibet interim prouidentem in optimo statu permanere. *Plot. En 4. lib 8. c. 2.*

Animæ rationalis opus est intelligere, sed habet opus ipsa, quicquid enim in entium ordine numeratur proprium opus habet, iam verò respiciens seipsam seruat seipsam, & vergens ad id quod inferius est, ipsum gubernat & regit. *Plot. En. 4 lib. 8. c. 3.* Animæ necessariò duas vitas experiuntur, superiorem, & inferiorem, alternè ducentes, & diutius superiorem agunt vitam, quæ plus possunt cum mente versari, diutius inferiorem quibus contrarium, vel natura, vel fortuna accidérit. *idem. En. 4. lib. 8. c. 4.* Anima rationalis non habuit necesse formare corpus, cùm ab vniuerso formetur, nam formauisset nisi oportuisset in toto hoc formante connumerari. *idem, En. 4. lib 9 c. 3.*

Anima vna est, multæ verò ad hanc referuntur, vt vna se dantem se multitudini, & rursus non dantem, sufficit enim omnibus exhibere seipsam, & nihilominus vna perseuerare; potest in omnia simul, & ab vnaquaque non disiungitur, eadem ergo seruatur in multis: hoc patet, scientia enim tota est & partes eius, ita vt tota permaneat, & partes ab ipsa. & semen totum est, & partes ab eo in quas naturaliter diuidi potest, & vnaquæque totum, & manet totum nihilo alicubi diminutum, materia verò diuisionis præbet occasionem, attamen omnia vnum. *Plot. En 4 lib. 9.*

Animam nostram si absque adiunctis consideraveris purum aspiciens, inuenies profectò idem ipsum quod est anima venerandum, omnique corporeo pretiosius: etenim sine ipsa fortè terra sint omnia. *Plot. En. 6. lib. 1. c. 2.* Animæ solas actiones appellare debemus, quæ intellectuales sunt, & domesticæ, quæ verò deteriores sunt, aliunde proueniunt, suntque talis animæ passiones. *idem, En. 5 lib. 1. c. 3.* Anima nostra est imago intellectus Dei, vt verbum in prolatione est verbi existentis in animo, sic & anima est mentis verbum, & tota est actus, & vita, quam producit in alterius existentiam. *idem, En. 6 lib. 1. c. 3.*

Animam intellectus diuiniorem efficit, tum quia pater est, tum quia semper adest, non etiam interueniente medium, præter id quod alterum inter se sunt, & alterum, ita tamen vt subsequatur anima, & suscipiat, intellectus autem sit tanquam species: pulchra verò est & intellectus ipsius materia, cùm sit intellectuale quiddam, & simplex, excellentior enim est intellectus animâ, re admodum excellenti. *Platin. En. 5 lib. 1. cap. 3.* Anima nostra cùm sit ab intellectu, intellectualis existit, & animæ intellectus in discursione versatur, & huius perfectio rursus est ab intellectu, vt à patre, & iterum nutritore, itaque tum hæc ipsa substantia est à mente, tum actu ratio, & quasi intellectuale verbum, dum mens ipsi perspicitur. *idem, ibid.*

Animam nostram dimissis omnibus, quæ sensibus instrepunt,

perque

pérque sensus animam interpellant, nisi quantùm externe cogat necessitas, ita animaduertendis superioribus aptiorem puram penitus conseruare debemus, & audiendis superis vocibus paratissimam. *Plot. En.5. lib.1.c.12.* Anima habet virtutem ratiocinandi circa imaginationes incidentes à sensu diiudicans, easque coniungens, & diuidens; intuetur etiam, quasi figuras eorum, quæ ab intellectu descendunt, & circa eas habet vim prorsus eandem, assumis quoque intelligentiam, vtpote quod perpendat, accommodétque figuris antiquis nouas, nupérque venientes, qua in re animæ reminiscentiam consistere arbitramur, & hucusque animæ intellectus sua virtute resistit. *idem, En.5. lib.3. cap.2.*

Animæ aliquid esse non dicemus intellectum purũ, nostrum verò intellectum esse fatebimur, qui aliud quiddam sit præter cogitandi naturam, eique superimpositum, nostrum tamen, etsi non numeramus cum animæ nostræ partibus. *Plot. En.5. lib.3 c.3.* Anima in quadam rationis discursione versatur. *idem, ibid.* Animam si corpore, & sensu, cupiditatibus, irâ, & reliquis nugis ad mortale declinantibus exuerit, sic vtique reliquum animæ est, quod præ se fert imaginem intellectus, lumen ipsiae aliquand reseruantem instar luminis, quod post ipsum solis globum proximè micat, circa ipsam ex ipso refulgens. *idem, En 5 lib 3 c.9.*

Animæ in nobis cùm sint duæ, vna propria, alia communis mundi, cur anima nostra non percipit iudicium animæ mundi? quia iudicium illud non est passio, nec vt ea quæ iudicat semper præsentit se iudicare, nam nec visus apud nos nunciat auditui se vidisse, sed ratio animaduertit iudicium, hæc autem ab vtrisque diuersa est. *Plotin. En. 6. lib. 4. cap.6.*

Anima nostra per intellectum est vniuersum, & sic in vniuersali rerum forma omnes animæ sunt quodammodo vnum, quamuis suâ proprietate distinctæ, & quatenus ab intellectu digrediuntur inter se distinguuntur. *idem, En. 6. lib.5 cap.7.* Animæ omnes sunt quodammodo vna. *idem, En. 6. lib. 5. cap.9.*

Anima ipsa prægnans Deo parit ipsam virtutem, & id animo est principium & finis; principium quia inde procedit, finis quoniam illic eius est bonum, perueniénsque illuc ipsa hoc ipsum quod erat euadit, & cùm ex illo est, necessariò amat Deum. *Plot. En 6 lib 9. cap.9.* Animas Deus in generationem dum mitteret, in facie oculos fabricauit, & instrumenta cætera reliquit adhibuit sensibus, præuidens, ita animal seruari posse, si ante videat, & audiat singula, & denique tangat, & ita alia fugiat, alia prosequatur. *idem, En 6. lib.7. cap 1.*

Anima nostra ita sensum radicitus habet, vt sensu semper vtatur: & si hæc anima in mundo incorporeo corporea asset, & ibi sentiret, & animaduerteret & homo illic viuens talis quædam anima est, hæc apprehendere potẽs, vnde & posterior homo imitatio quædam illius imitatione quadam habet & rationes. *Plot. En 6.lib.7.c.6.* Animam adhibere qui vult ad ipsum bonum, atque primum inquirendum, habere eam debet purgatam ab omni malignitate, & animam intellectũ fieri, & totam animam menti committere, & in ea penitus collocare, vt quæ intellectus ipse videt, animas capere & tus, accipiat, & ipso intellectu contempletur, & vnum; sic vt nullum sensum, vel nihil à sensu prouenient adhibeat, sed purâ mente, ipsoque mentis primo purissimum contempletur. *idem, En 6 lib e c.3.*

Anima omnis est Venus, quod (quamuis verbis obscuris) indicant Veneris natalitia, & amor simul cum Venere genitus; animus ergo in natura sua habita constitutus, amat Deũ, Deo commisceri desiderat, quasi pulchram virginitatem honesto affectans amore: & postquam in generationem lapsas, amorem caducum pro diuino reportat, quasi à patre lasciuit seruoctus, sed à lasciuiis humanis se eximens, ad patrem quandoque reuertitur affectione iam beatâ potitus. *Plot. En 6.lib.9.c 9.*

Anima ad Deum ingressa principium ipsum videt, eique coniungitur, simileque simili percipit, nullum negligens diuinorum quotcunque animus consequi potest esse prorsus in se solo, neque in ente, nil aliud est quàm esse prorsus in Deo, fit enim ipse aliquis non essentia, sed essentiâ superior, quatenus Deo se insinuat, si quis seipsum viderit id effectũ habebit seipsum, velut quendam illius imaginem, ac si à seipso pertranseat tanquam imago ad exemplar vsque traducta, erit iam finem itineris consecutus. *Plot. En.6.lib 9.c.11.*

Anima adventitium intellectum habet, qui cum cùm intellectualis sit, coloratus intellectus autem in se ipso intellectuale lumen habet propriam, nec solum lumen est, sed hoc ipsum quod est, existit in sua essentia lucidum, & quod lumen hoc infundit, non aliud in se existens est, & lumen, sed simplex lumen, præbens illi potentiam, vt hoc ipsum quod est. *Plot. En.5.lib 6.c.4.*

Anima amat ipsum bonum, sed ab ipso ab initio ad amandum prouocatur, & qui amat, corpora despicit, cùm aspiciat ea quæ hîc pulchra videntur subiecto, locoque pollute, dimensionibus dispersa, quæ etsi pulchra dicantur, non tamen verè sunt pulchra: nefas enim esset opinari quæ reuera pulchra sunt, seipsa in lutum corporis immergere, & fœdare, & disperdere seipsa, & cùm considerat quæ apud nos sunt, in continuo fluxu versari, deprehendit aliunde nancisci hoc quod in eis micat, ideò ad illud attollitur quod amat, quousque assequatur. *Plot. En.6. lib.7.c.31.*

Animus in Deum defixus non probat intelligentiam quam prius admiratus erat, eam enim in motu esse cognoscit, & ille non optat moueri qui Deum solum contemplatur. *Plo. En.6. lib.7.c.35.* Anima per mentem euadit libera, ad bonum absque impedimento se conferens; quodque propter hoc agit, consistit in ipsa: intellectus autem per seipsum liber, ipsius boni natura est ipsum, quod omnibus appetendũ, & propter quod habent alia quod consistunt in eis, cùm id sine impedimento consequi potest, illud autem id possidere; & ab ipso bona omnia pendent, & ad quod omnia ascẽdere volunt *idem, En. 6.lib.8.c.7.*

Anima habet omnium rationes, agitque secundùm eas, vel ab alio excitata, vel seipsam intus conuertens ad rationes, cùm ab alio prouocatur tanquam ad externa committẽs introducere sensus; cùm verò ingreditur in seipsam ad intelligentias prouenit. *Porphy. de occasionibus.* Animam quæ affligere possunt, sapientes omnia euitabant; sic Pythagoricè partim se in solitudinem receperant, alij in templis viuebant; Plato elegit academiam, agrum nõ modo solitarium, sed insalubrem. *idem, de abstinentia animalium.*

Anima omnis sensibus & memoria prædita est rationalis; & habent rationem & orationem tum interiorem, tum exteriorem, qua inter se loquuntur animalia, quorum verba nõ discernimus à nobis nihil mirum est, cùm barbarorum sermonem multorum non discernamus: itaque non loqui, sed vociferari putamus. *Porphy. quòd animæ sensuales sint rationales & immortales.* Animæ finis est fieri Deo similis; Deus autem cùm nullius indigus sit, nullive noceat, ille certè felicissimus est Deoque similis, qui ita seipsam comparas, vt quamminimè egeat alienis, & quamminimè noceat: hic ergo vescitur solis terræ fructibus, ne noceat hominibus aut animalibus, & quantum fieri possit parcat etiam plantis, & herbis. *ibi, quòd qui paucis contentus viuit & innocens est quasi Deus.* Anima quæ tanquam Deo similis est effecta, quamminimis ad victum est contenta, hic illâ aureâ prosperitate potitur. *idem, ibid.*

Anima ad intellectionem duobus vtitur instrumentis, simplici altero, quod mentem, alio multiplici & mutabili quod sensus nuncupamus, quæ etsi functiones permiscent, vtramque tamen propriam & distinctam substantiam agnoscit; & sic differunt ea quorum sunt instrumenta intellectibili scilicet & sensitiuo, hoc vulgarius est, illud minus notum. *Max. Tyrius sermo 1.*

Anima prioribus temporibus simplex philosophiam musicámque mansuetiorem poscebat quæ ipsam fabulis quibusdã, vt popularis rector duceret, & versaret: sed procedente tempore acutior facta, tanquam simplici illâ credulitate discussâ, fabulas veteres perpendit, & ænigmatis reiectis, philosophiam detegens proprio illam ornauit ornatu, nudisque rationibus vsa, quæ etiam non aliò à prioribus illis differunt, quàm harmoniâ. *Max. Tyrius ser.29.*

Anima hominis quæcunque præsens spectat, parciùs his honorem impertit, remotiore omnia magis admiratur: propterea ad inuisibilia accedens, diuinatione ac ratiocinationibus mediis enaptans, quod assequi non potest, id maximè inuenire conatur, quod si deprehendis, in eo, vt in opere proprio quiescit. *Max. Tyrius ser.29.*

Anima nostra nec in substantiis superioribus, nec in hac est motio vlla passiua, sed totum est actus efficax, & eius motus quo anima ex se mouetur, non diuiditur in motorem, & motum, vel mouere, & moueri, sed est essentialis actus progrediens sensualiter. *Iamblichus de mysteriis.* Animabus rationalibus viuunt non inest essentiale bonum, sicut diis, sed participatio boni secundùm pulchritudinem intellectualem, sed hæc immobiliter inest. *idem, ibid.* Animæ nostræ in daimonum generibus computantur, heroes sunt maiores hominibus, dæmones ergo multò grandiores. *ibid.*

Anima neque dum adest corpori patitur vel ipsa quicquam, vel rationes seminales quas ipsa corpori tradit, species enim sunt simplices, & vniformes, nullam turbatio-

tem vel exitum à seipsis suscipientes. Passiones qualescunque sint in animali, non sunt in anima qualiscunque fit, sed in corpore quod sub anima certam possidet qualitaté, qua & patitur, & agit. *Iamblichus de mysteriis.*

Anima in mondo intelligibili audiuit harmoniam diuinam, cuius hic reminiscitur quando audit melodias, habentes diuinæ vestigium; reminiscens verò, ad eam vehementer afficitur, si est à numero animarum earum, quæ ipsam harmoniæ ideam præcipuè contemplatæ sunt in patria. *Iamblicus de mysteriis.* Anima humana & vna specie comprehensa est, & à caduco corpore nimium obumbrata, ideò nullam habet ad diuinum opus potentiam efficacem; & si aliquando aliquid potest, diuina illustratione agit. *idem, ibid.* Animæ passio nihil habet proprium ad entium, & veritatis contemplationem, sed affert impedimentum. *ibid.*

Animæ, quæ vitam amatoriam elegerunt, mouentur à Deo pulchrorum præside ad curam animorum ingeniosorum, & à pulchritudine sensibus apparente ad diuinam pulchritudinem rediguntur, & secum conuocant amatos. animæ verò quæ ob peruersam educationem à superno munere deciduut, alioquin amatoriam nactæ naturam, simulachris pulchritudinis incidentes, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur, & amant, passionem propriam ignorantes. *Proclus, in Alcibiadem prim.*

Animabus, quæ ratione sunt animæ, competit perficere deteriora, & inferiorioribus prouidere, nam & ob hoc ipsum descendunt propter rerum generabilium prouidentiam, & curam mortalium. *Proclus in Alcibiadem prim.* Animarum perfectissimæ quæ sine generabilium commercio in generatione vitam agunt, quemadmodum proprio Deo vitam consentaneam elegerunt, sic & secundum dæmonem diuinem viuunt, qui & manêtes quondam apud superiores Deo proprio coaptauerat. *idem, ibid.*

Anima rationalis nobilior est irrationali quoniam illã Deus primus mundi opifex procreauit hanc dij iuuenes produxerunt. *Procl. in Alcibiadem I.* Animæ ancultus quæ in patria viderunt, hic earum imagines contemplatur. *idem, ibid.* Animarum appetitus ad vitæ formam valent plurimum, nec nos tales sumus, vt ab externis duntaxat formemur, atque moueamur, ex nobis enim ipsis electiones promimus, per quas vitam agimus. *ibid.*

Animæ nostræ premantur duplici ignorãtia, putantes se plurima noscere ob ingenitas sibi rationes rerum ab initio, ignorantes autem propter oblinionem. *Proclus in Alcibiad. I.* Anima per scientiam euadit intellectus similis secundum actum ipsum cognoscibile comprehendens, vt intellectus intelligibile: secundum verò duplicem ignorantiam fit materiæ similis, nam vt materia omnia habere videtur, cum nihil reuera habeat, sic duplici ignorantia laborans videtur sibi, quæ non habet habere. *idem, ibid.*

Animæ omnes mutationes necessario tempore mensurãtur, vnde & Aristoteles in anima mutationem secundum actus, & habitus, eorumque opposita collocat temporalem; nam quod anima coniuncta corpori, & à prauitate, & ignorantia transiens in opposite interuallo temporis indiget, nemini dubium est. *Proclus in Alcibiad. I.* Anima rationalis propter ipsam per se mobilem, & per se operantem proprietatem suapte naturâ, potest circa se ipsam agere, seq. mouere, & sibi ipsi bonum præbere. & nobis purificatio non ab externis accedit, sed ex intimis ducit originem. *idem, ibidem.*

Animæ vires duæ, vna qua ad deliberationem, altera ad appetitum impellitur. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Animus diuina & intelligentiam diuinam contemplans, quàm optimè affici dicitur, & hæc affectio sapientia nuncupata est, quam nil aliud, quam Dei similitudinem appellari oportet, ideò huiusmodi operatio quàm maximè veneranda est, & expetenda, & homini maximè propria, cui nulla obsistunt impedimenta, quo minus in nostra potestate consistat, & propositi finis nobis sit causa. *Alcinous, c. 2.*

Animâ cùm res singulas discernamus, ideò omnium principia huic indidit opifex, vt quicquid vnquam occurreret ea cognatione quadam cognoscentes, rebus consonam illius essentiam adhiberemus. *Alcinous, c. 14.* Animà per intelligentiam percipere potest substantiam indiuisibilem, & circa corpora dispersam. *idem, ibid.*

Animæ humanæ si iustè vixerint, & non se permiserint trahi à passionibus, in cognatum astrum redibunt: sed si ab iniustitia superarentur, secunda generatione in vitã fœminæ migrabunt, & quæ nondum ab improbitate cessarunt, in brutorum denique naturam degenerabunt, & tunc finis laborum futurus est cùm innatos corporis affectus expulerint, & in proprium habitum redierint. *Alcinous c. 6.*

Animam rationalem dij caput habitare iussere, quod sensibus, quasi quibusdã satellitibus munierunt. *Alcinous cap. 17.* Anima seipsâ mouetur; & quod seipso mouetur motionis, generationisque principium est, & immortale existit, cùm principium ingenitum, & incorruptibile permanet: & anima per se mobilis vocatur, quia habet in se innatam vitam semper secundùm seipsam operantem. *idem, ibid. c. 25.*

Animæ ex eo quòd rationales sint, sequitur quòd extrinsecus ingrediuntur, in corpore formatis iam fœtibus adhærentes, & in corpora plura tum humana, tum alia eundem semper numerum seruantes transfigurare valeant, atque id voluntate deorum, siue incontinentiâ vitæ, corporisque amore, nam corpus & anima cognationem quandam habẽt vt ignis & bitumen. *Alcinous c. 25.* Anima cùm secundùm vires rationales & irrationales trifariam diuisa sit, id homini contingere putat Plato, vt nunquam prudens esse queat, dum aut timidus, aut intemperatus existit, ideòque absolutæ virtutes inuicem inseparabiles sent. *idem, c. 26.*

Animá medium tenet locum, nam à sensibilibus perturbationes, & affectiones, ab intelligibilibus æternitatem mutuatur. *Plutarchus de anima creatione ex Timæo.*

Animæ pars perinde patibilis, & interminata erat. & instabilis, quæ post limitata est, quando terminus, & species diuiduæ, & multiplici motioni accessit. cúmq. idem, & alterum assumpsisset similitudinibus, & dissimilitudinibus numerorum, qui ex dissociatione consensum genuerunt, vita vniuersitatis sapientiâ dotata euasit, harmoniáque, & ratio trahens secum suadelâ temperatam necessitatem. quam vulgo appellant fatum, vt vox aliqua nihil significat, sermo verò dictio in voce, quæ mentis significationem dat, concentus ex sonis constat. & interuallis, sonus vnum. & idem interuallum, sonorum diuersitas, & distinctio, temperatis inter se his, cantus & modulamentum efficitur. *Plutarch. de ani. creat. ex Timæo.*

Anima non omnibus parte est Dei opificiem, sed fors mali quã in se continet, genitaipsa fuit à Deo exculata, qui vno infusturo eum. vt essentia heret termini consors. circumscripsitque alterius, & eiusdem virtute, ordinem, variationem, diuersitatem, & paritatem temperauit, commiscuitque, omnibus deosque his quoad fieri poterat, societatem inter ipsa, familiaritatémq. numeris, & harmoniã côcilliauit. *Plutarch. de anima creat. ex Timæo.*

Animæ inter virtutes quæ numero corporeas superant, ratiocinandi, & cogitandi vis diuinitatis potissimum habet consortium, quam ex diebus Plato dicit esse, & ex cœlestibus, & non absurdè appellauit eam alam, quod animam à rebus humilibus, & caducis subleu. *Plutarch in quæstionib. Platonicis.* Anima in humana antropo sitas non est mera passio, sed imagines honesti habet, cum bruta commisceat viudictæ appetitione. *idem, ibid.*

Anima nostra sine diuinitate adminiculo ipsa per se nihil valet spectare, atque intelligere diuinum. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Animam rationalem non putat Plato os, & vultum carentis ratione animalis induere, sed ad vitiorum reliquias accedente corpore, incorporationem à veris animi vinit affectis e ex instituto vitæ prioris. *idem, ibid.*

Animæ motus duplex, vnus, quo alia mouet, ipsa à nullo mouetur, sed proprio, genuinóque motu ad alia quo alia mouens, ab alio mouetur, qui est patibilis habitus animæ, & ægritudine oppressus. *ibid.*

Anima ideò dicitur rei sentiendæ speciẽ possidere. quia illius profert rationẽ, nec vllo modo tanquam ab illa formam aliquam, vel figurationem velut à sigillo suscipiens: iudicium enim & actio existet intrinsecus, atq. vitalis ratio intus permanet, & essentialis est animæ: vita verò quæ cõples animal à rationibus dependet essentialibus in suspensa, & secũdùm quandam extensionem ad corpus ipsa subsistit, & hæc sensualis quoque est, & terminus. & perfectio animalis. *Priscian. in Theophrastum, c. 8.*

Anima in se non habet nec esse, nec agere simplex, atq; vniforme, sed hoc permanens, hoc mobile, dum circa potentiã permanentẽ procedit potentia mobilis, & sic simul anima, & permanet & mouetur. *Priscianus in Theophrastum de phantasia & intellectu, c. 7.* Anima etiã, vt intellectus, à seipsa perficitur, quatenus à se actum aliquẽ exorditur, & seipsam adhibet intellectui, & suâ actione perfectionem apprehendit ab intellectu. *idem, ibid. c. 6.* Anima non semper vtitur intellectu ei præsenti. quia ad corpora vertitur. *ibid.*

Anima percipit formas materiales, & immateriales secundùm insitas animæ rationes, immaterialia tanquam rationibus sibi insitis, coniugata, vel tanquam præstantiora, manualia vt effecta, & quæ abstractione cognoscuntur, auferendo ab eis materiam. *Prisc. in Theo. de phan. & intell. cap. 14.*

Anima

Anima cognoscit rationibus innatis,& materialia,& immaterialia: ad immaterialia ipsis vtitur vt germanis, ad materialia tanquam causis. *idem, ibid. cap. 15.*

Animæ nullus relinquitur locus, quo materiam fugiat, si in nullum hic malum inciderit. *Synesius de somnin.* Animæ auxilio diuino potissimum opus est, cùm materiæ se addixerit,& hæc pro arcano conuentionem nostram signat libello, cùm non sit leue certamen sui ipsius abrogare confessionem,& pactum contingis autem & vim inferre, pœnæ namque vltrices materiales tunc & iusta fatum mouentur aduersus eos qui à legibus fati rebellant *idem, ibid.* Anima duas habet regiones, alteram obscuram, alteram lucidam, & inter has media est; cùm in propriam generositatem se recipit, veritatis est perita, pura enim est, perlucida, & prorsus immaculata, est & Deus, & vates si liber; cùm delabitur obtenebratur erraticáque euadit,& mẽdax; cùm medium tenet partim aberrat, partim consequitur. *ibid.*

Anima duas in se naturas habet valde necessarias, memoriam & reminiscentiam, quarum altera quicquid recens in sensibus impressum est retinet, ne falli possit per ignorantiã; reminiscentiam verò præcedit obliuio res surda, & cæca: hic quod antiquius est, apparet deterius. id est, memoria, quàm reminiscentia, quòd per Ephraim,& Manassen significator. *Phil. Iudæus in legu allegoria lib. 2.*

Animæ motus primos Deo dicare debemus, auctorem eum confitendo: primi sunt ordine, qui statim à natiuitate nobis obuenerunt, cibus, incrementum, visus, auditus gustus, odoratus, tactus sermo intellectus, partes animę, partes corporis & harum vires,& in vniuersum habitus, & motus, qui secundùm naturam fiunt, at primi dignitate sunt benefacta, virtutes, virtutum actiones: virtutes sunt sermo ex sincero animo emissus, cum gratiarum actione. *Phil. Iud. de sacr. Abel. & Caim.* Animæ in tenera ætate debentur liberalis musicæ rudimenta; ætate prouectâ, temperantia, & cæteræ virtutes. *idem de Agr.*

Anima nostra olim cœlestia colens, contemplatione felici circa diuinas ideas, formásque mundanas, & cœlestia voluebatur, eroque cœlesti vehiculo suo, tanquam sphærico, motum edebat orbicularem, deinde verò descendit in caput humanum vehiculo suo, inter nostra cognatius, hic tamen reuolutiones pristinas intermisit: possimus tamen etiam in hac vita saltum imitatione quadam reassumere, videlicet superiora, vt olim, contemplando similiter, & venerando, ita prorsus animus iam effectus beatis similis, & in præsenti beatus erit, & in vita futura quandoque beatissimus, quandò simillimus. *Fic. in Pla. Timæum. cap. 102*

Anima rationalis in essentia tertia habet sedem, obtinet naturæ mediam regionem,& omnia connectit in vnum. *Ficin. Plat. Theol lib. 3. cap 2.* Anima rationalis est fons motionis, cui qualitates ad mouendam materiam seruiunt, vt instrumenta. *ibid. lib. 5. cap. 4.* Anima rationalis est vita, & intelligens discurrendo,& corpus viuificans tempore. *ibid. lib. 3. cap. 2.* Anima rationalis, vt Platonicè loquar, corpori propinquans, ex se fundit vitam, velut vmbram. *ibid. lib. 5 cap. 14.* Anima rationalis vera vita est: vera vita per se corporis est formatrix,& rectrix, ideò corpore est longè præstantior *ibid. cap. 15.*

Animæ rationalis sedes, quæ est tertia essentia, tres habet doses ex eo quòd omnium medium obtinet, primam quòd in ea refulgent veræ imagines diuinorum; secundam quòd ipsa format,& continet totam machinam corpoream; tertiam quòd diuina,& corporalia inuicem conciliat. *Ficin. in Plat. Theol lib. 5. cap 15.*

Anima rationalis quatenus intellectualis est, non solùm forma simplicissima est, sed etiam est omniformis, & omnia, omnia inquam actu, sicut intellectus ipse est actu omnia; quatenus verò animalis euadit, retinet quidem munus idem, quo sit adhuc omnia, sed minus perfectè retinens, est iam in potentia vniuersum,& tunc admittitur ad prouidentiam vniuersalem; at quando in se gradatim ab vniuerso mouere eadem ad partem muneris sese dirigit, particularem gradatim subit curam, corpúsque proprium magis induit,& magis laborat. *Fi. in Plot. En. 4 lib 3 cap. 5.*

Anima nostra si esset accidens, & necessitate hæreret subiecto, non posset illi repugnare, nec in se vnquam reflecteretur, nec super accidentium genus ad substantiæ genus ascenderet, ipsumve propriè definiret, vel discernere posset ab accidentibus, vel quanto interualla accidentia superat ritè metiri. *Fic. in Plat. Theol. li. 6 cap. 7.* Animatum in omni ætate, tum continuè veritatem cæteris appetit *Idem, lib. 8. cap. 2.* Animæ humanæ virtus indiuidua est qualitas. *ibidem. cap. 3.*

Animæ duo præcipua sunt officia, speculari,& consultare, in vtroque repugnat corporibus. *Ficin. in Plat. Theolog lib. 9. cap 3.* Animam hominis cœlo non subiici hinc apparet, quod futuros casus primò scientiã prætudet deinde prudentiã vitat, aut magnanimitate vilipendit, quasi non ad ipsum hominem, qui ipse est animus, pertineat quicquam, sed ad animi carcerem: & fortunã prosperã propter temperantiam feliciter, aduersã propter tolerantiam optimè vtitur. *ibid. cap 4.*

Anima rationalis, quæ fons est motionum corporalium, mouet ipsa corpora, à corporibus verò non mouetur; mouetur autem ab illis, si inde formaretur, sed spiritus, qui est animæ currus, à corporibus quibusq. pulsatur: pulsatio huiusmodi non latet animam,& hoc sentire dicitur,& statim ex hoc sentiendi actu, vis animi interior ad opus aliud huic persimile excitatur, quę imaginatio appellatur; supra hanc est phantasia,& denique supra hanc intellectus existit. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 7. cap 3.*

Anima nostra in essentia cum cœlestibus conuenit, & cùm illa non habeant originem è materia, ergo nec animus noster vllam habet originem è materia,& si illa sunt æterna, & animus æternus est. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 9 cap. 6.*

Anima hominis si ex materia scaturiret, nunquam cum diuinis, quæ ex materia non scaturiunt in operatione coniungeretur. *idem, ibid.*

Anima nostra diuinos intellectus nec inuestigat, nec intuetur, nisi per proprium intellectum, vt solis oculus non capit lumen, nisi per proprium quoddam sui luminis interuum *Fic. in Plat. Theolog. lib. 10. cap. 1.* Anima nostra clauditur corpore crassiore his modis, primò in ipso descensu cœlesti, & aereo reuoluitur corpore, deinde spiritu ex corde genito qui in nobis cœli instar, temperatissimus est,& lucidissimus. *idem, ibid cap. 2.*

Anima rationalis ex omnibus formis corporis simillima Deo euadit, vsque adeò vt nequeat alia similior fieri, postquam non potest fieri vlterius in alia materia, cum hæc in ipso extremo emineat corporis limine *Fic. in Plat Th lib 2. c. 5.*

Animam rationalem fieri à Deo absque vllis instrumentis ex eo potissimùm conectamur, quòd in Deum proximè vertitur *idem, ibid. cap 7.*

Animæ rationales intellectuales sunt secundùm participationem, Angeli secundùm formam. *Ficin. in Plat, Theolog. lib. 11. cap. 4.* Animæ rationali ab ideis formulæ propriæ idearum inseruntur,& ipsi hærent immobiliter *idem, ibid,*

Animæ humanæ tres rerum ordines conuenire videntur, prouidentia, fatum natura; prouidentia est series mentium: fatum series animarum, natura series corporum: nam primo loco ponimus sub Deo Angelos, purissimos scilicet intellectus; sub quos animæ rationales, quæ corporibus iam vniuntur, siue mundi, siue mundanarum sphærarum, siue syderum dæmonum,& hominum, tertio loco globi cœlorum, alimentorum,& humorum *Ficin in Plat. Theol. lib. 13. cap. 2.* Anima nostra per caput suum id est mentem, superioribus mentibus nectitur, per vim infimam id est idolum quo regitur corpus, cum idolis animarum superiorum conspirat; per naturam corporis sui cui idolum se insinuat, conciliatur naturis corporum mundanorum, quas naturas huius corporis sequitur. *idem. ibid.*

Animæ rationales non modò vim habent intelligendi, per quam angelicæ sunt,& in ordine prouidẽtiæ numerantur, verùm etiam vim illam viuificam, rectricémque corporis, quæ alit corpus in corpore, sentit corporalia per corpus; mouet corpus per locum, regitque in loco, quam vim idolum, id est simulachrum rationalis animæ Platonici nuncupant; in hoc idolo insunt semina motionum, & qualitatum omnium quæ in corpore explicantur ab anima: omnes animæ rationales tum nostræ, tum quæ supra nos sunt, vires illas habent intelligendi, habent & has viuificas, rectricésque corporum facultates. *Ficin in Plat Theolog. lib. 13. cap. 2.* Animus septem generibus vacat, somno, syncope, humore melancholico, temperatã complexione, solitudine, admiratione, castitate *idem, ibid.*

Anima omnis rationalis per essentiam suam,& potentiam super totam mundi materiam est,& totum mouere posset,& formare, videlicet quando adhæc sit Dei instrumentum. *Ficin. in Plat. Theolog. lib 13 cap. 4.* Animæ nostræ conatus omnis est vt Deus efficiatur. *idem, ibid. lib 14. cap. 1.*

Animæ quod patibile nuncupatur, est causa passionis, siue ab ipsa fiat motio passionum ex sensuali phantasia, siue seorsum à phantasia. *Plot. En. 3 lib 6. cap 4.* Anima hominis licet quædam imago sit intellectus diuinioris, verum tamen in se mentis formam habet. *Ficin. in Plat. Theolog. libr. 14. cap. 2.*

Animæ partes distribuit in cerebro Auerrois, vt in prima

particula fit ſenſus communis, qui operationes quinque ſenſuum in ſe colligat; in ſecunda imaginatio, quæ earum imagines cõſeruet, quas communis ſenſus colligit; in tertia cogitatrix vis iudex eorum, quæ conſeruauit imaginatio; in quarta memoria cuſtos iudiciorum, quæ cogitatrix protulit, & quòd mens cogitatrici vbique adſit, & per eius adminiculam intelligentiam ſuam expleat, dum ſimulachra rerum in cogitatrice virtute lucentia, mentem ad intelligentiam mouent, & hæc ſola eſt hominis cum mente communio, non quòd intellectus ſit pars, aut forma viuifica hominis, ſeparatus enim ab homine eſſentiâ, & in eſſendo. *Fic. in Plat. Theol. lib. 15. c. 2.*

Anima rationalis non modo corporis profunda ingreditur alendo, ſed etiam ſublimia corporis ſupergreditur intelligendo: & vt ambiendo corporis ſuperficiem vitam intellectualem anima ſumit ab alto, ſic intima corporis penetrando animalem vitam tribuit infimo, & dum ambit, vt a Deo eſt, intellectum ſortitur agentem; prout reſidet in ſe ipſa, capacem poſſidet intellectum; dum penetret, prout ſpiritibus ſeſe inſinuat, ſentit; & mouet, prout ſe immergit humoribus, aut eo. ſuſtinet. *Fic. in Plat. Theol. lib. 11. c. 2.*

Anima rationalis habet eſſe finitum, eſſentiam verò partim finitam, partim infinitam; infinitam quidem, quoniam nihil vnquam emittit, quod ad ſpeciem ſuam pertineat, eius enim actus eſt vitalis, & rationalis, quem nunquam dimittit, nec intermittit; finitam verò quoniam admittit aliquid vltra ſpeciem, ſiue principia ſpeciei, id eſt, affectionem hanc, vel illam ad talem, vel talem humani corporis habitudinem, per quam fit forma corporis viuifica, & ad numerum corporum numeratur: & eſſentia huius animæ quatenus infinita eſt, corporis capacitatem exuperat, & vitam agit intellectualem, quatenus finita eſt proportionem habet cum corpore, & cum ipſo vitam agit corpoream. *Ficin. in Plat. Theolog. lib. 15. c. 2.*

Anima rationalis ponitur inter Angelum, & animam irrationalem, ita vt materiæ non inhæreat, formetur tamẽ, & formet. *Fic. in Plat. Theol. lib. 15. c. 2.* Anima eadem eſt in homine, quæ corporalia format, & formatur ab incorporeis. *ide, ibid. c. 12.* Anima vbiq; tota eſt per corpus, atq. ipſa intelligit ſola, & vbique, in nullo tamẽ mẽbro intelligit, quia ipſa non eſt in membris, ſed membra potius in anima. *ibid.*

Animæ varietatem per plures diſperſam interpretes ſic colligamus, ab Auerroe accipiamus capacem intellectum eſſe immortalem; ab Alexandro capaces intellectus eſſe vires quaſdam animabus noſtris naturaliter inſitas, tot numero quot ſunt animæ; & concludamus hominum animas immortales eſſe. *Fic. in Plato. Theolog. lib. 15. c. 19.*

Anima hominis, quia ex ea parte, qua mens eſt, vltima eſt inter mentes, intelligit ſolummodò patiendo, vniuerſalia, in ſingula non diſtribuit; ſed qua parte eſt diuina, per centrum ſuum quaſi Dei characterem, habet aliquam actionem qua producit ſpecies, vel educit, diuidit verò nequaquam; & qua parte eſt anima, quia non eſt vltima animarum, animalis, corporeæque operationis eſt compos: & per diuinam prouidentiam in eo gradu locata eſt hominis anima, vt ſicuti ſuccedit proximè mentibus, ita proximè terrena præcedat corpora, qua cognatione erga inferiora hæc afficitur, eiuſque amatorio quodam affectu ſe inſerit, vnde corporibus copulata terrenis, terrenorum omnium præſtantiſſimis, regit illa, & per virtutem vitalem vitales illis affert paſſiones, intrinſecus, per ſenſum indicat paſſiones alienas illatas illis extrinſecus. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 16. c. 1.*

Animæ humanæ, quæ hîc aliquo affectu ſe mouerunt, ſeſe à corpore ſeparatæ agnoſcunt, & fermè ad ſe inuicem ſimiliter afficiuntur. *Fic. in Plato. Theolog. lib. 16. c. 5.* Anima humana à corpore ſeparata habet in ſe aliquem ſenſum, & curam inferiorum rerum, quatenus ei ſupereſt in ſe aliquis habitus, vel affectus ad corporea vergens, quo ſublato tanta attentione diuinis incumbit, vt ſingula quæ inter nos contingunt, aut non videat, aut videre non aduertat, vt accidit his qui intentiſſimè aliud cogitant, & eadem ferè eſt de rerum humanarum reminiſcentia ratio. *idem, ibid.*

Anima hominis ſi manet extra corpus, cùm primùm nata eſt vniuerſalia cognoſcit quidem, ſingula vel virtute propriâ, vel radio diuino per ipſam comprehenſo non cernit, quia mens eius vltra ideas vltimas non deſcendit, ratio enim in mentis intuitu quieſcit; in hoc autem corpore propter ſenſus ratio conſueſcit per ſingula currere, ſingula communibus applicare, communia in ſingula deriuare. *Ficin. in Plat. Theolog. lib. 16. c. 8.* Animæ rationalis ratio à phantaſia ſingula accipit, à mente communia, & in vnam vtraque congregat, & vt in homine mortalia cum immortalibus copulantur, ſic in ratione temporalia ſimulachra ſpeciebus iunguntur æternis. *idem, ibid. cap. 2.*

Animæ hominum ſunt ſupra temporis paſſiones, quamuis ſint poſt temporis ortum. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 18. c. 4.* Anima noſtra ambiguam habet conſolationem, & diſcurſum temporalem, quoniam de multis partibus, viribuſque noſtris nunc vna, nunc alia dominatur, & quia ignorantes ſumus, & plurimis indigemus, & nobis plurimæ paſſiones incidunt: vis rationalis & ſi non ſit naturâ debilis, nec cæca, tamen ab irrationali aliquãdo ſuperatur, & quia hæc quieta, illa turbulenta, & quia hæc eſt vnica, illa multiplex. *idẽ, in Plot. En. 4. lib. 4. c. 17.*

Animæ Deo ſemel hærentes nunquam inde diſceſſuræ ſunt, ſi modo motum iam tranſcenderint, & naturale deſideriũ impleuerint. *Fic. in Plato. Theolog. lib. 18. c. 8.* Anima fomes eſt in ſpiritu, & corpore mundi ad intelligentiam diuinitus conſequendam. *idem, de natura cælitus comparanda. lib. 3. cap. 26.*

Animæ hominum, & quæ diuinæ ſunt, plurima diuinant ſeparando ſe ſui abſtractione à corpore, quæ vitæ ſunt puræ, & à corpore ſolutæ non nihil humana curant, poſt mortem. *Mar. Fic. epiſt. lib. 1.* Anima non ſecundùm participationẽ quandam intelligentiam poſſidet, quemadmodum ſuper animarum mentes, quæ participatione tales eſſe dicuntur, ſunt multæ mentes ſecundùm formã angeli, ita ſuper mentes ſecundùm formam eſt mens vna ſecundùm cauſam, efficacémque virtutem, id eſt Deus. *idem, epiſt. lib. 2.*

Anima æternum obiectum attingere non poſſet, niſi aliqua cum illo eſſet proportio. *Fic. epiſt. lib. 2.* Anima beata hoc ipſo contẽta eſt, quòd bonum ſuum incomprehenſibile eſt, & ſi comprehenſibile eſſet, non eſſet contenta. *idem, ibid.* Anima vna in homine eſt per quam ratiocinatur, iraſcitur, & concupiſcit, quæ vires, etſi proprietate inuicem diſcrepant, tamen vbique in eadem anima ſimul ſunt, vbicunque anima ſimul eſt tota. *ibid.*

Animam impoſſibile eſſe (ait Galenus) ſanguine, & adipe ſuffocatam, cæleſte aliquid cogitare. *Fic. epiſt. lib. 5.* Animæ inter omnes vires, quæ in cognoſcendo verſantur, ſupremæ ſunt intellectus, & ratio; infimæ guſtus, & tactus, hæ ad naturam deſcendunt maximè corporalem, illæ aſcendunt ad ſubſtantiam diuinam. *idem, ibid.*

Animam diſtinguit Homerus, vt & Plato ab idolo ſuo, & Intellectum ab his, quæ ſunt animæ propria, & animam ĩdolo vti ait, intellectũ verò vtriſque diuiniorem eſſe, & idolum, & animam eſſe in hoc corpore nota quodammodo, ita quo etiam ſeorſum à quo, coram prouidentiamq; huius habere, idque naturaliter concupiſcere, intellectum verò phantaſticis formabilibuſque motibus noſtris comprehendi. *Ficin. epiſt. lib. 11.* Anima recuperans alis per philoſophiæ naturalis, & moralis contemplationem, duo præmia habet vnum diuinitatis contemplationem, aliud gaudium perfectum, illud ambroſiam hoc nectar appellat in Phædro Plato. *idem, de volup. c. 1.*

Animæ ſummus ad Deum aſcendentis gradus caligo dicitur, & lumenicaligo, quia animus per negationes quaſdam illuc vſque proceſſit, negando omnia à Deo: lumen qua ratione non aliter de Deo, quàm ita negando perſpicuam conſequimur veritatem. *Fic. in Dio. Areopagi de trinitate.* Anima ad ſummum bonum aſcenſam tres ſummitates tranſcendiſſe oportet, corpoream, animalem, intellectualem, vltra quas extat ipſum bonum. *idem, ibid.*

Anima tunc demum ipſo bono fruitur, quando tum amore eiuſmodi inſtigante, tum etiam trahente Deo, multitudinem omnem exuit ad ſenſum, & rationem, & intelligentiã pertinentem, ſolutáque iam tota ſurgit in vnitatem ſuam, per quam cum ipſo vno rerum principio exiſtimabilem conſequitur vnionem. *Fic. in Dionyſ. Areopag. de diuinis nominib.*

Anima noſtra, prout legitur in magorum carminibus, quod omnes vſurpauere Platonici, præter terrenum corpus, habet cæleſte, quocum quaſi quodam curru reuerſura eſt in cœlum, & animas noſtras Deo deditas, terrenum corpus terræ tandem non eſſe relicturas, ſed vna cum cæleſti ſuo corpore id quoque corpus cœlo tradituras illuminandum; quibus verbis reſurrectio corporum & beatorum ſplendor apparet. *Fic. in Dion. Areopag. de diuinis nominib.*

Animæ Dei nomina non rectè pandunt, niſi coniunctæ Deo, & coniunctæ non ſunt, niſi ſeiunctæ prius non ſolùm à corpore fuerint, verùm etiam à propriis intelligentiæ actionibus, & ab omnibus tam quæ ſunt, quàm quæ intelliguntur eſſe, ideò prima eiuſmodi nomina tam ablationem rerum à Deo, quàm ſeparationem Dei ipſius à rebus ſignificauerunt. *Ficin. in Dion. Areop. de diu. nominib.* Anima in ſe per interiorem cogitationem, quæ opinio dicitur, & mente, & memoria, & ratione, & intellectu fruitur. *idem, in Plat. Theolog. lib. 2. cap. 32.*

Animæ

Animæ humanæ beatitudo cōposita est intelligentiā eatenus integra, quatenus animæ corpori regendo occupatæ competere potest, & voluntate appetitúque omnis consensione, quæ exterior est voluptas, quæ consensio ad humanam sufficientiam necessaria est vt nulla interior sit seditio, sed omnes partes quoquomodo in vnum concurrant ad munus vnum beatitudinis possidendum. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 33.* Animæ rationali ita congrua est veritas, vt lumen solis lunæ. *idem, ibid. cap. 63.* Anima, vt se ipsam respicit, rationes rerum vniuersales cogitat, & à principiis ad conclusiones ratione discurrit. *idem, in Plat. Ionem.* Anima, vt à mente diuina dependet, rerum omnium ideas per mentem actu stabili contemplatur. *ibid.*

Anima intellectualis communionem habet cum essentia æterna, scilicet substantia per quam cognoscit eam, sed hæc communio non est potentia vlle mutua agendi, vel patiendi, neque enim essentia illa mouetur ab anima eam cognoscente, nec rursus anima mouetur ab illa; sed anima nonnunquam ad rationes illius essentiæ ideales sibi congenitas se conuertit, conuersione quadam, & illustratione cognoscit: omnino verò in substantiis separatis non est potentia quædam procliuis ad actum vlteriorem temporaliter sequendum, sed actu semper existunt, idcirco definitionem illam, quæ per potentiam agendi, & patiendi dabatur, in illis suscipere non debemus. *Fic. in Plat. sophist. cap. 21.*

Animam nostram qui intro aspicit, trinum dæmonem videre putabit, nam & vehiculum cœleste videbit igneum quidam, aereúmque velamen prorsus infusum, & huiusmodi velamen spiritu circumfusum, spiritu inquam è quatuor humorum vaporibus constituto. *idem, ibid. cap. 36.*

Anima duo lumine habet, naturale, & ingenitum vnum, alterum diuinum, & infusum, quibus vna coniunctis, vt duabus alis per sublimem peruolare possit regionem; & si diuino semper vteretur, semper diuinis hæreret, & terra esset rationalibus animalibus vacua, at diuina prouidentiā cautum est, vt anima sui ipsius sit domina, & posset tum vtroque, tum altero lumine vti. Hinc fit vt naturā duce ad proprium sui lumen conuersa, prætermisso diuino, seipsam, viresque suas quæ ad fabricam corporis spectant, animaduertat, & cupiat vires suas in fabricandis corporibus exequi; hac cupiditate grauata descēdit in corpus. *Fic. in Pla. conu. or. 4. c. 4.*

Animam in se notiones rerum habere, si quis Platonis libros Phædrum, Menonem, & Phædonem inspexerit, quos iunior scripsit, putabit formas illas in animo pictas esse vt in pariete figuras, in senectute de republica totam rem agit, & dicit, vt sol ad oculos, ita Deus ad mentem se habet: sol oculos generat, vimque illis præstat videndi, quæ frustra esset, nisi solis lumen adesset in quo oculus corporum colores videt, atque figuras nec aliud. Hoc quidam lumen in corporibus reflexum oculus perspicit, ipsam verò in fonte suo lucem minimè sustinet, sic Deus animam procreat, & mentem ad intelligendum largitur, quæ obscura esset, nisi Dei sibi lumen adesset in quo rerum omnium respicit rationes vnde per Dei lumen intelligit, & diuinum solum lumen agnoscit, diuersa tamen suscipere videtur, quia sub diuersis rerum ideis, & rationibus ipsum intelligit. *Idem, in Plat. conuiuium, orat. 6. cap. 13.*

Anima per mentem habet vt intelligat, nam si suapte naturā intelligeret, omnibus, & bestiarum animabus inesset, vt motus inest. *Fic. in Plat. conuiuium, oratio. 6. cap. 5.* Animarum alæ geminæ sunt geminus instinctus mente ingenitus ad superna eleuans animam, intellectu instinctus ad diuinum verum, in voluntate instinctus ad diuinum bonum: quando verò hi remittuntur, inclinatio vegetalis naturæ intenditur ad corporea gubernanda animas verò, fractis alis in elementa descendere Pythagorici putant. *Idem, in Plat. phædrum, cap. 2.*

Animarum rationalium quæuis si disperdatur, & reliquæ animæ rationales peribunt, omnes enim ab æterno eodem patre similibus proportionibus sunt absque medio procreatæ. *Fic. in Plat. phædrum. cap. 6.* Animæ rationalis tanta est potestas, vt quælibet sit quodammodo vniuersum, & si quando se suam amplitudinem se receperit, omniformes in se notiones, & vires explicatura sit, prouidentiamque vniuersalem prosequutura, quasi collega cœlestis cuiuslibet animæ, & mundanæ. *idem, ibid.*

Anima rationalis dum suam actu, & affectu conseruat vniuersitatem, cœlum habitat cùm vniuersalibus cœlestium animabus, potest etiam interim intellectu speculatiuo totum mundum intelligibilem intueri, & practico totum simul sensibilem conspicere, siue id vniuersalis prouidentiæ munus agat, vniuersali similiter ratione, sicut anima mundi, siue vniuersali quidem ratione, sed more Saturni, vel aliorum planetarum. *Fic. in Plat. phædrum, cap. 8.* Animam omnem Plato dixit totam colere machinam, non omnem animam, quia anima rationalis est anima omnis, quæ in se habet omnes animæ vires, & rerum formas. *idem, ibid.*

Anima quælibet rationalis vult posse per omnes mundi sphæras gradatim se conferre, tum etiam in cœlo habitantem ad vniuersalem prudentiam quandoque recipi. *Fic. in Plat. ph. cap. 8.* Anima, quæ ad diuinam eleuatur in hoc mundo fit particeps donorum diuinorum, & præparat se, vt in alia vita his perfectè fruatur. *idem, ibid. cap. 18.* Animæ contingit simul, & remissio intelligentiæ, & naturæ deterioris intentio. *ibid. cap. 24.*

Animæ nostræ in cœlo pro differentiis earum, suorúmque ducum aliæ breuius viderunt, quàm aliæ: breuius, id est pauciora, vel breuiori tempore, vel negligentius, & ingenium huc afferunt: quę breuius viderunt, nec philosophicum, nec reminiscentiæ diuinorum aptum, præsertim si educationem, consuetudinémque hic alienam à philosophia sortitæ sunt; at quæ ampliora viderunt, & philosophicum ingeniū huc afferunt, & si philosophicè educantur, facilè per imagines diuinorum reminiscuntur eorum præcipuè diuinorum, quæ similitudines suas ad sensus vsque protulerunt. *Fic. in Plat. phæd. cap. 25.*

Animæ nostræ proprium est officium, vt conspectis particularibus, colligere de illis possit conceptum vniuersalem, qui conceptus communiter species dicitur, per quem ad communem formulam animæ naturaliter insitam quandoque perueniat, & per hanc ad ideam, quæ non solum dicitur species, sed existit: quod anima bruti facere nequit, cùm nullas idearum formulas insitas habeat. *Fic. in Plat. phædr. cap. 25.* Animæ solæ in Deos recipiuntur quæ per veram philosophiam purgatæ discesserunt. *ibid.* Animæ cum corpore vinculum nil aliud intelligit Plato, quàm amorem, id est naturaliter prouidentem. *ibid. Fic. in Plat. phædone.* Anima humana, & si secundùm essentiæ partes non spargitur, per actionem tamen partes diffunditur, tempore enim, & mobiliter agit. *ibid.*

Animas in prato per septem dies quieuisse ait Plato, & per septenarium alij intelligunt septem planetas, item per septem dierū septenarios, quibus ante motum fœtus in aluo quiescit, vel per septem quosque dies, in quibus gradatim, se vtero formæ mutantur, sed forti melius, quia interim quodammodo animæ viuunt steriles, sterili quodam numero deputantur, cùm septenarius sterilis sit, cùm ex alio numero aliquoties repetito non gignatur, nec alium numerum facit infra decem: ideò palladi à Pythagoricis tribuitur. *Fic. in Plat. de repu. dial. 10.*

Animæ nostræ eliàs in prouidentia sunt omnino, cum viuunt expeditā tantùm mente contemplatrice: cum in vegetali parte, ad corpus hoc inclinatio inualescit atque ad imaginationem vsque talis inclinatio propagatur, ad fatum iam declinant pariter à libertate degenerantiat dum composito corpori coniunguntur, iam in ipsum corporis sui fatum sese mergunt, minúsque admodum pristinæ retinent libertatis, aliàs prorsus sunt in fato, cùm scilicet postquam effectus corporeos in debitum contraxerunt, fatō iam funditus obruuntur, omni libertate priuatæ. *Fic. in Plat. de republi. dial. 10.*

Animarum gubernatio è genibus lachesis accipitur; vniuersum verò eiusdem manib. gubernatur: etenim cùm vniuersi gubernatio præstantior sit, quàm dispositio animarum, meritò illa manibus, hæc genibus perficiuntur. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.* Animæ aliæ hominum alias vitas eligunt, alij ob id aiunt, quia in animarum naturis sunt speciales quædam differentiæ, alij indiuiduales, & proprias, & addunt differentias illi multas ex superioris vitæ diuersitate ductas, & animæ eligentes vitam simul dæmonem sortiuntur electæ vitæ ducem. *idem, ibid.*

Animam rationalem à Deo acceptam animæ sphærarum, stellarúmque, & dæmones, vel inferiores angeli corpori caduco conciliant per vitam quandam irrationalem, partim ab ipsis, partim ab anima hominis dependentem. *Fic. in Plat. Tim. cap. 37.* Animæ rationalis in substantia ponunt Platonici sensum communem, simplicem, & impassibilem, qui non propriè accipiat illatas à corporibus passiones quemadmodum sensus alter, sed alterius sensus percipiat, siue potius iudicet passiones: proinde rationalis animę substantiam indiuisam, & in se consistentem esse probant, nec capiti velut sustentaculo commendatam, sed quasi instrumento ipsius accommodatam, vel cuidam in suo genere simili comparatam. *idem, ibid. cap. 41.*

Anima nostra, ob quandam liberi motus infinitatem, potest, & intra se in brutorum omnium affectus & habitus prouo-

beret, & secundum hæc in medio, & individuæ, & circa corpora dividuæ ipsam constituit, & acceptis his, quæ tria essent, omnia in vnam ideam commiscuit, alterius naturam, quæ difficulter commisceretur in idem violenter coaptans, & postquam cum essentia commiscuisset, ex tribus vnum fecisset: rursus totum hoc in quod partes conuenires distribuit, vnam quamque vero ex eodem & altera, & essentia mistam. *Plat in Timæo.*

Animam mundi postquam Deus fecisset ex tribus vnum rursum totum hoc in quot partes conuenires distribuit, vnam quamque ex eodem, & altero, & essentiâ mistum, incæpit autem diuidere hoc modo: vnam detrahebat de toto partem, post hanc auferebat duplam huius, tertiam verò sesquialteram secundæ, triplam primæ, quartam duplam secundæ, quintam triplam tertiæ, sextam primæ octuplam, septimam vigesies septies, primam continentem, post hæc impleuit dupla & tripla interualla, partibus amplius illinc dissectis, & in horum medio positis, vt in vnoquoque interuallo duo media essent, quorum vnum eadem parte extremitates ipsas excedit, & exceditur, alterum æquale secundum numerum excedit æquali item superatur, quum autem interualla sesquialtera, & sesquitertia, & sesquioctaua fuerint, ea his vinculis in prioribus interuallis sesqui octauo interuallo sesquitertia omnia explebat, relinquens vniuscuiusque ipsorum partem, huc partis interuallo relicto, habente numeri ad numerum terminos 256 ad 243. & sane mixtum illud, ex quo hæc desecabat, sic iam totum consumpserat. *Plat. in Timæo.*

Animas Deus constituto vniuerso, diuisit æquali cum syderibus numero, & singulas singulis assignauit, & velut in vehiculum impositis vniuersi naturam ostendit, & leges fatales ipsis exposuit. *Plat. in Timæo.* Animas creauit Deus, infundens rursus in peiorem craterem, in quo vniuersi animam temperans miscuerat reliquias superiorum, ac eas miscebat aliquo quidem modo eodem, incorrupta verò non amplius similiter secundum eadem, ad secunda, & tertia. *idem, ibid.*

Animam vniuersi sic quodammodo Deus diuisit, vnam auferens primam quæ est quatuor vnitatum ad octo denarios, & tres centenarios, huius autem duplum & triplum facile est computare, consistente primo, oportet autem esse omnes cum supplementis, & sesquioctauis, terminos sex & triginta, vniuersum verò numerum fieri oportet centena, & quatuordecim millia, sexcenta nonaginta quinque. *Timæ. Locr. de an. mundi, & natura.*

Anima mundi omnes animas distribuit tanquam circumcurrentes, harum partim mutantur in melius, partim in peius, nam reptilium animæ in aquatilia transmutantur, aquatilia in terrestria migrant, terrestria in volatilia secedunt, aereorum in hominem vertuntur, hominum animæ immortales in dæmones transeunt, dæmon in deorum chorum feliciter reuolat, chori deorum gemini, vagantium vnus, non vagantium alter, & hæc est suprema animæ gloria; & animæ malæ pœna est reuolutio in reptilia, praua animæ, ignorantia boni infecta orbata oculis, corporis sese passionibus implicat, cacodæmonis ritu corrupta, se ipsam ignorans abiectis corporibus, monstrisque deformibus fermè cordus suum, vt onus circumfert. *Merc. Trism. pim. c. 10.*

Anima vniuersalis nacta est potestatem faciendi formam in simplici materia, ac informi naturaliter. *Arist. 3 lib. Ægypt. lib. 33. cap. 6.*

Animam cœli absurdum est putare cùm possit cœlum continere, & id semper efficiat, perinde ac si per violentiam continuerit. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 4.* Anima cœli mouendo nunquam defatigatur, nec enim vel ipsa trahit, vel corpus præter naturam agitur: nam id ipsum naturâ est, quòd ab anima vniuersi ordinatum est. *idem, En. 2. lib. 2. cap. 1.* Anima mundi vbique existens, non diuisa per partes, sed vbique tota, dat & cœlo, vt & ipsum, quoad potest: sit vbique; potest autem ex eo quòd pertranseat, & progrediatur per omnia. *ibid.*

Anima mundi totum id ratione gubernat, vt in quolibet animal, ipsum vitæ principium, à quo singula viuentis membra formantur, & ad totum, cuius partes sunt ordinantur: in toto sunt omnia, in partibus autem duntaxat quantum est vnumquodque. *Plot. En. 3. lib. 3. cap. 13.* Anima mundi procul ab omni solicitudine viuit, nullâ consultatione gubernans, nec quicquam corrigens curiosè, sed ex ipso suo intuitu ad superna mirabili potentiâ totum ornauit; quo enim magis in suo se figit intuitu, eo pulchrior, & potentior, atque hinc desuper hauriens in inferiora transfundit, & vt diuinitus illustrata, perlustrat. *idem, En. 2. lib. 1. cap. 1.*

Anima mundum faciens, nunquam aberrauit: nam si ab æterno, adhuc in errore permanet; si incipit, cur non ante aberrauit? at mundum fabricasse dicimus, non inclinatione animæ, immo esse habitum minimè inclinatam; nec mundum genuit, vt honoretur; eorum hæc est opinio qui affectus sculptorum nostrorum ad superos transferunt. *Plot. En. 2. lib. 9. cap. 4.*

Anima non solùm vniuersi, sed cuiuslibet vna cum totius anima, atque principium sit non parum cuncta conferre, cùm non vt cætera ex seminibus oriatur, sed in causarum generatione præcedentium ordine colliceetur: quamobrem cùm à corpore remota viuit, maximè sui ipsius domina est, atque libera & extra mundanæ causæ potestatem, at corpori infusa non amplius dominandi habet potestatê, & libertatem, vt quæ cum aliis iam ordinata fuerit: si melior sit, in pluribus dominatur, in paucioribus si peior, & si bonitate naturæ freta cupiditatibus resistit, & dominetur, ipsa permutat, & non permutatur, & partim mutat, partim absque culpa permittit. *Plot. En. 3. lib. 1. cap. 8.*

Anima vniuersa amorem habet vniuersum, particularis vnaquæque suum, & particularis amor animam particularem comitatur vniuersalis vniuersalem. *Plot. En. 3. lib. 5. cap. 4.* Anima vniuersa nusquam facta est, neque progressu, neque enim erat quo progredi posset, sed proximum ei corpus effectum, participauit eam; ideóque anima non est in corpore, nec id Plato vnquam dixit, sed corpus in anima est aduectum. cæteræ verò animæ habent vnde veniunt, ab anima enim ipsa veniunt, & habent ad quod descendant, & pertranseant: & vnde regrediantur: anima verò totius superiorem habitat regionem. vbi esse ipsius animæ fert natura; quod verò subest vniuersum illâ subiectâ propinquitate viuificatur, vt perspicuum corpus soli subiectum illuminatur. *idem, En 3 lib 9 cap 2.*

Anima vniuersi semper in corpore, non enim vt nostra, corpus relinquit. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 4.* Anima mundi, & nostra est principium motionis, & vtraque ex seipsa viuit, atque eodem attingit eadem, intelligens tum quæ in cœlo sunt, tum quæ supra cœlum, & omne quod secundùm essentiam est, & quid perquirens, & denique vsque ad summum omnium principium proficiscens; & constat ante corpus viuere ex eo, quòd per se ipsam ex intimis notionibus quid ipsum vnumquodque sit, inuenit, quadam scilicet reminiscentiæ munere. *idem, En 4 lib. 7. cap. 12.*

Animæ vniuersi conuenit vt nunquam deteriori operi occupetur, nec mala subeat; sed quæ sequuntur excelsâ contemplatione prospiciat, & interim superioribus semper incumbat. quod quidem simul in ea potest impleri muneris vtriusque compote. accipiente quidem desuper, inferioribus verò suppeditante; fieri namque non poterat, vt cùm sit anima, non se ad vtraque propagaret. *Plo. En. 4. lib. 8. cap. 7.* Anima mundi ipsa animalia omnia fecit inspirans eis vitam, quæ nutrit tellus, quæ mare, quæ in aere sunt, & quæ in cœlo stellæ diuinæ Solem cœlúmque hoc ingens exornauit, ordine perpetuo ducit, existens natura quædam ab his diuersa quæ ornat, quæ mouet, quibus suggerit vitam; ideo his omnibus præstantior est, cum hæc oriantur cum anima eis suppeditat vitam, & occidant cum destruit, ipsa verò semper sit, quòd nunquam deserat semetipsam. *idem, En. 5. lib. 1. cap. 2.*

Anima mundi à deceptione libera est & ab his omnibus, quæ cæteras animas fascinare consueuerunt. ideó in habitu quietissimo constituta, & quicquid extrinsecus ambit vndique conquiescit. *Plot. En. 5. lib. 1. cap. 2.* Animæ mundi conformis est anima nostra; & cum anima mundi sit causa vt dij alij sint, antiquiorem iis Deum existere necessarium est; conformis quoque est anima nostra. *idem, ibid.* Anima mundi non in partes ac particulas diuisa vitam inserit singulam, sed omnia se tota viuificat, tota vbique adest, similis effecta patri, tum secundum vnum, tum secundum quandam per omnia amplitudinem & cœlum, & si multiplex, & aliud sit alibi, est tamen animæ ipsius potentiâ vnum, & propter ipsam hic mundus est Deus, & Sol, & Stellæ, quoniam animatæ sunt: & nos quidquid habemus egregij, ob hoc ipsum duntaxat habemus; orbati animâ sterquilinio abiectiores esse dicuntur. *ibid.*

Anima mundi dum se omnibus mundi partibus exhibet, non diuiditur in partes, vt quælibet pars sit ipsum totum; multa vnum esse nequeunt, & vnumquodque primum, nec discernerentur, ne cuncta simul sint vnum, & vires eius ab ea inseparabiles sunt, ubi enim impossibile est essentiam absque potentiis esse, vel sine essentia potentiam: potentia enim illis est substantia, & essentia, vbique ergo ipsa est tota. *Plot. En. 6. lib. 4. cap. 9.*

Animam mũdi quicquid potest accipere simul vbique totum accipit.

accipit, vt aures vocem audiunt, non diuisam, totam vbique sonantem. *idem, ibid. c. 22.*

Animas proprias præstantiores, & deteriores esse oportet præter mundi animam, intimis proprietatibus inter se distinctas. *Plot. En 6. lib 4 cap. 14.* Animarum intellectualium cœtus vna cum prima mente, & anima prima, qui mundus vitæ dicitur si semper est totus, & indiuiduus vbique, sequitur, vt nec motu locali accedat ad corpora, sed effectu quodam, nec corpora ad illum, nisi quadam præparatione formali, fermè vt ignis ad proximum sulphur, vel lumen ad contiguum diaphanum, atque vicissim. *idem, ibid. cap. 55.*

Anima mundi est vnum, & ipsum quod est vnum non tale est, vt quantum sit metiri liceat, hæc enim conditio est alterius naturæ, quæ falsò sibi vendicat ipsum vnum, & participatione solùm assequitur, vt appareat vnum: quod verè est vnum, ita est vnum, vt ex multis nō sit accumulatum, ne quodam inde sublato, totum illud vnum intereat, & tale, vt nullis aliunde terminis separetur, ne adhibitis et quandoque cæteris, minus euadat, vbi fiat illa maiora, vel cupiens dilatari per omnia dissipetur, & ita non totum omnibus adsit, sed per artes prius suas illorum partibus appropinquet; at si hoc reuera ipsum sit vnum, de quo vt de essentia liceat vnū prædicari, oportet in se ipso esse infinitum, & multitudo, & cùm sit eiusmodi, necessarium est vbique totum esse vnam in se rationem existentem, & se comprehendentem, & comprehensorem esse ipsummet. *Plot. En. 6. lib. 5 c. 9.*

Animæ mundi magnitudo non est existimanda secundū molem, moles enim paruum quiddam est eundorum versus nihilum, si quis inde detraxerit: at ex illa natura neque fas est detrahere, neque si forte subtraheres, vllo modo deficiet, & sic nunquam abest ab illo, cùm nullam patiatur defectū, sed sempiterna natura sit, non fluens, & cùm non fluat neque enim habet quo fluat, totum iam penitus comprehendit, imò ipsa est vniuersum, & maius, quàm vt secundum corporeæ naturæ magnitudinem existimetur. *Plo. En. 6 lib. 4. c. 3.*

Anima mundi potest tota esse in corporibus remotis, nam & anima nostra tota est simul eadem in pede, & manu, nec obstant sensus differentes, ac passiones quominus sit vna, quia in homine quouis vnus est iudex, sic & in anima mundi. *Plot. En. 6. lib. 4. c. 6.* Anima mundi cùm occupat totum, & corpus animatum suum, & communem habet, & differunt ibi hæ animæ adiunctionibus, quia scilicet hæc est anima eiusmodi, illa illiusmodi *idem, ibid.*

Animam mundi, quæ semper extitit, haud efficit Deus, sed ornat, eáque ratione eam facere nōnunquam asseritur, quia excitat eam, & ad se ipsum eius mentem, velut ex profundo quodam somno conuertit, vt ad ea quæ intelliguntur à Deo aspiciens, diuináque notiones affectans, species, & formas inde recipiat. *Alcinous c. 14.* Anima mundi intelligendi naturā prædita est, & opinandi, sed illa stabili, affectu vacante, & in materia semper manente sua; anima opinatiua diuidua vagáque, vt quæ materiæ agitabilis, & dissipabilis contagione teneatur *Plat. de ani. gener. è Tim.*

Anima mundi totidem saltem rationes rerum seminales diuinitus habet, quot ideę sunt in mente diuina, quibus ipsa rationibus totidem fabricat species in materia. *Fic. de vita cælitus comparanda, lib 3. c 2.*

Anima mundi, & cœlestes ex eo quòd corporibus suis adsint, nec passiones inde suscipiunt, nec ab intelligentiis distrahuntur: animæ verò particulares patiuntur vtrunque. *Iamb de myst.* Anima sola est quæ per seipsam mouetur, ideò est motus mundi origo, & causa. *Chalc. in Pla. Timeum.* Anima iuxta Platonis opinionem est substantia carens corpore, seipsam mouens, rationalis *idem, ibid.*

Animam mundi Platonici Saturnum, Iouem, & Venerem vocant; prout superna intelligit, Saturnum; prout cœlestia mouet, Iouem; prout inferiora generat, Venerem. *Fic. in Plat. conuiuium, or. 2. c. 7.* Anima cœli tota est simul in quibuslibet cœli partibus, & punctis, ideò cœlum, vt tota sua anima fruatur, currit per omnes sui partes, & rapidissimè aduolat, vt quoad fieri potest totum sit simul vbique vbicunque tota simul sit anima. *idem, ibid. or. 3. c. 2.*

Anima mundi ad superna se flectens, ab illis similiter & radium accipit, & accenditur, gignitque amorem affluentiæ, inopiæque participem. Hinc formis rerum omnium exornata, ad earum exemplar cœlos mouet, pérque potentiam generandi similes illis formas in elementorum materia generat; & hic rursum Venerem geminam aspicimus, alteram vim animæ ad superna cognoscenda, alteram item eiusdem ad inferiora procreatricem: illa nō est animæ propria, sed imitatio angelicæ contemplationis, hæc naturæ animæ propria. *Fic. in Plat. conuiu. or. 6. c. 7.*

Animæ mundi pars vegetalis à Platone dicitur Lachesis, Cloto, & Atropon, ab aliis dicitur Vesta, Minerua, Mars, vel Martia. *Fic. in Plat de repub. dial. 10.* Animæ mundi vegetalem partem appellat Plato tribus nominibus, Lachesin, quia rerum seminibus grauida est, & vitarum sortibus, atq; formis, quas descensuris inserit animalibus: Cloto, quoniam insitas vitæ sortes ordine suo euoluit in actum viuendi, & explicat in effectum. Atropon, quoniam vitas iam euolutas in actum progressu quodam indeclinabili, ad immutabilem vsque terminum conseruat, & custodit. *idem, ibid.* Anima mundi necessitas est, & tres filiæ sunt tres animæ vires ad fatalia pertinentes. *ibid.*

Animæ mundanæ substantia essentia indiuisibilis est, & immutabilis, vt intellectus, & dici potest quodammodo diuisibilis, & mobilis, quia fons est proprius virium quarundam ad diuisibilia, & mobilia declinantium. *Ficin. in Plat. Timeum. c. 27.* Anima mundi est species essentiæ, tertia, inter indiuidua, æternáque, et rursus diuidua, & temporalia media, *idem, ibid.*

Anima mundi, etsi indissolubiliter composita est, tamen tanta est multiplicitate composita, vt naturali quadam inclinatione ad ea vergat, quæ sunt omnino composita, idcircò compositis, quibuscum naturali quadam non dico consanguinitate, sed affinitate consentit, quodammodo similis figuratur: & quia media est rerum, meritò, & ex omnibus componitur, & concorditer cuncta deuincit; ideò cuidam, vel concordiæ, vel concorditer composito comparatur: præsertim quoniam, quæ in natura inter se pugnant, anima inuicem conciliat, conciliata connectit, & connexa conseruat: itaque non iniuriâ concordia quædam substantialis, siue substantia maximè concors, indissolubilisque anima inducitur. *Ficin. in Plat. Timaeum, c. 28.*

Animam non immeritò Plato effectricem, & seruatricem, motricem omnium naturalium, musicis præcipuè numeris, & rationibus descripsit, non mathematicis accidentibus, vt quidam calumniantur, sed idealibus numerorum, metaphysicisque rationibus constitutam cum musica consonantia, quasi viua sit & rationalis, & efficax, & quàm simillima, animo quàm gratissima, & totum sibi hominem vendicet, & quod maius est, per ipsam factus sit animus, facta sint omnia, per ipsam conseruentur, per ipsam & moueantur. *Ficin. in Plat. Timaeum, c. 8.*

Animam mundi Plato potissimùm concordiæ musicæ similem expressit, tum quia musica consonantia in medio elemento fit, aere scilicet, tum quia concentus musicus animos alit audientium, cum & quæ ad visum pertinent, etsi pura sunt, tamen per imaginem solam absque efficacia apprehendantur, & quæ ad olfactum, tactum, & gustum, pertinent vt materialia potius instrumenta sensuum titillant, quā animi intima penetrent. *Fic. in Plat. Tim. cap. 28.*

Animam mundi componens Deus, vtitur harmonica ratione tum in rerum generibus inuicem cōmiscendis, tum in portionibus ipsis, quas ab eis accipiebat ad animam componendam, tum in animæ viribus ortum eius è vestigio comitantibus, tum in mundi sphæris animæ congruentibus. *Fcin. in Plat. Timaeum, c. 32.* Anima mundi per essentiam dat esse rebus, per idem res sibi coniungit, & aliis, per alterum verò seiungit, per statum in natura propria confirmat, & ordinat, per motum mouet, & efficit, vt moueantur & agant, *idem, ibidem.*

Animæ mundi compositione Plato omnes rationes harmonicas comprehendit, digestis enim numeris, vnitate scilicet 2. 3. 4. 9. 8 27. inter 9. & 8. est sesqui octaua proportio, tonus scilicet musis nouem obtemperans, inter 3. & duo sesquialtera diapente gratiam vocis quintæ veneream: inter 4. & 3. sesquitertia diatessaron Mercurialem vocis quartæ naturam sese consonantiis accommodantem: inter duo & vnū, & inter 4 & duas, & inter 8 & 4. Diapason, id est vniuersam, & absolutam octauæ vocis peperit melodiam Apollini dedicatam: in tripla inter 3. & vnum, & 9. & 3. & 27. & 9. Diapason Diapente, id est octauæ simul & quintæ Iouialem composuit symphoniam; in quadrupla inter 4. & vnum, & 8. & duo symphoniam contexuit Disdiapason; iterum per sonos quindecim Apollini concinentem, venustatem verò tum vocis tertiæ principiis inferuit diatessaron, tum vocis sextæ finibus subnexuit diapente, vt delicatiore vocis mollitie, hinc secundæ, inde septimæ vocis aspectus leniretur, *Fic. in Plat. Tim. c. 32.*

Animæ mundi ordo per tres septenarios progreditur à septenariis, qui secundùm tres animæ mundanæ vires distribuuntur: in hac enim intelligentia est circulus stabilis; circulus, quia illuc vnde est, reflectitur: stabilis, quia subitò sub intelligentia, quasi sub firmamento tres sunt vires, scilicet ratio vniuersalis, imaginatio, vegetatio; in ratione sunt tres

circuli quodammodo mobiles, & temporales: primus ab anima ad causam amandam, atque vicissim, naturali quodam instinctu clam ita ferente: secundus à rerum causis ad effectus considerandos, & è conuerso; tertius à formis, & ideis magis vniuersalibus ad minus vniuersales decursus, vicissimque recursus, in reliquis duabus viribus animæ omnino sunt circuli quatuor similiter temporales, in vtraque bini: primus ad causam suam reflexio naturalis, secundus ab eisdem formis ad easdem certa quædam interuallis certis, & perpetua reuolutio prouenit; itaque circuitus generationis necessariò cœli circuitum sequitur, hic verò circuitum animæ, reuolutio animæ orbem intelligentiæ comitatur. *Fic. in Plato Timæum, c. 32.*

Anima mundi triplici septenario regit mundum, primo occultis quibusdam septem viribus planetarum in firmamento per causas dominantium, secundo septem planetarum formis in globis septem firmamento subiectis, tertio septē muneribus planetarum generationem sub Luna regētibus, quippe cùm sub Luna viuificum lumen Soli, calor vrēs Marti subiiciatur, in terra superficies varia Mercurio, molea autem tota Saturno, atque mediis regnat humor, & aereus obtemperat Ioui, aqueus Lunæ, mixtus Veneri, & agentes causæ sequuntur Solem, materiæ Lunam, fœcunditas causarum Iouem, materiarum fœcunditas Venerem, expeditio ad effectum velox Martem, & Mercurium, illum quidem propter vehementiam, hunc propter ipsam dexterrimam, & multiformem virtutem: cunctorum verò continuatio permanens Saturno potissimùm dedicatur. *Fic. in Plat. Timæum. cap. 2.*

Anima mundi, & cœlestis potentiam habet & motricem, & intellectualem; intellectualis benefica est, cuncta ordine disponens; motrix eatenus benefica, id est ordinatrix, quatenus subest alteri cui nisi subesset, quantò efficacior est ad motum tantò magis carens arte præcipitaret vniuersum, atque confunderet. *Fic. in Pla. de legib. dial. 10.* Anima cœli cœlum mouet, primo modo à Platone descriptu, cum scilicet insit corpori cœlesti, vt anima nostra nostro corpori, & idem putant Platonici sensisse Aristotelem, & Theophrastum, & idem putant Platonem sensisse; alioqui non mobilis motor esset, sed immobilis. *idem, ibid.*

Anima à Luna, & Sole materialia, formaliáque dona per cuncta diffundit. *Fic. in Plat. Timæum, c. 8.* Animam mūdi summus, & omnino stabilis intellectus mobilium optimā procreauit, in huius gremio corpus mundi produxit animæ consentaneum, atque ad orbicularem animæ motionem orbiculariter reuolutum. *idem, ibid. c. 15.*

Anima cœli sic fermè in suis partibus, quibusdam spiritualibus disposita est, vt in suis cœlum, quod est eius imago. *Ficin. in Plat. Tim. c. 19.* Animæ orbis identitatis in anima est intellectus, alteritatis imaginatio, ex vtrisque permixtus: ratio hæc ritè ad imaginationem conuersa, opinionem procreat atque fidem, ad intellectum verò, scientiam; ac siue indiuiduas essentias consideret, siue diuiduas vtrobique cognoscit quo conueniant, aut differant, quæve sint qualitates, & habitudines mutuæ, vel actiones. *idem, ibid. c. 27.*

Animam mundi Deus ex eadem principiorum mistura, & animas nostras procreauit, æthereis inuoluit corporibus, alias aliis astris accommodauit: quæ in terris sensuum perturbationes amputant, ad stellam suam reuolant; quæ fuerint perturbationibus superantur, habitu quodam quasi bruto pererrant donec mente perturbationes superante, purgatæ reuertantur ad stellas. *Fic. in Plat. Timæum, c. 15.* Anima mundi à Deo processit perfecta, vt suam fermè ideam compleret, ideò ait Plato ipsam generum commixtionem in consummatione animæ fuisse cōsumptam. *idem, ibid. c. 36.* Animas cœlestia habere argumento sunt apud Platonem diuinitas substantiæ cœlestis, quantitatis amplitudo, qualitatis viuifica virtus omnium, motionis velocitas, & efficacia, & ex ordine, & tenoris eiusdem perseuerantia. *idem, in Plat. legum append.*

Anima cœlestis non coniungitur cœlo quasi iam facto, sed ipsa potius fœcunditate suâ, quæ & superior est, & proxima cœlo adhuc inde futuro, parit vbique cœlum, dum ipsa tanquā maximè viuens, vbique spirat vitalem flatum. *Ficin. in Plotin. En. 2 lib. 1. c. 3.* Animæ cœlestis primum verbum est in mēte simplex omnino; secundum in ratione iam ibi distinctō; tertium in imaginatione, naturáque motum iam affectúmq; accipiens; quartum in prolatione, id est cœlum admittens iam, vna cum motu dimensionem magnitudo siquidem virtutis in anima in viribus eius longè inter se distantibus, magnitudinem dimensionis facit in cœlo, motus animæ facit in cœlo motum, affectus efficaciam ad effectum, virtus rationalis alias gignit formas in cœlo, intellectualis claritas præstat lumen. *idem, ibid.*

Animæ cœlestis spiritu, vt Platonicè loquar, factum est cœlum imò huiusmodi spiritus est ipsum cœlum; spiritus iste est ignis, tantum hoc igne nostro subtilior, atque efficacior, quantò noster ignis acutior, & violentior aere. *Fic. in Plotin. En. 2. lib. 1 c. 3.* Anima cœli tria potissimum in se habet, vitam, intelligentiam, motum. *idem, ibid. lib. 3. c. 3.* Anima mūdi secunda, id est vita quædam per se irrationalis ab intellectuali mundi anima corpori mondano tributa, cùm sit vltimum vestigium diuinorum, similitérque semina velut vltima vestigia possideat idearum, nimirum & mundus ex hac vita, corporéque compositus, longè à diuinitate degenerat, & sæpe tum semina sua impediri videntur in opere, tum animal eiusmodi ad superiora collatum videbitur perfectū. *idem, ibid. c. 17.*

Anima naturalis, quæ est vniuersalis ratio, porróque natura, est insuper plenitudo, multitudóque tota, sed longius ab vnitate discedens, nam tota hæc amplius in sui quolibet continetur ac actu inquam, neque potentiā: hinc ergo fit, vt partes quædam contrariæ sint quibusdam, siquidem altera in alteram non possit admitti. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. c. 16.* Animæ proprio carentes motu, imaginationísque expertes, concharum scilicet marinarum, atque plantarum viuificationes quædam, ex anima mundi potius sunt, quàm animæ, vt in plerisque animalium ex anima totius solet accidere, eásque in mundi vitam postremò resoluuntur. *idem, En. 3. lib. 4, cap. 4.*

Anima mundi, vt in se habet multitudinem virium, atque formarum, quodam modo mobilis est, accommodata ad corpus mundi viuificandum, ab ipsa mente diuina immobili omnino, habente multitudinem in se formarum, quamuis nō vsque ad minima differentium ibi, vt in anima differunt, & quatenus in mente diuina primum, & deinde in anima mundi regnat vnitas, vigétque simplicitas eminens; unde ratione quadam intellectuali, sapientérque omnia regit. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 1. c. 1.*

Animarum cœlestium prærogatiua est, vt vtrumque munus obeant, & contemplandi, & regendi corpora. *Ioan. Pic. Mir. in Heptaplum lib. 2. c. 3.*

Anima mundi, & nostra dicitur infinita, quia sine fine vigeat, & vbique, & semper agere possit. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. c. 8.* Animæ mundi actio æterna non tempore transigitur paulatim, sed momento tota simul impletur: ipsa igitur propria huius animæ actio non est in tempore, sed tempus generat in materia. *idem, En. 4 lib. 4. c. 15.* Anima mundi non habet discursum temporalem, nec ambiguam consultationem, qua quod optimum est in ea, ab æuo semper suis viribus dominatur. *ibid. c. 17.*

Anima mundi in ipsa Idearum serie vniuersum hoc ab æuo contemplata, vna semel communi eligit electione totum mundi cursum, ita fore comprobans; interea natura vegetalis eius imago, sibi subdita absque electione sic totū transigit mundi cursum, singulæ quoque sphærarum stellarúmque animæ se similiter habent ad Deum, ac mundum. & cum anima mundi vsque adeo tum voluntate, tum natura consentiunt, vt omnes in mundo actiones earum rectè possint animæ mundanæ actio nominari. *Fic. in Plo. in En. 4. lib. 4 cap. 35.*

Anima mundi intellectualis, & sphæræ cuiuslibet, atque stellæ subiunctam habet vegetalem vitam suo infusam corpori, per quam non electione, sed naturaliter generantur, mouentúrque sequentia, & beneficia capacibus conferuntur; quicquid vsquam ex huiusmodi vitā profluit vitale hinc affluit, & beneficum, sed euadit alicubi noxium, vel quia materia non est capax, vt infirmus ad solis lucem, vel quia ex diuersorum mistione aliud quiddam inde resultat, vt aureum solis lumen in nube rubrum euadit. *Ficin. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 36.*

Animæ cœlestes inferioribus prouidentes inde non inficiuntur: dæmonicæ verò quædam, & nostræ, dum perficiūt corpora, quodammodo inficiuntur, propter curiosiorem prouidentiam circa prouinciam duriorem, sed loci malignitas mundi superioris felicitatem commemorat, & admonet illum vehementer affectare. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 8. c. 7.*

Anima mundi cùm non habeat quantitatem, non est minor, vel maior quantitate, quàm mundus sed virtute, quam nec totus mundus totam capit; & eadem anima grandiori, & minori sufficit corpori, propter potentiæ magnitudinem. *Fic. in Plotin. En. 6 lib. 4 c. 5.* Anima mundi vt in corporibus ipsa non est corpus, vel passio, vel forma propria corporis, ita non est multiplex, nec diuiditur, nec partitur, & quoniā nulli mancipatur, expedita cunctis adest. *idem, ibid. c. 8.*

Anima prima dum se totam multis mundi partibus exhibet,

non

non multiplicatur in multas animas æquè primas, hæ enim nihil inter se differrent, nec in partes, est enim indiuisibilis, alioquin vbi recta ira multem accedit, prorsus debilitata deficeret. *Fic. in Plo. En. 6. lib. 4. c. 8.* Anima mundi, vt & mēs, est indiuidua simul & vniuersum, ideò in mundo est vbique tota. *idem, ibid.*

Anima cœli quoniam in corpore suo omnia sensibilia habet per causas, ideò sensu quedam intimo per hoc, quasi per instrumentum simul, & causam, cuncta introspicit sensibilia; contra verò quoniam in corpore nostro non sunt sensibilium principia, sensus cogitur extra prospicere. *Fic. in Theophrastum, c. 13.*

Animam vnam solam esse non intendit Plotinus probare in his duobus libris, sed quod vna anima possit esse vbique, nō obstante magnitudine, vel multitudine corporum, & quod non oporteat in diuersis mundi partibus multas animas ponere, quia vna communis non sufficiat vbique esse, & regere, quod si multæ ponuntur, id fieri præter rationem. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 5. c. 7.*

Animos supercœlestes posuit Aristoteles, eisque proprium voluit intueri, intelligere, noscere cùm omnia, tum pulcherrimum, & formosissimum Deum. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib. 8. c. 5.*

Anima vt rationalis, & facultatibus prædita.

Anima cum corpore si aliquid ratiocinari aggreditur, ab ipso decipitur. *Plat. in Phædone.* Animæ nostræ scientias adeptæ sunt antequam homines nati sunt. *idem, ibid.* Animæ habitus à disciplina, & meditatione, quæ motus sunt, acquirit doctrinas, & seruat, & melior euadit, à quiete verò, quæ discendi, & meditandi negligentia est, neque aliquid discit, & si quæ didicit obliuiscitur. *in Theæteto.*

Anima dum cogitat, non aliud agit quàm differere, & disputare, ipsa seipsam interrogans & respondens, asserens & negans. *Plato in Theæteto.* Anima nostra columbarium habeat in quo volucres, id est scientiæ omnis generis sint gregatim, aliæ numero non magno, aliæ solæ passimque dum pueri sumus vadūt in columbarium: pro volucribus scientias intelligere oportet. *idem, ibid.* Anima nostra dum è longinquo aliquid videt, quærit quid illud sit, & aliquando decipitur, aliquando videt vera, & similis est libro in quo affectiones scribunt, si vera opinio, vera fit, si falsa, falsa. & tunc temporis inest etiam pictor, qui imagines horum in anima pingit. *in Philebo.*

Animæ eruditione, nec hominibus, nec diis reuera vnquam quicquam præstantius est, aut erit. *Plat. in Phædro.* Animæ diuinæ essentia, quæ reuera est, & coloris, & figuræ, & tactus exors, sola intelligentia gubernatrice, & contemplatrice vitur, circa quam veræ scientiæ genus hunc locum habet. *idem ibid.* Animæ diuinæ intuentur scientiam, iustitiam & sapientiam, non eam scientiam cui generatio adest, nec eam, quæ est alia in alio, ac bis quæ nos nunc dicimus, sed eam quæ in eo, quod reuera est id quod est, scientia existit, & vbi etiam alia quæ reuera sunt inspexit, & his nutrita est, rursus ad internam cœli partem subiens, domum reuertitur. *ibid.*

Anima rectè viuere volens optimi sciētiam acquirere debet. *Plato in Alcibiade 2.* Anima disciplinis nutritur, & vt ne Sophista, laudans quæ vendit nos decipiat, diligenter cauendum est. *idem, in Protagora.* Animæ an bona, vel mala sint nesciunt qui disciplinas per ciuitates circumuehunt, semper instar cauponum bis, qui illas accipiunt; laudāt quæ vendunt omnia; forsan autem & horum aliqui ignorant, quæ vendunt, an bona, vel mala animæ vt dixi sint; & caupones vendunt merces quas vehunt, sed nesciunt, an illæ corpori bona, vel mala sunt, hoc autem scit medicus. *ibid.*

Animæ rationali conuenit imperare, vt quæ sapiēs specie sit, & prouidentiam totius animæ habeat, animi verò impetui conuenit, vt obediens sit, & illius auxiliatrix. *Plato de repu. dial. 4.* Animæ pars rationalis, & irascibilis etiam contra hostes externos optimè obseruabunt, dum pro vniuersa anima, & corpore hæc consilium init, illa verò pugnat, & principem sequitur, & fortitudine perficit ea, quæ consilio sunt decreta. *idem, ibid.*

Animæ species rationalis, & irascibilis concupiscenti præsidere debent, ne ea voluptatum corporis repletione multa, & robusta euadens, non quæ sua sunt faciat, sed in seruitutem redigere conetur, & imperare his quibus illi conuenit. *Plato de repub. dial. 4.* Animæ rationalis pars sapientiæ est fōs, & illa quæ in homine imperauit & dictauit quæ facta sunt, & in illa est scientia quæ vnicuique conducit. *idem, ibidem.* Animæ rationalis, & irascibilis concordia parit temperantiam, cùm rationalis imperat, & irascibilis obedit. *ibidem.*

Anima ad inquisitionem eius quod intelligitur procedit duobus mediis, medio imaginum, quæ ab inferioribus assimilatæ sunt, & his ipsis ad illa velut euidentibus, opinionéque conceptis, ac diuisis; altero scilicet medio differendi facultatis supposita fundamento & locos vnde progrediatur, & quousque nō ad suppositum, ipsum videlicet vniuersi principium progressa, vbi ipsum attigit, rursus his quæ ex illo hærent inhærens, ita ad finem descendit, nullo penitus sensui exposita ad hæc vtens sed ipsis speciebus per se ad ipsas, & in species desinit. *Plat. de repub. dial. 6.*

Animæ multò magis deterrentur in grauibus disciplinis, quā in Gymnasiis: familiarior enim est ipsis labor proprius, & qui cum corpore communis non est. *Plato de repub. dial. 7.* Animæ nulla violenta disciplina stabilis est. *idem, ibidem.* Animæ intelligibilis pars si discendi cupida & sapientiæ amans appellatur, rectè nominatur. *ibid. dial. 9.*

Anima tota si philosophicam partem sequetur, & non seditionem agat, continget, vt vnaquæque pars, tum quæ sua sunt faciat, tum iusta sit, & vt vnaquæque voluptates suas, easque optimas, & quatenus fieri potuit verissimas sequatur; at cùm alia quædam superarit, contingit vt neque ipsa suā voluptatem comperiat, & alias cogat, vt alienam, & nō veram persequantur. *Plat. de repub. dialog. 9.* Animæ nostræ turbatio inest, & rerum adumbrationis studium insidias tendens, nihil præstigiarum omittit: ideò mensurare, numerare, ponderare gratiosissima auxilia comparuerunt, vt in nobis non imperet id, quod apparet maius, aut minus, aut plus, aut grauius; sed id quod computauit, quod mensurauit, & ponderauit. *idem, ibid. dial. 10.*

Animæ quoddam instrumentum expurgari in disciplinis mathematicis, persuadere non admodum vile est, sed difficile, quod ab aliis studiis perit, & excæcatur, quum melius sit hoc seruari, quàm innumeros corporis oculos: solo enim ipso veritas videtur. *Plato de repub. dial. 7.* Animæ rationis pars id quod optimum est vult: expers verò rationis in dolore ad luctum, & ad lamentationes nos ducit. *ibid. dial. 10.* Anima nostra infinitis contrarietatibus simul oborientibus plena est. *ibid.*

Anima dicenda est ea his, quæ sunt id, cui soli intelligentiam habere conuenit; hæc videri non potest, elementa sunt corpora quæ videri possunt; rationis intelligentiæ, & scientiæ amatorem necesse est sapientis naturæ causas primas prosequi, quæ verò ea aliis dum mouentur, & alia necessariò mouēt, fiunt, eas secundas facere, & secundùm hæc nobis ambo causarum genera dicenda sunt. *Plat. in Timæum.* Anima sine ratione ea natura fit fortis, at sine ratione mentis prædita non est. *idem, de legib. dial. 7.*

Anima eius animalis nunquam omnem virtutem accipere poterit, à quo ratio abfuerit, animal autem quod non cognoscit duo, & tria, par, & impar, & numerū omnino ignorat, nunquam rationem dare poterit de his, quæ sensibus, & memoriā solùm complectitur; reliquam verò virtutem, fortitudinem, & temperantiam habere nihil prohibet; at veræ rationis exors sapiens non est, qui non est sapiens non habet omnes virtutes; quibus desunt virtutes felices esse nō possunt. *Plat. in legum appendice.*

Animæ mente præditæ necessitas omnium necessitatum longè maxima est, imperans enim, & non subdita leges condit, & cùm id quod optimum est secundùm priorem mentem consultauerit, impermutabile perfectè secundùm mentem euenit, & neque adamas præstantius, & firmius quid ipso vnquam fuerit sed reuera tres parcæ continent, ac conseruant, vt perfectum sit id, quod optime consilio singuli Dei statuerunt. *Plat. in legum appendice.*

Animæ humanæ altera pars est rationalis, & intelligens, alia rationis exors, & insipiens: rationalis verò id, quod melius est, de eiusdem natura est, id quod peius, de alterius, vtrumque verò circa caput firmam sedem habet, vt reliquæ tum animæ, tum corporis partes huic inseruiant, quemadmodū sub ipsius tabernaculo vniuersoiat partis rationis exortis ea pars, quæ ad iram concitatur circa cor, quæ concupiscit circa hepar sedem habet. *Timæus Locrus de anima & natura mundi.*

Animam humanam Deus ex eiusdem rationibus, & potentiis contemperatam, & diuisam, distribuebat naturæ alteratrici traditam, quæ ipsi successit in mortalibus, & diurnis animalibus efficiendis, quorum animas per influentem modum instillabat, alias à luna, alias à sole, alias ab aliis vagantibus in alterius parte, præter vnam quæ de eiusdem potentia est, quam in rationali parte immiscuit, imaginem sapientiæ his qui bono fato vtuntur. *Timæus Locrus de mundi anima & natura.*

Anima hominis in binos vehitur modum, mens in ratione, ra-

tio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore; spiritus per venas, & arterias, & sanguinem diffusus animal vndique ciet, molemque corporis suspensam sustinet, & circum fert ideò multi decepti sunt humorem sanguinis animum esse existimantes. *Mer. Trismegisti Pimander. cap. 10.* Animam hominis in fece corporis iacentem impossibile est diuinam assumere formam, nec Dei pulchritudinem intueri potest, nisi quis ante fuerit in Deum transformatus. *idem. ibem.*

Anima humana non omnis, sed pia, & beata, diuina, est postquam verò huiusmodi anima per mortē à carcere corporis est exempta, cum omnis subierit virtutis, & pietatis mandata, certè, aut mens, aut Deus efficitur. *Mercurij Trismegisti Pimander, cap. 10.* Anima hominum corpore exuta non degenerat in corpora brutorum, hic enim impius error; verùm castigationis eius modus alter est, mens cū dæmon efficitur, ob obsequium Dei, iubetur igneum capessera corpus, inde in animam transfusa nefariam, eam flagellis verberat peccatorum; his animus verberatus iniquius, ad neces iurgia, rapinas, cupiditáque sese vertit, & ad vniuersa ea, quæ homines delinquunt, dilabitur *idem, ibidem.*

Anima hominis habet pro mente ipsum bonum, qua mente destituta nil agere, vel dicere potest, & qui hac destituitur nec homo appellari debet, *Mercurij Trismegisti c. 10.* Anima humana omnis immortalis est, sed non vniformiter omnia *Eiusd. Asel. cap. 1.* Anima mundi fit ex omnibus rerū formis, vt vnius corpus mundi ex omnibus corporibus *ib d.*

Anima non est corpus, nec moritur, sed permanet semper. *Arist. Theologia Aegyptia. lib. 1. cap. 2.* Anima hominis tres habet partes vegetatiuam, sensitiuam; intellectiuam quæ separatur à corpore resoluto, & hæc immunis est, vt pote non peccando à coinquinatione corporis, & dissimilis alteri submersæ materiæ, quæ ideò facta est. vt habitudo corporalis, accidentibus corporeis prohibeatur ascendere ad alterum mundum, ad quem non peruenit, nisi difficulter, ablatis viribus horum accidentium, & purgata à sordibus corporis, reuersa est in corruptibilis: quare anima non mouetur. *idem, ibidem. cap. 3.*

Anima dicitur moueri discendo res quoniam collocatur in confinió mundi intellectualis, fit autem motus eius reflexus, quia sciendo habet obuiam rem speculationi, deinde reuertitur ad essentiam, & dicitur moueri, quia variatur circa rem immobilem, intellectus verò inuariatus restat immonis *Arist. Theo. Aegyptia, lib. 2 cap. 4.* Anima in mundo intellectiuo non alteratur, quia pura, & abstracta est, & in actu *idem, ibidem cap 5.*

Animam hunc mundum considerare antequam inhabitet est quædam ignorantia, non scientia, quæ tamen est nobilior nemoi scientia, & hoc ideò quia intellectum superius ageos ignorat, & inferiora; & memor inferiorum, medio alio descendit ab illo honorabili, ad hunc mundum: intellectus ignorat auctorem. quia non cognoscit eum perfectè, & inferiora, quia illas res non secundum ipsas speculatur, sed altius cūm sit causa ipsarum: ergo intellectus scientia dicitur ignorantia comparata ad cognitionem Dei. *Arist. Theologia Aegyptia lib. 2. cap 7.*

Anima actu existens causatur ab intellectu. *Arist The. Æg. lib. 3 cap. 4.* Anima nobilis reliquit mundum superiorem. vt posteriora formet & regat, quo functa munere experientia bonum. & malum cognoscit, & quamuis sensus prædominio submersa sit pelago materiæ, illustratio tamen ab intellectu ei non esset, immò iugiter illi influit, quoniam est substantialis ei, & nunquam ab ea diuellitur. *idem, ibidem lib 7. cap. 1.*

Anima eadem potentiâ speculatur hic, & in intelligibili orbe, præter quod in corpore existens indiget alio propter quod consideret abstracta, videlicet actu receptionis, quo formata potentia perspicit illa, sed in mundo altiori animæ existenti sola sufficit potentia, neque necessarius erat is actu, in substantiis namque intellectiuis supernis, quæ actu speculantur, ipsa potentia est perfectio, in corruptibilibus verò actus per quem ad finem peruenitur. perficit potentiam, ergo & hic, & ibi eadem potentia speculatur. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 9 cap. 4.* Animæ rationalis agens est Deus, qui essentiam agit, cūm ipse sit essentia. *idem, ibidem, lib. 10. cap. 4.*

Anima rationalis producit sensualem, qua indiget, ab ipsa enim excitatur ad speculandum; vtitur autem sensitiuæ, alioquin non assentiretur affectibus, & naturalibus delitiis, nec commoda prosequeretur: quæ omnia illi contingunt ex commotione cum sensitiua anima. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 10. cap. 7.* Anima humana cum sit nobilior, & sapientior reliquis, & propinquior substantiæ diuinæ, disposuit sibi corpus nobilissimum aliorum animalium. *idem, ibidem lib. 12 cap. 2.*

Anima hominis non contulit homini instrumenta opportuna actionibus & instinctus naturales, vt brutis anima brutorum, sed tamen constituit corpus versatile pro multis organis, & docilitatem, cura peritiam pro instinctu naturali. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 12. cap. 3.* Anima humana organo non indiget, simplexque est, & ob id incorruptibilis. *idem ibid. cap. 4.* Animum si quis cognoscere ac speculari vult intellectúmque agentem, & essentiam primam, sedare debet sensum, & ad essentiam suam reuersus intenius in seipso enise consistat, & sic percipiet, id quod sensus attingere nequeunt. *idem. cap. 21.*

Animæ tres partes tribus vitiis vrgentur, prudentiā indocilitas impugnat, quæ non abolitionem infert scientiæ, sed contraria est disciplinæ discandæ; huius duo sunt species, imperitia, & fatuitas, quarum imperitia sapientiæ. fatuitas prudentiæ est inimica; Iracundiam audacia, eius comitatum sequuntur indignatio, & incommobilitas, quæ non extinguit incitamenta iratum sed ea stupore deficit immobili; cupiditatibus luxuriam applicat, id est appetitus voluptatem id est. desiderium ad fruendum potiendúmque haustus inexplebiles, ex hac manat auaritia, lasciuia quarum altera liberalitatem coercet, altera immoderatius fundendo patrimonij prodigit facultates. *Apul. de dog. Plat. lib 3.*

Animæ si memoriam rerum diuinarum, quarum in cœlo erant consciæ, ad corpora vsque deferrent, nulla inter homines foret de diuinitate dissensio: *Macrobius in som. scip. lib. 1.*

Animæ rationales post sacros Angelorum intellectus per bonitatem ipsam consistunt, indè virtutem intellectualem habent, essentiam vitam immortalem, indéque ista essentia, & potentia ad angelicas vitas aspirant, inde per Angelos tanquam bonos duces reuocantur ad ipsam bonorum omnium principium bonitatem, splendorémque inde micantium pro modo suo compotes euadunt, & doni ipsius ad boni speciem pro viribus participes fiunt. *Diony. Areop. d. diui. nom.*

Animæ motus circularis est ingressus in se ipsam ad externis & intellectualium eius virium glomeratio vniformis, velut circulo quodam acta, munus non erraticum ei largiens, eámque à multis extrinsecus circumfusis diuertens, atque colligens primo in seipsam secundò tanquam vni formem iam effectam singulariter vnitis potestatibus copulans: tertiò hinc ad pulchrum bonúmque perducens, quod super omnia, quæ sunt, est vnum, atque idem, nec principium habent, nec finem. obliquè verò mouetur anima quatenus diuinis subrutilat notionibus, pro sua duntaxat proprietate susceptis. non intellectuali, stabilique, forte, sed rationali, discurrentéque conditione, transeuntibus scilicet actionibus, & permistis. *Dionysius Areop. de diuin. no.*

Anima lineâ rectâ mouetur quando non ingreditur in seipsam nec intellectuali, vniformique proprietate mouetur, sed ad externa procedens ab eis, velut signis quibusdam, variis, multiplicibusque ad simplices, & vnitas contemplationes erigitur. *Dionysius Areop. de diui. nomi.*

Animæ facultatem rationalem per diuinam sapientiam habent, rerum veritatem circulari quodam discursu quærentes, & in eo quidem vnitis mentibus illis inferiores, quod partibili variaque conditione speculando procedunt. In eo verò quod multa in vnum colligant, intelligentias angelicas, quantum animabus conuenit, assequuntur *Dionysius Areopa. de diuin. nomini.*

Anima rationalis videndum est an aliud ipsa sit, an aliud animæ esse, si aliud sit, compositum est anima, neque absurdum erit ipsam species iam aliquas suscipere, & talia quædam passiones eius existere, si modo id ratio permiserit, & omnino habitus affectionésque meliores, ac peiores. si verò idem est anima esse, species erit quædam anima, actiones eiusmodi non suscipiens, quas ipsa alteri infert: in seipsa verò actionem habens sibi cognatam quamcunque ratio demonstrauerit, & sic verum est dicere, animam immortalem esse, impatibile enim est immortale, alteri quidem non nihil ipsius impertiens ipsum ab alio, nihil accipiens, nisi quantum à superioribus acceperit quicquam, à quibus præstantioribus nihil segregatur. *Plotin. En. 1. lib 1. cap. 2.*

Anima habet vim sensualem in non sensibilia quidem, sed eorum imagines per sensum animali impressas oportet percipere: intelligibiles enim quodammodo sunt hæ species: qua propter sensus exterior huius sensus simulachrum est hic verò in essentia verior est, quippe cum imaginum tantùm sit absque passione perceptio, & ab his speciebus, à quibus anima iā accipit sola viuentis imperium, opiniones, & cogitationes intelligentiæque proueniunt, vbi maxime

non

nos sumus. quæ verò ante hæc nostra sunt, nos autem sumus, quod est deinceps, animali desuper præsidentes, prohibebit tamen nihil vniuersum hoc animal appellare, sed quod inferius est dicere mistum; quod reliquum est, homo est verus, quantum verò inferius est partim leoninum, partim brutum omnino multiplex nominatur, concurrente enim homine vita cum anima rationali, quando ratiocinamur, nos certè ratiocinamur propterea quod rationis discursus animæ sunt actiones. *Plot. En.1.lib.1.c.7.*

Anima si nos sumus, & perturbationes patimur, hæc certè anima patietur, & rursus faciet quæ nos facimus, forte & commune diximus esse nostrum antequam separentur, quoties & quæ patitur corpus nostrum, & nos perpeti dicimus; duobus enim modis nos dicimur, vel bruto nobis annumerato, vel quod super hoc extat: brutum verò est viuificatum corpus, at verus homo est alius ab his purus. *Plotin. En.1. lib.1 cap.10.*

Animæ naturam si quis inspicere velit, oportet adiunctam secernere, atque philosophiam eius consulerare, quæ attingat, & quibus cognata existens, id quod ipsa est, existat: alia enim vita, & actiones aliæ, & quod patitur aliud: separatio, & reuocatio non solum ab hoc corpore, sed ab omni adiuncto esse debet: etenim in generatione est adiunctio, vel omnino generatio alterius animæ speciei esse videtur. *Pl. En.1.lib.1.c.12.*

Anima intelligit aliter quàm Deus, nam corpora quæ ibi esse dicuntur, partim aliter, quàm hic sunt, partim nullo modo sunt ibi; & intelligere Dei, & animæ quod est æquiuocum, sed illud primò, hoc autem ab illo procedens, se aliter habet, id est analogicè, vt sermo qui est in voce, est imitatio eius qui est in anima, ita qui in anima, eius, qui in superiore manet: sicut ergo sermo in prolatione ad sermonem animæ comparatus diuisus est, sic qui in anima ad superiorem diuisus est, ipsius interpres: virtus autem animæ est, mentis verò nequaquam, nec eius quod est mente superius. *Plo. En. 1.lib.2.c.3.*

Animi ad se conuertendi blandam virtutem quæ præsentia nõ habent, nec ad felicitatem nobis quicquam addunt; absentia verò propter contrariorum offendentium præsentiam requiruntur, rationi consentaneum est, necessaria potius, quàm bona censeri, nec fini videntur annumeranda, sed & absentibus ipsis, eorúmque contrariis imminentibus finis integer est seruandus. *Plot. En.1.lib.4.c.6.*

Anima incommodorum declinationem non præcipuo naturæ voto eligit, sed præsentia solùm fugit rationis discursio, atque propellit, aut etiam commoda quærit adiungere: ipsa verò appetitio principalis ad id, quod optimum est, dirigitur, quo præsente impletur, & conquiescit; atque hæc vita est, quæ voluntate præcipua exoptatur. Necessariorum verò aliquid adesse, non voluptas est si propriè, ac præcipuè, non per abusum nomines voluntatem, quoniam & hæc adesse existimamus oportere, quoniam pro viribus à malis declinamus, quod tamen non est principaliter optandum, sed hac non indiguisse declinatione. *Plotin. En.1.lib.4.c.6.*

Animæ cùm quietem agit, quod tale in nobis est vt in eo imaginationes, siue notæ quædam cogitationis intellectiuæ refulgeant, tunc introspiciuntur imaginationes eiusmodi, & modo iam sensibili agnoscitur, vnam cum cognitione priori intellectum & cogitationem agere: cùm verò id confunditur, propterea quòd perturbata sit corporis harmonia, tunc absque simulachro cogitatio, intellectúsque intelligit, & sine phantasia tunc agitur intellectio. *Plot. En.1. lib 4.c.10.* Anima in intellectum redacta pulchritudine mirificè proficit. *idem, En 1.lib.6.c.6.*

Anima, quæ vidit illud, quod præbet omnibus munera, & manet interim in seipso dum tradit, nec quicquam ab alto recipit, & videns adeò fruitur, vt similis ipsi fiat, quo pulchro vlterius indigebit? hanc enim visionem quisquis assequitur, euadit felici visione beatus, & qui non consequitur infelix est; nam non est miser, qui colores pulchros, & formosa corpora non consequitur, nec qui à potentia, & regno excidit, sed qui huius solius caret possessione, pro qua sola regna, imperiáque totius terræ, maris, & cœli oportet abiicere, si relictis his omnibus, ac spretis, ad ipsum quis conuersus intueatur. *Plot. En.1 lib.6.c.7.*

Anima perfecta vergénsque ad mentem, pura semper est, procul à se materiam eliminans, & omne interminatum, immoderatum, malum; neque his propinquat, nec prospicit quidem; quamobrem pura permanet, intellectu prorsus determinata, atq; munus id non sustinet, sed ex seipsa progreditur in gradu quodam existens, neque perfecto, neque primo, velut illius imago ob ipsum defectum, quatenus deficit indeterminata sorte repletur, tenebrásque prospectat & iam habet materiam, in illud aspiciens, quod non cernit, & vt dici solet, tenebras aspicit. *Plotin. En.1.lib 6.c.7.* Anima rationalis homini accedit facto iam corpore. *idem, En.2.lib. 1.c.5.*

Anima non est talis, vt ipsa duntaxat qualemcunq; acceperit ab externis passionem, talem reportet naturam, vt si naturam propriam nõ possideat, sed oportet ipsam multò prius quàm alia, vt quæ principij habet rationem, multas mereri vires proprias ad naturales actiones explendas habere. fieri namq; nõ potest, vt cùm essentia sit, non possideat vna cum esse actiones, appetitiones, & facultates ad bene viuendum; quod igitur coniunctum est, ex ipso naturæ coniuncto dependet, & tale euadit, & tales obtinet actiones; anima verò si qua seiungitur, seiuncta, & propria peragit, passionesque corporea non esse suas existimat, cùm aliud se existere, aliud esse visu corpus animaduertat. *Plotin. En 2.lib.3. cap.15.*

Anima non potest esse composita ex elementis, alioqui vitã non haberet, horum enim mistura vel calidum, vel siccum, vel frigidum, vel humidum, vel mistum aliquid ex his; & quomodo est virtus elementa connectens, si ex illis cõstata sit, & posterior? *Plot. En 2.lib.9.c.5.*

Anima cùm ab externis mutata agit aliquid & aggreditur, quasi circa vices mota, neque actionem, neq; affectionem eiusmodi voluntariam, liberámque appellare debemus, similiter cùm ipsa ex seipsa peior existens, nõ rectis vbique, neque principalibus motionum exordiis vtitur: at quoties rationem puram, & passionis expertem, tãquam propriam ducem habens aggreditur, hanc solam aggressionem iudicare debemus, in nostro arbitrio sitam esse, veréq; liberã, & id opus nostrum existere, quod non aliunde discitur, sed intrinsecus ab anima pura. *Plot. En.3.lib.1.c.9.*

Animæ electio domina est, & ea pars superat, quàm ex superiora vitæ actis promptiorem habet, & quod eligit habet, nec cõmmutat dæmonem, nec bonus hic fit animæ mos, nec malus. *Plot. En 3.lib.4.c.5.* Animæ rationali si quis inscitiã per negationem scientiæ prauitatem esse confiteatur, nullus ob hoc præscientiam afferet, at quando falsæ opiniones insunt, quæ potissimum faciant prauitatem, animam ipsam in qualitatem aliquam permutatam esse videbit. *idem, En. 3.lib.6 c.2.*

Animam philosophiæ studio reddere passionis expertem, est imaginationem, & affectum qui in eam incidit, & passionem inferens, extirpare philosophicã ratione. *Plo. En.3.lib.6.c.5.* Anima quando rationi familiaris euadit, atque efficitur, simul profecta, & expedita iam prodit in actum. *idem, En.3.lib. 8.cap.3.*

Anima particularis illustratur cùm ad superius confugit, ens enim ipsi illic occurrit, at quando labitur ad inferius, in non ens labitur: id verò agit cum descendit, in semetipsam, affectans enim seipsam ex alto in se recipere, quod post ipsam sequitur iam facit, suam videlicet simulachrem, quod & non ens appellamus, quasi verò dilabitur per inane, & indeterminata illic euadit, & simulachri huius simulachrũ indefinitum est, penitúsque obscurum, est enim rationalis omnis intellectualísque naturæ penitus expers, & ab ipso ente longissimè distans, interea quasi per media domesticam habet sedem; at rursus inferiora prospiciens, quasi secundo quodam oculorum tactu simulachrum format, & hoc opificio delectata, intrat in ipsum. *Plot. En. 3. lib. 6. cap 1.*

Anima ipsa est quasi visus, & huic visus est mens, visus inquam indeterminatur, antequam videat, natus est videndum, & intelligendum, & tale in esse, vt ad mentem sit. *Plot. En 3.lib. 8.c.3.* Animam, quod in Timæo dicitur, essentiã quadam indiuiduã, & quadam circa corpora diuisibilia esse compositam, idem est, ac si diceretur, animam essentiã quadam constare partim apud superos permanente, partim ad inferiora vergente, quæ simul & independeat, & se interim ad hæc vsque propaget, nec aliter quàm ex centro linea protendatur. *idem, En 4 lib.2.c.1.*

Animæ admirandus, & diuinus est thesaurus, cùm magnitudine vacans, vniuersæ magnitudini adsit: alicubi existens ibi non existat, non alio quodam, sed eodem: adeò vt & diuisa sit in partes, & non diuisa, potius autem ipsa nec diuisa sit, nec diuisa fiat, manet enim ipsa tota, sed circa corpora dicitur esse diuisa, cùm corpora nequeant diuisibilitate propriã indiuisibiliter illam accipere, quo efficitur, vt partitio non animæ quidem passio sit, sed corporum. *Plot. En. 4.lib.2.c.1.*

Anima non est per terminum alienum id quod est vt tanta, sed ipsa quantam vult existit, nec vnquam adducitur, vt extra hoc ipsum digrediatur, sed profluit per totum, quod

ex ipsa ita natura comparatum est, vt per corpora in corpora currat, nec à seipsâ distrahitur, quando inest & in digito manus simul, & pede, & nunquam desit cùm aliquid illā suscipere possit. *Plot. En.4.lib.3.c.8.* Anima pnelli ex natura locorum, aquarum, & aeris multa cœlitus imminentia propulsare, habitatio, & vrbana consuetudo, complexionésque corporum cœlestibus resistunt influxibus. *idem, En. 4. lib.3.c.7.*

Animæ discursus rationalis contingit dum corpus habitat, in ambiguitate enim est, & curis sollicita, discursu enim rationis egere ad vitæ, veritatisque sufficientiam, ex quodam mentis detrimento cōtingit, vt & in artibus consultatio accidit, cum artifex ambigit tanquam à perfecto deficiens: at rationales animæ dicuntur corporibus exutæ, quia cùm expedit ritè considerare possunt. *Plotinus En. 4. lib. 3. cap.18.*

Animæ cùm corpora in cœlis habent, non vtuntur ibi sermonibus, qualibus apud nos ob indigentiam, vel ambiguitatem vti consueuerunt, cùm certo quodam ordine, & secundùm naturam singula illic agant, meritò nec imperant aliquid, nec consultant, cognoscunt verò munera inter se sua per reciprocam conscientiæ notionem, cùm & hic etiam tacentibus intuitu solo percipimus; ibi omne corpus est purum, & quilibet habitantium tanquam oculus, nihil ibi est occultum, nihil fictum, sed priùs quàm alteri quicquam dixaris intelligit alter, in aere verò incolentes, non absurdum est, & dæmones, & animas vocibus vti, animalia enim sunt. *Plot. En 4 lib 3.c.18.*

Anima ad diuinum mundum profecta, & in illa essentia constituta, illa contemplabitur, in quibus est, & circa eadem aget, alioquin ibi non esset, & cum intelligentia omnis ibi sit temporis expers, versantur enim quæ ibi sunt in æternitate, non in tempore, ideò impossibile est illic esse memoriā non solùm nostrarum rerum, sed etiam quamlibet aliarum: est enim vnumquodque præsens, quoniam neque discursus, nec ab alio in aliud permutatio, sed hic intuitus totus vna collectus, fit simul rerum similiter collectarum & multas intelligentius, tanquam sensus multos in vnum vultum intuens, & in intellectu multa distincta sunt, non per distantiā temporalem, sed quodam ordine, ita vt planctas vna, sic erat vna, vt multa esset in alio, neque secundùm intellectionem vnam omnia *Plot. En 4.lib.4.c.2.*

Anima fortè nec sui ipsius reminiscitur, nec quòd ipse sit, qui contamplatur velut Socrates, vel alter. siquidem cùm hic contemplatur præsertim acerrimè, non conuertitur suo per intelligentiam ad seipsam, sed habet quidem seipsam, actus autem eius ad aliud fit, & illud quasi materiam seipsam exhibens, formatur verò secundùm id, quod spectatur ab eo, & ipse in potentia se habens, tunc est actu aliquid cùm nihil intelligit; fio autem ipse talis est, vt omnia sit, quando seipsum intelligit, cuncta simul intelligit quamobrem ita constitutus, & intuitu in seipsum, & seipsum actu cernens, cuncta simul habet inclusa, intuitu verò quodam in omnia seipsum similiter habet inclusum. *Plot. En.4. lib. 4.c.2.*

Anima in mondo intelligibili videt ipsum bonum per intellectum, nec intellectus impedit, quominus ad ipsum vsque percurrat, quoniam quod est medium, non est corpus, vt ex eo valeat impedire, quamuis & medium in corporibus permittit sæpe à primis ad postrema descendere. *Plo. En. 4. lib. 4. cap. 4.* Anima cuiuscunque meminit, ad idipsum est, atque efficitur, est enim meminisse imaginari vel intelligere, hæc autem imaginatio non in eo consistit, quod habeat aliquid, sed quod videat, disponatúrque, talisque ipsa fit. *idem, ibid. cap. 3.*

Anima in cœlis multas animas cognitas agnoscit, corpora enim circa se similibus in figuris habēt, at si figuras mutent, & orbiculares efficiant, per mores, & modos proprios, vnicuique agnoscere videbuntur, & si confabulari liceat, & sic quoque se agnoscunt. *Plot. En 4. lib.4.c.5.* Animæ in cœlis non recordantur Deum vidisse, cùm hæc conditio sit eius, qui aliquando vidisse desierit, nec viaisse, quia viuunt, & cùm illic dies sit vnus, non vt multi dies numerantur. *idem, En.8. lib 4 c.7.* Anima superior in agendo non patitur, & mens supernè consistens, in corpora, & materiam non agit. *idem, En.4.lib.4 c.13.*

Anima nostra ambiguam consultationem habet, quia aliud, atque aliud ad vsum, atque ad præsens succurrit, non definitum in seipso, sed ad aliud semper atque aliud extrinsecum pertinens, & multa sunt in nobis quæ dominantur, atque mouentur, nec vnitum imperat; itaque & consilium aliud, quod est pro temporis oportunitate, quando necessitas postulat, nobis adest; & quia multa in nobis dominantur, necesse est multas in nobis imaginationes existere *Plot En. 4. lib.4.c.27.* Anima dum ad seipsa est, similiter quæ in seipsa sunt percipit solâ intelligentiâ vtens. *idem, ibid cap 27.*

Anima rationalis incorporea est, & essentia. *Plot. En. 4 lib.9. c.4.* Animæ si in se formam sensibilium imprimeret sentiendo, nihil opus esset vlterius extra videre, & cùm habeat intra se quod videre vult, non tanquam procul positum videret, nec iudicare posset quanta sit res externa, cùm forma accepta intus non possit eā esse maior: & non res ipsas videremus, sed vmbras, nec cernere possemus rem sic impositam pupillæ: duo esse oportet, quod videt, & quod videtur. *Plot. En. 4. lib. 6. c. 2.*

Anima sentit ea, quæ non habet. *idem, En. 4. lib 8. c. 2.*

Anima intelligibilium omnium vltima est, eorum verò quæ sunt in vniuerso sensibili prima; ideò ad vtraque vergit, à superioribus bene afficitur, & reuiuiscit, ab inferioribus quadam similitudine fallitur, & tanquam delinita prolabitur, & cùm in medio sit constituta, vtraque percipit. superiora intelligit, in memoria scilicet reuocans, & sensibilia coaptans secum, efficit vt fulgeant, & ante oculos ponit, cum vis animæ etiam prius ad hæc præparata sit & eadem parturiat. *Plot. En. 4 lib 6 c. 3.* Animæ mirandum est, sed non incredibile, attribuere memoriam, cùm ipsa nihil in se accipiat, & tamen quæ non accipit animaduertit *idem, ibid.* Anima vtens numerò multitudinem metitur, quoad quantum spectat. *idem, En. 6 lib. 1. c. 4.*

Anima nostra quando cum anima mundi perfecta viuat, & ipsam fore perfectam inquit Plato; & seipsam per sublimia collaturam, ac totum mundum gubernaturam: quando enim inde nō abest, nec se immergat corporibus. nec fit alicuius, tunc eum quoque, vt mundanæ animæ collegam, vniuersum æquâ facilitate recturam, quasi non sit animæ malum præbere corpori essendi, & bene essendi potentiam: non enim prouidentia omnis in deterioribus dispensandis inhibet interim prouidentem in optimo statu permanare. *Plot. En 4. lib 8 c. 2.*

Animæ rationalis opus est intelligere, sed habet opus ipsa, quicquid enim in entium ordine numeratur proprium opus habet, iam verò respiciens seipsam seruat seipsam, & vergens ad id quod inferius est, ipsum gubernat & regit. *Plot. En. 4 lib. 8 c. 4.* Animæ necessariò duas vitas experiuntur, superiorem, & inferiorem, alternè ducentes, & diutius superiorem agunt vitam, quæ plus possunt cum mente versari, diutius inferiorem quibus contrarium, vel natura, vel fortunis acciderit. *idem. En. 4. lib. 8. c. 4.* Anima rationalis non habuit necesse formare corpus, cùm ab vniuerso formetur, nam formauisset nisi oportuisset in toto hoc formante connumerari *idem. En 4. lib 9 c. 5.*

Anima vna est, multæ verò ad hanc referuntur, vt vna in dantem se multitudini, & rursus non dantem, sufficit enim omnibus exhibere seipsam, & nihilominus vna perseuerare, pertinet in omnia simul, & ab vnoquoque non disiungitur, idem ergo seruatur in multis: hoc patet, scientia enim tota est & partes eius, ita vt tota permaneat, & partes ab ipsa: & semen totum est, & partes ab eo in quas naturaliter diuidi potest, & vnaquæque totum, & manet totum nihilo alicubi diminutum, materia verò diuisionis præbet occasionem, attamen omnia vnum. *Plot. En 4 lib 9.*

Animam nostram si absque adiunctis consideraueris parum inspiciens, inuenies profectò idem ipsum quod est anima venerandum, omnique corporeo pretiosius: etenim sine ipsa fortè terra sint omnia. *Plot. En. 6. lib. 1. c. 2.* Animæ solas actiones appellare debemus, quæ intellectuales sunt, & domesticæ quæ verò deteriores sunt, aliunde proueniunt, suntque talis animæ passiones. *idem, En 5 lib. 1 c. 3.* Anima nostra est imago intellectus Dei. vt verbum in prolatione est verbi existentis in animo, sic & anima est mentis verbum, & tota est actus, & vita, quam producit in alterius existentiam. *idem, En 6 lib. 1. c. 3.*

Animam intellectus diuiniorem efficit, tum quia pater est, tum quia semper adest, non etiam interuenit medium, præter ad quod alterum inter se sunt, & alterum, ita tamen vt subsequatur anima, & suscipiat, intellectus autem sit tanquam species: pulchra verò est & intellectus ipsius materia, cùm sit intellectualis quiddam, & simplex, excellentior enim est intellectus animā, se admodum excellenti. *Plotin. En. 5 lib. 1. cap. 3.* Anima nostra cùm sit ab intellectu, intellectualis existit. & animæ intellectus in discursione versatur, & huius perfectio rursus est ab intellectu, vt à patre, & iterum nutritore, itaque tum hæc ipsa substantia est à mente, tum actu ratio, & quasi intellectuale verbum, dum mens ipsi perspicitur. *idem, ibid.*

Animam nostram dimissis omnibus, quæ sensibus instrepunt, perque

pérque sensus animam interpellant, nisi quantùm externe cogat necessitas, ita animaduertendis superioribus aptiorem puram penitus conseruare debemus, & audiendis superis vocibus paratissimam. *Plot. En.5. lib.5.c.12.* Anima habet virtutem ratiocinandi circa imaginationes incidentes à sensu diiudicans, eásque coniungens, & diuidens; intuetur etiam, quasi figuras eorum, quæ ab intellectu descendunt, & circa eas habet vim prorsus eandem, assumit quoque intelligentiam, vtpote quod perpendat, accommodétque figuris antiquis nouas, nupérque venientes, qua in re animæ reminiscentiam consistere arbitramur, & hucusque animæ intellectus suâ virtute resistit. *idem, En.5. lib.3. cap.2.*

Animæ aliquid esse non dicemus intellectum purũ, nostrum verò intellectum esse fatebimur, qui aliud quiddam sit præter cogitandi naturam, eique superimpositum, nostrum tamen, etsi non numeramus cum animæ nostræ partibus. *Plot. En.5. lib.3 c.3.* Anima in quadam rationis discursione versatur. *idem, ibid.* Animam si corpore, & sensu, cupiditatibus, irâ, & reliquis nugis ad mortale declinantibus exueris, sic vtique reliquum animæ est, quod præ se fert imaginem intellectus, lumen ipsius aliquod reseruantem instar luminis, quod post ipsum solis globum proximè micat, circa ipsum ex ipso refulgens. *idem, En.5 lib 3 c.9.*

Animæ in nobis cùm sint duæ, vna propria, alia communis mundi, cur anima nostra non percepit iudicium animæ mundi? quia iudicium illud non est passio, nec vis ea quæ iudicat semper præsentit se iudicare, nam nec visus apud nos nunciat auditui se vidisse, sed ratio animaduertit iudicium; hæc autem ab vtrisque diuersa est. *Plotin. En. 6. lib. 4. cap.6.*

Anima nostra per intellectum est vniuersum, & sic in vniuersali rerum forma omnes animæ sunt quodammodo vnum; quamuis suâ proprietate distinctæ, & quatenus ab intellectu digrediuntur inter se distinguuntur. *idem, En. 6. lib.5. cap.7.* Animæ omnes sunt quodammodo vna. *idem, En. 6. lib. 5. cap.9.*

Anima ipsa prægnans Deo parit ipsam virtutem, & id animo est principium & finis; principium quia inde procedit, finis quoniam illic eius est bonum, perueniénsq; illuc ipsa hoc ipsum quod erat euadit, & cùm ex illo est, necessariò amat Deum. *Plot. En.6 lib 9. cap.9.* Animas Deus in generationem dum mittere, in facie oculos fabricauit, & instrumenta cætera reliquis adhibuit sensibus, prouidens, ita animal seruari posse, si ante videat, & audiat singula, & denique tangat, & ita alia fugiat, alia prosequatur. *idem, En.6. lib.7. cap 1.*

Anima nostra ita sensum radicitus habet, vt sensu semper vtatur: & si hæc anima in mundo incorporeo corporea esset, & ibi sentiret, & animaduerteret & homo illic viuens talis quædam anima est, hæc apprehendere potest, vnde & posterior homo imitatio quædam illius imitatione quadam habet & rationet. *Plot. En 6. lib.7. c.6.* Animam adhibere qui vult ad ipsum bonum, atque primum inquirendum, habere eam debes purgatam ab omni malignitate, & animam intellectum fieri, & totam animam menti committere, & in ea penitus collocare, vt quæ intellectus ipse videt, animus expers affectus accipiat, & ipso intellectu contempletur, & vnum; sic vt nullum sensum, vel nihil à sensu prouenient adhibeat, sed purâ mente, ipsóque mentis primo purissimum contempletur. *idem, En 6. lib 9 c.3.*

Anima omnis est Venus; quod (quamuis verbis obscuris) indicant Veneris natalitia, & amor simul cum Venere genitus; animus ergo in naturali habitu constitutus, amat Deũ, Deo commisceri desiderat, quasi pulchram virginitatem honestu affectans amore; & postquam in generationem lapsus, amorem caducum pro diuino reportat, quasi à patre lasciuit seiunctus, sed à lasciuiis humanis se eximens, ad patrem quandoque reuertitur affectione iam beatã potitus. *Plot. En 6. lib.9. c 9.*

Anima ad Deum ingressa principium ipsum videt, eique coniungitur, similéque simili percipit, nullum negligens diuinorum quodcunque animus consequi potest: esse prorsus in se solo, neque in ente, nil aliud est quàm esse prorsus in Deo, fit enim ipse aliquis non essentia, sed essentiâ superior, quatenus Deo se insinuat; si quis seipsum viderit ad effectũ habebit seipsum, velut quandam illius imaginem, ac si à seipso pertranseat tanquam imago ad exemplar vsque traducta, erit iam finem itineris consecutus. *Plot. En.6. lib 9. c.11.*

Anima aduentitium intellectum habet, qui eam cùm intellectualis sit, colorat; intellectus autem in se ipso intellectuale lumen habet proprium, nec solum lumen est, sed hoc ipsum quod est, existit in sua essentia lucidum, & quod lumen hoc infundit, non aliud in se existens est, & lumen, sed simplex lumen, præbens illi potentiam, vt hoc ipsum quod est. *Plot. En.5. lib 6. c 4.*

Anima amat ipsum bonum, sed ab ipso ab initio ad amandam prouocatur, & qui amat, corpora despicit, cùm aspiciat ea quæ hîc pulchra videntur subiecto, locóque polluta, dimensionibus dispersa, quæ etsi pulchra dicantur, non tamen verè sunt pulchra: nefas enim esset opinari quæ reuera pulchra sunt, seipsa in lutum corporis immergere, & fœdare, & disperdere seipse, & cùm considerat quæ apud nos sunt, in continuo fluxu versari, deprehendit aliunde nancisci hoc quod in eis micat, ideò ad illud attollitur quod amat, quousque assequatur. *Plat. En.6. lib.7. c.31.*

Animus in Deum defixus non probat intelligentiam quam prius admiratus erat, eam enim in motu esse cognoscit, & ille non optat moueri qui Deum solum contemplatur. *Pla. En.6. lib.7. c.35.* Anima per mentem euadit libera, ad bonum absque impedimento se conferens: quodque propter hoc agit, consistit in ipsa: intellectus autem per seipsum liber, ipsius boni natura est ipsum, quod omnibus appetendũ, & propter quod habent alia quod consistant in eis, cùm id sine impedimento consequi potest, illud autem id possidere, & ab ipso bona omnia pendent, & ad quod omnia ascẽdere volunt. *idem, En.6. lib.8. c.7.*

Anima habet omnium rationes, agitque secundùm eas, vel ab alio excitata, vel seipsam intus conuertens ad rationes, cùm ab alio prouocatur tanquam ad externa commissẽs introducere sensus; cùm verò ingreditur in seipsam ad intelligentias prouocat. *Porphy. de occasionibus.* Animam quæ affligere possunt, sapientes omnia euitabant; sic Pythagorici partim se in solitudinem receperant, alij in templis viuebant; Plato elegit academiam, agrum nõ modo solitarium, sed insalubrem. *idem, de abstinentia animalium.*

Anima omnis sensibus & memoria prædita est rationalis, & habent rationem & orationem tum interiorem, tum exteriorem, qua inter se loquuntur animalia, quorum verba nõ discantur à nobis nihil mirum est, cùm barbarorum sermonem multorum non discernamus: itaque non loqui, sed vociferari putamus. *Porphy. quod animæ sensuales sint rationales & immortales.* Animæ finis est fieri Deo similis; Deus autem cùm nullius indigus sit, nullive noceat, ille certè felicissimus est. Deóque similis, qui ita seipsum comparat, vt quamminimè egeat alienis, & quamminimè noceat: hic ergo vescitur solis terræ fructibus, ne noceat hominibus aut animalibus, & quantum fieri possit parcat etiam plantis, & herbis. *ubi, quod qui paucis contentus viuit & innocens, est quasi Deus.* Anima quæ tanquam Deo similis est effecta, quamminimis ad victum est contenta, hic illâ aureâ prosperitate potitur. *idem, ibid.*

Anima ad intellectionem duobus vtitur instrumentis, simplici altero, quod mentem, alio multiplici & mutabili quod sensus nuncupamus, quæ etsi functiones permisceant, vtramque tamen propriam & distinctam substantiam agnoscit; & sic differunt ea quorum sunt instrumenta intellectibili scilicet & sensitiuo, hoc vulgarius est, illud minus notum. *Max. Tyrius serm.1.*

Anima prioribus temporibus simplex philosophiam musicámque mansuetiorem poscebat quæ ipsam fabulis quibusdã, vt popularis rector duceret, & versaret; sed prodeunte tempore acutior facta, tanquam simplici illâ credulitate discussâ, fabulas veteres perpendit, & ænigmatis reiectis, philosophiam detegens proprio illam ornauit ornatu, nudisque rationibus via, quæ etiam non aliò à prioribus illis differunt, quàm harmoniâ. *Max. Tyrius ser.29.*

Anima hominis quæcunque præsens spectat, parciùs his honorem impertit, remotiora omnia magis admiratur: propterea ad inuisibilia accedens, diuinatione ac ratiocinationibus mediis coaptans, quod assequi non potest, id maximè inuenire conatur, quod si deprehendit, in eo, vt in opere proprio quiescit. *Max. Tyrius ser.29.*

Anima nostra nec in substantiis superioribus, nec in hac est motio vlla passiua, sed totum est actus efficax, & eius motus quo anima ex se mouetur, non diuiditur in motorem, & motum, vel mouere, & moueri, sed est essentialis actus progrediens sensualiter. *Iamblichus de mysteriis.* Animabus rationalibus vltimis non inest essentiale bonum, sicut diis, sed participatio boni secundùm pulchritudinem intellectualem, sed hæc immobiliter inest. *idem, ibid.* Animæ nostræ in diuinarum generibus computantur, heroes sunt maiores hominibus, dæmones ergo multò grandiores. *ibid.*

Anima neque dum adest corpori patitur vel ipsa quicquam, vel rationes seminales quas ipsa corpori tradit, species enim sunt simplices, & vniformes, nullam turbatio-

nem vel exitum à seipsis suscipiantes. Passiones qualescunque sint in animali, non sunt in anima qualiscunque sit, sed in corpore quod sub anima certam possidet qualitatē, qua & patitur, & agit. *Iamblichus de mysteriis.*

Anima in mundo intelligibili audiuit harmoniam diuinam, cuius hic reminiscitur quando audit melodias, habentes diuinæ vestigium; reminiscens verò, ad eam vehementer afficitur, si est à numero animarum earum, quæ ipsam harmoniæ ideam præcipuè contemplatæ sunt in patria. *Iamblicus de mysteriis.* Anima humana & vna specie comprehensa est, & à caduco corpore nimium obumbrata, ideò nullam habet ad diuinum opus potentiam efficacem, & si aliquando aliquid potest, diuina illustratione agit. *idem, ibid.* Animæ passio nihil habet proprium ad entium, & veritatis contemplationem, sed affert impedimentum. *ibid.*

Animæ, quæ vitam amatoriam elegerunt, mouentur à Deo pulchrorum præside ad curam animorum ingeniosorum, & à pulchritudine sensibus apparente ad diuinam pulchritudinem rediguntur, & secum conuocant amatos; animæ verò quæ ob peruersam educationem è superno munere decidunt, alioquin amatoriam nactæ naturam, simulachris pulchritudinis incidentes, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur, & amant, passionem propriam ignorantes. *Proclus, in Alcibiadem prim.*

Animabus, quæ ratione sunt animæ, competit perficere deteriora, & inferioribus prouidere, nam & ob hoc ipsum descendunt propter rerum generabilium prouidentiam, & curam mortalium. *Proclus in Alcibiadem primum.* Animarum perfectissimæ quæ sine generabilium commercio in generatione vitam egunt, quemadmodum propriu Deo vitam consentaneam elegerunt, sic & secundùm dæmonem diuinum viuunt, qui & manères quondam apud superos eas Deo proprio coaptauerat. *idem, ibid.*

Anima rationalis nobilior est irrationali quoniam illā Deus primus mundi opifex procreauit hanc dij iuuenes produxerunt. *Procl. in Alcibiadem 1.* Animæ attentius quæ in patria viderunt, hic eorum imagines contemplātur. *idem, ibid.* Animarum appetitus ad vitæ formam valent plurimum, nec nos tales sumus, vt ab externis duntaxat formemur, atque moueamur, ex nobis enim ipsis electiones promimus, per quas vitam agimus. *ibid.*

Animæ nostræ premuntur duplici ignorātia, putantes se plurima noscere ob ingenitas sibi rationes rerum ab initio, ignorantes autem propter obliuionem. *Proclus in Alcibiad. 1.* Anima per scientiam euadit intellectui similis secundum actum ipsum cognoscibile comprehendens, vt intellectus intelligibile; secundùm verò duplicem ignorantiam hi materiæ similis, nam vt materia omnia habere videtur, cum nihil ceuera habeat, sic duplici ignorantia laborans videtur sibi, quæ non habet habere. *idem, ibid.*

Animæ omnes mutationes necessario tempore mensurātur: vnde & Aristoteles in anima mutationem secundùm actus & habitus, eorumque opposita collocat temporalem; nam quod anima coniuncta corpori, & à prauitate, & ignorantia transiens in opposita interuallo temporis indiget, nemini dubium est. *Proclus in Alcibiad. in 1.* Anima rationalis propter ipsam per se mobilem, & per se operantem proprietatem suapte naturā, potest circa se ipsam agere, seq; mouere, & sibi ipsi bonum præbere: & nobis purificatio non ab externis accedit, sed ex intimis ducit originem. *idem, ibidem.*

Animæ vires duæ, vna qua ad deliberationem, altera ad appetitum impellitur. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Animus diuina & intelligentiam diuinam contemplans, quàm optimè affici dicitur, & hæc affectio sapientia nuncupata est, quam nil aliud, quam Dei similitudinem appellari oportet, ideò huiusmodi operatio quàm maximè veneranda est, & expetenda, & homini maximè propria, cui nulla obsistunt impedimenta, quo minus in nostra potestate consistat, & propositi finis nobis sit causa. *Alcinous, c. 2.*

Animā cùm res singulas discernamus, ideò omnium principia huic indidit opifex, vt quicquid vnquam occurreret ex cognatione quadam cognoscentes, rebus consonam illius essentiam adhiberemus. *Alcinous, c. 14.* Anima per intelligentiam percipere potest substantiam indiuisibilem, & circa corpora dispersam. *idem, ibid.*

Animæ humanæ si iustè vixerint, & non se permiserint trahi à passionibus, in cognatum astrum redibunt: sed si ab iniustitia superarentur, secunda generatione in vitā fœminæ migrabunt; & quæ nondum ab improbitate cessarint, in brutorum denique naturam degenerabunt, & tunc finis laborum futurus est cùm innatos corporis affectus expulerint, & in proprium habitum redierint. *Alcinous c. 6.*

Animam rationalem dij caput habitare iussere, quod sensibus, quasi quibusdā satellitibus muniuerunt. *Alcinous cap. 17.* Anima seipsā mouetur, & quod seipso mouetur motionis, generationisque principium est, & immortale existit, cùm principium ingenitum, & incorruptibile permanet; & anima per se mobilis vocatur, quia habet in se innatam vitam semper secundùm seipsam operantem. *idem, ibid. c. 25.*

Animæ ex eo quòd rationales sint, sequitur quòd earum fœcus ingrediantur, in corpore formatis tam fœtibus adhærentes, & in corpora plura tum humana, tum alia eundem semper numerum seruantes transfigurare valeant, atque id voluntate deorum, siue incontinentiā vitæ, corporisque amore, nam corpus & anima cognationem quandam habēt vt ignis & bitumen. *Alcinous c. 25.* Anima cùm secundùm vires rationales & irrationales trifariam diuisa sit, id homini contingere putat Plato, vt nunquam prudens esse queat, dum aut timidus, aut intemperatus existit, ideóque absolutæ virtutes inuicem inseparabiles sunt. *idem, c. 26.*

Anima medium tenet locum, nam à sensibilibus perturbationes, & affectiones, ab intelligibilibus æternitatem mutuatur. *Plutarchus de animæ creatione ex Timæo.*

Animæ pars perinde patibilis, & interminata erat, & instabilis, quæ post limitata est, quando terminus, & species diuiduæ, & multiplici motioni accessit. cúmq; idem, & alterum assumpsisset similitudinibus, & dissimilitudinibus numerorum, qui ex dissociatione consensum genuerunt, vita vniuersitatis sapientiā dotata euasit, harmoniáque, & ratio trahens secum suadelā temperatam necessitatem, quam vulgo appellant fatum, vt vox aliqua nihil significat, sermo verò dictio in voce, quæ mentis significationem dat, concentus ea sonis constat. & interuallis, sonus vnum, & idem interuallum, sonorum diuersitas, & distinctio, temperatis inter se his, cantus & modulamentum efficitur. *Plutarch. de ani. creat. ex Timæo.*

Anima non omni ex parte est Dei opificium, sed sors mali quā in se continet, genitiua fuit à Deo exulata, qui vno infinitionem. vt essentia fieret termini consors. circumscripsitq; alterius, & eiusdem virtute, ordinem, variationem, diuersitatem, & paritatem temperauit, commiscuitque, omnibus denique his quoad fieri poterat, societatem inter ipsa, familiaritatémq. numeris, & harmoniā cōciliauit. *Plutarch. de animæ creat. ex Timæo.*

Animæ inter virtutes quæ numero corporeas superant, ratiocinandi, & cogitandi vis diuinitatis potissimum habet consortium, quam ex diuinis Plato dicit esse, & ex cœlestibus, & non absurdè appellauit eam alam, quod animam à rebus humilibus, & caducis subleuet. *Plutarch in quæstionib. Platonicis.* Animæ in humana animositas non est mera passio, sed imagines honesti habet, cum bruta coniunctas vindictæ appetitione. *idem, ibid.*

Anima nostra sine diuinitate adminiculo ipsa per se nihil valet spectare, atque intelligere diuinum. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Animam rationalem non putat Plato os, & vultum carentis ratione animalis induere, sed ad vitiorum reliquias accedente corpore, incorporationem à veris animis vitiis affectæ ex instituto vitæ prioris. *idem, ibid.*

Animæ motus duplex, vnus, quo alia mouet, ipsa à nullo mouetur, sed proprio, genuinóque motu; alius quo alia mouens, ab alio mouetur, qui est patibilis habitus animæ, & ægritudine oppressus. *ibid.*

Anima ideò dicitur rei sentiendæ speciē possidere, quia illius profert rationē, nec vllo modo tanquam ab illa formam aliquam, vel figurationem velut à sigillo suscipiens: iudicium enim & actu existet intrinsecus, atq. vitalis ratio intus permanet, & essentialis est animæ: vna verò quæ cōplet animal à rationibus dependet essentialibus in suspensa, & secūdum quandam extensionem ad corpus ipsa subsistit, & hæc sensualis quoque est, & terminus, & perfectio animalis. *Priscian. in Theophrastum, c. 8.*

Anima in se non habet nec esse, nec agere simplex, atq; vniforme, sed hoc permanens, hoc mobile, dum circa potentiā permanentē procedit potentie mobilis, & sic simul anima, & permanet & mouetur. *Priscianus Theophrastum de phantasia & intellectu, c. 7.* Anima etiā, vt intellectus, à seipsa perficitur, quatenus à se actum aliquē exorditur, & seipsam adhibet intellectui, & suā actione perfectionem apprehendit ab intellectu. *idem, ibid. c. 6.* Anima non semper vtitur intellecto et præsenti, quia ad corpora vertitur. *ibid.*

Anime percipit formas materiales, & immateriales secundùm insitas animæ rationes, immaterialia tanquam rationibus sibi insitis, coniugata, vel tanquam præstantiore, manualia vt effecta, & quæ abstractione cognoscuntur, auferendo ab eis materiam. *Prisc. in The. de phan. & intell. cap. 14.*

Anima

Anima cognoscit rationibus innatis, & materialia, & immaterialia: ed immaterialia ipsis vtitur vt germanis, ad materialia tanquam causis *idem, ibid. cap* 15.

Animæ nullus relinquitur locus, quo materiam fugiat, si in nullum hic malum inciderit. *Synesius de somniis.* Animæ auxilio diuino potissimum opus est, cùm materiæ se addixerit, & hæc pro arcano conuentionem nostram signat libello, cùm non sit leue certamen sui ipsius abrogare confessionem, & pactum: contingit autem & vim inferri; pœnæ namque vltrices materiales sunt & iusta fatum mouentur aduersus eos qui à legibus fati rebellant *idem, ibid.* Anima duas habet regiones, alteram obscuram, alteram lucidam, & inter has media est; cùm in propriam generositatem se recipit, veritatis est perite, pura enim est, perlucida, & prorsus immaculata, est & Deus, & vates: si liberùm delabitur obtenebratur errancáque euadit, & mēdax: cùm medium tenet partim aberrat, partim consequitur. *ibid.*

Anima duas in se naturas habet valde necessarias, memoriam & reminiscentiam, quarum altera quicquid recens in sensibus impressum est retinet, ne falli possit per ignorantiā, reminiscentiam verò præcedit obliuio res surda, & cæca: hic quod antiquius est, apparet deterius. id est, memoria, quàm reminiscentia, quòd per Ephraim, & Manassen significatur. *Phil. Iudæus in legis allegoria lib.* 2.

Animæ motus primos Deo dicare debemus, auctorem eum confitendo: primi sunt ordine, qui statim à natiuitate nobis obuenerunt, cibus, incrementum, visus, auditus, gustus, odoratus, tactus sermo intellectus, partes animæ, partes corporis & harum vires, & in vniuersum habitus, & motus, qui secundum naturam sunt, at primi dignitate sunt benefacta, virtutes, virtutum actiones: virtutes sunt sermo ex sincero animo emissus, cum gratiarum actione. *Phil. Iud. de sacr. Abel & Cain.* Animæ in tenera ætate debentur liberalis musicæ rudimenta, ætate prouectā, temperantia, & cæteræ virtutes *idem de Agr.*

Anima nostra olim cœlestia colens, contemplatione felici circa diuinas ideas, formásque mundanas, & cœlestia voluebatur, atque cœlesti vehiculo suo, tanquam sphærico, motum edebat orbicularem, deinde verò descendit in caput humanum vehiculo suo, inter nostra cognatum, hic tamen reuolutiones pristinas intermisit: possumus tamen eas illam in hac vita saltem imitatione quadam resumere, videlicet superiora, vt olim, contemplando similiter, & venerando, ita prorsus animus iam effectus beatis similis, & in præsenti beatus erit, & in vita futura quandoque beatissimus, quandò simillimus. *Fic. in Plat. Timæum cap.* 102

Anima rationalis in essentia tertia habet sedem, obtinet naturæ mediam regionem, & omnia connectit in vnum. *Ficin. Plat. Theol lib. 3. cap* 2. Anima rationalis est fons motionis, cui qualitates ad mouendam materiam seruiunt, vt instrumenta. *ibid. lib. 5. cap.* 4. Anima rationalis est vita, & intelligens discurrendo, & corpus viuificans tempore. *ibid. lib. 3. cap.* 2. Anima rationalis, vt Platonicè loquar, corpori propinquans, ex se fundit vitam, velut vmbram. *ibid. lib. 5 cap* 14. Anima rationalis vera vita est: vera vita per se corporis est formatrix, & rectrix, ideo corpore est longè præstantior *ibid. cap.* 15.

Animæ rationalis sedes, quæ est tertia essentia, tres habet dotes ex eo quòd omnium medium obtinet; primam quòd in ea refulgent veræ imagines diuinorum, secundam quòd ipsa format, & continet totam machinam corporalem, tertiam quòd diuina, & corporalia inuicem conciliat. *Ficin. in Plat. Theol lib. 5. cap* 15.

Anima rationalis quatenus intellectualis est, non solum forma simplicissima est, sed etiam est omniformis, & omnia, omnia inquam actu, sicut intellectus ipse est actu omnia: quatenus verò animalis euadit, retinet quidem munus idem, quo sit adhuc omnia, sed minus perfectè retinens, est iam in potentia vniuersum, & tum admittitur ad prouidentiam vniuersalem: at quando in se gradatim ab vniuerso munere cadens ad partem muneris sese dirigit, particularem gradatim subit curam, corpúsque proprium magis induit, & magis laborat. *Fic. in Plot. En 4 lib 3 cap.* 5.

Anima nostra si esset accidens, & necessitate hæreret subiecto, non posset illi repugnare, nec in se vnquam reflecteretur, nec super accidentium genus ad substantiæ genus ascenderet, ipsumve propriè definiret, vel discernere posset ab accidentibus, vel quanto interualla accidentia superat ratè metiri. *Fic. in Plat. Theol. lib. 6 cap* 7. Animatum in omni ætate, tum continuè veritatem cæteris appetit. *Idem, lib. 8. cap.* 2. Animæ humanæ virtus indiuidua est qualitas, *ibidem. cap.* 3.

Animæ duo præcipua sunt officia, speculari, & consultare, in vtroque repugnat corporibus. *Ficin. in Plat Theolog libb. cap.* 3. Animam hominis cœlo non subiici hinc apparet quod futuros casus primò securitā praeuidet deinde prudentiā vitat, aut magnanimitate vilipendit, quasi non ad ipsum hominem, qui ipse est animus, pertineat quicquam, sed ad animi carcerem: & fortunā prosperā propter temperantiam feliciter, aduersā propter tolerantiam optimè vtitur. *ibid. cap* 4.

Anima rationalis, quæ fons est motionum corporalium, mouet ipsa corpora, à corporibus verò non mouetur: mouetur autem ab illis, si inde formaretur, sed spiritus, qui est animæ currus, à corporibus quibusq. pulsatur: pulsatio huiusmodi non latet animam, & hoc sentire dicitur, & statim ex hoc sentiendi actu, vis animi interior ad opus aliud huic persimile excitatur, quę imaginatio appellatur; supra hanc est phantasia, & denique supra hanc intellectus existit. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 9. cap* 3.

Anima nostra in essentia cum cœlestibus conuenit, & cùm illa non habeant originem è materia, ergo nec animus noster vllam habet originem è materia, & si illa sunt æterna, & animus æternus est. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 9 cap.* 6.

Anima hominis, si e materia scaturiret, nunquam cum diuinis, quæ ex materia non scaturiunt in operatione coniungeretur *idem, ibid.*

Anima nostra diuinos intellectus nec inuestigat, nec intuetur, nisi per proprium intellectum, vt solis oculus non capit lumen nisi per proprium quoddam sui lumen internum *Fic. in Plat. Theolog. lib. 10. cap.* 1. Anima nostra clauditur corpore crassiore hic ineunte, primò in ipso descensu cœlesti, & aëreo reuoluitur corpore, deinde spiritu ex corde genito qui in nobis cœli instar, temperatissimus est, & lucidissimus. *idem, ibid. cap.* 2.

Anima rationalis ex omnibus formis corporis simillima Deo euadit, vsque adeò vt nequeat alia similior fieri, postquam non potest fieri vlterius in alia materia, cum hæc in ipso extremo emineat corporis limine *Fic. in Plat Th lib* 2. *c.* 5.

Animam rationalem fieri à Deo absque vllis instrumentis ex eo potissimum coniectamur, quòd in Deum proximè vertitur *idem, ibid. cap.* 7.

Animæ rationales intellectuales sunt secundùm participationem, Angeli secundùm formam. *Ficin. in Plat. Theolog. lib.* 11. *cap.* 4. Animæ rationali ab ideis formulæ propriæ idearum inseruntur, & ipsi hærent immobiliter. *idem, ibid.*

Animæ humanæ tres rerum ordines conuenire videntur, prouidentia, fatum, natura: prouidentia est series mentium: fatum series animarum, natura series corporum: nam primo loco ponimus sub Deo Angelos, purissimos scilicet intellectus; sub quos animas rationales, quæ corporibus iam vniuntur, siue mundi, siue mundanarum sphærarum, siue syderum dæmonum, & hominum: tertio loco globos cœlorum, alimentorum, & humorum. *Ficin. in Plat. Theol lib* 13. *cap.* 2. Anima nostra per caput suum id est mentem, superioribus mentibus nectitur: per vim autem id est idolum quo regitur corpus, cum idolis animarum superiorum conspirat per naturam corporis sui cui idolum se insinuat, conciliatur naturis corporum mundanorum, quas naturas huius corporis sequatur. *idem, ibid.*

Animæ rationales non modò vim habent intelligendi, per quam angelicæ sunt, & in ordine prouidentiæ numerantur, verùm etiam vim illam viuificam, rectricémque corporis, quæ alit corpus in corpore, sentit corporalia per corpus, mouet corpus per locum, regitque in loco, quam vim idolum, id est simulachrum rationalis animæ Platonici nuncupant; in hoc idolo insunt semina motionum, & qualitatum omnium quæ in corpore explicantur ab anima: omnes animæ rationales tum nostræ, tum quæ supra nos sunt, vires illas habent intelligendi, habent & has viuificas, rectricésque corporum facultates. *Ficin. in Plat Theolog. lib.* 13. *cap.* 2. Animus septem generibus vacat, somno, syncope, humore melancholico, temperatā complexione, solitudine, admiratione, castitate. *idem, ibid.*

Anima omnis rationalis per essentiam suam, & potentiam super totam mundi materiem est, & totum mouere posset, & formare, videlicet quando adhuc sit Dei instrumentum. *Ficin. in Plat. Theolog lib* 13 *cap.* 4. Animæ nostræ conatus omnis est vt Deus efficiatur *idem, ibid. lib* 14. *cap.* 1.

Animæ quod patibile nuncupatur, est causa passionis, siue ab ipsa fiat motio passionum ex sensuali phantasia, siue seorsum à phantasia. *Plot. En. 3. lib 6. cap* 4. Anima hominis licet quædam imago sit intellectus diuinioris, veram tamen in se mentis formam habet. *Ficin. in Plat. Theolog. libr.* 14. *cap* 2.

Animæ partes distribuit in cerebro Auerrois, vt in primo

Animæ humanæ beatitudo composite est intelligentiis eatenus integra, quatenus animæ corpori regendo occupatæ competere potest, & voluntate appetituque omnis consensione, quæ exterior est voluptas. quæ consensio ad humanam sufficientiam necessaria est vt nulla interior sit seditio, sed omnes partes quoquomodo in vnum concurrant ad munus vnum beatitudinis possidendum. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 38.* Animæ rationali ita congrua est veritas, vt lumen solis lunæ. *idem, ibid. cap. 63.* Anima, vt se ipsam respicit rationes rerum vniuersales cogitat, & à principiis ad conclusiones ratione discurrit. *idem, in Plat. sonem.* Anima, vt à mente diuina dependet, rerum omnium ideas per mentem e stabili contemplatur. *ibid.*

Anima intellectualis communionem habet cum essentia æterna scilicet substantia per quam cognoscit eam, sed hæc communio non est potentia vlla inuicem agendi; vel patiendi, neque enim essentia illa mouetur ab anima eam cognoscente, nec rursus anima mouetur ab illa; sed anima nonnunquam ad rationes illius essentiæ ideales sibi congenitas se conuertit, conuersione quadam, & illustratione cognoscit: omnino verò in substantiis separatis non est potentia quædam procliuis ad actum vlteriorem temporaliter acquirendum sed actu semper existunt, idcirco definitionem illam, quæ per potentiam agendi, & patiendi dabatur, in illis suscipere non debemus *Fic. in Plat. sophist. cap. 21.*

Animam nostram qui intro aspicit, trinum dæmonem videre putabit, nam & vehiculum cœleste videbit igneo cuidam, aereóque velamini prorsus infusum, & huiusmodi velamen spiritu circonfusum, spiritu inquam è quatuor humorum vaporibus constituto. *idem, ibid. cap. 36.*

Anima duo lumina habet, naturale, & ingenitum vnum, alterum diuinum, & infusum, quibus vna coniunctis, vt duabus alis per sublimem peruolare possit regionem: & si diuino semper vteretur, semper diuinis hæreret, & terra esset rationalibus animalibus vacua, at diuina prouidentia cautum est, vt anima sui ipsius sit domina, & posset tum vtroque, tum altero lumine vti. Hinc fit vt naturâ duce ad proprium sui lumen conuersa, prætermisso diuino, seipsam, viresque suas quæ ad fabricam corporis spectant, animaduertat, & cupiat vires suas in fabricandis corporibus exequi, hac cupiditate grauata descēdit in corpus. *Fic. in Pla conui. or. 4. c. 4.*

Animam in se notiones rerum habere, si quis Platonis libros Phædrum, Menonem, & Phædonem inspexerit, quos iunior scripsit, putabit formas illas in animo pictas esse vt in pariete figuras. in sexto de republica totam rem agit, & dicit, vt sol ad oculos, ita Deus ad mentem se habet: sol oculos generat, vimque illis præstat videndi, quæ frustra esset, nisi solis lumen adesset in quo oculus corporum colores videt, atque figuras nec aliud. Hoc quidem lumen in corporibus reflexum oculus perspicit, ipsum verò in fonte suo lucem minime sustinet, sic Deus animam procreat, & mentem ad intelligendum largitur. quæ obscura esset, nisi Dei sibi lumen adesset in quo rerum omnium respicit rationes vnde per Dei lumen intelligit, & diuinum solum lumen agnoscit, diuersa tamen asciscere videtur, quia sub diuersis rerum ideis, & rationibus ipsum intelligit. *Idem in Plat. conuiuium, orat 6. cap 13.*

Anima per mentem habet vt intelligat, nam si suapte naturâ intelligeret, omnibus, & bestiarum animabus inesset, vt motus inest *Fic. in Plat conuiuium, oratio 6 capi. 3.* Animarum alæ geminæ sunt geminus instinctus mente ingenitus ad superna eleuans animam, intellectu instinctus ad diuinum verum, in voluntate instinctus ad diuinum bonum: quando verò hi remittuntur, inclinatio vegetalis naturæ intenditur ad corporea gubernanda animas verò, fractis alis in elementa descendere Pythagorici putant. *Idem, in Plat. phædrum, cap 2.*

Animarum rationalium quæuis si dispereatur, & reliquæ animæ rationales peribunt, omnes enim ab æterno eodem patre similibus proportionibus sunt absque medio procreatæ. *Fic. in Plat phædrum. cap 6.* Animæ rationalis tanta est potestas, vt quælibet sit quodammodo vniuersum, & si quando in suam amplitudinem se receperit, omniformes in se notiones, & vires explicatura sit. prouidentiamque vniuersalem prosequutura, quasi collega cœlestis cuiuslibet animæ, & mundanæ. *idem, ibid.*

Anima rationalis dum suam actu, & affectu conseruat vniuersitatem, cœlum habitat cum vniuersalibus cœlestium animabus: potest etiam interim intellectu speculatiuo totum mundum intelligibilem intueri, & practico totum simul sensibilem conspicere, siue id vniuersalis prouidentiæ munus agat, vniuersali similiter ratione, sicut anima mundi, siue vniuersali quidem ratione, sed more Saturni, vel aliorum planetarum. *Fic. in Plat. phædrum, cap. 8.* Animam omnem Plato dixit totam colere machinam, non omnem animam, quia anima rationalis est anima omnis, quæ in se habet omnes animæ vires, & rerum formas. *idem, ibid.*

Anima quælibet rationalis vult posse per omnes mundi sphæras gradatim se conferre, tum etiam in cœlo habitantem ad vniuersalem prouidentiam quandoque recipi. *Fic. in Plat. ph cap. 8.* Anima, quæ ad diuinam eleuatur in hoc mundo fit particeps donorum diuinorum, & præparat se, vt in alia vita his perfectè fruatur. *idem, ibid. cap. 18.* Animæ contingit simul, & remissio intelligentiæ, & naturæ deterioris intentio. *ibid. cap. 14.*

Animæ nostræ in cœlo pro differentiis earum, seorsumque ducum aliæ breuius viderunt, quàm aliæ: breuius, id est pauciora, vel breuiori tempore, vel negligentius, & ingenium hic afferunt, quę breuius viderunt, nec philosophicum, nec reminiscentiæ diuinorum aptum, præsertim si educationem, consuetudinemque hic alienam à philosophia sortitæ sunt; at quæ ampliora viderunt, & philosophicum ingenium hoc afferunt, & si philosophicè educantur, facilè per imagines diuinorum reminiscuntur eorum præcipuè diuinorum, quæ similitudines suas ad sensus vsque protulerunt. *Fic. in Plat phæd. cap 25.*

Animæ nostræ proprium est officium, vt conspectis particularibus, colligere de illis possit conceptum vniuersalem; qui conceptus communiter species dicitur, per quem ad communem formulam animæ naturaliter insitam quandoque perueniat, & per hanc ad ideam, quæ non solum dicitur species, sed existit: quod anima bruti facere nequit, cùm nullas idearum formulas insitas habeat. *Fic. in Plat. phæd. cap. 15.* Animæ solæ in Deos recipiuntur quæ per veram philosophiam purgatæ discesserunt. *ibid.* Animæ cum corpore vinculum nil aliud intelligit Plato, quàm amorem, id est naturaliter prouidentem. *ibid. Fic. in Plat. phædone.* Anima humana, & si secundum essentiæ partes non spargitur, per actionis tamen partes diffunditur, tempore enim, & mobiliter agit. *ibid.*

Animas in prato per septem dies quieuisse ait Plato, & per septenarium alij intelligunt septem planetas, item per septem dierū septenarios, quibus ante motum fœtus in aluo quiescit, vel per septem quosque dies, in quibus gradatim, in vtero formæ mutantur, sed fortè melius, quia interim quodammodo animæ viuunt steriles, sterili quodam numero deputantur, cùm septenarius sterilis sit, cùm ex alio numero aliquoties repetito non gignatur, nec alium numerum facit infra decem: ideò palladi à Pythagoricis tribuitur. *Fic. in Plat. de repu. dial 10.*

Animæ nostræ aliàs in prouidentia sunt omnino, cum viuunt expeditā tantùm mente contemplatrice: cum in vegetali parte ad corpus hoc inclinatio inualescit atque ad imaginationem vsque talis inclinatio propagatur, ad fatum iam declinans pariter à libertate degenerantiat dum compositō corpori cōniunguntur, iam in ipsum corporis sui fatum sese mergunt, minúsque admodum pristinæ retinent libertatis; aliàs prorsum sunt in fato, cùm scilicet postquam affectus corporeos in debitum contraxerunt, fato iam funditus obruuntur, omni libertate priuatæ. *Fic. in Plat. de republi. dial 10.*

Animarum gubernatio è genibus lachesis accipitur; vniuersum verò eiusdem manib gubernatur: nam cùm vniuersi gubernatio præstantior sit, quàm dispositio animarum, meritò illa manibus, hæc genibus perficiuntur. *Fic. in Plat. de rep dial 10.* Animæ aliæ hominum alias vitas eligunt, alij ob id aiunt, quia in animarum naturis sunt speciales quædam differentiæ, alij indiuiduales, & proprias, & addēs differentias illi multas ex superioris vitæ diuersitate ductas, & animæ eligentes vitam simul dæmonem sortiuntur electæ vitæ ducem *idem, ibid.*

Animam rationalem à Deo acceptam animæ sphærarum, stellarúmque, & dæmones, vel inferiores angeli corpori caduco conciliant per vitam quandam irrationalem, partim ab ipsis, partim ab anima hominis dependentem. *Fic. in Plat. Tim. cap. 37.* Animæ rationalis in substantia ponunt Platonici sensum communem, simplicem, & impassibilem, qui non propriè accipiat illatas à corporibus passiones quemadmodum sensus alter, sed alterius sensus percipiat, siue potius iudicet passiones: proinde rationalis animę substantiam indiuisam, & in se consistentem esse probant, nec capiti velut sustentaculo commendatam, sed quasi instrumento ipsius accommodatam, vel cuidam in suo genere simili comparatam. *idem, ibid. cap 41.*

Anima nostra, ob quandam liberi motus infinitatem, potest, & intra se in brutorum omnium affectus & habitus proue-

nire, & extra se supplicij loco inter similia bruta, vel brutorum loca diuino quodam transferri iudicio. *Fic. in Plat. Timæum cap. 43.* Anima humana in se continet omnes viuentium inferiorum dotes. *idem, ibid.*

Animæ omnes rationales ex communibus rerum generibus, item ex propriis cuiusdam viribus formulisque harmonicè componuntur, & animarum inter se differentiæ inde sumuntur, quod elementa eiusmodi in aliis præstantiora sunt, quàm in aliis, item quod absolutiùs in aliis, quàm in aliis copulantur. *Fic. in Plat. Timæum. cap. 25.* Animam rationalem esse diuinam per tria declarat Plato, per imperium eius in corpus, per iustitiam, & leges, & per religionem, contemplationemque diuinorum: vitam vero mortalem vna cum corpore his subnectendam mandat. *idem, ibidem cap. 24.*

Animæ rationales diuersos habent intelligentiæ gradus, cum animæ inter duo extrema mediæ sint, id est inter puros intellectus, qui cuncta semper simul intelligunt, atque inter bruta, quæ nihil mentè cunctæ intellectuali quadam ratione percurrunt. solæ animæ primæ, quam plurima vno quodam rationis intuitu complectuntur: secundæ aliquando pauciora, similiterque deinceps pauciora, vsque ad dæmonicas illas, quæ vno quodam intuitu vnicum intuentur, sed rationalem intelligentiam semper ordine certo continuat, postremæ inter rationes sunt animæ, quæ non modo vnum consequuntur vno, sed etiam quandoque intelligentiam intermittunt ac valdè remittunt *Fic. in Plat. Timæum cap. 25.*

Animam cum ait Plato à lucerna ad Lunam, à Luna ad Solem attolli, significat à formis naturalibus ad mathematicas, ab his ad diuinas eleuari, non docendo, diuina enim doceri nō possunt sed purgando potius atque inuertendo. *Ficin. in Plat. de republica, dialogo 7.*

Animæ particulares, quæ non facilè possunt contemplationē simul exactam, & prouidentiæ generationisque officia consummare, vicissim vtrumque facturas asseuerant, sed diutissimè primum. Has omnes in anno magno, semel saltem, ad ista descendere, alioquin nequaquam vlterius descensuras, alias autem alias ad hæc sæpius se conferre. sæpius quidem quæ proprio iure, liberòque motu libentius abutuntur, & inferioribus sunt commendatæ partonas. rarius autem, quæ natura sunt stabiliores, sublimioribusque stellis atque numinibus dedicatæ ad contemplationem maximè pertinentibus *Fic. in Plat. Timæum, cap. 28.*

Animæ rationales discursiones, affectiones corporis immoderatæ impedire possunt, moderatæ vero non impedire. *Fic. in Plat. Tim. cap. 28.* Animæ pars rationalis manifestius officium suum exercet in capite, irascibilis in corde, concupiscibilis in iecore: & irascibilis tanquam generosior posita est rationi vicinior. *idem, ibid. cap. 66.* Animam rationalem Deus creauit, cœlestia irrationalem, quæ nobis communiter quidam à cœlis proprie verò a nostra dependet rationali. *ibid. cap. 65.*

Animæ rationalis imaginem nominat Maro ipsam primam sentiendi naturam. *Fic. in Plat. de leg. dial. 9.* Animæ rationalem esse vbi ait Plato à seipso moueri, ne intelligas actum motionis esse animam, sed potentiam non accidentalem, nam & substantiam ibidem vocat animam. *idem, vbi sup. dial. 10.* Animam à Deo vitam accipere, ait Plato intelligendum esse vitam mediam illam, quæ in æternitate manet, qualis est angelica tota simul, atque illam quæ quodam tempore clauditur, mediam inquam ex æternitate, & tempore compositam, in qua certè instar substantia semper manet, actio verò, & affectio fluit semper. *ibid. dial. 11.*

Animæ necessitatem mentem habentis subdit Plato esse maximam, de duobus id modis intelligens, primo, quia naturalis necessitas, puta in hac, vel in illa ignis parte ad comburendum & ascendendum agit aliunde ducta: animæ verò intellectualis natura, quatenus participat intellectum, eatenus suæ actionis est domina: deinde quia motus animæ cùm sit naturâ liber, præuaricari facilè potest, vicissimque vagari, nisi mente velut aurigâ regatur, mente inquam perfectâ, & optimum actionis finem, & electissimam viam, ab initio prouidente, quæ cùm optima optimæ adest animæ, qualis in stellis est, necessariò præscriptum opus assequitur, nam & optimæ animæ id est potentissimæ non reluctantur corpora, & mens optima non permutat consilium. *Ficin. in Plat. legum append.*

Animam hominum diuinam esse ait Plato, dum dicit asfectace diuina, verum non comprehendere quandiu aspicit in ea quæ sibi cognita sunt, id est vel sensus, vel sensibilia, vel formas horum obiectorum conceptas ab anima, hæc à diuinis longè diuersa sunt, vnde animus cogitur aliter de diuinis pronuntiare, & sentire. *Fic. in Plat. ep. 2.* Animæ rationalis vis media, quæ discurrit, quà ratione discurrit, cogitatio, simul ratio, consilium nominatur: quà discurrendo exordia sumit ab intellectu, intelligentia, sapientia, scientia dicitur: sed quà ab imaginatione cursum inchoat, coniectura, fides, opinio nuncupatur. *idem, in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 1.*

Anima rationalis si est simplex forma in se consistens, neque passiones vllas, neque ea, quæ passiones, vel antecedunt, vel sequuntur, suscipit: si in autem est quiddam ex materia, & forma compositum, vel forma quædam pars compositi, est facilè talia suscepturum esse dicimus. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 2.* Anima rationalis habet cum intellectu diuino aliquem quasi communem intellectum non discurrendo, sed intuendo, veritatem assiduè contemplantem, cuius quidem intuitu stabili, vagus rationis discursus regitur, illinc exordiens, illuc denique desinens. *idem, ibid.*

Anima rationalis non inest corpori, cum corpori imperet, & repugnat: apparet autem adesse vbi corporis coniugium naturaliter amat, habet aliquid proprium vbi ratiocinatur, id est motu quodam, & tempore ab effectu ad causam argumentationibus suis ascendit, iterùmque descendit, vbi proposito fine, & viarum inuentâ diuersitate, de illarum electione consultat, tota hæc facultas ratio, cogitatio, consultatioque maximè hominis propria nominatur. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 1. c.* Anima rationalis habet nescio quid commune cum bruto, imaginationem, id est sensum animæ intimum, atque simplicem sensuum sequentium iudicem. *idem, ibid.*

Animæ intellectualis, & rationalis officium est perfectè viuificare, & formare corpus: non autem imperfectæ huius vitæ iacentis in corpore, nec puri intellectûs *Fic. in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 4.* Animæ opinio Plotini, est inter opinionē Alexandri Aphrodisiensis, & Auerrois: Alexander enim intellectualem animam esse posse vitam corporis propriam confitetur: Auerrois neque vitam corporis esse concedit, neque vllam corpori vitam infundere Plotinus intellectualem naturam esse quidem vitam corporis familiarem negat, concedit tamen familiarem quandam suâ præsentiâ vitam in corpora propagare, ex qua, & corpore, non homo, sed animal conficitur humanum. *idem, ibid. cap. 8.*

Anima rationalis cùm sit media inter diuina, quæ semper manent, & naturalia quæ lapsu quodam & motu recto à seipsis digrediuntur: meritò motum digressionémque circularem habet inter motum rectum, statúmque propriè medium. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 9.* Anima rationalis non conficit ex se, & corpore, vnum, sed ex corpore, & vita quadam illi tributa quasi animæ ipsius imagine. *idem, ibid. cap. 8.* Anima habet species in mente vniuersales, & stabiles, in ratione vniuersales, & quodammodo mobiles, in imaginatione particulares, & mutabiles. *ibid. cap. 9.*

Anima nostra è virtute quadam infusâ, & sibi præsidente, cuius actus non à loco tantum, sed à tempore etiam, ac motu fit solutus habet vim, vt à singulis formis ad vniuersales se recipiat, ipsas interim formas ab hoc vel illo loco, motu, tempore soluat. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 4. cap. 9.* Anima humana nunquam producit vitas, figurásque brutis animalibus proprias, sed humanas semper quamuis similes aliquando brutis, & quandoque dæmonibus. *idem, in Plot. En. 3. lib. 7. cap. 1.*

Anima rationalis si verum est inter æterna, & temporalia medium, & indissolubile vinculum vniuersi, consequens esse volunt Platonici, vt nunquam tota vel hinc, vel inde discedat, sed simul vtraque tenens ambo in se competenti proportione conciliet Quamobrem per intellectum in æternitate semper vigilat: per vim viuificam quoque modo semper agit in tempore: per imaginationem naturæ viuificæ proximam plurimum versatur in tempore: per rationem tanquam menti propinquam viuit in æternitate quamplurimum: per imaginationem alteram mox subditam rationi, par est inter vtramque vires alternas, & modò æternorum, modò temporalium nobis imagines offert: verùm, quandiu ratio felicem vitam ducit, tam diu & imaginatio: & si temporalium interdum simulacbra: felices tamen imagines adducit in medium. *Fic. in Plot. En. 1. li. 5. cap. 2.*

Animæ intellectualis esse est intelligere Deum, ac diuina: & sicut temporali quodam actu percipimus temporalia, sic æterna, & verè existentia essentiali actu assiduè contemplamur, vt ait Iamblicus de mente Ægyptiorum. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 5. cap. 3.* Anima absolutiùs mente formatur, quàm corpus animâ, quantò videlicet & forma perfectior est mens, quam anima, & subiectum perfectius est animus, quàm corpus. *idem, ibid.*

Animam intellectu perfectè formari nil aliud est, quàm sub intellectus forma esse, sub intellectus actu agere: in ipso

ipsa verò intellectu formis ipsius idem est. & actui. *ibid.*

Animam naturâ pulchram esse, atque diuinam inde, conijcimus, quòd in corporibus ibi præcipuè pulchritudo refulget, vbi seminaria virtus animæ, siue in vniuersa natura, siue in natura qualibet sigillatim subiectum sortitur obediens. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 6. cap. 6.* Anima non noui muneris comparatione quadam euadit pulchra, sed purgatione solâ, qua in pristinam restituitur naturam, in qua suam ipsam formauit ideam, intellectúque diuinus, cuius pulchritudo est quasi lumen: intellectus verò nostri pulchritudo inde manans intellectualis virtute cognominata est, quasi color aliquis lucidissimus: sed pulchritudo moralis hinc inde profecta est quasi figura. *idem, ibid. cap. 5.* Animæ formositas est naturalis, deformitas aduentitia. *ibid.*

Anima per intellectum pergit ad ipsum bonum, nam per id quod in ipsa summum est, surgit ad vniuersi summum: animæ inferiores per sensum aliæ, aliæ per imaginationem, nostræ per rationem bonum sibi prospiciunt. *Fic. in Plotin. En. 1. lib. 7. cap. 2.* Animæ vis per vniuersales species discurrens est potentiâ intellectus, intelligibilique potentiâ, producitque in actum virtute intellectus superioris, qui semper existit in actu: intellectus itaque non tum diuinus, tum noster virtute. *idem, in Plot. En. 1. lib. 8 cap. 2.* Animas inquit Plotinus non tam certo proposito quasi rebelles à Deo deficere, quàm ex quadam potius consequentia contingenti, quatenus ad materiam, & materiale quiddam afficiuntur, ex quo latenter animus auertitur à Deo, dum libenter conuertitur ad oppositum. *idem, ibid. cap. 8.*

Anima omnis rationalis est aliquid in se totum, nec est vniuersæ animæ pars, quia nulla pars toti continuo motu proprio reflectitur in seipsam, nulla rursus toti æquare se potest, nulla toti repugnat: anima verò rationalis in se ipsam sui ipsius animaduersione conuertitur, ordinem vniuersi semper metitur, ipsúmque transcendit ad causam vniuersi procedens, seipsam aliter sæpe ducit, quàm ita habet natura totius, siue surgat in melius, siue labatur in peius. *Fic. in Plot. En. 2 lib. 2. cap. 2.* Animæ omnes, quæ per intelligentiam, & rationem tum in seipsis efficiunt orbes, tum animæ mundanæ orbes, & imitantur, & assequuntur, ipsæ quoque principij rationem habere putantur, præsertim, qua velut collegæ ad ipsam desponsationem mundi recipiuntur, quamuis officium ipsum, quòd anima mundi reuolutione vna peragit, reliquæ rationales animæ multis quoad possunt reuolutionibus impleant. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 8.*

Anima rationalis non solum in mundi chorea ducitur, sed & ducit, exorditur enim opus proprium vt agens quando ex seipsa tum ab intelligibile contemplandum, tum ad sensibile gubernandum procedit. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 8.* Animam rationalem, non conferre ad animales esse, vbi ait Plotinus, intelligendum est ipsum negare formæ modum, nam etsi sit in causa vitæ, non tamen est propria corporis forma. *idem, ibid. cap. 9.* Animæ in electione est talem, vel talem vitæ formam accipere *ibid. cap. 10.*

Anima rationalis, quatenus ab intellectuali stabilitate digrediens, latius explicatur in motum, eatenus fati laqueis implicatur. contra verò, dum totus animus stabili intelligentiâ viuit, nullis fati retibus irretitur. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3 cap. 15.* Animam rationalem essentiam esse ex hoc argumentatur, quòd proprias habet actiones, & à corpore segregatas, & corpori frequenter oppositas. *idem, ibid.* Anima rationalis in officio motionis æque ferme cum cœlestibus conuenit, quæ cum iisdem in contemplationis munere conuenit, quo & transcendit motum ad æterna resurgens. *ibid.*

Anima eousque agit per rationes, quousque res formositate congruunt rationibus, quamuis vlterius etiam deformitatem conijcere posset, generatim quidem intelligentiâ, sigillatim verò ratione, vel imaginatione quadam naturæ coniunctâ, sed in ea quoque non tam discurrendo per singula quàm summatim. *Fic. in Plot. En. 2 lib. 3 cap. 16.* Anima nostra, quamuis particularis anima nominatur, quia particularem habet prouidentiam nullo modo tamen est mundanæ animæ pars. *idem, in Plot. En. 2. lib. 9. cap. 2.*

Animæ vn stabilis intellectum proprium nominamus *Fic. in Plo. En 1 lib. 4 cap 9.* Anima rationalis quamuis hinc efficiatur hominis corpus iam viuum, nihil tamen prohibet adhibere quoque corpori vitam, vt lumini lumen. *idem, in Plot. En. 2. lib. 9 cap. 7.* Animam nostram intellectualem scias nec esse partem, nec prolem mundanæ animæ, cœlestiúmve animarum, & posse ad earum beatitudinem peruenire, fierique illarum quodammodo in mundi gubernatione collegam, & posse cùm in seipsa non recipit fatales ictus, vel commouere, vel etiam deuitare, nec licere vinculis ruptis, ex hac mundana custodia abire. *ibid. cap. 10.*

Animarum humanarum plures species esse Platonicus inde conijcitat quòd tanta est in hominibus discrepantia, vt alij diuini, alij bruti, alij videantur humani: nec tanta diuersitas in alia vlla animalium specie reperitur. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 18.* Animarum singulæ species ad congruas suorum dæmonum species, & ad similes stellarum species rediguntur. *idem, ibid.* Animæ rationales in prouidentia designatæ sunt partes, non partes naturæ, vel machinæ corporalis, sed partes, id est participes prouidentiæ, atque in gubernando collegæ. *idem, in Plot. En. 3. lib. 3. cap. 1.* Animus humanus ita operatur, quia ita cupit, vita eius enim est libera & rationalis *ibid. cap. 3.*

Animæ quales sint ab initio, constat, & qualia corpora, & rursus quales animæ se reddant, & quales promeritis rependendæ sint sortes cunctáque, & quid agant, & quid patiantur, & quomodo ipso prouidentiæ ordine apud effectorem ipsum, & exemplar mundi primum comprehenduntur, & animæ numeratæ sunt, & numerata corpora. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 3 cap 3.* Animabus hominum semper adsunt intellectus, & ratio, sed non omnes ratione viuunt, intellectu quidem etiam paucissimi, multi imaginatione viuunt potius, atque sensu, in quorum imaginatione rationis ipsius scintillæ, vel raro micant, vel etiam quandoque non micant, quam imaginatio potius ad opposita conuertatur. *idem, ibid. cap. 4.*

Animæ nostræ maximè propria est ratio, alia ipsa facultas, ideò tanquam maximè naturalis summopere permanet *Fic. in Plot. En 3. lib. 4 cap. 2.* Animæ omnis potestas, siue rationalis siue animæ perpetuo nititur ad pulchrum attingendum, atque generandum, quoniam potestas ista à pulchritudine ipsa proficiscitur, ideò in seipsam retinet pulchritudinis formam insitam, perpetuúmque ad ipsum velut finem amoris instinctum. *idem, in Plot. En. 3. lib. 5. cap. 1.* Anima rationalis eatenus seipsam accommodat foris tum his, tum illis gradibus vniuersi, tum æternis tum temporalibus, tum etiam mediis, quatenus in eosdem intus seipsam expedit gradus, sibi quodammodo naturaliter insertos. *idem, in Plot. En. 3 lib. 7. cap. 2.*

Animam nostram Plotinus in tres diuidit formas, intellectualem scilicet, rationalem, & ratione carentem, si ad intellectualem tota transfertur, tunc habitare putat cum intellectu diuino, quandoque illinc descendit in formam rationalem huius animæ propriam, quandoque verò in irrationalem, vnde simulachrum sui promit, vitam videlicet corpori communicatam, cui subest vltimum simulachrum, id est materia, quam anima per vegetalem sui potentiam, primâ propinquitate suâ formas corporeâ qualitate, certáque figurâ, & per hanc affectionem, quasi escam, allicitur naturaliter ad viuificandum corpus, hoc certo iam modo dispositum. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 9. cap. 1.*

Animæ inest intellectus, alioquin non posset animus augurari ideas esse per rationem, vsitatio id ageret per insitam nobis ab intellectu virtutem, & quia ratio singula resoluit ad vniuersale, & corporea ad incorporeum sine imaginationis nostræ subsidio, imò eâ inuitâ quæ retrahit ad oppositum, ideò intellectus absque motu, argumentoque rationis semper intuetur ideas, nam si non peruenit ad illas imaginatione, argumentationéque nouâ, aut nunquam peruenit, aut semper habet *Fic. in Plot. En. 3. lib. 9 cap. 3.*

Animæ apud nos secundum corpora situ distantes, ibidem sunt omnes in mente diuina secundum intellectus suos illic inter se differentes, vt & lineæ à centro ad circumferentiam vsque productæ non discedunt à centro, dum attingunt circumferentiam. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 1. cap. 1.* Animas nostras dicere esse partes animæ mundi nil aliud est, quàm dicere, hanc animam iam esse ipsam totam mundi animam, & meam similiter, cùm illa diuidi non possit. *idem, in Plot. En. 4. lib. 3 cap 1.* Animæ nostræ inesse propriam substantiam ab ipsa anima mundi differentem inde conijcimus, quòd proprium noster animus, liberúmque arbitrij possidet motum: alioquin si pars totius esset, subito totius impetu raperetur. *ibid.* Animas nostras non est suspicandum esse mundanæ animæ partes. *ibid.*

Anima nostra motum resoluit in statum, & mobilia subiicit immobilibus, & cùm sit quædam intellectualis essentia, meritò fit propriè ab ipso simpliciter intellectu, à quo nascitur & anima mundi, quæ & ipsa similiter intellectus est quidam scilicet animalis: ideò potest vt anima mundi, sic anima nostra fieri compos intelligentiæ, & ad illa, quæ supra mundum sunt æterna consurgere: reliquæ autem animæ præter intellectuales vel exoriri, vel pendere à mundi anima possunt. *Fic. in Plot. En 4. lib. 3 cap 1.* Anima non per instrumenta, sed per intimam substantiæ facultatem officium rationale peragit. *idem, ibidem cap. 2.*

Anima nostra vna, eadémque membro cuilibet adest vbique tota simul, quæ cunctas in se habent animales potentias vbique, quamuis alias per alia membra, vt instrumenta exercet. *Fic. in Plot. En. 4 lib. 3. cap. 2.* Animæ rationales in lumine intellectuali, & substantiali ponendæ sunt. *idem ibidem cap. 3.* Anima rationalis quatenus intellectualis est, tantò perfectius se habet quantò longius seipsam à corpore separauerit, perfectius quàm se habet ad propriam sui substantiam, peculiarémque proprietatem, & cùm in obitu summopere à corpore separatur, tunc necesse est propriam huius animæ substantiam esse perfectam, vnde nemini fingere liceat, mentes singulas in vnam quandóque confundi subitóque disperdi. *ibid.*

Anima mea non aliter differt à tua, nisi quia corpora inuicem differunt per quæ facta fuerit propagatio, nec ab anima mundi aliter differunt, nisi quia illa est radix plantave prima, hæ verò sunt ex illa propagines. *Fic. in Plotin. En. 4 lib. 3. cap. 3.* Animæ secundum Plotinum & Iamblicum, quandoque sunt extra omne corpus, & tunc potentia rationalis est adeò efficax, & expedita, vt quæ sibi porriguntur ab intellectu, comprehendat cuncta sine tempore, vel saltem quàm breuissimo. *idem, ibidem. cap. 18.*

Anima in mundo supercœlesti contemplans diuinæ mentis ideas, per ipsam mentem, velut per diaphanum luminosum cernit ipsum bonum velut solem: & dum per principia sui cernit seipsam, & se cognoscit intelligentem esse, & seipsam prorsus agnoscit, sed per eundem; penitus actum, eiusdémque potentiæ, diuinaque suam naturam actionem propriam contuetur. *Fic. in Plot. En. 4. li. 4. c. 4.* Anima in hoc corpore ad imaginationem, & per hanc ad sensibilia plurimum est conuersa, sed post obitum si in corpore viuat aereo, ad rationem postremò tota conuertitur, & per hanc ad intellectum suum, semper omnia contuentem, & in discursu interim téporali versatur. In corpore cœlesti ratio quasi effecta est intellectus, & suum atque commune, & pretereundum discursum ad intuitum ferme redigit ibi videt, & agit per ideas diuinæ mentis, quasi per vires quasdam suæ formæ, & ideò per principia sui, perfectè agnoscit seipsam. *idem, ibidem cap. 2.*

Anima est magis rei ipsæ diuinæ si per solum intellectum agit in ipsis, quàm si interim per rationis discursum, vel imaginationis figmenta idipsum animaduertat. hæc enim distrahũt *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 4.* Anima in hac vita potest cognoscere diuina, non per imaginationem, nec per rationem sumentem ab imaginatione principia, sed per intellectum & rationem sumentem ab intellectu. *idem, ibidem, cap. 5.* Animas sunt qui velint in cœlo voces edere & cœlos sonare possetat saltem mutuis nutibus inter se colloquuntur, & recordant potius diuinorum in cœlis quàm humanorum *ibidem.*

Animæ in cœlo perspiciunt res, non mutato intuitu, mutabilis, vt & quispiam eadem inspectione ad aliquam horæ partem continuatã, cernit deambulantem in rectum, aliter alterque mutatum perspectu non mutato, quo si iudicauit illum hic esse, ibi fuisse, illic fore, mutationes eiusmodi tum propterea in visione contingens, quòd in spectaculo contingere iudicentur. *Ficin in Plotin. En. 4 lib. 4. cap. 7.* Anima nostra sic emittit viuificum actum, qui non sit propria corpori qualitas, sed generat vitale aliquid in corpore factum iam corpori proprium, vt ex sole micat lumen ab eo inseparabile, quòd non sit propria aeris qualitas, sed à lumine generatur calor, propria iam aeris qualitas. *idem, ibidem. c. 18.*

Anima ad omni corpore separata, vt in se viuit, sicad se conuersa formas sibi insitas à diuinis, diuina cognoscit, & per illa vt principia comprehendit & sensibilia, nec hoc est sentire, nequit enim sentire tunc corporalia, quia nullam habet cum eis proportionem, per quam impressio vlla, vel expressio inter hanc, & illa fiat, sed quando corpori coniuncta est spiritu vtitur, vt instrumento quodam medio inter eam, & externa, proportionem inter vtramque faciente, in quo qualitates, vel passiones extrinsecus venientes in speciem spiritalem, pòramque euadunt animæ propinquã, adeò vt per hanc anima formas excitet sensibilium in se latentes, quæ excitatio est sentire. *Fic. in plot En. 4. lib. 4. c. 25.*

Anima cum rebus sentiendis absque proportione excellentior sit, nec cum eis in materia, vel natura communicet, formas ab eis nunquam suscipit, & quoniam in sentiendo rectè iudicatura est, passio verò confundit iudicium, nil patitur ab obiectis: si verò passio contingit, ab eis in corpus peruenit, & spiritum, quo spiritu sic ab externis vel sic pulsato, vel affecto, statim anima præsens affectionis eiusmodi percipit; & id percipere non est pati, sed agere, id est aliter tunc spiritum atque aliter vegetare & innatas sensibilium formas edere. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 6. cap. 8.*

Animam cum dicimus tanquam incorporearum, & corporearum mediam vtrarumque in se formas habere, non intelligimus has formas, vt accidentia in anima iacere, nam animæ diuinæ natura nec subit impressiones, nec rationes rerum quas habet ab initio, tamen diuersas habet ab ipsa sui natura, vt accidentia referant, sed vt sunt in anima naturales substantiæ vires, ita quoque rerum cognoscendarum rationes habet quasi vires essentiales. vt & membrorum seminalis possidet rationes: quando anima aliquid meditatur se ipsam ex naturali virtute in actum naturalem circa idipsum educit, quòd si attentius, diutiúsque meditatur idem, in hoc ipsum valentius se conformat, id est meminisse hinc, & facilius reminiscitur. *Ficin. in Plotin. En. 4. lib. 6. cap. 3.*

Anima ad mentem refertur, vt lumen, ad solem. *Fic. in Plot. En. 4 lib. 7. cap. 12.* Animæ nostræ intellectuales in corpus descendunt per naturam viuificam intelligentiæ suæ subiectam, & corpus naturaliter adsciscentem, vt flamma sulphur, similiter & cœlestium intellectuales animæ corporibus suis per huiusmodi medium copulantur. *idem, in Plot. En. 4. lib. 8 cap. 6.* Anima quòd æternum colit Deum vitæ sempiternæ gratiã, & quod tota religio naturalis sit hominis, firmissimum est immortalitatis fundamentum. *idem in Plat. En. 4. lib. 7. cap. 15.* Anima nostra mundi animam motu rerúmque intelligentiã imitans, sempiterna est, vt & ille præsertim, quoniam dum reuocando se ad intima sui res intelligit, declarat absolutas rerum formas sibi ingenitas se habere. *idem, in Plot. En. 4 lib. 7. cap. 12.*

Animarum hominum, vt Platonicè loquar, sunt differentiæ quædam quodammodo speciales, quæ videntur aspectu cõsimiles. & differunt, vt pyrum à pyro, sunt ergo singulis determinati pro natura progressus: excellentiores altius ascendunt, & minus descendunt: deteriores verò vicissim. Humanas dico animas ad corpora tantum humana descendere; sic Platonicam opinionem moderamur. *Fic. in Plot. En. 4 lib. 8. cap. 2.* Animæ nostræ præter intellectum in mundo intelligibili semper agentem, habent rationem, imaginationem, sensum, vim vegetalem, quas sanè vires officiis propriis quandoque oportet vti: his autem vtuntur in corpore, itaque consentaneum, est eas in corpore quandoque descendere *idem, ibid. cap. 3.*

Animæ rationalis substantiam esse à corpore separabilem apparet, quoniam ratiocinari etiam potest absque instrumento corporeo, quod apprehendimus tum quando in consiliis concludit, & eligit contra incitamenta corporea, tum etiam quando in speculando formas, vel separatas attingit, vel non separatas ipsa separat. *Fic. in Plot En. 5 lib. 1. cap. 7.* Animæ nostræ vnitas est mente eminentior, & hæc ratione altior, vt vnum in vniuerso est superius intellectu, & hic superior animã. *idem, ibid. cap. 12.* Anima humana in eodem corpore, eodémque tempore agit plantam quibus in membris tantùm vegetat; agit brutum in quibus instrumentis solum sentit; agit hominem interim ratiocinãdo; agit dæmonem, vel Deum simul intelligendo. *idem, in Plot. En. 5. lib. 1. cap. 5.*

Anima tunc se cognoscit, cùm inferiores formas superioribus accommodat. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 3 cap. 6.* Anima rationalis naturaliter est imago mentis, vt lumen existens proximum lucis insitæ soli, à solo intellectu dependens. *idem, ibid. cap. 9* Anima cùm per vegetationem, sensum, imaginationem se porrigat foras; solum per intellectuales quasdam scintillas fit compos in se reflectendi; constat ergo intellectum esse lumen perpetuò in seipsum per se reflexum. *ibid. cap. 8*

Animam nostram omnia esse cùm audimus, accipere debemus secundum humanæ rationalisque animæ proprietatẽ. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 7 cap. 1.* Anima nostra tota, totisque suis viribus cuilibet membro adest, quamuis alia membra vires inde alias. & magis, & minus accipiat, similiter ad mũdi partes anima mundi, & mens diuina se habet. *idem, in Plot. En. 6. lib. 4 cap. 15.* Animarum, & mentium substantias semper inter se distinctas plures esse ex mente Plotini notabis, quamuis inter eas vnio sit mirabilis. *ibid. cap. 10.*

Anima nostra per potentiam intellectualem semper est vniuersum per rationalem verò, & imaginalem atque vegetalem, aliquando est vniuersum, aliquando pars vniuersi, vt luna, vel plena, vel semiplena vicissim; quando nondum ad particulare hoc corpus afficitur, circa vniuersam mundi formam, iuxta animæ mundi, ratione, imaginationéque, & vtcunque potest, seminalium virium amplificatione se versat, vbi anima nostra actu quidem vniuersalis est, potentiã vero particularis euadit autem pars vniuersi, quando ad corpus hoc

hoc vniuersi pertem affectu proprio se deflectit, quo in habitu particularis est actu, vniuersalis potentia, perinde cum anima vniuersitatis euadit non desinit esse particularis, nam & proprietas hæc in ipsa habitus vniuersitate deprehenditur. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 4. c. 16.*

Anima nostra intelligit plenitudinẽ idearum scilicet conuersa ad intellectum suum. *in Plot. En. 6. lib. 5. c. 7.* Anima humana quamuis per vires inferiores humano corpori sit addita, tamen per intellectum est vniuersum per rationẽ media: quando igitur ratio, & se, & vires inferiores conuertit ad intellectũ, totus animus tunc fit vniuersum. *idem, ibid. c. 12.* Anima in mundo diuino sensibus vti dicitur, quoniam corporea percepit, quamuis ab excelsiore specula prospicere videatur. *idem, in Plot. En. 6. lib. 7. c. 7.*

Animæ intellectualis finis est expeditus, & summus actus intelligentiæ in ipsum vniuersum bonũ prorsus intentus, actus eiusmodi beatitudo est, cui etiam nulla exterior voluptas adiungatur, nec est voluptatis expers, ipsa enim expedita actionis integritas, & summa est voluptas, hæc enim maxime simplex, & vna existit, gaudet seipsa penitus ex superiori lumine iam formatã. *Ficin. in Plot. En. 6. lib. 7. c. 30.* Animæ non solum per amorẽ diuinitus insitum, sed per rationẽ ad supernam pulchritudinem prouocatur, cum argumentatur pulchritudinẽ corpoream tanquam in deformitate, distantia, mobilitate positã, necessario id imperfectã esse. *idẽ, ibi. c. 32.*

Anima si per virtutem intellectualem sit libera, sequitur, vt intellectus primò sit libertatem si intellectus vitam possidet summopere liberam, atq; voluntariam, quoniam ipsi bono sisquàm proximus, meritò ipsum bonum est ipsa libertas. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 8. c. 6.* Animæ attentio, vt plurimum vergit ad sensibilia, & imaginabilia: sed quando redit in se, inuenit scibilia in potentia rationali, per quã tandem intelligibilibus copulatur, quæ semper in intellectu vigent etiã animali. Rationalis potentia reuersa ad intellectum nõ circa omnia simul agit, sed successione quadam propter naturam diuisibilẽ. *idem, in Theophra. de phantasia & intellect. c. 7.*

Anima rationalis educit in actum scibilia per actionem propriam, quando in se reuertitur, essentia animæ, vbi maxime indiuidua est, est intellectus; & esse ibi est intelligere; vbi non minus indiuidua, habet annexam actionem ratiocinãdi distinctam ab essentia simul, & potentia discurrendi. *Fic. in Theophrast. de phan. & intell. c. 7.* Anima rationalis, quia particularis vita est per vices agit diuersa, & aliàs ad diuina, aliàs ad caduca conuertitur. *idem, ibid.*

Anima quamuis ex potentia in actum migret, tamen non fit alia, quia nouam non induit formam, sed nouam præfert actionem. *Fic. in Theophrast. de phant. sic. & intell. c. 9.* Anima nostra, quia est media inter omnino stabilia, & mobilia, ideo habet essentiam stabilem, & mobilem, per quas vices agit vitas omnium in mundo gerentium. at Marsilio non videtur Theophrastum vllam ponere mutationem, quæ tangat essentiam in anima, & multò minus Iamblicum. *idem, ibid. c. 12.*

Animis nostris naturam duplicem insitam testatur Empedocles, quarum alterã sursum tollimur ad cœlestia, alterã deorsum trudimur ad inferna, quod per litem, & amicitiam, siue per bellum, & pacem, vt sua testantur carmina, nobis significat *Io. Pic. Mir. Theolog. dig.* Anima scientia perficitur. *idem, de stud. lib. 1.* Animæ rationalis defectus non à ratione, & intellectu, sed à falsa imaginatione deriuantur. *idem, de imag. c. 8.* Animus noster semper summum quiddã atque altissimum suscipit. *Petrus Bembus de imitatione, ad Pic.*

Anima mouetur per voluntatem. *Io. Franc. Pic. Mir. de praenot. lib. 1. c. 8.* Animus humanus ob solam præteritorũ ac præsentium cognitionem perfici, saturari, & quiescere non potest; multa enim ad sui quietem pertinent, quæ ex futuris dependent. *idem, ibid.* Animus noster cum in tempore sit, & trium temporum particeps sit, ad eorum vltimum, futurum scilicet, sua veluti sponte consequendum stimulatur, & maximè cum prouidentia in futurorum prænotione consistat. *ibid.*

Animam cœlestibus sphæris similem reddere studuit Plato, quia sicut omnium orbium congeries cuncta complectitur, non secus anima omnia continet. *Gabriel Boratellus de animæ natura. lib. 5.* Animus humanus, præceptoris industria quædam disciplinarum impedimenta deponit, vt liberè, & expeditè philosophari possit, vt in acuendo gladium partes grossiores auferũtur, acutiores remanent. *idẽ. de remens. lib. 4.*

Anima humana, quæ corporis motus naturã suã sequitur, nunc vno, nũc altero affectu cõcitatur; & omnes idẽ affectus ad voluptatẽ, & dolorem referuntur. *Seb. Foxius in Phæd. Plat.* Animæ sinceram veritatem à Prisciano in Henrico testatũ est nõ posse haberi viã naturæ, sed opus esse irradiatione diuinã. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. vanit. doct. gent. lib. 4. c. 10.* Animus philosophando omnes affectus componit, naturã suam agnoscit, sensuũ errores corrigit, intelligibilia cogitat, verumque mortem corporis expetit, & consectatur. *Seb. Foxius in Plat. Phædonem.*

Anima sine doctrina fertilis esse nequit vt ager sine cultura. *Iac. Carp. in Alcinoum c. 1.* Animã nostrã in intelligibili non discentem omnes facultates quæ cum sensu & corpore operantur germinat esse. *idem, ibid.* Animã obliuionem nõ concupire philosophi censemus. *ibid.* Animæ duo sunt virtutũ genera: vnum earũ quæ generantur suapte naturã, & non voluntariè expetuntur, alterũ earumque in voluntate positæ sunt, primi generis est docilitas, memoria, quæ ingenij nomine appellantur, & qui eas habent ingeniosi appellantur; alterum genus est earum quas voluntarias appellamus, vt prudentiam, temperantiam, & reliquas. *ibid.*

Animæ ad veritatis contemplationem nobis datæ, propriũ, & summum contemplationis obiectum Deus est, in cuius fruitione summa consistit sapiẽtia, ad quam via paratur per ideas, quæ in eodem Deo tanquam in fonte, vel potius vt in immenso mari sunt vnitæ. *Iac. Carp. in Alcinoum c. 2.* Animæ lumen mens est, cuius propria actio est contemplatio, cui humana ratio subseruit, discursu quodam veritatem inquirens, & huic imaginatio cum rerum singularium, quæ sensibus sunt subiectæ imagines percipit. *idem, ibid.*

Animam si Aristoteles diuinam nominat, & impatibilem, nõ est satis ad cõfirmandam immortalitatem: nam omnes naturales formas diuinas appellat cum comparetur cum materiã lib. 1 physicorum; & libro primo de anima inferiores animæ partes, alentem, & sentientem impatibiles indicat, & patiente corpore in suis actionibus languescere. *Iac. Carpen. in Alcinoi part. posteriore, dig. 10.* Animi nostri non sunt actus omnino puri, sed habent quandam facultatem adiunctam, per quam variè conformari possint, & in aliis inde enasci varij affectui motũ in corpore manifesti, quoniã corporis contagione non eodẽ modo omnes animi afficiuntur, in cœlo vero ex ipsa contagione, & vita antecedente relictis: ex quo inter eos ordo quidã existat inter ea, quæ secũdũ substantiã æqualia sunt, ordo existere non potest, nisi plures numero differentiæ eadẽ specie cõprehendantur. *idem, ibid.*

Animæ nostræ duo insunt genera imaginũ rerum eas quæ in natura sunt repræsentantium, vnum earum quæ singulares sunt, & ad interiorem sensum, vel phantasiã pertinent, alterum notionum communiũ quæ in humano intellectu ex singularum imaginum cõparatione conseruantur: & vt neutra imago vana sit, sed in rebus existentiam habeat, duplicẽ naturam habent, singularem vnam, numerabilem, & hoc aliquid, alteram, quæ sit quale aliquid, non ab aliis separata, & tamen in coniunctione rerum singularium verè existens, quam intellectus eb ipsarum rerum sensibilium proprietatibus abstrahens per notionẽ contemplatur: atque vt in interiore sensu non est ipsa substantia, sed imago tantum, sic in intellectu nec est vniuersalis substantia, quæ naturæ communis est in multis, sed eius sola notio. *Iac. Carpen. in Alcin. 5. dig. 5.* Animæ vim inesse cognoscendi probabilius est, ratione similitudinis, quã contrarietatis. *idem, in Alcinoum c. 12.*

Animam humanam ego in doctrina Platonis dicere mallem, actum esse efficacem, & ad ratiocinandum potentem, cuius solus Deus pater est opifex, quoniam ab illo solo manat actus omnis ratiocinandi & intelligendi, qui proprius est eiusdem essentiæ; itaque solam facultatem ad intelligendũ & ratiocinandum, quæ potens, & efficax tum ad agendum, tum ad patiendum comparata, ad eius essentiam pertinere, & ab illo Deo datam esse, qui in eadem auctor est, & opifex essentiæ, reliquas verò duas irascendi, & concupiscendi non esse ad agendum comparatas, sed ad patiendum; quare has redundare ex corpore in animam, in quo principiũ est humanæ naturæ non ad agẽdum efficax, sed ad patiendum tantũm comparatum; ita hæ duæ facultates à diis [illegible] cum corpore coortæ, cum eodem deponuntur, [illegible] mortales a Platonicis dicuntur. *Iac. Carpen. in Alcinoum dig. 9.*

Animam rationalem à mundi anima originẽ habere opinatur Trismegistus: Plato à primo opifice lapsam à cœlo (ait D. Hieronymus) Pythagorici, Platonici, & Origenes putant; à propria Dei substantia oriri volunt Stoici, & Manichæi & Hispani Priscillianistæ hæretici; alij in Dei quasi thesauro conditas; alij ex traduce, vt Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars occidentalium. Theodoretus spiritum esse præditum ratione, & intellectu: D. Thomas hanc à Deo vocari ait. *Iac. Carpen. in Alcinoi dige. 9.*

Anima humana media est inter formas omnino diuinas, & naturales, diuinæ enim non incipiunt, nec desinunt, naturales cum corpore incipiunt, & cum eodem desinunt, anima inci-

pit quidem, nunquam tamen definit. *Iac. Carp. in Alcinoi dog. 9.* Animam de mente Platonis ait Marsilius Ficinus libro 7. Theologiæ Platonicæ in nobis nullam cum corpore sui naturâ accipere diuisionem, diuidi tamen pro varietate facultatum quibus diuersæ partes in corpore subseruiunt. *idem, ibid.* Anima quæ ratiocinatur est fortasse eadem cum ea quæ irascitur, sed ratiocinari tum dicitur, cum rerum notiones inter se comparat, irasci cùm in sanguine spiritus exæstuat. *ibid.*

Animorum contemplatio est maius negotium quod sit in philosophia. *Aug. Steu. de peren. ph. lib. 7. cap. 25.* Animorum vnitatem non facit similitudo, & consensus cognitionis. *idem, ibid. lib. 9. cap. 35.* Animi libertatem Pythagoras summa asseueratione affirmauit dicens nos ipsos nobis esse fortunæ, & genij loco, nos eligere genium, nosmet facere vt simus fortunati. *ibid. lib. 10. cap. 17.*

Anima humana, quæ animalibus, & plantis communis est, extincto corpore interit, & quæ rationis compos perpetuò an viuat quærendum. *Aug. Nipho de immort. anim. lib. 1.*

Animus capitur pro, intelligere, meminisse: & esse de quo quærendum, an post mortem corporis viuat, non de eo qui corpori vitam tribuit, nam interit hæc potestas ex corporis defectu. *idem, ibid.* Animus humanus est ab omni materia purus, ergo immortalis. *ibid. lib. 2.* Anima humana cùm sit forma simplex, indiuidua, non alligata materiæ, dissolui & dispergi nequit. *ibid.*

Animus est pulchritudinis iudex, non aures, aut oculi. *Aug. Nipho de pulchro, lib. 2.* Anima reficit mixtum, afficit fastidio, sed illud simplex omne vno tenore productum. *idem, ibid.* Anima nostra dum nascimur est tanquam tabula nuda, in qua nihil est descriptum. *ibid. lib. 5.*

Animæ rationalis facultatis interiores potentiæ sunt, non autem sensitiuæ, cum etiam diuinam animam regionem incolens, annexam imaginationem habeat, & velut prægnans ad descensu interiores facultates emittat. *Steph. Comben. de ascensu mentis in Deum, lib. 1. cap. 4.* Anima rationalis cum sit intellectualis, non subiacet fato tamen erit, si corpori subsistenti, naturaliter studueris indulgere. *idem, ibidem. c. 9.*

Anima nostra posteaquam à diuinorum contemplatione ad terrenorum affectum descendit, ad illa se rursus erigens inspicienda, primò fulgorem sustinere nequit: deinde assuetacta, incredibilius inspiciendæ desiderio tenetur, vt efficaciùs & ardentius inspiciens longius inualescat, nec vllum aliud id sibi contingit, quam ex priuatione huius appetitum ingerente. *ibid. c. cap. 18.* Anima rationalis nulla alia ratione corporis actus dicitur quam quod sit materiæ forma. aliòquin non animæ, sed formæ, vel naturæ nomine digna esset censenda: est deinde actus corporis non vt corpus tantum, non quia ipsius substantia corpus istud terrenum viuificat, sed vt corpus istud iam viuificatum est organicum, ita vt sit omnibus illis membris præditum ad exercenda opera vitæ idoneis. *Steph. Comben. de ascensu mentis in Deum, lib. 2. c. 3.* Animas nostras propria necessitate illâ naturæ descendere voluit Deus, vt & ipsæ cœlestium numero ascriptæ se diuinæ voluntati subiectas cognoscerent, & particulari quadam præfectura mundo huic vtilitatis aliquid afferrent, & perfectionis. *idem, ibidem. cap. 13.*

Animæ septem facultates secundum Platonicos numerare debemus intelligentiam, rationem voluntatem, imaginationem, appetitum, mouendi, & generandi virtutes. *Steph. Comb. de ascensu mentis in Deum, lib. 3. cap. 4.* Anima cum diuinam incolit regionem, non discursiua vtitur cognitione sed comprehensiua. *idem, lib. 4. cap. 22.* Animi nostri nulla est facultas, qua possimus Deum attingere, & comprehendere. *idem, lib. 4. cap. 13.*

Anima humana prout ipsa corpus sibi commissum rectè, vel perperam custodierit, ita post corporis occasum, vel ad cœlestes, æthereasque domos euolat, vel in terris, & caliginosis sedibus detinebitur. *Leo Hebræus de amore. dia. 2.*

Anima humana naturalium omnium formarum nobilissima. *idem, dial. 3.* Anima humana animæ mundi persimilis. *ibidem.* Animorum nostrorum est spiritales pulchritudines amare. *ibidem.*

Animus noster, ex Platonis, & Aristotelis quoque sententia, spiritualibus omnibus formis ab anima mundi obscura quadam ratione sibi impressis, plenus, & figuratus existit. *Leo Heb. de amore dial. 3.* Animus noster intelligentia trium actuum beneficio, intelligendi scilicet amandi, atque fruendi, ad supremum reuertitur creatorem. *idem, ibid.* Animus noster pulchritudinem naturaliter amat, appetitque. *ibid.*

Anima vt irrationalis.

Animata, si ratione carent, motum indeterminatum habent vt equi trahentes currum, priusquam auriga præscribat cursum, quasi flagello quodam aguntur: rationalis vero natura ex seipsa aurigam habet, quod si peritum habet, fertur plurimum in rectâ, nec casu, vt plurimùm fit, vagatur. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 15.*

Anima bruti dat suis animalibus instrumenta opportuna actionibus, & instinctus naturales expeditos tutelæ à noxijs pro conditione singulis: Anima hominis neutrum horum homini contulit. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 12. cap. 3.* Animæ brutorum quamuis peccando recesserint à mundo superiori, nô tamen corrumpuntur penes substantiam, sed penes accidentia. *idem Theolo. Ægyp. lib. 1. cap. 3.* Anima irrationalis inuitè ea demulcetur. *Plot. En. 4. cap. 40.*

Anima irrationalis impulsu gubernatur externo, & aliunde curatur, ea videlicet conditione, qua mouet ipse motor, orbata scilicet ea facultate, qua aliquid seipsum ducere valeat & seruare. *Proc. in Alcibiad. 1.* Animas irrationalium probabile est, cum solâ phantasia ducantur, ratiocinationis, & iudicij expertes, nec intelligentijs, earúmque collectione, aut boni, malíue discretione vtantur, haud eiusdem cuius & animæ nostræ naturæ participes esse, sed mortales potius, & corruptioni obnoxias. *Alcinous cap. 25.* Animam belluarum corporibus introituram deterrendi vulgi causâ proditum est, vt homines pœnæ timore à vitijs retraherentur, quod Timæum quem imitatus est Plato apertè dicit. *Bes. Card. in calumniatorem Plat. lib. 2. cap. 9.*

Anima irrationalis non est vera anima, quia neque vera essentia est, neque vero vita, non vera essentia, quia nô existit per seipsam, semper sic enim non operatur absque corporis instrumentis, non vera vita, quia priuatur motionis libertate, sensibus enim trahitur. *Ficin. in Plat. Theolog. lib. 5. cap. 14.*

Anima irrationalis nunquam aliter iudicat, cupit, prosequitur, quàm ad corporis pertineat vsum, nam in omni eius actione finis est corporis commodum. *idem, ibid. lib. 9. cap. 4.*

Animæ brutorum & post ortum temporis, & sub temporis passionibus generantur, quia non fiunt à Deo per æternitatem Dei proximè, sed per cœlorum concursiones, animarúmq; virtutes, quo fit vt non viuant semper: ideò putant Platonici eas esse tertiæ essentiæ vmbras, & animæ mundi idolo quędam. *Ficin. in Plat. lib. 8. cap. 2.* Animæ irrationales cùm à causis mobilibus, id est à dijs inferioribus simul, & ab animabus rationalibus dependeant, ideóque sunt mutabiles per essentiam, & circa corpora diuiduntur, tanquam singulatim mortales, solam speciem sempiternam habent, quæ perpetuitatem ab immobili causa, idea sortita est: ideireo & vnius communiter speciei non est idea. *idem in Plat. Parm. c. 6.*

Animam irrationalem si quis obijciat videri principium magis, quatenus ipsa ex se vegetales actus, vitalésque qualitates edit in corpus, dicemus non habere veram principij rationem, sed instrumenti. *Fic. in Plat. Phædrum. cap. 5.* Animam irrationalem putant Platonici in membris residere quodâmmodo, & partem quidem eius audaciæ, & iracundiæ compotem, cordi, partem concupiscentiæ deditam, iecori accômodatam. *idem in Plat. Timæum. cap. 42.*

Animam irrationalem Platonici non tam substantiale aliquid quàm accidentale quiddam esse putant, quasi rationalium vestigium animarum, quo sensua quidem fiunt, sed per diuersa corporis instrumenta diuisa, atque patibiles. *Ficin. in Plat. Timæum cap. 42.* Animæ brutorum in ipso generationis rerum ordine ad hominis animam referuntur, quasi ad finem. *idem, ibidem.*

Anima irrationalis aliquid est animæ rationalis, quasi actus quidam. & splendor eius refulgens in corpore tali, velut speculo; qui sanè splendor depêdet ex anima nostra, ferinè velut ex luna, & ab anima sphęrę quasi sole, virtus quidem rationalis manifestius officium suum exercet in capite, irascibilis in corde, concupiscibilis in iecore. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 66.* Anima irrationalis vna cum corpore fit, rationalis verò corpus ingreditur, cùm fœtus est omnibus organis absolutus, vt interpretatur Proclus. *idem, ibid. cap. 87.*

Anima irrationalis in nobis existens dicitur mortalis, quoniam mortaliter agit, & circa mortalia solùm, neque semper existit actu, quamuis in ipsa rationalis animæ virtute sit semper. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 65.* Anima irrationalis vt imperfecta, quæ & pars compositi est, & instrumentis addicta corporeis, reducenda est ad rationalem, intellectualémque animam sui iuris, & in se perpetuò consistentis; & id faciendum est tum in nobis, tum in dæmonibus, & stellis, & sphæris, & mundo. *Ficin. in Plotin. En. 4. lib. 3. cap. 3.*

Anima vt sensitiua.

Anima sensuales in bruto, quando corrumpitur brutum, peruenit ad mundum intellectualem, est enim intellectus receptorium animæ, à quo nunquam abibit, alioqui anima non foret alicubi. *Arist. in Theolog. Ægyp. lib. 13. cap. 8.*

Anima

Anima sensualis vbique tota est in corpore, & in plantis in qualibet parte vegetalis, sed absurdum est animam meam, & animam cuiuscunque esse vnam: nam me sentiente, sentient omnes, me bene viuente, bene viuent omnes, & me appetente, appetent omnes. *Plot. En. 4. lib. 9. c. 1.*

Anima sensibilis si vnâ sui parte tangeret calorem, alterâ frigus, non posset hæc duo inuicem comparare, quo modo conueniant, vel differant; oportet enim iudicem eundem opposita comparaturum, ambo comprehendere. anima igitur indiuiduo quodam sui plura simul contrariaque contingit, est igitur indiuidua, nisi hoc ipsum indiuiduum ad cognitionem sufficit, ergo & ad vitam. *Fic. in Theophr. c. 6.* Animæ in [illegible] sentiendis, quam [illegible] rationes esse [illegible] *idem, ibid. c. 8.*

Animam sensualem putant Numenius, Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, separabilem à corpore, quod & hic attingi efficiamus, quia vnam & indiuiduam habet facultatem, diuersissima simul agentem, [illegible] vegetationis officium, dico imaginationem vnam tam diuersa simul imaginantem, per quam anima in se conuertitur, vbi per eam actiones sensuum animaduertit, per quam agit quodammodo abique corporis instrumento, quoniam percipit tenebras, silentiū, & vacationem sentiendi, & tunc agit vt ab instrumento separata. *Fic. in Theophrast. c. 48.*

Anima sentiens in homine, quæ in cerebro, tanquam in prima origine resides, animæ mundi intellectus agens ipsi diuinitati [illegible] à quadā proportione respōdet. *Lud. Heb. de amo. dia. 3.*

Anima vt vegetatiua.

Animæ plantarum ab vno principio oriuntur, cum vita coniunctum, & sunt substantiæ, non accidentia, incorporeæ non partibiles, ideò nec corrumpuntur. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 1. c. 3.* Animæ plātarum virtus maxima est in radicibus. *idem, ibid. lib. 13. c. 8.* Anima plantæ separata à planta redit ad orbem proprium, qui est in orbe intellectuali, à quo nunquam amplius recedit. *ibid.*

Animam plantarum quantitate carere Plotinus, Porphyriusq; existimant, quæ æquè clauditur minimis, implet amplissima. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 6. c. 10.* Animæ altricis naturam aliter, & aliter philosophi antiqui esse senserunt: nam Plato arborum, & herbarum animas tacitam quandam appetitionem, quem naturæ [illegible] vocat, habere putat; Empedocles non modò naturalē inclinationem, sed etiam sensum plantis inesse vult; Anaxagoras, & Democritus voluptate, & dolore eas affici, nec sentiendi modò, sed & cogitandi, & intelligendi vim habere causent. *idem de volupt. c. 5.*

Animæ appetendi vires in nobis diuersæ sunt, cum eandem rē simul appetamus, & respuamus. *Ficin. de rep. dial. 10.* Animæ pars vegetalis, quæ est vltima diuinorum, cum non possit omnem materiam superare, ideò multa putrefactione, casu quodam præter ideas accidunt, & deformia. *idem, in Plat. En. 3. lib. 3. c. 14.*

Anima nutritiua.

Animæ partem, quæ cibos, & potus cupit, & alia quibus ob corporis naturam opus habet, in medio septi, & eius qui ad vmbilicū est termini collocauerunt, velut præsepe ad corporis alimentum in omni hoc loco construxerunt, & velut bestiam agrestem hoc loco dij alligauerant. *Plat. in Timæo.* Animæ partem, quæ cibos & potus cupit, & in summa concupiscibilem, septo alligatam constituit, quam longissimè à parte consilijs præstante, vt tumultum, & vociferationem quam minimam inducat, & optimam partem de his, quæ in commune omnibus conducunt, inquietè consultare. *idem, ibid.*

Animæ nutritiua potentia per calorem tanquam instrumentum non tantùm dissoluit cibos, quod caloris proprium est, sed etiam concoquit, & digerit, & ad formam tum carnis, & figuram humanam perducit. quæ actio caloris excedit potentiam. *Fic. in Plat. Theol. lib. 7. c. 8.* Anima dum multū concoquit cibum in stomacho, humanæ contemplationis munus remittit, ideò tunc hebetari videmur; dum verò attentius speculatur, ægrè cibus concoquitur; hinc sæpe philosophantes ægrotant corpore. *idem, ibid. lib. 9. c. 5.*

Anima nutrita est eadem, & quæ sentit, quippe sensuum perturbationes opus impediunt nutriendi, vel augent. *Fic. Plat. Theolog. lib. 7. c. 9.* Anima & occupata in mole corporis fabricanda & regenda, & in diuersas actiones distracta ac perturbata ad spiritualium radios, aut nullo modo, aut neglectè, & leuiter acion vertit, adde & obliquè & maximè cū phantasia incorporalia corporalibus simulachris induit. *idem, eod. lib. 2.*

Anima nutritur pane supersubstantiali in panem transformās seipsam, corpus verò nutritur transformando panem in se; & vt anima nutriatur, in Christum crucifixum transformare se debet meditatione, compassione, imitatione, meditatione totam vitam Christi masticamus, quem panem masticatum digeremus per compassionem, mediante calore amoris, & illi assimilari debemus per imitationem. *Io. Lu. Mor. in or. d. quinc. m.*

Animæ alentis, sentientis, & ratiocinantis substantia eadē est, non tamē hæc eodem tempore præstat ei, quod animatur, nutritionem, sensum, & rationis vsum, quoniam hæc quouis tempore in eo quod animatur non insunt simul necessaria, nec ad hæc statim instrumenta suppetunt. *Ia. Carpen. in al. cinoi dig. 5.*

Anima diuina.

Anima diuina omnes ideas, quæ verè sunt entia, speculatur, & speculatione nutritur, non enim est illic visio tenuis aut sola, sed naturalis affectio per modum gustandi, non minus quam videndi, & dum illa videt, ex illis, quæ insuper cœlesti loco sunt, velut à principijs, & exemplaribus cœlum subit, iterum procedens scilicet ad intellectualia contemplanda, ex intellectualibus autem ad se ipsam, & quæ propriè ad animæ naturam pertinentia contuenda, quod est redire domum. *Ficin. in Plat. Phædrum. c. 28.*

Animæ diuinæ dicuntur ideas videre per tempus, non quia quandoque desinant intueri, sed quoniam ideas alias ex alijs temporali quodam circuitu contemplantur: & postquam à quodam idearum capite cœperunt, per sequentia progredi nunquam desinunt, donec ad idem caput iisdem gradibus reuertantur. *Fic. in Plat. Phædrum, c. p. 28.* Animæ intellectuales qua ratione animæ sunt, per omnes vices suas mobiliter agunt, siquidē motus est proprietas animæ naturalis necessariò pertinens ad essentiam, verum qua proprietate intellectuales sunt, habent in intellectu vltra mobilem intelligentiam intuitum quendam stabilem superioribus cōpetentem. *idem, ibid.*

Animæ diuinæ, etsi insitas idearum formulas habeant, ad quas sese conuertunt scientiam adeptur[illegible], nondum tamen scientiam consummatam per eiusmodi conuersionem adipiscuntur, nisi per formulas insitas se transferant in ideas: proinde cogitatio Dei, id est discurrens illa cognitio in mūdano quodam Deo principe à supermundanis nutritur, intellectu scientiaque inuiolabili. nam discursio ab intelligentia peruenit, velut principio, & ad scientiam peruenit vt finem: cogitatio quoque diuinæ cuiuslibet animæ deos perpetuò comitantis, similiter à supermundanis, mundanisque diis illustratur, & nutritur. & hæc cogitatio eius ipsum intelligibile suscipit, & primo aspectu hoc amat, vt pulchrum; mox illud attentius contemplatur vt verum, in vno enim entē entium omnium contuetur ideas, contuendo nutritur atque perficitur. *Idem in Plat. Phædr. c. 28.*

Anima cœlestis, vt ineat cum corpore terrano commercium, oportet componere tam corpus animæ, quam vtrumque sibi, cuius consonantiæ tandem [illegible], animæ sanè ipsi, & terra dissonet & consonet cœlum, si modò futura sit felix. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.* Animæ cœlestis ab harmonia in mundum transit harmonia, vt apud musicos à concentu artificiosæ mentis prosilit & concentus in vocem. *idem in Plat. Timæum, c. 32.* Anima extra cœlum in mundo diuino constituta dicitur esse vna, quoniam agit duntaxat per intellectum. Descendit tandem in corpus cœleste, quādo [illegible] ipsam iam capiat multitudinem agens tam per intellectum, rationem, imaginationem, & [illegible] eorum fermè iam temperatur, vt apud homines consueuerat. *idem, in Plotin. En. 4. lib. 4. c. 5.*

Anima pura ad dominum abit, quo vbi peruenit, contingit, vt sit felix, ab errore ignorantiæ, & timoribus, & agrestibus amoribus, & alijs humanis malis libera, reliquum tempus cum dijs degens. *Plato in Phædone.* Animæ vt optimæ sit maior cura adhibenda est quàm corpori & pecunijs. *idē in Apolog.*

Anima tunc optimè ratiocinatur, cùm nec auditus, nec visus, nec dolor, nec voluptas ipsam affliceret, sed ipsa per seipsā quàm maximè fuerit, corpus valere sinens, & in quantum potest cum ipso non communicans, nec attingens, id quod verè est appetiuerit. *idem, in Phædone.*

Anima cùm aliquid considerat cū corpore, ab ipso manifestū est decipi. *Plato in Phædone.* Anima si philosophiâ imbuta est, & reuera facilè mori meditans, pura discedit, nihil de corpore simul trahens, vt in nulla re cum ipso in vita communicans ex sui voluntate, sed ipsum fugiens, & ipsa in se ipsam collecta, vt semper meditās ad sibi simile diuinē abit. *idē ibid.* Animæ suæ qui curā gerunt, & nō in corporū cultura viuunt, illis omnibus valere iussis, non secundum eadē custitu ambulāt, vt qui qua ambulant nesciat: verùm cōtraria nō oportere facere existimantes Philosophiæ, & eius solutioni, & purificationi, ad hanc vitā se conuertunt, sequētes illā, quæ illos ducit ed abeūdū post mortē in [illegible]

Anima si inquinata, & impura à corpore discesserit, vt quæ corpus complexa est, & hoc coluerit, & amauerit, & ab ipso, & cupiditatibus, & voluptatibus delinita fuerit, vt nihil aliud verum esse putauerit, quàm corpoream speciem, quam quis tangere potest, & videre, bibere, & edere, & ad res venereas vti, at quod oculis obscurum est & videre non potest, intelligi tamen, ac Philosophia comprehendi, id & odio habuerit, & formidauit, & fugit, præ corporis amore trahitur ad locu qui videri potest, præ timore eius qui videri non potest, & apud inferos est, & vt dicitur circa monumenta, & sepulchra versatur, circa quæ etiam quædam vmbrosa animarum spectra visa sunt, qualia tales animæ simulchra exhibent, quæ non purè absolutæ sunt, sed speciei, quæ videri potest participes. *Plat. in Phædone.*

Animæ impuræ affectionibus corporis coniunctæ quæ discedunt è corporibus, circa monumenta, & sepulchra versantur, circa quæ videntur. *Plat. in Phædone.* Animæ eorum, qui gulæ, lasciuiæ, & potationi dediti sunt, illigantur in asinorum corporibus: & quæ tyrannides, & rapinas præsulerunt, in luporum, & accipitrum, & miluorum genere *idem, ibidem.* Animæ eorum qui non sunt Philosophati, sed ciuilem, & mansuetam degerunt vitam, in apum, vesparum, & formicarum genus transeunt, ac etiam in homines, & fiunt viri moderati. *ibid.* Animæ Philosophorum, quæ puræ discedunt, solæ in deorum genus abeunt. *ibid.*

Animæ eorum qui magna delicta admiserunt, vt quid violentum in patrem, vel matrem commiserint præ iracundia, & per reliquam vitam pœnituerint, in tartarum incidunt: & anno elapso vnda eijcit homicidas per cocytum, parentum percussores per pyriphlegetontem, & vbi delati fuerint ad Acherusiam paludem clamant, & ad se vocant eos, qui iniuria affecti sunt ab ipsis, & eos rogant, vt sinant egredi è Palude & si impetrarint, egrediuntur, & à malis liberantur: sin verò non impetrant, feruntur ad tartarum, & illinc rursus ad fluuios, nec perpeti cessant quousque persuaserint eos, quos iniuria affecerunt. *Plat. in Phædone.* Animæ post mortem feruntur ad locum, vbi iudicantur, & qui rectè & sanctè vixerunt, & qui medio modo, & qui malè: nam qui medio modo vbi datis iniustè factorum pœnis purgati sunt, absoluuntur, & benefactorum præmia ferunt *idem, ibidem.*

Animæ quæ sacrilegia magna fecerunt, aut cædes iniustas, & similia insanabiliter perpetrarunt in tartarum proijciuntur vnde nunquam egrediuntur. *Plat. in Phædone.* Animam suam bene esse confidere debet, qui in vita voluptates corporis, eius ornatum valere iussit, & amplexus est virtutes. *idem, ibidem.* Animæ eorum, qui insigniter sanctè vixisse comperti fuerunt, ad puram habitationem deueniunt ac super terram inhabitant, & Philosophi in pulchriores deueniunt mansiones. *ibidem.*

Animam multâ iniustitiâ refertam, deuenire ad orcum, omnium malorum extremum est. *Plat. in Gorgia.* Anima corpore nudata, & quæ naturæ sunt, & affectiones quas ob cuiusque restudium homo in anima habuit, conspicua habet. *idem ibid.* Animam quæ sanctè vixit, & cum veritate, quæ suae res egit, & quæ maximè Philosophi, & non multa in vita curiosè scrutata est, iudex amplectitur, & ad insulas beatorum transmittit. *ibid.*

Anima quæ sapientiam acutius videt, si à puero resecarent vt ea, quæ sunt natiuitati cognata, veluti plumbeæ laminæ, quæ dum epulis, & talibus voluptatibus, ac delicijs adhærent, animæ visum circa inferna versant, contingeret, vt alijs liberata, se ad ea quæ vera sunt conuerteret, & illa in ijsdem hominibus eadem hæc animula videret, quemadmodū etiā ea, ad quæ nunc conuersa est. *Plat. de republica dialo. 7.*

Animâ à corpore solutâ, quod reliquum est terreum & rationis exors, non est homo, nos enim sumus anima, animal immortale in mortali inclusum custodia. *Pla. in Axiocho, dial. spe-cie.* Animæ à corpore discessus mali consolatio in bonum permutatio est. *idem, ibidem.* Anima à corpore soluta vadit vbi nullus labor, nullæ afflictiones, nulli gemitus, nulla senectus, sed tranquilla quædam, & malorum exors vita, quæ inconcussâ quiete peragitur, & naturam contemplatur & Philosophatur, non ad turbam, & Theatrum, sed ad florentem vndique veritatem. *ibidem.*

Anima à corpore soluta in obscurum accedit locum per subterraneum recessum, in quo est Plutonis regia non minor aulâ Iouis & traiectâ Acheronte fluuio, & Cocyto, accedit in campum veritatis, vbi sedent iudices ea omni accedente interrogantes quam quisque vitam duxit, & quibus studijs deditus, corpus inhabitauit: fieri autem non potest, vt quis mentiatur, quibus in vita bonus aspirauit dæmon, hi ad piæ sedes piorum incolentas transferuntur, vbi vberrima tempora omnia generis fructuum fertilitate turgent, & alia multa bonant quibus vita per maleficia transacta est, hi à furijs ad Herebum, & Chaos, per tartarum abducuntur vbi impiorum sedes est, & omnibus tormentis torquentur, & perpetuis supplicijs affliguntur. *Plat. in Axiocho.*

Animæ iustorum ad dextram iudices abire iubent. *Plat. de rep. dial. 10.* Animæ iustorum eunt post iudicium sursum, ad dextram, alligatis signis iudicatorum in anteriori parte: iniusti verò ad sinistram deorsum: & habent à tergo signa eorum quæ fecerunt. *idem, ibid.* Animæ quæ in prato sunt, delatæ post mortem, quæ inter se notæ sunt, mutuò se complectuntur, & interrogāt eas quæ ex terra veniunt de his, qui istic sunt, & eas quæ ex cœlo de his, qui apud illas sunt. *ibid.*

Animarum iter sub terra est mille annorum, & exponunt cum eiulatu & luctu quanta & qualia pertulerint, & viderint in profectione sub terra. *Plat. de rep. dial. 10.* Animæ, quæ alicui iniurias hic intulerunt quæque pro omnibus pœnam dant, pro singulis decies, per centenos annos, velut tanta sit vita nostra, & si multorum cædis causa fuissent, aut ciuitates prodidissent, aut exercitus, omnium horum decuplus pœnas pro quoque facinore dant, & sic de præmiis pro quoque decuplum. *idem, ibid.*

Animæ postquam ad Lachesin accesserunt à propheta quodam in ordine digestæ sunt; deinde acceptis è Lachesis genibus sortibus, & vitæ exemplis, & conscenso quodam sublimi suggestu, dixit, hoc est decretum Lachesis filiæ necessitatis, ô vos diariæ animæ, principium alterius circuitus mortalis generis, letho obnoxij, non de vobis dæmon sortietur, sed vos dæmonem eligetis. Qui primus sortem adeptus fuerit, primus vitam eligat, in qua ex necessitate permanebit. Virtus non habet dominum, sed prout quisque ipsam honorat, aut ignominia afficit, aut plus, aut minus de ipsa habebit, culpa eligentis est Deus extra culpam est, & proiectâ sorte, vnusquisque suam prout sibi obtigerat, sublit, nec sinit aliquam nisi suam tollere, & post vitarum exempla ipsam ante ipsos in terra ponere, plura multò quàm pro præsentium numero, omnis generis: & sic vt prima sors obtigerat statim quem sibi placuit eligit & sic alij quibus Lachæsis dæmonem, vitæ quam elegit custodem deputauit, qui ad Clotom conducat & confirmauit eam electionem; & ad Atropon vt ea firma fieret, ac vbi sub necessitatis throno abiuit, omnes ad lethi, & obliuionis campos abierunt per maximos calores, & recubuerūt ad fluuium amicitiam, cuius aquam nullum vas continet, & omnes de aqua biberunt, obliuiscebantur. *Plat. de republ. dial. 10.*

Animæ mortuorum postquam de corpore excessissent (ait fuisse vir Eris Armenius, qui à mortuis reuixit) deueniunt ad quendam locum admirabilem, in quo duo sunt terræ hiatus inter se contigui, & rursus alij duo ex opposito supernè in cœlo: inter hos verò sedent iudices, qui postquàm diiudicassent, iustos abire ad dexteram iubebant, & sursum per cœlum alligans signis iudicatorum in anteriori parte: iniustos verò ad sinistram, & deorsum, ita vt & hi haberent à tergo signa omnium eorum, quæ perpetrarunt: & cum Eris accessisset, dixerunt illæ, oportere illum esse nuncium eorum, quæ illic essent, & iusserunt vt omnia audiret, & spectaret vndique per alterum hiatum, tum cœli tum terræ abeuntes animas, postquam iudicatæ fuissent, per alterum verò ex terra ascendisse alias squallore, & puluere oppletas, ex cœlo verò descendisse alias puras, & eas, quæ semper aduenirent, videri velut quæ ex longa profectione venirent, & rursus ad pratum delatas, veluti in celebri conuentu recumbere, & se mutuo complecti eas, quæ inter se sunt notæ, & interrogare tum eas, quæ ex terra veniunt ea aliunde iis quæ illic sunt, tum eas quæ ex cœlo, de his quæ apud illas sunt, exponereque alteras alteris, has cum luctu & eiulatum memoriam reuocantes quanta, & qualia pertulerint, & viderint in profectione sub terra: esse autem iter mille annorum, illas autem exponere delicias ex cœlo immensæ pulchritudinis spectacula pro iniurijs, quia decuplam iniuriæ retributionem rependunt; & sic pro quoque facinore decuplam pœnam dant; & sic si sancti fuissent, & iusti decupla præmia: tyrannos ad pratum non peruenire, sed præhensos deduci colligatis manibus, & pedibus, & capite; vt prostratos, & excoriatos trahi iuxta viam foras, & fruticis aspalathi spinis laniari, & semper significari eis quarum rerum gratiâ hæc paterentur, & in tartarum delapsuræ abducerentur. *Pla. de repu. dial. 10.*

Animæ à corpore facta discessione, tunc arbitrium, & examen fit à summo dæmone, qui (si pia, & iusta inuenta est) in competentibus locis manere permittit: si iniusta, & vitijs oblita, ad ima deturbans procellis, turbinibúsque aeris, ignis, & aquæ sæpe discordantibus tradit, & in æternis

semper

semper pœnis agitata raptabitur, vt in hoc obsit animæ æternitas, quòd sit immortali sententiâ æterno iudicio subiugata: ergo ne his implicemur, verendum, timendum, cauendum. Te cognosce: increduli post delicta cogentur credere non verbis, sed exemplis, non minis, sed ipsâ passione pœnarum. *Mer. Trismegist. Asclepius, c. 10.* Animæ tantò post mortem sæuioribus subiiciuntur tormentis, quantò in vitæ forsitan fuerint diutius celatæ dum viuerent: præscriâ enim rerum omnium diuinitate, reddetur pro delictorum qualitatibus pœnæ. *idem, ibid.*

Anima particularis non est in corpore, sed extra, prius enim mouetur ad modum primarium deinde secundarium, postea reuertitur ad primarium, & opportunè ad eorum vnumquemque. *Arist. Theolog. Ægyp lib. 1.c.2.* Anima rapta corporis desideriis, subiugato intellectu, statim iram diuinam incurrit: propterea abstinendum à delictis, & desideria corporalia amouenda, sic enim miserebitur dominus. *idem, ibid. cap. 4.*

Anima existens super cælos fit memor eorum quæ in regione subteriori fecit, & vidit: iam & in cælis, & in orbe intellectuali habet memoriam: sed nisi aliquod ex corporibus vestierit, nequaquam operationes eius manifestantur. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 9. c. 5.* Animus cœlestis non indiget memoriâ terrestrium ex discursu, alio enim modo sunt memores, virtute scilicet, quam eis indidit primus auctor. *idem, ibidem.*

Anima sapientis vinculis corporis liberata, remigrata ad deos, & pro merito vitæ purius, castiúsque tranlactæ, hoc ipso deorum se conditioni conciliat. *L. Apul. de d. g. Plat. lib. 3.* Anima cùm à corpore deseritur, potest in se nihil retinere corporeum, si se purè, cùm in hac vita esset, instituit: cum verò violenter de corpore truditur, quia ex rupto vinculo, non soluto, fit ei necessitas occasio passionis, malis, vinculū dum rumpit, inficitur. *Macrob. in som. Scip lib. 1.*

Animus à cupiditatibus segregatus, quas nimio corporis contagio conceperat, commercio, à cæterisque perturbationibus liberatus, deletis iam maculis, quas corporea familiaritas prius inesse fecerat, atque ita solus sibi relictus, proculdubio turpitudinē omnem ab aliena natura prorsus imbibitam expurgat. *Plotin. En. 1. lib. 6. c. 5.* Animam non purgatam, sacra mysteria, rectè quamuis per obscura vaticinantur, apud inferos in cœno iacere, impuram namque ob prauitatem cœno esse amicam, vt sues corpore sordidi sordibus delectantur. *idem, ibid.*

Animus nisi factus sit pulcher, ipsam pulchritudinem non intuebitur *Plot. En. 1. lib. 6. c. 9.* Animæ mors corporis nō est malum, cùm post mortem est bonum, quantò magis actiones suas peragit absque corpore *idem. En. 1. lib. 7. c. 3.* Anima si apud inferos pœnas luit, vita illic animæ malum est, quoniam non vita solùm. *ibid.*

Anima è corpore migrans, id ipsum quod abundauit euadit, itaque ad superiora confugiendum ne in sensualem speciem dilabamur, simulachris videlicet sensibilibus obsequuti, neve in vegetalem vitam præcipitemur, mancipati libidini generandi, & saporum suauitate irretiti: sed ad intellectuale, ad intellectum, ad eum totis viribus assurgendum: qui igitur proprietatem humanam seruauerunt, homines renascentur: qui solo vsi sunt sensu communi, fera animalia exoriuntur: qui sensu cum concupiscentia, in salacia & ingluuiosa animalia reuertuntur. sed si sensus degeneratione vixerint, in plantas repullulabunt: qui musicis nimium deliniti vixerunt, renascuntur musica animalia: qui sine ratione regnarunt, fiunt aquilæ: qui absque sapientia sublimia tractam in cœlum sæpe suspicientia, fiunt aues altiora semper volatu petentes: qui ciuilem virtutem sequuti sunt, homo reuertitur: at qui non satis ciuilem virtutem adeptus est, in apem transformatur. *Plot. En. 3. lib. 4. c. 2.*

Animabus bruta ingredientibus corpore malus dæmon, vel fatuus, & ignauus adest: sed animabus ad superiora progressis, quæ in vita adhuc agunt, aliæ penes solem, aliæ aliûm planetam, aliæ in firmamento, prout actiones suas ratione direxerunt residens, nam in ipsis non iam est mundus intelligibilis, quàm dispositio ipsi animæ mundi conformis: atque ad stellam accesserunt conuenientem mori atque potentiæ quibus in viuēdo, & operando vsi sumus, tali Deo, ac dæmoni congruentem, vbi anima vel hoc ipso eodem vtetur, vel quodam huic potentiæ præsidente. *Plot En. 3. lib. 4. c. 6.*

Anima si se à præsentibus separans, ornare præparauit, cernet in se Deum ipsum subitò coruscantem, sicque vnum, & corpus suum non sentit vlterius, nec in corpore esse se sentit, nec seipsum aliud esse pronunciat, non hominem, non animal, nec ens, nec vniuersum: tum omnia quibus prius delectabatur contemnenda putat, thesauros, ornamenta, & reliqua, nihil timet aduersi, sed solùm optat vt sit penes ipsum bonum. *Plot En. 6. lib. 7. c. 34.*

Animæ malæ, quæ quondam vitam humanam egerunt, deinde à corpore segregatæ, non destiterunt beneficiis humanum genus afficere, profectò vaticiniis, & oraculis tum ad alia nobis conferunt, tum etiam per se ipsas demonstrant, nec aliarum animas extinctas esse. *Plotin. En. 1. lib. 1. c. 15.*

Anima cur in Deo non permanet: quia nondum hinc emigrauit omnino, erit cùm dabitur continuitas intuendi, cùm corpus nullo modo intuitum perturbabit: nam qui videt seipsum est ipso visus, scilicet hæc duo quædam esse putandum, videns, & visum, neque vtraque vnum, tametsi sermo hic videtur audentior, tunc nec propriè videt, nec videns discernit, nec duo quædam imaginatur, sed animus tunc tanquam alius effectus euadit vnum, tanquam centrum cum centro coniungens. sed hæc dicta difficilia sunt. *Plot. En 6. lib. 9. c. 10.* Anima extincto corpore, in superiori potentiâ residebit, & illa in superiori, & illa rerum vsque ad mentē, non enim erat in loco, verum in eo quod nusquam est, & sic est vbique *idem, En. 3. lib. 2. c. 2.*

Animus ab his inferioribus solutus, cui non ira, non appetitus, nec ratio, nec intelligentia est, nec omnino ipsemet, si modò id dictu fas esse censetur, sed tanquam raptus, siue Deo penitus occupatus, in tuto quodam recessu, habitúque tranquillo prorsus immobili, iam constitutus est, ab essentia sua nullo modo declinans, nec circa seipsum reflectens, quippe cùm penitus conquiescat, & quasi ipse status euaserit, non pulchrum, sed pulchritudinem ipsam transcēdit. *Plo. En. 6. lib 9 c. 11.* Animum Deum percepturum oportet figuram quandam illius habere, atque ita perseuerare, dum perspicuè ipsum nosse molitur, & cognoscens qualem & quantam rem ingrediatur, & certò confidens se rem beatissimam intraturum; sic denique sese prorsus immergere, vsque adeò; vt euadat pro spectatore iam spectamen alterius ab eo perspecti, qualis inde venit notionibus abundè refulgens. *idem, En. 5. lib. 8 c. 11.*

Anima si ad cœlum ascendere debet, oportet nos, quæ ex natura mortali assumpsimus deponere, vnà cum affectione ad hæc inclinante, & duo considerare, primò qua ratione esse caducum deponemus, secundò qua via reuertamur. *Porphyrius de abstinentia animalium.* Animus deposito corpore dæmon euadit, & priorem vitam miseratus, misericordiâ erga cognatos animos quos detinet terra commouetur, aut ob insitam clementiam eos proprium reducere in gregem, & alius in aliam prouinciam abit, quod dicitur pati. *Max. Tyrius sermo. 27.*

Anima supplicationibus ad contemplationem perueniens diuinorum, vitam priorem obnoxiam passionibus transmutat in vitam passionis expertem, dum subit actionem, & visam deorum. *Iamblicus de mysteriis.* Animæ separatio liberat nos à malis, quæ versantur in regione caduca, & ab impedimentis, quæ hic consecutionem conuenientis finis impediunt. *Proclus in Alcibiadem.*

Animabus nostris afflictio est in causa, vt Deus propitius reddatur, quoties enim spoliamur iucundis rebus, affligi videmur, reuera autem sentimus Deum propitium, & infligit nobis esuriem non virtutis, sed vitiosam, & affectibus obnoxiam argumēto est quod nutrit nos verbo suo generalissimo. *Philo. Iud. in leg. alleg. lib. 2.* Animabus multis pœnitētiam expetentibus non concessit Deus, sed tanquam æstu refluo abreptæ sunt retrorsum, vt & Lot vxor in saxum versa est, propter adamata Sodoma, quia ad ingenium & in qualia Deus animaduerterat reuersa fuit. *idem, ibid.*

Animis malè viuentibus pœnas, & corporis cruciatus paratos esse Platonici censuere: & cùm anima sit incorporea, & immaterialis, & à corpore pati immediatè non possit, ita nec pœnas sentire; nec sentiendo turbari, haud ab re corpus istud subtile quasi vehiculum æthereum, corpus tamen et perpetuò vtiemur, in quo puniri pro meritis possint. *B. ss Cardina in calumniatorem Platonis, lib. 3. c. 12.*

Anima rationalis non omnino est immobilis, quia est fons qualitatum fluentium in materiam, quæ omni quiete carent: omnis autem causa secundùm naturam propriam agit, ideò oportet in opere vim aliquam, & imaginem causæ reseruari. Si essentia illa quæ est causa qualitatum, esset prorsus immobilis, quia per naturam suam immobilem ageret, qualitas inde descendens immobilem in se naturam aliquam retineret: quod omne contra se habet. *Fic. in Plato. Theolog lib. 1 c. 4.*

Animam rationalem ita anima irrationalis comitatur; vt corpus vmbra, eius essentia, à Platonicis, & vera, & immortalis ideò iudicatur, quia neque partibus indiget, in quo

ta communicet, sed aliquando in similitudine vitæ communicare putant,& id sensisse Platonem.

Animam rationalem humani corporis, vel suilli formam aliquando fieri à Platonicis non est receptum,nec ab ipso Plotino concedendum, cùm proposuisset mutationem in anima ab imaginatione principium habuisse, quæ speciem in essentia mutare non potest:tot intellectus in humana specie esse,quod sunt & animæ,receptum est. *Fic.in Plotin En. 2.lib.3 cap.12.*

Anima corpus omne,vel cœleste quandoque exuta,& mente diuina tunc formata, attentissimè diuina conspicit simul cuncta sine discursu,imo dicitur non recordari rerum humanarum,non quia ignoret inferiora,dum omnes inferiorum causas contuetur ac se perfectissimè reperit omnino cum in maximis sit attentissima,& quia non repetit per modum discurrentem,& mutabilem, vt humana recordatio solet fieri:contuetur per intellectum,& per rationem quæcunque cognoscit vno quodam intuitu sine motu,quoniam conspicit per vnam Dei formam:per ipsam seriem idearum habentem gradus non tempore,sed ordine inter se distinctos, discernit alia aliis ordine ibi esse peiora *Ficin.in Plot. En 4.lib 4.cap.1.*

Anima in cælis recordatur pauciorum,quod non prouenit ex debilitate memoriæ,sed ex attentione circa meliora,negligente deteriora. *Ficin.in Plotin En.4 lib.3.cap.31.* Animæ defunctorum nostra hæc memoriter tenet,sentiunt,curant beneficiunt. *idem, in Plotin En 4.lib.7.cap 15.* Animam à corpore abeuntem visab anima nostra in corpus eunteam comitatur:quod verò in fœtovitale cœlitus impressum fuerit,cœlitus conseruatur, circa quod & noster animus hinc impurus emigrans amore se vertit, purus verò relinquit. *ibid.cap.14.*

Anima in patria sub ipsa mentis diuinæ forma potiùs, quàm sua,viuit,& agit,sicut corpus nũc sub animæ forma; sed cùm primum confert se ad viuendum, ac agendum sub propria forma per discursum rationalem. deinceps paulatim labitur in discursionem imaginalem,& actionem sensualem, & vegetalem,vt iam quasi sub forma corporea viuat;hinc postremo contingit vt corpoream esse se opinetur, & de sua diuinitate diffidens,diuina nec quærat vnquam,nec veneretur. *Fic.in Plat. En.5.lib.1.cap.1.*

Animæ sæpenumerò in ipso transitu,aut paulò ante,vt vinculis corporis non omnino obnoxia,reuelationes, nec difficulter percipit,vt & in vigilia,& in somnis,quæ à malis spiritibus se immiscentibus turbari potest,& à boni iuuari, nam diuina reuelatio non nisi à bonis Angelis,& Deo peruenit, & nullo modo à malis,aut à natura. *Ioan Fran. Pic. Mir. de prænotione lib.2.cap 6.* Animas hominum Pythagorei, & Plato in brutorum naturam abire ob delictorum pœnam arbitrati sunt;& qui hæc ad allegoriam applicant,non bene sententiam Platonis assequuntur. *Seu. Ficin in Plat. Phæd.*

Animam à corpore secernere quid aliud est,quàm eam dissecere. *Iac.Carp in Alcin.cap.1.* Animam humanam in belluas transire alij Platonici improbarunt,alij ad allegorias confugerunt. *idem in Alcin cap. 3.* Animam intellectualem negant Platonici ferino corpori accommodari posse, vt in vita communicet, sed communicare cum brutis in quadam vitæ similitudine, idque sensisse Platonem aiunt. *idem,ibidem.*

Animas omnes post discessum à corpore reuerti ad vnicam vniuersi animam, cuius animæ sint quasi scintillæ,& radij, fuit verus Pythagoræ opinio,quam animamur ex Plutarcho & Cicerone colligitur. Deum esse intelligebant. *Aug. n. Steu. de peren.philo.lib 9.cap.30.* Animorum è corporibus exeuntium sors vnanimiter à veteribus Philosophis descripta, Orpheo,Musæo, Homero, Hesiodo, Pindaro, Timæo Locrensi,Pythagoricis,Pherecide, Platone,& alijs. *idem,ibid. lib.10.c.22.*

Animas defunctorum rerum humanarum procuratrices esse fama antiquissima est. *Aug. Steu. de peren.philo.lib.9.cap.31.* Animorum post mortem ex priscis auctoribus triplicem sortem habes, vel eorum qui penitus adeunt regna beata, nusquam commorati, aut qui subitò rapiuntur ad supplicia, vel quibus purgantur peccata,quibus expiatis velut in patriam reuocantur. *idem,ibid.lib.10.cap.27.*

Animas quia putabãt Pythagorici in varia corpora belluarum transmigrari,ideò abstinere à carnibus animalium præcipiebant,ne amicum,vel familiarem manducarent. *Marcus Antonius Natta de immortal. anim.lib.4.* Animi beatorum ea desideria eius,quod sibi deest, diuinæ cognitionis nullam penitus molestiam, vel amaritudinem sentiunt. *Leo Heb. de amo. dial.1.* Animorum nostrorum præcipuum munus in spiritalibus formis à fœda materia seiungendis, & à corporum impuritate reuocandis finem esse videtur. *idem,ibidem.dialo.3.*

Anima vt mortalis,& immortalis.

Anima immortalis est,& ante nos nata,si discere est recordari. *Plat.in Phædone.* Anima similior est rei quæ semper similiter se habet quàm ei,quæ non. *idem, ibidem.* Anima diuino immortali, intelligenti,& vniformi indissolubili,& semper similiter,& secundum eadem se habenti simillima est. *ibid.* Anima cùm sit immortalis, nullum aliud refugium est à malis,nisi vt optima,& sapientissima fiat. *ibid.*

Anima contrarium ei quod ipsa semper inducit,nunquam suscipit,at anima semper inducit vitam,cui contraria est mors, ergo immortalis *Plat.in Phædone.* Anima cum immortalis sit,ipsius curam habere debemus,non solùm pro hoc tempore,in quo viuere dicimus,sed pro vniuerso *idem,ibid.* Animæ mortalitas lucrum esset malis,nam animæ morte à malo liberarentur. *ibid.* Anima maximè omnium immortalis est,& interitus expers,& reuera erunt animæ nostræ apud inferos. *ibid.* Anima immortalis est. *ibidem, in Phædro.* Anima omnis immortalis est,per se enim mouetur. *ibidem.*

Anima hominis immortalis est,& nunquam moritur,& ob hæc sanctissimã vitam transigere oportet,vt ait Pindarus,& multi alij poetæ,qui diuini sunt,de quibus enim Proserpina pœnas antiqui luctus sumpsit,illorum animam rursus nono anno in supernum solem reddit:ex quibus reges clari,& robore præstantes,& sapientiã maximi viri augescunt in reliquum tempus, qui Heroes sancti ab hominibus vocantur; anima verò, vt quæ immortalis sit, & sæpe renata,& quæ sæpe viderit,& quæ hic sunt,& quæ apud inferos,& omnes adeò res,nihil reliqui habet,quod non didicisset,quare nil miri est eam de virtute,& de alijs in memoriam reuocare posse,quæ prius didicit,cùm enim cognata natura tota sit, & omnia anima didicerit,nil vetat vno solo in memoriam reuocato,quod discere,& disciplinam homines vocant,alia omnia ipsam inuenire,si quis virilis sit,& quærendo non fatigetur. *Plat.de virt.*

Anima in se habet semper rerum veritatem ergo immortalis est. *Plat.de virt.* Animæ mortalis non est natura, quæ vnquam possit maximum inter homines principatum ferre, si iuuenis sit,& corrigi se non sinat,vt non maximo morbo insipientiæ in mente sua repleta odium proximorum amicorum incurrat,quod vbi contingit,breui ipsam perdit,& omnem potentiam ipsius euertit. *idem,de leg.d.a.3.*

Anima immortalis,in homine seorsum à dijs posita fuit ab anima mortali, in aliam corporis habitationem isthmo,ac termino inter caput,& pectus constructo,& ceruice in medio horum posita vt seorsum esset:in pectoribus itaque,& eo qui thorax appellatur mortale genus animæ illigarunt, & cum altera pars à natura producta sit melior,alia deterior thoracis amplitudinem construxerunt ita distinctam, vt velut mulierem altera,virorum item altera habitatio seorsum esset,septo transuerso in medio ipsarum posito. *Plat. in Timæo.* Animæ mortalis affectiones sunt voluptas, dolor,audacia,timor,ira,spes,sensus rationis expers,amor. *idem.ibid.*

Anima nostra immortalis est,& nunquam perit. *Plat.de rep. dial.10.* Animam iniustitiam, intemperantia, & huiuscemodi prauam faciunt,non tamen dissoluunt ipsam,nec perdunt, ideò immortalis est. *idem,ibid.* Animæ propter mortem non fiunt iniustiores,quod est animæ malum,ergo non moriuntur. *ibid.* Anima cum nec à malo proprio, nec ab alieno perit,necessario semper est,& quod semper est immortale est. *ibid.*

Animæ semper eædem sunt,neque pauciores fiunt cùm nulla perdat, neque rursus plures, nam ex mortalibus fierent,& omnia tandem immortalia erunt. *Plat.de republica.dial.10.*

Anima immortalis reuera est,& mortuo corpore ad alios deos vadit, datura rationem,quod bonos quidem valdè confidenter faciet,malus abhorrebit valdè,& quod ipsi vita defuncto ad magnum quoddam auxilium contingeret,viuentã enim omnes cognatos opitulari oportuisset,vt quam iustissimus,& sanctissimus vixisset & mortuus post hanc vitam pœnam peccatorum effugisset. *idem de legib.dial.12.*

Anima immortalis est,& iudicem habet,à quo vbi à corpore fuerit liberata delictorum pœnas luit, & peius est facere quàm pati iniurias *Plat. Ep.7.*

Anima immortalis est,aliuqui mortalis natura ad rerum tantarum gerendarum magnitudinem non se extulisset, aut immanium ferarum vim contempsisset,maria transiuisset, vrbes extruxisset respublicas constituisset,ad cælum suspexisset,& astrorum circumuolutiones vidisset,solis ac lunæ cursus,ortus,occasus, defectus,celeres restitutiones æq

quinoctia,& solstitia gemina, pleiadũ reuersiones hyeme, & æstate,ventos,& imbrium delapsor,& ingentes torbinum tractus,& mundi affectiones in perpetuum afhaisset, si non diuinus quidam reuera spiritus in anima inesset, per quem tantarum rerum intelligentiam,ac cognitionem habuisset. *Pla. in axioche.* Anima immortalis est,quæ omnia bona,& mala sustinere potest *idem de repu. dial.* 10.

Animarum est commenio quædam;aliorum animæ communicant hominum animis;Deus se communem singulis exhibet. *Mer. Trism. Pimander,cap.*10 Anima incorruptibilis est,quoniam creata est perpetua ob nobilitatem vitæ. *Arist. Theolog. Ægyp lib.* 1.*cap* 4. Anima separata ab hoc habitaculo;eastentr in altiori,non meminit cuiusquam præcogitarum maximè sensibilium,& corruptibilium. *idem,ibidem. lib.* 2.*cap.*7.

Anima humana est simplex absolutè,ideò immortalis. *Arist. Theolog. Ægyp.lib.*15.*cap* 6. Anima immortalis est , ea infinita discendi potentia,& quòd non habet scientiam congenitam *idem ibidem,lib.*12.*cap.*5. Anima humana intelligit Deum,seipsam,& cæteras formas insensibiles, sine organo corporali, & sensibiles formas abstrahit per intellectum, sine organo eodem.*ibid.lib.* 25.*cap* 5.

Animam putat Plato omnium animantium non corpoream esse,nec perituram , cùm corpore absoluta fuerit , & omni gignentium esse seniorem atque ideò imperare , & regere ea quorum curam fuerit,& diligentiam secuta,ipsam semper,& per se moueri,agitatricem aliorum,quæ natura immora sunt,& pigra *L. Apul de dog. Plat.li.*1.

Animam nostram , & ignauissimorum hominum solam immortalem esse,totum verò cœlum stellásque vitæ immortalitate carere non decet asserere, præsertim cùm ordinatissima,& pulcherrima illa sit, quæ verò circa terram sunt confusione plena *Plot. En* 2.*lib.*9 *cap* 5. Animam immortalem esse,& rem diuinam,homines non iudicant, quia deprehendunt illam vitiis inquinatam,at naturam eius puram considerari debemus:adiunctum enim semper impedire solutecognitionem eius,cui adiunctum est.*idem,En.*4 *lib.*7.*cap.* 10. Animam cognatam esse diuinioris, sempiternæque naturæ ex eo patet,quòd non sit corpus,nec figuram habeat,nec calorem,nec molem,nec quantitatem,nec qualitatem *idem.ibid.*

Animam descendendo annuere , & inclinari dicitur, ex eo quòd illuminatum ab ea ipsi connectitur, & dimittit simulachrum,non ex eo quòd scindatur,sed ex eo quòd hic non sit amplius;& non est amplius,si illic ius sensu tota respiciat, *Plot. En* 1.*lib* 1.*cap*.12.

Animum à corpore separari est quasi à locis seipsum diuersis colligere,omnino à perturbationibus segregatum , efficientéque vt necessariæ voluptates sensus quidem sint duntaxat,& quædam quasi medelæ, sedantionérque laborum, siue languorum,vt interpellatio nulla contingat ; dolores autem auferentem,ac si nequeat , moderatè ferentem ; & quia non simul doleat,eos comminuentem;iram verò tollentem quoad potuit è medio,ac si fieri potest , omnino, si minus,saltem non simul irascentem ; & dabit operam vt irasci sit inconsultò,& subitò,& id per paucum sit , & timorem expellat omnino, & cupiditatem turpium non habeat, esculentorum & pocolorum ad remissionem doloris ipse animus non habebat,& venereorum & si habebit, naturalium duntaxat,ita tamen vt neque inconsultum hæc habeāt impetum,quòd si habeunt , quatenus cum phantasia solum hac quoque præfigurata: omnino verò ipsa ab omnibus his erit pura,volet quoque irrationale purum efficere, adeò vt non commoueatur quidem,aut quàm minimè,& commotiones statim sedare queat, vt si sapiens propinquus adesset nihil facere audeat,quæ bonus non ausit,non ergo erit pugna,sufficit rationis præsentia,quam interius verebitur , adeò vt sibi succenseat , si quo pacto commotum , quietem domino præsente non egerit,& suam inconstantiam increpet.*Plot En.*1.*lib* 2.*cap* 5.

Animæ bonum,per purgationem acquisitum non est summũ bonum,sed aliud præter hoc bonum esse videtur. Fortè si ante puritatis iacturā bonum erat,purificatio sufficeret,nec natura residua est bonum,alioquin nunquam fuisset in malis,neque boni formam dicere liceat sufficiētem in eo , quod verè bonum est permanere,natura enim ad vtrumque vergit;bonum igitur ipsius est adhærere cognato, malum contrariis:oportet purgatum hærere,hærebit autem conuersa. *Plot. En.*1.*lib.*2 *cap.*4. Animæ virtus est id , quod ex conuersione consequitur.*idem,ibid.* Animæ bonum est adhærere cognato,malum contrariis.*ibid.* Anima purgata ipsi bono hærebit,& post purgationem iam conuersa est;& eius virtus est id quod ex conuersione consequitur.*ibid.*

Anima, quæ peccatorum aliquid inconsultò tantum facit, Deus quidem erit,& dæmon existens geminus , imò potius alium secum habens,virtute alia præditum : si verò nihil, Deus solùm,Deum inquam ex eorum numero,qui primum sequuntur : animus enim ipse est qui processit inde , & si secundùm seipsum fiat,qualis venit ibi est, intellectui verò cohæret huc profectus,& hoc insuper ipsi assimilabit pro eius potentia,adeò vt si fieri possit, vel non commoueatur, vel cum agat quicquam ex his , quæ domino minimè placent. *Plot En.*1.*lib.*2.*cap* 6.

Animam,cui inest vita, nemo sanæ mentis dubitabit immortalem esse. *Plot. En.*4.*lib.*7.*cap.*11.]

Animæ,cui essentia est ipsa vita,atque est essentia talis ex seipsa viuens,idque immortale est , non resoluit vsque ad immortale peruenientes,aut si fortè vitam esse dicunt affectionem quandam materiæ accidentem,illud tandem a quo talis affectio tradita est materiæ, fateri immortale cogentur,cùm contrarium eius,quod affert , suscipere nequeat; sed reuera est vna natura actu viuens.*idem,ibid*

Animæ immortalitatis qui nullam facit mentionem , reprehensione non caret. *Georgius Gemistus de Plato. & Aristot. p rlad.diff.cap* 25. Anima omnis incorporea est essentia, & separabilis à corporea *Procl. elem Theol.cap.*186. Anima omnis immortalis est,& incorruptibilis *idem ibid.*

Animam hominis immortalem à primo Deo suscipientes parter duas illi mortales adiunxerunt verùm ne vis diuina , & immortalis deltrimentis corporalibus inficeretur , in ipsa corporis arce sedem eius, vtpote principis omnium statuerunt,& eius habitaculum caput esse voluerunt , ea figurā, qua mundus elaboratus, & reliquum corpus huic ad ministerium subiecerunt,quasi vehiculum:ipsis verò mortalibus portionibus proprias singulis prouincias assignauerunt , iracundiæ præcordia, cupiditati locum medium inter vmbilicum,& diaphragma, ibique vim illam veluti furiosum, & agreste animal ligarunt.*Alc cap.*23.

Animam immortalem esse probat Plato , quia cuicunque adest vitam affert,vt illi naturaliter insitam : at quod vitam præstat,mortem non suscipit,& quod huiusmodi est , immortale est : at immortalis,ergo incorruptibilis, ergo simplex & indissolubilis erit,nam essentia incorporalis secundùm substantiam,immutabilis,intelligibilis inuisibilis,& vniformis est.*Alc cap* 24. Animam immortalem esse necesse est,si disciplina reminiscentia est:quòd autem sit reminiscentia sic probatur,nam nihil discere possumus,quàm per recordationem eorum,quæ quondam nouimus,nam si à singulis vniuersalia intelleximus , quo pacto singula ipsa vniuersa cum infinita sint percurrimus?at quomodo ex paucis individuis communia percipimus?deciperemur , & mentiremur perinde ac si iudicaremus omne quod respiratione vtitur animal esse vel quomodo intelligentiæ ipsæ in nobis principales essent?ergo intelligimus reminiscendo ex paruis acceptionibus quibusdam secundùm partem incidentibus reminiscentes verum,quæ iamdudum cognoueramus quorum vt obliuionem tunc primum perpessi sumus , cùm primùm animæ in corpora descenderunt. *Alc.cap.*25.

Animæ demonstratio,qua vtitur Plato in decimo de republica,ad probandam illius immortalitatem,demonstratiua est, in qua probat intellectum non habere contrarium , ideò non corrumpi. *Auer. in serm. Plat. tract* 3

Anima nusquam habet potentiam ad non esse , igitur est immortalis.*Fic in Plat. Theolog.lib* 5.*cap.*12. Anima non suscipit in se vllam mortiferam qualitatem , per quam desinat viuere,nam contrariæ qualitates se inuicem nō suscipiunt, sed fugant.*idem,ibid cap.*14.

Animam cœlestem,& immortalem Plato mori quodammodò putat,quando terrenum, & mortale corpus ingreditur, reuiuiscere cùm egreditur , egreditur cùm meditationis studio,cum philosophia purgat infectionem. *Fic.epist. lib.*1. Anima rationalis immortalitatem suum videt , quando videt radium intelligentiæ infundi sibi à Deo,& in Deum reflecti.*idem,ibid.lib* 2. Animarum separatarum tres sunt status,contemplatiuus,actiuus,& voluptuosus.*Proclus in rempu*, *Plat. ex Marsi Fic.epist.lib.*11.

Animæ rationales,vt inquit Proclus,cùm neque per ipsam materiam,neque per materiales conditiones inter se distingui possint , (sunt enim separabiles à materia) per formales specialésque distinguuntur proprietates:& quot sunt, tot humanarum rationalium sunt ideæ. *Fic.in Plat.parmenidem, cap.* 6. Animam rationalem,ac mentem nostri parentis imaginem,ab ipso mundi totius opifice,sine vllo cœlicolarum, aut dæmonum ministerio accepimus , quæ Deo reddenda est *idem,in Plat dial de sancto.*

Animæ rationali insita naturaliter est quædam differendi facultas,

cultas, quæ communiter ab vno in molea, eiciſſimque, diſcurrat: ingenioſiſſimi quique ad huiuſmodi artificium propenſiores exiſtunt. ſi concedatur abſque dele ctu, ſoſolentes euadunt, logicǽque attendentes, non ſunt philoſophi, ſed ſophiſtæ. *Fic. in Phileb. cap. 6.* Anima, quæ omnes animæ vires in ſe poſſidet, immortalis eſt, & quælibet rationalis anima huiuſmodi eſt, & ſic principium motus eſſe poteſt. *idem in Plat. phædr. cap. 6.*

Anima res offets facit, quæ nominantur in hoc loco à Platone, & in Philebo, & in ſophiſta, & etiam in Menone: nam quæ ſenſus communis apprehendit opinante potentiâ primâ, ipſa perceptio imaginatio dicitur; vt apprehenſa conſeruat, memoria; vt quæ ſeruauit in ſeipſa reſumit, reminiſcentia; & cum reſtituendo de vno in aliud quaſi quadam ratiocinatione diſcurrit, cogitatio: poſtquam diſcurſu peracto affirmauit, vel negauit, opinio: at cum opinione percepta per ſenſum, & memoriam anima cogitantem effingens, ita in hæc reſpicit vt in illa à quibus iſta manarunt, & quæ imagines ſunt res veras eſſe putat, picturam quandam ac phantaſiam Plato eſſe nominat, ita vt certam inducat effigiem. *Fic. in Plat. Theoph.* Anima rationalis diuinitus data eſt, & immortalis. *idem, in Plat. Timæum, cap. 24.*

Animæ immortalitatem plurimi antiquorum philoſophorum non perſpexerunt: primus fuit Pherecydes Syrus, qui de eius immortalitate diſputauit: alij putarunt vna cum corpore decedere, qui non ex aliqua animam putarunt, alij ſemper, alij diu permanere, alij ſtatim diſſolui exiſtimarunt; Pythagoras eam immortalem aſſumit, ſed vagabundam in diuerſa corpora humana, & belluina tranſgredientem, & vicibus temporum variis reuertentem: à qua opinione non abhorruit Plato, ſed animam rationalem immortalem, reliquas interire ſtatuit. Xenocrates & Speuſippus, etiam ſenſitiuam immortalem eſſe voluit, Numenius, & Plotinus vegetatiuam pariter immortalem voluere. Anaxagoras, & Diogenes ſimpliciter immortalem humanam eſſe voluerunt: contra Democritus, & Epicurus animas cum corpore mori opinati ſunt, idem Lucretius. Stoici medij ſunt, nam & immortalem credunt, ſed non ſemper: alij paulatim perire, alij vſque ad conflagrationem perſeuerare. *Ioan. Franc. Pic. Mir. mer. van. doct. gen. lib. 1. cap. 14.*

Animorum immortalitatis aſſertio eſt Chriſtianæ religionis fundamentum, vt & legum omnium, & rerumpublicarum. *Seb. Foxius in præfat. in Plato. phædrum.* Animam immortalem probat Plato, quia quicquid ex ſe mouetur æternum eſt, anima ex ſe mouetur, ergo æterna: & probat, quòd quicquid ex ſe mouetur ſit æternum, quia eſt initium motus: & quicquid eſt motus initium, caret origine, ideò æternum, quia nec finem habiturum eſt. & quod anima ex ſe mouetur probat, quia corpus non ex ſe, ſed ab anima mouetur. *idem in Plat. phædrum.*

Animam immortalem probat Plato, quia bonum omnia conſeruat, malum perimit, at ſi nihil mali eſt, quod animam diſſoluat, immortalem eſſe ſequitur. Malum aut ex animi natura exorietur, aut aliunde: ex ipſa mali nihil oriri poteſt, quia nihil mali habet, quia materiæ, quæ mutationi eſt obnoxia, expers eſt, ergo malum extra ipſam poſitum eſt. Item nec à corpore naſci poteſt, cum animus ſit incorporeus, & nihil à corpore patiatur, nec ab incorporeis, vt ab artifice Deo, cum ille ſeruandi vim potius, vt bonus habeat, quàm perimendi, ergo immortalis animus eſt; & hoc eſt lib. decimo de republica. *Sebaſt. Fox. in Plat. phædone.*

Animam immortalem eſſe probat Plato, quia diſciplinæ omnes animi, quæ recordationes veræ ſunt vitæ prioris, ante corpus ipſum extitere, nec vna cum corpore gigni potuiſſent, vt docetur in Menone, ergo animus cui illæ inſunt, antequam corpus extaret, effectus eſt; quòd ſi ante corpus fuit, ergo cum illo non interire poteſt, ergo immortalis. *Seb. Foxius in Plat. phædonem.* Animam immortalem eſſe Plato probat, quia nihil ſibi aduerſatur atqui animam eſſe mortalem eiuſdem naturæ repugnat, quippe cum potius vitam ſuppeditet, igitur eſt immortalis. *idem, ibidem.*

Animam immortalem eſſe Plato probat, quia omne corpus, atque adeò compoſitum omne ex partibus, eſt diſſolubile: contra ſimplex omne incorporeum diſſolui non poteſt, cùm in nullas compoſitionis ſuæ partes nequeat abire, quia nullas habet: at anima eſt incorporea, & ſimplex, vt ex eius actionibus patet, quæ ſi corporeæ eſſent, & ipſa eſſet corporea, cùm actiones omnes ſuæ cauſæ ſint ſimiles: ergo animus nequit diſſolui. *Sebaſt. Foxius in Plat. phædonem.*

Animam immortalem eſſe Plotinus probat: primò quia à corpore ipſa eſt ſeparabilis, ac diuerſa, quia rebus corporeis dominatur, & affectibus repugnat: ſecundò ex diuinorum contemplatione, & cognitione, quæ oſtendit rem diuinitatis participem cadere nequit: tertiò ex æternorum cupiditate, qua ſemper animus tenetur: quartò, quòd ſempiternæ vitæ cauſam Deum animus idem colat, & illi pietas, & notio quædam religionis inſita ſit. *Seb. Fox. in Plat. phædonem.*

Animam immortalem eſſe probat Lactantius Firmianus: incorporea omnia, vt angeli, Deus, & mentes æterna ſunt, quia nulla concretione conſtant, cùm potius ſimplicia ſint: anima eſt incorporea, vt ex eius actionibus patet, ergo æterna: ſecundò, ſi virtus, quæ hominis eſt propria, ſecundum naturam non eſt, cùm labores patiatur, & corporis affectionibus dominetur, præmium nullum in hac vita habeat: at debet habere, ergo in altera habebit, quòd ſi hic aſſequi non poteſt propter labores, ac vitæ moleſtias, & alibi eſt aſſecutura, ne meritis ſuis priuetur, immortalis igitur eſt. *Seb. Foxius in Plat. phædonem.*

Animam immortalem probat D. Thomas, quia eſt naturæ intellectualis, ergo immortalis, & quòd ſit naturæ intellectualis patet, ex intelligentia, cognitione, ratiocinatione, memoria; & cæteris viribus eiuſdem, quæ vel nullam, vel exilem materiæ admixtionem adipiſcuntur. *Seba. Fox. in Plat. phædonem.*

Animam immortalem eſſe probat D. Thom. quia res nulla ex eo, quo ſua conſtat perfectio, corrumpitur, cùm omnis interitus ex contrariis cauſis fiat, at animæ perfectio conſiſtit in ſeparatione quadam à rerum corporearum contagione, quia ſimplex omne quo eſt corporeæ concretionis minus capax, eò eſt præſtantius; ergo anima ob id quod à corpore ſeiungitur, interire nullo modo poteſt. *idem, ibid.*

Animam immortalem eſſe probat D. Thomas, quia ea, quæ in ipſam recipiuntur, ad eiuſque formam accommodant, incorruptibilia ſunt, & immortalia: item quia intelligibile eſſe eſt prius, quàm ſenſibile, quando vniuerſa ſingulis priora ſunt, & ea quæ comprehendunt vniuerſa priora ſunt illis, quæ capiunt ſingula, & ea quæ primo ſunt, & in ſe alia primò recipiunt, vt materia prima, incorruptibilia naturâ ſuâ ſunt, ne ſi interirent, reliqua etiam quæ in ea recipiuntur, interirent: ergo anima, quæ primum receptaculum horum primorum intelligibilium eſt, immortalis exiſtit. *Sebaſt. Foxius in Plat. phædonem.*

Animam immortalem probat D. Thomas, quia quidquid efficit eo quod efficitur longè præſtantius eſt, intellectus agens efficit vt actu ſint intelligibiles res in ſe; ergo vt actu intelligibilia, ob id quod vniuerſalia ſunt corruptionis ſunt neſcia, ita idem intellectus agens, quia illa talia efficit, multò minus eſt corruptioni obnoxius: idem intellectus eſt humani animi pars, ſeu facultas; igitur & animus immortalis eſt, vt eiuſdem pars etiam. *Seb. Fox in Plat. phæd.*

Animam immortalem eſſe probat D. Thom. quia nihil interit, niſi aut contrarij vi, aut ſubiecto delato, aut deficiente ſuo cauſa: vi contrarij perire nequit, quia contraria omnia recipit in mentem dum ea cognoſcit: ſubiectum perire nequit quia nullum habet: nec cauſa deficiet, cum ipſa ſit Deus, ergo nullo modo morti obnoxia eſſe poteſt. *Sebaſt. Foxius in Platon. Phædonem.*

Animam immortalem eſſe probat D. Thom. quia ſi corrumpi deberet, ob diſſolutionem, vel interitum corporis, ſequeretur debilitato, vel affecto illo malè, hunc ipſum, aut eius aliquam vim debilitari: ſed per ſe nullo animi vnquam debilitatur, niſi quatenus inſtrumento, quo vtitur, malè affecto ipſe obſcuratur, nec ſuras, quaſi prodit inde reſtituto inſtrumento, ſi fieri poſſit, & vis etiam reſtituetur: & cum intellectus vis ſit quæ inſtrumento non eget, neque per ſe nec accidentariò interire poteſt: ergo nullo modo intellectus, nec anima, cuius pars idem eſt, corruptioni ſubijci poteſt. *Sebaſt. Fox in Plat. phædone.*

Animam immortalem eſſe probat Sebaſtianus Foxius, quia ex eo quod eſt, nihil omnino perire poteſt, quando nullus interitus ſimplex eſt, ita vt in nihilum omnino redigatur: atqui anima exiſtit aliquid, vt ex eius actionibus patet, quia nihil eſſe actio ſua poteſt, & actio omnis ab aliquo agente naſcitur, ergo interire ipſa non poteſt: reſtat vt vel nullo modo interire poſſit, cum in nihilum redigi queat, vel ipſum non planè perire, ſed in aliquid aliud conuerti, cùm vnius interitus ſit alterius ortus: at ex anima gigni non poteſt corporeum, quia ex incorporeo non fit corporeum, nec incorporeum, non tale quale prius erat, quia eadem eſſet, non perfectius, quia non ſolùm non interiret, ſed potior redderetur, non imperfectius, nam nec in eſſentia eius eſſe poteſt cùm in nihilum redigi non poſſit, ſed omnes fatentur conditionem mutari, eſſentiam permanere. *Sebaſt. Foxius in Platonis phædonem.*

Animæ immortalitatem primus, vt ait Cicero in Tuſcula. dixit Pherecides Syrus, qui vixit Seruio Tullio regnante, & ha-

buit nobilem discipulum Pythagoram, sed antiquior hoc fuit Mercurius Trismegistus, & ex Porphyrio de abstinendo ab esu carnium li. quarto, Essæi Iudæi generis prius hoc sensisse legitur, vnde hebræorum primum inuentum iudicandum est. *Iacob. Carpentar. in Alcinoi parte posteriore dig. 1.*

Animam immortalem posuisse Aristotelem satius est dicendum, & singulis hominibus animos proprios, quàm contrariam tenere partem. *idem, ibidem. dig. 10.*

Animi immortales si sint, & mundus æternus, animarum numerus infinitus erit, quod est naturæ contrarium. *Aug. Steuc. de peren. phil. lib. 7. cap. 15.* Animi immortales frustra, si mundus sit æternus: nam vel corrumpuntur in æternitate, vel immortales nullum alium mundum, & nullam aliam regionem habentes, semper has mortales sedes obtinentes semper abeunt, & redeunt ad corpora *idem, ibidem.*

Anima exterius ingredi cum ait Aristo. quis est, qui non videat Mercurium, Aratum, Pythagoram, Paulum Chaldæum aperientes, quod Aristoteles obscurè protulit, id est illi esse ortus diuinum, genus, generationem, natale diuinum, non mundanum, non corporeum corruptibile, diuinam stirpem. *Aug. Steu. de perenni philo. lib. 9. cap. 8.* Animam immortalem esse testator Aristo. in libro de moribus, vbi duas ostendit hominis vitas, alteram, qua viuitur secundum compositum; alteram, qua secundum mentem, & intelligentiam viuitur. *idem, ibid. cap. 9.*

Animam immortalem ait Aristoteles, quod mirum est si aliqui impugnat, cùm in tot locis id clarè ponat. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 9. cap. 10.* Animi immortalitatem Phocydes, è prisc. illis venerandis Græciæ, qui ante philosophos floruere confirmat, eámque diuinam, & à deo creatam, quam theologiam è sibyllinis carminibus desumpsit *idem, ibid. c. 15.*

Animos humanos retro sempiternos esse duæ rationes Platoni, & aliis persuasere: prima, quod habet naturam per se mobilem est sine principio: tum, quòd si sunt immortales, sunt ingenerabiles; nam omnia, quæ nascuntur, occidunt. si nascuntur, corruptibiles sunt, non sunt corruptibiles, ergo nec nati. *Aug. Steu. de perenni. philosoph. lib. 9. cap. 26.* Animi non possunt esse retro sempiterni. *idem, ibid.* Animæ immortalitatem clarè fatetur Seneca. *ibidem, cap. 31.*

Animi immortalitas est principium adiustè, & rectè viuendum, contra mortalitatis occasionem tribuit prauitati. *M. Ant. Nat. de immorta. anim. lib. 1.* Animi immortalitatem Pythagorici, & Platonici, & Mercurius ter maximus, & antiqui philosophi cæteri tenuere, quidquid senserit Aristoteles, cuius sententiam ipse occultare voluit. Huic etiam opinioni posteriores platonici, & multi ex Aristotelicis ascripsere. *idem, ibid.* Animæ mortalitatis error originem traxit in Græcia ab his qui primò philosophari cœperunt sensum sequentes, & nihil in mundo incorporeum dicentes *ibid.*

Animos durare post corpora per aliquot sæcula dixerunt Stoici, sed postea extingui. *Mar. Anto. Natta de immortalitate anim. lib. 1.* Animam mortalem esse persuadent hæc loca ab Aristotele desumpta quòd in ethicis ausus est dicere, quòd vltimum terribilium est mors, nec post eam videri bonum, vel malum superesse mortalibus: & in eisdem ethicis ait fortem virum exponentem se morti, se ipsum orbare maximis bonis, quibus est dignus: & vbi ait voluntatem esse impossibilium, & inter exempla immortalitatem recenset: & in iisdem ethicis ait mortuum non esse felicem; & in œconomicis ait, hominem solâ propagine assequi sempiternitatem. *idem, ibid.*

Animam immortalem Aristotelem affirmasse aiunt Peripatetici multi, & multos adducunt locos, vt in secundo de generatione animalium, vbi ait, intellectum extrinsecus accidere, vt qui per seipsum subsistat, nec habet actionem à corpore dependentem, & nullo corporis instrumento fabricari, & rem diuinam vocat: & primo de partibus animalium cap. primo ait, animam rationalem esse abstractam à materia simpliciter, ideò à physico non esse considerandam: tertio de anima, de vtroque loquens intellectu, agente, & possibili, affirmat intellectum, verè esse separatum à corpore, & ea de caosa immortalem esse: & in extremo septimi ethicorum ait, naturam nostram non esse simplicem, sed aliud inesse quod corruptibiles sumus, ostendens quod sit aliquid quod corruptionis sit expers: & in secundo de anima, intellectum ait separari à sensu: & in ethicorum primo, prospera ad defunctos amicos pertinere ait: & in politicis Heroibus assignat insulas fortunatas post mortem; & librum ait Laertius, Aristotelem composuisse, cui titulus est Eudemus, in quo clarè asserit immortalitatem animæ; quod etiam ait Themistius, & Plutarchus. *Mar. Anton. Natta de immortalitate animæ lib. 1.*

Animæ immortalitatem potius Aristotelem tenuisse existimo, nam loci pro immortalitate validiores, & firmiores videntur. *M. Ant. Nat. de immor. an. lib. 1.* Anima cum sit vita, & corpus conseruet, multò magis seipsam conseruabit, ergo immortalis. *idem, lib. 2.* Anima an mortalis, vel immortalis esset, dubium fuisse Aristotelem colligi potest, cum in lib. primo de anima ait, intellectum nihil forsan perpeti posse, illud forsan, est titubantis, & in 12. metaphysices quæstionem mouet, & non terminat. *lib. 1.*

Anima immortalis est, cùm non habeat aduersarium, nihil enim seipsum deserit. *Mar. Anto. Natta de immortalitate anim. lib. 2.* Animus humanus est immortalis, quia quod interit, interit vel ob aduersarij potentiam, vel defectu rei necessariæ: animus nullum habet aduersarium corpore non eget, ergo per se subsistit *idem, ibidem.* Animam participem diuinationis esse, non est leue argumentum immortalitatis. *ibid.* Anima humana simillima Deo est, ergo immortalis. *ibid.*

Animæ mortalitatem asserentes impugnant immortalitatem, dicentes, quòd si animi sunt immortales, infinita eorum est multitudo, si æternus ponitur mundus, & animarum transmigratio de corporibus in corpora, quod nobis non nocet, quia mundum desiturum putamus, & si esset mundus immortalis non ideò sequeretur absurdum, cùm in incorporeis non esset intolerandum. *M. Anto. Natta de immor. anim. lib. 3.*

Anima immortalitatem consequitur non à se, sed ab eo qui illam condidit, nec id repugnat naturæ suæ immortalem esse, & conseruatore indigere. *M. Anto. Natta. de immo. anim. lib. 4.* Animi immortales facti sunt, quia hic mali fruuntur iocundis, boni patiuntur aduersa, vt post mortem ante actæ vitæ merito, quod debetur persoluatur, virtuti præmium, iniquitati supplicium. *idem, de imm. anim. lib. 5.* Animarum immortalitatem impij plerunque non credunt, quia & gaudere non possunt *ibidem.*

Animæ immortalitatem ex Aristotele de nauis exemplo nobis deprehendere possumus. *Steph. Combrutius de ascensu mentis in D. in lib. 2. cap. 4.* Anima rationalis cum naturali quadam propensione desiderium ad inferiora descendendi concipiat, non solùm actione, sed substantia quoque descenderet, cœlestis anima hunc effectum moderatur, & vigorari non permittit, ideò non descendit ipsa *idem, ibid. lib. 2. cap. 8.* Anima rationalis fieri nequit vt perpetuis vinculis in corruptibili corpore remaneat alligata. *idem, ibidem. lib. 2. cap. 12.*

Anima, vt se habet ad corpus.

Animæ in hoc corpore somniant, extra vigilant. *Mar. Fic. in Plot. En. 5. lib. 5. cap. 14.* Animam donec corpori permistam homo habet, nunquam potest abunde adipisci id quod cupit, quod maximè patet, si cum iusti, vel boni, & similium essentiam perscrutari aliquis velit, tunc cogitando solâ cogitatione vtens nullo sensuum adminiculo, vnamquamque rem seipsam sinceram conetur venari, separatus quantum fieri potest à toto corpore, vt quod perturbat nec sinet animam veritatem rerum adipisci *Plat. in phæd.*

Animæ diuino, corpus mortali simile est. *Plato in phædo.* Animam vnaquæque voluptas, ac dolor, velut clauum habens ipsam affigit, & annectit ad corpus eique corpoream speciem inducit, vt opinetur ea vera esse, quæ corpus approbaret. *idem, ibid.* Anima si per sensus considerat, quod est per corpus considerare, oberrat, & perturbatur: at si per se ipsam considerat, illuc abit ad purum, & quod est semper immortale, & similiter se habens, vt quæ ipsi cognata sit, semper cum illo est, vbi ipsa per se ipsam fuerit, & ei licuerit, & aberrare quieuerit, & circa illa semper secundùm eadem similiter se habet, vt quæ talia attigerit, & hæc ipsa affectio sapientia appellatur *ibid.*

Anima similior est ei rei, quæ videri non potest, corpus ei, quæ videri potest. *Plat. in phædone.* Anima imperat corpori, corpus, vt subiectum seruit, & credit. *idem, ibidem.*

Anima quædam ipsa per se ipsam considerat, quædam per corporis facultates. *ibid.* Animæ voluptates ac dolores ante corporis voluptates, & dolores se nobis insinuant, quare contingit nobis, vt ob futura prægaudeamus, & prædoleamus. *Plat. in philebo.* Anima est quæ cepit contrarios corporis habitus, corpus quod dolorem, aut quandam voluptatem suscipiebat. *idem, ibidem.* Animas qui negligunt, & corpora exercent, simile est, ac si quis subditum admiretur, & imperatorem negligat *idem, in Clitophonte.*

Anima omnis cuiusuis inanimati curam gerit, & totum cœlum circuit, aliàs in aliis speciebus existens cùm autem perfecta est, & alata sublimia percurrit, & totum mundum gubernat; ea verò cui alæ defluunt, fertur donec quid solidum apprehenderit,

henderit, in quo habitatione constituta, mortali terreno corpore assumpto, quod seipsum per seipsum mouere videtur propter illius vim animal totum appellatur, & mortale cognominatum est. *Plat. in Phædro.*

Anima alas amittit hoc pacto, nam alæ facultas est solidum in sublime eleuare, vbi deorum genus habitat, & ex omnibus, quæ circa corpus sunt anima maximè quid diuinum est: diuinus autem pulchrum, sapiens, bonum, & quidquid huiusmodi est, & his nutritur, & augetur maximè alarum animæ natura: turpi verò, & malo corrumpitur, & perit & deus commutatos ob aurigarum prauitatem alas mittunt, & iuxta Adrasti leges in corpora descendunt. *Pla. in Phædro.*

Anima in secunda electione eligit quam vitam vult, vbi etiam in bestiæ vitam humana anima transit, & ex bestia in hominem, si tamen vnquam antea anima hominis fuit, nã quæ nunquã veritatem vidit, in hanc figuram transire nequit. *Plat. in phæd.* Animã qui curat, se curat, qui corpus, sua curat, qui pecunias, nec se, nec sua, sed remotiora curat. *idem, in Alc. primo.* Anima suâ virtute corpus quantum fieri potest optimum reddit, at non contra corpus animam. *idem, de republ. dial. 3.* Anima quantò corpore præstantior, tanto iustitia, cum sapientia adepta, præstantior est robore, & pulchritudine. *idem, Plat. de rep. dial 9.*

Animam corpore priorem, & antiquiorem, & origine, & virtute, velut dominam, & principem subditi constituit Deus. *Plat. in Timæo.* Anima circa dolores propter corpus multas afflictiones sustinet *idem, ibid.* Animæ vnde prior ortus prodiit, illinc Deus caput, & radicem nostram suspendit, & totum corpus eò erigit. *idem, ibid.*

Animæ commoda ignorare turpe est, & corporis commoda scire. *Plat. in Minoe.* Animæ autem corporis, quæ ex virtute omnia simpliciter, siue ipsa, siue imagine quadam ipsius hæreant, gestus, & concentus honestos esse diximus; quæ ex vitio, in totum contra. *idem, de leg. dial. 2.*

Anima cũ primùm corpori mortali alligata est, ob multas affectiones ab initio amens est: at cum augmenti, & alimenti fluxio paucior accesserit, & rursus circuitus tranquillitatem adepti viam suam iuerint, & progressu temporis magis sedantur, tunc iam ad naturalem figuram progredientibus singulis circulis, circuitus directi & alterum, & idem rectè appellantes, sapientes eos qui ipsos habent, afficiunt: si verò etiam recta quædam educatio institutionis opem simul tulerit, integer, & penitus sanus maximum morbum effugerit, at si ex negligentia claudam vitæ viam progressus fecit, imperfectus, & inutilis rursus ad orcum abit. *Plato in Timæo.*

Animam impij ignorant in primis, quod ante omnia originem habuerit & præ omnibus immutandorum, & transformãdorum corporum plenum imperium obtinet, ideò primò facta sunt, quæ animæ, quam corporum. *Plat. de leg. dial. 10.* Anima omni corpore omnino antiquior est, cum quod melius, & antiquius, & diuinius est, id probabile est deteriore, iuniore, & ignobiliore prius, & clarius esse & quod princeps est subdito, & dux eo, quod ducitur. *idem leg. dial. 4.* Animam nemo videt, & nullo corporis sensu percipi potest, ideò intelligentia comprehendi potest. *idem, de legibus, dialog. 10.*

Anima prius constituta est corpore, nam prius dicimus id, quod præstantius est & potestate, & tempore. *Timæus Locrus de anima mundi, & natura.* Animæ morbi ex corporis morbis sunt multi, sed alij aliarum facultatum, sentiendi sensus obtusus, memorandi obliuio, appetendi tum sublatæ tum immodicæ appetentia, patiendi feræ affectiones, & æstu percitæ rabies, rationalis indocilitas, & imperitia *idem, ibid.*

Animæ descensionis causæ plurimæ sunt quarum prima est, peccatum commissum ob aliqua, ideò descendit ad luendam pœnam, & promerendum aliquid, & ac leges Dei accipiendas: & hic mundus non debet intellectu carere: at intellectum habere non potest, nisi habeat animam. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 1. cap. 5.* Anima superius collocata intuetur substantiam rerum illic existentium, nec retinet ibidem, vt sitis, nec infima speculatur, quoniam altiora conspicit, ideò memoria non indiget, habet enim semper præsens obiectum, nec inferiorum scientiam amplius cupit. *idem, ibid. lib. 2. cap. 8.*

Anima descendens ab intellectu ad hunc mundum, non habet memoriam interim superiorum, nam si memoriam eorum teneret, in eis subsisteret, & vt hic existens non habet superiorum memoriam, sic ascendens non habet memoriã alterius quàm ipsius. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 2. cap. 6.* Animam porò consueta diuiditur per accidens, corpore diuiso: diuisim autem secundùm formam vocatur, cum dicitur, quòd imaginatiua est contra vegetalem, concupiscibilis præter irascibilem, quia vires animæ quædam sunt organis propriæ in corpore differentes, quædam autem sunt in toto corpore communes. *idem, ibid. cap. 8.*

Animæ ipsius in corpore est ibi, in quo operatio eius manifestatur. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 5. cap. 10.* Animæ nulla pars est in loco, nam quod loco continetur, corpus est, & cum dicimus vires animæ esse in aliquibus membris, non intelligimus quod sint vt in loco, sed quod ibi eius operationes sunt ostensiuæ. *idem, ibid.*

Animabus primo fuit vnus sensus, posterius organa, animalibus vero sensoria, & sensus tributi simul. *Arist. Theol. Ægyp. lib. 5. cap. 3.* Animæ animalium priusquam in mundo descenderent, sensitiuæ fuerunt, sed sensu intellectiuo: constitutis animalibus sunt sensitiuæ sensu corporali ab intellectu enim recipiunt virtutem sensitiuam, quam immittunt corpori, quæ est sit eadem, tamen corpori alio modo inest, id est sensuali, nã anima ad intellectum conuersa, corporalia spiritualia cernere facit, contra spiritualia corporalia facit. *idem, ibidem. cap. 2.*

Anima ex iure substantiæ intellectualis non indiget in mundo intellectuali aliquo promouente ad operationem, quia potens, & perfecta est recipiens spiritualia, in sensibili verò indiget tali promotione ad actionem, & in mundo intellectuali suam substantiam respicit, in sensuali nihil absque maximo labore considerat. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 5. cap. 2.* Animæ cuilibet suum subest proprium corpus, vt cuilibet corpori propria anima subest, siquidem corpori parato parata pariter respondet anima. *idem, ibidem, lib. 12. cap. 1.* Anima in corpus delapsa non extinguitur, sed ad tempus obruitur. *Plat. lib. 10. somn. Scip. lib. 1.*

Anima corpore vtens vt in instrumento, non cogitur corporeas suscipere passiones, vt nec artifices passiones instrumentorum, sensum autem fortè necessario, siquidem instrumento oportet vti animam per sensum passiones illatas extrinsecus cognoscentem, nam vti oculis videre est, sed & offensiones quæ circa visionem sunt, illi accidunt, igitur & molestiæ, atque dolores, & omnino quodcunque accidit circa corpus, itaque propter & cupiditates, anima videlicet curante proprium instrumentum: sed quomodo animæ corpus tradet aliquid sui? nam hoc nil aliud esset quàm si patiente aliquo aliud patiretur, at quatenus hoc vtitur, & hoc est vtens, seorsum sunt, separat itaque ille qui, vtentem tradidit animam. *Plot. Enn. lib. 1. cap. 3.*

Anima si mixta fuerit, quod deterius est, id est corpus, euadet melius, & quod melius id est, anima deterius, & corpus vitam participando melius fiet, anima verò mortem participando peior, & conditionem irrationalem participabit. *Plot. Enn. 1. lib. 1. cap. 4.*

Anima antequam à corpore per philosophiam separetur, quomodo coniuncta est? an forte miscebatur? quod si miscebatur, vel permixtio, & temperatio quædam erat, vel tanquam diffusa, & explicata per corpus, vel tanquam species minime separata, vel tanquam species attingens, vt gubernator, vel partim separatum, quod videlicet est vtens, partim verò mixtum quodcunque ipsum est in ordine eius, quod illo vtitur, vt philosophia, & hoc conuertat ad vtens & vtens abigat inde, nisi quantum anima cogat necessitas, adeò vt ita se habeat tanquam non semper vtatur. *Plot. Enn. 1. lib. 2. cap. 3.*

Animam in corpore ponere oportet, siue super hoc, siue in hoc esse dicatur, ex quo simul atque ipsa animal totum est appellatum & vtens corpore, vt instrumento, non cogetur corporeas suscipere passiones, vt nec artifices passiones instrumentorum, sensationem fortè necessario, siquidem instrumento oportet vti animam per sensum passiones illatas extrinsecus cognoscentem. *Plot. Enn 5. lib. 1. cap. 3.* Anima in seipsa, & ad seipsam inconcussa manet: permotationes autem, & perturbationes in nobis sunt ab iis quæ subiecta sunt, & ab iis passionibus, quæ pertinent ad commune, quodcunque id sit. *idem ibid. cap. 9.*

Anima si non sit mixta, sed diffusa, & explicata per corpus, non ex hoc eueniet, vt anima simul cum corpore patiatur, sed potest quod diffusum est per aliud impassibile permanere, & fieri potest, vt anima corpori se insinuans, eius non suscipiat passiones, vt lumen præsertim si ita sit per totum quasi se passim porrexerit, atque protenderit, non igitur ex eo accipiet corporis passiones, quod diffunditur, atque explicatur in corpus. *Plot. Enn 5. lib. 1. cap 4.* Anima est in corpore vt forma separata, siquidem essentia est, atque potius erit, vt vtens. *idem, ibid.*

Animæ propria iudicamus, quæ non indigent corpore ad agendum, nam alia sunt quæ corporea sunt, nec sine corpore fiunt; & cogitationem quæ discretionem, iudiciumque i-

maginum à sensu prouenientium agit, species iam spectare, & quodam quasi sensu prospicere; cogitationem inquam præcipuæ ipsius veræ animæ propriam, nam intellectionum actus est cogitatio vera, & sæpe externorum ad interna similitudo quædam atque communio. *Plotin. En. 1. lib. 1. cap. 9.* Anima ipsa contemplatur, & motus eius talis est, qualis non est corporum, sed est ipsius vita, præterea intelligentia sic nostra est, quoniam anima intellectualis est, atque hæc ipsa intelligentia vita melior extat, tum quando anima intelligit, tum quando intellectus in nos agit. *idem. ibid. cap. 13.*

Anima corpori materiam habenti immergitur, & si vis rationalis ostenditur, discernere prohibetur perturbationibus offuscata, & materiæ tenebris obruta, vt quæ annuendo prolabitur in materiam, & omnino non ad essentiam, sed ad generationem spectat, cuius origo est natura materiæ vsque adeò mala, vt illud etiam, quod non dum est in ea, solum verò eam prospiciens, eo impleat malo. *Plotin. En. 1. lib. 8. cap. 4.* Animæ mors est, & dum corpore mergitur, in materiam labi, ipsaque repleri, & postquam deposuit corpus, eodem loco euolui donec tandem ad superiora recurrat atque à cœno sursum tollat aspectum eliquin hoc ipsum fuerit, quod dicitur, animam delapsam ad inferos dormitare. *idem, ibid. c. 13.*

Animam è corpore nemo extrudat per vim, ne fortè exeat in locum similem migratura, aliquid exibit corporei nonnihil deferens, quo per similia emigrabit, emigrare est à loco in alterum locum pertransire: sed expectare debet quoad corpus totum ab anima ipsa deficiat, quando transmigratione non indiget, sed extra est omnino. *Plotin. En. 1. lib. 9. cap. 1.* Animæ si datum est tempus fatale ante ipsum haud fœliciter fit à corpore solutio, nisi id tanquam necessarium habeatur: & si qualis quisque exit talem ibi quoque retinet ordinem, non est à corpore animus extrahendus, cùm adhuc proficiendi possit esse accessus. *idem, ibidem.*

Anima antequam in generationem perueniat, labitur, ferens aliquid ex se ipsa, nec deuenerint in corpus, nisi passionum aliquid, & id quidem ingens haberet, & admittendum fortunas ingredienti corpus accidere, hoc ipsum videlicet, quod secundum vniuersi cursum ingreditur. admittendum postremò mundi cursum sic efficere, vt conducat simul in opere & impleat ex se ipso, quæ ab vniuerso sunt peragenda, quippe cum quæ in ipso vniuersi sunt cursu, partium ordinem sortiantur. *Plot. En 2. lib. 3. cap. 8.* Anima, cùm animal est nasciturum, vel cum efficitur musica, non est in potentia, sed est horum potestas. *idem En 2. lib. 5. cap 3.*

Anima si est essentia magnitudinis expers, incorruptibilem dotem sibi non deesse oportet, nec illi insunt passiones, sed in corpore ita, vt anima habens hæc, non habeat, & patiens non patiatur. *Plot. En. 3. lib 6. cap 1.* Anima ad hæc inferiora profecta, euidenter totus seruat naturam, nam & hic non solum partibilis est, sed etiam impartibilis, siquidem quod in ipsa diuisum in partes dicitur, modo quodam indiuerso est diuisum, per totum enim se corpori fundens, nec diuisa, eo quod per totum est, interim ex eo quod in toto est, dicitur esse diuisa. *idem, En 4. lib. 2. cap. 2.*

Anima corporis naturam format, gubernat, ordinat, & facit. *Plot. En 4. lib 3. cap. 7.* Animæ præter corporeas differentias differunt inter se tum in moribus, tum in cogitationis officiis & ex præcedentibus vitæ alterius institutis, *idem, ibid. ca. 8.* Anima corpus ingreditur duplici modo vnus quidem fit animâ iam coniunctâ corpori, atque vel solida corpora commutante, vel ex corpore aereo, vel igneo in terrenum perueniente alter modus est, quo anima est ex incorporeo in corpus quodlibet labitur, quod animæ est primum cum corpore commercium. *idem, ibid cap. 9.*

Animæ hominum descendunt non vnà cum intellectu, & caput earum restat super cœlum, Iupiter verò earum miseratus vincula earum, quibus laborant, solubilia formauit, & certis temporum interuallis intermissiones laborum instituit in quib liberæ viuerent à corporibus, vt ipse quoque ibi quandoque forent, vbi est mundi anima semper, circa hæc solicita nunquam. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 2.* Animæ à mundo intelligibili primo descendunt in cœlum. *idem, ibid. cap. 17.* Animæ inter se differentes fiunt vel ob diuersitatem corporum, quibus insinuantur, vel ob fortunas, vel rursus educationes: vel ipsæ prætereà ex seipsis differentiam secum ferunt, & omnino vel per hæc omnia, vel per aliqua discrepant. *idem, ibid. cap. 15.*

Anima non debet poni in corpore vt in loco, nam locus corpora continet, anima verò non est corpus, nec comprehensa, sed potius comprehendens. *Plot. En. 4. lib. 3. cap 20.*

Anima non est in corpore, vt in vase, sic enim corpus inanimatum relinqueretur, siue tanquam vas, siue tanquam locus animam contineret, nisi fortè anima dicatur in se ipsam esse collecta, & traductione quadam à se in vas aliquid suâ transmittere, & in quantum vas participauit, tantum animæ iam erit detractum. *idem. ibid.* Anima non est in loco, vt in subiecto: quod enim in subiecto est, est vt passio quædam eius in quo est; nec vt pars in toto, nec tanquam species in materia. *idem. ibid.*

Anima non propriè inest, sed adest corpori, non tamen vt gubernator naui, vel virtus gubernatori infusa gubernaculi, non enim gubernator est in tota naue, vt anima est in toto corpore. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 21.* Animæ vires quibus indiget corpus adsunt: quibus verò nō indiget non adsunt, ac sic adsunt, vt neque in partibus, nec in toto corpore sitæ sunt, & ad sensum ipsa sentiendi virtus toti sentiendi adest, ad actiones vero edendas iam vires aliæ aliis. *idem, ibid. cap 22.* Anima corpori inest, vt lumen inest aeri, separabiliter scilicet. *ibid.*

Anima quasdam actiones habet, quarum executio corporis indiget instrumentis, & harum vires secum affert, quarundam etiam virtutem secum affert & actiones: quātum vero ad memoriam pertinet, corpus impedimento est, ex quarundam adiunctione contingit obliuio, sed in ablatione, & purificatione quadam memoria sæpe nobis emergit: & animæ corpus causa est obliuionis. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 26.* Animæ si ab intelligibili mundo labantur, memoriam iterum suscitabunt. *idem, ibid. cap 5.*

Animam affectare salsa, vel dulcia non est putandum sed corpus. *Plot. En. 4. lib. 4 cap. 20.* Anima si est extra corpus, nullum sensibile perceptura est. *idem. ibid cap 23.* Anima sola diuisionem, passionemque patitur nullam; & passiones ad corpus, & corpori coniunctum pertinent *idem ibid. cap 18.* Anima nisi sit in vniuerso, nec corpus compositum, nec simplex erit in ordine rerum, si quidem ratio seminalis accedens facit corpus; & ratio aliunde proficisci non potest, quàm ab anima. *idem. En. 4. lib 7. cap. 2.*

Animæ commercium cum corpore Plato damnat, & sensibilia omnia contemnit, asserens animam corpori includi vinculis, & in corpore esse sepultam: & vniuersum hoc spelunca significat, & casus alarum, & iudicia diuina, & sortes fortunæ, & necessitates denique. in his omnibus adueniam animæ ad corpus criminari videtur: at in Timæo mundum laudat, & Deum appellat beatum. *Plot. En 4. lib. 8. cap 1.* Animæ ad corpora commercium in duo culpari solet tum quia intelligentiam impedit, tum quia voluptatibus, libidinibus, doloribus obruit animam. neutrum animæ incommodum accidit, quæ nec corporis penetralibus se immersit, nec alicuius sit, nec euaserit corporis, sed animæ corpus: hæc anima diuinus semper incumbet *idem, ibid. cap 2.*

Anima si corpori non solum assistens est, sed intra valde progreditur, penitus abiecit, & confracti rallygatur in corpore, & agendo sensibus viens, sepulta, & condita in spelunca est; at cum ab intelligentia se conuertit, solui è vinculis iudicatur, & altius ascendere *Plot. En. 4. lib. 8. cap. 4.* Anima omnis habet aliquid inferius erga corpus, & aliquid superius erga mentem. *idem, ibid. cap 8.* Anima nostra non vniuersa corpus ingreditur, sed est ipsius aliquid in mundo intelligibili semper, aliquid in mundo sensibili. *idem, ibid.*

Animam cùm audimus ascendere vel descendere, non putare debemus loca mutare, sed corpori insinuari, & hæc aliquid ex se tradere: ita tamen vt anima corporis non euadat. *Plot. En. 6. lib 4. cap. 16.* Anima nostra corpori vltra vitale vestigium impressum ab anima mundi, proprium imprimit vestigium vitæ. *idem, En. 6. lib. 7. cap. 7.* Anima cùm habet virtutis magnitudinem, accedet ad omne corpus viuificando, modo corpus ad eam accedat conformitate formabili. *idem, En. 6. li. 4. cap 6.*

Anima corpori alligatur conuersione quadam ad passiones prouenientes à corpore, & rursum soluitur, cùm à corpore nihil patitur. *Porph. de occas.* Animæ in hoc corpore dormit, cum in se sit naturaliter perpetuò vigilans. *Idem, de abst. ani.* Anima nec corpus est, nec in corpore, sed causa corporis, quoniā dum vbique est per corpus simul est, & in corpore nusquam: processus denique vniuersi in illud desinit, quòd nec vbique simul, nec nusquam esse valet, sed alternis vicibus vtriusque est particeps. *idem, de occasi. ni.* Animam passiuam reddunt facilè, vel difficilè differentiæ corporum, & minus, & magis promptam rationem habere præstant: verum secundum essentiam animam variare nequeunt, cùm nec sensus passiones reddunt inter se differentes, nec faciunt, vt perfectum transgrediatur. *idem, quod anima sensuales sunt rationales, & immortales.*

Animam corporis voluptatibus, & doloribus miscetur: & fit propterea quòd in corpore causa morbi fit, at ægritudinis in

nis in animo, & ex vtroque vnum ac distinctum malum ad hominem peruenit: sed secunda hæc animi ægritudo ad priorem corporis oppositâ se habet ratione hæc enim ab anima in corpus remissa, in eo accipit finem, nam laborante animo læditur corpus pariter, & tabescit. *Max. Tyr. ser. 18.*

Animæ essentia superior est omnibus corporibus, & omnibus animabus superior est intellectus naturâ, & omnibus intellectualibus substantiis superius est ipsum vnū. *Procl. st. Theo. 1.2.* Anima omnis æternum habet corpus, quod primò ipsius est particeps. *idem, ibid. c.27.* Anima omnis particularis, & descendens in generationem in infinitum, & ascendere potest à generatione ad ens. *ibid. c. 206*

Animæ omnis particularis vehiculum descēdit additione tunicarum materialium: colligitur verò ad ipsam animā per ablationem omnis materialis rei, & per recursum in propriam formam analogicè ad venientem animam. *Procl. in Theol. c. 209.* Anima omnis particularis descendens in generationem, tota descendit, neque ipsius aliud sursum manet, aliud descendit. *idem, ibid c.211.* Anima cùm inter intelligentia, & sensilia medium sortitur locum, quatenus intelligenti cohæret naturæ, iuxta circuitum agit; quatenus sensibus præest, iuxta rectū prouidet. *idem, in Eucl. lib. 2. c. 31.*

Anima descendit in generationem iuxta anguli recti indeclinabilem speciem, non vergendo ad hæc magis, quàm ad hæc. *Procl. in Eucl. lib. 2. c. 31.* Animabus non est naturale vnà cum corporibus vitam degere, & in generatione versari: sed contra separata, immaterialis, incorporee, viuere potius est animis consentanea *idem, in Alc. 1.* Animæ in generatione versantes similes sunt hominibus pestilentem regionem colentibus; quando verò extra generationem viuunt, vt Plato ait, hominibus prata colentibus similes. *ibid.* Animæ in generatione plures prauæ sunt, paucæ probæ *ib.*

Anima cum per corporis sensus ad illa, quæ sensibilia sunt descendit angitur, & turbatur nec similis esse potest illius, cuius præsentiâ perturbatur, quare intelligibilibus potius quàm sensibilibus similis est: at intelligibile semper incorruptibile. *Alcin. c. 25.* Anima naturâ corpori dominatur, diuinitati cognatum; quapropter Deo proxima est anima, ergo immortalis. *idem, ibid.* Animæ cum corpore congressio est vita, vt à corpore separatio est mors: at quæ sine medio contraria sunt, neque secundùm seipsa, verùm secundùm accidens quoddam sic à natura instituta sunt, vt ex se inuicem mutuò valeant fieri: ipsum viuere quod homines vocant, ipsius mori dicitur contrarium; at cùm corpore congressio animæ, ante corpus ipsam existere est: quòd si ante corpus fuit, & erat ante, erit & post mortem, ergo sempiterna. *ibid.*

Animæ ad corpus, ea est natura, quæ formæ ad materiam. *Amer. in comp. Platonis.* Animam prius corpore generari, & Aristotelis, & Platonis sententia. *B. ff. Card. in calumniatorem Platonis, lib. 2. c. 7.* Anima cohabitans cum prudentia, & sapientia, non potest frui deliciis corporis. *Phil. iud. de legu alleg. lib. 2.*

Animæ dum corpora transferunt, ipsæ quoque feruntur. *Mar. Fic. in Pla. Theolog. lib. 3. c. 5.* Anima ideò corpore nobilior est, quia est summæ bonitati propinquior. *idem, lib. 2. c. 3. ibid.* Anima materiam specie terminat, neque per se, neque per inquinationem corporis est diuisibilis, sed mobilis multitudo. *ibid. lib. 3. c. 2.* Anima integra permanens, atque simplex singulis corporis partibus tota, & indiuisa fit præsens. *ibid. c. 2.*

Anima, etsi in operandi facultate corporalem aliquam percipit passionem, in essentia tamē passionis est expers. *Mar. Fic. in Plat. Theolog. lib. 5. c. 3.* Anima si esset aliquod corporale, vel simulachra corporum eius faciem attingerent, vt speculum, vel eorum qualitates in profundam animæ substantiam penetrarent, vt in aqua sapores, & odores: si primum contingat, corporea fursan præsentia sentiemus, sed non poterimus absentia cogitare, nam simulachra non seruabimus: si alterum fiet, sensus gradatim semper, & cum corporis passione, & similiter memoria, & qualitates sine discretionis iudicio inuicem confundentur. *idem, ibid. lib. 7. cap. 1.* Anima cuilibet parti corporis adest tota. *ibid. c. 5.*

Animæ vis non acquiritur corporis incremento, sed ex ipsa animi industria comparatur ingenio vsu, affectu, nam momento vires animi comparantur, vt vires corporis tempore. *Fic. Plat. Theolog. lib. 8. c. 2.* Animæ corporalibus non pascuntur alimentis, sed spiritualibus *idem, ibid.*

Anima si crescit adolescens, non quantitate crescit, sed spirituali quadam æqualitate, & consonantiâ proficit. *ibid.*

Anima si originem traheret à corpore, quantò coniunctius corpori hæreret, tanto melius se haberet, at contra euenit, ergo originem non trahitâ corpore. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 9. cap. 2.*

Anima repugnat corpori imò omnibus corporibus, at nihil suæ origini repugnat, imò quicquid facit vi originis suæ facit, ergo anima à nullo corpore suam trahit originem. *idem, ibid c. 3.* Anima absque corpore operatur; non igitur est per corpus *ibid. c. 5.*

Anima corpori communicat partem, quam habet cum brutis, & plantis communem, siue illam potentiam interpretēris, partem verò præcipuam diuinis persimilem, in qua tota consistit anima rationalis, seiunctam habet à corpore in essentia, quinetiam in actione, & quoties operatur per intellectum primum, & naturali instinctu ad separatas rationes sese confert, ad singulas, & coniunctas formas non primo, aut recto, sed secundo & obliquo actu se torquet, quatenus ad simulachra vnde species intelligibiles procreant, se reflectit. *Fic. Plat. Theol. lib. 10. c. 2.*

Animum non implent oblectamenta terrena, sed titillant, illa res vereas affectat, & gaudia vera: res autem corporalea vmbræ sunt rerum, earūmque illecebræ vmbræ sunt gaudij. *Fic. Plat. Theol. g. lib. 14. c. 7.* Animæ humanæ non est præter naturam, vt corpori coniungatur, sed animæ huic sempiternæ naturale est, vt semper cum sempiterno sit corpore atque cœlesti, & ad tempus sit cum temporali corpore, & terreno, vt & planetæ cuique naturale est, vt semper in sphæra sua sit, ad tempus autem sub tali, vel tali signo, & postquam discessit à corpore habeat naturalem appetitum iterum conciliari corpori. *idem, ibid. lib. 15. c. 12.*

Animæ descensus in corpus confert, vt anima fiat beatior: procellis enim agitata mundanis, quàm quietus & dulcis sit in Deo portus & hic vaticinabitur, & illic discurret acutius. *Fic. Plat. Theol. lib. 16. c. 4.* Anima humana si non descenderet in corpus, inanes essent vires eius, phantasia, sensus, nutriendi virtus, quæ vires necessariæ illi sunt, si media esse debet inter angelos, & bestias *idem, ibid. c. 5.*

Anima in corpus descēdit, vt munera virium suarum expleat diutius non permanet, vt propter vilitatem inferiorum operum à melioribus muneribus diutius non vacet. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 16 c. 8.* Animas Plato in legibus esse ante corpora ita fortasse vult, vt naturæ dignitati id potius, quàm tempori tribuat. *idem, ibid. lib. 17. c. 4.* Animæ affectus ad naturam corporis augetur, quia corporis initium comitatur. *ibid. lib. 18 c. 3.* Anima non descendit in corpus, cùm loco non claudatur, sed momento creatur, & adest. *ibidem, cap. 4.*

Animæ, etsi loco nullo clauduntur, tamen Platonici dicunt, descendere è Cancro, & ascendere per Capricornum, & illum hominum, hunc deorum portam appellant, quia & Lunam, quæ generationis domina est, per Cancrum descendere aiunt, & per Saturnum ascendere, qui Capricorni dominus est, id est per intellectum, & quia Saturni virtus secò ad contemplandum prouocat. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 18. cap. 5.*

Anima in hoc corpore duo maxima habes impedimenta: alterum, quòd in plures distrahitur perturbationes, operationes autem variæ se inuicem impediunt, & debilitant, difficillimum est enim diuersis incumbere: alterum, quòd tum propter infimæ habitationis huius conditionem, tum propter ministerium corporale ad tempus hominibus assignatum actiones inferiores longe prius, attentius, sæpius, quam superiores exercet. *Ficin. epist. lib. 2.* Animæ cum diuinæ sint tamen profanè viuunt, quia profanam habitant regionem *idem, ibid.* Animæ rationales, quia nullo modo sunt corporea, sed ad corpora affectu quodam naturali declinat, idcirco manent essentia, & vita semper, sed quasi mobiliter animata verò virtute propria mouentur *ibid lib 2.*

Anima in corpore minimam habet proportionem ad veritatis lumen, & vera, quæ in illa refulgent, tribus de causis: prima est, quia anima est forma coniuncta corpori, illa est forma penitus separata: secunda, quòd anima naturalem conuertit affectum ad corporalia, qui affectus ab incorporalibus longè eam diuertit. tertia, quòd aciem agnoscendi frequenter conuertit ad sensum, & sensibilia, & eorum imagines in phantasia reconditas, quæ tanquam nubes quædam vsque adeò mentis aciem obumbrant, vt lucem intelligibilium mirabilem non discernat, dum splendorem earum non in seipso, sed in nubibus intuetur. *Fic. epist lib 2.*

Animæ secundùm Platonicos in corpore procedit cognoscendo à singulis ad species, à speciebus ad ideas extra corpus è conuerso ab ideis ad species, à speciebus ad singula. *Fic. epist lib 2.* Animas ad inferiora trāsire dicunt Theologi antiqui per cancrum lunæ domicilium; ideò antiqui cancrum portam mortalium appellarunt, capricornū huic oppositū deorum portam, per hunc enim purgatas animas reuolare in cœlestē patriam arbitrantur, quia vi studio ge-

nerandi descendunt, sic studio contemplandi ascendunt, cuius contemplationis Saturnus significator est capricorni dominus. *idem, epist. lib. 10.*

Anima in hoc vitæ statu corpore vestita est, ratio verò imaginatione, mens ratione. *Fic. in Dionys. Areopag. de diuin. nomin.* Anima inter intellectum, & corpus media, mediam quoq; actionem habet, & motum tum orbis, tum recti participem. *idem, ibid.*

Anima, vel natura, quoniam non est corpus, generat, & regit corpus: & intellectus cùm non sit anima procreat animam; sic ipsum vnum cùm non sit multiplicatum, non numerosum, non figuratum, multitudinem, & numerum procreat, & figuram; nullum enim eorum, quæ procreat esse potest. *Fic. in Plat. Parmenidem, c. 54.*

Anima per mentem habet quod semper intelligat, vt corpus propter animam quod sese moueat. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1 cap. 4.*

Anima est in causa vt corpora agant, & moueantur, quæ essentia incorporalis est, vnita corpori, non commixta, coniuncta, non dispersa, supra quam est mens, & essentia incorporalis, à corpore separata, ideò nihil habet commune cum corpore; illa stat essentiâ, & operatione, corpus vtroque fluit, anima essentiâ stat, operatione fluit; illa in æternitate, corpus in tempore, anima in vtroque: illa mouet, non mouetur, materia mouetur non mouet, anima mota à se mouet, ergo mens & materia sunt extrema, media corpus, & anima, corpus ad materiam declinat, anima ad mentem. *Fic. in Plat. Phileb. lib. c. 1. 4.*

Animæ lapsus ab ipso vno rerum principio ad corpora per quatuor gradus efficitur, per mentem, rationem, opinionē, & naturam: in omni enim rerum ordine sex sunt gradus; primus est ipsum vnum, infimus corpus, media sunt mens, ratio, opinio, & natura: necesse est quidquid ab vno ad infimum cadit, per quatuor media cadere: vnum est omnium terminus, & mensura infinitatis, & multitudinis: mens multitudo quidem, sed stabilis, & æterna: ratio multitudo mobilis, sed finita: opinio multitudo mobilis, & infinita, sed substantiis punctisque vnita: natura similiter, nisi quod per corporis puncta diffunditur: corpus autem infinita multitudo subiecta motui, & substantia punctis, & momentis diuisa. Hæc omnia respicit anima nostra, per hæc ascendit, per hæc descendit. *Fic. in Plat. Ionem.*

Anima vt corpus respicit particulares rerum mobilium formas opinione concipit, easque percurrit. *Fic. in Plat. Ionem.* Animæ carcer, & sepulchrum est corpus. *idem, in Plat. Cratilum.* Animæ status in corpore, non est cõtineri, sed corporis naturam continere. *ibid.* Anima quæcunque facit, homo agit, corpus patitur, ideò homo est anima. *idem, in Pla. conuiu. or. 4. c. 3.*

Anima semper eadem manet, corpus fluit, & labitur. *Ficin. in Plat. conuiu. or. 4 c. 3.* Anima sine corporis instrumento, per seipsam veritatem assequitur. *idem, ibid.* Animæ cibus est veritas ad eam inueniendam oculi, ad discẽdam aures maximè conferunt. *idem, ibid. or. 5. c. 2.* Animæ vires tactus, gustus, & odoratus corpori magis quàm animo conueniunt, ad spiritum verò pertinet ratio, visus, & auditus. *ibid.*

Anima, corpus, spiritus in nobis est, & cùm anima multum à corpore distat, per spiritum copulatur, qui vapor quidam est tenuissimus, & perlucidus, per cordis calorem ex subtilissima parte sanguinis genitus, inde per omnia membra diffusus animæ vires accipit, & in corpus transfundit, & accipit per organa sensuum corporum externorum imagines, quæ in anima propterea fingi non possunt, & in anima vt incorporea sumi non possunt, sed videntur in spiritu, vt in speculo, & per illas corpora iudicat, & hæc cognitio à Platonicis sensus dicitur; & dum ipsas inspicit in ipsa similes sed puriores concipit; & hanc vocamus imaginationem, & phantasiam qua memoriter seruantur imagines, & per has animi acies sæpe incitatur ad vniuersales ideas, quas in se continet intuendas. *Ficin. in Plat. conuiuium, or. 6 c. 6.*

Anima est in causa vt corpus moueatur, ipsa enim vim habet mouendi, & cuicunque adest, vim hanc mouendi impertitur, & cùm dicimus seipsam mouere, non transsumptiuè, vt à Platone accipi culit Aristoteles, sed absolutè accipimus verbum illud, vt stare per se Deum, lucere solem, ignem calefacere, sed tota ex se, id est suâ naturâ mouetur, hoc est ab alio in aliud ratione discurrit, ac nutritionis, augmenti, generationis opera per interualla temporum transigit, temporalis ista discursio ex seipsa competit animæ, quia quod super eam est, non aliis momentis alia, sed vno æternitatis puncto simul intelligit omnia: ideò primus motus, & primum temporis interuallum in anima ponitur: vnde & tempus, & motus in corpora transeunt. *Ficin. in Plat. conuiuium, or. 6. c. 15.*

Anima humana ita corporalibus blanditiis delinitur, vt propriam posthabeat speciem, & corporis formam, quæ sua vmbra est, sui ipsius oblita, sectetur. Hinc crudelissimum illud apud Orpheum Narcissi fatum. Narcissus adolescens, id est temerarij, & imperiti hominis animus, suum vultum non aspicit, sed eius vmbram in aqua prosequitur, & amplecti conatur, id est pulchritudinem in fragili corpore, & in aquâ fluenti, quæ ipsius animi vmbra est, admiratur, suam figuram deserit, & vmbram nunquam assequitur, quia animus corpus sectando se negligit, & vsu corporis non impletur: non enim reuera ipsum corpus appetit, sed sui ipsius speciem, à corporali forma, quæ speciei suæ imago est, illectus, vt Narcissus affectat, & cùm id minimè aduertat, dum aliud quid cupit, aliud sequitur, desiderium suum explere non potest: ideò in lachrymas resolutus absumitur, id est animus ita extra se positus, & delapsus in corpus, perniciosis perturbationibus cruciatur, & corporis infectus sordibus quasi moritur, cùm iam corpus esse potius quàm animus videatur. *Ficin. in Plat. conuiuium. ora. 6. cap. 17.*

Anima per quatuor gradus ab vno descendit, per mentem, rationem, opinionem, & naturam: si per quatuor ascendere debet, per poeticum furorem, mysterialem, vaticinium, amatorium. *Ficin in Plat. conuiuium, or 7. c. p 14.* Animæ nostræ quantum actus intelligentiæ remittitur, tantum potentiæ genitalis actus intenditur, & hoc est alas amittere, & labi deorsum ad corpus iam interius vegetandum, ac terrenam prouinciam gubernãdam. *idem, in Plat. Phædrum, cap 23.*

Anima nostra vires habet quibus contemplari diuina potest, & inferioribus prouidere: & cùm sit vltimum diuinorum, vtrumque simul prorsus implere non potest, probabiliter per vices implet tum cœlestem vitam degens, tum terrenam. *Mars. Fic. in Plat. Phædr. c. 27.* Animæ non citò recordantur idearum, sapientiæ, iustitiæ, & temperantiæ, quia similitudines suas hæ animis indiderunt, corporibus verò non: & si recordari debent, per syllogismos recordantur. Pulchritudo verò diuina, quoniam est splendor ipsius boni, in ipsa idearum serie micans imagines suas non solùm ad animas, sed etiam ad formas sensibiles manifestè propagat. Hinc nos & per interna, & per externa prouocat ad se ipsam: & quantò plus habet luminis, quàm ideæ tanto magis nos inflammat, & plus luminis habet, quia in cunctis est vniuersus splendor. *idem, ibid.*

Animæ corpori coniunctæ auriga est ratio; equi concupiscibilis, & irascibilis, hæc equus melior, illa peior: ratio in capite, irascibilis in corde, concupiscibilis in iecore collocantur. *Ficin. in Plat. Phædr. cap. 32.*

Animæ descendunt ad terrena habitu quodam corporeo, at ascendunt ad cœlestia habitus illius purgatione. *idem, in Plat. de repub. dial. 10.*

Anima iniusti hominis à seipsa discessit in corpus, labéque est infecta corporeâ: hanc vtique labem per denarium, qui vniuersus est numerus, expurgatura est vniuersam: quòd certè denarium oportet in se duci, centenarium procreando, significat animam à corpore ad se per rationem emergere oportere: deinde quòd opus sit denarium in se ipsum reducere, millenarium generando, allegoricè docet animam non solùm erga se verti debere per rationem, sed per intelligentiam quoque in se conuerti, atque ita in vnitatem reduci propriam, qua denique possit Deo frui summa omnium vnitate: lineares autem numeros, & superficiales, & solidos mysticè docent ad mentem purificandam, non solam extrinsecam operam, verborum, cogitationum superficiem, sed etiam profundissima quoque penetralia diligentissimè perquirenda. *Ficin. in Plat. de repub. dial. 10.*

Animæ ad composita declinantes corpora legibus fati magna ex parte subduntur, & vicissim fato duce illa labuntur. *Fic. in Plat. de repub. dial. 10.*

Animæ somnus testatur, & rationis impedimentum, & iudicij falsitatem. *idem, ibid.*

Anima capitur obliuionem antequam terrenæ matris vtero concludatur in corpore quodam ex aere crassiori composito in superiori cãpo: à cœlestibus corporibus ad terrena non solùm per elementum, sed per corpus aereum fit descensus. *ibid.*

Animæ tum ad seipsam, tum ad corpora, officium & qualitas est, vt & dissimilia faciat similia, & inæqualia communi quadam æqualitate connectat; siue enim agat secum ipsa, tam intelligentiæ (vt ita loquar) identitati quandam cõmi-

scet

scet alteritatem, quàm rationis alteritati quandam identitatem: similiter in imaginatione facit, & sensu, siue agat in corpus, in ordine quodam stabili quasi identitate producit motionis alteritatem, quod in cœlo apparet. item in cœlo in ipsa generationis alteritate per continuatum ordinem seruat identitatem, vtrobique conseruat essentiam, atque restituit. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 32.*

Animæ circuitus in mole corporis impeditur. *Fic. in Plat. Timæum cap. 8.* Animam rationalem solus Deus deinitat ab alio, at mortalia animalia generat Deus per deos, & dæmones. *idem, ibid. cap. 24.* Anima veniens in corpus, multum, diúque turbatur, quoniam à gradu quodam valde lucido, ad tenebrosum, longéque dissimilem repente descendit in corpus ab ipsa nimium alienum, à tranquilla vigilia, in somnum multiplicibus eam somniis agitantem: quæ quidem & nutritionis, & augmenti necessitate, & fluxu, & refluxu materiæ, & sensuum passionibus assiduè incidantur, & concitant, interim nouitate rerum admirationem stupidam diutius afferente. *ibid. cap. 8.*

Anima & corpus ita iunguntur, vt alterum nec superet omnino, nec contineat alterum quia neque anima naturam corpoream transmutat in aliam, nec corpus naturam animæ perdit, nec continet anima corpus, quo minus fluat, nec hoc illam quominus quandoque resurgat. *Fic. in Plat. Tim. cap. 27.* Anima continet corpus, ne subitò desluat: corpus animam continet ne intelligat expeditè. *idem, ibid.* Anima vitam quandam ex se, quasi splendorem suum propagat in corpus iam opportunè paratum, & hæc vita spiritibus quasi vinculis continetur. *ibidem.*

Anima humana semper corpori est coniuncta, assiduè æthereo corpori, per successionem terreno tum aereo corpori. *Ficin. in Plat. de leg. dial. 10.* Anima differt à mente, quia anima etsi existit in se vt mens, tamen fouet corpus, & fouendo format atque vna replet, quod mens ipsa non efficit. *Idem, in Plotin. En. 1. lib. 1. cap. 4.* Anima rationalis totam machinam corporalem sic antecellit, vt res mobilis ea se antecedit rem mobilem ab alio: dignitate enim antecellit, & tempore. Qui verò Platonem minus dissentire à christiana religione velit, exponat, animam nostram vel momento quodam temporis, vel saltem dignitate, & creatoris intentione præcedere. *idem, in Plat. de leg. dial. 10.*

Animam nostram corpori adesse, & non inesse patet. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 1.* Anima dum aliquid accipit à materia, fit deformis: accipit autem dum & affectu corpori cedit, & cognitione concedit. *idem, in Plot. En. 1. lib. 6 cap. 5.*

Animæ vitam hanc quondam sponte viuendique formam elegerunt priusquam in corpus venirent sub reuolutione fatali, ideò pristinam virtutem, suique rectricem auctoritatem, non tam amiserunt quàm ad tempus intermiserunt: quam cùm partim ipsæ decreuerint, partim fuerint diuinitus adiutæ, partim admonitæ legibus recipere possunt. *idem in Plot. Enn. 3. lib. 3. cap. 9.*

Anima generantis imprimit in spiritu charactere animali maximè proprium, cuius proprietate vel conceptum spiraculum ad familiarem redigitur animam, vel corpus saltem tali quadam potissimùm animâ fit animabile. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 9.* Anima rationalis corpori vitalis suæ substantiæ præsentiâ vitalem quandam infundit facultatem. *idem, ibid.* Anima nostra, rationis sibi naturalis officio potest totam naturam corpoream in esse etiam incorporea, totúmque tempus in æternitatem resoluere, vt in principium, & finem. *ibid. cap. 10.*

Anima quo tēpore nouum corpus ingreditur, ex præsente siderum positura fortunam hanc, aut illam sortiri putatur, electamque vitæ, vtcunque potest aliter, & aliter accidentem: tunc enim præsens siderum harmonia in nobis efficit aliquid, suo videlicet ministerio conferens ad eam vitæ sortem implendam, quæ maximè congruit vniuerso. *Ficin. in Plot. En. 2 lib. 3. cap 10.* Animam rationalem ad corpus non impellit siderum positio, sed primum ad hoc adducit naturalis quædam ad hoc animæ cura, deinde affectio quædam ex antecedentibus actionibus acquisita, postremo rationis electio cum natura tandem, & affectione consentiens. Natura & affectio tunc potissimùm vergit ad corpus, cùm opportunius consonet vniuersæ naturæ, neque tamen vi cogitur consonare, vt saltantes in tripudio cum cantu consonam & sonos nec tamen necessitate sunt, sed voluntate concordes. *idem, ibid.*

Anima rationalis vsque adeò regendis corporibus occupatur, vt à superioribus quandoque discedat per infimam sui partem, id est imaginationem, eiúsque affectum propensius ad inferiora vergentem. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 9 cap. 1.*

Anima nostra ideò in regendo corpore sollicitatur, atque laborat, quoniam neque summum tenet animæ gradum, quem obtinuit anima mundi, nec permanet in summo tota, cùm inferioribus prouidet: eam sane particularium animarum conditionem esse putat, vt per vices hoc, aut illud agant, quantum ad rationem, & imaginationem pertinet: quantum verò spectat ad intellectum, nullas agere vices, & quemlibet intellectum esse in æternitate constitutum. *idem, ibid. c. p. 2.*

Animam per esse suum, quod est viuere, atque sempiternam esse, ait Plato, semper viuificare corpus cœleste saltem animæ cognatissimam; Plotinus autem putat animam ab hoc etiam actu aliquando cessare, & id fieri cùm rationalis potentia vna cum imaginatione ad intelligentiam tota conuertitur. *Ficin. in Plot. En 3. lib. 4. cap. 3.* Animæ affectio primæ siue naturalis, siue electoria multùm corpus afficit, & pro animæ qualitate talem induimus dæmonē vt eam mus. *idem, ibid. cap. 4.* Animæ status in aereo corpore est accommodatissimus purgatorio iudicio, ibi enim est afflictio spiritus in peccantibus, & propter minorem distractionem facilior occasio pœnitentiæ, expectatio que profectus quidam in anima, & futuri status electio. *ibid. cap 5.*

Animæ omnis cognitio etiam ad corporalia vergens, est actio quædam animæ, nec interim patitur inde *Fic. in Plotin. En. 3. lib 6 cap 5.* Animam cùm dicimus diuisibilem, non propriè vt de corpore vel qualitate dicimus, sed impropriè non sectam intelligentes secundum corporis sectiones, vt qualitas, sed accommodatam corpori mobili, diuisóque, viresque suas, & actus, & dona, aliis membris aliis tribuere. *idem in Plot. En. 4. lib. 1. cap. 1.*

Animæ declinantes ad corpus, præter intimas inter se differentias, differunt quoque per actiones varias circa varia corpora, & per corporum ipsorum varietatem. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 3.* Animæ non accipiunt numerum ex numero corporum, vel corporalium qualitatum, quasi vna mundi anima per diuersas affectiones corporum propagetur in multas, & omnis anima per se semper existit vnum numero, vt in sola essentia suum habet esse, & esse suum idem est ac vnitas eius. *idem, ibid. cap 8.*

Anima corpore longè præstantior, vnitatem in seipsa numeralem propriam retinet semper, non solùm specialem, sed eandem numero. *Fic. in Plot. En. 4. lib 3 cap. 8.* Anima insinuatur corpori, aut ab incorporeo statu, aut à corporoventu in corpus, & si à corpore aut à liquido in liquidum, aut à liquido in solidum, aut à solido in solidum, aut solido in liquidum. *idem, ibid. cap. 22.* Anima adest corpori inseparabiliter, vt lumen aeri. *ibid.* Animæ quælibet vis est in qualibet parte corporis tota, vt anima, sed dicitur ibi agere vbi habet instrumentum sibi seruiens, & ibi principaliter vbi principium habet instrumenti. *ibid. cap 23.*

Anima dum in hoc corpore attentior est ad aliud se ipsam interim cognoscit, quia potentia eius hic debilis est, & quod cogitatur ab ea, non est principium animæ, sed cum diuinum mundum contēplatur, vtque corroborata est, & principia sui conspicit, se ipsam, habitúmque suum, & gesta prorsus agnoscit. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 2.* Anima indiuidua similiter est in quolibet tota. *idem, ibid. lib. 4. cap. 19.*

Anima duobus modis corpori deuincitur: vnus vergit ad animam, id est viuificus eius actus emicans ergo corpus: alter declinat ad corpus, id est qualitas ipsa quasi vitalis per hunc actum corpori infusa; & sic corpus alligatum ad animā pertinet, & fit nostrum. *Fic. in Plot. En. 4. l. 4. c. 19.* Animam corpori coniunctam necessariò sequitur sensus. animæ stellarum sphærarum mundi sentiunt; mundus sentit per aliam sui partem, vicissim per aliam, item per totum partes. *idem, ibid. cap 24.*

Anima non solùm est in corpore animato, & actus viuificus animæ continuus, vt in luminoso lumen in corpus suum emicans, sed etiam est quoddam vitale vestigium quasi sub lumine calor, calorem dico naturalem, & spiritum motibus aptum, qui ad breue restare potest in corpore post discessum animæ, & motus quendam edere, qui cùm resoluitur aer vitalis, & animalis potest diutius superesse, & ab anima, vt coagulo consentiat, animam sequi, futurum quasi fermentum aereo corpori post obitum congregando afficiendóque vitaliter. *Fic. in Plo. En. 4 lib. 4. cap. 29.*

Anima quatenus obsequitur corpori, sequitur fatalem mundi circuitum, potest tamen, & magnanimitate passiones corporis paruipendere, & eas arte declinare, vel leuare. *Ficin. in Plotin. En 4. lib 4. cap. 34.* Animæ liberæ sunt, fatum ad corpus tantum pertinet, & ad vitam corpoream. *idem, ibid. cap. 39.*

Anima dupliciter se habet ad corpus, partim vt substantialis quædam species ad materiam, quoniam per eius præ-

sentiam certa quædam humorum temperatura, spiritúsque vitalis in corpore nascitur, partim verò tanquam vtens ad instrumentum, quantum pro arbitrio mouet corpus, atque est à corpore separabilis, & iam quodammodo separata. *Fic. in Plotin. En. 4. lib. 7. c. 5.* Anima rebus caducis dominari potest, incitamentisque corporeis repugnare. *idem, ibid. c. 5.* Anima multa à corporibus separata excogitat, siue res ipsas attingat per se separatas, siue separet ipsa. *ibid.*

Anima semper viuit etiam à corpore separata. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 7. c. 51.* Animæ cum corpore coniunctio, etsi secundùm quandam animæ naturam, & etiam ad vniuersi perfectionem, tamen duplici ratione animis nostris obest, quia & intelligentiam quodam modo impedit, & animum perturbationibus implicat: animis verò cœlestibus hæc impedimenta non accidunt. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 3. c. 2.*

Animæ per naturam genitalem, cùm coniunctio cum corpore sit naturalis, ideò cœlestes animæ, quæ hac solâ potentiâ vtuntur ad corpus, in habitu naturali felicique consistũt, cùm earum corpora nec dissoluenda, nec externis passionibus subdita, nec vllius egena sint, facilè per solam animæ suæ vim genitalem regantur atque moueantur, nec eandem contemplationem tranquillitatémque impediant: animis verò nostris contrariâ ratione accidit: datur enim redditus ad superna, quandoque fit ad superna conuersio. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 8. c. 2.*

Anima nostra, cùm sit in vltimo gradu diuinorum, meritò descendit in corpus, & id quidem caducum, ad diuinum gradum iterum tenet sura. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 7. c. 13.* Anima venit in corpus non solùm infirmitate quadam in diuina vltra consistere non valente, sed etiam potestate naturæ fœcundæ pullulantis in germen, forma namque corporea est animæ fœcundæ propago. Simili quadam fœcunditate primum bonum in mentem exuberat vniformem, hæc in similem mundi animam, hæc in mundum similiter vniformem; item causæ omnes in suos effectus; denique superiorum prouidentiam imitatur animus ad inferiora se trasfert quodam studio prouidendi. *idem, in Plotin. En. 4. lib. 8. ca. 6.*

Anima ad inferiora labitur, vt ait Porphyrius, cùm quasi ager deprauatur, vt qui multis annis produxit triticum, reddat postremò lolium; id est solitus intellectuales notiones edere, iam ferat imaginales, tunc è radicibus animæ pullulat vegetatiuus actus, quasi germen, per quod in corpus iam perfectum anima corpori se coniungit. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 8. c. 2.* Anima cùm sit indiuidua vbique tota existit, & quod suscipit illam, non diuisam suscipit totam. *idem, in Plot. en. 6. lib. 4. c. 8.*

Anima cùm sit prior omni re corporea, à nullo depẽdet, nullo igitur loco indiget, nulli est addicta, ad omnem locum indifferenter æquè se habet, ideò & vbique communiter est, & nusquam nisi anima quædam per proprium affectum quandoque ad aliquid proprium sese applicat. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 4. c. 8.* Animæ idolum intellige vitale spiraculum animæ circa corpus, quod in nobis est geminum, alterum ab anima nostra, alterum ab anima mundi: nostrum ab anima nostra separari non potest, sed ab affectu vacare, mundanum ab anima nostra segregari potest. *idem, in Plotin. en. 6. lib. 4. c. 16.*

Anima cùm sit forma viuens & sensualis, agit circa illa, quæ secundùm vitaliter, atque sensualiter: & quia est in corpore vsque ad certum spatium operatur. *Fic. in Theophrastum c. 21.* Anima in ordine prouidentiæ & prior est, & prius distincta, quam corpus, nam corpus tot accipit instrumenta quot formas animæ iam tot vires habenti, quum vires formales sint, & formaliter secundum speciem distinguantur, qualis distinctio à materia non procedit. *idem, ibid. c. 22.* Anima cùm sit domina corporis, ideóque substantia longè præstantior, meritò corpus huius gratiâ factum atque dispositum est. *ibid.*

Anima quamdiu corpori est alligata, quia à sensibus in intelligendo dependet, prius rerum naturalium substantias cognoscit; his demum excitata, ad substantias abstractas intelligendas erigitur. *Gabriel Buratellus de animi natura, lib. 3.* Animi ad corpora demittuntur ob imbecillitatem, vt aiunt Platonici. *Seb. Foxius in 10. Platonis de re. ub.* Anima, cùm sentit in corpore, non ab illo aliquid patitur, sed in eius passionibus attentius agit. *Iac. Carpent. in Alcinoi c. 4.*

Animam Plato vult in corpus descendere quasi in carcerem: Aristoteles verò vult inter animam & corpus naturalem quandam intercedere cognationem, & hoc ab illa appeti, quia in se continet instrumenta necessaria ad eas actiones obeunda, quarum anima est principium: cui tamen opinioni Plato quasi sui oblitus quodammodo assentiri nonnunquam videtur. *Iacob. Carpen. in Alcinoi digres. 1.* Animã corpore priorem Plato asserit, quod Aristoteles negat. *idem, ibid.*

Animabus plura cernimus, quàm oculis corporeis. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 5. c. 28.* Animæ descensus est ortus ex casu Adami, nec non angelorum præuaricantium. *idem, lib. 9. c. 29.* Animæ quomodo in corpus descendant, tanta est inconstantia apud Platonem, vt appareat, nihil eum certi habuisse, quod statueret. *ibid. c. 28.* Animæ ascensus, & descensus, quem scribit Plato in Timæo per ea quæ in aliis suis libris scribit refellitur. *ibid.*

Animus aduenit in corpus, fœtu in vtero matris formato. *M. Ant. Natta de immor. ani. lib. 5.* Animæ corpora nullum afferunt nocumentum. *idem, ibid. lib. 2.* Animæ etsi sint in corpora tamẽ eas nõ sustinẽt, sed animus ea sustinet. *ibid. li. 3.*

Animarum descensum ascensus præcedit ex Arist. & Plat. sententia: ideò cùm ipsarum ascensum cognoscere poterimus, eius descensum facilè cognoscemus. *Steph. combent. de ascensu mentis in Deum lib. 5. c. 1.* Animarum descensus nil aliud est, quàm animarum insinuatio in corpore. *idem, ibid. c. 4.* Anima cùm à primo bono, vt vnum, & ab intellectu, vt mens proficiscatur, & à se sit mobilis, hinc efficitur vt sit motus principium, non corpus viuificans, sed eo vtens vt viuificato. *ibid.*

Anima non necessitate descendit, sed electione præcedente. *Steph. combent. de ascensu mentis in Deum lib. 5. c. 7.* Animæ ascensus in Deum hominibus à natura insitus. *idem, lib. 3. c. 5.* Animæ ascensui conferunt alæ, intelligentia, & voluntas, sed ex Platonica disciplina magis prodest voluntas, quàm intellectus. *ibid. c. 5.* Anima vt ascendat duobus indigemus solutionis modis; vnus perficitur purgatione animi, reliquus habebitur si animæ rationalis apice speculabimur. *ibid. lib. 5. cap. 3.*

Animæ intelligentes idcircò cum humanis corporibus consociantur, vt rerum omnium vniuersitas vnitatis vinculo quàm arctissimè colligatur ac vinciatur. *Leo Heb. de amo. dial. 2.* Anima inter intellectum, & corpus media collocatur. *idem, ibid. dial. 3.* Anima duas facies gerit, quarum superior ad intellectum conuersa, ratio; inferior verò ad corpus propendens, sensus nuncupatur. *ibid.* Anima propter acerrimam, & vehementissimam contemplationem corpus aliquando deserit, exaniméque relinquit. *ibid.*

Anima vt mala & bona, & cum homo ladit.

Animæ maximum malum est iudicium falsum. *Plat. in Phædone.* Animæ improbitas est seditio, & morbus. *idem. in Sophista.* Anima in vita ignorat. *ibid.* Animæ improbitatis duæ sunt species, alia velut circa corpus morbus, alia vt turpitudo. *ibid.* Anima desipiens & turpis, & immoderata est. *ibid.* Animæ mala duo sunt, improbitas, & ignorantia, contra quas est iustitia, & docendi ars: docendi artis duo sunt genera, vt ignorantiæ: nam alia est ignorantia quæ nescit, & se scire putat, cui aduersatur eruditio, cuius alia est admonitio, alia est per reprehensionem confutatio. *ibid.*

Animæ dolores sunt ira, timor, desiderium, & lamentatio, æmulatio, & inuidia. *Plato in Philebo.* Animam suam qui nõ cognoscit, nec rempublicam gubernare potest. *idem, in Alcibiade. 1.* Animæ prauitas iniustitia & petulantia. *idem in Gorgia.* Anima amentiore cribro assimilatur, vt quæ non possit continere propter infidelitatem, & obliuionem. *ibid.* Animæ ordo, & ornatus est iustũ, & lex. *ibid.* Anima suum ornatum habens melior est, quàm inornata: & ornata est temperans. *ibid.*

Anima temperans faciet quæ decent erga homines, & deos: at erga homines iusta & erga deos pia: anima ergo temperans erit iusta, & pia, & fortis erit; non enim temperati viri est aut persequi aut fugere, quæ non decent: temperans ergo perfectè bonus est; bonus bene agit, bene agens beatus est, & fœlix: & contra malus miser. *Plat. in Gorgia.* Animam ab imperitia liberare maius beneficium est, quàm si corpus à morbo liberatur. *idem, de mendacio.* Animam bonam habens, bonus vir est, malam malus. *idem, ibid.*

Animæ habitus vacuationes sunt ignorantia, & insipientia. *Plat. de repub. dial. 9.* Animæ virtus est iustitia, vitium iniustitia. *idem, ibid. dial. 1.* Animam circa res ipsas mentiri, ac mentitam, & imperitam esse, & in hac habere, & possidere mendacium, omnes minimè admittunt, & ipsum maximè odio in anima habent. *idem, ibid. dial. 2.*

Animam bonam qui habet, bonus est, at callidus qui mala coniecta, qui ipse mala iniustè facit, & qui se versutum, & sapientem esse putat, quando cum similibus conuersatur præstans, & verecundus videtur, dum ad exempla, quæ in seipso sunt, respicit; quando verò cum bonis, & senioribus iam congreditur improbior iam apparet,

impor-

importunè fidem non habens, & sani moris ignarus, vt qui talia exempla non habeat: & cùm sæpius cum prauis quàm cum sapientibus conuersetur, sapientior quàm imperitior, & sibiipsi & aliis esse videtur qui non est bonus iudex. *Plat. de repub. dial. 3.*

Animæ generosissimæ malam institutionem adeptæ insigniter malæ fiunt. *Plat. de repub. dial. 6.* Anima cùm ad hoc innititur, quod veritas, & id quod est illustrat, tunc & intelligit, & cognoscit ipsam, & intelligentiam habere videtur: at cùm ad hoc, quod tenebris permixtum est, quòdque fit, & perit, tunc & opinatur, & cæcutit, & opiniones sursum, ac deorsum versat, & intelligentiam non habenti similis est. *idem, ibid.*

Anima duobus causis turbari potest, & impotens redditur: ea lucidiore vita progressa, ab imperitia tenebræ inducuntur, aut ex ampliore imperitia ad lucidiorem vitam progressa, illustriore splendore impleta est: vtque si hanc ob affectionem, & vitam fœlicem prædicabit, illius autem miserebitur, & si ridere voluerit minus ridiculus risus ipsius ob hanc censebitur, quàm ob illam, quæ ex supernis de luce progressa est. *Plato de repub. dial. 7.* Animæ virtutes omnes appellatæ propè ad corporeas accedere videntur, quum enim prius reuera non insint, postea ius consuetudine, & exercitationibus induci videmur, sapientia præ omnibus vim nunquam amittet. *idem, ibid.*

Anima ad veritatem mutilata est, quæ voluntarium quidem mendaciũ odit, & ipsum ipsa grauiter fert, tum reliquis mentientibus irascitur, & succensset, inuoluntarium verò facilè admittit, & si in imperitia alicubi deprehendatur, non succenset, sed facilè velut suæ in imperitiæ sordibus se volutat. *Plat. de repub. dial. 7.* Animæ impetuosam speciem nonne ad obtinendum quid, & ad vincendum, & ad gloriam totam concitari diximus, ideò si contentiosam, & ambitiosam dixerimus, rectè appellabimus. *idem, ibid. dial. 9.*

Animæ optima pars est, quæ computationi, & mensuræ credit, quæ verò huic aduersatur aliqua ex vilibus in nobis est. *Plato de republ. dialog. 10.* Animæ morbum dementiam esse concedendum est. *idem, in Timæo.* Animæ maximi morbi censendi sunt voluptates, & dolores excellentes. *ibidem.*

Animæ varios morbos inducunt; cùm acidæ, & salsæ pituitæ amaræ & biliosi humores per corpus errantes foras respirationem non acceperint, sed intus obuoluti, vaporem de se prodeuntem animæ lationi admiscuerint, ad tres animæ locos delati, varias difficultates, & tristitiæ species, varias audaciæ, & timiditatis, varias insuper obliuionis, & ad discendum tarditatis afferunt: & si præterea sic à natura malè constitutis accesserint prauæ respublicæ, sermones vitiosi in ciuitate, & disciplinæ quæ his mederi possint à teneris non discantur, mali omnes hac ratione euadunt. *Plat. in Timæo.*

Animæ abiectæ viri nunquam statutum est trophæum. *Plat. in Atlantic. 2.* Animam puram habet bonus, malus impuram. *idem, de legibus, dialog. 4.* Animam suam qui sermonibus quibusdam, aut muneribus auctioram esse putat, & non meliorem ipsam ea deteriore efficit, is colere quidem videtur, sed non hoc facit, sed illam lædit. *ibidem.* Animam suam lædit, quum homo suorum peccatorum, & plurimorum, ac maximorum malorum non seipsum, sed alios causam esse putat, se ipsum autem semper velut insontem eximit. *ibid.* Animam suam lædit aliquis, & non honorat, cùm voluptatibus præter rationẽ, & laudem legislatoris indulget. *ibid.*

Animam suam lædit, qui labores, qui laudantur, & timores, & dolores, ac mœrores tolerando non sustinet, sed cedit. *Pla. de legib. dial. 5.* Animam suam colere vnusquisque debet secundo loco post Deos, & eos qui hos sequuntur. *idem, ibid.* Animam ignominiã afficit, qui viuere omnino bonum esse ducit; nam quæ apud inferos aguntur omnia animæ mala esse putans, cedit, & non resistit, docendo, ac redarguendo, quod non nouit: an contra omnium bonorum maxima nobis sint ea, quæ circa deos, qui illic sunt, peraguntur. *ibidem.* Animam lædit, qui pecunias non rectè acquirere studet, & adeptus illas non modestè fert. *ibid.* Animæ ignominia est pulchritudinem virtuti præferre. *ibid.*

Animam nec aliud quicquam alieno malo in alio contingente, proprio autem vniuscuiusque non obueniente, perditum iri dicemus. *Plat. de repub. dial. 10.* Anima vnaquæque iusta facere debet, etiam si habeat Gygis annulum, & insuper, & Orci galeam. *idem, ibid.* Anima optima totius mundi curã gerit, & ipsum illam tali via ducit. *ibid.*

Anima causa est bonorum & pulchrorum, malorum item & turpium, iustorum item & iniustorum, & omnium contrariorum, si omnium ipsam causam asseremus. *ibid.*

Anima quæ tardam & contrariam naturam moderatè, & mãsuetè suscipit, facilis est, & fortitudinem admiratur, & ad temperantiam obsequens est; & quod maximum est in optima natura, ad discendum idonea est, & memoriã prædita, & valde his ipsis gaudere potest, quòd discendi cupida est. *Plat. in legum append.* Anima omnis actionis, & motus causa est, at motus ad bonum bonæ animæ, ad malum contrariæ. *idem, ibid.*

Anima postea contemplatur seipsam, nondum ex natura sua propter corpus egressa, nondum omnino corpus compactum est, ac seipsam vndique conspicit: non adhuc corrupta est a corporis passionibus mundi totius anima tunc dependens: at cùm compactum est corpus, animam in sui molem diuisam dispergit, & distrahit, tunc obliuioni subiicitur, pulchri, & boni visione priuatur. *Merc. Trismegis. Pimander. c. 10.* Anima impia in natura propria remanet, seipsam nimium cruciat, corpus quærit terrenum & humanum, aliud enim corpus quàm humanum animam non capit humanam, nec fas est in corpus animæ ratione carentis humanam rationalem corruere, lex enim diuina generationem tam nefariam prohibet. *idem, ibid.*

Anima infusa corpori à voluptate, & continuo dolore deprauatur, ex corporis enim commixtione voluptas, & dolor, ve riuuli quidam scaturiunt, in quos madens anima suffocatur, vt quibus animis mens præsidet, suo illa fulgore illustrat, earum morbis, & malis resistens, & vt medicus peritus corpus purgat, sic mens animam, vt radices voluptatis euellat, & inter mala maximum malum impietas, & opinio ad malum allicit: at quæ hominum animæ mentem non sunt fortitæ, eadem patiuntur quæ brutorum animæ. *Merc. Trismeg. Pimand. c. 12.*

Anima pudentis, & verecundi est vel falsã vituperatione grauari, cùm etiam qui delicti alicuius conscij sunt, tamen cum malè audiant impendio commouentur, & obirascuntur, quanquam exinde vbi malefacere cœperunt, consuetudine malè audire. *L. Apul. Apologia 1.*

Anima non est mala natura, sed malum est debilitas quædam, & defectus à bono. *Dionys. Areopag. de diuin. nominib.* Animæ, & cætera omnia eadẽ conditione, & sunt, & bene sunt, sunt, fiuntque, & bene sunt, ex ipso bono ens vniuersum exuperante, in ipso quoque, & sunt, & bene sunt, ab ipso quidem exordiuntur, & in eodem, & conseruantur, & in ipsum denique finiuntur. *idem, ibid.*

Animam qui non peccare tradit, vnum quiddam simplex omnino ponit, idem accipiens animam, & animam esse: qui verò eam peccare dicit, coniungit ipsi, & considerat, insuper aliam animæ speciem, passiones graues habentem, compositum ex omnibus animã fit & patitur secundùm totum, peccatque compositum, atque id est quod pœnas dat ipsi non aliud. *Plot. En. 1. lib. 1. c. 12.*

Anima virtutes quæ sunt in intelligentia possidet, quæ in ipsa anima separata fundantur, separata inquam, & separabili etiam quatenus hic est, siquidem & quãdo ipsa omnino abest, illa etiam quæ ab ipsa emicat abit eam comitans: virtutes autem, quæ non prudentiã, sed consuetudine quadam exercitationeque prouenerant, communes ipsius esse videntur, at huius sunt & vitia, quoniam & æmulationes, & misericordiæ. *idem, ibid. c. 10.*

Anima turpis est quæ intemperans est, ac iniusta, & pluribus cupiditatibus abundans, nihil nisi mortale cogitans, obliqua animo semper versans, impuris voluptatibus mancipata, materialem naturam in se contraxit, & in deterius prolabens, iam ferme speciem suam in alteram commutauit; vt si quis limo, cœnòque peruolutus, haud vlterius priorem præferat pulchritudinem, & si vult priorem acquirere pulchritudinem, opus est infecta diluere, & purgatione rursus esse quod erat. *Plot. En. 1. lib. 6. c. 5.* Anima mixtione, confusione, commercio cum corpore atque materiã turpis euadit, nam eius turpitudo est non esse puram, & sinceram. *idem, ibid.*

Anima nihil malum patitur, modò suam seruarit puritatem, quam nisi seruauerit, non mors est illi malum, sed vita malum est. *Plot. En. 1. lib. 7. c. 3.* Anima secundùm se non est mala, sed illa praua est, quæ seruit illi cui prauitas animæ naturaliter esse potest, quasi irrationalis animæ species malum subeat, immoderationem, & excessum, atque defectũ, ex quibus intẽperantia, & timiditas, aliáque animæ prauitas velut passiones inuoluntariæ oriuntur, ex quibus & opiniones falsæ, per quas bona, vel mala quis putet, quæ persequitur, aut fugit. *idem, En. 1. lib. 8. c. 4.*

Anima si boni defectu videt tenebras, & eis mergatur, malum animæ erit in tenebris situm, & in defectu, & id malum

erit primum; secundum sit tenebrositas ipsa, malúmque naturaliter non in materia primum, sed etiam ante materiã, aut certè non in quouis defectu, sed in defectu vniuerso consistit malum. *Plot. En.1.lib.8.cap.5.* Animæ debilitatis, & prauitatis causa est materia. *idem, ibidem. cap.14.* Animã oporret intellectui duntaxat hærere, & in eo locatam firmiter permanere, nec ad id vnquam quod est deterius declinare. *ibid cap.15.*

Animæ passio hæc accidit, quòd in optimo vniuerso non consistit. *Plot En.1 lib.9 cap.2.* Animæ proborum à seipsis liberè honesta facinora, aliorum quatenus respirauerint & expeditiam fuerint, eatenus liberè, & honesta similiter agunt, nec aliunde nanciscuntur sapientiam, quatenus sapiant, sed cùm primum non impediuntur vti sapientia sapiunt. *idem, En.3.lib.2 cap.10.* Animæ iniquæ cùm bonas lædunt, vel malas, non est prouidentiæ impotentium, sed causa ab exigente exigenda. *idem, En.3.lib.2.cap.7.*

Animę meliores vel deteriores, partim ob alias causas, partim vt ab initio non omnes æquales; hæ namque competenti ratione vniuersæ congruunt rationi, siquidem & in ratione, & in animarum genere in partes inæquales facta est distributio. *Plot. En 3.lib 2 cap.18.* Anima in omnibus, quæ actiones motionésque nominãtur, eodem modo se ipso subiecto essentiáque habet, & virtus & prauitas non sic in anima fit, vt album, & nigrum circa corpus, sed anima ad vtrumque per omnia simpliciter opposita se habet. *idem, En.3.lib.3.cap.3.*

Animæ quæ puræ sunt nihilque vllo pacto corporei secum trahunt, nullo prorsus situ corporeo cohibentur. *Plot. En.4. lib.3 cap.24.* Animæ vitia, & mala sunt additamenta quædam, & ab extrinseco nobis iniecta. *idem lib.7.cap.10.* Animas quæ peccauerunt ait Empedocles ad hæc nostra corruere. *ibid. lib.8.cap.1.* Animæ peccatum duplex, alterum, in ipsa causa descendendi; alterum, dum in huius vitæ statu eonsa delinquit: illud est hoc ipsum quod est perpessus descendens; at immoderatior peccati species punitur à dæmonibus, minus immoderata in alia ingreditur corpora. *ibidem, cap 15.*

Animæ principium mali est audacia, generatio, prima diuersitas, & quia volunt sui iuris esse, & postquam libertate hac siue licentiâ delectari cœperunt, fretæ plurimum suo quodam ex seipsis mouendi munere, & iter contrarium ineuntes, factæque iam remotissimæ, iam seipsas illinc exortas ignorant: velut pueri statim nati à parentibus segregati, procúlque educati, & se, & parentes ignorant, & cum nec patrem, nec seipsas videant, & sui generis ignorantia se paruifaciant, honorant et alia & quicquid occurrit magis, quàm se admirantes, & hinc stupidæ & admirabundæ pendentes, se iam longissimè proiecerunt, disiunxerúntque, & à patre, & à seipsis, cum ea à quibus sunt nimium auersæ, paruifaciunt, quamobrem extrema diuinitatis inscitia ex inferiorũ honore, suique ipsius contemptu animæ videtur accidere, & se deteriorem fatetur rebus nascentibus, & occidentibus, ideò abiectissimam se esse putat, & ideò nec dei naturam, nec potentiam animo concipit. *Plot. En.5.li.1.cap.1.*

Anima cùm deterior iam euasit expletur actus sensitiuus. *Plot. En 6.li.7 cap.3.* Anima nostra deprauata brutam fingit naturam. *idem, ibidem, cap.7.* Anima vnaquæque multa existit, quamuis ex partibus non componatur, nam in ea multæ sunt vires nempe ratiocinatur, appetit, percipit, quæ vno tanquam vinculo connectuntur, tradit alteri anima vnum, cùm & ipsa sit vnum, sed vnum hoc ipsa quoque interim velut patiens ab alio suscipit. *Plot. En 6.lib 9.cap.1.* Animarum pulchritudo in rationibus consistit, determinatis quidem sed diuisis, magis quàm in heroum forma, sub vna tantum specie comprehensis. *Iamblic. de mysteriis.*

Animæ deformitas superatâ ratione contingit, quando proprias actiones inconcinnas, & incongruas edit inefficaces, & ineptas ad finem. *Proc. in Alcibiad.1.* Animæ prauitatem duplicem tradit Plato in Sophista, quarum vna est ignorantia in rationem cadens, altera discordia irrationalis partis ad rationem, quæ est animæ morbus, ignorantia verò deformitas. *idem. ibid.* Anima imperfecta aliquando est, & rursus perficitur & obliuionem patitur diuinorum, & rerum recordatur, ideò & tempus ad eius perfectionem conducit, cùm omnis mutatio tempore agatur. *ibid.*

Anima si à proprio malo nunquam corrumpitur, nunquam alterius malo, nec aliquo malo destruetur, & cùm sit huiusmodi incorrupta perseuerauit. *Alcin. cap.25.*

Animæ virtus optima est quæ ratiocinator, reliquæ vt irascibilis, & concupiscibilis sunt secundæ, & tertiæ potestatis. *Chalcidius in Plat. Tim.*

Anima alitur tractatione rerum honestarum, & actione bonorum operum. *Phil. iud. in legis allegor. lib.1.* Anima mali hominis nullum locum habet cui vel insistet, vel insideat. *idem, ibid. lib.2.* Animæ probi ita Deus vberrimam bonarum rerum copiam elargitus est, vt sensibus omnia tristia cumulatè apposuit. *ibid.* Animæ infestior nemo est hostis, quàm qui per iactantiam quæ Dei sunt, sibi vsurpat; Dei proprium est facere, creaturæ pati. *idem, de Cherubin.* Animam purificatam nihil maiore lætitiâ afficit, quàm quod dominum habet, quem agnoscit regem rerum omnium, nam seruire Deo maxima est gloriatio. *ibid.*

Anima vnaquæque duas habens vxores, vnam diligit & est voluptas, altera exosa est, & hæc est virtus. *Phil. Iud. de sacrific. Abelis, & Caini.* Animæ festa est perfectè lætari virtutibus; perfecta lætitia est expers morborum humanoo generi accidentium, quo festo solus sapiens fruitur: nam anima, quę nullum effectum, aut vitium gustauerit, rarissimè inuenitur. *idem, ibidem.*

Animę quæ ex se ipsa tollat dogma pium, & virtutis amicam, virtuti est inimica. *Phil. Iud. de eo quod det. potioribus insid.* Animæ proprius cibus virtus est. *idem, ibidem.* Animæ maximum bonum est non dubitare de vtranis Dei potentia, sed constanter metu ab imperij potentia dependente se educere, & spem fouere de propensa benignissimi numinis erga nos voluntate, fore vt aliquando ea frui contingat. *idem, de plantatione Noe.*

Animæ peccatorum ruditas caput est, à qua tanquam à fonte manant actiones huius veræ, nullum liquorem salubrem, ac potabilem præbentes, sed salsuginosum, qui morbũ, & perniciem gustantibus affert. *Phil. Iud. de Temulentia.* Anima cùm in se sumit incorruptibilem speciem, statim mortalis corrumpitur, statim enim post lucem euanescunt tenebræ. *idem, quod Deus sit immutabilis.* Anima omnis vitiis viduanda est. *ibid.*

Animarum similis ad peccandum procliuitas, non eadem lingua, communicatæ iniquitatis causa est. *Phil. Iud. de confusione linguarum.* Animæ viduatæ indicia sunt, omnia quæcunque aggreditur ex sententia succedere, vt omnia mala tentans facere, faciat. *idem, ibid.* Animam volens Deus purificare, primò offert ei perfectæ salutis occasionem, migrationem à corpore, sensu & ratione, ita vt animam alienet, vt à nullo horum detenta super omnia emergat. *idem de migratione Abrahami.* Animæ visu diiudicantur sermones Dei, isti autem nostri auditu. *ibid.* Animæ perfectæ est vt & esse videri velit. *ibid.*

Anima si cupit esse hæres diuinorum bonorum, non tantùm terram, corpus, & cognationum sensum, & domum paternam, & rationem deserere, sed & seipsam fugere debet: à corpore verò migrat cùm carnem & sensum contemnit, & omnia sensibilia è ratione migrat, quando cognoscit multam irrationalitatis in illa: & è se ipsa egreditur, si intellectum cogitationem, perspicacitatem Deo dedicat. *Phil. Iud. quis rerum diuin. hæres.* Animæ constantis & generosæ est despicere cuncta, quæ fastus suspicit vitæ sinceræ corruptor. *idem de fortitudine.*

Animæ generosæ habent quiddam regium, quarum splendorem nec fortunæ obscurat iniuria, quod dedecet opponi amplis dignitatibus ad rependendam liberis dictis superbiam. *Phil. quod omnis probus liber.* Animæ puræ duplex felicitas conuenit, altera ex anima, altera ex corpore. *Ficin. in Plat. Theolog. lib.18 cap 9.*

Anima diuinitus afflata, percitáque subiicit vitam suam penitus afflanti Deo, & priorem vitæ modum deponit, & vel vitam propriam in diuinam mutat, vel vitam suam penitus ad Deum agit, ideò nec vtitur sensibus, nec ita vigilat, vt qui vigiles habent sensus, neque ipsi præsagiunt, vel mouentur humano quodam impetu atque more, neque statum suum animaduertit, neque vllam edit cognitionem, actionémque propriam, sed totum illic agitur sub forma, & actione diuina. *Iamblichus de mysteriis.*

Animam bene alimus, si non quàm plurimis immo si quàm electissimis hanc aluerit. *Ficin. epistol. lib. 1.* Animæ bonum est integra diuini luminis consecutio, quod in mentem primò, deinde in voluntatem descendit, in mentem veritas, in voluntatem gaudium, in mente ambrosia, in voluntate nectar. *idem, in Plat. Phileb.* Animæ bonum summum est Dei similitudo. *ibi.* Animæ bonum summum Plato inquirit in Philebo. *ibid.*

Animæ bonum erit integra diuini luminis consecutio. *Fic. in Plat Phileb.* Animæ summum bonum est eius vnius actusque completio, id est vt per vnum suum actum ad vnum mentis, omnimque vnum conuersa actum, omnes actus efficiantur, id est specierum omnium plenitudo. *idem, ibid.*

Animæ summum bonum non varij, & multiplices per ra-

tiones

tiones discursus est, sed vnus in rationibus omnibus Dei vnius intuitus *ibid.*

Animæ vnitas summi boni character est, qua non rerum rationibus idemque, sed primo rerum omnium principio, quod ipsum vnu est, iungitur. *Ficin. in Plat. Theatet.* Anima perturbata monentis verba contemnit, & quod deterius est, fæuit in monitorem qua de causa ab alio pugno, ab alio calce dum id tentaret, percussus est Socrates. *idem, in Plat. conui. or. 7. cap. 6.* Animæ, cum sub cœlo omnia sint malorum plena perpetuum habent bellum, in quo vitia deorsum trahunt: dij verò, dæmonésque sursum. *idem, in Plat. de legib. dial. 10.* Animæ malorum causa est per accidens, quia habet liberū arbitrium. *ibid.*

Anima in tam dira scelere, masculorum scilicet concupiscentiam, non tam sensibus, vt multi putant quàm dæmonum instigatione ab initio corruit. *Ficin. in Plat. de legib. dial. 8.* Anima in sua essentia propria nec peccatum habet, nec pœnam, quia simplex est in seipsa consistens in proprio statu minimè cadens, sed in vita potius inde manante, & in animali proprio, quod ex hac vita, & corpore componitur. *idem. in Plo. En. 1. li. 3 cap. 12.* Anima alibi peccat, alibi non peccat: peccare est intentionem ad superiora, prius conuersam aliquantulum remittere. non peccare est non amittere naturalia, nec aliena intus admittere. *idem. ibid.*

Animam Deo fieri similem finis est libri Plotini de virtute, quæ virtus est materia per quam hic finis comparatur. *Fici. in Plotin. En. 1. lib. 2.* Anima cùm ratione ad mentem tota conuertitur, tunc dicitur animam ad intelligibilem mundū ascendisse: at cùm ratio ad imaginationem suam, & imaginatio hæc ad inferiorem, scilicet animalis, vel geniti, vel iā generandi imaginationem sese flectit, tunc lapsus in mundum sensibilem indicatur. *idem. in Plot. En. 1. lib. 3. cap. 1.*

Anima nostra, quatuor ob causas potest quandoque euadere deterior: primò quia ab initio posita est post secundum ordinem animarum: secundo quoniam momentum ab initio minimum, longius paulatim cadendo fit maximum: tertiò quia dum anima cum alia quadam, vel anima, vel re forte concurrit, vel potius dum in anima affectio quædam prior cum posteriore congreditur, ex tali quodam congressu vis noua resultat, nouumque inde facit effectum, sicut est aliarum rerum commixtione compertum: quartò quia præcedentes actiones in vita præterita talem habitum inchoauerunt vitæ præsentis. *Ficin. in Plot. En. 3. lib. 3. cap. 4.*

Anima non solùm formas non admittit perniciosas, sed etiam nec nouas aliquando, qualescunque sunt, videtur accipere. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 6.* Anima hæc dicitur moueri ad bonū, qua ratione per mediam mentem ad illud appetendo conuertitur, mens verò in bono quiescere, quoniam nullo ad id medio vtitur: mundus verò circa animam, imo intra animā tempore voluitur. *idem, in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 16.* Animæ hominum scelerate non sunt in causa scelerati vt sint mortales, sed vitiant bonam habitudinem, & fœdant pulchritudinem. *Mar. Ant. Natta de immo. animæ lib. 2.* Animus à concupiscentijs liberantur. *Steph. Comb. de transitu mentis in Deum lib. 6. cap. 2.* Animæ summa miseria atque calamitas est cū pars superior inferiori cedit. *Leo Heb. de ama. dial. 3.* Animæ intelligentis pulchritudo in eius ad sapientiam dispositione profectò consistit. *idem. ibid.*

Anima vt illi præst dæmon.

Anima dicitur dæmon habitudine quadam, quia similitudine quadam ad genus dæmonicum, mirabiliores quàm secundū hominem actiones edit, totámque vitam suam suspendit ex dæmone. *Proc. in Alcibiad. 1.* Animæ præstantissimam speciem Deus, vt dæmonem, vnicuique nostrum dedit, quam in summo corpore habitare dicimus, & ad cognitionem in cœlo à terra nos eleuare, velut qui non terrena, sed cœlestis stirps simus. *Plat. in Timea.* Animę vniuscuiusque attributus est dæmon. *Plato. in phædone.*

Anima vt vaticinatur curatur, &
cognoscitur.

Anima curatur quibusdam incantationibus; incantationes sunt sermones pulchri, ex quibus temperantia in animis nascitur, qua insidente & præsente, facile est & capiti, & reliquo corpori suppeditare sanitatem. *Plat. in Char.* Animam qui explorare vult tria habere debet, scientiam beneuolentiam & dicendi libertatem. *idem. in Gorgia.* Anima vaticinandi vim quandam habet *in Phædro.*

Animam assuefacere vnusquisque debet, vt quàm citissimè ad sanandum adsit, & omissis lamentationibus corrigat id quod lapsum est, & ægrotat. *Plat. de rep. dial. 10.* Animi affectus facilè percipiuntur vino poto. *idem, de legib. dial. 1.* Animæ eorum qui bibunt, velut ferrum quoddam igniti redduntur, & molliores, & iuniores fiunt, vt tractabiles efficiantur

ei qui ipsas erudire, & formare nouit, vt cùm iuuenes essent. *idem, de legib. dial. 2.*

Anima humana, præsertim puerilis, potest seu carminum auocamento, seu odorum lenimento, soporari, & ad obliuionem præsentium extenuari, & paulisper remotâ corporis memoriâ, redigi ac redire ad naturam suam, quæ est immortalis, & diuina, & ita veluti quodam sopore futura rerū præsagire. *L. Apuleius Apologia prima.*

Anima cum aliquis ægrotat & grauatur, adeò in eo curando, & regendo occubatur, vt ad inquirendam veritatem non sit intenta. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 8. cap. 2.* Animæ cuique naturaliter propositum est cognoscere, imitari, consequi studium & officium Deo proprio cognatissimum, & eiusmodi professione cum Deo tandem duce proprio copulari, & fortunati sunt, qui statim ab initio eiusmodi studium feliciter sunt ingressi, quæ inclinatio amore solum percipi potest. *idem, in Plat. Phædrum cap. 3.*

Anima vt irascibilis, & concupiscibilis.

Anima irascibilis musicæ, & gymnasticæ temperaturâ consona fit dum hoc intendit, & sermonibus, & disciplinis pulchris nutrit, illud autē remittit & harmoniâ & rythmo mitigat, & mansuefacit. *Plat. de repub. dial. 4.* Anima irascibili vnum quemque fortem vocamus, quum ipsius animi impetus cōseruarit per dolores, & voluptates, id quod à ratione horrendum, aut secus dictatum est. *idem, ibid.*

Animæ concupiscibilis pars ita vocatur ob vehementem cupiditatem circa cibum, potum, & res venereas, & quæcunque alia ad hæc sequuntur, & ob pecuniarum amorem, nam propter pecunias maximè huiuscemodi cupiditates perficiuntur, ideò perbellè dixerimus si ipsam pecuniarum amantem, & lucri studiosam nominauerimus. *Plat. de repub. dial. 9.*

Animæ partem irascibilem propius capiti locarunt inter septem, & ceruicem, quo rationi obediens esset, & in communi cum illa cupiditatum genus per vim coerceret, si fortè rationi, & imperio ex arce vltro parere nollit. *idem, in Timæo.*

Animæ partem concupiscibilem cum dij viderent quòd neque rationem intellectura esset, & si alicuius sensus particeps foret, non hoc à natura ei insitum esse, vt aliquarum rationum curam haberet, sed à simulachris, & spectris, & noctu, & interdiu abduceretur, ob hoc sanè Deus hepatis ideam isthic constituit, & in illius habitationem posuit densam, & leuem, & splendidam, & dulcem, & vt amaritudinem haberet machinatus, vt in ipso hepate cogitationem, ex mēte allata vi vt in speculo formas suscipiente, & simulachra spectanda exhibente, terreat illam, si quando amaritudinis parte cognatâ vtens grauiter illi minas intentet, & repente per totum hepar se immiscens biliosus colores inducat, & totum contrahens, rugosum, & asperum efficiat, & apicem, & agmen, & portas ipsius partim ex recto inflectens, ac contrahens, partim obturans, & concludens, dolores, & anxietates exhibeat, & si quando rursus mansueta aliqua mentis cogitatio contraria spectra depingat, amaritudinis quietem inducens, eo quod neque mouere neque attingere contrariam sibi naturam velit, dulcedine verò ipsi hepati insitâ ac ipsum vtens & omnes ipsius partes rectas, & leues, & liberas dirigens, placidam, & sanam efficit animæ partem circa hepar habitantem, vt & in nocte conuersationem moderatam & habeat, vaticinatione per somnium vtatur, postquam rationis, & sapientię particeps non est. *Plat. in Timæo.*

Animæ concupiscens portio in iecore posita est à veteribus, cum natura augendi, vegetandi, & nutriendi nutriat sanguine, & sanguinis nutritorius sit in venis, & initium venarum, & sanguinis sit in iecore; quod autem gignit, nutrit, & auget necesse est concupiscere. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 23.* Animæ parti irascibilem cordi, concupiscibilem vero, atque ijs partibus, que circa vmbilicum sunt addixerunt dij, *Alcinous cap. 17.*

Animæ vis irascibilis concupiscentiæ opponitur, sæpe pro ratione ideò describit eam Plato elata ceruice magnanimā, & audacem, regiam pudoris participem. *Ficin. in Plat. phædrum, cap. 31.*

Animæ vim concupiscibilem describet Plato obliquam, à ratione deuiam, ad infima declinante, multiplicem quia libido se circa plurima versat abiectam, ignauam, impudentem. *idem, ibid.*

Animæ facultas concupiscendi, & irascendi pullulat à facultate animæ vegetali, vt ab intellectu naturaliter ratio profluit, & subinde imaginatio prima a qua profluit & secunda. *idem, in Plot. En. 3. lib. 6. cap. 1.*

Anima stellarum.

Anima & Solis, & aliorum astrorum, & Lunæ, cuiusque omnium horum apparent, & omni virtute præstantes Deas ipsas esse asseremus, siue in corporibus insunt, siue aliquate

tius, siue quomodocunque, & vt animalia sint totum cœlum gubernant, & animum quisque inducere potest omnia dijs plena esse. *Plat. de leg. dial. 10.*

Anima Solem mouens, vnum ea tribus facit, aut intus in hoc apparente corpore inest, & ipsum vndequaque transuehit, vt nos nostra anima vndique circunfert: aut alicunde extrinsecus corpus ipsa adepta ignis, aut aeris alicuius, vt aliquorum est sententia, corpore corpus per vim impellit: aut tertio ipsa quæ corpore nuda est, sed aliquas quasdam vires supra modum admirandas habet, ipsum ducit. *Plat. de leg. dial. 10.*

Anima sphærarum, stellarumque, & anima mundi, humana vident, & audiunt. sed interim talia se sentire non sentiunt, quoniam imaginatio ad quam talis animaduersio pertinet, intentissima semper est ad intelligentiarū nutum se fingendas. & si sentire se nostra non animaduertunt, tamen precantibus benefaciunt qualicunque sensu, & occulto quodā naturæ consensu. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 25.* Animæ stellarum nouis quibusdam modis aspectum mouent. *Ianblicus de myst.* Anima omnia nouit, cœloque indiget quodam ad respondendum extrinsecus mentante. *Pro. in Alcib. 1.*

Animæ deorum vim discernendi, quæ etiam dignoscendi facultas dici potest, nactæ sunt; præterea & aggrediendi naturam, quam assistendi vigorem possumus nūcupare. post hæc vim quandam qua concilians, & gubernans; quæ quidem naturæ cùm in hominis animis insint, postquam in corpora venerint, permutantur; conciliandi, & gubernandi facultas in concupiscentiam, aggrediendi vigor in iracundiam transmutatur. *Alc. cap. 21.*

Animæ diuinæ duodecim in cœlo collocantur à Pythagoricis, in Arietis corde Pallas, in corde Tauri Venus, Geminorum Phœbus particularis, Cancri Mercurius, Leonis Iupiter particularis, Virginis Ceres, Libræ Vulcanus, Scorpionis Mars Sagittarij Diana, Capricorni Vesta, Aquarij Iuno, Piscium Neptunus. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 4. cap. 1.* Animæ sphærarum rationales sunt, quod patet, quod dispositio motuum mundanorum semper ad id quod est melius, & pulchrius proficiscitur, cuius causa est sapientia felix, quæ quia non errat in consultando, vt mortales solent, motu, & opere non vagatur. *Idem, ibidem.*

Animæ cœlestes cùm sint, quamuis non omnes iouitæ discedunt, sed pars ea sola, quæ corpori alendo, & tuendo solum tributa est, multi tamen huius vitæ blandimenta ægrè relinquunt. alij propriæ diuinitati diffidunt. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 16. cap. 8.* Animæ ratione mentis diuinæ decorum conuersa, intuetur eam, veneraturque, & in ipsa admodum delectatur. conuersio quidem, & agnitio cœlestis Venus dicitur, veneratio amor diuinus delectatio supremum gaudium & vera voluptas: vnde Venerem cœlestem, & amor, & voluptas similis comitatur. *idem, in Plat. phileb. lib. 1. cap. 11.*

Animæ sphærarum intentio tota in numinem est, nam non mouentur, eius intentionū negotiosa. sed super eminentia existentia, & semotum potestate. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. ca. 33.* Animæ stellares sunt quodammodo, & ad stellas denique reducuntur. *idem, in Plat. de rep. dial. 10.* Animæ etsi in generatione labuntur, semper tamen naturalem suæ stellæ proprietatem quoquomodo conseruant: quæ verò dicuntur in tartaro spargi, terrenis post cœlestia sunt accommodatæ numinibus. *idem, in Pla. Tim. cap. 25.*

Animas superiores stellarum ait. Plotinus non esse huius vniuersi partes, cùm ad intellectualem mundum conuersæ sunt, ideò illius potius dicuntur partes: inferiores verò huius partes appellat, quoniam mundi corporibus mancipatæ sunt. *Fic. in Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 9.* Animæ stellarum, & sphærarum superiores vniuersa præstantiora præbent, quàm animæ earundem inferiores: & à Platone dicuntur Inois, id est intelligentiæ mundanæ collegæ. *idem, ibid. cap. 13.*

Animæ quales sunt indicāt tantùm stellæ: non causæ sunt, nam sunt naturâ ante cœlestium motiones. *Fic. in Plotin. En. 3. lib. 4. cap. 4.* Anima dæmonem talem elegit pro specie vitæ, nec mutat, nisi speciem vitæ mutat. *idem, ibid.* Anima cuiuslibet stellæ contemplans ideas, principiáque rerum diuinorum, habet semper in se certam vniuersi notitiam, siue intellectualem, siue rationalem appellare volueris, & per corpus cœleste suum corporalia sentit, & per imaginationem animaduertit se sentire quæ vniuerso apprime sunt necessaria, vt stellæ, cœlestia, elementa. *ibidem, cap. 8.*

Animas putant multas humanis sublimiores cœlitus profectas in aerem, in animalia illic eadem diuturnius quàm nos fœliciúsque viuentia ad suas similiter stellas denique reuersura, citius autem ad eandem stellam, quàm ad idem intelligibile, ad eundémque omnino contemplationis beatæ gradum nostræ animæ reuertuntur, vbi verò ad nostra corpora prolapsæ, deinde in bruta transire dicuntur; Proclus caput in rationalem animam nunquam fieri corporis bruti vitam, sed per compassionem quandam quodam modo ad brutam animam alligari desuper adnectam, ita fortè vt solemus dicere dæmones nostris non corporibus propriè, sed imaginationibus per imaginationes suas miris se modis insinuare. *Fic. in Plat. Tim. cap. 25.*

Animas postquam Deus in firmamento stellis accommodauit, certis subinde temporibus distribuit per planetas, vnde quandoque labantur in elementa, vbi dij reliqui corpus animis elementale contemperent, atque inter hoc & illas irrationalem vitam inserant, quasi vinculum. *Fic. in Plat. Timeum cap. 26.*

Animalium diuisio.

Animalium duo sunt genera, alterum humanorum, alterum omnium brutorum. *Plat. in dial. de regno.* Animalia passionis gregariæ alia aquatica sunt, alia terrena. & terrena diuiduntur in pedestria, & volatilia: pedestria mansueta, alia cornuta sunt, alia cornibus carent; & in fissipeda, & solidipeda diuidere possumus. *idem, ibid.* Animal aliud mansuetum est, aliud ferum. *ibi.* Animal pedestre diuiditur in bipes & quadrupes: & bipes in implume, & penigerum. *ibidem.*

Animalia quæcunque non vaga astra facta sunt, ea quum diuina sint, propterea in eodem vertuntur, & semper manent: quæ verò mutantur, & ita vagantur, ea secundùm illa facta sunt. *Plat. in Timæ.* Animalium genera sunt omnia, quæ in cœlo sunt, quòd totum astrorum diuinum genus factum est, corpus quidem pulcherrimum adeptum, animam autem felicissimam, & optimam. *idem, in legum app.*

Animalia cùm duo quæ à nobis videri possunt, conspexerimus, quorum alterum immortale, alterum terreum, totum mortale factum diximus, tria de quinque inter hæc media secundùm æquam opinionem clarissime facta recensere conemur, ac æthera post ignem ponamus, animam verò ex ipso formare censeamus animalia, quæ cùm habent velut in alijs generibus, magna quidem parte ex ipsius natura, minores autem partes ex alijs generibus coniunctionis gratiâ. Post æthera ponamus animam aliud animalium genus formare ex aere, & tertium ex aqua: postquam autem anima hæc omnia creauit, verisimile est, totum cœlum animalibus repleuisse omnibus generibus pro viribus vsam, vt omnia vitam participarent. secunda verò, tertia, quarta, & quinta à deorum manifestorum origine initio sumpto ad nos homines desinere: circa Deos, & Iouem, & Iunonem, & reliquos omnes, quomodocunque quisquis vult, secundùm eandem legem ponat, & rationem hanc teneat. *Pla. in legum app.*

Animalia duo cùm sint, alterum ex igne totum, velut videri possit, vt cœleste. alterum ex terra, terreum in confusione, igneum omni ordinis ratione mouetur: quod confusè mouetur, desipiens putandum est, quod plerunque animalia apud nos faciunt; quod verò in ordine & cœlo progressionem habet, magnum sapientiæ suæ indicium exhibet, dum secundùm eadem, & eodem modo semper progreditur, & facit, & patitur, satis magnum indicium præbet sapientis animæ. *Plato in legum appendice.*

Animalium genera, quot sunt in mundo intelligibili, totidem, & similia sunt in mundo sensibili. *Plot. En. 4. lib. 8. cap. 1.* Animalium tria sunt genera, ex corpore, & animo immortalia, vt cœlestia: ex corpore, & animo mortalia, vt bruta: ex corpore mortali, & anima immortali, vt homines, atque dæmones aquei, atque terreni. *Fic. in Plat. de leg. dial. 1.* Animalis vita quatuor habet respectus; prout enim ab anima, velut imago à substantia pendet, imaginationem habet; prout in se aliquid est, in sensuum multitudinem deriuatur; quantum regit corpus, vitalem vim exercet; quantum adhæret corpori, & pars animalis euadit, passionibus obnoxia redditur. *idem, in Plot. En. 3. lib. 3. cap. 8.*

Animalium in mundo tria sunt genera. cœlestia: aerea, dæmones, & homines: & bruta; cœlestia ita se habēt in mundo, vt in nobis intelligentia: aerea, dæmones, & homines, vt ratio siue vniuersalis siue particularis in nobis: bruta verò, vt quod infimum in nobis est. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 12.*

Animalium genera in hoc mundo præscripta sunt in ipsis primæ vitæ, mentisque ideis. *idem, in Plat. Timeum. cap. 20.*

Animal quid est.

Animalia sunt, quæ animam habent. *Pla. in Euthyd.* Animal propriè dicitur secundùm naturam, cùm vita animæ, & corporis constitutio vnam formā congressu constituit. *idem, in leg. app.* Animal non est ex rationali anima, & virtute irrationali coniunctū, quoniam ex indissolubili, & solubili oē fit vnum,

vnum. *Fic. in Plot. En. lib. 1. cap. 1.* Animalium deformium formæ formosæ sunt in cœlo. *idem in Plot. En. 6 lib. 7. cap. 9.*

Animalis proprietas.

Animal omne insigniter pugnabit, præsentibus his quæ peperit. *Plat. de rep. dial. 3.* Animalia omnia cur amoris, & generationis sunt tam appetentia: homines quidem putari possunt ex ratione: sed cætera animalia ob quid? id enim omnibus contingit ob immortalitatem: nam cùm sint mortalia, generatione tantùm id assequi possunt; nam loco veteris nouum oritur. *idem, in symposio.*

Animalibus leges fatales postquam Deus dedit, quo in posterum prauitatis singulorum culpam non sustineret, seminabat alios in solem, alios in lunam, alios in alia temporis instrumenta; at post seminationem permisit dijs recentibus, vt mortalia corpora effingerent, & quantum reliquum esset humanæ animæ, quod accedere oporteret, & omnia quæ ad hæc sequuntur, vbi effecissent, his imperarent, & pro viribus præclarissimè, & optimè mortale animal custodirent, & gubernarent, nisi ipsum sibi ipsi malorum causa fieret. *Plat. in Timæo.* Animal omne circa sanguinem, & venas suas caliditatem habet, quæ in ipso velut fons quidam ignis inest. *idem, ibidem.*

Animal si immoderatas partes corporis habet, & turpe est, & multas lassitudines, & conuulsiones, & offendicula sustinet, & infinitorum malorum sibi ipsi fit causa est; at si moderatas, omnium spectaculorum pulcherrimum, & amabilissimū est ei quid id contueri potest si anima in ipso potentior est corpore, & impetu concitata fertur, tunc totum ij suam intus concutiens, morbis implet: & cum ad disciplinas, & quæstiones aliquas pertinaciter contendit, ipsum colliquat, docendo, & disputando tum publicè, tum priuatim pugnis, ac litibus, & contentionibus obortis, ipsum inflammans soluit; & fluxiones inducens, plurimos ex his, qui medici dicuntur, decipit, vt contrarias illarū causas faciant: corpus item cùm magnum, & nimis frigidum cum parua, & debili intelligētia coniunctum fuerit, cùm geminæ sint naturâ in hominibus cupiditates, propter corpus quidem, alimenti: propter id verò quod in nobis diuinissimum est, sapientiæ, motus eius quod potentius est superātes, & id quod suum est augentes, quod verò animæ surdum, & ad discendum tardum, & obliuiosum facientes, maximum morbum, imperitiam efficiunt. *Plat. in Timæo.*

Animalis salus est, vt neque corpus absque anima nec animam absque corpore moueamus, sed ex vicissitudine hæc æquale momentum habeant, & sana fiant. *Plat. in Timæo.* Animal omne secundum naturam saltare consueuit. *idem, de leg. dial 2.* Animal omne, statim vt natum est, cum clamore sonum edere solet, vel maximè hominum genus, & sanè ad clamorem etiam magis quam alia iugi fletu vexatur. *ibid. dial. 7.* Animal omne ex omnibus elementis constat. *ibid. in leg. app.*

Animal vt bene se habeat oportet habere corporis virtutes, quæ sub ipso sunt, sanitatem, sensuum subtilitatem, robur & pulchritudinem. *Timæus Locrus de anima & mundi natura.* Animalia omnia sunt in vniuersali animali per rationem, vt omnia existentia in intellectu sunt in ipso intellectu per rationem. *Arist. Theolog. Ægyp. lib. 8 cap. 9.* Animalia omnia pro capacitate perfecta sunt. *idem, ibid. lib. 14. cap 3.*

Animalia composita sunt ex cholera citrina, calida sicca, igni simili, ex sanguine calido, humido, simili aeri, ex phlegmate frigido, humido, simili aquæ: ex cholera nigra simili terræ in siccitate, & frigore, & cùm vnum horum addit supra mensuram quam componit, ex eo accedit nocumentum & cum occupat vnum ipsorum elementorum aliquod animal, interficit eum. *idem, de causis prop. elem. cap. 1.*

Animalia illa asserit Aristoteles esse prudentiora, id est astutiora, quæ sensuum acumine pollent. *Porphy. quod animæ sensuales sint rationales, & immortales.* Animalia quæ sensibus, & memoriâ prædita sunt habent animam rationalem, & inter se loquuntur, quamuis a nobis non intelligantur, vt multorum barbarorum sermones nō discernimus quod & probat antiquitas, vt de Melampo, & Tiresia, & Appollonius Thianeus comprobauit. *idem, ibid.* Animalia digna esse testatur, quod Socrates, & Rhadamanthus iurabant per animalia & Ægyptij quædam animalia deos existimabant, sic & Græci statuæ Iouis cornua Arietis imposuere, Dionysij statuæ cornua Tauri, & Pana ex homine, & Caprâ composuere, Musas, Syrenes, & Amorem alarunt, & Mercurium, Iouem formam Tauri, Aquilæ, & Cygni induxisse aiunt, & Socrates cygnos conseruos appellauit. *ibid.*

Animalia sunt multa solaria, vt Leones & Galli, numinis cuiusdam solaris pro sua natura participes. *Pro. de sacrificio, & magia.* Animal nullum, homine excepto, rhythmi, & harmoniæ sensum habet. *Fic. de leg. dial. 2.* Animalibus inest præcognitio terræ motuum, procellarum, & frigoris. *Iambl. de mysterijs.* Animal omne sensu, imaginatione, & impetu præditum est. *Philo Iudæus de eo quod Deus sit immutabilis.*

Animalium multorum, quæ in frusta diuiduntur anima non diuiditur, sed interit cùm primùm illa ipsa corporis compago resoluitur, cui fuerat attributa; fiunt autem nouæ animæ subitò à mundi vita in frustis illis ad animam suscipiendam idoneis. *Fic. in Pla. Theologia, lib. 7 c. p 3.* Animantes, herbas, poma, fruges, vina ex altis odoriferis regionibus eligere oportet, quas venti temperati serenant, suaues solis radij fouent, vbi aquæ nullæ stagnant, culta sterquilinio non pinguescunt, sed humore natiuo, vbi quoque, quæ nascuntur diu permanent incorrupta. *idem de vita produ. cœlo, lib. 2. c. p. 7.*

Animalia manca, vt pote conchas, ostreas, & huiusce modi creauit natura, vt cùm Dei opus vnum esse debeat infimum in superioribus ei quod in sequenti ordine est primum, sit postremum, ideò infimum in animalium genere proximum arboris esse debet; arbor nutritionem habet sine sensibus: conuenit autem animalia quædam reperiri quæ ferme nullum habeant sensum, at habeant eos, qui maximè necessarij sunt tactum, & gustum. *Fic in Pla. phileb. lib. 2. cap. 32.* Animalia cœlestia, atque ætherea simpliciter agere potius, quàm pati dicuntur; bruta verò minimum actionis habent, plurimum passionis; at aerei dæmones, & homines medium ferme inter actionem obtinent, & passionem. *idem, in Plotin. En 2 lib. 1. cap. 13.*

Animalis, & animæ vocabulo aliter vtitur Mercurius Trismegistus, ac nos vti consueuimus: nam animam ex secundo Pimandri dialogo motu definit, animal ex sequenti capite animâ definit & corpore; quare quicquid motricem vim habet, suâ locutionis obseruatione animam habet; quicquid corpus, & animam, animal est: animal ergo sunt, cœlum, mundus, plantæ, & elementa. At nos animal id solum vocare consueuimus quod animatum corpus habet, sensu præditum, & animam non solùm motu definimus, sed vitâ, sensu, & motu vltroneo, aut intellectu. *Fic. in Mercurij Trismeg. Asclep. cap. 1.*

Animalia quo timidiora, naturâ ad custodiam diligentiora sunt, quando tactus optimus sit custodiendi artifex. *Fran. Patric. de regno, lib. 9. cap. 5.* Animalia quæ in iracundiam prona sunt, generosa, & fortia sunt. *M. Ant. Natta de pulchro. lib. 5.* Animalia omnia cognoscere curant ea, quæ ad vsum suum pertinent, bruta non cognoscunt margaritas & aurum; Deū quærit continuò cognoscere homo, ergo aliquando Deo fructur; hæc fruitio in hac vita non contingit, ergo immortalis animus. *idem, de immor. an. lib 2.*

Animantia ob quinque rationes mutuo sese diligunt amore, vel propter appetentiam, voluptatémque generandi, vel propter prolis successionem, vel propter insigne aliquod collatum, aut acceptum beneficium, vel propter conuenientiam eiusdem, aut saltem consimilis speciei, vel propter continuum vsum, diuturnámque consuetudinem. *Leo Hibr. de amore dial. 2.*

Animal vt generatur, & mouetur.

Animalia dij è terra, & igne permixtis formabant & Prometheo, & Epimetheo iniunxerūt vt ornarent, & eis facultates singulis tribuerent, prout deceret: at Epimetheus rogabat Prometheum, ipse distribuendi munus suscipiens, & cum ego distribuo (dixit) aspice, & considera, atque sic illo persuaso, distributionem fecit. Hic alijs robur absque celeritate apponebat, alia debiliora celeritate ornabat, alia armabat, alijs inermi datâ naturâ, aliā quandam facultatem ad salutem excogitabat, quæ enim ex ipsis parua fecerat, his volatilem fugam, aut subterraneam habitationem tribuebat, quæ magnitudine auxerat, ea hac ipsa seruabat, & reliqua hoc modo adæquans, contribuebat ea industria, vt caueret, ne quod genus interiret: postquam autem mutuæ corruptionis effugia ipsis suppeditasset, facilitatem anni tempora sufferendi sub dio excogitabat, induens ipsa densis pilis, & solidis pellibus, quæ & hyemem, & æstum arcēre possent, & quæ cubilia petentibus singulis proprium, & naturale stratum itidē essent, & sub pedibus alia vngulis, alia pilis, & corijs solidis, & vnguibus muniuit; & alimenta alijs alia suppeditabat, his ex terra herbam, illis arborum fructus, alijs radices, quibusdam aliorum animalium laniatum alimentum dabat, & his paucam sobolem tribuebat: illis verò, quæ ab ipsis dilaniarentur multam, quo genus ipsum conseruaretur: proinde Epimetheus, vt qui non ita valdè sapiens esset, non animaduertit se facultates in bruta animalia expendisse, restabat hominum genus inornatum: quidque agendum ambigebat, Admiratus Prometheus vidit omnia animalia accuratè se

habere, hominem nudum, & non calceatum, non tectum, & inermem, iam autem dies à fatis præstituta aderat, in qua etiam hominem ex terra in lucem prodire oportebat: & quærens quam salutẽ homini inueniret; Vulcani, & Mineruæ artificiosam sapientiam vnà cum igne furatur, & homini largitur: sapientiam circa parandum victum sic homo habuit, artẽ verò versandi in republica nõ habebat, erat enim apud Iouem. Prometheum verò in arcem Iouis ingredi non licebat. & propter hoc Prometheus furti pœnâ propter Epimetheum dedit, & sic salus omnium animalium homo Deos esse putauit, aras ac statuas deorum ponere tentabat; deinde vocem, & nomina articulauit per artem, & habitationes, & vestes, & calceos, & strata, & alimenta ex terra inuenit: sic à principio instructi homines sparsim habitabant, ciuitates non erant, peribant itaque à feris, quia ipsis imbecilliores erant, & ars opificiorum sufficiens ad alimentum erat ad bellum contra feras manca: & reipublicæ artem nondum habebant cuius pars est ars belligerandi: iniurias mutuò inferebant, vt qui artem gubernandi reipublicæ non habebant, & sic iterum dispergebantur: at Iupiter timens ne aboleretur totum genus humanum, Mercurium mittit, qui pudorem, & iustitiam hominibus tribuat omnibus, & ponat legem: vt qui iustitiæ, & pudoris particeps esse non potest, occidatur. *Plat. in Prot.*

Animalibus insipientibus Deus plures pedes dedit, quo magis ad terram traherentur. *Plat. in Timæo.* Animal nullum cũ tanta, & tali intelligentia vnquam nascitur quantam ipsum perfectum tam habere conuenit. *idem, de leg. dial. 2.* Animal moritur cùm anima discedit à corpore, anima verò moritur cùm à simplici fonte in corporea membra dissipatur. *Macrob. in som. Scip. lib. 1.* Animalia omnia, & plantæ ex prima vita viuificantur, & fouentur. & omnis vita ex ipsa viuit, quæ omnem supereminet vitam in ipsa quin etiam secundum causam singulariter ante subsistit, nam vita illa omnem vitam non solum procreat, sed fœcundat, implet, & distribuit: ideò ex omni vita celebranda est propter fœcunditatem suam vitas omnes mirificè propagantem. *Dionysius Areopag. de diuinis nominibus.*

Animal omne ex anima, & corporis natura componitur. *Plot. En. 2. lib. 1. ca. 2.*

Animalium cædes mutuæ necessariò accidunt, non enim nata sunt sempiterna. *idem. En. 3. lib. 2. cap. 4.* Animalium quædam vicissitudines sunt. quæ etiam si nullus interimat, ita semper manere non possunt: quod si quo in tempore oportet obire. tunc obire sic oportebat, vt alijs quoque proueniret ex ipsis vtilitas. *idem. En. 1. lib. 2. cap. 15.*

Animalia quondam sub terra latuisse tradunt Theologi veteres. id est in prima mundi materia rerum semina præfuisse, præterea Iouem, id est Deum mundi opificem per sequentes deos, id est per stellas animalia ex elementis composuisse. Deos autem ministerio dæmonum animalia instrumentis, adminiculisque ad vitam necessarijs armauisse: eâ videlicet ratione: vt Prometheus, qui dæmonum sublimium ordinem significat, armaret homines: Epimetheus, qui inferiorum dæmonum refert exercitum, bruta fulciret, nec id iniuriâ, quia altiores dæmones naturæ incorporeæ, atque rationali humiliores corporeæ, & irrationali potius fauent. *Fic. in Plat. Prot.* Animalium omnium, & plantarum vita in humore & calore consistit. *idem. in Plat. comm. 6. cap. 9.* Animalia mortalia per deos, & dæmones summus opifex generat, animam verò rationalem ipse solus dedit et ad alto. *idem, in Plat. Tim. cap. 24.*

Animantibus, præter proprias vitas, subest cunctis communis vis ex mundi anima vegetali, in arbore mundana tota ibi vigens: quæ & præparet materias proprijs animabus, & tempore certo conseruet, & in vnum viuentia cunctas conciliet. Hanc Pythagorici, referente sexto Pyrrhonio, esse dicunt spiritum in malum animæ rebus cunctis infusum, qui homines conciliet cæteris animantibus conciliatos aliunde numinibus. Hoc communiter vigente, accedit in nobis ad fœtum rationalis anima, atque sub hoc communi lumine ipsa deinceps lumen propriæ, & peculiaris vitæ diffundit, in corpus, quod & in obitu ipsa secum contrahat proprium, vt & anima mundi suum, & commune conseruat. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 8.* Animalia nulla generantur in plagis mundi, vbi viget nimium frigus, vel immensus calor, sed solùm in duabus mundi plagis temperatis. *M. Ant. Natta de pulch. l. 2.*

Animal, vt rationale, irrationale.

Animalium irrationalium brutorum multitudo in orbe intellectuali est, quia auctor vnus est & mundum vnum creauit: & creatum primum, cùm non sit vnitas eius æqualis vnitati creatoris, creat plura. *Aristo. Theolog. Ægyp. lib. 14. cap. 7.*

Animalia sensibus, & memoriâ prædita rationem habent, tum quia inter se sua significant, tum quia diligenti solertiâ sua consulunt, vsuique futuro prouident, tum quia discant, & à se inuicem & ab hominibus multa, & se ipsa inuicem doceãt, & omnes, qui veritatem, de animalibus percunctati sunt, rationis participationem inuenerunt in animalibus. *Porphy. quod animæ sensuales sunt rationales & immortales.* Animalibus inest ratio quædam. *idem, quod ratio quædam insit animalibus.* Animal omne non est æquè particeps rationis acuminis & astutiæ. *ibid.*

Animal in terra oportuit esse, quod superos coleret, medium inter animalia illa suprema, tam corpore, quam animo immortalia, atque inferiora vtrioque caduca, ipsum quidem per corpus mortale, immortale verò per animam, quæ non his solùm de causis descendit in terram, sed etiam vt hic, vltra contemplationem pristinam, prouidentiam quoque diuinam imitaretur. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 19.*

Animalium rationalium quinque sunt genera: prima sunt, quorum corporum solum est ignis, si visibilis, stellæ quos antiqui deos nominãt; si inuisibiles dæmones, qui in circulis planetarum stellarum vicem tenent sub planeta duce: secunda, quorum corpora sunt ignis. & aer optimè mixtus; hos dæmones æthereos, vel aereos nominat Orpheus: sunt & animalia tertia, in quibus ignis, & aer cum subtili quadam aqua componitur, quos dæmones aqueos nominat: quarta addit subtilem terræ vaporem, qui terreni appellantur dæmones quinta est hominum quasi infimorum dæmonum corpora. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 5. cap. 5.*

Animalium irrationalium tres sunt differentiæ, iumenta, reptilia, & bestiæ. sunt bestiæ, quæ perfectâ sunt phantasiâ, medium inter irrationalia locum sortitæ, erudiri autem ab homine, & mansuescere nesciunt. reptilia quæ infectam habẽt phantasiam, media inter bruta, & plantas. iumenta, quæ & si ratione careant, disciplinæ tamen capaces sunt. *Io. Pic. Mir. in Heptaplum, lib. 5. cap. 5.*

Animantes, quibus phantasia pro ratione est, impetum quendam pro ratione sentiunt. quo ducuntur ad commoda, & ab incommodis abducuntur, nam cùm illis non sit liberum in alterutrã partẽ se vergere, & sua mutare proposita, quę propria sunt rationis officia, est, illis pro ratione instinctus, & impetus naturalis: quapropter euenit, vt antiquitas ea prænosse, & vt ita dixerim, ariolari autumarit. at falluntur, qui putant. prænotionem auibus aliam esse, quàm instinctum illum naturæ. *Ioan. Franc. Picus Mirand. de prænotio. lib. 3. cap. 3.* Animalia irrationalia tempestates sentiunt, nobis autem præsentiunt. *idem, ibid.*

Animalia irrationalia quando magis ad humanam prudentiam scandunt, tantò exactius præsentiunt & præuident, ea sunt, quæ sublimiorem, & absolutiorem phantasiam nacta sunt. *Ioan. Franc. Picus Mirand. de prænotio. lib. 3. cap. 3.* Animalia omnia rationalia esse voluit Anaxagoras eo quòd actiuam habent rationem, non tamen intellectum. *idem, in exam. doct. gen. lib. 1. cap. 13.* Animantia, vt specificam saltem immortalitatem consequantur, posteritati procreandæ vehementer studere existimantur. *Leo Heb. de Am. dial. 1.*

Animal vt nutritur, & ad quid creatum.

Animalia nutriuntur, vt quidam aiunt, postquam calidum, & frigidum putredinem aliquam acceperunt. *Plat. in Phædro.* Animalia bruta non propter seipsa, sed aliorum vsui creata sunt, quod cessante, non est eorum perseuerantia, vel restitutio iterum necessaria. *Athena. de resurrectione cap. 1.*

Animalis augmentum à calore prouenire non potest tanquam à causa principali, non enim fit nisi per nutrimentum; & cũ ad certum terminum magnitudinis perducatur, & certam figuram; etsi à calore prouenire nequid, multò minus à cæteris accidentalibus formis, fit tamen ab anima: ergo anima nec est forma accidentalis, nec ex formis accidentalibus mixta, nec substantialis forma ex elementis, vel mixtis. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 2. cap. 8.* Animalis quodlibet membrum habet vim ad attrahendam portionem propriam alimenti, cor ad aromata, iecur ad dulcia, venæ ad sanguinem, arterię ad spiritum, testiculi ad semen. *idem. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 40.*

Animal vt mansuetum, & eius partes.

Animal mansuctum est, quod naturam habet vt mansuescat, & quod non habet, ferum est. *Plat. de reg.* Animalis omnis suprema scilicet caput, & facies pulchriora sunt, media verò, & infima minus. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 8.* Animalia multos pedes habentia, & nullos pedes, prohibita erant in lege: illa quia multa sunt mala, & execratur Dominus terrenorum hominum cateruas hæc quia hærent vestigijs corporis terræ, nec valent ad diuinos cœli cursus caput extollere. *Philo. de migratione Abrahami.*

Animal, vt ab eo abstinendum est.

Animalibus abstinere præcipimus non omnibus, sed omni diuina

uina duntaxat contemplaturo. *Porphy. de abstinentia animalium.* Animalibus primi vesci cœperunt penuriâ frugum, prius enim fructibus terræ vescebantur. *idem, de sacrificiis, diis, & dæmonibus.* Animalia cædere nefas est, quandoquidem non omnino à nobis sunt aliena. *idem, quod nefas sit animalia cædere.*

Animalibus plurimum abstinebant Ægyptiorum sacerdotes sapientiæ studio dediti, vt testatur Cheremon Stoicus: & Solis asturem, cantharum, arietem, & crocodilum accommodata dicebant, comprehenderunt enim animam animalis esse rationalem, à corpore separatam, futuri esse præsagam, & nobis diuinantem. *Porphy. quod antiqui animalibus abstinebant.* Animal nullum occidisse antiquos Græcos testatur Dicæarchus, & nihil melius probauerunt ad sanitatem quàm superflua non congregare, ideo nutrimentum naturâ valentius adsumere noluerunt, sed quo natura esset valentior. *idem, ibid.*

Animalia dictum Pythagoricum.

Animal cauda nigra ne tangas, Pythagoricum est, id est fugito vitium, cui mentis ingressio succedit, & voluntatis afflictio. *Fic. epist. lib. 3.* Animatum vt se habet ad inanimatum, eandem habet rationem mens ad sensum. *Max. Tyrius, sermone 2.* Animositas est impetus irrationalis animæ absque ratione, & ordine mentis. *Speusippus de Platonis definitionibus.* Animosum quemuis verum esse oporter, quam maximè verò mansuetum; nam aliorum graues, & ægrè curabiles, aut etiam omnino incurabiles iniurias aliter effugere quis non potest, quàm vt pugnando, & propulsando victor abeat, & nihil pœnarum remittat: hoc autem ubique animo generoso nemo facere potest. *Plat. de leg. dial. 5.*

Animus quid est.

Animus est tanquam speculum in quo diuini vultus imago relucet. *Fic. in Theo. Plat. proœmio.* Animus si esset corporis harmonia, vt animæ inest ars, sic inesset corpori, & mutabilis esset vt corpus. *idem in Plat. Theologia lib. 5. cap. 15.* Animus si vitâ priuaretur non animus verus esset sed animatum, aut aliquod animi simulachrum. *idem, ibid.* Animus humanus esse perpetuum in propria substantia consequi exoptat, ne frustra sit naturale desiderium. *ibid. lib. 14. cap. 5.* Animus apollineus est qui solem, solarémque dæmonem vbique præfectum habet. *idem, in phædrum. cap. 30.* Animus est harmonia quædam, diuinæ cœlestique harmoniæ assuetus. *idem, in Plat. de repub. dial. 6.*

Animus noster speculum est diuinorum. *Fic. in Plat. de leg. dial. 5.* Animus nuper initiatus, vel imbutus mysteriis dicitur, qui & in cœlo plurima vidit, & in terris est philosophiæ deditus: hic solus ex corporis pulchritudine peruenit ad diuinam, sed gradatim per oculos accipit non humanæ formæ, sed diuinæ, influxus dicitur, quia non solùm mouet visum, sed naturam etiam afficit, calore, & motu excitat ad sublimia, & reformat. *idem, in Pla. phædr. cap. 29.*

Animum prisci vocabant spiritum, quo viuimus, crescimus, & sentimus, quæ communia sunt nobis cum multis animantibus: animum verò diuinum spiritum quo intelligimus, sapimus, qui est alienus ab omni concretione mortali, quamuis recentiores confusè hæc nomina vsurpant. *Francisc. Patric. de regno, lib. 2 cap. 8.*

Animi generatio.

Animos, deósque mundanos, & dæmones, & omnes mediis sphæras, speciésque ipsas rerum absque mediis causis processisse apparet: mandat ergo architectus filiis suis, id est animabus sphærarum stellarúmque, & dæmonum, vel etiam inferioribus angelis, vt ad sui imitationem mortalium sub luna rerum aggrediantur, hominique subiiciant omnia rationalémque eius animam ab ipso acceptam corpori caduco concilient per vitam quandam irrationalem partim ab ipsis, partim ab anima hominis dependentē. *Fic. in Pla. c. 37.*

Animi virtus, & vitium.

Animi nostri dotes quatuor excellentissimæ in humanis artibus emicant: facilitas ad percipiendum velocissima, memoria amplissima, & penitus indelebilis, sagacissima prædictio futurorum, verborum vsus innumerabilium. *Fic. in Pla. Theologia lib. 13.* Animus, si prudenter motiones singulas tum sui, tum corporis moderetur, perpetuam vtriusque sanitatem, & diuturnam vitam corpori pollicetur. *idem, in Pla. Charmide.* Animi virtus est æqualitas quædam, vt magi tradunt, per quam & animus, & sibimet, & ipsi vero, bonoque consonat. *idem in Platon. lib. 8. cap. 2.*

Animi virtus non florescit, nisi virtus corporis non deflorescat: nec mentis acies acuitur, nisi corporis acies hebetatur. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 9. cap. 5.*

Animus primò moralis scientiæ medio leniendus est, deinde contemplatione eius discutere nebulas oportet. *Idem, in Pla. phædonem.*

Animus tanquam diuinus, diuinis theologiæ mysteriis expiatur. *idem epist. lib. 1.* Animus liber redditur prudentiâ, iustitiâ, sanctitate: prudentia quid Deo, quid mundo debemus agnoscit: iustitia quod suum est mundo: sanctitas quod suū est Deo tribuit. *ibid.*

Animus voluntatis flagrantiâ ipso bono fruitur, magis quàm intelligentiæ claritate. *Fic. epi. lib. 2.* Animus noster potest separari secundùm substantiam à corpore, & deinde in se ipso manere, cum agat absque instrumento aliquo corporeo: & secundùm actionem, quæ & à substantia eius, & in substantia permanet, non modò separata, & æterna attingit, sed vt sua separat à materia formas. *idem, ibid.* Animum nostrum curandum temerè committere non debemus. *idem, in Plat. Euthydemo.*

Animi ornatus in affectu est temperantia, motionum moderatio: in cogitatione temperantia in quadam intelligentiæ cum rebus quæ intelliguntur concinna congruentia consistens. *Fic. in Pl. Charm.* Animi medicinam nos inquirere debere admonet Plato. *idem, in Plat. Gorgiam.* Animo nullum maius detrimentum accidere potest, quàm cùm vitio afficiatur, nam vt homini corpore ægro non expedit viuere, sic nec cum anima vitiosa. *idem, in eodem.* Animi præcipua operatio est ipsa cogitatio. *idem, in Plat. conuiu. ora. 2. cap. 8.*

Animi pulchritudo est fulgor in doctrinæ, & morum concinnitate. *Fic. in Plat. conu. or. 2. cap. 9.* Animi quocunque assiduè fertur intentio, illuc & spiritus, qui animæ siue currus, siue instrumenta sunt, aduolant. *idem, ibid. or. 6. cap. 9.*

Animi bonitate excellentis est gaudere bono, maximè verò diuino, hoc est amplissimo: hoc verò est, quod & quàm plurimis, & quàm diutissimè prodest: eiusmodi est vera virtutis gloria ad doctrinam, & mores, posteris, & præsentibus conferens. Hac viri optimo ingenio præditi duabus de causis delectantur, tum quia sicut intimam virtutis lucem amant, sic exteriorem quoque diligunt virtutis splendorem, tum quia splendore hoc optaret prodesse quamplurimis, & hoc perpetuo beneficio in genus humanum gauderet. *idem, in Plat. epist. 2.*

Animi nostri tunc maximè liberi iudicantur, cùm maximè cùm diuina voluntate consentiunt. *Fic. epist. lib. 8.* Animum prorsus fœlicem facit sapientiæ studium. *idem, ibid. lib. 12.* Animi illi, qui cum diuina voluntate consentiunt felices, qui discordes sunt miseri. *idem, de sole cap. 8.* Animo nihil velocius esse ait Thales Milesius. *idem, de voluptate, cap. 4.* Animus senis, sedatis perturbationibus, quas secum affert iuuentus, segregatis à corpore, diuina propius, & apertius inspicit. *idem, in Plat. de repub. dial. 1.*

Animus ad virtutis finem tribus gradibus peruenit, virtutibus ciuilibus, secundò purgatoriis, tertiò animi iam purgati virtutibus. *Ficin. in Plotin. En. 1. lib. 2 sum. lib.*

Animi morbus duplex ignorantia, & insania: & insania duplex, alia quæ occulta est, quæ in continua, pronáque ad insaniam affectione consistit; alia manifesta, quam vel aliqua perturbatio supra modum adaucta detegit, vt in gradu summo cupiditatis, & voluptatis, timoris, & doloris, & iræ, vel vapores humorem inclusi membris inducunt, vt ex atra bilis ex sanguinis, vel bilis, vel salsæ pituitæ adustione prouenientes. *idem, in Plat. 41.*

Animi morbus in nullo alio consistit, quàm in malis moribus, & falsis opinionibus quod malum ingenuis animis haud iam facile ab aliis quàm à sophistis solet inferri. *idem, in Plat. protagoram.* Animi sanitatem legum authoritas spectat, vt medicus corporis. *idem. in Plat. de leg. dialo. 3.*

Animi dotes non à motibus, vel à corporibus planetarum, sed ab eorum animis, vel dari, vel augeri, vel foueri meminerit: mala verò nec ab animis nec à corporibus cœlestium nobis inferri: nefas enim dictu est, stellas vllas reguli serpentis more nobis aspectu nocere: pium verò credere, stellas struthi more radiorum intuitu cuncta fouere, vt in animali ipsa cordis, membrorúmque principalium vita, membra omnia fouet, & adiuuat, sic solis lumen fouet, ac vitam, & sensum confert. etsi aliquando ob subiecti debilitatem, humorisve defectum videatur obesse. *Fic. in Plo. En. 2 li. 3. c. 11.*

Animi, ob intellectualem naturam, corpore toto, corporeáque vita superiorem, possunt quandoque se, contemptis mundi illecebris, à fato resoluere, quo non aliter quàm illecebris detinentur amando superiorem mundum se soluunt, & in pristinam naturam redeunt. *Fic. in Plot. En 2. lib. 3. cap. 15.* Animi virtutem vel in fato liberam semper Plato confitetur; & Ptolemæus fatum decretum cœleste posse mutari fortunæ, consiliique occursu. *idem, ibid cap. 18.*

Animi cultus solâ virtute constat, virtus sapientia est: sapientia diuinorum cognitio, cognitionem huiusmodi lux nobis diuina largitur; cultus ergo animi est ipsius Dei cultus,

Fic. in Alcinum & Speusippi opusc. præfatione. Animi virtutem concipari voluit philosophorum omnium magister, & dux Plato sapientiam: & ipsam sapientiam esse rerum diuinarũ cognitionem voluit, quas diuinas res alter sciri non posse quàm Deo illustrante, in libris de Republica demonstrat. *idem. ibid.*

Animi ingenui signum est, cùm puer facilè monitoribus acquiescit. *Fran. Patr. de rep. lib. 4. cap. 6.* Animi plus est inferenti periculum, quàm propulsanti. Scipionis est sententia *idem de rep. lib. 9 cap. 1.* Animi magni est non timere, vt summi consilij omnia cauere. *ibid. cap. 5.* Animi angusti est cor semper corrodere, id est assiduâ curâ cruciari. *idem, de regno lib. 7 cap 10.* Animi ingenui est homines adiuuare, eisque quibuscunque rebus possumus prodesse, & opitulari. *ibidem, lib. 8. cap. 18.*

Animi fortis non laudatur magnitudo, quæ ardua quæque, ac difficilia suscepit, sed ea quæ ratione, ac consilio suscepta, omnia fortis deinde ac constanti animo perficit. *Franc. Pat. de reg. lib. 7 cap. 6* Animi angusti est aliena cupere, & sua negligere. *idem, ibid. cap 8.* Animi ingenui est alijs potius gratificari, quàm beneficijs affici. *ibid lib 8 cap. 13.* Animi, si semper prospera habeat, inflarentur, si semper aduersa frangerentur. Ideò moderatio vtiliter humano generi statuta. *M. An. Natta de pulchro, lib 3.*

Animus vt mortalis, immortalis, & rationalis.

Animus corporis morbo non fit vitio præditus, quoniam animus, corpore ægrotante, nõ fit iniquior, sed sæpe emendatur & morum studio proficit. ideò morbus animũ non modò nõ perdit, sed neque vitiat animum. *Fic. Plat. Theolog. lib 9. cap. 5.* Animus propriâ labe, id est iniquitate non perit. *idem, ibid.* Animus hominis si per corpus esset aliquomodo, nihil ageret vnquam sine corporis instrumento, vel auxilio: agit sine corporis vsu intelligendo, & volendo: non igitur est per corpus. est ergo, vel per se, vel per diuina, si per se, nunquam se deseret, si per diuina, ergo æternas causas est æternum. *ibid.*

Animus non potest extingui, nisi à ratione separatus, separari non potest, non potest ergo interire. *Fic. Plat. Theolog. lib 13 cap. 61.* Animus corpori obesse potest, ipse verò nisi à seipso lædi non potest, quæ læsio potius est controuersia, quàm pernicies. *idem. Plat. Theolog. lib. 13. cap. 1.* Animus, cùm latentem quandam beatitudinis memoriam retineat, cùm illius quodammodo reminiscitur, optat illam summopere recuperare. quam denique ex ipso veritatis prato, id est intelligibili mundo, Idearum plenitudine recepturus merito ad ipsam rerum omnium scientiam semper afficitur, & si, quando fuerit expediens studiosè ostendit *idem, in Plat. phædo. cap. 23.*

Animus immortalis non debet pro breui hoc, sed vniuerso tẽpore esse sollicitus: *Fic. in Pla. de rep. dia. 10.* Animis cœlestibus nõ est necessaria, vel in cognitione, vel in motu, diuina enim suspiciunt intuitu nunquam interrupto, nec opus est recordari se vidisse, cùm ibi non sit vidisse sed videre nunquam interruptum; similis est ipsorum vita semper eadem; similis est modus, perpetuusq; continuus: ideò ipsis tẽpus vnus quamvis nobis multiplex, vel accedat, vel videatur. *idem, in Plot. En. 4. lib 4 cap. 7.*

Animi in cœlo agnoscunt se inuicem, amici præsertim & quodam noti, non per ipsos affectus vitiosos animarum, non per corpora, quæ ibi habere possunt figurato huiusmodi similem in materia liquida, cedente multò magis animo quomodocunque formatori, quàm terrenâ materiâ nunc affectibus animæ. *Fic in Plot. En. 4. lib 4. cap 5.* Animis cœlestibus non videtur memoria necessaria, neque enim discurrunt, vt nouum aliquid, vel inueniant, vel acquirant. *idem. ibid cap. 6.* Animus diuinorum contemplator iam est in patria: actiui homines, & voluptuosi sunt exules, sed actiui faciliùs quàm voluptuosi in patriam reuertuntur. *in enn. 5. lib. 9. cap. 1.*

Animus, vt rationalis, & irrationalis.

Animus noster ascendit à corpore ad spiritum per seorsum, imaginationem, phantasiam, & intelligentiam. *Fic. Plat. Theo. lib. 8 cap. 1.* Animi humani esse est veritas. *idem, ibid. cap 2.* Animum si in cœlesti vehiculo semper esse dicunt aliqui Platonici respondemus non animum à vehiculo, sed vehiculum ab animo dependere *ibid. lib 9. cap. 3.* Animus noster in solo infinito quiescere valet, ideò solum infinitum est eius origo *ibid. epist. lib. 1.* Animi finis infinitum est *idem. ibid.*

Animus noster quia nunc ita coniunctus est corpori, vt separabilis sit aliquando, & perenne et separatos, ideò cognoscendo quasi conditione loci incipit à singulis rerum formis omnino materiæ iunctis. deinde tamen procedit ad species coniunctas quidem effectu, sed suâ quadam natura & virtute intelligentiæ separabiles, & tertio discussis à se parumper phantasiæ simulachris, ad rationes tam separatas quas nunquam excogitare posset in rerum ordine absolutas existere, nisi ad breuissimum tempus ab acie phantasmatum nubes expelleret, sed citò ob consuetudinem nube claritatem impediunt: vnde eliciunt metaphysici, intellectum absque phantasmatibus aliquando posse intelligere, & à corpore seorsum viuere, & clarissimè intelligere. *Fic. in epist. lib. 2.* Animi supremam partem nobis tribuit Deus tanquam dæmonem. *idem, in Apologiam.*

Animus noster eâ conditione genitus, vt terreno corpore circundetur, ad officium generandi declinat: qua inclinatione grauatus, thesaurum penetralibus suis absconditum negligit & corpore inuolutus terreno, diutissimè seruit corporis vsui, & ad hoc opus sensum quidem semper, rationem quoque diutius quàm decet, accommodat. Hinc fit vt diuini vultus candorem in se enitentem non prius animaduertat, quàm adulto corpore, & ratione expergefactâ, Dei vultum in Dei machina refulgentem, & oculis manifestum, cogitatione consideret: qua consideratione prouehitur ad cultum, qui intus emicat, intuendum. *Fic. in Pla. conu. or. 5. cap. 4.*

Animi species temporis vicissitudines patitur, & partium continet multitudinem, sed à locis terminis est absoluta. *Ficin. in Plat. conu. or. 6. cap 17.* Anima irrationalis non à Deo proximè, sed per sequentes, mobilesque causas est constituta, quæ rationali subiecta sit, cœlitus à Deo demissæ *idem, in Plat. Tim. cap. 21.*

Animus tunc solum beatus existimatur, cùm non vlterius in plura distrahitur, sed demissis, vel certè remissis admodum cæteris viribus, & officijs totus iam est translatus in mentem. *idem, in Plot. En. 5. lib 4 cap. 9.*

Animus claudus, & mancus cognominatur, si vsque ad finem vitæ percursus habitus perseuerauerit, quia solo graditur sensu, ratione posthabitâ, & mancus, quia non vtitur intelligentiæ pennis *Fic in Plat Tim. cap 28.* Animis à sua diuinitate degenerantibus, beneficium veræ gloriæ studium, vel castigatur, vel in vanam gloriam permutatur. *idem, epist lib 2.*

Animus ait Plato in Phædone in alio viuens, id est in corpore, pérque illud aspiciens id est per sensuum fenestras, & phantasmata, aspiciens quæ sunt in alio, id est iam species in singulis, quasi formulas singulas in materia, nihil vsquam clarè discernit: quando autẽ viuens in se, per se aspicit, atque in se illa, quæ sunt in seipsis id est rationes rerum, quæ dum in summa omnium ratione sunt, in se ipsis constant, tunc omnia clarissimè perspicit, quia & intima, & clarissima, quæ tantò fulgentiora in se illa sunt quàm ista, quantò puriora, acriora & potentiora. *Fic epist lib. 2.*

Animus noster vehementius ad bonum afficitur, quàm verum, nam verum appetit tanquam bonum; & ipsum bonum potentius est quàm verum, cùm & ipsa potestas ad bonum pertineat potius, quàm ad verum. *Fic. in Plot. En. 1 lib. 2. cap. 4.* Animus ipso bono fruitur non per quandam quasi imaginariam intelligentiæ perceptionem, sed per verum quendam virtutis intellectum superioris, substantialémque, contactum, vbi non videt solum, sed gustat, atque tangit quàm suauis sit Dominus: quam, vt arbitror, dulcedinem Dauid appellat intelligentiæ prorsus absconditam. *idem, in Plot. En. 1 lib. 3. cap. 1.*

Animi tanta vis est, vt res sempiternas se sempiternitatem ipsam, sempiternâ cogitet ratione multò magis est in animo virtus, quæ res sempiternas modo quodam sempiterno, id est sempiternè sempérque cõsiderat. *Fic. in Plot. En. 1. l. 4. c. 3.* Animos tradunt antiqui Theologi in viribus de animæ reditu in hac vita peccantes, eorum esse persimiles, qui super solum æquale ceciderint, quibus deinde absque difficultate datur surgendi facultas: animos autem qui ex hac vita delictorũ sordibus grauati recesserint, his potius cõparandos, qui in abruptũ ex alto, præcipitique delapsi, facultate careant resurgendi: monent itaque concessi vitæ spatij vti, ne desit perfectæ purgationis occasio. *idem, in Plot. En. 1, lib. 9. cap. 1.*

Animi vires omnes ad duas præcipuè referuntur, vnam quæ cognoscit alteram quæ appetit: illa verum quærit, ista incũdum: si ad illam homines vitam instituunt, omnia ad veritatem, vt finem referuntur: si ad hanc, ad id, quod placet, omnia: circa veritatem sapiẽtia, circa id quod placet voluptas. *Fic. in Plat. phileb lib. 1. cap. 7.* Animus hominis cùm liber sit, nõ necessario illi accidit, quod mundi necessitas destinabat. *idem, in Pl. 2. En. 3 lib 3 cap. 15.*

Animus noster quatenus diuinitatis est particeps eatenus ad dialecticam id est metaphysicam facultatem est propensus. *Fic. in Plat. phileb cap 7.* Animus noster cùm vires, & actus cœlestibus animis similes habeat, probabile est, intellectum nostrum, vt & illorum, circa diuina semper agere sicut natura vegetabilis in nobis circa corpora versatur assiduè. &

vt ve-

vt vegetales nos latent, sic intellectuales nobis sunt occultæ. *Idem, in Plotin. En. 4. lib. 8. cap. 8.*

Animis, vt mobilibus competit, vt felices efficiantur, & vt suâ operâ tales fiant: at animabus communioribus beatitudo breui quadam operâ comparatur, animabus autem particularibus operosa felicitas obtigit: ipsæ enim se beatas, sed longo tempore, & labore reddunt. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 5.*

Animis propria quædam inest actio, præter tractum ab vniuerso pendentem, alioquin si nullam haberent propriam actionem, non possent de vniuersi principio, fine, forma, ac de rebus hoc mundo præstantioribus assequi rationem: imò & res omnes non nihil proprietatis habere oportet. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 1. cap. 17.*

Animus cùm propemodum accedit ad Deum ambiguitate laborat, tum quia intellectus est, & species, & speciebus consuetis inuitâ, Deus autem speciem nullam habet: tum quia tunc animus accessisse potest, cùm ipse factus est Deus: ambigit ergo mox verum ipsemet sibi, an alter occurrat. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 9. cap. 3.* Animus cum ipso rerum principio tunc demum vnitur arctissimè, cùm ipse potissimum in se fit vnum, ad autem fit cùm exutus multitudinem, quod ad imaginationem, rationem, intelligentiam pertinet, euadit sola sua vnitas, & hac ipsa per amatorium affectum fruitur vnitate diuina, centrum suum cum centro vniuersi copulans. *Idem, ibid. cap. 11.*

Animus, absolutâ tandem præparatione, Deo quam proximus ea infinito bono virtutem attrahendi insitam habente amorem erga ipsum concepit infinitum: vtrinque ergo adeo transformatur in Deum, vt intuenti mox, non vt animus iam occurrat, sed vt Deus. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 9. cap. 10.* Animus sensibilis per prolationem rei sentiendæ se similem præstat, potest autem contrarijs simul se facere similem per diuersarum rationum prolationem, non posset autem contrarijs fieri similis, si talis fieret patiendo. *Idem, Thet. cap. 6.*

Animus diuinæ mentis fastigium ascensurus, in primis cunctis exhortationibus amore tôlo primi est inflammandus, tum ab affectibus, tum ab imaginationibus singularum rerum corporearum, tum monstrante disciplinâ, & amore duce traducendus est ad incorporeas formas contemplandas: tum sol diuinus in animis fulget, vt in luna, in angelis, vt in stellis, vtrobique oculus mentis ad solem præpotens, facilius tanquam familiaria lumina contuetur, quibus conspiciendis, & solem ille diuinum auguratur, & demum ad idem intuendum, vel quomodocunque percipiendum assuefacit. *Fic. ab Dion. Areop. de trinit.*

Animus, vt se habet ad corpus.

Animus optimus in exercitationibus, ac laboribus habitus, facilè mala corporis contemnit, cupitque quàm primum ossa, pellem & carnes deponere, quæ indumenta appellari possunt. *Max. Tyrius serm. 41.*

Animus ad vnum redire nequit, nisi ve ipse vnum efficiatur: multa verò effectus, est lapsus in corpus in operationes varias distributus, & ad singula respiciens, ex quo partes eius superiores penè obdormiunt, inferiores alijs dominantur: illæ corpore, hæ perturbatione afficiuntur; totus verò animus discordiâ, & inconcinnitate repletur: poëtico ergò furore opus est in primis, qui per musicos tonos, quæ torpent suscitet, per harmonicam suauitatem, quæ turbantur mulceat; per diuersorum consonantiam dissonantem pellat discordiam, variasque partes animi temperet; neque hoc satis est, multitudo enim adhuc est in animo: accedit ergò mysterium, quod in expiationibus sacrisque & omni deorum cultu, omnium partium intentionem in mentem, qua Deus colitur, dirigit. Vnde cùm singulæ animi partes ad vnam mentem redactæ sint, iam totum quoddam vnum ex pluribus factus est animus. Tertiò adhuc opus est furore, qui mentem ad vnitatem animæ caput reducat. Hoc Apollo per vaticinium efficit, nam cùm anima supra mentem in vnitatem resurgit, futura præsagit. Denium cùm anima vnum facta sit, vnum inquam, quod in ipsa animæ essentia inest, restat vt illico in vnum quod est super essentiam conuertatur. Hoc cœlestis ipsa Venus per amorem, id est diuinæ pulchritudinis desiderium, bonique ardorem explendo. *Fic. in Plat. Ionem.*

Animi curam maiorem habere debemus, quàm corporis, & cauere ne ipsum nugis disciplinis imbuamus, nam illæ magis animo obsunt, quàm corpori venenum. *Fic. in Plat. Protag.* Animus huic constrictus corpori, ad res penitus à corpore separatas redditur ineptus, & quasi noctua sub nimio diuinarum splendore caligat. *Idem, in Plat. Euth. 3.* Animo excepto, omnia nobis aliena sunt, ideo corporis medicinam filium appellauit, rem leuem. *Idem, in Plat. Charmidem.* Animo verorum luminosorum munera innata sunt, ideò si in se ipsum prorsus inspiciat, vera in seipsum est conspecturus; & quominus inspiciat, immoderatus est ad corpus, & corporea affectus; quo fit vt temperantiâ in primis opus sit, per quam expulsâ perturbationum caligine mens facta serenior, diuino solis lumine abundè circumfundatur: vnde primò sapientiam deinde prudentiam adipiscetur. *Fic. in Plat. Charm.*

Animum ex sui ipsius natura adeò materiam omnem exsuperare probat Auicenna, vt cùm optimus in seipsum fuerit restitutus, possit elementa mundi innatâ quadam virtute mouere, & in corpora quæuis imperium habere, quo fit vt multò magis habeat in proprium. *Idem, ibid.*

Animus humanus non in alio viuit corpore, quàm humano. *Fic. in Plat. conui. or. 2. cap. 8.* Animi pulchritudo, præstantior est corporis pulchritudine, quò animus corpore præstantior est. *Idem, ibid. cap. 9.* Animus ad vnum redire nequit, nisi ipse vnum efficiatur; multa verò effectus est, quia est lapsus in corpus, in operationes varias distributus, & ad multitudinem rerum respicit infinitam, ex qua partes eius superiores dormiunt, inferiores alijs dominantur. Illæ corpore, hæ perturbatione afficiuntur, & totus animus discordiâ, & inconcinnitate repletur. diuino furore opus est ad leuandam torpedinem, & ipsum temperet, & mysterijs furore quo dirigitur in Deum. deinde oportet vt vaticinij furore quo mentem ad animæ vnitatem reducat: restat tandem, vt in vnum Deum se reuocet, quod per amorem diuinæ pulchritudinis desiderium explet. *Ibidem. orat. 7.*

Animum latent leuissimæ corporis passiones, grauiores innotescunt. *Idem, in Plat. phi. cap. 26.*

Animus vt se habet ad scientias.

Animus statim à tenera ætate vera, bona, honesta, vtilia exoptat: & cum nemo quod incognitum est optet, ergo in se habet animus scientiarum notiones, per quas eas iudicat appetendas esse. *Fic. in Plat. conui. or. 6. cap. 12.* Animi pulchritudinem solâ Socrates contentus est, id est sapientiâ, quæ non tam humano studio, quàm diuino comparatur. *Idem, in Plat. phæ. cap. 3.* Animus ciuilis viri in primis formandus est disciplinis, nam non potest esse corpus validum, vbi animus languet. *Fran. Patr. de rep. lib. 2. cap. 8.*

Annus.

Annum sexagesimumquintum agebat Parmenides & erat valdè senex, & admodum canus, Zeno erat annorum quadraginta ferè, & Socrates erat tunc valde iuuenis. *Plat. in Parmenid.* Anni tempera, fertilitas, & sanitas, item sterilitas, & ægritudines tum hominibus, tum brutis, & plantis proueniunt ex amore mutuo calidi, frigidi, sicci & humidi, & eorum harmonia, & temperantiâ. at si contumeliosus amor dominatur, contra mala proueniunt. *Plat. in Sympos.*

Annus perfectus tunc complet perfectis temporis numeris, quem omnium octo circuituum velocitates inter se completæ caput attigerint, & eiusdem similiter progredientis circulo mensuratæ. *Plat. in Tim.* Anni ad bellum viro sine viginti vsque ad sexaginta, mulieri postquam liberos genuerit vsque ad quinquaginta. *Idem, de leg. dial. 6.* Annus nouus sequenti post solstitium æstiuum mense initium capit. *Ibid.* Annus fit, cùm sol suum circumierit circulum. *Plat. in Tim.*

Anni spacia concluduntur, cùm sol quadrimas temporum contingerit vices, & ad idem signum fuerit inuectus. *L. Apul. de dog. Plat. lib. 1.* Annus non is solus est, quem nunc communis vsus appellat, sed singulorum luminum, seu stellarum emensò omni cœli circuitu, à certo loco in eundem locum reditus, annus suus est, sic mensis est annus lunæ, solis annus menses duodecim, totidem Veneris & mercurij. Martis annus biennium ferè continet, Iouis duodecim, Saturni triginta. *Macrob. in som. Scip. lib. 2.* Anni mundani hora, est cùm stellæ omnes à certo loco ad eundem ita remearint: vt ne vna quidem cœli stella in alio loco sit, quàm in quo fuit, cùm omnes aliæ ex eo loco motæ sunt. *Idem, ibi.* Annus Cynicus quater trecentis sexagintaquinque quadrennijs completur. *Chal. in Plat. Tim.*

Anni Ægyptij secundum Eudoxum, lunares, non solares fuere. *Fic. in Plat. Atlant.* Annum magnum multi annorum solarium quindecim millibus expleri aiunt, alij aliter. *Idem, in Plat. Tim. cap. 20.* Anni à Platone forsan Ægyptiorum more breuiusculi computantur. *Idem. in Plat. de leg. dial. 3.* Anni principium, etsi ponit Plato in calendis post solsticium, id facit certioris apud populum principij gratia, verùm apud eum anni initium est in ipso solstitio æstiuo. *Ibid. dial. 7.*

Annum magnum mundi expleri putant plerique, quando cœlestia omnia ad eandem prorsus, & in seipsis, & inuicem dispositionem, quam habent hodie, reuertentur. Hoc spatium alij triginta sex, alij triginta nouem annorum solarium nu-

mero, alij aliter metiuntur, alitérve putant. *Fic. in Plo. En. 5. lib. 7. c. 3.* Annorum nouem millia hæc ab Eudoxo millia mensium computantur. *idem, in Tim. Plat. c. 5.*

Annorum diuersitas vbi reperitur, fides rerum gestarum ab ea lingua petenda est, ex qua translatum est quod habemus. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 5. c. 8.* Annos mundi constituunt hoc anno, qui est 1495. 5285. quare si mundi originem ad Christum computant. 3760. annos. *idem, ibid. c. 12.* Anni initium constitui non potest vnum, ex quo totius anni status prædicitur, nam alij vernum, alij autumnale, alij omnia quatuor obseruanda, vernū, æstiuū, autumnale, & hybernum, & alij aliter: nec mundi creatio quo tempore facta fuit constat, quamuis in autumno plures conditum credant. *ibid. lib. 9. c. 6.*

Anni diuersitas ex diuersis obseruationibus inuenta est: nam antiquiores Hypparcho 365. diebus constare voluerunt plus quartā parte vnius diei, alij quartam partem super addiderunt. Hypparchus scribēs post Alexandri mortē anno 178. minus quartā parte adiiciendum obseruauit, sed quantum esset quod deficeret ad liquidū non exegit. Ptolomæus post Hypparchū annis 285. eam esse trecentesimā diei partē definiuit, Albetegni post Ptolomæum annis 743. motum Solis inuenit velociorem, quia deficere à quarta illa parte per centesimā, & sextā diei partē inuenit. Thebit annū constare dixit dieb. 365. horis 6. min. 12. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol. lib. 9. c. 9.*

Amen est Hebraicū, & quandoque accipitur pro fiat, vt in fine orationis, aliquando aduerbialiter, vt amen amen dico vobis, id est firmiter, fideliter. *idem, in or. Dominicam.*

Anno 1503. mense Ianuario violæ floruere, noctuæ, & cicadæ cecinerunt, hordea & frumēta spicas & flores, & gemmas, & folia arbores emisere, & propter terræ motum multa ædificia Bononiæ corruere. *Ioan. Fran. Pic. Mir. de rerum prænotione, lib. 5. c. 9.* Anni variatio in Solis accessum, & recessum referri debet, accepta in obliquitatem Zodiaci circuli, non in signorum naturam. *idem, lib. 5. c. 4.* Anni temporum diuersitas in obliquitatem Zodiaci referenda est, sed quod diuersæ temporum qualitates, vt vna æstas sit aliâ calidior, & hyems semper nō eundem seruet rigorem, in materiam particularem referendum est. *ibid.*

Anni ab Ægyptiis mundi ducebantur nouem millia, sed Plutarchus ait, lunares fuisse annos. *Steuch. de peren. phil. lib. 7. c. 5.* Annus magnus cœlestis corporis apud Astrologos vocari consueuit, qui complectitur annos mille solares. *Leo Hebr. de amore, dial. 3.* Annus Iubilæi ab Hebræis maximo celebratur honore. *idem, ibid.* Annus Iubilæi, ab Hebræis annus libertatis appellabatur. *ibid.* Annus septimus ab Hebræis *Semita*, quasi relaxatio appellatur. *ibid.*

Anser est animal pauidum, & auditu certissimum. *Fran. Patritius de regno, lib. 9. c. 5.*

Antiquum.

Antiquius semper recentiore antiquius est. *Plot. in Parmenid.* Antiquius quod aliis est, lōgiore tēpore est ipsum alia. *idem, ibid.* Antiquissimū id est quod tēpore & æternitate antecedit, nō quod natura & gradu. *Steuch. de perenni phil. lib. 6. c. 9.*

Antiquorum mysteria decet benigne interpretari, nec inuitos dominos cauillari, accipientes ab ipsis quæ recte dicunt, immortalitatē animæ, intelligibilē mundum, Deum primum, animā corporis commerciū refugere oportere, animæ à corpore separationē nil aliud esse, quàm à generatione ad essentiā se conferre. *Plot. En. 2. lib. 9. c. 6.* Antiqui scriptores gentium de casu dæmonum scripsere, quod mirum est, vnde ad eos hæc fama manauerit. *Steuch. de peren. phil. lib. 8. c. 39.*

Antiscios appellarunt Hypparchus & veteres Astrologi gradus, in quibus Sol constitutus cùm esset, dies diebus, & noctes noctibus æquales redirent. *Io. Pic. Mirand. in Astrol. lib. 6. c. 12.*

Annuli fabula est, quēd Gygæ Lydi progenitore inuentus est, in terræ scissura, cuius pala si intra cōuersa esset inuisibilē redderet eū, qui anulū in manu gerebat, at foris cōuersa ab omnibus videbatur: cuius annuli medio in regnum occupauit. *Plato de repub. dial. 2.*

Apelles equū & canē ita pinxit, vt prætereuntes equi hinnirent, & latrarent canes. *Fic. Plat. Theol. lib. 13. c. 3.* Apelles pictor ille celeberrimus cùm equū pinxisset, mirâ arte tentauit vt illius ori spumā inderet, & cū rei frustraretur successu; spongiā, qua penicilli colores abstergebātur, in tabulā proiecit, ipsiúsque contactu effectum est, vt casu eueuerit spuma, quam artis magister optimus nequiisset efficere. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in examen. doct. gent. lib. 3. in proœm.*

A philosophia est habitus, quo quis rationes odit. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Apes asserunt aliēnū si quis sibi vēdicent, apū voluptati indulgēt, & sic pulsando illas sibi asciscunt, damnū repēdat. *Plato de legib. dial. 8.* Apiū vt naturā cognosceret Hiliscus Thasius magna diligētia eas in desertis, & solivagis locis perquisiuit; & Aristomachus Solēsis annos circiter quadraginta apes otiū indagauit, nec aliud agit: & ambo de ipsarū natura sōmetarīā vtilia scripserūt. *Fr. Patri. de regno lib. 5. c. 19.*

Apollo.

Apollo dicitur & propter musicā, & propter medendi artem, & vaticinandi, & sagittandi, nā & in medēdo, & vaticinādo, ablutionibus vtimur, quasi ἀπολούων dicitur: at ob vaticinandi artem, & veritatē Thessali appellant ἄπλουν, id est simplicē, & ob artē sagittandi ἀεὶ βάλλων dicitur, & ob musicā ὁμοπολῶν ita vt particula ἁ simul significet, quasi simul vertens, vnde quatuor eius potentias significat qui simplex est, semper ferit, abluit, & exoluit, & simul vertit. *Plat. in Cratylo.*

Apollo sagittandi artem, & medicinā, & vaticiniū amore ducē inuenit. *Plato in Symposio.* Apollinē medicinæ inuentorem, & pulsandæ citharæ regem existimauerunt Theologi prisci. *Fic. epist. lib. 1.* Apollo est anima, lyra eius Solis corpus: neruí quatuor eius quatuor motus, annuus, menstruus, diurnus, obliquus. quatuor voces neates, hypates, doriones, gemini, quatuor signorum triplicitates, ex quibus quatuor qualitates temporum producuntur. *idem, in Plat. Ionem.*

Apollini tribuerunt antiqui & musices, & medicinæ principium, cùm ex musica harmonia, & morbi multi curentur, & ambo sint medicinæ, hæc ex corpore animam curat, illa ex anima corpus. *Ficin. in Plat. Tim. 930.* Apollini melodiæ fonti vaticinium tradiderunt antiqui, sola enim melodia ab omnibus quotcunque distrahunt animam retrahens, contrahit in seipsam, in auditum quendam, vt ita loquar, interiorem, quo non voces solùm, sed & vocum rationes percipiuntur, sedatísque perturbationibus cœlesti contemperat harmoniæ, diuináq; cœlitus effundit oracula. *idem, ibid. 930.*

Apollini diapason octauæ vocis, & disdiapason per quindecim sonos dicatur. *Fic. in Plat. Tim. c. 32.* Apollinis simulachrum tres habent Charites, vna cytharam, altera tibias, media ora fistulam tenebat. *Franc. Patricius de repub. lib. 2. c. 2.* Apollinis Pythia erat fœmina, quæ sedebat super tripodē, cruribus diuaricatis, malignum spiritum inferius emissum, partésque genitales subeuntem excipiens, furore replebatur, & crinibus passis, spumánsque ore debacchabatur, & insana oracula fundebat; & cùm fœminæ pudenda intraret, constat non fuisse bonum spiritum. *Steuch. de peren. phil. lib. 8. c. 37.* Apollinis arcus, Iridem designare, & figurare videtur. *Leo Hebr. de amore, dial. 2.*

Apollodorus Atheniensis Epicharmi comœdias in volumina decem collegit. *Porph. in Plot. vita.*

Apollonius Thyaneus, cùm esset in amicorum cœtu, dixit hirundinem alijs nunciare, asinam prope vrbem onustam tritico cecidisse, & triticum humi diffusum. *Porphyr. quòd animalia sensualia sint rationales & immortales.* Apollonius Thyaneus magus fuit, & omnia eius miracula & prædictiones dæmonum fuisse constat. *Fr. Pic. Mir. de prænotione, lib. 7. c. 10.*

Appetens, Appetitus, Appetitio, &c.

Appetens omne conuersum est ad appetibile. *Proclus Elemen. propos. 38.* Appetens omne indigum est illius, quod appetit, & ab appetito aliud. *ibid. prop. 8.*

Appetens formam aut forma est, aut priuatio, aut materia: nil aliud est in primo natis & finu, præter hæc tria; non forma, quia nihil appetit seipsum, nam id appetitur, quod non habetur: non priuatio, quia nihil est, nisi negatio in subiecto ad formam aptoæ; ergo materia appetit: sed materia nō qua materia, sed qua subiectum appetitionem omni formā nudata, formam non potest appetere, nec ea sese habere appetitum potest, cùm non sit actus in quo fundari oportet appetitum: inest tamen formæ appetitus, non eius, quam habet, sed alterius: & ita turpe appetit pulchrum, imperfectum perfici cupit, & fœmina, vt virili imperfectior, virum appetit. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de materia primo, c. 9.*

Appetendi omnis ratio ipsâ clauditur bonitate. *Fic. Plat. Theol. lib. 12. c. 1.* Appetimus id quo ante egueramus, nec quisquā est egens quin appetat, & quod appetit, quia non eget, ideo apud excellentiores philosophos sæpe egestatis nomine appetitus significatur. *idem, de voluptate, c. 4.* Appetere aliquid nil aliud est, quàm inclinari ad illud, & conuerti, ideo dum omnia bonum appetunt, ipsum venerantur. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nominib.*

Appetibile ab omnibus mens est, à qua omnia progrediuntur. *Pro. in ele. Theo. prop. 34.* Appetibile omne est bonum, vel verum, vel apparens, malum enim nemo appetit, vt Plato in Memnone ostendit. *idem, in Alcibiad. 1.* Appetibile nihil est qua ens, sed qua bonum. *Fic. in Plat. Parmenidem, c. 46.*

Appetit quicunque appetit, & quod non paratum est, & quod non est præsens, & quod non habet, & quod ipse non est, & quo indiget. *Plat. in Symposio.* Appetitum rerum honestarum etiam

rum etiamsi ad metam non perueniat, tamen homines studiosus alacritate præoccupat. *Philo in legu allegor. lib 2.*

Appetitio indiga doloris quidam est. *Fic. in Plat. Theolog. lib 14. c. 7.* Appetitus, qui reliquos sensus sequitur, id est olfactum, gustum, & tactum, non amor est, cùm mente, & visu, & auditu terminetur, sed libido, rabiésque vocatur. *Idem, in Plat. conuiu. or. 5. c. 4.*

Appetitus boni sæpe labitur in malum. *Plotin. En 3. lib. 5. cap. 1.*

Appetitus si incitatur ab appetibili, passio quædam est, etiamsi nullus adiecerit à quonam incitetur, sed id ipsum dixerit, quod post illud fuerit excitatum. *Idem Enn 6. lib 1. c. 21.*

Appetitus varij sunt, Crotoniates olympicum affectant oleastrum, Athenienses victoriam naualem, Lacedæmonij pedestri delectantur, Cretensis studium in venatione versatur, Sybarites in voluptatum affluentia, Thebani in vibrationis in chorisaaarus appetit aurum, ebrietatem potator, amores meticus, modulationem canendi cupidus. *Max. Tyrius serm. 19.* Appetitus diuiditur in iracundiam, & cupiditatem, sine quibus corpus mortalium animalium neque esse, neque verè administrari potest. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Appetitus non fertur ad id quod nec bonum, nec malum est, nullius enim hic finis est, & nunc appetibile finis est. *Proclus in Alcibiadem 8.*

Appetitum res quælibet mouet ratione boni, quę qualitas est, non ratione magni, aut multi. *Fic. in Platonic. Theolog. lib. 1. c. 2.* Appetitus omnis causæ suæ impletur possessione. *idem, ibid. lib 10. c. 8.* Appetitus ab indigentia, & admiratio à nouitate proficiscitur. *idem, in epist. lib 5.* Appetitus sempiternus ad intelligentiam est in omni natura rationali *idem, in Plot. En. 5 lib 5. c. 4.*

Appetitus omnis naturalis ad bonum, & nullus ad malum tēdit. *Fic. in Plat conuiu. or. 3. c. 4.* Appetitum excitans est quidem passio corporis, at appetitus in animo est non tam passio, quàm motio quædam similis actioni, loquens de sensuali appetitu. *idem, in Plat. Phileb. c. 28.* Appetitus naturalis est necessaria quædam naturæ inclinatio ab indigētia quadam annitens ad plenitudinem. *idem, in Plot. En. 1. lib. 8. c. 2.*

Appetitus sensitiuus trahit intellectiuum. *Gabriel Buratell. de remeniscentia, lib. 4.* Appetitus triplex existit, naturalis, sensibilis, & rationalis, seu voluntarius. *Leo Heb. de amore, dial. 2.* Appetitus, ac amor corporum inanimatorum, nec intelligibilis, nec sensibilis, sed naturalis tantummodò existit. *idē, de amo. dial. 3.* Appetitus omnis omnisque amor ad bonū semper contendit *idem, ibid.* Appetitus, ac amor infinitæ diuinæq; illius pulchritudinis fruēdæ angelicis mētibus insitus, nequaquā ad rē, quæ acquiri minime possit, cōtēdit. *ib.*

Appositiones in iis, quæ corpore carent, diminutiones faciunt eorū, quæ appositiones ipsas recipiūt. *Procl. in Eucl. lib. 2. c. 15.*

A primo dependet quicquid præter primum est, atque id vel proximè, vel per media quædam, & est ordo secundorum, & tertiorum: vbi secundum ad primum reducitur, & tertiam ad secundum, oportet aliquid super omnia esse, idque simplex omnino diuersum quid ab omnibus, in se ipso consistens, nec sequentibus mixtum quod re vera sit vnum. *Plot. En. 5. lib 4. c. 1.*

Aqua.

Aquæ eam speciem solidorum, excepta cubica, quæ difficillimè mouetur, attribuamus; eam quæ facillimè igni: mediam aeri: & minimum corpus igni, maximum aquæ, medium aeri: & rursus acutissimum igni, secundum aeri, tertium aquæ. Ex his omnibus eam speciem, quæ paucissimas habet bases, necesse est ea natura facilè moueri, & maximè secandi vi præditam esse, vt quæ omnino sit acutissima, leuissimaque sit, & ex paucissimis partibus constans, secundam secundario, tertiam tertio loco. *Plat. in Timæo.* Aquā ab igne, vel aere diuisā, fieri possunt compactæ partes, vnum quidem ignis corpus duo aeris. *idem, ibid.*

Aqua concreta cùm in permistione depulsa fuerit in aeris ideā mutatur *Plat. in Tim.* Aquæ duo sunt prima genera, liquidum, & fusile, liquidū en quod particeps est aquæ generū, quæ parua, & inæqualia sunt, mobile, & ipsum per se ipsum, & ab alio factum est propter sublatam planitiem, & ob figuræ ideam: quod verò ex magnis, & planis cōstat stabilius quidem illo, & graue à planitie constrictum est, verū ab igne ingresso, & ipsum dissoluente planitiem perdit, & magis motus particeps est. quam aurē ad motum proptum est, dum à vicino aere impellitur, & ad terram distenditur, vtrúsq; affectionis cognomē accipit, vt liquatio quidē molis euersio dicatur, fluxus autem appelletur ad terram distensio. *idem, ibid.*

Aqua igni immista, quæ tenuis, & liquida est propter motū, & viā, qua in terra deuoluitur, liquida dicitur, & mollis, quia eius bases infirmiores, quàm bases terræ, cedunt. hæc ab igne & aere separata sola, planior fit, & in se ipsam cogitur, præ his, quæ egressa sunt, & quæ quidem sic compacta est, & maximè super terram passa grando: quæ in terra, glacies: quæ minus & ex dimidio compacta supra terram nix, in terra verò compacta & ex rore facta, pruina dicatur. *Plat. in Tim.* Aquæ fusibile genus id quod ex tenuissimis & planissimis densissimum est vniforme genus, splendentis, & flaui coloris particeps preciosissima res, aurum colatum, per petram compingitur *idem, ibid.*

Aquarum species inter se cùm plurimum permistæ fuerint, vniuersum genus per plantas ex terra excolatum, humores appellātur; sed singuli hi propter mixturas inæqualitatem habētes, multa alia genera sine nomine exhibent; sed quatuor ex ipsis igniti speciei pellucidæ maximè factæ, nomina acceperesqua quidē quæ animā cum corpore calefacit vinum quæ leuis est, & visum discriminat, & propterea clara aspectu, & splēdida est, pinguisq; cōspicitur, oleosa species, pix, oleum ricininū, & ipsum oleū, & quæcunq; alia huiuscemodi facultatis. quæ diffundendi vim habet vsq; ad naturam congressionum, quæ in ore fiunt, & hac facultate dulcedinē inducit, vel apud omnes maximè appellatur: at quæ carnem dissoluit in quod vrit, spumosi generis, ex omnibus segregata humoribus, liquor nominatus. *Plat. in Tim.* Aquæ concretionem violentissima quidem ignis solam, debiliorem verò ambo, & ignis, & aer diffundunt, hic quidem secundū vacua, ille verò etiam secundum triangula. *idē, ibid.*

Aquæ ex Ioue pluuiales si abundant, & eum qui superiorem locum colit, aut etiam pariete coniuncta domo habitat, aliquem ex infra habitantibus lædat, vt non det effluxionem, aut contra superior demissis temerè effluxionibus inferiorē lædat, & de his inter se conuenire nō possunt in vrbe vrbis, in agro agrorum curatores iudicent, & qui in iudicatis non permanserint inuidi, & maligni animi cōdemnentur, & reus duplex damnum læso rependat, eo quod magistratibus parere noluit. *Plat. de leg. dial. 8.*

Aquarum penuria quibusdam in locis sufit, vt siccitas vndas à Ioue demissas absorbeat, & occultet, & necessariis potibus quis destituatur. is fodiat in suo loco vsque ad terram figlinam Si in hac profunditate in aquam non incidat, à vicinis aquam petat quantum necesse est singulis domesticis adhibendum, & si penuria contracta fuerit etiam vicinis, à curatoribus agrorum accipiat constitutum aquationis modum, & hunc auferat quotidie, & sic aquationis particeps fiat. *Plat. de legib. dial. 8.*

Aquas qui in suam locum ducere vult, is ex communibus locis initium sumens, ducat qua volet præter quàm per domos, aut templa, aut sepulchra, ita vt non lædat nisi quaciū ex aquæductu contingit. *Plat. de legib. dial. 8.* Aquam alienā si quis corruperit, vel fontanā, siue collectā veneni, aut fossis, aut furtu, is cui damnū allatum est, referat ad vrbis curatores & damni æstimationē proponat. & si cōuictus fuerit quod venenis damnū intulerit, super mulctā. fontes, aut aquæ vas purget. *idem, ibid.* Aqua circa hortos omnium maximè nutrit, sed facilè corrumpitur: nam neque terram, neque Solem, neque ventos, quæ vnà cum aqua ea, quæ ex terra germinant, nutriunt, facile est corrumpere venenis, aut auertendo, aut suffurando. *ibid.*

Aqua thermarum exit calida, quia currit super mineras sulphureas. *Aristoteles de causis proprietatum el mentorum, cap 2.* Aquæ fontanæ feruntur in sublimi dū externus aer in regiones in fundo agitatas dilabitur, & vicissim foras eiaculatur aquam *Plutarch. de quæstionib. Platonicis.* Aqua est in pupilla, non & aer, vel aliquid commune, cùm ambo sint diaphana, quia sufficit alterum, & quia aqua magis, quàm aer cohibet, & conseruat. *Prisciānus in Theophrast. c. 35.*

Aquæ maris rubri, Mose percutiente aquas virga, vt parietes cōsistunt, & Moses educit populū in aliam maris partē per siccā at exercitus Pharaonis mergitur. *Philo. de vita Mosis, lib. 1.* Aqua percusso lapide virga à Mose instar fontes perfunditur. *idem, ibid.* Aquæ amaræ, ligno à Deo Mosi monstrato, in eis immisso, fiunt dulces *ibid.* Aqua sine terra, nec terra sine aqua generationi sufficit, sed amborum coitus, & contemperatio *ibid. lib. 2.*

Aqua ter nos lauat, per moralē primò amputando per virtutes ciuiles secundos motus, deinde per virtutes purgatorias, extirpando: tertiò per virtutes animi iam purgati, motus primos absolutissimè moderando; vnde iam ad exēplares, quæ in Deo sunt, virtutes perueniatur, præsertim per contemplationem. *Fic. in Pla. de rep. dial. 7.* Aqua terra duplo acutior, triplo subtilior, quadruplo ad motum paratior. *idē, in Plat. Timæum c. 33.*

Aquæ motum circularē testatur fluxus & refluxus perpetuus. *Fic. in Plat. Tim. c. 25.* Aqua cū extenuatur in aerē, reddit molē ob raritatē, duplo maiorē, similiter quādo aer in ignē

& vicissim contra. *idem, ibid. c. 43.* Aquas quæ sunt sub cœlo Moyses appellauit Planetas, quæ in vno loco congregatæ sunt, quia omnis Planetarum virtus in Sole est collecta. *Ioan. Pic. Miran. in Hept. plan. lib. 2. c. 3.*

Aquarum originem ponit Aristoteles vaporis humidi ex terra, vel ex aere collecti, & in locis terræ editis frigidioribus crassi facti in guttulas aquæ liquescunt, & sic fontium origines sunt. Plato vero ex tartaro, id est magno aquarũ fonte in terræ medio, aquas omnes per venas quasdam occultas oriri vult, & inde per fontes, & flumina digredi. *Sebast. Foxius in Platonis Phædonem.* Aquam frigidam bibentes post magnum laborem & sudorem, largiùs quàm oportet, aut statim moriuntur, aut in grauissimos morbos incidunt: quia aqua loco veneni tunc est. & vt calore vita, non frigiditate sustentatur, si tanta vis aquæ sit et illam extinguat, subitò vita tollitur. *idem, ibid.*

Aqua optima est in qua legumina facile coquuntur. *Francis. Patritius de repub. lib. 7. c. 81.* Aqua, vt Celsus ait, leuissima pluuialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo. post hæc è niue, aut glacie, grauior ex lacu, ex palude grauissima. *idem, de rep. lib. 7. c. 11.* Aqua in metallorum compositione, siue mixtura obtinet principatum. *Leo Heb. de amore, dial. 2.*

Aquatile genus factum est ex stolidissimis, & imperitissimis, quos neque respiratione adhuc pura dignos indicarunt transformatores illi, vt qui ex omnibus delictis immundam animam haberent. quare pro pura, & tenui aeris respiratione in turbidam, & profundam aquæ respirationem ipsos detruserunt. vnde piscium, & ostreorum testa intectorum genus simúlque omnium aquatilium factum est, ita vt extremæ imperitiæ pœnas acceperint. *Plat. in Timæo.* Aquatilia quinto die facta sunt, quia cùm distarent sensu, qui in quinque sensus diuisus est, ab inanimis, meritò facta sunt quinto die. *Philo de mundi opificio.*

Arabes, qui vnicuique cœlestium orbium duas intelligentias præfecerunt, Deum nequaquam primum mouentem esse voluerunt. *Leo Heb. de amo. dial. 2.* Arabum complurium sententia, qui vnicuique orbi cœlesti duas intelligentias applicuerunt, quarum vnam, vt animam, causámque agentem, alteram verò vt finem tantummodo orbem eundem mouere dixerunt. *idem, ibid.*

Aris constitutis in honorem Dei, vel deorũ filij sacrificiorum gratia conuentus ad ipsas faciamus bis in mense, vt duodecim quidem tribus distributioni duodecim verò ipsi ciuitatis diuisioni assignentur: & hi conuentus primùm quidem deorum, & ipsorum cultus gratia fiant, deinde verò nostræ ipsorũ familiaritatis, ac mutuæ cognitionis causa, & omnis, vt ita dixerimus, conuersationis gratia. nam ad nuptiarum societatem & coniunctionem hoc sublatum esse oportet, vt sit alter alteri ignotus, sed à quibus vxorem ducit, & cui filiam collocet, quisque quoad fieri potest sciat, vt nequaquã pro viribus in talibus fallatur. Huiusmodi studij gratia, & lusus, & choreas adolescentum, & puellarum constituere oportet, vt & nudi nudas spectent, & spectentur ab illis, cum ratione, & ætate quadam suos prætextus habente, vsque ad moderatum singulorum pudorem, & horum curatores sint chororum principes, & legũ latores cum legũ custodibus, vt ea in quibus nos deficimus ordinent. *Plat. de legib. dial. 6.* Arã duplicari iussit oraculũ, vt ostenderet, Græcos literis operã dare oportere *Plutar. de vrbe Thebis, & Socratis dæmone*

Arbitrium.

Arbitrij humani libertas concurrit cum prouidentia. *Ficin. in Plat. Atlantic.* Arbitrium consilij, & electionis in ratione collocatur, vt in cœlo fatum, in subcœlestibus fortuna. *idẽ, in Plot. En. 2. lib. 3. c. 15.* Arbitriũ liberum in nobis esse Plato in decimo de republica, in Phædro, & Timæo absq; dubio ponit, & Aristoteles vbiq; confirmat. *idem, in Plot. En. 4. lib. 3. c. 8.* Arbitrium liberum est in intellectu & intellectuali, & rationali. *idẽ, in Theophrast. de phil: sia & intellectu, c. 6.*

Arbitrium & voluntas non dicitur nisi in homine, quia in bestiis appetitio sequitur solam sensus cognitionem, quæ verò singularum est tantùm: in quibus si quid est suaue, nõ potest bellua non ferri ad illud; ideo in ea nulla appetitionis libertas, at in homine duplex cognitio, superior, & inferior quæ ipsius sensus, vel facultatis cum corpore cõmunicantis, plerunque superiori contrariasex quo contingit voluntatẽ humanam in huius duplicis cognitionis medio contrariis flu-ctibus frequenter agitari, vnáq; parte trahi à sensu ad vitiũ, altera à ratione ad virtutẽ reuocari, in qua distractione etsi Stoicis illa pronior ad virtutem videatur, Aristotelicis ob naturam deprauatam ad vitium propensior, tamen iuxta omnes Philosophos naturæ lumen sequentes in medio libera est ad neutrũ coacta. *Iac. Carp. in Alcinoi parte post dgr. 22*

Arbitrio libero agit, qui agit per mentem, liber ab omnibus corporis passionibus, & inde excitatas operationes liberas confitemur, & hanc libertatem Deos habere dicimus. *Plot. En. 6 lib. 8. c. 3.* Arbitrium quod in nobis est primò collocamus in voluntatem, deinde hanc in rationem, post hæc in rationem rectam scientiam includentem. nam non rectè si quis egerit aliquid, videtur habere liberum arbitrium, nisi propter quid rectè sic operetur agnouerit, sed fortè imaginationem qualem in id quod opportunum est incidisse videtur. *idem, ibid.* Arbitrio in nostro imaginationem non concedimus positam, & meritò qui secundum eam agit in statu libero non computamur, & hic accipimus imaginationem, quæ ex corporis passionibus excitatur. *ibid.* Arbitrij libertas in media prouidentia continetur, & inde mouetur, & determinatur. *Proclus in Alcibiadem. 1.*

Arbor vitæ est illa generalissima virtus, quam bonitatem appellant, à qua indiuiduæ virtutes procedunt. *Philo in legis allegor. lib. 1.* Arbores virtutes sunt indiuiduæ virtutes, & harũ operationes & rectè facta; & quę dicũtur apud philosophos officia, hę sunt stirpes paradisi huius. *idem, ibid.* Arboribus conserendis vtilis est nona dies, & decimatertia, quia insita vis radicibus plenior iam lumine spargitur. *Io. Pic. Miran. in Astrologia lib. 3. c. 14.*

Arcam omnes bestiæ introierunt, Paradisum nulla, quia arca est corpus quod necessario capit affectionum vitiorúmque immanes pestes, & indomitas: Paradisus verò solarũ virtutũ est, quæ nihil immansuetum admittunt, & quod ratione careat *Philo de Plantatione Noe.*

Arcana pura & sacra Theologi veteres, ne à profanis polluerẽtur, figurarũ vmbraculis regebãt. *Fic. in Plat. comm. ar 4. c. 2.*

Archangelorum celeritas mixta est quodammodo efficacibus actionibus angulorum cum motu, neque pariter habent, vt vnà cum dicto perficiant. *Iamblicus de mysteriis.* Archangelis apparentibus, partes mundi quædam commouentur, & lumen præcedit in se diuisum, ipsi vero pro magnitudine suæ dominationis, magnitudinem lucis, & figuræ referunt Angelica forma, & lux, & minor est, & diuisa magis. *idẽ ibid.*

Architas Tarentinus columbã è ligno mathematica disciplina, fecit, librauit, & inflauit spiritu, adeò vt volaret. *Fic. in Plato. Theol. lib. 13. c 3.*

Architectus operationum princeps est, non operator, & vt iudicauit, singulis operariis demandet quod commodum est, donec cõmissum absoluerint. *Plat. de regno.* Architecturã plurimis mensuris, ac instrumentis vtentem, ea quæ multã sibi certitudinem exhibent artificiosiorem ipsam multis artibus efficiunt. *idem, in Philebo.* Architecturæ Ægyptij inuentorem Vulcanum asserunt, qui in regno Mercurio successit: alij Dædalũ inuentorũ faciut. *Fr. Patri. de rep. lib. 3. c. 9.*

Argentum sæpe sub ære latet. *Fic. epist. lib. 9.*

Argentum quod nominant viuum Mercurio tribuunt. *idem, in Plot. En. 1 lib. 1. c. 6.*

Argentum Lunæ tribuunt Alchimici. *ibid.*

Argentum viuum esse videtur, si quid videtur fingi posse sub cœlo, simile substãtiæ cœli, in qua calor vegetus cũ humore multo, sed tenaci motum procreat inquietum, si rursus subtiliorem, & transtucidum huic adhibueris, lucidámque naturam habebis & cœlum. *ibid. lib 3. c. 6.*

Argumentatio confert ob potentiæ infirmitatem, quæ actum argumentandi præcedit. *Plot. En. 6. lib. 7. c. 1.* Argumentatio per affirmatiua procedens à perfectioribus ad imperfe-ctiora descendit; procedens verò per negatiua vicissim. *Procl. in Alcib. 1.* Argumentorũ generibus quatuor vtitur Plato, exẽplo, inductione, ratiocinatione, & enthymemate. *Fic in Plat. de virtute.*

Argumentandi potissima forma est, quæ ex suppositione procedit, perpẽdens quid affirmato quolibet, vel negato, multis gradibus inde sequatur, & hæc forma ipsã rerũ naturalium, diuinarúmq; serie nititur, præceptoremq; veritatis habet ipsum ordinẽ vniuersi: & supponendũ est, & si est aliquid, & si non est. *Fic. in Pla. Parmenid. in, c. 36.* Argumẽtum summã rei, capútque requirit, singula quippe discutere nõ argumẽti, sed cõmentarij potius officium est. *idem, in Plat. de virtute.*

Arida & sicca sunt, quæ deserit humor. *Fic. in Plat. comm. ar 6. c. 9.*

Arietẽ signorũ caput designauerunt propter Iouem Ammonem, cuius in capite Arietis cornua prisci fingebant. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 3.* Aries potius est calidus & humidus, quàm igneus, cùm aer aperiatur cum eo calidæ & humidæ qualitatis. *Ioan. Pic. Mir. in Astrologiam, lib. 8. c. 3.*

Aristeus Atheniensis primus docuit olei & mellis vsum. *Fran. Patricius de regno, lib. 2. c. 9.*

Aristides Lysimachi filius vnus egregius fuit inter Græcos. *Plat. in Gorgia.*

Aristoteles.

Aristoteles vnus de triginta erat. *Plat. in Parmenide.*

Aristo-

Aristoteles omnia quæ in hoc 12. metaphysices dicit, contra nomeros tantùm ex vnitatibus constitutos, non autem contra ideales oumeros diuinè dicta sunt. *Syrianus in 12. metaphysices.* Aristotelis & Theophrasti libri ab Andronico Peripatetico in tractatus distributi sunt. *Porph. in Plot. vita.*

Aristoteles dignus est, vt maximè laudetur. *Bessario in calumniatorem Platonis, lib. 1. c. 1.* Aristoteles continuit viginti annos Platonem audiuit. *idem, ibid. c. 3.* Aristotelis domum studiosissimi lectoris sedem Plato appellauit: & Aristotelem freno, Xenocratem calcaribus indigere dixit. *ibid.*

Aristoteles in diuinis semper adhæsit Platoni. *Bess. in calumniatorem Platonis, lib. 2. c. 3.* Aristoteles ad sensibilia transtulit, quæ Pythagorici de substantiis intelligibilibus, aut numeris dixere. *idem, eod. lib. c. 4.*

Aristoteles in Macedoniam secessit, mortuo Socrate, dicens se nolle bis in philosophiam peccari. *idem, lib. 3. cap. 4.*

Aristoteles cùm cœli generationem negauit, opificem exclusit. *Georgius Gemistus de Plat. & Aristot. philoso. differentia. cap. 1.* Aristoteles ait, aliqua eorum quæ fiunt sine causa fieri, quod nullus vnquam sapiens, vel plebeius affirmarit *idem, ibid. cap. 18*

Aristoteles dialecticam summam miscuit cum diuinis, Platonem, vt arbitror, imitatus theologiam in republica, sub dialectico nomine designantem. *Ficin. in Plat. Parmenidem, ex proœmio.* Aristoteles de mixtis imperfectis, & perfectis, de lapidibus, & metallis, & de liquoribus manifestius tractauit, quàm Plato, & harum rerum interpretatio requiràtur ex Aristotele de generatione & meteoris. *idē, in Pla. Tim. c. 40.*

Aristoteli qui se toti dedunt, cauendum est ne impietatem exhauriant: & qui Platoni, ne superstitiosi fiant. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. de prænotione lib. 7. c. 4.* Aristoteles quā varius fuerit in philosophia, inde colligi potest, quòd non Deum, sed malum dæmonē sui studij suasorē habuit, Pythiæ enim iussu philosophari cœpit. *idem, in ex. van. doct. gentium lib. 4. c. 1.*

Aristoteles malè de religione sensit, nam Athenagoras ostendit eum putasse Deum esse animal ex anima, & corpore constitutum, idem Galenus ait Aristotelem putauisse; & eius in scriptis non religionem contineri, sed superstitionem clarum est. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 4. c. 5.* Aristotelem aiunt, cùm naturam Euripi Chalcidici, id est pelagi eius, quod septies in die mirabili modo conuertitur, cōprehendere non potuisset, seipsum in ea maris parte præcipitasse, alij ipsū aconito sūpto interiisse. *idē ibid.*

Aristoteli tanta auctoritas tributa fuit ex ignorantia Arabum, & Maurorum quoque ruditate, qui deletis Athenis, & Romā in prædam Barbaris datā, visis quibusdā libris Græcis Arabes reliquis vel priuari libris voluere, vel malè persuasi ipsi soli operam dedere. *Ioan Franc. Pic Mir. in ex. van. doct gen. lib. 4. c. 2.* Aristotelis doctrina ab iis, qui simul cum eo vixere, & ab iis qui posterioribus etiam seculis floruere, non est habita certa. *idem, ibid. c. 3.*

Aristotelis an aliquem librum habeamus dubium est; omnes enim interpretes in vnoquoque libro quærunt an liber ille sit legitimus Aristotelis, an suppositiuus, nam multi fuere Aristoteles: secunda caosa est idem titulus: tertia, imitatio in caosa est, cùm multi Aristotelem imitati sint: quarta, præmia à Philadelpho Ptolomæo proposita iis qui Aristotelis librum attulissent. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in ex van. doct. gen. lib. 4. cap. 3.* Aristotelis doctrina tam incerta est, vt ab omnibus non sit existimanda. *idem, ibid. c. 9.*

Aristotelis libri Attalicorum metu regum fuere defossi terræ, qui deinde seculis posterioribus laceri ita tineis, & blattis rosi, & humiditate terrestri labefactati, extracti sunt, & Athenas perlati ab Apellicone Teio empti, & postea Romam Syllæ tempore vecti, à Tyranione grammatico emendati, & in componendis ipsis Andronicus Rhodius operam nauauit. *Ioan. Franc. Pic. Miran. in ex. van doct. gentium, lib. 4. c. 5.* Aristotelis doctrinam incertam esse manifestauit Porphyrius. *idem, ibid. c. 6.*

Aristotelem doctrinæ suæ fundamenta iacere scribit Alexāder Aphrodisiensis in plurimorum opinionibus, & multitudinis iudicio. in com. in primum metaphysicorum. *Ioan. Franc. Pic. Mir in ex. van. doct gentium lib 4. c. 6.* Aristotelē Atticus Philosophus sepiæ similem dixit. quæ cùm iam præsentit admoueri manus, atramentum congenitum spargens, inficit aquam, vt ab oculis mox & à manibus piscatorū aufugiat: sic & Aristoteles, in quibus redargui dubitabat, sermonis vel breuitatem, vel obliquitatem, vel diuersitatem spargebat, vt aciem eorum qui se deprehendere vellent, aufugeret. *idem. ibid. c. 7.*

Aristotelis in doctrina scribit Petrus Alliacensis nullas vel paucas esse rationes euidenter demonstratas. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. in ex. van. doct gentium, lib. 4 c. 10.* Aristoteles cùm ab auditorio Platonis aberat, aiebat Plato mentem abesse: & ob multam lectionem, lector à Platone dictus est *idē, ibid. lib. 4. ex Proœmio.* Aristotelem antiquorum opinionem rectè non fuisse interpretatum aiunt & sui Peripatetici *ibid. c. 11.* Aristotelis doctrina cùm in sensu fundetur, & sensus non modo sit incertus, sed fallax, & incerta & fallax erit doctrina. *ibidem, cap. 12.*

Aristoteles ait Deum esse animal sempiternum optimum, & dæmones esse, & esse partibiles, ergo sunt animalia rationalia, & sic non differt à Platone. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in ex. doct. van. gentium lib 5. c. 8.* Aristoteles scripsit librum de philosophia Pythagoræ, qui expositus fuit à Iamblico, in quo (ait) animalis rationalis aliud est Deus, aliud homo, aliud vt Pythagoras. *Idem, ibid.*

Aristoteles Parmenidem, Empedoclem, & Democritum falso calumniatus est. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct gentiū. lib. 6. c. 14.* Aristotelicæ rationes, quæ mundi animam, vel admotricem vltimæ sphæræ mentem concludunt, & immobilem esse, & efficientem, & primam causam, non videntur ad Deum cognitione comprehendendum per eas, quæ illi maximè conuenire dicuntur proprietates, pertingere. *idem, ibid. c. 18.* Aristoteles multis in locis de historia animalium sibi ipsi contradicit. *ibid c. 20.*

Aristoteles & Plato in verbis conuenire non possunt, in re cōueniunt, *Gabriel Buratel. de anima nat. lib. 3.* Aristoteles quoque ait intellectum non esse magnitudinē, sed vt numerus, vt etiam Plato ait *idem, ibid.* Aristoteles Platonē semper in verbis solùm est insectatus *ibid.*

Aristoteles ex Platone potius verbis, quàm mente discedit per iocum ne an per calumniam incertum. *Fran. Patrit. de regno, lib. 4. c. 7.* Aristoteles naturæ genius in Physicis diuino Platone tantò superior est, quantò in Metaphysicis eodem inferior est. *Iac. Carp. in Alcino. præfatione.* Aristoteli cedere debent Platonici in iis, quæ ad communionē bonorū, vxorū, & liberorū. ptinēt in reliquis eadē est sentētia. *idē, ib.*

Aristotelis interpretes putant in prima relatiuorū descriptione Platonē exagitarier non satis vident quid in ea quæstione inter Platonem, & Aristotelem intersit. *Iac. Carp. in Alc. præfatione.* Aristoteles ferè omnibus philosophiæ partibus in Platonem est affectus, vt cum eo, tanquam cum hoste de doctrinæ philosophicæ imperio certare videatur. *idē, ib.* Aristoteles de diuinis tantū tractat, quantū humana ratione pbari posse videtur, nec sine hac ab illo quicquā ponitur. *ib.*

Aristoteles primus omnium philosophiæ partes vsque ad ætatem suam sicut membra Panthei disiectas, atq; confusas, ad vnum corpus reuocasse, atque ex illis quasi integrum animal composuisse videtur. *Iac. Carp. in Alcinoi præfatione.* Aristoteles sæpe in Platone exagitando dum verba potiùs, quàm sententiam insectatur, priuatam gloriam potius quā cum publica vtilitate veritatis cognitionem quærere videtur quod potius condiscipulorum æmulatione, quàm odio in magistrum factum putandum est. *idem, ibid.*

Aristoteles de animæ immortalitate tam variè, & obscurè loquitur, vt non immeritò dictum sit ab Attico, sæpiæ pisci similem esse: vt illa atramento aquam conturbat, vt capi non possit, sic ille omnia magna obscuritate inuoluit, vt cùm vna parte prematur in alteram euadere possit: ideò eius opinionem de animæ immortalitate variè varij interpretamur. *Iac. Carp. in Alcinoi parte post. dig. 10.*

Aristotelem Faber Stapulensis, patrum nostrorum ætate, quasi ab inferis euocauit, & in singula gymnasia, quibus tum ferè erat ignotus, deduxit, & suis scriptis in omnibus philosophiæ partibus illustrauit. *Iac. Carp. in Alcinoi prima digressione de analytica methodo.* Aristoteles in Ethicis cōtra Platonem de summi boni idea disputat, vt potius verba magistri, quàm sententiam insectari videatur. *idem, in Alcinoi parte posteriore, c. 20.* Aristotelem Atheum non esse patet ex libro de mundo ad Alexandrum, in quo diuinitus loquitur de diuina prouidentia. *idem in Alcinoi digres. 3.*

Aristotelis in philosophia multas Augustinus Steuchus decerpsit lucis scintillas, è quibus probari possit hominibus non pertinacibus, in eius decretis ostendi eandem esse eius philosophiam, & maiorum suorum de rebus diuinis. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 1. c. 2.*

Aristoteles vbi ait δοκεῖ, id est videtur, scito non leuem, sed euidentem apparentiam denotare. *idem, ibid. c. 7.*

Aristoteles homo fuit eruditus quidem, sed non æquè fortasse bonus. *August. Steuch. de peren. phi. lib. 4. c. 4.* Aristotelem non solùm cœlestes intelligentias deorum nomine, & excellentia dignatum, plurima sunt iudicia, sed iura maiorum suorum religionem, meliorem quandam absolutámque ab incitatione cœlesti diuinitatem eum asseruisse. *idem, ibid. c. 9.*

Aristotelis duo sunt errores corrigendi, quos ille fecit in libro

de mundo, vt Deus non sit anima cœli ita mouens ipsum, vt ab anima mouentur animalia, sed nutu imperiísque, quibus obediunt inuisibiliter omnia, exclusâ prorsus illa indecorâ mundani corporis animatione; secundum quòd cùm sit eius vnius tanta potestas, imperiúmque per omne cœlum & terras, & maria pertinens, superuacaneum est plures adhibere intelligentias. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 7. c. 4.*

Aristoteles in scientiis pertractandis breuis atque obscurus fuit. *Leo Heb. de amo. dial. 2.* Aristoteles ideas Platonicas nominibus tantùm permutatis confirmasse potiùs, quàm labefactasse videtur. *idem, dial. 3.* Aristoteles in vocabulorū vsu Platoni præferendus esse videtur. *ibid.* Aristotelis & Platonis controuersia de ideis in nominibus potius, quàm in rebus ipsis consistit. *ibid.*

Aristoteles cœlo non secus ac perfectissimo cuidam animanti omnes sex differentias positionis accommodauit. *Leo Heb. de amo. dial. 2.* Aristoteles dextrum, & sinistrum in cœlo non duobus polis, quemadmodum Pythagoras, sed Oriente, & Occidente potius determinandum esse iudicauit. *idem, ibid.* Aristoteles totum cœleste corpus animalis forma figurauit. *ibid.* Aristot. in philosophia pertractanda per se quidem laudem, ex accidenti tamen reprehensionem nonnullam mereri videtur. *ibid.*

Aristoteles amorem communiter, & genericè sumptum, eum esse definiuit, quo quis alicui bonum cupiat. *Leo Heb. de amo. dial. 3.* Aristoteles amorem communissimè sumptū bono. Plato verò amorem propriè acceptum pulchro determinauit, ac definiuit. *idem ibid.* Aristoteles & cum eo omnes Peripatetici mundum æternum esse, & à Deo non secus ac æternum effectum ab æterna causa emanare arbitrantur. *ibid.* Aristoteles materiam primam ex mundo cœlesti sustulisse, & in inferiorem perpetuò relegasse videtur. *ibid.*

Aristoxenus narrat philosophorum Indorum mysteria, quibus continetur, absque diuina regula, & hac quidem à Deo monstrata, non posse quicquam vel priuatim, vel publicè rectè feliciterque vnquam administrari. *Fic. in Plat. de repub. dial. 7.*

Arithmetica, Arithmetici.

Arithmeticus qui est, perfectè omnium numerorum scientia in anima ipsi inest. *Plat. in Theateto.* Arithmetica ars & sciētia omnis paris & imparis venatio est. *idem, ibid.* Arithmetica vulgi differt ab arithmetica philosophorum: nam vulgi arithmetica vnitates inæquales numerorum numerat, vt duo minima, duo maxima: philosophi verò nunquam eos sequuntur, si non quis nullam vnitatem, ab vnaquaque partium vnitate diuersam ponat. *Plat. in Philebo.*

Arithmetica, & computatoria differt, quia Arithmetica circa par, & impar versatur; computatoria par & impar considerat, quomodo multitudinem, & ad se ipsa & inter se habēt. *Plat. in Gorgia. c.* Arithmetica maiorem laborem, & discenti, & tractanti exhibet quàm aliæ scientiæ. *idem, de rep. dial. 2.* Arithmeticæ omnis ars, & omnis scientia cogitur esse particeps. *Plat. de rep. dial. 7.* Arithmetices disciplina vtilis multis modis est, & egregia, si quis cognoscendi gratiâ, & non cauponandi ipsam amplectatur. *ibid.*

Arithmetica animam valdè sursum ducit, & de ipsis numeris differere cogit, nullo modo admittens, si quis numeros corpora, quæ videri, aut tangi possunt habentes, ipsi proponens disputet. *Pla. de rep. dia. 7.* Arithmetica necessaria est, quia animam cogere videtur, vt ipsa intelligentia vtatur ad veritatem cognoscendam. *idem, ibid.* Arithmeticam docere debemus præditos optimis naturis. *ibid.* Arithmetica tota circa numerū versatur. *ibid.* Arithmetici qui naturâ sunt, ad omnes, vt ita dicam, disciplinas acuti sunt: & qui tardi, si in hac exerceantur, etiamsi nullam aliam vtilitatem capiāt, acutiores tamen, quàm antea fuerant, redduntur. *ibid.*

Arithmeticam si quis aufert, omnes artes auferuntur, & nullæ manent, & omnes in totum peribūt: verùm si quis diuinam, & mortalem originem inspexerit, in qua pietas erga Deos, & numerus cognoscitur, cognoscet quantum numero opus sit, nam & tota musica numeris opus habet in motibus & sonis, & quod maximum est numeri omniū bonorum causa sunt; ex quo cognosci possit, quod omne malum, & omnis motus rationis expers, & indecorus sine rythmo est & incōcinnus; & omnia quæ cū malo cōmunionē habēt, esse absq; numero oportet tādem statuere; cùm qui fœlix futurus est, & qui iustum, & bonū, & pulchrum, & omnia huiuscemodi ignorat, nemo vnquā verâ opinione apprehensâ ad seipsum & aliū persuadendū omnibus numeris vtatur. *Pla. in leg. app.*

Arithmetica Musicā præcedit antiquitate, cùm & anima ipsa ab opifice prius diuisa sit, deinde rationibus collecta, vt ait Plato. *Proclus in Eucl. lib. 1. c. 12.* Arithmetica Geometriâ certior est, quia eius principia simpliciora sunt, & sic Geometria Sphæricâ certior est; & Arithmetica item Musicâ, & Geometria, Mechanicâ, Perspectiuâ, & Speculatiuâ. *idem, in Eucl. lib. 2. c. 2.*

Arithmeticæ tres sunt partes, linearum, planorum, & solidorum numerorum consideratio. *Proclus in Eucl. lib. 1. cap. 13.* Arithmetica medietas est quæ pari numero excedit, & pari exceditur; vt 6, 9, 12, tribus & superant & superantur. *Plut. de anima creatione.* Arithmetica prima pueris addiscenda. *Autr. in Plat. de repub. tract. 2. col. 1.*

Arithmetica circa puros versatur numeros, Geometria circa puras dimensiones: tres gradus sunt mixti, nam Musica numeris addit voces, motúsq; ad auditum præcipuè pertinentes. Stereometria dimensionibus addit pondera. Astronomia numeris dimensionibúsq; cœlestes sphæras, motúsque metitur. *Fic. in Plat. de repub. dial. 7.*

Arma ad templa non sunt deferenda, vt ea dedicaturi, tum alia, tum etiam Græcorum, si qua nobis beneuolentiæ cum aliis Græcis cura est; imò timebimus ne scelus quoddam sit talia à domesticis ad templum deferre, nisi Deus aliud quid dicat. *Plat. de repub. dial. 5.* Armorum scientiæ ostentatio inuidiosa est, quare si quis hac virtute mirum in modum aliis non præstat, mirum est nisi ridiculus videatur. *idem, in Lachete.* Arma, & quæ ad bellum pertinent, si ad hæc paranda, aut extrinsecus inducenda opus est, curent magistri equitum, & exercituum duces, & leges ferant de his legum custodes. *idem, de legib. dial. 8.*

Aromatica tunc prosunt ad vitam, cum humida sunt cum vigore aromatico, & calida, & leniorem pinguem habent. *Fic. de vita pr. ducenda, c. 9.*

Arrogantia inter vitia humana magis odio habetur quàm reliqua vitia. *Ioan. Fr. Pic. Mir. in exa. van. doct. gent. lib. 5.* Arrogantia multa mala peperit, ideò natura morbis obnoxia hominibus dedit corpora, id enim pertinet ad coercendā arrogantiam; sed ne altera ex parte sequatur desperatio, medicinam dedit. *M. Ant. Natta de pulchro, lib. 5.* Arrogantiam nihil tam incendit, quàm scientiæ opinio. *idem, ibid.*

Artis quæ in vniuersale accidunt.

Artem nullam natura humana capere potest ob debilitatem suam earum rerum quarum nunquam periculum fecit. *Pla. in Theateto.* Artes omnes moderationē seruantes faciunt id quod pulchrum est, & bonum. *idem, de regno.* Artes omnes similiter maius quiddam, simúlque minus metiuntur, non solùm inter se, sed vt moderatum fiat. *ibid.*

Artium excellentiam, quam in Philebo quærit Plato, non est, vt quæ optima, & plurimùm nobis prosit, sed quæ claritatē, & certitudinem, & quæ id quod verissimum est considerat, etsi praua sit & parum prosit, in Gorgia autem, quæ plurimùm iuuat. *Plat. in Phileb.* Artes multæ quæ ad opiniones pertinent, ordine, ac diligenter perquirunt. *idem, ibid.* Artes omnes magnæ opus habent contemplatione, & rerum sublimium de natura speculatione, nam mentis altitudo, & ad res perficiendas efficacia, hinc alicunde accedere vidētur. *idem, in Phædro.*

Ars nulla in rebus inordinatis esse potest. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 3.* Ars quælibet facilius sine libris, quàm cum libris percipi potest: natura etiam comparatum est, vt quæ sine libris accipimus, continuè memoriæ commendemus, & ne obliuio subrepat, assiduâ meditatione exerceamus. *Bess. in calumniatorem Platonis, lib. 1. cap. 3.*

Artes plurimas exercere vel impossibile est, vel si fieri potest, non egregiè, & ideò vnam artem solùm vult exerceri Plato. *Autr. in rempub. Plat. tract. 5. col. 4.* Artium omnium vt ars reipublicæ administrandæ princeps est, ita requiritur & virtus quædam excogitatiua princeps, & illa quidem est qua illius principis artis actiones in materias inueniuntur, & diriguntur. *idem, in Plat. de repub. tract. 2.*

Artis cuiusq; perfectioni necessaria est philosophia. *Fic. in Pla. Phædrū, c. 44.* Artibus omnibus tria necessaria sunt, ingenium, doctrina, exercitatio. *idem, ibid.* Artium maximarū perfectioni duo potissimum requiruntur, mētis sublimitas, & vis ad agendum efficax, quæ duo philosophia præstat. *ibid.* Ars quoniam diuinum homini extitit donū, statim ob ipsam cum superis cognationem, homo veneratus est Deum antequam loqueretur, & artes aliquas exerceret, quippe cum diuinum munus ob mirificam eius potentiam prius erigat in diuina, quàm porrigat per humana. *idem, in Plat. Protagoram.*

Artes nullæ damnantur, quia mali quidam eis abutuntur. *Ioan. Pic. Miran. in Astrologiam, lib. 1.*

Artium bonarum disciplinæ etiam in re militari plurimùm prosunt. *Fran. Patricius de repub. lib. 9. c. 2.*

Artium diuisio.

Artium ferè omnium duæ sunt species, acquirendi, & faciendi: acquirendi duæ sunt species; altera, cum volentes cum volenti-

volentibus permutamus per largitiones, emptiones, & conductiones; altera, cùm factis aut verbis omnia capimus, quæ mancipatoria dici poterit; mancipatoria alia palã quæ decertatoria dicitur, alia occultè, quã venatoriã appellamus: venatoria alia animati, alia inanimati, quæ sine nomine est, exceptis quibusdã amatoriæ facultatis partibus: venatoria verò animalis, alia pedestris, multis speciebus & nominibus distincta, alia natatilium animalium dicta venatoria per liquidum, alia volatilium, & dicitur venatio, alia aquatica & dicitur piscatoria: & venatoria alia septis, alia plaga: septũ nominatur quicquid impedimenti gratia ambiens aliquid coercet, vt maximè retia, laquei, verricula, & huiuscemodi. Venatoria nocturna, quæ ad ignis lumen fit, ignifera dicitur, quæ die fit, hamularia dicitur: & hamulariæ alia ex superius deorsum fit, quia fuscinis maximè vtimur, fuscinalis vocata est, alia ex infernis virgis circa caput & os sursum virgis, & arundinibus trahitur. *Plato, in Sophista.*

Artes circa omnia quæ fiunt duæ sunt, altera vt fiant côcausa est, altera causa. *Plat. in dial. de regno.* Artes bifariam diuiduntur, aliæ quæ musicam sequuntur, in operibus minoris certitudinis participes, aliæ architecturam maioris: & hæ duplices sunt, aliæ vulgi, aliæ philosophorum. *idem, in Phileb.*

Ars alia clarior, alia obscurior. *Plat. in Philebo.* Artem alius parere potest, alius iudicare debet, quantum habeat detrimenti, vel vtilitatis, apud eos qui vsuri sunt: nam qui parit ob beneuolentiam partus iudicare rectè nequit. *idem, in Phædro.* Artes aliæ magna ex parte in opera versantur, & breui sermone opus habent, aliæ nullo, sed etiam silentio perfici possunt, vt pictura, statuaria, & reliquæ aliæ multæ: aliæ quæ per sermonem omnia perficiunt, & opera, vt ita dicam, nullo, aut admodum exiguo opus habẽt, vt Arithmetica, & reliquæ huiusmodi; quarum aliquæ æquales actionibus sermones habent; & in totũ aliæ, in quibus omnis actio, & facultas in ipsis sermonibus cõsistit. *idem, in Gorgia.*

Ars vnaquæque ob id alia est, quia aliam vim habet, & vtilitatem propriam exhibet, vt medicina sanitatem, gubernatoria salutem in nauigando, & sic aliæ similiter. *Plat. de repub. dial. 1.* Artes tres circa vnamquamque rem esse patet, vsuram, facturam, & imitatricem. *idem, de rep. dial. 10.* Ars qua nostrarum rerum curam habemus, diuersa est ab arte, qua nostri curam habemus. *idem, in Alcib.* Ars nutritoria diuiditur in diuinum pastorem, & humanum curatorem, & hæc diuiditur in violentam, & voluntariam: violenta est tyrannus, voluntaria est ciuilis vir, & rex. *idem, in dial. de regno.*

Artes aliæ contemplatiuæ, aliæ actiuæ, &c. *Philo in legu alleg. lib. 1.* Ars diuisiua refert processum rerum, resolutiua concessionem, definitiua existentiam independentem, demonstratiua existentiam dependentem: omnes verò ad coniunctiuam, vel disiunctiuam rediguntur, nam diuidere & resoluere est disiũgere, definire & demõstrare est cõiungere, illud partes toti, hoc tota quædã totis. *Fic. in Plat. Philebum.*

Ars vtens est dignior arte faciente. *idem, in Plat. Euthydemum.*

Ars quid est.

Ars, id est, τέχνη, quæ mentis habitum significat, quasi ἐχονοὴ literã τ ablatã, inter χ & ν, itémque inter ν, & η inserta. *Plato in Cratylo.* Ars vna & eadem est omnium inter se similiũ. *idem, ibid.* Artem non voco rem ratione carentem. *idem, in Gorgia.*

Ars præsagiendi est lectio quædam naturalium literarum ordinem indicantium, nec vsquam ad inordinatum aliquid declinantium, sed præcipuè motu mundano id indicante, in lucémque producente, etiam priusquam in rebus ipsis appareat quales sint, quótve patiantur. *Plotin. En. 3 lib. 3. cap. 6.* Artes quatenus disponunt, & afficiunt animam, qualitates sunt: quatenus ad aliud referuntur, in ad aliquid locantur. *idem, En. 6. lib 1. c. 12.*

Ars nil aliud est, quàm ratio quædam ad finem tendens: alia quæ mechanica corporeis rebus operam dat, alia negociorum exercitatoria, quæ non abstinet à corporibus, vt imperatoria, alia ratio incorporea sui ipsius potens & sibi ipsi operam dans, vt mathematicæ. *Max. Tyrius, ser. 17.*

Ars humana nil aliud est, quàm naturæ imitatio. *Fic. in Platonica Theologia lib 4. c. 1.* Ars humana est natura quædã materiã tractans extrinsecus. *idem, ibid.* Ars omnis, quia certã ratione ad certum finem ordinat opus, rationalis facultas est. *ibid. lib. 11. c. 5.* Ars vulgaris nil aliud est, nisi rerum expertarum placitarúmq; memoria, vsu corporis quodam, & operationis adiuncto. *ibid. lib. 12. c. 5.*

Artes constant ex collectione multorum præceptorum ad vnum finem tendentium. *M. Antonius Natta de pulchro, lib. 5.* Artes omnes nõ sunt participes sciẽtiæ, sed paucæ, quarum præcepta constant ex his quæ necessariò semper eodem modo eueniunt. *idem, ibid. lib 9.*

Ars vt naturam imitatur.

Ars naturâ posterior est, atque imitatur vmbratilia, debiliáq; imitamina, fabricans ludicra quædã parui momenti, multis ad simulachra fingenda machinis vtens. *Plo. En. 4. lib. 3. c. 10.* Artes non simpliciter imitantur naturam, sed ad ipsas recurrent rationes, ex quibus constat, & agit natura; præterea multa ex se ipsis facit, & adiungit insuper aliquid vbi quicquam perfectioni deest, vt quæ in se pulchritudinẽ habet. *idem, En. 5. lib. 8. c. 1.* Artes quæ referuntur ad illa, quæ sunt generi hominum naturalia, in superna hominis natura continentur. *idem, En. 5 lib. 9. c. 14.*

Artes nobis insunt naturâ, non quod à natura cœlesti, & corporali impressæ sint, vel à mera animæ suani essentia, sed nostris mentibus statim ex Deo natis infusæ sunt rerũ species, & artium regulæ. *Fic. in Plat. Theo. lib. 12. c. 5.* Ars imitatur naturam. *idem, in Plat. Philebum.*

Artis forma artificiosa, etsi fieri videtur per instrumentum, efficitur tamen artificiosæ intelligẽtiæ formâ, quam solam & imitatur; sic & formæ rerum naturalium plusquàm artificiosa ratione dispositæ, non tam cœlestium corporum, vel moles, vel qualitates, quàm animorum cœlestium notiones imitantur, & sequuntur. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 2.* Ars imitatur naturam, natura Deum: atque ars per sapientiã quandam agit, Deus autem est ipsa simpliciter sapientia: consequens igitur est, vt natura per suam quandam sibi insitam sapientiam agat. *idem, in Plot. En 5. lib 8. c. 5.*

Artis operationes.

Arte quod fit, id in illa ac rectè se habet. *Plat. in Alcibiade 1.*

Artes multæ seruandi gratiâ factæ sunt. *idem, in Gorgia.* Arti vnicuique datum est à Deo, vt opus quoddam cognoscere possit. *in Ione.* Arte quandã qui non habet, non cognoscit quæ dicuntur in illa arte. *ibid.* Artes imperant, & dominantur illi, cuius sunt artes. *de repub. dial. 1.* Artem vnam vnusquisque melius facit, quàm multas *dial. 2.*

Artes, quæ discendæ sunt, hoc docere debent, vt quod optimũ est in anima, ad eius quod optimũ est inter ea quæ sunt inspectionẽ sursum ducatur: vt id quod clarissimũ est in corpore, ad eius, quod lucidissimum est in corporeo, & visui exposito loco, inspectionem ducitur. *Plat. de repub. dialog. 7.* Artes duas, & duo studia exactè tractare ferè nulla humana natura potest. *idem, de leg. dial. 8.*

Artem non capere consilium malè docet Aristoteles, Plato verò ipsam consulere ait. *Georg. Gemistus de Plat. & Arist. philo. diff.* Artem quamuis tractemus, vel ingenij vim, à contrario in contrarium sine medio, non modò nõ est tuta via, sed nec perfici potest. *Biss. in calumniatorem Plat. lib. 4. c. 12.* Ars consulit de mente Aristotelis, si de qua agitur, minus certa res est, & ideò à Plotino nõ dissentire videtur tertio libro de moribus. *idem, in Trapezontium, lib. 6. cap. 2.*

Artes, quæ circa priuata bona versantur, possunt interdũ priuatâ prudentiâ gubernari, in ea verò facultate, quæ publicũ curat bonum gubernatorem esse, fateri que oportet Deum ipsum, ad quem pertinet omnium prouidentia, cuius pedissequa est humana prudentia; ideò ait Plato in Protagora, Prometheũ omnes artes humanâ industriâ inuenisse, præter ciuilem, quæ à Ioue per Mercurium id est per angelicas inspirationes diuinâ prouidentiâ quotidie nobis ministrantur. *Fic. epist. lib. 6.*

Artes singulæ extremum quoddam habent, quo perficiuntur, & vltra quod earum officium labórque non extenditur. *idem, in Phileb. lib. 1. c. 2.*

Artem integram cuiuslibet rei qui habet quicquid eidem arti subiectum est iudicat. *Fic. in Plat. Ionem.* Artiũ, & disciplinarum à natura rationibus pueri præditi sunt, possunt enim rectè respondere, si prudenter interrogẽtur, vt Plato Phędoni, Theæteto, & Menoni pueris ostendit. *idem, in Pla. conuiuium, ora. 6. cap. 12.* Artes diuersas nemo exercere debet, presertim, cùm ex alterius opere opus impediatur alterius. *idem, in Plat. de rep. dial. 2.*

Artem suam vnamquamq; à puero statim, & per omnem vitã continuè exercere homo debet. *Mar. Fic. in Plat. de rep. dial. 2.* Ars potest fortunam superare, nam vtræq; à Deo procedunt. *idem, in Plat. de leg. dial. 4.*

Ars absolutissima nihil consultat amplius, sed agit quasi modo naturæ; sic diuina, & naturalis ars consummat, non eget, præsertim si ars humana non extra dicatur tractare materiam, sed intus diuinæ artis more agitari fingatur. *Fic. in Plo. En. 3. lib. 2 c. 1.* Ars quando per habitum naturæ similẽ agit, sine consultatione, vel electione, vel attentione iam agit, imò verò si tunc ad eiusmodi attentionem redeat, impeditur sæpius, & aberrat, quasi attentio talis non pertineat ad naturam. *idem, in Plot. En. 4 lib. 4. c 11.*

Ars nullo circa falsum constituitur. *Ioan. Fran. Pic. Mir in examen van. doct. gentium, lib 3.c.4.* Artis gratiâ & artificis ingenium sæpius perit. *Anton. Natta de pulchro, lib.2.*

Artes, vt liberales.

Ars supputandi numerorum differentias tantum cognoscit. *Plat. de regno.* Artes numerandi maximè sinceræ sunt. *idem, in Philebo.* Artem, quæ circa id quod est, & quod reuera est, & quod idem semper naturâ est, versatur, ego arbitror omnes, quibus parum intelligentiæ adest longè verissimam cognitionem esse dedocere. *ibid.* Ars supputandi est paris, & imparis multitudinis scientia, quomodo ad ipsam, & inter sese habeant. *in Charmide.*

Artes liberales, vt conferunt ad philosophiam, sic philosophia ad parandam sapientiam. *Philo de cong. quaren. eruditionis gratia.* Artes liberales corporeis instrumentis, & potentiis opus habent: scientia, & prudentia ad animam referuntur, *idem, ibid.*

Artes, perspicaciam, perfectionémque habent suam in primis à Mathematica facultate, scilicet numerandi, metiendi, librandi, quæ maximè omnium Mercurialis, & rationalis existit, & absque huius munere omnes titubant fallaci sensu, vel imaginatione, experientiâ coniecturâque confisæ. *Ficin. in Plat. Philebum, c.33.*

Artes liberales, aut nihil, aut parum duæ philosophorum sectæ existimarunt, Epicurea scilicet, & Pyrrhonia, sed diuersis de causis; nam Epicurus, vt propriam ignorantiam occultaret, Pyrrhonij, quia nihil in alteram partem velle decreuerunt, sed in alterutram disputare maluerunt, inueniendæ desiderio veritatis, & cùm hinc, & hinc rationes, & argumenta perspicerent, præstabilius visum est illis verecundè iudicium suspendere, quàm vel impudenter, vel arroganter ferre sententiam, ipsi tamen pollebant disciplinis, quamuis non multum eas æstimarent. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. van doct gen. lib.3.c.1.*

Artes, vt mechanicæ.

Ars mensurandi, alia scilicet magnitudinis, & paruitatis inter se communionem, altera scilicet necessariam eius quod fit essentiam. *Plat. de regno.* Ars metiendi certior est visu, cùm ostendat veritatem longitudinis rerum, & irritum faciat quod apparet. *idem, in Protagora.*

Artes mechanicæ, quæ manibus quodaguntur probrosæ censentur, non ob aliud, quàm quòd quis optimi speciem naturâ debilem habet, vt pecoribus quæ in ipso sunt dominari non possit, sed illa curet, & quomodo ipsis blandiatur solùm discere queat. *Plat. de repub. dialog.9.* Artes fingendi, & texendi ferro opus non habent: nam has ambas artes Deus dedit hominibus, vt omnia illa suppeditarent, & vbi ad diluuij calamitatem deuenissent, humanum genus germen & incrementum haberet. *idem, de leg. dial.3.*

Artes necessariæ, & primæ quæ sunt, qui primus nouit, etiamsi ab initio sapiens visus fuit, nequaquam tamen nunc sapiens esse putatur, & opprobria magis ex huiuscemodi sciẽtia habet: & quiuis vir, cui certamen propositum est, vt optimus vir esse videatur, fugit, & prudentiæ, & instituti sui assequendi gratiâ: nam polentæ & farinæ confectio simúlque alimentum pulchrum quidem, & bonum est, sapientem autem virum nunquam perfectè efficere potest, nam hoc quod confectio cognominatur molestiam his qui faciunt affert. *Plato in legum appendice.*

Artes, videlicet domorum constructio, vasorum effectrix, ferraria, lignaria, fabrilis, fingendi, & texendi, insuper omniũ instrumentorum effectrix, populo commodæ sunt, sed non ob virtutem fiunt. *Plato in legum appendice.* Artium opifex nullus indigena sit, neque indigenæ viri seruus. *idem, de legib. dial.8.* Ars quæ facit, diuersa est ab ea quæ vtitur *idem, in Euthydemo.* Artes actiuæ omnes ob contemplatiuas scientias inuentæ sunt. *Auer. in Plat. de rep. tract.1.*

Artes, vt acquirendi, differendi, assimilandi, & vt venatoria.

Ars equitandi est equorum cura, & venandi canum. *Plat. in dial. de sancto.* Artis acquirendi duplex species, venatoria, & permutatoria: permutatoriæ altera largitionis, altera emptionis, emptionis altera eorum, qui sua opera vendunt, altera eorum qui aliena opera distrahunt cuiusmodi in vrbe fit cauponaria: quæ de alia ciuitate in aliam mercatura; mercaturæ alia vendit iis quibus corpus nutritur, alia quibus animæ, vt musica hic vehitur, illic venditur, vt pictoria, quæ miracula facit, & alia partim solatij, partim studij gratiâ, & qui disciplinas emit, & è ciuitate in ciuitatem numismatis gratiâ permutat, & insita huius animæ mercatura nonne alia ostentatoria, alia sophistica? *idem, in sophist.*

Artis acquirendi pars erat decertatoria, quæ bifariam diuiditur, alia concertandi, alia pugnandi: pugnandi pars est violentia in qua corpus cum corpore committitur, alia contentio in qua sermones vicissim impetunt: at contentio quæ in longum trahitur circa iusta, & iniusta, iudiciaria siue causidica dicitur; quæ priuatim interrogationibus & responsionibus, contradictoria, quæ de commerciis comẽdit, temerè, & sine arte id peragit, nomine indigna est, quæ artificiosa est, litigiosa, & litigiosæ aliâ dispendit nugator, aliâ lucratur sophista. *Plat in sophista.*

Ars contradicendi est in summa vis quædam de omnibus dicendi ad contentionem. *Plat. in sophista.* Ars assimilandi est cùm quis secundùm exemplaris proportiones in longitudine, latitudine, & profunditate, & coloribus conuenientibus singulis attributis imitamenti productionem absoluit *idem, ibid.* Ars decipiendi cùm opinio, & sermo fit falsus, oritur ex imitamentis eorum quæ sunt, & ex hac affectione. *ibid.*

Arti docendi inest facultas persuadendi multitudini, & turbæ per fabulas non per doctrinam. *Plat. de regno.* Ars differendi nobis irascetur si aliquam ipsi præferemus. *idem, in Philebo.* Ars venatoria etiamsi magna, & artificiosa fit, magnificentiam cum sapientia non contribuit. nec ars diuinandi, ac interpretandi, quod enim dicitur id solum nouit, an verum sit non didicit quando videmus rerum necessariarum præparationem per artem operari, nulla autem harum sapientem facit. *in legum appendice.*

Ars imitatrix, & ea quæ secundùm sermonem & omnem musam fiunt, & ea quorum pictura mater est, dum multæ & omnis generis varietates in multis humidis ac siccis generibus efficiuntur, in iis arti imitatoria nullum, etiam maximo studio operantem, vlla parte sapientem efficit. *Plato in legum appendice.* Ars dicendi, qua in iudiciis auxiliarios esse asserunt memoriâ, & exercitatione opinionis affectibus animum aduertentes, sed à veritate eorum, quæ reuera iusta sunt, procul aberrantes, sapientem non facit. *idem. ibid.*

Artem differendi à Prometheo vnà cum igne datam esse ait Plato in Philebo, quia igni vi differendi ars diuidit, resoluit, definit, ac demonstrat, & quia rationalis facultas, vt ignis illuminat intellectum, accendit voluntatem, & vtrumque eleuat ad sublimia. *Fic. in Plat. Protag.* Ars differendi vbi vniuersalia in particularia diuidit, processum rerum à superioribus repræsentat; vbi particularia vicissim in vniuersalia ritè resoluit, conuersionem rerum ad superiora designat; vbi definit, & vbi demonstrat, existentiam rerum ostendit, ibi quidem in seipsis, hic autem ab aliis dependentiam: ideò differendi facultas diuinum est donum, cùm diuinum vniuersi ordinem referat. *idem, ibid.*

Artes, & scientiæ id admittunt, vt si quis scit astrologica, vel fabrilia, sit faber, vel astrologus: at in iis, quæ ad voluntatem, & mores pertinent, non ita sequitur, vt sciat iusta, ergo iustus. *Fic in Plat. Gorgiam.* Artes diuinatrices diuersæ pugnantia de eisdem rebus dicunt, quod expertus sum. *Ioann. Pic. Miran. in astrologiam, lib.2.c.10.* Ars nulla probabiliter disputandi Socratis tempore erat. *Iac. Carpen. in Alcinous, cap.3.*

Artes, vt cognoscuntur & inueniuntur.

Artem sagittandi, & medicinam, Apollo inuenit; musæ musicam, fabrilem artem Vulcanus, texendi artem Minerua, gubernationem hominum & deorum Iupiter. *Plat. in symposio.* Artem ridiculam exhibebit, qui veritatis ignarus opiniones venatus est. *idem, in Phædro.*

Artem spernit orator, qui nesciens vera, malum, vt bonũ persuadet *ibid.* Artem, quæ nos meliores facit nunquam nouerimus, si nosmetipses non cognoscimus. *in Alcibiade primo.* Ars eadem, & nos, & nostra, & quæ nostrorum est cognoscere nos facit *ibid.* Artem inuenire nequit Socrates, qua se bonum & pulchrum facere possis. *in Lachete.*

Artium inuentores à Deo recti, non errauerunt, & illos quasi adoptiuos Dei filios posteriores qui à Deo sibiipsis relicti, possunt errare, venerari debent. *Fic. in Plat. Philebum.* Artem nullam vnquam quis inuenit, aut discere potest, nisi inuestigationis oblectatio, & inueniendi desiderium incitet, & qui docet discipulos diligat, & discipuli eam ducti inam auidissimè sitiant. *idem, in Plat. conuiuium, or.3.*

Artis ingenium Minerua, Vulcanus efficaciam, ignis instrumentum significat. *Fic. in Plat. Protagoram.* Artem possidere non est solùm habere necessaria rudimenta, quæ quasi partes & materiæ sunt, sed ipsam quoque conuenientem cunctorum formam, vsúmque rationalem, ad finem artis præcipuè conducentem. *idem, in Plat. Phædrum, c.43.* Artium formas regulis necessarias ab ideis non abesse Plato putat; nec mirum videri debet hominem artium formas habere diuinitus, cùm imaginationes artium bestiis non desint. *idem, in Plat. de repub. dial.10.*

Artes natura ipsa penè omnis edocuit: pictura enim incœpit ab hominis vmbra in sole inspecta, deinde lineis circumductis simulachrum hominis ostentabat: deinde vsus & exercitatio artes perficit. *Francisc. Patricius de regno, lib. 2. c. 4.*

Artem iam inuentam, & per analysim constitutam gradatim cùm componere volumus, nec tam ad eam hominum studia excitare, quàm rudes instituere, & hos à primis elementis ad id, quod illa habet summum per genesim, vel synthesim, quasi manu ducere, vt ab eius definitione incipiamus non est necesse, sed satis est si cùm ad partem principem, summámque ventum fuerit, tum eius naturam definitione aliqua complectamur. *Iac. Carp. in prima dig. de analyt. methodo.*

Artes ait Plato infinitas, abolitas & natas; quod non mundi æternitatem arguit, sed plurimum quoddam temporis spatium. *Aug. Steuch. de peren. philosoph. lib. 9. c. 1.* Ars nulla nata est magistra, omnes enim in principio rudes, & incompositæ processerunt. *M. Ant. Natta de pulchro, lib. 5.*

Ars incantationum, medica, & bellica.

Ars incantationum est, quæ viperas, phalangia, scorpios, & alias bestias, & morbos demulcet. *Plat. in Euthydemo.* Ars medicinæ ipsa quidem auxilium affert his, quæ tempora frigore, & æstu importuno, & aliis huiuscemodi de animalium natura deprædantur, sed nihil horum ad verissimam sapiẽtiam commodum est immodicis enim opinionibus, & coniecturis feruntur medici. *idem, in legum appendice.* Ars bellica, quæ in maximo pretio est, & ad vsum plurimâ bonâ fortunâ opus habet, magis fortitudo secundùm naturam, quàm sapientia est. *ibid.* Artes ingeniosæ, & necessariæ continentur in ipsa hominis idea. *Fic. in Plat. En. 5. lib. 9. c. 24.*

Artemisia Mausoli Regis Curiæ vxor supra affectionis humanæ fidem virum suum amasse fertur, & eius defuncti corpus in puluerem redegisse, & aquæ inditum ebibisse. *Fic. in Plat. conuiuium, ora. 7. c. 6.*

Arteriæ per quas spiritus manat, à corde principium habent, sed latius deriuantur per pulmonẽ. *Fic. in Pla. Timæum, c. 66.*

Articuli coniunguntur neruis per ligamenta ad motum. *Timæus Locrus de mundi anima & natura.*

Artifices, Artificia.

Artifices qui artem probè exercent, etiam in aliis maximè sapientissimi esse volunt, & sapientiam illam, quam habebãt, obscurabant. *Plato in Apologia.* Artifex quisque fieri nequit, vt qui non nouit quod est vnumquodque ex his, quæ sunt, vt in paruo per similitudinem ab eo quod est, alium in contrarium abducat, aut ipse hoc euitet. *idem in Phædro.*

Artifex vnusquisque considerare debet id in quo artifex esse aut alios tales facere vult, an simplex sit, an multarum specierum; si simplex, vim ipsius considerare, quam à natura habet, ad hoc vt in aliud faciat quid, aut quam vt ab alio patiatur: si verò plures species habuerit, his enumeratis, id quod in vna, hoc in singulis considerare, quidnam à natura facere solet, aut quid ab alio pati. Ideò methodus absq; his similis est itineri cæci, non tamen cæco, aut surdo assimilandus est, qui quamcunque rem arte tractat: nam manifestum est, quod quisquis alicui sermones arte accommodat, essentiam exactè ostendit naturæ eius, ad quod sermones habet. Hoc autem est anima. *Plato in Phædro*

Artificibus instabimus, & prauum morem, & petulantiam, & illiberalitatem, & turpitudinem prohibebimus, vt neque in animantium imaginibus, neque in ædificiis, neque in vllo alio opere inducant: aut si quis hoc facere non potest, non sinendus est apud nos opificium exercere, vt ne in malis imaginibus educati nostri custodes velut in praua herba, multa quotidie paulatim de multis decerpentes, ac depascentes, non animaduertant se vnum quoddam magnum malum in anima sua constare: at illos artifices quæremus, qui pulchri, & decori naturam ingeniosè inuestigare possunt, vt velut in salubri loco habitantes, adolescentes ex omnibus vtilitatem capiant vndecunque tandem ipsis de pulchris operibus, aut ad visum, aut ad visum, aut ad auditum aliquid appellat, quemadmodum aura de commodis locis afferens sanitatem, & statim à pueria sensim citra animaduersionem ad similitudinem, & amicitiam, & concordiam cum pulchra oratione perducens. *Plat. de repub. dial. 3.*

Artificiosa omnia mensuratione quodammodo participant. *Plat. in dialog. de regno.* Artificiosissimum in quacunque electione eligi debet. *idem, in Gorgia.* Artificium est mens artificis in materia separata. *Fic. in Platonica Theologia lib. 4. c. 1.* Artificis opera omnia, quæ ad aspectum pertinent, aut auditum, totum penè artificis declarant ingenium: quæ ad sensus tres reliquos, minimè. *idem. ibid. lib. 10. c. 4.* Artificialibus si quis videtur ineptior, non est, quia hominis artium formæ diuinitus non insint, sed quia per varia distractus fuit, aut se totum ad opposita conuertit. *idem, in Plat. de republica, dialog. 10.*

Artifex tantò magis laudatur, quo magis, & fortius repugnantia inter se, & dissidentia conglutinat. *M. Anto. Natta de pulchro, lib. 2.* Artifex nullus æquè laborat, quàm vt opus suum respondeat formæ, quam mente concipit, quia quantò magis responderit, tantò eius pulchritudo fuerit grandior. *Mar. Antonius Natta de pulchro, lib. 6.* Artificis actiones quantumuis perfectæ, instrumentorum vitia impediunt, etiamsi eius peritiam impedire, vel immutare non possunt. *Iac. Carpentarius in Alcinoi dig. 9.*

Artificialia à nobis facta semel absoluta stant, & manent: at quæ Deus perficit suâ scientiâ, mouentur denuo: fines enim eorum sunt aliorum principia, & perire aliorum est generatio. *Philo in leg. Allegor. lib. 1.* Artificia ob necessitatem primò inuenta propter inopiam quæ in genere humano inest, vel potius melioris conditionis. *Auer. in Rempubl. Platonis. tract. 1.* Artificiosorum operum pulchritudo ab artis forma proficiscitur. *Leo Heb. de Amo. dialog. 3.*

Asini & equi promiscuè inter se generant, reliquum genus mansuetorum non commiscetur. *Plat. de regno.* Asini vulnam aperiens omne permutabis one, id est omnem laborem permutabis profectu, nam asinus laborem significat, profectum verò ouis: & si non permutaueris, redime, id est si non potes profectu mutare laborem, noli laborare, id enim significat redemptio, liberare animam ab inani cura, & inutili, quæ dicuntur de artibus, quæ ad corpus & ad humana pertinent. *Philo de sacrificiis Abelis & Caini.* Asinæ lac os mulieris pulchriorem reddit. *Franciscus Patricius de repub. lib. 4. c. 5.*

Aspasia Rhetorices magistra. *Plat. in Menexeno.*

Asperitatem duritia non planæ naturæ immixta facit. *Plat. in Timæo.* Asperum est quod inæquale, & durum est. *Alcin. cap. 19.*

Aspectus planetarum tum exagonos, tum quadratos, tum oppositos opinati sunt astrologi esse inter ipsos planetas, ad imitationem Lunæ cum Sole, leuibus, & ridiculis rationibus. *Ioan. Pic. Mirand. in astrologiam, lib. 6. c. 7.*

Aspectus sextilis est mediocris amoris, trinus perfecti amoris, quadrans odij mediocris, oppositus summi coniunctionem cum bonis bonam, cum malis malam indicat; at causã ob quam aspectus alius in bono, & malo ab alio differat, solùm ex figura, & numero assignare non possum, quia bonum, & malum non pertinet ad quantitatem, sed ad qualitatem: & ad figuram, & numerum non pertinet actio, sed ad formam, & qualitatem: præterea in cœlo nulla sunt contraria *Fic. in Plat. En. 2. lib. 3. c. 4.*

Aspectus trinus maximam, & sextilis mediocrem signorum amicitiam significare videntur: oppositus verò grauissimas, & quadratus tolerabiliores eorundem inimicitias præ se ferre existimantur *Leo Heb. de Amo. dial. 2.*

Assentiendum non est facilè, sed prius strenuè, & probè rem expendere oportet. *Plat. in Cratylo.*

Assimilando ars est, cùm quis secundùm exemplaris proportiones in longitudine, latitudine, & profunditate, & coloribus conuenientibus singulis attributis imitamenti productionem absoluit. *Plat. in sophista.*

Assimilatio non fit in causa vniuersali & remota, sed in particulari & proxima. *Gab. Bur. de ideis lib. 1.*

Astra.

Astra ἄστρα, quasi fulgur, quia oculos peruertit, sic appellantur. *Plato in Cratylo.*

Astrorum circuitus mensuratio non à multis elaboranda est; sed à paucis quibusdam; multitudini verò quæ ea his necessaria sunt, & rectissimè dicuntur, & nescire multis turpe est: verum omnia exactè quærere neque facile, neque possibile omnino est; quod verò ea ipsis necessarium est, id reiici non potest *idem, de legib. dial. 7.*

Astra non sunt ita parua, vt conspiciuntur, sed ingenti mole vnumquodque præditum est, nam Solem totum terre tota maiorem esse rectè intelligi potest, & omnia sanè, quæ feruntur astra admirandam quandam magnitudinem habent: & quòd circumferatur causa est Deus: nam animatum nisi per Deum fieri non potest: & de omnibus his vnum sermonem verum proferre possumus. Non possent terra, & cœlum, & omnes stellæ, ac moles ex his omnes, si non anima singulis adesset, aut etiam in singulis esset, ita exactè secundum annum progressionem facere, per menses item, ac dies, & omnia quæ fiunt omnibus nobis bona fieri: oportet autem quantò vilius quiddam homo est, tantò minus nugari, sed clarè ipsum dicere aliquid videri; proinde si quis impetus, aut corporum naturas, aut tale quiddam causas quasdam esse dicit, nihil clari dicit. *Plato in legum appendice.*

Astra mentem habere hominibus iudicium esse oportet, ex eo quòd eadem semper faciunt, propterea quod dudum admirando quodam antea tempore constituta faciunt, & non ea, quæ sursum, ac deorsum agitatis consilijs transmotantur. vt modò alia, aliàs rursus alia faciant, vagantur, & transceo dum, quod plerique contra putarunt, quos insipiens secutum est vulgus. *Pla. in leg. app.*

Astrorum genus animalia diuina asserere conuenit corpus quidem pulcherrimum adepta, animam autem fœlicissimam, & optimam aut interitus expers, & immortale vnumquodque ipsorum esse, & penitus diuinam necesse est, aut longæuam quandam vitam habere, quæ vnicuique sufficit. *Plato in legum appendice.* Astra, aut deos ipsos esse celebrabimus rectissimè, aut deorum imagines, velut statuas facta esse. vt ipsi dij ipsas fecerint; non enim dementium nec vilium sunt opificum. *idem, ibid.*

Astra ignem habent, quod patet intuitu, terram quia nil solidum absque terra esse potest. *Plotin. Enn. 2. lib. 1. cap. 6.* Astra facta esse ad ostensionem, & distinctionem temporis, vt mensura nobis fit manifestior, vult Plato, cùm ait tempora dici motus astrorum. *Plotin. En. 3. lib. 7. cap. 11.* Astra animata concedit, Plato sed immobilia, quòd risu dignum est. *Georg. Gem. de Plat. & Arist. phil. diff. cap. 15.*

Astris dominabitur vir sapiens Ptolomæus ait, quatenus admonitus potest imminens euitare discrimen, & sapientiâ adiuuabit opus astrorum, vt agricola prudens terræ naturalem virtutem adiuuabit. *Ficin. in Plot. En. 2. cap. 3.* Astrorum scientia fieri non potest, nec ad artem, vel methodum redigi, sed minus calpandos Ptolomæus qui opinabilem, coniecturalem, dubiam: & fallacem hanc confessus est esse artem. *Io. Pic. Mir. in Astrologiam, lib. 11. cap. 1.*

Astrorum multitudinem terrestrem, & ignitam existimauit Tales Milesius; sed & Anaxagoræ placuit terrestria quidem esse astra, sed petras antea fuisse, quæ ex vniuerso rotata in sublimi raptatæ sunt, & inflammatæ, cœloque affixæ, astrorum nomen obtinuerunt, quam sententiam confirmauit Democritus; ea autem ea fabrefecit Anaximander, & rotæ instar egit in gyrum, & impleuit igne, vt quibusdam quasi buccis flammas emitterent Xenophanes ex ignitis ea nebulis constare confirmauit, & interdiu extingui, noctu carbonum instar inflammari; nec defuerant Heraclites, & Pythagorei nonnulli, qui vnumquodque astrum putarunt mundum, quo & aer, & terra contineretur, & sphæricâ plurimum figurâ constare; à qua opinione non vsquequaque dissensisse visus est Anaximenes, cui placuerat esse sydera clauorum instar affixa crystallo, alij vt alia picturata. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 1. cap. 12.*

Astrorum diuinitas Chaldæorum, & Aegyptiorum superstitio fuit. *Aug. Steu. de peren. phil. lib. 4. cap. 12.* Astris qui deruunt diuinitatem non illam ineffabilem, supremam, principem, in effectricem omnium, sed diuinum quoddam factumque ab ipso Deo. *idem, ibid. lib. 5. cap. 11.* Astrorum pulchritudo ad lucem potius, quàm ad circularem eorum figuram referenda videtur. *Leo Hebræus de Amore dial. 3.* Astrorum maxima pulchritudo in luce potissimum consistit. *idem, ibid.*

Astrolabium primus inuenit Ptolomæus. *Ioan. Picus Mir. in Astrologiam lib. 11. cap. 2.*

Astrologia.

Astrologiam antiquam Ptolomæus reijcit, Ptolomæi Albumasar abijcit, & sic alij alios. *Ioan. Pic. Miran. in Astrologiam, lib. 2. cap. 6.* Astrologica omnia perbella sunt, ac penitus arbitraria nullis omnino rationibus confirmata, & sæpissime similitudine quadam imaginaria, & inani comparatione vtuntur. *Ficin. in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 3.* Astrologia iudiciaria inter superstitiones mater, & alumna existimatur. *Ioan. Picus Mirand. proemio in Astrologiam.*

Astrologiâ iudiciariâ nulla professio maiora incommoda hominibus, nec tot insanias attulit sub prætextu scientiæ, & vtilitatis. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 1.*

Astrologia iudiciaria damnata à Pythagora, ridetur à Seneca, confutatur à Cicerone; Plato, & Aristoteles indignam putauerunt, vt de ipsa verba facerent. *idem, ibid.*

Astrologiam iudiciariam damnauit Plotinus in libro de stellarum efficientia: idem Origenes, item Eudoxus, qui scriptum reliquit non esse credendum astrologis, ex hominum genituris eorum fata prædicentibus; de ipsa nihil dixit Alexander aphrodisiensis. *Io. Pic. Mir. in Astrolo. lib. 1.* Astrologiam iudiciariam Auerroes vbique lacerat, damnat, insectatur; idem Auicenna in vltimo suæ primæ philosophiæ libro comprobauit ab astrologis futura præuideri non posse; ideò ipsis non esse adhibendam fidem, & omnes philosophi potius eam contempserunt, quàm eam confutauerunt, vt artes alias circulatrices, & aniles fabellas. *idem, ibid.*

Astrologiam iudiciariã Astrologi damnarunt, Eudoxus, Cassander, Archelaus, Hoychilaa Halicarnassæus, Nicolaus Oresmius, Ioãnes Marlianus. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 1.* Astrologiam iudiciariam damnarunt prophetæ, vt Esaias, & Hieremias. *idem, ibid.*

Astrologia iudiciaria damnatur ab Augustino, Basilio, Ambrosio, Theodoreto, Chrysostomo, & à cæteris Theologis. Hieronymus ait ea opprobriis Ægypti, id est reliquiis idololatriæ esse reperios stellarum cursus, & futurorũ ex eis euenta rimari. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 1.* Astrologia diuinatis ea motuum cœlestium incertitudine tota labefactatur, nam mutato vno gradu omnis mutatur prædictio, quod probatum est sub incertitudine, & ab ipsis astrologis poni. *idem, in Ast. lib. 9. c. 10.*

Astrologiæ principiorum falsitas ita monstratur, efficacia locorum non potest aliò referri, quàm ad habitudinem loci supra finitorem. vt in eo situ potens stella quælibet efficacior, in quo posita supra hos fortius operatur: ergo fundamenta de Horoscopo, & angulis statim concidunt: nam omnis locus sub terra debilior est quocunque supra terram: præterea qui magis ascendit supra finitorem potentior existimabitur, ergo duodecimus primò præualebit; & huic rationi Ptolemæus arrisit quodammodo, cùm dixit, locum medij cœli potentiorẽ, deinde vndecimam, quamuis alij astrologi ascendentem potissimum affirmant. *Io. Pic. Miran. Astrolog. lib. 10. c. 3.*

Astrologicam probationem omnem ad quinque capita reducere potes; primus locus dici potest ab ordine numerorum, secundus à parabolica similitudine, tertius à mathematicis, quartus ab astrologicis principijs, quintus à dialecticis. *Io. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 10. c. 4.* Astrologica probatio à numeris, quia planetæ hoc ordine dispositi sunt, ergo signa hæc illis respondent, nec persuadet, nec colligit aliquid, & tantò magis cùm Solis locus, & quo ordine planetæ dispositi sint, adhuc sub iudice lis sit. *idem, ibid.*

Astrologiæ probatio à parabolica similitudine, vt pater est minus compertum vnicuique quis fuerit, quàm mater, mater iudicatur per decimum, qui notissimus est, ergo pater per quartum, qui in imo terræ latet, quæ argumentatio philosophis indigna est. *Io. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 10. c. 4.* Astrologiæ totum ratio, cùm domos, exaltationes, vigorésque sustulerimus, concidit. *idem, ibid. c. 10.*

Astrologis experientia niti non potest, cùm experientia sit eiusdem rei, & sæpius obseruatæ collectio: at eadem constellatio, aut nunquam, aut, vt crediderunt veteres, nisi post multa millia sæculorum eadem est reditura, nec ex particulari experiri potest, cùm ex tota figura non ex parte colligenda sit experientia. *Ioan. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 12. c. 1.* Astrologicæ obseruationes nullæ antiquiores ad Astrologos peruenire potuerunt quatuor millibus annorum. *idem, ibid. c. 2.* Astrologicæ antiquorum obseruationes, aut factæ fuerunt ante Ptolomæum, aut post: si post, non sufficit tempus ad obseruationem perficiendam, si ante, cùm motus cœlestia recte nõ tenuerunt, rectè facta esse nõ potuit. *ibid.*

Astrologia nata de Chaldæis, & Ægyptijs parentibus est, qui & idololatræ, & mathematici ob patentes campos, & planities latas, opportunitate loci ad hoc incitabantur, vanisque superstitiosis ceremonijs, præ cæteris honorabantur, ideò sapientes habiti, quoniam sapientiam summã omnes gentes in religione constituere: ideò ad eos accedebat Plato, & alij, vt mathematica, & ceremonias discerẽt, nullus enim ab illis nec naturalis nec diuinæ philosophiæ præcepta sumpsit. *Io. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 12. c. 2.*

Astrologia iudiciaria ab Ægyptijs inuenta est, qui cùm putarent omnia ex quatuor constare elementis, & iam cùm accepissent signa duodecim illa qualitatibus elementorum prædita dixere, primum ignis, secundum terræ, tertium aeris, quartum aquæ, & sic trigoni eadem natura sunt inter se, & sic bona trigona radiatio existimata est, mala quadrata, quia sunt diuersæ naturæ, naturam verò planetarum à coloribus sumpsere; & sic friuolè de alijs coniecturam facientes instituerant Astrologiam, fabulâ fabulæ manum porrigente. *Io. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 12. c. 5.*

Astrologia iudiciaria nugacibus orta coniecturis, fallacibus adoleuit experimentis, fota sæculi vitio, nutrita hominum curiositate, nullo non auido futura de se sciẽdi, atque è cœlo verissima peti. & multa illis fides, authoritásque ab oraculis non modò probantibus, sed etiam cẽsentibus data est: nam interrogatus Apollo mas an fœmina nascitura, fœmina respondit, quia in conceptu ad Venerem Luna ferebatur, noscens dæmon quantam fidem religioni adimeret, quasi omnia vi constellationum futura eliceret: hinc emensa magia, quæ non est aliud, quàm complexus idololatriæ, astrologiæ, su-

giæ, superstitiosæque medicinæ. *Io. pic. Mir. in Astrol. li. 12. ca. 8.*

Astrologiæ dogmata funditus tolluntur ex eo argumento quod motus mundi huius inferioris à superioribus lationibus dependeat, colligitur enim cœlum vniuersalem esse causã rerum inferiorum, & causa vniuersalis dirimitur à particulari, à quo effectus distinguitur, nam cur hoc, vel illud fiat, à causa particulari quæritur. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænotione, lib. 5. cap. 3.* Astrologiam iudiciariam alij veterum indignã putauerunt, vt de ea ne verbum quidem facerent, alij autem damnarunt, vt Pythagoras, & Democritus, Panætius, & Seneca Stoici. *Idem, ibid. cap. 6.*

Astrologiam iudiciariam Plotinus, Origenes Adamantius, Proclus, Platonicus, & multi alij damnarunt. *Io. Fr. Pic. Mir. de præn. lib. 5. cap. 6.* Astrologiam iudiciariã Auerrois vbique damnat, & insectatur, & Auicenna futura ab Astrologia prævideri non posse affirmat. *Idem, ibid.* Astrologiam iudiciariam non modò philosophi naturæ interpretes, sed diuinæ legis interpretes, & lex pontificia, ac ciuilis damnarunt. *ib. lib. 2. cap. 7.*

Astrologiam iudiciariã Moses, imò Deus per prophetas loquẽs damnat, prohibens ne consulant diuinos, & ne eosdem augures ve audiãt præcipit. *Io. Fran. Pic. Mir. de prænotione, li. 5. cã. 3.* Astrologiam iudiciariam Paulus Apostolus damnauit, vt & Eusebius Pamphilus, & Basilius. Ioan. Chrysostomus quoque ipsam, vt blasphemiam reijcit, item Ioan. Damascenus, & reliqui Theologi. *idem, ibid.*

Astrologiam iudiciariam & antiqui nostri Theologi, & iuniores omnes damnarunt. *Ioan. Fran. Pic. Mir. de prænotione, lib. 5. cap. 7.* Astrologiã iudiciariam damnarunt synodus Toletana, & pontificia decreta. *idem, ibid.* Astrologiam iudiciariã damnant leges ciuiles. *ibid.* Astrologi iudiciarij varij sunt in electione significationum domorum cœlestium, & omnium aliarum rerum. *ibid. cap. 12.*

Astrologorum iudicia.

Astrologis suadet Ptolemæus communem potius, & possibilẽ, quàm distinctam, & necessariam ferre sententiam. *Firm. Platonica Theologia, lib. 9. cap. 4.* Astrologorum iudicia Ptolemæus circa communia, confusaque potius, quàm distincta, & circa possibile potius, quàm necessarium versari confitetur, *Idem, epist. lib. 7.*

Astrologis etiam sapientibus (ait Albumasar) impossibile est quicquam de iudiciorũ scientia inuenire. &, vt ait Ptolemæus, exiguum inuenis inesse veritatis in iudicijs dicens, si enim magna prædictionum maiori ex parte nos fallere; tamen operæ precium est hæc subtiliter indagare, propterea quòd verè aliquid inest. *Firm. in Plotinum En. 1. lib. 3. cap. 3.* Astrologi debent scire tempus, quo anima vnitur corpori, quod nec dæmonibus notum est, & scire debẽt, vt probat Iamblicus, quo tempore ante conceptionem dux vitæ dæmon tribui solet, quod solùm ex inspiratione diuina sciri potest. *idem, ibi. ca. 7.*

Astrologus in iudicanda natiuitate obseruare debet tẽpus, quo dæmon vitæ dux tribuitur animæ, quod nisi per diuinã reuelationem intelligi potest, & tempus quo anima corpori infunditur, quod & dæmonibus incertum est. Quinque alia tempora obseruare debet, primò sciendum tempus, cùm semen iacitur in matricem, secundò tempus, quo semen iam in matrice iactum cessante motu incipit permutari, & forsan conglutinari, tertiò quo primum fœtus formatur in vita quod fieri aiunt secundo mense; quartò quo infans iam adultus à vinculis maternis se absoluere toto impetu nititur; quintò, quo solutus erumpit ex aluo. *Firm. in Plotinu En. 2. lib. 3. cap. 7.*

Astrologis consolueram, si Iuppiter ita faueret illis est, vt omnes tantum sibi vna fœlicis horæ supplicatione diuitiarum, opúmque compararent, vt nostris posthac pecunijs nihil indigentes, desinerent aliquando mentes imperitorum tot quotidie mendacijs, emungendæ pecuniæ gratiã, ludificare. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 4. cap. 8.* Astrologi non melius quàm agricolæ de statu aeris prævident, quia eorum sapere non est sapere, sed desipere. *idem, in Astro lib. 3. cap. 15.*

Astrologis non esse credendum.

Astrologorum prædictiones fide dignas non esse censuit Plotinus. *Porph. in Plot. vita.* Astrologi incertã opinione feruntur, vbi alia signa alijs terræ plagis adscribunt, non enim ita distribuunt, quia signum ad perpendiculum supra talẽ pertranseat regionem, quia si ita sit Cancer nihil in Europa significabit, cùm tota existat vltra Cancrum vergens ad aquilonem, nec etiam obliquam concordem proprietatem. Virginem esse signum frigidum aiunt, præesse tamen Hispaniæ calidæ regioni. *Fic. in Plotinu En. 2. lib. 3. cap. 5.*

Astrologi cur caudam draconis malam dicunt, potiusquàm caput draconis, cùm sint ambo puncta imaginaria, cur cauda frigida, & fœminina cum aquilonaris regio sit meridianã frigidior, in qua est caput. *Ficin. Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 5.*

Astrologi aliter, & aliter planetarum domicilia assignant, quia figmenta sunt potius, quàm rationes. *idem, ibid. cap. 2.*

Astrologi ridendi sunt, qui cùm Cancrum magis, quàm Librã Arieti qualitate contrarium dicant, tamen aspectum contrarium qualis resultat ab Ariete in Libram, magis, quàm quadratum detestari consueuerunt. *Fic. in Plotinu En. 2. li. 3. ca. 4.* Astrologi cuncta credenda esse negat Auicenna, quia neque cuncta cœlestia teneant, nec naturas inferiorum ad iudiciũ necessarias, nec nitantur demonstratione, sed experientiã quadam, vel vaticinatione, & probationibus oraculis ac poetis. *idem, ibid. cap. 7.*

Astrologi de astrologia iudiciaria scripserunt, partim mendacij, partim ignorantiã principium, vt ait Nicolaus Leonicenus. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 1.* Astrologi, vt astrologiæ iudiciariæ fidem darent, libros commentitios sub nomine falso philosophorum inscripserunt. *idem, ibid.* Astrologi per natiuitatem non possunt prædicere corporea, cùm habitus corporis figuram ex aluo prius ferat puer, quàm aluum egrediatur. *idem, ibid. li. 4. cap. 11.* Astrologi minus possunt prædicare de ægris, quàm medici, minus de annona quàm agricolæ, minus de tempestatibus quàm nautæ, minus de pecoribus quàm pastores, quia imagines quibus innituntur astrologi non in cœlo fecit Deus, sed mentitus est in cœlo hominum deceptor, & eorum inuentor astrologus. *ibid. lib. 3. cap. 19.*

Astrologorum opiniones, & errores.

Astrologi simili temeritate membris signa præficiunt, nam & calida frigidis sæpe præponunt, & frigida calidis. *Firm. in Plotinu En. 2. lib. 3. cap. 3.* Astrologi coniungunt planetis eisdem significata inter se nimium repugnantia, Saturnum enim Dei cultum, & voracitatem significare volunt, Iouem pietatem, & coitus intemperantiam, Mercurium sapientiã, & oracula prophetarum, insuper oblectamenta superflua. *idem, ibid.* Astrologi Tauro, & Capricorno ascendentibus negant dari medicinas, cùm hæc animalia ruminent, quia potio vomitum concitabit, quasi capra sit in cœlo. *ibid.*

Astrologi plagiarum causam Saturno tribuunt, quem aiunt esse siccum, & masculinum cognominant, quem aiunt esse frigidum, & tarditatem procedere, cùm pro ratione longitudinis spatij sit velocissimus. *Firm. in Plotinu En. 2. libr. 3. cap. 3.* Astrologi aiunt, quia Taurus, aut Leo tales in se vires habent, ideò qui sub his nascuntur sideribus naturam similem sortiri, cùm hæc animalia falsò fingant ac in cœlo; nec ibi eiusmodi natura est, vt in nostris tauris, & leonibus. *idem, ibid.*

Astrologi quinque aiunt esse Planetarum aspectus, coniunctionem, cùm planeta ad perpendicularem lineam planetam subit; oppositionem, cùm maximè distant; sextilem, cùm inter vtrunque sexta duodecim signorum portio cadit, id est duorum mensura signorum; quadratum, vbi quarta Zodiaci pars in ipsos cadit; trinum, cùm quatuor inter sunt signa. *Fic. in Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 4.* Astrologi quinque solum aspectus in Zodiaco fingentes potius, quàm enumerantes faciunt, cùm & quinque angulorum, & octo, & nouem, & decem, fieri possit figura. *idem, ibid.*

Astrologi multi ita disponunt planetas, vt sunt eorum domus: Cancer Lunam ponit, Leo Solem, Virgo Mercurium, Libra Venerem, Scorpius Martem, Sagittarius Iouem, Capricornus Saturnum: alij post Solem ponunt Venerem, deinde Mercurium. *idem, ibid. cap. 6.*

Astrologorum duplex error: alter, quòd multa cœlo subijciunt, quæ inde non dependent: alter quòd quæ efficit cœlum, inde tamen ab eis prævideri non possunt. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrolog. libr. 2.* Astrologorum est sententia indubitata, quæcunque stella sua promiserit, posse tamen non euenire, & quia materia non idonea sit influxui suscipiendo, & quia humana ab arbitrio nostro plurimum dependeant. *idem, ibid. lib. 2.*

Astrologi veteres nunquam aliquid magni de vniuersalibus mundi mutationibus ex istis magnis coniunctionibus iudicarunt: nihil enim de illis Maternus, Paulus, Ephæstion, Theophilus, Artaxercus, & denique nihil Ptolemæus, qui ad eclipses, & vniuersales causis vniuersales mutationes refert. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 5. ca. 5.* Astrologorum communis sententia, ante vniuersale diluuium per annos 269. iunctos fuisse Iouem, & Saturnum in 14. Cancri parte, cùm principium Arietis esset in horoscopo, vtroque scilicet signo in quarta cœli regione pariter collocatis. *idem, ibid. cap. 11.*

Astrologi, vt errant in fatis auspiciandis, si qua fati concedatur auspicatio, ita in tempore definendo, quo illud sit euenturum quod initialis hora promisit, errant. *Io. Pic. Mir. in Astr. li. 7. ca. 7.* Astrologi dãt in directionibus singulis gradui annum, quo quid magis ex libidine fingi potest nullo habito

scientiæ rationisve concepto: maximè cùm interdum annos, interdum dies à gradibus istis dicant indicari: non enim diuisio graduum in triginta naturâ facta est, imò tantùm ex arbitrio pendet, vt commodior diuisio foret arithmeticis. *Idem, ibid.*

Astrologi leges omnes, religionem, & reliquas res humanas Astrologiæ subiiciunt. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrol. lib. 5. c. 13.*

Astrologi nostræ ætatis cùm malè interpretantur Ptolomæum, qui in Solis eclipsi conspiciendat angulus sequens, & interpretentur angulus præcedens, toto cœlo in prædictione eclipsium errant. *Idem, ibid. cap. 7.* Astrologi cùm plura prædicunt, quæ non eueniunt cur non putamus incidisse eos casu in veritatem? *ibid. cap. 10.*

Astrologi nonnunquam dæmonum afflatione, quā nescientes patiuntur, interdum assequentur veritatem, quam aliòqui non assequerentur. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 2. c. 10.* Astrologi nituntur probare ceram Astrologiam, quia mundus hic inferior lationibus continuus est superiori. *Idem, in Astrol. lib. 3. c. 2.* Astrologi quatuor maximè vias magnas inferiorum mutationes soliti sunt inuestigare, per superiores planetas, Iouem præsertim, & Saturnum, cùm simul sunt, quam magnam vocant coniunctionem, per magnos orbes, per saturnias reuolutiones, & per octaui orbis accessus, & recessus, quæ omnes viæ falsæ sunt. *Idem, ibid. lib. 5. c. 2.*

Astrologi fingunt quemlibet planetā, & vnumquodque signum tractu imperium obtinere annis sexcentis, & sexaginta, quibus exactis, tunc nouum aiunt incipere orbem, quo tempore qualis planeta, & quale signum talia complura accedunt; & mutato planeta, & signo, noua eueniunt. *Ioan. Pic. Miran. in Astrolog. lib. 5. c. 2.* Astrologi in facienda figura variè senserunt, quod argumentum est incertitudinis, nam variatis eorum diuisionibus, omnis variatur constellatio. & si hæc remanet in incerto, fundamentum omnis Apotelesmaticæ remanet in incerto. *Idem, ibid. lib. 9. c. 7.* Astrologi omnes veteres, vt est legere in Ptolemæi magna compositione, in cœlestibus motibus, toto, vt dicitur, cœlo aberrarunt. *ibid. libet.*

Astrologo quæ sunt necessaria.

Astrologi qui ie cœlū diuersitatē rerū inferiorum referre volent, ne semper ab iisdem eadem fieri affirmare cogentur, necessarium fuit illos, quanta in effectibus rerū inferiorum varietas est, tantā in cœlo ponere causarū diuersitatē quare cùm stellarū multitudo eis non suffrageretur, quoniam quotquot sunt stellæ, & planetæ, nascenti cuilibet omnes adsunt, ideò putarunt signa, per quæ stellæ, & planetæ currunt, diuersos in inferiore producere effectus: quod probamus falsum, cùm nihil absurdius sit in natura, quàm cœlestium corporum tanta inconstantia. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib. 6. c. 2.*

Astrologo tria sunt necessaria cognitu, si de rebus futuris vera prædicenda sint: primò vt horam initialem rei cuiusque fideliter teneat: secundò, vt statum cœli, & siderum positionem ad eam horam exactè comprehendat: tertiò, vt illa cœli siderúmque positio quidnam faciat, rationibus veris, aut non fallacibus confirmatum experimentis intelligat. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol. lib. 9. cap. 2.*

Astrologus momentum quo quis nascitur exploratum habere non potest, nisi accitus fortan cū astrolabio, cùm infans nascitur, cœlestia metiatur, sed hoc fit quàm rarissimè, nec fit semper volentibus eobis, aera nebulo, nocte, & cùm instrumentum nisi sit exactissimum, quale nunquam reperitur, quod inspectione momento egressionis ad liquidum respondeat, ratio partulis horoscopi vacillabit, & hora, quam æstimatam vocant fallax plerunque est, quæ ex solaribus horologiis sumitur: quæ etsi in horis non fallant, ea tamen quæ in mediis horis sunt, non demonstrant. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol. lib. 9. cap. 2.*

Astrologi, vt damnati sunt.

Astrologis iudicariis pœna capitis imponitur à Iustiniano imperatore. *Io. Pic. Mir. in Astro. lib. 1.*

Astronomia.

Astronomia vtilis est non solùm agriculturæ, & arti nauticæ, sed etiam militari, cùm circa tempora, & menses, & annos versatur, & circa hæc subtiliore sensu præditum esse facit. *Plat. de repub. dial. 7.* Astronomia aliter perdiscenda est, quàm nunc discant, vt has in cœlo varietates, quandoquidem in loco, qui videtur expressæ sunt, optimè, & exactissimè se habere putent, à veris verò multum absint. quibus circumuolutionibus, velocitas quæ est, & tarditas quæ est in vero numero, & omnibus veris figuris inter se feruntur, & quæ in ipsis sunt ferunt, quæ sanè ratione, & cogitatione comprehendi possunt, visu verò minimè. *Idem, ibidem.*

Astronomus reuera deridendus esset, si dum astrorum motus respicit, putat talia opera, quoad fieri potest optimè constituta esse, eo quòd cœli opifex, & ipsum, & quæ in ipso sunt condiderit: at noctis ad diem proportionem, & dierum ad mensem, & mensis ad annum, & aliorum astrorum tum ad hæc, tum inter se, si quis semper eodem modo fieri putet, & nunquam quicquam euariare, quum, & corpus habeant, & videantur, & veritatem ipsorum omni modo apprehendere quærat, & quæ in cœlo sunt omittat. *Plat. de repub. dial. 7.* Astronomia, & musica inter se sorores esse videntur, vt Pythagorici dicunt. *Idem, ibid.*

Astronomia, & aliæ artes, quondam à diis datæ, longo tempore humanis opinionibus confunduntur, exiguúmque diuinitatis, & veritatis denique retinent. In astrologia est aliquid veri quamuis exiguum: quod patet per effectus stellarum inter se, ex mensura prouenient in cœlo, sicut prædictum est de eclipsi Solis, & Lunæ; & aspectibus planetarum, regulæ mensurarum, magnitudinum, distantiarum, progressionum, Cometarum, atque similium diu apud Chaldæos, & apud nos obseruatæ testantur Astronomiæ scientiam esse veram. *Iamblic. de mysteriis.* Astronomia est, per quam cœlestis syderúmque motus, auctorémque diei, & noctis, & mensium, & annorum inspicimus, ex quibus quasi quadam proxima regione horum omnium auctorem inuestigamus. *Alcinous cap. 7.*

Astronomi quàm diligenter metiuntur cœlestia, tam multum circa humana mentiuntur Astrologi. *Ficin. epist. lib. 4.* Astronomus non suspicit superna, qui ab ipso cœlo non prospexit supra cœlum: nam cùm cœlestia non impleant integrum ordinem, nimirum à superiore quodam, & integro ordine pendent. *Idem in Plat. de repub. dial. 7.* Astronomia e ordine cœli maiorem rationē indagare videtur. *Idem, ibid.*

Astronomi in temporum vsurpatione maximè errauerūt, cum vsi sint supputationibus Arabum, qui in his fabulosissimi sunt: violata enim fuit historia aliunde sumpta: in nulla enim est facilius violatur, quàm in annotatione numerorū, in qua & librariorum accuratissima diligentia non nihil semper fere hallucinatur. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrolog. lib. 5. cap 8.* Astronomici numeri debent, ex Ptolomæi sententia, ducentesimo quoque anno instaurari, culpa astrolabiorum; & videtur, quòd tabulæ Ptolomæi multis retrò annis sunt habitæ inutiles nulla enim tam vasta magnitudo, locum sideris inculpatā fide tenuerit. *Idem, ibid. lib. 9. cap. 8.*

Astronomiæ peritissimus omnium fuit Iulius Cæsar, de qua præclarè libros edidit, fatúmque suum præscire, & prædicere potuit, non autem cauere. *Franc. Pat. de regno, lib. 2. c. 16.*

Astutia est effectio, qua finem propositum coniectamus. *Speusip. in Plat. defin.* Astutiam apud Platonem defluxus mentis facit. & sapientiæ portio delapsa creat Sophistam. *Procl. in Alc. 1.* Astutia est callida quædam prudentia contracta ex vsu rerum ciuilium, quæ homines in rebus agendis tutiores reddit. *Franc. Patr. de regno, lib 6 cap 16.*

Athenagoras Atheniensis philosophus Christianus floruit Marci Aurelii Antonini, & Commodi tempore, infra ducentesimum à Christo annum. *Fic. in Athenagora, de resurrect.*

Athenienses.

Athenienses ab omnibus inuicti se ipsos sua dissensione superant. *Plato in Menexenum.* Athenienses Persas antea inuictos in Marathone terra, in Salamine mari superarūt. *Idem, ibid.*

Athenienses post victoriam contra Græcos habitam, existimauerunt ad victoriam vsque bellum persequendum esse, & non ob priuatam ciuitatis iram, totam communem Græcorum societatem perdere, sed aduersus barbaros vsque ad internecionem. *Idem, ibid.*

Atheniensium ciuitatem qui iustè accusare vult, hoc solū prodocens, rectè accusauerit, quod semper nimis misericors est, & eius qui succumbit adiutrix. *Plat. in Menexem.* Athenienses purè græci absque vlla barbarorum mixtione erant. *Idem, ibid.* Atheniensium respublica ante diluuium optima erat, & ad bellū, & per alia omnia legibus insigniter instituta, in qua optima facta, & respublica omnium quotquot sub cœlo ad nostram cognitionem peruenere clarissima fuisse dicitur. *Plato in Timæo.*

Athenæ Vulcanus, & Minerua cōmunem naturā habentes, vt & ex eodem sunt patre, & philosophiæ, & artium studiis ad eadem tendunt, vnam ambo sortem adepti sunt, velut virtuti, & sapientiæ ex natura cognatam, & commodā, & productis in ea viris præstantissimis indigenis reipublicæ ordinem mentibus ipsorum instillarunt. *Plat. in Atlantico.*

Athenarum magnum virtutis signū est, vt reliquiæ ipsius, quæ nunc extant, cū quauis alia certare possunt, feracitate, & omnium rerum fertilitate, quæ omnibus animalibus alendis sufficit. *Idem, ibid.* Athenienses victimas mactabant super mortuos ante defunctis elationem. *Plat. in Minoe.*

Athenæ

Athenæ suspectæ erant apud Græcos, vt eloquentiæ & multi sermonis studiosæ, Lacedæmon, vt breuis sermonis, Creta, vt intelligentiæ magis, quàm multi sermonis studiosa. *id. in, dial. 1. de leg.* Athenienses qui boni sunt insigniter tales existunt, nam absque necessitate, sponte, ex natura, reuera, diuina sorte, & non fictè boni sunt *idem, ibid.*

Athenis cùm magistratus publicè sacrificabat, chororũ multitudo veniebat, & non procul ab aris, sed aliquando iuxta illas omnibus conuitiis sacra perfundebant. & verbis & rythmis, & luctuosissimis harmoniis audientium animos exasperantes. & qui ciuitatem maximè ad lachrymas concitare potest, is victoriæ præmia fert: quam legem abrogandã esse censeo, & vt bonis verbis vtantur, & vt cantilenæ genus vndequaque ea gratiosis verbis constet. *Plat. de legib. dial. 7.*

Atlas astrologus Promethei physici frater, ac maternus auus maioris Mercurij, cuius nepos, fuit Mercurius Trismegistus, floruit tempore, quo Moses natus fuit. *Fic. in argument. Mercurij Trismegisti.*

Atlanticum pelagus nauigabile erat, insulam enim ante ostium, habebat, quod columnes Herculis appellant quæ maior erat Lybiã, & Asiã simul. *Plat. in Timæo.* Atlanticum pelagus terræ motibus, ac diluuiis ingentibus innauigabile redactum est submersã in mari insulã Atlantis. *idem, in Timæo.*

Atlantis insula, maior fuit & Lybiã, & Asiã, nunc lutum impenetrabile obstat his, qui hinc, & illinc pelagus nauigant, vt amplius non possint pertransire. *Plato in Atlantico.* Atlantica insula, & mare Atlanticum appellatum est à primo Neptuni, & Clito filio nomine Atlante *idem, ibid.*

Athleta vnus, & pugil, optimè in hac arte instructus, aduersus duos non pugiles, sed diuites, ac pingues facilè pugnabit, fugam simulando reuerti, & super eum, qui prior inuadit, cedere. *Plato de rep. dial 4.*

Attentio est intensio animi ad discendum. *Speusip. in Platonis definitionibus.*

Attica est regio digna vt ab omnibus laudetur, diis chara, de ipsa enim fuit lis, & iudicium deorum, quam enim Dei laudauerunt, quomodo ab hominibus non laudabitur? secunda laus, quòd hominem produxit eo tempore, quo omnis terra producebat cætera animalia prima enim alimentum, & solo triticũ protulit, & hordei semẽ alimentũ humanu, & olei productionẽ dolorũ leuamen largita est. *Plat. in Menexeno.*

Attingens animal, aut quamcunque aliam rem velut suam, is qui habet reducat ad venditorem, aut donatorem fide dignum, & iustum, aut ad eum qui alio quodammodo sibi miser tradidit, si ciuis est, aut inquilinus in ciuitate, ad dies triginta: si ab externo traditum, accepit ad menses quinque quorum medius sit ille mensis, in quo sol æstiuus ad hyberna se conuerterit. *Plat. de legib. dial. 2.*

Attiogi à dissimili suo nihil potest. *Fic. in Plat. comme. or. 3. c. 3.*

Auarus non debet esse paterfamilias, qua peste nihil perniciosior esse potest, omni enim humanitate alienus est, omnibus obest, omnibus odio est, nec sibi, nec suis prodest semper tristis; sed parcus, & continens sit, alienus ab omni luxu, & elegantias, & delicias respuat, victũmque quotidianum ad valetudinem. & frugalitatem dimetiatur, vt opulentia sit sine reprehensione & parsimonia sine sordibus. *Francisc. Patritius de repub. lib. 4. c. 4.* Auaritia magis his qui gubernant parit odium, quàm cætera, & virtutes omnes eneruat, & obscuriores reddit, & sæpe imperia euertit. *Francisc. Patritius de regno, lib. 4. c. 9.*

Actio est operatio animæ rationalis per corpus expleta. *Alc. c. 1.* Auctor primus est gloriã supremus. & omne perficit, & eius influxus in primo creato est infinitus, in reliquis finitus. *Arist. Theol. g. Ægypt. lib. 10. c. 1.* Auctores omnes bonos legimus, nullum sequimur, omnes probantes, tot enim putamus esse corporeas facies quot animorum nec eorum similitudo si qua est imitatione, sed naturã exprimi & constare videtur. *Ioan. Franc. Pic. epist. lib. 1.* Auctorum illustrium multitudo plurimum pollet ad persuadendum. *Mar. Anton. Natta de immort. anim. lib. 1.*

Audacia, & timor sunt insipientes consultores. *Plat. in Timæo.* Audacia est securitas, qua quis malum neque futurum expectat, nec præsens horrescit. *Speusipp. de Plat. definitionibus.* Audent hi quibus quæ metuenda forent nondum acciderunt. *Plat. En. 1. lib. 1. c. 2.*

Audire, Auditus.

Audire aliquid cupienti non est facienda longa præfatio. *Plat. de repub. dial. 4.* Auditus & vox ad philosophiæ cognitionem dati sunt. *idem, in Timæo.* Auditus est motus, qui est è voce, incipiens à capite, desinens circa hepatis sedem; & quæ velox est, acuta, quæ tardior, grauior: vnam autem esse planam inconstat, & lenem, contrariam verò asperam. magnam autem, quæ multa sit, quæ contra paruam. *idem, ibidem.*

Auditus est sensus, qui per aures voces declarat. *Plat. in Minoe.* Auditum ex sensibus Deus nobis ad sermones & concentus percipiendos produxit, quo si homo ex natiuitate priuatur, neque sermonem amplius emittere poterit; quapropter maximè sermoni cognatus est hic sensus. *Timæus Locrus de anima mundi & natura.* Audito quid homini potuit euenire magnificentius, per quem prudentiam, sapientiámque disceret, numeros orationis metiretur, et modos faceret, fieretque totus modulatus & musicus? *Apul. de dog. Plat. lib. 1.*

Auditus dum fit, aer medius per accidens patitur, ob id videlicet, quod interuenit, fortè quidem opus est pulsato aere ab inuso, nam videtur hic nisi aer in veloci eorum concursu percussus, atque excussus eiusmodi pulsum successiuè aeri tradat vsque ad aures, auditum fieri non posse. *Plot. En. 4. lib. 5. c. 3.*

Auditus ad vocis perceptionem procreatus est, exoriens à motu, qui circa caput efficitur, ad iecur vsque deueniens, vox autem per cerebrum, & sanguinem ad animam penetrat, acuta quæ mouetur velocius, grauis quæ tardius, magna quæ plurima, parua quæ pauca. *Alcin. c. 19.*

Audimus nos binario, nam spiritus è pectore missus per asperam arteriam formatur in ore è lingua tanquam ab opifice, prolatus autem foras, & permixtus aeri cognato, & eum verberans concinnam binarij temperaturam efficit, nam quod diuersis sonis consonat, binario diuisibili primum conuenit, tonum acutum, & grauem habenti. *Philo, quòd Deus sit immutabilis.*

Auditus est in aere positus, quoniam mobilior est, motus autem confert ad sonum *Priscianus in Theophrastum, c. 35.* Auditus fit cùm aer qui in nobis est intimus, patitur è percussu, & ipsam soni speciem iam accepit; & aeris intimi sonus quia non est sensibilis, non confundit auditum; & motet vitalis confert ad sentiendum. *idem, ibid. c. 36.*

Auditus visum non aliter quàm purus aer ignem secutus, voces haurit; quæ & in aere fracto gignuntur, & per aeris internallem aures illabuntur. *Fic. in Plat. comm. or. 5. c. 2.* Auditum antiquior videtur quàm aspectus, quia antiquiora docet, & plura, etsi plura actu vno videre possumus quàm audire. *idem, in Plat. Phædr. c. 35.* Auditum vehementer pulsat motus velox acutã voce, tardus grauí voce permulcet. *idem, in Plat. Timæum c. 62.* Auditus obiectum proprium est vox *idem in Plot. En. 2. lib. 8. c. 1.* Auditus instrumentum habet in se aerem inclusum. *idem, in Theophrastum, c. 35.*

Auditum ait Empedocles fieri in auricularum meatibus, excepto spiritu, quem dicit suscepta iam in aurem eleuari. Alchmeno auditum fert acceptum vacuo, quod sit auribus infitum, & hoc esse id quod resonat excepto spiritu, quoniam vacua omnia emittant sonitum; Diogenes maluit aerẽ esse in causa, vtpote qui in capite sum sit, à voce verberetur, & moueatur. Plato, & qui eum secuti sunt, putauere aerem, qui remoretur in capite, percuti, percussum refrangi, & dissultare, & ita fieri sensionem auditus: sed moueaturne aer qui foris est sono, vel voce diuerberatus ad auditionis vsque sensorium, diuersi diuersa prodidere, nam sunt qui spiritualiter moueri duntaxat, & cieri auditum volunt, & putant nõ aliter decreuisse Aristotelem; sunt qui eodem auctore nixi, & rationibus etiam, fieri oportere censeant vt in aurium penetralia, & in vltimos anfractus admittatur aer. *Io. Franc. Pic. in ex. van. doct. gentium. lib. 3. c. 13.* Audire varia quidam videntur, quæ non audiunt, vel ex natura, vel ex corporis affectione, & ad ea quæ deberent audiri, facilè obsurdescũt. *idem, ibidem.*

Auerroes.

Auerroes vnicuique cœlestium orbium vnam tantummodò intelligentiam præfecit, quæ sola, & velut agens, & tanquã finis suum orbem circundat, quæque vt finis proprij motus, seipsa, vt eiusdem motus effectrice longè nobilior existat. *Leo Heb. de amore, dial. 2.* Auerroes Deum ipsum non tantùm vt finem, verum etiam, vt efficientem causam supremum omnium orbium circunducere existimauit. *id. in, ibid.* Auerroes Aristotelicorum dogmatum, atque dictorum obseruantissimus fuit *ibid. dial. 3.*

Auerrois sententia est immensam Dei pulchritudinem, nullius medij prorsus operã requisitã, tam in corporei, quàm in angelici mundi quibuslibet partibus mox imprimi, & huiuscemodi impressionem illustriorem, vel obscuriorem, prout res procreatæ vel ad Creatorem ipsum propiùs accesserint, vel ab eodem longiùs recesserint, existere, & à clariori, vel tenuiori diuinæ formæ in rebus procreatæ

impressione, vehementiorem, vel segniorem amorem, nec non intensius, aut remissius diuinæ pulchritudinis desideriũ in eis conspectum proficisci. *Leo Heb. de ama dial. 3.*

Aues.

Aues ob gaudium canunt, non ex dolore. *Plat. in Phædone.*

Auibus quibusdam natura breuem, & temporariam cantum tribuit. hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis serum, vpupis vespertinum, bubonibus nocturnum, Gallis antelucanum. *Apul. Floridorum lib. 2.*

Aues in auguriis captandis miraculosè mouentur ab anima sua, & dæmone præside, motúque seris & cœli seipsas præcipitant, & allidunt, vel aliter se necant, dum ad significandum conficeant quod non sponte faciunt, sed tactæ diuinitus. *Iamblicus de mysteriis.* Aues significant eos qui de naturæ institutis ad gratiam sunt translati. *Ioan. Pic. Mirand. in Heptapla, lib. 7. c. 5.* Aues proprios edunt cantus, & garritus, proprij sunt signa, non mutationis rerum prognosticarum. *Fran. Pic. Mir. de prænotione lib. 3. c. 3.*

Augurium à Phrygibus manasse putatum est, licet alij à Chaldæis ad Græcos, à Græcis ad Hetruscos, ab Hetruscis ad Latinos ductũ velint. *Io. Fran. Pic. Mir. de prænotione li. 6. c. 4.*

Augustinus contra Peripateticos formulam operis posuit, quoniam eius ætate non colerentur eximiè, & in his quæ ad religionem duntaxat pertinebant, diligẽtius contra Platonicos disputationem conuertit quos omnibus aliarum sectarum præstari philosophis, déque religione minus malè sentisse constat, nam celebris erat eorum opinio. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in examine doct. van. gen. in proœmio.*

Auicenna opinatus est secundam mentem, cùm sua ad primam conuertit, producere tertiam, cum verò seipsam respexerit, producere animam primi orbis. quod est suum commentum inane, non extans nec apud Platonem, nec apud Platonicos. *Aug. Steuch. de peren. philo. lib. 2. c. 56.*

Auicennæ, Algazelis, Rabbi Moysis, aliorúmque complurium sententia est amorem, summámque illam pulchritudinem a Deo per omnes interiectas intelligentias, & per cunctos orbes cœlestes gradatim, & successione quadam adhibitá, vsque ad primam materiam decurrere. destituerépue, & inde cœli cuiusdã more, per omnes formas interiacentes gradatim, & eadẽ retentã successione rursus ascendere, quousque in Deum ipsum tandẽ reuertatur. *Leo Heb. de ama. dial. 3.*

Aurora est diei principium, & primum solis lumen. *Speusippus de dispos. ab Plat.*

Aurum.

Aurum & argentum custodes habere non debent, cùm diuinum in animis habeant, & humano nihil indigeant: nec pium est illius possessione possessionem diuinam polluãt, eo quod vulgi numisma multa & impia perpetrauit: quod verò apud illos est, incorruptum est, immò solis ipsis ex omnibus, qui sunt in ciuitate, aurum, & argentum tractare, & attingere fas non est, & neque sub tectum recipere licet, neque alligare, neque bibere ex argento, aut auro licet: & sic & ipsi seruari poterunt, & ciuitatem seruare: quando verò ipsi & terram propriam, & domos, & numismata possidebunt, Oeconomi quidem, & agricolæ pro custodibus erunt, pro auxiliaribus autem aliorum ciuium, tyranni domini reddentur: odio habentes itaque, & odio habiti, & insidiantes, ac insidiis expositi omnẽ vitã transigent, multò magis timentes interiores ciues, quàm externos hostes. currentes iam tunc proximè ad perniciẽ tum ipsi, tũ reliqua ciuitas. *Plat. de rep. dial. 3.*

Aurum, & argentum custodes attingere fas non sit, nec sub tectum recipere, nec alligare, nec bibere in ipso, sed contenti sint auro, quod à diis in animo ipsorum infusum est, non polluentes illum auro corruptibili & argento. *Plato de rep. dial. 3.* Aurum qui accipit iniustè, filiũ optimum suũ patrem pessimè seruum facit. *idem, ibid.* Auri ramus ob densitatem durissimus, & nigrefactus adamas vocatur. *idem, in Timæo.* Aurum fit ex aquis fusibilibus, eo quod tenuissimum, & planissimum, & densissimum sit vniforme genus splendentis, & flaui coloris particeps. *idem, ibid.* Aurum, quod in terra, & sub terra est omne, virtuti comparari non meretur. *idem, de legibus dial. 5.*

Aurum aut argentum nullus priuatus possideat, sed numisma quotidiani commercij gratiâ, quod cum opificibus permutare necessarium est, & cum omnibus, quorum opera nobis necessaria est, vt mercenariis, & seruis mercedem persoluamus quorum gratiâ numisma possidẽdum est, quod apud ipsos in pretio sit, apud alios homines reprobatum. At expeditionum bellicarum gratiâ, & profectionum ad externos homines, in legationibus, aut alia quadam re ciuitati necessaria commune sit numisma Græcum, si verò aliquando priuato peregrinandi necessitas incumbat, numismate, & veniâ à magistratibus impetratâ, proficiscatur: quod si numisma externum residuum habens, domum reuertatur, apud rempublicam hoc ipsum reponat, ita vt vernaculum iuxta rationem pro eo recipiat. quod si quid priuatum reseruare videatur, publicũ id fiat, & qui conscius est, & non reuelat, execrationi & opprobrio vnà cum occultatore obnoxius sit, & insuper mulctæ non minori, quàm est externum numisma allatum. *Plat. de legibus, dial. 5.*

Aurum, & quæuis potentia non tanti æstimanda est, quanti bonorum virorum mens consona. *Dio. epist. 5.* Aurum est aqua. *Plot. En. 2. lib. 1. c. 6.* Aurum turpe euadit, si terræ glebis effundatur, quas si quis excusserit, purum euadit. *idem, En. 1. lib. 6. c. 5.*

Aurum & argentum necessarium esse probat Aristoteles in ethicis his nostris rebus publicis propter difficultatem & molestiam permutationum, veluti quasi medium quod intercedit rebus in se inuicem differentibus; quo æquitas in permutatione seruetur. *Auer. in rempub. Plat. tract. 1.* Aurum maximè omnes probant, tanquam omnium rerum temperatissimum, & à corruptione tutissimum. *Mar. Ficin. de vita producenda, c. 10.*

Aurum potabile vt facias sume vnam auri vnciam, argenti viui vncias duas, & simul misce, & mixta maneant quousque aurum dissoluatur, deinde imponas à lambico igne lento, ita vt argentum à lambico cadat; postea excepto auro ex fundo lambici, adde aquarum buglossæ vncias quadraginta septem, postea ponas in lambico vitreo bene obturato, & per tres dies, & noctes ignem proportionatum supponas, in fine inuenies aurum potabile cordialissimum quod digeri potest, aliâ autem formâ digeri non potest. *Fic. in epidemiarum antidoto, c. 10.*

Aurum existimat Plotinus non esse terræ particeps, sed ex aqua tantùm fieri, more crystalli, sed arctiùs in se coactâ, in qua sit viscus aliquis oleo similis, Vnde contingat vt aurum tum propter arctissimam concretionem, indissolubile sit, tum per viscosum humorem fundatur ad ignem, & liquefiat, tum quia non est terræ particeps, rubiginem non obducat, fulgorem sortitur à specie, & idea solari. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. c. 6.* Aurum Soli, argentum Lunæ, plumbum Saturno, stannum Ioui, Marti ferrum, æs Veneri, argentum quod nominant viuum, Mercurio tribuunt Alchymici. *idem, ibid.* Aurum alienum seruare, officium seruile est, quantò magis suum, quæ custodia ab ipso auro demandatur cui seruit auarus. *M. Ant. Natta de pul. hre lib. 2.*

Auster in origine sua gelidus est, sed calidus est quia per flammã torridæ regionis ad nos commeat. *Macr. in som. Scip. lib. 2.*

Austerus sapor differt ab acerbo, quòd ea quæ in venis linguæ sunt minus aspera sint. *Plat. in Timæo.*

Autumnus pessimus est temporum, quoniam à Libra casus solis incipit. *Fic. de sole, c. 5.*

Auxilium est expulsio mali, vel adulti, vel etiam imminentis. *Speusip. in Plat. definitionib.*

Axis mundi videtur quasi polus hinc illuc vsque porrectus, per centrum vsque traiectus quasi polum, circa hunc compacta terra est, huic adest anima corpus suum cœleste viuificans, per hoc quoque terrenum, vim huius animalem quidam appellãt Cererẽ, intellectualẽ verò, Vestã. *Fic. in Pla. Tim. c. 22.*

B

BACCHVA cur appellator *διόνυσος* si seriò, hoc ab aliis interroga, si iocosè, hoc nil prohibet dicere, nã etiã dij iocos amant; nã quasi dans vinũ *διδοίνυσος* per iocum appellatus, vinũ enim *οἶνος* appellatur; quia qui id biberint *οἴεσθαι* facit, id est putare se mente præditos esse, cùm non sint, mersusque quasi *οἰόνους* appellant. *Plat. in Cratyla.*

Bacchum à Iunone mente spoliatum fuisse sparsus est rumor, ideò ob vindictam debacchationes, & omnem insanã choream inuenisse, vnde & vinum ipsum ob hoc largitum; at hoc de iis dicere his permitto, qui putant tutum esse hæc de diis loqui. *Plat. de legib. dial. 2.*

Bacchum poetæ summum antistitem, sacerdotem, bis natum canunt, fortè significantes vel futurum sacerdotem statim initiatum oportere renasci, vel perfecti tandem sacerdotis mentem Deo penitus ebriam iam videri renatam, aut forsan humiliore sensu vinum bacchi germen generari semel in vite, quasi semele, maturis sub Phœbo racemis regenerari rursum post ipsum vindemiæ fulmen in suo vase vinũ, velut in Iouis femore meram. *Fic. in vita Plat. in proœm.*

Bacchus

Bacchus dithyrambos afflat Nimphæ carmina. *in Plat. phædrum cap* 10.

Balaham vnus è magis fuit Chaldæorum. *Aug. Steuch. de perenni philosophia lib* 1.

Barbarum nomen esse dicimus cùm non cognoscimus vnde veniat, sic nomina prima propter vetustatem sæpe sunt ignota vnde veniant cùm permetentur. *Plat. in Crat.* Barbaras omnes alias nationes appellabant Græci. *idem. in dial. de regno.* Barbari omnes populi nominantur præter Græcos. *idem, in Menexeno.*

Bardasenes Syrus in astronomia Chaldæorum omnium sepientissimus extitit. *Fic. de fato, cap.* 3.

Beata vita Beatitudo.

Beata vita hominis contingit vt sapiamus. *Plat. in phileb.* Beatam vitam sensit Epicurus consistere in animi tranquillitate & in ea quæ animi simul & corporis indolentiam continet beatissimam. *Fic. de voluptate, cap* 18. Beatè si quis à principio ad finem vixit, aliut in posterum tantùm, aliut olim felix item felix esse desierit, parumne felices sunt comparatio est inter non felices cum felici, si quis plus possidet, id possidet quantum felix aduersus homines non felices, cui id contingit, vt præsenti quodam alius superaret. *Plo. Enn.* 1 *lib.* 5. *cap* 5. Beatitudinis finis esse dicitur omnia bona adipisci, & immortalis esse, & quam citissimè fieri; at nos dicimus iustis, & pijs has possessiones optimas esse, iniustis autem pessimas si is immortalis sit, & omnia, quæ dicuntur bona possideat, præter iustitiam, & vniuersam virtutem minus autem malum, si breuissimo tempore talis superfit. *Plat. de leg. dial.* 2. Beatitudo est bonum ex bonis omnibus accumulatum, potest ad bene viuendum, seipsa sufficiens, perfectio secundùm virtutem, sufficient vitæ commoditas. *Speusippus de Plat. defi-nit.* Beatitudo in affectione quadam consistit, & nihil momenti habet recordatio felicitatis præteritæ, sed affectio in qualitate præsenti posita est *Plo. Enn.* 1 *li.* 5. *cap.* 3. Beatitudo non est verborum accumulatio, disciplinarúmque multitudo, sed vita diuina. *Porphyrius de abstinentia animalium.* Beatitudo nullis nisi in Deum conuersis conuenire censetur. *Fic. in Plat. Theol. lib.* 18. *cap.* 10. Beatitudinis substantia ad intellectum magis pertinet quàm ad voluntatem. *idem, in Plat. phileb. lib* 2. *cap.* 37.

Beatitudinem perfectam cùm ponit Aristoteles in animo cognoscente, certè aliam spectare non potest præter diuinam. *Augustinus Steuch. de peren. philos. lib* 9. *cap.* 9. Beatitudinem non potest præstare cognitio rerum creatarum, sed sola creatoris cognitio. *M. Anto. Natta de immortali. animi lib.* 5. Beatitudo est actio maxima & beatissima, quæ est contemplatio, at in hac vita clarâ contemplatione vti non possumus, ergo in alte. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib* 9 *cap.* 9.

Beatitudinis acquirendæ facillima, ac tutissima ratio ea profectò existit, vt corporalibus formis spretis, contêptisque, incorporales tantùm, ac spirituales amplectamur, donec ad supremam omnium formarum conflui, eius acerrimæ contemplationi vehementissimo studio toto pectore hæreamus. *Leo Heb. de amore. dial.* 3. Beatitudo à nobis in præsenti vita difficillimè quidem haberi, longius autem continuari minimè potest post mortem verò à præstantissimis animabus & facilè acquiritur, & perpetuò continuatur. *idem, de amore, dial.* 1.

Beatitudo, atque diuina illa copulatio à nobis in præsenti vita difficillimè quidem haberi, longius autem continuari minimè potest, *Leo. Heb. de amore, dial.* 1. Beatitudo humana potissimum consistit, vt in patriam nostram denique reuertamur. *idem, de amo. dial.* 3. Beatitudo humana sola in Deo cognoscendo, vel in adamando terminetur, á sapientissimis viris diu quæsitum est. *idem, dial.* 1.

Beati Beatus.

Beatus est, qui calamitatem maximam facilè & leniter ferre potest. *Plat. in Critone.* Beatus omnibus videri debet cui bona suppetunt, & quemadmodum carere vitijs debeat callet. *Apul. de dog. Plat. lib.* 3. Beatos sola virtus facit. *Macrob. in som. Scip. lib.* 1.

Beatis satis est existere in seipsis, idque quod sunt duntaxat existere, et negotiari non est satis tutum, sed negociantes cogit digredi à seipsis *Plot. Enn.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. Beatis & primis rebus neque desiderium inest futuri, iam enim totum sunt & quidquid vitæ habere debent, iam possident totum, ideò nihil quærunt, quoniam nihil his futurum, nec illud eis accidit in quo est futurum. *idem, En* 3. *lib.* 7. *cap.* 3.

Beatorum nouem gradus sic colliguntur; vt alij diuinam bonitatem in seipsa potissimum considerent, alij ad res ipsas præcipuè referant, alij res præcipuè ad ipsam velut ad finem referant, singuli cuncta tamen contueantur, & sic tribus modis potentiam, & sapientiam cogitent. His nouem gradibus apud Platonicos octo cœlorum plagæ, & nona super cœlem excogitata regio congruè accommodari videtur, apud Orphicos octo cœli, & sub luna æthereus ignis, apud Christianos circuli sub empireo nouem. *Fic. in Plat. Theologia. lib* 18 *cap.* 8.

Beatorum gradus nouem non solùm apud Christianos, sed etiam apud Platonicos tum in Angelis, tum in animis disponuntur *idem, ibid.*

Beati omnes vno fruuntur, etsi alij alijs præcipuè modis rationibusque fruuntur, vt in ipsis charitas efficit, vt singuli singulorum felicitati tanquam suæ congratulentur, & vbi quisque, & quod amauit, & ea qua potissimum elegit ratione, & quousque desideret, ad votum iam consequitur, & absque inuidia, & procul à stimulo contentus ibi & omnino plenus viuit, & tam naturalis, quàm acquisitæ capacitas prorsus impletur, nec alia capacitas maior ab vllo desideratur. Accedit quòd nihil gratius est beatis diuino amore fragrantibus, quàm id velle quod Deum velle cognoscunt, & eâ mensurâ qua sapiunt, & eâ ratione qua capiunt, & eo modo quo Deus ipsa se exhibet potiendum, Deo amato potiri. *Fic. in Plat. Theolog lib.* 19 *cap.* 8.

Beatus vir dicitur, qui sapientiam diuinorum adeptus est, & humanorum peritiam scientiâ quadam, & arte & opinione constantem, gaudio contemplationis totus exultet, voluptati sensuum catenus se committit, quatenus sapientia, scientiáque, & gaudium impedimentum inde nullum accipiunt. *Fic. in Plat. phileb.* Beatus vir dicitur, qui sapientiam diuinorum adeptus est, & humanorum peritiam scientia quadam, & arte & opinione, constante gaudio contemplationis exultat, voluptati sensuum eatenus se committit, quatenus sapientia, & scientia, & gaudium nullum impedimentum accipiunt. *idem, ibid.*

Beati si hic esse debemus, necessaria nobis est sapientia diuinorum, scientia quoque sequentium, & prudentia humanorum, & cognitio cum speculatiua practica. *Fic. in Plat. phileb cap.* 6.

Beatum in Philebo Plato vult cui nihil deest, idque esse illud quod sit ab omni parte perfectum. *idem, in Plat. cann. or.* 3. *c.* 2.

Beatos facit sola cum superis consuetudo. *idem, in Plat. Timæum, cap* 6.

Bellatores magis laudantur ab Homero, quàm agricolæ. *Maxi. Tyrius sermo* 23.

Bellerephon primus hominem equo vehi docuit. *Franc. Patricius de regno lib.* 1. *cap.* 9.

Bellum.

Bellorum causa corpus est, omnia enim bella propter pecuniarum adeptionem suscipiuntur, pecunias autem propter corpus quærere conantur huius cultui inseruientes. *Plat. in phædo.* Bellum suscipere aduersum iusta facientes horrêdum est. *idem. in Alcibiade primo.* Belli origo est quod ciuitates ex parum magnæ factæ de vicinorum regione aliquid ad pascendum, & arandum recidere volentes, vt ampliam haberent regionem, hinc inuicem altercationis causa orta fuit *idem, de rep. dial.* 2.

Belli euentus dubius, nam præter opinionem multis multa iam euenerunt. *Plat. de rep. dial.* 5. Bellum cum Græcis ita agêdum est, vt eo vsque dissidia exercenda sint, donec auctores ab his qui insontes affligentur, pœnas dare coacti fuerint. *idem, ibid.* Bellum & seditio differunt, nam alterum familiare, & cognatum, alterum alienum, & externum; de familiari inimicitia est seditio, de alieno bellum si Græci cum Græcis bellum gerunt seditio est, si cum barbaris bellum. *idem, ibid.*

Bellum, quod factum est inter eos qui extra Herculis columnas, & eos qui intra ipsas habitabant, factum est iam nouem millia annorum. *Plat. in Atlantico.* Bello expedito principes de victoriæ præmijs iudicent, & præmium sit singulis victoriæ corona ex oleæ fronde, quàm in militarium deorum têplis qui voluerit cum inscriptione dedicet, in rei fortiter gestæ testimonium per omnem vitam ita & qui secunda, & tertia præmia tulerunt *idem, de leg. dial.* 12.

Belli, & militiæ profectiones non sunt in numero ciuilium peregrinationum, sed ad Pythium Apollinem, & ad Iouem in Olympiam, & Nemeam, & Isthmum mittendi sunt, qui sacrificiorum, & certaminum his dijs institutorum participes fiant; mittendi sunt quantum fieri potest plurimi, & præstantissimi, ac optimi, qui efficient, vt in sacris, & pacificis conuersationibus ciuitas clara videatur, & consimilem militiæ existimationem suis comparabunt. Si quis ex ciuibus cupiuerit aliorum hominum negocia per amplius quoddâ otium spectare, nulla lex prohibeat. *Plat. de leg. dial.* 12.

Belli finis est iustitia, pacis aliud est excellentius bonum, amicitiæ scilicet, atque vnio, finis enim vniuersi est virtus,

vt Pythagorici tradunt, & Aristoteles confirmat, cùm scilicet sublatum fuerit meum, non meum. *Procl. in Alcibiadē I.* Bellorum principium iniustitiam esse declarat ipsum bellum, quod materiales formæ inter se committunt, calidum contra frigidum, cùm alterum alterius sedem occupare contendit: at formæ materiales cùm nequeant seorsum à materia permanere, meritò de communi hospitio inter se decertant. *idem, ibid.*

Bella & rapinas solent procreare cupiditas & inuidia. *Ficin. in Plat. de regno.* Bello qui se fortiter gesserint, perpetuo quodam solenni honore prosequi decet, eorum filij cora publica educandi, colendi quoque parentes. *idem, in Plato. Menex.*

Bella & externa non pendent à primis qualitatibus. *Ioan. Pic. Mir. in Astrologiam, lib. 3. c. 23.* Bella non à primis qualitatibus proueniunt, nam si ab ira, vt aiunt astrologi, si medicina regibus proponatur, qua euacuetur ira paces fient, sed sæpe in causa est auaritia, cupiditas regnandi, spes, occasióque consequendi, simultates & odia, amor item iustitiæ. *Io. Pic. Mir. de prænotione, lib. 5. c. 5.*

Bellum pacis tantùm gratia suscipiendum est his qui reipublicæ præsunt. *Francisc. Patricius de repub. lib. 9. c. 1.* Belli primos impetus sustinere est res non parua, & quasi acuti gladij aciem ludificare. *idem, ibid.* Belli auctorem esse in libera ciuitate periculosum est. *ibid.* Bellum si suscipiendū est, in primis cogitandum est cui habenas imperij permittamus. *ibid. c. 2.* Belli comes optima est festinatio. *ibid. c. 3.* Belli delicta emendationem non recipiunt. *ibid.*

Bene, Bened. Benefacta. Beneficia. Beneuolentia.

Bene nil fit, nisi ad regulam diuinam referatur. *August. Steuch. de peren. phi. lib. 10. c. 2.* Benedicenda multa quidam faciūt, sed non in hoc vt benedicantur, nam & malus officia quædam facit, sed non officiosè, ebrius sobria facit, sed non mēte sobria vult per habitudinem recta facere. *Philo. in legu all gorias, lib. 2.* Benefacta malè locata malefacta puta. *Fic. in e ist. lib. 3.*

Beneficam omnem appellationem Dei, de quacunque diuinarum personarum dicatur, absque vlla distinctionis obseruatione in tota simul accipi deitate oportet. *Dionys. Areop. de diuin. nomin.*

Beneficia collocare in amicos honestum est, non est ab amicis accipere turpe, siquidem beneficium quod non minus accipientem requirit, quàm dantem, ex ambobus consummatur ad honestum, qui verò non accipit, sic vt pilam rectè adiectam, dedecore in vanum cadens afficit beneficium. *Plutar. lib. de vrb. Th bu & Socratis dæmon.*

Beneficium merentibus præstare iustum est, sed humanum; clementissimum verò & diuinum largiri etiam non merentibus. *Fic. in epist. lib. 10.* Beneficium contulisse pulchrū est, accepisse seruile. *Fran. Patricius de regno, lib 7. c. 11.*

Beneuolentia, & moderatio, quum præter rectum iudicium fit, est fragmentum de perfecto & sincero detractum. *Plat. de legibus dial. 6.* Beneuolentia communis hominum est necessaria ad rerum prosperum successum, contumacia cū solitudine cohabitat. *idem, Leoni epist. 4.* Beneuolentia est electio hominis ad hominem grata & accepta. *Speusippus, in Plat. d. finitionib.*

Beneuolentiam esse mutuam putant astrologi in genesi quorum luminum, id est Solis & Lunæ commutatio est, id est si nascente Sole in ariete, Lunā in sagittario in vno, in alio Luna sit in ariete, Sol in sagittario *Ficin. epist. lib. 1.* Beneuolentiam nisi circa bonum ipsum reperimus cùm nil aliud ipsa sit quàm velle bonum. *ibid. lib. 4.* Beneuolentia regi à ciuibus debetur, quam per solam virtutem reges sibi conciliant, & per honestas actiones hi qui imperant, gratiam assequuntur. *Francisc. Patricius de regno, lib. 9. c. 5.*

Bestiarum pedestrium, & reptilium genus factum est ex his, qui philosophia penitus non vtuntur, neque quicquam eorum quæ circa cœlum sunt, aspiciunt, eo quod circuitibus qui in capite sunt non vtuntur, sed partes animæ quæ circa pectora sunt, velut duces sequuntur. Ex his studiis capita, & priores artus ad terram prona, & detracta, præ cogitatione deflexerunt. & prolixos, & varios habuerunt vortices, prout singulorum circuitus à segnitia compressi sunt; & ex hac occasione ipsorum genus quadrupes, & multorum pedum factum est, Deo plures bases supponente his quæ magis insipientia sunt, quo magis ad terram traherentur; insipientissimis ex his ipsis, & quæ toto corpore penitus ad terram distenderentur, hoc contribuit, vt sine pedibus per terram reptarent; velut quæ pedum vsu opus non haberent. *Plat. in Tim.*

Bezoar lapis trini coloris est: glaucus, & fuscus, alius glaucus, fuscus, & viridis: alius albus aliqualiter glaucus similis coloris vini albi clari: hic optimus est inter cæteros, leuis, delicatus, mollis, absque sapore, splendens vt lumen, sumitur per os ad pondus granorum duodecim, & omnes tum simplices tum compositas medicinas & theriacas propriā virtute in resistendo venenis superat. *Mar. Ficin. in epidemiarum antidota, c. 24.*

Bibere solebant Græci etiam coacti, & aliquando solùm ad voluptatem. *Plat. in Symposio.* Bibere ad ebrietatem neque alibi decet, præterquàm in festis eius Dei qui vinum dedit, neque tutum est; neque sanè oportet eum qui nuptias parat, in quibus oportet & sponsum & sponsam maximè sapientes esse, vt qui non paruam vitæ mutationem faciant, & simul vt id quod generatur ex sapientibus quàm maximè semper generetur. *Plat. de legib. dial. 6.*

Bibens semel ad sitim bibit, bis ad hilaritatem, ter ad voluptatem, quater ad insaniam: & musarum cratera quantò crebrior versa, tantò proprior ad sanitatem: prima literatoris ruditatem eximit, secunda grammatici doctrinā instruit, tertia rhetoris eloquentiā armat: præterea, poeticæ commentam, geometriæ limpidam, musicæ dulcem, dialecticæ austerulam, & vniuersæ philosophiæ nectaream crateram inexplebilem. *L. Apul. florid.*

Biblia exponendi quatuor sunt apud nos modi, literalis, mysticus siue allegoricus, tropologicus, & anagogicus: ita apud Hebræos literalis dicitur Pesat, vt tenent apud eos Rabbi Salomon, Chemoy, & similes: est & allegoricus, qui dicitur Midras, quem modum maximè sequuntur Doctores Talmudici; est & tropologicus, qui dicitur Sechel, quem sequuntur Abraham, Abinzara, & Leui ben Gerson. & ante omnes Rabbi Moyses Ægyptius. Anagogicus dicitur cabala, quia quæ ore Dei tradita sunt Moysi, & accepta per successionem, quasi semper sensum sequuntur anagogicum, qui inter omnes diuinior, & sublimior est. *Ioan. Pic. Miran. in Apologia.*

Bilis.

Bilis species singulæ iuxta colorem propriam rationem obtinent. *Plat. in Timæo.* Bilis nigræ, & acidæ humor ferus est, vbi ob caliditatem salsæ potentiæ admixtus est: vocatur autem talis pituita acida. *idem, ibid.* Bilis atra si frigescit ad summum friget, si sit calida calet ad summum. *Ficin. de studiosorum sanit. tuenda, lib. 1. c. 5.*

Bilem atram augent, crassum, & turbidum vinum præcipuè nigrum, cibi duri, sicci, salsi, acres, acuti veteres, vsti, assi, fricti, carnes bouis, & leporis, caseus vetus, salsamenta, legumina, præcipuè faba, lenticula, melangia, eruca, brassica, sinapis, radicula, allium cepa, porrum, mora, cariotæ, & quæcunque calefaciunt vel frigefaciunt, & simul exsiccant, & omnia nigra, ira, timor, misericordia, dolor, ocium, solitudo, & quæcunque visum, olfactum, auditúmque offendunt. omnium verò maximè tenebræ, exsiccatio corporis nimia, siue nata longis vigiliis, siue multā mentis agitatione, vel curā, seu frequenti coitu, & vsu rerum calidarum & siccarum, seu immoderatā quadam dejectione, atque purgatione vel exercitatione laboriosā, vel inediā, siti, calore, vel sicciore vento, & frigore. *Ficin. de studiosorum san. tuend. lib. 1. c. 10.*

Bilis atræ, cùm semper siccissima est, & frigida, etsi non æquè, resistendum est calidis rebus modicè, & humidis quàm maximè cibis elixis assiduè, qui coquantur facilè, & subtilem gignant sanguinem, & clarissimum: & epulæ cinamomo, croco, & sandalis condiantur: conferunt semina peponis, cucumeris, & pini nuclei abluti: conueniunt carnes auium, pullorum gallinaceorum, quadrupedúmque lactantium, oua sorbilia maximè, & ex membris animalium cerebrum, dulcia mala pyra persica, pepones, pruna damascena, cucurbita ritè cocta, herbæ humidæ non viscosæ: nihil validius est vino claro, leni, suaui, & odorato. & aureo vasculo, vel argenteo bibere, & cibos sumere, & si sæpe stomacho vacuo liquiritiæ succus deglutiatur, & succus punici pomi dulcis, & dulcis arancei: & conducunt odores suaues, si regnat frigus, ad calidum declinantes, si dominatur calor ad frigus vergentes. verni flores prosunt in primis & folia citri siue arancei. odoratáque poma & maximè vinum, & odores naribus hauriendi sunt, & pectori, & stomacho admouendi, lactuca, endiuia, vua passula, lac amygdalinum mēsæ familiarissima sint, fugiendus aer feruens, aut glacialis, aut nubibus nimium, sed aer temperatus serenúsque liberrimè admittendus. laudamus frequentem aspectum aquæ nitidæ, viridis coloris, hortorū, nemorūmq; vsum, deambulationes secus flumina per amœna prata suauē equitationem, gestationē, nauigationémq; lenē, & faciles occupationes, diuersa negotia non molesta, & assiduam gratiosorum hominum consuetudinem. *Fic. de studiosorum san. tuenda lib. 1. cap. 10.*

Bilis

Bilis atra paulatim digerenda, & educenda est, ne si quis conatur repente illam educere, parte subtiliore educta residuum densius resideat: & corpus humectandum lauacris dulcibus, & modicis, vnguentis similibus, & vtendum cibis humidioribus, vt corpus totum humectetur, cum cautione ne distillatio irritetur, vel debilitatur stomachus, vel iecur, vel meatus corporis obstruantur, & cor rebus externis, & totus acceptis contribuetur, & audiat, & aspiciat, & cogitet delectabilia. *Ficinus de studiosorum sanitate tuenda lib. 1 cap. 8.*

Bilis atra tribus digeritur & purgatur, syrupis, pilulis, & electuario: pilulæ fiunt, sumptis aloe grana duodecim, illis maximè eius si pura fiet, thuris, mirrhæ, croci, ligni aloes, cinnamomi, corticis citri, melissæ, serici crudi, coccinei, menthæ, been albi, been rubri, singulorum drachmam dimidiam, rosarum purpurearum, sandali rubri, coralli rubri, mirabolanorum emblicarum, chebularum, indarum, singulorum drachmam vnam, aloes rhè gabulæ iterum tandem quantum cunctorum pondus. conficiantur pilulæ mero electissimo: at si validiores optantur, sume pæoniæ, mirrhæ, stichados Arabici, melissæ, thuris, croci, mirabolanorum trium, rosarum, singulorum drachmam vnam, trochiscorum agarici, polipodij, epithymi, sericæ lapidis lazuli sæpè loti, & præparati, lapidis armeni effecti similiter, drachmas tres singulorum, aloes vncias duas, fac pilulas mero consistas. Syrupus sic fiat, sume boraginis, buglossæ, vtriusque melissæ, florum capillorum Veneris, endiuiæ, violarum, cuscutæ, polipodij, sennæ, epithymi, quantum manu capitur, pruna damascena viginti poma odora decem, passularum vnciam vnam, liquiritiæ vnciam dimidiam, cinnamomi, sandali rubri, corticum citri, singulorum drachmas tres, croci drachmam dimidiam, coquantur in aqua præter aromata & epithymum, donec consumatur tertia pars, deinde iterum cum epithymo & saccaro moderatè coquantur, & postea aromata infundantur: tres syrupi vnciæ in mane bibantur, & buglossæ vnciæ tres, & sumantur cum vna ex dictis pilulis. *Ficin. de studiosorum sanit. tuenda, lib. 2. c. 18.*

Bile atra laborantibus non est educendus sanguis, quia sanguis est eius temperamentum, spiritus fomes, vnæ thesaurus, nisi multitudinem sanguinis risus indicet, vel color rubeus, tunc enim primò è vena liena sinistri brachij lata incisione quatuor vncias minue, vespere totidem post paucos dies saltem septem, ad summum quatuordecim detrahere potes; & admotis sanguisugis marit eas vtitare, vt sanguinis tres, vel quatuor vnciæ inde distillent; sed prius ante omnia clysteribus lenibus alvum lenieris. *Ficin. de studiosorum sanitate tuenda lib. 1 c. 23.*

Bilem è marcore creant nutrimenta quæ dulciora sunt. *Ficin. apollog. 3.* Bilis atra difficilius commutatur in alios tres humores naturales. *idem, in Plat. Tim. c. 40.* Bilis dicitur ignis, quia plurimum habet ignis *idem, ibid.* Bilem atram & calidam esse, & frigidam in problematibus censuit Aristoteles. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in ex. doct. van. gen. lib. 6. cap. 8.* Biliosi dicuntur, non qui secretam bilem aut felle abundant, sed quorum sanguis valdè biliosus est. *Iac. Carpentar. in Alc. desensione.*

Binarius medius est inter vnitatem, & numerum: nam si vnitas componitur, plus facit quam si multiplicetur: numerus contra binarius idem & compositus & multiplicatus. *Proclus in Eucl. lib. 2. cap. 15.* Binarius non est determinans numeros, sed multitudo confusa. *Fic. de repub. dial. 8. c. 3.* Bis eadem dicere ridiculum est. *Plat. in Euthydemo.*

Bonitas.

Bonitas prima implet omnia secula bonitatibus, sed omne seculum recipit de ista bonitate secundum modum suæ potentiæ tantum. *Aristot. de causis prop. 22 c. 3.* Bonitas est affectio, qua eligimus optima. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Bonitas ipsa à sacris celebratur tanquam definiens, & exprimens totam deitatis supernæ substantiam, quicquid tandem existit; nullus enim bonus nisi Deus. *Dion. Areopag. de diuin. nomin.* Bonitatem existentem ipsum diuinitatis principem appellant, cum in omnia bonitatem diffundat, nam sua existentia per ea quæ sunt diuinia pro sua cuiusque capacitate bonitatis suæ radios abundè diffundit. *idem, ibidem.*

Bonitas ipsa deitatis transcendentis omnia à supremis antiquissimisque substantiis ad infimas vsque pertingit, atque interim extat super omnes; dum superiores eminentiam eius non supergrediuntur, & inferiores non effugiunt, quia ab ipsa continentur. *ibid.*

Bonitas ipsa illuminat quæcunque lumen admittere possunt, & fabricat, viuificat, continet, & perficit omnia: rerum omnium mensura est, æuum, numerus, ordo, custodia, causa, & finis. *Dionys. Areopag. de diuin. nom.*

Bonitatis diuinæ simili fermè ratione est imago magnus hic Sol lucens semper pro exigua boni similitudine: quæcunque lumen accipere possunt illuminat, habetque lumen per omnia eminenter explicatum, & per omnem visibilem mundum supra pariter, & infra, radiorum suorum splendores expandit, & si quid non illuminat imputandum est non luci, sed his quæ inepta sunt ad lucem percipiendam: præterea ad corporum sensibilium generationem confert, & ea ad vitam inuehit, nutrit, & auget, perficit, purgat, renouat: mensura & numerus horarum, & dierum totius nostri temporis est ipsum lumen. *idem, ibid.*

Bonitas ad se conuertit omnia, & prima ipsa bonitas dispersa omnia congregat, tanquam vnica, principium, & vnifica deitas: & hanc tanquam principium, tanquam continentiã, tanquam finem appetunt. *Dionys. Areop. de diu. nom.* Bonitas perfecta per omnia se diffundens non solùm ad illas quæ sunt circa ipsam substantias optimas accedit, sed ad extremas vsque procedit, aliis summopere præsens, aliis inferiore quadam occasione, aliis infimo quodam pactu, quatenus singula percipere possunt: nam verò alia bonum prorsus participant, alia magis, minusue inde degenerant, alia tenuiorem boni præsentiam spectantur, aliis denique vestigium boni contingit extremum; & hæc est penes bonum quomodo potestatis excedes, quod ipsum etiam quæ priuata sunt & ipsam priuationem sui corroborat, secundùm participationem sui vbique productam. denique, si oportet vera audentiùs confiteri, illa etiam quæ repugnant bono, ipsa boni virtute, & existunt, & repugnare valent. *Idem ibid.*

Bonitas ipsa per se supereminens omnibus aliis muneribus suis præferens commune ipsius essentiæ donum, meritò ex antiquissimis literarum patrimonium ante omnia celebratur. *Dionys. Areopag. de diuinis nominibus.* Bonitate ex ipsa & in se est ipsum simpliciter esse, entiumque principia, & entia omnia, & quomodolibet entia continentur, absolutè, collectim, & vnitè, et in vnitate numerus omnis præest vniformiter, habet vnitum omnem in se numerum singulariter, omnisque numerus vnitus quadam est in vnitate, quatenus inde progreditur, eatenus discernitur & multiplicatur. & sic in centro omnes lineæ simul considerantur, in toto vniuerso, & in summa. non est igitur alienum si per exiles imaginationes ad ipsam omnium causam ascendentes, oculis mundo sublimioribus contemplamur omnia in ipsa omnium causa, etiam quæ alioqui inter se contraria sunt singulariter, penitus, & vnitè. *idem, ibid.*

Bonitate ex ipsa existunt diuinorum angelorum intelligibiles & intellectuales essentiæ, animarum substantiæ, totius mundi naturæ, & quæcunque quomodolibet esse dicuntur siue tanquam aliis accidentia, siue tanquam excogitationes quædam intelligentiæ. *Dionysius Areopagita de diuinis nominibus.*

Bonitas est vnio, & vnio bonitas: bonum est vnum, & vnum est primò bonum. *Proclus in Elemen. Theologic. prop. 13.* Bonitas mentem tantò saltem interuallo superat, quantò longius boni quàm speciei tendit largitio: quo enim res quæque potentior est, eò longius operatur. *Fic. Platonica Theolog. lib. 1. c. 6.*

Bonitatis diuinæ actus quamquam secundum conditionem positionemve quandoque dici potest recto hanc, aut illam necessariò velle, videlicet postquam semel illam voluit, cum sit diuina voluntas non aliter immutabilis, quàm essentia: ipse tamen sua pte natura non habet eam necessitatis absolutè respectum ad effectus suos, quem ad se ipsum habet. *Fic. in Platonic. Theolog. lib. 2. c. 12.* Bonitas prima si non est malefica adimat primi boni nobis ab ipsa infusa non priuat nos temporalibus bonis, nisi et tribuat sempiterna. *idem, ibid. lib. 14. c. 8.*

Bonitas rerum à diuina voluntate prouenit. *Fic. Plat. Theolog. lib. 8 cap. 1.* Bonitate quò magis res vnaquæque viget, eò magis sua propagine se communicat, ideò ad infinitum bonum pertinet propagatio infinita. *idem, in Dionys. Areopagitam de trinitate.* Bonitas prima extra omne quodcunque bonum, ac præter omnem compositionem absoluta penitus se se ipsa consistit. *idem, ibid.*

Bonitas infinita & immensa bonitatis propago, cùm duæ res infinitæ esse non possunt, meritò vna est, & cùm omnis amor ad bonum fertur necessariò, consequens est penes infinitum bonum, & eiusdem propaginem infinitam, infinitum quoque amorem, & spiritum amatorium totos existere: & dum tres quasi naturales proprietates, & personas numeramus, quia quod infinitum est nihil extra se sui relinquit,

nec aliquid admittit alienum, naturam vnicam, & simplicissimam cogitamus, vt si quis Solis formam, & lucem huic innatam, calefactoriamque virtutem, vnicam Solis virtutem, & naturam esse dixerit. *Fic. in Dionysium Areopag. de trinitate.*

Bonitatis perfectio gemina est, formalis, & finalis. *Ficin. in Plat. Parmenidem. 47.* Bonitas cuique est ipsius vnio, & simpliciter bonum est simpliciter vnum, quod omnibus simul præstat & vnitatem, & bonitatem: ideò quæ à bono descendunt ab vno quoque decidunt; & quæ ab vno abeunt propter discordiam, abeunt etiam à bono. *idem in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 5.* Bonitatem vno ab re antiqui Theologi in centro posuerunt, in circulis vero quatuor pulchritudinem. Centrum est vnum omnium Deus. Circuli quatuor, mens, anima, natura, materia: mens stabilis circulus; anima per se mobilis; natura mobilis in alio non ab alio; materia mobilis ab alio & in alio. *idem in Plat. conuiuium, or. 2. cap. 3.*

Bonitas Deus est omnium rerum per quem cuncta sunt bona; pulchritudo Dei radius quatuor circulis infusus circa Deum quodammodo reuolutis: huius radius omnes omnium rerum species in quatuor illis effingit: species illas in mente ideas, in anima rationes, in natura semina, in materia formas appellare solemus. *Fic. in Plat. conuiuium. or. 2. cap. 3.*

Bonitas dicitur Dei supereminens existentia; pulchritudo actus quidam siue radius inde per omnia penetrans, primò in angelicam mentem, secundò in animam totius, & reliquos animos, tertiò in naturam, quartò in materiam corporum; mentem idearum ordine decorat, animam rationum serie complet, naturam fulcit seminibus, materiam formis exornat. *idem ibid. cap. 5.*

Bonitas summa cùm summa potestate vbi concurrit, ibidem summa libertas cum summa necessitate conspirat. *Ficin. in Plat. de rep. dial. 10.* Bonitas interna in omnibus rebus naturalibus externam producit perfectionem: quocirca bonitatis florem quendam esse pulchritudinem volumus, cuius flores illecebris, quasi esca quadam latens interius bonitas allicit intuentes. *idem in Plat. conuiuium or. 5. cap. 1.*

Bonitate nihil simplicius excogitari potest, cum nihil ipsâ sit prius, quæ sola est omnium principium. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 7. cap. 2.*

Bonitatis peculiare est communicare aliis bona quæ possidet. *Ioan. Pic. Mir. de ente & vno, cap. 10.* Bonitatis proprium est communicare se. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de imaginatione, cap. 1.*

Bonorum diuisio.

Boni species alia est, quam amplectimur sui ipsius causâ, velut est gaudere, & voluptates quæ innoxiæ sunt, etiamsi nihil in posterum tempus per ipsas aliud fiat, quàm vt gaudeat, qui illas habet: alia illud quod & ipsum sui gratiâ amamus & eorum gratiâ, quæ ex ipso fiunt, vt sapere, & videre, & sanum esse, tertia in qua est exerceri, & ægrotum curari, & quæ non sui ipsius causâ, sed mercedis gratiâ & aliarum rerum quæ nobis ab ipsis contingunt. *Plat. de rep. dial. 2.*

Bona duplicia humana, & diuina, & humana ex diuinis dependent. *idem, de l. g. dial. 1.*

Bonorum Plato alia eximia, ac prima esse per se dicebat, per præceptionem cætera fieri bona existimabat: prima bona Deum esse existimabat, secunda quæ ex priorum fonte profluerent, esse enim virtutes, prudentiam, iustitiam, pudicitiam, fortitudinem: prima est prudentia, secunda pudicitia, tertia iustitia, quarta fortitudo. *L. Apule. de dog. Plat. lib. 3.*

Bona alia prima per se & simplicia dicuntur bona, alia hominum, diuina & simplicia animi virtutes, hominū externa, quæ bonis bona sunt, vsum eorū ignorantibus mala. *idem, ibi.*

Bonum ipsum super omnia entia est, solumque bonum, nihil in se habet, nullis permixtum, cunctis supereminet, & cunctorum est causa. *Plot. En. 5. lib. 5. cap. 13.* Bonum duplex, quod super essentiam & quod secundùm essentiam: essentia est propriè deorum omnium: ipsum verò bonum super essentiam, & dicitur causa boni, scilicet essentialis boni principium: proinde secundùm gradus essentiæ, deorum inter se gradus distinguuntur. *Iamblichus de mysteriis.*

Boni tres gradus considerat Plato: vnum in omnibus, statum quendam vitæ ex intelligentia, & voluptate simul permixtum, aliam inter ideas, tertium super ideas: inter ideas aliæ rerum essentias constituunt & definiunt, aliæ perfectiones suas essentiis adhibent, illarum præterea prima est ens & essentia. *Proclus in temp. ex Mar. Ficini epist. lib. 11.* Boni quatuor sunt gradus: Deus à se tantùm bonum habet suum, corpore è Deo tantùm, angelus & animus non modò ab alio, quia à Deo, verùm etiam à se, quia sibimet bonum præstent, sed angelus actu æterno, animus temporali. *Ficin. in Plat. Theolog. lib. 16. cap. 4.*

Boni natura est vt appetatur, & appetibilis ipsius ratio vt sit bonum infinitum ipsum bonum proximè sequitur flagrantissimus amor, subitoque consequitur. *Ficin. epist. lib. 2.* Bonum nullum, meritò nostrum dici potest, nisi quod aut in ipsa cuiusque natura insit, aut à nobis ipsis profectum fuerit, & nos nil aliud quicquam sumus præter mentem, & rationem: corpus vero est nobis carcer, & sepulchrum. *idem, de voluptatibus cap. 2.* Bonum duplex, vnum finis, ad finem alterum, illud propter seipsum, hoc propter aliud expetendum, illius acquisitio voluntas, huius electio, illud venerandum, hoc vtile, illo fruimur, hoc vtimur, illius adeptio beatitudo, huius lucrum dicitur. *idem, in Plat. Hipparchum.*

Bonum duplex, absolutè principium rerum omnium, & cum conditione illud quod est animæ summum bonum. *Fic. in Plat. Phileb.* Bonorum quinque gradus; in primo rerum omnium mensura; in secundo veritas, commensuratio, pulchritudo; in tertio mens, & sapientia; in quarto scientia, ars, opinio; in quinto temperata voluptas. *idem, ibid.*

Bona alia humana, alia diuina: ex humanis primum locum tenet sanitas, secundum forma, tertium vires, quartò diuitiæ: ex diuinis primum prudentia id est sapientia, secundum moderatus animi habitus, tertium iustitia, quartum fortitudo: & omnia humana ad diuina referuntur, externæ diuitiæ ad corporis cultum, corporis dotes ad mores, ad prudentiam mentemque tanquam ducem, in quâ veri & boni scientia est, qua scientia felices esse homines cum Euthydemo disputat Plato. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 8.*

Boni scientiam tribus nominibus Plato significat, Eudæmonia, Euthychia, Eupraxia id est beatitudo, felicitas, & bene agere: nam quia bona malàque cognoscit Eudæmonia, beatitudo vocatur: quia vitat mala consequitur commoda, Euthychia, id est felicitas: quia commodis rectè vtitur Eupraxia, id est bona actio. *Ficin. in Phileb. Plat. lib. 1. cap. 8.*

Boni scientia duos gradus habet, vnus quo ex omnibus, quæ à bono ipso sunt, esse coniectamus aliquod omnium principium, quod vnum sit, & bonum, ipsumque per negationem ab omnibus aliis eximentes, quid non sit cognoscimus; deinde ad alia comparantes, quale sit cognoscimus, quæ cognitio vespertina dicitur à Theologis, quæ est in boni splendore: alter gradus, quo quid sit in se ipso expeditè comprehendimus, quæ cognitio matutina dicitur in ipsius boni luce. *Ficin. in Phileb. lib. 2. c. 1.*

Bonum alij in voluptuosa vita esse arbitrantur, alij in militari, alij in ciuili, alij in contemplatiua: at soli contemplantes adipiscuntur bonum: dum vita hæc ipsi bono quidam est propinquior est, nihil quærit extrinsecus, internis bonis contenta est minimis propterea indiget, per corporis fugam mala vitat, quæ corpus affligunt. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 2. cap. 32.*

Boni diuini gloriam dupliciter considerare possumus; primò in se, secundò vt creaturis manifestatur, vel per misericordiam id est cùm vocat homines ad se per gratiam, & bene operantibus reddit præmia æterna, vel per iustitiam, id est quando eos ex sua malitia rebellantes per suam iustitiam punit. *Ioannes Pic. Mirand. in Heptaplo.* Boni tres sunt conditiones, vt sit perfectum, sufficiens, & expetendum. *idem, de ente & vno cap. 9.*

Bonum duplex, ducis & ordinis sed melius est bonum ducis, quam ordinis. *Gabriel Buratellus de ideis lib. 1.*

Bonorum opinio apud Platonem duplex est nobilitata duabus philosophiæ sectis inter se dissidentibus, altera Stoicorum, altera veterum Academicorum, quos Peripatetici hac in parte secuti sunt, nam dum subtilius philosophatur bona tantum numerat ea, quæ ad animum pertinent, & quæ eum exornant, quam secuti sunt Stoici: alteram quam Academici veteres, & peripatetici, quòd bona alia diuina, alia humana. *Iac. Carpen. in Alcinoi lib. 3. cap. 20.*

Bonorum quædam pulchra, quædam non pulchra esse dicuntur. *Leo Heb. de amo. dial. 1.* Bona vel reuera, vel opinione sunt bona. *idem, dial. 1.* Bonum triplex existit, vtile, iucundum, & honestum. *ibidem.*

Bonum quid est, & in quo.

Boni non sunt aliud quàm sapientes. *Plat. in Cratylo.* Bonum id est ἀγαθόν, id appellatur quod in tota natura est admirabile, hoc est ἀγαστόν, id est admirabile. *idem, ibid.*

Bonum est sapere intelligere, meminisse, & quæ his cognata: opinio recta, & ratiocinationes veræ, voluptates præstantiores sunt; & meliores omnibus quæ ipsis participare possunt: his autem quæ participare possunt vtilissima omnium hæc esse omnibus & præsentibus, & futuris. *idem, in Philebo.*

Bonum secundùm Philebi opinionem erat omnibus animantibus gaudium & voluptas & delectationes, quæcunque cū hoc genere consentiunt. *Plat. in Philebo.*

Bonum est id quod quicquid cognoscit ipsum venatur, id & cupit,

cupis,& expetens habere ipsum ac possidere,nil aliud eucas præter ea quæ vitam cum bonis perficiunt. *idem,ibid.* Bonum perfectum,sufficiens & expetendum est,& nihil aliud curat qui ipsum venatur,præter ea quæ vna cum bono perficiuntur. *ibid.*

Bonum mali medicamentum est. *Pla.in Lysido.* Bona sunt quæ in præsenti etsi dolores faciunt,tamen in posterum sanitatis & corporum bona continguut,quia in voluptatem desinunt. *idem,in Prota.* Bonum est quo præsente boni sumus. *in Gorgia.* Bonum vtile est,& causa felicitatis. *de rep. dial. 2.* Bonum nullum damnosum est. *ibi.* Bona pauca sunt,mala multa. *ibid.*

Bonum quod est, nunquam quicquam perdit,nec id quod nec bonum,nec malum. *Plat.de rep dial.* 10. Bonum omne pulchrum est,& pulchrum non est immoderatum. *idem,in Timæo.* Bona diuina sunt prudentia prima,intelligentia quæ est temperans animæ habitus ca his cum fortitudine permistis,tertia iustitia,quarta fortitudo. *idem,de leg.dial.1.*

Bona humana sunt sanitas,pulchritudo,robur tum ad cursum, tum ad alias omnes corporis motus,diuitiæ non cœcæ illæ, sed acutè videntes si prudētiam sequantur. *Plat.de legib.dial.1.* Boni sunt qui sibi ipsis imperare possunt,mali qui non possunt. *idem,ibidem.* Bona quæ dicuntur,bonis quidem reuera bona sunt,malis verò mala. *ibid.dialog.2.* Bonæ res sunt quas homo per virtutem facit. *idem,de diuitiis,dial.Eryxia.*

Bonum est quod sui ipsius gratiâ expetendum. *Speusip.de Plato. definitionibus.* Bonum est quod in omnibus quæ sunt salutis est causa omnis,quod ad seipsum tendit,à quo veniunt quæcunque sunt eligenda. *idem,ibid.* Bonum solū est quod honestum est,malum turpe,nam turpe bonum dici non potest. *Apulei.de dog.Plat.lib.3.*

Bona quæ sunt & existunt,à bono sunt & existunt namque ratione sunt & bona existunt,à bono sunt:& quod à bono destituitur,nec vsquā,nec vllo pacto,vel fuit,vel est,vel esse potest:& si bonum sustuleris nec erit essentia,nec vita,nec appetitus,nec motus,nec quicquam. *Dionysius Areopagita de diuinis nominibus.*

Bonum & pulchrum est omnibus amabile,appetibile,& eligēdum,& propter ipsum,& eius gratiâ inferiora superiora amant,se ad illa conuertendo, quæ in eodem ordine sunt communicando inuicem consortia diligunt sed præstantiora inferiora diligunt prouidendo,& singula semet ipsa continendo: & cuncta quicquid agunt & volunt boni,& pulchri desiderio faciunt & volunt *Diony.Areop.de diuin.nominibus.* Bonum non est contrarium bono,nec bono est contrarium minus bonum, sed malum est bono contrarium. *idem,ibid.*

Bonum si est appetitio,& actio ad optimum,consequens est ipsum bonum ad aliud non aspicere,& nihil aliud exoptare, esse verò fontem,quietem,ac omnino principium,omnium secundum naturam exordium actionum quod cætera ad sui similitudinem efficit bona. *Plot. En.1.lib.7.cap.1.*

Bonum est à quo omnia pendent,& quod omnia appetunt,accipientia ab ipso principium,eiusque penitus indiga,ipsum verò nullius egenum, ipsum sibi sufficiens,nihil penitus appetens,mensura omnium atque terminus,ex se ipso producens intellectum, essentiam animam vitam,rursus actionē circa intellectum. *Plot. En.1.lib 8.cap.2.* Bona omnia sunt circa regem bonorum omnium qui omnium est causa bonorum: circa secundum secunda,id est notiones rationales circa intellectum: & tertia circa tertiam, id est seminariæ rationes circa animam. *idem,ibid.*

Bonum id esse constat, cuius virtus cætera quoque boni participia sunt. *Plot.En.1.lib.7.cap.1.* Bonum si est,necessarium est malum,quia necessaria est materia,nam ex contrarijs vniuersum constat;alioqui non est non existente materia *idem En.1.lib.8 ca.7.* Bonum non erit bonum,nec intellectus intellectus,nec anima anima,nisi vnumquodque aliquid de suo cæteris elargiatur, & nisi post illud,quod primò viuit, viuat & aliud consequenter, quandiu viuit & primum. *idem, En.2.lib 9.cap.3.*

Bonum, pulchrum, virtus,scientia,intellectus,non sunt inter genera primaria,nam siue significet primum bonum,est generibus eminentius: siue qualitatem, posterius est generibus; quælibet verò dicuntur bona non per vnam genericam in se naturam,sed quia à primo bono sunt,vergunt ad ipsum, & bonum in primo ente est vita,motusque ipsius ad primum bonum. *Plot En.2.lib 2 cap 17.* Bonum non est definiendū per id quod sit vniuscuiusque virtus:nam restat quærendum quare,& quomodo virtus aliqua,vel virtus ipsa sit bonum. *idem, En.6 lib.7.cap.19.* Bonum non est definiendum per id quod sit appetibile,quia posterius bono est appetibile,& præter appetitum restat ambiguū boni veri iudicium. *idem,ibid.*

Bonum est id quod superius est. forma bonum est materiæ,adueniu formæ gratulatur sensum nanciscens;corpori bonū anima,nam absque anima nec esset,nec seruaretur;animæ bonum virtus,iamque etiam superius intellectus;intellectui bonum est natura prima:& hæc faciunt aliquid ijs,quibus sunt bona Hæc adhibent ordinem,& ornatum,illa vitam;illa sapientiam, & bene viuendi ducem intellectui verò bonum ipsum largitur munus quod dicimus intellectum inde venire,ac bonum euadere,quoniam est actus ex illo,& lumen inde in hunc infunditur. *Plot. En.6.lib 7.cap.25.* Boni soli felices sunt,nam & ob id ipsum sunt & dij beati. *idem,En. 3.lib.2 cap.4.*

Bonum quod aliquis in primis exoptat,oportet non esse passionem affectionemque quandam, quam qui cōsequitur ipsus afficiatur, sed tunc bonum consequutus est,quando se habet melius,nec afficitur pœnitentia,sed impletur,& in eo permanet,& nil aliud capesis. *Plot.En.6. lib.7.cap.26.* Bonum quod est,species quædam est:& species materiæ bonū est *idem,ibid.*

Bonorum omnium essentia,& perfectio in dijs continetur,ac prima potestas,& bonorum omnium principium. *Iamblichus de mysterijs.* Bonum est mensura,qua pulchrum est certè existit & bonum.& turpe quà turpe malum,nam quà turpe indeterminatum est,ergo malum. *Proc in Alcibiade.*

Bonum primum,cum nihil est aliud sit quàm bonum omnibus participantibus quodcunque bonum prius est. *Proc.in elemen. Theolog.propos.8.* Bonum omne vnitiuum est eorum quæ ipsum participant,& omnis vnio bonum,& ipsum bonum cum ipso vno idem. *idem,ibid prop.13.* Bonum est seruatiuū omnium entium,& ideò expetibile. *ibid.*

Bonum quod est,rarum est,malum multiplex. *Philo.in legis allegor.lib.2.* Bonum verum non est in vlla externa re,nec in corpore,nec in quauis parte animæ,sed in principali tātum. *idem,de nobilitate.*

Bonum inter homines reuera nihil dici potest,nisi diuinum imitetur bonum. *Fic.in Plat de leg.dial.4.* Bonum cùm sit vltimus finis,primum omnium est principium,& existit super ens,super vitam & mentem. *idem, in Plat.Theolo.lib.12.cap.3.* Boni præsentiâ omnia bona sunt,& ipsi non alia ratione, quàm amore boni possumus in hærere. *idem.in epistol.lib.3.*

Boni natura est diffundere seper omnia per processum,vicissimque per appetitum ad se vnum omnia reuocare,vnde meritò vniuersum summopere reddit vnitum. *Proc.in rep. Plat.ex Fic.epist.lib.12.* Bonum summum esse debet,vltra quod non sit melius,& ad aliud non referatur. *Fic.de voluptatibus,cap.13.*

Boni summi natura cùm constet ex contemplatione veritatis, & ea eius voluptate,vtrum horum sit ad beatitudinem potius,& præstantius, philosophi veteres dubitauerunt : Trismegistus enim,Theodorus,Dionysij dialectici discipulus, Democritus, Pyrrho, Eurilochus, Philammon Phliasius Nausiphanes,Theius Epicurus,Origenes,Auicenna,Algazel,in beatitudinis natura gaudium quod contemplationis comes est præcipuum iudicare videntur.Thales,Bias,Anaxagoras,Socrates,Euclides,Aristoteles,Herillus,Auerroes,contemplationi præponere *Fic.de voluptat.cap.5.*

Boni possessio non est quasi imaginaria quædam consequutio, qualis cogitatione fieri solet,sed substantialis,& summa per vnitatē animæ facta intellectu superiorem,& præstantiorē essentiā,cuius etsi intelligentiā fruitio non perficiatur,gustari tamen amore,& gaudio inæstimabili potest. *Fic.in Dionysij Areopagitæ lib de Trinitate.*

Boni naturam nulla res magis refert,quam lumen,nam primo lumen in genere sensibili purissimum,& eminentissimum apparet;secundò facillimè omnium,& amplissimè momento dilatatur;tertio innoxium occurrit omnibus,& penetrans, & lenissimum,& blandissimum,quarto calorem secum affert summum omnia fouendum, & generantem,& mouentem:quintò dum adest inest cunctis,à nullo inficitur,nulli miscetur similiter ipsum bonum totum rerum ordinem supereminet,amplissimè dilatatur,mulcet ,& allicit omnia, nihil cogit,amorem quasi calorem habet vbique comitem. quo singula passim inescantur & bonum libenter asciscunt, vbique rerum penetralibus præsentissimum per commercium cum rebus nullum:denique,vt ipsum bonum inæstimabile est,& ineffabili,ita fermè lumen. *Fic.in Dion. Areop.de diuinis nominibus.*

Bonum ac pulchrum si quatenus quid sit,catenus & sibi & alijs est,& euadit amabile,meritò coniicimus ipsum bonum, & pulchrum primò à seipso prorsus amari; ex ipso autem sui ipsius amore immensam efficaciam possidente tum necessario inæstimabile quiddam in semetipso produ,tum pro arbitrio multiformes extra resultant diuinitatis imagines,id est rerū omnium species,quæ quo amore inde fiunt,

no mouentur, & perficiuntur, & seruantur, & conuertuntur. *Fic. in Dio. Areopa. de diuin. nominibus.*

Bonum est cuius gratiâ omnia, & quod appetunt omnia, & illud nec vllius gratiâ est, nec aliud prorsus appetens, nec ens aliquod est, nec aliquid bonum in ente: nam omnis essentia bonum appetit, id est esse secundum naturam, ac bene perfectéque se habere, & denique omnium in rebus perfectionum fons est ipsum bonum quod intra omnia, quæ appetitur, latet, vt centrum partim in rebus appetibilibus perfectiones proferens appetendas, partim verò per has velut escas appetentia omnia passim elliciens ad seipsum. *Fic. in Plat. Parmenidem cap. 44.* Bonum est in causa, vt aliquid sit melius. *idem, ibid. cap. 47.* Bonum animæ est integra diuini luminis consecutio, id lumen in mentem primò, deinde in voluptatem descendit; in mēte veritas, in voluntate gaudiū, in mente ambrosia, in voluntate nectarū Platone hic & in phædro cognominatur. *Fic. in Plat. phil.* Bonum summū finis est, cuius gratiâ omnia omnes agunt. *idem. ibidem.* Boni ratio est, vt appetitum impleat: nam omnia bonum appetūt, & omnis motus ad bonum ducit. *ibidem.* Bonum est finis cuius gratiâ omnia operentur. *ibid.*

Bonum vt vnum est, à Platone per negationes in Parmenide inuestigatur, vt bonum per comparationem ad eodem in sexto de Republica. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 5.* Bonum est principium, medium, & finis omnium; nam quia producit omnia, principium est; quia appetitum omnium ad se rapit, finis; quia conseruat omnia, medium. *idem, ibi.*

Boni ratio est alia à ratione intelligentiæ, non enim verumque cuilibet conuenit. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 8. cap. 4.* Bonum est quod per se petitur, vtile, quod propter bonum consequendum, necessarium, quod propter malum vitandum. *idē. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 7.* Bonum est diuina fœcunditas; Pulchrum est ordo diuinus eius intelligentia; Iustum in eius voluntate primi ordinis distributor. *ibid. cap. 16.*

Bonum est primum rerum principium: & quia principium est ideò sufficiens dicitur expetendum, & perfectum: sufficiens, quia in se ipso permanens ex fœcunditate exuberante producit essentias omnium, expetendum, quia essentias statim productas in se conuertit. perfectum, quia conuersas perficit, atque complet: propter primum principium, veritas, & vnum dicitur: propter secundum medium, & vita: propter tertium finis, & vita. *Fic. in Plat. phileb. lib. 2. cap. 30.*

Boni appetitus principalior est, quàm pulchri. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 31.* Boni splendor est pulchritudo, ad ipsam enim ipsius boni præsentiam passim sequitur multitudo, quæ pulchritudo est. *idem, ibid.* Bonum, quod quis expetit, oportet non esse passionem, & affectionem aliquam in eo qui consequitur. *ibid. cap. 37.*

Bona ac mala dicenda non sunt externa, & corporea, sed indifferentia potius ac communia; propriè bona est sapientia, mala insipientia; ideò sapientia sola nos beatos facit, Stoicorum præclare sententia est. *Fic. in Plat. Euthydemum.* Bonus omnis sapiens est & ideò quia purgatam, & serenā boni hominis mentem Deus sapientia humana implet. *idem, in Plat. Cratilo.* Bonum idem est atque expetendum. *idem, in Plat. de rep. dial. 2.*

Bonum per sacrum quoddam septenarium designatur ab infima materia surgens per sensibiles qualitates per naturam, per sensum, rationem, intellectum, intelligibile, ad ipsummet bonum. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.* Bonum est finis aliorum omnium, at extra se nullus boni finis esse potest nec fingi. *Idem, ibid.* Bonum est actio naturalis, quia ab ipso bono inserta est actore naturæ, & dum tendit in finem necessariò fertur ad ipsum bonum. *idem, in Pl. t. Eu. 1. lib. 7. ca. 1.*

Boni ratio, & intelligentia diuersa est, ita vt illud sit communissimum, hæc minimè, illud nil appetat, hæc bonum; intelligentiæ opponitur amentia, bono malum; non idem est amentia, & malum; non idem ergo intelligentia, & bonum, & cùm addis intelligentiam bono, rem alteram, & bonum compositi. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 3. cap. 13.* Bonum totum est, quod à bono ipso procreatur, sed in eo essentia quidem est inchoatio quædam cuiusque operis boni, vita verò adolescentia boni, intelligentia, speciesque ideales bonum illic est adultum. *idem, in Plot. Eu. 6. lib. 7. cap. 18.* Bonum materiæ forma est, corpori anima, animæ intellectus, intellectui simul cum omnibus principium omnium. *idem, ibid. cap. 25.*

Bonus vir à Platone censetur, qui in se quidem temperatus, ad Deū autem pius est, & ad homines iustus est: eiusmodi enim vir præ cæteris est Deo amicus, malus propter dissimilitudinem inimicus. *Fic. in Plat. phileb. cap. 34.*

Bonum nostrum non est aliud quàm coniungi Deo in hac vita per gratiam, & charitatem, in futura per gloriam consummatam. *Ioannes Picus Mirandul. in oratio. Dom.*

Bonum magnum est, si Deus concedat alicui quòd viuat sine peccato. *idem, ibid.* Bonum est vnumquodque quod est, eatenus quatenus est. *idem, de ente, & vno, cap. 8.*

Bonum consistit in ipsius veri cognitione. *Ioan. Franc. Pic. Miran. de stu. studio, lib. 1. cap. 1.* Bona non sunt propter se capienda, sed in Dei honorem, & gloriam, & nos ipsos in Deum à quo sumus, & in quem redire debemus conferre debemus. *Idem, de prænotione lib. 8.*

Bona temporalia non sunt digna, cùm sæpe deprauent, & à virtute deducant ad vitia; calamitas verò sæpe reddit hominem meliorem. *Aug. Steuc. de perenni philos. lib. 7. cap. 6.* Bonum omne est amabile. *Leo Heb. de Amo. dial. 1.* Bonum est illud quod omnia appetunt. *idem, ibid.*

Bona quid accidit, & vt animi bona.

Bona, & iucunda diuersa sunt. *Pla. in Gorgia, & in philebo.*

Bonum maximum homini contingit, vt singulis diebus de virtute sermones habeat. *idem, in Apologia.* Bonum bono non esse amicum, nunquam à fatis decretum est. *idem, in phædro.* Bonis post mortem pulchrum est præmium, & spes magna. *in phædone.* Bene transigere exiguum præstabilius est, quā multum non satis transigere. *in Theæteto.*

Bonorum ad malos, & malorum ad bonos complicatio nunquam stabilis est. *Plat. de regno.* Boni natura cui animanti adsit semper, perpetuò, penitus, & vndequaque, id nullo alio vnquam opus habet verum quod satis est perfectissimè habet. *idem, in philebo.* Bonum quærendum non est in vita non mixta, sed in vita mixta. *ibid.*

Bonum si non vna specie venari possumus, cum tribus id est comprehensum, cum pulchritudine, symmetria, & veritate, dicamus quòd hoc vt vnum rectissimè causam facimus eorum quæ sunt in mixtione, & quia bonum, istam mixtionem factam esse. *ibid.*

Bona omnes velle commune omnibus est, vt fœlices sint. *Plato in Symposio.* Bona omnes volunt. *idem, in Hipparcho.*

Boni vtiles sunt, mali inutiles. *in dialogo de phil.* Bonus bono solus amicus est, malus verò nec malo, nec bono. *In Lyside.*

Bonum virum fieri verè difficile est ait Simonides poeta, & reprehendit Pittacum dicentem, difficile est bonum virum esse; quæ non sunt eadem cùm esse, & fieri differant: & Hesiodus ait, fieri bonum difficile esse, deos enim sudorem ante virtutem locasse, vbi verò ad summum quis peruenit, facile esse quamuis difficulter parta sit virtus. *Plato in Protagora.* Bonum virum fieri difficile est verè, possibile tamen ad tempus aliquod. Factum verò in hoc habitu permanere & esse virum bonum, vt Pittacus ait, impossibile est, & nullus hominum, sed Deus solus hoc munus habere potest. *idem, ibidem.*

Bonus nemo vltrò delinquit, sed per ignorantiam. *Plat. in Gorgia.* Bonorum gratiâ omnia nobis facienda sunt, nam omnium actionum finis bonum est. *idem, ibidem.* Bonus vir in rebus publicis administrandis Athenis non fuit, quod sciamus. *ibid.* Bonus nemo hominem iniusta non facientem in iudicium protrahit. *ibid.* Bonus, vt quis videatur, non est curandum, sed vt sit. *ibid.* Boni naturâ non sunt. *idem, de virtute.*

Bonum non omnium est causa, sed eorum, quæ rectè se habent, malorum non. *Plat. de rep. dial. 2.* Bona omnes cupiunt. *idem, ibid. dial. 4.* Bonum omnis anima persequitur, & huius gratiâ omnia facit, esse aliquid vaticinans, verum ambigens, & non habent quo se vertat, vt sic tandem satis comprehendat, nec qua firmā possessione vtatur, velut etiam circa alia. *ibid. dial. 6.*

Bonum opinione nemo expetit, nam quæ iusta & pulchra esse videntur, etiam si non sint, ea tamen multi, & facere, & possidere, & videri ita cupierunt: at quæ videntur bona nulli satis est, vt eā possideat, sed ea quæ sunt quærunt, & opinionem quiuis reprobat. *ibid.*

Bona nulla vnquam de re adest inuidia. *Plat. in Timæo.*

Boni qui maximè, & quam citissimè fieri cupiunt non multi sunt. *idem, de legib. dial. 4.* Bonum virum esse oportet animosum, & mansuetum. *ibid. dial. 5.* Boni nec naturâ nec arte fiunt, sed certè diuinam quandam rem esse, & fieri bonos, vt diuini vates fiunt, & qui oracula edunt. hi nec natura nec arte tales fiunt, sed ex deorum inspiratione fiunt, & tales sunt. *idem, de virtute an doceri possit dialogo spurio.*

Boni sciunt & qualia sunt de quibus consulunt, & ab aliis persuasi nunquam pœnitentiâ ducuntur. *idem, de consil. dia. spurio.*

Bonus vir non solum inferre, sed ne referre quidem oportet iniuriam, non enim eam contumeliam putat quam improbus faciet, sed eam non putat, quam patientia firmiter tolleret, cùm in eius animo insculptum sit, quod nihil horum possit sapienti nocere, quæ opinantur cæteri mala esse. *Apulei. de dog. Plat. lib. 3.*

Bonum

Bonum entibus est superius, & quæ sunt, ex bono ipso sunt, si quidem in bono etiam quod non ens dicitur ens existit: malum nec ens est, propterea quod non est malum, nec omnino non ens, nihil enim erit, quod dicitur non ens, nisi per rationem quandam ente superior enim in ipso bono dicatur: bonum itaque & ipso simpliciter ente, & ipso nō ente multò prius in se ipso consistit: malum nec in his, quæ sunt, nec in his quæ non sunt existit, sed ab ipso non ente alienius est, & distantius, quàm à bono, minusque habet substantiæ rationem, vel vt alia lectio, sed magis, quàm non ens à bono, & ab essentia dissidet. *Dionysius Areopag. de diuinis nominib.* Bonum, ens, vita, & sapientia tanquam plura principia non sunt ponenda, sed vnius Dei processus omnes, diuinæque appellationes celebratæ à nobis. *idem, ibid.*

Boni exemplum Sol esse potest, qui quasi centrum est ad lumen, quod ab ipso dependet simul ad ipsumque annectitur, ideòque vnà cum illo existit vbique, nec ab illo vbique separatur. *Plot. Enn. 1. lib. 7. cap. 1.* Bonum participant inferiora, vel quia illi similia facta sunt, vel quia operantur ad ipsum. *idem, ibid.*

Bonū quærentibus intellectus sese offert, sed non omnia intellectum appetunt, bona omnia appetunt, & intellectū ex quodā rationis discursu, bonū etiam ante rationem desiderant, & si vitam optant, boni gratiā optant. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 20.* Bonum humanum intelligabat Plato in Philebo, quod om nino & alterius est, & ipsum est alterum, cùm sit deficiens, & fortè compositum. *idem, ibid. cap. 25* Bonum non quia appetendum ideò bonum, sed quia bonum ideò appetibile est. *ibid. in.* Bonum non adest, cui non adest lætitia. *ibidem.*

Boni cognitio perspicacior euadit mali experientiā præsertim vbi iudicium infirmius est, quàm vt absque experientia mali experientiam consequatur. *Plotin. Enn. 4. lib. 8. cap. 7.* Bonum est ad quod omnia referuntur, inanimata ad animam, anima ad ipsum bonum per intellectum: habet enim quodlibet ipsius aliquid, vt vnum, ens, & speciei particeps: qua enim ratione horum est particeps, eadem quoque boni. *idem Enn. 1 lib. 7 cap. 2.*

Bona eligenda sunt esse, viuere, intelligere, non eo tantùm argumēto, quòd cum voluptate quadam contingunt, sed quia opposita tanquam mala naturaliter fugiuntur. *Plot. En. 6 lib. 7 cap. 29.* Bonis paupertas, & morbus nihil momenti habent. malis autem vtilia sunt, imò cum corpora habeamus interdum ægrotare necesse est. *idem. Enn. 3. lib. 2. cap. 5.*

Bonus nemo euasurus est, quod despiciat mundum, & cætera mundi præclara & bona: malus enim omnis primum id habet, vt Deus despiciat. *Plot. En. 2. lib. 9 cap. 16.* Bonum an voluptati permistum est, vna opinio est quòd intellectus sit bonum, & huius boni possessione gaudemus: altera est, quæ sic adnectit intellectui voluptatem, vt vnum aliquid ex vtrisque subiectum ponat; vt intellectum comparantes, vel cernentes, bonum iam habeamus. *idem, En 6 lib. 7 cap. 30.* Bonum vnūquodque magis expetit, quàm esse. *ibid. lib. 8. c. 13.*

Boni desiderium omnes mortales excitet, circa quod tamen inter se propè omnes dissentiunt. *Max. Tyr. ser. 19.* Boni expectationem enutrit stimulus insitus hominum generi à Deo, cuius boni tamen inuentio omnino est abdita. *idem, ibi.* Bono si accedit bonum, caue existimes bonum maius euasurum bonum quàm ante erat. *idem, sermo. 23.* Bonum magis mutat sectatores, quàm reliqua. *idem, serm. 32.*

Bonū omnia participia sunt. *Proc. in Alc 1.* Bonum omnia naturā appetunt. *idem, in elem. Theol. prop. 7.* Bono simpliciter qui aliquid addit bonum minuit. *ibid. prop 8.* Bonum discernere nemo potest dum perturbatione, & timiditate obcæcatur. *idem cap 31.*

Boni incitamento nihil magis necessarium, nihil magis voluntarium: ergo constat hinc tanquam à patre originem ducere, & huc omnia tanquam ad patriam adspirare. *Ficin. in Plat. Theolog. lib. 1 cap 6.* Bono viro nihil mali, vel viuenti, vel defuncto potest accedere. *idem in Plato. apologia* Bona cuncta si in rerum ordine in vna quadam communi boni natura conueniunt, in qua cuncta bona sunt vnum bonum, necessariò penes rerum ordinatorem vnum bonum est cuncta bona. *idem, epist. lib. 2.*

Bonum nullum præmio iusto, nullum malum debito supplicio carere potest. *Fic. epist. lib 5.* Boni publici officia ad animos pertinentia dependent præcipuè velut à communibus, & primis causis à supernis mentibus Dei summi ministris: perficiuntur verò quodammodo tanquam à causis propriis, & vltimis ab humanis consiliis, vbi se supernis accommodant, & significantur à figuris, & motibus cœlestibus, velut diuinarum mentium instrumentis. *idem, epi l. 8.* Bonum nunquā lædit, nec prodest malis. *ibi.* Boni imperiū suauius est omnibus, cùm nulli sit violentū, sed omnib. voluntarium.

Fic. in Dionys. Areop. de trinitate. Bonum omnes homines appetere propositum est ostendere in Hypparcho. *idem, Fi. in Plat. Hypparchum.* Bonum omnia appetunt, quia singula in suo statu seruat. vnit enim partem rerum inuicem, & ad totum & ad causam. Vnire proprium est vnius, & vnum, & bonum idem sunt. *idem, in Plat. phileb. lib. 1. cap. 5.*

Bonum bono non est contrarium, nec dissimile nam boni natura est conseruare, & appetere, contrarij verò fugare, & perimere. *Fic. in Plat phileb lib. 1. cap. 13.* Bonum appetere commune omnibus esse velle, & venari hominibus cognitione vtentibus proprium est. *ibid. in, cap 31.* Bonum naturali instinctu appetitur, quia & quæ cognitione carent bonum appetunt, & homines statim nati bonum appetunt. *ibid.*

Bona multa non simul cum voluptate proueniunt si proprium boni est seruare, salus vtique satis est ad boni præsentiam. *Fic. in phileb. Plat.* Bonum qua ratione bonum nec possumus non appetere, neque respuere, nec negligere. *idem. ibid.* Bonus bonum amicitia prosequitur, & si bonus bonum minimè desiderat, non tamen minus bonus bono gaudet, quod ad seruandam amicitiam plurimum valet. *idem, in Plat. Lysi.*

Bonus ad illa quisque est ad quæ est sapiens, malus ad quæ ignarus. *Fic. in Plat Lachetem.* Bona omnes habere cupiunt nec habere solum, sed semper habere. *idem, in Plat. conu orat. 6. cap. 11.* Boni actio vltra formas descendit in materiam, & eam efficit bonorum auidam, & capacem. *idem in Plat. Timæum, cap. 14.* Bono immenso ad naturæ bona nulla est communio & proportio. *idem, in Plat. ep.*

Boni appetitio eatenus procedit, quatenus appetendi boni procedit inuentio. *Fic. in Plat. En. 1. lib. 3. cap. 1.* Boni dona in rebus tria conspiciuntur, primum vnitas, secundum essentia, tertium species. *idem, ibidem. lib 7 cap 2.* Bonum non solū ad ens, sed etiam ad non ens pertinet, ideò bonum superius est ente. *idem, ibid lib 8. cap. 3.* Boni intrinseca natura deest natura formalis. *ibid. cap 4.* Boni signum habere possunt, quæ sensu prædita sunt, quod præsens sit, quod hoc ipso stabiliter delectantur, & in eo libentissimè conquiescunt, & melius inde se habent. *idem. 6. lib. 7. cap. 25.*

Bona animi, corporis, & fortunæ non sunt petenda, nisi illarū possessio debet cedere in gloriam Dei, & in salutem animæ nostræ, & quum nescimus an profutura sint, nec ne, id iudicio Dei relinquere debemus. *Ioan. Pic. Mir. in orat. Dominicā.* Bona animi non sunt à nobis desideranda, quia dāt occasionem peccandi, nam scientia inflat, nec gratias datas, quæ etiam peccatoribus dantur. *idem. ibid.*

Bonum, & mentem solā alteritate separari ait Plotinus quod Christiani aiunt personis. *Aug. Steuch. de perenni philo. lib. 1. cap. 16.* Bono nulla inuidia, motus, ira nec odium inest. *idem, ibidem. lib. 20 cap. 14.* Bonus vir, etsi vinculis detinetur, animo tamen liber est. *M. Anto. Na ta de pulchro. lib. 4.*

Bonorum totum potiùs quàm pars eligi debet. *Leo Hebræus de Amore, dial 3.* Bonū, & amanti, & amato commune quoddam existit. *idem, ibid.* Bonum ad essentiam exprimendam accommodatius, quàm pulchrum esse iudicatur. *ibid.* Bonum inter & malum nullum prorsus medium interiacet. *ibidem.* Bonum longè communius, atque vniuersalius, quā pulchrum ipsum existit. *ibidem.*

Bona, vt à Deo, vel à fortuna.

Bonum omne nobis Dij dant. *Plat. de sancto.* Bonis corporis, & fortunæ si rectè vtamur prosunt si non rectè nocent. *idem de virtute.* Bonum nec appetitus facit, nec voluptas, nec aliqua familiaritas. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 27.* Bona quæ non sunt largiri hominibus, est alienum ab ingenio Dei, at potius sunt munera fortunæ irrationalis. *Max Tyrius sermo 30.*

Bonum cum conditione emanat à diuino bono, absolutè, vt lumen à fonte totius luminis. *Fic in Plat phileb.* Bonum dat Deus in procedendo, dat bonum summum Deus in conuertendo, ad primum munus tota Dei munificentia sufficit, ad secundum conuersio rei ipsius suscepturæ requiritur. *idem, ibidem. lib. 2. cap 31.*

Bonum humanæ mentis in mixto consistit, diuinæ verò in simplici quodam, quoniam vnum ibi magis est intellectus, atque voluntas, gaudiumque ibi est ipsemet actus intelligentiæ videlicet expeditus. *Fic. in Plat. phileb. cap. 12.* Bonus spiritus cuncta sub senario munere quasi die sexto perfecit, & in gradu septimo velut septimo die, in se ipse quieuit. *idem, in Plat. de rep dial 10.*

Bona fortunæ, & corporis sæpe dant nobis occasionem discedendi a Deo. hæc nec desideranda nec à Deo petenda: sed si Deus illa cōcedit habenda sunt ad vsum, non ad affectum. *Ioan. Pic. Mirand. in orationem Dominicam.* Bonum Dei desiderare debemus super omne bonum nostrum, vt & ipsum amare super omnia. *idem, ibi.*

Bonorum perfecta cognitio illic solùm viget, vbi diuinæ vo-

tes auditæ sunt, cognitáque Deo placentia, ea fuit philosophia Christiana solùm, & via Hebraica, sed illa Dei corporaliter præsentiâ, ista per internuncios, & legatos. *Aug. Steuc. de perenni philos. cap.* 12. Bona fortunæ, exteriora, diuitiæ præsertim ad vitam ex morali, ciuilique virtute traducendam, nec non ad humanas actiones, quammaximè necessariæ existunt; ad contemplationem verò vitámque speculatiuam impedimento potius, quàm adiumento esse comperiuntur. *Leo Heb. de Am. dial.* 1.

Bona, quæ appetunt, & ut boni causa.

Bonum sequi debemus, quod occultum est, corpori enim incorporeum apparere non potest. Monas id est vnitas est principium non principij omnem numerum continens, à nullo contenta, & omnem gignit numerum à nullo numero genita. Quidquid genitum imperfectum, diuiduum, crescens, atque decrescens: ei verò quod perfectum, nihil horum accidit. id quod augescit virtute monadis augetur, euanescit imbecillitate propriâ, cùm vlterius monadem capere nequeat. Hæc imago Dei subscripta sit, quam si diligenter consideraueris, oculisque internis prænoueris credendam, ascensum ad excelsa comperies, quo etiam imago ipsa te perducet, habet enim vim certam visio, eósque qui intuendi desiderio flagrant apprehendit, quo modo lapis, qui magnes dictus est, ferrum trahit. *Mer. Trismegist. in Pimandro, lib.* 4.

Bonum ex vna, & tota causa proficiscitur. *Dio. Areop. de diuinis nominibus.* Bonorum causa vna est, si bono malum contrarium est, mali causæ multæ, non tamen mala faciunt rationes atque vires vllæ, sed impotentia, & infirmitas, & incongrua quædam permixtio dissimilium. *idem, ibid.*

Bona, quæ sunt in mundo, non essent talia, nisi ad archetypi illius veri boni ingeniti, beati, incorruptibilis, similitudinem facta fuissent. *Philo Iud. de cherubim.* Bona omnia è labore tanquam à radice pullulant, nam rector cœli, & mundi & habet, & præbet bona quibuscunque vult magna cum facilitate; at mortali bona adipisci sine labore non est datum; & vt vita à cibo pendet, sic bonum à labore, ita vitam qui sibi propagari volunt alimenta non negligunt; sic qui bona concupiscunt laborem magnifaciant, sicut cibus se habet ad vitam, sic labor ad honestatem. *idem, de sacrificijs Abelis, & Cain.*

In bonum, vt perficiantur, appetunt omnia: à bono ergo omnia efficiuntur. *Fic. in Plat. de repub. dial* 6. Bonum vita præstantius est, quia boni gratiâ vitam optamus. & idem de intelligentia dicendum, item de mente: nam esse ad vitam annititur, vita ad mentem, mens ad bonum, tum intelligendo, tum volendo: at bonum solum seipso contentum est. *idem, in Dion. Areop. de trinitate.* Bonum omnia conuersione quadam naturali appetunt tanquam finem, quoniam ab ipso bono communi quadam processione tanquam principio prouenerunt, & adeò cuncta ipsum appetunt, vt materia infima appetat appetitu non infimo. *idem, in Plat. Timæum, cap.* 15.

Boni naturam hæc conditio comitatur, vt remota trahat per appetitum, præsentia detineat & delectet, vt ignis natura distantia illuminat, propinqua calefacit: centrum grauia trahat, & sistat. *Fic. in Plot. En.* 6 *lib.* 7. *cap.* 25. Boni non tam est natura esse appetibile, quàm conditio consequens ad ipsam boni naturam *idem, ibidem.* Bono alieno torqueri nil turpius, & magis contra humanitatem, quorum vtrumque facit inuides. *Francis. Patr. de resp. lib.* 6. *cap.* 5.

Bono quod contrarium.

Bono magis contrarium est malum, quàm non bonum. *Plato de rep. dial* 7. Bono cùm subdit malum Plato, pulchro turpe, iusto iniustum, non sunt hęc ponenda sub oppositis ideis, sed in ipsa informitate, & deformitate materiæ, quam in libro de scientia vocat exemplar diuinitatis expers, & in politico dissimilitudinis locum. *Fic. in Plat. de repub. dial* 5.

Boni, & mali eadem notitia est, cùm ambo contraria sint, & contrariorum eadem sit doctrina. *Plot. En.* 1. *lib.* 8. *cap.* 1.

Boni mala, mali bona cùm reportant, dicendum est nihil bono malum accidere nec malo bonum. *idem, Enn.* 3. *lib.* 2. *cap* 6.

Bonos, & non malos influxus superiora influunt, & mundo salutares ad ima demittunt: qui verò suscipiunt propriâ mixtione, peruersitatéque transformant adeò, vt aliter quidem data recipiantur conditione contraria. *Iam. de myster.*

Bona semper bona, & mala semper mala ab omnibus hominibus qui iudicio valent, & rectam rectéque dispositam habent voluntatem, existere iudicantur. *Leo Heb. de Amore. dial.* 3.

Bonum ipsum, vt boni idea.

Bonum ipsum, quamuis cognitio, & veritas pulchra sint, ipsia tamen pulchrius est: nam vt in lumine, & visu solis speciem referre putare, rectum est, solem verò putare non rectè habet: sic in scientia, & veritate boni speciem referre putare ambo hæc, rectum est; bonum verò putare alterutrū horum, non rectum: at maiore adhuc honore afficiendus est ipsius boni habitus. *Plat. de rep. dial.* 6. Bonū ipsum his quę cognoscuntur, non solùm vt cognoscantur, vim tribuit, sed etiam vt sint, & essentia ipsis ab illo adest, cùm bonum ipsum essentia non sit, sed adhuc vltra essentiam dignitate, & potestate præemineat. *idem, ibid.*

Boni idea maxima est disciplina, quam si iuxta aliis vsi fuerint homines, cōmoda, & vtilia fiunt. Sed si non satis nouimus, absque hac quàm maximè alia sciuerimus, eorum nulla est nobis vtilitas, vt si quid possideremus absque bono. *Plat. de rep. dial* 6. Boni idea est id quod veritatem exhibet his quę cognoscuntur, & ei qui cognoscit, vim tribuit, & causa est scientiæ & veritatis, vt quæ per intelligentiam cognoscitur. *idem, ibid.*

Boni idea dicitur esse id quod veritatem exhibet his quæ cognoscuntur, & ei qui cognoscit vim tribuit. *Plato de republica, dial* 6. Boni idea postrema est in loco, qui via videri, & cognosci potest: conspecta verò est omnium rectorum, & pulchrorum causa, vt quæ in loco, qui videtur, lucem, & ipsius dominum peperit, & in eo qui intelligitur ipsa domina veritatem & intelligentiam exhibet, quam inspicere oportet illum, qui aut priuatim, aut publicè sapienter agere vult. *idem, ibid. dial* 7.

Bonum porrigit vniuersa, nec quicquam accipit. Deus exhibet omnia, capit nihil: ergo Deus bonum, ac bonum Deus. *Mercurij Trismegisti pimander. cap.* 2. Bonum ipsum in omnibus fulget, & cuncta per ipsum clarescunt, & his apparet præsertim quibus ipsum notitiam communicare voluit. *idem, ibid. cap.* 5

Bonum in nullo ponitur nisi in vno Deo, imo ipsum bonum Deus semper ipse: idcò Deum esse oportet essentiam omnis motionis, & cognitionis. *Merc. Trism. Pimander, cap.* 6. Bono ipso nihil sapientius est, nihil in hac essentia castius eorum quæ mala sunt, & in nullo alio bonum inuenitur nā generatio est quædam passio, & vbi passio nullo modo bonum, vbi bonum non passio ponitur vlla, De summo bono loquitur, nam participatione reliqua sunt bona, vt mundus bonus in homine comparatione mali bonum, at bonum ipsum in solo Deo existit. *idem ibid.*

Bonum excelsius est omni verbo, verbis ineffabile est. *Dionys. Areopag. de diuin. nom.* Bonum ipsum omnia appetunt intellectualia rationaliáque scientiâ, inferiora his sensuali cōditione; sequentia per motum aut per aptitudinem quandā essentialē, & in quodam habitu consistentem. *idem, ibi.* Bonum ipsum si super omnia quæ sunt, certè est, nimirum ipsum quod illic est informe, format omnes; & in ipso solo quod dicitur expers essentiæ, & vitæ, & intelligentiæ, est excessus essentiæ & eminentissima vita, excellentissimáque sapientia, & quodcunque in ipso bono modo quodam informium nominatur, ad potestatem pertinet sublimiorem formis, formas excellenter efficientem. *ibid.*

Bonum ipsum lumine quouis excelsius, lumen intelligibile nuncupatur, tanquam fontana lux, & exuberans profusio luminis intellectum omnem supermundanum, circamundanum, intramundanum sua illuminans plenitudine, totúsque intellectualis horum vires renouans, & omnes intellectus comprehendens eo ipso quod se super omnes expandit, & omnes excedens, quia desuper extat, & omnino tanquam principium luminis super lumen, & claritatem, dominationem omnem, potestates illuminantes in se complectens, excedens, & antecedens. Intellectualia omnia, & rationalia congregat, & conciliat coniungit quod verè est ex opinionum diuersitate ad seipsum, varias visiones, siue vt rectiùs loquantur imaginationes in vnam veram, puram, vniformem cognitionem cogit, & vno viuifico lumine implet. *Dionys. Areopag. de diuinis nomin.*

Bonum à sanctis Theologis, vt pulchrum; & pulchritudo vt dilectio, & diligendum laudatur. *Dion. Areopag. de diuin. nominibus.* Bonum ipsum omnibus in causa est vt pro suo modo sint pulchra, & propter ipsum pulchrum omnes congruentiæ, amicitiæ, communiones, vnionésque proueniunt, omnium est principium, causa efficiens, mouens, continens vniuersa, pulchritudines videlicet sui amore; est & finis omnium, cunctis amabile, vt finis, omnia enim pulchri gratiâ fiunt; est & causa exemplaris; idem ideò est pulchrum, & bonum, quoniam omnia eodem modo pulchrum, & bonum appetunt, & nihil est quod nō sit pulchri, & boni particeps. Audebimus quoque dicere non ens pulchri, & boni compos existere, tunc enim est pulchrum, & bonum, quando in

Deo

Deo per omnium ablationem supra modum essentiæ celebratur. *idem, ibid.*

Bonum ipsum, vnum, & pulchrum vnicè causa est multorum omnium pulchrorũ, & bonorum: inde hoc in amor omnes rerum essentiales subsistẽtiæ, vniones, discretiones identitates, alteritates, similitudines, dissimilitudines, discretorum communiones, vnitorum inconfusæ proprietates, superiorum prouidentiæ, rerum eiusdem ordinis consortia mutua, conuersiones inferiorum omnium inter ea sibimet conseruatrices, immotabilesque mansiones, & firmitates, & omnium in omnibus pro sua proprietate communiones, & congruentię inconfusæque amicitiæ, consonantiæque vniuersi, & omnes in vniuerso tum eorum quæ reuera sunt contemperantiæ, indissolubilesque connexus, tum eorum quæ fiunt perpetuæ successiones, denique status omnes, motusque mentium, animarum, corporum. status enim est omnibus, atque motus quod omni statu motuque superius extans, rem quamlibet in ratione propria firmat, & ad propriam dirigit actionem. *Diony. Areopag. de diuin. nomin.*

Bonum ipsum, & pulchrum omni statu, & motu superius auctor est, & conseruator, & finis harum trium in mundo motionum, id est recti, circularis, & mixti, atque etiam sensibilium. multóque prius ac verius cuiusque mansionum, & statuum, & formarum; per quod sanè bonum atque pulchrum status omnis & motus existit, ex quo, in quo, & ad quod, & cuius gratia hæc omnia fiunt. *Diony. Areopag. de diuin. nominib.* Bonum ipsum est in causa, vt ex ipso, & per ipsum essentia vitáque omnis intellectus, & animæ naturæque existat, & quicquid est, ex pulchro, & bono existit, & in pulchro, & bono consistit, & ad pulchrum, & bonum conuertitur, quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso, & ad ipsum omnia pendent. *Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Bonum ipsum quibus perfectè inest, perfecta, pura, integra bona facit: sed quæ minus ipsum participant, imperfecta bona, ac propter boni defectum permista. *Diony. Areop. de diuin. nominibus.* Bonum ipsum, vt vere ens est, qui est totius esse per potentiam essentiã superiorem, causa substantifica est atque opifex entis, existentiæ, substantiæ, essentiæ naturæ principium, & mensura æternitatem, & temporum, entitas, & æternitas entium, tempus eorum quæ fiunt: ipsum esse his quæ quomodolibet sunt. generatio his quæ quoquomodo gignuntur, Ex ipso qui est æternitas, essentia, & ens, rursus tempus, generatio, & quod gignitur, item quæ sunt in entibus, & quæ quomodolibet existunt, & subsistunt, dependent. *idem, ibid.*

Bonum ipsum quod superius est, fons, & principium est pulchri. *Plo. En. 1 lib. 6. ca 9.* Bonum ipsum cùm essentia sit, & essentiæ nihil sit contrarium, bono nihil erit contrarium: quod non est verum in his, quæ segregata sunt omnino, & commune nihil habent, ac interuallimo habent quamplurimum. *idem ibid. lib 8. cap. 5.*

Boni ipsius natura simplex est & prima: & si prima non esset, nec simplex esset: & vnam esse constat, & quod dicitur ipsum vnum, eandem esse naturam constat. *Plot. En. 1 lib. 9 cap. 1.* Bonum ipsum est id, ad quod omnia referuntur, ipsum verò ad aliud non refertur. & sic constat esse quod omnia appetunt, & firmiter permanet, & ad seipsum cuncta conuertit. *idem, Enn. 1. lib 7. cap. 1.*

Bonum ipsum nullo penitus indiget, quamobrem nihil erit ipsi præter ipsum. *Plot. En. 3 lib. 8 cap. 10.* Bonum ipsum cùm super omnia sit, & super mentem, est apprimè venerandum. Ab omnibus segregatum non habet verum nomen aliud, neque aliquid omnium, & omnino nullum est nomen eius: propterea que de eo nihil dicitur, sed nos quoad possumus in nihil de illo nobis significare conatur. *idem, En 5. lib. 3. c. 13.*

Bonum ipsum tunc vidisse nos credendum est, cum animus repente lumen acceperit. Hoc lumen id est ipsum bonum tunc certè putandum est nobis adesse quando tanquã Deus alius inuocante aliquo domum intrat prorsus illuminatam; alio qui nisi intrauerit non illuminat: sic anima vacua lumine est, & vacua Deo, illuminata verò habet iam totum quod in ante petebat. Hic certè est finis verus animo, lumẽ scilicet illius accipere, & ipsum ipso perciperet, non alterius inquam lumine conuerti, sed per ipsummet aspicere, quod & suspicit, per quod enim illuminatus est id ipsum est nobis perspiciendum: nec enim Solem per lumen alienum intueri solemus. Verum si quæras qua id ratione consequi possit omnia è medio tolle. *Plot. En. 5. lib. 3. cap. 17.*

Bonum ipsum qui consecuti sunt, satis consecutos se putant: qui pulchrum, non satis: præterea multi pulchritudinem præsentem parui faciunt, & satis illis videtur si pulchri videantur: bonum non opinione solum, sed reuera cupiunt possidere. *Platin. En 5. lib 5. cap 12.* Bonum ipsum non indiget pulchro, sed pulchrum indiget bono. *idem, ibid.*

Bonum ipsum est Deus. & in se nihil habet, & si quis ei aliquid addit, vel essentiam, vel mentem vel pulchrum ipsa additione demit. quod ipsum exsistit bonum. *ibid. cap. 13.*

Bonum ipsum si oportet esse simplex, & nullius egenum, non indigebit intelligentiã, ideò aliud est intellectus, aliud ipsum bonum: nam ob id intellectus euadit boniformis, quia intelligit bonum. *Plot. En. 5. Lib. 6 cap 4.* Bonum ipsum nec se, nec quicquam intelligere oportet, nec præter se est aliud quicquam ipsi bonum. *idem, ibid. cap 5.* Bonum ipsum ab actione expeditum est. *ibid. cap. 6.*

Bonum ipsum fecit mentem, vitam, ex mente animas, & reliqua quæcũque rationis, vel mentis, vel vitæ participia sunt; & cùm sit harum rerum fons, & principium, quis exprimere possit quale & quantum bonum sit: & nunc seruat illa quæ fecit: efficit vt intelligentia passim intelligant, & viuentia viuant, inspirans mentem, vitam, & esse iis, quibus accipi vita non potest. *Plotin. En. 6. lib. 7 cap. 23.* Bonum ipsum si vnicuique est species, semper altius ascendentibus species magis occurrit, magis enim species est anima quàm corporis species, & penes animã species magis intellectus: certè ipsum bonum opponitur materiæ, & ei conuenit quod à materia purgatum est: & maximum bonum illi conuenit, à quo quicquid materiæ cognatum potest, longè seiungitur. *idem, ibid. cap. 28.*

Bonum ipsum omnem materiam fugiens, imò nec vsquam, nec vllo conditionis propinquam proculdubio in naturam aufugit speciei omnino vacuum. à qua prima species orta. *Plot. En 6 lib. 7 cap 28.* Bonum ad ipsum septem gradibus accedimus: primo purgationibus animi: secundo cognitione operum diuinorum: tertio contemplatione: quarto comparatione quadam proportionali ea hoc ordine ad diuinum ordinem sese conferens. quinto negatione qua cuncta à principio separantur: sexto oratione ad Deum, vt ipse intellectualis mundi pater te mundum intellectualémque actu reddat, ens enim potentiã mundus hic, ab initio; septimo, vt cùm intellectualis mundus euaseris, vlterius amore boni concitus ex statu intellectuali transformeris in bonũ superius intellectu. *idem, ibid. cap. 36.*

Bonum ipsum est super intelligentiam, & vitam præbet, nam quod seipsum animaduertit, & intelligit. secundum obtinet gradum, nam oportet & contigisse, vt aliquando se non animaduertat, & intelligendo perficiatur, ergo ab ipso bono tollenda est ipsius apprehensio: adiunctio nimis ablationẽ inducit, & defectum. *Plot. Enn 3 lib 9. cap 3.* Bonum ipsum dicitur primum, quia simplicissimum, & seipso sufficiens, quoniam non constat ex pluribus, alioquin in ea ex quibus componitur referretur. & non est in alio, quoniam quidquid est in alio, est & ab alio; itaque si neque ab alio, neque in alio, neque vlla in eo est compositio, necesse est nihil esse superius. *idem, En. 2, lib. 9 cap. 1.*

Bonum ipsum aliud diuinum putant Aegyptii, ipsum scilicet præintellectum Deum, aliud humanum, vnionem videlicet ad ipsum dominum. *Iambl. de mysteriis.*

Bonum ipsum super naturam intellectualem in se consistens, si dictu fas est, vsque ad postrema descendit, illustrans omnia, & conseruans, & exornans, & interim ad se conuertens primò ipsis verè existentibus adest, secundò diuinis animis, tertiò numinibus humano generi præsidibus, quartò nostris animis, atque deinceps animantibus, & plantis omnibúsque corporibus, & denique informi materiæ infimæ rerum feci ipsum bonum omnibus clam ineffabiliterque ante omnem ordinem proprium munus exhibet omnibus. & bonum vnumquodque horum, prout apta sunt participat. *Proclus in Alcibiad. 1.*

Bonum ipsum inter rerum principia supereminet pulchritudinem, & pulchritudo iustitiam: bonum enim super intelligibilia extat in loco penitus inaccessibili. pulchritudo occultè quidem in primis intelligibilibus permanet, explicatius autem in ipso ordinis illius fine; iustitia denique vnitè quidem in primo intellectualium ordine permanet, consequenter verò in calce intellectualis deorum processionis fulget. *Proclus in Alcibiade 1.* Bonũ ipsum regnat in Diis, pulchritudo in mentibus, iustitia in animis. *idem, ibid.*

Bonum ipsum est causa primissima, & principium omnium entium. *idem in elem. Theologic. propositione. 12.*

Bonum ipsum nec facile inuentu existimauit Plato & postquã inuentum est paucis communicauit: & nostri bonum in ipsius boni primi contemplatione posuerunt, quod bonum & Deũ & primam mentem concupare licet, quia omnia ea ratione bona sunt, qua ipso bono participant: & ex his quæ nobis insunt, mens, & ratio solùm ipsius boni similitudinem confe-

quiūtur, ad reliqua, vt forma, sanitas & huiusmodi, nō sunt bona, nisi in vsum virtutis inciderint, nam qui illis aliter vtuntur, mala sunt: & beatitudo solum in diuinis bonis ponitur. *Alcinous. cap. 30.*

Bonum ipsum est intelligibilibus, intellectu, veritate superius, nec eadem ratione, qua intelligibilia cognosci potest, sed diuino quodam intuitu percepto neque intelligentiam excedente, quam Plato illustrationem animæ nominat. *Mar. Fic. epist. lib. 11.* Bonum & vnum idem penitus esse volumus, & cuncta perficere, & conseruare: vnde quæ ab vnione cadunt, ab essentia dilabuntur. *idem, in Diony. Areop. de trinit.*

Bonum ipsum, vt attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: ita cœlum etsi magnitudinis & potestates excessu, motúque rapidissimo pulsans, & vniuersa penetrans mox videtur omnia concussurum; se ipsum tamen omni iam commoditati accommodat, & sine strepitu violentiáque dispensat. *Fic. in Diony. Areop. de diuinis nominib.* Bonum ipsum quamuis omnia appetant tamen sola rationalia, & intellectualia dicuntur amare *idem. ibid.*

Bona omnia ex primo bono proficisci putat Dionysius, & mala omnia nostra ex primo malo dæmonum dependere: at Plato, & Plotinus à materia pendere, & nostrum malorum ab animæ inclinatione ad materiam; sit vtcunque, modò sit principium deficiens, non efficiens, materia propriè nec bonum est, nec malum. *Fic. in Diony. Areop. de diuin. nominib.* Bonum si ens comparatur habet principij rationem: primò quia quodlibet ens est boni particeps: secundò, quia priuatum bono orbatur essentia: tertiò, quia etiam singula appetunt bonum vt finem *idem, ibid.*

Bonum inter Dei nomina est maximè venerandum, præsertim quia bonum finis est omnium, & finis omnes causas mouet ipse interim immobilis prorsus, tanquam causa causarum. *Fic. in Dion. Areo. de diu. nom.* Bonum ipsum non tam est proprium ipsius Dei nomen, quàm diuini muneris cognomentum *idem, ibid.*

Bonum ipsum primo intellectu superius est, *Fic. in Plato. Parmenidem, cap. 38.* Boni lumen in omnibus tam intelligibilibus, quam intellectibus, & in vniuerso ente nihil est aliud quàm superessentialis vnitas, bonitásque diuinis infusa diuinitus. *Idem, ibid. cap. 39.* Boni natura superior est quàm essentiæ, & entia natura *ibid. cap. 44.*

Bonum ipsum simpliciter est bonum sine limitatione, vel compositione *Fic. in Plat. Parm. cap. 47.* Bonum ad ens vbique & semper se habet vt finis *idem, ibi.* Boni & vnius eadem est amplitudo, & potestas *ibid. cap. 78.*

Bonum summum est mensura vniuersorum, id est totius naturæ principium. *Fic. in Plat. phileb.* Bonum summum in natura est naturæ ipsius principium. *idem, ibi.* Bonum summum locauit Plato in sapientiæ, voluptatisque mixtione *ibid.*

Bonum summum mentis, & animæ est primi boni possessio, quæ mixtioni ex sapientia, & voluptate per veritatem, commensurationem, & pulchritudinem conuenit. *ibid. in.*

Bonum summum in Philebo tractatur: & bonum summum, aliud absolutè, de quo in Parmenide, aliud cum conditione, de quo in Philebo. *Fic. in Plat. phileb.* Bonum summum mentis, & animæ est illius possessio, quæ mixtioni ex sapientia, & voluptate per veritatem, commensurationem, & pulchritudinem conuenit: quapropter in primo bonorum gradu rerum omnium mensura ponitur; in secundo veritas, commensuratio, pulchritudo: in tertio mens, sapientia, in quarto scientia, ars, & opinio: in quinto temperata voluptas. *idem, ibi.* Bonum summum cum conditione manat ab absoluto, vt lumen quoddam ab ipso lumine totius fonte dependet. *ibidem.*

Boni summi conditiones tres sunt, vt summopere perfectum sit, & sufficiens, & expetendum perfectum, quia nihil sibi deest, sufficiens, quia nihil deest illi, quod ipsum cupit, expetendum, quia in illo, & ex illo est quidquid appeti potest: vnde quia perfectum sufficiens, quia sufficiens expetendum, qui sibi sat est alteri sufficit, quia sufficit alteri desideratur ab altero. Hæc neque soli sapientiæ, neque voluptati, sed mixto cuidam ex vtraque competere demonstratur. *Fic. in Plat. phil. bon.* Bonum summum in sapientiæ voluptatisque mixtione locatum est. *idem, ibi.*

Bonum summum est Dei similitudo, at nihil Soli fit simile nisi quadam luminis ipsius infusione, *Fic. in Plat. phileb.* Bonū ipsum est vnum rerum principium, actus purus, actus sequens cuncta viuificans. *idem, ibid. lib. 1. cap. 5.* Bonum hoc, & bonum illud tolle, & accipe bonum quod est omnis boni bonum, & scies quid est Deus, ad quem affirmando ire nequimus. *ibid.*

Bonum nostrum antiqui plures non ad primum bonum referebant, quorum sententiæ vt vanæ reijciendæ sunt, qualis fuit Democriti, qui solâ quiete contentus fuit, quæ lapidis fœlicitas est, item Aristippi, qui voluptatem corporis sectatus, quæ semper plurimis est inquinata contrarijs, & bestijs singulis est communis; & Epicuri tranquillitas mittenda est non enim per se hæc quæruntur, sed propter supremi boni acquisitionem vt à perturbationibus liberi expeditiores simus ad ipsam acquirendam: nec Stoicorum, & Cynicorum fœlicitas nobis sufficit, nam supra moralem virtutem, vt pote negotiosam, & humanam contemplatio est, pacata prorsus, atque diuina: at nostrum bonum est nil aliud, quàm integra pro capacitate naturæ boni ipsius primi possessio, quod supremâ nostri parte mente scilicet fit, quæ intelligēdo, & amando frui maximè ipso bono potest. *Fic. in Plat. philebum, lib. 1. cap. 6.*

Boni absoluti fruitione hominis fœlicitas, & beata vita cōsistit. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 6.* Boni ipsius radius etsi in se vnus, tamen in mente triplex resultat, & triplex: est dum ad bonum quod cœlitum aliqui dicunt nititur: Saturnus: dum in se flectitur, Iupiter: dum vertit ad inferiora Prometheus, id est prouidentia, dicitur; & quot radius in materia formata species gignit, totidem in animo fundit rationes, ad ea quæ producuntur dijudicanda, atque ad artium opere fabricanda. *idem, ibid. cap. 26.*

Bonum admirandum est cùm ad illud accedimus, amandum cùm hæremus, iucundū cùm eo implemur. In primo ab alijs conuertit ad se per cognitionem pulchritudinis suæ: in secundo trahit ad se per amorem eiusdem: in tertio transfert in se diffunditque per voluptatem, & circumfundit seipso, & implet per bonitatem. *Fic. in Plat. phileb. lib 1. cap. 32.* Bonū summum Animæ est vnus in rationibus omnibus Dei vnius intuitus. *idem, ibid.* Bonum summum materiæ est vnus ex omnibus decor, ex vnius animæ vita vna. *ibid.*

Bonum summum mentis est vnius summi in speciebus omnibus intellectio, in omnibus actibus actus vnus ad purū actū. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 33.* Bonum summum mentis est actus eius naturæ completus. id est, vt per vnum actum conuersa ad actum vnum omnis fiat actus, & omnia fiat actio. *idem, ibidem.* Bonum ipsum absolutum super omnia vnum est actus vnus, bonum summum mentis, animæ materiæ, vnū omnia *ibidem.*

Bonum summum est actus purissimus, actus sui iuris, nullius subiecti limitibus coarctatus. & cum propriè nullius sit actus omniū est actus, & cùm in nullo sit inclusus omnibus adest: est ergo bonum in omnia, & super omnibus. *Fic. in Plat. phileb lib 1. cap. 38.* Bonum supremum capere, nisi supremâ nostrâ parte non possumus; suprema pars est vnius quidam apex animæ, quo animæ caput duabus alis ad vnum ipsum instigatur, & aduolat, nam intellectu explorat, & circunspicit, voluntate parit, intellectu rapit, voluntate retinet: ipsius intellectus sapientia est, id est intelligentia, adhæsio voluntatis voluptas est. *idem, ibidem, cap 34.* Bonum summum Plato tribus nominibus significat, mensura, moderate, opportune: vt mensura, rebus omnibus tribuit vnitatem, vt moderans commensurationem, vt opportunum, pulchritudinem. *Fic. ibid. cap. 36.*

Bonum summum hominis est vnum quiddam occultum ac diuinum, quod desuper in ipsa sapientiæ voluptatisque certa mixtione suscipitur, cui similior est sapientia, quàm voluptas, & suscipitur in ipsa vnitate, quæ est caput animæ, intellectu, & voluptate superius, & dicitur illud bonum capi à mixto, quia vnitas est veritas quàm radix: nec ipso bono fruitur, nisi vel prius, vel interim satis vtrique sit, prouisione intellectus, per lætitiam voluptatisque quod bonum per modū quasi tactus, & gustus efficitur, & est ineffabile. *Fic. in Plat. phileb.* Bonum diuinum non in corporibus, sed in anima est. *idem, ibid.*

Bonum ipsum vnum rerum omnium principium actus purus, actus sequentia cuncta viuificans è primo fonte bonorum effluens, mentem primo diuinam idearum ordine infinitè decorans, numina deinde sequentia mentésque rationum serie complens, animas tertiò numerosis discursibus ornās, naturas quartò seminibus, format quintò materiam, Sol profectò corpora visibilia, & oculos videntes procreat, oculis vt videant lucidum infundit spiritum, corpora vt videantur coloribus pingit, nec propterea proprius oculis radius, proprijque corporibus colores ad visionem perficiendam sufficerent, nisi lumen ipsum vnum supra multa, à quo multa & propria lumina oculis & corporibus distributa sunt, adueniat, illustret excitet & roboret. *Fic. in Plato de pulchro.*

Boni absoluti, & diuini scientia est sapientia. *Fic. in Plat. Euthy.* Bonum quod penitus est pulchrum, id tanquam ab omni parte perfectum beatissimum nuncupamus. *idem, in Plat. comm. in. 5. cap. 2.* Boni idea non est species hæc, vel illa, hic

aut alibi, sed ipsam eminentissimæ diuinitatis fœcunditas per omnia sese potenter, suauiter, & salubriter propagans, cuius imaginem quandam in mundo visibili Solem vult Plato esse visibilem, vires suas similiter per omnia diffundentem, vnde animaduertere potes Aristotelem in Ethicis circa ideam boni aduersus Platonem ludere. *idem, in Plat. de repub. dial. 6.*

Boni ipsius scientia, etsi videri potest Aristoteleo superflua ad rempublicam humanis moribus gubernandam, necessaria tamen est ad hanc ipsam gubernationem, per quam Plato conatur ciues Deo similes, ac amicos reddere. *Fic. in Plat. de repub. dial. 6.* Bonum quoniam prima, ideoque simplicissima natura est, ideo formas in se omnium continet, quæ forma vna est, quam Plato boni ipsius vocat ideam. *idem, ibid. dial. 10.* Bonum si intrinseca ac propria virtute omnia facit, intellige ipsum vniuersum in seipsum complecti. *ibid.*

Boni ideas ideas id est speciales omnium formas, specie duntaxat inter se distinctas in natura intelligibili generat, quas eos vniuersum modo quodam intelligibili comprehenditur: intelligentia quoque omnis mira quadam super intelligentiam ratione in hanc naturam intelligibilem omnes suscipiunt intellectus, ab eaque suscipiunt stabiles formulas, ideas, & rationes animæ: vnde & formulas, licet quodammodo mobiles post has rationalium formulas animarum in virtutem quoque sensualem idearum descendunt imagines, deinceps in vegetalem quoque naturam semina, & qualitates denique in materiam. *Fic. in Plat. de repub. dialog. 10.* Bonum & vnum idem sunt, & principium omnium. *idem, in Plat. Phileb. lib. c. c. 4.*

Bonum intellectuale ab ipso simpliciter bono non tantum fit, sed etiam conseruatur, neque inde secernitur. *Fic. in Plot. En. 3 lib. 1. cap. 7.* Bonum ipsum potentius est quam verum, cum & ipsa potestas ad bonum pertineat potius quam ad verum. *idem, ibid. lib. 2. c. 4.* Bonum ipsum simpliciter est finis vniuersi mundi intellectualis. *ibid.*

Bonum ipsum simpliciter est super intellectuale bonum, vt ipse simpliciter intellectus est super intelligentiam animalem, & ipsa simpliciter anima est super animam quasi corpoream. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 2. c. 4.* Bonum ipsum dicitur infinitum, quia nec ex partibus constituitur, quarum alia terminatur in aliam, nec desuper superatur, nec subiecti alicuius limitibus coercetur, nec terminum potestatis admittit, vnde nec patitur perseuerantiæ terminum. *idem, ibid. lib. 4. c. 3.*

Bonum ipsum sufficientissimum esse debet, & simplicissimum, & primum. *ibid. lib. 9. c. 1.*

Bonum ipsum ex nulla causa quicquam habet. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. c. 1.* Bonum ipsum omnibus prouidet ex ordine rerum ad certum finem mirabiliter instituto, ut quo ordine & singula ad proprium bonum dirigantur, & cuncta simul ad bonum commune conducant. *idem, de fato, c. 1.*

Bonum non sensibile, sed intelligibile est nobis summum, quoniam hoc solum est nobis animum maxime quietum, idemque est tandem cum ipsa cognoscendi potentia. *idem, in Plot. En. 3 lib. 8. c. 2.*

Bonum ipsum entium principium non est ens, aut entia, nec vita, nec intellectus. *idem, in Plot. En. 5. lib. 2 c. 1.*

Bonum ipsum simpliciter supereminenter creat vt voluas, signum, centrum, lux quod proxime procreatur, quantum ex illo manente statim hinc existit, efficitur ens: quantum subito vergit naturaliter, & quasi mouetur ad illud, fit viuens: quantum mox corroboratum inde quasi circulo quodam conuertitur in se ipsum, intellectus euadit: similiter ex intellectu manente anima intellectualis existit: ex hac non manente, sed per potentiam discursiuam ab intellectu intelligibilibusque distracta, ad imaginabilia, & sensibilia prodiit in actum eius imago, vita videlicet quædam rationis expers sensu, & vegetali potentia prædita: inter hæc quod sequitur tandiu perseuerat, quandiu quod superius est extat. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 2. c. 1.*

Bonum ipsum non est addenda intelligentia, quæ ab vllo intellectu creata, quamuis summo, intelligi potest. *idem, ibid. lib. 3. cap. 13.*

Bonum ipsum omnium est finis, & principium, cuius fruitionis signum nobis est, quando præter solitum & nullo consueto ingenij machinamento influit nobis subito lumen, id est claritatem latam, quæ est splendor quidam claritatis in se ipsa consistentis, quæ est ipse Deus, influit autem quando illi dediti ipsius gratia auferimus omnia, id est inclinationes circa omnia ab appetitu, imagines a phantasia, discursiones a ratione, intellectuales species & compositiones, & discretiones ab intellectu. *Fic. in Plot. Enn. 5. lib. 3. c. 17.* Bonum ipsum vniuersi principium non solum mentem & animam procreat, sed radio his infuso velut hamo quodam amatorio assidue reuocat ad seipsum, ubi radium tum in anima, tum in mente, tandem in lumen vitale gratissimumque conuertit, & hæc vtrobique est ipsa felicitas. *idem, in Plotin. En. 6 lib. 7. c. 31.*

Bonum ipsum vt omnibus est amabile, sic malum si singatur nec aliis, nec sibi erit amandum; vnicuique bonum est sua species, forma, perfectio, actus superne dependens. *Fic. in Plotin. En. 6. lib. 7. c. 28.* Bonum ipsum ita est ab omni multiplicitatis, mobilitatisque suspicione remotum, vt anima illo fruens intelligentiam exuere compellatur, quodammodo actioni cuidam multiplici, mobilique consimilem. *idem, ibid. c. 31.*

Bonum ipsum semper vbique præsens est; cum primum illuxerit animo iam sereno mirificum accendit amorem: quando animus intentiones, & omnes formas, non solum imaginabiles, sed etiam intellectuales pauerit, tunc per amorem infiniti boni infinitum vnà cum bono mirabiliter copulatur, gaudio illinc ineffabili plenus, quod non solum post vitam præsentem, sed etiam in hac vita quandoque haberi potest. *Fic. in Plot. En. 6 lib. 7. c. 34.*

Bonum ipsum est pulchritudinis principium, & amoris, cum quælibet pulchritudo a quocunque ametur semper appetatur sub ratione boni. *Fic. in Plotin. En. 6. lib. 7. c. 34.* Boni primi fruitio naturalis, essentialisque nobis euadere debet, nec per modum intelligentiæ simplicis, sed naturæ, vbi fruitio tanto fit penetrantior in medullas quam intelligentia, quantum intelligentia solet obiectum penetrare profundius quam sensus. *idem, in Plot. En. 6. lib. 9. c. 9.*

Bonum summum putauit Epicurus esse suauissime viuere; quam voluptatem definiebant, sed non concorditer: nam alij corporis, alij animi, alij vtriusque; Hierocles Stoicus finem voluptatis meretricium dogma nuncupauit; Critolaus dixit voluptatem non solum malum, sed parentem malorum. Zeno Stoicus indifferens esse summum bonum dixit; Democritus concupiscentiam bonorum finem decreuit: Heraclitus complacentiam maluit esse summum bonum. Diodorus Peripateticos indolentiam, ac honestatem iunctas. Dinomachi, Caliphique sententia fuit voluptatem cum honestate copulatam, Pythagoras vltimum bonum perfectissimam sententiam, numerorum scientiam; Anaxagoras speculationem vitæ, & illam quæ ex ea sequeretur libertas, Herillus Zenonis auditor cognitionem & scientiam; Antisthenes alacritatem, Hecateus sufficientiam, Plato fieri pro viribus Deo similem; Socrates felicem putauit eum qui virtute iustitiæ exornatus esset; Vetus Academia honeste viuere finem posuit bonorum, & frui his rebus, quas primas homini natura conciliet: Timeon quiete, & tranquillitate qui vteretur felicem putauit. Ephectici omnes imperturbationem felicitatis asseuerabant. Iam Simonides primo sanitatem, secundo naturalem pulchritudinem, inde sine dolo diuitias. Stoici ceteres virtutem finem bonorum opinati sunt. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in ex. doct. van. gen. lib. 1. c. 17.*

Boni idea vel ipsum bonum, est pelagus, & locus sapientiæ, est asylum, arx totius sapientiæ, est ratio vniuersalis: qui hanc videt, videt omnia, ab hac omnis mentis intelligens manat & virtus intelligendi. *Steuch. de peren. phil. lib. 3.*

Brachmanes nominabantur e sapientibus Indorum Gymnosophistarum scilicet, qui in studio religionis & sapientiæ præcellebant. *Porphyrius de sapientibus antiquis qui vitam præsentem spe futura contemnebant.*

Brachmanes appellabantur sapientes Indorum, qui vnum Deum colebant, nec animal comedebant, aut vinum gustabant & ab omni malignitate alieni erant & ipsis inter alia lex erat contra ius non ire naturæ. Multas Indorum, Ægyptiorum & Græcorum deorum statuas apud eos se vidisse ait Apollonius, & ritu Græcorum sacrificari ab eis scribit Philostratus. Porphyrius ex institutione Bardasanis Babylonij sapientes Indorum Gymnosophistas nominatos asseuerat. Brachmanes vero quadam successione generis vocatos; qui vero electione sapientiam, & religionem profitebantur Samanæi appellabantur: cui refragatur Philostratus, qui ait non successione, sed electione Brachmanas philosophatos. *Ioan. Francis. Pic. Mirand. de prænotione lib. 4. cap. 9*

Breuiora præ optimis eligere ridiculum est. *Plat. de legib. dial. 10.*

Bruta pars hominis a Deo quidem facta est, non autem per Deum, sed per rationalem partem præsidentem regnantemque in animo. *Philo. in legu. alleg. lib. 2.*

Bruta hominibus præualent in sentiendi potentia. *Fic. in Plat. Theatetum.*

C

CABALA, id est receptio, est illa traditio quæ in animam sine literis, medio intercedente verbo, primo Moysi à Deo reuelata in successores transfusa fuit, quasi hæreditario iure: quam reuelatam à Deo, Hesdra per septuaginta sapientes in septuaginta volumina redegit, videns citò perituram, si sic literis non commendarentur. *Io. Pic. Mir. in Apologia.* Cabala non erat scripta, vsque ad tempus Esdræ, sed solùm per successiuas receptionem tradebatur, vnde cabalisticæ nomen accepit *idem, ibid.*

Cabala appellata est notitia, quæ ore, & non scripto suscipiebatur. *G. B. Boratellus de ul. m. lib. 1.* Cabala, quasi receptio ab Hebræis sic appellatur. *Leo Hebræus de Amore, dialog. 3.* Cabala Hebræorum antiquissima disciplina, ab ipsis ore tantummodo quasi per manus tradita est *idem, ibidem.* Cabalistæ Hebræorum sapientissimum genus. *ibid.* Cabalistæ qua ratione ab ipso Moyse inferioris mundi interitus post septimum, cœlestis autem post nonum, & quadragesimum millesimum annum euenturus sit, accipi posse existimarunt. *ibid.*

Caduuis periculosissimè, vbi ruenti semel deesse videtur omnis resurgendi potestas. *Fic. epist. lib. 3.*

Cain interpretatur possessionem arrogantem. *Philo, de eo quod deter. potiori ins. sol.* Cain nunquam legitur mortuus, quia impietas est malum infinitum, quod semel accensum, nunquam extingui potest. *idem, in profugis.*

Calamitates tempore augmentantur, vt in morbis corpus afficitur, & tempore magis inficitur, alioquin manere, tale, non fieret maius detrimentum, nideò miseria maior non productiore tempore, sed maioris gradus adiunctione procedere videtur, at felicitas non augetur, semper enim certum quendam eundémque possidet terminum. *Plot. En. 1. lib. 5. c. 6.* Calamitatem maiorem molestiæ diuitiæ afferunt. *Plot En. 5. lib. 5. c. 6.* Calamitosis consolatio interdum non parua est, fortem, & fortunam suam quamprimum cognoscere. *Fr. Patritius, de regno, lib. 5.*

Calida & frigida passio cùm admodum opposita sit, diuersis de causis efficitur, nam quod acumine & velocitate partium scindit, calidam gignit passionem, frigidam quod ingressu pigrius *Alcin. c. 19.* Calidum, & frigidum, aliud ab igne, & aliud à niue. *Plat. in Phædone.*

Calidum est, quod est tenuium partium, & corpora disparare videtur: frigidum verò crassiorum partium est, & meatus constringit. *Timæus Locrus de anima mundi & natura.* Calidum in primo gradu Iouis est in secundo Iouis cum Sole, in tertio Martis cum Sole, in quarto Martis. *Ficin. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. c. 12.*

Calliditas morbus est, animæ voluntarius ægrè vel nunquam sanatur & repellitur. *Philo, de sacrif. Abelis & Caini.* Calliditas in actione & consilio plærumque ponitur, versutia verò in verbo, & sermone potius quàm in actione. *Fran. Patritius de regno, lib. 6. c. 16.*

Calor.

Calor secundùm naturam in suam regionem fertur, id quod cognatum est, abire contendens est. quum autem duo sint transitus, alter per corpus exterius, alter per os, & nares, vbi quidem ad alterum tendit, alter ipsum circumpellit, quæ autem circumpulsa est in ignem incidens calescit, quæ verò exiuit perfrigeratur, dumque caliditas mutatur, ea quæ circa alterum transitum sunt calidiora sunt, rursusque magis calida facta est ad suam naturam repit, & fertur, & eam quæ circa alteram transitum est circumpellit. Hæc verò eadem perpetiens, & eadem semper retribuens, dum ita circum circa agitatur, & hinc atque illinc ab ambobus efficitur, vt respiratio & expiratio fiat: efficit. *Plat. in Timæo.*

Calor non est igni aduentitius, sed materia ignis inest. *Plot. En. 4. lib. 7. c. 11.* Caloris opus est penetrare, & dissoluere. *Fic. Plat. Theolog. lib. 7. c. 8.* Caloris pabulum est humor aereus, & pinguis quasi oleum, qui siue deficiat, siue excedat, vel inquinetur, calor naturalis illico debilitatus extinguitur si humoris defectu calor debilitatur: & perditur, mors resolutione contingit: si potius obruitur humoris excessu, vel vitio, vita suffocatione perit. *idem, de vita producenda, lib. 2. cap. 2.*

Calor à lumine, lumen pendet à vita, ergo calor ducit ad vitam. *Ficin. epist. lib. 2.*

Calor, qui procedit ex luce, ita ab ea dependet, vt in diuinis per intellectum idealiter repræsentantur omnia, per affectum inde surgentem omnia generant. *idem, Fic. in Plat. de repub. dial. 7.* Calor nisi se habeat ad frigus in dupla proportione ad humorem in sesquitertia, & humor ad siccum in sesquialtera, in nobis, vel in aere breui solutio sequitur, vel suffocatio sequitur repentina: si propter multiplices coniunctiones in cœlo dissideat, incendia mira illuuionésque sequuntur *idem, in Plat. de repub. dial. 8. c. 12.*

Calor ad vitam præstantior est humore, & se habet ad humorem tanquam artifex, vel forma. *Ficin. in Plat. de republica, dial. 8. c. 12.* Calor & humor verè sunt elementa, & superaddere debent non parum frigidum, & siccum, magis frigus quàm siccum, quia calor præstantior est ad vitam quàm humor. *idem, ibid.* Calor in nobis frigus superare debet proportione dupla, humor siccitatem sesquialtera, calor humorem sesquitertia *ibid.*

Calor nisi superaret humorem, neque ageret ipse vitaliter circa humidum, neque quotidie nobis adsumpta concoqueret, nec resisteret externis: in somnis calor debet frigus dupla excedere, humorem sesquitertia, humor siccum sesquialtera. *Fic. in Plat. de republica, dial. 8. c. 12.* Calor natiuus alit fomitem habet in corde, ibidem spiritus id est sanguineus vapor ab ipso calore ex subtilissimo sanguine procreatur. vterque mirabili efficacia, tum etiam tenuitate corpus totum penetrat. *idem, in Plat. Timæo.*

Calor in cœlo non frigiditate reprimitur, nec in seipso insuper refrænatur, nec merus ibi regnat atque solus alioquin non alibi magis, quam alibi dominabitur. humor ille id est lenis & agilis, tenuitudo quædam, & velut vncta liquiditas, & alma fecunditas tum calorem alit, vt nectar, vt calor alit lumen, vt ambrosia; tum coercet incendium, ne vel ex incendio calor insuper ipse perdatur, tum collisionem mutuam sphærarum prohibet, alioquin ex rapidissimo motu futuram, sphæras que, & alia protinus exusturam. tum denique motus, radiosque lenit, & mulcet, quo blandius interiora contingant. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 6.*

Caloris in Planetis vbi plus est, ibi lumen est efficacius, & nobis admodum manifestum: vbi humor abundat ibi lumen est minus efficax, & albo diuis instar spargit, & oculis minus se offert. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 6.* Calore fouente singula viuunt, non fouente non viuunt *idem, in Plot. En. 5. lib. 5. cap. 5.*

Calor potest sine præsentia luminis in aere superesse, sed non multo tempore. *idem in Plot. En. 4. lib. 5. c. 6.*

Calor cœlestis non est aduersus frigiditati, sed omnem corporeæ qualitatem virtute, & perfectione continet, & omnes cum castissilarum proximus & generabit, & vegetabit. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam lib. 3. c. 4.* Calor huius lucis suscitans è terrenis corporibus vaporosos halitus extenuans crassa, fœculenta dissoluens, parit ea quæ sunt in sublimi, diuersa pro diuersitate materiæ, quæ sursum tolluntur: nam si vapor à humore trahitur corporae, facit humidas impressiones in media, aut summa regione aeris: si sicca, sic ignis idem quoque facit calor cœlestis siue frigida, siue humida pro qualitate materiæ & loci, vt in metheorologicis Aristot. & Plato disputant *idem ibid. c. 4.* Calor etsi à luce prodit, potest tamen pertingere vbi lux non pertingit, vt extra parietem sentimus ignis calor, lux tamen videri nequit *ibid.*

Caloris natura est, vt si validior est, humiditates ex corporibus educat & consumat: si debilior, euocet illas, quia est calor, & debilis non absumit. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam lib. 3. c. 6.* Calor & frigus fit à Sole per accessum & discessum. à Luna per lucem crescentem & per lucem decrescentem. *idem, ibid.* Caloris interni nostri cessato fomento, victus omnium rerum cessat. *ibid. c. 24.*

Calumniæ & iniustitia multos bonos viros euerterunt *Plat. in Apologia.* Calumnia in omnibus multa est. *idem, de rep. dial. 6.* Calumnia est dissensio amicorum verbis facta. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Cancrum appellarunt, quia inde Sol Cancri more regreditur. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 5. c. 3.*

Canis.

Canum genus indignum est, vt inter gregaria pecora connumeretur. *Plat. de regno.* Canum generosiorum natura est, vt erga familiares, & notos quantum fieri potest mansuetissimi sint, aduersus ignotos contra *idem, in de rep. dial. 2.* Canes lapides in se iactos mordent, eum qui illos iecit non attingentes. *ibid. dial. 5.*

Canes regem Garamantum in regiam restituerunt cum mira ferocitate contra repugnantes sæuientes, & iter per hostium cuneos patefacientes, donec eum tutum in aulam regiam sisterent, & sic cæsis & pulsis hostibus diutius regnauit. *Fr. Patritium de regno, lib. 3. c. 6.*

Canis

Canis in Epiro contra latrones pro domino peracerrime pugnauit, quo tandem mortuo, percussores in vrbem vsque persecutus est, & vnum ex eis agnatum in maximo hominum conuentu laniatu, latratuque adegit vt scelus fateretur & pœnas dedit, & sceleris socios patefecit, in quos grauiter animaduersum est. *idem, ibid.*

Canes mortuo hero, cùm ipsum pyræ imponi viderent, se in flammas iniecerunt, & viui cum hero mortuo cremari voluerunt, vt Lysimachi, & Hieronis canes. *Francisc. Patric. de regno, li. 3 cap 6.* Canes & Caspij alebant pro sepultura, qui mortui à canibus vorabantur. *idem, ibid.* Caniculæ, iuxta prouerbium, vt dominæ sunt *Plat. de rep. dial. 8.* Canis intra Hyenæ vmbram latrare non potest. *Fic. in Pla. sophist. cap. 36.*

Canabin, vel papyrum si quis calefaciat, & subigat lucernæ, etiamsi non tangat, subitò videbit eum accensum, quamuis non tetigerit ignem. *Proclus de sacrificio & mag.*

Cantus.

Cantus, & libationes à cœnis deficiebant olim. *Plat. in symposio.*

Canunt rectè, qui secundum musicam rationem canunt. *idem, alcibiade 1.* Cantilenas, & viros, & fœminas decoras conce dere decuerit forma quadam distinctas, ideò quod magnificum, & ad fortitudinem tendit, virile est, quod verò ad elegantiam, & temperantiam magis declinat, velut fœminei generis id est, & in lege, & in sermone id attribuendum est. *idem, de leg. dial. 7.*

Cantores sonis lyræ chordarũ clarioris gratiâ vti oportet, ita vt concordes fidibus sonos vocibus tribuant; at verò diuersas voces, & lyræ varietatem, vt alios concentus fides edant, alios poeta, qui melodiam composuit, & densitatem raritati velocitatem tarditati, acumen grauitati, consonum, & dissonum exhibere, & rythmorum eodem modo omnis generis varietates lyræ sonis adaptare: omnia huiuscemodi offerre non oportet his, qui in tribus annis musicæ vtilitatem breui assequi volet. Contraria cùm se vicissim perturbent, difficulter discuntur. *Plat de leg. dial. 7.*

Cantores Dionysij sexagenarios excellenter subtili sensu præditos esse oportet, tum circa rythmos tum circa harmoniarum constitutiones, quo concentuum motum, & eum qui bene & eum qui malè imitatur, quum in affectionibus anima versatur, simulachra & boni, & mali animi eligere possit, vt hæc reiiciat, illa laudet, & in medium afferat, & iuuenum animis incutiat, singulos prouocans, vt per imitationes progredientes, ad virtutes adeptionem sequantur. *Plat. de leg. dial 7.*

Cantus fundamenta sunt soni in sonis est differẽtia iuxta chordarum intensionem, nam acuti vehementius, & citius percusso aere excitantur, grauiores quoties lentiores, & tardiores pulsus erunt & accentus fiunt ex nimio, & incisato pulsu succentus verò leni & tardiori. *Chalr. in Plat. Tim.* Campus ostentionẽ verborum significat. *Plut. eo eo qu d dei, potiur. insid.*

Cappadoces, cùm apud eos extincta esset regia progenies à Romanis, libertatem repudiarunt, & Artobarzanem regẽ alienigenam optauerunt, vt qui affirmarent æquo iure sine rege viuere inter se non posse. *Francisc. Patric. de regno, lib. 1.*

Capillamenti dignitas tanta est, vt quamuis auri ea veste, & gemmis, omnique alio exornata incedat mulier, si capillum despexerit, dici non possit ornata. *Apul. metamor. lib. 1.* Capilli concreti sunt externo frigore, ideò non opus fuit è cerebro humorem præcedere densiorem cùm esset sensibus prorsus ineptus. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 76.*

Capræ terrestres auulso corde viuunt aliquandiu & testudines marinæ idem faciunt. *Chalcid. in Timæum Plat.*

Caput.

Caput quod diuinissimum est, & omnibus, quæ in nobis sunt dominatur, vniuersi figuram imitantes Dij, quæ rotunda est, & etiam diuinos circuitus, qui duo sunt, in rotundum ad pilæ formam illigarunt, cui etiam totum corpus in ministerium ipsi congregatum tradiderunt; intelligentes hoc omnium motuum participes fore. *Plat. in Timæo.* Caput raro osse, & tum carnibus, & neruis constat, quod os neque flexuras habet, vt subtilioris sit sensus, & sapientius, etsi multo debilius. *idem, ibid.*

Caput carnosum, & neruosum & robustum si genus hominum haberet, vitam duplicem, & multiplicem, eamque magis sanam, & minus doloribus obnoxiam haberet quàm nunc est. *Plat. in Timæo.* Caput hirsutum fictum est, cùm carnis loco operculum esse deberet cerebri securitatis gratiâ leue, & quod æstate ac hyeme sufficeret ad vmbram & tegmen præbendum, & sensus subtilitati nullum impedimentum esset exhibiturũ. *idem, ibid.* Caput est radix corporis nostri. *ibi.*

Capite abscisso apes, & fuci ad momentum viuunt. *Chalcid. in Timæum Plat.* Capitis dolori, & oculorum caligini diuertendi sunt retro frictionibus, & cucurbitulis humores, & vapores & si calor in causa est, hirudines ceruici, & humores adhibendi. *Fic. de studios. san. tuend. lib. 1. cap. 16.* Caput si sæpe doleat, homine frigido grauatum, præter pilulas confectionem illam, quam diambram nominant, vel diacori, vel pilulas coticon teneri ore iubemus, & sæpe masticen mandere præterea lenire frontem, tempora ceruicem, maioranæ, fœniculi, ruthæ foliis vnà cum oleo, aquaque rosacea diluta *idem, ibid.*

Caput non solum significat Aries, sed signum ascendens cuiusque natiuitatis. *Fic. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. cap. 10.*

Caput solum natura omnibus sensibus exornauit, cætera membra solùm habent tangendi potentiam: quare homines admonuisse videtur, eos qui aliis præsunt in tantum sapientiâ cæteros superare debere, quantum caput ipsum sensu membra omnia superat. *idem, epist. lib. 5.* Caput in homine non solùm dicitur principale, sed etiam totum in corpore: reliqua enim solùm vt capiti seruiant, adiuncta sunt: ex quo colliges hominem cõtemplationis gratiâ natum esse. *idem, in Plat. Timæum, cap. 38.*

Capitis vinculum hic significat rationis impedimentum, & luminis orbitatem *idem, in Pla. de repu dial 10.* Caput in quo viget spiritus animalis instrumentum contemplationis, est principale membrum, ac ferè totus homo cætera membra tanquam capiti ministra sunt adiecta. *idem, in Plat Timæum cap. 29.* Caput cœlo simile, rationi seruiens duos habens circuitus reuolutionum cœlestium similes, instrumenta varia sensibus, rationique seruiunt cætera caput sustinent, vehunt, huic coquunt, apprehendunt, gradiuntur. *ibid.* Caput draconis est quædam linea imaginaria in animo nostro relicta ex motu Lunæ à Meridie in Aquilonem; quod fingi potest in quolibet Zodiaci gradu. *idem, in Plot. En. 2. lib 3. cap. 3.* Caput & cauda draconis res sunt commentitiæ. *Ioan. Pic. Mirand in astrologiam, lib. 6. cap. 11.*

Carcerum custodes aperiunt carceres iis, qui illis familiares sunt, & à quibus beneficio afficiuntur. *Plato in Critone.* Carceres tres sunt in ciuitate; vnus plurimis communis circa forum, vt illic multorum corpora seruentur, ne aufugiant; secundus circa collegium eorum, qui noctè conueniunt, qui castigationis nomine appellatur, tertius circa mediam regionem, vbi desertus, & quam maximè agrestis sit locus supplicij eo nomine nae principis. *idem de leg. dial. 10.*

Cardinales legitimi nil aliud sunt, quam Ecclesiæ cardines, & Apostolorum, Vicarij, & ideò non proprio, sed communi Ecclesiæ bono consulere debent *Mar. Fic. in epist. lib. 5.*

Carduus sufficit ad subitam numinis alicuius apparitionem. *Proclus de sacrificio & magia.*

Carere melius est, quàm abuti *Fic. in Plat. phil lib. 1. cap 8.*

Carmen ex tribus compositum est, oratione, harmonia, & rythmo. *Plato de rep. dial. 3.*

Carneades contra Stoica scripturus dogmata fertur superiora corporis elleboro albo purgauisse. *Ioan. Franc. Pic. Mirand, in exa. vanitat. doctrin. gentium lib 6. in proœmio.*

Caro succulenta, & mollis facta est coaptato ad terram, aquã, & ignem fermento, ex acido & salsuginoso composito. *Plat. in Timæo.* Carnem fecit Deus, vt tectorium esset aduersus æstus, propugnaculũ contra tempestates, & aduersos casus, velut res lanâ aut pilis expleta, vt corporibus molliter, ac leniter cõcederet, validamq. humiditatẽ intra se haberet, quæ æstate quidem candat, & extrinsecus humectat, & familiare frigus per totum corpus exhibeat. Hyeme verò rursus per hanc caliditatem extrinsecus adhibentem, ac imminentem frigiditatem moderatè arceat. *idem, ibidem.*

Caro vnaquæque dum perditur, modò fundum ipsius permaneat, dimidia est calamitatis pũnitia, facilè enim adhuc refici potest: cũ verò id quod carnes ossibus colligat ægrotaris, & vinculũ quod ex illis, & neruis constat separatum non amplius quidẽ ossi alimentum, carni verò ad os vinculum præbuerit, sed ex pingui, & leui, & viscoso, asperum, salsum, & squallidum ex prauo victu factũ fuerit, tunc omne huiuscemodi quod hęc perpetitur ipsum quidẽ perfrigeratur rursus sub carnes, & neruos secedens ab ossibus, carnes verò è radicibus concidentes, & nudos neruos, & cum salsugine relinquunt: ipsæ verò rursus in sanguinis fluxum illapsæ plures morbos faciunt. *Plat. in Timæo.*

Carne ea noua & tenera cùm aliquid cũ aere liquescit, & hoc inflatũ est, & ab humiditate cõprehenditur, ita vt ex hac affectione bullæ cõsistentur, quæ singulæ quidem ob paruitatẽ visum effugiũt, & simul omnes molem exhibent visui expositam, & colorẽ habent ob spumæ exortũ aspectu albũ, hanc omnem teneræ carnis tabem cum spiritu complicatam, pituitam albam esse dicimus. *Plat. in Timæo.* Caro noua cũ contabuerit ab ignis flamma, commiscetur flauus color cũ amaritudine, & fit bilis, nomen impositum aut à Medicis,

accommodat vegetalem, in fato dentaxat computatur, vt agens, agit tamen pro conditione fortunæ, & nonnulla quidem ipsa naturali facultate permutat, vel arte quadam emendat, & corrigit, vel magnanimitate facillimè tolerat. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 1. c. 9.*

Causæ quædam sunt nobis ignotæ, vt nonnulla suspensa collo morbos quosdam curare dicuntur; & quam causam habeant incantationes, & maleficæ artes incertum est. *Fic. de fato, c. 8.* Causarum ignoratio noua in re admirationem parit, propter quam homines philosophari cœperunt. *Io. Fr. Pic. Mir. de praeno lib. 6. c. 6.*

Causarum opinio varia fuit inter philosophos, nec non principiorum naturalium maxima pugna inter ipsos fuit; alij ignem principium esse dixerunt, alij Deum, alij totius vniuersi vim, alij motum & quietem Anaxagoras compositionem & diuisionem, alij nihil, cum illis nihil vsis fuerit natura nisi mensura & mixtis elementorum; alij nihil omnino, alij contra; alij inter vtramque opinionem positi obmutuere, quantum ad iudicium proprium attinet, alioquin in alienis opinionibus confutandis vocalissimi. *Ioan. Franc. Pic. exam. van. doct. gen. lib. 1. c. 10.*

Causa quid est.

Causæ sunt, quæ rem efficiunt; concausæ sunt, quæ rem non efficiunt, efficientibus tamen instrumenta præparant, quæ nisi accedant, institutum vnicuique arti opus perfici nequit. *Plato de regno.* Causa est id quod facit; & id quod fit, & id quod facit differunt. *idem, de pulchro.* Causa diuinior est ea quæ magis comprehensibilis est, & magis se extendit, *Syrianus in 2. metaphysic.*

Causa, vt forma.

Causa omnis per formam agit, & quanto amplior causa est tanto per ampliorem formam agit: amplissima causa est Deus, ergo forma amplissima est in Deo, nusquam amplior est forma quam in mente, Deus ergo habet mentem. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 2. c. 9.* Causa omnis per aliquam agit formam, & effectum suum agit in forma quodammodo similem, ideoque oportet effectus formam à causa comprehendi. *id. in ibid. c. 9.* Causa formalis apud Platonicos duplex; vna secundum suam perfectionem a rebus singulis separata, quæ eadem cum Ideis extra rebus ipsis, quæ ideæ est quædam imago. *Iacob. Carpentarius in Alcinoo. c. 10.*

Causa vt finis.

Causam finalem qui ignorat, cæteras causas omnes ignorat. *Proclus in Alcib. 1.* Causa finalis est causarum prima, & præcipua, atque potentissima, huius enim causâ, & efficientes causæ faciunt, & quæ fiunt efficiuntur. *id. in ibid.* Causa finalis cæteras causas antecellit. *Fic. in Plat. Parmeniden. c. 47.*

Causa illa potissima est in omni finalium, & efficientium causarum ordine, quæ à propriis effectuum conditionibus maximè distat, vt principalior causa hominis cœlum est, vel idea, quam aliquis homo; & principalior caloris vitalis causa sol, quàm ignis. *Fic. in Plat. Parmeniden, c. 12.* Causam finalem præscriptam in prouidentia summam Plato asserit causarum. *idem, in Plat. Timæum, cap. 18.* Causa finalis prior est exemplari, & exemplaris efficiente. *Ioan. Pic. Mir. ad de ente & vno. c. 9.*

Causa, vt efficiens.

Causa & efficiens vnum est, *Plat. in Phil. bo.* Causæ efficientis ratio duplex: aut per se, aut per alterum, id est altera vnum principium motus simpliciter, altera quæ forma est eius, quod simpliciter moueat & efficiat. Deus non ita est causa efficiens quod simpliciter moueat, sed vt id, quo actu quicquam iam subsistans moueat, & efficiat, quomodo & animæ efficientem causam tribuimus. *Bess. in calumniatorem Platonis, lib. 3. c. 10.* Causæ agentes per electionem aliquid etiam per esse suum faciunt naturale, id est per virtutem ipsi esse insitam naturaliter. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 2. c. 8.* Causa, quæ per nudam agit naturam, ita comparatur ob causam, quæ per naturam agit intellectualem, vt particularis causa ad vniuersalem, & similiter ad architectum. *idem, ibid. cap. 11.* Causa agens non per aliud quicquam dirigit ad formam, quam per formam in ipso manentem. *ibid.*

Causæ naturales, quia per naturam suam agunt, ideò ad certum effectum non aliter, quam certa naturæ suæ ratione referuntur. *Ficin. in Plat. Theolog. lib. 4. c. 1.* Causa efficiens nobis præstat coniecturam de rerum initio, causa finalis de rerum perseuerantia coniecturam præstat. *idem, ibid. lib. 18. ca. 3.* Causæ omnis in agendo intentio est aliquid sibi pro viribus simillimum generare, & quo potentior est causa facilius id consequitur. *idem, epist. lib. 2.*

Causas agentes naturales, etsi solæ apparent nobis, quæ corpora agant, forment, & transforment: haud tamen primarias causas esse eorum, quæ fiunt Platonici nos admonent, sed instrumenta potius artis, cui obediunt, & famulantur. *Ioan. Pic. Mirand. in Heptaplum, cap. 1.* Causæ naturales nihil agunt, quod non diuinæ artis ordo præceperit. *idem, ibid.* Causa mala ita est, vt quo plus se defendat plus se prodat, contra veritas, vt lignis quo plus excutitur, plus clarescit. *idem in Apologiam, lib. 1. c. 9.* Causa efficiens duplex, vna interna, vt in naturalibus motionibus forma; alia externa, vt in artificialibus artifex. *Iac. Carp. in Alc. c. 10.*

Causa, vt materia.

Causis corporeis cuncta committere impossibile est, & absurdum, siue atomis, siue elementis, motionique corporum inordinatæ, ordinem & rationem, & animum ducem subdere. *Plotin. En. 3. lib. 1. cap. 3.*

Causa, vt exemplar.

Causa differt ab exemplari; nam exemplar illud intelligibile est causa, non tamen omnis causa exemplar est. *Fic. in Plat. Parmeniden, c. 8.*

Causa negatiua ad exemplarem à Peripateticis reuocatur. *Iacob Carp. in Alcin. c. 10.*

Causam exemplarem introduxit Plato, & rerum ad hanc factas induxit, vt ostenderet quantum inter creatum, & æternum interesset, & vnde res venire potuissent. *Steuch. de perenni philosophia, lib. 7. c. 8.*

Causa, vt instrumentalis & immobilis.

Causæ corporeæ sunt superiorum artificum instrumenta. *Fic. epist. lib. 7.*

Causa immobilis quicquid facit per essentiam immutabile est. *idem, in Plat. Parmeniden, c. 8.*

Causa in quo est.

Causæ propriæ terrenarum vitarum in terrena vita sunt. *Fic. in Plat. Theol. lib. 4. c. 1.* Causæ inferiorum partim sunt in superiora, partim in ea quæ circa nos sunt, partim in consilium, & visum, & occasionem referuntur. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. in summa lib.* Causarum omnis turba ex vna, primáque dependet causa, adeò vt inde sit, atque seruetur, atque ducatur; alioquin diuersitas causarum non conducit ad vnum, nisi vt deducatur ab vno. *idem, ibid. c. 6.*

Causa, vt ad effectum refertur.

Causa, & id quod causæ inseruit ad generationem, aliud est. *Plat. in Philebo.* Causas vniuscuiusque rei scire splendidum est. *idem in Phædone.* Causa quod reuera est, aliud est ab eo sine quo causa esse non potest. *ibid.* Causa aliqua sunt omnia quæ fiunt. *idem in Philebo.* Causa necessaria est si aliquid fieri debet, nihil enim sine causa originem habere potest. *idem, in Timæo.* Causa ab aliqua fit, omne quod fit. *ibid.* Causa sublatâ impossibile est aliquid esse, cuius erat illa causa. *idem, in Lyside.*

Causa ab aliqua esse quæ sunt, & quæ fiunt oportet, vel vtraque sine causa, & partim cum causa, partim sine causa, vel omnia cum causa. *Plot. En. 3. lib. 1. c. 1.* Causa non est idem, atque quod à causa prouenit: omnium itaque causa nihil prorsus est omnium. *idem, En. 6. lib. 9. cap. 6.* Causa præpotens agit in materiam vel exiliter præparatam. *Iamblichus de mysteriis.*

Causis ignoratis nec sequentium erit scientia. *Procl. in element. Theolog. propositione 11.* Causa omnis in se continet causatum, & causatum progreditur ab ipsa, & conuertitur ad ipsam. *idem, ibid. propositione 33.* Causæ causatis sunt perfectiores. *ibid. prop. 36.* Causis à pluribus quod prouenit omne per quot progreditur per totidem etiam conuertitur; omnis conuersio per eadem fit per quæ etiam progressio. *ibidem, prop. 38.*

Causa omnis, & ante causatum agit, & post ipsum plurimum est productiuum. *Procl. in elem. Theol. prop. 48.* Causa pluriū præstantior est, eo quòd ad pauciora potentiam est sortitum, & partes producit quorum alterum totorum est productiuum. *idem, ibid. prop. 60.* Causa omnis in seipsa causatum præcipit. *ibid. prop. 65.* Causa quod propria dicitur exemptum est ab effectu. *ibid. prop. 75.*

Causa ab immobili quod fit omne immutabilem habet existentiam, omne verò modo quodam mobili mutabilem. *Procl. elem. Theol. prop. 76.* Causa quæ plurium est vicinior est quæ omnia perducit, quæ pauciora longinquior, & quæ plurium causa est vniuersalior, quæ paucorum particularior. *ibid. prop. 126.* Causa omnis purinatis in custodiente continetur ordine, non autem è conuerso conseruans cum purificante genere idem est. *ibid. prop. 159.*

Causæ naturales effectus producunt suos qualitate similes causarum potius, quàm æquales quantitate. *Ficin. in Plato. Theolog. lib. 2. cap. 2.*

Causa quælibet suum inducit effectum. *idem, ibid. lib. 2. c. 3.*

Causa omnis quæ ipso esse facit, talem sequenti gradu facit effectum qualis est ipsa primò. *ibid. lib. 11. c. 4.*

Causæ cæteræ, Deo excepto, habent cum effectibus suis nonnullā proportionem, quoniam & causæ, & effectus sub vno, & eodem vniuersali rerum principio continentur. *Fic. in Diony. Areop. de trinitate.* Causæ ad rationem, & effectus pertinent, vt hæc ab illa pendeat, quóque causa magis est causa, effectus magis inde dependeant. *idem, in Diony. Areo. de diu. nomin.*

Causæ illæ potissimum effectibus præstantiores sunt, quæ non eadem specie comprehenduntur vt ignis generans cum igne genito, sed ad quoddam genus superius attinent, vt sol ad ignem se habere videtur. *Fic. in Diony. Areop. de diuinis nominib.* Causæ opera sua tanquam sui partes & imagines diligunt, opera suas causas tanquam sui conseruatrices appetunt. *idem, in Plat. conuiuium, or. 3. cap. 1.* Causas æquare nō possunt effectus. *Fic. in Plat. En. 1. lib. 8 cap. 2.*

Causa ab aliqua determinata omnia proficisci falsum est. *idem, de fato, cap. 3.* Causæ à nobis per effectus cognoscuntur, maximè primæ, & intelligibiles. *Sebast. Fox. in frag. Pla. de rep.*

Causa prima secunda, prior, posterior, remota, potens, excellens.

Causæ secundæ sunt, quæ ex alijs dum mouentur, alia necessariò mouent. *Plat. in Timæo.* Causa vniuersalis primaria plus est influens supra causatum suum, quàm causa vniuersalis secunda. *Arist. de causis cap. 1. propo. 1.*

Causa vniuersalis secunda cum remouet virtutem suam à causa vniuersali prima non aufert virtutem suam ab ea, quia causa vniuersalis prima agit in causatum causæ secundæ antequam agat in ipsam causam vniuersalis secunda, quæ sequitur ipsum: cùm ergo agit causa secunda quæ sequitur causatum, non excluditur ipsius actio à causa prima, quæ est super eam, & cùm separatur causa secunda à causato, quæ sequitur ipsam non separatur ab ea prima causa quæ est supra ipsam quando est causa ei. *Aristoteles de causis, capit. 3. prop. 1.*

Causa prima superior est omni narratione, & non deficiunt linguæ à narratione eius nisi propter narrationem esse ipsius, quia ipsa est super omnem causam, & non narratur nisi per causas secundas illuminatas à lumine causæ primæ. *Arist. de causis, cap. 3 propo. 6.* Causa prima non est intelligentia, nec anima, nec natura, imò est supra intelligentiam, animam, & naturam, quia est creans omnes res; veruntamen causans intelligentiam absque medio, & causans animam, & naturam, & reliquas res mediante intelligentiā *idem, ibid. prop. 9.*

Causa prima regit res creatas omnes, propter quod commiscetur cum eis, quia regimen non debilitat vnitatem eius exaltatam supra omne esse, nec destruit eam, nec prohibet eam essentia vnitatis eius seiuncta à rebus; quia regat eas, quia causa prima fixa cum vnitate sua pura, semper regit res creatas omnes, & influit super eas virtutem vitæ, & bonitates secundùm modum virtutis earum receptibilium, & possibilitatem earum. *Arist. de causis, cap. 3 proposit. 20.*

Causa prima est supra omne nomen quod nominatur, quia non pertinet ad eam diminuere. *Arist. de causis, cap. 3. prop. 2.* Causa prima existit in omnibus rebus propter vnam dispositionem, at res omnes non sunt in causa prima secundum vnam dispositionem, quia omnia recipiunt eam secundum suæ potentiæ modum, quia alia recipiunt eam receptione vnitā, alia multiplicatā, alia æternā, alia temporali, alia spirituali, alia corporali, quæ diuersitas non est à causa, sed à recipiente. *idem, ibid. prop. 24.*

Causam circa bonam qui versatur ritè, potest & multis & paucis verbis & nullis vti, quippe cùm penes eam & verbum, & intelligentia cesset, quadam enim ratione super essentiam eminet, & solis illis sublato velamine reuera fulget, qui omnia non solum impura, sed pura transilierunt, & omnem omnium sanctorum culminum ascensum iam trascenderūt, & cuncta diuina lumina, & sonos, sermonésque cœlestes deseruerunt, atque iam prorsus caliginem subiere, vbi ille reuere est, vt sacra tradunt eloquia, qui omnibus est excelsior. *Dion. Areop. de trinitate.*

Causa omnium omnia supereminens nec essentiā, nec vitā, nec ratione, nec mente capta est. nec corpus, nec figuram, vel speciem, nec qualitatem, nec quantitatem, vel molem habet, nec est in loco, nec cernitur, nec sensibilem motum habet, nec sentit, nec est sensibilis, nec perturbationi ordinis experti obnoxia est, à passionibus, vel materialibus agitata, nec est inualida insensibilibus subiecta casibus, nec luminis indiga, nec alterationem, vel corruptionem, aut diuisionem aut priuationem vllam admittit, nec aliud quicquam sensibilium aut est aut habet. *Dion. Areop. de trinitate.*

Causa prima omnium si est omni sermone, & cognitione præstātior, & intellectu vniuersaliter & essentiā superior, cùm amplectatur, complectatur, & anticipet omnia, & ipsa à nullis vsquam comprehendi possit, & sit nec sensus ipsius vllus, nec imaginatio, nec opinio, nec nomen, nec sermo, nec tactus, nec scientia, quo pacto diuina nomina tractabimus? cùm deitas sit essentiā excelsior, consequenter, nec vocabulum, nec nomen habet. *Dion. Areop. de diu. nom.* Causam omnium super omnia existentem tum nominum priuatio, tum rerum omnia nomina decent. *idem, ibid.* Causa omnium super omnia existens est omnia in omnibus, vnam ex ipsa tanquam causa, tanquam principio, tanquam fine dependent. *ibid.*

Causa ipsa omnium propter boni exuperantiam omnia amat, omnia facit, omnia perficit, continet, conuertit: amor diuinus est bonus boni, propter bonum, & cum in bono exuberaret, non permisit, ipsum sine germine in se manere, sed ad agendum mouit, per excessum omnium genitorem. *Dionys. Areopa. de diui. nomin.* Causa prima vniuersum per essentiam suam complens in omnibus quæ sunt exultans omnia in seipsa anticipat, per vnum simplicitatis excessum omnem duplicitatem respuens cuncta compellit per infinitatem suam se super omnia dilatantem, & vnicè præparatur ab omnibus, vt & vox cùm vna, & eadem sit, à multis interim tanquam vna sentitur. *idem, ibi.*

Causis propinquis cum philosophi acquiescere nolit, qui principia posuere corporea, vt atomorum eorum motu, & impulsibus, & mutuis complicationibus singula facientes; dixerunt ea ratione singula fieri qua illa principia coeunt, faciunt, & patiuntur, & nostros impetus, & affectiones talee esse, qualer illa faciunt. Alij ad vniuersi principium ascendentes ab ipso cuncta deducunt, & hanc causam non solùm mouere, sed etiam singula facere arbitrantur, quam fatum vocant, existimantes non solum cætera, sed cogitationes nostras ex ipsius motibus proficisci. Alij totius mundi circuitum omnia complectentem motuque singula facientem, atque habitibus, configurationibúsque stellarum tam errātium, quam non errantium mutuis peragentium fatum indicant, & inde fieri cuncta arbitrantur. *Plot. Enn. 3. lib. 1. cap. 5.*

Causæ vniuersales à particularibus effectibus non mouentur. *Iambl. de mysteri.* Causæ operum dei sunt tempore antiquiores; nam ita per æuum sunt, vt Deus per æuum est. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Causa primaria omnis in vnaquaque serie vniuersa seriei suam communicat proprietatē, & quod est illa primò hoc est ipsa series per participationem. *Procl. elem. Theol. prop. 97.* Causa omnis separata vbique est simul, & nullibi. *idem, ibid. prop. 98.*

Causa omnis anagogica in dijs, & à purgatiua differt, & à conuenientibus generibus. *Proclus elem. Theologi. prop. 158.*

Causa prima omnis omnibus essendi est largitrix & essentias omniū constituit: omne enim opifex formationes compositorum præcedit & ordinem, & eorum secundùm numerum diuisionem, & est eiusdem cum paterno ordinis in particularioribus generibus *idem, ibid. prop. 159.* Causis meliores euadere nefas est. *idem, in Alcib. 1.*

Causa prima in quouis effectu vehementiùs agit quàm reliquæ causæ, quia vestigium quod ab ea imprimitur, scilicet esse, & prius imprimitur, & posteriùs deletur quàm reliquarum vestigia causarum quasi fortius imprimatur: deinde quòd cæteræ causæ super vestigium primæ causæ sua firmant vestigia, quæ sicut omnia sua opera necessariò in opere causæ primæ fundant, sic virtutes, & actiones suas in illius virtute, & actione stabiliunt. *Fic. in Plat. Theol. lib. 2. cap. 7.*

Causa prima omnia per se ad finem optimum per vias rectissimas modo congruentissimo dirigit; hoc facere nequit, nisi per intellectum anticipet finem, discernat causas, metiatur proportionem quæ inter vias est, & finem, & per voluntatem rursus finem approbet, & viam talem præ cæteris eligat. *Fic. in Plat. Theo. lib. 2. cap. 11.* Causa prima varios effectus suos per multiplicem sapientiæ ordinem operatur, potius quàm per nudæ, & simplicis naturæ necessitatem, & volente Deo non operari eam externos effectus per meram intelligentiam, nisi accedat voluntatis assensus *idem, ibid. 12.*

Causa quo potentior est & ad agendum promptior eo propensior est ad dandum. *Fic. de vita cælitus comparanda, lib. 3. cap. 2.* Causa remota quamuis necessaria non producit effectum necessariò, nisi insuper causa media sit necessaria. *item, in Plat. Theo. lib. 9. cap. 4.* Causam propriam cùm quæuis res attingit, quiescit *idem, in Plat. Theo. lib. 10. cap. 6.*

Causa prima voluntatis suæ benignitate omnibus prouidet, quia maximè sua sunt omnia, & cùm sit maximè causa tam in conseruando, & perficiendo quàm in efficiendo, præcipuè ad summum bonum summe pertinet prouidentia. quæ nihil est aliud quàm diffusio, & conseruatio boni. *idem epist. lib. 2.*

Causæ

Causa vt excellēs sit duo præcipuè pertinere videntur: primū vt quò præstantior causa sit, ea sit à subditorum conditionibus segregatior, secundum, vt pro excellentiæ suæ gradibus vires suas, & actiones longius, latiúsque diffundat. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nominib.* Causa prima non solùm est efficiens, sed finalis conseruans, motum perficiens, & reficiens, & ob immensam potestatem adeò tota totum occupat, vt vbique sit omnibus præsentissima. *idem, ibid.*

Causa superior cùm melior vbique sit effectu, certè causa prima ita bona est, vt sua bonitate sit substantia sua, ipsáque simpliciter bonitas. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nom.* Causa nulla excellens & vniuersalis vel eadem est cum effectibus, vel cognata. *idem, Fic. in Plat. par. cap. 54.* Causa quanto altior est, tanto remotior est à proprijs effectuum suorum conditionibus, ideò altissima omnium causarum, quæ est ipsum vnum ab omnibus eorum omnium proprietatibus est penitus segregata. *ibidem. cap. 67.*

Causa quo vniuersalior est, eò superior, & perfectior: & vicissim, effectus contra quo communior, eo vilior. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.* Causa principalis singulorum in ea intelligentia sita est quæ boni rationem habens singula futuræ commoditatis gratiâ fabricat. *idem, in Plat. Timæo. cap. 41.* Causam quia Plato refert ad mentem, ideò in Timæo disputant Platonici intellectum ipsius boni filium mundi architectum proximum fuisse. *idem, in Plat. episto. 6.*

Causa prima omnium est ipsum bonum, illud vnum à quo pendet vnitas omnis, ideò bonum. secunda causa est mens prima, ad quam spectat ordo formalis: tertia est anima prima, qua omnis vbique vitalis motio redditur. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 9. cap. 1.* Causas occultiores & superiores indagare compellit ingeniorum, morum, fortunarúmque diuersitas, quæ ex causis nobis notis esse tanta non potest. *idem, in Plot. En. 3. lib. 1. cap. 1.* Causæ sequentis natura non solùm est superiori similis, quatenus habet inde, sed etiam dissimilis, quatenus extra processit, nec solùm inde degenerauit, sed insuper aliud quiddam, & qualitate quadam propriâ differens iam euasit. *ibidem, de fato. cap. 1.*

Causæ superiores vniuersales quamuis vim habeant in effectibus amplam, intimam, diuturnam, mediæ tamen causæ potissimúmque propinquæ ad proprias euentuum qualitates quàm plurimum, & ferè totum possunt, quo fit vt effectus eis quàm simillimi euadat. *Fic. de fato. cap. 2.* Causæ sub luna sortiuntur vires à vita mundi non solùm per cœlestia, sed etiā proximè per vegetalem animæ vim vbique vigentem, vt & animalis vita multa dat pedibus manibúsque membra præcipua, & multa per seipsam, & quæ dat per membra præcipua etiam transformantur in illis. *idem, ibid.*

Causæ primæ prouidentia statuit distinctionem ac dispositionē rerum, non sequentium gradus duntaxat causarum. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 1.* Causa simpliciter naturalis cùm per vnam agat formam determinatur ad vnū, multas verò causas cohibere in vnum potest solum causæ cognitionis munere fungens, quæ multas in se concipiens formas, meritò & rerum multiformium est principium & differentes causas in vnam euentus alios inopinatos formam mirifice congregat. *idem, in Plot. En. 3. lib. 3. cap. 2.*

Causa omnium quod est super omnia per nullum ex omnium numero definitur, sed per claritatē ipsam simpliciter per se ipse existentem. *Fic. in Plo. En. 5. lib. 3. cap. 13.* Causa quo præstantior est, eò plura facit: prima ergo efficit omnia. *idem, ibi.* Causa per se existens prior est eâ quæ est per accidens. *idem, in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 1.*

Causæ superiores non inclinant nos ad furta, quia qui peccat non facit, qui inuitat ad peccandum ad deficiendum inuitat, quod non conuenit superioribus causis, efficientibus semper deficientibus nunquam. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib. 4. cap. 9.* Causa potens non serò incipit, sed citò, & serò desinit. *idem, in Ast. lib. 5. cap. 6.* Causæ intercedentes inter Deum, & homines, vt inferiores esse debent Deo, ita sublimiores hominibus esse debent, & ideò per cœlos nō debent disponi, cùm hominibus sint ignobiliores & inferiores. *Io. Fr. Pic. Mir. de præn. lib. 5. cap. 8.* Causæ vniuersalis operatio propterea motus non dicitur, sed emanatio simplex, cùm quicquam non ex subiecta re aliqua, sed ex nihilo creatur. *idem, in exa. doc. van. gen. lib. 6. cap. 9.*

Causam primam efficientem externam rerum opificem omnium Deum Plato putat, Aristoteles Naturæ genita ea tantùm pro efficientibus in principijs physici. retinet, quæ in ipsis rebus sunt, & in ijs alterius naturæ, id est formæ rationem obtinent. *Iac. Car. in Alexa. pra.*

Cautio est declinatio mali, diligentiæ custodiendi. *Speu. in Plat. defini.* Cautio est declinatio à malo cum ratione, quæ metui opponitur. *Fran. Patri. de reg. lib. 5. cap. 1.* Cautio est vis animi, qua à malo declinamus cum ratione. *idem, de regno. lib. 6. cap. 18.*

Celebritas est tempus secundùm leges sacrum. *Speusippus in Plat. definit.*

Charitas est integra animi declaratio, ciuilis scientia honestorúmque, & vtilium scientia, iustitiam inducens in rempublicam. *Speusip. in Plat. defini.*

Cibus esse debet duplus ad potum, panis duplus & sesquialter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, herbas, & fructus humidiores; ne incipiat à potu mensa, nec potus sit semel vberior semper stipticum aliquid absque potu, vel modico sequatur mensam. vbi complexio, ætas, tempus ad calidum, siccúmue labitur, tu quoque ad opposita declinato: vbi ad frigidum, & humidum tu quoque ad opposita vergito: vbi temperies, seruato temperiem. Mensæ sint in nouem diei horis duæ, vtrobique parcæ parcior cœna. Exercitationes corporis duæ ferme post digestionem primam, ad sudorem quasi productæ. Somnus nocturnus semper necessarius & bonus diurnus nunquam bonus. *Fic. de vita produ. lib. 2. cap. 6.* Cibi concoctio præ cæteris vbique curanda, nil enim prodest salubribus vti nisi rectè concoquas. *ibid. cap. 4.*

Circulus.

Circulus lacteus est porta Solis, quia in vtraque obuiante solstitio alterius Solis inhibetur accessio, & fit ei regressus ad zonæ viam, cuius terminos nunquā relinquit: per has portas animæ de cœlo in terram, & de terra in cœlum remeare dicentur, hominum Cancer, Capricornus deorum. *Macrob. in som. Scipio. lib. 1.* Circulus lacteus est vnus è circulis qui ambit cœlum, qui solus subiectus est oculis, cæteris magis cogitatione, quàm visu comprehendendus. *idem, ibidem.*

Circulum lacteum Diodorus dixit esse ignem densatæ, & concretæ naturæ in vnam curui limitis semitam, discretione mundanæ fabricæ coaceruante concretum, & ideò visum intuentis admittere, reliquo igne cœlesti lucem suam nimiâ subtilitate diffusam non subijciente conspectui. Democritus innumeras stellas, breuésque omnes, quæ spisso tractu in vnum coactæ spatijs, quæ angustissima interiacent, opertis, vicinæ sibi vndique, & ideò passim diffusæ lucis aspergine continuum iunxit luminis corpus ostendunt. Posidonius ait lacteum caloris esse siderei infusionem, quam ideò aduersa Zodiaco curuitas obliquauit vt quoniam Sol nunquam Zodiaci excedendo terminos expertem feruoris sui partē cœli reliquam deseriberet, hic circulus à via Solis in obliquū recedens vniuersitatem flexu calido temperaret. *Macrobius in som. Scipio. lib. 1.*

Circulus cuncta nobis exornauit ad vltimas vsque participationes, & nihil reliquit suæ participationes expers: & Dij illi similitudinem, & formationem, & perfectionem suppeditarunt. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 11.* Circulus prima figurarum, & prima rectilinearum triangulus est. *idem, ibid.*

Celeriter quæ fiunt, pulchra sunt; quæ lentè & tardè, & cum difficultate, turpia. *Plat. in Char.* Celeritas est facultas multa in breui tempore peragens. *idem, in Lacheta.*

Cœnabant antiqui ijsdem lectis, quibus dormiebant. *Plato in Symposio.*

Census quatuor constituendi sunt, ita vt quēadmodum aliquis fiat pauper in minorem censum reducatur, & è contra. *Plat. de leg. dial. 5.* Census legislator præscribere debet ad quosdam terminos: sit ergo terminus paupertatis sortis oblatæ census, quem manere oportet, & quem nullus vnquam magistratus vlli imminui patietur, nec alius quisquam virtutis studiosus: at verò qui mensuram horum statuit, legislator duplum huius acquirere permittet, & triplum, vsque ad quadruplum: si verò plura his quis habet, quæ aut reperit, aut aliunde donata accepit, aut lucratus est, aut aliā quadā huiusmodi fortunā adeptus, ea quæ supersunt ciuitati, & alijs ciuitatis præsidibus distribuerit in bona existimatione, & indemnis sit: si verò quis huic legi non paruerit, eum quidem quicunque voluerit deferet, & ob id dimidiam consequatur partem. Reus autem alteram itidem partem de sua possessione persoluet, & hæc ex dimidio deorum erit. *idem, ibidem.*

Centenarius numerus celebratur in 10 de republica, quia fit ex denario quasi vniuerso numero in seipsum ducto, ex quo centenario in seipsum ducto procreatur quadratus numerus æquilaterus decem millia celebratus in Phædro. *Fic. in Plat. de rep. dial. 8. cap. 14.*

Centrum.

Centrum pilæ dicunt deorsum & medium, idem enim sunt supra verò, quod est vsque ad circumferentiam. *Timæ. Locrus de anima mundi, & natura.* Centrum nil aliud est, quam punctum, quo sphæræ aut orbis medium certissimā obseruatione distinguitur. *Macrob. in som. Scipio. lib. 1.* Centrum tres

habet locos, aut intra figuram, vt in circulo; aut in ambitu, vt in semicirculo; aut extra vt in quibusdam conicis lineis. *Proclus in Euclid. lib. 2. cap. 11.*

Centrum Pythagorici Iouis carcerem appellant, quoniã cùm opificum custodiam Iupiter in fine mundi posuisset, in medio ipsam firmiter collocauit. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 11.* Centri natura est, vt licet indiuiduum vnum sit immobile, in omnibus tamen lineis, ab ipso ad circunferentiam progredientibus diuiduis, & mobilibus vbique reperitur, vbique enim est in linea punctum. *Fic. in Plat. conuiu. or. 2. cap. 3.* Centri natura grauia trahit, & ea sistit. *idem, in Plat. Eo. 6. lib. 7. cap. 25.*

Cerebrum.

Cerebrum exhibet sensus videndi, audiendi, & olfaciendi. *Pla. in phædon.* Cerebrum rotundum fecit Deus ex medulla, quæ semen diuinum in se habitura esset, vt quæ mortalem omnem continere debebat, & rotundis & oblongis figuris distinxit, & totam medullam cognominauit, & ex his veluti anchoris totius animæ vincula iecit, & circa ipsa corpus nostrum ebsoluit, vbi primum osseum tegmen circa totam ipsam compegisset. *idem, in Timæo.*

Cerebrum, ac cor ne comederent mandauit discipulis suis Pythagoras: id est nec cerebrum vanis cogitationibus consumerent, nec cor immoderatis curis vrerent. *Mar. Fic. epist. lib. 4.* Cerebrum frigidum est & humidum. *idem, in Plat. de republica dial. 8 cap. 10.* Cerebrum frigidum & humidum est. *Gabriel. Buratellus de ideis, lib. 2.* Cerebri portio est spinæ medulla, ex Platone & Galeno. *Iac. Carp. in Alcin. digressione 6.*

Ceremoniæ reuera diuinitus institutæ non passione aguntur vllâ, sed admiratione potius, & veneratione, & constanti prorsus intelligentiâ, & gaudio persimili. *Iambl. de mysterijs.*

Ceres Δημήτηρ appellata esse videtur, à cibi exhibitione veluti διδοῦσα ὡς μήτηρ vt mater suppeditans. *Plat. in Cratylo.* Ceres dea habita est, quæ frumentum glande vescentibus dedit, & pinsera, molere, & pultem panémque facere docuit. *Francis. Patric. de regno, lib. 1. cap. 9.*

Certatori nudo præmia non constituemus. *Plat. de leg. dial. 8.*

Certiora sunt, quæ cernimus, quàm quæ audimus. *Francis. Patricius de regno, lib. 6. cap. 2.* Certitudo qua ratione certitudo est non est intelligentiæ finis, sed quando certè suum bonum percipit, non quiddam vt dicitur maximè ens, sed maximè conferaneum atque delectabile. *Fic. in Parmenid. cap. 49.*

Cerui delectantur virginibus, fugiunt secundo vento, vt vestigia eum ipsis abrant, simplices sic aduitantur vilio venereo, & omnia quasi pro miraculo, acerrimo præstant auditu, cùm auriculas erigunt, quum remittunt sunt obtusi, & quasi surdi; vita eorum longa est vsque ad centesimum annum. *Franc. Patr. de regno, lib. 3. cap. 6.*

Cetæ sonum timpanorum formidant. *Ioan. Franc. Mirand. in exam. van. doct. gentium lib. 2. cap. 22.*

Chalcedonij vis maxima erat in monodis affectibus. *Plato in phædro.*

Chaldæi aiunt si cum autumno vir conseratur diatessaron habere, si cum bruma diapente, si cum æstate diapason. *Plutar. de animæ genitura è Timæo.*

Chaos.

Chaos asserit Hesiodus primò extitisse, & post duos hos genitos fuisse, Terram & Amorem. *Plat. in Sympo sio.*

Chaos fuit ante vniuersi constructionem, & elementa alium locum habuerunt, & omnia sine ratione, ac modo se habuerunt; quum verò vniuersum construi deberet, ignem primum, terram, aerem, & aquam, quæ quidem vestigia quædam ipsorum haberent, ita tamen affecta essent, velut verisimile est se habere quiduis, à quo Deus abest, sic tunc è natura disposite primum speciebus, & numeris efformauit; quod verò quatenus fieri potuit quàm pulcherrime, & optima, ex non ita se habentibus Deus ipsa composuerit hoc nobis velut perpetuum de omnibus dictum extet. *Platon. in Timæo.*

Chaos prius erat ab initio, & confusio, & nullo ordine posita erant, cùm Deus in vnoquoque proportiones induxit tot, & eatenus, quatenus fieri posset, vt proportionem haberent, & singula tum ad se ipsa, tum inter se vicissim competerent. *Plat. in Timæo.* Chaos malignã animam vocabant veteres. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Chaos Orpheus in argonauticis posuit ante mundum, & ante saturnium, & alios Deos, & in ipsius chaos sinu amorem collocauit. *Fic. in Plat. conuiuio, or. 1. cap. 2.* Chaos Platonici informem mundum vocant, & mundum formatum Chaos. *idem, ibid. cap. 3.*

Chaos triplex principio Deus mentis illius creat substantiam, quam etiam essentiam nominamus; hæc in primo illo creationis momento informis est, & obscura: quoniam à Deo nata est, ad Deum sui principium ingenito quodam appetitu conuertitur, conuersa in Deum ipsius radio illustratur; radij illius fulgore ille suus appetitus accenditur, accensus appetitus Deo totus inhæret, inhærendo formatur: nam Deus, qui potest omnia, in mente sibi inhærente creandarũ rerum naturas effingit, & in eo omnia, quæ in corporibus istis sentimus, quodam modo spirituali, vt ita loquar, pinguntur, quæ omnes rerum inferiorum ideæ vocantur. *Fic. in Plat. conuiu. or. 1. cap. 3.*

Chaos vocamus essentiam mentis informem, primam in Deũ ipsius conuersionem amoris ortum, radij infusionem, amoris pabulum, incendium sequens, amoris accensus incrementum: appropinquationem amoris, impetum: formationem amoris perfectionem, formarum omnium, idearũmq; cõplexionem mundum latinè, græcè κόσμον id est ornamentũ vocamus: huius ornamenti gratia pulchritudo est, ad quam ille amor statim natus trahit mentem, atque perducit mentem deformem ante, ad mentem eandem & formosam: ideo amoris conditio est, vt ad pulchritudinem rapiat, & deformem formoso coniungat. *Fic. in Pla. conui. or. 1 cap. 3.*

Charitas vera non quæ sua sunt quærit, sed quæ alterius. *Fic. in epist. lib. 4.*

Carthaginenses sacrificant homines quasi pium sit, & legitimum, & quidam eorum filios Saturno. *Plat. in Minor.*

Chimæram non ob aliam causam, nec esse, nec fore credimus, nisi quia bona illa, quæ in eius compositionem ingrediuntur, ingredi non est credibile. *Ioann. Pic. Mirand. in responsione 1.*

Cholerici ob ignei humoris impetum in amorem præcipites perferuntur, melancholici tardius amant, sed si amant, diutissimè perseuerant. *Fic. in Plat. conuiu. or. 6. cap. 9.*

Chorus a chere, id est gaudio appellatus est. *Pla. de legibus dialogo 2.* Chori in ciuitate tres sunt: primus puerorum, secundus eorum qui ad trigesimum vsque annum peruenerunt, tertius eorum qui trigesimum annum transgressi sunt, & ad sexagesimum vsque peruenerunt. *idem, ibid.* Choreæ partes duæ, vna pars erant rythmi & harmoniæ secundum vocem, altera secundum corporis motum: rythmum quidem communem cum motu habebat, gestum verò proprium: atque quæ de voce ad animam vsque ad virtutis eruditionem pertinet, musica nominatur: quæ ad corpus pertinet, quam ludentium saltationem diximus, si vsque ad corporis virtutem talis motus fiat, artificiosum ipsius ad hoc ductum, gymnasticam nominauimus. *idem, ibid.*

Christiana, & Mosaica religio tanquam spiritalis penitus, & diuina, neque a cœlestibus, neque per cœlestia corpora effici vllo pacto potuit. *Fic. epist. lib. 7.*

CHRISTI vita virtutis totius idea est. *Fic. in Plat. phædonem.* Christiani omnes apti sunt ad diuina implenda præcepta, sed non omnes apti sunt ad humanam philosophiam capessendam. *Ioan. Fran. Pic. Mirandu. de studio philosophiæ lib. 1. c. 3.* CHRISTVM qui non sequuntur, non solum primâ sed secunda, id est naturali fœlicitate priuentur, quia gratiam nolle non nisi corruptæ est, & labefactatæ naturæ. *id. m. in Heptaplum, lib. 7. in proœmio.* CHRISTVM per charitatem portare debemus in mente. *idem, in Ora. dominicam.*

Cibus est siccum corporis alimentum. *Plat. in Hipparcho.* Cibum putant Hippocrates per calorem concoqui. Erasistratus verò in ventre contritum, sed atteri cibum voluit, quod & placuit plerisque sectatorum, Philon putrescere cibum censuit, Asclepiades crudam materiam, vt sumpta est, in corpus omne deduci voluit. *Ioan. Francis. Pic. Mirand. in exa. van. Doctr. gentium. lib. 1 cap. 16.* Cibus modicus contemplãtibus diu sufficere solet. *Leo Hebr. de amore dialogo 3.*

Cicadas fertur homines fuisse antequam musæ essent. at natis musis, & cantilena in lucem producta ita quosdam illius æui homines præ cantus voluptate consternatos esse, vt canẽtes & cibos & potus neglexerint, & se mori non animaduerterint, ex quibus postea genus cicadum natum est, quod à musis hoc munus accepit, vt nullo alimento opus habeat statim cum natum est, sed sine cibo, & potu canat quousque moriatur, & ad musas denunciet, quis ex his qui hîc sunt hominibus, quémque ipsarum colat, Terpsicoræ qui in tripodiis coluerunt, Erato in amatoriis, Calliopæ & Vraniæ qui in philosophiæ studiis versantur. *Plat. in phædro.*

Cicero liberalis fuit: ex patrocinijs nullam neque stipem, neque mercedem accepit vnquam, sed omnis opera gratuita semper extitit. *Francisc. Patric. de regno lib. 7. cap. 15*

Cicero inconstans fuit, cùm nunc Deum vnum, nunc deos, ac naturam facit inuentricem eorundem rerum. *Steuch. de peren. philoso. lib. 8. cap. 7.*

Ciceroni in loquendo nemo similis erit, qui in intelligẽdo ei

non fuerit quoque similis. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de inventione.* Cicero Marci Ciceronis filius, bitot congios vini vna cœna sumebat. *Fr. Patri. de reg. lib. 6. cap. 26.*

Cygni sacri sont Apollini, & ante mortem dulcissimè canunt. *Plat. in phæd.*

Circulus.

Circularis cùm sit motus vniuersi, eâ naturâ præditus est, vt ad seipsum coeat, & omnia constringat, & vacuum locum nullum reliquum esse sinat. quapropter ignis in omnia maximè penetrat, aer autem secundo loco, prout tenuitate à natura secundus est, reliqua hoc modo: quæ enim ex maximis partibus facta sunt maximam vacuitatem in constitutione relinquunt; minima, quæ minimam atque enim ictionis coitus parua in magnorum vacua distribuit. *Plat. in Timæo.*

Circulo quæ mouentur secundùm naturam, simplicia sunt. *Procl. elem. phy. propos. 1.* Circulo quæ mouentur secundùm naturam, neque grauitatem neque leuitatem habent. *idem, ibid.* Circulo moueri dicitur id quod ab eodem in idem fertur continuè. *ibid.* Circulo, quæ mouentur secundùm naturam neque iis quæ recta mouentur, neque iis, quæ ex his constant, eadem sunt. *ibid.*

Circulo quæ secundùm naturam mouentur, nec generationẽ nec corruptionẽ suscipiunt. *Procl. phy. prop. 5.* Circulo quod mouetur terminatum est. *idem, ibid. prop. 6.* Circularẽ motum primum quod mouet, impartibile est. *ibid. prop. 21.* Circulos appellat Plato substantias ipsas mundanarum sphærarum, præcipuè verò cœlestium. *Fic. in Plat. de rep. dial. 8. cap. 3.* Circuli principium est vnitas, in se ipsam enim vnitas conuertitur. *idem ibid. cap. 6.*

Circuli proprium est vt in ipso indiuisibile centrum maneat, dum circunferentia vertitur, & in figura, motúque seruatur æqualitas, in mente similiter simplex, fixúsque ad ipsum verum directus manet intuitus, dum causæ in effectus permedia explicantur, vicissimque effectus similiter replicantur in causas, rediique interim animaduersio mentis in seipsam considerandam, & simile, & æquale eadem intelligendo, volendo agendo, intentione, regulâ progressione procedit. *Ficin. Plat. de leg. dial. 10.*

Circularis figura figurarum omnium pulcherrima. *Leo Heb. de Amore. dial. 3.* Circulus rerum omnium à Deo incipiens, & per cunctas essentias proficiscens in Deum tandem reuertitur. *idem, ibid.*

Circuncisio ob quatuor causas instituta, vt euitetur carbunculus qui vrat inflammationé, facilius enim præputiatis innascitur, altera vt totũ corpus sit purius, sub præputio enim sordes esse possunt tertia quòd hæc particula circuncisa quandam similitudinem habet cum corde, ambæ generationi seruiunt. quarta, causa fœcunditatis, & numerosæ sobolis, nam per sinus præputij non exit semen rectè. *Philo de circum.* Circuncisio significat voluptatis excisionem, & arrogantiæ abiectionem. *idem ibid.*

Circumspectio est considerata omni ex parti animi ratio circa ea quæ agenda sunt. *Franc. Patri. de reg. lib. 6. cap. 11.*

Cyrus, & Lucius Scipio omnium suorum ciuium sciebant nomina. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 13 cap. 3.*

Ciuilis scientia.

Ciuilis scientia, & ciuilis vir, regia scientia, & regius vir in idẽ, velut vnum sunt hæc omnia. *Plat. de reg.* Ciuilis facultas merito appellatur quæ omnibus alijs in republica imperat, & legum, & vniuersorum in ciuitate curam gerit, & omnia connectit. *idem, ibid.*

Ciuilis scientiæ duo sunt officia, leges condere, & conditas exequi; prima legum positiua secunda iudiciaria nominatur, cõsiderat quoque ea, quæ ad pacem, quæ ad bellum pertinent, & in eo cum alia plurima, tum hoc præcipuè bellumne incundum sit an renuendum. *Al. cap. 32.* Ciuilis facultas est virtus contemplatiua simul, & actiua, quæ eligit & proponit bonam ciuitatem beatámque efficere, & secum maximè consentientem, eiusque proprium etiam imperare, vnde & militares omnes artes subiectas habet. *idem, cap. 33.*

Ciuilem sapientiam in Menone, & hic quodammodo negat Plato quid discatur à ciuilibus viris cum illi nec suos filios vnquam docuerint, nec à sophistis, quòd rationem boni non habeant, & rerum humanarum experti non sint: dicit restat, vt hæc aut à philosophis, & contẽplandi, & agendi approbè peritis percipiatur, aut diuina sorte contingat, illa inquam reperimus: vnde & in Menone, & Theage diuino amore fieri asserit, vt in animos ciuium temperatos Dei prouidentia boni ipsius intelligentiam, & leges ad id decentes infundat, quam nationem hic ciuilem sapientiam, in Menone propriori vocabulo vaticinium propriè quidem nominat, & ciuiles viros furentibus comparat, sæpe enim aut nunquam à malis genus hominum cessaturum, nisi aut legitimi philosophi dominentur, aut ij qui gubernant rempublicam diuinâ quadam sorte philosophentur. *Fic. in Plat. Theag.*

Ciuilis sapientia in Menone vaticinium quoddam vocatur, & ciuiles viri furentibus comparantur. *Fic. in Plat. Theag.* Ciuilis sapientiæ subiectum ciuitas est, finis, commune bonum; ministræ artes omnes: officia duo leges condere, & conditas exequi, illud per prudentiam nomotheticam, hos per iustitiam legalem, & iudicatoriam. *idem, ibid.*

Ciuilis peritia est virtus quædam ad rectam opinionem attinens, qua legitimi principes ac ciues in agendo honestis, contemplationis tamen expertes bonum publicum curant: & diuinâ sorte ciuibus datur. *Fic. in Plat. de vir.* Ciuilitas in persona priuata temperantiâ, & iustitiâ contenta est, at in publicum addenda est prudentia, in bello verò adijcitur fortitudo. *Fic. in Plat. Protag.*

Ciuilis vir ius donum est diuinum, nequis confidat se absque diuina gratia rempublicam rectè feliciterque esse gubernaturum. *Fic. in Plat. Protag.* Ciuilitas antequam cœlitus mitteretur mortales miseri nec segregati viuere poterant, quin passim lacerarentur à feris, nec iterum congregati quin à se inuicem lacerarentur, itaque salutem nobis quam cunctæ simul artes præstare non potuerunt, sola tandem iustitia præstitit. *idem, ibid.*

Ciuilitatis quatuor figuræ: prima post generis humani calamitatem in superstite quodam eius semine Dei beneficio seruata, in qua patrisfamilias imperio paruerunt, quod solâ lege naturæ constat. secunda inter familias plures vel oppidos vel vallo congregatos, vel indigentiâ mutuâ, vel metu ferarum, & tot gubernandi formæ ortæ sunt quot domicilia extiterunt, moribus, & opinionibus diuersæ, vnde ortis inter se iniurijs coacti sunt constituere inter se iudices. vnde tertia orta est ciuilis figura, à præcedente iniustitia orta & probabile est hos rectores communes leges præscripsisse: quarta est in quodam gentiũ regno, vbi plures vrbes in eandem voluntatem, & communem legem ita conueniunt, vt in vrbem vnam plures familiæ. Prima figura extra vrbem est, per singulas leges naturâ ratione, voluntate consistens secunda in vrbe, sed per singulas domiciliorum leges, indigẽtiâ quadam metúque congregata: tertia in ciuitate per leges tam communes occasione iniustitiæ iustitiam colens, quarta ex pluribus ciuitatibus per eandem voluntatem legémque simulcum congregatur. *Fic. in Plat. de leg. dial. 3.*

Ciuilem scientiam omnium mortalium primi poetæ indagauerunt. *Franc. Pat. de regno, lib. 1. cap. 2.* Ciuilium rerum tres sunt status, Regnum, Aristocratia, & Democratia. Rex si à suo instituto digreditur fit tyrannus: optimates si virtutem deserunt incidunt in paucorum potentiam: popularis status cùm ab æqualitate discedit, incidit aut in tyrannidem, aut in plebeium dominatum, quo nihil deterius esse potest. *idem, ibid. cap. 3.*

Ciuilem societatem hominum inuentam esse vtilitatis gratiâ duce naturâ non est ambigendum. *Fran. Patr. de repub. lib. 1. tit. 3.* Ciuiles societates non omnibus, sed his qui libertati student, tradi debent. *idem, ibid. præf. lib. 6.*

Ciuis quis sit.

Ciuilis homo est peritus eorum, quæ ad administrandam rempublicam pertinent. *Speusip. de Plat. definitionibus.* Ciuis appellandus est indigena loci ingenuis parentibus oriundus, vel quia magistratibus, aut legibus ciuitate donatus est. *Fr. Plat. de rep. lib. 1 cap 3.* Ciuis dicitur, qui patrem inter maiores indigenas habuerit, nam de matre non est curandum, an peregrina vel ne sit. *idem, ibid. lib 4. cap. 1.*

Ciuium studia qua esse debent.

Ciuilis viri facultas est quæ imperat arti persuadendi, & dicendi. *Plato de regno.* Ciuilis vir separatur ab arte dicendi, vt qui illi imperat. *idem, ibid.* Ciuilis viri scientiam ciuilem docere nesciunt, cum eorum filios non doceant, nihilo enim meliores in ciuili scientia reddunt, quàm coeuitaneorum. *idem, in Theage.*

Ciuium institutio ad corpora est gymnastica, ad animam musica: prius in musica instituere incipimus, deinde in gymnastica, in musica sermones sunt, quorum alij veri, alij falsi, prius instituendi sunt in falsis, in fabulis scilicet, sunt enim mendacium. *Plato de rep. dial. 2.* Ciues in ciuitate non possunt diuitias honorare, & simul iustã temperantiam possidere, sed necesse est alterum negligi. *idem, de rep. dial. 8.*

Ciuis qualis esse debet.

Ciuilis vir scientiæ præditus esse debet. *Plat. de reg.* Ciues, qui ad fortitudinem procliues sunt semper ciuitates ad bellum prouocant, & postquam cum multis inimicitias deuenerunt, patrias produnt & seruas reddunt. *idem, ibidem.*

Ciues qui insigniter temperati sunt, quietam semper vitam pa-

rati agere, per se ipsos soli res suas faciunt domi, & cũ exteris ciuitatibus sic faciunt, vt aliquo modo partem seruent, & propter hoc studium intempestiuiùs quàm oportebat pacem inient, seipsos ad bellum ineptos reddunt, & iuuenes similiter afficiunt, & sunt hi quibus insidiæ struuntur, ex quibus non multorum annorum progressus, & ipsi, & filij, & vniuersa ciuitas sæpe citra omnem aduersionem pro liberis serui fiunt. *Plat. de reg.*

Ciues fortes non debent audire ea quæ apud inferos sunt, & ideò de ijs oportet curam gerere, qui has fabulas enarrant, & ipsos rogare, vt non ita simpliciter vituperent ea quæ apud inferos sunt, sed potius laudent, vt qui neque vera dicant, neque vtilia his qui pugnaces sunt futuri. *Plat. de rep. dial 3.*

Ciues, qui seruitutem magis, quàm mortem, & omnia extrema timent, non debent audire, quæ ab Homero, & alijs poetis scripta sunt de inferis, & nomina grauia, & horrenda Cocyti, styges, inferi, & mortui, & quæcunque omnibus audientibus horrorem incutiunt. *Plat. de reb. dial. 3.* Ciues nec risus studio teneri debent, fermè enim risus effusi studium vehementem mutationem quærit, non ergo admittendum est si quis viros memorabiles risu diffluere faciat, & multò minus si Deos *idem, ibid.*

Ciuibus dicendum est inter se fratres esse veluti è terra omnes nati, sed Deus in formandis ijs qui ad imperandum idonei sunt, aurum in generatione admiscuit, quapropter honoratissimi sunt, eis qui auxilium ferre præstant, argentum, agricolis, & opificibus reliquis æs, & ferrum: proinde vt qui cognati omnes sitis plerunque similis vobis ipsis generatis, quandoque tamen ex aurea sobole generari potest argentea, & ex argentea aurea, & reliquæ omnes eodem modo ex alijs vicissim. Principibus & primum & maximè præcipit Deus, vt nullius rei ita optimi custodes sint, neque quidquam ita obseruent quàm quid in animis filiorum ipsorum ex illis immistum sit, & si filius ipsorum subferratus, aut subæratus sit, nullo modo miserebuntur, sed conuenientem naturæ honorem tribuentes ad agricolas, & opifices detrudent, è quibus agricolis, & opificibus si nascatur quis subauratus, aut argentum admistum habens, honore delato hunc euehent, nã vt tales partim inter custodes partim inter auxiliarios referant, veluti oraculo proditum sit, tunc ciuitatem interemptã iri quum ipsam æs, aut ferrum custodient. *Plat. de rep. dial 3.*

Ciues singula opera transferre oportet, ad quæ vnusquisque naturâ aptus est, quo quisque suum opus faciens, non multi, sed vnus sit, & sic ciuitas vniuersa vna erit. *Plat. de rep. dial. 4.* Ciues si probè instituti fuerint moderati sunt, omnia hæc facilè despiciunt, & alia itidem, quæ nos nunc relinquimus, vxorum adeptionem, nuptias, & liberorum procreationem, nam hæc omnia, iuxta prouerbium, maximè amicorum communia facere oportet. *idem, ibid.*

Ciues quàm maximè colligat communio voluptatum, & doloris, dum eadem accedunt, & pereunt, similiter gaudent, & tristantur. *Plat. de rep. dial 5.* Ciues qui ad discendum parati sunt, esse debent naturæ huius, scilicet constantissimi, & fortissimi, quantum fieri potest speciosissimi generosi, & moribus graues, & qui habent ea quæ commoda sunt ad huius naturæ institutionem, acrimoniam scilicet ad disciplinas, & non difficulter discere, memor, integer, laboris tolerans, & verax, temperans magnificans *idem, de rep dial 7.*

Ciues, qui ad quinquagesimum annum peruenerint, post dialecticæ studia hi qui seruati fuerint & per omnia vbique tum in operibus, tum in scientijs rem optimè gesserunt ad finem iam perducendi sunt, & cogendi, vt reclinato animæ radio ad ipsum quod omnibus lucem exhibet, respiciant, & vbi ipsum bonum conspexerint, illo exemplo vtantur, & ciuitatẽ, & per priuatos, & seipsos singulos ex parte per reliquam vitam ornent, ita vt per multam eius partem in philosophia conuersentur, vbi verò reipublicæ negotia experunt, in his administrandis se fatigent, & singuli sint principes ciuitatis gratiâ, non velut qui pulchrum quiddam, sed velut hi qui id quod necessarium est faciant; & postquam sic alios erudierint, tandẽ talibus ciuitatis custodibus pro se relictis ad beatorum insulas abeant, ibique habitent, monumenta, & sacrificia ipsis publicè fiant, si Pythia responso suo consenserit velut dæmonibus, sin minus, velut felicibus, & diuinis *Plat. de rep. dial. 7.*

Ciuilium administrationem tum aggreditur vir disciplinæ studiosus, cùm illa malè à cæteris hominibus tractari senserit, adminicula quædam quasi externa existimans militias, legationes, executionésque iudiciorum, & præcipua agendorum officia sunt leges condere, reipublicæ præscribere ordinem, disciplinam educandorum iuuenum instruere. *ibid. cap 2.* Ciuilis vir medico similis non coquo esse debet, ille enim non quæ corpori suauia parat, sed quæ vtilia ad sanitatem, hic econtra. *Phi. de Ioseph.*

Ciuis officium est. siue magistratus sit, siue priuatus, tam diligens cura publici, quàm ingens amor proprij. *Fic. epist. lib. 3.* Ciues nec pauperes, nimium, nec diuites esse debent, nam ex nimia copia, & ex inopia seditiones oriuntur. *idem, in Plat. de rep. dial 4.* Ciues ad iustitiam non tam verborum artificio, quam & exemplo, & opere sunt prouocandi. *idem, in dial. 10.*

Ciues illi eligendi sunt ad gubernandum, qui tantum cæteris prudentiâ, & temperantiâ præstant quantum viri pueris præstare solent, & si quis inter electorum numerum simili ferme interuallo cæteros antecellat, rex est constituendus. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.* Ciues reges suos dum viuunt, venerari, & illorum virtutes admirari debent, ne post obitum eos desiderent, quos viuos laude & gloriâ fraudauerint. *Frāc. Patr. de reg. lib. 9. cap. 13.* Ciuis vnusquisque mendax non sit in loquendo. *idem de rep. lib. 5. cap 5.*

Ciuis sine quis esse debet.

Ciuilis actionis finis est vt fortium & temperantium virorum mores, intexat cum ars regia vitam illorum per concordiam, & amicitiam in commune conciliauit, & texturam magnificentissimam & omnium optimam effecit, vt omnibus sit communis, atque sic tum alios omnes qui sunt in ciuitatibus seruos, & liberos degens textura hac contineat, nihil omnino omittens ea his quæ in fœlicis ciuitate fieri conueniunt dominium, & imperium obtinuerit. *Plat. de reg.* Ciuilis vir hoc maximè curare debet, vt ciues bonos optimos faciat. *idem, in Gorg.* Ciuilis hominis emptor reuera vulgus eunuchus est, & videtur genitalia habere, sed vi genitiua destituitur: in hoc vulgus & eunuchus similes sunt, quod virtutes approbant, steriles tamen sapientiæ sunt. *Phi. de Ioseph.*

Ciuis vt bonus & malus.

Ciues mali leges, vt pueri patrem fugiunt, non à persuasione, sed à violentia eruditi. *Pla. de rep. dial. 8.* Ciues qui non aduersantur opinioni quæ est secundum rationem, sapientes appellandi sunt etiam si literas nesciant, & ipsis principatus sunt velut sapientibus committendi. *idem, de leg. dial. 3.* Ciuis qui secundum rationem viuit, is maximè sibi consentit, & maxima consensio est summa sapientia. *ibid.*

Ciuibus, qui scientijs, aut opinionibus, aut rationi aduersantur, non est committendus principatus, etiamsi admodum ratiocinatione præditi sunt. *Plat. de leg. dial. 3.* Ciues fœlices & bonos facere debet legislator. *idem, ibid. dial. 5.* Ciues non debent volucribus & alijs multis bestijs peiores esse. Harum enim magni greges cœlibes & casti viuunt vsque ad sobolis productionem, vbi ad id ætatis deuenerunt, mas fœminæ & fœmina mari cum gratia coniunguntur, reliquo tempore sanctè & iustè viuunt *ibid. dial 8.*

Ciuis probatissimus libentissimè patriæ suæ suscipere debet gubernacula, sed tunc solùm id faciat, cùm necessitas postulat, interea contemplationem præferat actioni, sed rebus vrgentibus actionem circa publicum bonum ad tempus cõtemplationi propriæ anteponat. *Fic. in Plat. de rep. dial. 1.* Ciues probi, qui neque auaritiâ, neque ambitione mouentur, eo dumtaxat discrimine, metúque prouocari ad rempublicam oportere, ne ipsi deteriorum iniustæ gubernationi subijciantur. *idem, ibid.* Ciues non mali, quo libenter graue onus gubernandi subeant, inuitandi imposito quodam præmio honoris, & stipendij *ibid.*

Ciuium deterrimæ sunt actiones, quas occultas regi ipsi esse student. *Fr. Patri. de reg. lib 9. cap 12.*

Ciues voluptati & otio indulgentes à ciuium cœtu arcendi sunt vt membra alienata à medicis à corpore amputantur, ne bona inficiant. *idem, ibid. cap. 3.*

Ciues, qui fortes ac strenui in bello sunt, raro in toga, & pace quieti esse solent *ibidem.*

Ciuis præclari est optimè imperare cùm præest, & modestè parere cùm subest. *idem, de rep. lib. 1. cap. 6*

Ciuium gratia lõgè pluris facienda est quàm quæuis pecuniarum multitudo. *ibid. lib. 3. cap 9*

Ciues, vt in communione viuere debent.

Ciues in ciuitate nostra, in quo omnia communia sent, liberi erunt à multis malis: nam pauperes ab adulatione erga diuites, & à penuria, & solicitudine quas habent ex filiorum educatione, & acquisitione pecuniarum ad necessarium familiæ nutritionem, dum partim mutuantur, partim abnegant, partim omni modo acquirunt, & deponunt apud vxores, & famulos asseruandas tradentes. Et quod, & qualia circa hæc sustineat absorda, parum generosa, & relatu indigna, ab his liberabuntur, & vitam beatam viuent. *Plat. de republica, dial. 5.*

Ciues in ciuitate nostra, in qua omnia communia sunt, viuent vitam

vitam beatiorem illâ vitâ quam hi qui in olympijs victores euaserunt viuunt: ob paruam enim partem beati prædicantur illi, ex his quæ ipsis contingunt. At horum victoria pulchrior est, & alimentum ex publico perfectius. Vincunt enim victoriam vniuersæ ciuitatis salutem: & alimento, & alijs omnibus, quibus vita indiget, & ipsi, & liberi ipsorum velut coronantur: & viuentes munera ferunt à sua ipsorum ciuitate, & mortui digna in se sepulturâ consequuntur. *Plat. de rep. dial. 5.*

Ciues vt post mortem laudandi.

Ciues qui corporibus, aut animis pulchra, & industria facta perpetrarunt, & legibus obedientes fuerunt, vbi iam ad vitæ finem deuenerunt laudibus & encomijs ornari decorum est. *Plat. de leg. dial. 7.* Ciues viuos laudibus & hymnis honorari securum non est, prius quàm tota peracta quasi pulchrum finem imposuerit. *idem, ibid.*

Ciuitas quid est.

Ciuitas est habitatio multorum hominum communibus vtentium legibus: cœtus hominum ijsdem legibus subiectorum. *Speusip. ac Plat. defin.* Ciuitas est res composita ex ciuibus cooperantibus cunctis perinde ac corpus, cuius necessitas multiplex multiplex obsequium requirit, quibus ab omnibus partibus obsequium acceperit, salutem suam tueri non posset. *Max. Tyrius serm.* Ciuitatis forma ciuilitas, id est disciplina ciuilis est. *Fic. in Plat. de leg. dial. 3.*

Ciuitatum diuisiones, & earum partes.

Ciuitates aliæ à tyrannis, aliæ à populo, aliæ ab optimatibus gubernantur. *Plat. de rep. dial. 1.* Ciuitates aliæ vnaquæque præter nostram duæ sunt alia diuitum, alia pauperum, & duæ vbicunque fuerint inter se inimicæ sunt. *idem de rep. dial. 4.* Ciuitas tria genera in se habet, quæ ipsam continetur, lucri studiosum, auxiliare, & consiliatiorum, sic in animo tria sunt rationalis, concupiscens, & irascibilis, quæ irascibilis natura rationalis auxiliaria est, nisi à mala educatione fuerit corrupta. *ibidem.* Ciuitatem omnem, & omnem regionem in duodecim partes secare oportet, ita vt bonæ terræ agri parvitior, deterior sint maiores. *idem de leg. dial. 5.*

Ciuitatis species duæ, altera melior, altera deterior: melior in qua sub populari administratione reipublicæ ciues æquo iure viuunt legibus principatum obtinentibus, hæc ad laudem Dei pertinet; deterior autem adulterina, in qua penes vulgum est regimen, & inæqualitas est in precio, præsidente iniquitate, & iniustitia. *Phil. de confus. linguarum.* Ciuitatis idea in duodecim partes diuidenda est, ad imaginem regni cœlestis, cœlestis enim ciuitas in duodecim signa quasi in duodecim tribus distributa est. *Fic. in Plat. de leg. dial. 5.*

Ciuitas, vt constituitur, & se habet ad domos, & nominis causa.

Ciuitatis paruæ moles à magna domus forma quoad principatum attinet non differunt. *Plat. de reg.* Ciuitas constituitur quia quisque nostrum sibi ipsi non sufficit sed multis indiget. *idem de rep. dial. 2.* Ciuitati nomen imponimus habitationi quam constituimus, cum alius alium, atque alium ob aliam necessitatem adiungens, & multis opus habens, multos ad vnam habitationem congregat socios, & auxiliatores. *ibid.* Ciuitatẽ condit nostra necessitas, cuius maxima est alimentorum præparatio. *ibid. in.*

Ciuitas non ideò condita est, vt vna quædam gens nobis præcipuè sit fœlix, sed vt quàm maximè tota ciuitas. *Plat. de rep. dial. 4.* Ciuitatis incrementum fortuitò accipitur longitudine, & multitudine, & ætatum in ipsis mutationibus. *idem de leg. dial. 3.* Ciuitatis nomen imponere solet constructor ipsius, aut locus aliquis, aut fluuius, aut fons, aut deorum locorum cognomen. *ibid. dial. 4.* Ciuitatẽ qui constituere vult, primo Deum inuocare debet, ille & audiet, & vbi exaudierit propitius & benignus nobis veniet, vnà nobiscum gubernaturus ciuitatem, & leges. *ibidem.*

Ciuitatibus omnibus principium ac ortus est nuptiarum communitas, & societas. *Plat. de leg. dial. 4.* Ciuitatem vel nouam ædificaturus vel veterem corruptam restauraturus, de dijs, & sacris, & quæ in ciuitate singulis ædificari oportet, & de quibuscunque dijs aut dæmonibus cognominari quilquã mente præditus mouere quid tentabit ex his quæ ex Delphis, vel Dodona, sine ab Ammone accepta sunt aut quæ veteres quidam sermones persuaserunt quomodocunque persuasione facta, aut spectris oblatis, aut inspiratione deorum, nihil à legislatore mouendum, sed omnibus partibus Deus, aut dæmon, aut heros aliquis attribuendus est. *idem, ibid. dial. 5.* Ciuitatem quammaximè in media regionis condere oportet loco electo, qui etiam alia bona ciuitatis commoda habet. *ibid. in.*

Ciuitatem bonam, & non opulentam facere vult Plato non enim diuitias, nemo enim præuiues est, & virtute perfectus. *Bess. in calumniatorem Plat. lib. 4. cap. 7.* Ciuitas, sine diuina humanáque iustitia, seniorúmque consilio, ac sapientiæ diuinæ fauore non potest, vel ab initio constitui prosperé, vel constituta fœliciter gubernari. *Fic. in Plat. de rep. dial. 1.*

Ciuitatis origo est indigentia mutua materiæ, res, & artes necessariæ, forma regula victus, & legitima gubernatio. *Fic. in Plat. de rep. dial. 2.* Ciuitatem suam Plato in omnibus ita instituit non solum ciuilẽ, sed etiam religiosa admodum obseruantia, & temperantiam cum fortitudine miscet, & turpem, & dissonantem esse censet veneream voluptatem, ideò cum à legitimo amore procul segregat pulchra solum, & concona desiderante. *Fic. in Plat. de rep. dial. 3.*

Ciuitati quæ sunt necessaria, & qui custodes.

Ciuitas absque legibus placere non potest. *Plat. in Critia.* Ciuitas est maximè necessario ex quatuor, aut quinque viris, vt agricola, ædificator, textor, sutor, & alius qui curator sit earum rerum, quæ ad corpus pertinent, & vnusquisque opus suum oportet omnibus commune deponere. *idem, de Repub. dial. 2.*

Ciuitatis incolas oportet suum opus omnibus commune deponere, vt agricola, qui vnus est, cibos alijs præparare quatuor, scilicet ædificatori, textori, sutori, & corporis curatori: & quatuor plex tempus, & laborem in præparando cibo insumere, & alijs communicare, aut illis neglectis sibi ipsi soli quartam partẽ huius cibi in quarta temporis parte, parare, ex reliquis autem tribus partibus vnam in domus structuram consumere, alteram in pallij, tertiam in calceamentorum apparatu, & non alijs communicare, & molestias habere, sed seipsum per seipsum suas res curare: sed hoc modo non, nam vnusquisque melius vnã artem facit quàm multas. *Plat. de rep. dial. 2.*

Ciuitas cùm indigeat rebus, quæ ab alijs ciuitatibus ad illam adduci debent, ideò indiget mercatoribus. *Plat. de rep. dial. 2.* Ciuitas, si mercatura fit per mare, indiget multis operarum marinarum peritis. *idem, ibid.* Ciuitas etsi maximè necessario indiget quatuor, vel quinque, tamen pluribus indiget, qui præparent supradictis ea quibus opus habent, vt agricola non sibi ipsi faciet aratrum, nec alia instrumenta ad agriculturam pertinentia, nec ædificator: sic & textor, & sutor, fabri lignarij ferrarij, & alij. *ibid.* Ciuitas indiget mercenarijs, qui mentis societate minime non possunt, verum corporis robur ad laborem præstans habent, qui sanè vendentes laboris vsum precium hoc mercedem vocantes mercenarij appellati sunt. *ibid.*

Ciuitas si necessarijs rerum constat non indiget lectis, mensis, vasis, instrumentis, oblonijs, vnguentis, meretricibus, pictura, varietate, auro, venatoribus, imitatoribus, qui circa figuras & colores, & circa musicam, & poetis, & horum ministris rhapsodis, ac recitatoribus, histrionibus, tripudiatoribus, operarum conductoribus, instrumentorum omnis generis opificibus tum aliorum, tum eorum, quæ ad mundum muliebrem pertinent, pædagogis nutricibus, altricibus, compticibus, tonsoribus, obsoniorum structoribus, & coquis, & fabulis, pecoribus quoque si quis ipsis vescitur, & Medicis. *Plat. de rep. dial. 2.*

Ciuitas si ex parua fit maior, nonne, de vicinorum regione nobis aliquid rescindendum erit, si ad pascendum, & arandum satis amplam habere voluerimus? & illi rursus de nostra, si & illi ad infinitam opum acquisitionem seipsos contulerint necessariarum rerum termino transgressio, qui belli initium est? *Plat. de rep. dial. 2.* Ciuitatis artifices militiæ curam habere non debent, cum fieri non possit, vt vnus multas artes rectè exerceat. *idem, ibidem.* Ciuitatum institutores prius curam habere debent fabulatorum, ne pueri audiant, & animis concipiant opiniones contrarias illis quas habere ipsos oportere putamus, postquàm ad perfectam ætatem deuenerint. *ibid.*

Ciuitatis custodes admodum diligentes opifices libertatis esse debent & nihil facere nec imitari debent, quod non ad hoc tendat: si verò imitantur imitari ea quæ his cognata sunt statim à pueris fortes, pios, temperantes, liberos, & huiuscemodi omnia illiberalia ac turpia nec facere, nec imitari, vt ne ex imitatione consequantur vt sint. *Plat. de rep. dial. 3.* Ciuitatis custodes optimi esse debent, & peritissimi ad custodiendam ciuitatem, & prudentes, & potentes, & ciuitatis curatores. *idem, ibid.* Ciuitatis custodes opes proprias nullas habere debent, nisi summa necessitas expetat. *ibidem.*

Ciuitatis custodibus habitatio communis esse debet, & in qua omnibus semper pateat aditus: ipsis necessario à ciuibus dentur, vt per annum nihil supersit, & nihil desit. *Plat. de rep. dial. 3.*

Ciuitatis custodes, & legum, si non sint boni, sed corrupti, omẽ

nem funditus ciuitatem perdunt: sed si tutores sint corrupti, & simulent se esse quod non sunt, nihil est graue ciuitati. *idem, ibid. dial. 4.*

Ciuitatis custodes tantam magnitudine ciuitatem esse decernant, quantam augescens vna sit, & non vltra. *ibid.* Ciuitatis custodes obseruent ne ciuitas magna sit nec parua, sed iusta quædam & vna. *ibid.*

Ciuitatis custodes hoc in summa obseruare debent vt ne clam ipsis ciues corrumpantur, sed per omnia ipsos custodiant, vt ne quid circa gymnasticam, & musicam præter ordinem moueant, sed quantum fieri potest maxime custodiant. *Plato de rep. dial. 4.* Ciuitatis custodes in ciuitate nouam Musices speciem inducere non sinant, verendum enim est velut quis in toto periculum subeat. *idem, ibid.*

Ciuitatis legislator habere curam debet de templorum constructione, sacrificiis, & deorum, & dæmonum, ac heroum cultu; & mortuorum sepulchris, & quæ est nostro ministerio his qui illic sunt præstita, propitios ipsos nobis faciant: talia enim neque nos scimus, & habitantes ciuitatem nulli alij credemus si mente præditi fuerimus, neque expositore alio, quàm patrio vtemur: hic enim Deus patrius omnibus hominibus expositor, talia in medio terræ in vmbilico considens exponit. *Plat. de republica, dial. 4.*

Ciuitatis custodes ideò musica, & gymnastica instituebamus, vt à nobis quàm optimè persuasi, atque etiam informati huius persuasionis comprobationem, & certitudinem pertracti, edicta, statuta, latas, sancitásque leges à viris magni authoramenti & absolutissimæ iustitiæ susciperent, tanquam ideas boni, rectique, postea sic leges, vt tincturam susciperēt, quo prorsus imbuta eorum opinio euaderet, tum de horrendis, tum de aliis, eo quod & naturam, & educationem idoneam habuissent, & tincturam ipsorum non eluerent repurgantia hæc quæ vehementer eluere possunt, voluptas quæ ad hoc faciendum omni chalastræo, nitro, & lixiuio vehementior est, afflictio verò, siue dolor, & timor, & cupiditas, quæ quod vis aliud repurgandi vi prædictum exuperant, & talem vim, & conseruationem perpetuo opinionis rectæ, & legitimæ de horrendis, & contra ego voco, & pono fortitudinem. *Plat. de re, dial. 4.*

Ciuitatis nostræ, quod in aliis ciuitatibus sunt principes, sunt seruatores & auxiliarij, quod populus, hic mercedis datores, & nutritores, in aliis principes dicunt populum esse seruos, & principes vicissim alter alterum socios, hic custodiæ socios in aliis princeps potest appellare alium cognatum, alium alienum, hic non est alienus, nam semper incidit, vel in fratrem, vel in sororem, aut patrem, aut matrem, aut filium, aut filiam. *Plato de rep. dial. 5.* Ciuitatis custos boni peritus esse debet, & iam perfectè ornabitur respublica, si talis custos, qui horum scientiam tenet, ipsam regat. *idem, ibidem dial. 6.*

Ciuitatis custodes alij esse non debent, quàm illi, qui sapientissimi sunt, per quos ciuitas optimè habitatur, quique habent tum alios honores, tum vitam ciuili potiorem. *Plat. de repub. dial. 7.* Ciuitatis munera maxima qui tractaturi sunt, lege cauendum est vt ad computandi artem se conferant, & ipsam non vulgariter attingant, sed donec ad numerorum inspectionem ipsâ intelligentiâ perueniant, non vt venditionis, & emptionis gratiâ velut mercatores, & caupones huc studium adhibeant, sed belli gratiâ, & resuscitandæ animæ, & ab eo quod fit, ad veritatem, & essentiam conuertendæ. *idem, ibid.*

Ciuitatis custodibus oportet habitationes, & reliquas opportunitates præparatas esse, quæ neque efficiant vt ipsi custodes optimi esse desinant, neq. aduersus alios ciues ad malè faciendum incitent. *Plat. de rep. dial. 3.* Ciuitatis custodes opes nullas proprias habere debent, nisi summa necessitas exigat, vt habitatio, & ærarium nulli huiusmodi sit, in quæ non cuiuis volenti aditus pateat: res necessariæ quantis opus habent viri athletæ, & temperantiâ, & fortitudine bellicâ præstantes dispositæ sint, vt ab aliis ciuibus accipiant custodiæ mercedem tantùm, vt neque supersit ipsis quicquam in annum, neque desit, vbi ad conuiuia accedunt; vt in castris in communi viuant aurum, & argentum dicendum est ipsis, quod diuinum à diis in animis habent, & humano nihil indigent; neque pium est, veilius possessionem mortalis auri possessione immixta polluant. *idem, ibid.*

Ciuitatis leges facilè dantur, si in ipsa vnum genus est, eiusdem linguæ, & sacra, & alia omnia inuicem conueniunt, vt quod ob legum improbitatem aliquando ad seditionem deuenit, & propter consuetudinem iis tum moribus vti expedit, ob aliquos prius corruptum fuit, id inobediens gubernanti, & leges ferenti se exhibet. *Plato de leg. dial. 4.*

Ciuitatis nihil incustoditum maneat. *idem, ibid. dial. 6.*

Ciuitatis custodiæ sic fiant vt hanc curam gerant exercituus duces, & ordinum præfecti, & magistri equitum, & tribuni, & prytanes, sed & vrbis curatores, & ædiles quum electi nobis iustè constituti fuerint. *Plat. de leg. dial. 6.* Ciuitas omnis non fuerit ciuitas, in qua non fuerint iudicia rectè constituta. *idem, ibid.* Ciuitatis fœlicitati maximè confert omnia studia reperire, & corrigere, & mulieribus, & viris in commune ea coniungere.

Ciuitati quæ necessaria sunt vt maneant, nemo euehat, & quæ non sunt necessaria vt sint in ciuitate, nemo inuehat. *Plat. de legib. dialog. 8.* Ciuitas cùm sit velut corpus, iuuenes ex custodibus velut in summo vertice comprehensos maximè industrios, & totius animæ acumine præditos totam ciuitatem circumcirca intueri, & dum custodias agunt, quæ vident memoriæ commendare, & ad senes referre: seniores mente similes, quia multa memorabili prudentiâ excedunt consultare, & cum consideratione iuuenibus ministris vti, & sic ambos ciuitatem totam seruare oportet. *idem, ibidem, dial. 12.*

Ciuitas omnis singulis annis post Solis conuersionem ex æstate ad hyemem conueniat in publicum Solis, & Apollinis templum, vt quisque Deo tres viros designet prout penitus quemque optimum iudicat se ipso excepto, non pauciores quàm quinquaginta annos natum: ex electis autem quos plurimi protulerunt dimidia pars eligatur si pares fuerint, si impares vnus detrahatur, cui pauciora suffragia obtigerunt, relinquatur dimidia pars multitudine suffragiorum secreta: si verò aliquibus paria suffragia contigerint, & dimidiò numerum excesserint, quod excedit detrahatur secretâ iuuentute, alij deinde rursus secretis auferantur, donec tres impares remanserint: si verò omnibus, aut duobus paria suffragia contingant, fato ac bonæ fortunæ re permissâ sorte distinguant victorem, & secundum, ac tertium eosque oleæ fronde coronent, & rei optimè gestæ præmio omnibus dato pronuncient, & per præconem edicant. Quod Magnatum ex Deo rursus salutem adepta ciuitas designatos suos Soli viros optimos tres, primitias secundùm veterem legem Apollini & Soli communes consecrat: quamdiu iudicium sequuntur, hi primo anno rectores duodecim, & rationem exactores designant donec quisque 75. annum attigerit, de cætero semper tres accedant singulis annis, qui omnes magistratus in duodecim partes diuisos omni exploratione exquirant & quamdiu rationē exigunt habitant in templo Apollinis, & Solis & postquam & priuatim, & in communi inter se iudiciu de iis qui magistratus gesserant peregerant ciuitati denuncient, literis in foro depositis de vnoquoque magistratu quod pati, & persoluere oportet iusta exactorū rationū sententiâ: quicunque se iustè iudicatū negauerit, ad electos iudices ducat exactores, & si absolutus fuerit exactores si voluerit accuset, si verò condēnatus, & antea ad mortem damnatus erat, velut necesse est moriatur; ex aliis autem multi duplas persoluat. His magistratibus hi sunt honores, vt viuentibus ipsis, qui rei bene gestæ præmiis digni iudicati sunt, primi consessus in publicis omnibus conuentibus dentur: si ad communia græcorum spectacula, & sacrificia aliqui mittendi sint, ex his mittantur, hi soli lauri corona coronati sint, & omnes sint sacerdotes Apollinis, & Solis: ex his summus pontifex per annum eligatur, mortuis propositiones, elationes, loculi ab aliis ciuibus diuersi sint, & totum vestitum album habeant, sed absque luctu, & lamentationibus fiant. Chorus puellarum, sacerdotes sepulturam sequantur, sepulchrum elaboratum sit, arborum nemus tribus partibus plantent, & singulis annis sermonem publicum, & hyppicum & equestre constituant. *Plato de leg. dial. 12.*

Ciuitas nulla in seruitute sit sub hominibus dominantibus, sed sub legibus: neque enim his qui in seruitutem redigunt, nec redacti sunt seruitute melius est, & ipsis, & filiis, & filiorum filiis, sed perniciosa penitus est experientia: angusti enim, & illiberales animis illa lucra rapere solent qui nihil bonorū, nec iustorum neque diuinorum tum humanorum nec in futurum, nec in præsens tempus cognouerunt. *Plat. epist. 7.*

Ciuitatis præsidium bonorum celeres dies, & citata curricula sunt. *Apul. floridorum lib. 2.* Ciuitas magis eget officio eorum, per quos salutem suam consequi possit, quàm nauis in mari. *Max. Tyrius, serm. 5.*

Ciuitati gubernatores, qui fortunæ potiusquā animi bona prospiciunt, nō modò non prosunt, sed plurimum obsunt. *Fic. in Pl. Gorg.* Ciuitas omnis proprium quoddam numen agnoscit, quasi patronum, quia ciuitatem impossibile est ex tam multis, & diuersis compositam, cui quotidie innumerabiles, & incerti imminent casus, beatè absque Deo beatitudinis arbitro componere. *idem, in Plat. de rep dial. 7.*

Ciuitas

Ciuitas, vt rectè gubernatur, & qui princ. ps.

Ciuitas si hac industriâ construeretur, aut exercitus colligeretur, vt ea amantibus, & amatis constarent, non fieri posset, vt melius habitaretur, dum hi ab omnibus turpibus abstinerent, & magna inter se ambitione ad honesta contenderent; at in prælio, etiamsi pauci tales, tamen omnes superarent. *Plat. in sympos.* Ciuitatem nunquam multitudo perfecta gubernandi scientiâ cum intelligentia gubernare poterit, verùm circa paucos, & vnum rectâ illa vna respublica quærenda. *idem, de regno.*

Ciuitatis principes seniores esse debent, & ex ipsis optimis, iuniores autem subditi. *Plat. de repub. dial. 3.* Ciuitatis principes eligendi sunt ex aliis custodibus, qui considerantibus nobis maximè videantur per omnem vitam omni promptitudine facere id quod ciuitati conferre arbitrentur, quod verò non, nullo modo facere velle; obseruandi enim sunt in omnibus ætatibus, an hoc præceptum custodiant, & neque præstigiis seducti, neque vi coacti obliuiscantur, & eiciant eam opinionem facere videlicet oportere, quæ ciuitati optima sint. *idem, ibid.*

Ciuitas si rectè condita est, perfectè bona est, & sapiens, & fortis, & temperans, & iusta. *Plat. de rep. dial. 4.* Ciuitatis quatuor virtutes principes sunt, sapientia, fortitudo, temperantia, & iustitia. *idem, ibid.* Ciuitatis princeps virtus est sapientia, bono consilio enim prædita esse debet, & boni consilii scientia quædam est, non enim imperitia, sed scientia bene consulunt. *ibid.* Ciuitas præstantior est seipsa, vbi id quod melius est deteriori dominatur. *ibid.*

Ciuitatis principes, si hoc nomine digni sunt, ac custodes partim facturi sunt, quæ demandantur, partim mandaturos, ita vt partim ipsi legibus obtemperent, partim etiam imitentur, quæcunque tandem illis præceperimus. *Pla. de rep. dial. 5.* Ciuitas bene gubernatur, in qua eodem modo dicunt meum, & non meum, & quæ se habet velut vnus homo, velut cum alicuius nostrum digitus percussus est, omnis in corpore communio ad animam extenta, ad vnam principis in ipsa constitutionem, & simul omnis sentit, & simul tota condolet parte dolente. Et sic de alia parte, vbi pars dolet: & de voluptate, vbi melius se habet; sic ciuitas optimè gubernatur, si ad quiddam tale accedit; nam vno ciue male affecto tota condolebit ciuitas, suum enim esse dicet. *idem, ibid.*

Ciuitas omnis semper in se habere debet aliquid quod reipublicæ rationem habeat, quæ sit optimè instituta. *Pla. de rep. dial. 6.* Ciuitatis status nullus quales nunc sunt, philosophica natura dignus est. *idem, ibid.* Ciuitatum status, vt peregrinum semen dum in aliena terra seminatur, vbi iam superatur, easdem in regionis naturam transire solet, ita vt dial ciuitatum status nunc facultatem suam non habens in alienam speciem excidit: At si optimam rempublicam accipiet, vt etiam ipsum optimum est, tunc declarabit se quidem reuera diuinum esse genus, reliqua verò & naturarum, & studiorum genera humana. *ibid.*

Ciuitatis cura si præstantibus in philosophia suscipiendi necessitas aliqua, aut infinito præterito tempore incubuit, aut etiam nunc est in aliquo barbarico loco procul à nostro conspectu remoto, aut etiam in posterum continget: de hoc sanè paratissimus sermone contendere, quod fuit ista respublica, & est, & erit, cum hæc musa ciuitatis dominium obtinuerit: non enim fieri impossibile est, nec nos impossibilia dicimus, difficilia tamen, velut etiam nos confessi sumus. *Plat. de repub. dial. 6.*

Ciuitas, nec respublica, nec vir vnquam perfectus fiet, priusquam philosophis his paucis, & non prauis, sed inutilibus nunc appellatis, necessitas quædam ex fortuna obiiciat, vt siue velint, siue nolint, ciuitatis curam suscipiant, & ciuitati obedientes fiant, aut filiis eorum, qui nunc in principatibus, aut regnis sunt constituti, aut ipsis ex diuina quadam inspiratione, veræ philosophiæ verus amor illapsus fuerit. *Plato de repub. dial. 6.*

Ciuitas esse fœlix non potest, nisi ipsam descripserint pictores diuino exemplo vtentes: primò puram facientes ciuitatem, & hominum mores, deinde eius formam; postea quid natura iustum pulchrum, & temperatum, & huiuscemodi omnis. & ad id quod hominibus inducere volent, ita vt permisceant, & contemperent studia, similitudinem ex illo contactâtes, quod Homerus diuinâ speciem, & Dei similitudinem vocauit, & aliud depinxerint, aliud deleuerint, donec quantum fieri potest humanos mores Dei amantes effecerint. *Plato de rep. dial. 6.*

Ciuitatem iustè gubernare possunt nec inerudi, nec veritatis imperiti, neque illi qui in eruditione perpetuò versari sinuntur: illos quidem eo quòd scopum in vita vnum non habent propositum, ad quem collimantes omnia quæcunque & priuatim, & publicè fecerint, facere oportet: hos verò eo quòd vltro non faciant, vt qui se in beatorum insulis adhuc viuos habitare putant. *Plat. de rep. dial. 7.*

Ciuitatis gubernatores quamuis sapientes fuerint ait musa, nihilò magis vestri generis fœcundam generationem, vel sterilem ratione vna cum sensu comprehendunt: sed latebit eos opportunitas generandi, & plerunque cùm non opportunum fuerit gignendis filiis operam dabunt: est enim ei quod diuinitus generandum est circuitus, quem numerus continet perfectus. *Plat. de repub. dial. 8.* Ciuitas ad ciuitatem, vt se habet virtute, & fœlicitate, sic vir ad virum. *idem, de repub. dial. 9.*

Ciuitatem vincere se ipsam non ex optimis est, sed ex necessariis, & velut si quis corpus ægrotans medicam purgationem adeptum, tunc optimè degere putet, corporis verò quod nunquam illâ opus habet animum non aduertat, sic legislator non erit optimus, si non pacis magis gratiâ ea quæ ad bellum pertinent sancierit, quàm belli gratiâ ea, quæ ad pacem. *Plat. dial. 1 de leg.* Ciuitates in quibus præstantiores vincunt multitudinem & deteriores, rectè superiores se ipsis dicuntur, & merito ob talem victoriam laudantur. *idem, ibid.* Ciuitatem ad prauos mores nunquam assuefacere oportet. *ibid. dial. 4.*

Ciuitas optima fit primò ex tyrannide cum legislatore exacto, & tyranno moderato, deinde ex regia republica, tertiò ex populari dominio, quartò paucorum principatus talis reipublicæ ortum difficillimè admittere potest, plurimi enim in ipso potentes sunt, & hæc fieri dicimus cùm verus naturâ fuerit legislator, & commune ipsi robur contigerit cum his qui in ciuitate plurimum possunt, & vbi numerus fuerit contractissimus, sed tamen fortissimus, vt in tyrannide, ibi tunc velox, & facilis mutatio fieri solet. *Plat. de legib. dial. 4.* Ciuitatibus, quibus non Deus, sed mortalis aliquis princeps præfectus est, non est malorum neque laborum effugium. *Plat. de leg. dial. 4.*

Ciuitatis principatus dandus est ei, qui latis legibus obedientissimus est, & hanc victoriam in ciuitate obtinuerit, huic & deorum ministerium primò dabimus, & secundum ei qui secundo loco excedit, & sic deinceps. *Plat. de legib. dial. 4.* Ciuitatis virtus est recta reipublicæ constitutio. *Speusipp. de Platonis definitionib.*

Ciuitas rectè comparatur nauibus casu quodam rectis à nautis gubernandi penitus ignaris, virumque peritiâ gubernatoriâ præditum deridentibus. *Ficin. in Plat. de repub. dial. 6.* Ciuitatis gubernator interpres esse debet iuxta Platonis opinionem, & vicarius numinis ciuitatis protectoris, qui instar numinis diuina contempletur, & humanis prouideat. *idem, in Plat. de repub. dial. 7.* Ciuitatis vastam nauem non potest princeps vllus quolibet momento procellis, & periculis agitatam innumeris, absque cœli numine ad portum vsque perducere. *idem, in Plat. de legib. dial. 1.*

Ciuitati quæ prosunt & nocent.

Ciuitatis maximum maleficiû est iniustitia. *Plat. de repub. dial. 4.* Ciuitas si felix esse debet, nec nauibus, nec multitudine, nec magnitudine opus habet absque virtute. virtus ergo ciuibus impartiri debet. *idem, in Alcib. 1.* Ciuitatibus vtiles viri sunt, & scientiâ, & rectâ opinione. *idem, de virtutib.* Ciuitatem eandem in aliquo loco vbi non opus sit aliqua extrinsecus inuehere, impossibile est. *idem, de repub. dial. 2.* Ciuitas non solùm parare debet ea, quæ sibi necessaria sunt, sed etiam quibus indigent illi, à quibus ciuis eius aufert ea quibus ipsi opus habent. *ibid.*

Ciuitas si petulantiâ, & morbis abundat, nonne fora iudicialia, & officinæ multæ medicæ aperiuntur? & ars iudiciaria, & medicinâ magnifiunt? *Plat. de repub. dial. 3.* Ciuitatis iuuenes abstineant à Syracusanis mensis, & à varietate Sicula obsoniorum, à Corinthia puella, & à deliciis Atticarum placentarum. *idem, ibid.* Ciuitas si seruari debet, semper indiget viro qui Gymnasticam Musicæ optimè miscere sciat, & moderatissimè animæ adhibeat, si respublica seruari debet. *ibid.*

Ciuitatem tunc interituram velut oraculo proditum sit, cùm ipsam æs aut ferrum custodierit, id est opifices, & agricolæ. *Plat. de repub. dial. 3.* Ciuitas locum commodissimum habere debet ad castrametandum, vnde & internos cohibere possit, si quis legibus parere nolit, & externos propulsare, si hostis velut lupus gregem inuadat. *idem, ibid.* Ciuitas si semel processerit bene, velut circulus augescens progredietur. *ibid. dial. 4.*

Ciuitates prauâ reipublicæ administratione vtentes, admonent ciues, ne totum reipublicæ statum moueant, minantes mortem si quis hoc moliatur: qui verò ipsis in hac administratione blandiatur, & gratificetur obsequens, & prænoscens

ipsarum consilia ac voluntates, & has explere poterit, hic sanè bonus, & multum sapiens vir erit, & in magna apud ipsas existimatione coletur *Plato de repub. dial. 4.*

Ciuitas è Platone instituta non timet bellum, cùm nihil diuitiarum possint hostes inde acquirere, & si missâ legatione in aliam ciuitatem vera confiteantur, nos quidem nec auro, neque argento vtimur, neque nobis id fas est, sed vobis: si igitur vnà nobiscum bellum gesseritis, ea quæ aliorum sunt habebitis: putásne aliquos auditis his magis electuros esse, vt aduersus canes duros ac macilentos bellum gerant, quàm vt canibus coniuncti contra pingues, & teneras oues? *Plato de repub dial. 4.*

Ciuitatem quam virtus maximè bonam efficit, difficile est iudicatu, an consensio principum, & subditorum, aut conseruatio legitimæ opinionis quæ in militibus existit, de horrendis, & contra quæ ea sint, aut quæ in principibus est sapientia & custodia, aut hoc maximè bonam ipsam suâ præsentiâ faciat, si & in puero sit & in muliere, & in seruo, & in libero, & in opifice, & in principe, & in subdito, quod scilicet vnusquisque quod suum est agit, & aliarum rerum curiosus non sit. *Plat. de repub dial. 4.*

Ciuitati pernicies est cùm quis opifex gubernat, aut alius quispiam lucri natura studiosus, deinde se efferat, & aut diuitiis, aut multitudine, aut robore, aut aliâ quapiam huiuscemodi re ad militare genus transire conetur, aut ex militari ordine aliquis ad consiliarij, & custodis genus transit, qui ad hoc indignos esset, & hi instrumenta, & dignitates inter se permutent, aut cùm idem omnia hæc facere conetur. *Plat. de repub. dial. 4.* Ciuitas iusta est cùm vnumquodque hominū quod suum est facit *idem, ibid.*

Ciuitati nil melius est, quàm vt & mulieres, & viri optimi sint in ipsa. *Plat de rep. dial. 5.* Ciuitatis maximum malum est, quod ipsam distrahit, & multas pro vna facit, aut nihil maius bonum eo quod ipsam colligat, & vnam facit? *idem. ibid.* Ciuitas in seditione esse facile potest, in qua principatum ciues ambiunt *ibid. dial. 7.* Ciuitates in quibus sunt pauperes sunt etiam fures crumenisecæ, sacrilegi, & omnium malorum authores. *ibid. dial. 8.*

Ciuitas mutatur, dum alteri parti similis simili auxilium præstat: sic adolescentes mutantur, dum species cognata cupiditatum, & similis extrinsecus, auxilium fert alteri speciei earum quæ in illa sunt cupiditatum. *Plat. de rep dial. 8.* Ciuitatem omnem maximè turbant homines otiosi, & prodigi, vt in corpore pituita, & bilis, at medicus, & legislator, maximè curare debent ne oriantur, & si oriuntur, vt quàm citissimè curentur. *idem. ibid.* Ciuitatis ciues improbos si quis potentes efficit, & ipsis ciuitatem tradit, præstantes autem perdat, idem facit ac poeta, qui priuatim malam rempublicam vnicuique animæ inducit dum stultæ eius parti gratificatur quæ simulachra à veritate aliena effingit. *ibid. dial 10.*

Ciuitas, & liberam, & prudentem, & sibi ipsi amicem esse oportet, & ad hæc respicientem legislatorem leges ferre. *Plat. de legib dial. 3.* Ciuitas, quæ seruari, & iuxta humanas vires felix esse vult, & honores, & ignominias distribuere debet. *idem, ibid.* Ciuitas si felix esse debet, primo loco animæ bona ponere debet, secundo corporis bona, tertio opulentiam, & pecunias; si verò extra hæc legislator, aut ciuitas progrediatur, vt aut pecunias ad honores euehat, aut aliquid ex posterioribus in anteriorem partem honore locet, nec sanctam, neque ciuilem rem fecerit *ibid.*

Ciuitatem non facilè imitari posse hostes prauis imitationibus bonum est. *Plat. de legib dial. 4.* Ciuitati nullum maius malum contingere potest, quàm repleri pecuniâ auri, & argenti, si vnum ad vnum conferatur, & ad generosos, & iustos mores acquirendos. *idem, ibid.* Ciuitas cui vicinum mare est, quotidie iucunda est, reuera verò valdè salsuginosa, & vara vicinia, mercimoniis, & quæstu per cauponandi artem seipsam replens, mores mutabiles, & infidos in animis parit, & ipsam ad se ipsam ciuitatem à fide & amicitia alienā facit, & ad alios homines eodem modo. *ibid.*

Ciuitas si futura esset marinima, & portuosa, non omnium ferax esset, sed multorum indiga, magno quodam seruatore opus ei esset, & diuinis quibusdam legislatoribus, si non multos, & varios, ac prauos mores habere deberet, quæ talis natura esset *Plato de legib. dial. 4.* Ciuitates nauali expeditione vsæ, etiam re bene gestâ, non ei qui optimè se gessit honores, & præmia tribuunt: nam cùm ex remigandi, & gubernatoria non admodum præstantium virorum sit, non potest quis singulis honores tribuere. *idem, ibidem.* Ciuitas nulla leges faciliùs & citiùs mutare solet, quàm potentum exemplo præeunte, nec alio modo fieri, nec rursum futurum est *ibid.*

Ciuitatibus damnosa sunt, quæ priuatim in domibus multa, & parua, & non omnibus conspicue fiunt, & ex singulorum dolore, & voluptate, ac cupiditate præter legumlatoris consilium facilè admittuntur, varios, & inter se ciuium non similes mores efficiunt. *Plat. de leg dial. 7.* Ciuitas si fœlix esse vult, nec alios iniuriâ afficere debet, nec ab aliis affici: primum facile est, secundum penitus difficile, nisi sit perfectè bona: nam si bona est, vita pacifica est, si mala, & intrinsecus, & extrinsecus bello infestetur. *idem, ibid. dial. 8.* Ciuitas Platonis bene viuere debet, vt vnus homo. *ibid.*

Ciuitatis in perniciem quæ fiunt, sequuntur ea quæ in Deos committuntur. *Plat. de legib. dial. 9.* Ciuitati hostilissimum omnium statuere oportet eum qui leges ad seruitutem adigit, sodalitatibus & factionibus ciuitatem subiicit, & totum hoc violenter facit, & seditione excitatâ contra leges agit: qui verò cum talibus nihil societatis habet, sed maximos magistratus in ciuitate gerit, siue lateant hæc ipsum, siue nō lateant, sed præ timiditate pro patria sua vltionem non intentat, talem secundùm pessimum ciuem ducere oportet: quiuis autem vir cui vel exigua vtilitas est, magistratibus indicet, & in iudicium trahat eum qui patriæ insidias struit, & violentam, & iniquam mutationem reipublicæ molitur: suffragia, quę multitudine vincunt, ad mortem condemnēt. *idem, ibid.*

Ciuitatum in commerciis permixtio solet varios mores admiscere, dum ceteroi externis vicissim nouationes inducunt, quæ rea ciuitatibus per rectas leges bene institutis maximum detrimentum afferet: at in ciuitatibus non bonis legibus vtentibus nihil refert. *Plat de legib. dial. 12.* Ciuites, quæ imperita est, & cum malis & bonis conuersationem non habuit nunquam satis mansueta, & perfecta esse potest, nec leges conseruare, si absque intelligentia mores solùm ad illas accommodet: sunt enim non multi diuini homines quorum consuetudo magni facienda est, qui nascuntur, & in bene institutis, & in aliis *idem, ibid.*

Ciuitas nulla secundùm propositas leges quietè viuere potest in qua ciues omnia se consumere in excessus putant, & rursus se ad omnia quietos fieri oportere existimant, præter quàm conuiuia, & potationes, & rei venereæ studia exercēda, necesse est has ciuitates in tyrannidem, & in alias species mutari *Plat. epist. 7.* Ciuitas nulla vel priscis temporibus, vel nostris euersa alia de causa est, quam quòd ciues relictâ publicarum rerum curâ propriis negotiis nimis indulserunt *Bess. in calumniatorem Plato. lib 4. c. 13.*

Ciuitatis corpus mercatura est, medicina spiritus, lex anima esse videtur. *Fic. epist lib. 1.* Ciuitati magis opus est optimis iurisconsultis, quam mercatoribus bonis, aut medicis. *idē, ib.* Ciuitas si quando existit bonorum ciuium, nō aliter pugnaturos gratia non imperandi, quàm nunc certant imperandi cupiditate. *idem, in Plat. de rep dial. 1.* Ciuitatis vnaquæque pars ita disponenda est, vt cūctis cōferat, & cōmuni ciuitatis totius conducat bono, alioqui nec ciuitas, nec eius partes possunt consistere *in dial. 4.* Ciuitas seruatur non diuitiis, sed virtute, & magna gerit. *ibid.*

Ciuitatis forma nunquā formosa esse potest, nisi ciuiū animi sint formosi, ideo in formandis ciuium animis legifer inuigilare debet *Fic. in Pla de legibus, dial. 4.* Ciuitati interitus paratus est, in qua non leges magistratibus, sed magistratus legibus imperant. *idem, ibid.* Ciuitatis cultura omnis vana est absque colendæ puerilis sementis prouidentia *in dial. 6.*

Ciuitati nulla disciplina magis congruit, quàm oratoria. *Fran. Patrit. de rep lib. 2. c. 4.* Ciuitates, quæ arcis præsidio tenentur, vix vnquā sine tyrānide esse possunt. *idem, de rep. lib. 8. c. 9.* Ciuitatem nil magis auget quàm ciuium concordia. *idem, de rep. lib. 5. c. 2.* Ciuitatis diuitiæ sunt opes singulorū. *eod. lib. c. 3.*

Ciuitati omnia communia esse debent.

Ciuitatis communio verorum, & liberorum hoc maximū bonū affert, quòd vbi vnus bene, vel malè se habet, hoc ad omnes spectat, & in communi sunt dolores, & voluptates, & ita nec domos proprias auxiliarios habere, nec terram, nec possessionem, sed ab aliis alimenta, custodiæ mercedē accipiētes in communi omnes consumere oportet, si re vera custodes esse velint. Nā sic non distrahunt ciuitatem meum nominādo non idem, sed alius aliud, ita vt alius in suam domū trahat quicquid poterit seorsum absque aliis acquirere, alius dolores, ac voluptates, vxorē & liberos inducat velut proprias, sed omnes in idem tendant: sic non erunt altercationes, cùm solum corpus proprium sit, reliqua communia, *Plat. de repub. dial. 5.*

Ciuites si omnia sint cōmunia à seditionibus libera erit, quę ob pecuniarū, aut liberorum, aut cognatorū acquisitionē oriri solent. *Pla. de rep. dial 5.* Ciuitatis velut fulcrum positū est, si negligat pecunias, & sit iustitiæ amatrix. *idē, de legib. dial. 5.*

Ciuita-

Ciuitates, in quibus propriæ sunt possessiones singulorum, propter varias controuersias, lites, iniurias, multis opus habent legibus. *Fi. in dial. 1. de leg.*

Ciuitas vt optimatum, & popularis.

Ciuitatem popularis dominij trifariam distinguere licet, vnū propter licentiam non minus ac in paucorum ciuitate, sed asperius, in hac quàm in illa, etenim in ciuitate paucorum à principatibus arcetur, in populari hoc genus paucis exceptis est quod præsidet, & quod in ipso asperrimum est id dicit, & facit: reliquum verò circa tribunalia considens, fonitus edit, & non sustinet, vt quis alia dicat, quare omnia ab huiuscemodi genere gubernantur in tali ciuitate, paucis quibusdam exceptis: aliud genus semper ex multitudine secernitur dum omnes quæstui student, qui temperatissimi natura sunt, plerumque ditissimi fiunt: tertium genus est populus qui per se operatur & sua curat, aliena negotia non suscipiens, & non admodum mala possidens, quod plurimū, & principalissimum est. *Plat. de rep. dial. 8.*

Ciuitas, quæ libera, prudens, & amica sit, potius reperitur ea quæ inter vnius, & populi potentiam obtinet medium, vt neque vnius se totam subdat imperantis arbitrio, vel paucorum potentiæ, neque quemlibet absque delectu recipiat consultorem, sed plurimum optimatum existet gubernatione, nonnihil quoque habeat regij, & nonnihil popularis. *Fi. in Plat. de leg. dial. 3.*

Ciuitas vt Regiæ, & Tyrannicæ potestati subiecta.

Ciuitas quæ regi paret, contraria est ciuitati, quæ paret tyranno; nam illa optima, hæc pessima, nam nulla est felicior, quàm ea quæ regi paret, & nulla miserior, quàm ea quæ tyranno obedit. *Plato de rep. dial. 9.* Ciuitas quæ tyrannidi subiecta est serua dicenda est, & totum hominum genus ignominiosè, miseréque seruum; & animæ partes, quæ moderatissimæ sunt, seruiunt, prauæ autem, & pessimæ, ac furiosissimæ dominantur: & vt ciuitas non facit, quæ vult, sic anima tyrannidi subiecta non facit, quæ vult: ciuitas paupera est, sic animam tyrannicam pauperem, & inexplebilem esse necesse est: luctus, gemitus, lachrymæ, ac dolores non sunt maiores in aliqua ciuitate, sic in anima Tyrannica per cupiditates, ac amores furiosa. *idem, ibid.* Ciuitates tyranno subditi inopes semper sunt, nec necessarius assueuetes. *Auer. in Plat. rep. tra. 3.*

Clari genere scire debent magnum onus esse maiorum famam sustinere. *Fr. Patri. de rep. lib. 6. cap. 1.*

Claudia Vestalis, vt honestatem suam tutaretur, è Tiberi nauem ad templum duxit, quæ ab aliis trahi non poterat. *idem, ibid. lib. 4. cap. 5.*

Claudicatio pedum est prauitas & turpis habitus. *Plat. de mund.*

Claudum non oportet esse in tolerantia laboris, qui philosophiæ operam datura vt ex dimidio laboris tolerans sit, ex dimidio laboris exors sit; quod contingit cum quis exercitiorum, & venationis studiosus est, & omnes corporis labores tolerat, discendi verò, & audiendi, & quærendi studium negligit, & in omnibus his studium refugit. Claudus & idem est, qui contra quam hic laboris tolerantiam permutat. *Pla. de rep. dial. 7.* Clotho cur tangit ampliorem globi partem, & ab extrinseco tangit ambitu, & dextra, Atropos vero angustiorem, & ab intrinseco, atque sinistra? quia euolutio vitæ per media, & ab extrinseca exorditur causa, & amplior est, contingit prosperior: ineuitabilis autem terminus & ab intrinseca ratione & proprietate concepta & desinit angustum. adde quod clam surrepit & vt plurimum contra votum. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.*

Coactum dicitur violentiáque compulsum, quod fertur ad id quod non est ipsius bonum, & hæc seruitus est. *Plot. En. 6. lib. 8. cap. 4.*

Cæci sunt hi reuera vniuscuiusque quod est cognitione priuati sunt, & nullum euidens in anima exemplar referre, & quantum fieri potest exactissimè spectare possunt. *Plato de rep. dial. 6.* Cæcus nemo magis, quàm qui cæcam fortunam sequitur. *Fic. epist. lib. 6.*

Cedit quidquid in parum consistit. *Plat. in Timæo.*

Cælestium diuisio & proprietas.

Cælestes octo sunt facultates, Solis vna, lunæ vna, omnium astrorum vna, quarum paulò ante mentionem fecimus; quinque verò aliæ duæ quæ Solem concomitantur, lucifer, & stilbon, & tres phænonem tardissimam, post hanc tarditate proximam phaetontem, & quæ Pyrois appellatur, rubentissimo colore prædita. Has verò omnes, & eos qui in his sunt, siue ipsi procedunt, siue in vehiculis feruntur, atque ita progrediuntur, omnes asseramus fratres esse, & in sortibus fraternis, & honores attribuamus, & non alij annum, alij mensem, alij aliquam partem constituemus, nec aliquod tempus in quo circuitum suum pertransit, & cursum perficit simul perficiens mundum, quem ratio omnium diuinissima visui expositum constituit. Hunc fœlix vir primum admiraretur, deinde amore corripitur discendi quæcunque mortalis natura assequi potest, hoc modo virum fœlicissimè transacturum existimans, & vitâ defunctum deuenturum ad locos virtuti conuenientes, & verè initiatum, & vnus vnam sapientiam reuera adeptus, per reliquum tempus pulcherrimam rerum visui expositarum spectato degit. *Plat. in leg. app.*

Cælestia alias faciunt, alia à subiecta materia in medium efferuntur, vt alia ab ipsismet rebus adducitur. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 18.* Cœlestium circulorum ordinem quidam ex Pythagoricis ita disposuerunt, primum Lunæ, secundum Mercurio, tertium Lucifero, quartum Soli, quintum Marti, sextum Ioui, septimum Saturno attribuentes: alij secundo loco Solem ponunt. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Cœlestia corpora mouentur stabiliter, continuè enim in eodem naturali motu perseuerant. *Fic. Apol. lib. 2.*

Cœleste forma vsque adeò materiam suam superat, & absorbet, vt nulla materiæ manifesta conditio videatur: idque plerique volunt cùm aiunt cœlum carere materia, id est manifestis passionibus, conditionibúsque materiæ, & qui aiunt cœleste animæ nostræ vehiculum expers esse materiæ, quod Iamblichus, & Proclus arbitrantur. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 3.* Cœlestes motus semper sunt sibi similes, & pares, nec sidera supprimunt cursum aut vertunt, licet nobis sic videatur. *Io. Pic. Mir. in Ast. lib. 3. cap. 9.* Cœlestibus non insunt vires occultæ, per quas occultas inferiorum rerum proprietates producant, sed calor tantùm luménque viuificum ipsius inest. *idem, ibid. cap. 24.*

Cœlestium causa quid sit.

Cœlestium principiorum, & definitionum bonum ipsum causa est huius videlicet substantiæ, quæ nec augeri, nec minui, nec omninò variari potest, vt celerrimus motus orbis immensi sine strepitu peragatur: hinc syderum ordines, decores, lumina, firmitates, hinc planetarū permutatio multiplex, hinc Solis & Lunæ circuitus ab eisdem ad eadem perpetuò restitutus, quibus apud nos dies, noctes, menses, & anni definiuntur. *Dionys. Areopag. de diuinis nomin.*

Cœlestium effector nullo modo cogitur aberrare, cùm laborare in opera disponendo nil aliud esse videatur, quàm alienas materias pertractare id est materias quibus minimè dominetur: et quando quis operi dominatur, & solus imperat, quadam re indigeat, nisi seipso, & propriâ voluntate, id est sapientia propria, penes hunc ita se habentem propria est sapientia, nulla ergo readuentitia indiget: at memoria & ratiocinatio aduentitia sunt. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 12.*

Cœlestes omnes, boni sunt, ac benefici, suscipientes tantùm ipsum bonum, & hoc intuitu agentes æterno. *Iambl. de myster.* Cœleste corpus est rebus incorporeis cognatissimum propter naturam simplicem indiuisam, constantem, & actionem vnam id est circuitum, & vitam sibi congenitam, & lucem. *idem, ibid.* Cœlestia animalia incorporea dici possunt. *ibid.*

Cœlestes globi mouentur à substantia quadam spiritali rationalique, & illa sempiternam, & infatigabilem virtutem habet. *Fic. epist. lib. 2.* Cœlestia liquida dicuntur, quia à terra separatissima duritiem terream nullam habent. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nomin.* Cœlestia solida dici possunt, quia virtute mirabili conseruant substantiæ suæ, figuræ, mensuræque perpetuam firmitatem. *ibidem.*

Cœlestium substantiarum tanta est virtus, tantáque ad conciliandum efficacia, vt qualitates, & motiones quæ apud nos sunt inter se repugnantes, ibi non pugnent. *Fic. in Plat. Timæum cap. 14.*

Cœlestia quis dubitat per radios suos tam nobis occultos, quàm manifestos, ab ipsis velut imagines profluentes mouere semper inferiora, atque formare? fermè non aliter quam vultus speculum & speculum concauum materiam siccam positam in conspectu. *idem, in Plat. de leg. dial. 5.*

Cœlestes sphæræ tum toto permanent, tum partibus; sphæræ autem simplices non omnibus iam vndique partibus, sed toto manent, compositæ nec toto, nec partibus permanent. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 5.* Cœlestium nullum naturaliter est malum. *idem, ibid. lib. 3. cap. 1.*

Cœlestia, vt ait Auerroes, nulla frigus inferunt, sed calorem: quæ vero dicuntur afferre frigus, sunt quæ calefaciunt minus. *ibidem. cap. 4.*

Cœlestia nullam mistionem habent, nec colorem, vt Arist. ait, participant, nisi quatenus lumen color quidam est: ideò cum color planetarum non sit aliud quàm residentia luminis, magis, aut minus clari, non de composito, sed de simplici corpore manans, nullum faciet nobis indicium corporis

illuminantis. *Ioan. Pic. Mir. cont. in Astrologiam, lib. 10. c. 13.* Cœlestium naturæ ex coloribus non est elicienda, quoniam ex elementis non sunt mixta, cùm tantùm possit indicare naturam corporis color, quantum mixturæ nobis indicat modum; præterea interiectâ tam magnâ regione, corporum multitudo non potest, quicunque fingantur ibi colores non peruertere. *idem, ibid.*

Cœlestia ut se habent ad inferiora.

Cœlestia non decet ex nostrarum rerum conditione iudicare, cùm nec animam eandem habeant continentem, nec similem regionē, nec illa ea sit causa ob quā inferiora cōposita continuè profluentia nutrimento indigere coguntur: ubisi ergo permutatio ab illis ea quæ in his corporibus dominans ea habite naturæ deturbat, quippe cùm alia quædam his natura præsideat, quæ propter debilitatem in ipso suo esse continere non potest: imitetur tamen in eo quod generari est, atque generare, naturam, quoad potest, superiorem. de qua dictum est alibi non posse & ipsam eodem prorsus modo quo intelligibilia se semper habere. *Plot. En. 2. lib. 1. c. 8.*

Cœlestia quæ dant nobis, ea non talia in nobis euadunt, qualia à superis proficiscuntur: nam quæ apud superos mala non sunt, apud nos mala contingunt. *Plot. En. 2. lib. 3. c. 11.* Cœlestia ita se habent in mundo, ut in nobis intelligentia, quæ à Platone dicuntur sequi Iouem, id est naturā intelligibilē incidentem: at quæ naturæ gradu inferiori in mundo constituta sunt, secundum uniuersi locum obtinent, taliáque fermè sunt, quales in nobis sunt secundæ animæ vires: cætera verò similiter, ut in nobis partes ultimæ. *idem, ibid. c. 13.*

Cœlestia si diuitiæ à parentibus proueniunt diuitem futurum fortè significarunt, ut & generosum, qui ex genere trahit gloriam, ubi verò diuitiæ virtutis præstantiā comparatæ sunt, si corpus ad idem vires suppeditauit, profectò vires corporis qui præbuerunt ad diuitias cumulandas conferūt primò parentes: deinde si qua regio cœlum habet propitium, accidit & fertilitas salubris terræ, & si virtus absque beneficio corporis pecunias auxit, virtuti soli hac in re plurimum tribuendum. *Plot. En. 2. lib. 3. c. 14.* Cœlestia corporibus multa tradunt, at mores, & studia, quæ non videntur corporum complexionibus obsequentes, non tradunt. *idem, En. 3. lib. 1. c. 6.*

Cœlestes figuræ hæc inferiore significant: naturæ verò una cum figuris efficiunt pro dispositione materiæ, multæ verò figuræ significant, quæ non cœlitus, sed aliunde fiunt. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 34.* Cœlestia ad agendum omnibus sunt validiora, ut quæ expeditiori naturæ fruuntur, proinde multa per has vires fieri iudicandum est, nullā electione ad hæc accedente, vel in his, quorum opere sæpe fieri electione videntur: est enim effectus in iis, quæ nullam habent electionē, nec vigoris sui traditione vel ipsa naturæ in suum conuertitur actum, etiamsi aliquid ipsius animæ in effectuos à causis traducatur. *idem, En. 4. lib. 4. c. 37.*

Cœlestium vires omnes inde bonæ descendunt, in hac autem contrariorum permixtione mutantur: ideò qualitas quæ nocet in terris alia iam est præter eam quæ cœlitus huc usque peruenerat: primò quod datur, aliud est in datore, aliud extra, etiam si in se ipso permanet, præterea est & minus: secundò dum in subiecto viliori suscipitur, fit & illius: tertiò propter naturam suscipientis diuersam suscipitur diuerso modo: quartò qualitatibus inter se differentibus, quæ à subiecto eodem pariter capiuntur: quintò patiente subiecto patitur: sextò ex omnibus subiecto cōprehensis aliud quiddam postremò resultat. *Iambl. de mysteriis.* Cœlestium omnes influxus salutares veniunt, quamuis subiecti vel peruersitas peruersè recipiat, vel debilitas facilè tolerare non possit efficaciam superiorum. *idem, ibid.*

Cœlestes instinctus in quolibet determinatur elemento, quia est communis cuilibet elemento ad vitam aliquam in ipso elemento gignendam à cōmuni totius elementi vita, quod ea ratio persuadet, quod & ad substantiam generandā substantiā est opus agente, & ad perfectam actionem opus est perfectā ipsius agentis præsentiā: quando verò substantia corporalis corporali substantiæ admouetur ad aliquam actionem, quod in agente ipso substātiale est, remanet extra, quod penetrat intrò est prorsus accidentale: opus est autem substantiā penetrante, ut substantia fiat inde, & fiat perfectè: substātia talis incorporea est & viuēs. *Fic. in Pl. Theol. lib. 4. c. 1.*

Cœlestia vnusquisque potest præparamentis quibusdam sibi vendicare, nam causa quo potentior est, & promptior ad agendum, eò propensior est ad dandum: igitur exigua præparatio sufficit nobis ad cœlestia munera capienda. *Fic. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. cap. 1.* Cœlestis influxus vel in deterius est, vel in melius mutatione nominis, professionis, habitus, victus, & loci. *idem, ibid. c. 23.*

Cœlestibus præter lumen eadē virtutes quoque diuersas, ex quibus & colores varij, & actiones inde proueniunt, non quales ab alimentis, sed proprietate quadam occultiori scilicet speciali fermè, quali ferrum trahitur à magnete, nam quæ apud nos sic agunt, agere dicuntur virtute cœlesti. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. c. 7.* Cœlestium ac inferiorum causarum concursu quotidiano, res dum sunt, qualitate mutantur, non specie, similiter per artē & usum. *idem, ibid. lib. 3. in libri summa.* Cœlestes effectus ob materiam, & naturam inferiorum possunt mutari. *ibid. c. 10.*

Cœlestium natura cum generet omnia, & viuificet, & conseruet, naturaliter est bona, & quæ iniqua censetur, inde significantur, non fiunt. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 9. c. 15.* Cœlestis influxus mutatur circa nos ex natura locorum: nam & sub exigua climatis particula, ubi etiam stellarum influxus est idem, eodem momento, & semper diuersa nascuntur, & cōtingunt pro diuersitate situs, terræ, aeris, & aquæ, ventorum, & vaporum, morúmque, & legum. *idem, in Plot. En. 3. lib. 1. c. 5.* Cœleste corpus in animam non influunt dotes animi, quæ non obsequuntur corpori, nec sequuntur ex corpore, ad incorporea scilicet spectantes. *ibid. c. 6.*

Cœlestium effectus apud nos pro causarum inferiorum conditione contingunt, & naturales effectus cum causis propinquis longè maiorem similitudinem habent, quàm cum remotis. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 1. c. 9.* Cœlestes dij inferioribus singula prouidēnt, & dæmones sub luna plurimi sunt boni, hominibus meliores, & aliqui mali. *idem, in Plot. En. 3. lib. 9. c. 9.* Cœlestes influxus si boni sunt adiuuari possunt, si mali vitari; alioquin in Astrologia, & Medicina signorum obseruatio foret inanis, & Deus qui signa præscripsit in cœlo inferiorumq; saluti prospiciens, frustra præmonuisset. *idem, in Plot. En. 3. lib. 1. c. 6.*

Cœlestium omnium impressionum vehiculum est lumen, & fomentum. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 7. c. 7.* Cœlestis caloris effusio communis est omnibus stellis, siquidem naturam cœlestem consequitur uniuersam, ut lux. *idem, ibid. lib. 3. cap. 5.* Cœlestis calor est opifex uniuersalis rerū corporearū, nec à stellis alij flatus inspirātur corporibus terrenis. *ibi. lib. 3. c. 6.*

Cœlestis calor, ut pro patientis debilitate nimius fit interdū, ita pro elementari natura, in quā delabitur, ferè euadit calor elementalis, ut non temerè eum agnoscens, præterquā in opusculis spiritalibus, in cœlo sunt simillima, quibus infusus perficit omnem mixtionem, & operibus animæ perficiendis ubique famulatur: sed duris, asperis, crassis, aqueis, fæculentis corporibus incidens, à cœlesti proprietate degeneram facit ferè quod solet calor elementalis. qui cùm potentior fuerit, exsiccat, urit, & in cinerē redigit: si tenuis, fluxā facit materiā, & humorē soluit: sic cœlesti calori pro materiæ conditionibus euenit. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 3. c. 6.*

Cœlestem naturam regere, & moderari elemēta, ne præscriptos excant & egrediantur fines, & non euariēt ab impositis legibus, philosophorum dogma est. *Io. Fran. Pic. Mir. de prano. lib. 5. c. 5.*

Cœlestes motiones concentum atque harmoniam faciunt. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.*

Cœlestia, ut animata.

Cœlestes sphæras, & Platonici, & Aristoteles fatentur habere animas. *Fic. in Plat. Theol. lib. 4. c. 1.* Cœlestes ita concurrūt, ut simul exoriantur, vel quasi ad perpendiculum coniungātur, atque ita nonnunquam sibi obuiantes nos latent: quandoque præcedunt, vel retrocedunt, item sub sole, vel aliter latentes, cùm non appareant multa portendunt. *idem, in Plat. Timæum, c. 41.* Cœlestium aspectus non tam causæ sunt, quàm signa. *idem, in Plot. En. 3. lib. 1. c. 9.*

Cœlestia ut rerum causæ, & rerum signa.

Cœlestia corpora si specie differunt, ut plerique illustres authores sentiunt, motor primus quanquam appropriatus, præstantior cæteris esse potest differentiā ipsā sui mobilis sphærā descriptā longè nobiliori: sed si specie non differunt, ut alij volunt, qui ea in specie conuenire, & differre participatione eiusdem speciei inæquali secundum prius, & posterius, & ita alia aliis esse posse nobiliora existimant, nec esse hæc passibilia in iis quæ carent materia passiua, nimirò aptius quàm ut conueniant genere, & specie differant, quando forma, quæ conuenientior cœlestibus est speciem comitatur, quàm materia, quæ generis nomine indicatur. *Bess. in cal. Plat. lib. 3. c. 11.*

Cœlestis ignis quamuis cunctis infusus est, nullis tamen est mixtus, quando nec visibile lumen inde procedens ulicubi commiscetur, neque manifestus ignis facilè patitur mixtionem. *Fic. in Plotin. En. 2. lib. 1. cap. 1.* Cœleste corpus primum luminis susceptaculum incorporea vita, & intelligētia

regitur

regitur à qua lumen habet, & cæteris tradit, quod tanquam incorporeum nequit à corpore procreari. *idem, in Theophrast. c. 20.* Cœlestia corpora suo lumine quodam volunt sentire seipsa, ideò an Priscianus pleraque corporea se non sentire. *ibid. cap. 20.*

Cœlestia signa differunt ab imaginibus, nam signa in motu, fixáque constituuntur, æquinoctiis intercepta, atque solstitiis, ita vt Arietis, quod est signum, initia à vernali æquinoctio semper accipiantur. Arietis autem, quæ est imago, alio tempore initia alibi supputentur, sicut stellæ à quibus effingitur, ab occasu ad ortum iugiter deferuntur. *Ioan. Pic. Mir in Astrologiam, lib. 8. c. 3.* Cœlestia signa semper sunt æqualia triginta graduum, imagines aliæ paucorum, aliæ plurium per spatia protenduntur. *idem, ibid.*

Cœlestia signa in triginta partes, & Zodiacus in trecentas, & sexaginta ex arbitrio diuisa sunt: si sic est, ergo in natura nulla, sed mente tantùm cogitantur. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 8. c. 3.* Cœlestes imagines nullâ doctrinæ soliditate nituntur. *idem, ibid. c. 5.* Cœleste omne quod in cœlo est, etsi comparatum vniuersitati cœlestium particulare aliquid est, idem tamen ad sublunaria si comparatur vniuersale est; vniuersale cùm dico, id intelligi volo vt totam corruptibilis mundi perfectionem claudat in seipso, alioqui cœleste non erit. *ibid. c. 25.*

Cœlestes globos octo tantùm & Plato & Aristoteles cognouerunt. *Seb. Foxius in 10. Platonis de rep.* Cœleste corpus verè insenescibile est & inuariabile suapte natura, est enim purissima substantia expers omnis iniuriæ, loco, & naturâ. *Augu. Steuch. de mundi exitio.* Cœlestes orbes ab astrologis nouem esse dicuntur. *Leo Hebræus de Amore, dial. 2.*

Cœlius quoniam maior est admodum, vt esse pulchritudo dicatur, idcircò Saturnus, id est intellectus primò pulcher est, quamuis anima quoque sit pulchra, ille tamen hac est pulchrior, quoniam hæc vestigiũ est illius. *Plo. En. 5. lib. 3. cap. 23.* Cœlũ, siue cœlum, ex æthere tanquam patre, & die tanquã matre, ortum fuisse poetæ voluerunt. *Leo Heb. de Amo. dia. 2.*

Cœlum quid est, eius partes, vt appellatur.

Cœli ἐπαρχία est Iupiter, per cœlum enim omnibus præbet vitam Iupiter. *Apul. Asclepius.* Cœli partes non sunt, quæ sunt infra cœlum, alioqui non vsque ad lunam duntaxat cœlum protenderetur. *Plotin. En. 2. lib. 1. c. 5.* Cœlum nil aliud est præter ignem, qui nullam aliam ignis qualitatem habet; præter lumen à flamma diuersum, calorem tantùm lenem, & suauem, & lumen hoc est corpus à quo emicat lumen æquiuocum, quod esse dicimus incorporeum, quod ab illo lumine pēdet, ex illo micās quasi flos eius, atque decor, quod vtique verè dicitur corpus albũ caustere. *idem, ibid. c. 7.*

Cœlum qui diligentiùs suspicit stellasque splendorem impensius contuetur, protinus authorem mundi cogitat, & perquirit, sic & qui mundum intelligibilem intuetur, cernit, admiratur effectorem eius, diligenter inquirit quisnam ille sit qui mundum talem intelligibilem genuit, vel vbi, vel quomodo talem genuit filium intellectum puerum pulchrum, formosum, filium inquam à patre plenum. Iam verò pater ille summus, neque intellectus est, neque filius, aut puer, sed intellectu, puerôque superior, nam post ipsum intellectus & puer, alimoniâ, & intelligentiâ indigens, qui & proauus est ei, quod nullâ re indiget, nec intelligentiâ eget: plenitudinem, & intelligentiam veram filius habet, quoniã habet primò quod vero superius est, nec indiget, nec habet alioquin ipsum non esset bonũ. *Plot. En. 3. lib. 8. c. 10.*

Cœlum, & terra duæ sunt mansiones, altera malorum vacua, altera & bonum, & malum confusè retinet. Hinc bona ea altera mansione defluunt. mala autem suâ malignitate insurgunt, malignitas verò duplex aut affectio materiæ, aut animi licentia. *Max. Tyrius serm. 26.* Cœlum est anima cœli seipsam accommodans oculis, rebúsque caducis & circulus ille est circuitus animæ, lumen est eiusdem intellectus; & vt in corporum infimo forma fit materialis, sic in summo materia fit formalis. *Iamblichus de mysteriis.*

Cœlum multis dicitur modis, partim pro mundi superficie, partimque sphæra, quæ aplanes dicitur, propriè verò omne hoc, quod à lunari globo surgit, communiter quod supra nos est, in qua regione nubila concrescunt, & aliquando superius vbi sunt astra, & cœlum pro toto mundo sumimus. *Chalcidius in Plato. Timæum.* Cœlum firmamentum appellatum, vt corpus quod firmum est, & solidum tres dimensiones habens. *Philo, de mundi opificio.* Cœlum vocat Moses mentem, quia intelligibiles in eo sunt naturæ. *idem, in legum alleg. lib. 1.* Cœlum animatum esse non modò Plato, sed Aristoteles, & Theophrastus scriptum reliquerunt. *Bess. in calum. Platonis, lib. 2. c. 10.*

Cœlum dicitur virtus in opifice mundi excellenter cuncta comprehendens atq; in viuens, firmitas verò terra hoc cœlo, hac terra dij, dæmonésq; sunt progeniti omnes vtriusq; participes: per hæc nati quinque sunt fœcunditatem ad motum rationésque distinctionis in motibus, illa Oceanus appellatur, hæc Tethys: per hæc habent seminariam rationem quasi Phorcyn, specialem distinctionem quasi Saturnum, harum productionem quasi Rheam. *Fic. in Pla. Timæum, c. 13.* Cœlum est quasi spiritus efflatus ea ore diuini oris anima, ideóque omnia viuificans, & nutriens, est quasi oculus quidã, visusq; animæ quo sæpe affectus animæ nobis, & consilium indicatur, eius radiis, & ictu ire omnia coalescunt. *idem, in Plot. En. 1. lib. 1. c. 3.*

Cœlum sublime formas corporum reliquorum, vel actu, vel actiuâ virtute complecti dicere possumus. *Fic. in Plat. Theol. lib. 10. c. 2.* Cœlum est harmonicâ ratione compositum, harmonicè mouetur, & harmonicis motibus, atque sonis efficit omnia; meritò per harmoniam solam non solùm homines, sed etiã inferiora hæc omnia pro viribus ad capiēda cœlestia præparãtur. *idem, de vita cœlitus cōparanda, lib. 2. c. 22.*

Cœlum nō panditur, nisi mentibus ipsum fide quærentibus spe petentibus, charitate pulsantibus. *Ficin. epist. lib. 2.* Cœlum multo significat, quæ ab ipso nō fiũt. *idem, epist. lib. 7.* Cœlũ Platonici summum Deum vocant, quia vt cœlum istud sublime corpus omnia regit, & cōtinet, sic summus ille Deus omnes spiritus superiores continet: mentem verò pluribus nominibus nuncupant, modò Saturnũ, modò Iouē, modò Venerē: nāq; mens est, viuit, intelligit: essentia Saturnus, vita Iupiter, intelligentia Venus appellatur. *idē, in Plat. conuiu. or. 2. c. 7.*

Cœlum interpretatur Plato esse visionem superna spectantē, Vranos est intellectuale deorũ genus intelligibilia sursum spectãs. *Fic. in Plat. Phædr. c. 21.* Cœlum nisi elementorum elementaliúmq; comprehendat vires, hæc inferiora non gubernabit, & gubernans complectitur, imò complectendo gubernat. *idem, in Plat. Timæum, c. 24.*

Cœlum igneum esse diffidunt aliqui, quia cœli motus est circularis, ignis rectus, nã etiã cœli portio quælibet si ponatur in medio, repente ascendet in rectum breuiori scilicet tramite patriã petitura, & tamen cœli motus proprius est circulus & terra si à centro separetur descēdet, cùm eius proprium sit quiescere. *Fic. in Plat. Timæum, c. 25.* Cœlum cùm sit ignis, & ignis vbique ob tenuissimam eius naturam sit, & cœlu vbiq; hunc naturã suã esse conijcere potes. *idē, ibid. c. 47.*

Cœlum ea de re ignē appellat Plato, quòd propriam habeat lucem, quæ præcipua ignis est qualitas: habet & perennē motum, qualē videmus in igne, & instar ignis non patitur mixtionē, & quia nondũ naturali depellatur loco, ideò non cogitur ascensu redire, sed reuoluitur, & actu lucet, virtute calet, omnino verũ diuersissimi est generis à nostro. *Ficin. in Plat. legum appendicem.* Cœlũ solum solus dicitur ignis, reliqua ignita dicuntur. *idem, in Plot. En. 2. lib. 1. c. 3.*

Cœlum appellauerunt Pythagorici Dei lyram. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 4.* Cœlum corpus est optimum, diuinitati quàm proximũ, itaque pars vnaquęque cœli optima prorsus est, ac diuina. *idē, ibid.* Cœlũ est quasi oculus cœlestis animæ hoc diaphano simul atq; lumine cuncta prouidentis. *ibid. lib. 9. c. 3.*

Cœlũ corpus naturale est, omniũ corporum naturalium perfectissimũ. *Ia. Fr. Pic. Mir. in* ... *lib. 3. c. 4.* Cœlũ cùm sit corpus naturale perfectissimũ, & corpori naturali tam motus, quàm sensibilis qualitas cōpetant, ideò cœli perfectissimus motus, & qualitas sensibilium perfectissima cōgruunt. nullus motus orbiculari perfectior, nulla qualitas luce perfectior, ergo hæc cœlestis corporis propria sunt. *idem, ibid.* Cœlu inmarcescibile est, quãdo motus eius, & qualitas cōtrarium nihil habeat. *idem, ibid.* Cœli pars oriens efficacior est occidentali. *idem, ibid. c. 23.*

Cœli regionē dextrã esse orientē, occidentē sinistram opinati sunt Pythagoras, Plato, & Arist. contra Empedocles. *Ia. Fr. Pic. Mir. in ex. va. doct. gen. lib. 5. c. 12.* Cœlos alij igneos esse voluere, alij crystallinos, alij quintæ naturę ab inferioribus omnino seiunctæ, cuius auctor primus fuit Aristot. *idem, ibid.* Cœli diuinitas non est aliud quàm barbarorum superstitio. *Steuch. de peren. phil. lib. 8. c. 1.*

Cœlum in terram non secus, ac mas in fœminam fœcundissimũ semen suum transfundere videtur. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.* Cœlũ propter suã simplicissimã, maximéque spiritalē naturã eiusdem membris atque instrumentis, septem videlicet planetis, corpora ista inferiora gignit, atque cognoscit: quod quidē in homine cæterisque perfectis animãtibus vsu venire minimè potuit. *idem, ibid.* Cœlē apud philosophos est animal quoddã perfectũ. *ibid.* Cœlũ ex duabus constat naturis, ætherea, ac lucida. *ibid.* Cœli Sole, & cæteris astris non secus, ac splendidissimis quibusdam, & purgatissimis oculis acutissimè cernunt. *ibid. dial. 3.*

Cæli vires.

Cœli virtus quanta sit patet, cùm formæ ipsius imago, id est, lumen res omnes apud nos efficiat, atque conseruet. *Fic. in Plotin. En. 2. lib. 6. cap. 3.* Cœlorum fingere licet non multas esse sphæras, sed vnicam, tum implentem omnia, tum etiam circumfusam, quæ motum illum habeat, quem primi mobilis esse volunt, stellæ verò omnes tum huius motu ducantur, tum etiam propriâ progressione percurrant, cedente vbique sine vlla offensione cœlo, si modò cessione sit opus, sic potissimùm stellæ habere vitas proprias videbuntur si animalium more progrediantur, non plantarum modo figantur; sic & præter illarum animas vna erit sphæræ totius anima. Ego verò hæc fortè defenderem, vt probabilia, nisi me magnorum virorum authoritas contineret. *idem, in Plot. Enn. 2. lib. 2. cap. 3.*

Cœlum virtutes habere valdè ab his quæ pugnant in elementis alienas coniectamus ex eo quod omnibus in rebus, quæ ex elementorum qualitatibus commiscentur, insunt mirificæ quædam vires, & præter & supra naturam elementorum quas speciales proprietates appellant, speciebus his cælitus attributas. *Fic. in Plot. Enn. 2. lib. 3. cap. 4.* Cœlum decimum est fons lucis, & in eo lucis sunt thesauri, & quicquid habere luminis visitur corporibus quasi à primo fonte in cætera deriuatur. *Io. Pic. Mir. in Heptaplo, lib. 2. cap. 1.* Cœlum decimũ immobile finum manens, supra septem planetas, & sphæram octauam, & nonum orbem esse creditum est non solùm à iunioribus Strabone; & Beda, sed à multis alijs, *idem, ibidem.*

Cæli quot sunt, eorum ordo, & motus.

Cœli motus circularis perpetuus est, quia cœlestes substantiæ semper seruantes motum inuariabilem, & incessabilem, incorruptibiles sunt. *Arist. Theol. Ægyp. lib. 3. cap. 4.* Cœlum cùm semper moueatur, & vltra ipsum nullus sit locus, quo tẽdat accessio, continuatione perpetuæ in se reditionis agitatur. *Macrob. in somn. Scip. lib. 2.*

Cœlum circulo mouetur, quia mentem imitatur. *Plot. En. 2. lib. 2. cap. 1.* Cœlum circulo mouetur ex motione corporea, & animali mixta, nam cùm corpus suapte naturâ feratur in rectum, anima verò contineat, ita ex vtrisque conficitur motio quædam, in qua ferri simul est, atque manere. *idem, ibid.*

Cœlum quomodo circulo mouetur, cùm omne corpus, & ipse ignis motu recto moueatur? fortè dicendum est, viâ rectâ procedere donec eò perueniat, vbi esse est naturaliter institutum; vt enim ordine institutum est ita videtur, & manere secundùm naturam, & ferri in quod est ordinatum. *Plot. En. 2. lib. 2. cap. 1.* Cœlum quiesceret si alicubi quiesceret eius anima, quum tandem ad animam peruenisset, nunc verò cùm anima ipsa quam appetit totam se per totum fundat, nimirum ipsum quoque passim sequitur animam, & fortè sic eam assequitur, imò ipsa potius cœlum ad se semper agens semper agendo mouet, & semper non alio quidem mouens, sed ad se ipsam, & in eadem, non in rectum, sed circulo ducens, ideò tradit illi, vt quocunque peruenit ibi reperiat ipsam, etsi quiesceret anima, quiesceret & cœlum. *idem, ibid.*

Cœli nec pars vlla etiam ingens potentiam habet ad rationes mundi seminarias ex suo ordine deturbandas, vel ad res, quæ secundùm huiusmodi rationes proficiscuntur, à sua specie mutandas: & quamuis mutationem quandam tum in melius tum in peius possit afferre, non tamen à natura propria potest extrudere facit autem deterius, vel secundùm corpus debilitatem inferens, vel secundùm animam, vt ex accidenti quod à prauitatis causa fit in anima illa compatiente, & à superiori tradita inferiori, vel quando corpore malè composito impedimentum affertur ad actionem animæ per corpus explendam, vt si lyra non sit ita composita, & temperata, vt queat suscipere perfectam harmoniam ad musicos sonos perficiendos. *Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 13.*

Cœlum suo motu conseruat elementa, & vniuersi ordinem, & integritatem, non secus ac vis, potestásque particularis in corde residens corpus particulare continet ac fouet, ne diffluat, & dissoluatur. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione, lib. 5 cap. 5.* Cœlum concentu, & motionum concinnitate plenum est. *Proclus in Alcib. 2.* Cœlum perpetuo concentu suorum motuum reddit harmoniam suauissimam quæ si possit ad nostras aures peruenire; in nobis excitaret impotentes amores, & insanum desiderium, quo stimulati rerum ad victum necessariarum obliuisceremur. *Phil. de somniis.*

Cœlum per se cùm sit perpetuo mobile, ideòque indigum, ordo in suo motu stabilis non ex ipso prouenit, sed à superno motore prorsus immobili, atque indiuiduo. *Fic. in Pla. Theo. lib. 2. cap. 5.* Cœlum mouet proximè anima rationalis, & ipsis mundi sphæris nulli corpori magis vita intrinseca est. *idem, ibid. lib. 4. cap. 2.* Cœlum mouetur ab intelligentia: quod patet quod cœli corpus motibus suis ita ordinat elementa, & disponit composita, vt animæ intellectuales compositis corporibus infundantur, quæ cœlesti corpore valdè præstantiores sunt. *ibid.*

Cœlos mouent animæ cœlestes appetitu, vt anima tua tuum corpus per appetitum mouet, qui & illic à cogitatione excitatur, & illic à lege fatali illius animæ excitatur. *Plat. Th. lib. 4. cap. 2.*

Cœlum quodam excessu lætitiæ gestiens quiescere nescit. *idem, epist. lib. 2.* Cœlum si in forma sua motúque procul ab extensa materia cogitaueris, ipsam proculdubio mundi animam cogitabis, cuius cœlum imago est, reliquum duntaxat vmbra, illa est cœlum indiuiduum, cœlum est anima iam extensa. *idem, in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 3.*

Cœli motus circularis localis est per accidens, id est secundùm suipartes pertransit loci partes per accidens, id est non ex proposito animæ principali. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 2. cap. 2.*

Cœli motus non est omnino localis, nam locum quem ab initio nactum est nunquam mutat, nec totum hinc illuc aliquando transit, sed partibus quodammodo transeuntibus totum conquiescit. *idem, ibid.*

Cœlum per omnia diffusum est, & corpora omnia, vel cœli partes sunt, vel partibus eius annexa, ideòque cœli tractu mouentur. *Fic. in Plot. Enn. 2. lib. 2. cap. 2.* Cœlum motum in orbem sequitur suæ vitæ motum, quatenus huiusmodi vita à superiori virtute, substantiáque velus orbe comprehenditur & retorquetur in orbem. *idem, ibid. cap. 3.*

Cœlum per orbem mouetur, quoniam intelligentiam imitatur proximè intelligẽtiam cœlestis animæ, altius autem intelligentiam diuinæ mentis. Hæc enim primus circuitus est tum à bono retortus in bonum, & ipsam boni lucem, tum ex intellectu in eundem intellectum per formas proprias reuolutus circuitus fit & in anima virtute mentis, & in cœlo mentis imitatione peragitur; sed in mente, & quamuis intelligentia momento fit æterno, in discursione verò animæ propria saltem particulari fit tempore; in cœlo tandem nõ corpore tantùm, sed loco etiam cogitur indigere, qualiscunque sit locus. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 2. cap. 3.*

Cœli motus circularis nec est alteratio, quia non mutat formam, nec localis, quia non mutat locum, sed est vitalis, id est proprius vitæ interioris actus, pariter, & iudicium, nam agere in se, mouerique ex intimis proprium est viuentium, & motus cœlestium est eiusmodi, vt in animalibus pulsus, & cordis motus, & nutritio in plantis. *Fic. in Plo. En. 4. lib. 4. cap. 8.* Cœlum vt moueatur habet ab anima, vt in orbem habet ab intellectu, vel anima iam intellectuali. *idem, in Plo. En. 5. lib. 1. cap. 5.*

Cœlo debent primos motus, quare quod primo motu mouetur reliqua mota mouet, & ipso cessante reliqua non mouebuntur. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 3. cap. 4.* Cœlos alij octo, alij nouem, alij plusquam triginta, & quadraginta constituere. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exa. van. doct. gen. lib. 1. c. 12.*

Cœlorum ordo varius apud philosophos: nam Plato post cœlũ non errantem statuit primò Saturnum, deinde Iouem, Martem, Venerem Mercurium, Solem, & Lunã; contra Anaximander, & Metrodorus Chius, & Crates supremum omnium fecerunt Solem, deinceps Lunam, postea verò immobilium sphæram stellarum, & cæteros planetas: Aristarchus post sphæram inerrantium stellarum primum posuit Solem, medium Solem posuerunt veteres mathematici, & Ptolomæus; at Alpharagius Solem supra Mercurium, & Venerem in medio posuit. *Io. Fr. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib. 2. cap. 12.*

Cæli cognitio, & vt in inferiora agit.

Cœli perfectiùs doctrinam docuit Plato, quàm Aristoteles, in qua non differunt inter se. *Bess. in calumniat. Plat. lib. 1. cap. 6.*

Cœlum cogitando mundi animam cogitabis: illa est forma simplex, cœlum est corpus simplex, illa nõ habet partes, hoc nunquã separatur in partes, illa vnico actu id est animaduersione sui præcipuũ complet officium, hoc perpetuũ in seipsum conuersione omnia peragit, anima immotabilis est essentiâ, quamuis mutabilis quodam modo sit quadam discursionis sphæricæ mutatione formali, cœlum similiter substantiâ non mutatur, dum actione reuoluitur; anima semper similiter agit, atque in ipsa etiam formarum suarum dissimilitudine reuolutionum vices restituit similes, cœlum mouet quoque immutabiliter, ac dum configurationes quasdam, & extrinsecus habitus mutare videtur, interea centrum, circunferentiámque conseruat, eisdemque curriculis tem-

lis temporum,& repetit eadem & similia recreat: In anima prius est intelligentiæ lumen, deinde quasi calor est voluntatis affectus, in cœlo lumen præcedit vbique calorem;& vt ibi voluntas est quasi terminus intellectus,& intelligere,& velle, ita hic calor est quasi quidã lucis terminus,& lucere, calere, sed quam purè lucet,& latè, tam calet innoxiè; hinc fit vt in materijs cœlo similibus, id est diaphanis & translucidis calefactionẽ præcedat illuminatio, in opacis vicissim. *Fic.in Plot. En.2.lib.3.cap.5.*

Cœlum quod datur nobis, degenerat quinque de causis; prima quia quod prodit ex causa præsertim superiore, eo ipso quòd exit etiam deficit inde: secunda, quoniam dum id accipitur in viliore materia, pro vilitate materiæ capitur: tertia, cùm accipientis natura longè diuersa sit, inde quod accipit non deterius tantùm reddit, sed nimium ratione diuersum: quarta dum subiectum præter cœleste munus varia insuper capiat aliunde, tum inter se repugnantia, tum à cœlo diuersa, meritò non solùm inficit cœleste donum, sed valdè confundit, redditque secum passionibus frequenter obnoxium: quinta, quoniam ex omnibus inter se confusis resultat nouum aliquid priori origini dissimillimum omnino verè inferioris naturæ debilitas obnoxia passionis, sæpe bonum cœleste non sustinet,& competenti ad illud proportione carens ægrè patitur sub eo etiam quod salubriter agit. *Fic.in Plot. Enn.2.lib.3 cap.17.*

Cœli sub eadem dispositione multi nascuntur qui dissimilem sortiuntur euentum, quoniam & aliquis ante natiuitatem, vel ante conceptionem etiam trahuntur fati primordia,& pro inferiorem concursu expletur fati conditio *Fic.in Plot.En.2. lib.3.cap.15.* Cœlum in omnia hæc inferiora agit, non consilio quodam eligente talis vel taliter agere, nec corporeis solùm qualitatibus, sed naturalibus quibusdam vegetalis actiuæ viribus similibus, quibusdam viribus inter consilium,& corporeas qualitates quasi medijs anima nostra corporis humores,& membra eorum per figuras,& qualitates quotidie reficit *idem, in Plot.En.4.lib 4.cap.32.*

Cœlum si est causa vniuersalis, varietas,& distinctio particularium non est ab eo; si in eo particularium sunt potestates, ac effectrices virtutes, non tantùm eo modo, vt astrologi vaticinantur, cùm nec fortuita in causas naturales, nec mala in optimos autores, nec quæ à ratione,& consilio proficiscuntur, in principia naturali necessitate efficientia, nec incorporea radios, nec præterita, nec futura in præsentem constellationem, nec quæ ad alios attinent in nostram genituram referri vlla ratione valeantur. *Ioan.Pic.Mir.in Astrolo.lib. 4.cap 12.* cœlum non potest eius rei signum esse cuius non est causa. *idem, ibid.cap 12.*

Cœlum non potest inferiora significare, nisi quatenus causa effectum suum indicat. *Ioan.Pic.Mir.in Astrolo.lib.4.cap.10.* Cœli eandem & siderum redire positionem, quæ alias fuerit, impossibile est *idem, ibid lib.6 cap.1.* Cœlum statuit Moyses causam agentem, terram materialem. *idem, in Hep lib.1. cap 2.* Cœlum in nos agit tantùm lumine,& motu,& à lumine non aliud communicatur materiæ patienti quàm motus, lumen, calor *idem.in Astro.lib.3.cap.1.*

Cœlum est causa vniuersalis inferiorum effectuum: at causa vniuersalis effectus non distinguit, sed à proximis causis, quæ variæ & differentes sunt pro effectuum differentia,& varietate, cùm ex his alia aliud faciat, vniuersalis causa cũ omnibus omnia facit. *Io.Pic.Mir.in Astro.lib.3 cap. 3.* Cœlum an faciat frigiditatem per se an per accidens, respondendum si quæras quid se ipso faciat cœlum nullâ mediâ causâ, fieri ab illo per se tantùm calorem cæteras qualitates ex accidenti, vt calor per accidens frigefacit: si verò quid tanquam vniuersalis causa cum secundarijs agat, agere per se tam frigiditatem, quàm caliditatem, tam siccitatem, quàm humiditatem, nam cùm generat elementorum substantiam, cum illi etiam generat qualitates. *idem, ibid.cap.4.*

Cœlum aeris mutationes ad calorem, frigus humorem,& siccitatem nullâ mediâ causa facere potest, quas ideò tamen vniuersaliter facit, quoniam ex se tantùm salubriter calefaciens facit, cætera ex accidenti pro conditione materiæ, vt vno & eodem calore durescit limus,& cera liquescit,& sub eodem Sole linea dum lauantur albescunt,& nigratur lauantis facies, in quo motus Solis,& planetarum, quem diximus, accidentalis plurimum potest, id est accessus,& recessus *Io.Pic.Mir.in Astrolo.lib.3.cap 12.* Cœlum causa est vniuersalis, nec inde effectuum distinctio præsertim substantialis & principalis petenda est. *idem.ibid.cap 13.*

Cœli natura non videtur breuius,& apertius explicare posse quam si dixerit cœlum esse omnium corporum vnitatem, nulla enim multitudo est, quæ à sua vnitate non dependeat, & pars quælibet cœli totus est mundus interior exceptis quæ in mundo sunt, sed non ex mundo: est ergo in virtute cuiuslibet stellæ virtus omnis corporum caducorum, nec in hoc differunt stellarum diuersarum virtutes quòd alijs aliæ præsint, cùm præsint omnibus omnes,& superior quæ inferiorem continet, sed nobiliori modo. *Ioan Pic.Mir.in Astrol.lib.3 cap.25.*

Cœlum authorem esse rerum terrenarum, nihil tam excellens fit in terris, quod miretur *Io.Pic.Mir.in Astrolo.lib.3.cap.2.* Cœli non solùm inferiora, verum etiam sese mutuo maximo amore,& insigni quadam beneuolentia prosequuntur. *Leo hebre.de amore, dial 2.* Cœli erga omnia quæ ex terra & elementorum materia componuntur velut patris erga legitimos filios vehemens atque mirificus amor est *idem, ibidem. dial 2.*

Cœlum vt ingenitum, & incorruptibile.

Cœlum priusquam fieret, tria erant. id quod est, locus,& id quod fit *Plat.in Tim.* Cœlum priusquam factum esset ratione, erant idea, materia,& Deus opifex eius quod melius est, quandoquidem antiquius melius est recentiore & ordinatum inordinato. Deus qui bonus est cùm videret materiam suscipere ideam & omnibus modis alterari, sed sine ordine, opus habebat vt ipsam ad ordinem adduceret,& ex indefinitis mutationibus in definitas constitueret, quo consequentes discretiones corporũ fierent,& non spontaneas mutationes susciperent. fecit hunc mundũ ex vniuersa materia terminũ constituens naturæ eius quod est. eo quòd omnia in seipso complecteretur, vnum vnicè factum, perfectum animatum,& ratione præditum. *Tim.Locrus de anima mundi & nat.*

Cœlum hoc sicut factum est ad exemplar sempiternum mundi in specie exstantis: ita ad exemplar ipsius æui, quod est imago non facti temporis, hoc tempus cum mundo creatum est. *Tim.Locrus de mundi anima & natur.* Cœlorum artifex igne potissimum ad suam fabricam vtitur. *Mer.Trism.pimander.cap.10.*

Cœlum non est è natura elementorum, alioqui esset corruptibile, sed non est generabile, nec corruptibile, imò est causa generationis. *Arist.a.de causis proprietatum elementorum.* Cœlum est corpus omnia complectens corpora præter ipsum supremum aerem. *Speusip.de Plat.d finem.* Cœlo nihil effluit, quia naturalis, & tam sublimis sua sponte non defluit, nec est ibi quicquam quo impellente deorsum præcipitetur,& nullo modo ex anima destituitur:& ignis elementaris si propinquat cœlo, repente ad cœlestem permutatur naturam, priusquam cœlum patiatur ab ipso, item & magnitudine minor est,& robore longissimè cedit. *Plot.En.2.lib. 3 cap 8.*

Cœli immortalitatis causam si quis adduxerit animam esse vnã cum corporibus adeò puris, omnibusque melioribus. quãdoquidem & in cæteris animalibus natura pro membris principalibus elegit meliora, is verè solidam de immortalitate cœli sententiam in medium, adduxisse videtur. *Plot. En. 2 lib.1.cap 4.* Cœlo incorporeo vnumquodque semper permanet; in hoc autem cœlo totum viuit semper,& quæcunque honoranda sunt,& præcipua permanent, animæ vicissim corpora permutantes alia in alia fiunt specie,& quoties anima potest extra generationem posita, vnà cum anima vniuersa viuit *idem. En.3 lib 2 cap.4.*

Cœlum primò factum esse consentaneum est, cùm sit præstantissimum,& è purissima essentia,& deorum non apparentium nec sensui parentium destinatum domicilium. *Phi.de mundi opif.12.* Cœli anima animorum est præstantissima, cum corporis præstantissimi sit anima. *Fic.in Plat.Theolog. Lib.4.cap.1* Cœli anima tota simul est in quibuslibet cœli punctis, ideò cœlum vt tota sua anima fruatur currit per omnes sui partes,& rapidissimè aduolat, vt quod fieri potest totum sit simul vbique, vbicunque tota simul sit anima. *idem, in Plat.commentar.3.cap.2.*

Cœli immortalitatis causam esse vult Plotinus vitam intellectualem, id est animam eius à diuinitate nunquam digredientem, ita ipsam corpoream cœli naturam, quamuis non sit immortalitatis propriè causa, tamen accommodatione quadam ad perseuerantiam conferre perpetuam, dum conseruanti semper causæ, aptè, opportunè, libenter obtẽperat. *Mar. Fic.in Pla. En.2.lib.1.* Cœlũ incorruptibile dum asserit Aristoteles, quis æquo animo feret, quòd Dij cœlos habitent, qui incorruptibiles sunt? *Ioan.Fran.Picus Mirand. in exam.van doct.gen.lib.6.cap 9.*

Cœli materia eam solam retinuit potestatem, quæ actum perpetui motus in orbem respicit. *Iac. Carpentarius in Alcinoi. cap 7.* Cœli materia cum inferiorum materia eadem est secundùm generalem primorum principiorum rationem, quæ libro primo physicorum explicatur, diuersa verò, quia

non eodem modo ad potestatem, aut ad priuationem quæ hanc continet in iis & illis est affecta. In cœlestibus sic ea formæ substantiæ quæ adest materiâ fruitur, vt aliam non expetat, qua priuata esse dicatur: in his verò nunquam est sine alicuius formæ quam expetit priuatione, & sic ea in cœli æternitate consistit, hæc cum corporum fluxu, & mutatione. *idem, ibid.*

Cœlum componi ex elementis quatuor, sed maiorem portionem ignis, & elementa puriora esse, plures Platonici de mente Platonis dixerunt: Plotinus ait terram non esse ponendam in vllo, & Plato ipse æthercam naturam simplicem videtur agnoscere, cùm quinque corpora sint, ignis, aqua, aer, terra, & æther. *Iac. Car. in Alci. cap.* 10. Cœlum Chaldæorum sapientes ex aqua, & igne compositum voluerunt. *idem. ibid.*

Cœli substantia liquidissima potuit ab opifice secerni, & seligi. Empedocles putauit esse ex aere ab igne instar crystalli densato: in quo igneũ, & aereum ipsum Aristoteles ex quinto corpore igne, vel ex calida, & frigida contemperatione. *Aug. Steuch. de perenni philo. lib.* 7. *cap.* 5. Cœlum est potissima causa, vt quatuor elementa quamuis suapte naturâ contraria permisceantur, atque in vnum coniungantur. *Leo, He. de amore, diala.*

Cœlum vt materiam habet, & eius proprietas.

Cœli fusum torquetur inter necessitatis genua. & supernè in singulis circulis sedere syrenem quæ simul circunfertur, & vnam emittit vocem, & ex octo vna fit harmonia. *Plat. de rep. dial.* 10. Cœlum vltra deorum generationem si perfectus esse debet, oportet alia tria habere, quæ si immediatè à Deo fiant, & vitã participent, Dijs æqualia erunt: quo verò & mortalia sint, & vniuersum totum sit, Dij deorum animalium opificium agredi debent imitantes deorum ortum. *idem, in Timæo.*

Cœlum, & cœlestes delectantur hominum admirationibus, adorationibus, laudibus obsequijs, & ideò musarum chorus est demissus à summa diuinitate, ne mundus videretur incultior. *Me cu. Tris. Asclepius cap.* 45. Cœlum ab omni parte terræ æqualiter distat. *Macr. in som Scip. lib.* 1. Cœli Dominus est Deus mensuris nobis ignotis terminatur, & circũscribitur. *Phi. de eo qui rerum diuina. hares.*

Cœlum homine nobilius fatetur Arist. sexto ethicorum, proprius enim est, & Deus virtute fruitur. *Bess. in calum. Plat. lib.* 3. *cap.* 10. Cœlum ad hominem ordinatum est vt superius, non vt inferius. *idem, ibidem.* Cœlo inest forma bonitatis primæ cupida, & effectria motus. *Fic. in Plat. Theol. lib.* 2 *ca.* 1 Cœlum maximè temperatum absolutissimam in se vitam possidet: nam corpora quo magis temperata sunt, diutius viuunt. *idem, de vita cœlitus compa. lib.* 3. *cap.* 19.

Cœlo nullus inest elementaris qualitatis excessus, alioqui iam dissolutum esset, & si simplex. tot seculis tantâ magnitudine cætera perdidisset, sed vt moderatissimũ omnia moderatur. *Fic. de vita cœlitus compa lib.* 3 *cap.* 19. Cœlo non habere materiam putat Aristoteles, Auerrois, & Proclus. *idem, epist. lib.* 2. Cœlum quia materiâ caret maximè fulget. *ibid.*

Cœlum cùm sit sine materia, spiritale quodammodo esse videtur Platonicis magis quàm corporale: est ergo lux circularis, circulus lucidus sine materia, & vt Platonicis placet. aut vita est quædam non occulta, vt anima, sed ob dimensionem sui vis oculis manifesta, aut cùm sit natura quædam vitæ propinquior, quàm cætera corpora, & vitâ quadam sibi magis admodum familiari viuit, quàm cætera. *Fic. in epist. lib.* 2. Cœlum est lux absque materia quodammodo corporale. *idem, ibid.*

Cœlum, etsi in se, non tamen ex se, sed superiorum claritate. & gaudio refulget, & gestit, vt oculus ex spiritus claritate, & animi lætitiã. *Fic epist. lib.* 2. Cœlorum sphæræ, vt Pythagorici arbitrantur, ad gaudentium numinum cantum choreas ducunt *idem, de lumine cap.* 5. Cœlum, quia valdè particeps est principij rerum, quod est ipsum bonum, ideò euidenter habet multa ad bonũ peculiariter pertinentia, ideò cœlum est principium corporeorum omnium, & finis: generat hæc vt principium. & conseruat. & definit vnicuique tempus, & locum, & ad imitationem sui pro viribus omnia reuocat, substantiámque ea bono possidet immutabilẽ. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Cœlum reperiunt nulli, nisi qui cœlorum regi placuerunt placent qui eum summopere diligunt. *Fic. in Plat. conuiu. or.* 4. *cap.* 6. Cœlum quo pacto, vt ita loquar, totum parui oculi pupilla caperetur, si modo corporali reciperetur: sed spiritus in puncto omnem corporis amplitudinem spirituali modo, & incorporeo ab imagine suscipit. *idem, in Plat. conu. or.* 5. *cap.* 3.

Cœlum ita est propinquũ animæ, & vicissim, vt quod est motus vitalis in anima, in cœlo euadat dimensio, & circuitus quod in anima intellectus est, in cœlo lumen. *Fic. in Plat. phædrum. cap.* 8. Cœlum si nullam habet materiam, vt multi putant solã dimensione subductã fit anima: atque hæc in solam porrecta dimensionem, quàm facile fingitur subitura, quia semper est in motu, fit è vestigio cœlum. *idem, ibid.* Cœlo tanta inest facilitas, vt formetur, quanta potentia est in anima vt formetur. *ibid.*

Cœlum quia lucet ideò calet, *Fic. in Plat. de rep. dial.* 7. Cœlũ duos axes habet in formam X se intersecantes, directósque ad quatuor polos, quorum duo sunt firmamenti, duo orbium reliquorum, qui aliter mouentur ac firmamentum, & inter hos Sol, Venus, Mercurius mouentur inter se motu fermè æquali. *idem, in Plat. Tim. cap.* 15.

Cœlum igneum esse summatim concludit Plotinus & hunc purum, & solum, cuius forma sensibilis fit primo quidem lumen, deinde calor innoxius & vitalis, sed geminam hanc formam vult ab insensibili proficisci ipsius cœli forma, calorem à vita, lumen ab intellectu, eius substantiam sempiternam esse, & motum perpetuum. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *in summa totius libri.*

Cœli lumen quantum est in perspicuo, intellectum animæ repræsentat, quãtum in mota, lætitiam: solum quidẽ lumen est intelligentiæ imago, cæteræ verò formæ siue in cœlo sint, siue in aliis fiant per cœlũ, alias ideas referũt in ipso intellectu conceptas, quæ item per intelligentiam illic concipiuntur, & discernuntur, vt per lumen hic cæteræ qualitates; & vt per totum mundum intelligibilem est idem actus intelligentiæ, ita per hunc totum perspicuus quidam lucidúsque spiritus illius imago formas passim efficiens, atque discernens, vt ille. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *cap.* 3.

Cœli dispositionem, primordia fati vniuscuiusque, inferiorum concursũ omnia potest ita simul complecti, vt quid ex eorum complexione, vt ea causa sequatur, perfectè cognoscat. *Fic. in Plot. En* 2 *lib.* 3. *cap.* 15. Cœlum cuncta calefacit, & viuificat, & cùm augeat, & foueat omnia, nihil vrit. *idem, En* 2 *lib.* 9. *cap.* 15. Cœlo, nec Deus dum per cœlum in inferiora agit aufert munera sua, nec cœlum dum per causas inferiores agit in nostra, interim proprias naturalésqae his causis vires, actionésque subducit. *idem, de fato, cap.* 1.

Cœli corporei proprium est motus, incorporei status, ideò cœlum hoc quantò magis mouetur tantũ magis agit in terris, & generas, sic & illud quo verius permanet, eo veriùs & hoc facit totum, & in hoc omnia facit. *Fic. in Plot. En.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. Cœli natura diaphana proficiscitur à cœlesti quodam lumine secundùm ordinem vniuersi antecedente diaphanum emanantéque ab intellectuali lumine. *idem, in Plot. Enn.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3.

Cœlo homo non debet plus dare, quàm sit necesse, ne voluntati opificis, & ordine vniuersi repugnet. & simul ipsi cœlo, cui Dei consilia. & mundi ordo maximè cordi sunt, dum studet placere displiceat: quod admonens Chaldæi dicentes, ne augeas fatum, & Hieremias, ne timeatis signa cœli, quæ gentes timent. *Ioan. Pic. Mir. in Hep. lib.* 2 *cap.* 7.

Cœlum calida non conseruat calore eiusdem naturæ, & rationis, sed omnia calida. frigida, humida, & sicca suâ illâ qualitate souet, perficit, regit, moderatur, quæ nulla est ex illis quatuor, & omnes claudit in se, non quales in elementis sunt, sed quale quod multiplex est in vnitate concluditur, virtute scilicet principali. *Ioan Franc. Pic. Mir. de prænotione lib.* 5. *c.* 4.

Cœlum peribit cùm vsus eius inutilis erit, succedente enim vitã meliore nil eo opus erit. *Steuch. de mundi exitio.* Cœlum ad primam materiam eandem quam vir ad sibi dilectã coniugem, rationem obtinere videtur. *Leo Heb. de Amore dial.* 2. Cœlum, & terra non secus. ac vir & vxor sese mutuò diligunt, ambóque res ex eius genitas haud aliter, quàm parentes ipsos liberos, itemque res genitæ cœlum ac terram, tanquam filij parentes adamare videntur. *idem, ibid.*

Cœli ex antiquissimorum poetarum sententia vaporibus nutriuntur. *Leo. Heb. de Am. dial.* 2. Cœli duæ tantùm positionis differentiæ, superior videlicet ac inferior, reipsa sunt diuisæ, atque secretæ: reliquæ verò quatuor differentiæ non re, sed ratione tantùm motus distinguuntur. *idem, ibi.* Cœlorum perspicacissimus auditus est *ibidem, dial.* 3. Cœlorum vniuersitas quadraginta nouem millibus annorum ab origine mundi transactis tandem dissoluetur *ibidem.*

Cœnæ aliqui reges, ac principes tibijs præcinentibus signa dabant, cum mensæ sternerentur, apponerentúrque fercula, vt inopes ad esum properarent. *Franc. Patric. de reg. lib.* 8. *cap.* 18. Cæsar aliquando pila lusit, & singulis collusoribus suis sestertia centena numerari iussit, vni L. Cæcilio quinquaginta tantùm: hic facetè, non vna manu ludo, tunc ridens Cæsar æquari iussit. *Franc. Patric. de reg. lib.* 5. *cap.* 9.

Cœundi

Coeundi amorem fabricauerunt Dei cùm mulieres creatę sūt fabricantes alterum animal in nobis, alterum in mulieribus,& tali modo vtrumque fecerunt. Potus transitum quo per pulmonem potus sub renes in vesicam delatus, vnà cum spiritu etiam id quod compressum est emittit, susceperunt, & in medullam ex capite in ceruicem,& per spinam compactam perforarunt quam semen vocauimus. Hæc, vt quæ animata esset,& respirationem faceret, qua parte effluxionis respirabant amorem perfecit vitali generandi cupiditate ipsi inductâ: quapropter pars ea in viris, quæ est circa pudendorum naturam inobediens,& sui iuris effecta, velut animal non audiens rationem per furiosas cupiditates omnibus dominari conatur,& pars in mulieribus vterus appellatus. *Plat. in Timæo.*

Coeuntia,& communicantia quadantenus inuicem si ab alio congregantur, illud ante ipsa est, si verò ipsa congregant se ipsa non opponuntur inuicem, opposita namque non properant inter se mutuò *Proc. elem. Theolog. propos.*

Cogitatio est sermo, quem ipsa anima ad seipsam narrat de ijs quæ considerat. *Pl. in Thea.* Cogitatio est animi ad se ipsum disputatio. *idem, in sophist.* Cogitatio,& sermo idem sunt, nisi quod disputatio, quæ fit absque voce, intra animā ad seipsam est cogitatio, qui verò ab illa per os procedit cū sono fluxus, sermo est appellatus. *ibidem.*

Cogitatio & opinio ad sensum vergunt. *Plotin. En. 1. lib 1 cap. 2.*

Cogitatio vera est intellectionum actus, ac sæpe exteriorum ad interna similitudo quædam atque communio. *idem, ibid. cap. 7.* Cogitationis officium non est mentis sed munus animæ partibilem actionem habentis in natura partibili. *idem, En. 3. li 9 cap. 1.*

Cogitationem vocat Plato discursum,& ratiocinium animi ipsius ad se ipsum. *Al. in. cap.* 4. Cogitanda sunt paucissima,& quæ paucissimi cogitant, hoc illud Pythagoræ est, principales vias declinato, ita diuerticula in exiguo cespite latet lepus, patent vbique mala, in angusto redactum est quod bonum est *Fic. ep. lib. 1.*

Cogitatio vera est intelligentia quædam latiùs explicata,& modò intellectum attingens vniuersales species intuetur, modò ad imaginationem vergens, per que ipsam ad animal vniuersales species ad particulares deriuat, modò his eum illis comparans, quo consentiant, quoue dissentiant discernit,& iudicat: ac si exordiatur ab intellectu atque inde descendat, tunc ab vniuersalibus descendit ad singula componendo, si ab imaginatione sumit occasionem altiùsque resurgat, à singulis ascendit ad vniuersalia resoluendo: hunc ordinem in anima obseruabis, vt eam habere meminerim species in mente,& vniuersales,& stabiles, at in ratione species vniuersales, sed quodammodo mobiles, in imaginatione particulares iam & mutabiles *Ficin. in Plotinu En. 1. lib. 1. cap. 9.*

Cogitatio, ratioque mobilis sæpe à phātasia excitatur, præsertim actiua ratio, quam solam phantasiam egere semper Aristoteles ait. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 4. cap 10.* Cogitatio, etsi non est cogitabile, habet tamen intrinsecus. *idem, ibid. cap. 3.* Cogitatio est vniuersalis opinio, particularisque ratio nuncupatur. *idem in Plat Theatet.*

Cogitatio per plura deinceps ordine currens est motus aliquis absolutâ notitiâ carens atque ob indigentiam veritatem, sapientiámque appetens continuatam; ideò discursio eiusmodi, vel consultatio, vel electio non pertinet ad mentem, vel animam mundi rectricem. possidentem ab æuo habitum sapientiæ plenum,& integrum, tum idearum, tum rationum seminalium plenitudinem, qua quidem plenitudine res futuras anticipat in præsentibus,& quibus modis sint futuræ discernit, quarum ipsamet est opifex, sola totius suæ materiæ dominans, nec impedimentis obnoxia. ideóque nec solicita vel ambigua, vel inquirens, sed naturâ suâ omniformi vniuersum sibi conformans, cùm verò hæc ipsa natura sit intelligentia,& voluntas, meritò non consilio tractat mundi materias, sed sapientiâ firmatum naturaliter, tum etiam voluntate fabricante *Fic. in Plot En. 4. lib. 4. cap. 12.*

Cogitationem rationalem non reddunt similem res externæ. *Fi. in Theophrastum, cap. 10.* Cogitatio fit, cùm interdum particularium species concipiuntur, interdum simol species,& genera. *Ia. Fr. Pic. Mir. in exam. van. d. et gent. lib 2. cap 18.*

Cogitationes posteriores prioribus meliores esse debent. *Iac. ca. prat. defens.*

Cognatum aliud est à simili. *Plat. in Lysidr.*

Cognita, quæ ad artem pertinent genere & specie esse possunt, quæ autem genere cognita sunt, eadem specie possunt esse incognita: quod si genere cognita capimus, non consultat artifex, si incognita specie,& tractatio eorum particularis anceps, ac dubia est, tum consultandum, quærendúmque est quid facto opus sit, quid magis expediat. *Bess. in Trapezuntium, lib. 6. cap. 2.*

Cognitionis diuisio.

Cognitio qua cognoscimus substantias separatas, est in alia specie quàm cognitio qua cognoscimus alia: diuinior cognitio sunt semper in anima per simplicem intuitum, vel contactum. *Iam. de mysteriis.* Cognitionis species quatuor sunt, sensus, imaginatio, ratio, intellectus. *Fic. in Dion. Areop. de trinitate.* Cognitionis sex vires in præsentia numerantur, Ratio, visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. ratio numini summo, visus igni, auditus aeri, vaporum odori olfactus, aquæ gustus, tactus terræ tribuitur. *idem, in Plat conu. or 3. cap 2.*

Cognitioni nostræ tria proueniunt, singulare quoddam, vt hic homo, species communicata singulis, vt homo, idea hominis super singula: & quoniam hæc tria essentiali quodam ordine à priori in posterius dispositiua differunt, vires quoq. propriæ cognoscentes hæc similiter inter se differunt: singulare imaginatio iudicat, speciem communem singulis ratio colligit,& discernit, ideam intellectus agnoscit,& quoniam idea longius differt à specie extra quam existit, quàm species ab indiuiduo in quo seruatur, ideò intellectus à ratione longius quàm ratio ab imaginatione distat. *Fic. in Plot. En 3 lib. 9 cap. 3.*

Cognitio duplex, vna ante amorem ab obiecto cognito seiuncta, altera post amorem cum obiecto cognito copulata. *Leo Heb. de Amor. dial. 4.* Cognitio triplex existit, naturalis, sensibilis,& rationalis. *idem, dial. 2.* Cognitio pulchritudinis duplex, habitualis, ac priuatiua. *idem, dial. 3.*

Cognitio quid est.

Cognitio ipsa desiderium esse videtur,& quasi inuentio quædam indaginem concomitans *Plot En. 5 lib. 3 cap* 10. Cognitio in nobis nil aliud est quàm spiritalis vnio ad formam aliquam spiritalem. *Fic in Plat. Theolog. lib. 3 cap* 2. Cognitio intellectualis est media inter diuinam cognitionem,& sensitiuam. *idem, in Plat. Theol. lib. 12. cap. 3.*

Cognitio quatenus naturæ appetentis est particeps in cognitione sua est quædam voluptas, nam in ipsa cognoscendi potentia est inquisitio,& inuentio, in potentia similiter appetendi est appetitio,& consecutio, inquisitio appetitioni similis est, inuentio consequutioni similis sicut igitur consequutio, sic & meritò voluptaria, nec tamen est idem penitus virtus appetens,& cognoscens, apud nos præsertim. nam multa cognoscimus, quæ volumus,& quæ cognouisse nollemus,& vicissim,& certissimé cognoscimus. quæ minimè volumus,& vicissim affectamus valdé, quæ non valde cognoscimus. *Fic. in Pla phil.* Cognitio omnis est participatio quædā luminis intellectualis. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib 3 c. 25.*

Cognitio vt fit & quid cognoscit.

Cognitio nulla cognoscit id quod nullo modo se habere cognoscit *Plat. in Cratyla.* Cognitio omnis fit à quodam agente. *Aristotel Theolog. Ægypt. lib. 12. cap 13.* Cognitio cognoscentes coniungit, ignorantia disiungit: ideò qui in veritate credit nihil a veræ fidei firmamento, vel causa dimouet *Dionys. Areop de diu nom.* Cognitione,& lucidiate vnumquodque participat, vt veritate,& esse, vt ait Plato. *Simanus in 12. metaphys. ax. cap 1.*

Cognitio singulorum per similitudinem quandam perficitur. *Plot. En 1 lib. 8. cap 1.* Cognitio nostra speciebus innititur. *idem, En. 6. lib. 9. cap. 3.* Cognitiones vt distant, sic & ea quæ sub cognitionem cadunt distant naturâ,& quæ intelligi possunt vnius formæ existentiis omnia superant. *Proclus in Eucl. lib. 1. cap* 1.

Cognitio nostra necessariò ab imperfecto ad perfectum procedere debet,& ab indeterminatis apprehensionibus ad determinatas certásque orationes transire. *Proc. in Eucl lib. 4 com. 6.* Cognitio omnis ab intellectu est iis quibus est intellectus. *idem elr. Theol propo. 197.* Cognitio omnis & vincentis est,& per se fortis. *ibid.*

Cognitio fit propter rationalis animæ imperium, ignorantia propter irrationalis potentiæ dominium. *Proc. in alc. 1.* Cognitio nostri perfecta ab essentia vires, ab his actiones indicat; cognitione verò nostri potimur commodiore, ex actionibus vires; ex viribus essentiam animæ cognoscentes: hæc quidem tria inuicem in anima confluunt, nam & essentia eius est actu,& actio essentialis existit, hæc intellectualis fit secundùm actum, hæc essentiæ fit cognata secundùm ipsius perfectionem. *idem, ibidem.*

Cognitio omnis constat secundùm quandam in vnum congregationem, atque secundùm impartibilem cognoscibilis totius comprehensionem. *Prisc. in Theophrast. cap* 1. Cognitio per quandam mentis cum rebus æquationem perficitur, mens cognitæ infinitate æquatur quodammodo. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 8 cap. 16.* Cognitio omnis habet fundamentum

in vita, & ideò circa essentias, vt entia dirigit actionum, *idem in Dion. Areop. de diu. nomin.*

Cognitio non adducit cognoscentem pro ipso cognoscendo commodo cognoscere, quod omne cognoscens non simpliciter pro rei cognitæ qualitate, sed pro ipsa cognitiuæ virtutis natura, & forma, & dignitate cognoscat, & iudicat: hinc apparet, quod hominem obiectum aliter sensus exterior, aliter imaginatio iudicat, & aliter ratio, aliter intellectus, sensus enim solam rem præsentem percipit, & accidentia sola, imaginatio & absentem repetit, & quodammodo substantiam componit, diuidit sola, summatim conficit, quæ singulatim quinque sensus ratio & hæc efficit omnia, & præterea ad vniuersalem speciem, incorporeámque naturam argumentando se transfert, intellectus denique simul quodam intuitu conspicit quæ ratio multifariam argumentando circunspicit. *Fic. in Plat. Parmenid cap 32.* Cognitionis omnis principium est intellectus primus. *idem, ibid. ca. 48.* Cognitio omnis vera à prima cognitione intellectuali dependet, quæ si auferatur, nulla restat imaginatio vera, & nullus sensus verax. *ibid.*

Cognitio per formam fit; & per materialem generis formam est confusa, per actualem speciei formam est distincta. *Fic. in Plat. phileb.* Cognitio per formam quandam fieri solet, ideoque in aliquid formale semper intendi materiam in formam auguratur quam apprehendat. *idem, in Plat. Tim. cap. 37.*

Cogniturum quod est se ipsum non cogitur præterea esse adeò simplex, vt nulla prorsus in eo differentia sit, vt est ipsum vnum, sed ita simplex esse debet, vt in quolibet sui totum penitus includatur, & eius actio tota expleatur momento, eiusmodi est intellectus. *Marsi. Fic. in Plot. En 3. lib. 3. cap. 1.*

Cognitionis actus cùm sit intimus, & vitalis, apparet hunc edi ab intima forma, vt lucere à luce, hæc intima forma, id est sensibilium exemplaris ratio ad ipsam animæ spectat essentiam, à qua rationes essentiales habente dependet quædam animalis vita, non verè essentia, nec anima vera, sed quasi accidans, vel quasi substantia, & viuificatio quædam pendēs à prima, vt lumen à lumine, sub qua pendente sit vitæ vestigium, quasi calor *Fic. in I Ioephe. ast. cap 5.*

Cognitionis nobis duo natura dedit, sensum, & intellectum, quorum duo sunt obiecta, sensui quod est singulare, intellectui vniuersale: & vt sensus, qui interior est non res singulas in se recipit, sed earum præsentium, & sensibus externis obiectarum imagines, quæ phantasmata appellantur, sic intellectus non continet rerum essentias, sed notiones tantum, per quas illæ absentes non minus quàm præsentes nobis contemplantibus obuersantur: ex quo sequitur nos contemplari cum volumus, non sentire cum volumus, quia obiectum contemplationis semper in promptu habemus, at sensus obiectum externus est. *Iacob. Carpentar. in Alcino dig. 2.*

Cognitio omnis in appetitum refertur. *Steph. Eugub. de ascensu mentis in deum, lib. 4 cap. 2.* Cognitis à rebus nobis ad res nobis ignotas attollimur cognoscendas. *Leo. Heb. de am dial. 2.* Cognita res à cognoscente pro viribus ipsius cognoscentis, haud pro rei cognitæ dignitate frequenter recipi solet. *idem ibidem. dial 1.*

Cognitio vt Dei, & animarum à corpore separatarum.

Cognitio Dei non solùm iam creatas res, sed adhuc creandas, imò & ipsas creandarum ideas mirabiliter antecellit: Angelica res antecellit, ideas sequitur humana vtrasque communiter sequitur. *Dion. Areop. de diu nom.* Cognitionum omnium omnes termini plusquam ineffabiliter in Deo præexistunt, quem nec intelligere, nec eloqui licet, neque quomodocunque speculari, quia est ab omnibus segregatus & eminenter ignotus, iam enim essentialium omnium cognitionum atque virium super essentiali virtute fons simul omnes anticipauit, & incomprehensibili potestate super cœlestibus mentibus altior extat. *idem, ibid.*

Cognitiones omnes tum entium sunt, tum in entia desinunt, ergo qui omni essentiâ superior est, consequenter ab omni cognitione est le motus. *Dion. Areop. de diu nom.* Cognitio summa nobis extra patriam existentibus est intelligentia diuinam naturam nondum attingens, tantum verò de muneribus, & viribus diuinis consequens, quantum diuinus ille radius per syrenas sanctorum mentis transmissus ostenderit, in quibus, vt in corporibus diaphanis solem diuinum percipimus, quem in se ipso cognoscere non possumus. *idem, ibid.*

Cognitionis ipsius pulchri vtraque species, tam scilicet priuatiua, quam habitualis maior profectò in angelis, atque superioribus essentijs, quàm in inferioribus existit. *Leo. Heb. de Amo. dial. 3.* Cognitio diuinarum rerum, & ipsius Dei ab humano intellectu, & angelico habita, quammaximè differt *idem, ibid.*

Cognitio, quæ melior, & deterior.

Cognitio multarum rerum cum male ducta, & tractatione, longè maius detrimentum affert quàm rerum omnium imperitia. *Plat. de leg. dial. 7.* Cognitiones superiorum in seipsis deteriorum actiones firmiter comprehendunt, at cognitiones inferiorum non possunt superiorum actionem comprehendere. *Proc. in Alcib. 1.*

Cognitio, & affectus duo sunt in animo potissima; cognitionem sophistæ sub veritatis specie ad falsa detorquent; affectum populares poëtæ sub concinnæ voluptatis esca in diffusas perturbationes sæpe præcipitant; Oratores verò populares tum cognitionem falsis decipiunt coniecturis, tum affectum in motus varios concitant. ideò nos Plato animorum medicus à sophistis, ab oratoribus, & poetis procul abducit. *Fic. in Plat. Gorg.*

Cognitio vt ab amore differt.

Cognitio, & amor hoc inter se differunt, quod rem externam cognoscimus pro ratione formæ, & rei imaginis, quam intus ipsi iam habemus, & ad hanc in primis aciem mentis insanimus, amamus autem quod bonum iam iudicamus pro natura ipsius boni, & eâ qualis in se ipsa est frui appetimus, ergo cognoscendo rem ad nos trahimus, amando nos ad rem trahimus. Ideò inferiora satius est nosse quàm amare, superiora satius amare, quàm nosse *Fic in Dion. Areopag. de diu. nom.*

Cognitio pulchritudinis priuatiua amorem, ac desiderium ipsius inducit, cognitio verò eiusdem habitualis hoc efficere minimè valet. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Cognitio vel amorem præcedit, vel eundem subsequitur. *idem, ibidem,* Cognitio duplex, vel ab obiectu cognito seiuncta, vel cum eodem coniuncta. *idem, ibid.* Cognitionum quædam amore destitutæ quædam cum amore coniunctæ. *ibid.* Cognitiones amore destitutæ in rebus bonis omninéque pulchris versantur. *ibid.* Cognitiones cum amore coniunctæ circa bona simul, & pulchra versantur. *ibid.*

Cognoscere scientiam accipere est. *Plat. in Theatet.* Cognosci quod non est omnino non potest: illud tantum cognoscitur quod est. *idem. de rep. dial. 5.*

Cognoscimus fallaci cognitione. quæ superi firmiter comprehendunt, non enim nostra debilitas est illorum potentiæ iudex, vt nec irrationale nobis inferius sistit nostræ rationis iudicium quamuis irrationale quod est in nobis, vel extra nos, nostram intelligentiam moueat. *Proc. in Alcib. 1.* Cognoscitiuum sui ipsius omne ad se omnino conuersiuum est *idem. in Theol. propos. 83.* Cognoscens omne quouismodo vnum, & est *ibid propos. 105.*

Cognoscere nos ipsos admonet Plato, & in hoc dandam esse operam docet, vt cognoscamus omnia infra lunam fuisse nobis subiecta, ne quando ipsi contra dignitatem nostram inferioribus nos vicissim subijciamus. *Fic. in Pla. Tim. cap. 41.*

Cognoscimus aliena frustra, nisi nos ipsos cognoscimus. *idem, in Plat Lachet.*

Cognoscere quisquis aliquid rerum cupit, neque resistet in genere, nec per singula in infinitum pererret, sed communi generis habitâ notione distinctam eius. & absolutam in speciebus ipsius quærat intelligentiam, in quibus tota vis generis adimpletur. nihil enim singula specialibus addunt, quod vim generis augeat sed quæ singulis propria sunt, extraneæ sunt quædam passiones & à specie substantiâ penitus alienæ. *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 3.*

Cognoscimus res clarissimè, & firmissimè cùm rationes ipsarum rerum absque materiæ conditionibus cogitamus. *Fic. Plat. Theolo lib 10. cap 5.* Cognoscendi verus modus sequitur modum essendi *idem, ibi. lib. 10. cap. 1.* Cognoscendi potentia in ipso actu cognitionis vnum quodammodo fit cum obiecto, & quo magis fit vnum, eo perfectior est cognitio, atque vicissim, & vbi perfectissima est, imò vbicunque vera, ibi vnum, idémque est reipsa cognoscentem potentiam, atque cognitum. *idem in Plo. En 3 lib. 8. cap. 2.*

Cognoscibilium duo sunt genera, vnum intellectui obiectum, alterum sensui, in ambobus quiddam primum, quiddam secundum: primum intelligibile idem est cum primo intellectu, secundum complectitur numeros, & figuras, in quibus mathematicæ versantur, deinde rerum formas cum materia coniunctas, vt in communi ratione spectantur. In sensu primum est color, secundum corpus coloratum, vt Alcinoo placet, vel vt alij substantia corporea, secunda vmbræ & imagines corporum, Primi intelligibilis in Deo posita est absoluta intellectio: secunda cum cogitatione intellectio coniuncta est, aut cogitationis quidam discursus, ad illam priorem intellectionē aspirans. In reliquis quæ sensus mouere possunt, prima est ipsius sensus perfectio, quam sequitur visio, vel imaginatio, deinde rerum perceptas imagines

memoria

memoriæ conseruat, vt has in aliqua parte obliteratas, vel confusas recordatio renouat, vel distinguit, per quas rationis quidam discursus cogitationis est sicut eo peracto de bono, vel malo, vero, vel falso quædam interior affirmatio, vel negatio opinionis esse dicitur. *Iacob. Carpentar. in Alcinoi cap. 4.*

Coitus.

Coitus illiciti, & non legitimi nemo vel deos, vel dæmones eorum pedissequos causas esse dicat. sed vel naturales instinctus apud nos deprauatos, vel veneficam insuper artem, vel malos dæmones, vel animas nondum puras. *Iamblichus de mysterijs.*

Coitum comitiali morbo similem iudicauit Hippocrates, quia mentem, quæ sacra est percellit. & tantum obest, vt Auicenna dixerit si quid spermatis supra quàm natura tolerat, contu perfluat, obesse magis quàm si quadragies tantundem sanguinis emanarit, ideò veteres musas, & mineruam Virgines esse voluerunt. *Fic. de st. diosis san. tuenda. lib. 1. cap. 7.* Coitus stomacho pessimus, præterim si vel saturo statim, vel esuriente concumbas. *idem ibid. cap. 12.*

Colonia.

Coloniæ deducendæ ratio alia est, vt vnum genus, ab vna regione profectum, amicum ab amicis cohabitet angustiâ quadam terræ expulsu, aut alijs huiuscemodi affectionibus coactum, quandoque verò seditionibus aliqua ciuitatis pars exagitata, aliò migrare cogitur: iam etiam vniuersa ciuitas simul aliquando fugit, bello superata. *Plat. de leg. dial. 4.* Coloniam qui mittit, debet amare coloniam, & interere cœtum ad minus seniores quantum fieri potest optimos, qui curam habeant cum ijs qui missi sunt, quo & magistratus secundùm leges constituantur, & constituti probentur. *idem, de leg. dial. 6.*

Color.

Color à colore in eo quod color non differt, sed vt nigrum ab albo differt, & supra id est maximè contrarius. *Plat. in phi.* Color splendidus cum albo congressus, & in abundè nigrô illapsus cæruleum efficit colorem, & cæruleo cū albo mixto, fit glaucus. fulco verò cum nigro prasinus fit color. *idem, in Timæo.* Color albus dicitur qui visum disgregat, niger qui vnit. *ibid.*

Color rubicundus appellatur cùm splendor ignis per humiditatem mixtus, cruentum colorem exhibent: at si splendidus rubicundo, & albo misceatur, fit flauus: si rubicundo & nigro, & albo purpureus: et si his niger magis immixtus fuerit supradicta mixtis & vstis, fit obscurus. *Plat. in Tim.* Color fuluus fit mixturâ flaui, & fusci, fusca fit mixtuŕ â albi, & nigri & albo ad flauum admixto fit pallidus *idem, ibidem.* Color est flamma de singulis corporibus defluens, visui congruas partes ad sensum habens. *ibid.*

Colores primi sunt quatuor, albus, niger, splendidus, & puniceus, reliqui ex his permixtis generantur: albus visum disparat, niger coagmentat. *Tim. Locrus de anima mundi & natura.* Colores termini sunt diaphani. *Prisc. in Theophrast. cap. 14.* Color est ipsius in corporibus terminatis diaphani terminus. *idem. ibid. cap. 17.* Color est causa videndorum colorum, & visibilia vt sint, visibile causa est. *ibid. cap. 11.*

Color agit in diaphanum, & mutsum. sed ita, vt vtatur diaphano tanquam propriæ actioni subiecto non vt patiente, sed vt formato per actionem eiusmodi separatim, quamobrem ipse coloris actus non mistus fit oculo præsens, quanquam non aliter fit præsens quàm diaphani vicus, vt cum u. quandoquidem aduehit se immixtum. *Prisc. in Theoph. cap. 25.* Colores videntur per medium diaphanum appositi verò oculis non videntur, ideo opus est interuallo, vt res videndæ illustrentur, etiamsi spectaculum ipsum per se luceat, & medium non esse solidum, vel opacum, ne proprietate tenebrificâ impediat actionem, & diaphanum aliquid confert, non enim est vt vacuum interuallum. *idem. ibid.*

Color mouet sensum cum est illustratus, & quando ei diaphanum vt materia subest quod simul, & lumine colores perficit, & quodammodo formatur ab illis, separato videlicet actu hoc inde manante. *Prisc. in Theoph. cap. 19.* Color tanquam potentia naturalis potest agere aliquid in sensuum instrumentum, & aliquid efficax habent formæ figura, motus, numerus, sed formalitas agunt, color verò, & huic cognatæ qualitates agunt corporalius ideò acrius, & passione quadam vehementiore. *idem, ibid.* Coloris actus ad visum peruenit, vestos diaphano separabiliter, & indiuiduè totus præsens. *idem, ibid cap. 26.*

Color est lux opaca. *Fic. epist lib 2.* Color est quædam luminis terminatio. *idem, de lumine cap. 9.* Color est participatio quædam luminis varia pro natura cuiusque, in superficie corporis emicans, accommodata visui. *idem, in Plat. Tim. cap. 63.*

Color est proprius visus obiectum, vox auditus. *Fic. in Plat. En. 2. lib 8. cap. 1.* Color est extremitas diaphani in corpore terminato. *idem, in Theophrast. cap. 14.* Color est lumen, nam lumen est quidam color, visibile nobis est. *idem, ibid. cap. 29.*

Cleombrotus, & apud Cyrenem multi Egesiæ auditores sese à corporis carcere ob desiderium alterius vitæ liberarunt. *Fic. in Plat de rep. dial. 10.*

Columbæ Veneri consecratæ sunt *Leo. Heb. de Am. dial 2.*

Comam non tondere nec radere ob iustitiam mos fuit Argiuorum, ac reliquorum Græcorum, & etiam Romanorum; & cum quid faciendum proposuissent, iurabant non prius comam scissuros, quam id fecissent. *Seba. Foxim in Plat. pha.*

Comœdia tertio actu iucundiores affectus mouere cupit. *Apul. floridorum, lib 3.* Comœdia in spectaculis recitari non placet, corrumpit enim mores hominum. *Fr. Patri. de rep. lib. 2. cap. 1.*

Commentarij memoriæ gratiâ inscribuntur. *Plat ep. 7.*

Commerciorum lex est simplex, vt neque quis meas res quoad fieri potest amoueat, neque vel minimum ex meis moueat, si id non fuerit cum mea venia, & sic ego circa res alienas me geram, quandiu sanâ mente præditus fuero. *Plat. de leg. dial 11.*

Cometarum circuitus ostendit ignem, & aerem moueri in circulum. *Fic. in Plat. Tim. cap. 15.* Cometas esse putarunt nonnulli Pythagoreorum stellas, sed statis apparere temporibus, nec splendere semper: Anaxagoras, & Democritus concursum esse splendorum à duabus, vel pluribus stellis emissi. Nec defuere qui putauerunt cometas esse refractiones ad Solem, non secus ferè vt essolet in obiutus conspicillorum accidere, Aristoteles ignitum ex euaporatione sicca dissultantis Stratoni placuit esse astri lumen in nube susceptum, Pontico Heraclidi sublatam nubem luce collustratam, Epigenidi dilatationem ignis spiritus, cum terrestris quiddam sit admixtum: Boetius malam aeris esse rerefacti apparitionem. Xenophanes collectionem, & commotionem inflammatarum nubium, Metrodotus violentum in nubes solis iactum. *Io. Fran. Pic. in exam. van. doct. gen. lib. 1. cap. 12.*

Commisceri quædam possunt, quædam non. *Plat. in sophista.*

Commiserationem in re capitali mouere solemus, adducendo filios, cognatos, & amicos lachrymantes. *Plat. in Apolog.*

Communia, &c.

Communio est legum iusta institutio, qua quod præditum est, probum dicitur, habitus concordiam præstans. *Speusip. in Pla. definitio.* Communia inter amicos omnia esse statuit Pythagoras, inter ciues Plato. *Fic. epist. lib. 1.* Communicantia vicissim si ab alio copulantur, post illud existunt. *idem, in Plat. phi. lib. 1. cap. 4.*

Communia fuerunt olim omnia apud Græcos. & Ægyptios Athenas, & apud Boemiorum Placam. Est vt Diodorus ait, insula in Oceano meridiem versus, in qua præter cætera communes sunt vxores, & teste Pomponio Mela Garamantes in Aphricæ partibus omnia communia habent, & inter philosophos Brachmanas, Gymnosophistas, Essæos, Pythagoricos, & etiam inter sanctos quondam Christianæ reipublicæ fundatores compertum habemus bonorum fuisse communionem. *Fic. in Plat de rep. dial 5.*

Communissimum omnium vnitas, & nexus ad bonum, secundo forma & ordo formalis, tertio motus vitalis. *Fic. in Plat. En 2. lib. 9 cap 1.* Communia proprijs semper antecellere debent. *Gab. Burat. l. de homin f l. citate, lib 6.* Communitas rerum à Platone instituta non fuit quoad possessionem, sed quoad amicabilem vsum, vt pauperum indigentiæ, & inopiæ subueniatur. *idem, de reron. t. m. lib. 9.*

Comparationis non exigitur integra similitudo. *Chalcidius in Tim Plat.*

Complens quamuis rem minus est eo quod completur *Io. Fr. Pic. in exam. van. doct gen. lib 3. cap 3.*

Complere & roborare, boni est & vt actus omnium est roboratque, bonum dicitur vt viuificat, lenit, mulcet, & excitat, pulchrum vt in obiectis quæ noscenda sunt res illas cognoscentes animi vires allicit, gratia, pulchritud. vt in cognoscente potentia eam applicat, cognitio, veritas. Vt bonum procreat, regit, & complet, vt pulchrum illuminat, gratiámque infundit. Præparata etiam omnia esse oportet ad gratiem diuini fulgoris excipiendam, corpora proportione, quæ ordine, modo, specie constat voces harmonia quæ numeris intesualisque conficitur: officia morum rectitudine ad finem bonum. disciplinam ordine ad obiectum verum; animam puritate per auersionem ab inferis, & conuersionem ad supra: mentem per æternum in ipsum bonum intuitum. Per hæc omnia gradatim diuinæ bonitatis, & pulchritudinis radius penetrat. *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 5.*

Complexio est natura quædam ex contrarijs quodam modo

qualitatibus constituta, quæ inter eas quodammodo medium obtinet, ex quo fit vt forma substantialis esse nequeat: præterea suscipit magis, & minus: ergo cùm complexio non sit substantia, & anima sit substantia, ideò anima non est cõplexio *Fic. in Plat. Theol. lib. 7. cap. 9.* Complexio qualis est, talia alimenta cupit; & qualibus vtitur alimentis, talis euadit. *idem, Plat. Theol. lib. 10. cap. 2.*

Complexio temperata vt est finis ad quem diriguntur omnes motiones, & complexiones naturales, ita rationalis anima finis est omnium naturalium formarum. *Fic. Plat. Theolog. lib. 10 cap. 3.*

Complexio omnis proprios sibi postulat sapores, sanguineus dulcia, acuta & acria cholericus, acida melancholicus, mollia & insipida phlegmaticus *idem, Plat. Theol. lib. 11 cap. 5.*

Complexio non à cutis colore iudicanda, alioqui error non difficulter committitur: nam quandoque humor cutem, & extrema petit, quandoque intima pars humoris subsedit. *Io. Franc. Pic. Mirand. de prænotione lib. 6 cap. 4.*

Composita.

Composita sola disperguntur, at quæ non sunt composita non hoc patiuntur. *Plato in phædone.* Compositis conuenire nõ videtur vt alio quodam modo se habeant, quàm quo illa se habent ex quibus composita sunt *idem, ibid.*

Compositum omne diuiditur in ea ex quibus est compositum. *Arist. Theo. Ægyp. lib. 12 cap. 1.* Compositum omne formam propriam habet *idem, ibid. cap. 6.* Compositum definire debemus per formam, & materiam, simplex satis est per formam *ibidem. lib. 14. cap. 4.*

Composita sunt omnia, quæ esse dicuntur, nec quicquam est simplex tum quæ arte, tum quæ naturâ fiunt. *Plotin. En. 3. lib. 9. cap. 3.* Composita quæ temerè fiunt, & frustra, non fiunt more, sed suo quodam impetu in hoc sensibilium genere conflaunt, & speciebus ipsis non continentur, & quæ putrefactione fiunt ex quadam animæ forte contingunt tunc forte aliud non potentis, alioquin naturæ consentaneum fecisset; facit ergo vbi & quomodo potest. *idem, ibid. cap. 14.*

Compositum id est, quod ex aliquo temporis initio natum & factum est *Chalcid. in Plat. Timæum.* Compositum duobus modis accipi potest, aut vt ex pluribus reali distinctis ratione, aut ita vt intellectu & ratione compositum esse intelligatur, ita vt vna & eadem res simplicissima comparatione nobilioris potentia esse dicatur: ignobilioris autem actus, & forma sensitiua comparatione intellectiuæ potentia sit, vegetatiuæ vero actus, quamquam sensitiua ipsa non sit composita ex materia & forma. *Bes. in calum. Plat. li. 3. cap 22.*

Compositio est ex partibus essentialibus vbi potentia est ad esse, & ibi est generatio, & corruptio: ergo in intelligentiis non est compositio ex partibus essentialibus. *Bes. in calum. Plato lib. 3 cap 23.* Compositio in rebus corporeis duplex altera ex materia & forma ad esse speciei, altera ex natura speciei, & esse existentiæ & indiuidui: at in rebus intellectualibus vna tantùm compositio est, quoniam essentia simplex est ad esse duntaxat specificam, nam sibi includens partes distinctas, & esse existere cum natura Angeli existat, tale quidem esse participatio quædam primi est, auctore Diui Thoma. *idem, ibi cap 25.*

Componere in naturalibus aliud est, aliud commiscere, vt in numeris aliud est adiungere, aliud multiplicare. *Marc. Fic. in Plot. En. 3. lib. 7 cap. 6.* Composita res tunc interit, cum a sua forma seiungitur: formam tunc perdit, cùm à formæ ratione lege discedit. *idem, Plat. Theol. lib. 5. cap. 8.* Compositio alia non est in formis absolutis fermè quam ex essentia, & esse, aut similis: essentia tenet locum materiæ, & potentiæ, esse verò locum formæ, & actus. *idem, ibidem. cap 11.*

Compositio nil est aliud quàm vno plurium, plura verò non vniuntur, nisi ab vno, quod insit pluribus, vt ab intimo coagulo conglutinentur *Fic. Plat. Theol. lib. 7. cap. 12.* Composito in omni est vnitas, & multitudo, itaque quandiu vincit vnitas multitudinem, ideòque deuincit eam, tandiu permanet compositum insolutum. *idem, in Plat. Parmen. cap. 86.*

Compositarum rerum omnium genera reducuntur ad aliquid quod in eo genere non compositum, vt dimensiones ad signum, quod ex dimensionibus non componitur, numeri ad vnitatem, quæ non fit ex numeris, elementa ad id quod ex elementis non miscetur: ergo & entium vniuersus ordo ad e aliquod non constat ex entibus, & id est substantia accidentibus nullis admixta. *Plat. in Timæo cap. 9.*

Composito in quolibet hinc principalis forma, inde accommodatum formæ subiectum consideratur: hinc efficitur, vt inter diuersa composita consurgat discrepantia duplex, altera magis ratione formæ, altera magis ratione subiecti. *Fic. in Plat. Tim. cap. 22.* Compositum quatenus compositum dissolubile est sed quatenus per diuinam voluntatem composita quædam conflantur, vt in eis vnitas superet multitudinem, indissoluta seruantur *idem, ibid. cap. 37.*

Compositum omne etsi solubile est, præsertim vbi multitudo superat vnitatem, tamen vbi vnitas superat multitudinem diuina voluntas conseruat indissolutum. *Fic. in Plat. Timæum cap. 24.* Compositum omne solubile est, præsertim vbi multitudo superat vnitatem, tamen vbi vnitas superat multitudinem diuina voluntas conseruat indissolutum, quæ quidquid proxima facit immortalitate donat. *idem, ibid.*

Compositi forma propria, quodammodo & ipsa compositum est. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 2.* Composita ex quatuor elementis possunt in elementa pura resolui, etsi elementa deteriora non possunt seorsum à præstantioribus esse, saltem alicubi præstantiora seorsum à deterioribus in sua puritate consistere, similiter compositum ex materia & forma tanquam geminis elementis resolui quodammodo in materiam puram potest, & omnino cedigi in formam aliquam per se puram, quæ per se, & in se consistat absque materia, quamuis materia nequeat prorsus ab omni forma consistere. *idem, in Plot. En. 4. lib. 3 cap. 8.*

Compositum aliquo modo est quidquid est post primum. *Fic. in Plo. En. 5. lib. 3. cap 15.* Composita in simplicia resoluuntur, simplicia multa in vnum simplicissimum, hoc in ipsam simplicitatem. *idem, in Plot En. 5 lib 5. cap 10.* Compositio entis & essentiæ in diuinis secundum rationem est, non secundum rem. *Ioan Franscisc. Pic Mir. in episto. ad Antonium Fauentinum.*

Compotatores exuebant calceos. *Plato in Symposio.*

Cunatus in magnis pulcher est, & quidquid acciderit perpeti. *Plato in phædro.*

Concausæ sunt, quæ rem non efficiunt, effectibus tamen instrumenta parant, quæ si non accedant, institutam vnicuique arti opus perfici non potest. *Plat. de regno.* Concausas cùm bifariam diuidere non possimus, diuidamus eas, vt victimas, semper enim in proximum numerum secare debemus. *idem, ibid.* Concausæ sunt in ciuitate, & quæcunque vel paruum, aut magnum instrumentum faciunt, nam sine his, nec ciuitas, nec ciuitatis gubernandæ ars vllo modo consisteret, sed nullum horum opus regiæ notis ponemus. *ibidem.*

Conceptus primi mentis simplices sunt ergo formæ intelligibiles vnde nascuntur isti sunt simplices, ergo mens quæ simplicium est subiectum, simplex est. *Fic. in Plat. Theologia lib 8 cap 4.*

Conchilia variari ad Lunam, non pertinet ad Astrologiam, sed ad naturam, calida enim parum est Luna, etsi calor debilis est humiditates euocat, nec consumit, quod potentioris caloris officium est. *Ioannes Franc. Picus de præno lib. 5. cap. 4.*

Conclusio semper exteriori propositioni in syllogysmo similis euasura est. *Proclus in Alcibia.* Conclusionem an Aristoteles semper imitari ex præmissis eam potius, quæ minor appellatur, & negatiuam affirmante, & ex necessaria & simplici an necessariam fieri conclusionem, quod falsum est. *Georgius Gymnist. de Pla. Arist. phila. differen.* Conclusiones negatiuæ debent incipere a magis vniuersalibus ad particularia, vt si non est animal, nec homo, affirmatiuæ cõtra, vt si est homo est animal *Fic in Plat. Parm. cap. 57.*

Concordia.

Concordia est consensus imperantium, & subditorum, in imperandi, obediendive ratione *Speusip. in Plat. d finitionib.* Concordia est illustratio ex vnitate procedens: est enim vnio differentium. *Proclus in Alcib 1.*

Concordia in omni ciuitate maximam semper vim habere fuler, ita vt vbium dumina à plerisque haberi soleat. *Fran. Patric. de regno lib. 8 cap. 14.* Concordiæ vincula sunt beneficium, & gratia, quorum alterum corda beneuolentia connectit, alterum studium stabili charitate confirmat *idem, ibi.* Cócordiam maximam communis metus, & communis spes pariunt. *ibidem.*

Concretio & discretio sunt motus ab omnibus aliis motibus, & à qualitatibus differentes, sed circa concretionem & discretionem contingit localis motus, alteratio, generatio, augmentum, condensatio. & opposita. *Plot. En. 6. lib. 3. cap. 25.* Concretum notius est, quàm absolutum. *Fic. in Plato phileb. lib. 1. cap. 2.*

Concupiscentia.

Concupiscentia species plurima in vnoquoque est. *Plato de republica dial. 4.* Concupiscendi vis sola cùm agit, affert intemperantiam. *Plot. En. 3. lib. 6. cap. 2.* Concupiscendi natura retinet eius quod factum est rosiram sibi notam, non tanquam memoriam, sed velut affectionem & passionem. *idem, En. 4. lib. 3. cap. 28.*

Concupis-

Concupiscendi vi non pertinet nutriri, calefieri, humectari, vel permutari, vel euacuatione leuari, vel saturitate repleri, sed ad tale corpus hæc omnia pertinent. *Plot. En.4. lib.4. c.21.* Concupiscendi principium est locus iecoris, quoniam vegetale illic quamplurimum agit. *idem, ibid. c.28.* Concupiscendi & irascendi fomes ab ipsa vegetali, & genitali natura pullulat. *ibid.*

Concupiscentia & appetitus in duo diuiduntur genera, quorum alterum ex imaginatione, alterum ea cognitione, & ratione manat: quæ concupiscentia imaginaria est, impropria verò homini, sed animantibus vt animantia propria: quæ cogitatione & ratione propria homini, nec alij propria: & virtutes morales nil aliud sunt, quàm hæc pars concupiscens, & hæc pars à nulla alia animi parte procedit, quàm à contemplatiua, ex quibus patet quod ob contemplationem sunt virtutes actiuæ. *Auer. in Pla. stud. tract. 2. col. 4.*

Concupiscentiæ insatiabilis pars dicitur à Platone congeries plurium bestiarum. *Ficin. Platonic. Theolog. lib. 17. c. 4.* Concupiscibilem continentia, & temperantia perficit. *idem, in Plat. de virtute.* Concupiscibilis actus est addiscere, quæ phantasia, & sensus obiiciunt. *ibid.* Concupiscibili homo renitens primò continens fit, deinde temperans, postremò diuinus. *idem, in Plat. Phædrum, c.31.*

Concupiscendi vis quæ in iecore à ratione distantior motus habet rationi nunquam obtemperaturos, nisi Deus hinc dulcedinem propriam iecori, inde amaritudinem fellis adhibuisset, nam furori ipsius dulcedo, ignauiæ amaritudo resistis. *Fic. in Plat. Timæum, c.67.*

Concupiscendi incitamenta corporea non oriuntur in ipsa animæ virtute concupiscente, sed in corpore tali, id est per animam affecto vitaliter, quod contingit, quia cum in corpore tali fit indigentia simul & passio, appetitus hinc incitatur: secundò, quia pro varietate ætatum, locorum, habitudinis, & temporis, diuersi surrepunt appetitus: tertiò, quod semper ad quod se dirigit stimulus, non statim concupiscendi vis se dirigit: quartò, si se dirigit animus, non semper admittit: quintò, in corpore deprauato surgit vertus ad non consentaneum. *Fic. in Plot. En.4. lib.4. c.21.*

Conditor alicuius præstantior est condito naturâ. *Procl. in elemen. Theolog. proposit. 18.*

Conferens est, quod in bonum fert. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Confitetur qui non respondet *Plat. in Apologia.*

Conflagratio nusquam tanta fuit, quod scriptum sit, vt prouinciam integram incenderit. *Steuch. de perenni philosophia, lib. 7. cap. 5.*

Confutatio per reprehensionem maxima & potentissima est purgatio ignorantiæ. *Plato in sophist.*

Coniectura est latentis rei iudicium. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Coniunctio.

Coniunctio illa, & annus ille eligendus est ad nostras opportunitates, in quo Iupiter operatur præsertim sextus annus, 12. & 18. *Fic. in Plat. de republica, dial. 8. c. 17.*

Coniunctum quod aliquid alicui est, aut eius essentia est aut essentiæ proprietas, aut inest ei vt forma subiecto, aut cùm attingit, vel sicut transmutans id quod transmutatur, vel vt ars subiectam sibi materiam; & aut pars est aliquid alterius, aut effectus: si est pars, aut indiuidua à toto, vt sol, & stellæ à firmamento, aut separabilis, vt aqua à suo elemento: si effectus, aut à seminaria ratione intrinseca pullulat, vt plantæ à terra, ipsi tamen suæ parenti infixæ, aut ea suis principiis constat & conflatur, vt ex aquis, & terra animalium corpora; aut causam habent extrinsecam, quæ trifariam diuidi potest, in efficientem, exemplar, & finem. Eadem ratione de toto, & causa: & de causa est reliqua species qua causa secundaria primariæ obedit, & adiungitur, & est finis secundarius principali annexus: est & præterea homo homini cognatus, & vltima ratio affinitatis est quæ est mediæ naturæ ad extrema. *Ioan. Picus Mirand. in Heptaplum, lib. 6. c. 3. & 4.*

Coniunctio de mente Alcabitij, & Leopoldi est cùm simul iungitur Saturnus, & Iupiter, quæ semper fit spatio annorum viginti transacto, maior verò cùm ab vna triplicitate in aliam transit quod ferè euenit post annos 240. media coniunctio est quæ fit Saturni, & Martis in Cancro: maxima est Iouis, & Saturni in Ariete post nongentos, & sexaginta annos Messabula ait eam esse maximam coniunctionem, quæ fit à Saturno, Ioue & Marte: proximam huic coniunctionem facit Iouis, & Saturni, tertiam Saturni & Martis, sed à coniunctione trium superiorum expectat sectarum mutationem, translationem regnorum, aduentum prophetarum. *Io. Pic. Mir. in Astrologiam, lib. 5. c. 4.*

Coniunctiones cùm apud Ptolemæum dicuntur absolutè, intelliguntur de Lunæ, & Solis coniunctionibus, cùm autem de aliis planetis, additur illius stellæ nomen, vt coniunctiones Veneris, vel Saturni: maximas verò coniunctiones intelligit Ptolemæus luminarium cùm fit defectus, medias, quæ fiunt in signa quatuor tropica, Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum, minimas, quę singulis quoque mensibus fiunt *Ia. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 5. c. 5.*

Coniunctiones maximas effectus suos Astrologi dixerunt facturas esse post multos annos, puta centum, ducentos, quod falsum est, nam vel efficax, vel imbecilla est hæc causa: si efficax, non potest diu cessare, vt non faciat: si imbecilla, nõ potest diu durare. *Ia. Pic. Mir. in Astrol. lib. 5. c. 6.*

Coniunctiones maximæ non respondent dictis Astrologorum, si rectis supputationibus vtantur: nam Iouis, & Saturni fuit in terrena triplicitate anno gratiæ 1226. à qua ad aeream peruenire debebat in annis 240. tamen peruentum ad aeream triplicitatem anno gratiæ 1345. & sic in annis circiter centum, & quadraginta. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam lib. 5. c. 6.*

Coniunctionibus mediis semper vtitur Albumasar, veris nunquam idem Abraham, & idem Albacensis; ergo cùm nihil sit coniunctio illa, quid veri prædicere possunt? mediæ enim nihil sunt coniunctiones, sed imaginariæ. *Ia. Pic. Miran. in Astralog. lib. 5. c. 6.*

Coniunctionem Iouis & Saturni in Cancro, Astrologi dicunt fuisse causam vniuersalis inundationis, quod etsi illis detur, cur postea cùm sæpius eadem in eodem signo redierit coniunctio non idem effecit? *Ia. Picus Mirand. in Astrologiam lib. 5. c. 12.*

Coniugium.

Coniux data est, vt à libidine carnis noxia abstinere possis, & procreare sobolem ad Dei cultum educandam. *Ia. Fr. Pic. Mir. epist. lib. 3.* Connubio idoneus vir est ab annis 25. ad 35. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. c. 16.* Connubij tempus varium à Platone statuitur, nam in legibus incipit à 25. anno, in republica à trigesimo, quoniam in republica vbique perfectissimum desideratur. *idem, in Plat. de republ. dial. 8 c. 16.*

Connubiis publicis tempus opportunum exigit æqualitatem in aere, & in ipso cuiusque habitu corporis, & affectus, & ætate, & in cunctis soliditatem, potestatem Solis, qui solidus est, & Veneris, quæ æqualis, & Iouis, qui valet vtroque, item Lunæ competentem aspectum: & hæc obseruanda sunt magistratibus. *Fic. in Plato. de repub dial 8. c. 16.*

Connubia in ciuitate facienda sunt, vt potentiores cum minus potentibus copulentur, & diuites cum egenis, vt tota ciuitas fiat æqualis, vt & vinum merum aqua temperatur, vt temperatum euadat. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. cap. 16.* Connubij opportunitas est optanda, tota enim cœlestium harmonia constantiam, æqualitatem, & temperantiam significare videtur. *ibid. cap. 16.*

Connubia etiam opportuna sunt, cùm Iouis cum Saturno sunt coniunctiones, in quibus fœliciter affectus Iupiter, Saturnum alioqui nobis dissonum, quadam familiaritate conciliat, qui viget per annos 20. alternis annis Iupiter, & Saturnus. *Ficin. in Plat. de repub. dial. 8. c. 17.*

Conscientia est cogitatio tristis absque ratiocinatione. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Consensio est communicatio rerum omnium, cogitationum, suspicionumq; concordia. *Speusippus de Platonis definitionib.*

Consiliarius optimus existit, qui consulit ea, quæ bene cognita habet. *Plato in Alcib. 1.* Consiliarius optimus reipublicæ & sibi ipsi sapiens est, cui optimi scientia affuerit: qui verò hac non præstat, contra. *idem, in Alcib. 2.*

Consilium.

Consilium, quod βουλὴ dicitur, consequitur opinionem, vt consilium temerarium ἀβουλία videtur esse successus infelix tanquam non feriat, & non assequatur quod petebat, & quod volebat, & de quo consultabat. *Plato in Cratylo.* Consilium res sacra esse dicitur; & inter consilia nil diuinius est, quàm hominem de sua, & filiorum institutione consultare. *idem, in Theage.*

Consilium cùm quis de aliqua re quærit, de illo dandum est cuius gratiâ consulit, non de eo quod alterius gratiâ consulit. *Plat. in Lachete.*

Consilium dare iustum est, & sacrum, & hospitale. *idem.*

Consilium vulgi est, vt ea consulantur, vnde hostes plurimis malis afficiantur, amici verò plurima bona percipiant. *idem. epist. 8.*

Consilium est admonitio alterius de agendarum rerum ratione. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Consilium duplex; alterum humanum, cui res dubiæ subiiciuntur; alterum diuinum, cui certum solum subiectum est:

hoc ad theologiam, illud ad philosophiam pertinet. *Bess. Card. in Trapezuntium, lib. 6. c. 2.* Consilium est inquisitio rerum, quæ in nostra sunt potestate, contingentésque & dubiæ sunt: in perpetuis verò, quia necessariæ sunt, non est cõsilium. *idem, ibid. c. 4.*

Consilium malum dare rebus omnibus iniquius est, nam malum consilium consultori pessimum. *Francisc. Patric. de rep. lib. 5. c. 6.* Consilium Stoici dicunt esse scientiam inspiciendi quæ, & quomodo se quispiam bene, & vtiliter agat. vel est aliquid agendi, vel nõ agendi excogitatio. *idẽ, ibid. lib. 6. c. 8.*

Consilium optimum, & in bello strenuissimum in authore difficile est. *ibid. lib. 7. c. 7.*

Consonantia.

Consonantia nulla magis delectat, quàm quæ in sapiente fit ex ipsa animi, & sermonis concordia, & contra nulla dissonãtia. *Fic. in Pla. Lachetem.*

Consonantiæ & dissonantię nouem sunt gradus: primus in ratione, id est opinio cum ipsa rei veritate consentiens, cuius contraria est opinio falsa à veritate dissentiens: secundus in imaginatione, cuius consonantia est consecutio rationis, dissonantia prosecutio externorum: tertius in affectu, vel temperanter rationem sequente, vel imaginationem intẽperanter: quartus in sermone decoro, vel indecoro, quatenus vel rectam rationem, vel imaginationem tumultuariam sequitur: quintus in cantu, cuius consonantia est decorum imitari sermonem, dissonantia indecorum: sextus in sono cantum aliter, vel aliter imitante: septimus in saltu concinno, vel inconcinno ad choream pertinente; octauus in quadam membrorum corporisque totius compositione tam spectaculo grata, quàm exercitio gymnastico própia: nonus in artificiosis cuiuslibet artis operibus, musica quadam proportiõne compositis: & hi nouem gradus musas sibi referant nouem. *Fic. in Plat. de repub. dial. 3.*

Consonantia diapason resultat ex dupla tensionis velocitatis, vehementiæ proportione ad id, quod duplo remissius est, tardius, & lenius, ex qua proportione dupla consurgit acutæ id est octauæ vocis excessus ad grauem. *Ficin. in Plato. de repub. d. 4.* Consonantiæ diapason vox octaua cum grauiori ita consonat, vt quæ vox gemina est apparet vna. *idem, ib.*

Consonantia sesquialtera generat diapente sesquitertia generat diatessaron, è quibus generatur diapason harmonia. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. c. 3.* Consonantia diapason, omnium perfectissima oritur à proportione dupla integra, simplici, absoluta, & æqualissima. *idem, in Plato. Timæum, c. 29.* Consonantia est soni grauis, & acuti mixtura vniformiter ad aures suauitérque accedens *ibid. c. 30.*

Consonantia diatonica est, in qua quodlibet quadrichordium per hemitonium minus, & tonum atque tonũ procedit; qua & sapientes alij, & Plato, vel maximè ante alias comprobant, tanquam maximè omnium naturalem, quandoquidem ab hemitonio minore, quasi molli materia sito naturæ procedit ad validiorem toni materiam, & formam habet simplicem, & mansuetam, & robustam: adde quod potissimum conuenit quadrichordio, in quo diatessaron ex geminis tonis & hemitonio procreatur. *Fic. in Pla. Timæum, c. 31.*

Consonantiæ apud antiquos tres erant, prima Diatonica, secunda Chromatica, tertia Harmonica. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 31.* Consonantia Chromatica nuncupatur, quæ per Hemitonium minus, & Hemitonium maius, & Triemitonium discurrere consueuit, sed hanc vtpote molliorẽ philosophi reprobant, *idem, ibid.*

Consonantiam vltra quartam non oportet progredi gratiâ melodiæ, non solùm quia ex vehementiori motu, fractióneque in sensum prouenit violentia, sed etiam quia cùm primùm vltra primam quadruplam quincupla nascitur inter quinque & quatuor, oritur simul superbipartiens inter quinque & tria, quæ dissonantiam intermiscet. *Ficin. in Plat. Timæum, c. 31.* Consonantia harmonica progreditur per quartam fermè toni partem, rursúsque per quartam similem atq; diatonem, quam non probant philosophi propter perceptionis, & vsus superstitiosam difficultatem. *idem, ibid.*

Consanguineorum officium est se inuicem tanquam eiusdem corporis membra diligere. *Fic. epist. lib. 3.*

Constantia.

Constantia est potestas perferendæ molestiæ sequentis ex his quæ recta ratio iussit, potestas quæ nunquam deiicitur è rationis proposito. *Speusippus de Plat. definitionib.* Constantiæ maximæ munus est ab amoris illecebris toto ætatis tempore abstinere. *Franc. Patricius de regno, lib. 4. c. 11.* Cõstantia est virtus, quæ propriè dolori resistit. *idem, ibid. lib. 7. cap. 12.* Constantia continentiâ potior est, quantò superare maius est quàm resistere: quando illud est vincere, hoc non vinci. *ibid.*

Consuetudo.

Consuetudo aliquid confert ad declarationem rectitudinis nominum. *Plat. in Cratylo, cap 95.* Consuetudo & consensio idem sunt. *idem. ibid.* Consuetudo cõpotatorum nulla tota rectè constituta est, sed particulæ quædam paruæ, & paucæ, & plerunque vniuersa erronea. *idem, dial. 1. de legibus.* Consuetudines primò ab hominibus sumptæ sunt pro legibus. *ibid. dial. 3.*

Consuetudines bonæ leges non scriptæ sunt, quæ si rectè constitutæ sunt, & in consuetudinem inductæ, tunc firmas leges scriptas reddunt; sin autem, contra: velut fabrorum in ædificiis fulcra è medio dilabentia in idem omnia corruere faciunt, & alia ab aliis procumbere, tum ipsa, tum ea quæ posterius rectè extructa sunt, priscis illis delapsis. *Plat. de leg. dial. 7.* Consuetudines docet scriptura, & mulieribus magis quàm viris curæ esse debent. *Philo de temulentia.*

Consuetudo inueterata multum potest. *Bess. Card. in calumniatorem Plato. lib. 4. c. 3.*

Consuetudo non quadam necessitate, sed vel legibus publicisque moribus, vel exemplo & disciplinâ priuatâ, vel fortunâ & occasione quadam, vel proprio consilio & opinione, vel his omnibus prouenit. *Fic. de f. 10. c. 3.* Consuetudinis magna vis, præsertim cùm se ad deteriorem partem applicat. *Iacob. Carp. in Alcin. prima dig. de ana. methodo.*

Consulere.

Consulentes scire debent de qua re consultare volunt, cuiusque enim rei est aliquod principium, alioqui si nesciunt de qua re consultatio est aberrare necesse est. *Plato in Phædro.* Consultor peritus esse debet eius rei cuius consilium dare debet. *idem, in Lachete.* Consulendum est patriæ, patri, & matri, sed cogere patrem vel matrem non est pium, nisi dementiæ morbo captus. & sic de ciuitate sententiam dicat, nisi videat vel frustra dicere, vel ob id periturum esse. *idem, epist. 7.*

Consulentibus vt finem non assequantur ignorantia obest. *Plat. de consult. dial. spurio.* Consulere est quærere aliquem, & quæ optima factu sunt inuenire ab iis ipsis, quibus opus habet. *idem, ibid.* Consultatio est de futuris. *ibid.* Consultatio est consideratio futurorum, quonam pacto conferant. *Speusippus in Plato. definitionibus.*

Consultatio est inquirere, & qui inquirit, vt inueniat quærit, vt re inuentâ quiescat. *Fic. in Plata. Phileb. lib. 1. c. 1.* Consulendum cunctanter est, non celeriter agendum, puerile enim est, & summæ leuitatis indicium in sententia non persistere, & facilè verbis moueri. *Francisc. Patricius de regno lib. 4. cap. 6.*

Contactus si esse debet, duo ad minus esse debent, & semper vno accedente vnus contactus accedit, & contactus pauciores vno sunt quàm numerorum multitudo. *Plat. in Parmen.* Contactus semper sunt vno pauciores iis quæ sunt. *idem, ibid.*

Contemplatio.

Contemplationem omnia cupiunt, nam quando animalia generant, rationes intus seminales stimulant ad gignendum, idque totum contemplationis est actio. Facere vt aliquid sit est speciem quandam efficere, ad autem est contemplatione omnia prorsus implere. Errare tum in his quæ gignuntur tum in his quæ aguntur, nil aliud esse videtur, quàm contemplationem casus, & diuersio quadam ab ipso contemplationis obiecto. *Plotin. En. 3. lib. 8. c. 6.*

Contemplatio ab ipsa natura se attollit in animam, & ab hac in mentem; in idem rediguntur subiecta quæ cognoscuntur, vtpote quæ ad ipsum properent intellectum, certè in hoc ipso intellectu ambo sunt vnum, non per acquisitam quandam familiaritatem, sed potius per essentiam, atque ex eo quod ibi est idem esse, atq; intelligere. *Plo. En. 3. lib. 8. c. 7.*

Contemplatio si causam vnde pulchritudo in actionẽ descendit considerans, est actioni anteponenda: si actionẽ tantũ, actio præualet contemplationi. *Max. Tyrius sermo 6.* Cõtemplatio est operatio mentis diuina intelligens. *Alcin. c. 2.* Contemplatiuæ philosophiæ pars vna immobilia, & diuina, primásq; rerum causas inuestigat, quam Theologiam vocamus: altera motus syderum respicit, circuitus, & restitutiones cœlestium, ac situm mundi, quæ naturalis cognitio vocatur. *idem, c. 3.* Contemplatio nostra est persimilis cõtemplationi superiorum. *Fic. in Plat. Theol. lib. 9. c. 6.*

Contemplationi maximè fauent Sol, Venus, & Mercurius; hi passibus paribus fermè concurrentes, aduentãte nocte nos fugiunt: die verò vel propinquante, vel surgente resurgũt, & nos reuisunt; post Solis ortu in plagam duodecimã, quæ tenebris & carceri ab Astronomis assignatur, repente traduntur: ergo non qui vel nocte quando nos fugiunt, vel die post Solis ortũ, quum carceris tenebras, iũq; domũ intrant,

sed qui

sed qui vel propemodum petentibus ortum, vel iam surgentibus ad contemplandum scribendúmque ipsi quoque consurgunt, ij sole accuratissimè speculantur, & eloquentissimè inuenta sua scribunt & componunt. *Ficin. de studio. sanit. tuenda, lib. 2. cap. 7.*

Contemplationis Platonicæ gradus tres sunt præcipui, primus à corpore per animam ascendit ad Deum, secundus in Deo consistit, tertius ad animam & corpus descendit. *Ficin. epist. lib. 2.* Contemplatiua vita tantò præstat actiuæ quantò oculus præstat manibus, caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis omnibus quæ ad finem diriguntur, status motui, æternitas tempori. *Idem, in Plat. dial. 1.*

Contemplatio, & principium actionis & finis est, & ducit illam pro arbitrio, & sistit, iubens inferiores motus, & externam actionem desinere, vt intrinseca stabilisque actio liberior tandem possideatur. *Fici. in Plato dialog. 1. de republica.* Contemplatiua vita tranquilla est, actiuæ multæ sunt procellæ. *Idem, ibid. dial. 4.* Contemplationi vim aptam qui acquirere vult, à Saturni intelligentię fauere per Mercurium ad hoc Saturni ministrum adipiscamur, vt quandoque specula nobis Saturnia reuerantur, & ingenia ex ferreis in urgentea transformentur. *ibid. dialog. 8 cap 17.*

Contemplatio recta tantò perfectior est actione, quantò sapientia perfectior est scientiâ, & prudentiâ. *Iacob. Carpen. in Alcinous cap. 2.* Contemplatio est actionis principium, & finis, ducitque illam pro arbitrio, & sistit, & ab ipsa Dei contemplatione cœlestes naturalésque motus tanquam à principio ducuntur, & reducuntur in finem. *Idem, ibid.* Contemplationis voluptas, quæ maxima est, & primaria, & vera, per immobilitatem fit, cùm contemplans vnum & idem iugiter perseuerer & mens contemplans stat circa vnum, & idem semper consistens. *Ibid.* Contemplationi perfectæ locus non est nisi antegressâ purgatione. *ibid.* Contemplationem philosophus in vita hac inchoat, in alia fruitur. *Idem, in Alci par. po cap 20.*

Contemplatio, beatitudo, nectar, voluptas. idem apud Arist. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 4. cap. 12.*

Contemplatio intima, ac vehemens multò maiorem profectò quàm somnus ipse alienationem, atque stuporem inducit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Contemplatio vehemens, atque contenta corpori maximum detrimentum, & mortem quoque sæpius afferre videtur. *Idem, ibid.*

Contentiosi disserendo omnia miscent. *Plato in phadone.*

Contentionis curatores sint, qui tum in gymnicis tum in Musica ac luctis præmia proponunt, & his duplices, aliis circa musicam, aliis circa certamen, certaminum, & hominum, & equorum eosdem, musices alios esse decorum fuerit, qui circa modiam, & imitationem, velati recitatoribus, & citharedis, & tibicinibus, & omnibus huiusmodi præmia proponãt: alios circa chori cantum, primò circa chororum lusum, in quo & pueri, & viri & puellæ in saltationibus, & musica, omni ordine contingente versantur; sit vnus princeps non minor annos quadraginta natus, & vnus sufficit; & vnus ad monodiam non minor triginta annis, qui vt & introductiones, & discretionem de certaminibus sic iusto modo designet: chororum principem sic eligant, qui tali studio benignè affecti sunt ad conuentum accedant, aut si non accedunt mulctenter, & huius rei fiant iudices legum custodes; reliquis si noluerint nulla necessitas incumbat, & propositionis alia affirmatio, alia negatio sit ea perito, & imperito, & ex electis vnus sortiatur. & sic de monodia, & reliquis, & sit per annum princeps. *Plato de legibus, dialogo. 6.*

Contigua sunt quorum termini sunt simul. *Proclus el. phy. def.* Contigua se ad inuicem contingere necesse est. *Gabriel Boratellus de ente, & vno lib 2.*

Continens aliud est ab eo quod continet. *Plato in Parmenide.*

Continens est, qui partes animæ rationi repugnantes cohibet. *Speusippus in Platonis definitionibus.* Continentia est in sola concupiscibili, vt in rationali sola prudentia, in irrationali fortitudo, id est in irascibili. *Fic. in Plat. de leg. dial. 2.*

Contingens, Contingentia.

Contingens antequam contingat oportet aliquid esse, & quãuis inseparabile sit, esse tamen aliquid, & naturam penes se ipsam, ac de alio prædicari hoc ipsum iam existens, quod subinde sit de alio prædicandum. *Plot. Enn. 6. lib. 6. cap 5.*

Contingenter aliquid immediatè ordinari ab ipso Deo non concedi potest ex Arist. doct. *Bess. Card. in calumniator. Plat. lib 3. cap. 29.*

Contingens nihil est, vbi idem est voluntas, & necessitas. *Fic. in Plato. Timaeum, cap. 15.* Contingens, vt plurimum mediũ est inter necessarium, & id quod pariter contingit vtrinque cuius oppositum rarius accidit. *idem, de fato, cap. 2.* Contingens prouenit cùm per plurimas agentium gradus virtus efficax minuatur, & complurima repugnantium formarum confluat multitudo, ita vt vnaquæque natura ab officio suo deficit. *ibid.*

Contingentia ad vtrumlibet non fiunt fato, vt tacere, loqui, mouere manus. *Fic. de fato, lib. 2.* Contingentia quandiu adhuc futura sunt possunt ex causis non exire, cùm verò præsentia sunt non exisse non possunt, nec valent dum sunt non esse; nec in contingentibus quatenus sunt ad præsens datos esse pariter, & non esse, sed duntaxat esse, quamuis possunt in futurum non esse, quare necessariorum iam conditionẽ sortita sunt: nam quilibet certus est esse, fierique contingentia, hæc intuens in præsenti, quæ olim verum in posterum forent erat incertus. *idem, in Plot. de prouidentia, cap. 20.*

Contingentibus ex causis cum comprehenduntur cunctæ, sciscitúrque an impediantur aliunde vel ne, scitur effectum secuturum esse vel non, vt etiam in causis necessariis: at cùm Deus tanquam exemplar, & effector, & motor omnium omnia comprehendat, ita certus est ex contingentibus, vt ex necessariis exitum secuturum imò iam sequi. *Fic. in Plot. de prouidentia. cap. 20.*

Continuum.

Continuum, vt continuum est, si quantum esse dixerint, sequetur discretum non esse quantum; si autem continuum est quantum, sed accidens, quid commune ambobus erit in hoc ipso quod sint quanta? *Plo. En. 6. li. 1. cap. 4* Continui discretio fit per lineam, superficiem, & solidum. *idem. En. 6. l. 3. c. 13.*

Continuum competens est quod communi medio sine contingit extima, continuum distans est quod duobus mediis superat extima. *Chalc. in Platon. Timaeum.* Continuum in infinitum diuidi posse sumpsere Geometræ, at quòd diuidatur non sumpsere. *Procl. in Eucl. lib. 3. com. t 4.*

Continuum ex indiuiduis punctis fieri existimarunt multi Platonicorum. *Ioan. Franc. Picus Mirand. in exam. van. doct. gen. lib. 3. cap. 6.* Continuum omne diuisibile est in semper diuisibilia. *Proclus elemen. philoso. propos. 5.* Continua sunt, quorum termini sunt vnum *idem, elem. phis. def.* Continuum id est, cuius motus est vnus. *Gabriel. Boratel. de ente, & vno. lib. 2.*

Contradictio.

Contradicendi ars est in summa vis quædam de omnibus dicendi ad contentionem. *Plat. in sophista.* Contradicendi artis facultas generosa est. *idem de republ. dial. 5.* Contradictionem infinitam simul veram posse deprehendi ait Arist. quod est falsum: nam nunquam contradictio simul vera potest reperiri, semper enim indefinita negatio ad vniuersam relatum denotare potest negationem. *Georgius Gemistus de Plato. & Arist. philosophia diff. cap. 7.*

Contradictio sola rationem non entis includit. *Fic. in Platoni. Theologia, lib 2. cap. 12.* Contradictionis conditionem eam esse aiunt dialectici, vt si quis in alteram eius partem inclinatur, non possit eodem momento in alteram partem inclinari. *idem. epist. lib. 5.* Contradictionem includere non aliud est quàm in se ipso esse diuisum. *Io. Pic. Mir. in concl.*

Contraria.

Contraria ex contrariis fiunt. *Plato in phadone.* Contrariorum eadem est scientia, optimi, ac pessimi *idem, ibid.*

Contrarium nunquam sibi ipsi contrarium est. *ibid.* Contrarium fit ex contrario, sed contrarium sibi ipsi contrarium nõ potest fieri, nec id quod in nobis est, nec quod in natura. *ibid.* Contrarium non solùm sibi contrarium suscipit, sed etiam illud quod inducit quid contrarium illi in quocunque ipsum fuerit ipsum hoc quod inducit eius quod inducitur contrarietatem nunquam suscepturum esse. *ibid.*

Contraria quàm maximè id fieri potest dissimillima sunt, *Plato in Parmenide.* Contraria de quacunque re qui nouit is respondet manifestum est id non nosse. *idem, in Alcibiade prim.*

Contraria duo vni ei esse non possent. *ibid.* Contrarium vnum solum vni contrarium est. *in Protagora.* Contraria idem facere, aut pati non potest secundùm idem, & ad idem simul. *dial. 4.*

Contraria eadem de iisdem opinari non licet. *Plat. de rep dial. 10.* Contraria dicere aduersus innumerabilia ore nequaquam facile est. *idem, de leg. dial. 7.* Contraria cùm se inuicem perturbent, difficulter nascuntur. *ibid.*

Contraria sine contrarijs vt discantur fieri non potest. *ibid.* Contrarietas est distantia maxima illorum quæ sub eodem genere per quasdam differentias continentur. *Speusippus in Plat. definitionibus.*

Contraria inter se sunt omnia, quæ in alterutra natura sunt, & ipsa tota contraria magis contraria sunt quàm cætera, nam alia contraria vel in eadem specie, vel in eodem genere collocantur, in quibuscunque sunt communi quodam con-

ueniunt; quæ verò sunt seorsum, atque naturam implent alterius, contraria sunt eorum quæ naturam alterius implens, cùm contrariæ sint, quæ à longissimo à se inuicem distant; ideò vniuersum malum est vniuerso bono contrarium. *Plot. En.2.lib.8.cap.6.* Contrariorum eadem est doctrina *idem, ibid. c.1.* Contraria illa duntaxat sunt quæ cùm in eodem qualitatis genere sint, in eo nullam in specie similitudinem mutuam habent, effectúsque nobis oppositos afferunt. *idem, En.6.lib.3.c.29.*

Contraria sunt, quæ à se plurimùm distant, licet sint eiusdem generis. *Chalcidius in Timaeum.* Contraria circa idem nunquam naturaliter accidũt. *Ficin. epist. lib.8.* Contraria illa sunt, quę in eodem genere maximè distant. *idem, in Plato. Timaeum c.17.* Contrarietatem, vult Plotinus esse distantiam rerum vndique maximè opposita facientem, & ferentem opposita. *idem, in Plot. En.2.lib 8 cap.6.*

Contrariorum effectuum causæ contrariæ sunt. *Iacob. Carpent. in Alcinoo c.3.* Contrariis quæ constant, necesse est tandem dissolui *idem, in Alcib. cap.12.* Contrariorum eadem scientia esse videtur. *Leo Heb. de Amo. dialog. 2.* Contrariorum cognitio vna eadémque profectò existit. *idem, de Amore dialog.3.*

Contumacia, & insolentia vituperatur, quia leonina & viperina species in ea inconcinnè augescit, & extenditur. *Plato de repub. dial.9.*

Contumelia est iniuria, quæ per contemptum infertur. *Speusippus in Platonis definitionib.*

Conturbatio est motus excutiens cogitata, & omnia turbida & ambigua reddens. *Francisc. Patricius de regno, lib 5. c.7.*

Connubia omnia reiicienda sunt, nisi ad honorem Dei properant, quod est omnis coniunctiuæ beneuolentiæ vinculum insolubile. *Philo de victimas offerentibus.*

Conuenientia in omnibus rebus tribuenda est. *Plato de repub. dialog.4.*

Conueniens alicui omne, vel educitur ex naturæ suæ principiis, vt videndi facultas homini, vel ab externo principio aduenit, vt aeri à Sole lumen. *Ficin. in Plato. Phileb. lib. 4. c.1.*

Conuenientia dicuntur ea quæ in aliquo vno communi conueniunt. *idem, in Dionys. Areopag. de diuin. nominib.*

Conuenientia septem insigniorum membrorum, quæ ad humani spermatis confectionem requiruntur, cum septem planetis motoribus & plurimis, quasi in mundi seminibus procreandis inest. *Leo Heb. de Amo. dialog 2.*

Conuersatio parit contemptum, raritas conciliat rebus admirationem. *Apul. de Deo Socratis.*

Conuersio.

Conuersionis tres sunt species, quicquid enim conuertitur, vel ad aliquid vertitur se deterius, dum à perfectione propria labitur, vel consurgit ad melius propter propriæ vitæ vigorem, actionémque naturalem, vel reflectitur ad se ipsum propter cognitionem sibi consortem, mediámque motionis speciem: conuersio ad deterius est passio quædam animæ alas abiicientis, & in obliuione iam positæ sui ipsius simul & aliorum. conuersio ad se, & ad melius, non solis competit animabus, sed ipsis quoque diuinis. *Procl. in Alc. primum.*

Conuersio apud Geometras dicitur alia præcipuè & propriè, cùm conclusiones & suppositiones ad inuicem theoremata vicissim accipiunt, & prioris conclusio in posteriori suppositio est, & suppositio tanquam conclusio infertur. *Proclus in Eucl. lib.3 commen. 10.*

Conuersio omnis efficitur per similitudinem conuertentium se ad id ad quod conuertuntur *idem, elemen. Theol prop.32.*

Conuersionem ad illud facit omne quod secundùm naturam conuertitur, à quo & progressum habuit propriæ substantiæ *Procl. elem. Theolog. prop.3.*

Conuersione quæ subsistunt, prima imperfectiore sunt secundis, & secunda his quæ deinceps, vltima verò perfectiora. *idem. ibid. prop.39.* Conuersiuum ad seipsum omne per se subsistens est *ibid. prop 43.* Conuersiuum omne secundùm actionem ad se, etiam secundùm essentiam ad se est conuersiuum *ibid. prop.44.*

Conuersiones appellat Plato motus circulares simpliciter, quos sphæræ cœlestes, & stellæ quælibet quasi fixæ peragunt circa propria centra. *Ficin. in Plat. de repub. dial.8. c.8.* Conuertens in se separatam essentiam habet ab omni corpore. *Procl. elem. Theo. prop.16.* Conuertens omne redeunti in illud assimilatur, à quo diuisum est secundùm essentiam. *idem, ibid. prop.35.*

Conuiuium.

Conuiuij finis est dulcis vitæ communio. *Fic. epist. lib 3.* Conuiuio nullum humanum oblectamentum est sufficientius. *idem, ibid.* Conuiuæ non minus tribus, nec plures nouem esse debent. *ibid.* Conuiuij forma decens est numerus, qualitas conuiuarum, confabulatio, & lyra. *ibid.* Conuiuij venenum est tristitia. *ibid.* Conuiuium constat, lectis viris, lecto loco, lecto tempore, & apparatu sine indulgentia heri. homines qui nec loquaces, nec muti, numerus vel gratiarum vel musarum ad summum esse debet. *Franc. Pat. de repub lib.5. c.9.*

Copia nimia bonarum rerum est ingens malorum initium, quarum satietatem quidam non ferentes tanquam iumenta lasciuiunt à ceruice excussis naturæ legibus versi ad meracas, potationes, nefarios concubitus. *Philo de Abrahamo.*

Copiæ in pace habendæ sunt, vt fines nostros ab incursionibus & latrociniis tueri valeamus. *Francisc. Patricius de reipub. lib. 9. cap.1.*

Copulam res vel affinitatem quindecim modis acquirunt. *Io. Pic. Mir. in Heptaplum, lib.6. c.1.*

Copulatio fœlicissima est intellectus potestatis cum intellectu agente. *Leo Heb. de Amo. dial.1.*

Copulatio naturæ intellectualis cum supremo omnium conditore rerum procreatarum voluptatem ad primũ principium reducit, cum eóque tandem coniungit. *idem, de Amo. dial.3.*

Coquinaria non est ars, sed experientia, quia eius quod coquit nescit naturam, sed memoria eius quod solet conseruatur, & voluptatis causâ fit absque causę voluptatis consideratione. *Plat. in Gorgia.*

Cor.

Cor venarum, & sanguinis eius, qui per omnia membra vehementer circumfertur, fontem in satellitum domicilium cõstituerũt, quo cum iræ vis imperante ratione efferuesceret, si qua iniusta actio circa ipsa perpetraretur, aut etiam intrinsecus à cupiditatibus oriretur, confestim quicquid in corpore sensu præditum est, per omnes meatuum angustias præceptis ac minis perceptis ad obediendum se pararet, & vndique obsequeretur, atque sic id quod inter omnia ipsa optimum est principatum habere sineret. *Plat. in Tim.* Cor iracundiæ designatum est habitaculum, nam cùm sanguis sensus acerus. purus sit instrumentum iracundiæ cõgruum, huius fons est cor. *Plot. En.4. lib.3. c.23.*

Cordis, & linguæ consonantia maximè oblectat contra dissonantia maximè offendit. *Fic. epist. lib.5.* Cor ita motu suo quodam sibi proximum sanguinem per paruò agitans ex eo spiritus in totum corpus, & per illos luminum scintillas per membra singula diffundit, & maximè per oculos, vt mundi cor Sol suo circuitu lumen, & per lumen virtutes suas ad inferiora demittit. *idem, in Plat. conuiuium. ora.7. c.4* Cor calidum est, & siccum. *idem, in Plat. de repub. dial. 8. c.12.*

Cor principium est venarum adhuc angustissimarum quæ in seorsa dilatantur. *Fic in Plat. Timaeum, c.66.* Cor à pulmone refrigeratur. *idem, ibid. c.66.* Cor est principium sanguinis subtilissimi ad spiritum procreandum, & arteriarum per quas manat spiritus. *ibid.*

Cor, iecur, cerebrum vnà cum spiritibus facta sunt ex materia seminali, quæ nominatur medulla, vnde etiã ista hæc principalia membra medullę vocantur. *Fic. in Plat. Timaeum, c.78.* Cordis calor, & spiritus feruens, in quibus proximè corporis vita consistit, corpus liquarent celeriter, & dissoluerent, nisi facta fuissent membra quædam ad humorem extrinsecum hauriendum. *idem, ibid. c.78.*

Cor est fons spiritus principalis, qui est vapor sanguinis intimus. *Fic in Plat. Timaeum. c.93.* Cor cerebro anteponendum est, si formam amas corpoream; si verò ingenium, cerebrũ cordi. *idem, ibid cap.74.* Cor, & pulmo fistulosa maximè sunt, hoc quia feruentissimum, hic quia & spongiosum est, & igni quàm proximus. Pulmo igitur à toto corpore liquorẽ ebibunt, & ita disponente naturâ non abundat ferme potio per vrinã, nisi præcordiis prius irrigatis superfluat. *ib. c.103.*

Cordis principio in formando animali maxima vis debetur atq; authoritas, cùm & sit primum quod formatur, & in cæteris partibus distinguendis, cùm motus omniu, tum incrementum à corde distribuitur. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib.7. cap.2.* Cor in homine octauæ sphæræ, & primo mobili in cœlo, quàm simillimum esse videtur. *Leo Heb. de Amo. dial.2.*

Corallus & Chalcidonius valet aduersum atrę bilis illusiones, Iouis præcipuè, & Veneris virtute. *Fic. de vita cœl. compar. lib. 3. c.12.* Corallus infanos terrores aufert, fulgura, & grandinẽ repellit. *idem, in Plat. Theol. lib.4. c.8.* Corallus timorem pellit seminali ratione, quæ in ipso est. *idem, in Plo. En. 2. lib 3 c.13.* Corallũ quo primò contingit auras, durescit, mollis enim erat herba sub vndis. *Io. Fr. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib 2. c.22.*

Coronandi sunt ab vnoquoque qui milites in bello rem optimè gesserunt. *Plat. de rep. dial.5.*

Corporea

Corporea substantia, materia, &c.

Corporalis materia, vt per potentiam formabilem ad actum formæ paratur, ita substantiæ spirituales per amatorium affectum qui sanctum spiritum repræsentat superioribus intellectibus exponuntur, & expositæ renascuntur. *Ficin. in Dion. Areop. de diu. nom.* Corporalis omnis motus vniuersaliter passioni magis quàm actioni similis est cùm corporū sit propria passio, vis autem sese mouendi actio est, ergo officium est se ipsum mouere impartibilis. *idem, in Pla. Phileb. lib. 1. c. 18.*

Corporeum esse oportet quod sit & visui, & tactui expositum. *Plato in Timæum.* Corporea oblectamenta qui negligunt, minùs iræ sunt subiecti; & qui irâ facilè prouocantur, corporum oblectamenta maximè curant. *Plotin. En. 4. lib. 4. c. 28.* Corporea natura æquiuocè essentia nominatur, quia fluentibus hæc notio est incongrua, sed propriè generatio dicenda est. *idem En. 6. lib. 3. c. 2.*

Corporei motus species sunt octo, in locali translatio & circulatio, in qualitate concretio & discretio, in quantitate incrementum, diminutio, in substantia generatio, interitus. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Corporeæ dispositiones à natalitia constellatione pendere non possunt, priùs enim quā fœtus egrediatur vterum maternum, corporis habitus puero & figura inest, præcedunt enim hæc natiuitatem. *Io. Fr. Pic. Miran. de prænotione. lib. 5. c. 3.*

Corporeā substantiā meritò incorporea substantia præstantior est, & præsertim anima rationalis, quæ conuertitur in seipsam, quasi per se existens a corpore separabilis, & sapientiæ capax: at sapientia corporea esse nequit, siquidem ab incorporea surgit *Fic. in Plat. sophistam, c. 28.* Corporeitas nihil aliud est quàm extensa materia, quæ tamen vna communisque restat in cunctis. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. c. 22.* Corporeæ qualitates, quæ non ex se, imò ab incorporea quadam causa mouentur, & diriguntur ad finem, reuera nō sunt causæ appellandæ, sed latentis prouidentiæ instrumenta; causa præcipua est voluntas prouidentiæ ad exemplar sui sic omnia disponentis, vt optimè se habere iudicat, & decernit. *idem, in Plat. Timæum, c. 38.*

Corpoream qualitatem Plotinus appellat accidens, quoniam vtrinque dependet, vitam verò ab anima corpori communicatam non corporis accidens, nec animæ accidens, sed essentialem animæ actum, quasi medium inter verum accidens & substantiam veram, quæ vsque ad intellectualem progreditur animam *Fic. in Plot. En. 3 lib. 8. c. 2.* Corporea moles ac forma naturâ suâ penitus dissipabilis tum in nobis, tum in mundo non potest aliter colligari, quàm ab anima, quæ non sit æquè diuisa, sed in qualibet parte sit tota *idem, in Plotin. En. 4. lib. 2. c. 1.*

Corporea ex materia, & forma composita vnitatem speciei perpetuam successione conseruant, vnitatem verò numeralem nequaquam, sed nec specialem conseruarent, nisi ab anima generationis fonte perpetuo hanc haurirent. *Ficin. in Plotin. En. 4. lib. 3. c. 8.* Corporea sæpe distant per exteriores terminos, incorporea quamuis per externos terminos inter se non distent, intimis tamen proprietatibus discernuntur, sic ideæ ab ideis in mente, scientiæ à scientiis in anima intellectuali, mens ab anima, mentes à mentibus, animæ ab animis, corpus corpori non facilè adest, facilè corpus animæ, facilius anima animæ, & menti facillimè mens. *idem, in Plot. En. 6. lib. 4. c. 15.*

Corporea omnis virtus est participatio quædam facultatis cœlestis. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib. 3. c. 25.* Corporeas res Platonici fucos infontásque putant, intelligibiles verò finitas, quia semper eiusdem naturæ sunt. *idem, ibid.*

Corpus quot dicitur modis,

Corpora alia sana, alia ægra sunt; alius amor est sanorum, alius ægrotantium. *Plat. in Symp. fin.* Corpora solida sunt quinque, ignis, aqua, aer, terra, & æther, ex quibus pulcherrima & optima formare quis potest, alterum verò genus totum formam vnam habet, non enim aliud quid incorporeum fieri potest, & nullum colorem habet, excepto reuera diuinissimo genere animæ. Hoc ferè est, cui soli conuenit vt creet & formet corpori, & formetur, & fiat, & videatur. *Plat. in legum appendice.*

Corpora, aut mathematica sunt, aut talia, quæ tactum, & visum patiuntur, priora tribus incrementorum gradibus constant, aut linea ex puncto efficitur, aut ex linea superficies, aut ex superficie corpus: altera corpora quatuor elementorum collato fœdere in robur substantiæ corpulentæ concordique concretione coalescunt. *Macrob. in somn. Scip. lib. 1.*

Corporum quædam simplicia sunt, vt elementa, quædam composita, quæ alia organica, vt animalium, plantarum, & omnium viuentiū, alia sine nomine, vt aurum, æs, gemmæ, *Chalc. in Timæum Pla.* Corpus omne vel interno vel externo mouetur motu, quæ externo sine anima sunt, quæ interno cum anima. *idem, ibid.* Corpora prima & antiquissima quatuor Platonici posuere elementa, cœlum verò primum corpus ab Aristotele fingitur. *Georgius Gemistus de Plat. & Arist. philosoph. diff.*

Corpora tria sunt, corpus ex elementis compositum tam secundùm totum, quàm secundùm partes, è suo statu mutatum, elementorum sphæræ; & si vicissim mutantur in partes, totæ tamen incorruptæ permanent: cœlestes denique sphæræ tam secundùm partes, quam secundùm totum indissolubiles perseuerant. *Ficin. epistol. lib. 2. c. 37.*

Corpus aliud æthereū, & immateriale est, & simplex, & sempiternum; aliud terreum, quod materiale, & compositum est, & ad breue perdurans: & inter hæc corpora vult Plato idem quod vult Proclus, corpus scilicet esse aereum, materiale quidem, sed longioris æui, in quo animæ diutius habitent etiam post discessum, quod hoc soluto, corpus iterum compositum induantur, id est si purgatæ non sint. si verò purgatæ, cum solo æthereo cœlum petant. *Ficin. in Plato. Phædonem.*

Corporum sublunarium triplex partitio: alia supra mediam aeris regionem, quæ tota ætheris nomine designatur, ibi puta immixta elementa: alia intra ipsum aeris meditullium, quæ apud nos sunt, vbi nullum elementum purum est, intercedens alia aeris regio, quæ à Mose dicitur firmamentum, in qua sublimes illę impressiones apparent, pluuiæ, niues, fulgura, cometæ, tonitrua, & cætera id genus. *Ioan. Pic. Miran. in Heptaplum, lib. 1. c. 3.*

Corpora siue terminata, siue non terminata, sine lumine percipi non possunt. *Iacob. Carp. in Alcinoi cap. 10.* Corpus humanum in tres principales distinguitur partes, quæ tribus mundis, elementari videlicet cœlesti, atque angelico mirâ quadam proportione respondent. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.*

Corpus quid est, & eius partes.

Corporis natura est vt viuat, & circumeat, & quidnam aliud & continere, & vehere videtur quam anima? *Plato in Cratylo.* Corpus σῶμα dicitur quasi σῆμα, id est sepulchrum. *idem, ibid.* Corporis celeritas omnium maximè ad bellum confert, altera pedum, altera manuum, pedum ad fugiendum, & insequendum. sed pugna, & conflictus in quibus manus conferuntur, viribus & robore opus habent, & tamen neutra sine armis maximam vtilitatem habet. *idem, de legib. dial. 8.*

Corpus est animæ locus. *Aristot. Theolog. Ægypt. lib. 1. cap. 5.*

Corpora simplicia omnia sunt animata, & viua, quia verbum creans animas format ex materia corpora, vt formauit materiam ex nihilo. *idem, ibid. lib. 12. c. 12.*

Corpus est materia simul ratióque infusa. *Plotin. En. 2. lib. 2. c. 3.* Corporum natura, quantum materiæ particeps est, malum est, etsi non primum, habet enim speciem quandam, etsi non veram, priuatur vitâ, corruptionem infert inter corpora mutuam, concussionémque ex ipsis inordinatam; impedimenta animæ ad actionem infert; præterea perpetuo fluxu aufugit essentiam, ideò secundum obtinet mali gradum. *idem, En. 1. lib. 8. cap. 4.* Corpus est ipsum ex cunctis qualitatibus vnâ cum materia congregatum. *idem, Enn. 2. lib. 7 cap. 3.*

Corporeitas est ratio, quæ accidens efficit corpus, nimirum ratio complectens cunctas qualitates. *Plotin. En. 2 lib. 7. cap 3.* Corpus est principium appetendi, si datur alios esse appetitus corporeos puerorum alios adolescentium, alios virorum bene, vel malè volentium, dum ipsa cócupiscendi virtus eadem interea permanet. *idem, En. 2. lib. 4. c. 21.* Corpus esse principium appetendi patet, quia cùm antequam ratio deliberet animus sæpe non vult comedere nec bibere. *idem, En. 4 lib 4. c. 28.*

Corpus constat ex materia, & forma; & cùm quantitatem omnia corpora habeant, consequenter in minima quæque redacta dispereunt: ideò si corpus est pars nostri, non sumus vndique immortales: si est instrumentum, tale nobis ad tempus tributum oportet: & sic homo, vel est tale ad corpus, vt species ad materiam, vel vt vtens corpore, vt instrumento: vtroque modo anima est præcipuè ipse homo. *Platin. En. 4. lib. 7. c. 1.* Corpus omne compositum est, & ipsorum confluentia non facit vitam, nec intellectum, nec animam procreant. *idem, ibid. c. 2.*

Corpus, nec magnitudo, ex indiuiduis fieri potest. *ibidem, cap. 3.*

Corpus omne compositum est, & omne corpus fit. *idem, En. 3. lib. 4. c. 1.*

Corpora perfecta sunt solida, quæ trina constant dimensione, longitudine latitudine, & profunditate. *Chalc in Plat. Tim.* Corpus omne diuinum est diuinum per animam diuinam. *Proc elem. Theolog. proposi* 129. Corpore simplicia terminata sunt secundum speciem. *idem, ibid. prop.* 14. Corpus non est pars hominis, sed instrumentum. *idem, Alc.* 1.

Corpus visibile, sensibile, dissipabile, compositum, & multiforme est. *Alc. cap.* 15. Corpora cedentia dicimus, quæ tactum recipiunt, resistentia, quæ non cedunt: hoc propter eorum fundamentum contingit: quæ enim ampla habent fundamenta stabilia, sunt & solida; quæ contra exiguo fundamento nituntur, cedentia, mollia, & lubrica sunt *idem, cap.* 19. Corpus omne prius quàm quale sit quantum est, & figuratum. *B. ff Car. in cal Plat. lib.* 1. *cap.* 10.

Corpus esse infinitam multitudinem existimauit Pythagoras, quia absque fine diuiditur. *Fic. Plat. Theolog. lib.* 2. *cap.* 2. Corpus tantò maius est, quantò speciosius & pulchrius est, tantò minus est, quantò fœdius & deformius: quæ defectio non præcisione molis, sed speciei priuatione contingit. *idem, ibid. lib.* 5. *cap.* 15. Corpus omne longum est, latum, & profundũ, quia nullum corpus infinitum est. *ibid lib.* 6 *cap.* 2. Corpus naturâ suâ est dispersum penitus: primò, quia distantiam partium patitur, ita vt semper in alio loco sit alia: secundò, quia continuè transmutatur: tertiò quia contrarijs subijcitur qualitatibus, calori, frigori, & similibus. *ibid. cap.* 8.

Corpora nostra sunt idonea mentis hospitia tum propter figuram erectam supernè spectantem, & cœlum velut patriam suam propriam agnoscentem, tum propter membrorũ veriorum decorem mirabilem, tum quia ignis, & aer elementa purissima in nobis valent quamplurimum, maximè verè propter temperatissimam complexionem. *Fic. Plat. Theol. lib.* 10. *cap.* 1. Corpora vt sunt vmbræ diuinorum, sic sensus oblectamenta sunt diuini gaudij vmbræ, *idem, ibid. lib.* 18. *cap.* 8. Corpora sunt Dei vmbræ. *idem, epist. lib.* 2.

Corporis vis aut casu in opus incidit, aut necessariâ quadam intentione naturæ, non casu, quia in quocunque opere quodcunque corpus iecurreret, & sic quodlibet à quolibet fieret, & si necessaria intentione naturæ effectum producit, finem ergo aliquem aspicit. *Fic. in Plat. Phi. lib* 1. *cap* 1. Corpus est animæ vmbra, vt anima mentis. *idem, ibidem. cap* 21. Corporum perceptionem nominat Plato credulitatem, vmbram, imaginationem. *idem, in Plat. Theatetum.*

Corporis pulchritudo est temperantia quædam linearum, & colorum. *Fic. in Plat. Char.* Corpus Orpheus ait esse carcerem animæ, & sepulchrum *idem, in Plat. Cratylum.* Corporum formæ vmbræ rerum potiùs quàm veræ res esse videntur; veræ res sunt ideæ, rationes, & semina *idem in Plat. conuiuio. or.* 2 *cap.* 4. Corporis pulchritudo est splendor ipse in colorum lineatúmque decore eam sistens. *ibid. cap* 9.

Corporis vita est animæ mors. *Fic. in Plat. de rep dial.* 10. Corporum termini sunt dimensiones, & figuræ. *idem, in Pla Tim. cap.* 4. Corporis forma est animalis vita, anima potius est animalis forma, intellectus animæ forma, Deus quodammodo ipsius intellectus est forma, semperque deinceps gradus inferior sub actu gradus superioris quasi formæ consistit, & agit. *idem, in Plot. En.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8.

Corpus cognosci propriè, & cognatè, & sub ipsa corporis conditione nil aliud est quàm sentiri. *Fic. in Plot. En* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. Corpus est in anima, vt aer in lumine. *idem, in Plot. En* 4 *lib.* 3. *cap.* 22. Corpus primum est cœlestis ignis, prima qualitas est lumen, ideò vsque adeò perfecta est, vt per modum actus potius quàm otiosæ qualitatis existat. *idem, in Plo. En. lib.* 5. *cap.* 6. Corpus nec per materiam, nec per qualitatẽ propriè corpus est, sed per quantitatem. *idem, in Plot. En.* 6 *lib.* 5. *cap.* 17.

Corpore omnia id ipsum quod sunt per ideam siue formam sunt non per materiam. *Sebast. Fox. in Plat. Phadon.* Corpus omne ad suam formam præparatum est. *Iacob. Carpen. in Alc. cap.* 11. Corpus nullum absolutè est pulchrum, sed vbi superat materia turpe est, vbi forma pulchrum, & si superat forma pulchrum vocamus, sin materia turpe. *M. Anto. Natta de pulchro. lib.* 2. Corpus nullum quod oculis cernitur purum, & simplex est. *idem. ibid.* Corporis pulchritudines incorporalium formarum vmbræ quædam existunt. *Leo. Heb. de Am. dial.* 3.

Corporis quæ causa propinqua, & quibus componatur.

Corpus dij intellectâ Dei patris voluntate, ei parentes acceperunt immortale principium mortalis animalis imitantes opificem suũ ignis, & terræ, aquæ, ac aeris particulas à mundo mutuò accipientes, velut rursus reddituri, ea quæ acciperent conglutinabant, non indissolubilibus vinculis, quibus ipsi colligati erant, sed eiusmodi, quæ ab exilitatem videri nõ possint crebris clauiculis compingentes, & vnum quodque ex omnibus corpus in quam efficientes, immortalis animæ circuitus in corpus, in quod & influerit, & de quo diffluerent quid illigabant: illæ verò in multum flumen elligatæ neque tenebant, neque tenebantur, sed vi ferebantur, & ferebant, vt totum quidem animal moueretur, inordinate tamen, & temerè prout contingeret progrederetur, omnes sex motus habens ante, retrorsum, deorsum, in dextra, & sinistra, & vndique iuxta sex locus vagantia progrediebantur. *Plat. in Tim.*

Corporis pars anterior præstantior, ac principalior esse debebat: ideo Dei hoc putantes hac parte multum progressum nobis dederunt; oportebat autem hominem habere anteriorem corporis partem distinctã, & dissimilem; quapropter primum ad capitis amplitudinem mox subiecerunt faciem, & instrumenta huic ad omnem animæ prouidentiam alligarunt, & hanc principatus participem esse constituerunt, vt quæ esset secundum naturam anterior. Ex instrumentis primum luciferos oculos fabricauerunt huiusmodi causæ illigatos, ea igne eo qui non vrit, sed lumen mite exhibet, vt proprium vnius cuiusque diei corpus fieret machinati sũt. *Plat. in Timæo.*

Corpora ea terra, & aqua commixta si fuerint, quandiu aqua terræ vacua per vim constricta obtinuerit, aquæ partes extrinsecus accedentes ingressum non habent, sed circum totam molem diffluentes illiquatam ipsam sinunt; verum ignis partes in vacuas aquarum partes ingressæ, ita afficientes aerem, vt aqua terram, solæ causam præbent, vt commune corpus liquatum fluat. Sunt autem hæc corpora partim quæ minus aquæ habent, quàm terræ, vt vitri genus omne, & lapidum species, quæ fusiles vocantur: partim verò, quæ plus aquæ habent, vt omnia corpora ceræ speciem præferentia, & quæ ad suffitum idonea conflata sunt. *Plat. in Tim.*

Corpus omne ex planis est, hæc autem ex triangulis, quorum alter est ex rectis angulis æqualium laterum semiquadrangulus, alter inæqualium laterum, qui habet maiorem laterum potentiâ triplam minoris: minimus autem angulus tertia recti pars; huius autem duplum medius est. hic enim duarum tertiarum partium est: maximus autem rectus ad medium sesquialteram proportionem habet, triplus autem est ad minimum. Hic autem triangulus semitriangulus est eius trianguli qui æqualium laterum est, bifariam secti ad perpendiculum à summo vertice ad imum in æquales partes. Duo igitur sunt anguli recti vtrinque, sed in altero duo latera quæ circa rectum angulum sunt, sola æqualia sunt, in altero omnia tria inæqualia: appelletur ergo iste obliquus, ille semiquadrangulus principium constitutionis terræ. nam quadragulus ex his, ex quatuor semiquadrangulis compositus est, ex quadrangulo generatur cubus, firmissimum, & vndique stans corpus, quod latera sex, angulos autem octo habet. secundum hoc autem terra, grauissimum, & ægrè mobile, & in alia immutabile corpus, eo quod minimè communionem habet cum alio trianguli genere: sola enim terra sempiternum elementum habet semiquadrangulum. Hoc elementum est aliorum corporum ignis, aeris, & aquæ, sexies enim composito semiquadrangulo triangulus ex ipso fit æqualium laterum, ex quo pyramis quæ quatuor bases, & æquales angulos habet, componitur species ignis maximè mobiles, & tenuissimarum partium post hæc id quod octo sedes habet, octo quidem bases, sex autem angulos, aeris elementum est; id vero autem quod viginti sedes habet, bases quidem viginti, angulos autem duodecim, aquæ elemẽtum est plurimarum partium, & grauissimum: hæc autem ob eodem elemento composita, inter se transmutantur at quod duodecim sedes habet imaginem vniuersi statuit, vt quod propemodum pila sit. *Tim. Locrus de anima mundi, & natura.*

Corpus composuit natura, vt instrumentum, vt & obediens sit, & cõmune ad vitæ scopos, & occasiones: oportet. & animam concinnam facere ad similes virtutes ad temperantiam, vt corpus ad sanitatem, ad prudentiam, vt ad sensuum subtilitatem, ad fortitudinem, vt ad robur & vigorem, ad iustitiam, velut corpus ad pulchritudinem. *Tim. Locrus de anima mundi, & natura.*

Corpus non fit ex vnione corporum indiuisibilium, quia ex indiuisibilibus non constituitur diuisibile. *Arist. Theo. Ægyp. lib.* 12. *cap* 12. Corpus omne constat ex materia, & forma, & per formam habet vitam, nec ideò est corpus quia cognoscit corpus, cùm omnis cognitio fiat à quodam agente. *idem, ibi. cap.* 13. Corpori nulli deest bonum diuinum, nec permanentia inest absque illo. *ibid. lib.* 13. *cap.* 5.

Corpore infra lunam cum sint ex discrepantibus potentijs, moribúsque composita, & transmutabilia sint omnino, & sursum, & deorsum ferantur, nihil commune habent cum cœlo,

cœlo, nec naturam, nec potestatem, nec actionem, nec ergo vapor ex eis, nec aliud attingit cœlum ab eis omnino secretum, & meritò ingenita permutationem ex generabilibus nullam capiunt. *Iambl. de mysteriis.* Corpus solidum est quod constat ex tribus, latitudine, longitudine, & profunditate. *Chalc. in Plat. Tim.* Corpore impossibile est conformari sine nutu Dei, species figuræ sine adiutorio dæmonum, animalia institui & coli sine hominibus non possunt. *Apuleius Asclepius.*

Corporis absolutè opificem Deum Plato non facit nec molis, & materiæ, sed competentiæ corporis, decorique, & similitudinis: quod idem de anima cogitandum est; vnam namque à Deo creatam nec mundi esse animam, sed vim quandam in imaginatione, & opinatione positæ temerariæque, atque inconditæ affectionis, & impulsus per se, & perpetui agitatricem, alteram à Deo congruis distinctam numeris, & proportionibus mundo natam ducem, eámque genitam fuisse perfectam; & id sensisse Platonem patet, quia animam genitam, & ingenitam ait, & mundum semper genitum fuisse. *Plutar. de anima gen.*

Corpus informe, & anima amens semper extiterunt vnà, neutrum ortum, vel exordium est sortitum: at postquam mentis compos facta est anima, & conuenientiæ, & per concentum facta est prudens, mutationis effectrix euasit, & materiæ, ac victrix, motus illius attraxit, & flexit suis: ita mundi corpus ab anima ortum est assecutum, formamúmque, & ei redditum consentaneum: neque enim ex seipsa condidit corporis anima naturam neque ex nihilo, sed ex corpore inconditio, & incomposito compositum architectata est, & obsequens. *Plutar. in Plat. quæst.*

Corpus apud Platonem ex materia, & quantitate constat, & ad materiam extendi, & affici propriè pertinet, & ipsa extensio, & affectio passiones sunt. *Fic. Theol. Plat. l. 1. ca. 2.*

Corporalis consonantiæ temperatrix vis quædam præstantior latet in humorum consonantia, quæ in viuentium corporibus suo modo contemperans, ipsorum concinnitatem reddit certam, & ab aliis corporibus differentem, quæ propria consonantia vitalis harmonia est, à viuifico spiritu intus latente progenita. *idem, ibi. lib. 7. cap. 11.*

Corpus nostrum si ad cætera animalia comparetur, quàm minimum terræ, & illud quidem subtile possidet, sublimiorū elementorum quàm plurimum: quo cœlestis est animæ receptaculum, cui documento esse potest, quod viri ingeniosi sæpenumero molles carne sunt, graciles, valetudinarij, & illorum corpus, quàm nimium ipsorum mentibus plurimùm variatur. *Fic. Plat. Theol. lib. 13. cap. 1.*

Corpus à quatuor elementis accepimus, naturalem spectei complexionem à cœlestibus sphæris, partes animæ, quæ trahuntur affectibus, à dæmonibus, & animis syderum sphærarúmque suscepimus, rationem verò, ac mentem nostri perennis imaginem ab ipso mundi totius opifice, sine vllo cœlicolarum, aut dæmonum ministerio accepimus. *Fic. in dial. de iusto.* Corpus ex duobus constat, materiâ & quantitate, ex materia solum habet vt aliunde recipiat, ex quantitate, vt diuidatur *idem, in Plat. phileb. 1. cap. 18.*

Corpus cum ex materia constet, & quantitate, & ad materiam suscipere, at quantitatem diuidi solùm, & extendi pertineat & susceptio & diuisio passiones sint, consequens est, vt suapte naturâ passioni tantùm sit, & corruptioni subiectum. *Fic. in conui. Plat. or. 4. cap. 5.* Corporis forma in multarum partium compositione consistit, loco astringitur, tempore labitur *idem, ibid. ora. 6 cap. 17.*

Corpus harmoniâ quadam consistit, conflatur, & spiritus. *Fic. in Plat. de Rep. dial. 3.* Corpus ex quatuor compositum elementis non prius vnam ad animam præparari potest, quàm & ipsum in vnam, quamcúmque formam, quasi & similem fuerit temperatum, & anima vnum ex se vitalem actum corpori facilè imprimat ac figuret. *idem, in Pla. de repub. dial. 10.*

Corpora in dimensiones, hæ in numeros resoluuntur, in primo exemplari numeri dimensiones, hæ corpora antecedunt. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 6. cap. 17.* Corporum initia à Pythagoricis meritò numeri appellantur, cùm quantitatis principia sint, habent enim principiorum proprietatem, primis enim & minimis differentiis sunt constituti, & à simplicissima vnitate procedunt, quæ situm liberè supereminens antecedit punctum situi consignatum, imò & ipsa superessentialis vnitas omnem præcedit essentiam specie designatam. *idem, ibi.* Corpora composita vt simplicibus elementis intrinsecus componuntur, ita simplicibus reguntur extrinsecus. *idem, in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 6.*

Corporis consistentiam tractare & de iis, quæ eam regunt, aut in hac dominantur, aliud est; nam consistentia est ab ipsa terra, quam aqueus humor formabilem reddit; vis autem ipsa consistentiam regens est in calore igneo pabulum suum habente in humore pingui, & oleoso, quem aereum nominare solemus. *Ior. corp. in Alcinoi cap. 14.* Corporum deformitas ac turpitudo ad materiam, eorúmque elegantia ac pulchritudo ad formam tanquam ad primam originem, propriámque causam est referenda. *Leo Heb. de Amor. dial. 3.*

Corpus vt se habet ad animam.

Corpus relinquere oportet, si purè aliquid philosophandum nobis est. *Plat. in phadone.* Corpori conuenit vt breui soluatur, animæ verò vt indissolubilis sit. *idem, ibidem.* Corporis partes qui laudant, aut vituperant, non dignum admodum est, vt animum ipsis aduertamus: si verò animam laudarent, aut virtute, aut sapientiâ, digna res esset, vt is qui id audiuisset promptus ad hoc sit vt laudatum consuleret, & vt laudatus promptè se ipsum ostendat. *idem, in Theæt.*

Corpus mortale qui affirmant animatum esse confitentur, & qui aliquid ex his ponant, quæ sunt anima. *Pla. in sophista.*

Corpus omne, cui contingit, vt extrinsecus moueatur inanimatum est: cui vt intrinsecus, ipsum ex se ipso animatum, vt hæc sit ipsius animæ natura. *idem, in Phad.* Corporis quæ sunt qui cognoscit, sua cognoscit non se ipsum: at qui animam cognoscit, se ipsum cognoscit. *idem, in Alcib. 1.* Corporis, & animæ duæ sunt artes, animæ ciuilis, quæ comprehendit legislatoriam, & iustitiam, & corporis medicina & gymnastica: legislatoriæ correspōdet gymnastica, medicinæ iustitia. *Pla. in Gorgia.*

Corpus corpori tradere potest aliquid sui, at animæ cùm ab ipso seorsum est non potest; separat enim illam à corpore qui viuentem corpore tradidit animam. *Plot. En. 2. lib. 1. cap. 3.* Corporis sensuúmque nimia perspicacia grauat animam, & horsum ad se detorquet. *idem, En. 1. lib. 4. cap. 14.* Corpora quæcunque pulchra dicuntur, talia efficiuntur ab anima, quæ quidem tanquam diuinum aliquid & ipsius portio pulchri, quæcunque attigerit, superaueritque, reddit pro naturæ capacitate formosa. *idem, En. 1. lib. 6. cap. 6.*

Corpus ab anima deficit, cùm nulla vis animæ amplius in ipso ligatur, cùm corpus ipsum ligare non possit perditâ harmoniâ, quàm olim habens habebat & animam. *Plot. En. 1. li. 9. cap. 1.* Corpus nisi sit anima nequaquam progredietur, non enim est alius locus, vbi se queat naturaliter propagare; quòd si progressura sit ædificabit sibi locum; corpus igitur generabit. *idem, En. 4. lib. 3. cap. 9.* Corpus tantùm est in causa, vt sensus ad animam in corpore viuentem pertineat. *idem, En. 4. lib. 4. cap. 23.*

Corpus animatum cùm non sit simile illuminato, sed calefacto post animæ discessum ad breue habet nonnihil vitale, sed citò euanescit: vt à rebus calefactis, cùm amouentur ab igne, citò calor extinguitur; cuius rei inde sumitur argumentum, quod & in corporibus defunctorum nascuntur pili & augentur vngues, & multa animalia postquam secta sunt mouentur nonnihil. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 29.* Corpus nullum esset nisi animæ vis extiterit, nam fluit semper corpus. *idem, ibid. lib. 7. cap. 3.* Corpus omne per vniuersum sic illustretur ab anima. *idem, En. 6. lib. 4. cap. 3.*

Corpus certis quibusdam vndis affectum suscipit vitales ab anima munus vires, vt anima illi vitam propriam inspiret, & perturbationes oriantur, quæ prius nec in anima, nec ad eam præcipuè pertinent. *Plot. En. 6 lib. 4. cap. 15.* Corpus omne quod habet intra se motum vigorem cum anima est, quod extra sine anima, cùm hæc animæ natura sit. *Chalcidius in Platon. Timæum.* Corporis obsequium sufficiens animæ viribus esse debet ad tolerandum exercitij laborem. *idem, ibid.*

Corpus pinguefactum cogit animam esurire à fœlici vita cadentem, auget mortale, expellens, & impediens vitam æternam, contaminat animam, eam corpoream reddens, & ad id quod diuersum est deflectens. *Porphyr. de sobrietate.* Corporum plures sunt naturæ quam animarum, hæ verò plures mentibus, mentes verò plures diuinis vnitatibus: & in omnibus eadem est ratio. *Proclus in Plat. theol. cap. 62.* Corpore nostro, ait Aristot. humanam mentem antiquiorem, vt in libris de generatione, postea eos insectatur, qui recordationes quasdam esse disciplinas aiunt, nam si anima est corpore antiquior quid prohibebat, ne cogitaret antequam corpus ingrederetur? *Georgius Gemisthus de Plato. & Aristot. philosophia differentia.*

Corporis magnitudo nec conducit ad animi dotes nec nocet; si conduceret necessariò, non esset apis oue solertior, vulpes boue astutior, simia asino ingeniosior, leo boue audentior: si noceret non esset elephas prudentior equo, canis equo sagacior: etsi ad has vires non valet, nec valere debet ad rationem. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 7. cap. 5.*

non eodem modo ad potestatem, aut ad priuationem quæ hanc continet in his & illis est affecte. In cœlestibus sic ea forma substantiæ quæ adest materiã fruitur, vt aliam non expetat, qua priuata esse dicatur: in his verò nunquam est sine alicuius formæ quam expetit priuatione, & sic ea in cœli æternitate consistit, hæc cum corporum fluxu, & mutatione. *idem, ibid.*

Cœlum componi ex elementis quatuor, sed maiorem portionem ignis, & elementa puriora esse, plures Platonici de mente Platonis dixerunt, Plotinus ait terram non esse penitus in vllo, & Plato ipse æthereã naturam simplicem videtur agnoscere, cùm quinque corpora sint, ignis, aqua, aer, terra, & æther. *Iac. Car. in Alci. cap.* 10. Cœlum Chaldæorum sapientes ex aqua, & igne compositum voluerunt. *idem. ibid.*

Cœli substantia liquidissima potuit ab opifice feceroi, & feligi. Empedocles putauit esse ex aere ab igne instar crystalli densato: in quo igneũ, & aereum iosin Aristoteles ea quinto corpore igne, vel ex calida, & frigida contemperatione. *Aug. Steuch. de perenni philo. lib.* 7. *cap.* 5. Cœlum est potissima causa, vt quatuor elementa quamuis suapte naturã contraria permisceantur, atque in vnum coniungantur. *Leo, He. de amore, dial.* 2.

Cœlum vt materiam habet, & eius proprietas.

Cœli fusum torquetur inter necessitatis genua, & supernè in singulis circulis sedere syrenem quæ simul circunfertur, & vnam emittit vocem, & ex octo vna fit harmonia. *Plat. de rep. dial.* 10. Cœlum vltra deorum generationem si perfectus esse debet, oportet alia tria habere, quæ si immediatè à Deo fiant, & vitã participent, Dijs æqualia erunt: quo verò & mortalia sint, & vniuersum totum sit, Dij deorum animalium opificium agredi debent imitantes deorum ortum. *idem, in Timæo.*

Cœlum, & cœlestes delectantur hominum admirationibus, adorationibus, laudibus obsequijs, & ideò musarum chorus est demissus à summa diuinitate, ne mundus videretur incultior. *Mer. cu. Tris. Asclepius cap.* 45. Cœlum ab omni parte terræ æqualiter distat. *Marc. in som. Scip. lib.* 1. Cœli Dominus est Deus: mensuris nobis ignotis terminatur, & circũscribitur. *Phi. de eo qui rerum diuina. hæres.*

Cœlum homine nobilius fatetur Arist. sexto ethicorum, prius enim est, & Deus virtute fruitur. *B. ſſ in cœlum. Plat. lib.* 3. *cap.* 10. Cœlum ad hominem ordinatum est vt superius. non vt inferius. *idem, ibidem.* Cœlo inest forma bonitatis primæ cupida, & effectrix motus. *Fic. in Plat. Theol. lib.* 2 *ca.* 1 Cœlum maximè temperatam absolutissimam in sa vitam possidet: nam corpora quo magis temperata sunt, diutius viuunt. *idem, de vita cœlitus compa. lib.* 3. *cap.* 19.

Cœlo nullus inest elementaris qualitatis excessus, alioqui iam dissolutum esset, & si simplex tot seculis tantã magnitudine cætera perdidisset, sed vt moderatissimũ omnia moderatur. *Fic. de vita cœlitus compa. lib.* 3 *cap.* 19. Cœlũ non habere materiam putat Aristoteles, Auerrois, & Proclus. *idem, epist. lib.* 2. Cœlum quia materiã caret maximè fulget. *ibid.*

Cœlum cùm sit sine materia, spiritale quodammodo esse videtur Platonicis magis quàm corporale: est ergo lux circularis, circulus lucidus sine materia, & vt Platonicis placet, aut vita est quædam non occulta, vt anima, sed ob dimensionem si vis oculis manifesta, aut cùm sit natura quædam vitæ propinquior, quàm cætera corpora, & vitã quadam sibi magis admodum familiari viuit, quàm cætera. *Fic. in epist. lib.* 2. Cœlum est lux absque materia quodammodo corporale. *idem, ibid.*

Cœlum, etsi in se, non tamen ex se, sed superiorum claritate, & gaudio refulget, & gestit, vt oculus ex spiritus claritate, & animi lætitiã. *Fic. epist. lib.* 2. Cœlorum sphæræ, vt Pythagorici arbitrantur, ad gaudentium numinum cantum choreas ducunt. *idem, de lumine cap.* 5. Cœlum, quia valdè particeps est principij rerum, quod est ipsum bonum, ideò euidenter habet multa ad bonũ peculiariter pertinentia, ideò cœlum est principium corporeorum omnium, & finis: generat hæc vt principium, & conseruat, & definit vnicuique tempus, & locum, & ad imitationem sui pro viribus omnia reuocat, substantiámque ea bono possidet immutabilẽ. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Cœlum reperiunt nulli, nisi qui cœlorum regi placuerunt: placent qui eum summopere diligunt. *Fic. in Plat. comm. or.* 4. *cap.* 6. Cœlum quo pacto, vt ita loquar, totum parui oculi pupilla caperetur, si modo corporali reciperet, sed spiritus in puncto omnem corporis amplitudinem spirituali modo, & incorporeo ab imagine suscipit. *idem, in Plat. comm. or.* 5. *cap.* 3.

Cœlum ita est propinquũ animæ, & vicissim, vt quod est motus vitalis in anima, in cœlo euadat dimensio, & circuitus: quod in anima intellectus est, in cœlo lumen. *Fic. in Plat. phædrum. cap.* 8. Cœlum si nullam habet materiam, vt multi putant solã dimensione subductã fit anima: atque hæc in solam porrecta dimensionem, quàm facile fingitur subterra, quia semper est in motu, fit è vestigio cœlum. *idem, ibid.* Cœlo tanta inest facilitas, vt formetur, quanta potentia est in anima vt formetur. *ibid.*

Cœlum quia lucet ideò calet. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 7. Cœlũ duos axes habet in formam X se intersecantes, directóque ad quatuor polos, quorum duo sunt firmamenti, duo orbium reliquorum, qui aliter mouentur ac firmamentum, & inter hos Sol, Venus, Mercurius mouentur inter se motu fermè æquali. *idem, in Plat. Tim. cap.* 35.

Cœlum igneum esse summatim concludit Plotinus & hunc purum, & solum, cuius forma sensibilis sit primũ quidem lumen, deinde calor innoxius & vitalis, sed geminam hanc formam vult ab insensibili proficisci ipsius cœli forma, calorem à vita, lumen ab intellectu, eius substantiam sempiternam esse, & motum perpetuum. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib. in summa totius libri.*

Cœli lumen quantum est in perspicue, intellectum animæ repræsentat, quãtum in motu, lætitiam: sulum quidẽ lumen est intelligentiæ imago, cæteræ verò formæ siue in cœlo sint, siue in aliis sint per cœlũ, alias ideas referũt in ipso intellectu conceptas, quæ item per intelligentiam illic concipiuntur, & discernuntur, vt per lumen hic cæteræ qualitates; & vt per totum mundum intelligibilem est idem actus intelligentiæ, ita per hunc totum perspicuus quidam lucidúsque spiritus illius imago formas passim efficiens, atque discernens, vt ille. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *cap.* 3.

Cœli dispositionem, primordia fati vnicuíque, inferiorum concursu nemo potest ita simul complecti, vt quid ex eorum complexione, vt ea causa sequatur, perfectè cognoscat. *Fic. in Plot. En.* 2 *lib.* 3. *cap.* 15. Cœlum cuncta calefacit, & viuificat, & cùm augeat, & fouet omnia, nihil vrit. *idem, En.* 3. *lib.* 9. *cap.* 15. Cœlo, nec Deus dum per cœlum in inferiora agit aufert munera sua, nec cœlum dum per causas inferiores agit in nostra, interim proprias naturalésque his causis vires, actionésque subducit. *idem, de fato, cap.* 2.

Cœli corporei proprium est motus, incorporei status, ideò cœlum hoc quantò magis mouetur tantò magis agit in terris, & generat, sic & illud quo verius permanet, eò veriùs & hoc facit totum, & in hoc omnia facit. *Fic. in Plot. En.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. Cœli natura diaphana prodeiscitur à cœlesti quodam lumine secundùm ordinem vniuersi antecedente diaphanum emananteque ab intellectuali lumine. *idem, in Plot. Enn.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3.

Cœlo homo non debet plus dare, quàm sit necesse, ne voluntati opificis, & ordine vniuersi repugnet: & simul ipsi cœlo, cui Dei consilia, & mundi ordo maximè cordi sunt, dum studet placere displiceat: quod admonent Chaldæi dicentes, ne augeas fatum, & Hieremias, ne timeatis signa cœli, quæ gentes timent. *Ioan. Pic. Mir. in Hep. lib* 2 *cap.* 7.

Cœlum calida non conseruat calore eiusdem naturæ, & rationis, sed omnia calida, frigida, humida, & sicca suã illã qualitate fouet, perficit, regit, moderatur, quæ nulla est ex illis quatuor, & omnes claudit in se, non quales in elementis sunt, sed quale quod multiplex est in vnitate concluditur, virtute scilicet principali. *Iano Franc. Pic. Mir. de prænotione lib.* 5. *c.* 9.

Cœlum peribit cùm vsus eius inutilis erit, succedente anim vitã meliora nil eo opus erit. *Steuch. de mundi exitio.* Cœlum ad primam materiam eandem quam vir ad sibi dilectã coniugem, rationem obtinere videtur. *Leo Heb. de Amore dial.* 2. Cœlum, & terra non secus, ac vir & vxor sese mutuò diligunt, ambóque res ex eius genitas haud aliter, quàm parentes ipsos liberos, itemque res genitæ cœlum ac terram, tanquam filij parentes adamare videntur. *idem, ibid.*

Cœli ex antiquissimorum poetarum sententia vaporibus nutriuntur. *Leo. Heb. de Am. dial.* 2. Cœli duæ tantum positionis differentiæ, superior videlicet ac inferior, reipsa sunt diuisæ, atque secretæ: reliquæ verò quatuor differentiæ non re, sed ratione tantùm motus distinguuntur. *idem, ibi.* Cœlorum perspicacissimus auditus est *ibidem. dial.* 3. Cœlorum vniuersitas quadraginta nouem millibus annorum ab origine mundi transactis tandem dissoluetur *ibidem.*

Cœnæ aliqui reges, ac principes tibijs præcinentibus signa dabant, cum mensæ sternerentur, apponerentúrque fercula, vt inopes ad esum properarent. *Franc. Patric. de reg. lib.* 8. *cap.* 18. Cæsar aliquando pila lusit, & singulis collusoribus suis sestertia centena numerari iussit, vni L. Cæcilio quinquaginta tantùm: hic facetè, cum vna manu ludo tunc ridens Cæsar æquari iussit. *Franc. Patric. de reg. lib.* 5. *cap.* 9.

Coeundi

Cocendi amorem fabricauerunt Dei cùm mulieres creatę fuere fabricantes alterum animal in nobis, alterum in mulieribus,& tali modo vtrumque fecerunt. Potus transitum quo per pulmonem potus sub renes in vesicam delatus, vnà cum spiritu etiam id quod compressum est emittit, susceperunt, & in medullam ex capite in ceruicem,& per spinam compactam perforarunt quam semen vocauimus. Hæc,vt quæ animata esset,& respirationem faceret, qua parte effluxionis respirabant amorem perfecit vitali generandi cupiditate ipsi inducta; quapropter pars ea in viris, quæ est circa pudendorum naturam Inobediens, & sui iuris effecta, velut animal non audiens rationem per furiosas cupiditates omnibus dominari conatur,& pars in mulieribus vterus appellatus. *Plat. in Timæo.*

Cognata, & communicantia quadantenus inuicem si ab alio congregantur, illud ante ipsa est, si verò ipsa congregant se ipsa non opponuntur inuicem, opposita namque non properant inter se mutuò *Proc. elem. Theolog. propos.*

Cogitatio est sermo, quem ipsa anima ad seipsam narrat de ijs quæ considerat. *Pl. in Timæ.* Cogitatio est animi ad se ipsum disputatio *idem, in sophist.* Cogitatio,& sermo idem sunt, nisi quod disputatio, quæ fit absque voce, intra animā ad seipsam est cogitatio, quę verò ab illa per os procedit cū sono fluens, sermo est appellatus. *ibidem.*

Cogitatio & opinio ad sensum vergunt. *Plotin. En. 1. lib. 1 cap. 2.*

Cogitatio vera est intellectiuorum actus, ac sæpe exteriorum ad interna similitudo quædam atque communio. *idem, ibid. cap. 7.* Cogitationis officium non est mentis sed magis animæ partibilem actionem habentis in natura partibili. *idem, En. 3. li. 9 cap. 1.*

Cogitationem vocat Plato discursum, & ratiocinium animi ipsius ad se ipsum. *Alcin. cap.* 4. Cogitanda sunt paucissima,& quæ paucissimi cogitant, hoc illud Pythagoræ est, populares vias declinato, ita diuerticula in exiguo cespite latet lepus, patent vbique mala, in angulo redactum est quod bonum est *Fic. epi lib. 1.*

Cogitatio vera est intelligentia quædam latiùs explicata, & modò intellectum attingens vniuersales species intuetur, modò ad imaginationem vergens, per quę ipsam ad animal vniuersales species ad particulares deriuat. modò his cum illis comparans, quo consentiant, quoue dissentiant discernit,& indicat: ac si exordiatur ab intellectu atque inde descendat, tunc ab vniuersalibus descendit ad singula componendo, si ab imaginatione sumit occasionem atitisque resurgat, à singulis ascendit ad vniuersalia resoluendo: hunc ordinem in anima obseruabis, vt eam habere, meminer is species in mente,& vniuersales.& stabiles,at in ratione species vniuersales, sed quodammodo mobiles. In imaginatione particulares iam & mutabiles. *Ficin. in Plotino En. 1 lib. 1. cap. 9.*

Cogitatio, ratioque mobilis sæpe à phātasia escitatur, præsertim actiua ratio, quam sola ex phantasia egere semper Aristoteles ait. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 4. cap* 10. Cogitatio, etsi nō est cognabile, habet tamen intrinsecus. *idem, ibid cap. 3.* Cogitatio est vniuersalis opinio, particularisque ratio nuncupatur. *idem in Plat. Theatet.*

Cogitatio per plera deinceps ordine currens est motus aliquis absolutā notitiā carens atque ob indigentiam veritatem, sapientiāmque appetens consummatam; ideò discursio eiusmodi, vel consultatio, vel electio non pertinet ad mentem, vel animam mundi rectricem. possidentem ab æuo habitum sapientiæ plenum,& integrum, tum idearum, tum rationum seminalium plenitudinem, qua quidem plenitudine res futuras anticipat in præsentibus,& quibus modis sint futuræ discernit, quarum ipsamet est opifex, sola tota suæ materiæ dominans, nec impedimentis obnoxia, ideòque nec solicita vel ambigua. vel inquirens, sed natura sua omniformis vniuersum sibi conformans, cùm verò hæc ipsa natura sit intelligentia,& voluntas, meritò non consilio tractat mundi materias, sed sapientia firmatum naturaliter, tum etiam voluntate fabricante *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 12.*

Cogitationem rationalem non reddunt similem rei externæ. *Fic. in Theophrastum, cap. 10.* Cogitatio fit, cùm interdum particulatim species concipiuntur, interdum simul species, & genera. *Io. Fr. Pic. Mir. in exam. van. d. et gen. lib. 2. cap. 18.*

Cogitationes posteriores prioribus meliores esse debent. *Iuc. Cic pro L. d. fins.*

Cognatum aliud est à simili. *Plat. in Lyside.*

Cognita, quæ ad artem pertinent genere & specie esse possunt, quæ autem genere cognita sunt, eadem specie possunt esse incognita: quod si genere cognita capimus, non consultat artifex, si incognita specie,& tractatio eorum particularis anceps, ac dubia est, tum consultandum, quærendumque est quid facto opus sit, quid magis expediat. *Bess. in Trapezuntium, lib 6, cap. 2.*

Cognitionis diuisio.

Cognitio qua cognoscimus substantias separatas, est alia specie quam cognitio qua cognoscimus alia: diuinior cognitio fuit semper in anima per simplicem intuitum, vel contactum. *Iam. de mysteriis.* Cognitionis species quatuor sunt, sensus, imaginatio, ratio, intellectus. *Fic. in Dion. Areop. de trinitate.* Cognitionis sex vires in præsentia numerantur, Ratio, visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. ratio lumini summo, visus igni, auditus aeri, vaporum odori olfactus, aquæ gustus, tactus terræ tribuitur. *idem, in Plat. conu. or. 5. cap 2.*

Cognitioni nostræ tria proueniunt, singulare quiddam, vt hic homo, species communicata singulis, vt homo, idea hominis super singula: & quoniam hæc tria essentiali quodam ordine à priori in posterius disposita differunt, vires quoq. propriæ cognoscentes hæc similiter inter se differunt. singulare imaginatio iudicat, speciem communem singulis ratio colligit, & discernit, ideam intellectus agnoscit, & quoniam idea longius differt à specie extra quam existit, quàm species ab indiuiduo in quo seruatur, ideò intellectus à ratione longius quàm ratio ab imaginatione distat. *Fic. in Plot. En 5 lib. 9. cap. 3.*

Cognitio duplex, vna ante amorem ab obiecto cognito seiuncta, altera post amorem cum obiecto cognito copulata. *Leo Heb. de Amor. dial. 4.* Cognitio triplex existit, naturalis, sensibilis & rationalis. *idem, dial. 2.* Cognitio pulchritudinis duplex, habitualis, ac priuatiua. *idem, dial. 3.*

Cognitio quid est.

Cognitio ipsa desiderium esse videtur,& quasi inuentio quædam indaginem concomitans *Plot. En. 5 lib 3. cap* 10. Cognitio in nobis nil aliud est quàm spiritalis vnio ad formam aliquam spiritalem. *Fic in Plat. Theolog. lib 3 cap 2.* Cognitio intellectualis est media inter diuinam cognitionem, & sensitiuam. *idem, in Plat. Theol. lib. 12. cap. 3.*

Cognitio quatenus naturæ appetentis est particeps in cognitione sua est quædam voluptas, nam in ipsa cognoscendi potentia est inquisitio, & inuentio, in potentia similiter appetendi est appetitio, & consecutio, inquisitio appetitioni similis est, inuentio consequutioni similis sicut igitur consequutio, sic & inuentio voluptaria, nec tamen est idem penitus virtus appetens,& cognoscens. apud nos præsertim. nam multa cognoscimus, quæ volumus,& quæ cognouisse nollemus,& vicissim,& certissimè cognoscimus, quæ minimè volumus,& vicissim affectamus valdè, quæ non valde cognoscimus. *Fic. in Pla phil.* Cognitio omnis est participatio quædā luminis intellectualis. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 3. c. 25.*

Cognitio vt fit, & quid cognoscit.

Cognitio nulla cognoscit id quod nullo modo se habere cognoscit *Plat. in Cratyla.* Cognitio omnis fit à quodam agente. *Aristotel. Theolog. Ægypt. lib 12. cap. 13.* Cognitio cognoscentes coniungit, ignorantia disiungit: ideò qui in veritate credit nihil à veræ fidei firmamento, vel causa dimouet *Dionys. Areop de diu. nom.* Cognitione, & luciditate vnumquodque participat, vt veritate,& esse, vt ait Plato. *Simonius in 12. metaphys ex. cap 1.*

Cognitio singulorum per similitudinem quandam perficitur. *Plot. En. 1. lib. 8. cap. 1.* Cognitio nostra speciebus innititur. *idem, En. 6. lib. 9. cap. 3.* Cognitiones vt distant, sic & ea quæ sub cognitionem cadunt distant naturâ, & quæ intelligi possunt vnius formæ existentis omnia superant. *Proclus in Eucl. lib. 1. cap. 1.*

Cognitio nostra necessariò ab imperfecto ad perfectum procedere debet,& ab indeterminatis apprehensionibus ad determinatas certásque orationes transire. *Proc. in Eucl. lib. 4. cap. 6.* Cognitio omnis ab intellectu est ijs quibus est intellectus *idem ele. Theol propo.* 197. Cognitio omnis & viuentis est,& per se fortiti. *ibid.*

Cognitio fit propter rationalis animæ imperium, ignorantia propter irrationalis potentiæ dominium. *Proc. in Alc.* 1. Cognitio nostri perfecta ab essentia vires, ab his actiones indicat; cognitione verò nostri potiùs commonitore, ex actionibus vires; ex viribus essentiam animæ cognoscentes: hæc quidem tria inuicem in anima confluunt, nam & essentia eius est actu.& actio essentialis existit, hæc intellectualis fit secundum actum, hæc essentiæ fit cognata secundùm ipsius perfectionem. *idem, ibidem.*

Cognitio omnis constat secundùm quandam in vnum congregationem, atque secundùm impartibilem cognoscibilis totius comprehensionem. *Prisc. in Theophrast. cap* 1. Cognitio per quandam mentis cum rebus æquationem perficitur, mens cognitæ infinitate æquatur quodammodo. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 8 cap. 16.* Cognitio omnis habet fundamentum

in vita,& ideò circa essentias,vt entia dirigit actionum, *idem in Dion. Areop. de diu. nomin.*

Cognitio non adducit cognoscentem pro ipso cognoscendarum modo cognoscere,quod omne cognoscens non simpliciter pro rei cognitæ qualitate,sed pro ipsa cognitiuæ virtutis natura, & forma,& dignitate cognoscat,& iudicat: hinc apparet,quod hominem obiectum aliter sensus exterior, aliter imaginatio iudicat, & aliter ratio, aliter intellectus, sensus enim solam rem præsentem percipit,& accidentia sola, imaginatio & absentem reperit,& quodammodo substantiam componit, diuidit sola,summatim conficit, quæ singulatim quinque sensus;ratio & hæc efficit omnia,& præterea ad vniuersalem speciem, incorporeámque naturam argumentando se transfert, intellectus denique simul quodam intuitu conspicit quæ ratio multifariam argumentando circunspicit. *Fic. in Plat. Parmenid. cap. 32.* Cognitionis omnis principium est intellectus primas. *idem, ibid. ca. 48.* Cognitio omnis vera à priori cognitione intellectuali dependet, quæ si auferatur, nulla restat imaginatio vera,& nullus sensus verax. *ibid.*

Cognitio per formam fit;& per materialem generis formam est confusa,per actualem speciei formam est distincta. *Fic. in Plat. phileb.* Cognitio per formam quandam fieri solet,ideoque in aliquid formale semper mendi materiam in formam auguratur quam apprehendat. *idem, in Plat. Tim. cap. 37.*

Cogniturum quod est se ipsum non cognitus præterea esse adeò simplex,vt nulla prorsus in eo differentia sit,vt est ipsum vnum, sed ita simplex esse debet, vt in quolibet sui totum penitus includatur, & eius actio tota explicatur momento; eiusmodi est intellectus. *Marsi. Fic. in Plat. Em. 3. lib. 3. cap. 1.*

Cognitionis actus cùm sit intimus, & vitalis, apparet hunc edi ab intima forma, vt lucere à luce, hæc intima forma, id est sensibilium exemplaris ratio ad ipsam animæ spectat essentiam, à qua rationes essentiales habente dependet quædam animalis vita, non vera essentia, nec anima vera, sed quasi accidens, vel quasi substantia,& viuificatio quædam pendens à prima, vt lumen à lumine, sub qua pendente sit vitæ vestigium, quasi calor. *Fic. in Theolog. Pl. cap. 5.*

Cognitioni nobis duo natura dedit, sensum, & intellectum, quorum duo sunt obiecta, sensus quod est singulare, intellectui vniuersale: & vt sensus, qui interior est non res singulas in se recipit, sed earum præsentium, & sensibus externis obiectarum imagines, quæ phantasmata appellantur, sic intellectus non continet rerum essentias, sed notiones tantum, per quas ille absentes non minus quàm præsentes nobis contemplantibus obuersantur: ex quo sequitur nos contemplari cum volumus, non sentire cum volumus, quia obiectum contemplationis semper in promptu habemus, at sensus obiectum externius est. *Iacob. Carpentar. in Alcinoi dig. 2.*

Cognitio omnis in appetitum refertur. *Steph. Eugubin. de ascensu mentis in deum, lib. 4. cap. 2.* Cognitis à rebus nobis ad res nobis ignotas attollimur cognoscendas. *Leo. Heb. de Am. dial. 2.* Cognita res à cognoscente pro viribus ipsius cognoscentis, haud pro rei cognitæ dignitate frequenter recipi solet. *idem ibidem, dial. 1.*

Cognitio vt Dei, & animarum à corpore separatarum.

Cognitio Dei non solùm iam creatas res, sed adhuc creandas, imò & ipsas creandarum ideas mirabiliter antecellit: Angelica res antecellit, ideas sequitur; humana vtrasque communiter sequitur. *Dion. Areop. de diu. nom.* Cognitionum omnium omnes termini plusquam ineffabiliter in Deo præexistunt, quem nec intelligere, nec eloqui licet, neque quomodocunque speculari, quia est ab omnibus segregatus & eminenter ignotus, iam enim essentialium omnium cognitionum atque virium super essentiali virtute fines simul omnes anticipauit, & incomprehensibili potestate super cœlestibus mentibus altior extat. *idem, ibid.*

Cognitiones omnes tum entium sunt, tum in entia desinunt, ergo qui omni essentiâ superior est, consequenter ab omni cognitione est ignotus. *Dion. Areop. de diu. nom.* Cognitio summa nobis extra patriam existentibus est intelligentia diuinam naturam nondum attingens, tantum verò de muneribus,& viribus diuinis consequens, quantum diuinus ille radius per syrenas sanctorum mentis transmissus ostenderit, in quibus, vt in corporibus diaphanis solem diuinum percipimus, quem in se ipso cognoscere non possumus. *idem, ibid.*

Cognitionis ipsius pulchri vtraque species, tam scilicet priuatiua, quam habitualis maior profectò in angelis, atque superioribus essentijs, quàm in inferioribus existit. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Cognitio diuinarum rerum,& ipsius Dei ab humano intellectu,& angelico habita, quammaximè differt. *idem, ibid.*

Cognitio, quæ melior, & deterior.

Cognitio multarum rerum cum malo ducta, & tractatione, longè maius detrimentum affert quàm rerum omnium imperitia. *Plat. de leg. dial. 7.* Cognitiones superiorum in seipsis deteriorum actiones firmiter comprehendunt, at cognitiones inferiorum non possunt superiorum actiones comprehendere. *Proc. in Alcib. 1.*

Cognitio, & affectus duo sunt in animo potissima: cognitionem sophistæ sub veritatis specie ad falsa detorquent; affectum populares poëtæ sub concinnæ voluptatis esca in dissonas perturbationes sæpe præcipitant; Oratores verò populares tum cognitionem falsis decipiunt coniecturis, tum affectum in motus varios concitant: ideò nos Plato animorum medicus à sophistis, ab oratoribus,& poëtis procul abducit. *Fic. in Plat. Gorg.*

Cognitio vt ab amore differt.

Cognitio, & amor hoc inter se differunt, quod rem externam cognoscimus pro ratione formæ,& rei imaginis, quam totus ipsi iam habemus, & ad hanc in primus aciem mentis intendimus, amamus autem quod bonum iam iudicamus pro natura ipsius boni,& eâ qualis in se ipsa est frui appetimus, ergo cognoscendo rem ad nos trahimus, amando nos ad rem trahimur. Ideò inferiora satius est nosse quàm amare, superiora satius amare, quàm nosse. *Fic. in Dion. Areopag. de diu. nom.*

Cognitio pulchritudinis priuatiua amorem, ac desiderium ipsius inducit, cognitio verò eiusdem habitualis hoc efficere minimè valet. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Cognitio vel amorem præcedit, vel eundem subsequitur. *idem, ibidem.* Cognitio duplex, vel ab obiecto cognito seiuncta, vel cum eodem coniuncta. *idem, ibid.* Cognitionum quædam amore destitutæ quædam cum amore coniunctæ. *ibid.* Cognitiones amore destitutæ in rebus bonis omnibusque pulchris versantur. *ibid.* Cognitiones cum amore coniunctæ circa bona simul,& pulchra versantur. *ibid.*

Cognoscere scientiam accipere est. *Plat. in Theæteto.* Cognosci quod non est omnino non potest; illud tantùm cognoscitur quod est. *idem de rep. dial. 5.*

Cognoscimus fallaci cognitione, quæ superi firmiter comprehendunt, non enim nostra debilitas est illorum potentiæ index, vt nec irrationale nobis inferius sistit nostræ rationis iudicium quamuis irrationale quod est in nobis, vel extra nos, nostram intelligentiam moueat. *Proc. in Alcib. 1.* Cognoscitiuum sui ipsius omne ad se omnino conuersiuum est. *idem, in Theol. proposi. 83.* Cognoscens omne quouis modo vnum,& est. *ibid. proposi. 1??.*

Cognoscere nos ipsos admonet Plato,& in hoc deandam esse operam docet, vt cognoscamus omnia infra lunam fuisse nobis subiecta, ne quando ipsi contra dignitatem nostram inferioribus nos vicissim subijciamus. *Fic. in Pla. Tim. cap. 41.*

Cognoscimus aliena frustra, nisi nos ipsos cognoscimus. *idem, in Plat. Lachet.*

Cognoscere quisquis aliquid rerum cupit, neque resistet in genere, nec per singula in infinitum pererret, sed communi generis habitâ notione distinctam eius,& absolutam in speciebus ipsius quærat intelligentiam, in quibus tota vis generis adimpletur. nihil enim singula speciebus addunt, quod vim generis augeat, sed quæ singulis propria sunt, extraneæ sunt quædam passiones & à specie substantiâ penitus alienæ. *Fic. in Plat. phil. lib. 1. cap. 3.*

Cognoscimus res clarissimè, & firmissimè cùm rationes ipsarum rerum absque materiæ conditionibus cogitamus. *Fic. Plat. Theolo. lib. 10. cap. 5.* Cognoscendi verus modus sequitur modum essendi. *idem, ibi lib. 10. cap. 1.* Cognoscendi potentia in ipso actu cognitionis vnum quodammodo fit cum obiecto, & quo magis fit vnum, eo perfectior est cognitio, atque vicissim,& vbi perfectissima est, imò vbicunque vera, ibi vnum, idémque est reipsâ cognoscentem potentiam, atque cognitum. *idem in Pla. Theo. lib. 8. cap. 2.*

Cognoscibilium duo sunt genera, vnum intellectui obiectum, alterum sensui, in ambobus quiddam primum, quiddam secundum: primum intelligibile idem est cum primo intellectu; secundum complectitur numeros, & figuras, in quibus mathematicæ versantur; deinde rerum formas cum materia coniunctas, vt in communi ratione spectantur. In sensu primum est color, secundum corpus coloratum, vt Alcinoo placet, vel vt alij substantia corporea, secunda vmbræ & imagines corporum. Primi intelligibilis in Deo posita est absoluta intellectio: secunda cum cogitatione intellectio coniuncta est, aut cogitationis quidam discursus, ad illam priorem intellectionē aspirans. In reliquis quæ sensus mouere possunt, prima est ipsius sensus perfectio, quam sequitur visio, vel imaginatio, deinde rerum perceptas imagines

memoria conseruat, vt has in aliqua parte obliteratas, vel confusas recordatio renouat, vel distinguit, per quas rationis quidam discursus cogitationis est sicut eo peracto de bono, vel malo, vero, vel falso quædam interior affirmatio, vel negatio opinionis esse dicitus. *Iacob. Carpentar. in Alcinoi cap. 4.*

Coitus.

Coitus illiciti, & non legitimi nemo vel deos, vel dæmones eorum pedissequos causas esse dicat, sed vel naturales instinctus apud nos depsauatos, vel veneficam insuper artem, vel malos dæmones, vel animas nondum puras. *Iamblichus de mysteriis.*

Coitum comitiali morbo similem iudicauit Hippocrates, quia mentem, quæ sacra est percellit. & tantum obest, vt Auicenna dixerit si quid spermatis supra quàm natura tolerat, coitu perfluat, obesse magis quàm si quadragies tantundem sanguinis emanarit, ideò veteres musas, & mineruam Virgines esse voluerunt. *Fic. de stud. diosa san. tuenda. lib. 1. cap. 7.* Coitus stomacho pessimus, præsertim si vel saturo statim, vel esuriente concumbas. *idem, ibid cap. 12.*

Colonia.

Coloniæ deducendæ ratio alia est, vt vnum genus, ab vna regione profectum, amicum ab amicis cohabitet angustiâ quadam terræ capulsu, aut alijs huiusecemodi affectionibus coactum, quandoque verò seditionibus aliqua ciuitatis pars exagitata aliò migrare cogitur: iam etiam vniuersa ciuitas simul aliquando fugit, bello superata. *Plat de leg. dial. 4.*

Coloniam qui mittit, debet amare coloniam, & mittere centum ad minus seniores quantum fieri potest optimos, qui curam habeant cum ijs qui missi sunt, quo & magistratus secundùm leges constituantur, & constituti probentur. *idem, de leg. dial. 6.*

Color.

Color à colore in eo quod color non differt, sed vt nigrum ab albo differt, & supra id est maximé contrarius. *Plat. in phi.* Color splendidus cum albo congressus, & in abundè nigrô allapsus cæruleum efficit colorem, & cæruleo cu albo mixto, fit glaucus, fuluo verò cum nigro prasinus fit color. *idem, in Timæo.* Color albus dicitur qui visum disgregat, niger qui vnit. *ibid.*

Color rubicundus appellatur cùm splendor ignis per humiditatem mixtus, cruentum colorem exhibentat fit splendidus rubicundo, & albo misceatus, fit flauus: si rubicundo & nigro, & albo purpureus, at si his niger magis immixtus fuerit supradicta mixtis & vstis, fit obscurus. *Plat. in Tim.* Color fuluus fit mixturâ flaui, & fusci, fuscus fit mixturâ albi, & nigri & albo ad flauum admixto fit pallidus *idem, ibidem.* Color est flamma de singulis corporibus defluens, visui congruas partes ad sensum habens. *ibid.*

Colores primi sunt quatuor, albus, niger, splendidus, & puniceus, reliqui ex bis permixtis generantur, albus visum disparat, niger coagmentat. *Tim. Locrus de anima mundi & natura.* Colores termini sunt diaphani. *Pris. in Theophrast. cap 14.* Color est ipsiusin corporibus terminatis diaphani terminus, *idem ibid. cap. 17.* Color est causa videndorum colorum, & visibilia vt sint, visibile causa est *ibid. cap. 21.*

Color agit in diaphanum, & in visum, sed ita, vt vtatur diaphano tanquam propriæ actioni subiecto non vt patiente, sed vt formato per actionem eiusmodi separatam, quamobrem ipse coloris actus non mixtus fit oculo præsens, quanquam non aliter fit præsens quàm diaphano vtens, vt cui non quandoquidem aduehi se immixtum. *Pris. in Theoph. cap. 25.* Colores videntur per medium diaphanum appositi verò oculis non videntur, ideo opus est interuallo, vt res videndæ illustrentur, etiamsi spectaculum ipsum per se luceat, & medium non esse solidum, vel opacum, ne proprietatu tenebrificâ impediat actionem, & diaphanum aliquid confert, non enim est vt vacuum intersuallum. *idem, ibid.*

Color mouet sensum cum est illustratus, & quando ei diaphanum vt materia subest. quod simul, & lumine colores perficit, & quodammodo formatur ab illis, separato videlicet actu hoc inde manante. *Pris. in Theoph. cap. 29.* Color tanquam potentia naturalis potest agere aliquid in sensuum instrumentum & aliquid efficax habent forma figura, motus, numerus, sed formaliter agunt; color verò, & huic cognatæ qualitates agunt corporalius ideò acrius, & passione quadam vehementiore. *idem, ibid.* Coloris actus ad visum peruenit, vel ut a diaphano separabiliter, & indiuiduè toti præsens. *idem, ibid cap. 26.*

Color est lux opaca *Fic. epist lib. 2.* Color est quædam luminis terminatio. *idem, de lumine cap. 9.* Color est participatio quædam luminis varia pro natura cuiusque, in superficie corporis emicans, accommodata visui. *idem, in Plat. Tim. cap. 43.*

Color est proprius visus obiectum, vox auditus. *Fic. in Plat. En. 2 lib 8 cap 1.* Color est extremitas diaphani in corpore terminato. *idem, in Theophrast. cap. 14* Color est lumen, omne lumen est quidam color, visibile nobis est. *idem, ibid. cap. 29.*

Cleombrotus, & apud Cyrenem multi Egesiæ auditores sese à corporis carcere ob desiderium alterius vitæ liberarunt. *Fic. in Plat de rep. dial. 10.*

Columbæ Veneri consecratæ sunt *Leo. Heb. de Am. dial 2.*

Comam non tondere, nec radere ob institutum mos fuit Argiuorum, ac reliquorum Græcorum, & etiam Romanorum; & cum quid faciendum proposuissent, iurabant non prius comam scissuros, quam id fecissent. *Seba. Foxius in Plat. ph. a.*

Comœdia tertio actu iucundiores affectus mouere cupit. *Apul. floridorum, lib 3.* Comœdia in spectaculis recitari non placet, corrumpit enim mores hominum. *Fr. Patri. de rep. lib. 2. cap. 1.*

Commentarij memoriæ gratiâ inscribuntur. *Plat ep. 7.*

Commerciorum lex est simplex, vt neque quis meas res quoad fieri potest attingat, neque vel minimum ex meis moueat, si id non fuerit cum mea venia, & sic ego circa res alienas me geram, quandiu sanâ mente præditus fuero. *Plat. de leg. dial. 15.*

Cometarum circuitus ostendit ignem, & aerem moueri in circulum. *Fic. in Plat. Tim. cap. 25.* Cometas esse putarunt nonnulli Pythagoreorum stellas, sed statis apparere temporibus, nec splendere semper: Anaxagoras, & Democritus concursum esse splendoris à duabus, vel pluribus stellis emissi. Nec defuere qui putauerunt cometas esse refractiones ad Solem, non secus ferè vt assolet in obtutis conspiciliarum accidere; Aristoteles ignitum ex euaporatione sicca diffusam; Sisaroni placuit esse alsi lumen in nube susceptum, Pontico Heraclidi sublatam nubem luce collustratam, Epigenidi dilationem igniti spiritus, cum terrestris quiddam sit admixtum: Boetius malurr aeris esse rarefacti apparitionem, Xenophanes collectionem, & commotionem inflammatarum nubium, Metrodotus violentum in nubes solis iactum. *Io Franc. Pic in exam van doct. gen. lib. 1. cap. 12.*

Commisceri quædam possunt, quædam non *Plat. in sophista.*

Commiserationem in re capitali mouere solemnia, adducendo filios, cognatos, & amicos lachrymantes. *Plat. in Apolog.*

Communio, &c.

Communio est legum iusta institutio, qua quod prædium est, probum dicitur, habitus concordiam præstans. *Speusip. in Plat. definitio.* Communia inter amicos omnia esse statuit Pythagoras, inter cuius Plato. *Fic. epist. lib 1.* Communicantia vicissim si ab alio copulantur, post illud existunt. *idem, in Plat phi. lib. 1. cap. 4.*

Communia fuerunt olim omnia apud Græcos & Ægyptios Athenas, & apud Bocmiosum Placam. Est vt Diodorus ait, insula in Oceano meridiem versus, in qua præter cætera communes sunt vxores, & teste Pomponio Mela Garamantes in Aphricæ partibus omnia communia habent, & inter philosophos Brachmanas, Gymnosophistas, Essæns, Pythagoricos, & etiam inter sanctos quondam Christianæ reipublicæ fundatores compertum habemus bonorum fuisse communionem. *Fic. in Plat de rep. dial 5.*

Communissimum omnium vnitas, & nexus ad bonum; secundo forma & ordo formalis, tertio motus vitalis. *Fic. in Plat. Eo 2. lib. 9 cap 1.* Communia proprijs semper antecellere debent. *Gab. Buratel. de homin f l. citate, lib 6.* Communitas rerum à Platone instituta non fuit quoad possessionem, sed quoad amicabilem vsum, vt pauperum indigentiæ, & inopiæ subueniatur. *idem, de rerum s. m. lib. 9.*

Comparationis non exigitur integra similitudo. *Chalcidius in Tim Plat.*

Complens quantitarum minus est eo quod completur *Io. Fr. Pic. in exam. van. doct gen. lib 3. cap 3.*

Complere & roborare, boni est & vt actus omnium est roborârque, bonum dicitur vt viuificas, lenit, mulcet. & excitat, pulchrum, vt in obiectis quæ noscenda sunt tres illas cognoscentes animi vires allicit, gratia, pulchritudo: vt in cognoscente potentia eam applicat, cognitio, veritas. Vt bonum procreas, regit, & cumplet, vt pulchrum illuminat, gratiamque infundit. Præparata etiam omnia esse oportet ad gratiam diuini fulgoris excipiendam, corpora proportione, quæ ordine, modo, specie constat voces harmoniâ, quæ numeris interuallisque conficitur: officia morum rectitudine ad finem bonum: disciplinam ordine ad obiectum verum: animam puritate per auersionem ab inferis, & conuersionem ad supra: mentem per æternum in ipsum bonum intuitum. Per hæc omnia gradatim diuinæ bonitatis, & pulchritudinis radius penetrat. *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 5.*

Complexio est natura quædam ex contrarijs quodam modo

qualitatibus constituta, quæ inter eas quodammodo medium obtinet, ex quo fit vt forma substantialis esse nequeat: præterea suscipit magis, & minus: ergo cùm complexio non sit substantia, & anima sit substantia, ideò anima non est cōplexio *Fic. in Plat. Theol. lib. 7. cap. 9.* Complexio qualis est, talia alimenta cupit: & qualibus vtitur alimentis, talis euadit *idem, Plat. Theol. lib. 10. cap. 2.*

Complexio temperata vt est finis ad quem diriguntur omnes motiones, & complexiones naturales, ita rationalis anima finis est omnium naturalium formarum. *Fic. Plat. Theolog. lib. 10. cap. 3.*

Complexio omnis proprios sibi postulat sapores, sanguineus dulcia, acuta & acria cholericus, acida melancholicus, mollia & insipida phlegmaticus *idem, Plat. Theol. lib. 11. cap. 5.*

Complexio non à cutis colore iudicanda, alioqui error non difficulter committitur: nam quandoque humor cutem, & extrema petit, quandoque intus parte humoris subsedit. *Io. Franc. Pic. Mirand. de prænotione lib. 6. cap. 4.*

Composita.

Composita sola dispergontur, at quæ non sunt composita non hoc patiuntur. *Plato in phædone.* Compositis conuenire nō videtur vt alio quodam modo se habeant, quàm quo illa se habent ex quibus composita sunt *idem, ibid.*

Compositum omne diuiditur in ea ea quibus est compositum. *Arist. Theo. Aegyp. lib. 12 cap. 5.* Compositum omne formam propriam habet *idem, ibid. cap. 6.* Compositum definire debemus per formam, & materiam, simplex satis est per formam. *ibidem, lib. 14. cap. 4.*

Composita sunt omnia, quæ esse dicuntur, nec quicquam est simplex tam quæ arte, tum quæ natura fiunt. *Plotin. En. 5. lib. 9. cap. 3.* Composita quæ temerè fiunt, & frustra, non fiunt mente, sed sui quodam impetu in hoc sensibilium genere confluunt, & speciebus ipsis non continentur, & quæ putrefactione fiunt ex quadam animæ sorte contingunt tunc forte aliud non potentis, alioquin naturæ consentaneum fecisset: facit ergo vbi & quomodo potest. *idem, ibid. cap. 14.*

Compositum id est, quod ex aliquo temporis initio natum & factum est *Chalcid. in Plat. Timaeum.* Compositum duobus modis accipi potest, aut vt ex pluribus reali distinctis ratione, aut ita vt intellectu & ratione compositum esse intelligatur, ita vt vna & eadem res simplicissima comparatione nobilioris potentia esse dicatur: ignobilioris autem actus. & forma sensitiua comparatione intellectiuæ potentia sit, vegetatiuæ vero actus, quamquam sensitiua ipsa non sit composita ex materia & forma. *Bes. in calum. Plat. lib. 3. cap. 22.*

Compositio est ex partibus essentialibus vbi potentia est ad esse, & ibi est generatio, & corruptio: ergo in intelligentiis non est compositio ex partibus essentialibus. *Bes. in calum. Plato lib. 3 cap. 22.* Compositio in rebus corporeis duplex altera ex materia & forma ad esse speciei, altera ea natura speciei, & esse existentiæ & indiuidui: at in rebus intellectualibus vna tantùm compositio est, quoniam essentia simplex est ad esse dumtaxat specificam, nam sibi includent pariter distinctas, & esse existere cum natura Angeli existat, tale quidem esse participatio quædam primi est, auctore Diui Thoma. *idem, ibi cap. 25.*

Componere in naturalibus aliud est, aliud commiscere, vt in numeris aliud est adiungere, aliud multiplicare. *Marc. Fic. in Plot. En. 3. lib. 7 cap. 1.* Composita res tunc interit, cum a sua forma seiungitur: forma tunc perditur, cùm à formantis lege discedit. *idem, Plat. Theol lib 5. cap. 8.* Compositio alia non est in formis absolutis fermè quam ex essentia, & esse, aut similis: essentia tenet locum materiæ, & potentiæ, esse verò locum formæ. & actus. *idem, ibidem. cap 13.*

Compositio nil est aliud quàm vnio plurium: plura verò non vniuntur, nisi ab vno, quod insit pluribus, vt ab intimo coagulo conglutinentur *Fic. Plat. Theol. lib. 7. cap. 12.* Compositio in omni est vnitas, & multitudo, itaque quandiu vincit vnitas multitudinem, ideóque deuincit eam, tandiu permanet compositum insolutum. *idem, in Plat. Parmen. cap. 86.*

Compositarum rerum omnium genera reducuntur ad aliquid quod in eo genere non compositum, vt dimensiones ad signum, quod ex dimensionibus non componitur, numeri ad vnitatem, quæ non fit ex numeris, elementa ad id quod ex elementis non miscetur: ergo & entium vniuersus ordo ad ens quod non constat ex entibus, & id est substantia accidentibus nullis admixta. *Plat. in Timæo cap. 7.*

Composito in quolibet hinc principalis forma, inde accommodatum formæ subiectum consideratur: hinc efficitur, vt inter diuersa composita consurgat discrepantia duplex, altera magis ratione formæ, altera magis ratione subiecti. *Fic. in Plat. Tim. cap. 22.* Compositum quatenus compositum dissolubile est sed quatenus per diuinam voluntatem composita quædam constantur, vt in eis vnitas superet multitudinem, indissoluta seruantur. *idem, ibid. cap. 37.*

Compositum omne etsi solubile est, præsertim vbi multitudo superat vnitatem, tamen vbi vnitas superat multitudinem diuina voluntas conseruat indissolutum. *Fic. in Plat. Timaeum cap. 24.* Compositum omne solubile est, præsertim vbi multitudo superat vnitatem, tamen vbi vnitas superat multitudinem diuina voluntas conseruat indissolutum, quæ quidquid proxima facit immortalitate donat. *idem, ibid.*

Compositi forma propria, quodammodo & ipsa compositum est. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 2.* Composita ex quatuor elementis possunt in elementa pura resolui, etsi elementa deteriora non possunt seorsum à præstantioribus esse, saltem alicubi præstantiora seorsum à deterioribus in sua puritate consistere, similiter compositum ex materia & forma tanquam geminis elementis resolui quodammodo in materiam puram potest, & omnino redigi in formam aliquam per se puram, quæ per se, & in se consistat absque materia, quamuis materia nequeat prorsus ab omni forma consistere. *idem, in Plot. En. 4. lib. 3 cap. 8.*

Compositum aliquo modo est quidquid est post primum. *Fic. in Plo. En. 5. lib. 3. cap 15.* Composita in simplicia resoluuntur, simplicia multa in vnum simplicissimum, hoc in ipsam simplicitatem. *idem, in Plot En. 5 lib 3. cap 10.* Compositio entis & essentiæ in diuinis secundum rationem est, non secundum rem. *Ioan Fransisc. Pic. Mir. in episto. ad Antonium Fauentinum.*

Compotatores exuebant calceos. *Plato in Symposio.*

Conatus in magnis pulcher est, & quidquid acciderit perpeti. *Plato in phædro.*

Concausæ sunt, quæ rem non efficiunt, effectibus tamen instrumenta parant quæ si non accedant, instrumentum vnicuique arti opus perfici non potest. *Plat. de regno.* Concausas cùm bifariam diuidere non possimus, diuidamus eas, vt victimas: semper enim in proximum numerum secare debemus. *idem, ibid.* Concausæ sunt in ciuitate, & quæcunque aut paruum, aut magnum instrumentum faciunt, nam sine his, nec ciuitas, nec ciuitatis gubernandæ ars vllo modo constiterit, sed nullum horum opus regiæ notis ponemus. *ibidem.*

Conceptus primi mentis simplices sunt ergo formæ intelligibiles vnde nascuntur isti sunt simplices, ergo mens quæ simplicium est subiectum, simplex est *Fic. in Plat. Theologia lib 8 cap 4.*

Conchilia variari ad Lunam, non pertinet ad Astrologiam, sed ad naturam: calida enim parum est Luna, etsi calor debilis est humiditates euocat, nec consumit, quod potentioris caloris officium est. *Ioannes Franc. Picus de prænot. lib. 5. cap. 4.*

Conclusio semper exteriori propositioni in syllogysmo similis euasura est *Proclus in Alcibia.* Conclusionem ait Aristoteles semper imitari ex præmissis eam potius, quæ minor appellatur, & negatiuam affirmante, & ex necessaria & simplici ait necessariam fieri conclusionem, quod falsum est. *Georgius Gymnist. de Pla. Arist. philo. differen.* Conclusiones negatiuæ debent incipere à magis vniuersalibus ad particularia, vt si non est animal, nec homo. affirmatiuæ cōtra, vt si est homo est animal *Fic in Plat. Parm. cap. 57.*

Concordia.

Concordia est consensus imperantium. & subditorum, in imperandi, obediendiue ratione *Speusip. in Plat. d finitionib.* Concordia est illustratio ex vnitate procedens: est enim vnio differentium. *Proclus in Alcib. 1.*

Concordia in omni ciuitate maximam semper vim habere solet, ita vt vrbium domina à plerisque haberi soleat. *Fran. Patric. de regno lib. 8 cap. 14.* Concordiæ vincula sunt beneficium, & gratia, quorum alterum corda beneuolentia connectit, alterum studium stabili charitate confirmat. *idem, ibi.* Cōcordiam maximam communis metus, & communis spes pariunt. *ibidem.*

Concretio & discretio sunt motus ab omnibus aliis motibus, & à qualitatibus differentes, sed circa concretionem & discretionem contingit localis motus, alteratio, generatio, augmentum, condensatio, & opposita. *Plot En. 6 lib. 3. cap. 25.* Concretum notius est, quàm absolutum. *Fic. in Plato phileb. lib. 2. cap. 1.*

Concupiscentia.

Concupiscens species plurima in vnoquoque est. *Plato de republica dial. 4.* Concupiscendi vis sola cùm agit, affert intemperantiam. *Plot. En. 3. lib. 6 cap. 2.* Concupiscendi natura retinet eius quod factum est insitam sibi notam, non tanquam memoriam, sed velut affectionem & passionem. *idem, En. 4. lib. 3. cap. 28.*

Concupiscendi vi non pertinet nutriri, calefieri, humectari, vel permutari, vel euacuatione leuari, vel saturitate repleri, sed ad tale corpus hæc omnia pertinent. *Plot. Eu. 4. lib. 4. c. 12.* Concupiscendi principium est locus iecoris, quoniã vegetale illic quamplurimum agit. *idem, ibid. c. 28.* Concupiscendi & irascendi fomes ab ipsa vegetali, & genitali natura pullulat. *ibid.*

Concupiscentia & appetitus in duo diuiduntur genera, quorum alterum ex imaginatione, alterum ex cognitione, & ratione manat: quæ concupiscentia imaginaria est, impropria verò homini, sed animantibus vt animantia propria: quæ cogitatione & ratione propria homini, nec alij propria: & virtutes morales nil aliud sunt, quàm hæc pars concupiscens, & hæc pars à nulla alia animi parte procedit, quàm à contemplatiua, ex quibus patet quod ob contemplationem sunt virtutes actiuæ. *Auer. in Pla. stud. nat. l. 2. col. 4.*

Concupiscentiæ insatiabilis pars dicitur à Platone congeries plurium bestiarum. *Ficin. Platonic. Theolog. lib. 17. c. 4.* Concupiscibilem continentia, & temperantia perficit. *idem, in Plat. de virtute.* Concupiscibilis actus est addiscere, quæ phantasia, & sensus ubiiciunt. *ibid.* Concupiscibili homo renitens primò continens fit, deinde temperans, postremò diuinus. *idem, in Plat. Phædrum, c. 31.*

Concupiscendi vis quæ in iecore à ratione distantior motus habet rationi nunquam obtemperaturos, nisi Deus hinc dulcedinem propriam iecori, inde amaritudinem fellis adhibuisset, nam furori ipsius dulcedo, ignauiæ amaritudo resistit. *Fic. in Plat. Timæum, c. 67.*

Concupiscendi incitamenta corporea non oriuntur in ipsa animæ virtute concupiscente, sed in corpore tali, id est per animam affecto vitaliter, quod conuenimus, quia cum in corpore tali sit indigentia simul & passio, appetitus hinc incitantur: secundò, quia pro varietate ætatum, locorum, habitudinis, & temporis, diuersi surrepunt appetitus: tertiò, quod semper ad quod se dirigit stimulus, non statim concupiscendi vis se dirigit: quartò, si se dirigit animus, non semper admittit: quintò, in corpore deprauato surgit virtus ad non consentaneum. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 21.*

Conditor alicuius præstantior est conditi naturâ. *Procl. in element. Theolog. proposit. 18.*

Conferens est, quod in bonum fert. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Confitetur qui non respondet. *Plat. in Apologia.*

Conflagratio nusquam tanta fuit, quod scriptum sit, vt prouinciam integram incenderit. *Stenh. de perenni philosophia, lib. 7. cap. 5.*

Confutatio per reprehensionem maxima & potentissima est purgatio ignorantiæ. *Plato in Sophist.*

Coniectura est latentis rei iudicium. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Coniunctio.

Coniunctio illa, & annus ille eligendus est ad nostras opportunitates, in quo Iupiter operatur præsertim sextus annus, 12. & 18. *Fic. in Plat. de republica, dial. 8. c. 17.*

Coniunctum quod aliquid alicui est, aut eius essentia est. aut essentiæ proprietas, aut inest ei vt forma subiecto, aut eum attingit. vel sicut transmutans id quod transmutatur, vel vt ars subiectam sibi materiam; & aut pars est aliquid alterius, aut effectus: si est pars, aut indiuidua à toto, vt sol. & stellæ à firmamento, aut separabilis, vt aqua à suo elemento: si effectus, aut à seminaria ratione intrinseca pullulat, vt plantæ à terra, ipsi tamen suæ parenti infixæ, aut ex suis principijs constat & conflatur, vt ea aquis, & terra animalium corpora; aut causam habent extrinsecam, quæ trifariam diuidi potuit, in efficientem, exemplar, & finem. Eadem ratione de toto, & causa: & de causa est reliqua species qua causa secundaria primariæ obedit, & adiungitur, & est finis secundarius principali adnexus: est & præterea homo homini cognatus, & vltima ratio affinitatis est quæ est mediæ naturæ ad extrema. *Ioan. Picus Mirand. in Heptaplum, lib. 6. 2. 3. & 4.*

Coniunctio de mente Alcabitij, & Leopoldi est cùm simul iungitur Saturnus, & Iupiter, quæ semper fit spatio annorum viginti transacto, maior verò cùm ab vna triplicitate in aliam transit quod ferè euenit post annos 240. media coniunctio est quæ fit Saturni, & Martis in Cancro: maxima est Iouis, & Saturni in Ariete post nongentos, & sexaginta annos. Messahala ait eam esse maximam coniunctionem, quæ fit à Saturno, Ioue & Marte; proximam huic coniunctionem facit Iouis, & Saturni, tertiam Saturni & Martis, sed à coniunctione trium superiorum expectat sectarum mutationem, translationem regnorum, aduentum prophetarum. *Io. Pic. Mir. in Astrologiam, lib. 5. c. 4.*

Coniunctiones cùm apud Ptolemæum dicuntur absolutè, intelliguntur de Lunæ, & Solis coniunctionibus; cùm autem de alijs planetis, additur illius stellæ nomen, vt coniunctiones Veneris, vel Saturni: maximas verò coniunctiones intelligit Ptolemæus luminarium cùm fit defectus, medias, quæ fiunt in signa quatuor tropica, Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum, minimas, quę singulis quoque mensibus fiunt *Io. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 5. c. 5.*

Coniunctiones maximas effectus suos Astrologi dixerunt facturas esse post multos annos, puta centum, ducentos, quod falsum est, nam vel efficax, vel imbecilla est hæc causa: si efficax, non potest diu cessare, vt non faciat; si imbecilla, nõ potest diu durare. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 5. c. 6.*

Coniunctiones maximæ non respondent dictis Astrologorum, si rectis supputationibus vtantur: nam Iouis, & Saturni fuit in terrena triplicitate anno gratiæ 1226. à qua ad aeream peruenire debebat in annis 240. tamen peruentum ad aeream triplicitatem anno gratiæ 1541. & sic in annis circiter centum, & quadraginta. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 5. c. 6.*

Coniunctionibus medijs semper vtitur Albumasar, veris nunquam idem Abraham, & idem Albacensis; ergo cùm nihil sit coniunctio illa, quid veri prædicere possunt? mediæ enim nihil sunt coniunctiones, sed imaginariæ. *Io. Pic. Miran. in Astrolog. lib. 5. c. 6.*

Coniunctionem Iouis & Saturni in Cancro, Astrologi dicunt fuisse causam vniuersalis inundationis, quod etsi illis detur, cur postea cùm sæpius eadem in eodem signo redierit coniunctio non idem effecit? *Io. Picus Mirand. in Astrologiam, lib. 5. c. 11.*

Coniugium.

Coniux data est, vt à libidine carnis omnia abstinere possis, & procreare sobolem ad Dei cultum educandam. *Io. Fr. Pic. Mir. epist. lib. 3.* Connubio idoneus vir est ab annis 25. ad 31. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. c. 16.* Connubij tempus varium à Platone statuitur, nam in legibus incipit à 25. anno, in republica à trigesimo, quoniam in republica vbique perfectissimum desideratur. *idem, in Plat. de repub. dial. 8. c. 16.*

Connubijs publicis tempus opportunum exigit æqualitatem in aere, & in ipso cuiusque habitu corporis, & affectus, & ætate, & in cunctis soliditatem, potestatem Solis, qui solidus est, & Veneris, quæ æqualis, & Iouis, qui valet vtroque, item Lunæ competentem aspectum: & hæc obseruanda sunt magistratibus. *Fic. in Plato. de repub. dial. 8. c. 16.*

Connubia in ciuitate facienda sunt, vt potentiores cum minus potentibus copulentur, & diuites cum egenis, vt tota ciuitas fiat æqualis, vt & vinum merum aqua temperatur, vt temperatum euadat. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. cap. 16.* Connubij opportunitas est optanda, tota enim cœlestium harmonia constantiam, æqualitatem, & temperantiam significare videtur. *ibid. cap. 16.*

Connubia etiam opportuna sunt, cùm Iouis cum Saturno sunt coniunctiones, in quibus fœliciter affectus Iupiter, Saturnum alioqui nobis dissonum, quadam familiaritate conciliat, qui viget per annos 20. alternis annis Iupiter, & Saturnus. *Ficin. in Plat. de repub. dial. 8. c. 17.*

Conscientia est cogitatio tristis absque ratiocinatione. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Consensio est communicatio rerum omnium, cogitationum, suspicionumq; concordia. *Speusippus de Platonis definitionib.*

Consiliarius optimus existit, qui consulit ea, quæ bene cognita habet. *Plato in Alcib. 1.* Consiliarius optimus reipublicæ, & sibi ipsi sapiens est, cui optimi scientia affuerit: qui verò hæc non præstat, contra. *idem, in Alcib. 2.*

Consilium.

Consilium, quod βουλὴ dicitur, consequitur opinionem, vt cõsilium temerarium ἀβουλία videtur esse successus infelix tanquam non feriat, & non assequatur quod petebat, & quod volebat, & de quo consultabat. *Plato in Cratylo.* Consilium res sacra esse dicitur; & inter consilia nil diuinius est, quàm hominem de sua, & filiorum institutione consultare. *idem, in Theage.*

Consilium cùm quis de aliqua re quærit, de illo dandum est cuius gratiâ consulit, non de eo quod alterius gratiâ consulit. *Plat. in Lachete.*

Consilium dare iustum est, & sacrum, & hospitale. *idem.*

Consilium vulgi est, vt ea consulantur, vnde hostes plurimis malis afficiantur, amici verò plurima bona percipiant. *idem. epist. 8.*

Consilium est admonitio alterius de agendarum rerum ratione. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Consilium duplex; alterum humanum, cui res dubiæ subijciuntur; alterum diuinum, cui certum solum subiectum est.

hoc ad theologiam, illud ad philosophiam pertinet. *Bess. Card. in Trapezuntium, lib. 6. c. 2.* Consilium est inquisitio rerum, quæ in nostra sunt potestate, contingentésque & dubiæ sunt in perpetuis verò, quia necessariæ sunt, non est cõsilium. *idem, ibid. c. 4.*

Consilium malum dare rebus omnibus iniquius est, nam malum consilium consultori pessimum. *Francisc. Patric. de rep. lib. 5. c. 6.* Consilium Stoici dicunt esse scientiam inspiciendi quæ, & quomodo se quispiam bene, & vtiliter agat; vel est aliquid agendi, vel nõ agendi excogitatio. *idẽ, ibid. lib. 6. c. 8.*

Consilium optimum, & in bello strenuissimum in authore difficile est. *ibid. lib. 7. c. 7.*

Consonantia.

Consonantia nulla magis delectat, quàm quæ in sapiente fit ex ipsa animi, & sermonis concordia, & contra nulla dissonãtia. *Fic. in Pla. Lachetem.*

Consonantiæ & dissonantiæ nouem sunt gradus: primus in ratione, id est opinio cum ipsa rei veritate consentiens, cuius contraria est opinio falsa à veritate dissentiens: secundus in imaginatione, cuius consonantia est consecutio rationis, dissonantia prosecutio externorum: tertius in affectu, vel temperanter rationem sequente, vel imaginationem intẽperanter: quartus in sermone decoro, vel indecoro, quatenus vel rectam rationem, vel imaginationem tumultuariam sequitur: quintus in cantu, cuius consonantia est decorum imitari sermonem, dissonantia indecorum: sextus in sono cantum aliter, vel aliter imitante: septimus in saltu concinno, vel inconcinno ad choream pertinente: octauus in quadam membrorum corporisque totius compositione tam spectaculo grata, quàm exercitio gymnastico própria: nonus in artificiosis cuiuslibet artis operibus, musica quadam proportione compositis: & hi nouem gradus nouas tibi referant nouem. *Fic. in Plat. de repub. dial. 3.*

Consonantia diapason resultat ex dupla tensionis velocitatis, vehementiæ proportione ad id, quod duplo remissius est, tardius, & lenius; ex qua proportione dupla consurgit acuta: id est octauæ vocis excessus ad grauem. *Ficin. in Plat. de repub. dial. 4.* Consonantiæ diapason vox octaua cum graui ita consonat, vt quæ vox gemina est appareat vna. *idem, ib.*

Consonantia sesquialtera generat diapente sesquitertia generat diatessaron, à quibus generatur diapason harmonia. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. c. 3.* Consonantia diapason, omnium perfectissima oritur à proportione dupla integra, simplici, absoluta, & æqualissima. *idem, in Plato. Timæum, c. 29.* Consonantia est soni grauis, & acuti mixtura vniformiter ad aures suauitérque accedens. *ibid. c. 30.*

Consonantia diatonica est, in qua quodlibet quadrichordium per hemitonium minus, & tonum atque tonum procedit, quã & sapientes alij, & Plato, vel maximè ante alias comprobant, tanquam maximè omnium naturalem, quandoquidem ab hemitonio minore, quasi molli materia ista natura procedit ad validiorem toni materiam, & formam habet simplicem, & mansuetam, & robustam: adde quod potissimum conuenit quadrichordio, in quo diatessaron ex geminis tonis & hemitonio procreatur. *Fic. in Pla. Timæum, c. 31.*

Consonantiæ apud antiquos tres erant, prima Diatonica, secunda Chromatica, tertia Harmonica. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 31.* Consonantia Chromatica nuncupatur, quæ per Hemitonium minus, & Hemitonium maius, & Triemitonium discurrere consueuit, sed hanc vt iure molliorẽ philosophi reprobant, *idem, ibid.*

Consonantiam vltra quartam non oportet progredi gratiã melodiæ, non solùm quia ex vehementiori motu, fractioneque in sensum prouenit violentia, sed etiam quia cùm primùm vltra primam quadruplam quincopla nascitur inter quinque & quatuor, oritur simul superbipartiens inter quinque & tria, quæ dissonantiam intermiscet. *Ficin. in Plat. Timæum, c. 31.* Consonantia harmonica progreditur per quartam fermè toni partem, rursúsque per quartam similem atq. diatonem, quam non probant philosophi propter perceptionis, & vsus superstitiosam difficultatem. *idem, ibid.*

Consanguineorum officium est se inuicem tanquam eiusdem corporis membra diligere. *Fic. epist. lib. 3.*

Constantia.

Constantia est potestas perferendæ molestiæ sequentis ex his quæ recta ratio iussit, potestas quæ nunquam deficitur è rationis proposito. *Speusippus de Plat. definitionib.* Constantiæ maximæ munus est ab amoris illecebris toto ætatis tempore abstinere. *Franc. Patricius de regno, lib. 4. c. 11.* Cõstantia est virtus, quæ propriã dolori resistit. *idem, ibid. lib. 7. cap. 15.* Constantia continentiã potior est, quantò superare maius est quàm resistere: quando illud est vincere, hoc non vinci. *ibid.*

Consuetudo.

Consuetudo aliquid confert ad declarationem rectitudinis nominum. *Plat. in Cratylo, cap. 95.* Consuetudo & consensio idem sunt. *idem, ibid.* Consuetudo cõpotatorum nulla tota rectè constituta est, sed particulæ quædam paruæ, & paucæ, & plerunque vniuersa erronea. *idem, dial. 2. de legibus.* Consuetudines primò ab hominibus sumptæ sunt pro legibus. *ibid. dial. 3.*

Consuetudines bonæ leges non scriptæ sunt, quæ si rectè constitutæ sunt, & in consuetudinem inductæ, tunc firmas leges scriptas reddunt; sin autem, contra: velut fabrorum in ædificiis fulcra è medio dilabentia in idem omnia corruere faciunt, & alia ab aliis procumbere, tum ipsa, tum ea quæ posteriùs rectè extructa sunt, priscis illis delapsis. *Plat. de leg. dial. 7.* Consuetudines docet scriptura, & mulieribus magis quàm viris curæ esse debent. *Philo de temulentia.*

Consuetudo inueterata multum potest. *Bess. Card. in calumniatorem Plato. lib. 4. c. 3.*

Consuetudo non quadam necessitate, sed vel legibus publicisque moribus, vel exemplo & disciplinã priuatã, vel fortunã & occasione quadam, vel proprio consilio & opinione, vel his omnibus prouenit. *Fic. de f. 22. c. 3.* Consuetudinis magna vis, præsertim cum se ad deteriorem partem applicat. *Iacob. Carp. in Alcin. prima dig. de ana. methodo.*

Consulere.

Consulentes scire debent de qua re consultare volunt, cuiusque enim rei est aliquod principium, alioqui si nesciunt de qua re consultatio est aberrare necesse est. *Plato in Phædro.* Consultor peritus esse debet eius rei cuius consilium dari debet. *idem, in Lachete.* Consulendum est patriæ, patri, & matri, sed cogere patrem vel matrem non est pium, nisi dementiæ morbo captis & sic de ciuitate sententiam dicat, nisi videat vel stulta dicere, vel ob id periturã esse. *idem, epist. 7.*

Consulentibus ẽt finem non assequantur ignorantia obest. *Plat. de consult. dial. spuria.* Consulere est quærere aliquem, & quæ optima factu sunt inuenire ab ipsis, quibus opus habet. *idem, ibid.* Consultatio est de futuris. *ibid.* Consultatio est consideratio futurorum, quonam pacto conferant. *Speusippus in Plato. is definitionibus.*

Consultatio est inquirere, & qui inquirit, vt inueniat quærit, vt re inuentã quiescat. *Fic. in Plato. Phileb. lib. 2. c. 1.* Consulendum cunctanter est, mox celeriter agendum, puerile enim est, & summæ leuitatis indicium in sententia non persistere, & facilè verbis moueri. *Francisc. Patricius de regno lib. 4. cap. 6.*

Contactus si esse debet, duo ad minus esse debent, & semper vno accedente vnus contactus accedit, & contactus pauciores vno sunt quàm numerorum multitudo. *Plat. in Parmen.* Contactus semper sunt vno pauciores iis quæ sunt. *idem, ibid.*

Contemplatio.

Contemplationem omnia capiunt, nam quando animalia generant, rationes intus seminales stimulant ad gignendum, idque totum contemplationis est actio. Facere vt aliquid sit est speciem quandam efficere, id autem est contemplatione omnia prorsus implere. Errare tum in his quæ gignuntur tum in his quæ aguntur, nil aliud esse videtur, quàm cõtemplationem casus, & diuersio quadam ab ipso contemplationis obiecto. *Plotin. En. 3. lib. 8. c. 6.*

Contemplatio ab ipsa natura se attollit in animam, & ab hac in mentem: in idem redigantur subiecto quæ cognoscuntur, vtpote quæ ad ipsum properent intellectum, certè in hoc ipso intellectu ambo sunt vnum, non per acquisitam quandam familiaritatem, sed potius per essentiam, atque ex eo quod ibi est idem esse, atq. intelligere. *Plo. En. 3. lib. 8. c. 7.*

Contemplatio si causam vnde pulchritudo in actionẽ descendit considerans, est actioni anteponenda: si actionẽ tantũ, actio præualet contemplationi. *Max. Tyrius sermo 6.* Cõtemplatio est operatio mentis diuina intelligens. *Alcin. c. 2.* Contemplatiuæ philosophiæ pars vna immobilia, & diuina, primásque rerum causas inuestigat, quam Theologiam vocamus: altera motus sydereum respicit, circuitus, & restitutiones cœlestium, ac situm mundi, quæ naturalis cognitio vocatur. *idem, c. 3.* Contemplatio nostra est persimilis cõtemplationi superiorum. *Fic. in Plat. Theol. lib. 9. c. 6.*

Contemplationi maximè fauent Sol, Venus, & Mercurius: hi passibus paribus fermè concurrentes, aduentãte nocte nos fugiunt, die verò vel propinquante, vel surgente resurgunt, & nos reuisunt, post Solis ortu in plagam duodecimã, quæ tenebris & carceri ab Astronomis assignatur, repente traducuntur: ergo non qui vel nocte quando nos fugiunt, vel die post Solis ortũ, quum carceris tenebras inique domũ intrant,

sed qui

sed qui vel propemodum petentibus ortum, vel iam surgētibus ad contemplandum scribendúmque ipsi quoque consurgunt, ij soli accuratissimè speculantur, & eloquentissimè inuenta sua scribunt & componunt. *Ficin. de studio. sanit. tuenda, lib. 1. cap. 7.*

Contemplationis Platonicæ gradus tres sunt præcipui, primus à corpore per animam ascendit ad Deum, secundus in Deo consistit, tertius ad animam & corpus descendit. *Ficin. epist. lib. 2.* Contemplatiua vita tantò præstat actiuæ quantò oculus præstat manibus, caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis omnibus quæ ad finem diriguntur, status motui, æternitas tempori. *Idem, in Plat. dial. 1.*

Contemplatio, & principium actionis & finis est, & ducit illam pro arbitrio, & sistit, iubens inferiores motus, & externam actionem desinere, vt intrinseca stabilisque actio liberius tandem possideatur. *Fici. in Plato dialog. 1 de republica.* Contemplatiua vita tranquilla est, actiuæ multæ sunt procellæ. *Idem, ibid. dial. 4.* Contemplationi vim aptam qui acquirere vult, à Saturno intelligentię fauere per Mercurium ad hoc Saturni ministrum adipiscamur, vt quandoque specula nobis Saturnia reuerentur, & ingenia ea ferreis in argentea transformentur *ibid. dialog. 8 cap 17.*

Contemplatio recta tantò perfectior est actione, quantò sapientia perfectior est scientiâ, & prudentiâ. *Iacob. Carpen. in Alcinoi cap. 1.* Contemplatio est actionis principium, & finis, ducitque illam pro arbitrio, & sistit, & ab ipsa Dei contemplatione cœlestes naturalésque motus tanquam à principio ducuntur, & reducuntur in finem. *Idem, ibid.* Contemplationis voluptas, quæ maxima est, & primaria, & vera, per immobilitatem fit, cùm contemplans vnum & idem iugiter perseueret & meor contemplans stat circa vnum, & idem semper consistens. *ibid.* Contemplationi perfectæ locus non est nisi antegressâ purgatione. *ibid.* Contemplationem philosophus in vita hac inchoat, in alia fruitur. *Idem, in Alci par po. cap. 20.*

Contemplatio, beatitudo, nectar, voluptas, idem apud Arist. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 4. cap. 12.*

Contemplatio intima, ac vehemens multò maiorem profectò quàm somnus ipse alienationem, atque stuporem inducit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Contemplatio vehemens, atque contenta corpori maximum detrimentum: & mortem quoque sæpius afferre videtur. *Idem, ibid.*

Contentiosi differendo omnia miscent. *Plato in phædone.*

Contentionia curatores sint, qui tum in gymnicis tum in Musica ac luctis præmia proponunt, & bis duplices, aliis circa musicam, aliis circa certamen, certaminum, & hominum, & equorum eosdem, musices alios esse decorum fuerit, qui circa modiam, & imitationem, veluti recitatoribus, & citharedis, & tibicinibus, & omnibus huiusmodi præmiis proponāt: alios circa chori cantum, primò circa chororum lusum, in quo & pueri, & viri & puellæ in saltationibus, & musica, omni ordine contingente versamur: sit vnus princeps non minor annos quadraginta natus, & vnus sufficit, & vnus ad monodiam non minor triginta annis, qui vt & introductiones, & discretionem de certaminibus sic iusto modo designet: chororum principem sic eligant: qui tali studio benignè affecti sunt ad conuentum accedant, aut si non accedunt molctentur, & huius rei sint iudices legum custodes; reliquis si noluerint nulla necessitas incumbat, & propositionis alia affirmatio, alia negatio sit ex perito, & imperito, & ex electis vnus sortiatur. & sic de monodia, & reliquis, & sit per annum princeps. *Plato de legibus, dialogo. 6.*

Contigua sunt quorum termini sunt simul. *Proclus el. phy. def.* Contigua se ad inuicem contingere necesse est. *Gabriel Buratellus de ente, & vno lib. 2.*

Continens aliud est ab eo quod continet. *Plato in Parmenide.*

Continens est, qui partes animæ rationi repugnantes cohibet. *Speusippus in Platonis definitionibus.* Continentia est in sola concupiscibili, vt in rationali sola prudentia, in irrationali fortitudo, id est in irascibili. *Fici. in Plat. de leg. dial. 1.*

Contingens, Contingentia.

Contingens antequam contingat oportet aliquid esse, & quāuis inseparabile sit, esse tamen aliquid, & naturam penes se ipsam, ac de alio prædicari hoc ipsum iam existens, quod subinde fit de alio prædicandum. *Plot. Enn. 6. lib. 6. cap 3.*

Contingenter aliquid immediatè ordinari ab ipso Deo non concedi potest ex Arist. doct. *Bess. Card. in calumniatorē Plat. lib 3. cap. 19.*

Contingens nihil est, vbi idem est voluntas, & necessitas. *Fic. in Plato. Timæum, cap. 35.* Contingens, vt plurimum mediū est inter necessarium, & id quod pariter contingit vtrioque cuius appositum rarius accidit. *idem, de fato, cap. 1.* Contingens prouenit cùm per plurimos agentium gradus virtus efficax minuitur, & complurima repugnantium formarum confluat multitudo, ita vt vnaquæque natura ab officio suo deficit. *ibid.*

Contingentia ad vtrumlibet non fiunt fato, vt tacere, loqui, mouere manus *Fic. de fato, lib. 2.* Contingentia quandiu adhuc futura sunt possunt ex causis non esse, cùm verò præsentia sunt non esse non possunt, nec valent dum sunt non esse, nec in contingentibus quatenus sunt ad præsens datur esse pariter, & non esse, sed duntaxat esse, quamuis possunt in futurum non esse, quare necessariorum iam conditionē sortita sunt, nam quilibet certus est esse, fierique contingentia, hæc intuens in præsenti, quæ olim vtrum in posterum forent erat incertus. *idem, in Plot. de prouidentia, cap. 20.*

Contingentibus ex causis cum comprehenduntur cunctæ, sciscitúrque an impediantur alicunde vel ne, scitur effectum secuturum esse vel non, vt etiam in causis necessariis: at cùm Deus tanquam exemplar, & effector, & motor omnium omnis comprehendat, ita certus est ex contingentibus, ve ea necessarius exitum secuturum imò iam sequi. *Fic. in Plot. de prouidentia. cap. 20.*

Continuum.

Continuum, vt continuum est, si quantum esse dixerint, sequetur discretum non esse quantum; si autem continuum est quantum, sed accidens, quid commune ambobus erit in hoc ipso quod sint quanta? *Plo. En. 6. li. 1. cap. 4* Continui discretio fit per lineam, superficiem, & solidum. *idem En. 6. l. 3. c. 13.*

Continuum competens est quod communi medio fine contingit extima, continuum distans est quod duobus mediis superat extima. *Chalc. in Platon. Timæum* Continuum in infinitum diuidi posse sumpsere Geometræ, at quòd diuidatur non sumpsere. *Procl. in Eucl. lib. 3. com. 14.*

Continuum ex indiuiduis punctis fieri existimarunt multi Platonicorum. *Ioan. Franc. Picus Mirand. in exam. van. doct. gen. lib 3. cap. 6.* Continuum omne diuisibile est in semper diuisibilia. *Proclus elemen. philosō. propos. 5.* Continua sunt, quorum termini sunt vnum *idem, elem. phi. def.* Continuum id est, cuius motus est vnus. *Gabriel. Buratel. de ente, & vno, lib. 2.*

Contradictio.

Contradicendi ars est in summa vis quædam de omnibus dicendi ad contentionem. *Plat. in sophista.* Contradicendi artis facultas generosa est. *idem de republ. dial 5.* Contradictionem infinitam simul veram posse deprehendi ait Arist. quod est falsum: nam nunquam contradictio simul vera potest reperiri, semper enim indefinita negatio ad vniuersum relatum denotare potest negationem. *Georgius Gemistus de Plato. & Arist. philosophia diff. cap. 7.*

Contradictio sola rationem non entis includit. *Fic. in Platoni. Theologia, lib 2. cap. 12.* Contradictionis conditionem eam esse aiunt dialectici, vt si quis in alteram eius partem inclinatur, non possit eodem momento in alteram partem inclinari. *idem. epist. lib. 5.* Contradictionem includere non aliud est quàm in se ipso esse diuisum. *Io. Pic. Mir. in concl.*

Contraria.

Contraria ex contrariis fiunt. *Plato in phædone.* Contrariorum eadem est scientia, optimi, ac pessimi *idem, ibid.*

Contrarium nunquam sibi ipsi contrarium est. *ibid.* Contrarium fit ex contrario, sed contrarium sibi ipsi contrarium nō potest fieri, nec id quod in nobis est, nec quod in natura. *ibid.* Contrarium non solùm sibi contrarium suscipit, sed etiam illud quod inducit quid contrarium illi in quocunque ipsum fuerit ipsum hoc quod inducit eius quod inducitur contrarietatem nunquam suscepturum esse. *ibid.*

Contraria quàm maximè id fieri potest dissimillima sunt, *Plato in Parmenide.* Contraria de quacunque re qui inuitus respondet manifestum est id non nosse. *idem, in Alcibiade prim.*

Contraria duo vni et esse non possunt. *ibid.* Contrarium vnum solum vni contrarium est. *in Protagora.* Contraria idem facere, aut pati non potest secundùm idem, & ad idem simul. *dial. 4.*

Contraria eadem de iisdem opinari non licet. *Plat. de rep. dial. 10.* Contraria dicere aduersus innumerabilia ore nequaquam facile est. *idem, de leg. dial. 7.* Contraria cùm se inuicem perturbent, difficulter nascuntur. *ibid.*

Contraria sine contrarijs vt discantur fieri non potest. *ibid.* Contrarietas est distantia maxima illorum quæ sub eodem genere per quasdam differentias continentur. *Speusippus in Plat. definitionibus.*

Contraria inter se sunt omnia, quæ in alterutra natura sunt, & ipsa tota contraria magis contraria sunt quàm cætera, nam alia contraria vel in eadem specie, vel in eodem genere collocantur, in quibuscunque sunt communi quodam con-

ueniunt; quæ verò sunt seorsum, atque naturam implent alterius, contraria sunt eorum quæ naturam alterius implent, cùm contraria sint, quæ è longissimo à se inuicem distant, ideò vniuersum malum est vniuerso bono contrarium. *Plot. En.1.lib.8.cap.8.* Contrariorum eadem est destina *idem, ibid. c.1.* Contraria illa duntaxat sunt quæ cùm in eodem qualitatis genere sint, in eo nullam in specie similitudinem mutuam habent, effectúsque nobis opposites afferunt. *idem, En.6 lib.3.c.29.*

Contraria sunt, quæ à se plurimùm distans, licet sint eiusdem generis. *Chalcidius in Timaeum.* Contraria circa idem nunquam naturaliter accidēt. *Ficin. epist. lib 8.* Contraria illa sunt, quę in eodem genere maximè distant. *idem, in Plato. Timaeum c.17.* Contrarietatem vult Plotinus esse distantiam rerum vndique maximè opposita facientem, & ferentem opposita *idem, in Plot. En.1.lib.8 cap.6.*

Contrariorum effectuum causæ contrariæ sunt. *Iacob. Carpent. in Alcinoo c.3.* Contrariis quæ constant, necesse est tandem dissolui *idem, in Alcib. cap.12.* Contrariorum eadem scientia esse videtur. *Leo Heb. de Amo. dialog. 2.* Contrariorum cognitio vna eadémque profectò existit. *idem, de Amore dialog.3.*

Contumacia, & insolentia vituperatur, quia leonina & viperina species in ea inconcinnè augescit, & extenditur. *Plato de repub. dial.9.*

Contumelia est iniuria, quæ per contemptum infertur. *Speusippus in Platonis definitionib.*

Conturbatio est metus exertiens cogitata, & omnia turbida & ambigua reddens. *Francisc. Patricius de regno, lib 5.t.7.*

Connubia omnia reiicienda sunt, nisi ad honorem Dei properant, quod est omnis coniunctiuæ beneuolentiæ vinculum insolubile. *Philo de victimas offerentibus.*

Conuenientia in omnibus rebus tribuenda est. *Plato de repub. dialog.4.*

Conueniens alicui omne, vel educitur ex naturæ suæ principiis, vt ridendi facultas homini, vel ab externo principio aduenit, vt aeri à Sole lumen. *Ficin. in Plato. Phileb. lib.4. c.8.*

Conueniunt inter se quæ in aliquo vno communi conueniunt. *idem, in Dionys. Areopag. d. diuin nominib.*

Conuenientia septem insigniorum membrorum, quæ ad humani spermatis confectionem requiruntur, cum septem planetis in roribus & pluuiis, quasi in mundi seminibus procreandis inest *Leo Heb. de Amo. dialog 2.*

Conuersatio parit contemptum, raritas conciliat rebus admirationem. *Apul. de Deo Socratis.*

Conuersio.

Conuersionis tres sunt species, quicquid enim conuertitur, vel ad aliquid vertitur se deterius, dum à perfectione propria labitur, vel consurgit ad melius propter propriæ vitæ vigorem, actionémque naturalem, vel reflectitur ad se ipsum propter cognitionem sibi consortem, mediámque motionis speciem: conuersio ad deterius est passio quædam animæ alas abiicientis, & in obliuione iam positæ sui ipsius simul & aliorum: conuersio ad se, & ad melius, non solis competit animabus, sed ipsis quoque diuinis. *Procl. in Alc. primum.*

Conuersio apud Geometras dicitur alia præcipuè & propriè, cùm conclusiones & suppositiones ad inuicem theoremata vicissim accipiunt, & prioris conclusio in posteriori suppositio est, & suppositio tanquam conclusio infertur. *Proclus in Eucl. lib.3 commen. 10.*

Conuersio omnis efficitur per similitudinem conuertentium se ad id ad quod conuertuntur *idem, elemen. Theol prop.32.*

Conuersionem ad illud facit omne quod secundùm naturam conuertitur, à quo & progressum habuit propriæ substantiæ *Procl. elem. Theolog prop 3.*

Conuersione quæ subsistunt, prima imperfectiora sunt secundis, & secunda his quæ deinceps, vltima verò perfectiora. *idem. ibid. prop.39.* Conuersiuum ad seipsum omne per se subsistens est *ibid. prop.43.* Conuersiuum omne secundùm actionem ad se, etiam secundùm essentiam ad se est conuersiuum *ibid. prop.44.*

Conuersiones appellat Plato motus circulares simpliciter, quos sphæræ cœlestes, & stellæ quælibet quasi fixæ peragunt circa propria centra. *Ficin. in Plat. de repub. dial.8.c.1.* Conuertens in se separatam essentiam habet ab omni corpore. *Procl. elem. Theo prop.16.* Conuertens omne redeunt in illud assimilatur, à quo diuisum est secundùm essentiam. *idem, ibid. prop.35.*

Conuiuium.

Conuiuij finis est dulcis vitæ communio. *Fic. epist. lib 3.* Conuiuio nullum humanum oblectamentum est sufficientius. *idem, ibid.* Conuiuæ non minus tribus, nec plures nouem esse debent. *ibid.* Conuiuij forma decens est numerus, qualitas conuiuarum, confabulatio, & lyra. *ibid.* Conuiuij venenum est tristitia. *ibid.* Conuiuium constat, lectis viris, lecto loco, lecto tempore, & apparatu sine indulgentia heri: homines qui nec loquaces, nec muti, numerus vel gratiarum vel musarum ad summum esse debet. *Franc. Pat. de repub lib.5.c.9.*

Copia nimia bonarum rerum est ingens malorum initium, quarum satietatem quidam non ferentes tanquam iumenta lasciuiunt à ceruice excussis naturæ legibus versi ad meracas, potationes, nefarios concubitus. *Philo de Abrahamo.*

Copiæ in pace habendæ sunt, vt fines nostros ab incursionibus & latrociniis tueri valeamus. *Francisc. Patricius de repub. lib. 9. cap.5.*

Copulam res vel affinitatem quindecim modis acquirunt. *Io. Pic. Mir. in Heptaplum, lib.6.c.1.*

Copulatio fœlicissima est intellectus potestatis cum intellectu agente. *Leo Heb. de Amo. dial.1.*

Copulatio naturæ intellectualis cum supremo omnium conditore rerum procreatarum vniuersitatem ad primũ principium reducit, cum eóque tandem coniungit. *idem, de Amo. dial.3.*

Coquinaria non est ars, sed experientia, quia eius quod coquit nescit naturam, sed memoria eius quod solet conseruatur, & voluptatis causâ fit absque causę voluptatis consideratione. *Plat. in Gorgia.*

Cor.

Cor venarum, & sanguinis eius, qui per omnia membra vehementer circumfertur, fontem in satellitum domicilium cõstituerũt, quo cum iræ vis imperante ratione efferuesceret, si qua iniusta actio circa ipsa perpetraretur, aut etiam intrinsecus à cupiditatibus oriretur, confestim quicquid in corpore sensu præditum est, per omnes meatuum angustias præceptis ac minis perceptis ad obediendum se pararet, & vndique obsequeretur, atque sic id quod inter omnia ipsa optimum est principatum habere sineret. *Plat. in Tim.* Cor iracundiæ designatum est habitaculum, nam cùm sanguis tenuis, acetus, purus sit instrumentum iracundiæ cõgruum, huius fons est cor. *Plot. En.4. lib.3.c.23.*

Cordis, & linguæ consonantia maximè oblectat contra dissonantia maximè offendit. *Fic. epist. lib.1.* Cor ita motu suo quodam sibi proximum sanguinem perpetuò agitans ex eo spiritus in totum corpus, & per illos luminum scintillas per membra singula diffundit, & maximè per oculos, vt mundi cor Sol suo circuitu lumen, & per lumen virtutes suas ad inferiora demittit. *idem, in Plat. conuiuium. ora.7.c.4* Cor calidum est, & siccum. *idem, in Plat. de repub. dial.8.c.12.*

Cor principium est venarum adhuc angustissimarum quæ in recessu dilatantur. *Fic. in Plat. Timaeum, c.66.* Cor a pulmone refrigeratur. *idem, ibid. c.68.* Cor est principium sanguinis subtilissimi ad spiritum procreandum, & arteriarum per quas manat spiritus. *ibid.*

Cor, iecur, cerebrum vnà cum spiritibus facta sunt ex materia seminali, quæ nominatur medulla, vnde etiã tria hæc principalia membra medullę vocantur. *Fic. in Plat. Timaeum, c.71.* Cordis calor, & spiritus feruens, in quibus proximè corporis vita consistit, corpus liquefacerent celeriter, & dissoluerent, nisi facta fuissent membra quædam ad humorem extrinsecum hauriendum. *idem, ibid. c.78.*

Cor est fons spiritus principalis, qui est vapor sanguinis intimus. *Fic. in Plat. Timaeum, c.93.* Cor cerebro anteponendum est, si formam amas corpoream, si verò ingenium, cerebrũ cordi. *idem, ibid. cap.74.* Cor, & pulmo fistulosa maximè sunt, hoc quia feruentissimum, hic quia & spongiosus est, & igni quàm proximus. Plurimũ igitur è toto corpore liquorẽ ebibunt, & ita disponente naturâ non exundat fermè potio per vrinã, nisi præcordiis prius irrigatis superfluat. *ib. c.103.*

Cordis principio in formando animali maxima vis debetur atq; authoritas, cùm & sit primum quod formatur, & in cæteris partibus distinguendis, cùm motus omnium, tum incrementum à corde distribuitur. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib.7. cap.2.* Cor in homine octauæ sphæræ, & primo mobili in cœlo, quàm simillimum esse videtur. *Leo Heb. de Amo. dial 2.*

Corallus & Chalcedonius valet aduersum atrę bilis illusiones, Iouis præcipuè, & Veneris virtute. *Fic. de vita cœl. compar. lib. 3.c.12.* Corallus insanus terrores aufert, fulgura, & grandinẽ repellit. *idem, in Plat. Theol. lib.4. c.1.* Corallus timorem pellit seminariâ ratione, quæ in ipso est *idem, in Plo. En. 2. lib 3.c.13.* Coralliũ quo primò contingit auras, durescit, mollis enim erat herba sub vndis. *Io. Fr. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib 2.c.22.*

Coronandi sunt ab vnoquoque qui milites in bello rem optimè gesserunt. *Plat. de repub. dial.5.*

Corporea

Corporea substantia, materia, &c.

Corporalis materia, vt per potentiam formabilem ad actum formæ paratur, ita substantiæ spirituales per amatorium affectum qui sanctum spiritum repræsentat superioribus intellectibus exponuntur, & expositæ renascuntur. *Ficin. in Dion. Areop. de diu. nom.* Corporalis omnis motus vniuersaliter passioni magis quàm actioni similis est cùm corporũ sit propria passio, vis autem sese mouendi actio est, ergo officium est seipsum mouere impartibilis. *idem, in Pla. Phil. lib. c. 18.*

Corporeum esse oportet quod sit & visui, & tactui expositum. *Plato in Timæum.* Corporea oblectamenta qui negligunt, minus iræ sunt subiecti; & qui irâ facilè prouocantur, corporum oblectamenta maximè curant. *Plotin. En. 4. lib. 4. c. 28.* Corporea natura æquiuocè essentia nominatur, quia fluentibus hæc notio est incongrua, sed propriè generatio dicenda est *idem En. 6. lib. 3. c. 2.*

Corporei motus species sunt octo, in locali translatio & circulatio, in qualitate concretio & discretio, in quantitate incrementum, diminutio, in substantia generatio, interitus. *Chalcidius in Plat. Timæum.* Corporeæ dispositiones à natalitia constellatione pendere non possunt, prius enim quã fœtus egrediatur vterum maternum, corporis habitus puero & figura inest, præcedunt enim hæc natiuitatem. *Io. Fr. Pic. Miran. de prænotione. lib. 5. c. 3.*

Corporeâ substantiâ meritò incorporea substantia præstantior est, & præsertim anima rationalis, quæ conuertitur in seipsam, quasi per se existens a corpore separabilis, & sapientiæ capax: at sapientia corporea esse nequit, siquidem ab incorporea surgit *Fic. in Plat. soph. sum. c. 28.* Corporeitas nihil aliud est quàm extensa materia, quæ tamen vna communisque restat in cunctis. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. c. 22.* Corporeæ qualitates, quæ non ex se imò ab incorporea quadam causa mouentur, & diriguntur ad finem, reuera nõ sunt causæ appellandæ, sed latentis prouidentiæ instrumenta; causa præcipua est voluntas prouidentiæ ad exemplar sui sic omnia disponentis, vt optimè se habere iudicat, & decernit. *idem, in Plat. Timæum, c. 38.*

Corpoream qualitatem Plotinus appellat accidens, quoniam vtrinque dependet, vitam verò ab anima corpori communicatam non corporis accidens, nec animæ accidens, sed essentialem animæ actum, quasi medium inter verum accidens & substantiam veram, quæ vsque ad intellectualem progreditur animam *Fic. in Plot. En. 3 lib. 8. c. 1.* Corporea moles ac forma naturâ suâ penitus dissipabilis tum in nobis, tum in mundo non potest aliter colligari, quàm ab anima, quæ non sit æquè diuisa, sed in qualibet parte sit tota *idem, in Plotin. En. 4. lib. 1. c. 5.*

Corporea ex materia, & forma composita vnitatem speciei per perpetuam successione conseruant, vnitatem verò numeralem nequaquam, sed nec specialem conseruarent, nisi ab anima generationis fonte perpetuo hanc haurirent. *Ficin. in Plotin. En. 4. lib. 3. c. 8.* Corporea sæpe distant per exteriores terminos, incorporea quamuis per externos terminos inter se non distent, intimis tamen proprietatibus discernuntur, sic ideæ ab ideis in mente, scientiæ à scientiis in anima intellectuali, mens ab anima, mentes à mentibus, animæ ab animis, corpus corpori non facilè adest, facile corpus animæ, facilius anima animæ, & menti facillimè mens. *idem, in Plot. En. 6. lib. 4. c. 15.*

Corporea omnis virtus est participatio quædam facultatis cœlestis. *Io. Pic. Mir. in Ap. lib. 3. c. 25.* Corporeas res Platonici fluentes infinitásque putant, intelligibiles verò finitas, quia semper eiusdem naturæ sunt. *idem, ibid.*

Corpus quot dicitur modis.

Corpora alia sana, alia ægra sunt: alius amor est sanorum, alius ægrotantium. *Plat. in Symposio.* Corpora solida sunt quinque, ignis, aqua, aer, terra, & æther, ex quibus pulcherrima & optima formare quis potest, alterum verò genus totum formam vnam habet, non enim aliud quid incorporeum fieri potest, & nullum colorem habet, excepto reuera diuinissimo genere animæ. Hoc ferè est, cui soli conuenit vt creat & format corpori, & formetur, & fiat, & videatur. *Plat. in legum appendice.*

Corpora, aut mathematica sunt, aut talia, quæ tactum, & visum patiuntur: priora tribus incrementorum gradibus constant, aut linea ex puncto efficitur, aut ex linea superficies, aut ex superficie corpus: altera corpora quatuor elementorum collato fœdere in robur substantiæ corpulentæ concordique concretione coalescunt. *Macrob. in somn. Scip. lib. 1.*

Corporum quædam simplicia sunt, vt elementa, quædam composita, quæ alia organica, vt animalium, plantarum, & omnium viuentiũ, alia sine nomine, vt aurum, æs, gemmæ, *Chalc. in Timæum Pla.* Corpus omne vel interno vel externo mouetur motu, quæ externo sine anima sunt, quæ interno cum anima. *idem, ibid.* Corpora prima & antiquissima quatuor Platonici posuere elementa, cœlum verò primum corpus ab Aristotele fingitur. *Georgius Gemistus de Plato. & Arist. philosoph. diff.*

Corpora tria sunt, corpus ex elementis compositum tam secundùm totum, quàm secundùm partes, è suo statu mutatum, elementorum sphæræ; & si vicissim mutantur in partes, totæ tamen incorruptæ permanent: cœlestes denique sphæræ tam secundùm partes, quàm secundùm totum indissolubiles perseuerant. *Ficin. epistol. lib. 2 c. 37.*

Corpus aliud æthereũ, & immateriale est, & simplex, & sempiternum; aliud terreum, quod materiale, & compositum est, & ad breue perdurans: & inter hæc corpora vult Plato idem quod vult Proclus, corpus scilicet esse aereum, materiale quidem, sed longioris æui, in quo animæ diutius habitent etiam post discessum, quod hoc soluto, corpus iterum compositum induantur, id est si purgatæ non sint, si verò purgatæ, cum solo æthereo cœlum petant. *Ficin. in Plato. Phædonem.*

Corporum sublunarium triplex partitio: alia supra mediam aeris regionem, quæ tota ætheris nomine designatur, ibi puta immixta elementa: alia intra ipsum aeris meditullium, quæ apud nos sunt, vbi nullum elementum purum intercedens alia aeris regio, quæ à Mose dicitur firmamentum, in qua sublimes illę impressiones apparent, pluuiæ, niues, fulgura, cometæ, tonitrua, & cætera id genus. *Ioan. Pic. Miran. in Heptaplum, lib. 5. c. 3.*

Corpora siue terminata, siue non terminata, sine lumine percipi non possunt. *Iacob. Carp. in Alemot cap. 10.* Corpus humanum in tres principales distinguitur partes, quæ tribus mundis, elementari videlicet cœlesti, atque angelico mirâ quadam proportione respondent. *Leo Hebr. de amore, dial. 2.*

Corpus quid est, & eius partes.

Corporis natura est vt viuat, & circumeat, & quidnam aliud & continere, & vehere videtur quam anima? *Plato in Cratylo.* Corpus σῶμα dicitur quasi σῆμα, id est sepulchrum. *idem, ibid.* Corporis celeritas omnium maximè ad bellum confert, altera pedum, altera manuum, pedum ad fugiendum, & insequendum. sed pugna, & conflictus in quibus manus conseruntur, viribus & robore opus habent, & tamen neutra sine armis maximam vtilitatem habet. *idem, de legib. dial. 8.*

Corpus est animæ locus. *Aristot. Theolog. Ægypt. lib. 5. cap. 5.*

Corpora simplicia omnia sunt animata, & viua, quia verbum creans animas format ex materia corpora, vt formauit materiam ex nihilo. *idem, ibid. lib. 12. c. 12.*

Corpus est materia simul ratióque infusa. *Plotin. En. 2. lib. 2. c. 3.* Corporum natura, quantum materiæ particeps est, malum est, etsi non primum, habet enim speciem quandam, etsi non veram, priuatur vitâ, corruptionem infert inter corpora mutuam, concussionémque ex ipsis inordinatam impedimenta animæ ad actionem infert; præterea perpetuo fluxu aufugit essentiam, ideò secundum obtinet mali gradum. *idem, En. 1. lib. 8. cap. 4.* Corpus est ipsum ex cunctis qualitatibus vnà cum materia congregatum. *idem, Enn. 2. lib. 7 cap. 3.*

Corporeitas est ratio, quæ accidens efficit corpus, nimirum ratio complectens cunctas qualitates. *Plotin. En. 2 lib. 7. cap 3.* Corpus est principium appetendi, si datur alios esse appetitus corporeos puerorum alios adolescentium, alios virorum bene vel malè volentium, dum ipsa cõcupiscendi virtus eadem interea permanet. *idem, En. 2. lib. 4. c. 21.* Corpus esse principium appetendi patet, quia cùm antequam ratio deliberet animus sæpe non volt comedere nec bibere. *idem, En. 4 lib. 4. c. 25.*

Corpus constat ex materia, & forma; & cùm quantitatem omnia corpora habeant, consequenter in minima quæque redacta dispareunt: ideò si corpus est pars nostri, non sumus vndique immortales: si est instrumentum, tale nobis ad tempus tributum oportet: & sic homo, vel est tale ad corpus, vt species ad materiam, vel vt vtens corpore, vt instrumento: vtroque modo anima est præcipuè ipse homo. *Plotin. En. 4 lib. 7. c. 1.* Corpus omne compositum est, & ipsorum confluentia non facit vitam, nec intellectum, nec animam procreant. *idem, ibid. c. 2.*

Corpus, nec magnitudo, ex indiuiduis fieri potest. *ibidem, cap. 3.*

Corpus omne compositum est, & omne corpus fit. *idem, En. 3. lib. 4. c. 1.*

Corpora perfecta sunt solida, quæ trina constant dimensione, longitudine latitudine, & profunditate. *Chalc. in Plat. Tim.* Corpus omne diuinum est diuinum per animam diuinam. *Proc. elem. Theolog. proposi* 129. Corpora simplicia terminata sunt secundum speciem. *idem, ibid. prop.* 14. Corpus non est pars hominis, sed instrumentum. *idem, Alc.* 1.

Corpus visibile, sensibile, dissipabile, compositum, & multiforme est. *Alc. cap.* 25. Corpora cedentia dicimus, quæ tactum recipiunt, resistentia, quæ non cedunt; hoc propter eorum fundamentum contingit: quæ enim ampla habent fundamenta stabilia, sunt & solida; quæ contra exiguo fundamento nituntur, cedentia, mollia, & lubrica sunt. *idem, cap.* 19. Corpus omne prius quàm quale sit quantum est, & figuratum. *B. Ess. Car. in cal. Plat. lib.* 2. *cap.* 10.

Corpus esse infinitam multitudinem existimauit Pythagoras, quia absque fine diuiditur. *Fic. Plat. Theolog. lib.* 1. *cap.* 2. Corpus tantò maius est, quantò speciosius & pulchrius est, tantò minus est, quantò fœdius & deformius: quæ defectio non præcisione molis, sed speciei priuatione contingit. *idem, ibid. lib.* 5. *cap.* 15. Corpus omne longum est, latum, & profundũ, quia nullum corpus infinitum est. *ibid. lib.* 6. *cap.* 2. Corpus naturâ suâ est dispersum penitus: primò, quia distantiam partium patitur, ita vt semper in alio loco sit alia: secundò, quia continuè transmutatur: tertiò quia contrarijs subijcitur qualitatibus, calori, frigori, & similibus. *ibid. cap.* 8.

Corpora nostra sunt idonea mentis hospitia tum propter figuram erectam superna spectantem, & cœlum velut patriam suam propriam agnoscentem, tum propter membrorũ variorum decorem mirabilem, tum quia ignis, & aer elementa purissima in nobis valent quamplurimum, maximè verò propter temperatissimam complexionem. *Fic. Plat. Theol. lib.* 10. *cap.* 2. Corpora vt sunt vmbræ diuinorum, sic sensus oblectamenta sunt diuini gaudij vmbræ. *idem, ibid. lib.* 18. *cap.* 8. Corpora sunt Dei vmbræ. *idem, epist. lib.* 2.

Corporis vis aut casu in opus incidit, aut necessariâ quadam intentione naturæ, non casu, quia in quocunque opere quodcunque corpus incurreret, & sic quodlibet à quolibet fieret, & si necessaria intentione naturæ effectum producit, finem ergo aliquem aspicit. *Fic. in Plat. Phi. lib.* 1. *cap.* 1. Corpus est animæ vmbra, vt anima mentis. *idem, ibidem. cap.* 21. Corporum perceptionem nominat Plato credulitatem, vmbram, imaginationem. *idem, in Plat. Theatetum.*

Corporis pulchritudo est temperantia quædam linearum, & colorum. *Fic. in Plat. Char.* Corpus Orpheus ait esse carcerem animæ, & sepulchrum *idem, in Plat. Cratylum.* Corporum formæ vmbræ rerum potiùs quàm veræ res esse videntur, veræ res sunt ideæ, rationes, & semina *idem in Plat. conuiuio. or.* 5. *cap.* 4. Corporis pulchritudo est splendor ipse in colorum linearumque decoro easteos. *ibid. cap.* 9.

Corporis vita est animæ mors. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 10. Corporum termini sunt dimensiones, & figuræ. *idem, in Pla. Tim. cap.* 4. Corporis forma est animalis vita, anima potius est animalis forma, intellectus animæ forma, Deus quodammodo ipsius intellectus est forma, semperque deinceps gradus inferior sub actu gradus superioris quasi formæ consistit, & agit. *idem, in Plot. En.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8.

Corpus cognosci propriè, & cognatè, & sub ipsa corporis conditione nil aliud est quàm sentiri. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. Corpus est in anima, vt aer in lumine *idem, in Plot. En.* 4. *lib.* 3. *cap.* 22. Corpus primum est cœlestis ignis, prima qualitas est lumen, ideò vsque adeò perfecta est, vt per modum actus potius quàm otiosæ qualitatis existat. *idem, in Plo. En. lib.* 5. *cap.* 6. Corpus nec per materiam nec per qualitatẽ propriè corpus est, sed per quantitatem. *idem, in Plot. En.* 6. *lib.* 5. *cap.* 17.

Corpora omnia id ipsum quod sunt per ideam siue formam sunt non per materiam. *Sebast. Fox in Plat. Phadon.* Corpus omne ad suam formam præparatum est. *Iacob. Carpen. in Alc. cap.* 11. Corpus nullum absolutè est pulchrum, sed vbi superat materia turpe est, vbi forma pulchrum, & si superat forma pulchrum vocamus, sin materia turpe. *M. Anta. Natta de pulchro. lib.* 2. Corpus nullum quod oculis cernitur purum, & simplex est. *idem. ibid.* Corporis pulchritudines incorporalium formarum vmbræ quædam existunt. *Leo. Heb. de Am. dial.* 3.

Corporis quæ causa propinqua, & quibus componitur.

Corpus dij intellectâ Dei patris voluntate, vt parentes acceperunt immortali principio mortalis animalis imitantes opificem suũ ignis, & terræ, aquæ, ac aeris particulas à mundo mutuò accipientes, velut rursus reddituri, ea quæ accepissent conglutinabant, non indissolubilibus vinculis, quibus ipsi colligati erant, sed eiusmodi, quæ ab exilitatem videri nõ possint crebris clauiculis compingentes, & vnum quodque ex omnibus corpus in quam efficientes, immortalis animæ circuitus in corpus, in quod & influerit, & de quo difflueret quid illigabant: illæ verò in multum flumen alligatæ neque tenebant, neque tenebantur, sed vi ferebantur, & ferebant, vt totum quidem animal moueretur, inordinatè tamen, & temerè prout contingeret progrederetur, omnes sex motus habent ante, retrorsum, deorsum. in dextra, & sinistra, & vndique iuxta sex locus vaganti progrediebantur. *Plat. in Tim.*

Corporis pars anterior præstantior, ac principalior esse debebat: ideo Dij hoc putantes hac parte multum progressum nobis dederunt; oportebat autem hominẽm habere anteriorem corporis partem distinctã, & dissimilem; quapropter primum ad capitis amplitudinem non subiecerunt faciem, & instrumenta huic ad omnem animæ prouidentiam alligarunt, & hanc principatus participem esse constituerunt, vt quæ esset secundum naturam anterior. Ex instrumentis primum luciferos oculos fabricauerunt huiusmodi causæ illigatos, ex igne eo qui non vrit, sed lumen mite exhibet, vt proprium vnius cuiusque diei corpus fieret machinati sũt. *Plat. in Timeo.*

Corpora ex terra, & aqua commixta si fuerint, quandiu aqua terræ vacua per vim constricta obtinuerit, aquæ partes extrinsecus accedentes ingressum non habent, sed circum totam molem diffluentes illiquatam ipsam sinunt, verum ignis partes in vacuas aquarum partes ingressæ, ita afficientes aerum, vt aqua terram, solæ causam præbent, vt commune corpus liquatum fluat. Sunt autem hæc corpora partim quæ minus aquæ habent, quàm terræ, vt vitri genus omne, & lapidum species, quæ fusiles vocantur: partim verò, quæ plus aquæ habent, vt omnia corpora ceræ speciem præferentia, & quæ ad suffitum idonea conflata sunt. *Plat. in Tim.*

Corpus omne ex planis est, hoc autem ex triangulis, quorum alter est ex rectis angulis æqualium laterum semiquadrangulus, alter inæqualium laterum, qui habet maiorum laterum potentiâ triplum minoris; minimus autem angulus tertia recti pars; huius autem duplum medius est: hic enim duarum tertiarum partium est; maximus autem rectus ad medium sesquialteram proportionem habet, triplus autem est ad minimum. Hic autem triangulus semitriangulus est eius trianguli qui æqualium laterum est, bifariam secti ad perpendiculum à summo vertice ad imum in æquales partes. Duo igitur sunt anguli recti vtrinque, sed in altero duo latera, quæ circa rectum angulum sunt, sola æqualia sunt, in altero omnia tria inæqualia: appelletur ergo iste obliquus, ille semiquadrangulus principium constitutionis terræ. nam quadrangulus ex his, ex quatuor semiquadrangulis compositus est, ex quadrangulo generatur cubus, firmissimum, & vndique stans corpus, quod latera sua, angulos autem octo habet. secundum hoc autem terra, grauissimum, & ægrè mobile, & in alia immutabile corpus, eo quod minimè communionem habet cum alio trianguli genere: sola enim terra sempiternum elementum habet semiquadrangulum. Hoc elementum est aliorum corporum ignis, aeris, & aquæ, sexies enim composito semiquadrangulo triangulus ex ipso fit æqualium laterum, ex quo pyramis quæ quatuor bases, & æquales angulos habet, componitur species ignis maximè mobiles, & tenuissimarum partium; post hæc id quod octo sedes habet, octo quidem bases, sex autem angulos, aeris elementum est: tertium autem quod viginti sedes habet, bases quidem viginti, angulos autem duodecim, aquæ elementum est plurimarum partium, & grauissimum: hæc autem ab eodem elemento composita, inter se transmutantur at quod duodecim sedes habet imaginem vniuersi statuit, vt quod propemodum pila sit. *Tim. Locrus de anima mundi, & natura.*

Corpus composuit natura, vt instrumentum, vt & obediens sit, & cõcinnum ad vitæ scopos, & occasiones: oportet. & animam concinnam facere ad similes virtutes ad temperantiam, vt corpus ad sanitatem, ad prudentiam, vt ad sensuum subtilitatem, ad fortitudinem, vt ad robur & vigorem, ad iustitiam, velut corpus ad pulchritudinem. *Tim. Locrus de anima mundi, & natura.*

Corpus non fit ex vnione corporum indiuisibilium, quia ex indiuisibilibus non constituitur diuisibile *Arist. Theo Ægyp. lib.* 11. *cap.* 15. Corpus omne constat ex materia, & forma, & per formam habet vitam, nec ideò est corpus quia cognoscit corpus, cùm omnis cognitio fiat à quodam agente. *idem, ibi. cap.* 13. Corpori nulli deest bonum diuinum, nec permanentia inest absque illo. *ibid. lib.* 13. *cap.* 5.

Corpora infra lunam cum sint ex discrepantibus potentijs, moribúsque composita, & transmutabilia sint omnino, & sursum, & deorsum ferantur, nihil commune habent cum cœlo,

cœlo, nec naturam, nec potestatem, nec actionem, nec ergo vapor ex eis, nec aliud attingit cœlum ab eis omnino secretum, & meritò ingenita permutationem ex generabilibus nullam capiunt. *Iambl. de mysteriis.* Corpus solidum est quod constat ex tribus, latitudine, longitudine, & profunditate. *Chalc. in Plat. Tim.* Corpora impossibile est conformari sine nutu Dei, species figurari sine adiutorio dæmonum, animalia institui & coli sine hominibus non possunt. *Apuleius Asclepius.*

Corporis absolutè opificem Deum Plato non facit nec molis, & materiæ, sed competentiæ corporis, decorisque, & similitudinis: quod idem de anima cogitandum est: vnam namque à Deo creatam nec mundi esse animam, sed vim quandam in imaginatione, & opinatione positæ temerariæque, atque inconditæ iactationis, & impulsus per se, & perpetuò agitatricem, alteram à Deo congruis distinctam numeris, & proportionibus mundo nato ducem, eámque genitam fuisse perfectam; & id sensisse Platonem patet, quia animam genitam, & ingenitam ait, & mundum semper genitum fuisse. *Plutar. de anima gen.*

Corpus informe, & anima amens semper extiterunt vnà, neutrum ortum, vel exorditum est sortitum: at postquam mentis compos facta est animæ, & concinnentiæ, & per concentum facta est prudens, mutationis effectrix euasit, & materiæ, ac victrix, motus illius attraxit, & fluxit suis: ita mundi corpus ab anima ortum est assecutum, formatúmque, & ei redditum consentaneum: neque enim ex seipsa condidit corporis anima naturam neque ex nihilo, sed ex corpore inconditu, & incompusito compositum architectata est, & obsequens *Plutar. in Plato quæst.*

Corpus apud Platonem ex materia, & quantitate constat, & ad materiam extendi, & affici propriè pertinet, & ipsa extensio, & affectiu passiones sunt *Fic. Theol. Plat. l. 2. ca. 2.*

Corporalis consonantiæ temperatria vis quædam præstantior latet in humorem confusione, quæ in viuentium corporibus suo modo contemperans, ipsorum concinnitatem reddit certam, & ab aliis corporibus differentem, quæ propria consonantia vitalis harmonia est, a viuifico spiritu intertus latente progenita. *idem, ibi. lib. 7. cap. 11.*

Corpus nostrum si ad cætera animalia comparetur, quàm minimum terræ, & illud quidem subtile possidet, sublimiorũ elementorum quàm plurimum: quocirca cœlestis est animæ receptaculum, cui documento esse potest, quod viri ingeniosi sæpenumero molles exile sunt, graciles, valetudinarij, & illorum corpus, quàm minimis ipsorum morbus plurimùm variatur. *Fic. Plat. Theol. lib. 13. cap. 5.*

Corpus a quatuor elementis accepimus, naturalem speciei complexionem à cœlestibus sphæris, partes animæ, quæ trahuntur affectibus, à dæmonibus, & animis syderum sphærarúmque suscepimus, rationem verò, ac mentem nostri parentis imaginem ab ipso mundi totius opifice, sine vllo cœlicolarum, aut dæmonum ministerio accepimus. *Fic. in dial. de iusto.* Corpus ex duobus constas, materiã & quantitate, ex materia solum habet vt aliunde recipiat, ex quantitate, vt diuidatur *idem, in Plat. phileb. 2. cap. 18.*

Corpus cum ex materia constet, & quantitate, & ad materiam suscipere, at quantitatem diuidi solùm, & extendi pertineat & susceptio & diuisio passiones sint, consequens est, vt suapte naturâ passioni tantùm sit, & corruptioni subiectum. *Fic. in conui. Plat. or. 4. cap. 3.* Corporis forma in multarum partium compositione consistit, loco astringitur, tempore labitur *idem, ibid. ora 6 cap. 17.*

Corpus harmoniâ quadam consistit, conflatur, & spiritus. *Fic. in Plat. de Rep. dial. 3.* Corpus ex quatuor compositum elementis non prius vnam ad animam præparari potest, quàm & ipsum in vitam, quintámque formam, quasi & similem fuerit temperatum, & anima vnum ex se vitalem actum corpori faciliè imprimat ac figuret *idem, in Pla. de repub. dial. 10.*

Corpora in dimensiones, hæ in numeros resoluuntur, in primo exemplari numeri dimensiones, hæ corpora antecedunt. *Fic. in Plot. En. 6. lib 6. cap 17.* Corporum initia à Pythagoricis meritò numeri appellantur, cùm quantitatis principia sint habent cum principiorum proprietatem, primis enim & minimis differentiis suis constituti, & à simplicissima vnitate procedunt, quæ situm liberè superemiocens antecedit punctum situi consignatum, imò & ipsa superessentialis vnitas omnem præcedit essentiam specie designatam. *idem, ibi.* Corpora composita vt simplicibus elementis intrinsecus componuntur, ita simplicibus reguntur extrinsecus. *idem, in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 6.*

Corporis consistentiam tractare & de iis, quæ eam regunt, aut in hac dominantur, aliud est: nam consistentia est ab ipsa terra, quam aqueus humor formabilem reddit; vis autem ipsa consistentiam regens est in calore igneo pabulum suum habente in humore pingui, & oleoso, quem aereum nominare solemus. *Iac. carp. in Alcinoo cap. 14.* Corporum deformitas ac turpitudo ad materiam, eorúmque elegantia ac pulchritudo ad formam tanquam ad primam originem, propriámque causam est referenda. *Leo Heb. de Amor. dialog. 3.*

Corpus vt se habet ad animam.

Corpus relinquere oportet, si purè aliquid philosophandum nobis est. *Plat. in phedone.* Corpori conuenit vt breui soluatur, animæ verò vt indissolubilis sit. *idem, ibidem.* Corporis partes qui laudant, aut vituperant, non dignum admodum est, vt animum ipsis aduertamus: si verò animam laudarent, aut virtute, aut sapientiâ, digna res esset, vt is qui id audiuisset promptus ad hunc sit vt laudatum consuleret, & vt laudatus promptè se ipsum ostendat. *idem, in Theæte.*

Corpus mortale qui affirmant animatum esse confitentur, & qui aliquid ex his putant, quæ sunt anima. *Pla. in sophista.*

Corpus omne, cui contingit, vt extrinsecus moueatur inanimatum est, cui vt intrinsecus, ipsum ex se ipso animatum, vt hæc sit ipsius animæ natura. *idem, in Phæd.* Corporis quæ sunt qui cognoscit, sua cognoscit non se ipsum: at qui animam cognoscit, se ipsum cognoscit. *idem, in Alcib. 2.* Corporis, & animæ duæ sunt artes, animæ ciuilis, quæ comprehendit legislatoriam, & iustitiam, & corporis medicina & gymnastica: legislatoriæ correspõdet gymnastica, medicinæ iustitia. *Pla. in Gorgia.*

Corpus corpori tradere potest aliquid sui, at animæ cùm ab ipso seorsum est non potest; separat enim illam à corpore qui viuentem corpore tradidit animam. *Plot. En 1. lib. 1. cap. 3.* Corporis sensuúmque nimia perspicacia grauat animam, & hominem ad se detorquet. *idem, En. 1. lib. 4. cap. 14.* Corpora quæcunque pulchra dicuntur, talia efficiuntur ab anima, quæ quidem tanquam diuinum aliquid & ipsius portio pulchri, quæcunque attigerit, superauerítque, reddit pro naturæ capacitate formosa. *idem, En. 5. lib. 6. cap. 6.*

Corpus ab anima deficit, cùm nulla vis animæ amplius in ipso ligatur, cùm corpus ipsum ligare non possit perditã harmoniã, quàm olim habens habebat & animam. *Plot. En. 5. li. 9. cap. 1.* Corpus nisi sit anima nequaquam progredietur, non enim est alius locus, vbi se queat naturaliter propagare; quòd si progressura sit ædificabit sibi locum; corpus igitur generabit. *idem, En. 4 lib 3. cap. 9.* Corpus tantùm est in causa, vt sensus ad animam in corpore viuentem pertineat. *idem, En. 4. lib. 4 cap. 53.*

Corpus exanimatum cùm non sit simile illuminato, sed calefacto post animæ discessum ad breue habet nonnihil vitale, sed citò euanescit, vt à rebus calefactis, cùm amouentur ab igne, citò calor extinguitur, cuius rei inde sumitur argumentum, quod & in corporibus defunctorum nascuntur pili & augentur vngues, & multa animalia postquam secta sunt mouentur nonnihil. *Plot. En. 4. lib. 4. cap 29.* Corpus nullum esset nisi animæ via extiterit, nam fluit semper corpus. *idem, ibid. lib 7. cap. 3.* Corpus omne per vniuersum sic illustretur ab anima. *idem, En. 6. lib. 4 cap. 3.*

Corpus certis quibusdam modis affectum suscipit vitales ab anima motus vires, vt anima illi vitam propriam inspiret, & perturbationes oriantur, quæ prius nec in anima, nec ad eam præcipuè pertinent. *Plot. En. 6 lib. 4. cap. 15.* Corpus omne quod habet intra se motuum vigorem cum anima est, quod extra sine anima, cùm hæc animæ natura sit. *Chalcidius in Platon. Timæum.* Corporis obsequium sufficiens animæ viribus esse debet ad tolerandum exercitij laborem. *idem, ibid.*

Corpus pinguefactum cogit animam esurire à fœlici vita cadentem, auget mortale, capelleos, & impediens vitam æternam, contaminat animam, eam corpoream reddens, & ad id quod diuersum est deflectens. *Porphyr. de sobrietate.* Corporum plures sunt naturæ quam animatum, hæ verò plures mentibus, mentes verò plures diuinis vnitatibus: & in omnibus eadem est ratio. *Proclus in Plat. theol. cap. 62.* Corpore nostro, ait Aristot. humanam mentem antiquiorem, vt in libris de generatione, postea eos insectatur, qui recordationes quasdam esse disciplinas aiunt: nam si anima est corpore antiquior quid prohibebat, ne cogitaret antequam corpus ingrederetur? *Georgius Gemistus de Plato. & Aristot. philosophiæ differentia.*

Corporis magnitudo nec conducit ad animi dotes nec nocet: si conduceret necessariò, non esset apis boue solertior, vulpes sue astutior, simia asino ingeniosior, leo boue audentior: si noceret non esset elephas prudentior equo, canis agno sagacior: etsi ad has vires non valet, nec valere debet ad rationem. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 7. cap. 3.*

impossibile. *Syrian. in 12. metaph. cap. 5.*

Corpus omne physicum mobile est per locum. *Proclus el. phys.* Corpus omne physicum vel mouetur circulo, vel recto, vel mixto motu mouetur. *ibid.* Corpus omne physicum vel simplex est, vel compositum. *ibid.* Corpus mobile omne ab alio mouetur, nec aptum est mouere seipsum. *idem, elem. Theolog. proposi. 2.* Corpus nullum sensibile infinitum est. *idem, elemen. philosoph. propos. 15.*

Corpus naturale per ipsam molem, quæ soli passioni subiicitur agit nihil, per qualitatem vero agit sufficienter: & hæc cùm non habeat sufficientiam existendi, non præstat corpori sufficientiam existendi. *Fic. Theol. lib. 1. cap. 3.* Corporum naturalium conditiones sunt vt locum impleant, & tempore moueantur. *idem, ibi. lib 5. cap. 7.* Corpora naturalia eorumque formæ, quia per aliud & per motum referuntur in Deum, neque per se sunt nec stabilia, sed vacillant prorsus, & pereunt, at essentia tertia per se refertur in Deum & ita est, & stabilis est. *Fic. lib. 2. cap. 10. Platon. Theol.* Corpus, & forma per corpus extensa, adeò materialia sunt, & particulari situi, & tempori astricta, vt vniuersalem vim nullam habeant, quo enim magis quid corporale materiæ propinquat, eo angustius est, quo longius discedit, eo fit amplius. *idem, ibidem, lib. 8. cap. 8.*

Corpus vt apud mathematicos in terminos quasi externos finit, scilicet in superficies duas, alteram profunditatis, alteram latitudinis, quæ neque corpora sunt, & aliud certè sunt quàm nihilum, sic apud physicos in terminos finitur internos, qui neque corpora sunt, nec nihil. ex alto in formam, ex infimo in materiam. *in Plo. En 2. lib. 4. cap 6.* Corpora omnia semper aliquid agunt, & agendo foras non nihil mutant, simplicia quidem absque interna sui mutatione. *idem, ibidem cap. 1.*

Corpus cœleste non habet materiam talem, quæ cum cæteris misceatur *Fic. in Theophrast. cap. 20.* Corpus simpliciter ante se corpus naturale existit, igitur & ante principia huius sunt & principia illius. ergo dimensiones quæ sunt corporis termini, & numeri, qui dimensionum mensuræ sunt, ante propria naturalium rerum principia cogitantur, quapropter & sine materia sensibili cognoscuntur. *idem, in Plot. En. 2 lib. 6. cap. 17.* Corpus naturale tam motus, quàm sensibiles qualitas consequuntur. *Ioannes Picus Mirandul. in Astrologiam, lib. 3. cap. 4.*

Corpora cœlestia mutuo se amore prosequuntur tum ob naturæ similitudinem, tum ob aliquam insignem virtutem corporum cœlestium. *Leo Heb de amo dial. 3.* Corporum tam naturalium, quàm artificiosorum formositas, atque elegantia ex ideali, summáque pulchritudine, tanquam ex diuino quodam fonte processisse videtur. *idem, de Amor. dial 3.* Corporum naturalium maior minorue formositas ex eorum naturalibus formis ipsa informantibus, maiori, minoriue obedientia, atque obtemperatione originem trahit. *ibidem.*

Corpus quarum rerum causa, & proprietas.

Corpus est impedimento ad sapientiæ adeptionem. *Plato in phædone.* Corpus bellorum causa est, nósque à veri cognitione abstrahit amoribus, cupiditatibus, timoribus, & multiplicibus imaginibus. *idem, ibid.* Corpus innumerabiles occupationes nobis exhibet, ob necessarium alimentum, & ob morbos *ibid.*

Corpus humano, mortali, ab intelligentia alieno, & multiformi, dissolubili, & mens secundum eadem se habenti simillimum est. *Plato in phædone.* Corporum habitus à quiete & otio perit, ab exercitatione & motibus plurimùm conseruatur *idem, ibid.* Corpus qui magis quàm animam amat amator improbus est. *idem, in Symposio.*

Corporis & animæ præparationes duæ: vna ad voluptatem conuersari & hæc adulatio est, altera ad id quod optimum est, ita vt non gratificemur sed repugnemus. *Plat. in Gorg.* Corpora vt viua constructa sunt, sic mortua conspiciuntur. *idem, ibid.*

Corporis voluptates quantò senibus euanescunt, tantò augescunt sermonum cupiditates, & voluptates. *Plat de rep. dial. 1.* Corporis omnibus partibus pingendis non sunt pulcherrima pigmenta apponenda, oculi enim pulcherrima pars si non purpureo colore, sed atramento inducti essent, moderate responderemus si diceremus, oculos non oportere pingere vt neque oculi esse videantur, sed singulis conuenientia attribuentes totum pulchrum facimus. *idem, ibid. dial. 4.* Corporis malum non perdit animam. *ibi. dial. 10.*

Corpus quæ habent sensu percipi possunt, & quæ sensu percipiuntur opinione cum sensu percipiuntur, & fieri, & facta esse visa sunt. *Plat. in Tim.* Corporis omnis species profunditatem habere, & profunditatem naturam planam comprehendere necesse est *idem, ibid.* Corpori vni vnum studium iniungere fieri non potest, ita vt non idem hoc videatur parum lædere corpora nostra, partim etiam ipsis prodesse *idem, de leg. dial. 1.*

Corporibus cùm plurimum nutrimenti accedit, tunc ea plurimis laboribus opus habent. *Plat. de leg. dia. 7.* Corporis & animæ coniunctio nulla re potior est dissolutioni, velut ego serio dicens affirmare ausim. *idem, de leg. dial. 8.*

Corpus in quo vincit terra, vt ferrum & æs submergitur in aqua, & quando vincit aquæ pars frigida. *Arist. de causis proprietatum. cap. 1.* Corpus in quo vincit ignis pars, & aeris, natat super aquam *idem, ibid.* Corpus omne superficie terminatur, quæ superficies vt est corporis terminus ita terminatur linea, & linea punctis terminatur. *Macro, in som. Scip. lib. 1.*

Corpus non mouet hominem, quia nullum immobile aliud mouet. *idem, in som. Scip. lib. 2.*

Corporis naturali passiones dabimus instrumentis prædito potentia vitam habentes, etenim absurdum est dicere animam texere, sed potius dicendum animal hæc pati, & agere. *Plot. En. 1. lib. 1. cap. 4.* Corpora hæc inferiora non permanent, sed corrumpuntur, cùm anima superiora imitans id essequi non possit, propterea quod deterioribus ad opus suum vtitur corporibus, & loco deteriori, & ea in vnum conciliare contendit, quæ vix congrediuntur, & congressa vt vnum in vita maneant. *idem, En. 2 lib. 1. cap. 5.*

Corpora humana non mouentur in gyrum, quoniam adiunctum est quod actâ motione progreditur, & impetus nituper ad alia vergunt, & quod sphæricum in nobis est facilè in orbem retorqueri nequit, terrenum namque iam euasit, *Plo. En. 2. lib. 2. cap. 2.* Corporum magnitudines in eodem loco duæ æquari non possunt. *idem, En. 2 lib 7. cap. 1.* Corpus consiouatione quadam est vnum. *idem, En. 4. lib 2. cap. 1.* Corpora & numeri necessariò per diuisionem partium minuuntur, & tota partes minores quantæ enim sunt. *idem, En. 4. lib. 3. cap. 2.*

Corporis nulla pars est suâ virtute destituta. *Plot. En. 4. lib. 4. cap 36.* Corpus solidum magis calefit quàm aer, ideò non magis incalescimus per aerem quàm propter aerem. *idem, En. 4. lib 5. cap. 4.* Corporis indigentiæ, & passiones varias nobis opiniones inducunt. *idem, ibi. lib 4. cap. 17.* Corpore secto diuisio spectat ad molem, afflictio ad molem quæ non solum sit moles, sed eiusmodi moles: sic de inflammatione dicendum, anima sentit quasi contiguam animaduertens vicinitatem, & ipsa non patiens, totam ibi nascentem sentit passionem. *ibidem cap. 19.*

Corporum essentia falsa indiget quadam imagine pulchri extrinsecus accedente. vt & pulchra videatur, & omnino sit aliquid. & eatenus est. quatenus particeps facta est pulchritudinis speciem ipsa constantis, & quo plus speciosæ accipit pulchritudinis, eò perfectior, sic ei magis propria fit essentia pulchra & ipsa pulchritudo. *Plot. En. 5 lib 8. cap. 9.* Corporea natura motu mouetur, absente motu quiescit. *idem, En. 6. lib 3. cap. 27.* Corporis non est proprium intelligere. *ib. lib 5. cap 10.* Corpora hæc qui videntur amare, non subiecta quidem amant, sed pulchritudinem palam in corporibus effulgentem. *ibidem. lib. 7 cap. 22.* Corpora propter corpora coniungi aliis non possunt, at incorporea corporum obstaculo disiungi non possunt. *ibid. lib. 9. cap. 8.*

Corpus omne est in loco. *Porphy de occasionibus.* Corpus omne sensibile cùm nobis defluxus quosdam materialium dæmonum afferat, certè vnà cum importate nutrimenti ex carnibus, & sanguinibus hausti adest nobis potestas dæmoniaca huic amica, faciléque pellecta propter similitudinē, & proprietatem inde familiarem. ideò Theologi omnes in primis abstinentiæ studuerunt, & Ægiptius nobis causam attulit experientiâ comprobatam. *idem, de sacrificiis.* Corpus dum augemus, mortaliores, vt ita dicam, latentes efficimur, & impotentiores ad vitam æternam. *idem, de sobrietate.* Corpus quæ spectant à diis materialibus, id est qui in se materiam comprehendunt, & exornant, sunt pessunda, non ab immaterialibus ideò illis, & non his est sacrificaneum, *Iamblic. de mysteriis.*

Corpus nullum aliud penetrare potest corpus. *Chalcid in Plat. Timæum.* Corpora si per se ipsa spectentur videbuntur habere perfectam substantiam, si ad originem eorum conuertis mentem, inuenies cuncta, & eorum scatebras materiæ gremio contineri. *idem, ibid.*

Corporis naturæ inest & vnum, & multitudo, & vna natura multas habet cohærentes, & multæ naturæ vna vniuersi natura, & ordo animarum ab vna incipit prima anima, & in multitudinem animarum descendit, & multitudinem in vnam reducit. *Proc. elem. Theol. prop. 21.* Corpus omne per se natum est pati *idem, ibid. prop. 80.* Corpus vt corpus diuisi-

bile est solum. *ibid. prop. 82.* Corporis terminati potentia infinita existent incorporee est *ibid. prop. 96.*

Corpus omne simplex secundum vnum mouetur secundum naturam motum. *Proc. elem. philosoph. prop. 7.* Corporum magnitudinem terminatorum potentiæ non sunt infinitæ. *idem, ibidem.* Corporum infinitorum secundum magnitudinem potentiæ sunt infinitæ. *ibid.* Corpora tenuia, quæ aspectum & tactum effugiunt incorporea frequenter nominantur in scriptura. *Mich. psellus de dæmoni.* Corporis proprium est trina dimensione constare. *Bess. Card. in calumniat. Plat. lib. 2. cap 4.*

Corporis affectio quæ per qualitates efficitur, non potest per aliquam temporis moram eadem penitus & similia permanere, & semper tum in aliam & aliam graduum proportionem, tũ in melius, vel deterius permutatur. *Fic. in Plat. Theo. lib. 2. cap. 4.* Corporum gradus iuxta Platonicos sunt rationalium animarum vmbræ, animarũ vero gradus sunt imagines angelorum: idcirco nonnulli angelorum ordines, secundum ordines corporum, & simul animarum distinguuntur. *idem, ibid. cap 5.* Corpus quicquid suscipit corporali suscipit modo nec rem maiorem quàm ipsum sit capere potest. *ibid. lib. 7. cap 8.*

Corpus nullum aliquid in se continet nisi per eam quantitatis adæquationem, per quam se toto totam rem comprehendat, partem parte, maiorem sui parte maiorem rei contentæ partem, minore minorem: intellectus se toto capit quicquid accipit. *Fic. in Plat. Theol. lib. 8. cap. 6.* Corpora cum aliorum formas accipiunt suos amittunt, nam aqua igneam non accipit caliditatem, nisi suam frigiditatem exuerit. & si alienâ acceptâ remanet propria, imperfectior fit. *idem, ibi. c. 7.* Corpora duo se inuicem mutuis amplexibus continere non possunt. *ibid. cap. 9.*

Corporum ordo quoniam sub ordine intellectuum collocatur pendétque inde, ideo non aliter sequitur corporum ordo ordinem intellectuum, quàm pedis vestigiũ ipsum pedem, & vmbra corpus. *Fic. in Plat. Theo. lib. 10. cap 2.* Corporum vltimum, id est materia prima, vt incorruptibile est, sic mẽs vltima incorruptibilis erit. *idem, ibid.* Corporis membra quotidie reficiuntur à sanguine ex venarum riuulis emanãte. *idem, in Plat. conui. ora. 7. cap. 8.*

Corpus suâ proprietate dissolubile est, anima suâ proprietate connectit corpus, & contraria conciliat, dum certâ quadam ratione commiscet. *Fic. in Plat. En. 4. lib. 7. cap. 2.* Corpus per naturam est sub fato, anima in fato naturam mouet: itaque mens super fatum in prouidentia est, idolum in fato super naturam, natura sub fato supra corpus: sic anima in prouidentia fati, naturæ legibus non vt patiens modo ponitur, sed & vt agens. *idem, Plat. Theo. lib. 13. cap. 2.*

Corporis affectio sensui per se seruit, menti per accidens, quia mens dũ coniuncta est corpori, per imagines sensuum quodammodo species fabricat suas, & quoties in suas species quas fecit & seruauit, se voluit, toties in imagines se reuoluit. *Fic. Plat. Theo. lib. 15. cap. 16* Corpori quanto magis quis aduersatur, tanto excellentior est. *idem, epist. lib. 8.* Corpora: quæ ad spiritum magis accedunt, facilius vberiúsque refulgent, quia quod in corporibus est perspicuitas & lumẽ visibile, in spiritibus est perspicacia, & perfectio. *idem, ep. lib. 2.* Corpus intellectus actionem circa incorporalia perturbat, sed potentiam non disperdit, vt linguæ humor actum gustandi adimit non virtutem. *ibid.*

Corporis natura aut nunquam in eodem statu permanet, vt Heraclitus, & Plato voluit, aut breui in multas affectiones transfertur: ideo idem omni tempore corpori nõ congruit. *Fic. de voluptate. cap. 13.* Corpora omnia, vt virtute Solis habent, vt non solùm inoctam molem sortita sint, sed præterea figuram, colorem, vim, motum habeant: sic res omnes ipsius boni ratione præter potentiam formabilem habent aliquid formale, supremæ intellectum, secundæ rationem, tertiæ imaginationem, quartæ sensum, quintæ vitam, sextæ essentialem virtutem, qualitatem, & habitum Angeli sunt vniformes, sed intellectus veri: intellectuales animæ sunt, sed animæ veræ: irrationales non sunt animæ veræ, sed animationes quædam vegetales sunt vitæ vestigia: formæ sequentes sunt vmbræ vitæ. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Corporum inter se distinctæ sunt substantiæ, ideò naturæ vires discretæ sunt, vnde singulis corporibus singulæ insunt, propriéque naturæ. *Fic. in Plat. phi. lib. 2. cap. 2.* Corpori vt corpus nulla competit actio. *idem, ibidem. cap. 28.* Corporum affectiones ne minimum quidem temporis permanent. *idem, cap. 19.*

Corpus pulchrum qui amat, non hominem, sed quæ sunt hominis amat. *Fic. in Plat. Lysidem.* Corporibus conuenit essẽtia imaginaria, incorporeis vera essentia. *idem, in Sophist. Pla.*

Corporis pulchritudo non per se amanda est, sed tanquam diuinæ pulchritudinis imago existimãda est. *idem, in Plat. Char.* Corporis vmbra vt exactam, & distinctam corporis figurã non indicat, sic corpora diuinorum naturam propriam non demonstrant. *idem, in Plat. conui. or. 2. cap 4.*

Corporum figuræ, & colores nunquam nisi lumine illustrata prospiciuntur, nec ipsa cum materia sua ad oculos veniunt: necessarium tamen esse videtur ea in oculis esse vt ab oculis videantur: vnum ergo Solis lumen corporum omnium ab eo illustratorum coloribus figurísque depictum sese oculis offert: sic affectum lumen oculi suo quodam radio adiuuante percipiunt, perceptum ipsum, & quæ in eo sunt omnia vident. quare totus hic mundi qui conspicitur ordo non eo modo quo in materia corporum, sed qui in luce oculis infusa est cernitur, & in ea luce est corporis expers. *Fic. in Plat. conu. ora. 5. cap. 4.*

Corporis temperati indicium est teneræ carnes, lenis & firma æqualitatem: vbi calor excedit nimium est aridum & hirsutum corpus: vbi frigus, rigidum: vbi siccitas, durum & asperum: vbi humiditas, fluxum, lapsum, inæquale, contortum: ergo æqualis, & firma corporis teneritudo affectionem eius indicat in quatuor humoribus moderatam. *Fic. in Plat. conuiuium, or. 5. cap. 7.* Corporis libidinibus qui obsequitur, proculdubio insanis seruit tyrannis. *idem, in Plat. de rep. dial. 1.* Corpus vltimum, terra scilicet, non accipit lumen primi, nisi caleat inde prius, similéque reddatur: sic nos quoque mentium vltimi flagremus prius amore prima, vt amore purgati, factique similes luceamus deinde diuinitus, ac pleno iam lumine gaudeamus. *ibid. dial. 7.*

Corpora naturæ terreæ non in se sumunt lumen, non quia penetrare non potest, nam penetrat crystallum, opaca multa, solida, sed quia natura terræ à natura cœlesti alienissima cœlestis qualitatis capax esse non potest: at calorem communicat non tam proprium cœlo, quàm est lumen. *Fic. in Plat de rep. dial. 7.* Corpora perspicua primò sumunt lumẽ, deinde calorem, opaca primò calorem, deinde lumen. *idem, ibidem.*

Corporis immoderatis affectionibus sedatis ad intelligentiam opus est disciplina quadam eruditionis gradibus processura; sicut in summo sic in infantia intenditur plurimum imaginatio sequens affectiones, & obsequia, & ministeria corporis; intenditur & necessarium vegetationis opus ab intelligentia remotissimum. Hinc actus intelligentiæ rationisque multum denique remittitur; cessantibus tandem tantis perturbationum causis, intenditur vicissim recta intelligentiæ, rationisque discursio. præsertim accedente interim disciplinâ: et si peruersus habitus vsque ad finem perseuerauerit, animus & claudus & mancus cognominatur, claudus quia solo graditur sensu ratione posthabitâ, mancus quia non vtitur intelligentiæ pennis. *Fic. Plat. Tim. cap 28.*

Corpus aliter, & aliter seminaria virtus composita est: nam in corpore ex particularibus formis fit forma communis, in virtute seminali forma totius in formas partium propagatur, & non tam fit vnum ex multis, quàm multa propagantur ex vno. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. cap. 3.* Corpus animalis fruitur seipso per sensum: ratio non per sensum, sed per melius aliquid seipsâ fruitur, intellectus non per rationis discursum, sed per aliquid eminentius sui ipsius fit compos, & sic vnum, & bonum ipsum per aliud eminentius cognitione seipso fruitur. *idem, in Plot. En 3. lib. 8. cap. 3.* Corpora omnia sui aliquid inferioribus largiuntur, sed cœlestia nihil accipiunt è sequentibus: elementaria dando vicissim quoque accipiunt. *idem, in Plot. En. 4. lib. 8. cap. 7.*

Corpus omne ratione consistentiæ habet ad requiem locum vnum naturæ suæ accommodatum. *Iacob. Car. in Alc. cap. 14.* Corporis totius occultam perspirationem videtur Aristoteles cognouisse, & à manifesta, & liberâ respiratione distinxisse. *idem, in Alc. dig. 8.*

Corpus omne, cùm nullum sit omni ex parte pulchrum, ac habeat admixtam turpitudinem propter materiam, trepidat inspici sub Sole, & gaudet vmbrâ iudice. *M. Anto. Natta de pulchro, lib. 2.* Corporum optima congruáque proportio à formæ super materiam excessu, atque dominio, tanquam à vera propriáque causa originem ducit. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Corporũ venustas ac pulchritudo ab excessu formæ super materiam, eorundem verò deformitas ac turpitudo ab excessu materiæ super formam proficisci videtur. *idem, ibid.*

Corpus vniuersi, & vt ad mores pertinet.

Corpus est vniuersi à quo nostrum corpus alitur, quod animã à corpore vniuerso sumpsit. *Plat. in phi.* Corpus vniuersi animâ præditum est. *idem, ibid.* Corpus non est causa vitiorum animæ contingentium, quod patet quod prauitas absque corpore, possit oriri, vt in dæmonibus. *Dion. Areop. de diuin.*

diui.nom. Corpus vniuersum, & materia conducit ad immortalitatem mundi, quod non effluit extra, *Plot. En.2.lib. 1.cap.3.* Corporis mundani extrema duo sunt, terra, & cœlum empyreum: vtrunque videtur immobile, sed alia ratione: nam terra quia non est adepta aliquam virtutem ad circuitum: empyreum cœlum quia iam omnem corporum virtutem est adeptum mediæ sphæræ sempiterna quadam virtute, sed mobili, requirunt vlterius nescio quid permanens, & æternum. *Fic. epist. lib. 1.*

Corpus, vt ad sanitatem vitam, resurrectionem, & cibum pertinet.

Corporis ordo nomen est salubritas, ex qua in ipso fit sanitas, *Plat. in Gorgia.* Corporis alimentum siccum est cibus, humidum potus. *idem, in Hippar.* Corpora bene se habere faciunt moderati labores. *idem, in dial. phi.*

Corporis infirmitas vtilis est, si ob eam mente melior quis euadit. *Plat. in Char.* Corpus non bene curatâ animâ curari nequit, & hæc est causa quòd plerique morbi græcos medicos lateant, eo quòd totum ignorant cuius curam facere oportet, nam omnia mala in corpus & omnia bona ex anima & in totum hominem procedunt, & illinc fluuor, vt ex capite ad oculos. *idem, ibid.*

Corporibus, quæ medicamentis non indigent, etiam viliore medico non opus est: at cùm medicamenta exhibere opus est, viliore medico opus est. *Plat. de rep. dial. 5.* Corporis labores qui cum violentia peraguntur, nihilo deterius efficiunt corpus. *idem, de rep. dial. 7.* Corporis habitus euacuationes sunt fames, & sitis. *idem, ibid. dial. 9.*

Corpora quæ constituunt ea soluunt, calida, & frigida, & omnia extrinsecus imminentia robustásque facultates habent, & importunè illabentia, & morbos, & senectutem inducentia corrumpunt. *Plat. in Tim.* Corporis purgatio, quæ per exercitia fit, optima est secunda quæ per gestationes tum in nauigijs tum alibi vbicunque vectiones sine lassitudine fiunt; tertia motus species aliquando ei qui valdè cogitur ad hanc vtilis est, alias nequaquam admittenda ab eo qui mente præditus est medica illa, quæ per medicamentariam purgationem contingit. *idem, ibid.*

Corpus natura nobis ad perniciem adoptauit, cuius voluptates occultæ & plurimis doloribus permixtæ sunt, morbi, & inflammationes, *Plat. in Axioc.* Corpora cõposita in mundo non moriuntur, sed dissoluuntur, dissolutio mors nõ est, sed mixtionis resolutio quædam, soluitur vero non vt ea quę sunt intereant, sed vt vetera iuuenescant. *Mer. Trismegyst. Pimander, cap 12.*

Corporibus animalium cùm inest æqualitas, semper animalia sunt sana, cùm exeunt ex æqualitate, in graues incidunt infirmitates. *Arist. de causis propriet. elem. cap. 1.* Corporis morbus aliquando totum continet, aliquando partem, & cum partem aggreditur, statim totum corpus in eandem perniciem trahit, quod fieri non posset nisi anima totum corpus occupet. *Max. Tyrius serm. 18.* Corpus per mortem cunctam amittit vitæ vestigium. *s. in de myst.*

Corpus ad quamlibet speciem indeterminatum est, & suapte naturâ sine fine diuiduum, cuius materiam in infinitum fluuram inquiunt Pythagorici, nisi eam forma sistat, & vitat. *Fic. in Plat. Theo. lib. 3. cap. 1.* Corpora mixta quanto magis discedunt ob intemperentia, tanto magis vitæ cognitionisque capacia sunt. *idem, lib 4. cap. 1.* Corpus, vt ex materia, & quantitate passiuum, inhærentem sibi qualitatē reddit corruptioni subiectam: ita Deus, & Angelus actiua animam sibi proximam, & à corpore segregatam, diuinitate sua efficiunt immortalem. *ibid. lib. 5 cap 3.*

Corporis vita irrationalis ab animæ rationalis substantia tanquam à Sole effunditur tanquam lumen, & erga hanc affici putant Platonici quasi erga prolem, ad quam prolem suscipiendam corpus per cœlestes animas disponitur. *Fic. Plat. Theolo. 9. cap. 3.* Corporis vita in humoris & caloris temperatione consistit. *idem, ibid. cap 3.* Corpus bene valere non posse, nisi anima bene valeat Magi scriptum reliquere. *ibidem. lib. 13. cap. 1.*

Corpora resurgere debent, quia cùm ex anima & corpore fiat vnum quiddam naturale compositum, & naturali instinctu anima ad corpus afficiatur, ideò patet animam non solum vniuersi ordine, sed etiam naturali suo corpori copulari: vnde patet & contra ordinem vniuersi, & propriū à corpore animam seorsum permanere, at post corporis interitum permanet sempiterna, ergo cùm quod contra naturam est sempiternum esse non possit, quandoque anima suum corpus receptura est. *Fic. Plat. Theo. lib 8 cap. 9.*

Corpora resurgere debent, quia cùm singulæ animæ ad viuificanda & regenda corpora inclinentur, & inclinatio naturalis semper maneat manente naturâ, ideo animæ à corporibus separatæ ad illa naturaliter inclinantur, & naturalis inclinatio semper inanis esse non debet, ideò animæ sua corpora aliquando recipient. *Fic. Plat. Theo. lib. 18. cap. 9.* Corporum resurrectionem authoritate diuina asseuerantis asserit Auicenna credendum esse. *idem, ibid. cap. 9.*

Corpora resurgere debent, quia virtutibus præmia, vitijs supplicia digna debentur, hæc cum in hac vita non tribuantur, tribuuntur in altera, corpus & virtutum, & vitiorum vnà cū anima est particeps vsus & præmiorum, & suppliciorum particeps tandem animæ redditur. *Fic. Plat. Theo. lib. 18. c. 9.* Corporum resurrectio fiet remanente homini incorruptibili non solùm specie, sed etiam numero sempiterno, non solùm secūdum animam, sed etiam secundum corpus. *idem, ibidem.*

Corpora resurgere debent, quia cùm anima speciei humanæ pars vna sit, altera corpus, ergo à corpore seiuncta imperfecta est, ideò appetitio eius naturalis nunquam quieta erit, & nunquam beata, nisi ad totum suum resumpto corpore reducatur, spectiue reduci. *Fic. Plat. Theo. lib 18 cap. 9.* Corpus remedijs medicinæ curatur *idem, in epist. lib. 1.* Corpus nec vitam, nec sensum a se obtinere, sed tantum vitæ, & sensus opera declarare ponit Plato. *idem, in Theatetum.*

Corpus omne non per ipsam corpoream molem viuit, sed per incorpoream naturam, per ipsam animam scilicet. *Fic. in Plat. sophist. cap. 28.* Corpus prius curandū non est, antequā animus curetur, ex magorum sententia *idem, in Plat. Char.* Corporis sanitas est temperantia quædā humorum, & membrorum *idem, ibid.*

Corpus quantum præstat habere sanum quâm ægrum, tantum præstat animum temperatum habere quâm intemperatum. *Fic. in Plat. Gorg.* Corporis viuentis præparatio consistit in ordine, modo, & specie, ordo partium interualla, modus quantitatem, species lineamenta, colorémque significat. *idē, in Plat. comm. or. 5. cap. 6.*

Corpus elementale non tantam habet potentiam, vt vitam accipiat, quantam anima vt præstet vitam, ideò non semper, nec totum viuit, nec perfectè, cæleste verò corpus æqualem habet: quamobrem totum, atque totam rapit vitam, & semper conseruat *idem, in Plat. Phædro. cap. 8.*

Corpus non est tutum soluere, antequam lenitiuo vtaris medicamento. *Fic. in Plat. phæ.* Corpus medicus primò partitur in membra, qualia sunt viscera, caput, brachia: secundò in partes suas, videlicet ossa, neruos, carnem: tertiò in humores. *idem in Plat Tim. cap. 86.*

Corpus vt bonâ sit habitudine habere debet octo partes sanguinis, pituitæ quatuor, bilis duas, atræ bilis vnam, item vt sanguis sit vno gradu calidior, & humidior, fortè etiam paulò calidior: bilis tribus calida, pituita tribus humida, sic enim humor pituitæ cum bilis calore temperent sanguinis refectio videtur *idem in Plat Tim. cap 87.*

Corpus solidum eatenus viuit, quatenus per ipsum spiritus se effundit, & agit, & spiritus ipse viuit quatenus per ipsum similiter anima se propagat. *Fic in Plot. En. 2. lib 2. cap. 1.* Corpora, vt quatuor sunt alterationes per calorem, frigus, humorem, & siccitatem, sic in vita corporea præcipuæ perturbationes quatuor oriuntur. *idem, in Plot. En 2. lib 3 cap 2*

Corporis valetudini plus valet generantium natura, & loci qualitas, & nutrimentum, quàm momentaneæ cælestes motiones communes, & remotæ, & potius per has significatur quàm efficitur. *Fic. in Plot. En 2 lib 3. cap. 14.*

Corpori quod est esse per formam a vita intelligentiaque susceptam, id est in vita viuere, & id rursum est in intellecto intelligere *idem, in Plot. En. 3. lib. 3. cap. 2.*

Corpus humanum debitâ & conueniente proportione humorum sanum conseruatur, & cùm altera qualitas præualet cæteræ succumbunt. *Gabr Bura de rerum con. lib. 9.* Corporibus sanis alimenta agricultura, ægris medicina præbet. *Fr. Patr. de rep. lib. 2. cap. 3.* Corporis habitudo spectanda est in milite *idem, de rep. lib. 9 cap 4.*

Corolarium dicitur, cùm ex ijs, quæ demonstrata sunt, quoddam aliud theorema apparuit. *Proc. Euc. lib 9. com 5.*

Corollaria alia sunt iuxta scientias, vt Geometrica, vel Arithmetica, alia iuxta principalia quæsita, nam alia problemata alia theoremata sequuntur, alia iuxta ostensiones, nam alia ostensiuè, alia ad impossibile probantur. *idem, ibid. lib. 3. com 20.*

Corona graminea non dabatur, nisi in summa desperatione vniuerso exercitu seruato. *Fr Patr. de reg. lib 1. cap. 13.*

Corrumpi non potest quod factum non est. *Plato. in phædro.* Corrumpitur omne quod fit. *idem, de rep. dial 8.*

Corrumpitur res solùm per separationem suam à causa sua. *Arist. de causis cap. 3 proposit. 6.*

Corruptionem quod generatio sequatur, non id est mali pos

tuor trianguli isosceles complent. *Ficin. in Plat. Timaeum. cap 40.*

Cucurbitula, & succinum imagines respirationis sunt, at cucurbitula absumpto aere ab igne trahit humorem, succinum verò excretu spiritu suscipit simile corpus. *Timaeus Locrus de anima mundi & natura.*

Cucurbitula quæ facit, causa est quod aer, qui comprehensus ab ea est, vbi carni adhæsit, cum calore inflammatus, & redditus aeris spiramentis tenuior effert se non in ioanem locum, neque enim id posset, sed in eum qui cucurbitulam foris complectitur aerem, illúmque dispellit, hic cum qui sibi est obiectus, dum idque patitur assiduè, & agit, anterior cedit locum affectaos quem prior deseruit vacuum, ita in carnem recidens quam prehandit cucurbitula, & ferocfaciens simul, in cucurbitulam humorem expaimit. *Plut. in quaestionib. Plat.*

Culinaria est ars, quæ obsoniis condimenta tribuit. *Plato de republica, dial. 1.*

Culpa purgatoriis doloribus aboletur, quia voluptatibus inolauit; nam & medici morbos vt plurimùm à contrario curant, & pro quolibet culpæ gradu Plato decem adhibet supplicij gradus. *Fic. in Plat. de republica dial.* 10.

Cupiditas.

Cupiditas maxima est, cùm qois cum alio conuersans putat se per illum meliorem fieri. *Pla. in Cratylo.* Cupiditas est validior vinculus quâm necessitas. *Idem, ibid.*

Cupiditas non pertinet ad corpus, sed solùm ad animam, & indicat memoriam eorum quæ affactionibus contraria existunt *Idem in Philebo.* Cupiditatibus circa artem structoriam obsoniorum rectè vti arduum est, vt certâ morum voluptate fruamur. *Idem in Symposio.*

Cupiditas absque rationa, quæ opiotonem ad rectum tendentem superat ad pulchritudinis voluptatem perducta rursus à suis cognatis voluptatibus, quæ circa corporum pulchritudinem vehementer corroborata victrix victa ab ipso robore, quæ *ῥώμη* est, agnomen accepit *ἔρως* id est amor appellata est. *Plato in phadro.* Cupiditatibus illis explari debemus, quæ meliorem hominem faciunt, quæ verò deteriorem fugere. *Idem, in Gorgia.*

Cupiditates aliæ necessariæ sunt, aliæ non necessariæ; necessariæ sunt quas auertare non possumus, & quæ dum perficiuntur nobis prosunt, hæ iustæ necessariæ vocantur, nam has cupere naturæ nostræ necesse est, vt voluptas edendi; non necessariæ sunt quas quis summouere potest, si à teneris huic studium ponat, & quę vbi insunt, nihil boni faciunt, partim varò contrarium vt veneris voluptas *Plato de rep. dialogo* 8.

Cupiditatibus spacies euidentissimæ sunt sitis, & fames. *Plato de republica, dial. 4.* Concupiscens dicitur illa qui non concopiscit aliquam partam, sed totam speciem *Idem ibid. dial. 5.* Cupiditates qui ad quasdam vehementer repunt, illtad alia debiliores sunt, velut si fluxus illuc deriuetur. *Ibid. dialo. 6.*

Cupiditas edendi, & ipsius cibi, & obsonij ad sanitatam vsque, & bonam habitudinem necessaria est. *Plato de republica, dial. 8.* Cupiditatibus necessariis qui subditus est, parcus & vir paucurum principatus est, qui verò non necessariarum cupiditatum plenus est, ferum dicimus. *Idem, ibid.*

Cupiditatum species horrenda quædam. & agrestis ac iniqua vnicuique inest, etiam iis, qui admodum meditati sunt *ibid. dial. 9.*

Cupiditates tyrannicæ, & amatoriæ plurimùm à ratione, lage, & ordine distant, minimùm autem regiæ, & moderatæ. *Plat. de rep. dial. 9.* Cupiditates duas homo habet, propter corpus, alimenti, propter animam, sapientiæ. *Plat. in Timaeo.* Cupiditas triplex in hominibus est, cibus scilicet & potus, ad quas omne animal à natura insitum amorem habet, & velut stimulo concitatur; tertia, & maxima nacassitas, & acutissimus amor postremus concitatur, sad insania feruentissimos homines efficit, qui est circa ganaris propagationem petulantia ardens. *Idem, de legib. dial. 6.*

Cupiditates multos ad extrema deducerent, à quibus ratio dum legislator conatur abstinere iubet. *Plato de leg. dial. 8.* Cupiditas pecuniarum est maximum malum, & est ex ignorantia: cuius causa est fama à græcis, & barbaris diuitiis attributa primum anim ipsis inter bona locum deferunt quum tertium obtineant; nam post animæ, & corporis virtutem tertio loco habenda sunt *Idem, de leg. dial. 9.*

Cupiditates omnes nil aliud sunt quàm aliquarum rerum indigentiæ. *Plat. de dmum.*

Cupiditates, qui anxiè saquitur, & contentiones, & in his vehemẽter laborat, necesse est in illo omnis dogmata mortalium inseri, & ipsum quantum fieri potest mortalem effici, & neque parum ab hoc deficere, vt qui ad hoc augẽdum omne studium contulit. *Plato in Timaeum.* Cupiditates, quæ per corpus explentur, euacuatæ, vel impleto corpore non huius essentiæ sunt, sed alterius quod euacuari, vel impleri possit. *Plotin. En. 1 lib. 5. cap. 2.*

Cupiditati, iræ, vel malo simulachro multa nos concedere consueuimus. *Plot. Enn. 1. lib. 5. cap. 9.* Cupiditatem nec anima inchoat, sed tale quoddam corpus, quod & patitur talia quædam, & qoando dolet contraria appetit. Natura varò taoquam mater hæc coniectans, & patientis desideria conatur dirigere, & ad se ipsam reuocare, & remedia languoribus quęritaos ob eiusmodi inquisitionem cum patientia cum patientis cupiditate coniungitur. *Idẽ, Enn. 4. lib. 4. cap.* 20.

Cupiditas est maximum hominum malum. *Maxim. Tyrius serm. 24.* Cupiditate hominum quid agentius? vbi semel animus supra quàm necessarius exigat vsus voluptatibus indulserit, priorem continuò fastidit, nouarum cupiditate tenetur. *Idem sermo. 33.* Cupiditatibus metam nullam Deus posuit, verùm est infita vis, vt spectatores ipsarum quo maiorem earum cupiam habent, eò magis earum sitis augeatur. *Idem, sermo. 37.*

Cupiditates multæ sunt, aliæ propter necessarias voluptates in corpore, aliæ peragrinæ, quæ sunt propter inanem gloriam, & robur, & vim à tampore, & consuetudine in praua eduaatione mutuantes subinde trahunt, & deiiciunt aoimos, quam necessariæ validius: at vsus, & meditatio multum etiam de natiuis ægritudinibus rasecandi dedit doctrinæ facultatem, omnis exercitationis vis adueotitia, & superfluis cupiditatibus est admouenda, & has subigere vinculis, & coercitionibus debemus: nam si cootra sitim & famem diu obluctãs à cibo & potu abstinueris, longè facilius est auaritiam, & ambitionem refrænare abstinentia ab iis quibus inhiant, & repressione tandem deuincere. *Plutarc. de vrbe Thebes, & Socr. damone.*

Cupido voluptatem in boni adaptione respicit, aut mali vitatione: *Ficin. Platonica Theologia lib 6 cap 8.* Cupiditas fit cùm nobis quid bonum appareat obiectum est, id primũ iudicat animus capiendum, tum appetitus ad id ipsum quod iudicatum fuerit ioclinatur. *Fic. de voluptate, cap. 10.* Cupiditas, & inuidia bella, & rapinas procreare solent. *Idem, in Plato. de regno.*

Cupidinem Veneris comitem esse apud Platonem Pausanias asserit, & tot esse cupidines, quot Veneres, & Veneres duas esse, alteram cœlestem, alteram vulgarem: cœlestem cœlo sine matre natam, vulgarem ex Ioue & Dione genitam. *Fic. in Plato. conuiuium. or. 1. cap. 7.* Cupiditus omnis eo habito quod volebat explatur. *Idem, ibid. or. 5 cap, 3.* Cupiditas cupiditate accenditur, quæ nisi per continentiam supereiur, nunquam sedatur, sed latius serpens io furorem conuertitur. *Franc. sc. Patric. de regno, lib. 4. caput, 12.*

Curat maximè vnusquisque id quod amat. *Plato de rep. dial. 3.* Cura unius id peragit, quo tale ob bonum quoddam fiat, & vtilitatem eius quod curatur. *Idem, in dial. de sancto.* Curiositas circa intellectus, & sensuum cognitionem versari manifestum est. *Ioan. Fr. Pic. Miran. de praenotione, li. 8. c. 2.*

Currus animæ, id est discursiuæ intimæ vires omnes, quæ omnium sequuntur intelligentiam simul possunt æqualiter contemplari, & prouidere. *Ficinus in Plato. phadro, cap. 25.*

Cursor melior est, qui volens malè currit, quam qui inuitus. *Plato de mendacio.*

Cursorum certamen sic disponatur; primus in stadio cum armis cursurus ingredietur, secundus qui in stadio reuertent curret, tertius qui equestram cursum perficiat, quartus qui aursum longum, quintus quem dimittemus primum armatum in seaaginta stadiorum longitudinem ad templum Martis, & rursus grauiorem armigarum cognominantas. qui planiore viâ certet, & alium sagittarium totum habitum sagittarium præferentem, qui centum stadia ad Apollinis, & Dianæ templum per montes, & varias regiones perficiat; & constitutum certamine expectabimus omnes donec præmia victori victoriæ in singulis damus; & certamina triplicia statuamus, vnum virorum, vt supra, alium imberbium duas de tribus longitudiuis cursus partes constituẽtas, & tertiam puarorum dimidiam harum. At fœminia puellis quidem nondum pubescentibus nudis stadium, & cursum reuertentem, & aquestrem, & longum con-

stituemus in ipso cursu decertantibus, at eis quæ tredecim annorum sunt vsque ad nuptiarum coniunctionem non diutius, quàm ad vigesimum annum, nec breuiùs quàm ad decimum octauum, sed decenti amictu indutæ ad horum cursum & certamen veniant. *Plato. de leg. dial.8.*

Cursum aggredi cuiuslibet est vel ignauissimi, peruenire verò perpaucorum. *Mar. Ficin. epist. lib. 1.*

Custodes ab ebrietate abstineant, non enim scit inebriatus vbi terrarum sit, & quid magis ridiculum est, quam custodem custode opus habere? *Plato de repub. dial. 3.*

Custodes ciuitatis illi eligendi sunt, qui arbitrantur facere quod optimum ciuitati esse arbitrantur, obseruandum itaque statim à pueris, propositis ipsis operibus in quibus eiusmodi sententiæ maximè quis obliuisci, ac decipi possit; & qui memor est, & difficulter decipi potest, eligendus est, qui verò non, reprobandus. & dolorum certamina proponenda, & voluptatibus & terroribus obiiciemus, vt in omnibus habitum præferant illi eligendi. *Plato de Repub. dial. 3.*

Custodum mulieres tales eligendæ sunt, vt ipsis cognatæ naturâ sint; nam à viris non distant, nisi quantum robustior hic, imbecillior illa existit. *Plato de Repub. dial 5.*

Custodes ciuitatis nec terram excidant nec domos exurant. *idem, ibid.*

Custoditiuum omne in diis singula in proprio ordine conseruat, à secundis vniformiter separatum, & in primis fundatum. *Proclus elementa. Theologica, propositione 154.*

Custodem custode indigere ridiculum est. *Auer. in rempubl. Plat. tract. 1.* Custodes Plato Magistratus appellat, defensores milites. *Ficin in Plat. de Republ. dialog. 3.*

Custodiendi officium maximè philosopho proprium est. *idem, ibid. dial. 6.* Custodum maximè proprium est prospicere, & circumspicere. *idem, ibid.* Custodes ciuitatis, magistratus scilicet, veridici esse debēt, liberales, mansueti, temperati, fortes, iusti, & magnanimi. *idem, ibid.*

Cutem Deus circum circa igne compungebat: ea verò perforatâ cùm humor extra per ipsam ferretur: quantum quidem eius calidum & humidum sincerum erat abibat, quod verò mixtum ex his, ex quibus etiam cutis erat, id dum eleuaretur à motu foras tendente in longum extendebatur tenuitatem foramini æqualem habens, quum autem ob tarditatem à circunstante extrinsecus spiritu repelleretur, rursus intro sub cutem deuolutum radices agebat, & iuxta has affectiones pilorum genus in cute productum est. *Plato in Timæum.*

Cutis digitorum ea ex tribus ossiocata, vna communis omnibus dura cutis facta est, ex his quidem accessoriis & adiuuantibus causis constitura, sed per intelligentiam, quæ suprema causa est eorum quæ postea futura erant causâ effecta. *Plato in Timæum.*

Cynici vita reliquis melior est. *Max. Tyrius serm. 10.*

Cyrenaici, qui ab Aristippo Socratis discipulo fluxerunt, duas posuerunt perturbationes, vnam, dolorem motum asperum appellantes, aliam, voluptatem motum lenem vocantes. *Ficin. de voluptate, lib. 1.*

Cyrenaici nil esse asserunt, nisi id cuius rationem reddere posse homo videatur. *Fic. in Plato Philab. lib. 1 cap. 25.*

Cytharam inter cœlicolas Phœbus pulsat, sed non fabricat; Mercurius fabricat, sed non pulsat, ideò nemo audeat in terris vtranque facultatem possidere. *Ficinus in epistolis, lib. 5.*



D



AMASCIVS Platonicus ait Ægyptios ter acclamare, primum principium, tenebras super omnem cognitionem, tenebras incognitas, quæ diuinitatem triplicem designant. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib 1. cap 6.*

Damnum infert ei, qui gaudet prauis gestis, & concentibus, velut si quis cum prauis malorum hominum moribus consuetudinem habeat, neque eos odio habeat, sed ipsos complectatur, & ipsis gaudeat, vituperet tamen velut per lusum somnians suam improbitatem. *Plato de legibus, dialog. 2.*

Damnatorum æstimatores sint iudices qui condemnarunt. *idem, ibid. dial. 9.*

Damnum quodcunque quis alteri intulerit clam, aut violenter, si maius fuerit, maiorem læso restitutionem faciat: si minus, minorem. per omnia verò tantum, quantum semper fuerit damnum, donec hoc exæquatum fuerit: quisque verò mulctam ad singula maleficia castigationis causâ sequentem, insuper persoluat: qui per imprudentiam malè fecit, alienâ persuasione, propter iuuentutem, aut tale quid vsus, leuiorem: qui verò ob propriam dementiam, aut ob voluptatum, aut dolorum intemperantiam in timoribus, aut cupiditatibus, aut ex inuidia, aut ægrè sanabilis iræ impetu, grauiorem; non quòd ob malefactum pœnas det, sed vt in posterum iniustitiam odio habeat. *Plato de legib. dial. 11.*

Damnum si seruus, aut serua in rem alienam fecerit, vt non simul causa fuerit ipse, qui damnum pertulit, sed ex imperitia, aut aliquo alio quodam immoderato vsu eius, qui damnum intulit, dominus aut damnum plenè rependat, aut seruum illi tradat: at si arte id factum compererit, vt seruum auferat, & conuicerit, duplex precium serui ferat; si verò victus fuerit, damnum rependat, & seruum tradat, & sic si de pecoribus, & aliis animalibus rem aliquam vicinorum læserit, eodem modo damnum rependat. *Plato de legib dial. 11.*

Dardanes Macedones mulieres seruitutem putantes rem miserrimam, filios quos in vlnis baiulabant, in fluminis gurgitem proiecerūt acclamando, vos certè non seruietis. *Philo. quod omnis sit plus.*

Dare superflua præstat quàm debita negare. *Fic. epist. lib. 5.*

Darii epitaphium fuit, Amicus amicis fui, eques, sagittator optimus, venatores omnes superauī, & quæcunque volui facere potui. *Franc. Patr. de regno, lib. 3. cap 6.*

Data quæ rectè sunt, auferri non debent, puerorum dictum. *Plato in Philebo.*

Dat nemo, quod non habet, nec non nouit. *idem, in Symposio.*

Datum omne his modis datur, vel positione, vel ratione, vel magnitudine, vel formâ. *Proclus in Euclid. li. 3. c. 1. com. 5.*

Deambulationes per vias minus defatigant quàm quæ per cursus fiunt. *Plato in phædro.*

Debetur cuique quod gratis dat, non quod persoluit. *Ioann. Pic. Mirandulanus in epistolis.* Debemus multa sæpe, quæ tamen nunquam polliciti sumus. *Leo Heb. de Amore, dialog. 3.*

Debilitas in corporibus alia est à debilitate animæ, nam quemadmodum ibi debilitas est non valere opus proprium exequi, ac etiam facillimè pati, at materiæ mixtione anima fit debilis: ideò materia est causa animæ debilitatis. *Plotin. En. 1 lib 8. cap. 10.*

Debilitatem nullam significat in eo qui non venit ad deterius venire non posse ad deterius; & primi principii excellentiam potestatis demonstrat ad aliud nusquam accedere, dum non necessitate comprehenditur, sed necessitas est & lex omnium aliorum. *Plotin. En. 6. lib. 8. cap. 10.*

Debilius vim inferenti minus resistit. *idem, in Platon. Timæum, cap. 57.*

Debitum baud promissum indebitæ pollicitationi nemo debet præponere. *Leo Heb. de Am. dialog. 3.* Debitum non vocalis promissio, sed debitum solum potius tacitam quandam promissionem efficere valet. *idem, ibid.*

Decem quodammodo vniuersus est numerus, & numerorum vniuersalium origo, quatenus ex eo pullulant centum, mille, decem millia, mille millia. *Ficin. in Plato. de republica, dialog. 8 cap. 3.*

Decipi cupiens alium, & se non decipi, oportet vt similitudines, & dissimilitudines eorum quæ sunt exactè cognoscat. *Plato in phædro.* Decipiuntur facilè qui opinantur præter ea quæ sunt, & hæc affectatio per similitudinem quandam illis influxit. *idem, ibid.* Deceptio in his quæ parum differunt, magis contingit. *ibid.* Decipere seipsum maxima deceptio est, nam deceptor deceptum nūquam deserit, & qui falsa pro veris temerè persuadet, decipit se. *Ficin. in Phileb. lib. 1. cap. 14.*

Declarationum, quæ voce circa essentiam fiunt, duo sunt genera, nomen, & verbum. *Plato in Sophist.*

Decorum dicitur *dion*, quod si ita proferatur contrarium significat omnibus quæ ad bonum pertinent nominibus, sed si loco, *i*, sumas, vt restituas quod apud veteres erat *dion*, & non *dion* dicendum, nam hoc significat gubernans, & permeans, & vndique laudatum, quod vero detinet & ligat. id est *dion* vndique vstuperat. *Plato in Cratylo.*

Deco-

Decorum aliud est quàm pulchrum. *Plato in dial. de pulchro.*

Decorum personarum vbique seruat Plato, & quę quis tractauerat, cuique tribuit: Socrati moralia purgatoria, & conuersoria: Amoris sacri mysteria sacerdoti: physica, & mathematica Timæo, de ente Melisso Parmenidis sectatori. *Fic. in Plato Parmenidem, cap. 36.*

Decretum est institutum ciuile ad certum tempus respiciens. *Speusippus de Platon. definit.*

Dedali opera vbicunque quis ipsa poneret, non manebant. *Plato in dialogo, de Sancto.*

Defectus.

Defectus à proprio bono degenerans, in quo est potentia & procliuitas in malum aliquando cadens, deterior defectus est quàm simplex alicuius boni defectus. *Fic. in Plotino En. 1. lib. 8. cap. 4.* Defectus cognitionem ipsius tempore quidem præcedit, at cognitio rei deficientis defectu ipso quod ad præcipuam pertinet causam amoris, prior esse videtur. *Leo. Heb. de Amore, dialo. 3.*

Defectus altera quidem speciês defectus propriè, reliqua autem absoluta priuatio nuncupatur. *Leo Hebræus de Amore, dialog. 3.* Defectus in vniuersitatis serie inferioris, nonnullam quoque superioris imperfectionem, & vitium effectus causæ quoque nonnullam imbecillitatem significare haud immeritò quidem existimatur. *Idem, ibid. dial. 2.* Defectus nunquam infinitum est. *Proclus elem. Theol. propo. 94.*

Definitio.

Definitio prius illius rei, de qua sermo futurus est inuenienda est. *Plato in phædeo.*

Definiendi vis vniuersum & indiuiduum ex affinitate amplectitur, contra partiendi vis ex diuiduo propendit ad singularia. *Plutarch. in de animæ genitura è Timæo.* Definitione maximè comprehenditur rei substantia, quæ definitio constat genere, & differentiâ. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 8. cap. 4.*

Definitiones veras essentiarum non potest mens per accidentalia rerum simulachra fabricare, sed eas constituit per infusas ab origine rerum omnium rationes. *Fic. Platonica Theologia lib. 11 cap. 3.*

Definitiones ac naturarum scientias ad ideas existimat Plato pertinere.

Definitio non ad accidens aduentitium, non ad aliquid particulare, sed ad naturæ quiddam pertinet, & ad speciem multis ęquè communem, quæ communitas ad ideas pertinet. *Fic. in Platonis Parmenidem, cap. 34.*

Definitio demonstrationis est principium, & si non sunt ideæ, nulla erit definitio. *Fic. in Platonis Parmenidem, cap. 34.* Definitio cum constet ex genere & differentiis, definitionem præcedit diuisio generis per differentias. Item comparatio differentiæ vtriusque deinde reiectio alterius, & assumptio alterius *Idem, in Plato philob lib. 1. cap. 24.*

Definitio absque diuisione fieri nequit, per quam quę ipsius non sunt, separantur. *Fic. in Pla. soph.* Definiendo delinquimus quoties quid substantiale sit in rebus definitis, aspicimus in ea & adhibemus ea quæ sensibus nostris accurrunt, hæc enim omnia sunt accidentia, nam substantia non tam sensu percipitur, quàm ratione perquiritur. *Fic. in Platonis lib. 6. cap. 1.*

Definiendi verè facultas nusquam ab Aristotele tradita est, quanquam ipse de diffinitione multis in locis meminit. *Ioan. Francis. Picus Mirand. 1. in exam. van. doct. gen. lib. 5. ca. 7.* Definiendi ratio quę optima sit, & quo genere contineatur, scribit Trismegistus primo de anima de hoc dubium esse apud philosophos. *Idem, ibid.*

Definitio ignoratur quæ medium est in demonstratione: ergo & demonstratio ignoratur. *Io. Francis. Picus Mir. in examen. van. doct. gen. lib. 5 cap. 7.*

Definitio constat ex genere proximo, & vltima differentia, immo vt vult Arist. in septimo primæ philosophiæ constat solâ vltimâ differentiâ, quæ cum non habeatur, incerta est definitio *Idem, ibid.*

Definitionem hominis non tradidit Aristoteles cùm non sit vna definitio, animal rationale mortale bipes. *Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus in examen. van. doct. gen. lib. 5. cap. 8.* Definitio hominis si haberi nequit, multò minus aliorum, & si definire non possumus, ergo nec demonstrare possumus. *Idem, ibid.*

Definitio si haberi potest, ex Aristotelis regulis haberi non potest, non solùm ob difficultates ab Aristotele dictas, sed etiam ob sensus imbecillitatem. *Io. Fr. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 5. cap. 7.* Definitione ex omni bona hæc quatuor colligere debemus: primò vt quod quid est ipsius rei, cuius est definitio, optimè appareat: secundò vt omnes difficultates, quę rei definitæ contingere possunt, de medio tollantur: tertiò. vt proprietates rei inhærere declarentur: quartò, vt appareant difficultates rei definitæ contingentes. *Gabriel Buratellus de animæ natura, lib. 3.*

Definiendi ratio erat Platonis tempore obscurior, & paucioribus cognita. *Iacob. Carpen. in Alcinoï. cap. 5.*

Definitio, & definitum vnà semper conuertuntur. *Leo Hebræus de Amore. dialog. 3.*

Deforme & imperfectum, nihil se ipsum ornare potest. *Mar. Fic. in Plat. conu. or. 6. cap. 18.* Deformitas quidem corporeæ, pulchritudo autem spiritali incorporeæque naturæ verè propriéque conuenire videtur. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*

Defunctorum animæ vim quandam habent post mortẽ, qua humanarum rerum curam gerunt. *Plato de legibus. dial. 11.* Defunctis meriti honores reddendi sunt tanquam talia sentientibus, vt & omnes erga defunctos obseruant. *Plot. En. 4. lib. 7. cap. 15.*

Degeneratio est prauitas in natura, declinatio ab eo quod secundùm naturam, morbus, eius quod secundùm naturam. *Speusip. de Plat. defin.*

Deglutio fit, cùm aere oris, & ventriculi caua perpetuò sint plena, cum à lingua detrudetur cibus, intensis vnà tonsilis aer qui impelletur ad id quod cedit adhæret locum danti, & simul escam propellit. *Plutar. in question. Plato.*

Deificam vnionem præstat nobis obseruatio decens præceptorum operúmque diuinorum, quæ omnem excedunt intelligentiam, atque symbolorum, & sacramentorum potestas mira solis numinibus nota. *Iamblichus de mysteriis.*

Deinceps sunt inter quæ nihil est generis eiusdem. *Proclus elemen. philosoph. diff.*

Deitas.

Deitatem Theologi partim nomine carentem, partim ex omni nomine celebrant. Vt carentem nomine, cùm supremam diuinitatem aiunt, in vna quadam secretarum, & occultum aliquid significantium visionum apparentem more positam: at cùm ex omni nomine celebrant, omnia nomina dicunt quę sunt, & nullum eorum, quæ sunt. *Dionysius Areop. de diu. nominib.*

Deitatis excelsæ ipsum superessentiale, ipsam scilicet superbonitatis superessentiam, quicquid denique sit, neque vt rationem, vel potestatem, nec vt intellectum, aut vitam, vel essentiam, laudare fas est nullis ex his qui veritatis omni veritate superioris sunt amatores, vt segregatam excellentissimè ab omni habitu, vel motu, vitâ, imaginatione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentiâ, essentiâ, statu, firmatione, vnione, termino, infinitate, & vniuersaliter ab omnibus, quæ in ordine entium sunt, sed quoniam tanquam subsistentia bonitatis ipso suo esse entium omnium causa est, haud ab re excelsæ deitatis prouidentiam bonorum principium ex omnibus inde creatis laudare decet, quia circa ipsam omnia, & eius gratiâ, ipsaque est ante omnia, & in ipsa cũcta existunt: & eo ipso quod est ipsa vniuersa producta sunt, & subsistunt, ideò omnia appetunt hanc. *Dionysius Areop. de diu. nom.*

Deitati id sane commune & vnitum est & vnum toti, ipsam videlicet omnem totámque ab vno quoque participante sumi, & a nullo interim vlla ex parte percipi. *Dion. Areopa. de diu. nom.* Deitas est omnia prospiciens prouidentia, perfecta prouidens bonitate, & circum omnia currens, & continens, seque omnia replens, omnia denique supereminens, quæ illius prouidentia perfruuntur.

Deitas superior est quàm essentia, & de ipsa nihil audemus dicere vllâ ratione præter illa, quæ sacra eloquia diuinitus nobis aperuerunt. *Dion. Areop. de diuinis nominibus.*

Deitatem ad tria se extendere docet Plato, declarat Porphyrius; primò deus per se bonus, secundò secundùm opificem, tertiò anima mundi. Pana in veteri Theologia dicitur ipsum summum bonum, filius mens, spiritus anima mundi, idẽ enim sonant anima & spiritus. *Augustin. Steuch de perenni philosophia, lib. 2. cap. 2.*

Deitas ipsa super omnia, quæ vt vnitas & vt trinitas celebratur, nec vnitas, nec trinitas est à nobis, vel ab vllo cognita: verum vt ipsum vnione superius vnum, fœcunditatémque deificam reuera laudemus, perfectæ trinitatis, vnitatísque appellatione diuinâ deitatem ipsam, quæ est super omne nomen, cognominamus, & in ipsis entibus superessentialem celebrare solemus: nulla verò monas, nulla trinitas, nullus numerus, nulla fœcunditas, nulla vnitas, nil aliud quicquam existentium, vel alicui existentium cognoscibile arcanum illud aperit, quod super omnem rationem & intellectum existit

arcanum inquam super deitatis ipsius omnia super essentialiter excedentis: nec nomen est ipsius vllum, nec sermo, vel ratio, sed in ipso inaccessibili supereminet. *Fici. in Dion. Areop. de diuinis nomin.*

Delatores non temerè sunt auscultandi, fallunt enim sæpe numero, & per calumniam sæpe falsa deferunt, & principes ad iniustitiam impellunt. *Franciscus Patricius de regno, lib. 4. cap. 3.*

Delectatio, quæ τέρψις, ἀπὸ τοῦ τερπνοῦ, i. à iucundo dicitur. *Plat. in Cratylo.* Delectatio est voluptas suauitate auditus animum deliniens. *Fic. de voluptate, cap. 10.*

Deleri ea quæ quis diuturno studio in animum suum induxit, non tam sæpe facile est quàm oportet. *P. Bembus de imitatione ad Pic.*

Delitiæ in anima petulantiam generant, in anima morbum: at simplicitas in musicis in animis temperantiam, in gymnastica in corpore sanitatem. *Plato de Repub. dial 3.*

Delitiæ, & mollities vituperantur, quia in anima timiditatem inducunt *idem, ibid. dial 9.* Delitiæ morosos, & iracundos, & qui ex facili vehementer mouentur, iuuenum mores efficiunt: harum contrarium vehemens & ferox seruitus humiles, & illiberales, & homines odio habentes, & ita incommodos habitatores effici. *ibid. dial. 7.*

Delicta.

Delicta commissa cognoscenda sunt, vt erga alios mitiùs te exhibeas. *Dio. epistola prima.* Delicta paria non sunt, cùm mala & intendantur, & remittantur. *Alcinou, cap. 26.*

Delictorum grauium causæ tres à Platone assignantur, prima fragilitas consuetudine confirmata, secunda suggestio dæmontaca, tertia culpa ex antiquis & inexpurgatis peccatis, quæ originali culpæ simillima est. *Fic. in Platonem de legibus, dialogo nono.* Delictorum purgatorium nullum maius existimabant Ægyptiorum sacerdotes, quàm in corporibus humanis eadem animas quandoque pati quæ fecerint *idem, ibid.*

Delinquit nemo bonus vltro, sed per ignorantiam. *Plato in Gorgia.* Delinquere contra diuina nomina maximè cauendum est. *Fic. in Pla. Philebum, cap. 3.*

Delphis qui templum struxerunt Agamedes & Trophonius precati, vt quod optimum est, ipsis contingeret, cum obdormiuissent non amplius surrexerunt: idem argiuæ sacerdotis filiis contingit precari Iunonem, quandoquidem moram trahente iugo ipsi subeuntes ad templum perduxerunt, noctu è vita sublati sunt. *Plato in Axioc.*

Delphico in templo scriptum erat γνῶθι σεαυτόν, nosce teipsum, quasi Deo dicente, & alio in loco, quasi homines dicerent respondentes, tu es. *Augustinus Steuch. de perenni philosophia. lib. 3. cap. 7.*

Dementiæ duo sunt genera: alterum insania, alterum imperitia, & quacunque affectione quis affectus alterutrum horum generum habuerit, morbus appellandus est. *Plato in Timæo.*

Demens si quis morbo, aut senectute, aut morbi acerbitate sit, & res ea lateat omnes alios, præter simul habitantes, is rem familiarem perdat, filius autem ambigat, & cunctetur aduersus patrem dementiæ actionem instituere; primò legum custodes accedat, & patris calamitatem exponat, & illi considerent si iustè iudicium dictare oportet, si consulunt exhibeant accusatori testes, & causæ defensores, ille verò condemnatus reliquo tempore nullam potestatem habeat vel minimum quiddam suarum rerum gubernandi, sed velut filius, & puer per reliquam vitam habitet *Plato de leg. dial. 11.*

Demogorgon apud poetas supremum Deum significare consueuit. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.* Demogorgonis fabulæ allegoriâ rerum omnium generationem atque procreationem è summo creatore emanantem, atque ex prima materia prodeuntem eleganter admodum significat *idem, ibid.*

Demonstratio.

Demonstrationes, quæ fiunt per verisimilia decipiunt si quis non obseruet *Plato in Phædone.* Demonstratio philosopho conuenit. *idem, in Theætet.* Demonstratio est ratiocinatio vera, oratio ostendens aliquid per præcognita. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Demonstrare tantum est illius qui formam norit. *Syrianus in 2. metaphysic. cap. 6.*

Demonstratiua principia communes conceptus enuntiant esse, non vt disponunt nos, aut ad actiones mouent, omnia enim finem suum appetunt ex communi conceptu, quem vbi homines non assequuntur, & ex se ipsis potiri minimè valent, confugiunt ad diuina, à quibus moti, scire appetant naturâ, sed vt ad demonstrationes ipsis vtuntur dignitates appellantes, quia sic apud omnes vsum præstant. *Syrian. 2. Metaphysic. cap. 6.*

Demonstrationum principia sunt non particularia, sed vniuersalia semper, & quæ naturâ priora sunt. *Ficin. in Plato. Parmenide. cap. 34.* Demonstratio est aut causæ supponendo effectum aut effectus causam præponendo, aut paria paribus apponendo. In primo gradu est demonstratio à priori perfecta: in secundo à posteriori imperfecta, in tertio à pari imperfectissima scilicet inductio, quæ quamuis nobis sit manifestior, iure tamen est imperfectior, cùm idē quasi declaret per idē *idem, in Plat. Phileb.*

Demonstratio frustra diuiditur in propter quid, & quia, cùm omnis à sensu prodeat, nec vna sit certior alterâ, cùm non alio nitatur fundamento, quàm sensu. *Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus in exam. van doct. gen. lib. 5. cap. 11.*

Demonstrationes mathematicæ sunt in primo gradu certitudinis, post has naturales, *Gabr. Buratellus de ideis, lib. 1.*

Demonstrationis philosophicæ distinctio, à populari argumentatione, quam tractat Aristoteles in Analytica arte, extat apud Platonem in Menone, vbi agitur de statuis Dędali volitantibus, & de duplici methodo tum exactè, tum popularius tractat in Timæo. *Iacob. Carp. in Alcinoi præfatione.*

Demonstrationem vbi Aristoteles ait ducere initium ex aliqua antecedente cognitione parta hoc ad ambiguitatem Menonis pertinet, & ad euertendam reminiscentiam superioris vitæ quam Socrates apud Platonem inducit. *idem ibid.*

Demosthenes semper ante speculum quasi ante magistrum causas meditabatur. *Apul. Apologia prima.* Demosthenes audito Platone cum Xenocrate de animorum immortalitate disputante, dixit, malè se honestè mori, quàm turpiter viuere. *Fic. in Plat. de repub. dial. 10.*

Densitudo conuenit auro quod aqua est. *Plotin. En. 2. li. 1. ca. 6.*

Dentes cui rari sunt, is minus cibum terit, quàm concoctioni sit satis, inde cruditas, inde mors: rara enim corporis humani textura, & minus compacta elementorum coitio in causa sunt, vt rari dentes euadant, qui ex materia seminali, & cerebro originem trahunt. *Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus de prænotione, lib. 6 cap. 2.*

Depositum, quod quis non deposuit neque aliquis patrum, non cum venia eius qui deposuit, sustulerit, optimam legem, & non ignobilis viri admonitionem contemnens, qui dixit: quæ non deposuisti non tollas, & alia quæ ait, ad successionem liberorum talia non sunt commoda: qui liberos non curat, & duos hos legislatores contempsit, & non exiguum quiddam, quod ipse non deposuit sustulit, sed ingentem quendam thesaurum, si in vrbe hoc cōtigerit, vrbis curatoribus; si in reliqua regione, agrorum curatoribus, & horum principibus, denunciet qui primus conspexit, sic manifesta ciuitas ad Delphos mittat, quicquid Deus, & de pecuniis, & de eo, qui ipsas amouit responderit, hoc ciuitas oraculis Dei obsequens faciat, & si liber fuerit, qui indicauit in virtutis opinionem veniat, si contra vitij signatus non denunciarit; si seruus denunciarit, liber fiat à ciuitate, ita vt domino pretium ipsius soluat, si non indicauerit, morte plectatur. *Plato de legibus, dialog. 11.* Depositum est tributio cum fide. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Descriptione communi omnibus notâ prius Plato positâ diuidit rem; ex hac diuisione diffinit; deinde diffinitione diuisionem distinctius iudicandam, & rei vim, & qualitatem certius demonstrandam monet. *Fic. in Plato Phileb. cap. 13.* Descriptiones fiunt per communes affectiones vel per proprias. *Iacobus Carp. in Alcinoi cap. 7.*

Desiderium.

Desiderium ἵμερος à fluxu animam trahente nominatus est: cupiens enim fluit, & sic animam vehementer trahit, sed & πόθος appellatur, quæ significatio non præsentis desiderij, ac fluxus est sed eius quod alibi est, & abest. *Plat. in Cratylo.* Desiderium intelligentiam procreauit, eámque sedulo comitatur, *Plot. En 5. lib. 6. cap. 5.* Desiderium est voluntatis inclinatio in conueniens bonum. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. ca. 37.*

Desiderandum summè est summum bonum, & post ipsum desiderāda sunt, quæ magis bona, & magis bona sunt quæ nos illi summo bono coniungunt, quod est Deus. *Ioan. Pic. Mir. in or. Dominicam.* Desiderare, & petere debemus à Deo amorē suum purum cū perfecta humilitate. *idem, ibi.*

Desiderium animatis, appetitus inanimatis conuenit. *idem, in materia prima. ca. 4.* Desiderium amoris comitem faciunt Stoici, & dicunt eum esse immoderatam quandam cupiditatem rei affectatæ. *Franc. Patr. de Regno. lib. 4. cap. 12.*

Desiderium ac amor rei essentiam sibi requirunt. *Leo Heb. de Amore, dialogo 1.*

Desiderium est voluntarius quidam affectus, vt res, quæ bona existimatur, & deest, vel existat, vel à nobis possideatur. *idem, ibid.*

Desiderium semper est earum rerum, quæ desunt. *ibid.*

Desiderium iucundorum appetitio nuncupatur. *ibid.*

Desiderium vtilium ambitio, aut cupiditas appellatur. *ibid.*

Desiderium, & amor dominandi tum vtilitatem tum etiam iucunditatem participat. *ibid.*

Desiderium ac amor est medium quoddam nos ab imperfecta seiunctáque ad perfectam copulatámque cognitionem traducens. *ibid.*

Desiderium, & amor in vnum conuenire optimè possunt. *Leo Hebræus de Amore, dialog. 1.* Desiderium ac amor felicissimam illam hominis cum Deo copulationem tum antecedere tum subsequi optimè potest, diuersa tamen ratione. *idem, ibid.* Desideria ac amores pro iudiciorum diuersitate diuersi quoque multiplicésque redduntur. *ibid.*

Desideria quadripartitam diuisionem non secus, ac voluptates ipsæ expetitæ, suscipere existimantur. *Leo Hebr. de Amor. dialog. 3.* Desiderij ac amoris plures differentiæ, résque gradus sunt, quorum vnus alteri statim succedit. *idem, ibid.* Desiderij cuiuscunque finis in voluptate cōsistit. *ibid.* Desiderio non fuga quidem, sed voluntatis potius alienatio propriè veréque opponi videtur. *ibid.*

Desiderium, & amor, contrarij inter sese voluntatis affectus esse videntur. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Desiderium ac amor rei cognitionem sub specie boni necessariò supponunt. *idem, ibid.* Desiderium quasi genus quoddam, & amorem, & sensibilem appetitum tanquam duas varias species ac differentes ambitu suo complectitur. *idem, Dial. 3.* Desiderium via quædam nos ab imperfecta seiunctáque ad absolutam coniunctámque cognitionem perducens esse definitur. *ibid.*

Desiderium, & amor, diuersis quibusdam definitionibus designari consueuerunt. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Desiderium, & amor, reipsa eadem penitus esse comperiũtur. *idem, ibid.* Desiderium amor cum re amata absolutissimæ coniunctionis assequendæ existere definitur. *ibid.*

Desiderium non secus ac amor aliquem existendi modum supponit. *ibid.*

Desperatio omnium perturbationum est deterrima, & est animi ægritudo sine vlla rerum meliorum expectatione. *Fran. Patri. de regno. lib. 5. cap. 22.*

De vno ipso differt tractare, à tractatione circa ipsum vnũ: nam de vno facilè possunt tractare ingeniosi, siue affirmando, siue negando, tametsi tutiùs negare liceat; sed circa ipsum vnum nemo, aut vllo modo affirmat quicquam aut exactè negat: si quis enim circa ipsum meditaretur, consequeretur iam, & attingeret illud, quod nemini contingit. *Fic. in Plato. Parme. cap. 37.*

Deus quid sit, & quos deos antiqui esse opinati sunt.

Deus est tutor Socratis. *Plato in Alcib. primo.* Deus bonus est reuera *idem, de rep. dial. 2.* Deus semper pulcherrimus & optimus quantum fieri potest, manet simpliciter in sua forma. *ibid.* Deus cùm optimus sit, non mutatur in multas formas. *ibid.* Deus qui bonus est, causa malorum non est, nec permittendum in ciuitate bene instituta aliquem nec metro, nec sine, nec iuuenis, nec senex cùm sit, dicere; & hæc sit vna ex legibus circa Deos. *ibid.*

Deus est simplex, & verus, & in opere, & in sermone, & neque ipse transmutatur, neque alios decipit, neque per spectra, neque per sermones, neque per signorum pompas, neque re verâ, neque per somnium. *Plato de republica dialo. 2.* Deus, & ipsa vita species apud omnes io confesso est quòd nunquam pereat *idem in Phadone.*

Deus est, per quem viuere omnibus viuentibus contingit. *idem in Cratylo.*

Deos primi homines Græci hos solos putauerunt quos & nunc barbari multi deos habent, Solem, Lunam, astra, Terram, & Cœlum, quæ quum perpetuo motu progrederentur, ac currentes viderentur ἀπὸ τοῦ θεῖν deos, id est, θεοὺς appellauerunt: postea cùm alios cognouissent, eodem appellarunt nomine *Plato in Cratylo.* Deus iustissimus est, & nil aliud est ipsi similius, quàm qui ex nobis iustissimus est. *idem in Theateto.*

Dei filij Cœli & Terræ sunt Oceanus, & Thetis, ex his Phorcys, & Saturnus, & Rhea, & horum fratres, ex Saturno & Rhea Iupiter, & Luna, & omnes, quos fratres ipsorũ dici scimus, & alios horum filios. *Plato in Timeo.* Dei deorum immortales non sunt, nec penitus indissolubiles, non tamen soluentur, nec mortis sortem sequentur, cùm Dei voluntas malus adhuc & præstantius vinculum contigerit, quàm illa quibus quando producebar, ligati erant. *idem, ibidem.*

Deus nobis maximè omnium rerum est mensura. *Plato de leg. dial. 4.* Deorum leges antiquæ apud omnes bifariam positæ sunt; alios enim deos clarè videntes colimus, aliorum verò imagines, & statuas collocamus, easque etiamsi inanimatæ sint animatos illos esse deos putamus, & illos nobis illas colentibus ob id multam beneuolentiam & gratiam habere arbitramur. *idem, de leg. dial. 11.*

Deos, qui videri possunt, maximos, & honoratissimos, & acutissimè videntes vbique primos censere oportet ipsam astrorum naturam, & quæ cum his facta esse sentimus; post hos, & sub his deinceps dæmones genus aereum, quod tertiam ac mediam sedem obtinet, & interpretationis causa est, precationibus valdè colere oportet commodæ progressionis causâ. Hos autem animalium alterũ ex æthere, alterum ex aere non totum videri posse dicimus, & quàm propè adsit, manifestum nobis non fieri, sed sapientiâ admirandâ participare, vt quæ generis docilis, & memores sint, & cognoscere omnem nostram cogitationem, & bonos ex nobis mirificè amplecti, & vehementer malos odio habere, vt quæ cum dolore participent: at quintum ex aqua genus rectè quis semideum appellarit, quod modò videtur, modò occultatur. *Plato in leg. appendic.*

Deus nullum ex corporeis est, horum tamen vt sit causa præsens quidem cunctis est, etiam vnicuique, nec quicquam permittit non esse. *Mercury Trismegisti Pimander cap. 2.*

Deus non est mens, at vt sit mens est causa, non spiritus, sed causa vt sit spiritus, non lumen, sed causa vt sit lumen, bonum ipsum est, & nullum bonum nisi ipsum, reliqua ab ipsa boni natura separata sunt, solus Deus bonus est: caue ne dixeris aliud quicquam bonum, profanus enim esset hic error, nec aliud quicquam dixeris Deum nisi solum bonum, in eandem impietatem incideres *idem, ibid.*

Deus solus bonus est suâ naturâ. *Trismegisti Pimander, cap. 1.*

Deus gloria omnium, diuinum, diuina natura, principium vniuersorum, Deus, mens, natura, actus, necessitas, finis, renouatio. *idem, ibid. cap. 3.* Deum patrem vnicum, vnum, & à quo vnus, piis precibus obsecrare debes, vt sis ipsius misericordiæ dignus, & sic tantùm Deum percipere poteris, si vel vnus illius duntaxat radius intelligentiæ tuæ benignè refulserit, sola enim intellectio latens latentia perspicit, itáque si mentis oculis inspexeris, ille tibi (crede mihi) patebit. *ibid. cap. 5.*

Dei essentia (si essentiam deus vllam habet) est ipsum bonum. *Trism. Pimander. cap. 6.* Dei via vna sola, est Pietas cognitioni coniuncta. *idem, ibid.* Dei radij actus suoi, mundi radij sunt naturæ, hominis radij artes & scientiæ. *ibid. cap. 10.* Deus est æternitatis anima, æternitas est anima mundi, cœlum est terræ anima. *cap. 11.*

Dei actio potestas insuperabilis est, cum qua nec humanam, nec diuinam comparare quis potest, nil Deo simile, ipse enim solus & vnus est; Deus non est ociosus, ipso enim omnia plena. *Trismegisti Pimande. cap. 11.* Dei sapientia est bonum, pulchrum, beatitudo, omnis virtus, æuum: vnde immortalitatem præstat æuum, perseuerantiam materiæ tradens. *idem, ibid.* Dei imago est æuum, æui mundus, mundi Sol, Solis homo. *ibid. cap. 12.* Dei membra sunt vita, immortalitas, necessitas, prouidentia, natura, anima, mens, nec quicquam factum est vbi Deus ipse non est *ibid.*

Deus sensibilis est cœlum, administrator omnium corporum, quorum augmenta & decrementa, Sol & Luna sortiti sunt: Cœli verò & ipsius animæ, & omnium, quæ in mundo sunt, ipse gubernator est, qui omnium effector est Deus, à quo frequens fertur influxio. *Trismegisti Asclepius, cap. 1.* Deorum genera multa sunt, corúmque omnium pars intelligibilis, alia verò sensibilis pars. Intelligibiles dicuntur, non ideò quod putentur non subiacere sensib. nostris, magis enim sentimus hos quàm eos, quos visibiles nuncupamus. *idem, ibid. cap. 8.*

Deus solus in se, & à se, & circum se totus est plenus, & perfectus, isque sua firma stabilitas est, nec alicuius impulsu, nec loco moueri potest, cùm in eo sint omnia, & in omnibus ille sit solus; nisi aliquis audeat dicere, sui commotionem in æternitate esse: sed magis etiam & ipsa æternitas immobilis, in quam omnium temporum agitatio remeat, & ex qua omnium temporum agitatio sumit exordium: Deus igitur stabilis fuit, sempérq, cum eo similiter æternitas consistit, mundum

intra se habens, cuius imago est sensibilis hic mundus. *Trismegisti Asclepius, cap. 11.*

Deus est lumen, antiquior quàm natura humida, quę ex vmbra effulsit; mentis germen lucens, Dei filius. cogita quod in te videt, & audit verbum Domini, mens autem pater Deus, nec distant ad inuicem, horum vnio vitæ est. *Trismegisti Pimander, cap. 1.*

Deus mens vtriusque sexus fœcunditate plenissimus vita, & lux, cum verbo suo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, & spiritus numen. Septem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis mundum sensibilem complectuntur, & eorum dispositio fatum vocatur. Connexuit inde Dei verbum ex elementis deorsum tendentibus purum naturæ artificium, vnitúmque est opifici menti, consubstantiale enim erat: relicta sunt naturæ elementa deorsum cadentia sine ratione, vt sint tanquam sola materies. Mens opifex vnà cum verbo circulos continens ac celeri rapacitate conuertens, suam ad se machinam flectens eam volui à principio ad finem absque fine præcepit. incipit enim semper illic vbi desinit. Horum cunctorum circuitus, vt ipsa mens voluit, ex elementis inferioribus animalia conflauit ratione carentia: aer volatilia, aqua natantia protulit: & terra, & aqua distincta sunt vt menti placuit; Terra postmodum animalia, quæ intus habuerat, peperit, quadrupeda, serpentia, fera, agrestia, & domestica. *Trismegisti Pimander, cap. 1.*

Deus est ipsa diuinitas, dico nunc, non quod genitum videlicet, quia ingenitum: si ergo diuinum sit, essentia est, si Deus, est super essentiam. *Trismegisti Pimander, cap. 2.*

Deus primus intelligibilis est non sibi, sed nobis: nam intelligibile per sensum intelligenti subincidit. Deus itaque non est sibi intelligibilis, non enim aliud quiddam existens, præter id quod intelligitur à seipso, est tamen differens quiddam à nobis, ideò à nobis intelligitur. Quod si intelligibilis λόγος, non Deus, & si Deus, non vt λόγος verbis tanquam discretus dicatur. *idem, ibidem.*

Deus est causarum omnium auctor ratione qua eas produxit ex nihilo, & est causa quòd existant & quod causent. *Arist. Theol. Ægyptia lib. 3. cap. 2.* Deus est ens bonum absolutum, & vnum, ideò facit res existere nouans ipsarum formam, & vt actus vnus absolutus speculatur essentiam suam, & agit momento *idem, ibid. cap. 4.*

Deus est ens primum prioritate creationis. *idem, ibid. lib. 10. cap. 2.* Deus cùm sit summè vnus, creat multa alia entia altiori modo. *ibid. cap. 19.*

Deus appellatur lux, quia essentiam eius, qualis ipsa sit, nescimus detegere, anima enim nostra infima est omnium creaturarum intelligibilium. *Arist. Theol. Ægypt. lib. 11. cap. 4.* Deus est vnus vnitate abstractissimâ, & vnus intelligitur non ex eo tantùm quia non numeretur aliqua specie numeri, sed quoniam non adiungitur ei aliquid extraneum ipsi essentiæ, existitque abstractus ab omni pluralitate, & multiplicatione numerali, qualitercunque contingente creaturæ. *idem, ibidem lib. 13. cap. 5.*

Deus viuens immortalis est, per seipsum ad beatitudinem sufficiens, esse otia sempiterna, ipsius boni causa. *Speusippus de Platonis definitionib.*

Deo nihil est similius, nil gratius, quàm vir animo perfectè bonus, qui tam hominibus cæteris antecellit, quàm ipse à diis immortalibus distat. *Apuleius de Deo Socratis.*

Deum incorporeum esse sentit Plato, vnum rerum omniũ creatorem, beatum, beatificum, optimum, nihilo indigẽtem, cuncta conferentem. *idem, de leg. Platonis, lib. 1.*

Deus est originis non habens auctorem; est salus earum rerum quas efficit, nec vlla res est tam præstantibus viribus, quæ viduata Dei auxilio fultura contenta sit. *Apul. de mundo.* Dei voluntas est summa perfectio, cùm voluisse, & perfecisse vno eodémque temporis puncto complet. *Eiusd. Asclepius.* Deorum genera multa sunt: eorum omnium pars intelligibilis dicitur, alia sensibilis. *ibid.* Deus est primordium omnium, quæ sunt. *ibid.*

Deus bonum ipsum est, vt sacra traduut eloquia; ex quo subsistunt omnia, & velut à causa perfectissima omnia producta sunt, & in quo omnia constant vt ad suum finem, quod cuncta desiderant intellectualia, rationaliáque cognitrice quadam conditione, sensualia sensuali, quæ sensu carent, ingenito desiderij vitalis motu, & quæ sunt vitæ expertia, soláque essentiâ prædita, sola quadam ad essentialem participantiam aptitudine. Eadem & euidentis imaginis ratione lumen quoque congregat, & conuertit ad seipsum omnia, quæ videntur, quæ mouentur, quæ illuminantur, quæ calefiunt, & quæ ab eius radiis continentur. *Dionys. Areopag. de diuinis nominib.*

Deum sacra eloquia dicunt, quod erat, & est, & erit, cùm factum est, fit, & fiet: quæ omnia significant per omnem intelligentiam superessentialiter esse, & omnium quomodolibet esse principium. Imo Deus non hoc est, hoc non est, nec hic quidem & ita est, ibi verò & aliter minimè: sed est simpliciter omnia vt omnium causa, & omnia in se principia, omnes conclusiones, & terminos rerum omnium continens, & ante habens, & super omnia est, vt qui ante omnia præest mirabili super essentiam ratione. Quamobrem de illo simul omnia prædicantur, nec est aliquid omnium, omnem figuram, & speciem possidens, interim ab omni forma, & pulchritudine segregatus, principia, media, & fines rerum absolutè præcipuéque anticipans in seipso, omnibus essendi munus per vnam supremam & simplicem causam sincerissimè superlustrans. *Dionysius Areopagita de diuinis nominibus.*

Dei ratio est simplex, & verè existens veritas, circa quam vt puram, & nusquam aberrantem vniuersorum cognitionem fides diuina consistit, stabile credentium firmamentum, qua hos in veritate collocat, & in ipsis collocat veritatem identitate quadam, nunquam dissuasibili simplicem veritatis cognitionem habentibus qui eam crediderunt. *Dion. Areo. de diuin. nomin.* Dei latitudo est amplissima per omnia processio, longitudo, potestas desuper tota quælibet penetrans, profundum incomprehensibile secretum illud prorsus ignotum. *idem, ibidem.*

Deorum genus est passionis expers: dæmonibus passiones adiungimus, dicentes sempiternos esse sequenti post Deos gradu, & hominibus propinquos, mediósque inter deorum & hominum genus. *Plotin. En. 3. lib. 5. cap. 6.*

Deus est simplex, est primum, ab eo omnia profluunt, ab eo motus primus exoritur, nec tamen est in eo, ab eo status: quoniam ipse nihilo indiget, nec mouetur, nec quiescit, nec definitus est, nec sic infinitus, vt immensa moles solet excitari. *idem, En. 5. lib. 5. cap. 10.*

Deus se ipso suam habet dignitatem, & ante intelligentiam perfectus est, nec perficitur intelligendo, sufficit enim & aliis & sibi dum ipse hoc ipsum quod est existit. *Plot. En. 9. lib. 7. cap. 36.* Deus non indiget vt verbum Est de ipso prædicetur, sed tantum ei conuenit ipsum Est quantum significat ipsum quod est, & bonum dicimus non aliquid assignantes illi, sed quoniam ipsum existit bonum. *idem, En. 6. lib. 7. cap. 36.* Deo nil aliud est quàm simplex intuitus ad seipsum, quod nihil aliud est quàm ipsum mer, *ibid. cap. 37.*

Deus est causa omnium entium, & circa illum omnia ponenda sunt, & omnia illum appetunt, qui ab omnibus est diuersus, cum nec quicquam omnium quæ illis conueniunt, ipse habeat. Ideò vt intellectus inest: & cum tertia id est quæ ad animam pertinent subnectantur ad mentẽ, & mens redigatur ad bonũ, ita omnia certis gradibus ad ipsum reducuntur, alia proximè, alia proximis adhærentia, sed inter omnia longissimè ab eo sensibilia distãt, quę ad animam continuè referuntur. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 42.*

Deus est ipsiusmet voluntas, semetipsum enim vult quoniã nec erat aliud quod potius traheretur, & aliorum nullum in essentia sua rationem sibi placendi comprehendit, & nihil sibi ipsi displicere, nec nocere potest: & in ipsius substantia electionem sui ipsius, & voluntatem continerì necessarium est, & cùm voluntas sit à seipso, ac velut sipsius opus, hoc autem idem ac eius substantia est, profectò sic ipse se in actutum edidit existendi, ideò est quod vult. *Plotin. En. 6 lib 8. cap. 13.*

Deus idem est & amabile, & amor, vt qui non aliter quàm à se ipso, & in seipso pulcher existit, & in eo appetitus, & essentia sunt idem, ergo Deus seipsum facit, & sui existit dominus, nec sic est factus, vt aliud quicquam voluerit, sed vt ipse vult, & eum ab omni segregamus conditione. *Ploton. Enn. 6. lib 8. cap. 5.* Deus essentiæ principium est, nec ille sibi ipsi fecit, sed hanc factam dimisit extra seipsum, vt qui ipso esse non egeat, qui sané ipsum effecit, nec secundùm id quod est facit hoc ipsum quod Est appellatur. *idem, En. 6. lib. 8. cap. 19.*

Deus est potissima potestas, cum ab ipso quod est vnum nullo modo digrediatur, nam & opposita posse infirmitatis est, omnino potentis in optimo permanere. *Plot. En. 6. lib. 8. cap. 21.* Deus ipse principiò ipsa voluntas existit, & ita erat vt voluit, & quale voluit, & in Deo voluntas nil amplius genuit, hoc namque iam erat. *idem, ibid.*

Dijs,

Dijs, qui intra cœlum sunt, vt Soli, & Lunæ, ignem sacrare possumus: nam animatum nullum sacrificandum est, sed vsque ad farinam, mel, terræque fructus, & flores. *Porphyrius de sacrificiis.* Deum vnum principem, & omnium patrem existere omnes gentes sentiunt, cui multi alij deorúmque filij in principatus administratione operam nauant. *Max. Tyrius in ser. 1.*

Dij cœlestes dici incorporei possunt, quoniam eis ad suam excellentiorem actionem, & vitæ fœlicitatem nihil à corporibus impedimenti contingit. Sed quatenus dij ad vnum ipsum tendunt, corpora sponte contendunt eodem, neque continent animas, sed excellentissimè continentur. *Iamblicus de mysteriis.* Dij non secundum rationem intellectus ipsius, sed vnitatis, & intelligibilis obiecti ritè definiuntur. *Idem, ibid.*

Dij mundani, qui & intellectuales species nominantur, inter se vniti sunt, tum quia cuncti idem exemplar, in quo sunt species intelligibiles, conuertuntur, tum quia exemplar illud in quolibet Deo immundano viget vbique totum: & sunt in se inuicem & suis ideis, tum quia sunt ab vno, & referuntur in vnum, tum quia diuina vnitas vbiq; præualens vnit eos; tum quia procedunt inter se, & conuertuntur, mutuóque accipiunt. *Iamblichus de mysteriis.*

Dij cœlestes inuisibilibus diis penitus sunt vniti, tum quia cœlestes animæ sunt extra corpora, tum quia dij superiores, id est ideæ, vnitatem infinitam habent, prout omnes sunt in quolibet, per quam vnitatem sibi & inter se Deos sequentes vniunt. *Iamblichus de mysteriis.*

Dij omnes cùm definiantur per vnitatem, vna communis vnitas dilatatur in omnes, per quam sunt vnum actu cunctorum vno ad vnum prorsus obiectum, & principium, atque finem, in eodem omnes puncto atque momento simul. *Idem, ibid.*

Dij sunt architecti, dæmones ministri. *ibid.*

Deos alios materiales, alios immateriales ponimus: materiales, qui materiam in se comprehendunt, & exornant: immateriales, qui à materia penitus segregati sunt. Secundùm igitur sacerdotium artem à materialibus ad immaterialia ascendendum est, non enim aliter datur ad immateriales ascensus: ideò materialibus deis non propter ipsos, sed propter materiam competunt materialia: immaterialibus verò dijs materiam in sacrificiis adhibere est alienum. Et nos aliquando toti terreni sumus, aliquando extra corpus positi, & mente eleuati. Similiter duplex est cultus diuini ratio: vna simplex incorporea, ab omni generatione sincera, sinceris competens animalibus, altera plena corporibus, & actione prorsus materiali conueniens animalibus nondum puris, nedum ab omni generatione purgatis. *Iamblichus de mysteriis.*

Deum post primum secundùm alium ordinem proponit Emeph, diis cœlestibus tanquam ducem, quem ait intellectum seipsum intelligentem esse, atque in se intelligentias conuertentem: huic vnum impartibile anteponit, quod appellat primum exemplar, aut expressionem, aut effigiem quod Icthon appellat: in quo est primum intelligens, & intelligibile primum, quod solo silentio colitur: præter hos autem rerum apparentium opificio alij duces præsunt. *Iamb. de mysteriis.*

Deus primus ante ens solus pater est primi Dei, quem gignit manens in vnitate sua solitaria: atque id est superintelligibile, éstque exemplar ipsius, quod dicitur, sui pater, sui filius, vni pater, & Deus verè bonus. Ille enim maior, & primus, & fons omnium, & radix eorum, quæ prima intelliguntur, & intelligunt, id est idearum. Ab hoc vno Deus per se sufficiens se ipsum explicauit, ideóq; dicitur per se sufficiens sui pater, per se princeps, est enim hic principium, Deus deorum, vnitas ex vno super essentiam, essentiæ principium, ab eo enim essentia; propterea pater essentiæ nominatur. *Iamblic. de myste.*

Deorum multitudo non est infinita. *Proclus elem. Theol. prop. 149.* Deus omnis vnitas est per se perfecta & omnis per se perfecta vnitas Deus. *Idem, ibid. prop. 114.* Deus omnis superessentialis est, & supervitalis, & supermortalis. *ibidem. propo. 115.* Deus omnis participabilis est, præter vnum. *propositio. 116.* Deus omnis mensuræ est contentiuum. *prop. 117.*

Deus omnis secundùm superessentialitatem, & bonitatem subsistit, & est bonus. *Proclus element. Theologic. propositione 119.* Deus omnis vniuersalior est, qui vni vicinior est: particularior verò qui longinquior. *Idem, ibidem. propositio. 126.* Deus omnis vnitas est benefica, vel bonitas vnifica: sed primi simul simpliciter ipsum bonum est & simpliciter vnum: eorum verò, qui post primum sunt, vnusquisque quædam bonitas est & quædam vnitas. *prop. 133.* Dij alij ignei, alij cœlestes, alij ætherei, alij terreni. *Idem, in Alcibiadem 1.*

Deus si corpus esset, ex materia & specie constaret, cùm corpus omne ex materia & specie constet, quod idearum simile redditur, dum illis quadam ratione participat; at absurdum est ex materia & specie constare, non enim simplex esset nec principium, ergo incorporeus est. *Alcinous cap. 10.* Deus si corpus est, è materia constat; ideò vel ignis vel aer, vel terra, vel aqua, vel aliquod ex his conflatum: ac quocunque modo se habet, non est principium, eritque materiâ posterior, si quidem ex materia cõstatur, quæ quoniam nefaria sunt est ergo Deus incorporeus. *Idem, ibid.* Deus si corpus est corrumpi potest, genitúsque est & mutationi subiectus: at horum nihil in Deum cadit. *ibid.*

Deum quæsierunt prisci quomodo cognoscimus: ex mundo & partibus eius, & harum enatis viribus Deum vt causam animaduertimus: at alius est modus noscendi Deum emergens supra creata omnia manifesta, increatum contemplando. *Philo in leg. alleg. lib. 2.* Deus solus ciuis est, creatura omnis aduena. *Idem, de Cherubim.* Dijs mundanis lapis hic vel herba hæc congruit, ita vt quasi compatiens naturæ cædit & fascinatur. *Synesius de somniis.* Deus, & pater omnium & creator à Platone nuncupatur; cum mundo est portio ei larga vitalitatis, & diuinitatis, quem ex se Deus infudit materiæ, & cum ea confudit. *Plut. Platonica quæstiones.*

Deus est perspicacissima veritas & verissima perspicacia, siue perfectio, sua ipsa videns, visus seipso lucens, intellectualis perspicaciæ luminisque fons, cuius lumine, & cuius lumen duntaxat mentis perspicacia perspicit; mentisque Deus est efficacissima origo. *Ficin. Platonica Theologia lib. 1. cap. 6.* Dij plures non sunt, quia nequeunt plura esse principia. *Idem, ibid. lib. 2. ca. 2.* Deus vnus solus est, *ibid.* Deum semper esse nemo dubitare potest, quando Deus est ipsum semper, imò sempiternitas ipsa est ipse Deus; & quæ sempiterna dicuntur illa sunt propriè quæ Deus propagat per se ipsum, & in se ipsum. *ibid. cap. 5.*

Deus si est summa veritas, & sine veritate esse potest nihil quomodo erit quicquam, nisi & reuera sit id, quod esse dicitur, & vnum sit ipsum esse a quo cuncta proficiscuntur? *Fic. Plato. Theolog. li. 2. ca. 7.* Deus est vniformis, quia super omnium formas existit, immo omniformis, quia forma tor est omnium. *Idem, ibid. cap. 11.* Deus solus ita per se existit, vt per nullam sit causam, quocirca omnino per se est, quia excludit omnino à se quatuor causarum genera. *ibid. lib. 5. cap. 5.*

Deus verè bonum est, angelus imago quædam bonitatis, sed intellectus est verus, anima rationalis imago intellectus, anima vera; irrationalis anima, imago animæ, natura vera, qualitas quæ diuiditur in materia, naturæ est imago, verum naturalium agentium instrumentum. *Fic. Pla. Theol. lib. 5. cap. 14.* Deus est actus huius author existentium, perque actionis excessum prius, vehementius, diutius mouet mouentem, quàm reliqua quæ offeruntur, imò eius virtute reliqua mouent mouentem. *Idem Platonica Theologia lib. 15. cap. 6.*

Dei essentia, si essentia nominanda est, principium, medium, & finis est non specialium tantùm principiorum, sed etiã singularium sub qualibet specie peruagantium, ideò cuncta seorsum & genera & species & singula intuetur, cunctorum enim est origo & exemplar; & cùm nihil in se habeat materiæ simile, quæ obumbrare solet cognitionem, lux est, perspicacia summa, ideò per suam essentiam singula perspicit. *Fic. Plat. Theol. lib. 16. cap. 1.*

Deus est clarissima & certissima veritas, omnium fons riuorum, verissime claritas claritatum, bonitas infinita, quæ dum seipsa gaudet bonis innumeris gaudet, gaudiũ quoque immensum seipso bonum, perque seipsum faciens vt alia bona sint, quibus gaudere quis possit; & non separamus claritatem à gaudio: est itaque claritas gaudens, gaudiumque clarum seipso. *Ficin. in epistolis lib. 2.*

Deus qui est proxima mentium causa, summa ipsa est certitudo, & sempiternum gaudium, ac supremum, *Ibid.*

Deus ipse est quicquid est in Deo: idearum series, quam in Deo intellexisti, diuina ipsa sapientia est, quæ verbũ Dei est apud Deum, atque ipse Deus, perque ipsum facta sunt omnia: ideò & ipse Deus reperitur in omnibus, & omnia reperiuntur in ipso. *Fic. epi. lib 2.*

Deus est lux absque qualitate optima & potentissima, cuius

calorem voluntate priùs, certiúsque & vehementiùs experimur, quàm intelligentiam lumen. *Ibid.*

Deus est ratio rationum, fons, rerúmque artifex omnium, forma vniformis, & omniformis, substantia immobilis omnia mouens, in motu status, in tempore æternitas, in loco continens, in summis profunditas, summitas in profundis, in multitudine vnitas, in debilitate potestas, natura fœcundissima naturarum, fœcunditas fœcundissima naturalissima æterna, viuentium vitarum vita sensus sensibilium, lumen & sensuum perspicacia, sensus medullas sensibilium in corticibus sentiens, cortices in medullis, intelligentia talis, vt & ipsa rerum intelligendarum bonitas sic & intellectus cuiuslibet veritas & gaudium voluntatis. *Fic. epi. lib. 2.*

Deus ipse est lumen immensum in se ipso consistens & per se omnibus, & extra omnia per immensum, fons vitæ, in cuius lumine, vt ait Dauid videmus lumen, oculus quo omnes vident oculi, vt Orpheus ait. oculus qui cuncta in singulis inspicit. *Fic. epist. lib. 2.* Deus est vnitas non in re vna sedem habens, sed vnionis & vnitatis vbique causa; & intellectus, & essentia dici potest, vt essentiæ omnis & intellectus causa. *Idem, Dion. Areop. de diuinis nominib.*

Deum omnium rerum mensuram esse ait Plato contra Protagoram disputans, maximè vero si Deus fuit homo. *Fic. in Dion. Areop. de diuinis nominibus.* Deus per eundem actum est, & omnis infinitatis infinitas, & omnis termini terminus, & vbique præsens rebus diuersis non per diuersa sui, sed per idem non per idem particulare, sed per vniuersum, imò per naturam & virtutem vniuerso prorsus excelsiorem. *Idem, ibid.*

Deus est omnium primum agens, & ipsius voluntatis nil aliud est finis, quàm sua bonitas, & in Deum omnia reflectuntur. *Fic. in Plato. Phileb. lib. 1. cap. 30.* Deus est limitationis mensura, ipse enim singulis certâ lege substantiæ, potentiæ, actionis, & dignitatis, & vitæ statuit limites, quos transgredi impossibile est, omnia distinctis gradibus, certo in numero, ordinatâ serie digerit, & cuique pro naturæ capacitate, vel meriti dignitate impertit, terminat materiam formis, naturam seminibus, animam rationibus, mentem ideis seipso denique omnia. *Idem, ibid. ca. 36.*

Dij sequentes stellæ appellantur. *Fic. in Platonis Protagoram.* Dij immortales & impatibiles sunt, homines mortales & patibiles, dæmones immortales & patibiles; & sic medium locum tenent inter deos, & homines: at dæmonum passiones non corporibus, sed animi affectibus tribuunt. *Idem, in Plat. conuiu. or. 6. cap. 5.*

Deus bonus est, & bonorum duntaxat causa est, & quos punit boni gratiâ punit. *Ficin. in Plato de republica, dialogo secundo.* Deorum filij vni summo Deo parent illi sorte prouincias, & gentes tribuenti, & prouinciam illam gubernant; sed necessitas indiuinis est penitus voluntas, nam eadem est & vna patris, & filiorum voluntas *Idem, in Plat. Atlanticum.* Deorum filij subcœlestes certo quodam ordine gẽtes gubernandas habent alij alias. *Ibid.*

Deus est principium à quo, & philosophus per quod leges ad homines peruenerunt. *Fic. in Plato. de legibus. dial. 5.*

Deus est lex sapienti viro, insipienti libido. *Idem, ibid. dial. 4.* Dij, & dæmones sub luna, cœli, terræque filij nuncupantur, quoniam à diuinitate cœli, atque terræ sub cœlo dominantis, quasi filij à parentibus illustrantur, & ducuntur. Virtus in opifice mundi, excellenter cuncta comprehendens atque mouens cœlum dicitur; firmitas verò terra. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 25.*

Deus est virtutis principium, exemplar, & ipsa virtus, Deus inquam mens diuina, mundi artifex, ipsique mundo & animæ præsidens. *Fic. in Plotin. En. 1. lib. 2.* Deus bonitas ipsa simpliciter est, non tamen est ipsa simpliciter necessitas, sed quantum spectat ad bonum: & si permittit malum, & contingentiam permittit, & vt malum in bonum redigit, sic contingens in necessarium. *Ficin. de fato. cap. 1.*

Dij cœlestes directo quodam intuitu diuina cognoscunt, humana verò deflexo prospiciunt atque gubernant. *Ficin. in Plotin. En. 5. lib. 8. cap. 4.* Dij duplices sunt, supra cœlum corporeum, in cælo incorporeo, intelligibiles, & intellectuales, illi sunt ideæ, hi verò intellectus omnes æternâ idearum contemplatione beati. *Idem, ibid.* Dij intellectuales, qui in intellectuali cœlo sunt non gubernare solùm qua ratione ibi sunt, sed contemplari dicuntur; quidquid est in cœlo intellectuali est similiter intelligibile cœlum, ibi verò sunt omnia. *ibid.*

Dei primi virtus immensa est, & quidquid post Deum sequitur, absque Dei præsentia moueri, & conseruari non potest. *Ficin. in Plotin. En. 6. lib. 5. cap. 4.*

Deus idem nobis est via, veritas, & vita: via, quoniam suis radiis ad se nos conuertit: veritas, quia verum se nobis ad ipsum conuersis ostendit: vita, quoniam animam nostram ipsius contemplatricem beata illa visione pascit perpetuò, & oblectat. *Idem, in Alcinoi, & Speusippi præfatione.*

Deus siue intellectus sit ipse siue intellectuale quiddam, nonnulli illi adsunt æternæ & immobiles ergo ideæ sunt. & si mensura per seipsam materiâ caret, ab aliquo superiori, & à materia penitus absoluto mensuras suscipiat necesse est: ideæ ergo sunt mensuræ quædam sine materiæ mixtione existentes. *Alcinou. c. 9.*

Deus solus simplicissima essentia est; quicquid habet à se habet, eadem re qua est, eadem sapit, eadem vult, nec rem aliquam intelligere possumus, qua ipse sit, præterquam ipsum esse, quod ipse est: cætera non illud id est ipsum esse, sed illo sunt; igitur angelus non est ipsa vnitas, sed numerus est. *Ioann. Pic. Mir. in Heptaplom lib 3. cap. 1.* Dei spiritus est amoris spiritus, semper enim amor ad Deum nos adducit. *Idem, ibid. cap. 2.*

Deus est plenissima entitas, indiuidua vnitas, solidissima veritas, beatissima bonitas. Hæc ni fallor est illa τετρακτύς, id est quaternitas Pythagoræ, per quam ipse iurabat, vocabatque principium semper fluentis naturæ. *Ioann. Picus Mirandula. de vno, & ente, cap. 9.* Deus & est & dicitur propriè ens non solùm ex dogmate Aristotelis, sed etiam Platonis, & consequenter vnum non est ente superius. *Idem, in responsione prima.* Deus est existentia, non essentia: ideò rectè dicimus Deum esse, & verè negamus Deum esse ens. *In secunda responsio.* Deus inuocantem quomodo audiet, qui prius pauperem inuocantem non audiuit? *in epistolis.*

Deus est causa quam maximè ordinis. *Gabriel Burastellus de ideis, libro primo.* Deus est æternus naturâ, intelligentia & cælum sunt æterna quia quædam æternitate participant. *Idem, lib. 7.* Deus dicitur a θεῖν, quod est currere, vel vt alij volunt, à δέος id est timor, quoniam Dei potentia omnibus timenda est. *Fran. Patricius de regno, lib. 1. cap. 9.* Deus est quicquid in Deo est. *Iacobus Carpentarius in Alcinoum ex secunda digressione.* Deum actum purum esse, & omnipotentiæ quæ ad materiam pertinet expertem, omnes philosophi peripatetici, & alij quoque, & maximè Platonici docuerunt. *Idem, ibid. digr. 3.*

Deus est lex nobis æquissima, quæ nullam admittit correctionem, aut mutationem, firmior his quæ fiunt in columnis. *Augustin. Steuch. de perenni philosophia, lib. 4. cap. 3.* Dij gẽtium hominum opinione sunt facti, & licentiâ poetarum, quorum interdum testimoniis philosophi abutuntur. *Idẽ, de perenni philosophia, lib. 2. cap. 6.* Deus solus æternus, cùm nullum principium habuerit. *lib. 7. cap. 3.*

Dei beatitudo diuina est immensa gloria, à factione istius mundi longè disiunctissima, qua Deus fruebatur antè mundum. *A. Steuch. de perenni philo. lib. 7. cap. 1.* Deus naturaliter est æternus, mundus creatus. *Idem, ibid.*

Deus omni mundo maior est, & operatur sine tempore, & immediatè, & omnia simul fecit. *Au. Steuch. de peren. phil. libr. 7. cap. 8.* Dij ab antiquis instituti alij sunt, quàm illi qui cœlestibus sphæris alligati sunt, nam si Aristoteles vult eos curare humana, & pios illis gratos esse, & eos premiis afficere, clarum est id facere non posse si cœlo alligati sunt, & cum de singulari Deo sermonem habeat clarum est deos istos longè minores illo esse. Eadem ratio apud omnes scriptores valet. *Idem, lib. 8. cap. 2.*

Deus est finis omnium rerum. *August. Steuch. de perenni phil. lib. 2. cap. 2.* Deum vnum & singularem tum animo intento, tum naturâ duce, & magistra, rapidoque veritatis æstu homines omnes confessi sunt. *Idem, lib. 3. cap. 1.* Dij Achillis in Patroclum amicum quàm Alcestis in Admetum coniugem summum studium summámque beneuolentiã liberalioribus præmiis dignam esse duxerunt. *Leo Hebr. de Amo. dial. 3.* Deus solus omnium humanarum actionũ supremus, & vltimus finis existit. *Idem, dialogo primo.*

Deus vt inferiora regit, cognoscit, & qui Deo charus existit.

Deus cùm bonus sit, omnium causa non est sed paucorum, & non multorum, nam pauca sunt bona, multa mala. *Plato de rep. dialo. 2.*

Deus solus causa est bonorum, malorum verò aliæ sunt causæ. *Idem, ibid.* Deus est homo vltro seipsum deteriorem quomodocunque non facit. *ibid.*

Dij puniendo malos, iusta & bona operãtur, illi verò ex pœna vtilitatem percipiunt. *ibid.*

Deo qui charus est, ei optima contingunt, si non necessa-

riam

rium quoddam malum ipsi ex priori peccato adest: & sic de eo existimandum est, siue in paupertate sit, siue in morbis, aut alio quodam ex his quæ mala censentur, quod huic ita ad bonum quoddam desinent viuenti, aut mortuo. *Plato de republica dial.* 10.

Deus, nunquam negligit eum, qui iustus fieri proposuit, & virtutis studiosus est, vt quantum homini contingere potest Deo similis fiat. *Idem, ibidem.*

Deus vult bona omnia, & nihil malum esse, quantum fieri potest. *Plato in Timæo.*

Deus vniuersum quantum eius videri potest assumpsit, non quietum istud, sed quod motu erroneo & inordinato moueretur, ipsumque ex confusione ad ordinem adduxit, quum hoc ita melius esse iudicasset, neque enim erat, neque fas est, vt optimus aliud quàm quod optimum est faciat. *Idem, ibid.*

Deus ratione initâ comperit ex his quæ secundum naturam videri possunt, nullum opus mentis expers, eo quod mentem habet totum toto vnquam pulchrius fore: mentem verò absque anima alicui accidere impossibile est, ex hácque ratiocinatione mentem in anima, animam in corpore constituit, & vniuersum fabricauit, vt pulcherrimum secundùm naturam optimúmque opus esset. *Plato in Timæo.*

Deo soli certum est, quid ad meliorem rem abeant. *Plato in Apologia.* Dij nostri curam habent, sumúsque nos homines deorum quædam possessio. *Idem in phædone.* Deus omnia, cum Deo fortuna, & occasio humana vniuersa gubernant, mansuetius tamen concedit & tertiam ad hæc sequi oportere artem. *Idem, de legibus dial.* 4.

Deus, vt antiquus sermo testatur, & principium & medium, & finem omnium quæ sunt, habens, rectam viam perficit secundùm naturam procedens. Hunc autem sequitur pœna vltrix eorum qui à diuina lege deficiunt. Huic inhærens qui felix esse volt humilis, & ornatè compositus sequitur: qui verò iactantiâ se effert, aut pecuniis superbit, aut honoribus, aut etiam corporis pulchritudine vnà cum iuuentute, & dementia, ardet anima coniuncta contumelia, velut, qui neque principe, neque aliquo duce opus habeat, sed etiam aliorum dux esse possit, is desertus à Deo relinquitur, & sic & se & ciuitatem perdit. Huic quod prouidendum legislator curare debet. *Plato de legibus dialo.* 4.

Deorum possessiones omnia mortalia animalia sunt, quorū sanè etiam totum cœlum *Plat. de leg. dial.* 10. Dij & paruarum, & magnarum rerum curam gerunt, & implacabiles sunt in illis quæ præter iustum geruntur. *Idem in legum appendice.*

Deorum omnia plena sunt, & nunquam nos nec oblioione, nec negligentia præ potioribus parui pendunt. *Idem, ibid.*

Deus viuentium, vel vitalium, quę sunt in mundo sempiternus gubernator est, ipsiúsque vitæ dispensator æternus. *Apul. Asclepius.* Deus vnicus voluntate suâ cuncta constituit, illi enim non est corpus tangibile, visibile, dimēsum, distans, nec alterius cuiuspiam simile, nec ignis, nec aqua, nec aer, nec spiritus, sed ab eo hęc omnia pendent, bonum ita est vt sibi soli hoc competat. *Mer. Trismeg. Pimander, cap.* 4.

Deus, quod longè diuinius est, nos integros, animas scilicet & corpora, ad perfectam & immortalem vitam traducere pollicetur. *Dion. de diuinis nominibus.*

Deus per vnicam lucem suam cognoscit, & concipit ideas, per has reliqua, vt vmbras, vt si Sol per lucem suam radios circumiactos conuerteretur, per radios vmbras ex opposito resultantes. *Idem, ibid.*

Deus in seipso contraria eodem modo anticipat per vnam viuificámque totius identitatis causam eminentem. *Ibid.*

Dei regnum magnum & potentissimum anima concipe cœlum & terram, alterum celsitudinis, alterum depressionis metam: cœlum omnia continet terra carceris imaginem retinet, in quo nixa sunt iusta, & nocentia corpora. Regem maximum cogita, & secundùm hunc ministros quamplurimos deos ministros visibiles, & inuisibiles, qui vt ianitores ad vestibulum occupati ministerium sortiti sunt voluntatis diuinæ. *Max. Tyrius serm.* 1.

Dij fœtuum terræ curam gerunt, & eos ad salutem tuentur. *Idem serm.* 3.

Dij tenent entium summum, animæ infimum, dij possunt omnia momento vnitè, animæ contra, nec omnia, nec momento, nec vnitè: dij non inclinati curant omnia, animæ cum inclinatione & conuersione quædam agunt: dij sunt præcipuæ causæ, animæ ex illorum voluntate perpetuò pendent: dij vigore celerrimo fines suos intimos vnà cum principiis comprehendunt, animæ ab aliis in alia ab imperfecto ad perfectum pergunt alij comprehendi nequeunt aliquâ mensurâ, vel formâ; animæ inclinatione, & habitudine, & nutu detinentur, & superantur, & appetitu deteriorum, & familiaritate tanguntur, & certas inde contrahunt qualitates. *Iamblichus de mysteriis.*

Dei cuiusque lumen totum indiuiduè, toti mundo penitus adest, licet parti cuidam præcipuè vim suam maximè sibi accommodatè concedat: interea quodammodo implet omnia ob potentiam perfectam, & excessum causalem prorsus immensum, vnde perficit omnia, vnitque cum extremis extrema, per media comprehendens in se omnia, & se ad sic resumentes sibi prorsus vniunt. *Iamblichus de mysteriis.*

Dij cœlestes principium suum habentes in mundo intelligibili, dum ideas sui contemplantur, in eo mouent cœlos hoc ipso actu intelligentiæ, voluntatísque efficaci admodum, & perpetuo. ideò sine labore regunt, quod ex ordine semper constante euidenter apparet. *Idem, ibid.*

Dij præsentes dant corpori sanitatem, virtutem animæ, menti sinceritatem, omnia nostra reuocant in principia propria, quod in nobis est frigidum læthiferúmque delent, calorem fouent, efficacioremque reddunt ad vitam, & omnia menti & animæ congruere faciunt, & mensurantur eisdem, harmonia intelligibili lumen effundunt, quódque non est corpus ostendunt tanquam corpus ipsis animæ oculis per corporis oculos. *Iamblichus de myst.*

Dij vera bona dāt bonis per sacrificia expiatis quibuscunque & versantur, suóque commercio prauitatem passionémque ab eis longè propulsant, suóque splendore tenebrosos spiritus arcent. *Idem, ibid.*

Dij nostrâ naturâ superioris plenitudine bonitatis & voluntate bonorum, & benignitate quadam dignis animis conuenientia tribuant, diligunt religiosos tanquam genituras suas, & alumnos atque discipulos, & laborantium miserentur, sunt & alia quædam numina, quæ ephori & præsides sunt discretionis, atque iudicij, consulunt quæ facere deceat, quæ declinare, ad iusta adiuuant, reuocant ab iniustis, & sæpe in homines iniquos iniurias, quas inferre conantur, iustè retorquent, vt quæ agere moliebantur patiantur ipsi. *Iamblichus de mysteriis.*

Dij non inferunt iniurias, vt putat Porphyrius, sed iusta supplicia, & si sunt iniusta, non dij, sed dæmones improbi inferunt: nam dij non partem quandam vitæ, sed totam, nec hanc solam, sed vniuersam ab æuo in æuum conspiciunt animæ vitam, & ita pro meritis in antecedente vita contractis sæpe puniunt in sequenti, siue rogati punire, siue non rogati. *Iamblichus de mysteriis.*

Deus omnis in sua essentia prouidere vniuersis debet & primò prouidere in diis est. *Proclus element. Theologia, cap.* 32.

Deus omnis impartibiliter impartibilia cognoscit sine tempore ea quæ sunt in tempore, & non necessaria necessariò, & mutabilia immutabiliter, & omnino omnia præstantes secundùm ipsorum ordinem. *Idem, ibidem, capite* 34.

Deus omnis vniuersalior existens & propius primò ordinatus ab vniuersaliore genere entium participatur particulariter verò longinquior à particulariori: & vt ens ad ens, ita vnitas ad vnitatem diuinam. *Ibidem, capite* 37.

Deos animarum occulta cognoscere omnes homines naturaliter credunt, & omnis copula & communio Dei præsentiâ indiget. *Proclus in Alcibiadem,* 1.

Dij sine corporalium mixtione purè nimirum ac sincerè intelligunt. *Alcinous cap.* 10.

Deus nunquam desinit operari, sed vt ignis proprium est vrere, & niuis refrigerare, ita Dei proprium est operari, & id multò magis, quia omnibus aliis rebus operandi auctor est: ideò dicitur, quiescere fecit, non quieuit. *Philo. in legis allegor. lib.* 1.

Deus benignus bona largitur omnibus etiam non perfectis, ideò nullam animam expertem boni creauit. *Ibid.*

Dei in miseratione omnia posita sunt. *Idem, de sacrificiis Abelis & Caini.*

Deus cùm alicui bene facit, non vtitur eius consilio, sed in-

expectata beneficia solet porrigere liberaliter. *Idem, de sacrificiis Abelis & Cain.*

Deus non dat potentias suas creaturis meras, sed temperatas, quia non esset capax, si enim lucem Solis meram aspicere non potest creatura, quantò minus meras virtutes Dei: ideò ait, Calix in manu domini meri plenus temperamento, non enim nec in beneficiis, nec in pœnis totam vim suam exercere vult, sed quantum videt earum capacitati sufficere. *Philo quod Deus sit immutabilis.* Deo nihil ignotum. *Idem de somniis.* Dei ad cognitionem sufficit ipsa natura. *Synesius de somniis.*

Dei prouidentia homini ex anima & corpore composito nutrimentum, successionémque prouidit, & prouidet: ergo composito quoque iudicium dispēsaturum iustè, commune præmium, vel supplicium, pro actionibus, passionibúsque animæ communibus: at eiusmodi iudicium in vita præsenti minus impletur, vbi impij plerunque fortunati sunt, pij infortunati, in alia iustè sequi nequit, nisi sit resurrectio, & vt corpus fuit socium animabus in actionibus & passionibus virtutum & vitiorum, sic socium esse debet in pœna & præmio, alioqui Dei prouidentia & iustitia in dubium traheretur. *Athenagoras de resurrectione cap. 2.*

Dei voluntas si remouetur, quod impossibile est, cuncta in nihilum reuerterentur, quod non ideò euenit quia mundus ex nihilo creatus sit, sed quia causa remouetur quæ cuncta ingenita ab æterno conseruat. *Bess. Cardina. in calumniatorem Platonis lib. 3. cap. 20.*

Deo magis indiget mundus, quàm corpus animâ, & minus est ad Deum mundus, quàm ad animam corpus. & mundo bonum magis necessarium est quàm vitâ sublatâ cessaret mundus moueri, sublato bono esse desineret. *Ficin. Plat. theol lib. 2. cap. 6.*

Deus habet non solum intelligentiam generum, & specierum, sed etiam rerum singularium. *Ficin. Plato theolog. lib. 2 cap. 9.*

Deus potentiam suam perfectè cognoscit, & omnia ad quæ potentiam habet, & cùm Dei virtus sit infinita, ad innumerabilia se extendit; ideò intelligit non modò quæ actu, sed quæ potentia sunt; & cùm in rebus naturalibus sint quædam potentiâ infinita, Deus cognoscit infinita. *Idem, ibid cap. 10.* Deus vnica virtute cognoscit, quicquid nos tribus virtutibus, id est sensibus phantasia, & intellectu cognoscimus; ergo & vniuersalia, & singularia intuetur. *ibid. cap. 9.*

Deus cùm res non in seipsis, sed in seipso, non per earum imagines, sed per suam essentiam intuetur, non distrahitur circa plurima, sed cuncta conspicit tanquam vnum: ideò res nullæ sunt diuinâ maiestate indignæ: non diuertitur à grauioribus, vt leuiora consideret, quoniam eodem intuitu hæc videt, & illa instar oculi, qui vno intuitu stellas in cœlo plurimas contuetur; nec laborat vnquam, quia non quærit, sed possidet. *Fic. Plat. theolo. lib. 2. cap. 9.* Deus per ipsum esse suum, quod idem re ipsa est & intelligere, & velle, quódue est simplicissimum quoddam omnium centrum, à quo reliqua tanquam lineæ deducuntur, facillimo nutu vibrat quicquid inde dependet. *Idem, ibid. cap. 13.*

Dei in præscientia scripti sunt futuri rerum euentus, ita & euentuum causæ & modi agendi: & sicut opera nostra sunt nota Deo, ita & nostra voluntas, quæ operum nostrorum est causa, & modus liber agendi, sicut præuidit te id facturum, ita præuidit te ita idem voluntariè facturum & liberè; quare si diuina præuisio conditionis alicuius positione reddit necessaria nostra opera, reddit necessarium, id est confirmat similiter agendi modum, id est nostri iudicij libertatem, quoniam Deus naturarum omnium temperator cuique rei conseruat, non subtrahit naturam quam dederat, sic cùm regit cuncta, singula pro singulorum regit natura: ascendentibus elementis ad ascensum conducit, descendentibus ad descendentibus ad deorsum, animalibus confert ad gradiendum, cœlis ad circuitum: si animos pulsat, quia illi sursum & deorsum liberè volubiles sunt, pulsat liberè, ita vt alliciat non trahat, non cogat sed persuadeat; & cùm Deus debeat naturam animo propriam reseruare, ideò iudicium ipsi relinquit liberum, per quod de agendis suo more consultet & è multis sibi propositis aliud alio melius iudicet, & quod aptius ad bonum consequendum censuerit eligat. *Ficin. Platonica Theologia libro secundo, cap. 13.*

Deus intelligendo, & mouendo seipsum scit, & efficit omnia, vt sol in se lucendo illuminat omnia. *Ficin. Platonica Theolog. lib. 15 cap. 4.* Dei cognitio cùm sit perfectissima, nullam imperfectionem, imò perfectionem omnem comprehendit, cognoscit singula distinctè vbique. *Idem, ibid. lib. 16 cap. 5.* Deus quibus esse tribuit temporale producendo iisdem prouidendo bene esse temporale procurat: & quibus æternum esse, iisdem ad bene esse æternum dirigit. *Idem, epist lib. 2.* Deus si suapte naturâ bonus est, bonorum semper est causa, mali verò alicuius nunquam. *Procl. in republica Plato. ex Marsil. Ficin. epistol. lib. 11.*

Deus omnia amplectitur, complectitur, & anticipat: amplectitur per excellentiam potestatis velut extrinsecus circunfusus, complectitur vnâ quadam penes se naturâ vnicè colligens singula quantum licet inter se diuersa: anticipat denique quoniam & antequam sint possidet ipse & gradu longè præstantiore quàm sint. *Ficin. in Dionys. Areop. de diuin. nominib.* Deus per septem gradus beneficos radios vbique distribuit, per angelos, per animas ratione præditas, per animas sensu viuentes, per animas vegetales, per cœlestia corpora, per corpora elementaria, quæ ex materia constant, per materiam. *Idem, ibid.*

Deus in se respiciens omnia videt, quæ omnia sunt pulcherrima, & quæ apud nos sunt turpia & mala, vniuerso enim & bona & pulchra sunt. *Ficin, in Plato Parmenidem, cap. 33.* Deus cognoscit perfectissimè ipsam bonitatis suæ, omniúmque idearum suarum naturam atque virtutem, scit ergo quot modis, quot gradibus, quousque procedere, participarique possint, res igitur infimas comprehendit certiore cognitione quàm sensus, & opinio nostra, quantò cognitio quæ fit per omnes causas certior est cognitione, quæ non fit per causas vel non per omnes. *Idem, ibid.*

Deus omnia entium minima cognoscit, & considerat; & si non reducantur ad ideas particulares, nihil tamen abiecti, ac deforme est in mundo, quod non ad pulchritudinem vniuersalem reducatur, & alicuius boni sit particeps: & si minima illa eueniunt præter speciosissimum illud exemplar, non tamen præter omnem mentis illius intuitum, vel præter actionem ipsius boni proficiscuntur. *Ficin. in Plat. Parmenidem, cap. 15.* Deus cognoscit priuationes informes, mala per ideas habituum, formarum & bonorum. *Idem, ibid. cap. 14.*

Deus cùm omnium causas in se perfectissimè complectatur, seipsum exactissimè comprehendens similiter complectitur omnia. *Fic. in Plat. Parmenid. in, cap. 31.*

Deus res cognoscit, non quia congruat cum rerum natura, sed quia ipse est causa rerum, & cognoscendo seipsum omnia statum cognoscit, & facit. *Idem, ibid. cap. 32.* Deus vitæ nostræ, & saluti omnibus vndique modis prouidet, & consulit. *Idem, in Plato Protagoram.* Deus boni hominis serenam mentem sapientiâ humanâ implet, *Idem, in Plato. Cratyl.*

Deus in suo habitu permanet dum mandat, ministri autem sequuntur: nihil mutabilitatis in deo est, dum mobilia regit & mouet: in ministris autem eius prouidentia est mutationi cuidam propinquior. *Idem, in Plat. Timæum, cap. 37.*

Deus in omnibus per omnia mouet omnia, mouet mundi sphæras quarum conuersio fatum quidem alicubi, sed hic fortuna libentius nominatur. Hinc casus varij circa externa corporáque proueniunt: mouet & animas, lumen mentibus inspirando, vnde ars non speculandi solùm accenditur, sed agendi, ab arte tandem dispositio externorum & corporis proficiscitur: quamobrem à Deo cuncta dependent, qui vt ait Plato omnia in nobis operatur, verùm ab ipso alia per fortunam procedunt alia per artem, quo fit vt neque fortuna, neque ars aliquàdo Deo valeat aduersari, cùm semper ab ipso vtraque moueantur, inter se verò hæc ita se habent, aut inuicem consentiunt, aut dissentiunt: si dissident, aut fortuna superat artem, aut ars fortunam. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.*

Deus omnium est mensura, præcipuè nobis, qui videlicet eatenus vel prosequi, vel fugere debemus singula, quatenus diuinæ menti voluntatique vel consonare, vel dissonare censentur. *Ficin. in Plato, de leg. dial. 4.* Deus est causa rerum efficiens, & finalis; seruat omnis, & omnibus adest. *Idem, ibid.*

Dij sub Luna alij aliis terræ plagis gubernandis accommodati sunt, quos possumus Platonico more angelos nominare; per quos sub Mercurij nomine in Protagora leges genus hominum accepisse iura; sed

illa

illa inquit in Critia non scripta ad aures, sed inspiratione quadam à mentibus diuinis in mentes humanas fuisse transfusa, hominésque sub illis, quandiu paruerunt, vixisse beatos; addit ob huiusmodi legum transgressionem homines gratiam diuinam amisisse, quâ amissâ, fœlicitatem quoque amiserint, & infelices in sacrilegia irruperint, & per sacrilegia pessimi tandémque infelicissimi euaserint, in his & terrestria illius paradisi, & eiectionis ex illo mysterium licet agnoscere. *Ficin. in Plato. de legib. dial. 9.*

Deus summus per singula rerum genera, speciésque diuinos distribuit rectores, vel minimarum actionum passionúmque curatores, qui sicut per potentiam eius possunt quicquid possunt, ita per prouidentiam ipsius vel minorum procuratricem minima quæque procurant. *Ficin. in Plato. de legib. dial. 10.*

Deus tantò diligentiùs operibus suis prouidet, quantò magis opera sui à Deo dependent quàm artis vel naturæ opera ab arte vel natura, per cuius prouidentiam cætera habent, vt operibus suis prouideant. *Idem, ibid.*

Deus diligentior est humani generis curator, quam pastores ouium, gubernatores nauium, duces exercitus, agrorum rustici, equorum aurigæ, medici ægrotantium. *Fic. in Plato. de leg. dial. 10.* Deum omnipotétem opus suu semper in ordine tradito conseruare sed opus suum, mundum scilicet, quia & finitæ naturæ est, & intra se repugnans nõ posse seruari, Deum verò quod formationi deest in formatione rependere aiunt Anaxagoras, Empedocles, Heraclitus, & Stoicorum plerique. *Idem, in Plato. legum appendicem.*

Deus singula intelligit non distractus in plurima, sed collectus in semetipsum, quem intuendo velut totius exemplar, & causam causarum, perque causas omnium causam intuetur & omnia: & contuendo curat & prouidet, vt ad finem singula dirigit, & bonum, quandoquidem sub ipsa ipsius boni forma omnia procreauit ad bonum. *Ficin. in Plot. de prouidentia, cap. 19.*

Deus agendo singula intelligit eadem, quæ nusquam fierēt nisi prius intelligerentur à Deo, vt non fiunt à Sole nisi ea quæ prospiciuntur a Sole. *Idem, ibid.*

Deus ita contingentia, vt necessaria cognoscit: videt enim an causæ impediantur alicunde necne, & ita certus est ex contingentibus, vt ex necessariis euentum secuturum, imò iam sequi; nec mutabilia mutabiliter intelligit, nec diuisibiliter diuisibilia cernit, sed pro indiuidua sua immobilique natura simul firmitérque tenet distracta etiam in seipsis atque circumuaga, & liberos voluntatis nostræ motus firmiter tenet. *Ficin. in Plotin. de prouidentia, cap. 20.* Deus videt res, vt certis causarum vel deinceps agentium, vel é conspectu necessariò concurrentium ordinibus consequuntur. *Idem, ibid.*

Deus intelligit motus nostros directos tanquam ipse quoque mouens, obliquos tanquam ex opposito à rectis deficientes, & certos, qui in seipsis videntur incerti, si quidem fieri iam non fore videt: æternitati namque ita semel totum tempus est præsens, vt & centro totus pariter circunferentiæ tractus; & quamuis qui nunc voluntate mouetur, potest aliter & aliter moueri, ipse tamen non aliter & aliter opinatur, singulos nanque motus, eorúmque modos ab initio semel anticipās mutabilem progressionem indiuiduo penes seipsum cardine firmat. *Fic. in Plotin. de prouidentia, cap 20.*

Deum absurdum esset dicere notitiam rerum ex rebus ipsis colligere, nam per notitiam res antecedentem res efficit, & per vnam sui formam infinita cōspicit. *Fic. in Plotin. En. 4. lib. 4. cap. 9.*

Dei scientia non est similis argumentationi, vel consilio, sed dispositioni potius naturali: & eius omniformis natura ipsa eius intelligentia est, id est, omnibus insignita, non sicut tabella figuris, sed vt cælum stellis, quæ & ipsæ sunt cælum: & facilè facit, quia suaptè natura facit, & ipsa est vniuersum. Fermè sic agit anima nostra, cum ad habitum se reuocat omniformem. *Idem, in Plot. En. 6. libr. 8. cap. 7.*

Deus cùm sit intellectu superior admodum, in ipso cognoscendo non solùm discurrens oratio tam interior, quàm exterior, sed etiam intelligentia cessat: at quod deest intelligentiæ, amore quodam & quasi gustu & tactu, vnitate & gratiâ compensatur. *Fic. in Dion. Areop. de trinitate.* Deus omnia cognoscit non ea conditione qua sunt, sed pro natura Dei. *Idem, ibid.*

Deus nos cognoscit non per nos, sed per seipsum: ita & nos illum cognoscimus per ipsum, non per nos. *Ioan. Pic. Mir. in Heptaplum, lib. 7. in proœmio.*

Deus omnia mouet, & corporea, & spiritualia, & nos ipsos, quod deducimus non ratione Aristotelicâ, sed diuinâ auctoritate, quanquam non abnuo ratione naturali probari posse Deum omnia, & corpora, & incorporea mouere, at rationibus Arist. probari non affirmo. *Io. Fr. Pic. Mir. in exam. doct. gen. lib 6. cap. 18.*

Dei lumen totum indiuiduè toti mundo penitus adest, licet parti cuidam præcipuè cùm suam maximè sibi accommodatè concedat, interea omnia implet. *Iac. Carp. in Alc. ca. 6.*

Dei patris sapientia suæ perfectionis radios effundens in materiæ gremium, rebus singulis natura constantibus præstat originem, quarum idcirco prima & summa perfectio esse dicitur, cuius radij sunt in formis naturalibus ipsi materiæ communicatis, quos radios materiæ communicatos Aristoteles naturæ genius primas corporum naturalium perfectiones appellauit, in natura nihil illis perfectius agnoscens quam perfectionem Plato ideæ tribuit. *Iaco. Carp. in Alcin. cap 8.*

Deus per aliud non intelligit nisi per suam essentiam, sed generat ex seipso, & in seipso sui ipsius intellectionem semper eodem modo, & eandem æqualem sibi, quia non intelligit per speciem, sed per sui ipsius præsentiam, quoniam ipse causa est omnium, ideò seipsum cognoscendo omnia cognoscit. *Iac. Carp. in Alcinoi digressione 3.* Deus summus in se ipso omnia intelligit, dij reliqui in Deo summo omnia intelligunt, per huius scilicet intuitum. *Idem, in Alcinoo cap. 9.* Deum res humanas curare qui voluerunt, nemo vnquam extitit qui non concesserit diuinâ prouidentiâ mundum regi & conseruari, quę in illo rationis & cogitationis est indubitata origo. *Idem, ibid. cap. 10.*

Deum & naturam nil agere frustra, nil aliud dicere est, quā Deum auctorem naturæ, & principem esse. *Augo. Steuc. de peren. phi. lib. 4. cap. 1.* Deus vno nutu eóque inuisibili & abscondito, impulsis omnibus omnia mouet. *Idem, ibidem, cap. 3.* Deum prouidere rebus humanis clarè fatetur Alexander Aphrodiseus. *Ibid. lib. 6. cap. 1.* Deus si regit omnia, potuit & creare, si semper creare potest, potuit & aliquando, & si creare aliquando non potuit, nec nunc creare posset. *Idem, lib. 7. cap. 2.*

Deus & de impiis voluit promereri, largiens sua munuscula ob suam bonitatem, vt etiam videntes se benignè tractari resipiscant: & cùm nullus sit tam malus, qui non faciat aliquid bonum ob id ei quædam bona tradit. *M. Ant. Natta de pulchro, lib. 4.* Deus omnium honestorum principium bifariam dicitur esse, tum quantum ad potestatē, tum quantum ad actiones eorum. *Leo Hob. de Amore, dial. 1.* Deus omnium studiosarum, honestarúmque actionum medium quam maximè accommodatum bifariam dicitur esse: tum quantum ad auxilium, tum quantum ad exemplum. *Idem, ibid.* Dei relatiua perfectio diuini in res procreatas amoris conueniens, & accommodatus finis existit. *Ibid. dial. 3.*

Deus vt mundi creator, causa amandus, & adorandus.

Deus si voluerit in faciendis prætaodum est. *Plato in Alcibiade primo.*

Dij ea quæ priuatim & publicè precamur, partim dant, partim non, & quidam ipsorum dant quidam non. *Idem, Alcibiade 2.*

Dij si ad sacrificia nostra respicerent, & non ad animam, indignum esset, nam si quis sanctus & iustus sit, hoc multò magis respiciunt, quam ad sumptuosas has pompas, & si qui auratis cornibus tauros sacrificet, cùm ipsi in deos, & in homines peccarunt: ideò apud homines iustitia, & sapientia præcipuè in honore esse debet. *ibid.*

Deum de beatis viris, ac eorum depositione, & diuersitate percunctari oportet. *Plato de rep dial. 5.*

Deum semper inuocant omnes qui vel parum sapiunt, in initio omnis rei tum magnæ tum paruæ. *Idem, in Timæo.*

Deos orare debemus, vt ea illorum sententia, & ex nostra intelligentia dicamus, & vt audientes facillimè discant. *ibid.*

Deus postquam prodexit, moueri ipsum, & viuere sempiternorum deorum simulachrum, factum intellexit, gauisus est, & lætitiâ ductus adhuc magis simile ad exemplum efficere cogitauit: quemadmodum igitur ipsum est animam sempiternum, ita etiam hoc vniuersum pro viribus tale efficere aggressus est. Animalis itaque natura æterna erat, & hæc vt ei quod factum esset penitus adaptaretur fieri non poterat; imaginem itaque

mundi quandam mobilem facere cogitauit, & exornans simul cœlum fecit manentis æui, siue mundi imaginem æternam in vno secundùm numerum progredientem, hanc scilicet, quam tempus nominamus. *Plato in Timæo.*

Deum in orationis principio inuocare debemus, vt seruatorem, quò ad dicendum quæ verisimilia sunt nos conseruet. *Plato in Timæo.*

Deorum ortum qui narrare vult, orare debet Deum vt scientiam illi præstet. *Idem, in Atlantico.*

Deos hymnis valdè colere debemus, precantes nobis in mentem venire vt pulcherrima, & optima de ipsis dicamus. *Idem, in legum appendice.*

Dij inuocandi sunt ad demonstrandum quòd sint dij. *Idem, de legibus, dial 10.*

Dij sermoni nostro semper initium esse debent, & eorum quæ quisque dicere & cogitare debet. *Idem, epist. 8.*

Deum mundi conditorem extitisse qui negant, nimium impij sunt, & tenebris ignorantiæ obruti: quinimo si audacius proferre licet, dicam, huius essentiam esse, concipere, ac parere singula. & vt sine factore quicquam fieri nequit, ita Deum existere semper, & in eo est & quod est & quod non est, quæ sunt deducit in lucem, quæ non sunt occulit in se ipso. Hic Deus nomine melior, occultus, hic omnium potentissimus, menti conspicuus, præsens oculis, hic, vt ita dixerim, multicorporeus: nam nihil in corporibus est quod ipse non sit; omnia nomina habet, quoniam vnus est pater; nullum nomen habet, quoniam omnium est pater. In Deo omnia, à Deo omnia, præbet omnia, nil suscipit, omnia habet, quod non habet id ipsum nihil est. *Mer. Trism. Pimander, cap. 5.*

Deus omnia facit, non enim deest potestas omnium effectuum illi, & si à quodam influxum suum subtraxerit, deficiente vitâ in mortem corruent vniuersa. *Trismegistis Pimander, cap. 11.* Deum non recognoscere est extrema prauitas. *Idem, ibid.*

Deum mundi factorem tribus nominibus nominare debemus, Deum propter potentiam, factorem propter actum, patrem propter bonum; est potestas à genitis admodum differens, actus in productione cunctorum. Duo sunt genitor & genitum, nec inuicem secerni possunt, nec genitorem absque genito esse possibile est, vtrunque illorum existit id ipsum, ita neutrum ab alio disiungi potest, vt neutrum à seipso diuidi, si quidem ipsum faciens nihil præter ipsum quod facit est aliud: simplex est; vt semper est, ita semper est agens, idémque sibi ipsi & in existendo pariter & in agendo: nihil quod genitum à seipso genitum est. non ergo seorsum factum à faciente, qui horum vnum subtrahit perdit & alterum: vnus quidem naturâ propriâ, naturam semper alteram respicit: sic itaque duo concessa sunt, efficiens, & effectum; vnita sunt inuicem, sic vt vnum præcedat, alterum subsequatur; præcedens sanè Deus efficiens, sequens quod est effectum. Vnica Deo gloria est, nec diuersorum constructio se detinet. *Trism. Pimander, cap. 14.*

Deus est omnium effector. *Trismegisti Asclepius, cap. 2.*

Dei voluntate omnia facta sunt, & dependent, cuius voluntas summa est perfectio, vt cùm voluisse, & perfecisse vno & eodem temporis puncto compleat, fecitque hominem ex æterna & mortali natura, vt colere & orare cœlestia, & terrena gubernare possit. *Idem, ibidem, cap. 4.*

Dei placita sequitur necessitas, comitatur effectus. *Ibidem.*

Deum omnium effectorem non oportet vno è multis composito nomine nuncupare, sed vno nomine, vel omni nomine, siquidem sit & vnus, & omnia. *Trismegist. Asclepium, cap. 8.*

Deus omnium creator vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, semper voluntate suâ prægnans parit quicquid procreare voluerit, Voluntas eius est bonitas omnis; bonitas hæc eadem omnium rerum est, ex diuinitate eius natura nata, vt sint omnia, vt sunt, vt fuerunt, & futuris omnibus dehinc natura ex se nascendi sufficiat. *Idem, ibid.*

Deus creauit intellectum medio verbo, inter Deum enim & intellectum non intercidit nisi verbum. *Arist. Theol. Aegyptia, lib. 3 cap. 2.* Deus est conditor, principium omnibus essentiæ ac permanentiæ, sine quo nihil existeret. *Idem, Theol. Aeg. lib. 4. cap. 1.*

Dei opera omnia perpetua sunt, & perfecta. *Ibidem, lib. 5. cap. 3*

Deus si nihil creasset solus existeret, quod non conuenit, ideò intellectum creauit; & cùm non conueniat, vt solus intellectus præter Deum esset formauit animam, ideò anima descendit, vt ostenderet operationes suas & actiones nobilis vitæ & sic illa figurat aliud inferius, quoniam omne superius agit motus in inferius ad se tractum. *Aristot. Theolog. Ægyptia, lib. 7. cap. 2.*

Deus est vtriusq; orbis auctor, & seruator. *Arist. Theo. Aegyp. lib. 10. c. 15.* Deus non est causa alicuius rei creatæ, sed auctor causæ ipsius. *Idem, ibid. cap. 17.*

Deus non creauit res cogitatione, nam omnia simul creauit, ita res non erant extra ipsum, prius enim fuissent, & in infinitum foret processus, nec per instrumenta creauit, sed creat formam nouam imitabilem absque alia, & virtute propriâ id facit. *Ibid lib. 14. cap 15.*

Deus creauit primò substantiam vnicam, deinde intellectum agentem, cui infulsit lumen fulgens omnium creaturarum præcellentissimum, qui intellectus agens proximus est illi huiusmodi lumine, potentiâ, & simplicitate, per istum medium creatus est orbis supernus constans ex intelligentia, & animabus, per quem postea nouata sunt inferiora sensibilia contenta subsimiliáque nisi quòd entia orbis superni sunt pura, & perfecta, & incommixta. Hile formatur primò formâ communi, postea recipit elementarem, deinde alias succedentes: vnde nemo illam aspicere potest, vtpote formis pluribus occultis, & insensibilibus circum inductam. *Arist, Theol. Aegyptia, lib. 14. cap. 15.*

Deo superiora tradita esse omnes fatentur, nam & orantes in cœlum manibus extensis precantur & astra in sublimi posita sunt. *Apul. de mundo.*

Deus omnium effector gubernator est animæ, & omnium quæ in mundo insunt, & ab ipso mundus est præparatus receptaculum omniformium specierum. *Eiusd. Asclepium.*

Deus hominem ex animæ, & corporis, id est ex æterna, & mortali natura fecit, vt origine suâ & mirari, & orare cœlestia, & incolere, & gubernare terrena possit. *Ibid.*

Deus dat vniuersæ vitæ vt sit vita, & vnicuique vitæ vt sit propriè qualibet, quod naturale esse debuit, & supercœlestibus viris immaterialem, diuinam, immutabilem, immortalem, sempiternum quoque motum nusquam vergentem, & inclinantem, & per copiam bonitatis vsque ad dæmonicam vitam suam munera extendit, & hominibus quantum accipere licuit vitam condonauit angelicam, & excessu clementiæ nos vitam illinc auersos ad se conuertit, & reuocat. *Dion. Areop. diuin. nom.*

Deus est causa omnium atque principium, essentia, & vita, tum eorum qui à Deo prolapsi sunt reuocatio, & resurrectio, eorum qui lapsu quodam diuinam in se effigiem perdiderunt renouatio & reformatio, eorum qui prophanâ quadam agitatione quatiuntur confirmatio sacra, permanentium verò securitas, ad eam quoque proficiscentium porrectâ manu perductio, illuminatorum fulgor, eorum qui perficiuntur principatus ipse perfectionis, quique in eum assumuntur diuinitas, simplicium simplicitas, qui in vnum conueniunt vnitas, vniuersi principij ratione quadam super essentiam, principium supra principium, occulti quantum fas est benefica distributio, viuentium vita, existentium essentia, omnis vitæ & essentiæ principium, causa ob propriam bonitatem omnia vt essent producentem atque conseruantem. *Dion. Areopagita de diuinis nominibus.*

Deus sic laudatur verè tanquam omnibus subsistentiam exhibens, inchoans, perficiens, continens, custodia omnium, & sedes, & ad seipsum cuncta conuertens; sed agit hæc omnia vnitè absolutè, eminenter, & omnia simpliciter, & circumscriptè complectitur perfectissimis ipsius vnius omnium causæ prouidentiæ beneficiis: ideò ex rebus omnibus congruâ ratione laudetur. *Dionysius Areopagita de diuinis nominibus.*

Deus cùm sit omnium causa, de ipso debemus omnes rerum positiones affirmare, & easdem potiori ratione omnes de Deo negare, tanquam cunctis excelsiore. Nec hæ negationes repugnant affirmationibus, sed vniuersi causam quæ omni non solùm ablatione, sed positione altior est, longè prius priuationes omnes exuperante. *Idem de trinitate.*

Deum venerari oportet, cùm cuncti ab ipso dependent per ipsum, & ab ipso sint, & hic mundus per illum est, & illum suspicit totus, & quisque deorum, qui hominibus decreta Dei prænunciant, & oraculis, quæ ipsi placent declarant. *Plot. En 2. lib. 9. cap. 9.*

Deos

Deos qui despicit, in omnibus malus est. *idem, ibid. c. 16.* Deum ipsum inuocantibus non oratione ad aures perueniente, sed animo seipsum ad Deum veri gratiâ impensissimo reuocante, quippe cùm hac tantùm conditione viuere precarique possimus, si soli accedamus ad solum: oportet ergo Dei fulgorem intra seipsum tranquillè quiescere super omnia extantem, & ibi quomodo aspici potest aspicere. *idem, En. 5. lib. 1. c. 6.*

Dij qui cœlum habitant assiduè contemplantur, sed quasi eminus, quæ in primo ipso sunt cœlo supereminente ceruice: hi verò qui in illo sunt, contemplantur totum illic cœlum habitantes omnia, cùm illic sunt cœlum, illic terra est cœlum, illic mare, animalia, plantæ, homines sunt cœlum. Dij illic habitantes nõ dedignãtur homines, nec aliud quicquam eorum, quæ ibi sunt, quia ex diuinorũ numero sunt, omnem namque regionem illam discurrunt, locúmq; comprehendunt quiescentes. *Plotin. En. 5. lib 8 c. 3*

Deus est super essentiales potestates, nihil extra Deum est, sed intra Deum omnia; quæ sunt post Deum dimitte, quod enim extra est, ipse Deus existit, comprehensio omnium, & mensura, aut intimum vniuersi profundum; quod autem extra Deum occurrit velut circulo tangens illum, rursúmque inde suspensum, ratio, & intellectus existit, immo eatenus intellectus euadit quatenus attingit ipsum, & qua ratione attingit, & quo inde dependet, vtpote quod hoc ipsum quod sit intellectus habet ab illo. *Plot. En. 6 lib. 8. c. 18.*

Deum summum cogita esse velut exemplar primum intellectuales potentias circumcurrentes, ipsius tanquam imagines Deum, vt intellectum in vno vigentem, cuius vigor quasi multis modis moueatur, atque per multa, & ita illic intellectus euadat, dum tamen Deus supra mentem extat, ex suáque potentia generat intellectum, & causa causæ est, & potiori gradu causa est Deus, vt summopere causa in quam ratione veriore, omnes causas intellectuales in se complectens & opus suum generans, non vt contingit, sed vt ipse voluit, & voluntas sua non erat vana, sed prout decebat. Hæc de Deo proferimus, & nobis danda est venia si ita loquimur, postquam ad votum de illo loqui non valemus. *Plot. En. 6. lib 8. c. 18.*

Deus non est tanquam factus, sed tanquam faciens, effectionem eius absolutam asseuerando, nec talis, vt aliud quiddam ex actione sua efficiatur, sed actio eius non peragat vltra se quicquam, sed totum hoc simpliciter extet, non enim duo quædam ibi est, sed vnum, nec verendum est actionem primam absque essentia ponere, sed hoc ipsum velut substantiam affirmare debemus. *Plo. En. 6. lib. 8. c. 20.* Deũ contemplaturus animum purgatum ab omni malignitate habere debet, & totum menti committere, & nullum sensum, vel à sensu prouenientem adhibere, sed purâ mente ad eum contemplandum accedere. *idem, En. 6. lib. 9. c. 3.*

Deus opitulari mortalibus nemo ambigit, sed secundùm diuinorum nominum famam alios aliis opitulari; his honores & signa, prout beneficium aut publicum, aut particulare in eos extitit obtulerunt, nautæ marinis diis temones, & alij alii alia. *Max. Tyrius serm. 38.*

Deos placare est ad illos supplicando redire, qui suppliciter adorati, cultique, mala multa repellunt, quæ alioqui naturaliter eueniret. *Iamblic. de myst.* Dij, non quia inuocantur, mouentur ad bonum hominibus adhibendum, sed sponte nos ad bonum prouocant, nobisque inuocando conuersi occurrunt vltro, ostenduntq; aliquid, atque largiuntur. *idem, ibid.* Dij liberam voluntatem boni, actionémque perennem atque perfectam omnibus benefaciunt, cùm primum ad illos sunt inuocando conuersi. *ibid.*

Dei operum origo, & initium incomprehensibile est, nulla certa est inita, nullum indicium temporis, ex quo esse cœperunt: & vt illis quæ naturæ lege procreantur, fundamenta sunt semina; ita eorum, quæ Deus instituit, fundamenta sunt causæ, quæ sunt perspicuæ diuinæ prouidentiæ & causæ eius operum sunt tempore antiquiores, vt Deus per æuum, sic etiam causæ per æuum sunt. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

Deus quicquid facit, nulla lege temporis tenetur, & eius origo est causatiua non temporaria: ideò mundus est æternus. *Chalcid. in Timæum Platonis.* Deus est rerum omnium origo, postquam est eius prouidentia secundum Deum latorem legis vtriusque vitæ tam æternæ, quam temporariæ. tertia est substantia, quæ secunda mens, & intellectus dicetur, quasi quædam custos legis æternæ, cui subiectæ sunt rationabiles animæ legi obsequentes, ministrans potestates, naturam, fortunam, casum, dæmones inspectores, & speculatores meritorum. *idem, ibid.*

Deus mundi totius, deorúmque, & dæmonum auctor est, & id vniuersum voluntatis diuinæ munere nunquam in posterum dissoluetur: cæteris operibus eius filij præsunt secundùm patris præceptum imitationémque singula transfigentes, à quibus sunt omnium concitatio, & raptus somnia, oracula, & quæcunque per vaticinium mortalibus accidunt. *Alcinous, cap. 25.*

Deus postquam decreuit visibilem hunc mundum condere, prius formauit simulacrum intelligibile, vt ad eius exemplar incorporei, & Deo simillimi corporeum absolueret mundum recentiorem hunc antiquioris effigiem, quem non licet vllo modo dicendo cogitare, sed sciemus quo pacto consistat, si considerauerimus aliquam rerum nostrarum similitudinem. *Philo de mundi opificio.*

Dei cultor debet adhærere veritati, & verborum coniecturalium & fabulosorum mendacia non curare. *Philo de sacrificiis Abelis & Caini.* Dei hæredes sunt illi, à quibus Deus germanè colitur: terræ filij sunt qui Adami sunt filij, dispersi & dissipati catervatim. *idem, de plantatione Noe.* Deus nõ delectatur victimarum multitudine, sed offerentis bona mente, & puritate spiritus. *idem, de victimas offerentibus.*

Deus antequam componeretur homo sciebat totum mundi corpus, & partes omnes elementales, & particulas, & quomodo, & quando conflandæ inuicem forent, ad hunc hominem componendum, aut illum: similiter quando dissoluuntur intelligit, quo potissimum partes, & particulæ, & quibus gradibus postremò prouenerint: seu etiam vnde recipiendæ, & quibus modis in eandem rursus formam reconciliandæ sint ad eundem hominem iterum componendum. *Athenagoras de resurrectione c. 2.*

Deus cùm sit sapientia ipsa, & nihil frustra faciat, hominem sapientiæ compotem non fecit frustra, igitur ad vnum finem, non ad hunc finem, vt superiora nobis, vel inferiora, ad vsum suum vtantur homine, illa enim hoc vsu non indigent, hæc ad vsum nostrum sunt instituta; fecit ergo Deus hominem propter seipsum, atque propter bonitatem, & sapientiam in vniuerso Dei opificio contemplabilem, vt viueret, nec extingueretur brutorum instar, & illi vitam sempiternam est largitus. *Athenagoras de resurrectione, cap. 2.* Deus qua sapientia fecit, facitque omnia, eadem & singulis assiduè prouidet, & qua iustitia varios in mundo disposuit gradus, eadem sua cuique dispensat vbique. *idem, ibid. cap. 2.*

Deum Plato vniuersi conditorem constituit, Aristoteles nullius rei conditorem, sed huius cœli motorem. *Georgius Gem. de Plat. & Arist. differ. cap. 1.* Dei voluntas, & bonitas omnium rerum fuit causa. *B. ss. Cardin. in calumn. Plat. lib 2. cap 5.*

Deus, quia bonitas est agit, quia summa bonitas agit semper: quia non est in specie aliqua terminatus, sed omnibus æquè communis, agit in omnes; & quia nulli miscetur, ideò nullius est proprius dux, sed communis existit; & si est communis commune sibi competit munus: esse ipsum rebus omnibus est commune; esse igitur vbicunque sit, à Deo pendet. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 2 cap. 7.* Deus solus rem quamlibet efficit totam, nec cogitur, aut alterius auxilio indigere, aut aliunde materiam mutuari, sed cogitur res quælibet inde tota pendere semper, vt à corpore vmbra. *idem, ibid.*

Deus omnia agit, & conseruat, & in omnibus operatur, id est causæ rerum sequentes Deum nihil agunt absque virtute, & actione diuina: vt si Deus angelo dat esse, & actum, & seruat, & largitur agendi virtutem, & actionem, & conseruat, & quicquid angelus naturaliter operatur Dei operatur virtute, vt instrumentum opificis agit virtute: ergo Deus non solùm agit angelum, verùm etiam ipsum angeli opus: & multò magis, quàm angelus opus efficit angeli, cùm ipse sit prima actionis origo: ideò Dei virtute fit quicquid vbique fit à quocunque fiat, præsertim cùm omnia quæ aliquid agunt, esse quodammodo suo operi tribuant. *e in Platon. Theolog. lib 2 cap. 7.* Deus, quia per suum esse solum opus suum potest efficere, consilio, & electione non indiget. *idem, ibid. cap. 8.*

Deus cùm per esse suum agat, & id esse non careat intellectu, immò verò esse & intelligere propter summam Dei simplicitatem sit idem oportet, vt operetur intelligendo: eatenus verò cognitio eius extenditur, quatenus operatio, cùm in Deo simplicissimo sit voluntaria cognitio, & operatio idem: operatio per omnia vsque ad res minimas extenditur, ergo minimas res omnes Deus intelligit, et maximè quòd quisquis rerum minimarum causas omnes cognoscit, res intelligit minimas, Deus autem nullas ignorat, cognoscit quippe se ipsum, ipse est omnium causa, ergo primam, & summè causarũ, & rerum omniũ causam co-

scens noscit omnes distinctè, & clarissimè: nam dum se videt, qui angeli causa est, videt clarissimè angelum, & sic in angelo eius opera, & sic deinceps; quanquam non opus est vt extra se Deus in causis sequentibus vltimos intueatur effectus, cùm ipse sit prima ipsius origo, & causa essendi sequentibus omnibus. *Fic. Platonica Theologia lib. 2. c. 9.*

Deus cùm sit omnium causa, necessarium est in eo omnium formas esse, est ergo Deus essentia vniformis. *Ficin. Platon. Theologia, lib. 2. cap. 15.* Deus solus materiam primam corporum, & essentias mentium, & animarum quam plurimas absque medio, & subiecto procreat, quæ quidem inter se longè diuersæ sunt, multisque perfectionis gradus inter se discretæ. *idem, ibid.* Deus agit vt agit, necessitas enim est ipse Deus: & quoniam necessitati nulla necessitat præest, ideò ibi est summa libertas. Liber viuit qui viuit vt vult, & bonitas vt vult viuit: at aliter esse & velle imbecillitas esset, & insipientia in deterius, immo in nihilum ruitura. *ibid. cap. 12.*

Deus non operatur vt forte contingit, nulla enim res forte contingit operari id quod naturaliter operatur, vt ignis non forte calefacit. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 2. cap. 12.* Deus cuncta sui gratiâ facit, quia si ad alium finem ageret, ab illo fine actio Dei penderet: ergo & ab eodem agendi voluntas, ab eodem quoque Deus, cum idem sit Deus, Deique voluntas. *idem, ibid. cap. 13.* Deus cum sit prima efficiens causa, agit primò omnia: forma verò materiæ non agit primò omnia; compositum primò agit potiùs quàm pars compositi. *ibid. lib. 4. c. 1.*

Deum per se ipsum formare angelos placet Platonicis, per angelos animas, per has postremò materiam, formásque, quas dicunt à summa vita, & actu degenerare gradatim, vsque adeò vt in materia iam, neque reuera viuæ, neque efficaces appareant. *Ficin. Platonica Theologia lib. 4. cap. 1.* Dei operatio est perpetua quædam in se ipsum conuersio, per quam se ipso fruitur & gaudet, & vno actu se & omnia ab ipso producta speculatur, & speculando in se concipit cuncta: & concipiendo extra se quæcunque vult parit. *idem, ibid. lib. 9. c. 6.*

Deus quantum ad intelligentiam spectat agit solùm; angelus aget, & capiet; anima capiet per naturam suæ mentis solùm, non aget. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 16. cap. 1.* Deus præ cæteris rapit quem amat ardentius, & amantem ardenter amat, & nisi quis vult non rapit, nec vnquam velles nisi ille antea voluisset. *idem, epist. lib. 2.* Deum quærunt qui Deum quodammodo notum in prioris amantes per omnia eius opera, & testimonia, tanquam vestigia quædam diligenter inuestigant. *idem, ibid. lib. 10.*

Deus, & natura hominem agendo producunt ideò producût, vt agat diuinorum gratiâ. *Fic. in Plat. de regno.* Dei contemplatio ducit nostras actiones, & motus tam cœlestes, quam naturales tanquã à principio ad finẽ. *idẽ, in Plat. de rep. dial. 1.* Dei contemplatio, & cultus est reipublicæ præcipuus finis, vt quod neque vnus si solus vixerit, neque plures si simul habitauerint sine lege, efficere potest, multi saltem ciues communi lege in vnum ciuitatis cœtum congregati perficiant. *ibid.*

Deum nec tactu nec scientia percipere possumus, id est nec subito intellectus intuitu, nec conclusione quadam antecedentibus principiis consequente. *Ficin. in Dion. Areop. de diuin. nominib.* Deus non solùm omnia in omnibus agit, sed ipse quoque excellenter est in omnibus omnia; agit cuncta absque inclinatione & habitudine ad subdita, est omnia sine mixtione ad alia sine detrimento sui, & omnia habet in se simpliciter, & prorsus indefinite, simpliciter, & vnicè; quoniam quæ in Deo formæ sunt multæ, in Deo forma sunt vna. *idem, ibid.*

Dei opus est creare, conuertere, purgare, illuminare, perficere. *Fic. in Plat. dial. de sancto.* Deus omnia disponit per essentiam, esse, vim, actionem, cœlestia per quatuor triplicitates, sub cœlum per quatuor elementa, sic volunt quatuor literis exprimi. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. c. 12.* Deus, vt Sol illuminat quamlibet stellam sine medio, & rursus aliam per aliam, sic illuminat quamlibet mentem tum absque medio, tum aliam per aliam. *ibid. c. 36.*

Deus qua ratione colendus sit nemo intelligit vnquam, nisi prius intelligat Deum. Diuinum verò Solem nisi ipso diuino Sole se demonstrante videre non possumus, ferendas ergo leges ab Apolline, id est à diuino splendore non linguâ iudicat Plato, sed purgatâ mente atque serenâ. *Ficin. in Plat. de repub. dialog. 4.* Deus intra se intelligendo concipit, & extra se fabricat volendo. *idem, ibid. dial. 10.* Deum supplicando accedant puri decenter, ducentes secum tres præcipuè comites, fidem, veritatem & charitatem, quibus stipati spem bonorum concipiant firmam, atque extra cætera, séque ipsos positi diuinæ se ipsos luci prorsus immergant. *Fic. in Plat. Timæum, c. 6.* Deum decenter fœliciterq; precatur solus vir bonus. *idem, ibid.*

Deum frustra quæritat, qui non adhibet se solum soli, immobilémque stabili, & simplicem simplicissimo: quemadmodum non possumus enti per non ens coniungi, sic neque vnitati per multitudinem, & stabilitati per motum, & simplicitati per mixtionem, sed relabimur potius in oppositum. *Ficin. in Plat. Timæum, c. 6.* Dei, & ex Deo ita omnia sunt, ait Iamblicus, vt nusquam vel minima quæque deserantur à Deo, vbique enim diuina viget vnitas, per quam res quæque consistent, ac perpetuo quodam totóque circulo ad Deum ipsum, à quo & in quo sunt, mirabiliter reuoluuntur, alioqui ad nihilum repente proruerent. *idẽ, ibid.*

Deus quæcunque facit, magis ab eo quàm à cæteris causis dependent, siquidem ipse in quouis opere & prius agit, & diutiùs & vehementius quàm cæteræ causæ, & reliquæ quicquid sunt, eo faciente sunt, & quicquid agunt, eo ducente agunt. *Fic. in Plat. Timæum, c. 8.* Deus est cunctorum effectorum & exemplar, & finis. *idem, ibid.*

Deum mundi authorem, & item materiæ effectorem esse eundem Ammonij, & Origenis Schola respondebit: at cæteri Platonici non eundem esse Deum putant, qui materiã facit, & qui format proximè, ideò materiam à summo bono esse, ab intellectu verò formari, ab anima postremò moueri, immo omnia hæc à primo, sed esse à primo tantum, formari à primo per intellectum, moueri, & mouendo formari mobiliter, à primo per intellectum simul & animam: perinde ac si fingamus figulum quendam qui manu propria lutum faciat, factum per rotam formet, formando ligneo quodam distinguat pectine atque figuret, nemo vtique dixerit vas à pectine, nec à rota magis fieri quàm à figulo, quamuis à figulo per rotam fiat, & pectinem. *Fic. in Platon. Timæum c. 9.*

Deus omnia in numero, mensura, & pondere posuit: per numeros intelligi vult ipsas rerum naturalium species, & formas substantiales, quas etiam Aristoteles numeris comparauit, per mensuras certas instrumentalésque figuras, vel magnitudines speciebus certis accommodatas: per solida vires significat & qualitates, quæ cum motibus penitus protenduntur, & præstant motionibus, actionibúsque momentum. *Ficin. in Plato. Timæum. cap. 19.*

Deus summus absque vllo voluntatis, vel naturæ motu diuinum generat intellectum, tanquam verbum suum, solâ alteritate quadam à patre differens; intellectus quoque immobilis verbum suum generat, ipsam scilicet mundi animam. *Ficin. in Plot. En. 5. lib. 1. c. 6.*

Deum opere suo delectari significat ipsum facillimo quodam voluntatis actu mundum ad sui similitudinem effecisse, & etiam imperè, quàm facilè prouidere. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 18.* Deus mundi architectus à sua sede, id est ex sui ipsius intuitu remotissime quæque minimaque prospicit, & ad intuitam contemplationem deos subditos sibi conuertit, vnde instructi inferiora gubernant, & assiduè diuina contemplando per illa simul temporalia dispensant. *idem, in Plat. Atlanticum.*

Deus in anima creanda ex essentia, & eodem, & altero vnam constauit naturam tam exactâ commistione, vt in essentia eius vbique idem inesset, & alterum, atque vicissim in ipso eius eodem inesset, & alterum, & essentia; rursus in ipso eius altero & essentia lateret, & idem: nam essentia per idem habet, vt & secum ipsa & aliis congruat, per alterum quodammodo in se distinguitur, & multò magis à cæteris: idem & alterum vt existant ambo ab essentia sortiuntur, sed idẽ à seipso conuenientiam possidet, ab altero differentiam, alterum verò à se differentiam, sed ab eodem congruitatem, & ordinem. *Mar. Fic. in Plat. Timæum, c. 32.*

Deum vnum sæpe docet Plato adorandum in primis, cuius gratiâ cætera numina colenda sunt, vt in epistola ad Dionysium, rursúsque ad Hermiam, & in Parmenide qui totus agit de vno, & in Timæo qui omnia producit ab vno, & in Philebo qui omnia metitur vno, & in Epinomide qui omnia reducit ad vnum, manifestè demonstrat. *Ficin. in Plat. de legib. dial. 7.*

Deum primum per se adorari iubet Plato, sequentes verò qui participatione eius dij quoque dicuntur, amari tanquam illi similiores, honorari vt vicarios, imò & aduocari quasi conciliatores, audiri vt diuinæ mentis interpretes, exaudiri denique vt diuinæ maiestatis præcones iubet, & templa condi in vrbe, & vrbem ipsam quasi ædem sacram in partes distribui duodecim. *Fic. in Plat. de legib. dial. 8.*

Deo volẽte nihil impedire possumus, illius enim potestati cũcta sub-

cta subduntur, qui vnicuique naturæ præcipuum aliquid est largitus, homini autem illud de dit eximium, vt libertate voluntatis atque iudicij vteretur. *Ficin. de Fato, cap. 3.*

Deus ita firmiter contingentia tenet, cùm ea vt præsentia videt, vt quæ sunt naturaliter necessaria nam quę contingentia dicimus, quamdiu adhuc futura sunt, possunt ex causis non exire, cum verò primum præsentia sunt, non exisse non possunt, nec valent dum sunt non esse, nec in contingentibus quatenus sunt ad præsens, datur esse pariter & non esse, sed duntaxat esse quamuis in futurum possent non esse, quare necessariorum iam conditionem sortita sunt, nam & quilibet certus est esse, fierique contingentia hæc intuens in præsente, quæ olim verum in posterum forent erat incertus. *Ficin. in Plo. de prouidentia, c. 10.* Deus videndo causas efficit, easque proprietatibus donat, & connectit in vnum. *idem, ibid.*

Dei intellectualis forma per quam agit est natura ipsa Dei, ideò eadem facit semper eodem modo ideò non tam consilio agit, quàm naturali forma seipsam foras quasi naturaliter exprimente. *Fic. in Plo. En. 6. lib. 7. c. 3.* Deo frui non tam est videre, quàm tangere, nec id quidem intrinsecus, sed penitus illabi, ac diuinitus affici, efficique Deum, sicut qui alimentis vescitur, tandem efficitur alimentum, vel vicissim. *idem, in Plot. En 6. lib. 9. c. 7.*

Deum qui pia mente colunt à Deo amantur: ideò non duo sed semper tres sunt amici, duo homines, & vnus deus, Deus inquam Iupiter hospitalis, Iupiter amicabilis, Iupiter humanæ vitæ seruator, hic est amicitiæ indissolubilis nodus & custos perpetuus: hoc Deo conciliatore prisci illi Theologi, quorum memoriam veneramur, sanctam inter se amicitiæ copulam iniisse traduntur. Apud Persas Zoroaster in ipsis religiosæ philosophiæ mysterijs assiduum sibi comitem Arimaspem aspirante numine dicitur asciuisse. Mercurius Trismegistus apud Ægyptios Æsculapium, Musæum in Thracia Orpheus, illic etiam Aglaophemus Pythagorem, Atheniensis Plato Dionem primò Syracusanum, deinde Dione defuncto Xenocratem, vsque adeò Deum ducem & comitem hominem ad diuinum iter peragendum necessarium arbitrantur. *Ficin. in Alcinoo & Speusippi p. afatione.*

Deus tria genera procreat, angelos incorporeos, formas corporeas, & animas incorporeas substantiâ, sed affectu quasi corporeas, sic Sol calore semper corporea generat, lumine spirituales corporum imagines per aërem reluctantes, medios verò colores. *Fic. de lumine cap. 12.* Deus cùm omnium rerum sit quantumlibet diuersarum æquè auctor, & quæ in rerum ordine posita sunt, & contraria pariter ab ipso dependeant, necessarium est Deum ad nullum oppositorum naturaliter esse determinatum; alioqui si calor esset, frigus non procrearet. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Deum amare, & desiderare ante omnia debemus, & post Deū quæ Deo nos magis coniungunt.

Deo in hac vita coniungimur per gratiam, quæ est radies fidei, spei, & charitatis: in alia vita per apertam eius visionem & plenam fruitionem suæ bonitatis, quæ omnia conferuntur nobis per IESVM CHRISTVM, quem quisecum habet, habet omne bonum, nec aliud in hoc, vel in futuro seculo desiderare debemus, quàm ipsi Christo esse coniunctí semper. *Ioan. Pic. Mir. in orat. dominicam.*

Deum amare dum sumus in corpore plus possumus, quàm vel eloqui, vel cognoscere: amando plus nobis proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur: maluimus semper per cognitionem quærendo semper, nunquam inuenire, quod quærimus, quàm amando possidere id quod non amando frustra etiam inueniretur. *Ioan Pic. Mir. de ente & vno cap. 5.* Deum e nihilo vniuersa creasse voluit Theophrastus. *Ioannes Fran. Pic. Mirand. in exam. vanita. doct. gentium. libr. 6. cap. 8.*

Deo frui in hac vita perfectè non possumus quia ex parte cognoscimus, & ex parte diligimus. *Gabriel Buratelius de communi felicitate lib 6.* Deus vt duo in mundo prestat, vnum quo mundum instituit, alterum quo illum gubernat, sic anima in corpore facit humano, format & gubernat. *Francisc. Patr. de regno lib. 1 cap. 9.*

Deus rapere debet eum, qui ad eum ascendere debet; alioqui nemo ad Deum ascendere potest. *Iac. Carp. in Alcin. part. post cap 26.* Deo non solùm rerum intelligentiam inesse dicimus, sed etiam earum procreandarum, & conseruandarum, & ornandarum voluntatem. *idem, in Alcin cap. 9.*

Deus creauit mundum quando ipsi placuit, vt etiam misit verbum suum cum vtile fuit vniuersæ creaturæ: sed harum rerum causas quærere furentis est, & cōpescat se humane temeritas. *ibid. c. 10.* Deus omnia ex nihilo facere potest. *ibid.*

Deum omnia creasse concordant Orpheus, Hesiodus, Empedocles, & Plato. *August. Steuc. de perenn. philos. lib. 3. cap. 15.* Deo si datur causarum principatus, datur omnium earum inuentio & excogitatio: non debet esse mouendi potens Deus, inueniendi non potens. nam non esset principium causarum, si aliquas causas fecisset, alias facere non potuisset, sicque non esset principium, & origo. *idem, ibid. lib 4 c. 7.*

Deus non modò bonorum, sed malorum etiam mundum creauit, alioqui si non creasset propter malos noceret bonis. *Aug. Steuch. de peren. philos. lib. 7. cap. 7.* Dij non fuerunt adiutores in creatione Deo, nam si ipse multò viliores res homine creauit, cur non hominem multò nobiliorem? *idem, lib 9 cap 6.*

Deus initio quatuor simul creauit, cœlum empyreum, Angelos, materiam primam, tempus: reliqua dierum interuallis. *M. Antonius Natta de immortalitate anim. cap. 5.* Deus quęcunque procreauit, non specifico, aut propriè sumpto, sed communi atque generico quodam amore prosequi existimatur. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.*

Deus ex rerum à sese procreatarum debita, & conuenienti perfectione perfectionem quandam non quidem propriam neque internam, sed externam duntaxat, & relatiuam consequi existimatur. *Leo Heb de Amore, dial. 3.* Deus haud sese cum rebus procreatis copulare, sed eas potius sibi adiungere studet, appetitque. *idem, ibid.* Deus in mundi ipsius origine paternis, & maternis partibus simul fungi videtur. *ibidem.*

Deus mundi ipsius efficiens, forma, & finis esse haud immeritò existimatur. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Deus rerum cunctarum primum principium, postremúsque finis existit. *idem, ibidem.* Ex Deo sibi ipsi dilecto primus intellectus ex Deo autem se ipsum diligente prima materia: ex Dei denique in seipsum maximo amore mundus tanquam ex radice quadam emersisse videtur. *ibid.* Dei dignitas, atque præstantia nequaquam ad mundum statim referenda videtur, verùm in seipsa primùm consistens rerum procreatarum vniuersitati postea communicatur atque impertitur. *ibid.*

Vt de Dijs poetæ male locuti sunt, & quo loco.

Deos patres hominum facere non debent poetæ, nec nominis Priamum apparentem, & lugentem, & in stercore se volutantem, nec deos lugentes, & multò minus maximum deorum: hoc enim si iuuenes nos serio dicentes audiant, non deridebunt? *Plato de rep. dial. 3.*

Deo nullus est locus, nullo indiget fundamento quasi sustinere se non possit: nam quod quærit locum, egenum est: at principium his quæ sequuntur, non indiget, ideo principium omnium nullis indiget. *Plot. En. 6. lib 9. cap. 6.*

Deus est vbique, quia nusquam intellectus est, & nusquam anima, & quoniam ipse nusquam est, sed Deus vbique est, & nusquam eorum omnium quæ sunt post ipsum, sibi ipsius est solum, vt est & vult. *Porphyrius de occasionib.* Dij ex hoc maximè omnia continent quod nusquam continentur, & cùm in quolibet Deo natura sit infinita, & natura indiuidua, incomprehensibilisque meritò certis alicubi locis cohiberi non possunt. *Iamblichus de mysterio.* Dij vbique præsentes sunt, & si dicuntur aerij, vel aquei, non dicuntur quia ibi solùm sint, sed quia ibi maximè regnant. *idem, ibidem.* Dijs omnia sunt plena. *Procl. elem. 7 heo. propo. 145.*

Deus est vbique, nam substantia incorporea tangit per virtutem: ideò vbique est, & ibi est causa particularis, vbi est effectus particularis, sic vniuersalis vniuersalis: & cùm sit vbique aliquid quod per solum Deum fieri possit, Deus ergo est vbique. *Fic. in Plat. Theol. lib. 2. cap. 6.*

Deus sic est vbique, vt in eo sit illud quod vbique appellatur, imò vt ipsum sit illud vbique quod capit se ipsum &, reliqua: & quæ præter illud dicuntur vbique esse ea sunt propriè quæ illud per seipsum amplificat in seipsa. *idem, ibid.*

Deus difficilè reperitur vbi sit, quia nusquam est quod nullius vel subiecti, vel loci limite cohibetur. Difficiliùs reperitur vbi non sit, quia in omnibus est illud in quo sunt, per quod sunt, & seruantur quælibet vbique; ergo Deus est in omnibus quia omnia in eo sunt, quæ nisi essent in eo, essent nusquam & omnino non essent. *Ficin. Platonica. Theolog. lib. 2. cap. 6.*

Dij omnes certis inferioris mundi partibus assignati, Ideæ illarum partium sunt in superna mente collectæ. *idem, in Plat. commun. opt. 2. cap. 9.*

Dij locales sunt, non solùm quia superior prouidentia alios alijs præfecit regionibus, atque rebus, sed quia regiones, resque aliæ magis quàm aliæ huius vel illius mundani dei participes esse possunt: quatenus ad diuinum affectum suscipiendum paratiores existunt, & hi minus vniuersalem pro-

uidentiam, quàm cœlestes sortiri putantur; & sub diis localibus sunt etiam dæmones locales, sub vno quoque plures magis particularem nacti vitam. Ex differentiis localium deorum & dæmonum multæ occultæque, & maximæ locis variisque rebus contingunt differentiæ præsertim ad ingenia, mores, leges, fortunas, imperia pertinentes. *Fic. in Plat. Phadrum. c. 38.*

Deus, etsi sit vbique, tamen in summo intelligentiæ lucet; ad hanc lucem perspiciendam formæ omnes non solùm imaginabiles, sed etiam intelligibiles tanquam nubes obstant: hanc nubem discutere debet, diuinam lucem mente sereoâ feliciter percepturus. *Fic in Plot. En. 6. lib. 9. c. 7.*

Deorum potentia, proprietas, vt Socrates in deos obediens fuit.

Deus per vates nos alloquitur. *Plato in Ione.* Deus primus mouet poetas, per hos rhapsodos, & per ipsos auditores. *idem, ibid.* Deus nec latere nec cogere possibile est. *de rep. dial 2.* Deus, & dæmon à mendacio alienus est. *ibid.* Deos non latet qui iustus, & qui iniustus sit; & iustus Deo charus est, iniustus odio habetur. *ibid. dial.* 10.

Deo conuenit solum Est iuxta veram rationem, at nos dicimus, & est, & erat, & erit: erat autem, & erit, de iis, quæ in tempore fiunt & progrediuntur dici conuenit, sunt enim ambo motus. *Plato in Timæo.* Deus non mentitur, nec ipsi fas est mentiri. *idem, in Apologia.* Deo magis quàm hominibus parendum. *ibid.* Dei monitu quod facere debebat Socrates faciebat tum ex oraculis, tum ex insomniis, & alio modo, quo quædam diuina sors homini imperauit. *ibid.*

Dij etiam iocos amant, *Plato in Cratylo* Deo similes sumus, si iusti, & sancti cum sapientia fiamus. *idem, in Theatete.* Dij nec gaudent, nec dolent. *in Philebo.* Deum hospitalem homines iusti pudoris participes comitari, & iniurias, & æquitates hominum intueri, ait Homerus. *in sophista.* Deo soli conuenit nominari sapiens. *in Phadro.*

Deus in suo statu manet semper. *Plato in Timæo.* Deus multa in vnum commiscere, & rursus ex vno in multa dissoluere potest, vt qui scit, & potens est: hominum autem nemo alterutrum horum, aut nunc præstare potest, aut in posterum vnquam poterit: ideò qui experimentum de his capere vult, is humanæ, & diuinæ naturæ diuersitatem ignorat. *idem, ibid.* Dei similis est vir bonus, quem si quis vituperat, indignatur Deus. *in Minoe.*

Deo gratum est simili simile. & ei moderatum gratum est, immoderata verò nec inter se nec moderatis amica sunt; itaque Deus omnium rerum sit nobis maximè mensura, & hoc multò magis, quàm aliquis, vt aiunt homo. Qui igitur huic gratus fieri volet, ei necesse est vt & ipse pro viribus talis maximè fiat, & secundùm hanc rationem. qui ex nobis temperatus est, Deo maximè gratus est, similis enim illi est: intemperatus verò & dissimilis, & diuersus, & iniustus. *Plat. de legib. dial 4.* a

Deus ex natura omni beato studio dignus est, homo verò ludicrum quoddam Dei factus est. *Plato de legibus, dialog. 7.* Deum qui diuinæ sortis summum obtinet, à dolore & voluptate alienum esse patet, sapientiâ verò & cogitatione per omnia participare. *idem in legum appendice.* Deus cùm ciuitatem beneficio afficere vult, bonos viros in ipsam inducit: at cùm afflictio aliqua imminet ciuitati, Deus bonos viros ex hac ciuitate eximit. *idem, de virtute. an doceri possit.*

Deum æternum sola mens videt, vniuersorum ducem, & ipsorum productorem. *Timæus Locrus de anima mundi & natura.* Deus procul à voluptate, & dolore consistit. *Plato Dionysio, epist. 3.*

Deum qui diligit mentem consequitur: sed qui corpus suum non oderit, se ipsum amare non potest, at mentem qui consecutus fuerit, è vestigio scientias nanciscitur. *Mer. Trismeg. Pimander, c. 4.* Deus vitâ sempiternâ fruitur, reliqua ante oculos ponit, ipse occultus manés, nam quod se offert aspectui genitum est, quod latet sempiternum. *idem, ibid. c. 5.*

Deus totius expers est inuidiæ, per singulas mundi particulas vbique splendet, atque adeò se notum præstat, vt non intelligere modò, sed manibus etiam ipsis, vt ita dixerim, attrectare liceat, nam vndique oculis nostris eius obseruatur, séque obiicit, & inculcat imago. *Mercur. Trismegisti Pimander c. 5.*

Deus, & pater, & bonum naturam eandem, imò eundem actum habent, & Deus & pater, & bonum eo ipso quod omnia est, hoc vult esse & est, & ipsum, maximè verò ipsi, nam cætera omnia propter ipsum. Proprium boni est sese notum præbere, nec vt Solis radius suo fulgore nimio corrumpit oculos, sed fouet & illustrat ipsius boni conspectio, & magis exauget quo quis capere magis potest intelligibilis influxum splendoris, *Trismegisti Pimander, cap. 10.*

Deus & vniuersum sic se habent. Deus, æternitas, tempus, generatio, Deus æternitatem, æternitas mundum, mundus tempus, tempus generationem efficit. *Trismegist. Pimander, cap. 11.* Deus viuere nequit nisi bona producat, vt homo viuere nequit sine vita, Dei enim vita est singula agitare, & vitam omnibus inspirare, hic est eius actus *idem, ibid.* Deus in seipso intelligentias omnes habet, & seipsum ceu mundum vniuersum habet. *ibid.*

Dei qui fretus est clementiâ, expellit à se ignorantiam, tristitiam, inconstantiam, cupiditatem, iniustitiam, luxuriam, deceptionem, inuidiam, fraudem, iram, temeritatem, malitiã: & sub his plures continentur, quæ hominem per corporis carcerem tristem sensibus pati cogunt. Gaudendum cùm Dei cognitio in nos descendit, quæ expulit ignorantiam, gaudium Dei tristitiam, constantia, quæ mollitiem expellat, continentia, iustitia, veritatis communitio aduersus excessum, bonum, vita, lux. *Trismeg. Pimand c. 13.* Deus in cœlo mortalitatem ferit, in terram mutationem, in toto denique mundo vitam & motum. *ibid. cap. 14.*

Dei imagines sunt duæ, Mundus, & homo. *Trismeg. Asclepius, c. 6.* Deus sempiternus, æternus, nec nasci potest, nec potuit, hoc est, hoc fuit, hoc erit semper: hæc ergo est, quæ ex se tota est natura Dei. *ibid. c. 7.* Deum credibile est in seipsam agitari immobilitate, stabilitas enim ipsius in magnitudine est immobilis agitatio, ipsius enim magnitudinis immobilis lex est, hoc ergo quod est tale. quod non subiicitur sensibus, infinitum, incomprehensibile, inæstimabile est, nec sustineri, nec ferri, nec indagari potest, vnde enim, & quo, & vbi, aut quomodo, vel quale sit incertum est. *ibidem, cap. 15.*

Deus existit, quia nihil est potentiâ quin aliquid non sit actu, alioqui non exiret è potentia in actum: potentia nil aliud est quàm possibilitas actus: ideò necesse est vt aliquid sit in actu vero, quod est ens perpetuum, intransmutabile, indimouibile, inalterabile. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 3. c. 3.* Dei essentia excedit omnia alia entia sigillata, & pendentia, & potestas humana infima nequit illum comprehendere, & nihil attributorum eius scire valet. *idem, ibid. lib. 4. c. 3.*

Deus non agit per consultationem, vel deliberationem; alioqui habuit aliquid prius, sed per solam essentiam agit: ideò non oportet, vt præuolcat quale debet esse faciendũ, quoniam solum efficit tale, quale conuenit fore: ideò non indiget alio coagente, nec cogitatione ad producendũ aliquid. *Arist. Theolog. Æg. lib 5. c. 2.* Deus non agit propter aliud, quia non est aliud nobilius propter quod agere possit: & in spiritualibus ratio quid est, & propter quid non differunt. *idem ibid c. 5.* Deo quæ conueniant, & Dei verbo conuenione. *ibid. lib.* 10. *c. 13.*

Deus ab hominibus plurimum differt, & nunquam hominibus miscetur. *Apul. de Deo Socratis.* Deus qui est animasus sui cuiusque, qui genius potest appellari, quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur. *idem, ibid.* Deus oculis non cernitur: & vt anima hominis non videtur, tamen operationes humanæ omnes ab anima proficiscuntur: sic omnia quæ in mundo fiunt à Deo fiunt, etsi oculi mortales eius aspectum non videant. *idem, de mundo.*

Dei placitum sequitur necessitas, voluntatem comitatur effectus. *Apol. Asclepius.* Deus æternus nec nasci potest, nec potuit, hoc est hoc fuit, hoc semper erit; hæc ergo est quæ ea se tota est Dei natura *idem, ibid.*

Deus non est visibilis, vnde Moses non eum vidit, sed potius locum vbi stetit: vnde colligere possumus diuinissima, & suprema quæque visibilium & intelligibilium esse rationes quasdam suppositorias, & significationes horum quæ subiecta sunt omnia transcendenti Deo, per quæ Dei præsentia omnem intelligentiam superans superintelligibilis sanctissimorum ipsius locorum summitates incedens, tunc visibilia, & intelligibilia dimittens ipsam ingreditur ignorantiam, mysticam reuera caliginem, vbi omnes cognitorias perceptiones excutit, & in eum qui tactum penitus, & visum refugit iam consistit, totúsq; euadit illius qui omnia supereminet; tunc nec sui, nec alterius est, sed ipsi qui penitus est incognitus cognitionis omnis vacatione per aliquid cognitione præstantius est vnitus, ea eo quod nihil cognoscit intelligentia transcendendo cognoscit. *Dionys. Areopag. de trinitate.*

Dei veritatem non in persuasoriis humanæ sapientiæ rationibus, sed in demonstratione potestatis eius quam Spiritus Sanctus in Theologus suscitauit, explicare volumus, qua ineffabilibus & incognitis ineffabiliter & incognitè copulemur per vnionem quandam potentia & actione nostra tum rationali, tum etiam intellectuali præstantiorem. *Dionys. Areopag. de diuin. nominib.*

Deo

Deo quod excellétius est essentiâ, & scientiam essentiâ superiorem, quæ & ignorantia nominatur, sed ratione, intellectu, & essentia præstantior. debemus ascribere. *idem, ibid.*

Deus est omnibus similitudinem participantibus causa, & vt inuicem sint similia, imò ipse est ipsius per se similitudinis auctor. *Dionys. Areop. de diuin. nominib.* Deo eadem sunt & similia & dissimilia, similia quoniam Deum imparticipabilem pro modo suo percipiunt, & illum qui omnem imitationem refugit pro viribus imitantur: dissimilia, quia inde creata deficiunt, interuallisque infinitis incomparabilibúsque inde distant. *idem, ibid.*

Deus stare dicitur, quia Deus in seipso permanet in sua immobili identitate firmiter, & accommodatissimè collocatus, & quia secundum eadem, & circa idem, & eodem modo semper agit, nunquam ex seipso migrans, vel quomodocunque motus: est enim omnium status & firmitatis auctor, qui super omnem statum & sedem existit, & in ipso omnia consistunt, & inde à bonis eum suorum statu incommota seruantur. *Dionys. Areopag. de diuin. nominib.* Deus moueri dicitur, quia ad essentiam cuncta perducit & continet, omnibus modis prouidet omnibus, cunctis adest comprehendens omnia, ab omnibus interim absolutus prouidentissimis per omnia processibus, actionibúsque cuncta vbique dispensans. *idem, ibid.*

Deus æternitate superior est, quia est ante æuum super æuũ, & eius regnum est omnium seculorum. *Dion. Areop. de diu. nominib.* Deo bonum adhibemus, non quod hoc ei nomen congruum sit, sed desiderio aliquid intelligendi de ineffabili illa natura nomen illud bonum scilicet nominum omnium maximè venerandum dedicamus: in quo à Theologis non dissentimus, ab ipsa tamen rerum veritate deficimus. *idem, ibid.*

Deum habemus fortè tanquam intelligibili naturæ, veræque essentiæ incubantem, nos autem inde tertios ex indiuidua, vt Plato inquit, natura superna, & ex natura circa corpora diuisibili, quam oportet intelligere sic circa corpora diuisibilem, quoniam dimensionibus corporis seipsam iunxit, quatenus vnumquodque est viuens, quando, & in toto, & vniuerso vna existit. *Plot. En 1. lib. 1. c. 8.*

Deus virtutes ciuiles habere non probabile est, videlicet prudentiam circa vim consultandi fortitudinem circa iracundiæ impetum, temperantiam in consensione quadam & concordia naturæ concupiscentis ad rationem, iustitiam, præterea propriam vniuscuiusque horum actionem in eo quod est ducere, & duci consentientem: sed nil prohibet nos virtutibus nostris assimilari Deo non habenti virtutem, similitudine videlicet ad virtutes minimè pertinente, vt nõ est necesse ignem calefieri, etsi nos igne calescimus: atqui Deo non est opus virtute. sed nihilominus nos similes illi per virtutes euadimus. *Plot. En. 1. lib. 2. c. 1.*

Deus pro diuerso situ nobis benefacere, vel malè facere non est dicendum, sed dum procurant pro vniuersi salute, necessarium est ad alium viuo conducere, quo qui illa suspiciunt quasi liberos qui literaturam habe nondum futura legant, indagantes ex ipsis figuris comparatione quadam analogica significatum. *Plot. En. 3. lib. 1. cap. 6.* Deus cum sit prorsus immobilis, si quid secundum post ipsum nascitur, ab illo neque annuente, nec voluntate decernente, nec vllo pacto commota subsistit, lumen vndique circumfusum ex ipso dependens, ipso quidem penitus quiescente, vt fulgorem circa Solem circum currentem, ex ipso semper manente progenitum; & res omnes vt naturaliter perseuerant ex ipsa sui essentia, præsentíque virtute necessariam circa se foras naturam producunt ab ipsis dependentẽ, quæ imago sit velut exemplaris scilicet virtutis illius vnde manauit. *idem, En 5. lib 1. c. 6.*

Deus ad nos accedit vt fortè aliquis expectauerit, sed venit quasi non veniens, apparet enim non veniens sed ante, & super omnia præsens antequam intellectus accesserit, intellectus autem est propriè qui accedit, & qui discendit. *Platon. En 5. lib. 5. c. 8.* Deum per alia non licet vt quis intueatur, alioqui non Deum, sed eius vestigium intuebitur. *idem, ibid. c. 10.* Deum vbique esse totum vnum in omnibus & idem, clamant omnes naturali quodam instinctu, & omnes eodem naturali instinctu aiunt omnia bonum appetere. *idem. En. 6. lib. 5. c. 1.*

Deos omnes vbique esse præsentes communis est omnium opinio, & ratio ita esse concludit, & non esse posset vbique diuisus, alioqui non totus, sed vna eius pars, & sic non esset vnus; & si diuideretur, foret corpus, quod impossibile esse monstratum est: ergo confitetur vnum aliquid indiuisum vbique simul esse totum, & natura infinita, quia nunquam deficit. *Plot. En. 6. lib. 5. c. 4.*

Dij cùm sæpe sint multis æquè præsentes, vni tamen apparẽt, quia ille omnium solus suscipere potest. *idem, ibid. c. 12.*

Deo nihil est quod non sit totum & vniuersum, ideò omnia continentur in Deo, & cùm futurum sit ibi præsens, nihil in eo posterius est, ergo tanquam præcognitum est præsens, vt nihil tunc indigeat aliquo, vt nihil desit omnino, omnia ergo iam erant, & erunt semper, & ita erunt, vt postea liceret dicere, hoc esse post illud, namque quod illic est, cùm explicatur & panditur, tunc hoc post illud apparet; qua verò ratione totum simul existit, non occurrit amplius hoc atque illud, sed potius hoc vniuersum, id est causam quoque possidens in se ipso. *Plot. En. 6. lib. 7. c. 1.*

Deo nulla est argumentatio, nominatur interdum rationale in Deo consilium, vt ita potissimum indicetur sic ab eo singula constituta, vt sapiens aliquis in rebus posterioribus cõsilio faceret: & prouisio dicitur in Deo, quoniam ita disposuit quemadmodum sapiens aliquis in rebus posterioribus prouidisset. *Plot. En. 6. lib. 7. c. 1.* Dij quicunque mente, & appetitu quodam mentem sequente viuunt, libertatem habent. *idem, En 6. lib 8. c. 3.*

Deus nec alia, nec omne cognoscit, & ita dignitatem suam integram retinebit: alia ipso sunt posteriora, estq; ipse hoc ipsum quod est ante illa; & prouidentiæ ratio seruatur satis ex eo quod Deus ipse est à quo sunt omnia. *Plot. En. 6. lib. 7. c. 39.* Deus intelligentiam non habet, nam intelligentia si boni est bono deterior est: quapropter non est ipsius boni, non quia bonum intelligi nequeat, sed quia in ipso bono nulla est intellectio. *idem, En 6 lib 7. c. 4.*

Deo nihil inest, quod de illo prædicemus; omnia enim pulchra, & veneranda illa posteriora sunt; ideò & liberum arbitrium, & omnia ab illo seiongamus. *Plotin. En. 6. lib. 8. c. 8.* Deus in gradu excellentiori locandus est quàm quod sibi dominetur, non enim vbi vnum tantùm est, & actus vnus, debet dici dominus sui ipsius, sed potius libertas & liberator. *idem, ibid. c. 15.*

Deo si tribuimus largo loquendi modo voluntatem, essentiã, actionem; idem sunt; ergo quod voluit existit, & vt vult & agit, sic eius natura se habet, ergo sui est dominus, & suum esse proprio arbitrio possidet. *Plo. En. 6. lib 8. cap. 13.* Deus & vbique est, & nusquam, ipse enim cæteris largitur esse, propterea quod in eo quod ipsum vbique est admirantur, & cum sit supremus subdita habet omnia, & cætera circa ipsum, nec ille ad illa prospicit, sed ad illũ cũcta prospiciũt, & sui ipsius est opus, nec est vt contingit, sed vt ipse vult: & voluntas nõ est temeraria, & vana, sed optimi. *idem, ibid. c. 16.*

Deum non licet dicere antequam fieret extitisse, quandoquidem non erat antequam fieret, sed iam erat solus agendo, actus enim liber est, & sic à seipso ipse Deus existit: & si ab alio seruaretur, tum primus ex seipso prorsus existeret, & ante tempus, & ante æternitatem extitit, & primus est, non ordine quodam, sed auctoritate propria, ac purè libera potestate. *Plot. En. 6. lib. 8. c. 20.* Deum continere seipsum, si rectè dicatur, intelligendum est, quod omnia à Deo sustineantur, nam quadam participatione Dei sunt, ad ipsúmque omnia reducuntur, ipse verò iam est à seipso, nec connexione, vel continentia, nec participatione vel præsentia indigens, sed ipse sibi est omnia, imò sibi iam nihil, vt qui ad seipsum non indiget omnibus: sed tu cùm eum dicis vel cogitas omnia ab eo auferas. *idem, ibid. c. 21.*

Deum Plato loqui nec scribi posse, nec dici: at de illo scribimus, & loquimur frequenter. vt ita saltem disputationibus nostris animam excitemus, & ad diuinum spectaculum dirigamus. quasi quandam ostendentem viam visere non nihil desideranti, doctrina vsque ad viam, & iter suas vires extendit. *Platon. En. 6. lib. 9. c. 4.* Deus à nullo abest vsquam, & quodammodo abesse videtur ab omnibus, adeò vt præsens vbique sit, nec vnique non præsens, nam his solum est præsens qui capere possunt, cùm scilicet animus ita affectus est vt erat cùm inde processit, ideò videre potest tunc, vt Deus naturâ videndus est. *idem, ibid. c. 5.* Deus nullo modo est indigus, sed sufficientissimus omnium, maximéque se ipso contentus. *ibid. c. 6.*

Deus vbicunque est quod possit attingere est præsens, solùm non potenti non adest. non autem potest. vt qui alterius cuius quam figuram habeat in animo, intelligat Deum, dum figura sua exequitur actum, nec possibile est animam aliis occupatam figuram contrarij figurari. *Plot. En. 6 lib 9 cap. 7.* Deus est tanquam indiuiduum & immobile cẽtrum, à quo, & ad quod omnia pendent. *idem, ibid. c. 8.*

Dijs Pythagorici numeros dedicabant, & sic sacrificiis similibus dijs placuerint. *Porphyr. de sacr. fic.* Deus nullius indigus est, & nulli nocet. *idẽ, lib. qui pauco contentus viuit, & innocens, est quasi Deus.*

Dij cùm hominibus sint longè meliores, & differt mortale ab immortali magno interuallo, & aspectu cœlesti. & consuetudine discluditur: ideò dæmonibus opus est, qui vtranque naturam, & diuinam & humanam, affinitate contingentes harmonicis vinculis alterius imbecillitatem cum pulchritudine alterius connectat. *Maxi. Tyrius ser.26.* Deus cum dæmone ob immortalitatem, dæmon cum homine ob passibilitatem, homo cum brutis ob sensibilitatem, bruta cum plantis ob animationem communicent. *Idem, serm.27.*

Deorum pedissequi sunt dæmones, heroes, animæ puræ, quos attingere non possumus solis humanarum discursionibus rationum, sed necesse est consurgere ad essentialem intelligentiam, & æternam: & vt dij semper attinguntur notione tonatâ, sic numina deorum pedissequa tunc primum attinguntur, quando anima deposuit modum cognitionis mobilem, qui ad potentiam spectat rationalem, quæ intellectu, & intelligentia formatur, quem vocant intellectum adeptum cùm prima notitia in intellectu agente fit, *Iamblich. de myst.* Deorum vnitas vnit sibi animas ab æterno per vnitates earum secundùm contiguitatem tam propriam & efficacem vt esse continuitas videatur. *Idem, ibid.*

Deorum speciem si vis apprehendere, proprietates animæ rationalis vltimæ cogita, & oppositas in perfectione distribue: si dæmones, vtrásque misce, sed plus diuinitatis: si heroas minus diuinitatis, plus de animæ conditione tribue. *Iambl. de myst.* Deorum prouidentia vniuersalis est, dæmonum particularis. *idem, ibid.* Deus primus dat omnibus omnia, dij sequentes omnibus aliqua largiuntur: dæmones, atque animæ aliquibus solum. & aliqua tantum. *ibid.*

Dij animas perfectissimè purgant, archangeli sursum reuocãt, angeli soluunt à materiæ vinculis dæmones trahunt ad naturam, heroes ad curam sensibilium operum deducunt, principatus præsidentiam mundanorum, principes materialium studium exhibent, animæ iam apparent, contenduot, & trahunt in generationem *Iamblichus de myst. rm.*

Dij materiam repente consumunt, archangeli paulatim, angeli soluunt eb ea, & ad sublimia reuocant. dæmones diligenter exornant eam, heroes coaptant ad eam competentibus vbique mensuris eam strenuè commodéque curantes, principatus adstant ei supereminentes & hoc pacto seipsos ostendunt principes se materia penitus impletos monstrant, animæ puræ quidem seorsum è materia veniunt, impuræ materiâ inuolutæ se nobis ostendunt. *Iambl. de myst.*

Deus implet omnia semetipso, est omnia, potest omnia. *Iamb. de myst. rm.*

Deum qui ait elicui adesse potentiã figuræ cœlestis in Genesi, deridet nos: non enim decet ingenitas & vniuersales causas mancipari alicui per generationem, eiusue per indum, & per causas alienas *Idem, ibid.* Deos nidoribus carnium, vel infici, vel nutriri, vel inescari damnat Iamblichus. *idem, ibidem.*

Deos flexibiles esse, vt ait Homerus dictu nefas esse censemus, legibus enim sinceris & intellectualibus iamdiu definita sunt sancta religionis opera, atque ordine, & potentia maiore deteriora soluuntur, & quatenus nos in sortem traducimus meliorem, eatenus à deterioribus fit discessus, nec præterea contingit aliquid præter regulam ab initio constitutam. adeò vt dij flectantur propter sacrificium, cultúmque posteriosactum, sed à primo descensu Deus animas ea conditione dimisit, vt ad eum iterum reuertantur, nec inter se repugnãt ascensus animarum atque descensus: & sicut vniuerso intellectuali vnà cum essentia generatio, imò & hoc totum rectè connectitur. sic & in animarum dispositione vnà cum earum circa generationem cura solutio quoque à generatione consentit. *Iambl. myst.*

Dij vnà cum suffragiis facultatem quoque nobis ad cauenda, declinendáque incommode naturaliter eminentia suggerunt. *Iamb. de myst.*

Deus & bonum idem sunt: nam super quem nihil est, & quem omnia appetunt, Deus est, à quo omnia fiunt, & ad quem omnia tendunt: hoc autem bonum. *Proclus elemens. Theolog. prop.113.* Diis quodcunque fuerit, secundum eorum proprietatem præexistit in ipsis, & est proprietas ipsorum vniformis, & superessentialis. vniformiter ergo, & superessentialiter omnia sunt in ipsis. *idem, ibid prop 118.*

Deus omnis è quo incœperit ordine indicare se ipsum progreditur per omnia secunda, semper quidem multiplicans suas communicationes & pertiens, seruans tamen proprietatem propriæ substantiæ. *ibid. prop.124.*

Deus omnis à vicinis participatus immediatè participatur, à longinquis autem per media vel pauciora, vel plura quidem. *Proc. elem. Theo. prop 128.*

Deus omnis se ipso propriam actionem impertit. *idem, ibidem.*

prop.131. Deorum omnes ordines medietati alligantur. *Idem. prop.132.*

Deorum omnis prouidentia, alia discreta est ab iis quibus prouidet, alia coordinate. *prop.141.*

Deorum omne gignitiuum secundùm infinitatem, diuinæ potentiæ prouenit, multiplicans se ipsum, & per omnia permeans, & indeficientiam in progressionibus secundorum excellentes demonstrans *Procl. elem. Th. prop 152.*

Deorum omnis ordo ea primis est principiis terminn. & in termino, sed alius quidem magis accedit ad termini causam, alius verò ad interminati. *idem, ibid prop.159.*

Deorum vbique aliæ proprietates existunt: nam aliæ sunt opifices vniuersorum, atque speciei entium, & ornetus substantificæ, aliæ verò propagatores vitam, ac verios vitæ vigores progenerantes, aliæ rerum ordinem seruans incommutabilem, & connexionem custodiuns insolubilem. aliæ aliam fortiuæ potentiam, omnia suâ quadam beneficentiâ seruant. *Pro. in Alcib.1.*

Deus, quam rationem habet Sol ad visum & ad ea quæ videntur, non existens ipse visus, præbens verò huic vt videat, his vt videantur; hanc eandem habet ad intelligentiam, quæ animæ inest, & ad illa quæ intelliguntur nec enim ipse est idem quod intelligentia, porrigit tamen intelligendi vigorem animæ, vt intelligat, intelligibilibus, vt intelligantur, veritatémque quæ illis inest illuminens. *Alcin. cap.10.*

Deum spectat ius possessionis omnium rerum, vsus verò solùm ad creaturam *Philo de cherubin.* Deo non sunt attribuenda, quæ homini conueniunt, sed per quendam abusum nominum quo infirmitati hominum succurator *idem, de sacrificiis Abelis & Caini* Dei donum est à carceribus ad metam vsque studium vitæ percurrere absque offensa & lapsu, ita vt naturam vtramque peccatorum voluntariorum, & inuoluntariorum liceat celerrimo cursu præteruolare. *idem, de agricul.*

Deus affectu non corripitur, nam hæc sunt humanæ fragilitatis vitia; Deus autem ab his abest plurimùm, & à partibus corporis sed si à legislatore aliquid huiusmodi dicitur, ob docendi modum ita loquitur. *Phil. quòd Deus est immutabilis.* Deo patere nihil honestius, & nihil optabilius est. *idem, de Abraham.2.* Dei duæ potentiæ primariæ; benefica, qua mundum condidit, & punitiua, qua rebus imperat. *idem, de eo, quis rerum diuinarum hæres.* Deo vero qui adhærent, omnes viuunt. *idem, de monarchia lib.1.*

Deus cum sit pure bonitas, non facit malum. *Auct. in vemp. Plato tract.1.* Deo Arist. assignat, vt sustineat quandam laboris partem; quod absurdum est. *G. deg. Gramist. de Plato. & Aristot. philo. diff. cap 2.* Dei effigies sunt, mundus, essentia, tempus æternitatis. *Plutarchus in Platonicis quæst. nob.*

Deus mouet vt amatum & desideratum. *Bes. Cardina. in Calumniatorem Platonis, cap. 11 lib 3.* Deus mouet non mouetur, perficit non perficitur. *idem, ibid.*

Dei esse æternitate solum mensuratur, nec in eo est aliquid successionis, vel secundùm esse, vel secũdùm operationem. Angelo verò quantum ad esse non æternitate mensurari volunt, sed æuo: differt verò æuum ab æternitate, quod esse æternum nullam recipit successionem, quod æui esse vtique patitur propter varias angelorum electiones: à tempore verò differt quod esse temporale habet prius & posterius, & est mutabile, cùm in æuo non sit prius & posterius in quo innouatio & inueteratio est, quæ in angelis esse non possunt. *Bes. Cardin in Calumniatorem Plat lib.3. cap.12.*

Deus solus per se ipsum necessariò existit, à Deo cuncta accipiunt esse *Fic. Plat. Theol. lib.2. cap 7.* Deo cùm nullus sit à materia remotior, ideò exactius omnibus intelligit. *idem, ibidem, cap 9.* Dei propria intelligentia est vt se ipsum intelligat, aliquin si ab externo obiecto perficeretur, ab eodem & essentia Dei perficeretur, quæ eadem est cum illa, & sic Deus fieret ab alio. *ibid.*

Dei voluntas magis vult vniuersum bonum quàm apparens alicuius particulæ commodum nam in illo bono expressius fulget diuinæ bonitatis imago, & bonum illud in ordine quodam videtur consistere. *Fic. Plat. Theolog lib.4. cap 12.*

Deus aut nihil vult quod est absurdum, aut seipsum præsertim cùm in Deo esse & velle sit idem, & volendo se vult omnia, quæ prout in Deo sunt, sunt ipse Deus, & prout ex Deo manant, sunt diuini vultus imagines, & ad diuinam bonitatẽ referendam, & comprobandam tanquam ad finem præcipuum ordinantur *idem, ibi.*

Dei voluntas finitis obiectis non astringitur, igitur ad infinita se porrigit. *Fic. Plat. Theol. lib.2. cap.13.* Deus sibi ipsi placet, se ipsum amat, & imagines suas & sua diligit opera. *idem ibid. cap.13.* Deus si esset proprius alicuius cœli agitator, non esset omniũ, ideò vt sit omnium nullius est proprius. *ibid. lib.4. cap.1.*

Dei

Dei esse habet in se plenitudinem integram essendi, angeli verò non omne esse, sed eorum esse clauditur vnâ quadam rerum specie, per quam ad vnicum essendi modum determinatur cum hac vel illa proprietate, in alia & alia angelorum specie. *Fic. Plat. Theo. lib. 15. cap. 2.* Deus solus ad genus mentium se habet vbique vt forma, nulla autem mens creata ad reliques mentes fieri potest forma. *idem, ibid. lib. 8. cap. 8.*

Deus menti immenso supereminet interuallo. *Fic. epist. lib. 5.* Deus nullos magis reprobat quàm eos qui sordidis vitiorum vasculis, nectar, & ambrosiam haurire confidunt: nullos magis probat & amat, quàm eos qui mentem Deo simillimam inprimis volunt, & à corporis labe longè dissimilem segregant, diuinúmque lumen non nebulis obtuere vitiorum, sed purè student mentis serenitate percipere. *ibid. lib. 5.*

Deus si est eminentia simplicissime ad omnibus penitus absoluta, non potest huic auferre quicquam, quia nec assequeris quod semper eminet neque diuides quod omnium indiuiduorum simplicissimum & absolutissimum iudicatur. *Fic. Dion. Areop. de trinitate.* Deus in seipso graduum essentiâ excelsiorem continet, & essentiam communicat. *Fic. in Dio. Areop. de diu. nom.* Deo tanquam causæ communissimæ conuenit, & ad illum pertinet omnia facere, omnibus omnia dare, in omnibus omnia operari. *idem, ibidem.* Deus Solus munus tantum super naturali, & super essentiali possidet ratione, cætera nequaquam. *idem ibi.*

Deus vt luna, & vultus in varia bonorum diffusione permanet vnus; munera enim distribuit Deus vnitè pariter, & vnicè: vnitè quidem, quia vniuersa omnium distributio eodem actu penitus singulari ad finitum pertinet, vt ad partem pertinet & ad spiritum vt ad illos: vnicè, quoniam & nulla Deo varietas inde contingit, & procedentia licet varia tamen vnum sunt, quatenus ab eodem, ad idémque pendentia conueniunt, & in vno. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.* Deus somnus & materia, cum ambo sint informes, similitudinem habere videntur, sed Deus omni formâ superior est, materia inferior. *idem, ibid.*

Dei status est in homine, si Deus illum fecit ad imaginem suã aditu mentis tamen abscondita. Primo separa corpus ab anima, secundò ab eadem corporeas passiones, tertio imaginationem à ratione, quarto rationales discursiones ab intellectu, quinto intellectualem multiformitatem ab ipsa animæ vnitate, sextò ab hac vnitate animalem, intellectualémque conditionem in septimo gradu cóquiesce inuenies simpliciter ipsam vnitatem, id est Deum in tali vnitate latentem. *Fic. in Dia. Are. de trini.* Deus solus dare potest cognitioné veritatis diuinæ, quã accipere solus animus pulcher, id est temperatus purus, & candidus potest. *idem in Al. c. 2.*

Deo sanum tribuit qui ea quæ sine medio accepit à Deo. Deo reddit nimirum anima. *Plat. in dial. de sanct.* Deus habet quoddam scientiæ genus nullo modo cum nostra scientia in aliqua ratione conueniens & dominationem nullo modo cum dominatione nostra conuenientem. *Fic. in Plat. Parme. cap. 32.* Deus primus nullam coniugatam habet essentiam, sequentes autem dij vnitates quidem sunt super essentiales quodammodo, in essentijs tamen consistunt essentiarum omnium perfectissimis. *idem, ibidem cap. 53.*

Deus per appetitum omnia conciliat. *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 2.* Dei radius, vt ignis radius habet duas vires, vna vim illuminat altera, sic calore suo purgat mentes, & animas ab inferioribus secernit, luce illustrat, caloris feruore in se omnium inflammat & incitat appetitum, lucet fulgore appetentibus omnibus veritatis exhibet claritatem. *idem, ibid. cap. 26.*

Deus solus sapiens est apud Pythagoram: & Platonem. *Fic. in Plat. Sophist.* Deus in se nullam habet compositionem, eius gratiâ omnia ipse enim causa est omnium pulchrum, & vt ab illo omnia producta sunt, sic omnia ad illum reuoluuntur. *idem, in Plat. con. or. 2 cap. 4.* Dei vultus tribus per ordinem positis lucet speculis, angelo, anima, corpore mundi in angelis clarissime, in anima obscurius, in corpore mundi obscurissimè. *idem, ibid. or. 5. cap. 4.*

Deus operibus suis odorem quendam occultum dulcissimum inseruit. *Fic in Plat. con. or. 1 cap. 6.* Deus nec numero, nec tempore, nec loco indiget. *idem, ib. d. cap. 17.*

Deum in omnibus amare solum debemus, in corporibus Dei vmbram, in animis Dei similitudinem, in angelis Dei imaginem. *ibid. cap. 19.*

Deus solus indissolubilis est, cætera ad Deum comparata quodammodo composita sunt indissolubile vocatur, in quo nec essentiæ nec actionis partes vllæ sparguntur. *Fic. in Plat. pha.* Deus sapienti viro, & vigilanti & dormienti semper adest. *idem, in Plat. Crita.* Deus ab omni procedentium communione est penitus absoluta, ab ipso autem omnia procedunt. *idem, in Plat. Tim. cap. 8.* Dei est stabiliter ordinare materiam, materiæ verò ordinari mobiliter. *ibid. cap. 14.*

Dij intellectualem, & vniuersalem magis prouidentiam habent, dæmones animalem, particularem potius sortiti sunt curam, vtrique per aerem summum mediumque, & imum, pro dignitate sunt distributi, opificis quidem mundani filij sunt naturales, inter se autem adoptiui, qui enim præsunt alijs sunt quasi parentes, sicut phœbei filij Phœbi mercuriales Mercurij. *Fic. in Plat. Tim. cap. 22.* Deus solus sempiterne facit, caduca verò per causas cœlestes exequutus est. *idem, ibid. cap. 65.*

Deo per quem viuimus, non autem nobis debemus viuere. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.* Deus contra superbos non tam vt iudex, quam vt hostis insurgit. *idem, ibid. dial. 8.*

Deus à nullo dependet, omnia à Deo, omnia sunt in ipso, ille in nullo, continet omnia, non continetur; quia continetur à nullo nusquam est, quia continet omnia omnibus adest sic mundi corpus est in anima mundi, hæc in mente, hæc in bono, neque vicissim. Sicut igitur anima tanquam libera singulis corporis partibus tota simul adest, ita bonum ab omnibus limitibus absolutũ adest omnibus; omnino verò, quod ad suam existentiam non dependet à certo subiecto, vel loco, nec à certa natura, est & nusquã vt anima, mens, & Deus. *Fic. in Plot. Enn. 5. lib. 5. cap. 9.*

Deo si vniturus debet per communem Dei notionem atque fidem seipsum in primis diuinã quadam similitudine conformare, deinde tota ad Deum cogitationis intentione contendere, tertiò totã Deum voluntate solum ardenter amare, huic Deus influit vt perspicuo statim facto lumen vbique præsens. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 8. cap. 11.* Deus est quolibet ente superior, imò & ipso simpliciter ente. *idem, in Plot. En. 6. lib. 9. cap. 3.*

Deus cùm sit ipse participatus, in se vnus & simplex, aliter ipsum participat intellectus, aliter intellectualis anima, phantasia item aliter, atque sensus; intellectus indiuiduè, intellectualis anima reuolubiliter, phantasia formabiliter, sensus passiuè. *Proc. in rep. Plat. ex Mar. Fic in ep. lib. 11.* Deo simillimos faciunt iustitia, sanctitas cum prudentia. *Fic. epist. lib. 12.* Deo cum nec intellectu nec rationis vsu frui possimus per vnitatem intellectu perfectiorem quandoque fruimur. *idem, in Dion. Areop. de trinitate.*

Dei attributa sapiens, &c in deo sunt, sed non eo modo quo nos intelligimus. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in ep. ad Anto. Fauen.* Deo quæ insunt, omnia idem sunt quod Deus. *Gab. Bura de ideis, lib. 1.* Deo in sua essentia nil obscurius, in rebus effectis nil clarius est. *Iacob. Carp in Alci. cap. 1.*

Deus non est sub necessitate, nec voluntatem eius necessitati seruire fas est dicere, quoniam necessitatis est conditor, nam necessitatem astris imposuit, vt semper secundum idem moueantur, & mare circum terminauit, & vniuersalibus & generalibus necessarium imposuit terminum, quem si fatum nominare volunt, eo quod vbique, & semper secundum necessitatem fit, vt omnia per successionem sint in generatione & corruptione, nihil curamus. *Iacob. Carp. in Alc. par. post. dig. 11.*

Deus loco non continetur, sed vbique est, quare nec extra cœlum, nec in cœlo, mundóue repositus potest verè dici. *Iac. Carp in Alc. dig. 3.*

Deorum contemplatio est stabilis voluptas, *Aug. Steuch. de per. phi. lib. 4. cap. 12.* Deorum beatitudo est contemplatio, ergo vnum primum contemplari, qui sit eorũ felicitates causa. *idem, ibidem, ca. 15.*

Deus nunquam otiosus est in æterna contemplatione sui quæ est actio perfectissima; beatus enim est non mundi molitione, sed sui contemplatione. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 7. ca 8.* Dei bonitas singularis à rebus in infinitum disiuncta est. *idem ibidem. cap. 5.* Deus se contentus nihil indiget mundo. *ibid.* Deus immutabilia, res humanæ mutabiles sunt. *ibid.*

Deus bonitatem suam clariorem fecit in malorum & improborum promiscua cum bonis creatione. *Aug. Steuch. de per. phi. lib. 7. cap. 7.* Deus & natura non infinitate delectatur, sed paucis & bonis. *idem. ibid. cap. 5.* Deo tribuuntur res corporeæ docendi causa. *ibid. cap 10.*

Deorum esca est visio intellectualis, nectar, & ambrosia notio & prouidentia inferiorum. *Aug. Steuch. de per. phi. lib 8. cap. 17.* Deus ea seipso beatus, est quia non habet maiorem, ea eius contemplatione & notione fiat beatus. *idem, ibid.* Deus cum sit omnium intelligibile vehementissimum; intellectus humanus ad eum inspiciendum non eleuabitur, nisi prius totis viribus in eius visionem incumbet, & à corporeis sensibus abstrahatur. *Stephanus Comboutaus de transitu mentis in Deum, lib. 6. cap. 2.*

Deus quatenus à seipso diligitur, longè maior longéque sub

limior, quàm quatenus seipsum diligit esse existimatur. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* Deus, primáque materia quamplurimùm inter sese opponununtur. *idem, ibidem.* Deus nec formatum esse, nec formam vllum habere dicendum videtur, quin ipse potius est summa atque absolutissima forma. *ibidem.*

In Deo quemadmodum cognoscens, res cognita, ipsáque cognitio, vnum idémque prorsus existunt; pariter quoque amans, amatum, & amor ipse diuinitus accepta inter sese penitus conuenire videntur. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.* In Deo, propterea quod ipse est omnium simplicissimus atque absolutissimus actus, hæc tria, amans scilicet, amatum, & amor ipse, vel intelligens, res intellecta, ipsáque intelligentia, vnum idémque prorsus esse dicuntur. *idem, ibid.*

Dei nomina vt apparent & vt cognoscitur.

Deorum scientiam non habemus, nec quomodo vocatur scimus. *Plato in Cratylo.* De diis sermonem facere apud homines facilius est videri ad quod satis est dicere, quàm de mortalibus: imperitia enim, & auditorum ignorantia in his in quibus ita affecti sunt multam facilitatem exhibent ei, qui de ipsis dicturus est, nam vt in pictura, si deorum similitudinem imitantur pictores, nihil redarguimus ipsorum operas: at si quis nostra corpora assimilare conatur, acutè percipientes, si quid omissum est, propter familiarem considerationem graues iudices sumus ei qui non omnes similitudines penitus expressit: idem circa sermones contingit: nam cœlestia & diuina amplectimur, si vel parum cum similitudine aliqua veri dicantur, mortalia exactè expendimus. *idem, in Atlantico.*

Dei duæ sunt appellationes, bonum, & pater bonum, quia exhibet omnia, & nihil accipit; pater, quia omnia gignit: officium patris est omnia generare. *Mer. Trismeg. Pimander, cap. 2.* Deum si contueri voles, suspice siderum ordinem, quis ordinem perpetuum horum seruat? motus varij sunt cœlestes, quis mensuram singulis motionibus assignat? quis vtitur arcturo pro instrumento, circa quod perpetuò vertitur cœlestis massa? quis mare suis finibus circumscripsit? quis terram fistit, & in medio librat? *idem, ibid. cap. 5.*

Deum si considerare vis, & eum inuestigare, creaturas inspice & humani corporis opificium, cuius admonitione perdisce, quis tam pulchræ imaginis conditor, quis oculorum pictor, quis nares & aures tornauit, quis labia distendit oris, quis neruos tetendit, atque ligauit, quis irrigauit venas, quis ossa congessit solida quis carnem pelliculâ tenui circumtexit, quis digitos, articulósque discreuit, quis fundamenta pedum extendit, quis perforauit poros, atque meatus aperuit, quis splenem coegit & compressit, quis pyramidalem impressit cordi figuram, quis iecori texit fibras, quis pulmonum sculpsit fistulas, quis aluo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda membra corporis in propatulo figurauit, quis obscœna in obscuro prorsus abdidit, atque aspectu cernentium voluit secreta iacere: solus inuisibilis Deus hæc omnia finxit, cuncta propriâ voluntate molitus est. *Merc. Trismegistis Pimander, cap. 5.*

Deus nec oculis videtur, nec auribus percipitur, nec sermone profertur, sola mens eum prospicit, sola mens prædicat. In primis oportet vestem quam vnusquisque fert exuere, indumentum inscitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, sensitiuum cadauer sepulchrum circum vertile, & denique domesticum furem, qui dum blanditur odit, dum odit inuidet, hoc est vmbraculum inimicum: hoc ad se trahit, & suffocat, & fastidiosâ ebriat voluptate, vt non audiat, vel prospiciat ea quæ iure & audienda, & in primis inspicienda sunt. *Trismegist. Pimander, cap. 7.*

Dei cognitioni qui se dedicant, nec vulgo placent, & vulgus eos insanire putant, risum reportant, interdum odio habentur, contumeliis afficiuntur, vitáque priuantur, improbitatis rerum prouincia terra est: sed Deo deuotus, reliqua omnia præter Deum obliuioni tradit, & mala illi bona contingunt. *Tris. Pimander, cap. 9.* Dei cognitio est diuinum silentium, & intenta omnium applicatio, qui id intelligit nil aliud cogitare potest, & qui intuetur, nil aliud intueri potest. *idem, ibid. cap. 10.*

Deus in omni operatione conspicitur. *Trism. Pimand. cap. 11.*

Deum percipere non est arduum. Hunc quoties intueri volueris aduerte mundi ordinem, & eius ordinis ornatum, necessitatem eorum, quæ sensu percipiuntur, prouidentiam cunctorum, quæ facta sunt ante, & quæ continuè fiunt: aduerte plenam vitæ materiam talem ac tantum Deum cum omnibus bonis, & pulchria diis dæmonibus, atque hominibus incedentem. *idem, ibidem. cap. 12.* Deum non possumus vno nomine quamuis è multis composito nuncupare; cius voluntas est bonitas omnium rerum. *Apul. Asclepius.*

Deus iustitia nominatur, vt cuique sua pro dignitate distribuens modúmque, & pulchritudinem & ordinem, & ornatum, omnes præterea distributiones, & dispositiones definiens, vnicuique secundùm ipsum terminum reuera iustissimum singulis vt suum quæque opus agunt auctor existens. *Dion. Areop. de diuin. nominib.* Deus nec est anima, nec habet sensum, vel phantasiam, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam, nec est intellectus, nec intelligentia, nec dicitur, nec intelligitur, nec est numerus, nec ordo, nec magnitudo, nec paruitas nec æqualitas, nec similitudo, nec dissimilitudo, nec stat, vel mouetur, vel quietem agit, nec habet potentiam, nec est potentia, nec lumen, nec vita, nec essentia, nec æternitas, nec tempus, nec est tactus ipsius intelligibilis, nec scientia. *idem, de trinitate.*

Deus nec est veritas, nec regnum, nec sapientia, nec vnum, nec vnitas, nec bonitas, nec deitas, nec spiritus, quemadmodum ipsi perpēdimus; nec paternitas eiusmodi, nec ratio filij, nec aliud quidpiam eorum quæ nobis, vel aliis rebus vllis sunt cognita, nec est aliquid eorum, quæ non sunt, vel eorū quæ sunt, nec ea quæ sunt Deum sicut est ipse cognoscunt, nec Deus res pro ipsa rerum conditione cognoscit, nec ipsius Dei sermo est neque nomen, neque cognitio, neque tenebræ nec lumen est, nec error, nec veritas, nec est ipsius positio prorsus vlla, nec ablatio, sed nos ponentes, & auferentes, nec ipsum ponimus, vel auferimus, cùm omni positione superior sit singularis illa & perfecta omnium causa, & omni ablatione altior excellentia illius, qui ab omnibus est simpliciter absolutus & totis superior. *Dion. Areop. de trini.*

Deum monadē, & vnitatē appellarunt Theologi propter simplicitatem, & vnitatem impartibilitatis ipsius naturam exsuperantis: ex qua tanquam viuifica potestate efficimur vnum diuiduisque nostris diuersitatibus supra mundanum modū conglobati in monadem Deiformem & vnionem Deum imitantem colligimus. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deum Trinitatem appellarunt Theologi propter superessētialis fœcunditatis in suppositis tribus expressionem, ex qua paternitas omnis in cœlo & in terra existit & nominatur. *idem, ibid.*

Deum omnium existentium causam Theologi appellarunt, quoniam omnia per bonitatem eius essentiæ effectricem vt essent acceperunt. *Dion. Areop. de diu. nom.* Deum sapientem, & pulchrum appellarūt Theologi, quia quæcunque ex eorum omnino quæ sunt, naturæ suæ propria seruant inuiolata, diuinæ omnis harmoniæ sacrique decoris sunt plena, præcipuè verò generi nostro propitium, quoniam in vna personarum suarum naturam nostram verè integréque assumpsit reuocans ad se, sibique applicans humanam humilitatem, ex qua simplex Iesus ineffabiliter est compositus; & qui est æternus temporalem sumpsit processionem, atque in intima naturæ no[...] peruenit, qui omnem totius naturę ordinem super essent[...]æ modū eminenter excedit, propria tamen interea immutabilia prorsus, & inconfusa conseruās. *idem, ibid.*

Deo dignæ denominationes non per partes, sed in tota perfecta, integra, plena deitate à sanctis eloquiis celebrantur, & ipsæ omnes indiuiduè absolutè præter omnem discriminis obseruantiam integræ totique vniuersæ integritati perfectæ, & totius deitatis attribuuntur, nam qui de tota deitate dictum contemnatur, quasi scindere audet nefandâ temeritate vnitatem ipsam supra vnitatem: ergo de tota deitate accipitur verbum hoc bonum, dicit enim ego bonus sum, & alibi spiritum bonum; huc tendit & illud, ego sum qui sum, nisi de tota deitate dictum consentiant, sed per vnam duntaxat partem circumscribere annitantur, quonammodo illud accipient? hic ait qui est qui erat, qui venturus est, qui est omnipotens, item illud, tu autem idem ipse es; necnon & illud, spiritus veritatis qui est, qui à patre procedit; atqui nisi totam deitatem esse vitam dicant viuificam, quonam modo verum est verbum sacrum quod ait, quemadmodum pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat & illud spiritus est, qui viuificat. Tota deitas habet omnium dominatum, pater, filius, & spiritus, dominus est, pulchrū & sapiens, in tota deitate laudatur lumen, potestas deifica, & causa: cuncta summatim, quæ totius deitatis supremæ sunt, sacræ literæ in vniuersam deitatem referunt celebrandam. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deus est ens, vt ita dixerim, superenter; largitur autem esse his quæ sunt omnibus & omnes producit essentias; vnum illud ens multiplicari dicitur, dum entia ex se multa producit: manet ille in multiplicatione vnus, & in processione vnitus, & in descriptione plenus, quia ab omnibus entibus superenter est absolutus, & vnica actu omnia producit, & indimi-

indiminuta profusione deficientia ipsius muneri largitur: & cum sit vnum omnique parti, toti & vni & multitudini participationem vnius impertiat, vnum permanet eodem pacto superessentiali ratione, nec pars multitudinis alicuius, nec aliquod ex parte totum: sicque nec vnum est, nec vnius particeps nec habet vnum, longéque ab his existit super vnum illud quod entibus inest: multitudo etiam impartibilis inexplebilis, superplena, omne, vnum, multitudinémque producens, & perficiens, & continens. *Dion. Areop. de diu. nomi.*

Deus ipse lumen intelligibile nuncupatur, quoniam intellectu omnem supercœlestem lumine implet intelligibile, & ex omnibus animabus, quibus se ipsum infuderit, ignorantiam omnem erroréinque expellit, eas sacri luminis participes efficit, intellectuales harum oculos purgat, obductam ex ignorantia caliginem discutit, atque profundo tenebrarum pondere obtusos suscitat explicátque in lucem, primò mediocre lumen his impertit, deinde postquam animæ gustantes lumen ardentius ipsum amare cœperunt, vberius affluit, idebque illuminat abundantius, quoniam plurimum dilexerunt, atque ita super incendit, vt gradatim vltra proficiant, quatenus sursum pro viribus se attollere valent. *Dion. Areo. de diui. nomi.*

Deus est ipse diuinitatis princeps, & diuinitate qualibet, & essentiâ sublimior: Deus vnus in distributis inde dijs non distributus, sed vnitus ipse sibi, nec permixtus multis nec in multiplicatis multiplicatus. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deus pulchro, bonóque, amore omnium propter bonitatis amatoriæ vehementiam extensè prodit dum prouidet omnibus, & bonitate, dilectione, & amore quasi mulcetur, & alio statu quo ab omnibus separatus est, ad id quod in omnibus sit deducitur, per supersubstantialem virtutem illam quæ traducit quid ipsum interim à se ipso nusquam digredientem, quare Zelotem appellarunt, vt excitantem ad amoris sui zelum omnia, & ad ea quæ prouidet ipso zelo videtur esse affectus. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deum nominat amabilem tanquam bonum & pulchrum, amorem & dilectionem tanquam virtutem eius mouentem prouehentémque ad se ipsum, quia solum id per se ipsum pulchrum & bonum est. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deus non est quodammodo ens, sed simpliciter & circunscriptè totum in se esse comprehendens gradúque superiore complectens, & rex dicitur seculorum, cùm in ipso & circa ipsum esse atque ens omne subsistat, neque erat, neque erit, neque factus est, neque fiet, imò nec est quidem, sed ipse est ipsis entibus ipsum esse: & non solum entia, sed ipsum esse etiam ex ipso pendet, qui ante æternitatem extat, ille enim est sæculum seculorum, qui est ante secula. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deus qui est ente excelsior, entium omnium est principium & finis principium tanquam auctor, finis vt cuius gratiâ facta sunt omniumque terminus, infinitas infinitatis, & terminus terminj, & id eminenter tanquam oppositorum, in vno enim res omnes anticipat & efficit, præsens omnibus vbique per vnum & idem, per idem inquam omne, & ad omnia prodiens, interea permanens in se ipso & consistens, & se mouens rursus nec stans neque motus, nec principium habens, nec medium, nec finem, nec est in aliquo existentiû, nec aliquid est eorum, nec sibi quicquam competit eorum quæ æternè sunt, vel quæ temporaliter, sed & tempore, & æternitate, & his omnibus quæ in tempore & æternitate sunt excellenter absoluitur: ideò æternitas ipsa, resque omnes, & rerum mensuræ, & quæ sub mensuras cadunt, per ipsum, & ab ipso sunt. *Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Dei prima cognitio non solum res iam creatas, sed adhuc creandas, immo & ipsas creandarum ideas mirabiliter antecedit: angelica res antecedit, ideas sequitur: humana communiter vtrasque sequitur. *Dion. Areop. d. diuin. nomin.*

Deus non cognoscitur ex sua ipsius natura, hoc enim incognitum est, & omnem intelligentiam excedit, sed ex ipsa rerum dispositione in omnibus Deus agnoscitur, seorsum ab omnibus, & per ignorationem, & per cognitionem Deus ipse percipitur: præterea ex omnibus cognoscitur ab omnibus, & ex nullo nulli. *Dion. Areop. de diuin. nominib.* Dei est diuinissima cognitio, quæ per ignorationem quandam prouenit secundùm vnionem intellectu sublimiorem, quando mens rebus omnibus posthabitis seipsam quoque dimittit, & ita radiis superlucidis copulatur, & illinc, ibi inscrutabili sapientiæ profundo penitus illustratur. *idem, ibidem.*

Deus à sacris eloquiis appellatur non solùm quia rationis, & mentis auctor est, sed etiam quia causas omnium vniformiter in se anticipat, & quoniam per singula discurrendo dispensat vsque ad omnium finem, & propterea, quia diuina ratio supra omnem simplicitatem se protendit, & ab omnibus secundùm superessentiale munus eminèter absoluitur. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deus est potentia, quia omnem in seipso potentiam anticipat & comprehendit, & omnis virtutis est causa, omniáque per virtutem nusquam inclinatam incircunscriptáque producit, & causa est, vt ipsa virtus, siue vniuersalis, siue particularis existat. *idem, ibid.*

Deus magnus appellatur, & in magnitudine, & cura tenui diuinam paruitatem significante, dicitur idem, tu autem idem ipse es prædicatur vt alter, & vt similis, & omnibus dissimilis, & vt stans, & mobilis. *Dio. Areo. de diu. no.* Deus magnus appellatur propter propriam ipsius magnitudinem, quæ omnibus magnis participationem sui tribuit & extrinsecus super omnem magnitudinem se diffundit & protendit, locũ omnem complectitur, omnem numerum superat, omnem transcendit infinitatem. *idem, ibid.*

Deus magnus dicitur per virtutem suam exuberantem, & magnificã, per quæ ipsius dona velut è fonte manantia, quæ magnitudo infinita est, quantitate caret, & numero, & hoc est excessus ipse iuxta absolutam superuè se protendentem incomprehensibilis amplitudinis ipsius naturam. *Dion. Areop. de diuin. nominib.* Deus dicitur idem, quoniam supeẽ essentiæ modum est sempiternus, inconuertibilis, in seipso manens, semper secundum eadem, & eodem modo se habens, omnibus eodem modò præsens, ipse secundùm seipsum & in seipso firmiter, & intemeratè in pulcherrimis superessentialis identitatis finibus collocatus, immutabilis, casui nusquam obnoxius, indeclinabilis, inuariabilis, impermixtus, immaterialis, simplicissimus, nullius indigus. *idem, ib.*

Deus ingenitus appellatur tanquam super omne quod ingenitum dici potest, & tanquam ingenitum absolutè sempérque existens, & seipso perfectum, idem existens per seipsum, & ex seipso vniformiter, eadémque ratione determinatum omnibus participare potentibus, idem ex seipso tradens, & alia connectens aliis, copia identitatis, & causa. *Dion. Areo. de diuin. nom.* Deus alterum dicitur, quia prouidenter omnibus adest, & omnia propter omnium salutem euadit in omnibus, manẽs interim in seipso, & in sua idẽtitate firmus per actionem vnam indeficientémque consistens, & seipsum indeclinabili potestate tradens ad eos qui in ipsum conuersi sunt diuinitate donandos. *Idem, ibid.*

Deus aliter dicitur, quia per multiformes visiones figurarum aliis aliter apparuit. *Dion. Areop. de diuin. nomin.* Dei motus rectus, indeclinabilis potestas, & processus actionum est nusquam deflexus, omniúmque generatio ex eo constanter effecta. Obliquus verò stabilis inde processus, & status fœcundus, circularis identitas ipsa: & quoniam media & extrema, quæ continet, & quæ continentur ipse complectitur, & quæcunque ab ipso processerunt ad se conuertit. *idem, ibidem.*

Deum esse æqualem dicendum est, non modò tanquam indiuiduum, & nusquam declinantem, sed quoniam ad omnia, & per omnia æquè pergit, & ipsius æqualitatis est auctor, per quam Deus æqualiter facit, vt cuncta quadam simili vicissitudine in se commigrent, & quæ participant æquã conditione participẽt, pro cuiusque vel facilitate, & æque pro dignitate ad omnia distributio fiat. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deus dicitur æquale, quoniam omnem æqualitatem intelligibilem, intellectualem, rationalẽ, sensualem, essentialem, naturalem, voluntariam eminenter vnitè in seipso prorsus anticipauit per virtutem omnis æqualitatis effectricem, omnibus eminentem. *idem, ibidem.*

Deus est omnipotens, quia ipse est omnitenens, omnium sedes, omnia tota continens & complectens, & cuncta collocans & constringens, & vniuersum infractum in seipso perficiens & ex se vniuersa producens, & tanquam omnium firmamẽtum omnia communit, nec sinit illa seipsa cadere. *Dion. Areop. de diu. nom.* Deus appellatur omnipotens tanquam omnibus imperans, & propterea sinceritate seruata dominans gubernans, & tanquam desiderabilis omnibus, & amabilis, iugum annectens omnibus voluntarium, & stimulos dulces diuini & omnitenentis insolubilisque erga bonitatẽ suam amoris incutiens. *idem, ibidem,*

Deus antiquus dierum prædicatus, quoniam ipse est æuum omnium atque tempus, & ante dies, & ante æuum, & tempus, tametsi tempus quoque, & diẽ opportunitatémque, & æuum qua ratione deum decet eum appellare licet, vt qui omni motu sit penitus immutabilis, & immobilis, & eo ipso quod est semper moueri permaneat in se ipso. *Dion. Areop. de diu. nom.* Deus antiquus dicitur, tanquam æui & temporis dierum causa, & prior, & à principio existens: dicitur & iunior insensibilem præferens vim ab initio ad finem per cuncta

præcedentem, aut antiquitatem omnia præcedentem. Senior in tempore docet priorem, iunior in numero. *idem, ibidem.*

Deum Dionysius aliquando nominat essentiam, aliquando essentiæ auctorem: cùm essentia appellatur, nominatur, vt essentiæ principium: cùm auctor, vt super essentiam supra modum ipsam superans, & sic de alijs. *Dion. Areop. de diu. nom.* Deus dicitur perfectus tanquam nullum suscipiens incrementum, sempérque perfectus atque vt nesciens detrimentum, cùm in seipso anticipet omnia prorsus exuberans per vnam indesinentem, eandémque & superplenam largitionem, diminutionis expertem per quam perfectè omnia perficit, & perfectione propriâ complet. *idem, ibid.*

Deus dicitur vnum, quoniam est vnicè cuncta per singularis vnitatis excessum, omniumque est causa nusquam interim à propria vnitate discedens. nihil enim est in rebus vnius expers, sed vt numerus omnis est vnitatis particeps sic omnia vnitatem habent, & ea eo quod vnum extat sunt omnia: ipsum verò vnum, quod omnium causa indicatur non est aliquid è pluribus vnum, sed ante omne vnum & omnem multitudinem, nulla enim multitudo est, quæ non sit particeps vnius. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Deus quid sit scientia, & contemplatio omnis est inaccessa, cùm ab omnibus superessentiali quadam excellentia sit segregata, & ita à Theologis inuestigabilis dicitur, quasi nullum extet vestigium eorum, qui ad occultam infinitatem illius accesserint. *Dion. Areop. de diu. nom.* Deus etsi inscrutabilis sit, nullam existentiam sui expertem esse patitur, sed cùm in seipso superessentialem fixerit radium benignè tamen interea pro cuiusque existente proportione vnicuique fulget, & ad ipsius similitudinem, & communionem, & contemplationem quatenus assequi possit sacros intellectus extendit, qui vt fas est reuerenter aciem in ipsum intendunt. *idem, ibid.*

Deum non cognoscimus nec scientiâ, nec intelligentiâ, sed per præsentiam quandam scientiâ meliorem, anima procul euadit ab vno, nec est penitus vnum quando scientiam alicuius assumit. scientia enim ratio quædam est, ratio verò multa. *Plot. En. 6 lib 9. cap 3.* Deum infinitum nominare debemus, non quia sit magnitudo quædam, vel multitudo, quam non liceat pertransire. sed quia sit potestas, quam comprehendere nequeas: & quamuis excelsum cogites, est tamen excellentius admodum; & si ad vnitatem tu illum ac simplicitatem reducis, simplicius est, & tuâ existimatione vnitatem superat. *idem, ibidem, cap. 6.*

Deum si cognoscere vis, fac vt in eo nec magnitudinem, nec colorem, nec figuram aliquam cogites, nec aliud quicquam, quod materia pati consueuit; & si libet, & amictum hunc qui tibi oculos impedit auerte, nec mora, statim inspicies quod cupis: sed perstringetur forte acies quominus ipsius patris, opificisque omnium sustineas aspectum, quod tibi laus est opere videre dei, fœtus eius venerari varios & multos, sed non tot quot Pindarus dixit, non enim tria millia deorum deique ipsius filiorum, & amicorum, sed innumerabile penitus. *Max. Tyr. serm. primo.*

Dei notio inest homini ante omnem rationis vsum, & naturaliter inest, imo tactus diuinitatis melior notione. *Iamb. lib. de myste.* Dij corpori sua adeò superimminent, & corpora adeò his obsequuntur, vt à corporibus separati dicantur: dæmones contrariâ ratione magis affecti sunt & corporibus copulati. *idem, ibid.* Dij apparent cum quiete quadam & ordine, archangeli cum iisdem sed adhibent his efficaciam; angeli ordini & quieti adhibent motum ordinatum & moderatum dæmones cum turbatione ordinem transgrediente, principatus cum stabilitate & constantia in seipsis, heroes cum motu & festinantia, principes cum tumultu, animæ, vt heroes fermè, sed minori cum stabilitate, & ordine. *ibid.*

Deorum pulchritudo occurrit inæstimabilis, incomparabilis, admiranda, supra modum delectans, archangelorum, & angelorum consimilis sed gradatim inæqualis. *Iamb. de myst.* Deorum actiones effectúsque velociores sunt quam intelligentia deprehendere possit, sed interea penitus stabiles. *Idem, ibid.* Dij in aspectum veniunt admodum salutares, archangeli horribiles simul & mansueti, mitiores angeli. dæmones metuendi heroes verendi minus, principatus stupendi, principes noxij & infesti, animæ heroibus similes, quamuis inferiores. *ibid.*

Deorum imagines apparent penitus immutabiles magnitudine, formâ, figurâ, actione: archangelorum, angelorum gradatim minus immutabiles, sed propè deos: dæmonum mutabiles quidem magnitudine, & forma, his enim aliàs aliter apparent, sed eædem agnoscuntur: principatuum immutabiles, heroum formæ vt dæmonum; principum multiformiter varientur; animarum mutabiliores longè quam dæmonum. *Iam. de myst.* Deorum apparentium magnitudo totum cœlum occupare videtur, quam incedentem nec terra putatur sustinere posse. *idem, ibidem.*

Deorum et dæmonum variæ apparitiones in capite hoc tractantur, quæ quoniam ad impietatem potius & superstitionem pertinent, quàm ad aliquam cognitionem, omittenda decreuimus. *Iamb. de myst.* Deorum spectacula perlucida nobis occurrunt fulgentiáque ad summum, & splendore dearticulata mirificè, & lucidiora, quam sint reuera; archangelorum vera perfectáque, angelorum effigies speciem eandem seruant, præterquam quòd à notitiæ plenitudine agnitionis discretione deficiunt; dæmonum exilia & quasi caduca, heroum exilia principatuum perspicua, principum obscura, sed vtraque imperiosa, animarum vmbrosa. *idem, ibid.*

Deorum imagines occurrunt tanquam ignis indiuiduus, & ineffabilis implens vniuersum mundi profundum: archangelorum ignis etiam diuisus habens circa se, vel ante, vel retro, quamplurimam multitudinem. angelorum ignis diuisus sed in ideis absolutissimis: dæmonum magis quoque diuisus, sed angustius circunscriptus facilè exprimendus, & apud illos, qui superiora viderint facilè contemnendus; heroicus ignis habet quodam horum consimilia, sed non æqualia: principatuum ignis apprimè lucidus; principum aliquid habet opaci, animarum valdè diuisus, & multiformis atque ex multis mundi naturis admixtus. *Iamb. de myst.*

Dij adsunt omnibus, non autem omnia eodem modo dijs adsunt sed singula secundum sui ordinem, & potentiam participant illorum præsentiam, alia vniformiter, alia multipliciter, alia æternè, alia secundum tempus, alia incorporea, alia corporaliter. *Proc. elem. Theo prop. 141.* Deorum præsentiâ deteriora omnia decedunt, etiã si idoneum sit, participans, omne quiddam alienum à diuino lumine abscedit: illustrantur verò omnia repente ab ijs. *Idem, ibid. prop. 143.*

Deus apparet etiam cùm deus idem secundum ordines diuersos progreditur, & vsque ad vltima quasi descendit omnino se multiplicans, in ordinésque inferiores declinans: modo rursus fabulæ declarant diuinum illud permutari in hanc ipsam speciem desuper, in quam processum fecit: hac ratione, Mineruam mentori, Mercurium lario aut garrulæ, Apollinem esturi se similem reddere. *Proc. sup. Plat. ex Fic. in epist. lib. 10.* Dij stabiles, & firmi quadrangulari figurâ manifestantur. *Proc. in Eucl. lib. 2. cap. 12.* Deus opifex & pater appellatur, opifex vt à quo homines facti sunt, pater vt qui prouideat quatenus æterni, & beati sint. *Chal. in Plat. Tim.*

Deum intelligimus aduertentes pulchritudinem, quæ corporibus adest, ad animi pulchritudinem nos conferentes, deinde ad eam, quæ in officijs ac legibus, postremò ad ipsum pulchritudinis fontem, supra quem ipsum bonum amandũ & expetendum intelligimus, velut splendorem in animam, quæ illuc euolauit subito refulgentem: huiusmodi lumen Deum esse ipsum ob excellentiam cognoscimus, & eum inprimis sine magnitudine quantitatis agnoscimus: nam pars per id ex quo aliquid constituitur illud semper cuius pars est antecedit, planum namque prius est quàm corpus & linea prius quàm planum, cum verò partes nullas habeat, neque secundùm locum nec secundùm alterationem mouebitur; etenim si mutationem patitur, vel à seipso, vel ab alio quodam permutari necesse est: si ab alio, validius vtique illud est si à seipso, aut in deterius, aut in melius transmigrabit: vtrunque impossibile est: quibus omnibus patet in corporeum esse. *Alc. cap 10.*

Deus supremus, æternus, ineffabilis, à seipso perfectus, nullius egens, semper & vndique absolutè perfectus est. Diuinitas, essentiæ ratio, veritas, harmonia, bonum existit: nec tamen hæc dinumero vt ab inuicem discernam ipsa, imò vt vnum potius cuncta complectur. *Alc. cap. 10.* Deus dicitur bonũ, quia omnia pro capacitate cuiusque beneficijs replet, & omnium bonorum est causa *idem, ibid.*

Deus dicitur pulchrum ex eo quod ipsum natura plenitudo ipsa, & harmonia omnis existit. *Alc. cap. 10.* Deus veritas vocatur, quoniam veritatis ita principium est, vt Sol quoque luminis vniuersi est. *idem, ibid.* Deus pater dicitur, quia omnium causa est. cœlique totius mentem. & mundi animam ad sui ipsius exemplar exornat. nam suæ voluntatis munere omnia seipso compleuit, mundi animam excitans, & ad se conuertens, cùm mentis eius causa sit, & mens ista beneficio patris ornata naturam omnem huius mundi perornet. *Alc. cap. 10.*

Deus ineffabilis dicitur, & solâ mente percipiendus, quia nec genus est circa illum, nec species, nec differentia vlla, nec accidit illi quicquam, nec malum, nefas enim dictu id esset;

nec

nec bonum, si quidem participatione cuiusdam bonitatis præsertim talis existeret; nec differentia vlla illi accidit, nõ enim id secundum ipsius notionem fieri potest, nec qualitas non enim qualis effectus est; nec informis, non enim qualitate vlla ad se pertinente priuatus est; nec pars cuiusquam, nec totum vt partibus constitutum, nec idem cuiquam, nec alterum, cùm nihil illi cõtingat quod ab alijs secerni queat, nec mouet, nec mouetur, vnde prima hæc intelligentia est secundùm horum omnium ablationem. *Alc. cap.* 10.

Dei ad similitudinem homo accedit, si conueniente naturâ vtatur, moribus, & victu, & sensu secundùm legem, ratione præsertim, & doctrina, Vt à negotijs humanis longè alieni, diuinisque contemplationibus dediti semper viuamus, purificationes quædam interioris dæmonis sinceris expiationibus opus fuerit: ipsæ Mathematicæ disciplinæ erunt, & corporis cura per Gymnasticam habenda est, vt prompti ad opera tum pacis tum belli reddamur. *Alc cap.* 13.

Deum aliquis per seipsum comprehendere non potest, ni ille vltro videndum se præbeat. *Phil. Iudæus de Abrahamo.* Deũ qui inuenire cupiunt, amicam solitudinem diligant. *idem, ibid.* Deum semper se inspicere donum beatum est, cùm per phantasiam percipere antiquioris, & propriæ inspectionis sit munus, hæc enim sensus est sensuum, quoniam phantasticus spiritus est sensuum communissimum. *Synesius de somniis.*

Deo summo nullum nomen aptius tribui potest, quàm Iupiter cùm id significet quòd vitam in se contineat & cæteris omnibus præstet, sub quo nomine Deus primùm coli cœpit. *B. S. Card. in Calumniatorem Plat. lib.* 3 *cap.* 5. Dei appellationes omnes intelligendæ sunt secundum causam potius quàm per formam *Fic. pl. t. Theo lib.* 2. *cap.* 9.

Deus mentem habet, cum non deceat mentem esse instrumentum alius motoris qui mente careat, at omnes mentes Dei sunt instrumenta, & cum in Deo idem sit essentia & operatio, consequens est vt eius operatio ex eo sit genere sit quę in exteriorem materiam non transeunt, sed in agente manẽt tanquam ipsius perfectiones potius, quam materialis est cognitio. & appetitio, in Deo saltem cognitio est intelligẽtia scilicet, vel eminentior quã in ipsa intelligentia: & quoniam intelligentia Dei prima intelligentia est, & quicquid est in aliquo genere primum purum est & solum. & in seipso, ideo idem est ibi & penitus esse, & intelligere: & si ibi est intelligentia, perfectissima est *Fic. Plat. Theo. lib.* 2. *cap* 9.

Deus vocatur principium, quia ab ipso omnia. & quia ab ipso exordium sumit intelligentia: vocatur finis, quia ad ipsum & intelligentia, & omnia terminantur: vocatur species, tum quia ipse est actus, qui res omnes dum ab ipso vt principio procedunt, format, & facit. & easdem dum ad eundẽ tanquam finem conuertuntur reformat. & perficit, tum quia ipse mẽs quæque formatur dum intelligit veritatem. *Fic. Plat. Theo. lib.* 12. *cap.* 3.

Dei infinitati tribuimus essentiam, alterum & motum ad terminum verò esse idem, & statum *Fic. Plat. Theo lib* 17. *cap.* 2. Deus quamuis facultatem intellectus excedat, non tamen sic ab intellectu alienus est vt sonus alienus est à visu, cum Deus sit, vt Theologis Christianis placet primum intelligibile, tatiúsque intellectualis virtutis, & actionis principium medium & finis. Est ergo inter intellectum & Deum proportio, non quia sit commensuratio, sed habitudo quædam potius, quasi materiæ intellectualis ad intellectualem formam, & effectus ad causam. *idem, ibid lib* 18 *cap* 8.

Deum recto calle quærunt qui primò per ciuiles virtutes affectus animæ nimium luxuriantes aliquantulum amputant: demum per virtutes purgatorias eos penè ad viuum vsque resecant: tertio per virtutes animi iam purgati pro viribus radicitus illos extirpant. *Fic epist. lib.* 5.

Deus cum sit solus primus actus, solus lux vera dicendus est: & ibi solum vera lux, vbi mera sine subiecti inquinamento forma: vbi solùm vera formositas, vbi solùm vera lux, vera forma. *idem epist. lib* 2.

Deum voluntatis ardore potius quàm scintillâ mentis attingimus; nam Deus quantum intellectus sui luce nos superexcedit, tantum fermè bonitatis ardore se nobis iungit, vt nihil Deo excelsius sit, nihil quoque profundius. *Fic. epist. lib.* 2.

Deum qui se possessurum esse absque singulari eius amore, vel reperturum sperat antequam amauerit, is contra ordinem naturæ frustra laborat. *id. in ibid.*

Deo si potentia immutabilis, & veritas, & bonitas conueniunt, neminem vnquam fictionibus vllis, & mendacijs fallit. *Pro. in remp. Pla. ex Mar. Fic. in ep. lib.* 11.

Deus si verè potens est, immutabilis penitus est. *idem, ibid.*

Deus vnus quisque dicitur seuera bonus, tum quia eum bono suo nullum malum est admixtum, tum quia bonitas in eo non est habitus aliquis essentiæ additus, sed ipsa eius essentia: eodem enim eius essentia est formaliter, & deus æquè est & bonus. *ibid.*

Deus non propriè nominatur æternitas, sed ipsa virtus, & vnitas, per quam perseuerantia quædam in suo quodam vno & est, & nominatur æternitas. *Fic. in Dion. S. Areop. de diuin. nomin.*

Deus ante omnia dicitur, & super omnia: ante quia est & efficiens, & finis: super, quoniam rationes & vires omnium absque proportione transcendit. *idem, ibidem.*

Deus cùm vnitas vel trinitas appellatur, omnem mathematicam, vel naturalem, vel quomodolibet essentialem, & intellectu quolibet excogitabilem vnitatem vel numerum procul expelle: vnum intellige simplicissimum, trinum seruata prorsus vnitate naturæ seipsum in se propagantem, personis inter se solâ originis relatione distinctis: qua ratione existit spiritus ab vtroque. *Fic. in Dion. Areopag. de diuin. nomin.*

Deum duæ viæ declarant & comparationis, & negationis, & ab omnibus entibus, & intelligibilibus esse segregatum, & vniuersi esse principium *Fic. in Plat. Parm. cap* 40.

Deum cùm dicimus vnum & bonum, non duo quædam, sed idem prorsus vaticinamur *idem, ibid. cap.* 44.

Deus quid sit affirmando non nequimus, nam quidquid affirmamus mentis captum est, ergo proprium nobis aliquod, & terminatum; ergo super omnem conceptum supereminet Deus: quod ergo non sit inuenire possumus negando, & quo ordine agat, & alia ad illum sic habeant comparando perquirimus; quid verò sit latet. *Fic. in Plat. lib.* 1 *cap.* 5.

Dei nomina tanquam imagines & radij ipsius Dei sunt, per cœlicolas heroas, animósque hominum penetrantes. *idem, ibid cap.* 11.

Dei Nomen expressiùs concipitur apud mentes cœlestes, secundò in dæmonibus purioribus, tertiò in anima hominum. *Fic. in Plat. Cratilum.*

Deum, vnicum esse probat Plato in Parmenide, & Timæo, cæteros verò angelicos Dei ministros. *idem, ibid.*

Deus voluit quatuor literis vocari, quia ipse per quatuor gradus cuncta disponit, essentia, esse, virtute, actione: cœlestia item quatuor triplicitatibus, ignea, aerea, aquea, & terrea: & quæ sub cœlo quatuor elementis *ibid.*

Deus centrum omnium meritò nominari potest, cùm omnibus insit vnus penitus, simplex atque immobilis, cuncta verò ab ipso producta multa: composita, & mobilia sint, atque vt ab eo manant, ita in eum instar linearum & circumferentiæ refluant, ita mens, anima, natura, materia procedentes à Deo in eundem redire nituntur, seque vndique pro viribus in illum circumferunt, ergo vt centrum omnibus inest. *Fic. in Plat. conuiu. orat.* 2. *cap.* 3.

Deum verè cognoscere in præsenti tempore impossibile est, verè autem amare quoquomodo cognitum, & possibile est & facile. *Fic in Plat. conu. or.* 4. *cap* 6. Deus dicitur consilium, & consilij fons quia veritas omnium est, & bonitas, cuius splendore omne consilium verum efficitur. *idem, ibidem. cap.* 7.

Deum qui cognoscunt nondum illi placent, nisi diligant: qui cognoscunt diligunt; non quia cognoscunt, sed qui diligunt, amantur, à Deo: manus charitate complectimur Deo eos qui cognoscunt nos sed eos qui nos amant. *Fic. in Plat. conuiu. or.* 4 *cap* 6. Dei lux, & pulchritudo quæ mera est prorsus ab alijs omnibus absoluta, absque dubio infinita dicitur pulchritudo, & infinita pulchritudo immensum requirit amorem. *idem, ibid cap* 18. Deus potius cognoscitur quid non sit, quam quid sit. *idem in Merc Trism. Pimand. cap.* 1.

Deum, cùm penitus sit incorporeus immobilis, vnus per opposita nequimus attingere, meritò illum nec imaginatione attingimus corporalia machinante, nec mobili ratione, mutabile nonnihil semper excogitante, nec intelligentiâ suapte naturâ multiplici varium semper aliquid meditante sed attingimus tandem vnitate quadam animæ intellectu superiore, quando ad eam à multitudine tam intima quàm externa penitus segregati confugimus; tunc primum præsentis vbique semper Dei signum iam nobis perfectè præsentius habemus, præcipuè trinum, nouum lumen, insuetum amorem, inæstimabile gaudium. Ad hoc consequendum duo conferunt, doctrina tanquam via, segregatio tanquam animi præparatio. *Fic. in Plot. En* 6 *lib.* 9. *cap.* 4.

Deum cùm nominamus, vnam simplicitatem ipsam vaticinamur penitus indiuiduam, quæ super essentias principium est essentiæ longè excellentius quàm vnitas numerorum, & signum dimensionum, Profectò vt ens continuum atque ens discretum ad aliquid indiuiduum resoluitur, ita ipsum

simpliciter ens refertur ad ipsum simpliciter indiuiduum. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 9. c. 5.* Deus non est dicendus ens, nec intelligibile, sed supra vtrunque. *idem, Fic. in Plat. epist. 2.*

Deus cùm intelligibile & intellectum infinito superet interuallo, nemo intelligentiæ actione vlla diuinam substantiam potest consequi: potest tamen quandoque assequi passione, passione inquam benignâ per ipsam beneficam infiniti boni actionem nobis illatam, illatam inquam in vnitatem ipsa nostræ mentis caput, quando mens in vnitatem suam, quæ expressa est diuinæ simplicitatis imago, totam vndique se collegerit: verum quod menti vnitatem bene indutæ sub diuino sole subrutilat, tunc fermè abit, cùm vnitatem exute rursus induit multitudinem. Ex his patet è Platonis sententia diuina à nobis non inuenire, sed potius desuper reuelari, nec mente comprehendi posse substantiam, proprietatemque diuinorum, nedum verbis & literis explicari: ideò de his mente differendum describendùmque, vt per verba & literas adhortari, & præparari animos ad diuina speremus potius quam demonstrare: sic & Plato de substantiæ, ac proprietatis diuinæ definitione nihil scribit, scribit tamen multa quæ vel per exhortationes, vel instructiones ad eum mentis statum quandoque perducant, cui tandem ex alto panditur domus omnipotentis olympi. *Fic. in Plat. epist. 2.*

Deus cùm sit simpliciter causa, non est dicendus auctor quidã hominis vel equi cuiusdam, sed auctor hominis & equi. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.*

Deus etiam nobis apparet diuersis formis, vt cùm diuinum ipsum multas in se vires habens specierumque omnium plenum varia contemplantibus intelligibilia spectacula proferi, tunc inquiunt diuinum ipsum has vires in se continens demonstratam virium varietatem in formas varias commutare, alias aliam proferens, semper secundùm omnes agens apparens transitorijs animarũ intelligentijs semper aliud, & aliud, propter formarum quas in se continet multitudinem: & sic Protheus alius, & alius apparet. *Proc. in rep. Plat. ex Mar. Fic. in epist. dial. 11.*

Deorum aliquis cùm quasi hospes, vel aliter nobis occurrit, non est putandum illi apparentem mutationem inesse, sed in differentibus susceptaculis imaginationem variam resultare. *Proc. in rep. Plat. ex Mar. Fic. epist. lib. 11.* Dei inuisibilia id est angelica numina per stellas potissimùm intellectu conspiciuntur, per solem vero sempiterna quoque Dei virtus atque diuinitas. *Fic. de sole, cap. 2.* Deus non per formã, sed per causam vita dicitur & ipse species omnes viuentium generat distinguit, & mouet. *idem, in Dion. Areop. de diu.*

Deum qui ignorat hominis nomen amittit, & humanitatem omnem perdit, & cum feris, & beluis censendus est. *Fr. Pat. reg. lib. 8. cap. 15.*

Deus quocunque nomine pro gentium varijs linguis varijsque religionibus vocetur, semper augustè sanctéque coli, à mortalibus voluit, ac propterea sacrilegos, impiósque omnes manifestis pœnarum exemplis grauiter vltus est. *idem, ibid.*

Dei cognitio difficillima est, & quod in ea sis adeptus periculosum est cum alijs communicare. *Iacob. Carp. in Alc. dial. tert.* Deus lux abyssus luminum, formáque & fons formarum infinitus actus, actus actuum, vnus Deus lux summa luminum, ob nimiam lucem incognitus, mera formositas est. *idem, ibidem.*

Deus non est accommodatum obiectum intellectui nostro, quandiu in vita hac in intelligendi munere non nihil cum corpore participat: nam forma est in intelligendi principiu intellectus noster, quia corpori non nihil communicans impurè intelligit & intelligitur, contra Deus in intelligendi munere nullo modo communicat, ideò purè & sincerius intelligitur. *Iacob. Carp. in Alc. cap. 9.* Deum melius negatione, quàm affirmatione cognoscimus, nam affirmando facilius mentiri possumus quam negando. *idem, ibid.* Deo magis conueniunt abstracta quàm concreta nomina, nam perfectionem significant absque defectu: concreta perfectionem quandam subiecto communicatam secundùm varios gradus & inæquales, qualem Deo cortribuere esset impium. *ibid.*

Deum ignorare homines nefas est, & videant cum irrant. Cùm optant, cùm gratias agunt, non Iouem, aut multos deos, sed Deum nominant: adeò ipsa veritas cogente naturâ è pectoribus etiam inuitis erumpit: videant miseri quod meritum impietatis suæ sperare possint. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 3. cap. 1.* Deum nomine singulatem appellauit Æsclepius, Thales, & ca antiquissimis Acmon, appellans eum vndique absconditum, & Mercurius dicens Deum cogitare difficile, eloqui impossibile, quod & Plato vsurpauit: idem de singulari mente deorum Pherecides Syrus, & Euclides, & Xenophon, ait de vero Deo firmam pariter fuisse sententiam itidẽ Cleentis. *idem, ibidem, cap. 4.*

Deum vnum esse ait Zeno, & nisi sit vnus, nec Deus quidem esse potest, sic & Parmenides, & Empedocles, & Aristoteles Deo necessariò vnitatem tribuerunt. *Aug. Steuc. de perẽ. phi. lib. 3. cap. 5.* Deum vnum, & immobilem putarunt Parmenides, & Melissus, quamuis Aristoteles non æquanimiter eorum Theologiam interpretatur, dicens eos de principijs naturalibus loquuti. *idem, ibid. cap. 6.*

Deum vetus Theologia vocat celsissimam, pretiosissimam, & primam vnitatem, & vnitatem omnium rerum principium, & ipsum ens, ipsam infinitatem. *Aug. Steuch. de per. phi. lib. 3. cap. 6.* Deum antiqui omnes vocarunt τὸ ὄν hoc est ipsum esse, vnde Plato in Timæo hanc rerum diuisionem præmittit, aliud esse τὸ ὄν ipsum quod est aliud τὸ γινόμενον id quod fit; & quoniam sub secundo corporea & sensibilia intelliguntur, necessariè sub primo sunt ab oculis separata. *idem, ibid. cap. 7.*

Deus in veteri Theologia appellatus est τὸ πᾶν id est vniuersũ, quod & Aristoteles ait in primo de principijs philosophiæ, veteres illos dixisse ἓν ἅπαν τὸ πᾶν vnum esse vniuersum, & Empedocles ait vnum mundum minimam partem esse vniuersi, & cùm mundum vnum dixisset, necessariò vniuersum mundum intellexit. *Aug. Steuch. de per. phi. lib. 3. cap. 8.* Deorum nomen, etsi Plato in multos diffundit, id quasi iocando & poëticè facit, medium enim locum tenedit inter poetas & oratores. *idem, ibid. cap. 6. lib. 5.*

Dei summi apud Platonem nomina sunt ipsum bonum, idea boni, res generis, & loci inuisibilis, genitor Solis, vltra substantiam, principium vniuersitatis, à quo est esse & substantia his quæ nascuntur. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 5. cap. 7.* Dei cognitio est magna iucunditas. *idem, ibid. lib. 6. cap. 9.*

Deum non perfectè sicut verè existit, sed ex eius actionibus tantùm cognoscere valemus. *Leo. Heb. de Am. dial. 1.* Dei nomen apud poetas in mundum quoque inferiorem descendit. *idem, ib. dem. dial. 2.* Dei ipsius acerrima contemplatio actaque intelligentia omnium actum intellectualium, nec non cunctarum intelligendi rationum suprema ac præstantissima existit. *ibidem. dial. 3.* Dei cognitio seu visio triplex existit, prima quidem & infima ab humano, secunda autem & media ab angelico, tertia denique atque suprema ab ipsomet diuino habita intellectu. *ibidem*

Dei ipsius cognitio ab humano atque angelico, intellectu habita, quam maximè differt. *ibid.*

De Diis varia antiquorum opiniones.

Dij vniuersam terram aliquando secundùm locos inter se diuiserunt, iustitiæ sortibus de iis quæ amicorum esse consentientes regiones incolendas tradebant, & nos vt iumenta, & greges, & pecora sua nutriebant, præterquam non corporibus corpora cogebant vt pastores iumenta plagis coercens, sed mentem maximè sic ducentes mortale genus omne gubernabant. *Plato in Atlantico.* Deum necessitati repugnare qui ait, necessitatis diuinæ est ignarus, nam de humanis ad quas plerique respiciunt qui dicunt, hic omnium sermonum stolidissimus est. *idem, de leg. dial. 7.*

Deos plures Aristoteles ponit in libro de cœlo, dicitque esse, cœlum, & stellas viuere, & intelligere, & non solùm animata sed intellectualia. *Bess. Card. in calumniat. Platon. lib. 2. cap. 4.* Dei voluntatis nunquam mentionem fecit Arist. *idem, ibid. cap. 6.* Deum nil aliud esse quàm naturam falsum est, nam natura ex Deo dependet etiam reste Aristot. *idem, ibidem, lib. 3. cap. 19.* Dei omnipotentia, aut nulla est è sententia Aristotelis, aut ea tantùm est quæ in dependentia mundi ex prima causa, & in conseruatione rerum cunctarum appareat. *ibid. cap. 20.*

Deus apud Platonicos vnus est triplici ratione: primò, quia summa est vnitas, nam quodlibet summum est vnicum, ergo Deus mundi vnius ordinator est vnus: secundò, quia est summa veritas: nam vna tantùm est summa veritas; si enim essent duæ, aut vna earum habet quicquid habet altera, aut non: si prima datur, vna est, non duæ si secunda, neutra est summa: tertiò quia est summa bonitas, nam summa bonitas est vna, cùm complectatur quicquid boni reperiri potest. *Fic. in Plat. Th. lib. 2. c. 2.*

Deus apud Orpheum vocatur vita sempiterna, immortalisque prouidentia. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. cap. 13.* Deus à Platone in Parmenide appellatur infinitus, quia nullum aliunde accepit terminum; in Philebo verò terminus, quia mensuris passim distributis omnia terminat, ideò essentiam ad infinitatem, esse ad terminum tribuunt. *idem, ibid. lib. 17. c. 2.* Deum Orpheus appellat noctẽ, & diem, quia in summa intellectus cognitione quodãmodo est nox quædam intellectui, in summo voluntatis amore certè dies est voluntatis. *idem, ep. lib. 2.*

Dei rationẽ Plato per tres proprietates in legibus definit, scilicet

licet per bonitatem, potentiam, & cognitionem: per tres quoque similes in Republica per bonitatem, immutabilitatem, & veritatem. immutabilitas est potentiæ propria, veritas est cognitionis perfectio. *Proclus in republica, & Marsilius Ficin. epi. lib. 11.*

Deum opinantur Platonici intellectibus omnibus tam humanis quàm angelicis impressisse proprium quendam sui characterem, tanquam proximè à se creatis, quem alibi appellauimus vnitatem, & bonitatem quæ in naturis intellectualibus sociam superat multitudinem, in naturis deteriorib. sæpe superatur. *Fic. in Dio. Areop. de diu. nom.*

Deo quæ suum tribuit iustitiæ pars à Plato. in dialogo de sancto, & Georgia appellatur sanctum *Fic. in dial. de sancto.* Deum esse mentium lumen ad omnia intelligenda à quo facta sunt omnia, apud Platonicos ratum est *idem in Plato. philos. lib. 1. cap. 26.*

Dij sequentes dominante necessitate parentes suos castrare aut ligare dicuntur, quia fœcunditas illa naturæ in Deo integra, in angelo comminuta, & quodammodo mutilata, & meritò castrata fuit. Si enim Saturnus id est angelus cœlum id est summum Deum castrare videtur, Iupiter quoque id est anima mundi ligare Saturnum, id est vim ab angelo acceptam in seipso naturæ suæ defectu angustioribus limitibus coarctare: ideò potentia. quæ in illo soluta, in hoc ligata propter angustiam & coarctata censetur. *Fic. in Plato conuiu. or. 5. cap 12*

Deos per ideas multiplicamus more Platonico, vt quot species ideæ mundo intelligibili continentur, dij illic totidem numerentur, quo vsu fas erat etiam per animalia, arborea, interioráque iurare, modò nominibus his ideæ horum cogitarentur: itaque multò magis deos nominare decet ideas sphærarum omnium, & stellarum. *Ficin. in Plato. phædrum, cap. 10*

Deos Platonici multiplicant quatuor modis. Primus est per substantias varias, vt quando primum nominamus ipsum bonum. vel ipsum vnum: secundum Saturnum id est intellectum boni filium, qui est intellectus primus, sic intelligibile primum, intelligibilisque mundus: tertium id est mundi animam, Saturno genitum, Iouem magnum in cœlo ducem. Sed inter animam mundi, & intellectum primum tres supramundanorum deorum ordines collocant Platonici, alios mundo intelligibili, alios huic sensibili mundo proximos, alios medios; supernos vocant intelligibiles. extremos intellectuales, medios mixtos Sequuntur duodecim sphærarum dij, & mundani dij intelligentiæ summæ progenies, in cuius intellectu sit virtus intellectualis & vitalis. Succedunt animæ stellarum distinctáque per duodecim sphæras inuisibilia numina, quę duces particulares cognominantur, Dij dæmones, & Heroes. Secundus modus est per ideas. Tertius per generaliores ampliorásque proprietates incedere quàm species. Quartus est particularia numina in quibuslibet mundis pluries plurima inter quæ sunt dæmones, & inter dæmones non solum est Saturnus, & Iupiter vnus, sed multi in qualibet sphæra Saturni, Ioues, Iouis, & Saturni ministri. *Fic. in Plat. Phædrum, cap. 10.*

Deos multiplicamus more Platonico per generationes, & ampliores proprietates incedēdo potius quàm per species quo pacto deos primò per mundum intelligibilē distinguimus. prima. n. per formalia est distinctio in eo. Vnitas igitur illa, capútque diuinæ mētis cognomēto primi Dei quandoque forsan poterit vocari, siue bonum. siue dæmogorgon, siue aliter, præcipuè quidē ipsum simpliciter primum, cōsequenter autē quod in secundo, vel tertio primū nominare placuerit. Sequitur intellectus in ipso intelligibili mundo, in quo duæ considerantur proprietates, prima contēplatiua segregata quasi solis contenta veris; hanc vt suscipit ipsum bonum Platonici vocant Cęlum, at quatenus ad essentiam se conuertit Saturnum appellant. Secunda intelligētia est quasi practica & architecti, patrisque amore cūcta dispensans: hanc Iouem maximum vocant. Rhea est virtus vitalis, cui incubat intellectus Saturnius, vt maritus, & Iouius vt filius. Iuno viuifica virtus quæ comitatur intellectum primæ intelligentiæ filia, secundæ soror, & coniux. Neptunus, & motria virtus, Pluto, & Vesta firma proprietas. Venus vocatur virtus viuifica, & gratia, Apollo splendor, Pallas virtus, & sic de aliis potentiis. *Fic. in Pla. phæd. cap. 10.*

Deorum antiquorum opiniones in tres sectas diuisæ erant: alij dæmonibus solum sacrificabant, diffidētes vota hominū ad cœlestia peruenire: alij cælestia quoque colebant, putātes illa nō solū viuere, & intelligere sed etiam radiis suis etiam inspicere cuncta atque audire, ideò & sacrificiorum ritus ab eis prospici, & supplicium laudes & preces exaudire: veruntamen animorum in corporibus his viuētiū vota ad deos illos, qui nullum cum corporibus cōmercium habent, peruenire non posse. Alij denique hos ipsos deos in primis venerabantur iudicantes à summis rerum causis effectus omnes etiam humanos tā cognitione quàm veritate perfectissimè contineri deósque vocabant, tam visibiles, & cælestes, quàm inuisibiles supercælestes, quos nostri vocant angelos, & ipsi deos, quasi proximos summi Dei contemplatores, & ministros. *Fic. in Pla. Apol. 10.*

Deo approximari cœperunt sapiētes duabus viis altera negando, altera referendo: nā illâ quid Deus non sit argumentantes probauerūt, nec esse quicquā eorum, quæ capiuntur sensibus, nec ea his quę mente cōprehenduntur, in hac autem, & creaturas ad creatorem, & creatorem referentes ad creaturas, excogitauerunt qua ratione, & creator singula faciat, & perficiat, & creaturæ ad ipsum sese vel habeant, vel imitari, vel consequi possint. *Ficin. in Plat. de republica, dial. 7.*

Deum esse communi consensu existimarunt antiqui sapientes, cùm viderent machinam hanc mundi mirabiliter ordinatam nec per se consistere posse, & ea diuersis componi, & mutari. *Ficin. de rep. dial. 7.* Dij inuisibiles post deos in cœlo visibiles, dæmonésque in cœlo atque sub cœlo sunt, ignoti quidem aliis, noti verò priscis quibusdam diuinitus inspiratis. *Idem, in Plato Timæum. cap. 23.*

Deos Platonici alios super cœlestes. alios cœlestes alios subcœlestes esse putant: primos Dei filios, sequentes deorū filios nominant; in primis amplissimam prouidentiam in secundis minus amplam, in tertiis ad angustiora redactā collocant, vt qui iam certis terræ plagis, rerúmque generibus diuinâ distributione præsint, vt & cœlestes alij aliis cœli partibus, stellisque præponuntur. *Fic. in Plato. Atlantic.* Deorum numerus nil plus potest apud Platonem quàm apud nos tot angeli, & beati. *Idem, in Plato. de legibus, dial. 10.*

Deos deorum filios duobus modis apud Platonē est, & duobus homines filios esse deorum: primò omnes sphærarū mundi rectores, siue ipsi sphærarum animi. siue dæmones circa sphæras, siue intellectus angelici vltra sphæras filij sunt omnipotentis Dei, tanquam voluntate ipsius beneficâ procreati. deinde in quolibet horū trium genere inferiores superiorum filij ideò nuncupantur, quia à superioribus cōtinuè radios formásque suscipiētes quodammodo inde formantur, & illis quasi patribus obsecundare videntur. Homines etiam à superis geniti dicuntur, vel quia ab initio rerum è terræ visceribus superiorum fomento in lucem editi fuerint. vel quia superiorum quotidie inspiratione vehementer afflati mox ex humana solitáque affectione in diuinum quendam vitæ statum quasi renati diuinitus transferuntur. *Fic. in Platon. de legibus dial. 10.*

Deo Plotinus, & in superioribus, & in præsentia intellectū, & voluntatem intelligibili intellectu, & affectante voluntate superiorem non negat; proinde in Deo voluntas est ipsa Dei natura: sicut ergo Deus consideratur ex sua natura, sic & voluntate propriâ prodiisse, penes quam existere & velle sunt idem, & hinc nota animum tuum posse penes deum aliquid attingere, sed lumine quodam super illustrante, te verò mox quicquid vltra succurrerit auferre debere. *Ficin. in Plotin. En. 6 lib. 8. cap. 21.*

Dei potestas, & sapientia tractatur in Pimandro. & cùm hæ sint duæ operationes, quarum prima in ipsa Dei natura permanet, secunda porrigitur ad externa, & illa mundū primum & æternum concipit, hæc mundum secundum & temporalem parit, ideò de vtriusque operationibus disputat grauissimè, quid potestas. quid sapientia, quo ordine intrinsecus cōcipiāt, quo progressu exterius pariāt: præterea quæ producta sunt quomodo se inuicem habeant, quo conueniant, quo discrepent quo denique pacto suum respiciant auctorem. *Fic. in Argumen. Mercurij Trimegisti.*

Deorū diuisionē Proclo cōsentaneā sic disponere licet: primò vnū ipsum supra ens & intelligibile totū. secundū vnum ens, siue vnitus entis in quo vnitas sua suo enti præponitur, potest & intellectus intelligibilis appellari, & Iuppiter: tertiū est intellectus intelligibilis, & intellectualis simul, & vnitus intellectus, & expressio prima lethon: quartū intellectus intellectualis iā explicatus cœlestium dux deorū Emeph: quintum intellectus opifex proximus dux opificum mundanorū, qui sunt dij cœlestes, empyreique, & ætherei, hic forsan intellectus est anima mūdi, qui vocatur Ammoun, Phtha, Vulcanus, Osiris *Fic. in Iam. de myst.*

Deos cogitant Platonici alios extra mundum esse mentes scilicet seiunctas à corpore tanquam intellectuales sphęras colentes Deum vnum tanquam ipsarum centrum firmissimum, & stabilissimam vnitatem. Alios mundanos appellant videlicet vltra diuinum cultum voluendis mūdi sphæris accommodatos; his dæmones subdunt quasi ministros ad ea quæ vel in specie, vel in sphæris, vel ex sphæris fiunt disponenda, & componenda; & totidem numerant genera dæmonum, quot in diis mundanis dæmonum ducibus vires inueniuntur. At in diuini mundano Deo vnitas ipsa suprema est substantiæ suæ, qua diuinam referat vnitatem; post eam est intellectus simul omnia contuens, per quem mentes repręsentet angelicas: item ratio per formas quadam progressione discurrens taliū propria animarum: præterea imaginatio quædam eatenus per particulares congrediens formas, quatenus per vniuersales ratio ipsa progreditur; deinde sequitur vegetalis sphæra viuifica simul, & motrix, & secundùm has quinque vires genera quinque dæmonum computantur. Quorum ex numero cœlestes dæmones deorum mundanorum vnitatem accommodatè sequuntur, ætherei verò dæmones id est ignei eorundem deorum intelligentiam, aerei dæmones rationem, aquei imaginationem, terreni naturam, quam appellauimus vegetalem; sub his orphici dæmones collocant subterraneos mundanorum deorum corpora infimo quodam ordine referentes, scelerúmque vltores. *Ficin. in Platon. de republica, dial.* 10.

Deum propter absolutam simplicitatem appellat Plato vnum, propter exuberantem beneficentiam per quam & tanquam principium producendo efficit omnia, & tanquam finis eadem perficit reducendo, nominat ipsum bonum. *Fic. in Platonic. Timæum. cap.* 8.

Deos antiqui alij putarunt esse corpora cœlestia alij elementa, & Chaldæi ignem, Ægyptij aquam, alij statuas maligno motas dæmone deos esse, ac illis diuinos honores maluerunt impendere. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doctr. gent. lib.* 2. *cap.* 5. Deos antiqui philosophi qui inuestigarunt, & eorum cultus docuerunt, Theologorum nomen acquisiuerunt, vt Orphæus, Hesiodus, Homerus. *idem, ibid.*

Deos alij negarunt, alij asserunt, alij ambigunt: Sceptici dixerunt secundùm religionem, & patrias leges esse, secundùm philosophiam nec admitti nec excludi. Fuerunt & qui faterentur se nescire, vt Simonides, & qui tempus deliberandi quærerent, in cæteris liberè decernentes, vt Milesius Thales. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in exam. vanitat. doct. gent. lib.* 1. *cap.* 8.

Deum Optimum Maximum, & materiam sapientes omnes difficiles esse intellectu iudicarunt. *Gabriel a Vitel. de materia, & priuatione, lib.* 10. Deo omnes philosophi tribuunt non otium, sed actionem: & nobilissima actio est intelligere. *idem, de idem, lib.* 3.

Deus actum purissimum ait Aristoteles omnis potentiæ expertem. *Iacob. Carp. in Alc. dig.* 3. Deum in perpetua contemplatione versari ait Aristoteles, nec ideò extra se quicquam intelligere. *idem, ibid.*

Deum inter, & supremum orbem nullam aliam causam, vel intelligentiam vult intercedere Aristoteles. Platonici verò ipsum vniuersum à Deo quidem esse volunt, sed ab intellectu formari, ab anima moueri: imò hæc omnia à primo pendere, sed esse à primo tantùm, formari verò ab illo per intellectum, moueri, & mouendo formari mobiliter à primo per intellectum simul & animam. *Iacob. Carp. in Alci. cap.* 9. Deum iuxta opinionem Arist. esse in ipso cœlo, immo extra supráque cœli, & mundi ambitum patet libro primo de Cœlo, cap. 9. Iuxta Platonem est in medio: sed quod sit medium variæ opiniones sunt. *idem, in Alcinou, cap.* 12.

Deum non indigere mente ait Plotinus, mens verò indiget Deo cùm à patre generetur; at mens habet cuncta quæ pater possidet, vnde mens est imago summi boni, & speculum diuinitatis. *August. Steuch. lib.* 1. *de per. phi. cap.* 19.

Deum primum ait Numenius, & omnes Platonici esse simplicem, secundum & tertium vnum. *idem, ibid. lib* 2. *ca.* 15.

Deum Aristoteles, non deos in numero plurali appellauit dicens Deum animal, aut vitam sempiternam optimam. Plato item post Deum Dionysio gratias habere par est. Homerus etsi deos illos fabulosos nunquam non habet in ore, naturæ tamen instinctu Deum vniuersalem nominauit. *August. Steuch. de peren. phi. lib* 3. *c.* 1. Deum quoties antiqui nominant, verum, & vnicum Deum designant. *idem, ibid.*

Deum Pindarus numero singulari appellat, Deum optimum solertissimum opificem. *August. Steuch. de peren. philosoph. lib.* 3 *cap.* 1. Deum nomine singulari appellauit Æschilus, Callimachus, Simonides, Sophocles, Euripides, Phocylides, qui dixit, Est vnus, sapiénsque, potens Deus atque beatus, Thales Deum ingenitum dixit. *idem, ibid.*

Deū numero singulari nominauit Trismegistus Orphæus, Sibylla, Empedocles, Pythagoras, Melyssus, Anaxagoras, Philolaus, Pherecides, & alij plerique. *Aug. Steuch. de peren. phy. lib.* 5. *cap.* 3. Deum, quem nouissima coluit, vidit, declarauit religio, natura quoque, & crebra quondam oracula semper hominibus effuderunt, religione, naturâ, cœlo inter se semper congruente; & quas prophetæ diuinitus afflati viri laudes edidere, easdem multi alij, quos sola natura sparsæque per omnem mundum rationes conuicerunt, celebrarunt. *idem, ib. cap.* 4.

Deum tria asserunt antiqui, principium, incorruptibile, immortale. *August. Steuch. de peren phil. lib* 3 *cap.* 9.

Deus ab æterno solus, animas diuiniores ab illo creatas apud veteres constat. *idem, ibid. cap* 12. Deum vnum maximum, & solum æternum probat Plato, Iamblichus, & Stoici. *ibid. cap* 53.

Dij qui essent & qui summus Deus apud antiquos, inconstans fuit opinio. *August. Steuch. de peren phil. lib.* 5 *cap.* 6

Deo soli perfectam bonitatem attribuit vetusta sapientia. *idem, ibid. cap* 11. Dei magni confessio manifesta est in multis Platonis locis, auctorémque esse totius mundi, & omnium rerum creatarum, & eis prouidere *ibid. cap* 52.

Deum singularem inuocandum facilè contemplantibus elicitur ex libris antiquorum, si quis eorum dicta diligenter perspiciat; quod patet sensisse Pythagoricos, Thaletem, Empedoclem, Parmenidem, Anaxagoram, Euripidem, Æschilum, Theocritum, Phocylidem, Pindarum, Hesiodum, Demosthenem, Homerum. *August. Steuch. de perenni philosoph. lib.* 5. *cap.* 12.

Deum esse substantiam bonitatis, mentem, scientiam, rectā rationem, ait Epictetus, non ille Christianus, sed alter philosophus. *idem, ibid. lib.* 6 *cap.* 10.

Deorum tria genera constat fuisse in veteri Theologia, primum genus Solis Lunæ ac stellarum. Secundum eorum dearum, qui à motu cœli absoluti per terras vagari, è cœlo terras petere, in cœlo beatè viuere, res humanas gubernare dicuntur. Tertium eorum, qui ex hominibus in deorum concilio collocati sunt. Ex his primum, & tertium fictitium, secundum veri sunt Dij. *August. Steuch. de peren. philosa. lib.* 8. *cap.* 1.

Deus ex Platonis sententia æternitatem suam illis tantummodò, quæ eius suscipiendæ fruendæque capacia existit, vt primo intellectui, primæque materia largitur. *Leo Heb. de Amo. dial.* 3. Deus suam sapientiam, suámque pulchritudinem, è Platonis sententia, eadem ratione precedit. *idem, ibid.*

Deis, qui non esse opinati sunt, & vt Socrates accusatus fuit.

Deos nouos facere Socrates accusabatur, & veteres negare. *Plato in dialogo de sancta.* Deos non putant esse iudices, qui cùm iurauerint precando in contrarium flectuntur *idem, in Apologia.* Deos qui esse putarit secundum leges, nec factum impium vnquam vltro perpetrat, nec sermonem iniquum profert, sed qui hæc facit vno ex his tribus affectu laborat, aut non putat deos esse, aut secundò si sunt humanas res curare non credit, aut tertiò sacrificiis placari posse, & precibus conciliari opinatur. *idem, de legib. dial.* 10.

Deos qui esse negant, illis succensendum est & odio sunt habendi, qui fidem non habentes narrationibus quas à teneris pueris dū adhuc lacte alerentur, ex nutricibus ac matribus audiuerunt, dū velut incātationes, & cum lusu, & serio ab illis referi entur, ita vt etiam cum sacrificiis in precationibus illas audirent, & visiones ad illas sequentes viderent, quas pueri iucundissimè peragi & vident, & audiunt, dum iidem parentes summo studio pro seipsis, & illis sacrificarent, & ipsos deos, velut qui maximè sint, precibus ac supplicationibus alloquerentur, & tum oriente Sole, & Luna, tum ad occasus iisdem vergentibus, prouolutiones simúlque adorationes & audirent, & viderent Græcorum, & barbarorum omnium, & in variis calamitatibus, & in prospero rerum successu constitutorum, qui non velut non sint, sed velut qui maximè sint, diis hoc tribuerunt, & nullam penitus suspicionem de se præbuerūt quòd dij non sint. *Plato de leg. dial.* 10.

Deos non esse qui à iuuentute opinatus est, nemo ad senectutem vsque in hac sententia perseuerauit. *Plato de legib. dialog.* 10.

Deorum

Deorum idea.

Dei idea ad Trismegistum conuersa repente prospicit in sua mente Trismegistus lucem viribus innumeris existentem, ornatum sine termino ignem, vi ingenti circonseptum, & in ipsa stabilitatem, quæ percepit per Pimandri verbum, id est mentis diuinæ. *Mercurius Trismegisti Pimander, cap. 1.*

Dei operatio idea est. *Alcinous cap. 10.*

Dei vna essentia vna est idea idearum omnium vicem gerens, perque hanc vnicam Deus cuncta circunspicit, & radius qui ex Deo manat, quo longius à diuina vnitate procedit eò magis fit multiplex. *Fic. Plato. Theo. lib. 16. cap. 1.* Deus idea quælibet est. *Idem, in Plato. Parmenidem, cap. 13.*

Deus nullam ideam habet malorum, aliqui cùm idea non solùm exemplar sit, sed efficiens causa, mala faceret. *Fic. in Plato. Parmenidem. cap. 15.* Deus vnius naturalis speciei vnam tantùm specie expressit ideam in ipso intelligibili mundo & hæc inferiora instabilia non aliunde in se communionem habere possunt, quàm ab ipsius sublimis vnitate naturæ. *Idem, in Platon. de republica, dial. 10.*

Deus si non est in tempore, nec in loco, nó potest hoc ipsum quod est vel aliquando, vel vbique contigisse: est autem Deus non tam semper, quàm sempiternas ipsa, nec propriè vbique habitat, sed ipse certè hoc ipsum est, quod à nobis appellari solet vbique. *Fic. in Plotin. En. 6. lib. 8. cap. 56.*

Deus est idea bonarum rerum, & exemplar, idearum idea, id est maxima ratio. *Idem de perenn. philoso. lib. 5. cap. 7.*

Dextrum & sinistrum naturâ vtriusque membri ferè æqualis momenti cùm sit, nos ipsi per consuetudinem diuersa ipsa fecimus, dum non rectè ipsis vtimur. *Plato de legibus dial. 7.* Dextrum & sinistrum in cœlo, non ad vllam certam definitamve cœlestis corporis partem, sed ad duo potius varia, oppositáque cælestium motionum genera referẽdum esse videtur: ita vt motus diurnus, & primi mobilis proprius dexter, motus verò planetarum sinister iure maximo sit appellandus. *Le. Heb. de Amore, dial. 2.*

Dialectica diuisio. vnde sumit initium, & à quo inuenta.

Dialectica accipit ab intellectu principia perspicua, & deinde anima componit, copulat, & diuidit, quousque ad perfectum perueniat intellectum. *Plot. En. 1. lib. 3. cap. 5.*

Dialectica distribuitur in multas species: in diuisionem, definitionem, inductionem & ratiocinationem: & ratiocinatio diuiditur in demonstrationem, quæ est ratiocinatio necessaria, in ostensionem, quæ est ratiocinatio probabilis; & in rethoricum enthymema, quæ ratiocinatio imperfecta vocatur; & denique in sophismata, quibus legitimus philosophus operam dabit, non quod ea vt præcipua probet, sed quòd interdum necessaria censeat. *Alcinous capit. tertio.*

Dialecticam methodum totam sibi ascribit Aristoteles, cùm tamen constet Archytam prius ante ipsum logicam artem contexuisse, cuius præceptis ipse Aristoteles vsus fuit: & Plato partim principia logicæ tradidit. *Georgius Gemistus d. Platon & Aristote. philo. differ. cap. 10.*

Dialecticæ tanta est vis, & ab ortu naturæ tã altè eius principia hominibus insita sunt, vt sine ea quicquam ferè agi non posse videatur in lectoris & disceptatione communi. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 3. cap. 10.*

Dialecticæ alij Ægyptios, alij Zenonem Eleatem inuentorem asserunt. *Fr. Pat. de rep. lib. 2. cap. 5.*

Dialectica, vt à Platone, & ab Aristotele sumitur, & eius finis.

Dialecticum genus rectè philosophanti conuenit, in hoc enim philosophum inueniemus. *Plato. in sophist.*

Dialecticæ id est methaphysicæ est cognoscere qualia qualibus generibus conueniant, & quæ alia non admittant, & sanè an etiam per omnia hæc cohæreant vt commisceri possint, & rursus in diuisionibus an per tota aliæ sint diuisionis causæ. *Idem, ibid.* Dialecticæ scientiæ est secundùm genera diuidere, neque eandem speciem, aliam, neque ea quæ alia est, eandem putare. *ibid.*

Dialectici temporis huius, qui sunt sapientes homines, vnũ prout contingit, & multa prout contingit, & multa citiùs & tardiùs quam par est faciunt, post vnum verò statim infinita: media verò ipsos effugiunt, quibus & dialecticè & contentiosè inter nos disceptare separatum est. *Plato in philebo.*

Dialecticè magis respondere est non solùm vera respondere, sed etiam per ea quæ conficeatur se quis scire, aut intelligere is qui interrogat. *Idem, de virtute.*

Dialectica methodus, id est metaphisica, solâ hac via procedit, supposita exempla tollens ad ipsum principium vt confirmetur; & reuera animę oculum barbarico quodam cœno obrutum sensim trahit, & sursum ducit, cooperatoribus, & circumactoribus vtens his artibus mathematicis, quas scientias appellamus ob consuetudinem; verum indigent alio nomine euidentiore quàm opinionis, obscuriore quàm scientiæ: cogitationem ipsam in superioribus descripsimus. *Plato de republica, dial. 7.*

Dialectica, id est metaphysica, velut corona aliqua disciplinis imposita est, vt supra ipsam non esse aliam disciplinã sed habere iam finem ipsas disciplinas appareat. *Plat. de rep. dial. 7.* Dialecticus id est metaphysicus, rationem essentiæ vniuscuiusque apprehendit. *idem ibid.*

Dialectica naturæ experimentum est; qui scientias in summa cognoscere potest, dialecticus est; qui non secus. *ibid.*

Dialectica non est philosophi instrumentum, non enim nudas propositiones, & respectus continet, sed circa res ipsas versatur, & quasi materiam habet entia, mendacium per vera cognoscens, vtque ad propositiones spectat ferè non nouit literæ enim sunt. *Plot. En. 1. lib. 3. cap. 5.* Dialecticus tria agit, dum diuidendo, & vniendo per vnum & multa res inuicem comparat, primò resoluit, secundò definit, tertiò demonstrat. *Fic in Plato. phileb. lib. 1. cap. 23.*

Dialecticam id est Metaphysicam Pythagorici diuini philosophi non in conceptibus cogitationis nostrę fundauerũt, sed in ideis speciebúsq; naturalibus, vt in quolibet idearum sphærarumque ordine genus vnum inueniamus generalissimum, diuidamúsque ipsum per differentias suas vsque ad species vltimas, neque prętermittamus medios differentiarum gradus, sub speciebus autem multis singula tanquam innumerabilia negligamus. *in Plat. Phileb. cap. 7.*

Dialecticam appellat Plato Metaphysicam. *Ficin. in Platon. sophista, cap. 33.* Dialectica apud Platonem significat sagacem philosophantis indaginem regulis à logica præstitis vtentem ad rationes rerũ inuestigandas, diuinarum præsertim, à quibus rerum quoque sequentium summæ rationes accipiuntur: ideò Dialectica plerunque apud Platonem Theologiam significat. *Idem, in Plato. Euthydemum.*

Dialectica, quæ disserendi præcepta tradit, tantum differt à Metaphysica, quantum communis artium ministra, ab ea, quæ domina est, & architectonica. *Iacob. Carp. in Alcinoum cap. 3.*

Dialecticæ nomen semper ab Aristotele vsurpatur pro facultate populariter disserendi de omni quæstione proposita ex probabilibus, quæ arte Topica instruitur. *Idem, ibidem.*

Dialecticâ, cùm homo homini præstet, iure ars actiom non modo explicandarum dici debet, cùm earum materia iã inuenta sit, sed etiam inuestigandarum, atque constituẽdarum. *Iac. Carp. in Alc. in prima dig. de analytica methodo.* Dialectica apud Aristotelem non significat totam disserendi artem, sed eam, quæ probabilia sectatur. *Idem, ibid.*

Dialectica quid est, & eius officium.

Dialectica est habitus, qui ratione de vnoquoque potest dicere, quid sit vnumquodque, & quo ab alijs differat, quóue conueniat, & quomodo; & vbi sit quodlibet, & si est, quid sit, & entia quot sunt, & non entia rursus, & ab entibus alia. Eadem hæc & de ipso bono disputat, & non bono & de his, quæ sub bono, & sub boni contrario sunt, & quid sempiternum, & quid non semper, non opinione de omnibus tractans, sed scientiã, ab errore, qui circa sensibile accidit vacans, intelligibili adhærens, circáque ipsum diligenter agit falso proposito, nutriens animam in ipsu veritatis campo, freta distinctione Platonica ad discretionem idearum specierumq;, & ad quodlibet definiẽdum, & ad prima genera, & quę ex illis sunt, intellectuali texens, & complicans ratione, quousque per intelligibile totũ progrediatur, & rursus resoluens in illud, ad quod processerat ab initio, tum demum quietem agens, vt pote quæ quatenus illuc peruenit, quietem assequitur, haud vlterius circa plurima satagens, sed in vnum redacta prospicit eam quæ Logica nominatur, circa propositiones, & syllogismos occupatã, perinde ac si scribendi potiam alteri cuidam arti concedat, quorũ quædam necessaria & artem antecedentia censet, iudicat verò ipsa sicut & cætera, alia eorum vtilia, alia superflua putans, & ad facultatem appetentem hæc pertinentia. *Plot. Enn. 1. lib. 3. cap. 4.*

Dialectica cùm sit habitus præstantissimus eorum qui sunt in nobis, circa ens præstantissimúmque versatur, prudẽtia circa ens, intellectus circa id quod ente superius est. *Plot. Enn. 1. lib. 3. cap. 5.* Dialectica est philosophiæ pars præstantissima. *Idem, ibid.*

Dialacticæ elementum primùm Plato esse vult, rei autesqua assentiam primò considerare, postea quæ contingant animaduertere. Quid autem vnumquodque sit, exquirit, vel à superioribus diuidendo, atque dafiniando, vel ordina conuerso resoluendo composita, & contingentia, & essentiis adiacentia; vel ex eis, quę continantur per inductionem: val ex iis, quæ continent per ratiocinationē: vt meritò Dialacticæ membra sint, diuisio, dafinitio, resolutio, inductio, & ratiocinatio. *Alcinous, cap.5.*

Dialactica potissima est via ad veritatem, vnda in Phædro dicit Plato in qualibet magna facultate opus esse, & sublimitare mentis, & efficacia ad uperandum. Primum da tur per vim rasolusiuam secundum par diuisiuam: totū est Dialactica. Et in Parmenide dicitur nullum sine Dialectica fore sapiantem. Et io Phædro ait, si reperiar hominem scientem per vnum & multa vniendo & diuidendo procedere, se illum quasi diuinum adoraturum, *Ficin. in Plato. phileb. lib.1. cap.25.*

Dialactica est data diuinitus, quia est virtus resoluens à materia in diuinam formam, atque diuidendo deducens diuinæ vniuersalisque formæ imagines in materiam, discernens aliena ab alianis, componens propria aum propriis. *Fic. in Pla. phileb.* Dialactica vis intelligibiliute omnium causam contemplatur. *Idem, in Plato. Parmenidem, cap.79.*

Dialectica arduum grauissimumqùa est studium, & si leuis quidam ludus turbæ videtur. Non decet argo virū grauē id vulgo tractare, nequa tamerè hoc onus à quouis ast suscipiendum. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap.18.* Dialectica est artificium diuinum, quod non da varbia amplius, sed da rebus agit, & supra sensus purâ mentis indagatione substantiam cuiusque rei perquirit, & à rebus omnibus nullo aliu supposito principio ad vnum rerum omnium ascendit principium. *Idem, in Plato. phileb. lib.1. cap.23.*

Dialectica est Dei donum, quia sicut in mundo perpetuum est Dei officium diuidera, & componare, sic dialactici est in arta. idaò consummatum dialecticum id est mataphysicum indicat Plato tanquam Deum essa cōlendum. *Fic. in Plat. phedrum. cap.3.*

Dialectica quis operam dare debet, & quo tempore.

Dialacticæ qui operam dare vult, naturâ moderatus essa debat, non prout contingit. *Mar. Fic. in Plato. de republica, dial.7.* Dialacticæ qui operam dant, perseuerare parpetuò debēt. & nihil aliud faciāt, sed vicissim similiter corporis gymnasijs exerceantur, duplicato annorū superiorū numaro, i. quinqua: post quod tempus ad speluncam illam ducendi sunt, vt & militares & aliosiuuenum principatus gerant quo nequa aaperiētiā aliis inferiores sint: sed & in his qnoque examinandi, vtrum quoquo versus trahantur persauerabunt, aut aliquo modo nutent, quod tēpus quindecim annorum sit. *Idem, ibid.*

Dialectices studiū non nisi ad trigesimum annum attingere licet, ne iuuenes vbi primùm differendi arrē gustarūt, velut ludu ipsa vtantur samper ad contradicandum, & redarguendum imitantes, ipsi alios cum voluptate redarguant, ita vs velut catula proximos sampar disputandu trahant, & vellicent: nā cùm & multos redarguarint & à multis confutati fuerint vahemantar, breui eo deuenięt, vt nihil ex his quæ prius putarent ratum habeant, & ex his & ipsi & tota philosophia calumniam apud alios incurrant, at senaa à tali insania libenter abstinebit. *Plato de Republica, dial.7.*

Dialacticæ operam dare adolascentes non vult Plato, ne insolentiores efficiantur: Socrates verò, ingenium cùm diuinum sit, adhortatur. *Fic. in Plato. Parmenidem, cap.35.*

Dialogi conscribuntur, vt non molestiam exhibarent in scriptura ea, quibus sermones connectere solemus: vt cùm da saipso Socrates dicit, & ego inquam, aut & ego dicebam: & rursus da respondente assensus est, & non assentiebatur: aa de causa talibus sublatis dialogi conscripti sunt. *Plato in Theatteto.*

Dialogi Platonis in tres partes diuiduntur, aut solùm falsa inquirit & confutat, aut solùm vera exponit, & docat, aut in vtroqua versatur. Primus contentiosus, secundus expositiuus, postremus mixtus dicitur. *Fic. in Plato de veritate.* Dialogi dacimi da Republica potissimum officium est eo hortari hominas ad iustitiam, & ab iniustitia per sempiternum eius detrimantum, & supplicium absterrere. *Idē, Platon. de repub. dial.10.*

Dialogi de legibus, qui à Platone per propriam ipsius personam traditi sunt, obtinens viam quandam mediam intar diuinam, & humanam. nec nos per abdita, & inuia trahit, nea ad inferiora ducit. *Fic. in Plat. de legib. dialog.1.*

Dialogorum inuentorem nonnulli aiunt Zenonem Eleatē fuissa, & aorum vsus antiquissimus est. *Iacob. Carpentarius in Alcinoi præfatione.*

Diameter omnis cuiuscunque circuli triplicata cum adiectione septimæ partis facit mensuram circuli. *Macrob. in som. scip. lib.1.* Diameter necessario ast latere maior. *Fic. in Plato. de rep. dial.8. cap.5.* Diametar ast commensurabilia latari virtute: nam virtus diametri est dupla ad virtutem lateris, est autam incommensurabilis, quia actu vel certâ radice commensurari nequit, nam quadrati 9. carta radia est, 3. quod est latus quadrati nouem at diametri quadratum ast 18. auius radix est incerta. *Idem, in Plato. de repub. dial.8. cap.10.*

Diana ἀρτεμὶς appallata integritatem, & honestatem refere proptar virginitatem, velut ἀρετῆς ἵστωρ, à virtutis scictia. *Plat. in Cratylo.* Diana tori cùm exorsit, partium curam sorte accepit: ideò obstetrices tantùm sunt illæ: quæ ob ætatem amplius parere non possunt. *idem, in Theateto.*

Diapason.

Diapason consonantiæ voa octaua cum graui adeò consonat, vt quæ voa gemina est, appareat vna. *Ficin. in Plato. de republ. dial.4.* Diapason consonantia ex dupla tensionis, velocitatis, vehementiæ proportione ad id quod duplo remissius est, tardius, & lenius: ex qua proportione duplu consurgit acutæ, id est octauæ vocis excessus ad grauem. *idem, in Plat. de rep. dial.4.*

Diapason consonantia aa diapente, & diatessaron componitur: quia ratio dupla, quæ gignit diapason, vbi habet medium, ex sasquitertia, & sesquialtera, ea quibus illæ fiunt, constituitur: prima anim dupla medium habens est duo ad quatuor, composita ex sasquialtera inter tria & duo, & ex sasquitertia intar quatuor & tria. *Fic. in Plat. Tim. cap.31.*

Diapason consonantia ea prima proportione dupla scilicet resultat: vbi churda supar aliam ex duplo pondere, duplò magis tenta, dum pulsantur ambæ, duplò vehementiùs, citiùsque in suam sasa recipiunt rectitudinam, vocē longè acutiorem vicissim longè grauiori reddebat, adaò tamen amicam, vt quasi vnicus appareret sonus saipso hinc angustior, inda amplior: & hūc sonum metitus est Pythagoras, vbi occurrebat acutior, modulando in octauo altitudinis gradu à graui connumerato videlicet graui esse locatam: item octo quidem sonis, interuallia septem, & sa a ferè tonis constare. *Fic. in Plato. Tim. cap.31.* Diapason conficit cum diapenta perfectissimam omnium consonantiam. *idem, ibid.*

Diapason diapenta in habitudine tripla cōsidarauit Pythagoras haberes sonos duodecim, vndecim intaruallai: nam diapason in dupla, diapēta in sasquialtara sedē habet. At sesquialtera duplæ continuata efficit triplā: sex enim aduarsus tria dupla ast. Adde nouem, vnde ad sex nascitur sesquialtera, statim triplam à nouem habebis ad tria. *Fic. in Plato Timæum, cap.31.* Diapason diapente octauæ & quintæ simul louialis ast symphonia. *idem, ibid. cap.32.*

Diapason octauæ vocis melodiam Apollini dedicasam peperit. *ibid.*

Diapanta in sasquialtera consonantia reperitur, & in baeroni tres, & hemitonium minus, soni verò quinqua & quatuor interualla percipiuntur. *Ficin. in Platon. Tim. cap.31.*

Diapente ast gratissima vocis quintæ concordia. *idem, ibid.*

Diapenta venareæ vocis quintæ gratiam habet. *ibid. cap.32.*

Diaphanum.

Diaphanum est quædam (vt ita dixerim) aptitudo ad lumen accipiendùm, vel forsan est vastigium quoddam luminis exile adaò, vt nondum medium interuallum perficere possit ad visionē; & hoc interuallū accommodatū est non vt aliud quidpiam, sed vt diaphanum, actu iam perfectum ab illustrante, atque vtrunque perficiens, tum quod videt, tum atiam quod videtur. At si visibile ast adeò luminosum, vt ipsum possit perficere visum, non vlterius exigitur, vt perficiat, sed requiritur solum interuallū. *Priscian. in Theophrast. cap.24.*

Diaphanū non ast passio, dispositione ab aliquo corporibus allatā, sad est species quædā conciliatrix eorū quæ in generatione sunt corporū ad luminis perfectionē accipiendā, item præbens eis aptitudinā quandam ad suscipiandū lumē, & tenebras subeūdas, siua hæc alterutrū participās per essentiā, siue per vices vtrunqua, siua simul ambo per aliquā mutationē. *Priscian. in Theophrast. ca.17.* Diaphanum quod est in igne, habet lumen assantiale, quod autem est in terra, habet tenebras essentialas. *idem, ibid.* Diaphanū non est solum luminis, sed etiam tenebrarum suscaptaculum. *ibid.*

Diaphanum non per se, sed propter alienum colorem fit

oculis

oculis manifestum: quod intelligendum est de lumine tanquam ab illuminante procedente. *Priscian. in Theophrastum, cap. 36.* Diaphanum, & medium in omnibus sensibus mouetur: & colores ab illuminante perfecti illustratique diaphanum mouent. *idem, ibid. cap. 24.*

Diaphanum mouet colores, quod & nos sentimus, per seipsum enim mouet intuitum, quando videlicet iam est illustratum, nec iam per aliud, atque tanquam à coloribus motum. *Priscian in Theophrast. cap. 25.* Diaphanum aliqui putant habere colorem, sed exiguum, qui cùm perfectus sit a lumine perficitur colore perfecto corporis luminosi: qui verò negant diaphanum proprium colorem habere, dicunt à lumine quodammodo colorari. *idem, ibid. cap. 16.*

Diaphanum ponit Priscianus de mente Iamblici, vt & Iulianus in libro de Sole, in æthere, igne, aere, aqua, vitris, & terra, & in compositis corporibus omnibus, quibus omnibus est infusa aliqua intellectualis anima. *Ficin. in Theophrastum, cap. 17.*

Diaphanitas est species quædam, & forma per se, at species non fiunt è corporibus, sed fiunt & formaliter distinguuntur à prima forma vniformi simul & omniformi, id est à mente diuina. *idem, ibidem.*

Diaphanum per se est aliquid luminale. *Ficin. in Theophrastum, cap. 23.* Diaphanum non est subiectum luminis tanquam qualitatis suæ, sed est vehiculum luminis tanquam separabilis ab eo, & continui semper corpori luminoso. *idem ibid. cap. 26.* Diaphanum necessariò est medium ad videndum. *ibid. cap. 35.*

Diatessaron.

Diatessaron consonantia fit, vbi inter fides ratio intentionis remissionisque sesquitertia erat tonos duos hemitonium minus, sonos autem quatuor interualla tria comprehendentem. *Ficin. in Platonis Timæum. cap. 31.*

Diatessaron quatuor sonos cùm habeat, & diapente quinque, tamen diapason ex ambobus compositum non plures habet sonos quàm octo, quia vltimus vnius sonus est primus secundi: & sic octo tantùm comprehendunt sonos. *idem, ibid.*

Diatessaron id est comparatio sonorum quatuor ad quartam altitudinem ascendentium, per se non probatur, recipitur tamen ex eo libenter, quia facile tono addito fit diapente gratissima vocis quintæ concordia: & quia si cum diapente connectitur, diapason conficis omnium perfectissimam. *Ficin. in Plato. Timæum. cap. 31.*

Diatessaron Mercurialem vocis quartæ naturam consonantis accommodatam præ se fert. *idem, ibid. cap. 32.*

Dicendi artifex præstans nunquam quis erit, qui eorum qui audient, naturas non enumerauerit, & res ipsas in species diuidere, & in vnum vnâ ideâ comprehendere non poterit. *Plato in Phædro.* Dicere ex tempore, quod satis est, non facile est, habita verò consideratione, nihil difficile. *idem, de rep. dial. 5.* Dicendi principes fuisse ait Hermogenes, Homerum, Platonem, Demosthenem. *Bess. Car. in Calumniator. in Plato. lib. 1. cap. 4.*

Dictionis bonitas, & harmoniæ concinnitas, & ornatus, & rhytmi concinnitas ad bonitatem morum sequuntur, non eam quæ dementia est, & quam blanda appellatione bonitatem morum vocamus, sed quam mentem dicimus reuera bonis & pulchris moribus præditam. *Plato de Republica, dialog. 3.*

Dictio est vox hominis, quæ scribi potest, & signum quoddam commune absque cantus harmonia significans. *Speusippus de Plat. definitio.* Dicuntur omnia doctrinâ, & animâ, sed prius doctrinâ quàm animâ. *Chalc. in Tim. Plato.*

Dicere nil prodest nisi quum primùm est qui maturè agat. *Fran. Pat. de rep. lib. 3. cap. 5.* Didicit non satis, qui adhuc quicquam dubitat, & dum viuimus dubitamus: ergo tam diu discendum, quandiu viuimus. *Marc. Ficin. ep. lib. 1.*

Dies.

Dies dicitur ἡμέρα ab ἱμείρειν, id est desiderantibus, vt loco tenebrarum lux oriretur. *Plato in Cratylo.* Dies est Solis iter ab ortu ad occasum, lumen nocti contrarium. *Speusip. de definitionib. Plat.*

Dies critici nunquam respondebunt nisi quis ægrotauerit in nouilunio. *Ioannes Picus Mirandulanus in Astrologiam. lib. 3. cap. 16.*

Dies à nautis suspecti sunt plurimi, vt Februarij 6. 12. 15. 17. 19. 20. Martij 1. 7. 15. 17. 19. 25. Aprilis 5. 6. 7. 12. 20. aiunt enim his diebus maximam suscitari æquoris mutationem, & ad tempestatem, & ad tranquillitatem. *Ioannes Franciscus Picus Mirand. de prænotione, lib. 3. cap. 6.*

Dierum criticorum perscrutatio non ad medicum sed alterius id opus est philosophiæ: & scire, ad eum pertinet, qui dies critici sint, quo pacto tractandus æger. *idem, ibid. lib. 5. cap. 4.*

Differentia.

Differentiæ rerum inter se in actionibus, & passionibus resoluendæ vbique sunt in virium differentias, atque hæ in differentias essentiarum, neque alicubi quiescendum est in sequentibus, sed ad priora proficiscendum. *Iamb. de mysteriis.*

Differentiæ magnitudinum non auferunt id ipsum quod sunt magnitudines, vt & substantiarum differentiæ efficiunt vt substantiæ vlterius sint substantiæ. *Plotin. En. 6. lib. 3. cap. 14.* Differentiarum differentias non debemus exigere, nec vlla ratione possumus, sed diuidere debemus per ea quæ sunt extrinsecus, vel per efficacem conditionem. *idem, ibid. cap. 18.* Differentiæ sunt quæ etiam non sunt qualitates. *ibid.*

Differentias cognitionum ex cognoscendarum rerum natura determinari, & contra patet. *Proclus in Alcibiad. 1.*

Differentia non solùm ad substantiam pertinet, sed ipsam in sese & constituere, & secernere ab aliis clarum est omnibus, qui vel Porphyrij vestibula ingressi sunt, vel vnam cum Aristotele in Lycio deambulatiunculam fecerint. *Ioan. Franc. Pic. Miran. in exam. vanitatis doctrinæ gentium. lib. 5. cap. 10.*

Differentiam propriam semper oportet ab intrinseca rei forma accipere. *Fic. Plat. Theol. lib. 15. cap. 6.* Differentiæ speciales, & species in rebus inferioribus naturales, essentialésque sunt, & cùm hæc sint, nefas esset dicere esse accidentales in superis. *idem, in Plotini En. 2 lib. 9. cap. 5.*

Differentiæ propriæ rerum nobis sunt incognitæ. *Leo Heb. de Amore, dialog. 1.*

Difficilia quæ pulchra. *Plato de pulchro, & de rep. dial. 4.*

Difficilia ex minorum comparatione inuestiganda sunt. *Ficin. in Plato. sophistam, cap. 2.*

Diffinitio est oratio ex genere, & differentia composita. *Speusippus in Platonis definitionib.* Diffinitio ex diuisione hoc pacto conficitur, rei definiendæ genus capere in primis oportet, & id secundum proximas differentias partiri, vsque ad species descendendo. quapropter si proximæ differentiæ generi adiiciantur, hominis definitio constituetur. *Alc. cap. 5.*

Digestio prima fit in stomacho, secunda in iecinore, tertia in venis, quarta in membris. *Fic. de vita produ. lib. 2. cap. 4.*

Digestionis ignem causam cùm dixit Plato, non ignem qui vrit, sed nobis cognatú, amicum spiritus, familiarem sanguini ad digestionem faciendam introduxit. *idem, de inspiratione & respiratione.*

Dignitas vera est honare digna mereri. *Fic. epist. lib. 6.*

Dilige omnes, elige & ama vnicú, soli Deo confide. *Fic. epist. lib. 3.* Diligit nemo id, quod cum difficultate summa aggreditur, & vix tandem parum quid proficit. *Iacob. Carpentar. in Alcinoo. cap. 1.*

Diluuium.

Diluuia cùm Dij immittant terram purgantes, qui in montibus sunt seruantur, qui in ciuitatibus a fluminibus feruntur, at Ægyptij nec tunc, nec aliás. Ex supernis in agros aqua influit, imò contra ex infernis emergere solet. *Plato in Timæo.* Diluuia multa facium. *idem, ib.* Diluuia multa & magna facta sunt. *idem, in Atlantico.*

Diluuia in terra à Deo, & incensiones ided missa sunt, quoniam longo téporis tractu tam diuina virtus ingeniis insita quam terræ fœcunditas minuitur paulatim: vnde, & animi diuinitatis omnino expertes, & corpora antiquæ fœcunditatis vacua prorsus euaderent. Deus genus nostrú in antiquam restituit dignitaté cœlestibus motionibus sic contéperatis, vt cœleste fatú semper cum prouidentia diuina concurrat. *Ficin. in Plato. Atlanticum.*

Diluuium millesimo quingentesimo plus minus anno ab origine generis humani inundauit. *August. Steuch. de perenni philoso. lib. 1. cap. 1.* Diluuium Deucalionis fuit diluuium Noe, & præter istud non fuit nisi aliquod particulare diluuium. *idem, de per. philo. lib. 7. cap. 5.*

Dimensio.

Dimensionem omnem cum omni mensurabilem esse dixerunt Græci, & errauerunt. *Plat. de leg. dial. 7.*

Dimensionem non est necessarium quodlibet esse, nisi fortè adsit iam magnitudo, nam & anima capiens omnia simul omnia possidet. *Plotin. En. 1 lib. 4. cap. 11.* Dimensio quod est in corporibus, idem est in incorporeis numerus. *Plat. Theol. lib. 1. cap. 5.* Dimensiones sunt distantiæ causa. *idem, in Platon. Parmenidem, cap. 5.*

Dimidium plus toto sæpe esse ait Hesiodus, cùm videlicet totum sumere fuerit damnosum, dimidium verò moderatum. *Plato de leg. dial. 3.*

Dio Syracusanus non solùm auditor, sed etiam imitator Platonis fuit. *Fic. in Dio. epist. 1.*

Dionysius Areopagita Platonicæ disciplinæ coltū & Christianæ Theologiæ columen quærens, diuinum lumen non tam intelligentia perscrutatur, quàm ardente voluntatis affectu, & oratione petit. *Fic. in Dion. Areop. argum.*

Dionysij Dei numeo Theologi veteres, & Platonici separatarum mentium extasim, & excessum esse putant: cùm partim amore natiuo, partim instigante Deo naturales intelligentiæ limites supergressæ in Deum mirabiliter transformantur, vbi velut nectaris haustu, & inæstimabili gaudio debacchantur. *idem, ibid.*

Dionysium appellat Plotinus vegetalem animæ mundanæ potentiam, cuius membra sunt rationes seminales rerum in ipsa natura. *Ficin. in Plotin. En. 4. lib. 3. cap. 11.*

Dionysius Areopagita primò à diuino Paulo, deinde ab Hierotheo institutus fuit. *Dion. Areopagita de diuinis nominibus.*

Dionysius Areopagita fuit salutatum beatam Virginem MARIAM, vbi aderant Iacobus frater Domini, & Petrus excelsus, & antiquissimum Theologorum culmen. *idem, ibid.*

Discalceatus semper Socrates progrediebatur. *Plat. in Phæd.*

Disciplina.

Disciplinarum voluptates à doloribus puras esse dicendum est, & nequaquam multorum hominum sed admodum paucorum. *Plato in Philebo.* Disciplinarum emptio nobis maius periculum afferre potest si malæ sunt quàm in ciborum emptione sit periculum: nam qui cibos à caupona emit, domi in vasis deportare licet, & antequam bibat, vel edat consulere quid edendum vel bibendum, & quid non, & quantum, & quando: at disciplinas non licet in alio vase auferre, sed deposito precio disciplinā quam quis didicit in animo accipere necesse est, & aut læsum, aut vtilitate inde accepta abire. Hæc cum senorib. nobis consideremus. *idem, in Protagora.* Disciplina nulla est sed omnium rerum recordatio. *idem, de virtute.*

Disciplina nulla potest efficere vt anima sursum spectet, quàm illa quæ circa id quod est, & videri non potest, versatur: & si quis sursum hians, aut deorsum conniuens conatur aliquid ex his, quæ sensui exposita sunt, discere, neque discere vnquam ipsum assero: nihil enim vnquam talium scientiam habere, neque sursum, sed deorsum animam ipsius spectare censeo, etiamsi supinus in terra, aut mari habitans discat. *Pla. de rep. dial. 7.*

Disciplinis lassitudines & somni inimici sunt. *idem, ibid.*

Disciplina nulla ad rei familiaris dispositionem, & ad rempublicam, & ad omnes artes magnam vim habet, velut numerorum studium. *idem, de leg. dial. 5.*

Disciplinas discere hoc modo debemus. Omnem descriptam formam, & numeri collectionem, & omnem harmoniæ constitutionem, & astrorum circumuolutionis cōsensionem, vnam omnium esse apparere oportet ei, qui recto modo discit: apparebit autē si id quod dicimus rectè quis ad vnum respiciens discat, vinculum enim vnum omnium horum à natura esse animaduertentibus apparebit, si verò alio quodam modo quis hæc tractabit, fortunam velut diximus, inuocare oportet, non enim absque his vnquam fœlix aliqua natura in ciuitatibus euadere potest, sed hic est modus, hæc educatio, hæ disciplinæ, siue difficiles, siue faciles: hoc modo progrediendum est. Negligere deos fas non est, cum felix de omnibus ipsis secundùm rectum modum relata doctrina manifesta facta sit: qui hæc sic acceperit, eum verè sapientissimum esse dico. *Plato in legum appendice.*

Disciplina est facultas animam curans. *Speusippus in Platonis definitionibus.* Disciplinæ fundamentum in summa bonitate consistit. *Apul. Asclepius.* Disciplina cùm à superis venit in animam est inuentione præstantior: quando verò ab hominibus cognitricem in nobis potentiam suscipientibus, est inuentione deterior. *Proc. in Alci. 1.*

Disciplinas esse reminiscentias maximum est signum, quòd animas videlicet rationes sermonésque ex seipsis promere, & solo suscitante quopiam indigere, nec esse tabellas vacuas literarum, quæ extrinsecus figuras accipiant, semper enim inscriptæ sunt, & ipse scriptor intus est, nec per obliuionem legi potest. Oportet solum auferre quod obstat: habet enim anima ianuas veritatis in se, sed terrenis, & materialibus speciebus obclusas. *Proclus in Alc. 1.*

Disciplinæ omnes sunt sibi mutuò subiectæ, vt communiores minus communes contineant, & communiores minus communium principia contineant. *Sebast. Foxius in Plat. Phædonem.*

Disciplinarum perfectionem vel minimum nos non contemnere debere admonet nos Socrates, scholas puerorum, & ludos Musicæ, & verborum rudimenta frequentans cùm sit senex: deinde ne, vt accidit: subrustico quodam verecundiæ rubore à disciplinæ studiis arceamur, vt Solonis more tandiu discendum nobis censeamus quandiu viuendum. *Ficin. in Platonis Euthydemum.*

Disciplinarum genus ad Mercurium pertinens continet Arithmeticam, Astronomiam, loquendi, & scribendi artificium, & artificiosissimos omnes ludos. *idem, in Plat. Phædrum, cap. 49.*

Disciplina multùm prodest ad perpetuum statum rerum, at fatalis ordo destinare videtur, vt quando numerus 12. in quo proportiones, & harmoniæ explicantur, & qui destinatus est vniuerso, in suum planum fuerit permutatus 144. multa quædam in hominibus permutatio fiat. Et hæc quidem disciplinā perseuerante fit in melius. Quando verò peruenerit ad solidum, velut summum finémque suum 1728. Respublica, ac ipsa ciuitas illuc vsque durante disciplinā summum suúmque finem consequatur, deinde in peius seorsim fatali lege labatur, disciplinā interim eodem fato paulatim degenerante. At si disciplina priùs defuerit, longè etiam prius Respublica imprudentiā nostrâ degenerabit. *Ficin. Plato de republica, dial. 8. cap. 21.*

Disciplina est ea vitæ statim à pueritia institutio, quæ in amorem virtutis paulatim adducit animam puerilem, & illius virtutis præcipuè per quam vir factus imperare sciat & parere. *Ficin. in Plat. de legib. dial. 2.*

Disco.

Discere qui non erubescit, est admirandum bonum. *Plato de mendacio.* Discendi cupidum ab adolescentia omnis veritatis maximè appetentem esse oportet. *idem, de Republic. dialog. 6.* Discens difficulter nūquam iustè amabit, quod cum molestia facit, & vix parum proficit: & qui obliuione plenus est scientiâ vacuus erit. *ibid.*

Discendi reuera cupidus ex natura contendet in id, quod est, & non permanebit in singulis, quæ multa esse putantur, sed progredietur, & non obtundetur, neque ab amore quiescet, priusquam ipsius quod est vniuscuiusque naturam attingat, eâ animæ parte, cui talem attingere cōuenit: conuenit autem cognatæ, cui vbi adhæserit, & ei quod est reuera commixtus fuerit, & intelligentiam, & veritatem se genuisse cognoscet & verè viuet, & aletur, & sic à partus dolore liberabitur: hic mendacium certè odio habebit. *Plato de Repub. dial. 6.*

Discendi cupidus animum aduertere debet ad ea, quæ dicuntur, & ne ad terram decidat quidquid docent dicit. *Plato in dial. de sancto.* Discere nil aliud est quàm recordari, quia homines, si rectè interrogantur, dicunt res vt se habent, & si scientiæ in ipsis non essent, hoc facere non possent. *idem, in Phædone.*

Discere est reminisci: nam non possumus æquales res cognoscere, nisi æquale ipsum cognouerimus, cùm æquale à rebus differat æqualibus, & si prius æquale cognoscimus quàm res æquales, quę sensu percipiuntur, ergo ante sensum ęquale cognouimus, ergo ante natiuitatem cognitionem habebimus. *Plato in Phædone.* Discere est illius quod amisimus, propriam scientiam recuperare, quod est recordari. *idem, ibid.*

Discere est sapientiorem fieri circa hoc quod quis discit. *Plato in Theæteto.* Discere, & obliuisci sunt intermedia inter scire, & non scire. *idem, ibid.* Discendo legere nil aliud fit quàm elementa, & visu dignoscere, & auditu vnumquodque ipsum per seipsum, vt ipsorum positio non sorbet, siue pronuntientur, siue scribentur. *ibid.*

Discendum prius est quàm ad Rempublicam accedendum. *Plato in Alcibiade primo.* Discere nunc vocant homines, cùm quis ab initio nullam de re aliqua scientiam habens, hac scientiâ eandem hanc rem considerat, aut dum peragitur, aut dum dicitur: magis tamen hoc ipsum intelligere vocant, quàm discere, aliquando etiam discere. *idem, in Euthydemo.*

Discens singula talis est, qualem vnumquenque scientia facit. *Plato in Gorgia.* Discere prius oportet, deinde docere. *idem, ibid.* Discere, & quærere in to tū recordatio est. *idem, de virtute.* Discere non est negandum, & velut inuentum suum proprium quod didicimus iactare non licet. *idem, de mendacio.*

Discendum est hodie, quia qui cras discit, nunquam discit. *Ficin. epist. lib. 1.* Discendi & reminiscendi stimulus, nō in natura sed in opinione consistit. *idem, in Plato Phileb. cap. 48.*

Discendum tandiu, quandiu viuendū. *idem, in Plato. Lach. item.*

Discen-

Discentis proprium est vocem & verba audire: at qui meditatur virtutem, quid dicatur attendit, vitam quoque præceptoris imitatur laudandis actionibus. *Philo, de congressu quærendæ eruditionis gratia.* Discentibus nil tam proprium, ac vtile, quam quærere, rogare, sciscitari, non videri sibi vel scire aliquid, vel percepisse solidè. *Idem, de eo, quis rerũ diuinarum Heres sit.* Discens doctori credere debet de his, quæ docentur. *Idem, de præmiis, & pœnis.*

Discipulorum præcipua virtus est, dare operam vt perfectũ doctorem ipsi quoque perfectè imitentur. *Philo de sacrificiis Abel, & Caini.* Discipuli officium est præceptorem honorare tanquam intelligentiæ patrem, cauere tamen, ne magistri vitia latenter imbibat. *Fic. ep. lib. 3.*

Discretio.

Discretio, & vnio in processione rerum à Deo consideratur: discretio, quia Deus videtur seipsum id est similitudinẽ suam in plures imagines deriuare: vnio, quia vnitas ipsa diuina nec multiplicatur intus, nec diuiditur foris, nec admiscetur: & quia bonorum progressio cunctorum æquè fit à filio, & à spiritu, vt à patre. *Fic. in Dion. Areopag. de diu. nomin.*

Discreta quæ sunt apud nos in anima, illic sunt coniuncta, cũ intellectualis idea etiam efficacem virtutem habeat, vt seminales vires in genitali natura, non solùm exemplarem, vt artificiosæ species in artifice, vel quolibet intellectu; quamuis exemplaris munus vsque ad rerũ species, effectoria verò vis vsque ad singula protendatur. *Ficin.*

Discretiones diuinas appellant Theologi beneficas supremæ diuinitatis progressiones atque expressiones. *Dion. Areop. de diuin. nomin.* Discretio est apud supremam Theologiam, non solum quia diuina quælibet subsistentia puram & impermistam suam sibi seruat proprietatem, sed etiam quia diuina illic generatio non conuertitur inuicem. Nempè superessentialis deitatis fons solus est pater nec pater est filius, nec filius est pater. *Idem, ibid.*

Discretionem diuinam appellamus beneficas deitatis processiones: cùm enim omnibus, quę sunt eminet, bonorum, cunctorum consortia largiatur, vnicè discernitur, & amplificatur vnicè; ac dum multiplicatur, non discedit ab vno. *Dion. Areopag. de diuinis nominib.*

Discretum est quodcunque est, non quia productum aliquid sit in molem, sed quia sua cuique animali distributa sit figura: ideò corporibus suæ sunt accommodatæ figuræ, & sic in hoc mundo illa imitari contendit natura, etsi propter materiam assequi omnino non valet, sed figuras alias secundùm proportionem assumit, quæ figuræ in mẽte sunt prius ordine. *Plotin. En 5. lib. 8. cap 17.*

Discurrere nil aliud est quàm appetere sapientiam inuenire, verámque rationem mẽtis, verè compotem, & id velle addiscere quod qui iam habet est sapiens, quapropter in statu quodam, & stabilis est sapientia. *Plotin. En 4 lib. 4. cap 12.* Discursus est animæ cursus. *Fic. in Platonis phædr. cap. 20.*

Disdiapason consonantia fit triplæ adiunctâ sesquitertiâ nam hinc fit quadrupla proportio, & per quadruplam disdiapason habens sonos quindecim, & quatuordecim interualla, vt si posita sit tripla inter tria, & nouem, subiunxeris duodenarium qui est aduersus nouenarium sesquitertius, acquires subitò quadruplam ex duodecim ad tria nascentem. *Fic. in Platonis Timæum, cap. 31.*

Disdiapason per sonos quindecim Apollini dicata est. *Idem, ibid. cap. 32.*

Dispositio rerum in arte & natura se habet ad finem, quo ablato non possunt causæ assignari. *Fic. in Plato. phileb. lib. 1. cap. 1.* Dispositio rerum latior est in mente quàm in natura. *Idem, in Plotini En 4. lib 4. cap. 39.* Disponere bene non nisi eruditis concessum est. *Ioan. Francis. Picus Mirand. de imitatione.*

Disputatio.

Disputare de poetica simillimum esse mihi videtur symposiis vilium, & plebeiorum hominum qui cùm per se conuersari non possunt, præ imperitia alienam tibiarum vocem modulantur, & sic per illarum vocem inter se conuersantur. *Pla. in Protagora.* Disputationis optimus modus est, vt ipsi vicissim concedant, & considerent. *Idem de repub dial. 1.* Disputationes audiendi tota vita est apud eos, qui mente præditi sunt. *Ibid. dial. 5.*

Disputandi tria sunt apud philosophos genera. Vnum, cùm certam aliquam quæstionis partem disputando defendimus, vt Peripatetici, & Stoici solent. Alterum, quo quęstione propositâ, diuersas ad id quod quæritur, sententias, rationésque referimus, vt propositis pluribus, & inuicẽ collatis, quid ex his probabilius, verisimiliúsq; appareat, eligamus; quo Academici & Socratici penè omnes vtebantur. Tertium genus Scepticorum maximè est proprium, qui cùm omnia indifferentia esse putent, nec certum, vel probabile habeat quicquam quod sequantur, quæ ordine distincta sunt, confundunt, & permiscent. *Fic. proœmio in lib. de voluptate.*

Disputationis cuiusque propositum, subiectúmque est, cuius gratiâ cætera omnia inseruntur. *Ficin. in Plato phileb. lib. 1. cap. 9.* Disputando turpissimum est non euitare quin ad id facilè deducatur, vt sępe sibi ipsi repugnet. *Idem, in Plato Protagoram.*

Disputans debet proponere propositiones in se multiplices, implicans difficultates in ipso disputandi congressu dissoluendas: alioqui si omnia dissoluerentur, nihil residuum restaret disputandum. Contra qui scribit doctrinaliter omnia, clara, lucida, & expedita esse debent. *Ioan. Picus Mirand. in Apologia.* Disputationes Platonicæ, & Pythagoricæ omnes semper à sacris precibus cœptę in easdem finiebant. *Io. Fr. Pic. Mirand. de studio philosophiæ, libr. 1. cap. 4.*

Discernendi ars duplex, alia deterius à meliori alia simile à simili discernit. Prima purgatio dicitur; & purgationum variæ sunt species, alia circa corpus, alia est circa animam, quæ est improbitatem abiicere, cuius improbitatis duæ sunt species: alia vt morbus in corpore, alia vt turpitudo. *Plato in sophist.*

Dissensio de quibusdam inimicitias, & iras facit. *Plato in dial. de sancto.* Dissentientes de iusto, iniusto, pulchro, & turpi, bono, & malo, & ad idoneum ipsorum iudicium deuenire nequeuntes, inimici efficimur. *Idem, ibid.* Dissensio, quam nos ignorantiam nominauius regna multa euertit. *Idem, de legibus dial. 3.*

Dissero.

Disserens cum Socrate ab ipso discedere nequit, donec ad hoc deueniat, vt de se ipso rationem reddat quo modo nunc viuat, & quo modo vitam præteritam transegit. *Plato in Lachete.* Disserendi facultatis modum, & in quas species distincta sit, & quæ sint eius viæ, si quis intellexerit, vt à via requiem, sic cognitionis ipsius finem habebit. *Idem, de republica, dial 7.*

Disserendi artem perficit intelligentiæ subiectum, vt visus facultas perficitur, quum ad ipsa iam animalia respicit, & ad ipsa astra, & ad Solem ipsum: sic etiam quum quis disserere conatur, absque omnibus sensibus, per rationem ad ipsum quod est vnumquodque progreditur, & non desistit prius quam ipsum, quod est bonum intelligentiâ apprehendat: tunc itaque in ipso eius, quod intelligi potest, fine consistit, quemadmodum ille qui visu vtitur, tunc in fine est eius quod videri potest. *Plato de republica, dial. 7.*

Disserendi ars apud Platonem in duo distribuitur alia Logica, alia Dialectica dicitur. *Ficin. in Plato. phileb. lib. 1. cap 13.*

Disserendi industria à forma Dialectica nominari debet, ab exordio logica, à fine Metaphysica, atque Theologia. *Idem, in Platonis de Republica dial. 7.* Disserendi facultas si tradatur adolescentibus opinionem honesti debilitat, vnde euadunt intemperantes, imò superbi & impij; ideò in mathematicis ante trigesimum annum erudiendi sunt, atque in publicis negotiis per interualla pariter exercẽdi, & post trigesimum ad dialecticam admittendi, ita vt per interualla ad publicas actiones reuocentur. *ibid.*

Disserendi præcepta à Platone sparsa, ab Aristotele collecta, & acutè disposita sunt, vt nihil in illis desiderari possit. *Iac. Carp. in Alci præfatione.*

Disserendi duas artes instituit Aristoteles: Topicam, & Analyticam, quarum hæc philosophum instruit, & accuratum veritatis æstimatorem, & iudicem per proprias rerum causas: illa popularem artificem ad inuestigandam veritatem disputando in partes contrarias ex communibus, id est ex iis quæ sunt maximè probabilia. *Idem in Alcin. cap. 3.*

Disserendi in artificio duo consideranda sunt: seminarium huius, quod ad naturam pertinet, & eiusdem cultura, quæ in artis præceptis posita est. *Iacob. Carp. in Alcin. capite 4.*

Disserendi artis à Platonicis fundamenta repetuntur ex ipsa natura. *Idem, ibid.*

Dissimile & dissentiens à seipso qui est malus, nunquam elij similis & amicus erit. *Plato. in Lyside.*

Distantia nulla maior est quàm quæ est inter nihil & esse. *Fic. in Plat. phileb. lib. 2. cap. 1.*

Distantia aut nihil est, aut vacuum prorsus inane, aut tractus aliquis linearum. *Idem, in Plato. commum. or. 5. ca. 6.*

Distinguenda sunt semper ea, de quibus sermo habetur, ne vnus opinetur illud de quo sermo est, aliud quid, &

alius aliud: & qui sermocinantur ridiculi videantur. *Plato in Theage.* Distinguuntur veriùs inuicem quæ differunt proprietate formali, quàm si materiali diuisione, vel accidente, vel loco. *Ficin. in Plotini En. 4. lib. 3. cap. 4.*

Diuersa vt diuersa non pariunt vnionem. *Fic. ep. li. 2.* Diuersitas inferiorum rerum non à cœlo sed à causis inferioribus pendet, agente cœlo eodem modo semper in omnibus. *Ioannes Pic. Mir. in Astrologiam lib. 3. cap. 25.*

Diuersa phantasmata, motus & quies est in causa, vt concipiantur. Item amicitia, & odium. Quod si naturam sequimur, nascuntur à temperaturæ diuersitate: si altiùs suspiciamus, ab occulto afflatu spirituum: *Io. Fr. Pic. Mir. in ex. va. doct. gen. lib. 2. cap. 25.*

Diuersum ordinem à Moyse & à Platone in humani generis scelere exponendo, pœnáq; recensenda obseruatum fuisse comperimus. *Leo Hebræus de Amore, dial. 3.*

Diuidere, & diuidi nihil aliud est, quàm ex tali quadam actione, vel motione, alteram in re diuisa succedentem fieri motionem. *Plotin. En. 6. lib. 1. cap. 19.* Diuisio est corporis passio quà est corpus, & primò. *Idem, ibid. lib. 4. cap. 8.* Diuidi nequit quod magnitudinem nullam habet. *ibid.*

Diuidendi præceptis qui versatus non fuerit, rectè instituere non poterit ordinem categoriarum, cùm sit vocum simplicium ad eandem naturam pertinentium, & in hac suis gradibus distinctarum, prout quædã generales sunt, aliæ speciales, aliæ intermediæ. *Iacob. Carp. in Alcinoi 1. digress. de analytica methodo.* Diuidens errat, si membrum vnum sub altero diuisionis membro contineatur. *Idem, in Alcinoi desensione.*

Diuiduum quod dicit Plato, ex quo Deus procreauit animã mundi, in ipso complectitur, quod loco diffunditur, & quod tempore labitur. Per primum appellatur alterum. Per secundum motus, & mobile, motus inquam in naturalibus. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 32.*

Diuinas res antiqui aut planè non scribebant, aut dissimulãter scribebant. *Io. Pic. Mirand. præfat. in Heptaplum.*

Diuites, Diuitiæ.

Diuites per somnium esse, est in prouerbio. *Pla. in Lyside.* Diuitibus multa sunt solatia. *Idem, de repub. dial 3.* Diuitiæ & & paupertas corrumpunt opifices, vt mali fiant. *Idem, ibid. dial. 4* Diuitiæ, & paupertas non debent in ciuitatem irrepere clam custodibus, nam illæ delitias, & pigritiam, & rerum nouandarum studium inducũt, hæc autem illiberalitatem, & maleficia supra rerum innouationem. *ibid.*

Diuitem esse excellenter, & bonum esse excellenter, impossibile est: quia possessio ex iusto & iniusto duplo amplior est eâ quæ ex iusto solum obtigit, & expensæ quæ neque honestæ, neque turpiter insumuntur, honestis, & his quæ in honesta insumuntur, duplo minores sunt. Nunquam igitur eo qui ex duplo quæstum facit, & impensas ex dimidio, diuitior fieri potest is qui cõtraria istis facit: alter autem horum est bonus, alter non bonus, quum fuerit parcus; tunc verò aliquando etiam penitus malus est, bonus nunquam, qui enim iustè, & iniustè accipit, & neque iustè, neque iniustè insumit, diues est, quum fuerit parcus; qui verò penitus malus est, quum sit plerunque prodigus, valdè pauper est: at qui in honesta insumit, & à iustis solùm acquirit, neque diuitiis excellens vnquam fieri potest, nec rursus vehementer pauper: ergo vehemens diues bonus non est, & si non bonus, nec fœlix. *Plato de legibus, dial. 5.*

Diuitiæ nullum maius malum generant, & reliquæ potentiæ facultas, quàm nutrire eos qui ad voluptatem cum turpi detrimento conuersantur. *Plato Dionysio ep. 3.* Diuites esse filios patres primò persuadent: nam si quid habes, in aliqua existimatione es: sin minus, in nulla. *Idem de diuitiis.*

Diuitiæ bonis hominibus, & qui rectè vti sciunt, bonæ sunt, malis autem, & viris ignorantibus malum. *ibid.* Diuitem esse est opes multas possidere. *ibid.* Ditissimi pessimè affecti sunt, plurimis enim indigent: nam quibus multæ opes sunt, hi etiam multis indigent ad corporis curam necessariis. *ibid.*

Diues est primùm, qui se ipsum influit, & est diues magis quia influit, & super ipsum non fit influxio. *Aristoteles de causis cap 3 prop. 21.* Diuitiæ non magis in fœnore, in fundis, quàm in ipso hominis animo æstimantur. *Apul. Apologia prima.*

Diues solùm is est qui virtutes possidet, solus .n. sapiens, qui opes potest in vsibus necessariis regere, videri ditissimus debet, nam cæteri quamuis sint opibus affluentes, tamen quod vsum earum nesciant vel deducant eas ad pessimas partes, inopes videntur, egestatem enim non abstinentia pecuniæ, sed præsentia immoderatarum cupiditatum gignit. *Idem, de dog. Plat. lib. 3.*

Diuitias si quis proiicit, ipsemet causa est, non cælum: si subripiantur, raptor causa est: si naufragio facta est iactura, multa quæ confluunt, causam damni dederunt. *Plotin. En. 2. lib. 3. cap 14.* Diuitiæ excedentes, & earum defectus non solùm moribus, & concordiæ, sed ingenio etiam, & artibus obsunt. *Idem, in Plat. de rep dial. 4.* Diuitias, & virtutem simul in ciuitate honorari impossibile est. *Idem, in Pla. de rep. dial. 8.*

Diuitiarum sumus dispensatores non possessores. *Ioan. Picus Mirandul. in orationem Dominicam.* Diuitiæ vt malis hominibus obesse multum possunt, sic probis sunt virtutis adiumenta. *Io. Fr. Pic. Mir. epist. lib. 3* Diuitiæ (vt ait Cicero) sunt belli subsidia, & pacis ornamenta. *Fr. Plat. de rep. lib. 1. cap. 4.* Diuitiæ sine virtute nunquam hominem efficerunt, virtutes autem sine diuitiis parum admodum illustrare queunt. *Idem, ibid. lib. 3. cap. 1.* Diuitem indoctum ouem aurati velleris dicebat esse Diogenes *Idem, de rep. lib. 4. cap. 6.*

Diuitiæ à Stoicis, & Academicis parui penduntur, à Peripateticis verò magni æstimantur. *Leo Hebræus de Amore, dial. 1.* Diues apud sapientes is verè existimatur; qui suo contentus existit. *Idem, ibid.*

Diuitiæ ex Peripateticorum sententia sunt instrumenta quædam ad multas virtutes capessendas necessariò requisita. *Ibid.*

Diuinatio.

Diuinatio est scientia rerum absque demonstratione præsaga. *Speusippus in Plat. definition.* Diuinationem si reris aliud esse quàm diuinam mentem ab humana perfectione duntaxat ac firmitate differentem, censere pariter debes rationem cum ratione pugnare. *Maxi. Tyr. sermo. 3.* Diuinationem Dei si ab humana mente disiunxeris, harmoniam omnium consonantissimam dissolues. *Idem, ibid.*

Diuinationem ex astrorum situ Origenes, & Porphyrius ab hominibus abstulerunt, & dæmonibus concesserunt, quibus patet cœlestis liber ille legendus. *Fic. in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 7.*

Diuinationis plurimæ sunt species, partim de expresso pacto, partim de suppresso deriuatæ. Aut enim dæmon sumptâ figurâ quapiam apparet extrinsecus, aut per somnium, aut in vigilia, solæ voces interdum sine apparitione sentiuntur, sed & multa signa occulti cuiuspiam indicia quandoque ostentantur; in phantasiam interdum illabitur, & rerum imagines repræsentat intrinsecus, manente iudicio sensuum, nec abactâ omnino, & amotâ ratione, rapit item à sensibus emoto mentis officio, & in furorem vertit. Itaque si intrinsecus apparet, nec tamen perspicitur planè quid sibi illud velit ostentum, modò in hanc, modò in aliam verti videtur formam, vt deludatur perstrictâ oculorum acie, præstigium vocatur. Cum verò præstat, seséque agnoscendam non abnuit apparitio dæmonica, & aperta dici potest. In somnis autem cum videntur, diuinatio dicitur. In vigilia quoq; contingere potest, vt modò dæmones in assumptis corporibus appareant, modò animæ defunctorum, vel excitentur, vel excitari magis videantur, simulantibus dæmonibus se illorum esse animas, ac vestes eorum, & habitum corporis, & vultum effingentibus. Quæ à mortuis ducta diuinatio, necromantia græcè appellata est. Quæ quandoque Pythonica ab Hebræis diuinatio nuncupata est; sed fortè hæc Sciomantia rectius nuncupanda est, quia hæc solùm vmbras excitat, illa corpora. Si voces sentiantur, oracula dæmonum vocitata sunt, & in extis immolatorum animalium aruspicina deducta est, & diuersum sortita nomen. Si in elementis, Aeromantia, hydromantia, pyromantia, geomantia nominatur. Si phantasiam dæmon illabitur, & ex conceptis imaginibus pronuntiat, vates, vel propheta nominatur. Et si amouetur, à sensu, furens vates, vel abreptus nominatur. Aliud genus diuinationis est, quod apud Druides Gallorum, quibus humanæ victimæ immolabantur, homines diuinationi destinati in tergo feriebantur, & ex ipso impatientiæ afflictandique modo vaticinium desumebant. Cimbrorum fœminæ captiuis iugulatis diuinabant. Hiberi sacerdotes seruum afflatum numine mactabant Lunæ. Deinde ex suppresso & tacito cum dæmonibus pacto diuinationis species pendent: prima est Astrologia, ex qua fluunt Chiromantia, Geomantia: augurium sequitur ex voce, volatu, garritu, & motu auium, & demum sortes, quarum sunt multæ species. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænotion. lib. 4. cap. 7.*

Diuinatio & diuinorum consulta sacris literis prohibentur. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænotione lib. 4. cap. 8* Diuinatio non nisi in malam partem accipitur, & vniuersa ex dæmonum operatione vel occulta, vel manifesta prouenit. *Idem, ibid. cap. 9.*

Diuinationis species quæ ex elementis fit, facilè refellitur, si compertum fuerit omnes eorum effectus naturales esse, & nil præter naturalem significationem possu per ea significari, in Dei voluntate ad quod super naturam portendendum ordineretur. *ibid. cap. 4. cap. 5.*

Diuinatio omnis à tribus rebus ducitur: à Deo, à fato, à natura. *Iacob. Carp. in Alcmos cap. 32.* Diuinatio omnis est spiritualis, & mentalis; halitus autem terræ vtis homines in furorem agere potest, vt vinum, tamen illam vaticinij puritatem efficere nunquam potest. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 8. cap. 36.*

Diuinitas.

Diuinitatis imaginem omnia, quæ in natura sunt, aliquam præ se ferunt. *Merc. Trismegistu Pimander, cap. 33.*

Diuinitati commune est super bonum, super deitatem, super essentiam, super vitam, super sapientiam, & quæcunque in excellente quadam negotiatione consistunt, quorum in ordine sunt etiam quæ ad expressionẽ causæ pertinent, vt bonum, pulchrum, ens, viuificum, sapiens, & quæcunque nomine ex beneficis ipsius donis, bonorum causæ tribuuntur. *Dionysius Areop. de diuinis nominibus.*

Diuinitati nomina discreta sunt, quæ in diuinitate sunt, superessentiale patris nomen, résque ipsi propriè patris, itẽ filij, & spiritus sancti, cùm nulla in his conuersio, aut omnino communio inducatur. Discreta præterea est perfecta, immutabilis Iesu substantia, cum nostra natura communicans, & quæcunque substantialia mysteria sunt ad ipsam Iesu substantiam, humanitatémque benignissimam pertinentia. *Dionysius Areop. de diuinis nominib.*

Diuinitas Iesu, quæ omnium est causa, & omnia implet, & partes consonas vniuersitati conseruat, nec pars, nec totum est: rursus & pars, & totum, vtpote quæ partem omnem & omne totum in seipsa comprehendat & eminenter habeat, atque præhabeat, perfecta quidem in rebus imperfectis, vtpote perfectionis princeps: in rebus verò perfectis imperfecta, cùm excellentiâ, & origine perfectionem præcedat. *Dionysius Areop. de diuin. nominib.*

Diuinitas Iesu in rebus carentibus specie species est specifica tanquam speciei principium, in speciebus specie carens, vt speciem superans essentia totis procul à contagione essentiis insidens & super essentiam extans, ab omni essentia penitus absoluta, vniuersa principia, & ordines determinant, & super omne principium & ordinem locata: mensura entium est, & æuum atque super æuum, & ante æuum, plena in rebus egenis, in plenis exuberans, ineffabilis, non permutabilis, super intellectum, supervisum, super essentiam, supernaturale munus, supernaturaliter habet, superessentiale, superessentiali ratione: quamobrem quando vsque ad naturam ob summam benignitatem venit, verè substantiam nostræ carnis accepit, summúsque ille Deus vir est appellatus: propria verò sint, quæ in præsentia intellectum sermonémque fugientia laudantur à nobis; tunc in quoque supernaturale, & superessentiale munus emicuit, non solùm quia immutabiliter, & inconfusè nobis communicauit, nihil in exuberante sua plenitudine ab ineffabili exinanitione perpessus, sed etiam quia quod nouitarum omnium est maximè nouum in naturalibus nostris super naturalis erat, in bis quæ nostræ sunt essentiæ, super essentiam, omnia nostra ex nobis, & super nos possidens excellenter. *Dionysius Areop. de diuinis nominib.*

Diuinitas eadem, & quia omnia supereminet vnitas, & quia per omnia exoberat bonitas appellatur. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 10.* Diuinitatis argumenta apud nos duo sunt, prophetia, & prodigiosorum operum demonstratio; quæcunque verò diuina hæc munera reportarunt, ex hoc vno duntaxat officio hæc sibi vindicasse videntur, quòd animã à corpore reuocarint ad seipsam, vnde constat ipsam animę naturam per se esse cum diuinitate coniunctam. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 7. cap. 10.*

Diuinitatem ipsam antiqui Theologi dixerunt esse infinitatem, & mundum hunc esse Dei imaginem. *August. Steuc. de peren. phi. lib. 3. c. 9.* Diuinitatem aliam opinatus est Aristoteles, quàm eorum qui mouent orbes, & lumina cælestia. *Idem, de per. phi. lib. 4. cap. 4.*

Diuinitas omnium honestarum actionum principium mundium, & finis existit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Diuinitas à poetis rebus inferioribus tribute cum ideis platonicis vna eadémque prorsus esse videtur. *Idem, de Am. dial. 3.*

Diuinitas sibi ipsi cognita omnia scientiarum cognitionúmque genera longo exuperat interuallo. *Idem, de Am. dial. 3.*

Diuinitas in præclaro amante & in pulchro adamato refulget. *ibid.*

Diuinum quid est.

Diuina mens est primò pulchrum, est totum, & vbique totum, nec in parte vlla est pulchri defectus, & ipsa mens est ipsum pulchrum. *Plot. En. 5. lib. 8 cap. 8.*

Diuinam afflationem Porphyrius definit esse motionem mentis vnà cum inspiratione dæmonica. Iamblichus ait in animo afflato diuinitus, neque mentem cogitationémve humanam ferri, si reuera continetur à Deo, neque dæmonum, sed Deorum fieri inspirationem, nec exitum, vel alienationem, hæc enim lapsum in deterius significãt, sed potius dici debere reductionem, restitutionémque in melius: est ergo afflatio nil aliud, quàm totos à Deo animos occupari, & contineri: hinc sequitur extasis, id est exitus, & alienatio quædam tanquam consequens ad afflationem accidens. *Iamblichus de mysteriis.*

Diuinorum primum est ipsum bonum dijque sequentes, vltimum particulares animæ rationales: horum media sunt duo, heroes prope animas, & dæmones aer, & aqua. *Iamblichus de mysteriis.* Diuinum munus impartibile est, & super naturam cùm datur per propriam Dei actionem. *Idem, ibid.*

Diuinum omne ipsum ob superessentialem vnionem ineffabile est, & ignotum omnibus secundis à participantibus autem comprehensibile est, & cognoscibile; quare solum primum penitus est ignotum cùm imparticipabile sit. *Procl. ele. Theolog. pr. p. 153.* Diuinum omne simplex primum est, & maximè & ob hoc sufficientissimum. *Idem, ibi. prop. 127.*

Diuina mens cùm sit infinita, meritò appellatur ab Orphicis oculus infinitus. *Fic. Plat. Theolog. lib. 2. cap. 10.* Diuina simplicitas non est ob idearum multitudinem minus simplex, cùm per formam vnam, & vno intuitu omnes contineat. *Idem, ibidem, cap. 11.* Diuina bonitas est absolutum diuinæ mentis obiectum, nam quælibet vis æquari obiecto potest, excedere minimè, vultque seipsum Deus absolutâ quadam voluntatis necessitate, nam omnia finem suũ necessariò volunt; diuina bonitas est Dei finis vltimus, cuius gratiâ vult quicquid vult. *ibid. cap. 12.*

Diuina substantia quid sit, nemo per vias naturales assequi potest, sed solum per has illuc peruenire potest vbi diuinum bonum ob solam benignitatem suam amatorem suum propius accedentem, & propriâ luce format, & calore fouet, & potestate transformat mentem tum demum cognoscentem Deum, cùm ipsa iam sit facta Deus. *Fic. in Plat. de rep. dial. 7.*

Diuina naturalium principia, & contemplaria sunt; naturalia verò diuinorum effectus, atque imagines. *Fic. in Platoni Timæum, cap. 1.* Diuinus intellectus est pater mundi, materia mater, ornatus mundi est diuina proles materialis in aluo materiali. *Idem, ibid. cap. 35.*

Diuina mens est primum totum, ergo in qualibet sui parte totum est & pulchritudo prima, ergo in quauis sui parte pulchritudo tota. *Idem, in Plot. En. 5. lib. 8. cap. 8.*

Diuina potestas & virtus.

Diuinæ virtutis efficacia in hoc relucet maximè infinita, quod infimos ordinum fines procul à fine consetuar, & stabiles efficit, & sempiternos, alioquin debiles, & mutabundos, & excellenti quadam proprietate donat, ita terra stabilis, vt cœlum mobile, cœlestiúmque capax; materia ita sempiterna, vt forma prima, ita suscipit omnia naturalia, vt forma cœli dat omnia; anima quinetiam nostra ad angelicos gradus admittitur in corpore etiam moribundo pro viribus angelos imitata: denique hoc ipsum, quod dicimus communiter esse, diuinâ virtute prorsus immensa & prodit ex nihilo per spacium infinitum, & seruatur inde ne resoluatur in nihilum. *Areop. de diuin. nominib.*

Diuina virtus propter exuberantiam potestatis infirmitatem corroborat, extremúmque vestigiorum suorum prępotenti continet potestate. *Idem ibid.*

Diuina potestas immortales angelicarum vitas conseruat inuiolabiles, & cœlorum, & luminum, & syderum substãtias, ordines efficit immutabiles, auctor est æternitatis, & temporis: temporales circuitus progressionibus distinguit, restitutionibus colligit, ægris vires reddit inextinguibiles, & aquarum fluenta perennia, aeream fusionem terminat, super nihil firmat terram, viuificos terrę partus incorruptibiles custodit, mutuam elementorum har-

moniam misturámque inconfusam, & indiuiduam seruat, animæ & corporis nexum continet, vires amborum, quibus nutriuntur, & crescunt, mouet, & suscitat, essentiales vires omnium roborat, vniuersum seruat indissolutum, deificum largitur munus, dum his qui reddantur diuini ad hoc ipsum suppeditat facultatem: denique nulla res est vsquam, quam non omnipotens virtus, & conseruatio Dei non vbique contineat; quod enim nullam prorsus potentiam habet, nec est quidem, nec est aliquid, neque prorsus est eius vlla positio. *Dion. Areop. de diuinis nominibus.*

Diuinæ caliginis ad ipsum radium essentiâ sublimiorem solâ extensione quadam tum à seipso, tum ab omnibus expeditâ, sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus euolabis. *Dion. Areopagita, de Trinitate.* Diuinam sapientiam nihil effugere sacra testantur eloquia. *Idem, de diuinis nominibus.* Diuina certitudo, per quam certa sunt omnia, etsi intelligentia nominatur, est tamen toto genere vel perfectissimæ intelligentiæ longè superior; per vnicum intuitum cuncte cognoscit vnicæ suæ formæ, quæ efficit omnia pariter, & demonstrat, quam cùm primùm intus inspexit relatione quadam distribuit in ideas rerum inde procreandarum. *Idem. ibid.*

Diuinum omne, & verè ens vita fruitur bona, & sapiente, *Plotin. En. 4. lib. 7. cap. 10.* Diuina principia operibus suis non solam essentiam tribuunt, sed totam distinctionem, & ordinem formalem. *Iamblichus de mysterijs.* Diuina opera, quę in sacris explentur, non per contrarietatem huius ad illud, vt generabilia, non per differentiam vocantis, mouentísque aduocantur, & ad motum transfiguntur, sicut humana solent; sed identitate, vnione, consensione, id totum expletur, & sublata discrepantiâ hoc ipsum quod agit, & cuius virtute agitur, est commune vbique aliquid & simplex. *Idem. ibid.*

Diuinum omne inuidiâ caret, éstque incomprehensibile humanâ ratione. *Syrianus 13. Metaph.* Diuinorum ordinum omnium summa finibus assimilantur superiorum. *Procl. elem. Theolog. prop. 147.* Diuinis in ordinibus omne progrediens suscipere omnes producentes potentias non est natum, neque omnino fecunda, omnes eorum quæ sunt ante ipsa, sed habent illa aliquas à deterioribus abstractas potentias, & incomprehensibiles his, quæ post ipsa sunt. *Idem, ibid. prop. 150.*

Diuinarum vnitatum multitudo omnis terminati est secundùm numerum. *Procl. elem. Theol. prop. 149.* Diuinum omne per se ineffabile est, & ignotum *Idem. ibid. prop 162.*

Diuinæ actionis nullus finis est extra Deum, quoniam finis in eodem ordine locatur vnà cum eo quod agit ad finem; éstque bonum quiddam & causam mouet agentem: at nihil in eodem ordine locatur cum Deo nisi Deus ipse, at Dei finis est sua bonitas, ergo suam appetit bonitatem: ergo Deus velit seipsum tanquam finis sui ipsius, & omnium. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. cap. 15.* Diuina bonitas non indiget creaturis. *Idem, ibid. cap. 12.*

Diuina docere nequit, qui non didicit; & humano ingenio quæ supra naturam sunt inuenire non possumus, diuinóque opus est lumine, vt Solis luce solem ipsum intueamur: & lumen diuinæ mentis nunquam animæ infunditur, nisi ipsa ceu Luna ad Solem, ad Dei mentem penitus conuertatur: non conuertitur ad mentē anima, nisi cùm ipsa quoque fit mens: mens non priùs fit, quàm deceptiones sensuum, & phantasiæ nebulas deposuerit. *Ficin. in arg. Mer. Trism.*

Diuinæ potentiæ subiicitur quicquid contradictionem non includit, & cùm multa sub diuina contineantur potentia, quæ in rerum ordine nunquam reperiuntur, & alia Deus faciat, alia non, ea nullâ vel naturæ, vel intelligentiæ, vel voluntatis necessitate, sed liberâ voluntatis electione talia operatur. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. cap. 12.* Diuinus radius omnia penetrat, in lapidibus quidem est, sed non viuit in plantis viuit quidem, sed non fulget, in brutis fulget, sed non replicatur in seipsum nec redit in fontem, in hominibus viuit fulget, & replicatur in seipsum. *Idē, ibid. c. 5.*

Diuinæ vnitati quo propinquior est mens, eò est magis vnita & simplex. quo remotior contra, capit enim vnaquæque mens radium ex Deo venientem pro natura sua; quapropter simplicius supremæ mentes illum capiunt, reliquæ multiplicius. vnde paucæ ideæ à radio in sublimi mente pinguntur, in sequenti plures, & plerimæ deinceps. *Fic. Plato. Theol. lib. 16. cap. 1.*

Diuinarum mentium proprium est omnium, quòd superiora intueantur, & inferioribus prouideant: quod & animæ nostræ proprium est, quæ non modò corpus suum, sed etiam terrenorum omnium, & ipsius terræ corpus curat, & colit: quæ prouidentia quantò grauior est, quia res curatæ fragiliores, & ad ordinem seruandum ineptiores, tantò magis distrahit à superioribus speculandis, neque tamen omnino, nam in omni ætate per intellectum omne verum inquirimus, per voluntatem omne bonum amamus, per operationes Deum colimus. *Fic. Plat. Theol. lib. 16. cap. 7.*

Diuina sola reuera existunt, quæ nunquam suo statu mutantur. *Fic. epist. lib. 5.* Diuinum genus solâ diuinâ alimoniâ coalescere potest. *Idem, ep. lib. 7.* Diuini ordinis vt fuit corpora caduca diuinarum animarum capacia facere, ita fuit eadem immortalitatis animæ participia reddere. *Idem, in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Diuinas substantias putarunt Peripatetici quidam nec efficere sensibilia, nec curare, sed omnino segregatas existere, & cœlestia appetitu nescio quo ad illa moueri. *Fic in Plato. Parm. cap. 28.* Diuinitatem Stoici eminentiâ, & sinceritate priuauerunt, prouidere enim illam, & agere putauerunt per mundum vsque quaque diffusam, & instar spiritus ignei discurrentem. *Idem, ibid. cap. 26.*

Diuina substantia potissimum prima agit, intelligit, curátque sequentia: & animæ sphęræque cœlestes non aliâ ratione appetunt, amant, imitantur Deum, nisi quoniam inde perficiuntur, quoniam videlicet efficiuntur; & inde præterea nihil agere, & sterile esse ad vltimum vniuersi pertinet non ad primum, media verò prouidenter agunt: & quæ superiora meliora magis. *Fic. in Plat. Parm. cap. 28.*

Diuina vis per mentes superiores ad nostram mentem prouecit, qua concipitur similitérque nominatur nomine viuo, & tantò magis viuo quàm nomina corporum, quantò potentior à superioribus in nos prouenit motus, in nos cùm Deo similiores euadimus, id est cùm mentem ab inferioribus seuocamus. *Fic in Plat. Phileb. lib 1. cap. 12.*

Diuina mens quæ ab Hebræis Seraphim vocatur tria habet officia; & ad ipsum bonum, à quo manat, caput attollit, quod de auriga animi in Phædro scribitur à Platone: & pectus ipsa retinet, dum sui pulchritudinem contemplatur, quod in circunspectu suo & sede manere in Timæo nuncupat: & ad inferiora fertur, prouidendo, porrigendo, & creando, ex quo patrem nominat & opificem *Fic in Plat. Phileb. lib. 1. c. 26.*

Diuinorum inquisitio purificat animum, amor deificat vt ait Porphyrius. *Fic. in Plat. epist. 6.* Diuinæ pulchritudinis radius penetrat, circa corpus in æqualitate numerosa refulget, loco motuique subiecta: circa voces in harmonia extra certum locum sub motu dispersa; circa officia, disciplinásque, & animam in motu quidem, sed ratione vitali consistens; circa mentem suum motum in æterna idearum serie micans, circa ipsum bonum actu rus purus, vitam gratiámque omnium inferens. *Idem, in Plat. de pulchr.*

Diuinæ rei necesse est virtutem esse diuinam *Ficin. in Plat. Cratyl um.* Diuinum munus ob mirificam eius potentiam prius erigit in diuina, quàm porrigat per humana. *Idem, in Platon. Protagoram.* Diuini vultus gratia omnis, quæ vniuersalis pulchritudo dicitur, non solùm in angelo, & in anima incorporea est, sed in aspectu etiam oculorum; neque faciem totam solummodò, verum etiam partes eius admiratione commoti diligimus, vbi particularis amor ad particularem pulchritudinem nascitur. *Idem, in Plat. conuiu. or. 5. cap. 4.*

Diuina prouidentia in seipsa præuidit iudicia fore falsa, si à viuentibus in hoc corpore iudicarentur, ideò ab æterno iudicium post hanc vitam statuit. *Fic. in Plat. Gorgiam.*

Diuina voluntas quidquid proxima facit immortalitate donat. *Idem, in Plat. Tim. c. 24.* Diuina ab vnitate omnia prodeunt, prode[illegible]iáque vnitatem quandā ipsis impressam retinent diuinæ vnitatis imaginem. qua reuocantur in illam, & reuocata perficiuntur. Hæc animas rapit aduota, quibus vnio cum Deo nobis penitus imploratur. *Ficin. in Plat. Tim. c. 6.* Diuina in mente non solùm cōprehenduntur ideę quasi in fonte, sed ad hanc multi mentium reducuntur exercitus, quasi ducem, ab eadem diuina luce, à qua & ipsa æquè prosiliunt. *Idem, ibid. c. 10.*

Diuina mens, vt formales in se rerum rationes habet speciebus, gradibúsque distinctas, sic in mūdo distinctionem eiusmodi cōfigurans, non æqualem vbique seruat numerum, vt quot vires, & quales in se res habet, totidem, & tales habeat illa. *Fic. in Plat. En. 3. lib. 3. cap. 5.*

Diuina mens suo lumine rationalem generat animam quasi materiam sub illo diaphanam, impletque illam perpetuo lumine, quo anima semper cum seipsam intelligit à mente illuminatam, tum mentem semper illuminantem; id au-

id autem agit perpetuò intellectus nostræ animæ caput: & ad hunc rationalis facultas se habet, vt visus ad lumen, non quidem semper, sed aliquando rationaliter intellectum. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 9. cap. 3.*

Diuinarum mentium dotes duæ sunt, vna claritas intellectus omnia cernens, altera optimus vitæ habitus: has dotes maximè consequitur animus, quando seipsum ab omni labe corporea segregans reuertitur in seipsum, ex quo apparet diuinis mentibus esse naturâ cognatum. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 7. cap. 10.* Diuinæ actiones non ex necessitate, sed à libera Dei voluntate absolutáque ipsius potentia proficiscuntur. *Leo. Hebr. de Amo. dialog. 3.*

Diuina cognitio, vt ad eam accedimus.

Diuina literis mandare non debemus, nec ipse Plato mandauit. *Plat. epist. 7.*

Diuinis in rebus si quis versatus est ita, vt humanis rebus ipsarum operatione simul contentus ad modernum vitæ tempus fuerit, is felix est, cui dæmon has sortes contribuit, & ob verissimam opinionem ad felicissimam vitam ducitur: sin quis durus & inobediens pœna illi imminet, & supplicia ineuitabilia in inferis. *Timæus Locrus de anima mundi, & natura.*

Diuina pro mentis cuiusque proportione reuelantur & spectantur, vbi præcipua Dei bonitas per iustitiam omnium prosequatricem ab his quæ sub mensuram cadunt immensitatem ipsam tanquam incomprehensibilem qua Deum decet prouidentia, segregat. *Dionysius Areop. de diuin. nomin.*

Diuina duabus viis assequimur, aut ratione, aut veneratione: ratione euoluentes, & explicantes atque ita sacrum tranquillumque intellectum ad perspicua sacrorum eloquiorum spectacula perducentes, veneratione tanquam mystica traditione diuina super intellectualem actionem intendentes: diuina enim omnia etiam quæ nobis paruerunt solis participationibus cognoscuntur; hoc ipsum verò qualia in se existant secundum proprium principium super intelligentiam extat, & omnem essentiam & notitiam supereminet: nam si appellamus Deum, vitam, essentiam, lumen, rationem, verbum, nihil intelligimus aliud quàm aliquas in nos ex eo profluentes participationes & virtutes, quæ diuinum aliquid faciant, vel essentiam, vel vitam, aut sapientiam largiantur: ipsi verò secretæ naturæ per quandam omnium intellectualium actionum vacationem penitus absolutam appropinquamus, nullam iam aspicientes deficientiam, aut vitam, aut essentiam, quæ omnino sit similis omnium causæ cuncta prorsus per omnem excellentiam superanti. *Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Diuinarum rerum cognitionem non oportet, quatenus assequi licet negligere. *Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Diuina sapientia cuncta cognoscit seipsam cognoscens, materialia immaterialiter, partibilia impartibiliter, atque vna cuncta cognoscens, & producens, nec ex rebus, sed ex se rerum accepit notionem. *Idem, ibid.*

Diuinorum diuersa genera differunt inter se per triplicem modum proprietatum, quantum ad essentias, & virtutes, & actiones pertinet. Proprietas Deorum est vnitas, permanentia in seipsis, immobilis motionum causa, prouidentia emittens, nihilque commune habens cum his, quibus prouidet, & hæc proprietas secundum essentiam, & virtutem, actionémque seruatur. Animarum proprietas est declinatio ad multitudinem, motum, coniunctionem cum Diis, & aliquid accipiendum ab iis, & ea motu vitali replenda, & congruendam vbique cum omnibus partim manentibus, partim fluentibus, & ad omnia in se, & ad seipsam contemperanda. Hæc proprietas in eis seruatur secundum essentiam, virtutem, & actionem. Dæmonum proprietates sunt continere in se Deorum dotes, inferiori modo quàm dij, sed sub idea, & ratione earum continere deteriorum conditiones. *Iamblichus de mysteriis.*

Diuina non tractauit Aristoteles, quia non videbat demonstratione ostendi posse. *Bess. Card. in calumniatorem Platonis, lib. 2. cap. 4.* Diuina sobrij differant, naturalia mensâ remotâ: inter mensas sit sermo varius, iucundus & breuis, & historia breuissima. *Fic. epist. lib. 3.* Diuinis de rebus & mysteriis absque lumine non esse loquendum Pythagoricum est præceptum. *Idem, de sole. cap. 1.*

Diuina tribus modis percipimus, aut actione, aut passione, aut motu quodam quasi mixto; actione non ab aliis eruditi, sed propriis discursionibus sub naturali lumine hæc inuenta consequimur: passione, cum diuinitus afflati percipimus: mixtione, cum docente alio aut verbis, aut literis erudimur. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Diuina verè percipere homo non potest nisi inspiratione diuinâ. *Idem, in Plat. Cratylum.* Diuina non docentur, sed anima purgando, & conuertendo fit intelligens rerum diuinarum. *Idem, in Plat. de republica dial. 7.*

Diuinorum inuestigatio non rectè facta, id est non debitis purificationis, & disciplinarum gradibus instructa, malorum omnium est causa, quia qui sic inuestigant Deum, tandem eò perueniunt vt vel negent Deum esse, vel affirment de Deo, quæ Dei non sunt. Hinc perit religio vera, qua extinctâ mala omnia confluunt. *Idem, in Plato. epist. 2.* Diuina inuestigandæ sunt, scilicet illa esse, & qualia quoque sint communi quadam perceptione; sed iterum non communi, sed singulari incomparabilique charitate amanda, sic enim duntaxat ea nos alicubi apertè quid sint, intelligere possumus, atque fieri beati. *Idem, ibid. epist. 6.*

Diuina intelligi non posse non ait Plato, sed verbis exprimi non posse & de iis quod intelligatur, neque propriam horum vnitatem intelligi eadem ratione, qua cætera. *Fic. in Plat. epist. 7.* Diuinæ intelligentiæ contemplatio ad exactissimam dirigit omnia pulchritudinem dum in tota dispositione rerum non minus, imò plus ornamento quàm necessitati consulitur. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 8. cap. 1.*

Diuina & incorporea ea tantùm tractauit Aristoteles, ad quæ humanus animus ex sensibilium obseruatione deduci poterat & sine quibus naturæ effectus in rebus corporeis non poterant commodè explicari. *Iac. Carp. in Alcin. dis. 4.* Diuina non sunt metienda rebus humanis. *Augusti. Steuc. de peren. philosop. lib. 7. cap. 5.*

Diuina illa copulatio atque beatitudo à nobis in præsenti vita difficillimè quidem haberi, longius autem continuari minimè potest. *Leo Hebr. de Am. dial. 1.*

Diuinis quæ conueniant.

Diuinissimis tantùm conuenit eodem modo, & secundum eadem se habere, & idem esse. *Plato, dialogo de regno.* Diuina officia præcedere debent, humana sequi debent. *Merc. Trismegi. Pimander, cap. 4.*

Diuinis personis quæ communia sunt literæ sacræ aliquando summatim comprehendunt; vt quando dicitur, omnia sunt ex Deo; aliquando discursione & quasi distinctione quadam, vt quando quispiam dixerit, omnia per ipsum, & in ipsum creata sunt, & in eo cuncta consistunt; & illud, emittes spiritum tuum & creabuntur, & vt summatim dicatur verbum ipsum supreme diuinum inquit, Ego & pater vnum sumus, & omnia quæ habet pater mea sunt, & quando patrem sic alloquitur, mea omnia sua sunt, atque tua sunt & mea, præterea quæcunque patris sunt, atque filij, spiritui quoque supreme diuino communicabiliter vnitè tribuuntur. *Dion. Areop. de diuinis nomin.*

Diuina in contemplatione præferre debemus secundum ascensum illum qui per negationem fit, vt qui animam à rebus sibi cognatis auertat, & per diuinas omnes perducat intelligentias, à quibus longè secretum est, quod super omne nomen, & sermonem, cognitionémque existit. *Dion. Areop. de diu. nom.* Diuinus intellectus omnia continet, cunctis eminet, per ipsam omnium causam cognitione in seipso intelligentiam omnium anticipans: priusquã angeli forent angelos cognoscens, & producens cætera omnia ex intimis suis, ab ipsoque, vt ita loquar, exordio procreans, & ad essentiam perducens. *Idem, ibid.*

Diuina mens, quæ non est mensurata, nec determinata non est in tempore, sed extra omne tempus: æternitas autem est in seipsa eodem habitu, continetque & superat ampliórque existit tempore per potentiam sempiternam, quamuis in plurima videatur excrescere, & per virtutem infinitam totum spacium obtinet, vbique omnia procreãs & conseruans. *Plot. En. 6. lib. 5. cap. 15.* Diuina opera à diuinitate fiunt, nec opera diuinitati similia ab humana, sed à diuina natura pullulant. *Iamblichus de mysteriis.*

Diuinum omne essentiam quidem habet ipsam bonitatem, potentiam verò vniformem, cognitionem autem arcanã, & incomprehensibilem omnibus simul secundis. *Proc. elem. Theol. prop. 121.* Diuinum omne & prouidentiam geri secundorum, & separatur à prouisis, neque prouidẽtia remittente eius impermistam & vniformem excellentiã, neque etiam separatã vnione prouidentiam obscurante. *Idem, ibid. prop. 122.*

Diuinorum numerus omnis participationes quæ per corpora & similia efficiuntur impartibili essentia participabit, primò super essentiales vnitates, secundò quæ generationi coniuncta, tertiò generationi & singola per proximè superposita, & prouehis vsque ad vltima in participantibus. *Procl. elem. Theol. prop. 129.*

Diuini ordinis omnis prima magis pendent ab iis quæ pro-

ximè ad ipsa ordinantur quàm ipsa à sequentibus, & magis pendent secunda à proximè positis quam ab his ea quę post hæc. *Idem, ibid. proposit. 130.*

Diuina omnis vnitas ab vno quodam entium participatur immediatè, & omne quod deificatur in vnam vnitatem diuinam intenditur, & quotquot sunt participantes vnitates, totidem etiam participantia sunt vnum genera. *Procl. ele. Theol. prop. 136.* Diuina semper comprehendunt magis & potentiora sunt iis quæ ab ipsis proueniunt. *Idem, ibid. propositio 143.*

Diuini ordinis omnis proprietas per omnia permeat secunda, & dat se ipsam omnibus deterioribus generibus. *Procl. elem. Theol. prop. 145.* Diuinarum omnium progressionum fines ad ipsorum principia assimilantur, circulum sine principio ac fine seruantes per conuersiones ad principia. *Idem, ibid. prop. 146.*

Diuinæ potentiæ conuenit vt vniuersum sit, & magnum & multiplex: sapientiæ, vt in hac rerum ampla diuersitate sit ordo graduum, & pulchritudo formarum: ad iustitiam spectat hoc quod commune est cum sapientia, & vt variis rerum gradibus & formis varias pro modo suo vires, motiones, actionésque distribuat; his quoque pro dignitate varias dotes, varios exitus & terminos, & vt in suis quoque gradibus & officiis sincera permaneant, & aliis alia non confundantur, singola suum exequantur munus, statúmque teneant, nec vsurpent sibi quod aliorum est proprium. *Ficin. in Dion. Areop. lib. de diuin. nom.*

Diuinis illaboriosam & fœlicem operationem tribuere oportet, cùm agant ipso esse. *Ficin. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 28.* Diuinæ mentis vultus in materiæ speculum intuens nullas sui exhibet partes, sed singularum partium simulachra; nec veras res vident qui in materia vertunt oculos, sed verisimilia quædam, & verarum rerum inanes quasdam adumbrationes: quo fit vt quisque dum hæc suspicit somniari è Platone dicatur, quia falsis decipitur imaginibus, & somniantis instar, quæ imagines sunt, res esse veras existimat. *Idem, ibid. cap. 22.*

Diuini honores, vt non sunt dandi homini ob rationem & sapientiam, sic nec cœlo ob rationem & ordinis sapientiam, sed exclamandum, Cœli enarrant gloriam Dei. *Augustinus Steuch. de perenni philosophia lib. 5. cap. 11.*

Diuina vt in inferiora agunt.

Diuina in hominibus species, & Dei similitudo est. *Plato de Republica, dialog. 6.*

Diuina ipsa operatione erga nos beneficâ munus hoc discretum est, quod videlicet supersubstantiale Dei Verbum secundùm nos, & ex nobis integram, atque veram assumpsit naturam, & gessit, & pertulit quæcunque diuinitatis ipsius factæ iam humanæ propria sunt & præcipua. In his pater, & spiritus nullam habuere communionem nisi quis dixerit in benefica clementique voluntate circa assumptionem eiusmodi consensisse rursúmque conuertisse simul in omni operatione diuina ineffabili penitus, & excelsa, humanam naturam exuperante, quam gessit Dei Verbum secundum quidem nos factum homo, sed diuinitate penitus immutabile. *Dion. Areop. de diuin. nom.*

Diuina principaliter non mouentur ad operandum ab intelligentiis nostris, sed intelligentias, & affectionem optimam, & puritatem præcedere necessarium est, tanquam concausas quasdam; at sacramenta diuina diuinam principaliter prouocant voluntatem, & ita diuina à seipsis incitantur, nec ab vllo subdito principium actionis accipiunt. *Iamblichus de mysteriis.* Diuinâ inspiratione nisi id assequamur impossibile est iudicare certos euentus, & omnium causarum comprehendere concursum. *Idem, ibid.* Diuinorum omnia plena sunt, terrena cœlestium, cœlestia supercœlestium, & quilibet rerum ordo procedit vsque ad vltimum. *Proclus de sacrificio & magia.*

Diuina à Deo oratione petenda, naturalia ratione quærenda, moralia vsu comparanda sunt. *Ficin. epist. lib. 1.*

Diuina non ab humanis, sed humana à diuinis dependent. *Idem, epist. lib. 5.* Diuinorum inquisitio purgat animum, imitatio facit Deum. *ibid. lib. 7.*

Diuinum auxilium in rebus grauibus inuocare debemus, vt Plato ab Adastriadea petit opem. *Ficin. in Plato. de Republica dialog. 5.* Diuinis votis incubuisse excellentissimos quosque apud omnes gentes sapientiâ viros compertum est, præcipuè Indorum Brachmanas, Persarum magos, Græcorum Theologos, Chaldæos, & aliud quiddam adorasse, ipsam superiorum virtutem appellantes Deû, vno hoc nomine venerati sunt. *Idem, in Plat. Tim. c. 6.*

Diuina eatenus affirmare debemus, quatenus diuinis oraculis comprobatur, ideò sacris literis potiùs quàm coniecturis assentire debemus. *Fic. in Plato. Timæum. cap. 24.*

Diuina non sunt vlterius à nobis affirmanda, quam diuinum confirmet oraculum. *Idem, ibid. cap. 45.* Diuina prouidentia nunquam deest hominibus nisi ipsi sibi ipsis desint. *Idem, in Plato. de legibus. dial. 4.* Diuina prouidentia in necessariis rebus nunquam deficit. *ibid. dial. 1.*

Diuinæ formæ, quamuis infinitæ, imago atque similitudo finitâ quadam ratione in rebus procreatis expressa fuisse conspicitur. *Leo Hebræus de Amore, dial. 3.* Diuinus amor non Dei diligentis, sed rerum potius Deo dilectarum defectum supponit. *Idem, ibid.*

Diuina nomina.

Diuina nomina solent fingi, vel per negationes, de quibus in mystica Theologia, vel per affirmationes, & id duplici ratione: aut secundum intelligibiles ex Deo processiones formantur, de quibus hic agitur, aut secundùm sensibilium rerum similitudines adducuntur, quod de symbolica Theologia liber explicat. Nomina, quæ in hoc libro tractantur, triplicem originem tradunt: aut vniuersalem prouidentiam Dei significant, vt vnum; bonum, essentia; aut prouidentiam quasi particularem, vt vita, veritas, intellectus, particularem quoque magis vt iustitia, temperantia, fortitudo: aut non tam ipsam Dei prouidentiam quàm res prouidentia gubernatas, vt Sol, ignis. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Diuina nomina Theologi non solùm celebrant, quæ à prouidentiis vniuersalibus, & particularibus, aut ab iis quæ prouidentiâ diuinâ reguntur, originem ducunt, sed etiam interdum à diuinis quibusdam visis; quibus præceptores sacrorum, vel prophetæ in sacris ædibus aut alibi illuminati sunt. Ex aliis, & aliis causis, & viribus nominare solent bonitatem omni nomine, & omni luce prorsus excelsiorem. iam verò illi figuras humanas, vel ignis, vel electri circumponunt ipsius oculos, aures, crines, pedes, manus, scapulas, alas, brachia, humeros, pedes laudat, coronas quinetiam, & pocula, pateras, & alia quædam id genus mystica circa Deum fingunt. *Dion. Areopagit. de diuinis nominibus.*

Diuinæ naturæ nomina tria sunt apud Theophrastum, diuinissimum, supergrediens, infinitabile, & his adde cuncta volens optima, & diuinum principium per quod omnia sunt, & permanent. *Aug. Steuc. de peren. philosoph. lib. 6. cap. 2.*

Diuinum nomen præclaris quoque, & excellentissimis viris à poetis solet accommodari. *Leo Hebr. de Amore, dial. 2.*

Diuinus vt furor.

Diuini furoris quatuor sunt species. Amor, poesis, mysteria, vaticinium, Primum Veneri, secundum Musis, tertium Dionysio, quartum Apollini tribuit Socrates. *Ficin. epist. lib. 1.*

Diuino furore qui conciti aliquid dixerunt, non recordantur. *Idem, in Plat. Phædr. cap. 39.*

Diuisio.

Diuisionis methodum nihil effugit. *Plat. in Sophista.* Diuisionis generum in species vetus, & non prudens condemnatio superioribus nubit affusa, adeò vt ne aggressi quidem sit quispiam diuisionem, ex quo sequutum est, vt nô admodum nominibus abundarimus. *Idem, ibid.*

Diuisione non tutum est ad hæc tenuia rimari, securius est secundò per media progredi, & sic magis quis ideas assequi poterit. *Plat. in dial. de regno.* Diuisio per species rectè fit, vt numerus in parê & imparem. *Idem, ibid.*

Diuisionis methodus nil curat an aliquid præclarum sit, aut non, & minorem nihilo minoris facit, quàm maiorem, sed semper per seipsam id quod verissimû est transfigit. *ibid.*

Diuidentes quia non sunt assueti secundum species considerare, quæ inter se differût similia putantes, eidem coniiciunt, & rursus contrarium huius faciunt, alia non per partes diuidentes, cum si quis multarum rerum communionem sentiat, non desistere deberet prius quàm omnes in ipsa differentias, quæcunque in speciebus sitæ sunt, cognosceret: & si rursus omnigenæ dissimilitudines in multitudine visæ fuerunt non quicquam reueritus quiescere deberet prius, quàm animum cognata intra vnam similitudinem conclusa generis cuiusdam essentia complecteretur. *Platon. in dialog. de regno.* Diuisionem magni facere debemus, vt secundùm species diuidere possimus. *Idem, ibid.*

Diuisionis methodi amator sum itaque & collectionum, siue compositionum, quo & in dicendo, & in sapiendo præstans sim: & si alium quempiam præstantem putauero, vt ad vnum, & ad multa à natura respiciat, hunc ego prosequar,

prosequor, velut vestigia Diui: & qui hoc norunt voco dialecticos. *Plato in phaedro.*

Diuisibile omne, aut diuiditur in multitudinem, aut in magnitudinem, aut in motum suum. *Arist. de causis, cap. 3. propos. 7.* Diuisiones corporibus inexistentes singularium, verbi gratiâ numerorum, non sunt substantiae, sed prima diuersitas omnia distinguens; & omnino diuina genera diuisionis sunt, quo pacto non secundùm species, & super substantiam stantem diuisionem vniuersis inferant. *Syrianus in 2. metaph.*

Diuisio quaedam est generis in species distributio, quaedam totius in partes, quaedam vocis in sua significata, & accidentis in subiecta, nec deest in accidentia subiectorum diuisio. *Al. in. cap. 4.* Diuisione generis in species primò vtendum est quoties quid vnumquodque sit cognoscere volumus: quod absque definitione fieri non potest. *idem, ib.*

Diuiditur quidquid propriè in substantia diuiditur, quod autem mouetur potest moueri per accidens: itaque potius diuisione quàm motu attingitur & laeditur substantia. *Ficin. in Plotin. En. 4. lib. 2. cap. 1.* Diuisibile non tangit indiuisibile. *idem, Marsil. Platon. Theologia. lib. 5. cap. 6.*

Diuisio est passio non qualitatis, sed quantitatis. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 19.*

Diuisio est definitionis principium; sublatis idealibus speciebus de medio tollitur. *idē, ib. ca. 34.* Diuisio duplex est: vel diuidit specialem naturam ab indiuiduis, vnitque ideae resoluendo: vel diuidit generalem naturam in species, & specialem in indiuidua, & vnit communius cum minus communi componendo atque definiendo. *idem, in Plato. Phileb.*

Diuisio necessaria est ad definitionem, quia per eam quae ipsius non sunt separantur. *Ficin. in Platonis sophistam.*

Diuisio ea vno communi in particularia multa procedit, sed pedetentim procedere debet. *idem, in Platon. Phaedr. cap. 41.*

Diuisio omnis ex subiecta materia fieri debet, quoniam illa est indiuiduationis causa. *Sebastianus Foxius in dialo. Plato. de rep. primum.* Diuisio primi mobilis, & orbis stellati, est in 360. gradus, atque in duodecim signa. *Leo Heb. de Amore, dialog. 2.*

Doctus, Docilis, Doceo, Doctrina.

Doctum etsi aliquem putent, Atheniensibus non valdè curae est, modò ita, vt ne suam sapientiam doceat, at quem alios tales facere putant, ei infesti sunt. *Plato in dialog. de sancto.*

Dociles, & obliuiosi sunt, cùm cor alicuius animae ita fuerit densum, aut cum sordidum, & non purae cerae, aut liquidum valdè, aut durum: nam quorum liquidum, hi dociles, & obliuiosi, quorum, durum contra memores, & non dociles. *idem, in Theaeteto.*

Dociles, memores, ac sapientes sunt, quibus cera eius, quae in anima est effigiei profundo fuerit, & multa, & leuis, & moderatè elaborata, quae per sensus ingrediuntur, dum in hoc animae cor imprimunt quod ab Homero *κέαρ* appellatum obscurè est: tunc his etiam signa pura accidunt satis profunda, ac diuturna fiunt, & facti dociles, ac memores signa non permutant, sed vera opinantur: cùm enim manifesta sunt illa, & in amplo loco posita, facilè singula in suas effigies distingunt, quae verae, & existentes vocantur, & hi sapientes appellantur. *Plato in Theaetete.*

Docere alios posse est bonum signum quod sciant. *Plat. in Alc. primo.* Docens quancunque rem docet, persuadet quoque. *idem, in Gorgia.*

Docere quomodo quis quàm optimus fit mercede, turpe est *ibid.* Docentem laudare, & ea quae ab ipso didicimus producere, dignum est. *De mendacio.*

Docet vnusquisque ex priuatis mercede docentibus, quos vulgus sophistas vocat, & artis aemulos putat, non alia, quàm ea dogmata, quae vulgò in conuentibus celebrant, & hanc sapientiam vocant. Quemadmodum si animalis magni, & robusti, quod aleret quis, & iras, & voluptates didicisset, quomodo ipsum adire oporteat, & quomodo attingere, & tractare, & quando saeuissimum sit, aut mansuetissimum, & quibus de causis fiat, & voces quas quisque ob quas causas proferre soleat, & quibus rursus ab alio prolatis & mansuescat, & efferetur. Vbi verò haec omnia, & consuetudine, & temporis mora didicisset, & sapientiam appellaret, & velut arte constitutâ ad docendum se conuerteret: quum tamen nesciat reuera, quod ea his dogmatibus, ac cupiditatibus honestum sit, aut turpe, bonum, aut malum, iustum, aut iniustum, nominet autem omnia haec pro magni illius animalis opinionibus, ita vt ea, quibus illud delectatur, bona appellet, quibus offenditur mala, & nullam aliam de ipsis rationem teneat, sed quae necessaria sunt, iusta & pulchra vocet: At necessarij, & boni natura quantum differt, reuera neque viderit, neque aliis ostendere possit: talis ergo doctor nónne absurdus? *Plat. de rep. dial. 6.*

Doctrinam sequitur voluptas, rectitudo, & rectè, & bene discere est veritas, quae illa perficit. *Plato de legib. dial. 2.*

Docilitas est ingenium animae ad velociter percipiendum. *Speusippus in Platonis definitionibus.* Docent homines alia naturâ, alia disciplinâ. *Porphyrius, quòd animae sensuales sint rationales & immortales.*

Docilitas est vis animi qua facilè docemur, & facilè intelligimus ea quae ab aliis nobis exponuntur. *Franc. Patricius, de reg. lib. 6. tex. 13.* Doctrinis plenae erant Mercurij columnae in Aegypto. *Iamblichus de mysteriis.* Doctrinae progenies est meditatio. *Philo de somnus.*

Doctrina duabus maximè rebus probatur, siue quod aliquis praecepta doctrina tradiderit, siue quòd ea ratione praeceptorum aliquid scripserit: idem Plato praestitit. *Bessarion Cardinalis in calumniatorem Platon. lib. 2. cap. 9.*

Doctorum inuenta tandiu seruanda sunt quandiu inueniantur meliora. *idem, ibid. lib. 5. cap. 10.*

Doctrinâ probitati coniunctâ nihil mirabilius, vel amabilius est. *Ficin. epist. lib. 4.* Doctrina omnis ac lectio, nisi ad optimam vitae rationem conducat, est inutilis. *idem, in Platon. de repub. dial. 10.*

Docti fulgebunt tanquam splendor firmamenti, & qui multos erudiunt ad iustitiam sicut stellae in perpetuas aeternitates vt ait Daniel Propheta. *in Platon. epist. 2.*

Doctrinae iudicium ad paucos pertinet. *Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus, in examen vanitatis doctrinae gentium, lib. 4. cap. 3.*

Doctrina, morum sanctitas, & auctoritas multum obtinere solet virium ad conciliandos animos & trahendum in beneuolentiam vel ignotos & etiam eos qui maxima locorum intercapedine dirimuntur. *Io. Fran. Pic. Mir. 6. epist. lib. 3.* Docti ab indoctis paulò minus differunt quàm viui à mortuis. *Fran. Patricius de rep. lib. 9. tex. 2.* Doctrinae proprium est non confundere, sed distinguere, & enodare. *Iacob. Carpent. in Alcin. prima digressione, de analytica methodo.*

Doctrina omnis fit de nouo, non respectu intellectus possibilis de se, sed huius vel illius cui continuatur nobis in vitae principio, id est per adoptionem phantasmatum. *Gab. Buratellus de remansc. lib. 4.* Doctrina Aristotelis & Platonis non est diuersa, sed diuersum fuit philosophandi genus, nam Plato à causis altissimis ad sensibilia magis descendit, Aristoteles contra à sensibilibus ad intelligibilia ascendere consueuit. *Idem, de tempore lib. 8.*

Daemones qui sint.

Daemonem omnem prudentem virum vitâ functum appellare decet, nam daemon quasi prudens dicitur. *Plato in Cratylo.* Daemones sancti, custodes hominum, & malorū propulsores sunt viri, qui in bello & re bene gestâ obierunt, & qui insigniter in vita praestantes iudicati sunt. *Idem, de republ. dialog. 5.*

Daemones sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiua, corpore etiam, tempore aeterna; & ideò sunt passiua, quia perturbationibus sobiacent. *Apul. de deo Socratis.* Daemones etiam sunt somnus, & amor, amor vigilandi, somnus soporandi vim obtinens. *Idem, ibid.* Daemones quos lares appellant ministri Deorum sunt, custodésque hominum, & interpretes, si quid à dijs velint: nec sanè omnia referenda esse ad fati vim putat Plato, sed aliquid in nobis esse, & in fortuna non nihil, & fortunae improuisos casus à nobis ignorari fatetur. *Idem, de dog. Plat. lib. 1.*

Daemonica mens, vt mens à sapientia diuina dependet: quatenus verò demens, nec sciens, nec volens, eo ipso quod naturaliter appetit perfrui, propriè vtique defectionem quandam à sapientia nominari decet. *Dionysius Areop. de diu. nom.* Daemonum omnium qua daemones sunt, natura, & essentia vna debet esse. *Plot. En. 3. lib. 5. cap. 6.*

Daemones illi fortè sunt amores, qui gignuntur ex anima pulchrum bonúmque desiderante & omnes animae, quae hoc in mundo sunt, hunc gignunt amorem, reliqui autem daemones ab anima mortali generātur ad vniuersi vsum. *Plotin. En. 3. lib. 5. cap. 6.* Daemonem nullum praestat in mundo intelligibili appellare, imò si ibi ponatur daemon, Deum esse existimare debemus; & fortè cum anima infusa sit mundo, daemonem cuiusque animae nuncupabimus, vniuscuiusque vestigium. *Idem, ibid.*

Daemones & heroes sunt impassibiles & sempiterni, semper enim sequuntur Deum in mundi ordine conseruādo

vbi verò passio est, ordo perpetuus non seruatur. *Iamblichus de mysterijs.* Dæmon est immortalis, & patibilis. *Max. Tyrius serm. 205.* Dæmoniacam medietatem inter deos, & homines collocamus, dæmon ad animam est intellectus, ad animam humanam est dæmon. *Proclus in Alcibiadem primum.*

Dæmones à prima viuifica Dei sortiti substantia, & inde velut ex fonte fluentes essentiam nacti sunt animalem, & hanc magis intellectualem illi qui rationalem habent perfectioremque substantiam, minus verò intellectualem: potiúsque rationalem, qui media possident: tertij, & dæmonici ordinis postrema tenentes variam, & magis rationalem habent, & materialem naturam; & omnes ad diuisionem Deorum diuiduntur, sunt enim ad Deos, vt ministri, & omnis deorum ordo alicui dæmonum ordini imperat: & circa vnumquemque Deum innumerabilis est dæmonum multitudo eadem, eadem cum diis ducib. cognomenta reportans. *Proclus in Alcibiadem primum.*

Dæmones non sunt animæ nostræ à corpore solutæ, stas enim semper eodem pacto custodia ipsa dæmoniaca continuans vniuersa; anima verò non ita suum retinet ordinem, aliis enim temporibus vitas alias eligit. *Proclus in Alcibiadem primum.* Dæmones esse aliquos deos erraticos, vt ait Amelius, falsum est, sed Platonem sequimur Deos esse Dominos vniuersi, greges verò dijs dæmonum subigentem *idem, ibid.*

Dæmonem appellare consueuerunt antiqui quod proximè præest in quodam dæmonis ordine ad inferius se habens, quo vsu Iupiter apud Orpheum Saturnum patrem dæmonem appellauit: & Plato in Timæo dæmones nuncupat Deos illos qui generationem in propinquo disponũt. *Proclus in Alc. primum.*

Dæmones omnes in animarum latitudine continentur, animisque diuinis posteriores existunt; intellectualis autem ordo aliud quiddam est quàm anima, neque eandem essentiam, vel potentiam, vel actionem, nacta sunt; & animæ intellectu perfruuntur cùm ad ipsum conuersæ fuerint, & inde lumen susceperint, & suã illi coniunxerint actionem: & dæmones præfectura fruũtur per omnem vitam, & ipse dæmon vitam nostram regit, & electiones nostras ante generationem factas implet, & dona fatalia, & munera ducum fati, deorum, & illustrationes à prouidentia suggerit. *Proclus in Alc. 1.*

Dæmoniacæ potestatis est opus dum aliquis eruditur, vt seipsum purget: nam dæmones non extrinsecus in nos agunt, sed tanquam ex puppi nos intus diriguot, & gubernant, nec nos purgant vt corpora quædam, aliunde mobilem nacta naturam, sed curant tanquam mobiles ex se ipsis. *Proclus in Alcibiad. 1.*

Dæmon est animal rationale, immortale, patibile, æthereum, diligentiam hominibus impertiens. Animal, quia est anima corpore vtens, rationale quia prudens; immortale, quia non mutat corpus, patibile, quia consulit: æthereum ex loco, & qualitate corporis, diligentiam hominibus impertiens propter Dei voluntatem, qui custodes dedit, & eadem est aerij dæmonis definitio, nisi quòd in aere hoc manet, & quantò terræ propinquior, tantò passionibus accommodatior. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

Dæmonum natura talis est, vt cum diuinitate consortium habeat propter immortalitatem, & cum occiduis cognationem, quia est patibilis. *idem ibid.*

Dæmonum natura non est absque corpore, sed habet corpus, & circa corpora versatur, nam sunt è venerandis patribus nostris qui asserunt dæmones propriâ cum corporibus præsentiâ apparuisse, & Basilius diuinus mysteriorum nobis occultorum inspector, non solùm dæmonibus, sed & angelis corpora tribuit veluti spiritus quosdam tenues, aereos, & puros, vt ait Dauid. Qui fecit angelos eius spiritus ac ministros eius flammeos; & id necessarium est vt diuinus asserit Paulus spiritus ministros, qui mittuntur corpus habere, quo mouentur, gradum sistunt, & palam appareant. *Michael Psellus de dæmonibus.*

Dæmones secundum essentiam veridici sunt, cùm rationale sit; at irrationale & fallit, & fallax est, & quia non naturâ dæmonium est, sed habitudine. *Proc. in remp. Plato. sæ Mar. Fic. in ep. lib. 11.* Dæmon cognominatur mentis amor ad diuinam pulchritudinem contemplandam. *Fic. in Pla. apologiam.* Dæmones sunt qui in orbibus planetarum vltra planetas ponant, quasi stellas suo planetæ subiectos, vt in firmamento à maioribus reguntur stellæ minores. *idem, in Plot. En. 2. li. 9. c. 8.*

Dæmones sunt stellæ aerij cœli, circuitus stellarũ cœlestiũ pro viribus imitantes ab ortu ad occasum, atq; vicissim, statutis vbique temporibus progredientes regredientésque; ac tum ad septentrionem vergentes, tum ad meridiem, tum etiam velut in augem ascendentes, tum etiam descendentes ordine certo, præsertim dæmones super aerem turbulentum; nec in nos electione duntaxat agunt, sed plurimùm stellarum instar, ipsâ naturâ, radiisque suis, quamuis occultis, tamen admodum efficacibus. *Marsil. Fic. in Plotin. En. 3. lib. 4. ex summa libri.* Dæmones medij sunt inter stellas, & homines. *idem, in Plotin. En. 3. lib. 5. cap. 5.*

Dæmonibus ingenitus est à principio rationis & intelligentiæ actus per ingenitum lumen, quo præsente, & in actu vigente ille semper intelligit, nec ad intelligendi principium notionibus nouis indiget beneficio ipsius imaginationis excitatis. *Iac. Carpen. in Alcinou digres. 4.* Dæmonem definit Chalcidius esse animal rationis particeps immortale animo, patibile corpore, æternum. & Apuleius animal animo patibile, mente rationale, corpore aereum, tempore æternum. *idem, ibid.*

Dæmones iuxta Platonem sic definiri possunt, esse genere, & loco, & corpore aereos, malis affectibus, quia delectantur impuris veneficiis, præsunt incantationibus, quæ sine impuritate & flagitiis non fiunt. *Augustin. Steuch. de perenni philosophia, lib. 8. c. 2.* Dæmones appellantur canes terrestres, fallaces, nil veri dicunt, canes stygij terrestres, quia circa terram vagantur. *idem, ibidem.* c. 28. Dæmonica natura media inter spiritalem atque corpoream. *Leo Heb. de Amore dial. 3.*

Dæmonum proprietas.

Dæmonis vis est interpretari, & transmittere ad deos res hominum, & ad homines res deorum; illorum sacrificia & supplicationes, horum præcepta, & retributiones pro sacrificiis. *Plato in Symposio.* Dæmonem audiuit Mercurius dictantem, qui si literis quæque monimenta mandasset, mira humano generi in dies emolumenta conferret. Solus ille tanquam Mercurio genitus Deus, vniuersa inspiciens diuina in eum infundit oracula. *Mer. Trismegist. Pimander, cap. 12.*

Dæmones non corrumpunt quæ per naturam sunt incorruptibilia, sed quæ naturâ corruptioni sunt obnoxia. *Dionys. Areopag. de diuin. nominib.* Dæmones non sunt participes corporeæ materiæ aliuqui animalia sensibilia forent, sed intelligibilem oportet materiam ponere, vt quod illius est particeps in hanc per illam quoque corporum materiam veniat. *Plotin. En. 3. lib. 5. cap. 6.*

Dæmones in parte irrationali sua non sunt passionibus liberi, memoriámque atque sensus his tribuere non est absurdum, & demulceri, & exaudire vocantes, & maximè rebus humanis propinquiores *Plotin. En. 4. lib. 4. cap. 43.* Dæmones non carnem non ossa recipiunt, nec quod distrahi, solui, aut liquari possit, aut suapte mollitie effluere. *Max. Tyrius, sermon. 27.*

Dæmonum, & heroum spiritus per se apparentes pulchritudinem in rebus determinatis habent, sed illi secundùm rationes essentiæ, hi secundùm fortitudinis actum. Principatuum pulchritudo principalis est, & natiua, principum ficta adornata, elaborata. *Iamblich. de myster.* Dæmones exprimunt & patefaciunt, quæ sunt in diis ineffabilia, & occulta: & ipsi & heroes accommodant inferioribus vniuersales, simplices, immobiles deorum dotes, & conciliant omnia; & harmonici consensus, & compassionis omnium inuicem sunt auctores, & nostra ad diuina perducunt. *idem, ibidem.* Dæmonum actiones celeriores apparent quàm sint effectu & veritate. *ibidem*

Dæmones generari, & corrumpi negat Iamblichus quod Porphyrius asserit. *ibid.*

Dæmones quinque generum sunt: primi summi, & inter eos diuini sunt, & dij apparent frequenter ob excellentem ad deos similitudinem: secundi dæmones intellectuali proprietate prædicti, ascensionibus & descensionibus præsidentes, neque omnino deorum effectionem declarantes, & omnibus tradentes: tertij qui animatum diuinarum effectiones distribuunt in sequentia, & complent vinculum suscipientium inde defluxus ad illas: quarti vniuersalium naturarum vires efficaces in generabilia transmittunt, particularibúsque naturis inspirant vitam, & ordinem, & rationes, & vniuersam mortalium effecturam: quinti corporei quodammodo sunt, corporúmque extrema deuinciũt. *Proclus in Alcib. 5.*

Dæmones primi animas diis propriis copulant; secundi ascensus, & descensus dispensant, & ab his electiones animis sunt permultis. *Proclus in Alcib. 5.*

Dæmon nunquam mutatur, sed idem dæmõ ex ipsa genitura vsque

vsque ad iudicis vitæ præsentiam nos gubernans. *Idem, ibid.* Dæmonum alij purgatoriam & incontaminabilem possident potestatem, alij genitricem, alij perfectoriam, alij viuificem, & secundùm deorum proprietates sub quibus ordinati sunt. Purgatoriam vim habebat dæmonium Socratis *ibid.* Dæmones non solares si apparent leoninâ fronte, si eis opponitur gallus, aufugiunt. *Idem, de sacrificio, & magia.*

Dæmones sunt in singulis elementis, quos intelligibiles deos nuncupare possumus partim visibiles, partim aciem fugientes in æthere, & igni aere, & aqua, ne pars vlla mũdi expers animæ animantisque naturæ præstantis relinqueretur. His cuncta, quæ sub luna sunt, terrena subiiciũtur. *Alcinous cap. 15.*

Dæmonum corpora quæ loca subterranea subiere concreta sunt tactui subiecta; cùm pulsantur dolent, igni propinquantia comburũtur, adeò vt etiam cinerem relinquãt, quod & apud Thuscos Italiæ populos accidisse historiã traditur, quod non vt fabulam loquor, sed ex ipsis saluatoris verbis persuasus hæc affirmo, quæ tradunt dæmones igne torqueri, vtpote qui propterea, quod corporei sunt nati possunt: quo enim modo pati possint si incorporei forent? quod enim incorporeum est pati à corpore ne fingi quidem potest. *Michael Psellus de dæmonibus.*

Dæmones semen iaciunt, & inde pusilla quædam animalia oriuntur, & nutriuntur velut inspirationes in arterijs, & neruis viget spiritus, alij verò humore sed non ore, vt nos, sed vt spongiæ, & ostreæ exugentes humorem, & quod concretius est ex humore secernunt, & hæc dæmones materiæ proximi faciunt, quod genus odit lucem, aquatile, & subterraneum est. *Michael Psellus de dæmonibus.*

Dæmonum sex sunt genera, primum igneum, secundum aereum, tertium terrenum quartum aquatile & marinũ, quintum subterraneum, sextum est lucifugum, imperscrutabile, & penitus tenebrosum, & circa hæc suas vires exercent. *Idem, ibid.*

Dæmones omnes deos & homines odio prosequuntur, sed aliud genus alio peius, vt aquatile, subterraneum, & lucifugum pessima, perturbationes nobis iniiciunt, & commemorant phantasiæ voluptates dæmones cæteri. *Mich. Psellus de dæmon.* Dæmones bruta inuadunt non tam nocendi studio, quàm viuifici caloris auiditate, frigida enim loca habitantes calorem humidum appetunt, & vitalem, & foueas, & ad balnea aduolant: calorem enim ignis, & solis vt comburentem, & exsiccantem fugiunt. *Idem, ibidem.*

Dæmoniacus futura prædicens non prædicebat etiam volens in diebus crucifixionis, & resurrectionis. *Michael Psellus de dæmonibus.* Dæmon nullus mas est vel fœmina, compositorum enim sunt hæ passiones & non simplicium, vt dæmones sunt, sed alio corpore vtuntur, vt nobes videmus alias figuras præseferre sed dæmones prout volunt corporum formas in se variant nec solidum habent corpus, sed vt in aere, & aqua citò labitur figura. *Idem, ibid.*

Dæmones apparent puerperis sub fœminæ specie, quod nõ est mirum cùm sit adulterum, & humiditatibus impuris oblectetur, si formam subit vitæ gratæ conuenientem. *Mich. Psel. de dæmonib.* Dæmones cùm alijs gentibus alij assistant, eâ linguâ vtuntur *Idem, ibid.* Dæmones omnes præsertim materiæ coniunctiores, audaciæ, & timoris pleni sunt *ibid.* Dæmones percussi dolent, nõ quod neruus sentiat, sed spiritus: spiritu enim in spiritum misso fit dolor. *ibid.*

Dæmonicum corpus per totum sensuale est naturaliter secundùm partes singulas, absque medio videt, audit, tangit, patiturque tangendo, diuisum dolet: sed hoc differt, quod corpora solida dum scinduntur, aut vix aut nunquã restituuntur, corpus dæmonum cùm secatur, mox in se iterum recreatur, & coalescit, vt aquæ & aeris partes, quando aliquid intercedit solidum, sed & dictu velocius dæmonicus in se reuertitur spiritus, dolet dum diuiditur, quapropter aciem ferri metuit, quod animaduertentes qui fugare volunt dæmones, tela, & enses in rectum vbi constituunt quo volunt dæmones aduentare, & alia machinantur tum oppositis passionibus propulsantes, tũ congruã quadam attractione mulcentes. *Idem, ibid.*

Dæmonum sermones quamuis per omnes feruntur, resonant tamen ijs solis, quibus placidum ingenium, & tranquillus est animus, quos sanctos & diuinos vocamus. *Plutarchus de Vrbe Thebana, & Socratis dæmone.*

Dæmonij interior vsus non cum quibuslibet intercedit, sed quomodo inter natantes in pelago illos, qui adhuc in alto procul à terra fluitant, homines in terra consistentes quietè solùm spectant, ad illos verò, qui iam propè sunt occurrentes, & mare ingredientes simulque voce & manu succurrentes eripiunt: eodem est genijs modo: nos qui negotiis deprimimur infinitis, corporáque multa quasi vehicula sortiti sumus, ipsos eniti, & tolerantiam exercere, vt nostra propriã virtute conemur salutem adipisci, & portum tenere. Quod si qua per sexcentas iam natiuitates longa subierit certamina rectè & impigrè anima, ac dum metam iam orbis sui periclitans elaboránsque in expansione multo sudore aduehitur ad terram, huic non inuidet Deus, vt genius familiaris opem ferat, sed liberam id facit cupienti, cupit autem alius aliam conseruare, illa exaudit, cóque propè accedit, & seruatur: quæ genio non auscultat, ab eo deserta parum fœliciter discedit. *Plutarchus de vrbe Thebis, & Socratis dæmone.*

Dæmones rectissimè callent qua via facilius quique perturbari possint, & illa nos quotidie turbant varijs in humoribus peccantibus excitatis imaginibus. *Ficin. Platonica Theologia lib. 16. cap. 7.* Dæmonum præstigiæ sunt vmbratilia, & fallacia. *idem, in Platonis sophistam.*

Dæmones cùm pedissequi sint deorum, meritò similitudines rerum, quæ pedissequæ sunt priorum operum diuinorum quasi dæmoniaca machinamenta videntur. *idem, ibid. cap. 46.*

Dæmonum natura, vt est inter superiores & inferos media, ita lumen inter corporea & incorporea medium, & in lumine potestas quædam est dæmoniaca, effectria imaginum, & vmbrarum vt & dæmones solent mira quædam visa non solùm dormientibus & abstractis, sed etiam vigilantibus ostentare. Imaginamenta quoque nostra quodammodo etiam dæmoniacã virtute fiunt, non solum quia dæmones efficacibus imaginationibus, artificijsque suis nobis imaginationes suscitant, verùm etiam quoniam quod in nobis imaginatur est quodammodo dæmon. *Ficin in Plato. sophistam, cap 36.*

Dæmonum sublimis ordo naturæ rationali, & incorporeæ fauet. *Fic. in Plat. Protagoram.* Dæmonum ordinem sublimem significat Prometheus, Epimetheus verò ordinem inferiorem. *idem ibid.*

Dæmones mouent imaginationibus, & viribus, machinísque suis imaginationes nostras ad opinionem & spem voluptatis aliquando futuræ, idque faciunt etiam ab initio electionis ætatisque humanæ, vnde videntur iucundam escam malis, id est inclinationibus ad inferiora miscere, vt in hac ipsorum prouincia diutius dimorentur. *Plato in Phædro, cap. 9.*

Dæmon imaginationem sæpe mouet, quæ sensus est vniuersus, per auditum mouet, vel conceptum imaginabilem efficaciter ad intimum propagat auditum, vel formas in ipso suo spiritali corpore vocat motu quodam, miro eodémque motu pulsat corpus spiritale, quasi voce quadam, quo vibrato excitatur ad idem & auditus intimus. *Ficin. in Plato. phæ. cap. 11.* Dæmones nobis supra caput astant disputant inuicem, nostra interim conuenitur, improbant malefacta, benefacta probant, tanquam humanarum rerum obseruatores. *idem ibid. cap. 35.*

Dæmones alij sunt naturales ab initio constituti, alij peregrini scilicet hominum animis in aerea translati corpora, hominésque ea quæ antea consueuerunt curatores. *Fic. in Platon. apologia.* Dæmones [illegible] plagis maioribus terræ, alij minoribus vrbibúsque præsunt. *idem, ibid.*

Dæmones alij homines singulos gubernant, quos animæ habentes in corpus fuerunt pro vitæ electione sortitæ deinceps electi vitæ duces, exploratores; & iudices. Alij Saturni, alij Iouiales, ac dæmonum natura accommodati: & sic de animalibus, & plantis, vt alia solaria, alia lunaria. *ibid.* Dæmones affectu patibiles esse superiores, & medios immortales, infimos verò longæuos existimarunt antiqui. *ibid.*

Dæmones aerei ducunt animas in corpus descendentes, ignei & cœlestes reducunt animas: aquei, & terreni tanquam infimæ generationis artifices non tam ducunt in fatali itinere animam, quàm in præcipitia fati præcipitant. *Ficin. in Plato. de Republica, dial 10.*

Dæmones significantur per aerea animalia, sicut aquatica, & terrena tum animalia hæc, tum dæmones animalium eiusmodi curatores. *idem, in Platon. Timæum, capit. 22.*

Dæmones, & dij si sub luna apparent, corpora semper habent tenuissima: apparent verò quando vel corpus suum, luménque condensant, vel radios oculorum nostrorum aut virtute terminant aut non densitate, sed potestate

reflectunt, vel imaginatione naturam intus sibi conformant vel aerem circunfusum illustrant, atque figurant. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 24.*

Dæmones generationis sub Luna rectores vltra cælestia corpora sibi propria habēt insuper aerea pura, vtraque sempiterna, beneficique sunt atque diuini; sub his autem sunt dæmones ex aere, insuper misto corpora habentes, quasi iam humani corpore quoque solubiles sed valdè longæui hi nonnunquam apparentes fallunt; primi verò non fallunt. Inter Dæmones aeris misti cultores Theologiæ gentilium, & Platonica secta dæmones quosdam brutos, vel quasi brutos annumerant imaginatione acerrimos, viribúsque validos. *Fic. in Plato. Timæum cap. 24.*

Dæmones sub luna sunt, quos opifici mundi ad mortalium animalium generationem & gubernationem propriè ministraturi sunt, dij autem intellectualem, & vniuersalem magis prouidentiam habent. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 25.* Dæmones in aere duplices existimant alios ratione viuētes, alios quasi brutos vteotes præpotenti quadam imaginatione quàmplurimum: qua & imaginationis naturas sæpe mouent, vt corpore corpora. Sic in aqua, vt Orpheus & poetæ canunt, numina quædam sunt, alia quæ respondent rationali, alia bruto animali. *Idem, ibid. cap. 24.*

Dæmones aeris puri in animalium mortalium generatione, & reguntur à dijs, & viuntur particularibus naturis, virtuteque cælesti omnibus insitā, vt instrumentis opifex mundi rationalem animam à se creatam, cælestique cuidam adhibitam corpori, quasi vehiculo, ministris tradit, vt ipsi corpus elementale primò quidem subtilius, deinde crassius cum competenti vita subiungat. *Fic. in Plato. Timæum, cap. 24.* Dæmones aquei, & terreni corpora habent, vt humana ea contrarijs composita, ideò dissolui possunt & perturbatiónes aliquas illis afferunt. *Idem, in Plato. de Legibus dial. 1.*

Dæmones prouidentiam particularem habent & conditione particulari, nam & certa quædam munera tantùm, & certis quibusdam rerum generibus regionibúsque distribuuntur: nec vt dij sunt ab omni passione vel sollicitudine, vel affectu penitus segregati, nam ad hæc ipsa, quæ curant, quodammodo declinare videntur & vnumquemque deorum, siue cælestium, siue subcælestium dæmones multi sequuntur, vt ducem. *Ficin. in Plotin. Enn. 1. lib. 6. cap. 7.*

Dæmonum propriè tres sunt ordines tribus plagis aeris assignati, primi sublimem colunt aerem lunæ proximū, secundi medium, tertij tertium. Summus aer nominatur igneus, medius aer aereus, infimus aer est aqueus; & sic dæmones appellantur *Ficin. in Plotin. En. 2. lib. 1. cap. 6.* Dæmones medij vaticinio sunt accommodatiores. *Idem, in Plotin. En. 2. lib. 1. cap. 7.*

Dæmones, vt tradunt Theologi, imaginationibus suis absque alio instrumento, vel actu passim mirabilia faciunt subitò prout volunt, efficacissimósque inde radios mittunt, & sæpe morbus imaginationis suæ formas extra mirabiles ostendunt eis qui talia inspicere valent *Ficin. in Plotin. En. 3. lib. 2. cap. 3.*

Dæmon quilibet quamuis amplissimam impleat regionem, ideóque etsi non mutet locum, tamen in multis in locis potest oberrantem hominem obseruare, & stellæ more vbique attingere radijs, non est tamen probabile, cùm quispiā ab oriente vsque ad occidentē peregrinatur, dæmonem naturā præstantiorem velut addictum alicui pædagogum peregrinationis hominis vestigia sequi. sed aut si vnicus dæmon est vbique est secundum Iamblichum & ita non cogitur mutare locum. aut si cum est simul vbique non dæmon tantùm numero vnus, sed etiam vnus specie vnicuique præsidet. & sic in vno loco vnus est fortunatior, & in vno opere, vbi dæmon potentior & efficacior est, & qui ad vnum opus nati sunt plurimum profectum, suis instructi dæmonibus. *Ficin. in Plotin. Enn. 3. lib. 4. ex summa libri.*

Dæmones cælestes & ætherei, cùm nihil ex illis effluat, non habent opus nutrimento, sed solum cantibus, figuris & luminibus delectantur, coluntur, & ita nobis conciliantur: aquei, & terrei, cū effluat aliquid instaurari indigēt, sed in quibus nihil est terreum satis odor facit, conciliáque aromatum ac florum exhalatu liquorum: posteri enim odoribus & vaporibus indigent crassioribus, qui ex sanguine carnibúsque mittuntur, maximè coctis, & à nobis assumptis, & est illis insita sugendi facultas, qualis membris inest animalium, & radicibus plantarum. *Ficin. in Plotini En. 3. lib. 5. cap. 5.*

Dæmones cælestes, & æthereos verisimile est esse sempiternos, & perturbationes experies, propter naturæ simplicitatem, & puritatem loci; aqueos autē terrenósque esse quidem longæuos, non autem indissolubiles, & habere ferinè perturbationes animi fermè tales, quales & nos habemus *Ficin. in Plotin. En. 3. lib. 5. cap. 5.*

Dæmon est potentissimus, quia, vt ait Iob, non est potentia super terra quæ comparetur ei, est sapientissimus quia est summus inter intellectus creatos, & summæ malitiæ, & contra nos summi odij, nam quærit semper æternam nostram damnationem. *Io. Pic. Mir. in oratione in Dominicam.*

Dæmones omnes erant Satyri, Sileni, Bacchi, Tytiri, hinc manifesti quod sibi deorum cultum procurabant. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione, lib. 4. cap. 9.* Dæmones rerum naturas agnoscunt, & multa sciunt in suis causis & affectiones & inclinationes humanas, ex quibus sæpe coniectant, & tantò hominibus exactius, quantò sublimius eorum ingenium est, expertissimi sunt à primo æuo, & indelebili rerum memoria: quo fit vt ex præteritis inuestigare, & conijcere futura non difficulter possint. *Idem, ibid.*

Dæmon non detinetur in vinculis, sed vinctum se simulat, vt capiaris ipse, & funibus peccatorum irretitus ad inferna traharis. *Ioan. Franc. Pic. lib. de prænotione, lib. 7. c. 4.*

Dæmonum societas noxia est, prodesse nihil possunt, obesse supra modum. *Idem, ibid.* Dæmones, & animæ incorporeæ à corporeo igne validissimo diuinæ iustitiæ instrumento vexantur, patiuntur, & cruciantur *Ibid.* Dæmones ea patrare possunt, quæ supra vires duntaxat naturæ inanimatæ sunt: at non possunt agere ea, quæ supra totius naturæ vim aguntur *Idem, lib. 9. cap. 5.*

Dæmonum sex genera ponit Psellus ex Marco quodam, igneum, aereum, terrenum, aquatile, subterraneum & lucifugum, & imperscrutabile *Ia. Carpen. in Alcinoi dog. cap. 4.* Dæmones hanc curā solum habent, vt inferioribus rebus, & sibi proximis præsint, & illas per ipsorum nata as disponant & ad cælestes deos velut internuntij res humanas perferunt, aut inde ad homines addúcunt cælestia. *Seb. Foxius in Phæd. rem Platonis* Dæmonum quinque genera numerantur quorum diuersa sunt officia, alij animas à deo mundi opifice deducunt, alij eas corpori copulant, alij variè formant *Idem, ibid.*

Dæmones corpore aereo existentes mortales sunt sed diuina voluntate sempiterorum mundi ministerium æternè conseruant: quia maior vis est diuinæ voluntatis, quàm legis naturæ cui sunt obnoxij *Iac. Carpen. in Alcinoi dog. cap. 4.* Dæmonis ætherei corpus impartibile est, ac reuera potius ad agendum quàm ad patiendum comparatum: de alijs verò inferioribus, & imperfectioribus naturis quæ dæmonis appellatione sunt etiam comprehensæ, non idem statui potest. *Idem, ibid.*

Dæmones oblectātur nidoribus sacrificiorū & libaminibus. *Aug. Steuch. in perenn. ph. lib. 8. c. 30.* Dæmones non capiuntur amore fæminarum quia spiritus sunt: nam vbi non sunt membra genitalia, non est amor coeundi, & vbi non est cibus & potus, non est sperma, & vbi non sunt quærenda successio & propagatio, non adhibuit natura cupiditatem generandi. *Idem, ibid. cap. 32.*

Dæmon vt Socratis & vt hominis præsid. t.

Dæmon Socratis vocis modo auertebat eū ab eo quod facere cogitabat, nunquā autē impellebat, & à republica ipsū aduersabatur. *Plato in Apologia* Dæmon Socrati defendente se non adfuit, quia mors non est malū *Idem ibid.* Dæmon quidā ex diuina sorte à puero sequens erat Socratē, & erat vox quæ semper vbi contingebat significabat auersionē ab eo quod facere volebat, non tamen impellebat: & si quis ex amicis ei aliquid cōmunicabat, & hæc vox cōtingebat cum hæc auertebat, & facere non permittebat. *Idem in Theag.* Dæmonem Socrates habebat, qui illi obuersabatur in aliquibus *Idem, in Alcibiad. 1.*

Dæmonem Socrates familiarem habebat, qui ei cū errabat signum faciebat *Idem, in Phæd. 2*

Dæmon qui nobis præpositus est vitā editā trahit veluti custodiā suam ad iudiciū, & illic in causa dicenda assistit, & si qua cōmentiuntur redarguit, & si quæ vera dicit assentitur, ita vt illius testimonio feratur sententia: ideò vos omnes qui me auscultatis ita animos vestros parate, vt sciatis nihil omnino præ istis custodibus nec intra animū, nec foris esse secreti, quando omnia curiosè ille participat, omnia videt, omnia intelligit, & in illis penitissimis mentibus vice conscientiæ diuersatur. *Apul. de Deo Socrat.* Dæmon homini præsidet, quasi quietum, & nos sumus qui agimus, nos enim vitam eligimus *Plotin. En. 3. lib. 4. cap. 3.* Dæmon vniuscuiusque, nec omnino est extrinsecus,

cus sed ita se habet, quasi neque colligatus, nec propriè operans; est autem noster quoniam de anima, & aliquid animæ dici posset, neque tamen noster, qua ratione nos tales quidam homines sumus, vitam talem sub nobis habentes. *Idem, ibid. cap. 5.* Dæmon animabus pœnam luentibus imminet, ac forsan non iam vita nunc illis est, quàm iudicium, atque pœna *ibid. cap. 6.*

Dæmonum tot oportet esse naturas, quot sunt hominum naturæ. *Max. Tyr. serm 16.* Dæmonem proprium non licet elicere ex domino genituræ, alioquin non solueret nos à fato natiuitatis, sed datur ab antiquiori & altiori principio, id est à Diis superioribus. *Iamblichus de myst.*

Dæmon non alicui parti nostrum præest, sed toti, & vnus vnicuique præfectus est, non plures. *Idem, ibid.*

Dæmon proprius non à parte quadam cœli, vel elementorum, sed à toto mundo tribuitur, & à multiformi in ea vita, & à multiformibus corporibus, per quæ transit anima descendens in generationem. Secernitur propriè, & decernitur sors in nobis quædam propria nostri secundùm præfecturam propriam distributa, & hic dæmon erat in exemplari, antequam in generationem animæ laberetur, quem cum primum anima ducem accepit, adstat ipse dæmon expletor subinde vitarum, hic animam, vt dixi, descendentem alligat corpori, commune animal curat, vitam animæ propriam dirigit, & quodcunque ratiocinamur exhibet ratiocinandi principia, agimúsque talia qualia ipse adducit in mentem, gubernatque nos, quousque sacris operibus expiati Deum subeamus per dæmonem ducem; cui posthac dæmon ita cedit, vt vel vacet eo præsente, vel conducat ad idem. *Iamb. de myst.*

Dæmones nihil à nobis vtilitatis accipiunt, insunt nobis principia quædam perturbationum, quæ si violenta & à principio, & subitò cohibentur, tandem acriores erumpunt instar flammæ compressæ, & risus cohibiti; sunt ergo remissiùs corrigenda. *Iamblichus de myst.*

Dæmon Socratis appellatur, vt hic & in apologia, Deus: vocem dabat signum, vt in Theage, & Phædro, & reuocabat Socratem non prouocabat, vt in Apologia. *Proclus in Alcibiad. I.* Dæmones diuini sunt in dæmonum genere summi, & ante omnes deorum participes, & quidā adeo dæmones antecellunt, vt dij frequenter appareant: ideò dæmon Socratis deus appellatur tanquam ex ordine dæmonum summo *idem, ibid.*

Dæmon Socratis igneus erat, quia ad contemplationem sublimium erigebat: Saturnius, quia à corpore mentis rationem abstrahebat, à puero attributus aspirabat menti, ostenta oculis, voces auribus suggerebat, & sæpe seuocās à sensibus elementalibus, ostenta & vigilans & somniens cernebat. *Fic. in Pla. polit. gram.* Dæmonem suum pauci animaduertunt, quia pauci vel genitura, vel disciplina dæmonici sunt, plures humani, pleríque ferini. *idem, ibid.*

Dæmonem nuncupare possumus intellectum Socratis. *ibid.*

Dæmonum influxus trahuntur in hominum corpora, cùm vel per atram bilem, vel aliquid simile, aut vitium totus in imaginatione conuertitur animus, facilè fit inferiorum dæmonum domicilium, quorum præsentia & insaniat, & animo simul vexetur & corpore. Cum per philosophicam purgationem transfertur totus in rationem, euadit ædes dæmonum mediorum, à quibus humanarum rerum sæpius, quandoque etiam naturalium miras accipit rationes. Cùm per pietatem totus erigitur in mentē, sublimium dæmonum fit spiraculum, seu potius angelorum, quibus ducib. mirum in modum arcana penetret diuinorum *Fic. in Pla. apologiam.* Dæmones nobis adsunt quasi pastores, vel vt ait Plato in Critia, vt gubernatores. *idem, ibid.*

Dæmones homines vaticiniis, auguriis, somniis, oraculis, vocibus, sacrificiis, inspirationibus adiuuant. *Fic. in Plato. Apolog.* Dæmonem si familiarem hominis ducem appellare non placet, saltem bonum angelum eum appellato. *idem, ibid.* Dæmonum inferior exercitus naturę irrationali potiùs quàm rationali fauet. *idem, in Plat. Protag.*

Dæmonem qualem quisnactus fuerit cogniturum ait Porphyrius si figuram suæ generationis agnouerit, & quis in ea dominator extiterit. *Ficin. in Plotini E. 2. lib 3. cap. 2.*

Dæmonem nobis dari volunt Ægyptij ab ipso dæmonum præside Deo ad electæ iam vitæ normam, atque ad consonantiam vniuersi electionis tempori concernentem, non ab astro quodam, non à planeta, vt putat Porphyrius, qui in ipsa generationis figura plus posuit: ideoque propriè dæmonem, quoniam ad concentum mundi tribuitur, fato animam, vt ita loquar, accommodare: quia verò datur à Deo, & ad animæ ipsius electionem, datúrque diuinitus à fato rursus quodammodo animam liberare, animam inquam in dæmonem, pérque dæmonem in Deum quandoque conuersam *idem, ibid. cap. 15.*

Dæmonem anima talem elegit pro specie vitæ, nec mutat nisi speciem vitæ mutat. *Ficin. in Plotini En. 3 lib. 4. cap 4.*

Dæmones non modo externi, sed etiam interni coaptandi sunt, si rerum nostrarum conditio, vel Platonicorum verborum ordo ritè teneri debet. *Ficin. in Plot. En. 3. lib. 4. cap 4.* Dæmones ideò imaginationes hominum deprehendunt, quia rationis, & imaginationis motus faciunt manifesta signa in humoribus, atque corpore solido, & multò magis in spiritibus. *Fic. in Priscian. Theophrastum de phant. & intellectu, cap 3.*

Dæmonem obedire homini, cùm ipse sit spiritus nobilissimus & nequissimus, non est verisimile, Deo enim obedire noluit, nec vera dicere cùm falsitatis sit auctor. *Ioan. Francisc. Pic. Mirandul. de prænotione, lib 7. cap. 4.*

Dæmon appellatur animus humanus quatenus præest corpori, varia enim in eo munera administrat, & bonus appellatur quatenus corporeis voluptatibus imperat. *Seb. Fox. in Platonis phædonem.* Dæmonium Socratis nil aliud putandum, quàm præclaram eiusdem animi vim, qua prudenter cuncta faciebat, prouidebat, & quasi consilio longè ante cognoscebat; hæc à rebus malis illum reuocabat; & cùm per se satis ferretur ad virtutem non ad bona inuitabat. *idem, ibid.*

Dæmones in homine magnam potestatem habent nisi à Deo Deique spiritu, & Angelo coerceantur, non solùm in corpore, rebúsque externis, sed etiam in anima, sed hac distinctione, quòd cùm huius pars vna superior sit, cuius propria ratio & intelligentia, altera inferior, quæ per sensum & imaginationem cum corpore communicat, in posteriorem permultum potest, in priorem nihil, nisi quod mens & ratio se nonnunquam ad imaginationem abiicit, & huius motibus obsequitur, in quo extas dæmonis contra hominem victoria. *Iac. Carp. in Alc. digr. 4.*

Dæmones humanam imaginationem variè aggrediuntur; nonnunquam humanum corpus assumendo, vel huius falsam speciem, sub qua cum hominibus conuersantur, vel suum densando, vel rarefaciendo sub diuersis formis apparendo, vel sexus differentiam assumendo modo cum viris, modo cum mulieribus immiscens, vel in spiritum quem animalem vocant se insinuans; & dormientibus, & vigilantibus varias persuasiones suggerit. *Iac. Carp. in Alcinoi digr. sec. 4.*

Dæmones rerum abstrusarum hominibus ignotarum fuerunt declaratores, vt declarant antiqui Philosophi. *August. de ciuit. de peten. phy. lib. 3 cap. 57.* Dæmones corpus humanum occupant affectibus malis mancipatum. *idem, ibid. lib. 8 cap. 28.* Dæmones expetunt animam non vt amatores sed vt odio habentes, vt crucient. *eodem lib. 8. cap. 35.*

Dæmones Deus non præfecit hominibus cùm mali sint, & qui hoc asserunt Deo calumniam faciunt. *ibid.*

Dæmonum variæ opiniones.

Dæmonum visui non expositorum originem cognoscere, & dicere, maius quàm pro nostris viribus opus est: credendum autem est his, qui dixerunt autea filiis quidem Deorum velut ipsi de se prædicant, manifestè verò progenitores suos nouerunt. Impossibile igitur est Deorum filiis fidem derogare, etiamsi & absque verisimilibus, & absque demonstrationibus necessariis dicant: quare nos legem sequentes credere ipsis oportet velut asserentibus domestica se proferre. *Procl. in Timæum.*

Dæmones nobiscum commorantur, sed propter tenuitatem non videntur. *Mer. Trismegisti Asclepius cap 5.*

Dæmonem qui aiunt esse, qui in ipsa vita nostra operatur, vt iracundus ratio, libidinosis iucundorum potestas, non sunt audiendi. *Procl. in Alcibiadem primum.*

Dæmonum substantias, & communiter omnium nobis superiorum contemplari nobis difficillimum est, nisi habuerimus intellectum perfectè purgatum: potentias verò omnium facilè est explicare. *idem, ibid.*

Dæmones volunt Origenes, Numenius, & Porphyrius alias ad superiora, alios ad inferiora animos detorquere, pessimos in occidente esse dæmones, malos in Septentrione, bonos in meridie, optimos in oriente *Ficin. in Plat. Theologia, lib. 10. cap. 2*

Dæmonum legiones in terra esse tot, quot in cœlo stellæ, Platonicorum est sententia. & duodecim esse dæmonum principes, vt sunt in Zodiaco signa duodecim, & tot humanarum animarum ordines, quot & stellæ, & dæmonum legiones numerantur, alias aliorum tum dæmo-

Dæmonum nomen in nostra religione solet in deteriorem partem vsurpari, quod ea natura, quæ in prima mundi origine à Deo perfectissimam rationem & intelligentiam accepit, & angelis parem, suo peccato de dignitate deiecta, cœlóque pulsa & deo inde odiosa, hominibus molesta esse cœpit. *Iac. Carpent. in Alcin. digr. ss 4.* Dæmones Platonici angelos lucis complexi sunt quos modo dæmones bonos modo deos minores nominauerunt, & aliquando nomerauerunt in dæmonibus omnes naturas, quæ qualescunque & vbicunque sint, cum homine habent rationis vsum, vel eo qui homini datus est, superiorem. *Idem, ibidem.*

Dæmones non solùm Plato cognouit in Cratylo bonos, sed indicare videtur ex hominibus esse factos, & in cœlum relatos. *Iac. Carp. in Alc. digr. 4.* Dæmones Porphyrius agnouit bonos, qui nunquam obsunt, malos qui nunquam iuuant, & illos qui lædunt si irascantur, & contemnantur, & hominibus benefacturi, qui eos votis supplicationibúsque & sacrificiis sibi conciliant. *Idem, ibid.*

Dæmones alij boni, quòd res sibi subiectas bene gerant, alij mali dicuntur, quod malè. *Sebast. Foxius in phædone Plat.*

Dæmon bonus semper est Dei minister in natura dirigenda, & perficienda; ideò nulla in re vnquam Deo aduersatur, nec naturæ, quam conseruare studet potius quàm labefactare contra malos. *Iac. Carpent. in Alcin. digress. 4.*

Dæmon ob eius peccatum non habet deprauata naturalia, etiamsi Dei aspectu priuatus est, & in eo non viget lumen gratiæ, sed naturale. *Iac. b. Carpentarius in Alcin digressio. 4.*

Dæmones & boni & mali ex naturalibus futuras res cognoscunt in suis causis, & variè prout ad suas causas variè se habent. in qua cognitione hominibus superiores sunt sed interioris cognitionis nostræ cùm per quædam signa sese produnt ex horum obseruatione mali dæmones multa absque errore sæpe coniectant, etsi in his sæpe falluntur. *Idem, ibid.*

Dæmones sunt scelerum, & malarum suggestionum autores, ideò dicitur esse Satanas princeps mundi non cœli & terræ, sed malarum opinionum & flagitiorum æternorum. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 8. cap. 34.* Dæmones ipsi suammet naturam deprauarunt. *Idem, ibid. cap. 35.*

Dæmonum malorum sunt veneficia, incantationes. *ibid c. 22.*

Dæmones in quo peccarint tres sunt sententiæ, quod Deo subditi esse noluerint, & rebelles extiterint; quod homini creato, quem regere debuissent, inuiderint; quod vti minores dij, & mundo regendo præfecti in concupiscentiam fœminarum exarserint. *ibid. cap. 38.*

Dæmones vt responsa dabant.

Dæmones, ac oracula temporibus nostris non sunt, quia Christus dæmones malos suo imperio priuauit, & hominibus omnem dæmonum cultum, & artem dæmoniacam sustulit. *Fic. in Plat. apol. g.* Dæmonum influxus trahuntur in statuas, in qua consideratione attendendum est, quod trahitur quotidie aliquid. *Idem, ibid.* Dæmon Florentiæ post sacras expiationes, & post orationes saturnius expulsus fuit iussu Marsilij Ficini, cùm Sol perueniret ad sextilem Iouis, dealbatâ, ornatâ, illuminatâ domo & odoribus electis, & tota domo sordibus purgatâ, & sic alius ex alia domo expulsus fuit. *Idem, in Plat. [illegible] cap. 24.*

Dæmones cùm ex astrologia respondent fallere solent, quoniam fallax diuinatio quæ ex astrologia dependet, est, vt ait Porphyrius. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænotione. lib. 2. c. 3.*

Dæmones in responsis sæpe vsi sunt amphibologia vt hominibus illuderent, vt de Crœso respondit intrepidus; si Crœsus Halim transmiserit amnem imperium perdet magnum regnúmque superbum. Intellexit Crœsus de Persarum regno, sed suum Lydorum perdidit, vt euentus docuit. Et illud Pyrrhi, Aio te Æacida Romanos vincere posse: & posterioribus temporibus dæmon decepit Manfredum Regem, dum enim esset aduersus Carolum bellum suscepturus respondit, Non non Gallus superabit Apulum. Ex vi grammatices affirmauerat, quod ex communi loquendi vsu negatum autumauit. *Idem, ibid. lib. 4. cap. 9.* Dæmon oraculum dixit Colophone, Nos angeli exigua Dei portio. *Augustin. Steuch. de peren. phi. lib. 3. cap. 57.*

Dolor.

Dolor qui ὀδύνη dicitur ab insitione mœroris dicitur. *Plato in Cratylo.* Dolor non est omne malum. *Idem, in philebo.*

Dolorum generatio fit dum soluitur harmonia in animantibus, vt fames est dolor. *Idem, ibid.* Dolor est in summa, cum species animata secundùm naturam ex finito & infinito genita corrumpitur; via verò ad essentiam voluptas. *ibid.*

Dolores fiunt, dum natura singulorum corrumpitur concretionibus ac discretionibus, repletionibus, & euacuationibus, & auctibus quibusdam, ac corruptionibus: cum verò in suam naturam restituuntur, voluptas fit. *Plat. in philebo.* Dolorum leuamen oleum est. *in Menexeno.* Doloris & voluptatis affectio omnis quæ cum facilitate contingit, & maximè sentitur, vt affectiones circa visum, cui corpus nostrū quotidie cognatū fit. *in Timæo.* Dolorem affert quæcunque affectio in nobis præter naturâ fit violenta, & aceruatis. *ibid.*

Dolorem, & voluptatem habent corpora ex maioribus partibus constituta agenti vix cedentia, sed motus in totum distribuentia, dolores quidem dum alterantur, voluptates dum in idem restituuntur; at quæcunque paulatim secessiones & euacuationes à seipsis sustinēt, repletiones autem aceruatim & subitò, & euacuationem nō sentiunt, repletionis autē sensum habent, ea dolores non exhibent mortali animę parti, sed maximas voluptates: sunt autem manifesta circa gratos odores: at quæ alterantur aceruatim, paulatim autem & vix in idem rursus restituuntur contrario prioribus modo omnia efficiunt, vt circa vstiones & sectiones corporis fieri conspiciuntur. *Plato in Tim.* Dolores sunt fuga bonorum. *Idem, ibid.*

Dolorem aiunt esse quandam dissolutionis perceptionem, dum corpus animæ expoliatur imagine: voluptatem verò perceptionem in animali vbi imago animę in corpore instauratur. *Plot. En. 4. lib. 4. c. 19.* Dolemus amarissimè, vbi & nostrâ culpâ dolemus, & semper opinan[illegible]r nobis dolendum esse. *Fic. epist. lib. 6.* Dolor, & voluptas absque cognitione non fiunt. *Idem, Plat. Theol. lib. 16. cap 8.*

Dolor in sensibus verior est quàm voluptas: quod patet, quia cùm profusè ridemus sępe lachrimamur, cùm lachrimamur nunquā ridemus. *Fic. epist. lib. 3.* Dolor est aliud quàm malum, dolemus malo, nam omne malum dolor. *Idem, in Plat. phileb.* Dolor, & voluptas ad corporcum sensum præcipuè pertinentes fiunt in composito quodam ex infinito, & termino, ex materia, & forma; dolor quoties harmonia naturalis soluitur, voluptas quoties restituitur. *Ibid. cap. 23.*

Doloris remedia quatuor præcipuè sunt: primum quod incertum est bonum-ne id sit, quod accidit, an malum: secūdum, quod qualecunque sit parui pendendum est, nam nihil inter somnia humana magni pendēdum est: tertium, quia nihil dolendo proficimus: quartum, dolor id semper, quod subito nobis pręsidio esse potest, impedit. *Fic. in Plat. de repub. dial. 10.* Dolorem [illegible]n affert manifestum discessus ex habitu naturali lentus, at vbi subitus & acer, affert. *Idem, in Plat. Tim. c. 59.* Dolores tolerare difficilius est, quàm in se vincere voluptates. *Idem, in Plat. de leg. dialog. 1.*

Dolori qui succumbit minus turpis est, quàm qui voluptati succumbit. *Idem, ibid.*

Doloris species sunt misericordia, inuidia, æmulatio, obtrectatio, augor, tristitia, mœror, luctus, ęrumna, lamentatio, solicitudo, molestia, afflictatio, desperatio. *Franc. Patr. de regno, lib. 5. c. 9.* Dolor lachrymas habet, vt arbor fructus. *M. Anto. Natta de immort. anim. lib. 5.* Dolor eo maior, quo diuturnior. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Dolus malus est, cùm aliud simulatum, aliud factum est. *Franc. Patr. de repub. lib. 5. cap. 5.*

Dominatio, Dominus.

Dominantur præstantiora, & deteriora seruiunt. *Plat. de leg. dial. 5.* Dominantia ex suis semper præferenda sunt his, quæ seruiunt. *Idem, ibid.* Dominus nunquā laude dignus fieri potest, qui non seruiuit, & magis gloriari oportet si quis bene seruiat, quam si bene imperet, primò legibus quibus qui seruit diis seruit, deinde senioribus, & qui cū dignitate vitam transigerunt. *ibid. dial. 9.*

Dominatio est principatus iustus nulli subditus. *Speusippus in Plat. defin.* Dominatio est eminentia quædam non modo aduersum deteriora, sed omnis quoque honestorū & bonorum perfecta possessio, veráque, & immutabilis firmitas. *Dion. Areop. de diu. nom.* Dominari cui competet, melius est & honorabilius natura. *Procl. in Alcibiad. 1.*

Domini officium est legi & rationi seruire, quo possit seruis legitimè & rationabiliter dominari, & considerare tam seruum, quàm dominum hominem esse, humanitatem semper cū dignitate miscere. *Fic. epist. lib. 3.* Dominatio nulla facilior, præstatior, securior, quàm amatoris. *Idē, ib.*

Domus.

Domus non sunt exurendæ in bello, nec arbores excidendæ, sed fructus annui tantùm auferendi. *Plato de republ. dial. 5.*

Domos ciuitatis oportet quoad fieri potest & sanctissimas, & fortunatissimas habere. *Idem, de leg. dial. 9.*

Domus aliqua cùm infortunio simul & impietate polluta fuerit, vt qui ipsam possedit filios non relinquat, sed cælebs, aut etiam vxore ductâ, sine liberis moriatur, cædis voluntariæ cõdemnatus, aut cuiusdã delicti in deos, in ciuas, cui mors in lege pœna expresse posita est, aut cũ quis liberis carens perpetuo exulauerit, hanc domum primo expiari, & purgari lege constitutum est: deinde conuenias cognati ex vtraque parte, & mariti, & vxoris, vsque ad consobrinorum filios, & vnà cum legum custodibus, ac sacerdotibus inito consilio hæredem in domum hanc quæ in ciuitate quinquies millesima & quadragesima est, constituant hoc modo: considerent quod genus in ciuitate præstantissimum & fortunatissimum sit ad virtutem in quo plures filij nati fuerint, vnde vnum patris eius, qui mortuus est, & superioris eius generis filium, velut ex illis adoptent, famæ gratia de se cognominent, & genitum sibi ipsis, & familiæ conseruatorem, sancti, & sacrorum curatores meliore fortuna fieri precari quàm patri secundũ legem hæredem constituãt eum qui deliquit sine nomine, & sine liberis, & sortis exortem iacere sinãt vbi ipsum eiusmodi calamitates comprehenderint. *Plata de legibus, dial.* 9.

Dana.

Donare rectè est donare ea, quibus illi habent opus. *Plata in dialogo de sancto.* Dona suscipere à scelesto viro nec bonum virum decet nec Deum. *Idem de legib dialog.* 4. Donum est mutua gratiarum relatio. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Dona differunt à muneribus nam illa magnitudinem perfectarum bonorum præ se ferunt quæ Deus perfectis donat gratuita; hæc intra paruum modum contrahuntur, quorum participes fiunt exercitatores proficientes adhuc. *Philo in legis allegorias, lib.* 2. Dona voluntaria dantibus gratiora sunt, quam coacta, accipientibus firmiora. *Franciscus Patritius de regno, lib.* 7. *cap.* 11.

Dorienses pro Achiuis vocati sunt, eo quod is qui tunc ipsos Achiuos exules collegisset, doriensis esset. *Plato de leg. dial.* 3.

Dormire non oportet in meridie. *Plato in phædro.* Dormiens nemo vllius pretij est multò magis quam qui non viuit. *Plata de legibus, dialoga* 7. Dormimus facilius noctu quàm interdiu, & in tenebris quàm in luce quia noctes diebus sunt frigidiores & humidiores. *Iaco. Carp. in Alc. cap.* 15.

Dos nulla filiis masculis, fœminis detur. *Plato de legib. dial.* 5.

Dos sit drachmarum quinquaginta ad summum vestitus gratiâ, vt insolentia sit minor mulieribus & seruitus humilis & illiberalis propter pecunias, minor maritis accidat. Qui obedit honestum facit: qui non obedit is si ex quarto censu, mulctetur mina si ex tertio sesqui mina, si ex secundo duabus minis; qui verò maximum censum possidet alteram tantum mulctam reipublicæ debeat: quæ mulctæ Iunoni, & Ioui sacræ sint, & horum deorum quæstores exigant, etsi non exegerint de suo soluant. *Plat. de leg. dial.* 6.

Draco mortuo Plotino sub lecto in quo ille iacebat apparuit pererrans, mox in parietis foramen se occuluit. *Porphyrius in Plotini vita.*

Druides discunt nihil literis mandantes, vel quia non esse fas existimant ea literis mandare, vel quia minus memoriæ student, qui literis confidant. *Bess. Card. in calum. Plato. lib.* 1. *cap.* 2.

Dualitatem interminatam, siue primam, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem siue etiam eam quæ in materia consideratur, aliquis considerat, nunquam dicemus diuisim agere, aut pati per magnũ, & paruum, sed vnicuique eorum quæ generantur ab ipsa, & magnum afferre, & paruum accommodatum in singulis ordinibus entium. *Syrian. in* 12. *metaphysicorum, cap.* 6. Dualitas significat processum animæ in proprietatem suam vnitate inferiorem, & quadam iam ratione multiplicem. *Ficin. in Platonis Timæum, cap.* 23.

Dubium est possibile cuius contrarium possibile est; & dubiorum alia frequentia sunt, alia paræquè frequentia, alia rarò. *Chalc. in Platonis Timæum.*

Duitas est quasi principium inæquilaterum, siquidem est discessus ab vnitate omnium æqualissima; itaque bis vnum existit duo: hæc sanè duitas latitudine vnum est, longitudine duo. *Fic. in Plato de republica, dial.* 8. *cap.* 6. Duitatum Pythagorici volunt esse indeterminatum aliquod nullius figuræ principium, nam circularis figuræ vnitatem principium esse putant, in seipsam enim conuertitur, & trinitatem figurarum rectilinearum, est enim primus trigonus ipse ternarius. *Idem, ibid.*

Dulcis sapor fit, cùm ingressorum compages humida linguæ habitui ex natura cognata existens læuigat obliniens exasperata; quæ verò præter naturã compacta sunt laxat, & quæ diffusa contrahit, & omnia quammaximè secundùm naturã firmat, ita vt quicquid eiusmodi est, iucundum sit, ac gratum, & omnium violentiorum affectionum medela. *Plata in Timæo.* Dulce apud Platonicos est saporum medium; apud Aristotelicos est vt extremum cui opponitur amarum. *Iac. Carp. in Alcin. cap.* 15. Dulcedo est sapor ex moderata humoris aerei concretione prouenient. *Ficin. Platonica Theologia lib.* 16. *cap.* 1.

Duo sola absque tertio compingi non possunt, vinculo enim quodã connecti oportet. *Pla. in Timæo.* Duodecaedram figuram ad vniuersi constructionẽ Deus assumpsit, vnde & animalium formæ duodecim in Zodiaco circulo conspiciuntur, quorũ quodlibet in partes triginta secatur, & sic in duodecaedra figura conspici licet pentagonos duodecim in triãgulos quinque, ita vt vnosquisq; per sex triangulos diuisos extat, & in omni duodecaedro trecenti sexaginta trianguli reperiantur, quot in Zodiaco portiones existunt. *Alci. cap.* 13.

Duodenarius.

Duodenarius non sine graui causa à Prophetis, sacrisque eloquiis obseruatus est; implet etiã geminatus diem. *Marsi. Fic. in Plat. de repu. dial* 8. *cap.* 3. Duodenarius est numerus plusquàm perfectus, quia fit ex geminato senario perfecto. *Idem, ibid.*

Duodenario in Phædone Plato formarum numero describit orbem, in Critia plagis duodecim antiqua ante diluuium describit regna; in Legibus eodẽ numero ciuitatem & agros disponit, in Phædro 12 adducit ordines diuinorũ; in Timæo duodecim faciebus format mundum, etiã propter sphæras mundi 12. signáq; & numina in Zodiaco 12. atem & partes elementorũ duodecim enim in tria quodlibet diuiditur, in plagã scilicet superiorem, inferiorẽ, & mediam. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 8 *cap.* 3.

Duodenarius nouem continet non solùm amplitudine, sed etiam proportione sesquialtera, & decem sesquiquinta, *Ficin. in Plato de repub. dial.* 8. *cap.* 3. Duodenarius orbi maximè congruit præ cæteris cum Sole, Venere, Ioue. Luna vitæ fontibus. Sol Venusq; duodecim percurrit mensibus, Iupiter annis duodecim, Luna quotidie gradus peragit 12. motu medio, suásq; duodecim gradibus habet mansiones, ipsáque cum Sole menses agit 12. *Idem, ibid.*

Duodenarius si ter augetur, vt 12 duodecim 12. efficit 1728. habens latus diatessaron, & diapente ipsius diapason elementa, qui numerus maximè conuenit vniuerso, nam mille conuenit firmamento septies centum planetis septem. 28. verò additum est ad lunarem circuitum exprimendum. *Fic. in Plato de repu. dial.* 8. *cap.* 3.

Duodenarius maximè conuenit vniuerso, fertilitatem, incrementúmque significat, quia primus est & princeps abundantium numerorum. *Fic. in Plata. de republica dialo.* 8. *cap* 4. Duodecimum dialogum ita Plato voluit esse legum arcam, vt duodecimus mundi circulus commune stellarum est firmamentum, & duodenario numero semper delectatus est. *Idem, in Plato. de legibus dial.* 12.



E



ADEM quæcunque dicuntur, per identitatem eadem dicuntur, & altera per alteritatem. *Fic. in Pla. sophistam. cap* 34.

Ebrietas grauis est hominibus. *Pla. in symp.* Ebrius vir tyrannicum quendam animum habet. *Idem. de repub. dial.* 9. Ebrius nec mores rectos, nec corpus rectum vnquã generare potest. *Idem, de leg. dial.* 6. Ebrius ad seminandum deprauatus & inutilis est. *ibid.*

Ebriatas duplex: alia sub Luna lethæo inducta potu, per quã anima extra se posita, & infra se posita obliuiscitur diuinorũ, circa terrena delirãs; altera super Lunã nectareã prouenìens potione per quã animus extra se positus supra se positus morborũ mortaliũ obliuiscitur: suspiciénsq; diuina quasi primo illorũ splẽdore caligat; siue potius saporẽ gustans, nouo quodam calore è priori habitu permutatur, mox verò perspicuè cernit gustatque salubriter, imò nutritur. *Fic. in Plata de rep. dial.* 2.

Echinus pisciculus sistit nauem ratione seminaria quæ in ipso est. *Fic. in Plotini En.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13.

Eclipsim Solis inspiciendi optima est ratio aqua in peluim posita,

posita, & per ipsam eclipsim aspicere. *Seb. Fox. in Platon. Phædonem.*

Ecliptica est linea in Zodiaco media, & ita vocatur, quia cum cursum suum in eadem linea pariter Sol & Luna conficiunt, alterius eorum necesse est venire defectum, Solis, si ei tunc Luna succedat, Lunæ, si tum aduersa sit Soli. *Ma ro. in som. Scip. lib. 1.*

Ecstasis amatoria multò magis quàm somnus ipse sentiendi vires auferre valet. *Le. Hæbr. de Am. dial. 3.* Ecstasis amatoriæ maxima vehementia est, & ingens damnum. *Idem, ibid. dial. 3.*

Educatio.

Educatio, & institutio commoda si seruetur, bonas naturas inducit: & naturæ bonæ, si eiusmodi institutionem adipiscantur, adhuc meliores prioribus euadent, tum ad alia, tum ad generandum, vt in aliis animalibus. *Plat. de repu. dial. 4.* Educatio mala, qua plerunque diuitum, & tyrannorum filij viuunt, est in causa vt amittant dominium patris. *Idem, de legibus, dial. 3.*

Educationem puerorum non secundo loco, neque obiter legislatori fieri sinat, sed primò eligere incipiat eum, qui rectè ipsorum curam gerat, ita vt ex ciuibus eum qui ad omnia optimus est, maximè quoad fieri potest ipsis in præfectum & curatorem constituat. *Plat. de leg. dial. 6.*

Educationis curator sic eligatur: omnes magistratus, excepto senatu & Prytannibus, in Apollinis templum conueniant, & clam legum custodibus suffragia ferant, quisque de eo quem ex his qui circa puerilem institutionem versati sunt optimè magistratum gesturum esse existimauerit: cui verò plurima suffragia obtigerint, is ab aliis magistratibus qui elegerunt, exceptis legum custodibus approbatus, imperet per annos quinque, & sexto similiter alium ad hunc magistratum eligant. *Plato de legib. dial. 6.*

Educationis in omnibus vis maxima est: nam in omni stirpe si primum germen rectè processit ad naturæ suæ virtutem, maximam vim habet, ad hoc, vt finem optimum imponat: & hoc tum in stirpibus, tum in animalibus mansuetis, & feris, & in ipsis hominibus contingit. *Plato. de leg. 6.* Educatio liberorũ recta, & corpora, & animas, quàm pulcherrima, & optima efficit. *Idem, de leg. dial 7.* Educatio delicata, & luxuriosa ingenia deprauat; & nullus à iuuentute illis deditus sapiens fieri potest, nec temperatus vt fiat curabit. *Idem, epist. 7.*

Effectus.

Effectus nullus melior agente. *Arist. Theol. Aegyp. lib. 3. cap 7.*

Effectibus ad causas non est similitudo perfecta, sed habent quidem effectus quas præferre possunt imagines causarũ, ipsæ verò causæ segregatæ ab effectibus superius extant suâ, videlicet ratione principij. *Dion. Areop. de diuinis nom.*

Effectibus quæ conueniunt, in causis præexistunt essentialis & exuberante quadam ratione. *Idem, ibid.*

Effectus causas in se habent. *Pl. 1. En 6 lib. 7. c. 2.* Effectuum omnium primũ est esse, reliqua nil aliud sunt quàm quędã ipsius esse determinationes, & proprietates. prius enim secundum naturam vnumquodque est, deinde est tale vel tale & vltimum quod amittitur est esse. *Fic. in Plat. Theol. lib. 2. c. 7.* Effectus omnis extra causam productus aliquid causæ seruat, & inferior etiam euadit quã causa ideò angelus proximè Deo creatus aliquid Dei seruat, vt statum, aliquid amittit, vt vnitatem. *Fic. Plat. Theol. lib. 3 c. 1.* Effectus quicquid operatur, originis suæ vi, & auxilio operatur. *Idem, ibid. lib 9. c. 3.*

Effectus nullus vltra propriam suam causam se extendit. *Ibid. lib. 10 c. 8.*

Effectus pene omnes infra lunã ait Plotinus significari à cęlo, non tamen omnes à cœlesti corpore dependere, sola enim corpora posse vel à corpore cœlesti, vel potius per corpus cęleste quasi per instrumentũ ab ipsis cœli motoribus fieri. Si quæ verò apud nos omnino corporeũ genus excedunt, & ad mentẽ, diuinitatẽmq; accedunt, solum à mente diuina, mentibúsque eam sequentibus proficisci, quarum mentium consilia, voluntatésque sæpe posse cœlestibus figuris & motibus tanquam suis quibusdam oculis, ac nutibus indicari; quæ indicia perspicere viri apprimè sapientis opus est, & diuini. *Fic. epist. lib 7.*

Effectuum conditio est vt quocunque possint instinctu conuertantur ad causam à qua processerunt. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nom.* Effectio pertinet ad mentem, quæ per ideam ex materia quadam stabiliter efficit. *Idem, in Plato. Phileb. lib. 2. c. 4.* Effectus nunquam totam suscipit causæ bonitatem. *Idem, in Plat. conuiuio .5. cap. 11.*

Effectus causas æquare non possunt. *Fic. in Plat. En. 1. lib. 8. c. 2.* Effectus omnes primi principij ab ipso sunt, tum extra, instráque ipsum existere compelluntur, certè quantum ab ipso sunt, formæ & actus sunt, quantum extra ipsum materialem conditionem afferunt, & denique materiam ipsam omnium infimum subiectũ. *Idem, ibid. c. 14.* Effectus singulis causis propriis similiores euadunt quàm remotis. *Idem, de fato. cap 1.*

Effectus naturam causæ quidem referre, haud tamen eius perfectionem æquare videtur. *Leo Hab. de Amore, dialog. 3.*

Effectuum defectus, atq; imperfectiones causarũ excellentiã, atq; integritatẽ contaminare minimè possũt. *Idẽ, ibid.*

Efficiens semper præcedit, & quod efficitur insequitur dum fit. *Plat. in phileb.* Efficiens, & causa rectè vnum dici potest. *Idem, ibid.* Efficiens omne primum secundùm seipsum oportet esse præstantius facto. *Plot. En. 5 lib. 8 cap. 1.*

Efficiens mundi causa est diuina potentia, intelligentia, & voluntas; exemplaris ideæ intelligentiâ diuinâ conceptę finalis est bonum. *Fic. in Plat. Tim. cap. 12.*

Effigies sigilli exemplaris differentia participantium reddit dissimiles. *Dion. Areop. de diuin. nom.* Efficiens causa appellatur à Moise spiritus domini. *Ioan. Pic. Mir. in Heptapl. lib. 1. c. 2.* Effectus qualitas pro radij qualitate & pro natura corporis irradiantis, non pro diuersa radij circulatione distinguitur; ergo planetæ non mutant naturam pro diuersitate loci, nec alia fieri potest diuersitas quàm quæ in luminis & caloris intentione, vel remissione fit. *Idem, in Astrol. lib. 6 cap. 3.*

Egestatem non abstinentia pecuniæ, sed præsentia immoderatarum cupiditatum gignit. *Apul. de dogm. Plat. lib. 3.*

Electio.

Electio est approbatio recta. *Speusip. in Plat. definitio.* Electio ipsa quodammodo opus est animi. *Fic. in Plat. Theol. lib. 2. c. 8.* Electio in Deo ab essentia non differt. *Idem. ibid. c. 12.*

Electio iudicium præsupponit, quam electionem semper actio secundùm esse aliqua antecedit. *Idem, ibid. lib. 1. c. 18.*

Electio cùm conficienda est obseruanda est Luna, vt vnum, dirigenda, deinde ad Iouem gradibus si fieri potest 4. ad Venerem tribus, ad Solem duobus: quãdiu proportiones, harmoniæque omnes huiuscemodi in genere hominum plurimum perseuerant, permanet in corporibus, spiritibus, animis, ciuitatibus bonus habitus, & his deficientibus ille quoque fatiscit, & in deterius labitur. *Ficin. in Plat. de rep. dial. 8. c. 12.* Electionis rectæ peritia cunctis rebus & artibus præponenda est. *Idem, ibid. dial 10.*

Electio ipsa, motióque peruersa & peccatum est, & pœna, acriter affligens animam, donec prouidentia more medici per afflictionis eiusmodi stimulos animum sanet, dum sic ad habitus peruersi odium prouocat, pœnitentiámq; electionis iniquæ, atque vicissim ad contrariæ electionis amorem: & sic electio recta, & præmij & virtutis est exordium. *Fic. in Plot. En 3. lib. 2 c. 4.*

Electionis pars Astrologiæ friuola iudicata est ab omnibus philosophis, & inefficacem eam iudicauit Hali Ptolemęi interpres. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 4. c. 7.* Electiones, seu auspicationes variæ sunt; nã aut cœlũ fauorabile natalis cõstellatio sibi fecit, aut aduersum. si primum, nulla opus est electione, sua enim electio sufficit: si secũdum, frustra hora eligitur. *Io Fran. Pic. Mir. de praenotio. lib. 5 c. 9.* Electio propriè est eorum quæ in nostro sunt arbitrio. *Franc. Patr. de regno lib. 6. tex 6.*

Electrum est præditũ vi aliqua flãmea, & flabili, quam facies eius cõfricata reclusis spiramentis effundit, id vbi effluxit agitq; magnes, attrahuntur ex vicinis leuissima, & aridissima ob tenuitatem & imbecillitatem, nõ enim est validum, nec libramentum habet, nec impetum quo propellere confertum aerem, atque exuperare moles grandiores, vt magnes valeat. *Plutarch, de quæst. Plat.*

Elegia suauitatem plurimam habet, & stilum familiarem adiuuat, iucundiorémque efficit, in qua excelluit Callimachus. *Fran Patr. de repub lib 2 tex. 6.*

Elephas Arietem fugit. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 2. c. 21.* Eleemosyna & oratio sunt duæ alæ, quæ animã de valle lachrymarũ eruunt, quæ oratio fit in mentis recessu, nec refert quàm longa, sed quàm efficax. *Ioan. Pic. Mirand. in epist.*

Elementa quid sunt, & quot.

Elementa, ignis scilicet, aqua, aer, & terra corpora sunt. *Plato. in Timæo.*

Elementum est quo componitur, & in quod composita dissoluuntur. *Speusippus in Platon definitionibus.*

Elementa vel speciem vel materiam primam esse necesse est, vel ex materia & specie constare speciem esse impossibile est, quo enim pacto si absque materia sunt, molem & magnitudinem habebunt? sed nec prima materia

sunt, quoniam dissoluuntur; igitur ex materia & specie componuntur. *Plot. En.2.lib.4 cap.6.*

Elementa & genera hæc quinque, id est essentia, motus, status, idem, & alterum appellantur: elementa quidem, quoniam ens primum, & quodlibet ens ex his conflatur: genera verò, quoniam generatim de his prædicantur. *Fic. in Plat. sophist. ca.34.* Elementa mundi intrinsecus sunt duo, materia & forma, extrinsecus tria, efficiens scilicet mundi causa, exemplaris, finalis. *idem, in Pla. Timæum, cap.2.*

Elementum si esset vnum, nihil vnque generaretur, quod & Hippocrates asserit: si plura inter se similia, nihil nihil efficitur, vt ait Heraclitus. *ibid. cap.18.*

Elementa apud metaphysicum sunt quatuor, essentia, esse, virtus, & actio. *Fic. in Plat. Timæum, cap.22.* Elementa apud physicum quatuor sunt, videlicet naturæ seminaria virtus, pullulatio naturalis, adulta forma, & compositum. *idem, ibid.* Elementa quatuor dicamus esse apud inferos vna cum Orpheo, Pyriflegetonem, Acheronem Oceanum, & Cocytum. *ibid. ca.24.*

Elementa sub Luna esse nulli negant, sed in Cœlo, physicorum nonnulli negabant: sed isti audiant metaphysicos probantes elementa per ideas suas esse in ipso mundi opifice, esse inde in anima mundi per rationes suas, esse in natura per semina, ergo & in cœlo per virtutes, & sub cœlo per formas. *Fic. in Plat. Timæum, cap.24.* Elementa sunt in cœlis, quia cœli complectendo ea gubernant. Astrologi tam in signis, quàm in planetis naturas designant elementorum. Theologi in cœlis aquas, & terram ponunt viuentium. *idem, ibid.*

Elementa quæ visuntur ignis, aer, aqua, & terra non verè elementa sunt, sed naturæ quæpiam ex elementis mixtæ, atque coalitæ. *Io. Franc. Pic. Mir. de elem. cap.2.* Elementorum numerum si diuinum oraculum editum non sit, humana ratione non est sententia veridico ore adeò lata, vt ab ea non detur prouocatio; & sic de sedibus elementorum: nam hoc sensu non patet, cùm quæ videmus non sunt elementa pura, nec vlla simplex qualitas: corpore non omnino simplici, & puro manent, ergo nec intellectu, cùm in ipso nihil sit quod prius non fuerit in sensu: restat vt hoc iudicet phantasia, quæ vana est. *idem, ibid. cap.3.*

Elementorum naturæ dicuntur solidæ apud Platonem, quia instar dimensionis trinæ, trinas possident qualitates: quod si duas duntaxat haberent planorum instar, vnum sufficeret medium, quod in qualitate vna congrueret cum extremis, in alia differret: at quoniam tres inuicem oppositas habent, ideò duobus opus est medijs vt vinciantur quorum vtrunque cum proximo quidem tum extremo tum medio duplici conueniat qualitate, in vnica discrepet; cum remoto verò extremo in vna cōgruat, sed differat in duabus. sic ignem sequitur aer in mobilitate, & subtilitate persimilis igni, sed obtusitate virtutis dissimilis, & terræ similis, & cum aqua similis obtusitate & mobilitate: aqua sequitur aerem in mobilitate & obtusitate similis aeri, igni similis mobilitate, terræ crassitie & obtusitate, dissimilis terræ mobilitate. *Fic. in Plat. Timæum. cap.23.*

Elementa cùm sint quatuor, ex quibus quatuor temperamenta constantur, siue sola composita siue etiam simplicia, & addatur etiam proportio quæ sit æqua ex omnibus, non possunt diuersissimi mille differentiis effectus inter se diuersi ex tam paucis mixtionibus prodire, qui effectua cùm nesciri queant, nec eorum causæ, & multò minus temperamenta: quoniam quæ illa parit mixtio non cognoscitur, ignoratur enim proportio. *Io. Fran. Pic. Mir. de elemen. cap 6.*

Elementa quatuor ponit Aristoteles, & præterea quintum corpus cœleste, lib.1. de cœlo cap.2. Platoni idem ex quatuor simplicium corporum purioribus portionibus mixtū esse videtur, sed in quo plus ignis sit, lucentis tamen, non adurentis, quàm reliquorum elementorum, ex quo igneū appellatur à Platone. *Iac. Carpent. in Alcinoi præfatione.* Elementa ipsa sunt materia, & subiectum rerum quæ ex elementis generantur. *Leo Hab. de Am. dial.2.*

Elementorum motus & qualitates.

Elementa mouentur à terra vsque ad cœlum mobiliter, quoniam nonnunquam à rectissima motionis norma vel ob impedimentum, vel ob aliam quandam causam quodammodo dimouere videntur. *Fic. epist. lib.2.*

Elementa grauia mundi alta non petunt nisi eleuentur ab altis, incolæ terræ cœlestes non scandunt nisi cœlestis pater traxerit illos. *Idem, ibid.*

Elementorum qualitates octo comprehenduntur, quatuor masculæ, calor, frigus, leuitas, grauitas, quatuor fœmininæ, siccitas, humor, rarum, & densum. *Fic. in Plat. de legib. dial.6.*

Elementorum qualitates masculinæ, calor scilicet, & frigus principia sunt alterationis, leuitas & grauitas motionis ad locum principia sunt. *Idem, ibid.* Elementorum cuiusque formalis ratio, idque ipsum quod aliquid est, absque alienæ naturæ additamento possunt consistere. *Idem, Plot. En.2. lib.5. cap.6.*

Elementi partes ad suam integritatem, ad locum propriū, & congenitum naturali propensione feruntur. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænot. lib.5. cap.1.* Elemento quæ qualitates cuique conueniant, cùm nullum simplex habeamus, nescimus, sed coniecturâ percipimus, quæ facilè vacillabit. cùm elementa simplicia percontari non liceat. *Idem, de elem. cap.4.* Elementarium qualitatum ratio ad cœlestis corporis distantiam vel propinquitatem refertur. *Leo Hab. de Am. dial.2.*

Elementa vt rerum principia sunt, & vt inuicem transmutantur.

Elementa cùm sint solida ignis, & terra, & ipsa connectere opus esset, & indigerent duobus medijs, aquam & aerem in eorum medio Deus collocauit, & inter se, quantū fieri posset, eandem rationem effecit, vt quod ignis ad aerem, hoc aer esset ad aquam, & quod aer ad aquam, hoc aqua ad terram, vt mundus & tangi, & videri possit. *Plato in Timæo.* Elementa inuicem alterum alteri originem distribuunt: si aqua compingatur & concrescat, lapides & terram fieri videmus: si liquescet & dissoluatur, ventum & aerem: combustum verò aerem etiam ignem, concretum & extinctum ignem in aeris ideam abire: & rursus coeuntem aerem & densatum fieri nebulam & caliginem, & si magis compingatur, aquam fluentem, ex aqua rursus terram & lapides. *Idem, ibid.*

Elementa cùm nunquam eadem conspiciantur, sed semper inuicem alterum alteri originem præstet, non est qui nō pudore afficiat se ipsum, si quod ex ipsis velut sit quodcunque hoc & non aliud constanter affirmet. *Plat. in Timæo.* Elementa in se alia rerum genera inserta habent: cuius rei causa est elementi constitutio, eo quòd vtraque non solùm vna magnitudine præditum triangulum produxit ab initio, sed & minora, & maiora, & tanto numero, quot sunt in speciebus genera: quapropter dum ipsa ad se ipsa, & inter se inuicem commiscentur, varietate sunt infinite. *Idem, ibid.*

Elementum quandiu ad aliud accedit & minus est, ac cum præstantiore pugnat, dissolui non desinit, & rursus minora quum in maioribus multis comprehenduntur pauca, distringuntur, ac extinguuntur: quum verò in superantis ideam transire volunt, extingui desinunt, & fit ex igne aer ex aere aqua: si verò cum his, aut etiam cum alio quodam genere congressa pugnent, dissolui non desinunt, priusquàm aut omnino depellantur, & si dissolui possint ad cognatum diffugiant: aut ex superatis vnum ex multis simile ei quod superauit fiat, & cum ipso cohabitans maneat, & secundum has affectiones omnia mutant locos. *Plat. in Timæo.*

Elementa hic existentia quòd viuant, sunt animalia argumentum ab eis genita. *Aristo. Theol. Ægypt. lib 8. cap.2.* Elementa etsi inter se tantâ sint discordiâ, non minorum est nondum dissolutam esse mundi machinam, cùm ciuitas ex tot diuersis & contrariis conflata esse perseueret, & ex contrariis fiat harmonia. *Apul. de mundo.* Elementa inuicem mutantur, quatenus alterum alterius qualitatem induit. *Max. Tyrius sermo 29.*

Elementa omnia singula habent aliquid singulorum: non quòd illud quod dicitur aliquid possidere, ex vtrisque cōstituatur, videlicet ex seipso, & ex eo cuius est particeps, immo in ipsa mundi communione ritè situm non tam alterum, quam alterius nonnihil accipiat, velut non ipsum aerem, sed aeris liquiditatem, & sic nō tam igneum quàm igneam claritatem. *Plot. En.2. lib.1. cap.7.*

Elementa in vniuerso animalia sunt, & animalis partes, non apparet tamen in eis vita, vt nec in terra: at terram animatam esse argumentari licet ex his quæ in illa gignuntur, & sic de igne nam & in eo animalia generantur, & itē in aqua, & manifestius: necnon & aereæ sunt quædam animalium concretiones: at ignis hic natus cum non fuerit moles aliqua permanens non ostendit esse insitam animam, & sic aer, & aqua, sed sic videntur se habere in vniuerso, vt in corpore viuente humores. *Plot. En. 6. lib. 7. cap.11.*

Elementa dum mutantur, non mutant essentiam, sed qualitatem.

litatem. *Chalcidius in Plato Tim.* Elementa inuicem tota non corrumpuntur, lege Dei sic disponente. *Philo. de plantation. Noe.*

Elementa sint inter se contraria, & inter contraria sit medium, cum contraria maximè distant, & absque medio minimè congruunt. At medium hoc indiuisibile esse nequit, alioqui per ipsum contraria non distabunt: habet ergo dimensionem, sed qua parte alterum tangit, non tangit alterum, & habet insuper partem necessariò mediam, per quam æquè discrepet ab extremis. *Fic. in Plat. Timaeum, cap* 18.

Elementorum contraria qualitas, & cœlorum, & figura ad nouas figuras quotidie generandas conferente motione. *Fic. in Pl. Tim. cap.* 18 Elementa ita inuicem conferuntur: essentiæ signum & semen esse lineam & pullulationem naturalem, virtuti planum & formam actioni profundum & compositum, nam quod in mathematicis signum est, in physicis Plato virtutem seminalem indiuiduámque stabilem esse putat; & sic de aliis, *Idem. ibid. cap.* 22.

Elementa inuicem comparabilia sunt, sed potiori ratione ignis ad aerem, aer ad aquam, aqua ad terram ex confusione qualitatum manifestum est, videtur enim elementi proximi ad proximum conuenientia ad discrepantiam esse dupla, ad remotum vero contra dupla esse ad conuenientiam discrepantia, ignis aere duplo subtilior, triplo mobilior, quadruplo acutior; aer aqua acutior duplo, triplo mobilior, quadruplo subtilior; aqua terra acutior duplo, triplo subtilior, quadruplo ad motum paratior. *Mar. Fic. in Pl. Ti c.* 23.

Elementis ex quatuor geometrica, & musica ratione inuicem côiunctis mundum vniuersum compositum esse Pythagorici, & Platonici omnes existimant, ita tamen vt côsonantia horum nullam in cœlo dissonantiam patiatur, sub cœlo autem dissonantię quædam alicubi oriri videantur interdum, sed statim per superiorem concentum in formam consonantem mirabiliter redigantur. *Fic. in Pla. Timaeum. cap.* 24. Elementa quatuor non sunt principia; ante hæc est materia, & quodammodo forma, in quam resoluuntur, ante hæc est causa efficiens, & exemplar & finis, seminalesque horum omnium rationes in ipsa natura. *Idem, ibid. cap.* 33.

Elementorum variæ mixtorumque inuicem mixtiones causæ quæque necessariæ præparatoriæque videntur, vt sub vno genere formę multæ species nobis apparere posint. præcipue huius certi numeri causæ sunt penes Deum, efficiens potestas eius, exemplar multiformis eius intelligentia, finis eius bonitas, volens totidem in mundo esse formas, quot in se sunt ideæ, vt ita mundus sit optimus, diuinam referens bonitatem, & ad hoc ipsum mixtiones elementales tanquam speciebus necessarias instituisse videtur. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap.* 14.

Elementorum pugna erat apud veteres lis, & amicitia, ex qua omnia fiebant & huic Iouis, id est ignis. & Iunonis, id est aeris nuptiæ. & Iouis cum terra, quia Iupiter sumitur pro ea parte aeris, quæ in pluuias vertitur. *Io. Franc. Pic. Mir. de elem. cap* 2. Elementa quo pacto coeant ad res faciendas in dubium est. nam alij ea ita misceri volunt vt ex eis tertium fiat, alij integra manere dixerunt. alij in medio fuere, vt nec integra manere, nec penitus aboleri, frāgi tamen, & minui sic, vt integritas formæ abiret, retenta ipsius virtute & potestate. *Idem, ibid.*

Elementa quanto simul coniuncta in arctiorem societatem conspirauerint, & ad æqualius temperamentum redacta fuerint, tanto perfectiorem nobilioremque formam suscipere conspiciuntur. *Leo Hab. de Amor. dialog.* 2. Elementa quatuor ad materiam primam propter mixtorum generationem disponendam atque perficiendam concurrunt. *Idem, ibid.*

Elementorum figura & proprietas.

Elementorum figuræ ita paruæ statuendæ sunt, vt vnumquodque vnius cuiusque generis à nobis ob paruitatem nō videatur multis autem congregatis moles ipsorum videri, & sane quod ad proportiones attinet circa multitudines, & motus, & alias facultates, Deum vbique hoc modo penitus exactè hæc ad proportionem eorum quæ ab ipso effecta sunt, coaptasse, quatenus necessitatis natura volens, & persuasa concessit *Plat. in Timaeum.*

Elementorum vnumquodque multas species habet: ignis flammam, lumen, & splendorem, triangulorum in vnoquoque inæqualitatem: aer partim purus & siccus, partim humidus & nubilosus: aqua alia fluida, alia congelata, velut nix, pruina grando, & glacies. & humor alius fluidus est, vt mel, oleum, alius compactus, vt pix, cera: compacti species alia fusilis, vt metalla, alia fragilis, vt sulphur, bitumen, nitrum, sal. *Timaeus Locrus de mundi anim. & nat.*

Elementa omnia præter ignem de cœlo descendunt, ignis sursum versus fertur viuificum, & quicquid ex alto descendit generans, quod sursum versus emanat nutriens, terra sola in se ipsa consistens omnium est receptrix omniúmque generum quæ accipit restauratrix. *Apul. Asclepium.*

Elementa quoniam ex fluitante materia constant, seq. mutuo semper inficiunt, nullum ex se ordinem obseruarent, nisi à lege cœlestis motus ordinatissima regerentur. *Fic. Platonica Theologiæ lib.* 1. *cap.* 5. Elementa cum sint animata, ideo quanto propius accedunt ad animam, eo trahuntur vehementius. *Idem, ibid. lib.* 4 *cap* 1. Elementorum non est propriè naturalis motus ascensus & descensus, sed ad locum naturalem subita restitutio. *Ibid.*

Elementum purum non potest putrefieri, sed mixtum. *Fic. in epidemiarum antidoto, cap.* 2. Elementum quodlibet quo naturali termino magis propinquat, eo velocius mouetur. *Idem, epist. lib.* 2. Elementa ex virtute propriæ speciei proprias in se qualitates gignunt, ex calore in virtute actu calor in igne, ex frigore in virtute actu frigus in aqua. *Idem, Fic. in Plato. phileb. lib.* 1. *cap* 20. Elementa eodem naturæ nixu & petunt conuenientes, & fugiuntur, *Ibid.* Elementa non sunt hic pura. *Ibid.*

Elementum, quod in circunferentia ponitur, naturam eius sequens, amplissimum est, ideo omnium subtilissimum per substantiam, per virtutem acutissimum & penetratiui aptissimum, per actionem denique promptissimum ad motum. *Ficinus in Platonis Timaeum, cap* 23. Elementa media medio modo se habent inter ignem & terram. *Idem, ibi.*

Elementum quod situm est in medio, naturam sequens medij angustissimum est, & per substātiam densissimum, per virtutem obtusum, per actionem denique ad motum ineptissimum. *ibid.*

Elementorum quædam vires tum formatrices in anima, tū formabiles in materia quodammodo extiterunt ante mundi dispositionem. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap.* 29. Elementa cætera, excepta terra, facies habent triangulares, ideo minus firma, & magis cedentia, terra verò, quia facies quadrangulares habet, ideo magis firma. *Idem, ibidem. cap* 35. Elementorum formæ tanquam imperfectæ aliunde dependent, id est à proprijs diuinæ mentis ideis. *Ibid.* Elementorum formæ non sunt veræ substantiæ, sed substantiarum verarum imagines, id est idearum. *ibid.*

Elementum simplex nec videri, nec tangi, nec sub vllū sensum cadere potest. *Io. Pic. Miran. in Heptaplum. lib* 1. *cap* 4.

Elementum nullum simplex sentiri potest, sensus enim ex diuersis constatus nihil nisi simile percipere potest, quæ perceptio fit quatuor qualitatibus. *Io. Fr. Pic. Mir. de elemen. cap* 3. Elementa non essent æterna si calor in aere penderet ab ignis calore; prior enim esset in igne, quàm in aere: sed in æternis efficiens non constituitur prius effectu apud Peripateticos. *ibid. cap.* 4.

Elementa in hominis compositione ad maximam æqualitatem ac vnitatem redacta fuerunt *Leo Hebraeus de Amore, dial.* 2. Elementorum complexio eorum amicitia haud immeritò nuncupatur. *Idem, ibid.*

Elementorum, vt sunt in cœlo, & de eis antiquorum opiniones.

Elementa eodem modo declarauit Aristot. vt Plato *Bess. Card. in Calum. Plat. lib.* 2. *ca* 6. Elementa quæ Plato sub cœlo ponit, sub terræ nomine mos ipsius est appellare, & quę in cœlo, cœli ignísque nomine quamuis omnia elementa sub cœlo ponat, & omnia in cœlo. *Fic. in Plat. de leg. dial.* 4.

Elementorum excessus qui in cœlum refert, non aliter errat, quam qui morbos in ipsam regentem corpus naturæ referat potestatem, cuius est illa curare, non facere, sopire, non excitare. *Io. Pic. Mirand. in Astrologiam. lib.* 3. *cap.* 12.

Elementa in cœlo ita existunt, vt terræ soliditas, & stabilitas absq. crassitie in vaporea quasi forma regnet, aquæ æquabilitas, & lenitas absq; lapsu, agilitas aeris ab effluxu seorsum, efficacia ignis in lumine, salubrique calore, intelligentiæ vitæque persimili, dominari seorsum ab ea combustione, ad quam efficiendam apud nos cogitur: tum lumen inter concaua repercussum, tum calor igneus aspera quadam materia & mordaci conclusus, qui quatenus à terrena crassicie soluitur, eatenus lucet purius, & calet salubrius. *Ficin. in Plato. Timeam, cap.* 24.

Elementa in cœlo omnia statim à prima genitura mundi in formam præstantissimi, id est ignis, reddacta sunt, vt per motum cœlestē elementa quatuor quæ apud nos sunt

in quauis genitura ad vnam reducuntur mixti formam. *Idem, ibid.*

Elementa alij certa magnitudine constare dixerunt, & eorum qualitates certo quodam tenore qualitatibus aliorũ præstare dixerunt. alij qui elementa se excedere mole & magnitudine arbitrati sunt, quota portione alterum præstaret alteri sciri posse negarunt: quæ vero similior sententia est. *Io. Fr. Pic. Mir. de elem. cap. 1.*

Elementorum contrarietatem vnam voluit Plato inter ignem & terram, reliqua media esse dixit, et Aristoteles duas posuit. *Iacob. Carp. in Alcinoi cap. 10.*

Elementa, vt sunt Mathematicis, & Stoicis.

Elementum vocitest vox simplex & causa, quod certæ voces voces sint. *Speusippus in Pl. defin.* Elementa quatuor sunt apud mathematicum, signum, linea, planum, & profundum. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap. 24.*

Eligimus sæpe ratione boni ita priuationes, vt habitus, & quandoque magis. *Ficin. in Plato. Parmenidem, capitulo 46.*

Eloquentia sine sapientia, est ensis acutus in manu furiosi. *Fic. in Plat. Gorgiam.*

Eloquentia alia conuenit iuueni, alia seni, nec eloquentia dicenda nisi personæ congruat eloquentis. *Io. Fr. Pic. Mir. de studio philosophiæ, lib. 2 cap. 2.*

Eloquentia si à philosopho afferatur non est aspernenda, si eam non habet non admodum flagitanda. *Iac. Carpent. in Alcinoi præfatione.*

Eloquutio inuentionem sequitur, ita vt alie alij conueniat. *Io. Fr. Pic. Mir. de imitatione.* Eloquutionum tria sunt genera, vnum præstantissimum & diuinissimum, à quo cætera loquendi genera profluunt: meditatio nempe & cogitatio, quæ fit sub silentio in animo huc illuc se commouẽte ad inueniendum aliquid, vel disponendum, vel iudicãdum, quæ notio animi sermo intimus appellari potest: alterum est, quod à sede animi vocis instrumento effunditur auribus accommodatum: tertium scriptura profertur, quod etsi multas habet difficultates, tamen omnes resarcit incommoda, propter præsidium quod affert aduersus obliuionem & temporis iniuriam, verius sermonis imago quàm sermo. *M. Antonius Natta de pulchro, lib. 3.*

Emittitur ille qui non vetatur redire, expellitur ille qui æterno damnetur exilio. *Philo Iudæus de Cherubim.*

Empedocles simili simile iudicari voluit, sed eius expositores sex iudicant posuisse veritatis iudicatoria, nam præter duo efficientia rerum principia Amorem, & discordiam, simul terram aerem aquam & ignem iudicatoria censuit. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gentium libr. 2. cap. 10.*

Empedocles omnium inferiorum ortum atque interitum in sex causas conferebat, in quatuor scilicet elementa, amicitiam, atque inimicitiam. *Leo Hebræus de Amore dial. 2.*

Endymion, vt poetæ fingunt, in Latmo Cariæ monte quadraginta annos obdormiuit. *Seba. Foxius in Plat. phædrum.*

Enochus, Elias, & Ioannes Euangelista, à Deo, & animi & corporis immortalitate donati. *Leo Hebræus de Amore, dialog. 3.*

Entis diuisio.

Entia alia per se ipsa, alia ad alia semper dicuntur. *Plato in sophista.* Ens equiuocè dicitur de substantia corporea, & incorporea. *Plotin. En. 6. lib 3. cap. 6.*

Ens omne aut idem est quod & ipsum eius esse, aut aliud; vt aliud est esse homini, & aliud hic homo: et animæ esse & anima, idem est. *Idem, Enn. 6. lib. 8. cap. 14.*

Ens omne, vel immobile est, vel motum: &, si motum, vel à se, vel ab alio. *Proclus element. Theologic. propositione 14.* Ens omne vel essentialiter conuertitur, solùm, vel vitaliter, vel etiam cognoscenter. *Idem, ibid. prop. 39.* Entia omnia ad se inuicem, vel tota sunt, vel partes, vel eadem, vel altera. *Ibid. prop. 66.*

Ens & esse tribus præcipuè modis consideratur: primo ens & esse, simpliciter, nullo videlicet præter ipsam entis simplicem rationem addito; secundo ens aliquid: tertio vt tale esse est prius ordine naturali, deinde esse aliquid, tertio esse tale: & cùm ex nullo ente eos efficere sit infinitæ potentiæ, ideo Deus solus ex nihilo esse simpliciter facere potest. *Ficin. in Dionysij Areopagitæ lib. de diuinis nominib.*

Entis alia est ratio, alia vnitatis; entis enim rationi multitudo & compositio non repugnat; vnitatis autem rationi repugnat: nã non ens huic non vnum est oppositum. dicere verò non ens non est prorsus idẽ atq; vnum dicere; siquidem nõ vnum non necessario nihilum significat, sed diuersam entium multitudinem, vnum igitur ens non est ipsum simpliciter vnum, sed quoquo modo compositum, & multitudini permixtum. *Mar. Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 2.* Entis maximè ratio alia est à ratione ipsius boni, nam alia est ratio essendi à ratione bene essendi. *Idem, ibid. cap. 47.*

Entium omnium gradus, tum eorum quæ verè sunt, id est formarum separatarum, tum eorum quæ non verè sunt, id est formarum materiæ inhærentium, tum infimum materiæ gradum, à Deo vno bonóque super omnem essentiam eminente Plato deducit & in Parmenide, & in Sophista. *Fic. in Plato. Timæ. cap. 9.*

Ens omne, vel vniuersum tribus dicitur modis, sigillatim, congregatim, & summatim, primo modo ens quodlibet, & hoc seorsum, & istud & illud est aliquid in se vnum ab aliis singulari quadam proprietate disiunctum. secundo cuncta entium amplitudo simul ita vnum est, vt quoquomodo cuncta inuicem in essendo conueniant, ab eodem principio ducta, & ad eundem finem communem postremò redacta, inuicémque motu quodam actionibus passionibúsque conspirantia. tertio inter entia primum, & vnum, & omne vnum, quia vt entia naturalia ad naturam vnam, & corporea ad vnum corpus. sic omnia simpliciter entia tandem ad ens vnicum referuntur: & omnes quia vt omnium naturarum & corporum virtus in prima natura & primo corpore continetur. sic in vno primo ente omnia entia continentur: quem mundum, intelligibilem nominamus. primo & secundo modo participatio vnitatis est imperfecta, tertio est perfecta: sed præter vnitatem illam intelligibili mundo perfectè participatam, eminentissimam excogitat vnitatem vniuerso ente vno excelsiorem. *Fic. in Platonis Parmenidem, cap. 2.*

Ens vniuersum, vel vnum omnino est, vel omnino multa, vel vnum & multa, non omnino vnum, ne cogamur, quæ contraria sunt, idem esse fateri. nec omnino multa, vnitatis vnius omnino expers, quia si nullum sit vnum, neque multitudo certe erit: ergo ens erit vnum, & multa. *Ficin. in Plato Parmenidem, cap. 45.*

Entis quinque sunt genera, essentia, idem, alterum, status, motus. *Fic. in Plat. sophistam.* Ens aliud est, & simplicius, & communius, quàm aut motus, aut status; nam rationi entis motus & status quasi posteriores accedunt. *Idem, ibidem.*

Ens quinque gradibus omne cogitatur, nam non ens purum dicitur quidquid fingitur infra materiam, ens purum, puram mentem, & ideam existere: Animam, cælumque dici simul ens, & non ens, videlicet propter motum; magis tamen esse, quàm non esse. contra materiam magis non esse, quam esse, sed & quæ natura sunt sub lunæ composita, esse pariter, atque non esse. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 5.*

Ens vel simplex est, vel compositum: si simplex, ipsa ratio entis est ipsa essentialis vnitas, atque simplicitas: si compositum, essentia entis est ipsa essentialium principiorũ suorum vnio sed super vnitatem essentialem essentialiũque vnionem est ipsa simpliciter vnitas, quæ si ente sit posterior, & ipsa non vnitas est, sed multiplex; & ipsum ens in primo sui signo non erit aliquid vnum, sed multitudo infinita, vel nihilum. *Fic. in Plotini En. 6. lib. 9. cap. 2.*

Entia genera in mente prima quinque sunt, essentia, motus, status identitas, diuersitas, & rerum species, quæ ideæ nominantur. *Idem, in Plotini En. 3. lib. 7. cap. 1.*

Ens duobus accipitur modis, primò, & cùm ens dicimus, omne id intelligimus, quod est extra nihil, quomodo nihil est ente communius alio modo ens concreti faciem habet, vt abstractum est esse, vt ens dicatur, quod esse participet, & hac ratione negabimus Deum esse ens, sed super ens primo modo dicemus Deum esse ens. *Ioan. Pic. Mirand. de ente & vno, cap. 3.*

Ens quod de Deo, & de Creaturis dicitur, æquiuocè prædicatur. *Gab. Bur. de ente & de vno, lib. 2.*

Ens dicitur multipliciter secundum se, & secundum accidens. *Idem, ibid.*

Ens quid est.

Ens dicitur tanquam *ion* id est permeans, & *ouk ion* non progrediens indicat. *Plato in Cratylo.*

Entis omnibus & seculis competit, vt sint ab eo quod est superius ente, & ex ipso pendet omne æuum, & tempus est enim principium, & causa omnis æui & temporis. omnia illius participia sunt, ipsum à nullo existentium abest, ante omnia extat, cuncta in ipso consistunt, & omne in illo est, excogitatur, & seruatur. *Dion. Areopag. de diu. nominib.*

Ens quod reuera ens est, est cui nihil esse ipsius deest, & nullo indiget vt sit, & seruetur, sed ipsum aliis quæ videotur

tur esse, vt esse videantur est causa: & si hæc sunt, vita debet esse, & vita perfecta. idque est intellectus, & sapientia perfecta. & determinatum est, definitum, ac penitus absolutum, & sempiternum est; nihil aliquando suscipit, sed eodem modo semper se habet. *Plotin. Enn. 3. lib. 6. cap. 6.*

Ens multa est alteritate, non loco: nam vt ait Parmenides ens enti propinquat, & simul est vniuersum *Plotin. En. 6. lib. 6. c. 4.* Entia omnia vnum sunt. *idem, En. 6. lib. 5. c. 1.* Ens est numerus vnitas, entia numerus explicatus, intellectus numerus in se agitatus; Anima est numerus comprehensus. *idem, ibid. lib. 6. c. 9.*

Ens enter omne infinitum est, non secundum multitudinem, vel secundum magnitudinem, sed secundum potentiam solam. *Proclus element. Theolog. proposi. 86.* Ens enter omne, vel ante sempiternitatem est, vel in sempiternitate, vel particeps sempiternitatis. *idem, ibid. propo. 88.* Ens est supra sempiternitatem. *ibid. propo. 87.* Ens primò omne ex termino est & interminato. *ibid. propos. 89.* Ens enter omne à diis pendens diuinum est intelligibile, & participabile. *ibid. prop. 161.*

Entia non appellamus nisi quæ formas, habitus, actiones possident, vnum non solum dicimus habitum, sed etiam priuationem, ergo ente latius & superius est. *Fic. in Dionys. Areop. de trinitate.* Ens qua ens, non est necessariò finis, sed qua bonum. *idem, in Plato. Parmenidem, c. 47.*

Entium vniuersus ordo reducitur ad ens, quod non constat ex entibus, & id substantia est accidentibus nullis admixta. quę nec quanta erit nec qualis, sed tota, impartibilisque substantia, neque ea eo quod vnicum & simplicissimum erit solum minus habebit, quàm quæ præter substantiam subeunt accidentia. *Fic. in Plato. Timæum, c. 7.*

Ens præcipuè significat ipsum esse à termino, qui super infinitatem est infinitati datus. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 2. c. 2.* Ens est scientiæ obiectum. *idem, in Plat. sophistam.* Ens summatim æquiuocè de stabili & instabili dicitur, vt homo de te & de tua imagine. *idem, ibid. c. 29.*

Ens non verè appellatur quicquid inter composita quandoq; dissoluitur, quoniam & ipsum eius esse antecedit diuturna priuatio, & similis succedit, & ipsius esse ductus, dum motu & tempore transigitur, quantum ad esse propriè spectat, indiuiduum habet præsens, quantum ad non esse pertinet, longum præteritum patitur, & futurum, & his accidit malum, quoniam non verè ens. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 8. c. 3.* Ens illud verum est, quod omnino est ens, id est cui non deest aliquid ad perfectionem essentiæ necessarium. essentia verò perfecta, actum intimum & perennem sui ipsius includit, id est vitam, & hunc exigit maximè intimum. *idem, in Plot. En. 3. lib. 6. c. 2.*

Ens verum arbitramur cui non miscetur entis oppositum, id est essendi defectus, & priuatio: oportet enim id esse in sua natura integrum & permanens. *Ficin. in Plot. En. 6. lib. 2. cap. 1.* Entia vera nominant Platonici substantias, in quibus vel nó est, vel non regnat procliuitas ad non esse, quod est entis oppositum, vel non est in substantiis à materia separatis, vel etiam separandis. *idem, in Plot. En. 1. lib. 3. c. 4.*

Entis natura consideratur, vel vt est in actu primo per formã, vel vt est in actu secundo per motum. primo modo entium principium est intellectus, secundo modo anima. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 15.* Ens est sub vno, quoniam essentia prima, atque mens est naturaliter omniformis, & ideò pura simplicitate posterior, quæ pura vnitas dum per vnionem in essentia sua cuncta conseruat, declarat per vnitatem se omnes essentias confecisse. *idem, in Plot. En. 6. lib. 9. c. 2.*

Entia sunt semper & absolutè bona, quamuis non sint æqualiter bona, & non possunt fieri non bona nisi redigantur in nihilum. *Io. Fran. Pic. Mirand. in epist. ad Anton. Fauentinum.* Ens non est genus, quia generis proprium est descendere per differentias formales in sua genera subalterna, at ens descẽdit per differẽtias modales. *Gab. Baraschus de ideis, li. 1.*

Ens de quibus dicitur.

Entis materiam mihi videtur leuiter Parmenides tractasse, & quicunque ad iudicandum progressus est, vt decerneret ea, quæ sunt, quot & qualia sunt. *Plato in sophist.* Ens, vt scribitur in Timæo, ideas, in eo quod viuens est, ipsitas continetur. *Plot. En. 3. lib. 9. c. 1.*

Entia intelligentia & ratione iudicare habet Timæus, opinione verò & sensu illa, quę entia non sunt, sed fiunt iugiter atque pereunt; atque eorum quæ verè sunt, rationes ratas & inconcussas existere, rerum vera generatione fluentium imaginarias, atque contingentes, vbique enim rationes & sermones imitantur illa, quæ explicant. *Procl. in Alcibiad. primum.*

Entis æquiuocationem conatur Aristoteles introducere rationibus debilibus. *Georg. Gemistus de Plato. & Arist. differ. cap. 3.*

Ens simpliciter spectat metaphysica, ens quantum mathematica, ens quale & mobile, physica. *Fic. in Dionys. Areopag. de diuin. nominib.* Ens non esse multa Zeno probat, id est solùm multa, sed præter multitudinem esse particeps vnitatis. *idem, in Plat. Parmenid. c. 3.* Ens omne, vel vniuersum, confirmat Parmenides esse vnum. *ibid.*

Entis disputationem leuiter attigerunt antiqui, & poeticis figmentis adumbrarunt. alij, vt fursan Thales, tria entia prima posuerunt calidum, frigidum, extrema medium humidum, quod quandoque extrema conciliat, quandoque minimè. siccum verò in ordine principij non posuerunt, nam siccum contingere putabant vel humoris priuatione, vel eiusdem concretione. Anaxagoras affirmabat elementa quatuor, duo calorem & frigus, vt agentia, duo siccitatem & humorem, vt patientia. alij horum duo tantùm, vt Heraclitus & Empedocles vnam vniuersi materiam posuerunt, qualitates verò diuersas quibus aliquando consonet, aliquando dissonet. sed Heraclitus hunc mundi habitum vnà cum discordi quadam concordia fermè semper esse consimilem, quamuis non prorsus eundem: omnia enim iugiter fluctuare. Empedocles verò eandem permanere substantiam, sed alio quidem sæculo propter summam discordiam in chaos omnia solui, alio propter concordiam exornari. Metaphysici verò, vt Pythagorei, hæc dimiserunt vt non verè entia, primum verò ens, vt vnum cætera comprehendens, considerauerunt. *Fic. in Plat. sophistam, c. 22.*

Entis rationem vnam non putant Pythagorici & Platonici inesse rebus æternis, & fluentibus, siquidem nec essentiam vocant in fluentibus, sed generationem: ideo ens apud illos non procedit vsque ad infima, vnum verò procedit. vnum igitur ente superius. *Fic. in Plato. sophistam, c. 29.* Ens vbi Plato dicit alterum esse quàm singula, vel cuncta genera intelligas ratione abstracta, id est essentiam; vel ens cõcretum, quasi constans ex cunctis. *idem, ibid. c. 38.*

Entis proprietates sunt status, & motus. moueri appetitur non simpliciter, sed ad bonum, & stare non simpliciter, sed in bono. in ipso ergo ente status, motus, vita, intelligentia, non sunt ipsum bonũ, sed aliquid boniforme, quatenus ad ipsum bonum vergunt, implentur eo, & in eodem summopere cõquiescunt. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 3. c. 16.*

Entium tria genera ponit Plato: primo ideas, quę æternę sunt, & sola ratione concipiuntur: secundo generabilia, & corruptibilia, quæ à sensibus non recedunt, & sensu cognoscuntur: tertio materiam quam locum appellauit. *Gab. Bur. de ideis, lib. 1.* Entium appellatione se habent apud Platonem, quæ semper se habent eodem modo. *Iac. Carp. in Alc. parte post. cap. 27.* Ens, Mens, bonum, vnitas apud Platonicos idem sunt. *Aug. Steuch. de perenn. phi. lib. 1. cap. 14.*

Ens vnde prouenit.

Entium ex infinitis infinities nullum est, quia infinito nihil est maius. *Proc. elem. The. prop. 1.* Entia omnia proueniunt ab vna causa prima. *idem, ibidem. propositione 2.* Entia omnia quouis modo ea fine & infinito sunt per primum ens, omnia verò viuentia sui motiua sunt per vitam primam, omnia verò cognoscentia cognitionem participant per primũ intellectum *ibidem propo. 102.*

Ens ipsum intelligens nascitur ab ipso vno, vt lumen soli proximum à luce solis intima. *Fic. in Plotin. En. 5. lib. 3. cap. 15.*

Ens natum ab vno essentiam habet tanquam vnius vmbram, esse verò vt vnius imaginem. *idem, ibid. lib. 9. cap. 5.* Entis origo est processio quædam. *idem, in Plotini En. 2. lib. 6. cap. 8.*

Ens vt primum, & separatum.

Ens primum est mensura omnium primorum intelligibilium, & entium secundorum sensibilium, quia ipsum est, quod omnia entia creauit, & mensurauit ea mensura conuenienti omni enti. *Arist. de causis cap. 3 proposi. 16.* Ens primum quietum dat vitam ijs quę sunt sub se, non per modum creationis, sed per modum formæ. *Idem, ibid. prop. 18.*

Ens vnum absolutum efficit omnia intellectualia mundi superni & sensibilia subterioris propter assiduum influentiæ receptum, quæ perfectio immissa illi est infinita, nec habet repugnantiam, sed subinde transmissa ab intellectu agente in causatum succedens, nequaquam imitatur lucem illam sacram & bonitatem diuinam interminatam, propterea quod huiusmodi causatum recipiens nõ est proximum verbo Auctoris influentiæ, quare intellectus agens transmittit vim finitam, per quam tamen adhuc potest consequi causato proprio votum perpetuitatis. siquidem opus proximum huic intellectui est omnino incorruptibile, essentiæque ob id potenter perdurabile,

vnde prouenit constantia & firmitas mundi vtriusque. sic enim anima vniuersalis optimam seruat perpetuitatem per potentiam remissam ab intellectu agente. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 13. c. 3.*

Entia omnia mundi superni illustria sunt, ideò vnumquodque eorum conspicit omnia alia per essentiam suam, ac in alterius essentia. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 14. c. 11.* Entia orbis superni creata sunt ab illo verbo primario, quod est substantia princeps, sed simul: nam intellectus simul est intellectus. *idem, ibid. c. 12.* Entium supremi mundi nullum nobilius est alio, sed omnia sunt illic secundùm formam optimam. *ibid. c. 14.*

Ens ipsum intelligens emicat, vti ea lumine circa se emicat splendor. *Plotin. En. 5. lib. 3. c. 15.* Entia ipsa à corporibus diuersa sunt, illa immutabilia, hæc mutantur, illa se ipsis firma consistunt, loci nullius egent, illa nulla magnitudine protenduntur, sed intellectualem substantiam habent sibi sufficientem. corporum natura alio semper indiget seruatore. *idem, En. 5. lib. 9. c. 5.*

Entis ipsiusque sunt propria, vnum sunt ex eo quod sunt quidam vnum, non vnum ipsum, & quod est aliquid vnum, ideò multa est. *Plotin. En. 6. lib. 2. c. 10.* Ens maximè proximum est ipsi vno, maximam cum bono habet propinquitatem. *idem, ibid. c. 11.* Entia omnia ipso vno sunt entia, tum quæ primò sunt entia, tum quæ quoquomodo in rerum ordine numerantur: nam vno priuata non amplius sunt, quod esse ante dicuntur. *ibid. lib. 9. c. 1.*

Entibus simplicissimis nihil inest præter ipsorum esse, ideò non in ipsorum hoc substantia, illud verò aliud. idcirco meliora sunt definitione & demonstratione. *Syrianus in 2. Metaphysic. c. 3.* Ens primum non appeterent, nisi ab ipso suam perfectionem & fructum perciperent, & à quo per totum æuum dependent, ab hoc etiam esse per totum æuum receperunt. quapropter si primum est, appetibile est omnibus, & ipsius esse omnibus est causa. *idem, ibid. c. 6.*

Ens primum, mens prima, anima prima, pulchrum primum, & in omnibus similiter, vnum tantum sunt. *Procl. elemen. Theol. propo. sit. 22.* Ens primò extra totalitatem est; siquidem ens pluribus adest, etenim partibus quatenus partes esse præbet, illud autem paucioribus, plurium enim causa præstantior est paucioribus verò inferior. *idem, ibid. propos. 73.*

Entis & vnius ratio formalis diuersa est, nam enti opponitur non ens, vni multitudo, & vt multitudo differt à nihilo, sic vnum ab ente. æqualia non sunt, quia quærendum esset rursus vnum supra hæc duo. ens non est superius vno, alioquin non esset vnius particeps, & vnum velut inferius particeps entis euaderet, & amissa simplicitate puram perderet vnitatem, ergo vnum ente est excelsius. *Ficin. in Dionys. Areop. de trinitate.*

Ente in primo Plato & Pythagorici multitudinem ponunt, scilicet oppositorum generum, & idearum vnitatem, omnémque prorsus originem numerorum sed illud interea vnicum numero vsque adeo vnum esse vult, vt post primum aliquid magis vnum excogitari nō possit. *Fic. in Pla. Parmen. cap. 2.*

Entis primi natura quum sit post vnum, necessario est prima sui origine multiplex, id est numerosa, per hos numeros ita fermè ens se habet ad entia, id est, ideas, vt plerique tradunt materiam per inchoationes formarum secum gestas se ad formas habere. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 6. c. 10.*

Ente in primo cùm sit primus numerus origo rerum, meritò illic est omnis rerum numerus, item cùm sit prima forma, iure illic res inter se formarum gradibus differūt tanquam species: & in vita perfecta, & intelligentia perfecta est idea quælibet rerum. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 7. c. 9.* Entis ipsius perfectio summa in identitate & statu consistit. hæc in vnitate fundatur, vt diuersitas, & motus in numero: & vnitas, cùm est causa perfectionis entis, ente est superior, & fundamentum identitatis. *ibid. lib. 9. c. 1.*

Enti vnum & multa perfectè constans sunt, cuius auctor vnus est: nam nihil rebus melius est, quàm sua cuiusque vnitas, & vnio rerum mutua. per hanc enim fit, est, seruatur vnumquodque & hac amissa disperditur. *Fic. in Plat. Parm. nodem, cap. 41.* Entis cuiusque vnitas quodammodo est essentia sua superior, vt ipsa simpliciter vnitas est supra ens vniuersum. *idē, ibid. c. 50.* Entia nulla sunt nisi sit verè vnum. *ibid. c. 53.* Ente in primo differentias generum & idearum ponit Marsilius Ficinus, sed eas nōn in primo gradu, quo simpliciter ens est, sed sequente quodam gradu, quo per vitam & intelligētiam progreditur. *ibid. c. 56.*

Ens vnum & bonum Peripatetici æqualia putant, Platonici & Dionysius vnum & bonum enti anteponunt. *Ficin. in Dionys. Areop. de diuin. nomin.* Ens omne est vnum, id est particeps vnitatis. *idem, in Plat. Parmen. c. 3.* Ente in primo per numeros eorum differentias præcipuè dominantes disponi in ordine vniuersi essentiales entium numeros, multitudinēque specierum, virtutùmque in specie quauis varietatē. *ibid. c. 82.*

Ente in vno si partes suas omnes fortè consideres, dum eas in toto videbis iudicabis ipsum in seipso manere, si modo ipsum totum sit partes cunctæ, nec sit aliud vltra partes. fortè non est aliud iuxta numerum, vel materiam, quamuis sit aliud secundum formam atque virtutem. *Ficin. in Plat. Parmen. c. 85.*

Ens primum quod ab vnico generatur, & quodam modo ex se existit, forma totalis est necessariò gemina. prima suam partium multitudinem antecedit, secunda sequitur, vel potius concomitatur: illa quidem appellatur superessentialis vnitas, bonitásque mundi illius intelligibilis apex, secunda verò pulchritudo, id est contextus quidam, & ordo, ac idearum series. *Fic. in Plat. Parmen. c. 48.* Ens omne vnum esse quodam modo, & vnius particeps probauit Parmenides. *idem, ibid. c. 92.*

Ens aliquid, & vnum aliquid idem significant, & inuicem conuertuntur: vnum aliquid conuertitur cum ente, non tamen ipsum simpliciter vnum. *Fic. in Plat. sophistam, c. 17.* Ens omne vnum esse Pythagoricorum dictum & maximè Parmenidis, quidam accepere, vt quicquid vsquam entis est, sit penitus vnum numero absque entis multiplicitate. *idem, ibid. cap. 24.*

Ens non debet aut vnum, aut duo poni: namque ipsum primū ens est formaliter omnia, & cùm ad essentiam pertineat, vt sit vnum, & totum, & ipsum vnum nequeat esse totum, meritò vnum est aliud quàm ens, & simplicius, atque superius. *Fic. in Plat. sophistam, c. 26.* Ens quodlibet cùm sit aliquid totum constans saltem ex finito, cæterisque consequentibus, meritò ipsum simpliciter primùmque totū. *idem, ib. c. 26.*

Ens in primo sui gradu quodammodo est ab opposito absolutum fermè vt genus a differentiis: In secundo gradu oppositiones videtur admittere. *Ficin. in Plat. sophistam, c. 31.*

Ens primum in se habet non ens infinitum ex quo confirmatur ens primum non esse simpliciter primum, in quo nulla eiusmodi discrepantia, vel quasi priuatio esse potest. *idem, ibid. c. 26.*

Ens quod simplicissimum est, quia non habet accidentia, ideo non minus habet: quia quæ in sequentibus accidentia sunt, in supremo debent esse substantia, & illa quidem optima. & quo plura addideris optimo, eò coges longius ab ipsa optimitate discedere, si ex administratione noua illic resultas qualitas atque degenerans. *Fic. in Plat. Timæum, c. 7.*

Ens ipsum mittit in fluxum quendam per omnia passim entia: sed qua ratione in ipso essentia est, præcipuè per modum solaris radij profluunt: qua verò illic est vita, per modum soni & vocis erumpunt: qua denique ibidem est intellectus, in modum significantis verbi feruntur, & qua velut radij quidam sunt, visum mouere videntur, qua vel voces aut sonum pulsare aures, qua tāquam verba, potissimum aures prouocare. Vbique tamen tanquam pulchra quædam, siue pulchritudines atque, nobis occurrunt, eam ab ipsa pulchritudinis ipsius forma proueniunt. Qui influxus sunt primò in ipsa diuinæ mentis idea. secundò in qualibet inde mente suscipiuntur, per vniuersalem verò prouidentiam in ipsa mundanæ animæ mente: tertiò, in eiusdem animæ ratione; quartò, in eius imaginatione præcipua: quintò, in imaginatione sequente: sextò, in vegetali virtute, quæ & vniuersalis natura vocatur. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 6. in argum.*

Ens ab ipso vno simpliciter dependens, quatenus ad vnum vergit, meritò est ens penitus vnum, vel vnitum. quod autē post hoc in ipso sequitur, est ens pariter vnum atque multa: vt Luna, quòd sursum spectat, lucidum est simpliciter, quòd verò deorsum, & lucidum & non lucidum. illud verò sui prorsus vnum vel vnitum, cùm sit indiuisibile, non est genus; hoc verò quod in eo sequitur non nouum, præter genera superius dicta genus affert. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 2. c. 9.*

Ens quodcunque perceperis vel sensibile, vel quomodolibet intelligibile, vel ideam, de hoc sigillatim prædicatur vnū. cùm ergo vnum cōmuniter sit in singulis, nulli penitus est addictu, imò & super vnum quod est in alio, id est ente, atque in eius opposito, id est multitudine entium, profectò vnum extra aliud & multitudinem per se existit. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 6. c. 11.* Ens primum prius vnum existere quàm ens, signum est, quia singula prius amittant vnionem quàm essentiam, quasi vnitas sit essentiæ columen, & ita vnitatis præsentia omnia euadunt vnum. *idem, in Plot. En. 6. lib. 6. c. 14.*

Entis & vnius disputatio apud Platonem in duobus locis reperitur, in Parmen. & sophista. *Io. Pic. Mir. de ente & vno, c. 2.*

Ens

Ens vnum, verum, & bonum omnia ambiunt, sic accipiantur ita vt earum negationes sint nihil, diuisum, falsum, & malũ: sed posteriores Auicennam secuti addiderunt aliquid, & res & hæc aliter in Deo qui à se eas habet, aliter in his, quæ sunt post Deum, nam alia ab eo habent. *idem, ibid. cap. 8.*

Ens, vt mobile.

Ens sua natura nec stat, nec mouetur. *Plat. in sophist.* Ens & quantum non sunt idem nam & alia præter quantum multa sunt, nam incorporea natura à quanto remota est, & materia incorporea est, & quantitas non est quanta. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 9.* Ens nec corpus est, nec quod corporibus est subiectum, sed corporum subiectique esse oportet in non esse versari. *idem, En. 3 lib. 6. cap. 6.*

Entia si sustuleris, nihil penitus apparebit eorum quæ sunt in vniuerso. *Plot. En. 3. lib 3. cap. 13.* Ens & semper ens non differunt, sed doctrinæ gratia semper adiungitur, ita vt verè ens significet. *idem, En. 3. lib. 7. cap. 5.* Ens nullum vnquam disperditur. *idem, En. 4. lib. 7. cap 14.* Ente in ipso simul sunt hæc intelligere, viuere, esse *idem, En. 5 lib. 6. cap. 6.*

Enti magis accommodata est notio status, quàm notio motionis: ibi enim viget quod dici solet secundum eandem, eodemque modo, & vna ratione se semper habere. Esto iam status genus vnum à motione diuersum, quandoquidem & contrarium videri potest, & ab ente diuersum est: nam alioqui & motus idem erit cum ente. *Plot. En. 6. lib. 2. cap. 7.* Entis multæ sunt species, est & genus. *idem, ibidem.*

Entia fundantur in numero: fontem, radicem, & principium habent, nam ipsius entis vnum ipsum principium est, & in hoc est ens, alioqui dissiparetur. non tamen in ente fundatur vnum, alioquin iam vnum esset priusquam assequeretur vnum. *Plot. En. 6. lib. 6. cap. 9.* Entia omnia, vel opera Dei sunt, vel naturæ, vel artis, *Chal. in Plat. Tim.*

Entium alicuinaturæ quod primo inexistit, omnibus adest secundum illam naturam ordinatis, vna ratione, & eodem modo *Proc. elem. Theo prop. 19.* Ens omne potentia, ex ente actu id, quod est potentia, in actum progreditur, & quod quadantenus in potentia ex ente quadantenus in actu quatenus ipsum est potentia, ens autem quod omnino potentia est, ex ente, quod omnino in actu est. *idem, ibid. prop. 77.* Ens à pluribus participatur, quàm sempiternitas *ibid. prop. 87.* Entia omnia, & omnes entium ornatus, inquantum progressa sunt in quintum etiam deorum ordinationes. *ibid. prop. 144.*

Enti non solum duo insunt, vnum scilicet, & essentia, sed etiã tertium, scilicet alteritas. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap 82.*

Ens si nõdum stat, non est concludendum, ergo mouetur vel si nondum mouetur, ergo stat hæc enim consequentia in rebus ipsis statu motuque inferioribus vim habere potest, sed in ipso vno, quod est superius ente, & in ipso ente, quod est superius motu & statu, vim non habebit. nam & vnum & ens ipsum nec stat nec mouetur, vt nec status stat nec mouetur, nec motus mouetur nec stat. *idem, in Plat. sophist cap 51.*

Ens videtur quasi concretum significare, essentia vero abstracta. sæpe vero, sermonis gratia, aliud pro alio ponitur. *Fic. in Plat. sophist. cap. 54*

Ens diuisione totius in entia deriuatur. vnitas non diuisione, sed repetitione totius, in vnum hoc & illud se diffundit, vnũ diuisione semper multiplicatur, ens diuisione minuitur. *idem in Plot. En. 6 lib 9. cap. 2.*

Entia quanto eriguntur & tolluntur in altum, & fiunt propinquiora natura ipsi vno, tanto magis Deo participant, & perfectiora redduntur. contra, quæ elongantur magis multiplicantur, & mala fiunt, cùm materiæ viciniora sint, quæ omnium imperfectionum est fons & origo. *Gabri. Bura. de ente & vno lib. 1.*

Ens non dicit defectum, sed excellentiam. *idem, ibidem.* Ens omne vt est particeps entis, ita quoque perfectionis cuiusdã particeps est. *Ia. Carp. in Alc. cap. 4.*

Ens vt sensibile.

Ens corporeum. cùm non sit ens à seipso, ab ipso ente vero habet esse, & ab ipso vere albo album esse accipit; nam & ens & album habent esse participatione entis in corporeo mundo regnantis. *Plot. En. 6. lib. 3. ca. 6.*

Entis rationem magis habent habitus, quàm priuationes. *Fic. in Plat. Parm. cap. 46.* Ens per essentiam habet esse, vt viuens viuere per vitam. *idem, ibid. cap. 77.* Ens sensibile forma sensibili terminatur, sic ens intelligibile forma finitur intelligibili, sic denique ipsum ens ipsa entis forma terminatur. *idem, in Plot. En. 6. lib. 9. cap. 3.*

Ens vt se habet ad non ens.

Enti accedere aliud potest, ad id quod non est nihil accedere potest. *Plat. in sophist.* Ens cum non ente coniungere ridiculum vt esset, Socratem ipsum & Socratis imaginem sub eodem collocare. *Plot. En. 6. lib. 2. cap. 1.*

Ens in non ente non potest esse, at si in ente fuerit in ens incidit totum. *idem, En. 6. lib. 4. cap. 2.*

Ens temporale quodammodo est non enti permixtum. *Fic. in Plat. Parm. cap. 2.* Ens non ens non repugnat quasi contraria, sed introducit vlira ens ipsum vnum entia multa. *idem, in Plat. sophist cap. 37.*

Enti per non ens coniungi non possumus, nec vnitati per multitudinem, nec stabilitati per motum, nec simplicitati per mixtionem, sic nec Deo qui non adhibet se solum soli. *in Plat. Tim. cap. 6.*

Ens hactenus est ignotum, non ens naturaliter ignotum est. *Fic. in Plat. sophist. cap 21.* Ens si dixeris non est, tollis ens, & significat nihilum enti contrarium, si vno ens designare potes quidquid præter formalem rationem entis ipsius excogitari potest, nec est enti contrarium. *idem, ibid. cap 37.* Ens falsum non oportet sub eodem genere vna cum ente vero collocare *idem, in Plot. En 6. lib 2 cap. 1.*

Enthymema quod ait Alcinous esse ratiocinationem imperfectam, Aristotelicum est. *Iac. Carp. in Alc. cap. 3.*

Epicharmi comœdiæ ab Apollodoro Atheniensi in volumina decem collecta sunt. *Orph. in Plot. vita.*

Epicyclus dicitur Globus qui per aliquem circulum fertur. *Cal. Plat Tim.*

Epicurus cùm prouidentiam substulisset, voluptatem sequi præcepit. Gnosticorum sermo autoritatem prouidentiæ propriam, temperantiam iustitiamque extirpat, ac omnem virtutis viam, adeo vt voluptas sola illis relinquatur. *Plot. En. 2. lib. 9. cap. 15.*

Epicureæ sectæ distructio est hodiernæ veræ religionis confirmatio. *Aug. Steuch. de per. phi. lib. 10 cap. 14.*

Epimetheus dæmonum inferiorum exercitum significat. *Fic. in Plat. Protag.*

Epistola non erubescit. *Fic. epist. lib. 10.* Epistolæ habere debent perspicuam bonitatem, acumen elegans, lepidam grauitatem, *idem, ibidem. lib. 3.*

Epistola Platoni adscripta, quæ tertiadecima est, ab omnibus Platonis non esse affirmatum est ideo eum non traduxi. *idẽ Fic. in Plat. epist. 13.*

Equitandi ratio discenda est à teneris annis, antequam corpus obdurescat, dum nerui sine rigore sunt, & membra facilè quoscunque vsus accipiunt. *Fr. Patri. de reg. lib. 3 cap. 2.*

Equites in planiciem prouocare prouerbium. *Plat. in Theat.*

Equi, & asini promiscuè inter se generant, reliquum genus mãsuetorum non commiscentur *Plat. reg.* Equus Ibyceus cum laboribus iam defatigatus esset, & senior sub curru decertaturus esset & ob experientiam quod futurum esset pertimesceret, se ipsum assimilans, inuitus inquit etiam ipse adeo senex ad amorem progredi cogor *Plat. in Parm.*

Equus Lydius nec calcaribus fodiẽdus nec flagello cædendus prouerbium est: quia equos habent Lydi ad currendum perceleres, & sua sponte currentes *Fr. Patr. de rego. lib. 3. c. 2.*

Equitare discant pueri, vt ad spectaculum in equis ob eorum securitatem duci possint. *Plat. de rep. dial 5.* Equorum nec mulorum nec mulius nobis vsus est in creta. *idem, de leg. dia. 8.* Eques & insessor differunt, nam sine arte equum qui ascendit insessor est, eques qui cum arte *Phi. de agric.* Equitis officium est fortitudo in bello, in pace magnificentia. *Fic. epist. lib 3.*

Erebus est materia ipsa generabilium & corruptibilium. *Leo. Heb. de Am. dial. 9*

Eriphyli monile accipere, pro re in perniciem propriam ventura *Plat. de rep. dial. 9.*

Errat semper qui perturbatione concitus, quicquam præter rationem efficit propter inscitiam. *Alc. cap. 31.* Error ibi maxime & grauissime est, vbi reprehendi potius errata possunt, quam corrigi. *Fic. in. epist. lib. 6.* Erroris pœna in aliis est ignorantia, in vitæ principio eligendæ miseria pœna est. *idem in Plat. Phi. lib. 1. cap. 13.* Errores omnes tum manus in apprehendendo, tum pedum in gradiendo ab ipso videndi defectu procedunt. sic errata omnium hominum tum in eligendo, tum in agendo ea defectu intelligentiæ proficisci Socrates arbitratur. *idem, in Plat. Lache.*

Errans in pluribus, sibi ipsi tollit fidem in paucioribus. *Ia. Fran. Pic. Mir in exam. van. doct. gent. lib. 4. cap. 11.*

Error communis tolerabilior est singulari grauior enim culpa eorum haberi solet, qui soli peccant, quàm eorum qui cum multis aliis delinquunt, quorum error reprehendendus magis est quam culpa punienda. *Fr. Patri. de reg. in proæ. lib. 2.*

Erudatio.

Eruditio magnas vtilitates ciuitati affert, nam in bello victoriam affert, quamuis victoria aliquando pariat eruditionis negligentiam. *Plat. dial. 1. de leg.*

Eruditionis caput recta educatio est, quæ ludentis animum in

amorem eius maximè deducit, quod ipsum vbi in virũ perfectem euasit, in ipsius rei virtute esse oportebit. *idem, ibid.* Eruditio ciuis est ea, quæ cupiditatem & amorem inducit, vt fit ciuis perfectus, & imperare & subditus esse cum iustitia sciat. *ibid.* Eruditiones pleræque ex rectè educatis, voluptatibus & doloribus lauantur hominibus, & in via corrumpuntur. *ibid. dial. 2.*

Eruditio est virtus ea, quæ pueris primùm accedit. voluptas, & amicitia, & dolor, & odium si rectè animis accesserint eorum, qui nondum rationem capere possunt, vbi rationem acceperint, cum ipsa consenserint, eo quod à conuenientibus motibus rectè assuefacti sint. hæc consensio vniuersa quidem virtus est, cùm verò ipsius partem, quæ circa voluptates & dolores educata est rectè, ita vt odio habeat ea, quæ odisse oportet, statim ab initio vsque in finem, amet autem quæ amare oportet, hanc ipsam si à ratione rescindere, & eruditionem appellaueris, rectè, mea sententia, appellabis. *Plat. de legib. dial. 2.* Eruditio est tractus & ductus puerorum ad eam rationem, quæ à lege recta dicta est, & à moderatissimis ac maximè senibus per experientiam comprobata, quòd reuera recta est. *idem, ibid.* Eruditio est disciplinæ traditio. *Speusip. in Platonis definitionibus.*

Essæorum vita religiosorum apud Iudæos habuit communia omnia: charitatem mutuam, abstinentiam, & patientiã coluerunt, & diuino cultui intenti semper, adeo animo fuerunt, vt necari quàm Deum negare maluerint, & in cruciatibus ridebant, emittentes animam alacrem, tanquam talem recepturi. animos enim immortales existere putabant, & abstinebant tum animalibus multis, tum omni incontinentia, & ideo inter eos præsagiebant multi, ideóque prophetæ nominabantur. *Porphy. de abstin. vita Essæorum.*

Essæi circiter quatuor millia inter Iudæos sunt, qui summa religione Deo seruiunt, non mactando victimas, sed suasmet ipsorum mentes componendo ad sanctimoniam, vicatim habitant, vrbes fugiunt, propter familiarissimum ciuibus earum vitia, viuunt partim ex agricultura, partim ex opificiis in pace florentibus, benefici in suos & proximos, nullam condentes pecuniam, quotidianum remedium necessitatibus quærentes, soli hominum degunt sine prædiis, sine peculiis, & propter vitæ institutum diuites magis habentur, quàm ob rerum copiam. *Phil. Iud. quòd omnis probus sit liber.*

Esse.

Esse alicubi oportet id quod semper est, & extra vnum, & alia nihil est. *Plat. in Parmenide.* Esse non est aliud quàm essentiæ participatio cum tempore præsenti, vt erat cum præterito, & erit cum futuro, essentiæ est communicatio. *idem, ib.* Esse putantur quæ sunt, & non esse quæ non sunt, & apud nos, & apud omnes alios. *idem, in Minoe.* Est reuera res, quæ est dum manet: & si in alium habitum transit, penitus corrumpetur. *de legib. dial. 10.*

Esse id quod non est aut persuadeat quis redarguendo, quod non rectè dicimus, aut quandiu hoc facere non poterit, dicendum est etiam illi, vt nos dicimus, quod commiscentur inter se genera, & quod est, & aliud, per omnia, & per se mutuo progressa, & aliud quidem vbi particeps est eius, quod est, est quidem propter hanc participationem, non tamen illud cuius particeps, sed aliud. quum autem aliud sit ab eo, quod est; necessariò manifestissimè sequitur esse id quod non est. quod verò est, rursus alius particeps est, aliud ab aliis generibus est. quum autẽ aliud ab illis omnibus sit non est vnũquodque ipsorum, neque omnia alia præter quàm ipsum, quare id quod est citra ambiguitatem infinitis modis, hisque sæpe repetitis non est, sed & alia singula sic & vniuersa multis modis sunt, & multis modis non sunt. *Plat. in sophista.*

Esse superius, omne autem superius æternitate, & ante ipsum, aut est cum æternitate, aut est post æternitatem, vt supra tempus: esse quod ante æternitatem est causa prima, quia est causa ei: esse quod est cum æternitate, est intelligentia, esse quod est post æternitatem, & supra tempus est anima: quia inest in orizonte æternitatis inferius, & supra tempus. *Arist. de causis, c. 3. prop. 2.*

Esse ipsum factum est multa, quia compositum est ex finito & infinito. *Arist. de causis, c. 3. prop. 4.* Esse est prima rerum creatarum, & non est ante ipsum creatum aliud, quia esse est supra sensum, supra animas, & supra intelligentias, & non est post causam primam latius, neque prius causatum ipso. *idem, ibid.*

Esse apud Deum est antiquius vita, & sapientia per se, & per se similitudine: cætera verò quæ sunt participantia ante hæc omnia ipsum esse participant: ideo Deus in primis tanquam ens ex antiquiore bonorum suorum munere celebratur. *Dion. Areop. de diuin. nomin.* Esse, vt post nihilum apparet in creatione primum, sic vltimum in resolutione prope nihilum. *idem, ibid.*

Esse semper quædam post primum necesse est, & quædam in generatione versari, propterea quòd aliunde dependent. non igitur facta sunt aliquando, sed fiebant, & fient quæcunque in generatione versari dicũtur: nec etiam corrumpentur his exceptis, quæ habent in quæ dissoluantur. quod autem nihil in quod resoluatur habet, interire non potest. *Plot. En. 2. lib. 9. c. 3.* Esse verè est nunquam non esse, nec aliter esse. *idem. En. 3. lib. 7. c. 5.* Etsi si à rebus genitis abstuleris, cùm in perpetua acquisitione versentur, subire non esse continget: at rebus, quæ non sunt tales, si ens adiunxeris, accidit è sede ipsius esse labi. *idem, ibid. cap. 3.*

Esse aliud est per se; aliud per accidens. *Procl. in Alcib. 5.* Esse quod aliis largitur, ipsum primo est id quod tribuit donatis. *idem, elem. Theol. prop. 18.* Esse prius aliquid necesse est, quà agere quicquam possit. *Bess. Card. in Trapezuntium, lib. 6. c. 7.*

Esse semper difficilius est, quàm vbique esse: nam quod motionem qualitatis & temporis efficacem excedit, facilius pigras dimensiones excedere potest. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. c. 6.* Esse ipsum prout absolutè cõsideratur, est immensum, quia & infinitis rebus, & innumerabilibus modis communicari potest, & cogitari. & si alicuius esse finitum est, oportet illud esse finiri, vel per ipsius causam, vel per subiectum. neutrum Deo contingit. *idem, ibid. c. 4.*

Esse absolutum omnino cùm non habeant res Deo inferiores, sed esse aliquod, & tale esse, vel tale, ideo non habent vim ad esse omnino auferendum, sed esse hoc modo potius, aut illo. Agentia naturalia enim non habent vim ex nihilo aliquid facere, nec ex quolibet semine omnia generare. *Ficin. Plat. Theol. lib. 5. c. 4.* Esse vt in materia prima idem est, & tenebrosum, & informe esse, sic in summo idem est esse, & formosum, & lucidum esse, imo formam, & lucem esse. *idem, epist. lib. 2.* Esse hoc & istud, vt per hanc formam habetur, & per istam, sic esse simpliciter per ipsam simpliciter formam habetur. *idem, in Dionys. Areop. de diu. nomin.*

Esse per vnitatem omnibus contingit, & per diuisionem amittitur. *Fic. in Plat. Parmenidem, c. 48.* Esse rebus non sufficit, alioqui cùm sint nihil vltra requirerent. quærunt ergo esse cum bono, & bene esse. bene autem sunt, si vel integrã naturam suam seruant, vel restituunt; hoc fit vnione partium inter se, & ad totum, & ad causam. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 5.*

Esse vbique est per formam, & vt habetur forma sic habetur & esse, & vicissim. ideo coniectamus essentiam primam esse formam primam. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. c. 19.* Esse & intelligere idem est, esse & discurrere non est idem: ideo semper intellectus intelligit, non semper autem æquè discurrit. *idem, in Plot. En. 5. lib. 3. c. 3.*

Esse Deus possidet à se, in se, pro se: Angelus non à se quoniam à Deo, sed in se & pro se: Anima rationalis neque a se, quoniam fit ab alio, nec pro se ipsa tantùm, quia ipsum communicat corpori; esse tamen habet in se, quia eius esse in sua fundatur essentia, eiúsque essentiæ est actus proprius at forma corporalis nec à se, nec in se, nec pro se. *Fic. Plat. Theol. lib. 15. c. 2.*

Esse ipsum est actus substantialis, imò totus rei totalis actus. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 2. c. 1.* Esse est actus quidam per essentiam suam in esse concreto. *idem, in Plat. Parmenid. cap. 48.* Essendi reuera Deus est causa, essendi verò hoc, vel illud, hoc vel illo modo, aliæ quædam præter Deum sunt causæ: vt quod sis à Deo solo habes, quod sis homo, etiam ab homine. quod sis calidus ab igne. *idem, Plat. Theol. lib. 5. c. 13.*

Essendi principium supra ipsum ens collocant Platonici, nominántque ipsum vnum atque bonum. In ente primam essentiam, primam vitam, mentémque primam cogitant. *Fic. in Plot. En 5. lib. 5. c. 1.* Esse vbique eo modo quo Deus dicitur à Theologis esse vbique, per essentiam scilicet, per potentiam, & præsentiam, Dei proprium est, & nulli creaturæ potest compétere. *Io. Pic. Mir. in Apolog.*

Esse aliquid eiusdem rationis contingit duobus modis. vel in ratione repræsentandi, vel in ratione essendi. *Gab. Buratellus de iden. lib. 1.*

Esse præceditur à non esse in omni generatione, & productione, & hoc vel priuatiuè, vel positiuè. *idem, de mundo, lib. 7.*

Esse positiuum præceditur ab omni non esse positiuo, non modò natura, sed etiam tempore; at in bis quæ fiunt ab æterno per simplicem emanationem non esse priuatiuum præcedit esse positiuum non tempore, sed natura. *idem, ibid.*

Esse de se dicit quid permanens, motus verò quid de genere successiuorũ. æternitas verò entis permanẽtis *idẽ, de tẽp. lib. 8.*

Esse verum & bonum inter se conuertuntur. *Leo Heb. de Amo. dial. 1.*

Essentia

Essentia diuisio.

Essentiam alij corpora tantùm esse affirmant, nolentes audire, si quis essentiam incorpoream esse dicat; alij quasdam intelligentiæ subiectas & incorporeas species veram essentiam asserunt, & illorum corpora productionem quandam appellant. *Plato in Sophista.* Essentia non distribuitur in plures partes quàm vnum, sed in æquales cum vno; nec id quod est ab vno abest, nec vnum ab eo quod est, sed adæquata sunt duo hæc semper per omnia. *idem, in Parmen.*

Essentiæ species duæ existunt, sensibilis, & intellectualis. *Aristot. Theolog. Ægypt. lib. 7. c. 5.* Essentiæ duæ sunt, per quas cuncta gignuntur, mundúsque ipse, quarum vna sola cogitatione concipitur, altera subijcitur sensibus: illa quæ mentis oculis comprehenditur semper & eodem modo & sui par & similis inuenitur, vt quæ verè sit: at alia opinione sensibili existimanda est. *Apul. de dog. Plat. lib. 1.*

Essentia triplex, vna quæ constat ex corpore, altera quæ materiam informem considerat, tertia cui accedens effectum perficis, eámque exornat impressione formæ: ex qua forma, quam insigniuit ars, idque perfectum est, nomen accipit, vt statua ex similitudine formæ cuius est statua. *Chalcidius in Tim. Plat.* Essentia duplex, corporea, incorporea. *idem, ibid.* Essentia mutatur quod à mobili procedit essentia. *Procl. elem. Theol. prop. 193.*

Essentia quid est.

Essentia est ens vnà cum aliis simul adiunctis, videlicet motu, statu, identitate, alteritate: atque hæc sunt essentiæ elementa, totum verò est essentia. *Plot. En. 2. lib. 6. cap. 5.* Essentia sunt omnia quæ in diuinis sunt. *idem, ibid.* Essentia vera est vis quædam non in mole, sed in virtute quadam molis expers consistens: & à mole similibúsque soluta est, & in se ipsa fundata, & per se viuens, intellectualis maximè, quod animal intellectuale vocatur, vbi numeri omnes sunt ante actum, intellectuales & vitales. *Plot. En. 6. lib. 6. c. 8.*

Essentia, vita, intelligentia sunt tres quædam particulares perfectiones formaliter inter se distinctæ. ipsa igitur per se perfectio, antequam in tres eiusmodi diuidatur, indiuisa est, & ita permanet semper in seipsa, & hoc esse indiuiduum est ratio ipsius vnius, & perfectio ipsa simpliciter. *Ficin. in Plot. En. 6. lib. 9. cap. 2.* Essentia manifestè significat rationem rei cuiusque formalem, innuit quoque esse tanquam actum essentiæ proprium. *idem, Plat. Theolog. lib. 17. c. 2.*

Essentialitas est apud metaphysicos simplicior quàm essentia. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nominib.* Essentia videtur esse quædam vita nascens, & cognitio, præsertim intellectualis, vita prorsus adulta, essentiæque vestigium vbique sub ratione formæ esse videtur: per formam enim vnumquodque esse videtur. *idem, in Plot. En. 1. lib. 4. c. 3.*

Essentiæ intima actio, siue vita, siue motio, siue cognitio nuncupetur, non per se quidem bonum est. per superius autem aliquid auctum, & fit bonum, quantum à bono naturaliter procedendo habet aliquid ipsi bono simile, & ad bonum se conuersendo simile quiddam rursus efficitur. *Fic. in Plotin. En. 1. lib. 7. in argum.* Essentia & si in creatis rebus ab esse differt, non tamen necessarium est quicquid quoquomodo dici ens possit, ex essentia & esse sine existentia tanquam ex partibus componi. *I. Fr. Pic. Mir. in epist. ad An. Faucn.*

Essentia proprietates.

Essentiæ absentiam, cum non est, dicimus. *Plat. in Parmen.*

Essentiam quæcunque complent, non sunt qualitates, sed actiones, vel actus sunt earum à rationibus essentialibus que potentiis orientes: sed qualitates sunt, quæ extra totam essentiam sunt. *Plot. En. 2. lib. 6. c. 3.*

Essentiis excellentioribus præcipua munera ipsius esse ipsum bonum distribuit, nec ipsum esse omnium entium deferuit, ipsum enim ipsum esse ex Deo, qui est ente excelsior; & illius est ipsum esse, neque vicissim; in illo est ipsum esse, nec conuersim; & esse ipsum participat illum, neque is contra. Illa quinetiam tanquam excellior essentia, est ipsius esse æternitas, & principium, & mensura, immo entis, & æternitatis, & omnium, principium efficax, & medium, & finis. *Dionys. Areop. de diuin. nomin. b.*

Essentiam quandam ex qualitate compleri non est absurdum, vbi essentia sit ante qualitatem, ipsum verò tale extrinsecus accidat, essentiâ verò quæ habent, tanquam essentialia possidere. *Plot. En. 6. lib. 2. c. 14.* Essentia minus conuenit accidentibus, quàm substantiæ. *idem, En. 6. lib. 3. c. 7.* Essentiam nullam intelligibilem in sensibilis substantiæ ordine relinquimus. *ibid. c. 16.*

Essentia & esse vt non est sensibile quicquam, sed intelligibile, quamuis sensibile eorum fit particeps, sic & vnum circa sensibile secundum participationem quandam consideratur, intelligibile tamen est, & cogitatio ipsum modo intelligibili percipit, & in percipiendo ab alio intelligit aliud quod non videt. *Plo. En. 6. lib. 6. c. 13.* Essentia & ens in vniuerso ente & essentia idem est & vnum, adeo vt qui inuenerit ens inuenit etiam & vnum. *idem, En. 6. lib. 9. c. 2.*

Essentia duplex altera indiuidua, altera per corpora diuidua: & indiuidua est ea cuius generis sunt omnia æterna, & sine corpore, quæ intelligibilia dicuntur: diuidua verò, quæ corporibus existendi causa est. *Chalcid. in Timæum Platonis.*

Essentiæ rerum natura comparatum est vt ita inter se differant, vt & propriæ rerum perfectiones. *Procl. in Alcibiad. 1.* Essentias rerum cùm perscrutamur, considerandum est vtrum essentia rei sit ex earum numero quæ indiuiduæ sunt, vel ex earum genere, quæ circa corpora diuiduntur, vel earum quæ in medio collocantur: item vtrum essentia sit æterna, an per omne tempus existens, an in aliqua temporis parte fiat: rursum an sit simplex, & ante compositionem existens, an composita; an indissolubilibus vinculis sit composita, an possit vicissim aliquando in ea ex quibus componitur resolui. quibus consideratis poterimus considerare etiam bonum quale sit. *idem, ibid.*

Essentia, quæ non dissecatur & in suo statu permanet, ex intellectilibus est, in breue, & purum contracta; quæ verò in corpora, est diffusa & multiuaga. hæc quod sensibile est præbuit. *Plutarch. Plat. quæst.* Essentiam impossibile est ponere permanentem penitus & à mutatione secretam, & semper eodem modo se habentem, quæ tamen interea aliquando perfectas & bonas actiones, & aliquando peruersas & imperfectas edat; cùm ab essentia habitus & actus fiunt. *Priscian. in Theophrast. de phantasia & intellectu, c. 18.*

Essentiam immutabilem habet quicquid ab immobili fit. *Bess. Card. in calumn. Plat. lib. 2. c. 5.* Essentiam vlterius proficisci oportet quam vitam, non tamen vsque ad materiam procedit essentia: siquidem nec formas in qualitate essentia definit. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 8. c. 3.*

Essentia & actus aut inter se differunt, aut non: si differunt, essentia secundum se imperfecta, est perficienda scilicet per actum: si nullo modo differunt, sicut actus est multiplex, quia absolutè multiplex, sic & essentia multiplex est. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 3. c. 12.*

Essentia cum ipso entium ordine sit tempore prior quàm intelligentia, maximè in primo ente est saltem origine prior: ipsa igitur essentia in primo originis signo, secundum seipsam, nondum est intelligens, nec intelligibilis actu, nisi suboriatur in se facultas intelligendi, quæ facultas non fit intelligens actu, nisi cum intelligibili copuletur. *Ficin. in Plot. En. 5. lib. 6. c. 2.*

Essentiam omnia suam per sapientiam si reportant, sequitur vt sapientia prima sit vt essentia prima. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 8. c. 5.* Essentia omnis cùm ad actum pro viribus tanquam ad melius & superius aliquid nititur, principium eius cogitare decet tanquam actum essentia longè superiorem. est igitur omnis essentiæ dominus, ergo non essentiæ nec naturæ seruus, sed liber, & quatenus non aliunde seruatus ipse se seruat, dicitur & generare seipsum generatione sempiterna. *idem, in Plot. En. 6. lib. 8. c. 20.*

Essentia illa quæ est animæ sedes, quam etiam animarum paternam Plato nominat in Timæo, nullam habet originem à corporibus, atque etiam neque ex partibus quantitatis constituitur: nam hæ partes solis corporibus & qualitatibus insunt, non autẽ formis à corpora separatis. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 5. c. 5.* Essentia omnis per se immortalis est, ergo & esse quod ab ipsa essentia capitur, quoniam à re immortali per modum immortalem capitur, efficitur immortale: ideo forma quæ est à materiæ societate seiuncta, tam secundùm suum esse, quàm secundum suam essentiam est immortalis: talis est essentia tertia totius rationaliũ animarũ. *idem, ib. c. 7.*

Essentia differt ab esse: nam essentia est rei ratio quæ definitione comprehenditur, esse est actus essentiæ, & quædam in rerum natura compræsentia. *Fic. Plat. Theol. lib. 5. c. 7.* Essentia, quæ primo effundit qualitatem aliquã, & amplectitur, suscipitq; primo; quia perfectè agit vtrunque per totũ. *ibid. lib. 6. c. 12.* Essentia nulla, vt essentia, habet aliquid cõtrariũ. *ib. li. 12. c. 6.* Essentia vna sufficit viribꝰ deabus instructa, ita vt p vnã efficiat species, p alterã capiat. *ib. lib. 15. c. 11.*

Essentia, vita, intellectus, inter se differũt, quia intellectus paucis, vita pluribus, essentia quamplurimis adest. *Fic. in Dionys. Areop. de trinit.* Essentia quęlibet creata vel rationalis, vel angelica vnitatem quidem illam habet, quæ superessentiale quiddam est, sed id possidens in essentia merito id essentiale totum proprietate. *idem, in Dion. Areop. de diu. nomin.*

Essentiam longissimè vbique Plato à generatione distinguit, & quæ fluens fieri quidem, sed non esse. *Fic. in Plat. Parmen. c. 42.* Essentia quælibet naturalẽ sibi multitudinẽ possidens

ab initio,atq; interea est aliquid vnũ. *idẽ, in Plo. En. 6. li. 9. c. 2.*

Essentia, vita, cognitio, appetitus, actio, per quosdam oppositorum modos inter se distinguuntur, essentia quidem statui, vita verò motui similis est, item vita motui racto, cognitio reflexo: præterea essentia pariter & vita solum suæ formæ tenet proprietatem, cognitio omnibus se conformat, & cognitio res vt sunt in ipsa percipit, appetitus non ita petit, sed vt sunt in ipsia, denique appetitus in appetente manet, actio transit in catera. *idem, in Plo. Parm. cap. 46.*

Essentia per bonum perfecta vitam habet, vita per bonum perfecta mentem habet, mens perfecta per bonum veritatem, gaudium, fælicitatemque tum possidet. nam ipsum primum bonum simpliciter, & singulariter est omne bonum *Ficin. in Pla. Parmen. cap. 45.* Essentia qua ratione simpliciter essentia est nulla in seipsa quiescit, sed actionem edit, & ad rationem pergit ratione boni: quid ergo appetit non esse, iam enim est, amequam appetat: nec appetit magis esse, vel aliud esse quàm sit, quæreret enim præter naturam speciem permutare, non enim suscipit magis & minus: nil ergo aliud appetit quàm bonum essentiæ condimentum. *idem, ibidem. cap. 46.*

Essentia non suscipit magis vel minus. *Fic. in Pla. Parmen. cap. 46.* Essentia melius se habet gradatim per bonum, non per se, nam per bonum proficit. *idem, ibid. cap. 47.* Essentiæ formalis perfectio vltima est intellectualis forma, huius formæ perfectio est actualis, vt ita loquar, intelligentia, hæc verò plurimum sui entis habet quando certissima est. *Idem, ibid.* Essentia nulla in seipsa quiescit, sed per actiones contendit ad bonum. *ibid. cap. 49.*

Essentia, vita, intellectus, differunt inter se ratione formali; nã differentes diffinitiones habent. *Fic. in Pla. Parmen. cap. 47.*

Essentiæ in ratione & intelligentia quod non includitur extrinsecus aduenit, & illi additum compositionem efficit, quoniam nulla essentia intelligi potest sine his, quæ partes eius sunt, & omnis essentia potest sine esse intelligi. nam intelligere possumus quid phenix, et si non sit in rerum natura. esse ergo, & essentia differunt. *idem, in P. a Phil. lib. 2.*

Essentiam ratqui ignorat, & veritatem ignorat. *Fic. in Pla. Theatet.* Essentia per idem habet, vt & secum ipsa, & eius congruat, per alterum & quodammodo in se distinguitur, & multò magis à cæteris. idem, & alterum vt existant, ambo ab essentia sortiuntur: sed idem à seipso conuenientiam possidet, ab altero differentiam: alterum verò à se differentiam, sed ab eodem congruitatem & ordinem. *idem, in Plat. Timæum, cap. 32.*

Essentia in ipso rerum ordine annectitur ad vitam quatenus quidquid ast, ad motum & generationem inclinatur, motus & generatio vitale aliquid præsefert. *Fic in Plot. En. 1. lib. 4. cap. 3.* Essentiæ perfectio vita est, vitæ vero cognitio. *idem, ibid.*

Essentia nulla in vniuerso rerum ordine in seipsa quiescit, sed omnis naturaliter & semper tota virtute sua nititur ad agendum, idque naturale munus per proprium essentiæ omnes non aliunde quam à prima essentia sortiuntur. *idem, in Pl. Enn. 1. lib. 7. in arg.*

Essentia rei aliud est ab existentia, existentia rei illud est quo res est, hoc est existit. essentia illud est quo res certam speciem adipiscitur, vt equi, vel bipedis. *Io. Pic. Mi. in responsione 2.* Essentia & id enim est essentia sunt idem secundum naturam, & ad inuicem loco & subiecto non distinguuntur sunt item multa & distincta inter se & ratione: quia illud enim est essentia, dicit illud idem, quod essentia, sed confusè & indistinctè. *Gabriel Buratellus de ente & uno, lib 2.* Inter essentiam, eiusque priuationem, nullum prorsus interiacet medium. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Essentia quæ participant, & à quibus est.

Essentia nihil participare potest, nisi vel fuit vel est vel erit. *Pla. in Parm.* Essentiæ in omnibus partibus vnum adest, vt neque à maiore, neque à minore, neque vlla alia parte absit. *idem, ibid.* Essentia participare fieri est, ab essentia discedere est perire. *ibid.* Essentia pura magis participent omnis virtutis species, quam omnium obsoniorum. *idem, de rep. dial. 9.* Essentiam omnia habent per ens primum, & viua mouentur per essentiam suam propter vitam primã. *Arist. de causis, cap. 3. prop. 18.*

Essentiam componit Plato ex quatuor elementis, vno, multitudine, termino, & infinito: mihi autem videtur vnum prius esse termino, & multitudo prius infinitate ad essentiam componendam.; nam prius est vnom ia se quàm terminet aliud, & prius multitudo consideratur vt simpliciter multitudo, quàm vt in infinita. si considerentur respectu creatoris, vnum & terminum præcedunt opposita; si respectu creaturæ, sit fortè vicissim, vt multitudo & infinitum opposita præcedere videantur. si simul creator & creatura videntur, fortè præcedit vnum simul cum multitudine, terminus autem simul cum infinito ad essentiam componendam; mox in essentia iam quasi composita nascitur motus & alteritas propter multitudinem & infinitum, status & identitas propter vnum & terminum. *Fic. in Plat. Phileb.*

Essentia vt incorporea.

Essentiam incorpoream esse patet, si anima iusta vel iniusta, sapiens vel insipiens est; cùm nemo audeat dicere iustitiam, vel sapientiam corpora esse. *Pla. in sophista.* Essentiis spiritualibus aliquot subsunt species, aliæ cœlestes, vt in stellis locatæ, aliæ cœlestes in orbis inde situaliter locatæ, quia existunt incorporeæ, nec stellis tantùm, sed sphæris totis indifferenter præsident. *Arist. Theol. Ægypt. lib. 4. cap. 7.*

Essentiæ omnes, animæ & vitæ expertes, per ipsum bonum sunt, & per idem essentialem habitum reportant. *Dionys. Areop. de diu. nom.* Essentiam superessentialem, qua superessentialis est, non est propositum nostri sermonis explicare (id enim ineffabile est, & cognitionem & expositionem antecellit, ipsamque exuperat vnionem) sed celebrare quæ ab essentia illa procedunt. *idem, ibidem.*

Essentia vera regnat in mundo intelligibili, cuius præstantissimum est intellectus, & illic animæ adsunt incorporeæ, & inde venerunt in hunc mundum, corporibusque infusæ sunt, & per corpora diuisæ. *Plot. En. 4. lib. 1. cap. 1.* Essentia quod perfectum est, id est ante intelligentiam: ideo illi non est opus intelligentia, cùm ante hanc sufficientes existat. itaque non intelligit. *idem. En. 5. lib. 6. cap. 2.*

Essentiæ primæ pulchritudo, suapte natura viuentis, est intelligentia sua, conuersa semper ad se ipsam, & ad ipsum bonum. & videtur illam tribuere visionem ipsam, vtque simul qua magis viuat, efficaciusque viuens cernat, atque perspicacius quod videt efficiatur. nam ab illa essentia & penes illam permanet vita, intellectus entia in æuo consistunt, nihil inde discedit, nihil vertit, & nihil dimouet ipsum, nec est ens vltra ipsum, & nihil est illi contrarium, & si esset, inde pati non posset, & quia per se ipsum est, semper est, & plenissimè, & adeo magnum est vt ad se alliceat, rapiatque omnia penitus ex ipso pendentia, satis putantia esse factum, si vel eius vestigium assequantur, quæ sane post hoc quærunt & bonum, & hic mundus ad hoc vt sit vitam, sapientiamque affectat, omnisque anima, & intellectus omnis hoc ipsum quod est optat existere, ipsum verò esse sibi ipsi sufficit. *Plot. En 6 lib 6. cap. 18.*

Essentia prima cùm primum existit ex ipso bono conuersa est ad ipsum, non tam modo quodam intellectuali, quàm instinctu vitali, vt planta vergit ad solem. *Plot. En 6 lib 7. cap. 16.* Essentiæ indiuisibilis bonum æternum esse constat, diuisibilis quoque esse in tempore, & in motu versari mediæ secundum substantiæ ipsius mensuram perfectio quoque perpenditur, & eiusmodi perfectio tempore indiget, sed tempore primo quod incorporeos circuitus possit aptè metiri. *Proc. in Alcib 1.*

Essentia vera verumq; esse penes Deos existit, potentia verò dus ritè ministrans in dæmonibus habet locum, actio denique & effectio per eorum potentiam progressa foras versatur in nobis. *Proc. in Alcib.* Essentia prima idem est, quod & prima forma naturaliter vniformis *Fic. in Plo. En. 3 lib. 6. cap. 23* Essentia prima ex se viua nominatur ipsum viuens ipsumque animal, huius actus in se reflexus nominatur intellectus. quia in hac ipsa substantia sui viua tot ideas inspicit, quot species fabricaturus est in mundo. *idem, in Plot. En 6. lib 1. cap. 25.*

Essentia prima, id est diuina mens, vbique tota est, similiter mundi anima: nec multitudo partium mundanarum impedit, quo minus vna sit vbique tota. nec vnitas primæ mentis & animæ prohibet, quin multæ præterea sint mentes & animæ. *Fic in Plot. En. 6. lib. 4. cap. 4.* Essentia prima per actum vitalem conuersa ad ipsum bonum sit boniformis, & propter formam suam multiplicabilem vnum boni donum in formas plurimas in se deriuat, ipsa videlicet Dei potestate. *idem, in Plot. En. 7 lib. 7. cap. 25.*

Essentia prima ad primum bonum naturaliter agit quod superius est essentia. actuque eius, & vita & intellectu: non ergo propriè dicendum est esse, viuere, agere, intelligere. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 7. cap. 19.*

Essentia suapte natura à magnitudine, numero, tempore, qualitate simpliciter est abstracta. *idem, in Plat. Parm. cap. 47.*

Essentia vera conuenit rebus incorporeis, imaginaria corporeis. *idem, in Plat. sophist.*

Essentiam veram cùm dicimus, primo intelligimus essentiam primam, scilicet intellectum, & intelligibile primum: deinde & quamlibet indiuiduam stabilemque substantiã, primò

igitur

igitur perfectiones & proprietates ad veram essentiam pertinentes sunt in essentia prima deinde in sequentibus. *Fic. in Plat. sophist. cap. 30.*

Essentia omnis vera, idest indiuisibilis, & æterna habet omnes perfectiones ad perfectas essentias necessarias, quæ sunt, vt non solum sit, sed vt viuat, & intelligat. vita enim est prima essentiæ perfectio: intelligentia verò, idest cognitio, prima quidem perfectio est vitæ, secunda essentiæ siquidem essentia naturaliter contendit ad vitam, vita ad intelligentiam proficiscitur, per quam in se & essentiam reflectatur. Omnis igitur essentia vera animam, & motum, idest vigorem & actum vitalem habet, & insuper sapientiam, idest intelligendi & cognoscendi virtutem: nec intelligentiam habere potest nisi per animam, idest per vitam quodammodo præcedentem. *Fic. in Plat. sophist. cap. 30.*

Essentiæ vera portio vsque ad ipsas sphærarum mundi substantias se extendit: in quorum essentijs priuatio nulla deprehēditur. *Fic. in Plat. En. 1. lib. 8. cap. 3.* Essentia prima simpliciter essendo omnia procreat entia, & vt est in causa vt omnia esse habeant est etiam in causa vt tale esse habeant, nam esse tale ex ipso esse simpliciter dependet. *idem, in Plot. de proud. cap. 13.*

Essentia prima est prima forma, prima forma est primus intellectus, & si forma & intellectus est re ipsa idem, idem etiam est esse & intelligere. *Fic. in Plot. de proud. cap. 19.*

Essentia rerum spiritualium ac æternarum ex parte naturę longé maior ac manifestior, quàm essentia rerum corporearum, atque corruptibilium existit. *Leo. Heb. de Amo. dial. 1.*

Essentia, vt differt ab vno.

Essentia & vnum differunt nam essentia qua ratione est essentia nec multiplicabilitatem excludit, nec separationem affert. vnum verò qua simpliciter vnum, immultiplicabile est, & ab omnibus secretum. quapropter si essentiæ addas vnum nihil essentiæ detrahis, quominus essentia sit, ac perfecta. imo perficies: at si vni addas essentiam, vnius simplicitatem é medio tolles. *Fic. in Plat. Parm.* Essentia est quasi quidam processus ab vno. *idem, ibid.* Essentiam appellamus totam entis progressionem, & in progressione stabili identitatem. *idem, in Plot. En. 2. lib. 6. cap 1.*

Esus, hominis facultas id quod resiccatum est impleus, refrigeratio voluptas. *Plat. in philebo.*

Euangelium perpetua debet esse lectio christianorum. *Io. Fra. Pic. Mir. epist lib. 3.*

Euclides fuit temporibus primi Ptolemæi, iunior Platonis familiaribus, antiquior Archimede. *Procl in Eucl. lib 2. cap 4.*

Eunuchi ænigma est. vir non vir. videns non videns, percussit non percussit, lapide non lapide. auem non auem. super arbore non arbore. idest eunuchus lusens percussit pumice alam vespertilionis super sambuco. *Fic. in Plat. de rep 5.*

Euticlem ferunt intimo vexatum dæmonio sibimet aduersari solitum, & aduersa sibi aut alijs prædicere. *Fic. in Plat. sophist. cap. 32.*

Euthyphron siue de sancto non nulli platonicorum vt & Euthydemum, & Hippiam litigiosum vocauerunt: sed reuera dum falsas de sancto opiniones Socrates confutat, venantibus veritatem illius vestigia signat. *Fic. in proe. de sancto.*

Excandescentia est ira nascens modico post tempore desistēs, quod si diutius manet fit odium, quod comitatur discordia. *Fran. Patri. de reg lib 4. cap. 10.*

Excessum, & defectum inspicere debemus, quo proratione laudemus vel vituperemus ea quæ longius quam conuenit, vbi vis dicuntur, itemque contraria exercitia. *Plat. de reg.*

Exempla velut obsides sermonis sunt. *Plat. in Theæte.* Exemplis ablatis difficile est maiora ostendare iuste. *idem, in dial. de reg.* Exempli origo tunc est, cum id quod idem est in alia diuulso recta opinione apprehenditur & ad aliud confertur, vt ambo simul vnam veram opinionem efficiant. *idē, ibidem.*

Exemplaria dicimus in Deo rationes substantificas rerum ante hæc omnia singulariter existentes, quas Theologia prædestinationes siue prædiffinitionia vocat, & diuinas, & bonas voluntates rerum definitrices omnium, & effectrices, per quas ipse super essentiam Deus, quæ sunt omnia præscripsit, & produxit. *Dion. Areop de diu. nom.*

Exempla ex notionibus tradere debemus. *Fic. in Plat. Phi. lib. 1. cap. 28* Exempla non vsitantur in scientia demonstratiua, tamen vsitantur in rebus non sensibilibus, quæ non intelliguntur nisi per comparationem. *Gab. Bura. de materia & persuasione, lib. 10.* Exemplorum veritatem in ipsis præceptis non esse exquirendam, tritum est in peripateticorū schola. *Iac. Car in Alc. præfatione.* Exemplaria in artificialibus admittis Aristoteles, in naturalibus non. *idem, in Alc. 2. dig.*

Exercitatio, Exercitium.

Exercitatio de quauis re facilior est in minoribus, quam in maioribus. *Plat. in dial. de reg.* Exercitationis magistri non omnibus idem exercitium tribuunt. *idem, ibidem.* Exercitij philosophici modus est, vt non solùm si est vnumquodque proponat, & ea quæ contingunt ex proposito consideret, sed etiam si non est idem hoc proponat. *Idem, in Parme.*

Exercitatio fit in affectionibus in quibus à natura solemus insigniter confidentes esse, & audaces, vt quam minimum impudentes, & audacia referti simus, sed timidi ad audendum vt quodcunque turpe dicamus aut patiamur, aut etiam faciamus & hæc sunt in quibus tales sumus, ira, amor, contumelia, imperitia, lucri studium, ignauia, diuitiæ, pulchritudo: fortitudo, & omnia quæ per voluptatem ebrietatem inducunt, ac dementes efficiunt. *Plat. de leg. dial. 1.*

Exercitiorum & doctrinarum curatores eligantur, qui ornatus & institutionis, & reliquæ cires hæc diligentiæ curam gerant vt & pueri, & puellæ ludum, & præceptores commode adeant. *Plat. de leg. dial. 6.* Exercitatio mediocritas est, non perfectio; fit enim non imperfectis animis, sed tantùm ad fastigiū tendentibus ac custodiæ perfectam officium, est memoriæ mandare contemplatiua exercitia sanctorum. *Phi. Iud. de eo quod det. potioribus insid.*

Exercitatio corpus seruat: ignauia hebetat & effeminatos reddit homines. *Fran. Patric. de rep lib. 2. cap. 8.* Exercitatio est optimum ciborum condimentum. *Fran. Patri. de rep. lib. 3. cap. 8.* Exercitatione ea nemo læditur qua fit meliore. *M. Ant. Natta de pulchro. lib. 4.*

Exercitus

Exercituum ducum summa causa est in bello victoria. *Plat. dial. de sancto.* Exercitus mali post victoriam ob rapinam periere *Idem, de rep. dial. 5.*

Exercitus duces legum custodes proponant, eligant de propositis omnes, qui sua ætate bello interfuerunt, aut etiam subinde sunt si verò quispiam ex non propositis alicui præstantior esse aliquo ex his qui designati sunt videatur, nominato eo pro quo alterum assumendam proponit, præstito iureiurando alterum in illius locum proponat; vter autem suffragijs prælatus fuerit, eius electio approbetur tres autem quibus plurima suffragia obtigerint belli duces sint, curatores eorum quæ in bello decreta sunt, velut legum custodes: ordinum præfectos sibi ipsis proponant electi duces duodecim, cuilibet tribui præfectum, fiant autem & hæc velut circa exercitus duces fiebat, vt alter pro altero proponatur & tum in electione per suffragia, tum in eorundem approbatione præfectus ordinum constituatur. *Plat. de legibus, dial. 6.*

Exercitus à legum custodibus in locum capacissimum colloсetur, vt seorsum sint milites armati, seorsum equites, tertium locum teneant omnes reliqui qui ad bellum pertinēt, eligantur duces exercitus, & magistri equitum ad omnibus, ordinum præfecti ab his qui scutum gestant. Tribuni ab omnibus equitibus. at leuis armaturæ, aut sagittariorum, aut reliquorum ad militiam spectantium duces ipsi sibi ipsis exercitus duces constituant. equitum magistros proponant qui exercitus duces proponebant, electio vero & alterius pro altero proposito eadem fiat quemadmodum circa exercitus duces, eligant ipsos equites coram spectantibus peditibus. duo verò quibus plurima suffragia obtigerint, omnium equitum duces sint. liceat autem in ferendis suffragijs his ambigere. si vero tertiò quis ambigat, decernant hi quibus singulis singulorum in eligendo suffragiorum mensura diiudicanda & tributa est *Plat. de leg. dial. 6.*

Exercitu Hebræo bellante cum Amalecitis Mose ad Deum manus eleuante vincebat, at præ grauitate Mose manus deprimente, præualebat hostilis acies. *Philo. Iud. de vita Mosis, lib. 1.*

Exercitus ceruorum tutior est duce leone, quàm leonum duce ceruo. *Fran. Patri. de reg lib. 1. cap 13.* Exercitus est animal quoddam homini persimile, cuius caput sit Imperator, acies instructa pectus, ac thorax, pedites manus, equites pedes. *idem, ibid. lib. 5. cap. 7.*

Exercitus vera laus ab Imperatore incipere debet. *idem, de rep. lib. 3. cap. 5.*

Exilium est nouorum malorum initium. *Philo. Iud. de Abrahamo.*

Exilio mulctare ciues Inuidiosum est, & plerunque Immedicabile. *Fran. Patr. de rep. lib. 6. cap. 5.*

Existens primo & principaliter secundum vnumquemque ordinem vnum est, nec duo, nec plura duobus: sed vnigenitum omne. *Proc. in elem. Theo. cap. 21.* Existens semper infiniti potens est. *idem, ibid. cap. 84.* Existere cum seipso, maius est quàm in seipso consistere. *Fic. epist. lib. 2.*

Exiſtimatio, ideſt οἴησις, eſt ſimilis οἶσις, ideſt lationi animæ ad omnes res quæ qualis vnaquæque ſit iudicat. & ſic βουλὴ, ideſt conſilium capere & conſulere, ad iactum pertinent, omnia enim hæc conſequuntur opinionem. *Plat. in Cratylo.*

Exiſtimatio in animo exiſtit, laus in verbis ſæpe mentientium, ideo amplior in laude exiſtimatio. *idem, in Protag.* Exiſtimatio tunc valet, cum ea ſe oritur. *Phi. Iud. de migratione Abraham.* Exiſtimatio eſt recta opinio per coniecturam probabilem. *Fic. in Phi. lib. 1. cap. 7.*

Experientia fieri debet in paruis rebus, iactura enim minus grauis eſt. *Plat. in ſophiſt.* Experientia facit vt vita noſtra ſecundum artes progrediatur, imperitia ſecundum fortunam. *idem, in Gorgia.* Experimentum non eſt ſimile, niſi in materijs & temporibus omnino ſimilibus. *Fic. in Plot. En. lib. 3. cap. 7.* Experientia, niſi cuncta quæ vtrobique circunſtant ſimilia ſint fallit ſæpiſſimè. *idem, ibid.*

Experientia eiuſdem rei, ex ſæpius iterata obſeruatione colligitur. *Io. Pic. Mir. in Aſtro. lib. 12. cap. 1.* Experimentis non eſt authoritas ſuper quibus æquali hominees authoritate non concordant. *idem, ibid. lib. 6. cap. 18.*

Expetentium ipſorum in temperantes, ac intemperantes, vel in honeſtos & inhoneſtos perelegans diuiſio *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Expetentium differentia ab animorum ipſorũ vera, aut apparente duntaxat bonitate, ac pulchritudine originem ducit. *Idem, ibi.*

Expiatio eſt ſanctitatis abolitæ reſtitutio. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 10.*

Expetimus aliquid ſui ipſius gratia, vt voluptas, & gaudium, aliquid alterius ſolum gratia, vt laborioſa, aliquid & alterius & ſui gratia, vt cognitio & proſpera valetudo. *Mar. Fic. in Plat. de rep. dial. 2.*

Expirationem ſtatim ſequitur reſpiratio, tanquam ſubſidium neceſſarium, cum primum enim expiratione expulſus eſt aer ex præcordijs, niſi per arterias & cæteros meatus vndique combibitus aer, eodem momento eadem impleat, quo expiratio hæc exhaurit, repente vacua euaderent præcordia nam expectatus aer ſupernus poſt exſpirationem per ſequẽtem reſpirationem hæc impleturus, tardior adueniet, videlicet ab oppoſito expirationes motu repulſus. quam ob rem niſi iam per inſpirationem ſuppleta fuiſſent præcordia, vel aliquantiſper vacua eſſent, vel tanquam in cucurbitulis humores aſcenderent. *Fic. de expirationе & reſpiratione.*

Externum percutere nemo audeat, ſiue dudum cohabites, ſiue recens aduenerit, nec laceſſens, nec propulſans. ſi vero externum proteruum, & ſe verberantem puniri oportere putaueris, ſoſ repertum illum ad vrbis curatorum magiſtratum perducat. qui externum Deum reuerentes, ſi in iuſtè externus indigenam verberauit, quot verbera intulit, tot ipſi viciſſim per flagellum incuiant, & peregrinam iſtam temeritatem ſedent, ſi non iniuſtè fecerit, minæ, & opprobria ei qui perduxit intententor: & dimittantur. *Plat. de leg. dial. 9.*

Externorum genera quatuor ſunt. primum, quod ſemper & penitus æſtiuum eſt, plerunque per æſtatem apud alios degens, velut volucrum genus, magna ex parte, & ipſum per mare velut volans lucri gratia mercaturam exercens, ſolito anni tempore deuolat ad alias ciuitates. Huc foro, & ædibus, & portubus extra ciuitatem ad ipſam vrbem excipere oportet, vt magiſtratus obſeruent ne quid noui moliantur. ſecundum externis oculis ſpectator eſt, & Muſarum ſpectacula auribus excipit. huic diuerſoria ſint iuxta templa, quo moderato tempore permaneat & viſis, & auditis his, quorum gratia venit, ſine ſuo, & aliorum damno diſcedat. Tertium publicè excipere oportet, quod ob publicum quoddã negotium ex alia regione aduenit, & à ſolis exercitus ducibus, magiſtris equitum, & tribunis militum excipiendum. Quartum quis venire poterit, ſed rarò, ſpectatoribus noſtris ſimilis. poſtquam autem eius, qui diſciplinæ vniuerſæ curã habet, domum accedat, & eius conſuetudine vſus fuerit, diſcedit amicus ab amicis, muneribus & honoribus decentibus honoratus. *Plato. de leg. dial. 12.*

Extremum ab extremo ſine medio non eſt acquirendum, traditum ab antiquis Theologis. *Fic. in Plato. phi. lib. 1. cap. 17.*



F



Abius Maximus, & Lucullus omnium gentium omnes hiſtoriæ memoria tenebant. *Fic. Plat. The. lib. 13.*

Faber lignarius nullus ſit qui eſt faber ferrarius, *Plat. de leg. dial. 3.*

Fabrica eſt meditatio quædam longo vſo continuata, atque trita, quæ manibus perficitur, & materia cuiuſque generis opus eſt ad formationes propoſitum *Franc. Patric. de rep. lib. 1. cap. 9.*

Fabula.

Fabulas neque ipſas fas eſt, ſine capite relinquere, in medio narrationis. vt abſque capite obambulent. *Plat. in Gorgia.* Fabulæ prius pueris ſunt narrandæ, quam quæ mendacium ſunt. ſunt enim in ipſis vera. *idem, de rep. dial. 2.* Fabulæ ſunt recipiendæ quæ dicunt qualis ſit deus, quod bonus, quod nullum bonum damnoſum, quod non eſt damnoſum non lædit, quod non lædit mali nihil facit, nec mali cauſa eſt, vtile eſt cauſa fœlicitatis, & bonum eſt, bonum eſt cauſa eorum, quæ rectè ſe habens. malorum non. *idem, ibid.*

Fabulæ illæ nõ ſunt in ciuitate recipiendæ, quæ perſuadent bellũ fuiſſe inter Saturnũ & Iouem: nec dij cũ dijs bella gerere & inſidias mutuo ſtruere, & pugnare, nec gigantum pugnæ narrandæ ſunt, verum ſi quoquo modo perſuadere poſſimus nullum vnquam ciuem alteri aduerſatum fuiſſe: nec impia pueris narranda ſunt. *Plat. de rep. dial. 2.*

Fabulæ, quarum nomen indicat falſi profeſſionem, aut tantũ conciliandæ auribus voluptatis, aut adhortationis quoque in bonam frugem gratia, repertæ ſunt. primæ, philoſophia explodendæ ſunt, ſecundæ vel argumentum ex ficto locatur, & per mendacia ipſe relationis ordo contexitur, aut argumentum fundatur veri ſoliditate. ſed hæc ipſa veritas per quædam compoſita & ficta profertur, & vocatur narratio fabuloſa, non fabula & hoc conuenit philoſopho. *Macrob. in ſom. ſcip. lib. 1.*

Fabulæ nec procul à vero eſſe debent, & temporibus, quæ narrant, diuidere. & multa à ſe inuicem ſegregare, quæ ſimul ſunt tempore, ordine verò, & potentia diſcrepeant. *Plot. En. 3 lib. 5. cap. 9.*

Fabulæ ſi pueris dicuntur præſeferant faciem veritatis, caſtæ ac modeſtæ ſint. nullam turpitudinis faciem habeant, nihil timoris, aut formidinis incutiant, nec vanam aliquam vel anilem ſuperſtitionem inducant. *Franc. Patric. de regno lib. cap. 7.*

Facere. Facta.

Fieri omnia ſecundum cauſas affirmandum eſt, ideo propinquas cauſas ſingulis facile inuenire poſſumus, & in eas effectus reducere. *Plot. En. 3. lib. 1. cap. 1.* Fiunt ſingula magis ſecundum naturas ſuas, quàm ex ſtellis; conducit ad idem quoque cœli motus concedens tamen genitis & genitoribus quam plurimum. *idem, ibid. cap. 6.* Facere prædicamentum non deberet poni, ſed rectius effectio, aut actus aut motus, *idem, En. 6 lib. 1. cap. 15.*

Facere & factio prædicamentum cur non in relatione ponũtur, & ſi effectionem in relatiuorum genere ponunt cur non & facere prædicamentum conſtituunt, cui cum & motum ad aliquid referant, ipſum moueri non faciunt prædicamẽtum? *Plot. En. 6 lib. 1. cap. 17.* Facere eſt ſiue in ſe ipſum maner, ſiue in aliud agat impetus quidam in aliud ex ſe ipſo quodam erumpens *idem, ibid. cap. 22.* Facere qui neſcit etiam loqui ignorat. *Fran. Patri. de rep. lib. 5 cap. 5.*

Faciendi artes alia diuina, alia humana. *Plat. in ſophiſt.* Faciendi ars eſt facultas quædam, quæ cauſa fit his, quæ prius nõ ſunt, vt poſterius fiant *idem, ibidem.* Faciendi ars diuina duplex, vna id quod eſt, alia ſimulacrum ad vnumquodque, ſequens. *ibidem.* Faciendi ars humana duplex, alia, quæ ipſõ per ſeipſam facit, alia ſimulacrum. *ibid.*

Faciendi ſpectri ars duplex, altera quæ per inſtrumenta fit, altera ipſius qui ſe ipſum exhibet inſtrumentum eius qui facit ſpectrum. *ibid.*

Facere & agere non idem ſunt. nec operari & facere idem ſũt, *Plat. in Char.* Factum quod non eſt corrumpi nequit. *idem, in Phædro.* Faciens vnuſquiſque quod facit alterius gratia non vult quod facit, ſed illud cuius gratia facit, vt mercatur nauigans vt diteſcat non vult nauigare, ſed diteſcere. *idem, in Gorgia.*

Faciens aliquid neceſſe eſt quid eſſe quod ab hoc faciẽte patiatur. *Plat. in Gorgia.* Facta à Deo ipſo volente ſolui non poſſunt, quidquid ligatum eſt ſolui poteſt, at quod pulchre coaptatum eſt, & bene ſe habet, hoc ſoluere velle mali eſt, *idem, in Tim.*

Facta cognoſcere nihil ſapientiæ habet, nam ex facto exemplo videre nulla difficultas eſt. *idem, de leg. dial. 3.*

Faciens effecto eſt præſtantius, ideo cauſa liberior à materia debet eſſe effectu, ideo vis nutriendi à materia multum eſt libera, vis ſentiendi magis eſt libera, quia in ipſo ſentiendi actu formas rerum accipit: abſque rerum ipſarum materia multo magis intelligentia id facit. *Fic. Plat. Theologia lib. 7. cap. 13.*

Faciens

Facies intuentis in oculum apparet in opposito oculo velut in speculo, quam etiam apicem vocamus, vt quæ sit intuentis imago. *Plat. in Alc. 1.*

Facinus magnum, & memorabile non fit absque periculo. *Iac. Carp. in Alcin præfat.*

Factum quodcunque debet quodammodo congruere genere, euadit tamen infirmius. *Plot. En. 3. lib. 8. cap. 4.*

Facultas est terminus, qui terminat ea quæ sunt, ita vt quidquid quamcunque facultatem adeptum est, siue ad hoc vt alteri cuique à natura quid faciat, siue vt patiatur, vel minimum à vilissimo quopiam, idque vel semel tantùm, omne hoc re vera est. *Plato in sophista.* Facultates sunt genus quoddam eorum quæ sunt quibus nos possumus ea quæ possumus, & quod vis aliud, quodcunque tandem potest. *idem, de Republic. dial. 5.*

Facultatis nec color, nec figura, nec quid tale aliquid videtur, sed ad illud solùm respicio in quo est, & quod efficit, & sic vnamquamque facultatem appellaui: & quæ in eodem locata est, & idem efficit, eandem voco: quæ vero in alio, & aliud efficit aliam. *Plat. de rep. dial. 5.* Facultas vnaquæque vni tantum subiecto accommodata est. *S. b. Foxius in primum Plat. de rep. dial.*

Facundia est perspicacia & facultas obtinendi quod propositum est. *Speusip. de Plat. definit.* Facundia confidens necessaria est ad scientiam aspirantibus, & hominum amantibus, silentium verò decet indoctos. *Philo de eo quis rerum diuinarum Heres.*

Falli, falsitas falsum.

Falli à se ipso grauissimum est. *Plato in Cratyl.* Falluntur omnes homines, & nos forsan fallimur, qui putamus semper rem aliquam pulchram videri, & quæ admiranda effecisset, si quis ipsa rectè secundum aliquem modum vti nouisset. *idem, de leg. dial. 3.*

Fallitur nemo sæpius quam qui fortunæ promissis credit. *Mar. Fic. epist. lib. 6.* Falsum eatenus aliquid comprehenditur, quatenus secum pugnat, & contradictionem includit. *Ioan. Pic. Mirand. in responsione 5.*

Falsitas esse potest vbi non est mendacium nam potest imago non respondere exemplari: tametsi id contra mentis sententiam non proferatur. Nam differt rem aliter quam sit concipere, & concipere, quod res sit aliter quàm sit. id ad primum illud ad secundum intellectus officium pertinet. in primo nulla falsitas, in secundo mendacium. cùm enim quispiam ita abstrahit, vt credat eandem rem ita distingui in sese, vt eam intellectus distinctè fecernit, longè fallitur: si postea alijs falsum hoc insinuare voluerit, apertè mentitur. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam vanit. doct. gen. lib. 3. cap. 6*

Falli maxime possunt, qui desideria tenentur, & indigi sunt, & quo magis auent, eo magis se illis fallacia in sensus inserit. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 5. cap. 5.* Falsum in vniuersum id est quod vero aduersatur, falsum particulare id est quod ideæ rei, cui respondere debet, non conuenit. *idem de pranot. lib. 1 cap. 10.*

Famæ admiranda potentia est *Plat. de leg. dial. 8.* Fama quanto magis spargitur, & ab auctore disiungitur, fabulosior fit. *Aug. in steuch. de per. phi. lib. 1. cap. 5.*

Fames, sitis separatio & dissolutio ex æstu, sunt dolores *Plat. in phileb.*

Fames & sitis sunt corporis habitus euacuationes *idem, de Rep. dial. 9.*

Famelica multitudo in commeatuum difficultate formidanda est *Fran. Patri. de reg. lib. 9 cap. 11.* Fames multa docet, Vetus prouerbium est. *M. Ant. Natta de pulchra, lib 4*

Familiæ sunt quasi seminarium rerum publicarum *Fran Patr. de rep. lib. 4. cap. 6.*

Fas est lex diuina à Deo, vel à natura constituta. *Fran. Patri. de reg. lib 8. cap. 4.*

Fascinatio.

Fascinatio duplex, aliquando ex rerum conuenientia proportioneque vnius ad alterum, aliquando ex differentia virtutumque multitudine, quæ licet sint diuersæ, perficiunt tamé partem vnam & fascinatio artificialis est falsa, frustratur enim sæpe: vera autem, & quæ non fallit est fascinatio sapientis. *Arist. Theo. Ægyp. lib. 6. cap. 2.* Fascinationem non patitur iustus. *idem, ibidem cap. 3.*

Fascinatores nunquam auderent fascinari, si abstinentes forẽt. *Porphy. de sacrificiis.* Fascinantur pueri, & molliores creteri intuitu frequenti cupidine nocendi. *Fic. Plot. Thea. lib. 13. cap. 5.*

Fascinatio in pueris ab aspectu senis, & mulieris menstrua patientis fit, quia virulentus aculeus ex oculis illorum exiens cum à corde percutientis mittatur, hominis perculsi præcordia quasi regionem propriam repetit, cor vulnerat, & in eius duriori dorso hebescit, & redit in sanguinem peregrinus hic sanguis à sanguinis hominis natura quodammodo alienus, sanguinem eius inficit, & sanguis infectus ægrotat, & sic iuuenem senior fascinat. *idem, in Plot. conuiuium or. 7. cap. 4.*

Fascinatio ex irascibili potentia sequitur non in quancunque distantiam, nec in materiam duram quæ non cedit ad recipiendas corporeorum spirituum impressiones. *Io. Fran. Pic. Mir. de prænot. lib. 7. cap. 6.*

Fati diuisio.

Fatum vocatur cœlestium dispositio. *Mercur. Tris. Pimander, cap. 1.* Fatum potest describi esse complexionem mutuam causarum, seriemque connexam ac supermanantem, per quam posteriora semper prioribus obsecundent, & hæc posteriora in præcedentia reflectuntur, vt quæ per ipsa fiant, & absque ipsis effici nequeant, quo efficiatur, vt antecedentibus semper sequentia seruiant. *Plot. En. 3 lib. 1. cap. 2.*

Fatum ex prouidentia est, non prouidentia ex fato. *Chal. in Plat. Tim.* Fatum vocat Plato ineuitabilem vim & potentiam intelligens, principalem causam omnium, quæ in mundo consequenter, & continuè fiunt. *idem, ibid.* Fatum ita pronuntiat Plato, quæcunque anima talem vitam elegerit, & huiusmodi quædam commiserit, talia consequenter patietur, libera ergo est anima & in eius arbitrio agere, vel non agere ponitur nec hoc ab aliquo cogitur, quod autem sequitur actionem, ab ipso fato perficietur. *Alcin. cap. 29.*

Fatum, id est cœlestium series causarum, prouidentiæ diuinæ seruit. *Mar. Fic. in epist. lib 8.*

Fatum vniuersum est tota mobilium omnium series causarum, siue animales causæ sint, siue corporeæ, siue superiores, siue inferiores. *idem, in Plot. En 2. lib. 3. cap. 15.* Fatum est necessitas quædam desuper rebus illata. *idem, in Plotini En. 3. lib. 1. cap 2.*

Fatum est immobilis quædam in anima mundi rerum mobilium dispositio, fati instrumentum est natura cœlestis: sed materia, in quam agit per instrumentum, est moles elementorum *Fic. in Plat. de legib. dial. 12.*

Fatales quod est, suscipere contrarium non potest, consilium hominis prorsus vanum est *idem de fato. cap. 2.*

Fati sensa sunt varia, nam est syderum constitutio cùm quid nascitur, aut concipitur, aut inchoatur est ipsa natura; est causarum series, & ordo necessario nexu cuncta producens. si alia est significatio, diuini consilij executio est certa & ineuitabilis successus, aliquando sumitur pro casu, & fortuna. *Io. Fr. Pic. Mir. de prænotione lib. 5 cap. 8.*

Fatum nil aliud esse intelligitur quam Dei voluntas, vel dictum, vel placitum hoc certè in humana vita quodammodo agnoscimus cùm prædestinationem & reprobationem in nostra religione admittimus, & cùm iis, quæ maximè libera esse videntur, dicere solemus, nos hoc, vel illud esse facturos si Deo placuerit sed cauendum ne propter huius nominis multiplicem significationem, in eo fati nomine quisquam offendatur. *Iacob. Carp. in Alc. par. prima dig. 11.*

Fatum est complexio mutua causarum, & series connexa desuper manans, per quam posteriora semper prioribus obsecundant, atque hæc ipsa posteriora in præcedentia reflectuntur, vt quæ per ipsa fiant, & absque ipsis effici non possint. *Iac. Carp. in Alcin. parte poster. dig. 11.*

Fatum poetæ appellarunt totius concilij deorum decretum, cui ne ipsi quidem singuli dij resistere possunt. *Iac. Carp. in Alc. par. post. dige. 21.*

Fati est Theologica significatio non in natura tota posita, sed à diuino consilio pendens, in deique partim prouidentia, partim præscientia posita, quæ eadem cum ipsa natura dici non potest, sed hac longè superior est. *idem, ibid.*

Fatum quid est.

Fato solum subiecta sunt animantia, quæ mortalia sunt, non homo qui immortalis est. *Mer. Trism. Pimand. cap. 1.*

Fato omnes homines subijciuntur, quoad generationi & transmutationi subijciuntur. initium & finis fati duo hæc, generatio, & transmutatio. & homines vniuersi id patiuntur quod instituit fatum. verum rationales, quibus mens assistit, non eodem modo, quo cæteri patiuntur, sino ab improbitate alieni & existentes non mali non patiuntur malem. nam homo adulter non patitur, vt homo, sed vt adulter, adulterium vero vitare licet, sed pœnam adulter non potest. *idem, ibid cap. 12.*

Fato humanus animus superior est, non tamen quæ fato subiecta sunt negligit *ibid.*

Fatum nec animæ intellectuali nec diis applicamus, anima enim intellectualis habent in se principium proprium nec à fato pendet. dij soluunt fatum, & mala quæ à fato nobis imminent soluunt. *Iamblich. de myster.* Fata omnia non sunt decreta, in fato autem sunt, fatum instar legis non dicit, hoc

talia faciet, hic talia patietur, in infinitum namque progressio foret, cum infiniti fiant qui nascantur, & innumera quæ illis deinde contingunt, libertas nulla restaret, laudes & vituperationes tollerentur. *Alci. cap. 29.*

Fato non omnia subiecit Plato, nec necessitate fieri voluit. *Bess. Card. in calumn. Plat. lib. 2. cap. 8.* Fatum non attingit ea, quæ ad rationem puram liberamque, vel ad Dei prouidentiam cœlesti fato superiorem miro quodam ordine reducuntur. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 10.

Fati regnum in cœlo solum est, sub cœlo fortunæ potestatem plerique collocant, in ratione æque per opposita discurrente consilij & electionis arbitrium collocabunt. *Ficin. in Plot. Enn. 2. lib. 3. cap. 15.* Fati regnum Plato ponit propriè in cœlo, ideo ibi inter ipsa cœlestia euentus semper est necessarius, & si inferiora illi consonarent, forte & hic necessario proueniret, sed non consonant *idem, ibidem.*

Fato subiecta sunt quæ fiunt, si in aliquo tempore fiunt. at quæ perpetuo fiunt, si in aliquo tempore fiunt, & reuoluuntur non tam sub fato quam in fato locamus. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 1. cap. 1.* Fato non sunt subiecta quæ propriè sunt. *idem, ibid.* Fato quæ fiunt prouidentia fiunt, quamuis multa fiunt prouidentia, quæ fati terminis non clauduntur, quæ scilicet ad intellectualia pertinent, & quæ intellectuales ipsæ substantiæ faciunt, non aliter vero pendet fatum à prouidentia quam à lumine calor, vbi quæ facit calor, facit & lumen, & non vicissim. *idem, in Plot. Enn. 3. lib. 3. cap. 5.*

Fatum aliqui in virtute corporum cœlestium ponunt in hæc inferiora influente, & in astrorum quorum in natiuitatibus ratio haberi solet vario concursu, & aspectu, vel etiam oppositione non tantùm corpora nostra afficiente, sed, vt assertores huius fati aiunt, animorum nostrorum necessitatẽ afferente. fatum alij omnino esse negant, quòd quanquam hæc variam animis nostris propensionem afferre possent, nequaquam tamen necessitatem, quam fati nomine ab illis putant significari. *Iac. Carp. in Alcin. parte prima. dig. 12.*

Fatum vt non sit, & vt sequatur.

Fatum si esset, libertas arbitrij tolleretur à medio, & insuper id quod est animal esse. *Plot. En. 3. lib. 1. cap. 3.*

Fatum si esset complexio mutua causarum, & ab vno omnia penderẽt, nec nos ipsi nos erimus, nec nostrum opus vllum, nec ipsi ratiocinabimur sed alterius cuiusdam ratiocinatio erit, alterius quoque consilium, nec agimus ipsi, quemadmodum nunc, neque pedes calcitrant, sed nos per pedes tanquam partes nostras dicimus calcitrare. *idem, ibid. cap. 4.*

Fatum à deteriori quodam sumit exordium, quod autem est superius, solum prouidentia est *ibidem cap. 5.*

Fatum excludere est expertem ordinis contingentiam principiis introducere. *Fic. in Plo. En. 3 lib. 1. cap. 3* Fatum non esse scripserunt Alexander aphrodiseus, Enomaus, Diogenianus, *idem, de fato, cap. 2.* Fatalem sortem posse cœlitus imminentem frangi Iudæi per Cabalisticam, & internum sacrarum litterarum spiritum confitentur. Iamblichus per efficacem deorum sublimium cultum. Porphyrius per magicam sapientiam, Apollinis oraculo teste. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3 cap. 8.*

Fati differentia si secundum Astrologos oritur frigore, calore, siccitate, humiditate, cùm dies æstatis etiam si in eis torpeat Saturnus hybernis calidiores sunt, & si in hyeme ardet Mars frigidiores æstiuis, ab aere ita cœlitus per hyemẽ ad æstatem affecto, non à syderibus petenda est. *Io. Fran. Pic. Mir. de praen. lib. 5. cap. 5.*

Fato quæ subiiciuntur & quæ non, & de ipso varia antiquorum opiniones.

Fati opinio apud philosophos suborta est in inuestigatione causarum occultarum. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 1. cap. 1.*

Fatum duplex: vnum, cum substantiam eius intuemur: alterum, cum ex his, quæ agit, & esse, & cuiusmodi vim habeat recognoscimus. *Chalcid. in Plat. Tim.* Fati opinio quod sit falsa patet: nam & illi qui sic opinantur reprehendunt, persuadent, & castigant suos propria voluntate peccantes: quòd, si esset fatum, frustra fieret. *Fic. de fato, cap. 5.*

Fati quatuor sunt opiniones. alij necessitatem rebus inferri à corporibus quibusdam, quæ sunt principia rerum siue atomorum concursionibus, vt Democritus, siue ab aliorum quorundam corporum natura, & motibus inferatur, vt Thaleti, Anaximeni, & Anaximandro placuisse ferunt. alij principium cunctis vitale infusum arbitrantur, à quo passim necessitate fatali singula mouentur, quod nonnulli stoicorum voluerunt, alij reuolutionem cœlestium esse rerum principium & fatum arbitrantur, vt quidam astrologi. & nõ desunt inter physicos, & metaphysicos, qui singula fieri putant quotidie à serie quadam & connexione inuicem causarum, siue cœlestium, siue superiorum, siue rursum inferiorum, & inde fatum omnibus imminere, siue series causarum principium habeat vnum, siue non habeat. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 1. cap. 2.*

Fatum secundùm quadruplicem significationẽ acceperunt veteres vel ipsa natura, vel series causarum ordóque nexu necessario cuncta producens, vel syderum constitutio cùm quid aut nascitur aut concipitur aut inchoatur, vel diuini consilij executio certa ineuitabilisque successus sub quo nihil libertas nostra periclitatur. *Io. Pic. Miran. in Astrologiam, lib. 4. cap. 4.*

Fatum, sententiâ Aristotelis, non omnem complectitur naturam, sed eam tantummodo partem quæ generatione & corruptione variatur. idemque esse quod ipsam partem naturæ, nec naturam, nec fatum esse necessaria, sed vt præter naturam, sic præter fatum multa euenire a diligentioribus eius expositoribus accepimus. *Iaco. Carpent. in Alcinoi parte post. digressio 12.*

Fatuum est in refellendis opinionibus fatuis nimis diligenter incumbere. *Ioannes Franciscus Picus Mirand. de praen.*

Febris morbos ex spiritu ortos, quos tetanos, & opisthotonos nominant, facile soluit. *Pla. in Tim.* Febrem, quam cæteri tertianam ea pura bile esse putant, Plato existimat, si pura sit bilis, ignis instar summopere & continuè feruere. *Ficin. in Platonis Timaeum.* Febris quartana in sanguine à physicis ponitur, quæ horas sex relinquit quieti in pituita, quæ diem vnum in bile, quæ duos in atræ bilis humore. *idem, in Plato. conuiui. or. 7. cap. 7.* Febris ephemera non est putrida, nec in humoribus, sed in spiritibus. *Iac. Car. in Alc. defensione*

Fel nulla ea re magis fit quam ex melle *Ficin. epist. lib. 3.*

Feles & canes pestilentiæ morbum ea vna in alteram domum tulere, ipsis nulla ex parte hac contagione læsis. *Fic. in epid. Antid. 10. cap. 2.*

Felicitas, felix.

Felicitas honesta res est. *Plato in Alcibiade primo.* Felices sunt boni & sapientes, mali miseri. *idem, ibid.* Felicitatem omnes etiam viles maximum bonum esse dicunt. *idem, in Euthydem.* Felicitatem non solum bonorum possessio facit sed vsus. nam possessionis nulla est vtilitas. *ibid.* Felicitas non est liberatio à malo, sed ne malum nobis contingat *idem, in Gorgia.* Felicitas videtur plurimi precij res hominibus esse *idem, de diuitiis.* Felicem esse, & bene viuere in eodem constituimus. *Plot. En. 1. lib. 4. cap. 1.*

Felicitatem si quis dixerit ad id quod in nobis est animal pertinere ridiculum foret, cum felicitas vita sit bona quæ in animo consistit, cum hæc sit actus non totius animæ, non vegetalis ita vt corpus attingat: non enim in magnitudine & bono habitu collocatur, nec in perspicacia sensus quandoquidem nimia corporis sensuumque prosperitas grauans animum hominem ad se detorquet: decet vicissim compensatione, & diuersione quadam ad optimum potius conferente quodammodo corpus attenuare, vt appareat hominem ipsum ab externis esse diuersum. *Plotin. Enn. 1. lib. 4. cap. 14.*

Felicitatem si in non dolendo, & non ægrotando & non periclitando, neque in magnas aduersitates incidendo ratio collocasset, nemo felix contrariis præsentibus esse posset. sin autem in ipsa veri boni possessione posita est, quid nam oportet hæc prætereuntes, & quod ad hoc prospicientes iudicare solent felicem alia insuper quærere, quæ in felicitate non numerantur. *Plot. En. 1 lib. 4. cap. 6.*

Felicitas si existit in accumulatione bonorum, & necessariorum siue maiorum siue minorum; quæ non modò necessaria sed etiam bona dicuntur, hæc insuper oportet adesse. at si finem esse vnum aliquid non multa esse oportet, alioqui non finem, sed fines homo quæreret. at solum vltimum consequi oportet atque præstantissimum, quodue vltimum sibi fieri anima quærit. *Plot. En. 1 lib. 4. cap. 6.*

Felicitati non connumeratur, quod quis diutius sit oblectatus, nisi quis voluptatem nominet actionem intelligentiæ expeditam. Hic enim idem quod nos quærimus dixit, perinde voluptas longior semper præsens habet solum, quod ea ea præterit euanuit. *Plot. En. 1. lib. 5. cap. 4.*

Felix qui plurimum tempus vixit, & diutissimè id spectaculum est intuitus, profectò si longiori in tempore perspicacius vidit, plus aliquid ipsi longitudo temporis attulit: si autem vniuerso in tempore similiter vidit, certè nihil profecit, & qui semel est intuitus æque reportat. *Plotin. Enn. 1. lib. 5. cap. 3.*

Felicitatis non est assequi id quod viuere & agere vnusquisque cupit, quia sic fælicitas crastina maior esset, atque deinceps semper antecedente maior, nec felicitatem virtus ipsa vlterius metietur, & dij nunc feliciores erunt, quam consueuerint,

fuerint, nec vnquam felicitas perfecta erit *Plot. En. 1. lib. 5. cap. 2.*

Felicitatem ponere in rebus externis, nil aliud est, quam in his quæ extra virtutes sunt, & extra animam collocare, ipsa enim propria animæ actio composita in sapientia, adeo vt in seipsa sic agat, idque est feliciter agere. *Plat. En. 1. lib. 5. ca. 10.*

Felicitatis consequendæ potentiam vir probus non sibi soli arrogat. *idem, En. 2. lib. 9. cap. 9.*

Felices quod aliqui non sint non est conquerendum de hac regione, cùm datur in hoc mundo facultas animis ad beatitudinem consequendam; sed eorum imbecillitatem potius criminari, quod strenuè certare non valeant, vbi virtutis præmia proposita sunt *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 5*

Felicitatis finem prisci asseuerant esse viuere iuxta naturam. *Phi. Iud. de plantatione Noe.*

Felicitas non est assequi perpetuam perseuerantiam, quia appetitus voto potius præsens aliquid est adeptus, semperque ad ipsum præsens annititur, & quam [illegible] est ita semper esse in felicitate requirit appetitio viuendi esse perquirens præsens quiddam proculdubio quærit, si quidem esse in præsenti est oppositum quod si futurum, & quod deinceps sequitur appetat, quod habet iam, quodua est desiderat, non quod præterijt nec quod est futurum, imo quod iam est id existere, non sempiternam protractionem, siue processionem quærens, sed quod iam præsens adest id adesse. *Plot. En. 1. lib. 5. cap. 2*

Felicitas in prospera optati finis consequutione consistit, idque in singulis facultatibus sapientia præbet. *Fic. ep. st. lib. 1.*

Felicitas nil aliud est quàm verum gaudium. *idem, ibid. lib. 5.*

Felicitatis via duplex, philosophica vna, altera sacerdotia: illa apertior ad felicitatem inueniendam, hæc breuior ad consequendam; illam in primis elegerunt peripatetici, & similes philosophi, hanc populus religionis incedit. Plato vtramque viam in vnum coniunxit, & vbique religiosus est, & philosophus, disputator subtilis, pius sacerdos facundus orator. *idem, ibid. lib. 19.*

Felicitatis summæ antiquorum opiniones ad tria maximè reducuntur, ad voluptates, ad scientiam, aut ad tertium aliquid. sub communi voluptatis nomine reducuntur, qui vel ad sensuum corporis oblectamenta, vt Aristippus, & Dionysius, vel ad animi hilaritatem, vt Eudemus beatitudinem retulerunt. sub nomine scientiæ, qui vel morales virtutes, vt Zenon, & Antisthenes, vel tranquillitatem, vt Epicurus vel contemplatiuas, vt Solon & Anaxagoras, beatitudinem censuerunt. tertium qui vtraque volunt esse coniuncta, quod secutus est Aristoteles, & ante ipsum Heraclitus & Empedocles. *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 6.*

Felicitas ex bonorum consequutione & recto vsu prouenit, idque scientia boni præstat hæc ad felicitatem plurimum, imo totum valet, & hac ducente bona sunt nobis reliqua omnia, insipientia duce mala omnia: diuitiæ, potentiæ, sanitas, forma, robur, acumen ingenij, memoria: animi magnitudo constans & mistus habitus, artium omnium reliquarum, & scientiarum subtilitas. *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 8.*

Felicitas summa, ac vita beata hominis cōsistit in fruitione absoluti boni *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 6.*

Felicitatem in Euthydemo probatur esse non in possessione, sed in vsu bonorum, & his anima vtitur vel cognoscendo, vel gaudendo. *idem, ibid. cap. 7.*

Felicitatem posse dici simplex bonum ait Porphyrius. *ibi.* Felicitas in optimo rerum vsu consistit. *idem, in Plat. Euthyd.* Felicitati præcipuè confarunt Iustitia, Temperantia, Scientia. *in Plat. phædr. cap. 22.*

Felicitatem alij in hac vita iudicarunt haberi posse, alij in alia, alij nusquam: qui in hac vita humanis eam viribus acquiri posse putant, totius vitæ testimonio reclamante falluntur. at qui nusquam; tanquam vani, vanum quoque esse volunt totius naturæ instinctum, sapienter Plato felicitatem in altera vita sperat, tum præsentis vitæ virtutibus, tum Dei munere comparandam; non diffidit tamen paucissimos quosdam in hac quoque vita felicitatē degustare posse quos in phædro in phædone, in republica tales esse vult vt extra corpus viuāt, potius quam in corpore, & Deo potius quàm sibi viuant, quo efficiatur, vt aspirante Deo, vel inter ipsos fluminis lethæi fluctus libare non nihil æthereri nectaris videantur. *Fic. in Plat. leg. appendicem.*

Felicitatem Plato absque dubio in sapientia religiosa collocat, atque vbique imo multo plus virtutis & pietatis, quàm scientiæ à philosopho requirit & quidquid scientiæ ab hoc exigit, idcirco requirit, vt Deum ipsum verum scientiæ magistrum tanquam authorem rerum, quæ sciuntur, præ cæteris veneretur. *Fic. in Plato. legum appendicem.*

Felicitatis nostræ summa posita est tota, vt naturis melioribus vniamur. *Io. Pic. Mir. in Hep. lib. 6. cap. 5.*

Felicitas alia per naturam, alia per gratiam consequitur. *idem, in Hep. lib. 7. in pro.*

Felicitas est reditus vniuscuiusque rei ad suum principium. *ibidem.*

Felicitas est summum bonum, quod omnia appetunt. *Io. Pic. Mir. in Hept. lib. 7. in pro.* Felicitas est adeptio & possessio primi boni, id est Dei, & bonū hoc dupliciter adipisci potest à rebus creatis, aut in seipsis, aut in ipso: in seipsis res creatæ viribus suis ad felicitatem accedere possunt, at in ipso non. *idem, ibid.*

Felicitas, quam creaturæ in seipsis acquirunt, est vmbra felicitatis, non vera felicitas. sed vera felicitas est ad Dei faciem cōtuendam, & ad perfectam cum eo principio à quo emanamus vnionē nos reuehit, & abducit, ad quā angeli attolli quidē possunt, sed non possunt ascendere: homo ad hoc ire nō potest, trahi potest, bruta ad illum nec trahi nec ire possunt, sed facti sunt ad illam homo & angelus. Vis quæ trahit, gratia vocatur, quæ gratos facit. *Io. Pic. Mir. in Heptaplum lib. 7. in proæmio*

Felicitas actu est, vt vnus cum Deo spiritus simus, vt apud Deū, non apud nos Deum possideamus, cognoscentes, vt & cogniti simus, nos enim ille per ipsum cognoscit. *Io. Pic. Mir. in Hep. lib. 7. in proe.* Felicitatis supernaturalis duplex natura est capax angelica, & humana, illa cœlum hæc terra dicitur: quia ibi habitant angeli cœlum, nos terram. *idem, ibidem. cap. 1.*

Felicitas pura, & interna, atque perpetua in solo Deo, omnibus remotis impedimentis, & cognoscendo & amando consistit. *Ioannes Franc. Picus Mir. de prænotione lib. primo, cap. 11.* Felicitas, quam studio veritatis consequi ingeniosi homines affectabant, quoniam vires per sese mortalium superat, eorum ipsorum ope nequiuit attingi. *idem, in exam. van. doct. gen. lib. 1. cap. 1.* Felicitatem diuinitus dari primi inter gentes viri, qui præcellenti ingenio pollebant putauerunt, sed in Deo inquirendo plurimum hallucinati sunt. *ibidem.* Feliciores sunt, qui reiecta superstitione electionum Astrologorum sola electione & prudentia ducibus viuunt. *Io. Pic. Mir. in ast. lib. 2. cap. 2.*

Felicitas est animi operatio secundum virtutem perfectam. *Gab. Bura. de hom. felic. lib. 6.* Felicitas hominis est bene viuere, vt Plotinus etiam asserit. *idem, ibid.*

Felicitas duplex, alia contemplatiua alia actiua: contemplatiuæ deseruit sapientia, actiuæ operatio. *ibid.*

Felicitas est iustitiæ & temperantiæ possessio. *Gab. Bura. de hominis felicitate. lib. 6.* Felicitas non est statuenda in habitu, sed in actu secundum virtutem. est enim felicitas actus perfectissimus perfectissimus vero actus est, qui emergit à potentia absoluta ac perfecta per nobilissimum habitum. *idem, ibidem.*

Felicitas contemplatiua actiua perfectior est, quia per se requiritur, actiua vero per aliud. *Gab. Bura. de hom. felicit. lib. 6.* Felicitatē putant Academici in sola virtute & eius actu cōsistere, etiam si non adsint opes, ac bona vel fortunæ, vel naturæ, at Peripatetici non solum in virtute, sed etiam in bonis tum fortunæ, tum naturæ statuerunt. *idem, ibid.*

Felicitas duplex: alia, quæ humanæ menti congruit, quæ nihil ferè commune habet cum corpore, & hoc forte est ille intellectus adeptus, positus ab Auerroe; cui felicitati non requiruntur bona naturæ, nec fortunæ: altera, cui requiruntur bona naturæ, & fortunæ. & sic conciliātur Plato & Arist. de felicitate loquentes: nam cum Plato ait felicitatem non indigere bonis fortunæ, & naturæ, intelligit de prima: Arist. de secunda. *Gab. Bur. de hom. felicit. lib. 6.*

Felicitas hominis in sola fruitione ponitur. *Gab. Bur. de hom. felicit. lib. 6* Felicitas hominis potius in voluntatis actu quàm in intellectus actu consistit. *idem, ibid.*

Felix est cui omnia bene succedunt, at illi solum bene succedunt, qui omnibus bene vtitur, & ille solùm bene vtitur, qui & seipsum, & alia omnia ex sapientia perfectè cognouit, quique omnium vsum ex sapientiæ regula optimè potest temperare. *Ia. Car. in Alc. cap. 2.*

Felicitas contemplatiua perfectior est humana: illa Deum, hæc hominis imitari videtur *Fran. Patri. de reg. lib. 6. cap. 2.* Felicitatem non omnem esse, veteres philosophi consentiunt, contemplationem, sed cognitionem Dei. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib. 10. cap. 11.* Felicitatem hominis in contemplatione Dei Plato sui, vt & Aristoteles, in contemplando posuit *Seb. Fox. in Plat. pha.*

Felicitatem ad humanum consequendam prius in omnibus scientiarum generibus oportet hominem diu esse versatum maximéque perfectum. *Leo. Heb. de Am. dial. 1.* Felicitas humana nequaquam, sicut nonnulli falso sibi persuaserunt,

in bonis vtilibus est reponenda. *idem, ibid.* Felicitas humana nequaquam, sicut Epicurei falsò senserunt, in sensibilibus voluptatibus collocatur. *ibid.* Felicitas humana in honestate, & in habitibus actibusque animæ intelligentis procul dubio est statuenda. *ibid.*

Felicitas humana neque in arte, neque in artis operibus, sed in actionibus potius ex virtute, aut sapientia emanantibus est reponenda. Leo. *Heb. de Am. dial.* 1. Felicitas humana haud in solo habitu, sed in actu potius cognitionis consistit. *idem, ibid.* Felicitas humana in vnius tantummodo rei actuali intelligentia est collocanda. *ibid.* Felicitatis veræ humanæ sententia est, quod humana beatitudo in intellectus agentis, hoc est in Dei, diuinique intellectus pura, & sincera à nobis habita reponitur cognitione. *ibid.* Felicitas humana in vnius tantum rei absolutissima cognitione consistit. *ibid.*

Felicitas animorum nostrorum in intelligibilium spiritualiúmque formarum acerrima contemplatione consistit. *Leo Heb. de Am. dial.* 3. Felicitas humana in intellectus agentis clara lucidaque ab humano intellectu habita cognitione seu visione consistit. *idem, ibid.* Felicitas nostra in diuina cognitione visioneque collocatur. *ibid.* Fœlicitas humana in actu tantummodo intimæ illius copulationis, & vnitæ diuinæque illius cognitionis nimirum consistit. *ibid.* Fœlicissimum mortis genus est, quod ex animæ, & intellectus copulatione proficiscitur. *ibidem, dial.* 3.

Felix hominum genus esset, & si vnusquisque suum amatum adipisceretur. *Plato in Sympos.* Felicissimus est, qui non habet in animo prauitatem, secundo loco qui ab illo liberatus. *idem, in Gorgia.* Felix qui esse vult, ita viuere debet, vt omnia tam priuata quã publica ad illũ finẽ dirigere debeat, quo iustitia & tẽperantia adsit ei, vt cupiditates incastigatas esse non sinat, ne si has explere conetur, inexplebile malum incurrat, & latronis vitam viuat; nam nec hominibus, nec Deo gratus viuere potest, societatem enim ferre non potest: & in quo non est societas, nec amicitia esse potest. *ibid.*

Felix est, cui sapientia, & veræ & constantes opiniones etiam ad senectam accedunt: perfectus est homo, qui virtutes, & quæ in his sunt bona omnia adeptus est. *Plato de legib. dial.* 2. Felix non est, qui non est bonus. *idem, ibid. dial.* 5. Felix est, qui sua contentus est sorte. *Ficin. Epist. lib.* 6.

Felis ad summum est ille, qui cuncta conspicit, cunctisque potitur bonis, sed vera cuncta simul videt in vna forma veri, id est mẽte diuina, cunctis similiter bonis fruitur in ipso bono, & cum per vnam formam, per vnum fontem, & vera conspicit, & haurit bona vno intuitu vera contuetur omnia, vno similiter haustu combibit omnia bona. *Ficin. in Plotini En.* 5. *lib.* 5. *cap.* 5.

Fellis per vasa expurgatur quod assum & vsu nutrimenti fuerit: id que sanè calidissimum in eo ac dulcissimum est, qualia sunt mel aut adeps: id verò per flauam bilem conuersum est. *Iac. Carpent. in Alc. dig. ess. cap.* 16.

Fænerari est hominem occidere. *Francisc. Patritius de Republica, lib.* 1. *cap.* 8. Ferarum dirarum lumine solis reprimitur impetus. *Apul. Metamor. lib.* 8.

Feritas est noncognoscentium. *August. Steuch. de perenni philosophia lib.* 6 *cap.* 9.

Ferocitatem in homine deprauato ad malum auget machinatio perspicacissimæ mentis ad malum. *Fic. in Plato. de legib. dialog.* 6. Ferocitas est excessus audaciæ, non metuens quæ metuenda sunt. *Speusippus de Plat. defin.*

Ferrum Marti tribuunt Chymici. *Ficin. in Plotini En.* 2. *lib.* 3 *cap.* 6. Ferrum non ad exitium datum, sed ad vsum. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib.* 7 *cap.* 12.

Festa.

Festa Dii tribuerunt hominibus miserati laboriosum à natura humanum genus, remissiones laborum ipsis constituerunt, & Musas, & Apollinem musarum ducem, & Bacchum compulones attribuerunt, quo epulationes in festis corrigerent. *Plato de legibus, dial.* 2. Festa duodecim dijs sint ex quibus vnaquæque tribus cognominatur, ita vt singulis his mẽstrua sacra fiant, chori, & certamina musica, Gymnica item, prout decorum est, & dijs ipsis, & temporibus attribui. *idem, de leg. dial.* 8.

Festa terrestrium, & quos cœlestes vocant, & eorum qui hos sequuntur, permiscenda non sunt, sed separanda, & mense duodecimo secundum legem attribuenda. *Plato de leg. dial.* 8.

Festa muliebria distribuantur, quæ sine viris, & quæ non peragi conueniat. *Idem, ibid.*

Festis diebus ludos quosdam semper cum sacrificijs honestos subornare oportet, quo pugnæ quædam in festis fiant, quæ bellicas quàm maximè imitentur, & victoriæ, & rei bene gestæ præmia singulis distribuere, & encomia, & vituperationes facere, prout quisque se gesserit, & in certaminibus, & in omni rursus vita, prout quisque optimus esse videtur, ipsum ornare oportet, & qui contra vituperare. poëta talium sit qui non pauciores annos habeat quàm quinquaginta annos; & ex his qui ipsi præstantes sint, & honores in ciuitate gesserint, & quorum præclara facta celebrantur. talium virorũ poëmata canãtur, &c. *Plat. de le. dial.* 8. Festa à Dijs instituta sunt misericordia motis ob hominum miseram vitam in laborum remissionem. *Ficin. in Platon. de legib. dialog.* 2.

Festinandum non est ad grauissima, nisi leuissima prius consequutus fueris. *Fic. in Pla. Gorgiam.*

Fibræ in sanguine dispersæ sunt ea gratia, vt moderatam tenuitatem & crassitudinem haberet, & neque ob caliditatem, vt qui liquidus esset, ex toto corpore effluere, neque rursus præ densitate piger ad motum foret, & vix in venis diuersari posset. Hanc vtilitatem fibræ ex naturæ ortu seruant, quas, si quis etiam in mortui animalis sanguine, eoque frigori exposito [illegible]ligat, omnis reliquus sanguis diffunditur; si verò sinantur, breui cum circunstanti frigore ipsum congelant. *Plato in Timæo.*

Fibræ à venis ad neruos passim annexæ sunt, per quas confluit sanguis subtilis simul, & tenax ad neruos instaurandos. quod autem in sanguine hoc mollius superfluit, exudat mox cogendum in carnes. *Fic. in Plato. Tim. cap.* 88.

Fideiussor sit etiam qui quodcunque vendit pro alio, qui non iure vendit, aut etiam nequaquam fide dignus est. *Plato de legib. dialog.* 12. Fideiussionem, quum quis præbet, expressè præbeat vniuersam rem cum cautione promittens, & coram testibus non minus tribus, si intra mille drachmas res æstimetur; si vltra mille, nõ paucioribus quinque. *Idem, ibid.*

Fides.

Fidere non debemus in nostra, quæ nulla est, sed in Dei virtute, qui humiles diligit, & mirabilium facit operum effectores, vt in apostolorum electione clarè patet. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de studio phil. lib.* 3 *cap* 3.

Fidem de dijs duo faciunt: vnum, quod dicebamus de anima, quòd antiquissima & diuinissima est omnium, quorum motus ortum adeptus perpetuam essentiam produxit: alterum, quòd de motu, quem ordinem habeant astra, & quæcũque alia, quorum dominium mens obtinet, quæ totum gubernas, & construxit. *Plato de leg. dial.* 12.

Fides est recta præsumptio quod sic res se habeat, vt sibi videtur, & morum stabilitas. *Speusippus de Plato definitionibus.*

Fidem nostram quantum peregrino testimonio fieri potuit diuinitus traditam antiqui doctores nostri sanctissimi verbis auctorum, & præterim Platonis, confirmauere. *B. ss. Card. in Calumniatorem Plato lib.* 1. *cap.* 1.

Fide ad summum bonum peruenimus, scientia, & ingenio. *Idem, lib.* 2. *cap.* 4.

Fides est donum Dei, cui qui non obstiterit, iugiter Deo illustrante fit particeps. *Iohannes, Fran. Pic. Mirand. de prænotione lib.* 9. *cap.* 5.

Fidei nostræ fundamenta non ab homine, sed à Deo pendent, non sensu, aut phantasia habentur, aut humana inuentione, sed diuina reuelatione nec experimentis artium sensibilibus, sed lumine fidei stabiliuntur, prodigijs: & miraculis, in quæ nemo philosophus potest: tanta est vis veritatis diuinæ, vt quæcunque in eam parentur arma, retundantur & resoluantur. *idem, in examine vanitatis doctrinæ gentium, lib.* 2. *cap.* 20.

Fides est promissorum, & conuentorum fida obseruantia, vel mutuæ exhibitio stipulationis. *Fran. Pat. de regno, lib.* 2. *cap.* 20.

Fides, & opinio differunt: nam fides assentitur rebus incognitis firmiter, opinio alteram partem amplectitur vt titubet, an altera vera pars sit potius. *M. Antonius Natta, de immortalitate animi, lib.* 1.

Fidem & pietatem profitentes mundum sub aliquod temporis initium è Deo ex nihilo asserunt procreatum fuisse. *Leo He. de Am. dial* 3. Fidem haud quidem demonstrationibus confirmari, sed à philosophos tantummodo rationibus vindicari satis superque esse videtur. *idem, ibid.*

Fidium coaptationes in musicis instrumentis, siue in vnico tetrachordo, quale inuenit Mercurius, & Orpheus confirmauit; siue in duobus tetrachordis per chordas septem vnã cõiunctis, quale Terpander dicitur effecisse; siue in geminis tetrachordis per chordas octo dispositis, quorum Lycaonem Samium fuisse authorem asserunt; siue in tetracordis quatuor coniunctis, atque ex fidibus quindecim Græcorum tandem omnium approbatione cõstantibus: in his omnibus tetrachordis gradatim diatessaron sesquitertia consonantia. *Fic. in Plat. Tim. cap.* 29.

Fiducia est præsagitio quædam futuræ prosperitatis quæ à virtute non à petulãtia procedere debet. *Fr. Pat. de reg. li.* 7. *ca.* 9

Fiesi est

Fieri est duplex, vel natura, vel ex aliquo accidenti. *Chalcidius in Platonis Timaeum.* Fieri nihil ex non ente Aristoteles ait. *Bessa. Cardina. in Calumniatorem Plato lib. 2. cap. 6.*

Fieri, & esse iam factum inuicem opponuntur, merito quod fit, qua ratione fit, essentiam non habere putatur. *Fic. in Plat. Parm. cap. 24.* Fieri dicimus transigi tempore. *idem, in Platonis Timaeum.*

Figura.

Figura omnis cum alia figura genere est idem; partes autem ipsius partim maximè contrariae sunt, partim diuersitatem infinitam habent. *Plato in Philebo.* Figura est solidi finis. *idem de virtute.* Figuram, quae paucissimas habet bases, necesse est ex natura facile moueri, & maxima vi secandi praeditam esse, vt quae omnium acutissima leuissima sit, & ex paucissimis partibus constans *idem, in Timaeo.* Figurae planae recta basis ex triangulis cóstat. *ibid.*

Figuras veris rebus quarum figurae sunt oportet accommodari. *Plotin. Enn. 1. lib. 2. cap. 4.* Figuras nos non cogitando creamus quod testatur ipsa mundi figura nos antecedens. *idem, Enn. 6. lib. 6. cap. 17.* Figurae non sunt formae iacentes in aliis, sed ipsae sui iuris existunt, ideo extensione non indigent; nam quae extensa sunt, aliis sunt addicta, vna ergo figura est in ente. *ibid.*

Figurae ratio duplex, vna in intellectili, alia in sensili materia. *Proclus in Eucl. lib. 2. cap. 1.* Figura est quaedam quę per mutationem constituitur, & à passione fit, dum illa quae figuram recipiunt vexantur, vel diuiduntur, vel auferũtur, vel affectiones suscipiunt, vel alterantur, vel alias affectiones patiuntur. Est & figura quae ab arte, & quae à natura fit, & sunt animarum figurae pulchritudinis perfectissimae, & mentium figurae longè diuiniores, & deorũ figurae quae exprimi non possunt. *idem, ibid. cap. 11.*

Figurae quaedam sunt ante sensibiles, per se mobiles, & intelligentes. & diuinae figurarum rationes, & nos excitamur per sensibiles, proferimus internas rationes, quae aliarum imagines sunt, & his sensiles figuras per exempla intelligentes, & diuinas per imagines cognoscimus. *Proc. in Eucl. lib. 2. cap. 15.*

Figurarum in diis cognitio vniuersarum tum gignendi, & cuncta inferiora constituendi vis est: in naturis efficientem eorum quae apparent potentiam habent, cognitionis verò ac intelligentis perceptionis expartes sunt: in animis particularibus immaterialis perceptio est: & per sese agens cognitio, foecunda autem & efficax causa non est, vt ergo natura efficienda sensibilibus praeest figuris; sic anima, iuxta cognitricem sui partem agendo, promit phantasmata tanquam in speculo figurarum rationes. *Proclus in Eucl. lib. 2. cap. 15.*

Figurae ratio ex fine, & infinito, & mixto oritur, circularis ex finito, rectilineae ex infinito mistae, ex mixto *idem, ibid.*

Figurae planae aliae à simplicibus lineis continentur, aliae à mistis, aliae ab vtrisque: & quae à simplicibus aliae à simplicibus specie, vt rectilineae, aliae à specie dissimilibus, vt semicirculi. & quae à similibus specie continentur, aliae à circulari, aliae à recta comprehenduntur: & quę à circulari, aliae ab vna, vt circulus, aliae à pluribus, vt corona, aliae angulosae, vt lunata, aliae in infinitum à pluribus contineri possent: quae à rectis, aliae à tribus, aliae à quatuor, & sic deinceps. *Procl. in Euc. idem, lib. 2. cap. 11.*

Figurarum altitudo est perpendicularis, quae ab altera parallela ad reliquam se extendit. *idem, ibid. lib. 4. cap. 15.*

Figuris numeri priores sunt. *Plutar. in Plat. quaest.* Figuratas res per idola figurare solemus, vt si gubernator ascendens scopulum vidit ciuitatem, semper, cum scopulum eandem videt, ciuitatem significat inter se; sic in somnis antecedente sunt eadem rebus eisdem similia similibus. *Synesius de somnis.*

Figurarum rectilinearum principium est ternarius, prima enim rectilinea figura est trigonus. *Ficin. in Plato. de rep. publ. dial. 8. cap. 6.* Figura icosaedra componitur ex viginti triangulis, quorum quilibet similiter in sex scalenos euadit. *idem, in Plato Timaeum, cap. 40.* Figuram pyramidalem octoedram & icosaedram molem, ex triangulis scalenis constituit Plato. *idem, ibid.*

Figuram dodecaedram mundo accommodatam, ex duodecim pentagonis sit sigillatim in triangulos aequilateros quinque diuisis, ita vt vnusquisque ex triangulis sex scalenis conficiatur, & in omni mole duodecadra trecenti sexaginta reperiantur trianguli, quot etiam in zodiaco portiones existunt *Fic. in Plat. Tim. cap. 40.* Figura sphaerica mundo fuit accommodatissima, quia capacissima, aequalissima, & absolutissima. *idem, ibid. cap. 15.*

Figurae verae in corporibus non reperiuntur, nam verus circulus in puncto tangit planum, at corpus in puncto quiescere nequit, nec quantum ad sensum spectat vera figurarum principio existunt, vt puncta, lineae, & superficies. *Ficin. Platon. Theolog. lib. 8. ca. 2.* Figuris satisfacit commune subiectum at numeri nec proprio, nec communi, nec vllo prorsus corporeo indigent fundamento, ex quo patet figuras naturalibus speciebus, numeros autem figuris esse priores *idem, in Plat. Timaeum. ca. 40.* Figura octoedra ex octo aequilateribus triangulis constituitur, quorum quisque in sex scalenos diuiditur. *idem, ibid.*

Filij.

Filij si essent equi, vel vituli pulli, possemus aliquem ipsis praeficere, ac mercede conducere, qui ipsos pulchros, ac bonos faceret in decenti virtute; esset autem hic aut equestris ordinis aliquis, aut ex agricolis, nunc verò cùm homines sint, aliquem doctum praeficere debemus, vt doctos efficiamus? *Plato in Apologia.* Filijs Socrates precatur, vt si ita, vt ipse iudicibus molesti fuerint, vt ipsos condemnarent, & si magis pecuniarum, aut alterius rei curam gererent quàm virtutis, & si aliquid se putauerint esse, cùm non sint alij exprobrent ipsis. *idem, ibid.*

Filiorum educatio difficilis, & cum timore coniuncta. *Plato in Theage.* Filiorum cura est maius studium, quod à viro mente praedito habendum sit, vt quàm optimi euadant. *idem, ibid.* Filij, si seipsos neglexerint, & patribus exhortantibus ad virtutem non paruerint, ignobiles euadent. *idem, in Lachete.* Filij quales sunt, vel boni, vel mali, talis patris domus gubernatur. *ibid.*

Filijs quae sint vel ne, scire pulcherrimum est, nescire turpissimum *in Gorgia.*

Filios bonos & gloria claros habere, maxima sunt bona. *in Menexeno.*

Filij suppostitij affectiones sunt, vt antequam sciat se suppositum esse, honorat patrem, & matrem, & alios quos cognatos putat magis quàm adulatores, & minus contemnit, si qua re indigeant, & minus iniquum in ipsos facere, aut dicere, minus illis inobedientem esse magnis in rebus, quàm adulatoribus: at vbi senserit id quod est, circa alios studium, & honorem remittit, circa adulatores verò auget, & ipsis insigniter magis obedit, & iam incipit secundùm eorum voluntatem viuere, & patrem quem putabat nihil curare. *Plato de rep. dial. 7.*

Filij parentum honores viuentium debent persoluere; nam putare debent, quae possident & habent omnia esse eorum qui eos genuerunt, & educauerunt, ita vt ipsa omnibus viribus in eorum ministerium exhibeant initio ab externis bonis facto, deinde corporis bona, & tertia animae mutuo accepta rependant, cuius & veteres pro se iuuenibus toleratos labores velut mutuo datos senibus iam in senectute valde indigentibus exoluant. Per omnem vitam verbis insigniter beneuolè erga parentes exhibere se conuenit proinde irascentibus, & iram explentibus siue verbis, siue operibus hoc faciant, concedere oportet, & cognoscere patrem qui iniuria affectum se putat meritò in filio insigniter succensere. Mortuis parentibus sepulturam moderatissimam, & quam maiores genitoribus statuerunt faciant, & annuas curas vt perpetuam ipsorum memoriam non omittant persoluere debent. hoc si faciunt Deo grati erunt. *Plato de leg. dial. 4.*

Filios & vxorem qui negligit, immortalitate se priuat. *Plato de legibus dialog. 4.* Filiis procreandis Dij fauent iis, qui cognationem, & cognatorum deorum societatem omnẽ eiusdem sanguinis naturam habentem honorant & colunt. *idem, ibid. dial. 5.* Filiis non multas diuitias, sed multum pudorem relinquere oportet. *ibid.*

Filiis procreandis operam dare non oportet corporibus ab ebrietate diffusis, sed id quod producitur bene compactum, & non vagum, & quietum in vtero constari, at qui ex vino ebrius est, & ipse penitus fertur, & fert tum corpore, tum animo rabie correptus. *Plato de legib. dial. 6.*

Filij ciuibus qui fuerint plures vno non pauciores quam decem annos nati, ex his sortiantur quos pater aut auus paternus, aut maternus proposuerit; eorum verò qui sortiuntur nomina ad Delphos mittantur: quem autem deus responso designarit, is meliore fortuna haeres constituatur in domum illam quam illi reliquerunt, qui proditionis poenam tulerunt. *idem, de leg. dial. 9.*

Filius nullus cum homine qui non genuit vllum habeto commercium; infelicitatis eius miserere, cùm noueris, quae hunc mala post mortem maneant. Quod de iis intelligendum est, qui nullam in vita virtutem pariunt, vt qui non operantur bonum, nec bonum suscipient. *Mercurij Trismegisti Pimander, cap. 5.*

in bonis vtilibus est reponenda. *idem, ibid.* Felicitas humana nequaquam, sicut Epicurei falsò senserunt, in sensibilibus voluptatibus collocatur. *ibid.* Felicitas humana in honestate, & in habitibus actibusque animæ intelligentis proculdubio est statuenda. *ibid.*

Felicitas humana neque in arte, neque in artis operibus, sed in actionibus potius ex virtute, aut sapientia emanantibus est reponenda. Leo. *Heb. de Am. dial.* 1. Felicitas humana haud in solo habitu, sed in actu potius cognitionis consistit. *idem, ibid.* Felicitas humana in vnius tantummodo rei actuali intelligentia est collocanda. *ibid.* Felicitatis veræ humanæ sententia est, quod humana beatitudo in intellectus agentis, hoc est in Dei, diuinique intellectus pura, & sincera à nobis habita reponitur cognitione. *ibid.* Felicitas humana in vnius tantum rei absolutissima cognitione consistit. *ibid.*

Felicitas animorum nostrorum in intelligibilium spiritualiũque formarum acerrima contemplatione consistit. *Leo Heb. de Am. dial.* 1. Felicitas humana in intellectus agentis clara lucidaque ab humano intellectu habita cognitione seu visione consistit. *idem, ibid.* Felicitas nostra in diuina cognitione visioneque collocatur. *ibid.* Felicitas humana in actu tantummodo intimæ illius copulationis, & vnitæ diuinæque illius cognitionis nimirum consistit. *ibid.* Fælicissimum mortis genus est, quod ex animæ, & intellectus copulatione proficiscitur *ibidem. dial.* 3.

Felix hominum genus esset, & si vnusquisque suum amatum adipisceretur. *Plato in Symposio.* Pelicissimus est, qui non habet in animo prauitatem, secundo loco qui ab illo liberatur. *idem, in Gorgia.* Felix qui esse vult, ita viuere debet, vt omnia tam priuata quã publica ad illũ finẽ dirigere debeat, quo iustitia & tẽperantia adsit ei, vt cupiditates incastigatas esse non sinat, ne si has explere conetur, inexplebile malum incurrat, & latronis vitam viuat; nam nec hominibus, nec Deo gratus viuere potest, societatem enim ferre non potest, & in quo non est societas, nec amicitia esse potest. *ibid.*

Felix est, cui sapientia, & veræ & constantes opiniones etiam ad senectam accedunt: perfectus est homo, qui virtutes, & quæ in his sunt bona omnia adeptus est. *Plato de legib. dialo.* 2. Pelix non est, qui non est bonus. *idem, ibid dial.* 5. Felix est, qui sua contentus est forte. *Ficin. Epist. lib.* 6.

Felix ad summum est ille, qui cuncta conspicit, cunctisque potitur bonis, sed vera cuncta simul videt in vna forma vera, idest mẽte diuina, cunctis similiter bonis fruitur in ipso bono, & cum per vnam formam, per vnum fontem, & vera conspicit, & haurit bona vno intuitu vera contuetur omnia, vno similiter haustu combibit omnia bona. *Ficin. in Plotini En.* 1. *lib.* 5. *cap.* 5.

Fellis per vasa expurgetur quod assum & vsu nutrimenti fuerit id que sanè calidissimam in eo ac dulcissimum est, qualia sunt mel aut adeps: id verò per flauam bilem conuersum est. *Iac. Carpent. in Alc. digress. cap.* 16.

Fænerari est hominem occidere. *Francisc. Patritius de Republica, lib.* 1. *cap.* 8. Perarum dirarum luxuriæ solis reprimitur imperus. *Apul. Metamor. lib.* 8.

Feritas est non cognoscentium. *August. Steuch. de perenni philosophia lib.* 6. *cap.* 9.

Ferocitatem in homine deprauato ad malum auget machinatio perspicacissimæ mentis ad malum. *Fic. in Plato. de legib. dialog.* 6. Ferocitas est excessus audaciæ, non metuens quæ metuenda sunt. *Speusi. pus de Plat. defin.*

Ferrum Marti tribuunt Chyolci. *Ficin. in Plotini En.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. Ferrum non ad exitium datum, sed ad vsum. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib.* 7. *cap.* 22.

Festa.

Festa Dii tribuerunt hominibus miserati laboriosum à natura humanum genus, remissiones laborum ipsis constituerunt, & Musas, & Apollinem musarum ducem, & Bacchum compulones attribuerunt, quo epulationes in festis corrigerent. *Plato de legibus, dial.* 2. Pesta duodecim dijs sint ea quibus vnaquæque tribus cognominatur, ita vt singulis his mẽstrua sacra fiant, chori, & certamina musica, Gymnica item, prout decorum est, & dijs ipsis, & temporibus attribui. *idem, de leg. dial.* 8

Festa terrestrium, & quos cælestes vocant, & eorum qui hos sequuntur, permiscenda non sunt, sed separanda, & mense duodecimo secundum legem attribuenda. *Plato de leg. dial* 8.

Pesta muliebria distribuantur, quæ sine viris, & quæ non peragi conuenit. *idem, ibid.*

Festis diebus ludos quosdam semper cum sacrificijs honestos subornare oportet, quo pugnæ quædam in festis fiant, quæ bellicas quàm maximè imitentur, & victoriæ, & rei bene gestæ præmia singulis distribuere, & encomia, & vituperationes facere, prout quisque se gesserit, & in certaminibus, & in omni rursus vita, prout quisque optimus esse videtur, ipsum ornare oportet, & qui contra vituperare. poeta talium sit qui non pauciores annos habeat quam quinquaginta annos; & ex his qui ipsi præstantes sint, & honores in ciuitate gerunt, & quorum præclara facta celebrantur. talium virorũ poemata conãtur, &c. *Plat. de le. dial.* 8. Pesta a Dijs instituta sunt misericordia motis ob hominum miseram vitam in laborum remissionem. *Ficin. in Platon. de legib. dialog.* 2.

Pestinandum non est ad grauissima, nisi leuissima prius consequutus fueris. *Fic. in Pla. Gorgiam.*

Fibræ in sanguine dispersæ sunt ea gratia, vt moderatam tenuitatem & crassitudinem haberet, & neque ob caliditatem, vt qui liquidus esset, ex toto corpore efflueret, neque rursus præ densitate piger ad motum foret, & vix in venis diuersari posset. Hanc vtilitatem fibræ ex naturæ ortu seruant, quas, si quis etiam in mortui animalis sanguine, eoque frigori exposito colligat, omnis reliquus sanguis diffunditur; si verò sinantur, hi cui cum circumstanti frigore ipsum congelant. *Plato in Timæo.*

Fibræ à venis ad neruos passim annexæ sunt, per quas confluit sanguis subtilis simul, & tenax ad neruos instaurandos: quod autem in sanguine hoc mollius superfluit, exudat mox cogendum in carnes. *Fic. in Plato. Tim. cap.* 88.

Fideiussor sit etiam qui quodcunque vendit pro alio, qui non iure vendit, aut etiam nequaquam fide dignus est. *Plato de legib. dialog.* 12. Fideiussionem, quum quis præbet, expressè præbeat vniuersam rem cum cautione promittens; & coram testibus non minus tribus, si intra mille drachmas res æstimetur; si vltra mille, nõ paucioribus quinque. *Idem, ibid.*

Fides.

Fidere non debemus in nostra, quæ nulla est, sed in Dei virtute, qui humiles diligit, & mirabilium facit operum effectores, vt in apostolorum electione clarè patet. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de studio phil. lib.* 2. *cap.* 3.

Fidem de dijs duo faciunt: vnum, quod dicebamus de anima, quòd antiquissima & diuinissima est omnium, quorum motus ortum adeptus perpetuam essentiam produxit: alterum, quòd de motu, quem ordinem habent astra, & quæcũque alia, quorum dominium mens obtinet, quæ totum gubernat, & construxit. *Plato de leg. dial.* 12.

Fides est recta præsumptio quod sic res se habeat, vt sibi videtur, & morum stabilitas. *Speusippus de Plato definitionibus.*

Fidem nostram quantum peregrino testimonio fieri potuit diuinitus traditam antiqui doctores nostri sanctissimi verbis auctorum, & præsertim Platonis, confirmauere. *Bess. Card. in Calumniatorem Plato. lib.* 1. *cap.* 2.

Fide ad summum bonum peruenimus, scientia, & ingenio. *idem, lib* 2. *cap.* 4.

Fides est donum Dei, cui qui non obstiterit, iugiter Deo illustrante fit particeps. *Iohannes. Fran. Pic. Mirand. de prænotione lib.* 9. *cap.* 5.

Fidei nostræ fundamenta non ab homine, sed à Deo pendent, non sensu, aut phantasia habentur, aut humana inuentione, sed diuina reuelatione nec experimentis artium sensibilibus, sed lumine fidei stabiliuntur, prodigijs, & miraculis, in quæ nemo philosophus potest: tanta est vis veritatis diuinæ, vt quæcunque in eam parentur arma, retundantur & resoluantur. *idem, in examine vanitatis doctrinæ gentium, lib.* 2. *cap.* 20.

Fides est promissorum, & conuentorum fida obseruantia, vel mutuæ exhibitio stipulationis. *Fran. Pat. de regno, lib.* 2. *cap.* 20.

Fides, & opinio differunt: nam fides assentitur rebus incognitis firmiter, opinio alteram partem amplectitur vt titubet, an altera vera parte sit potior. *M. Antonius Natta, de immortalitate animi, lib.* 1.

Fidem & pietatem profitentes mundum sub aliquod temporis initium è Deo ex nihilo asserunt procreatum fuisse. *Leo He. de Am. dial.* 3. Fidem haud quidem demonstrationibus confirmari, sed à philosophorum tantummodo rationibus vindicari satis superque esse videtur. *idem, ibid.*

Fidium coaptationes in musicis instrumentis, siue in vnico tetrachordo, quale inuenit Mercurius, & Orpheus confirmauit; siue in duobus tetrachordis per chordas septem vnà cõiunctis, qualia Terpander dicitur effecisse; siue in geminis tetracordis per chordas octo dispositis, quorum Lycaonem Samium fuisse authorem asserunt; siue in tetracordis quatuor coniunctis, atque ex fidibus quindecim Græcorum tandem omnium approbatione cõstantibus: in his omnibus tetrachordis gradatim diatessaron resonat consonantia. *Fic. in Plat. Tim. cap.* 29.

Fiducia est præsagitio quędam futuræ prosperitatis quę à virtute non à petulãtia procedere debet. *Fr. Pat. de reg. li.* 7. *ca.* 9

Fieri est

Fieri est duplex, vel natura, vel ex aliquo accidenti. *Chalcidius in Platonis Timaeum.* Fieri nihil ex non ente Aristoteles ait. *Bessa. Cardina. in Calumniatorem Plato. lib. 2. cap. 6.*

Fieri, & esse iam factum inuicem opponuntur, merito quod fit, qua ratione fit, essentiam non habere putatur. *Fic. in Plat. Parm. cap. 24.* Fieri dicimus transigi tempore. *idem, in Platonis Timaeum.*

Figura.

Figura omnis cum alia figure genere est idem; partes autem ipsius partim maximè contrariæ sunt, partim diuersitatem infinitam habent. *Plato in Philebo.* Figura est solidi finis. *idem de virtute.* Figuram, quæ paucissimas habet bases, necesse est ex natura facile moueri, & maxima vi secandi præditam esse, vt quæ omnium acutissima leuissima sit, & ex paucissimis partibus constaos *idem, in Timaeo.* Figuræ planæ recta basis ex triangulis cóstat. *ibid.*

Figuras veris rebus quarum figuræ sunt oportet accommodari. *Plotin. En. 1 lib. 2. cap. 4.* Figuras nos non cogitando creamus, quod testatur ipsa mundi figure nos antecedens. *idem, Enn. 6. lib. 6. cap. 17.* Figuræ non sunt formæ iacentes in aliis, sed ipsæ sui iuris existuns, ideo extensione non indigent; nam quæ extensa sunt, aliis sunt addicta, vne ergo figura est in ente. *ibid.*

Figuræ ratio duplex, vna in intellectili, alia in sensili materia. *Proclus in Eucl. lib 2. cap. 1.* Figura est quædam quę per mutationem constituitur, & à passione fit, dum illa quæ figuram recipiunt vexantur, vel diuiduntur, vel auferuntur, vel affectiones suscipiunt, vel alterantur, vel alias affectiones patiuntur. Est & figura quæ ab arte, & quæ à natura fit, & sunt animarum figuræ pulcbritudinis perfectissimæ, & mentium figuræ longè diuiniores, & deorū figuræ quæ exprimi non possunt. *idem, ibid. cap. 11.*

Figuræ quædam sunt ante sensibiles, per se mobiles, & intelligentes, & diuinæ figurarum rationes, & nos excitamur per sensibiles, proferimus internas rationes, quæ aliarum imagines sunt, & his sensiles figuras per exemple intelligentes, & diuines per imagines cognoscimus. *Proc. in Eucl. lib 2. cap. 11.*

Figurarum in diis cognitio vniuersarum tum gignendi, & cuncta inferiora constituendi vis est: in naturis efficientem eorum quæ apparent potentiam habent, cognitionis verò ac intelligentis perceptionis expertes sunt; in animis particularibus immaterialis perceptio est: & per sese agens cognitio, fœcunda autem & efficax causa non est, vt ergo natura efficienda sensibilibus præest figuris; sic anima, iuxta cognitricem sui partem agendo, promit phantasmata tanquam in speculo figurarum rationes. *Proclus in Eucl. lib. 2. cap 11.*

Figuræ ratio ex fine, & infinito, & mixto oritur, circularis ex finito, rectilineæ ex infinito mixtæ, ex mixto *idem, ibid.*

Figuræ planæ aliæ a simplicibus lineis continentur, aliæ è mistis, aliæ ab vtrisque: & quæ à simplicibus aliæ à simplicibus specie, vt rectilineæ, aliæ a specie dissimilibus, vt semicirculi; & quæ à similibus specie continentur, aliæ à circulari, aliæ à recta comprehenduntur: & quę à circulari, aliæ ab vna, vt circulus, aliæ à pluribus, vt corona, aliæ angulosæ, vt lunata, aliæ in infinitum à pluribus contineri possent: quæ à rectis, aliæ à tribus, aliæ à quatuor, & sic deinceps. *Procl. in Euc. idem, lib 2. cap. 11.*

Figurarum altitudo est perpendicularis, quæ ab altera parallela ad reliquam se extendit. *idem, ibid. lib. 4. cap. 12.*

Figuris numeri priores sunt. *Plutar. in Plat. quaest.* Figuratas res per idola figurare solemus, vt si gubernator ascendens scopulum vidit ciuitatem, semper, cum scopulum eandem videt, ciuitatem significat inter se: sic in somnio antecedente suos eadem rebus eisdem similia similibus. *Synesius de somnus.*

Figurarum rectilinearum principium est ternarius, prima enim rectilinea figura est trigonus. *Ficin. in Plato. de r. publ. dial. 8. cap. 6.* Figura icosaedra componitur ex viginti triangulis, quorum quilibet similiter in sex scalenos euadit. *idem, in Plato Timaeum, cap. 40.* Figuram pyramidalem octoedram & icosaedram molem, ex triangulis scalenis constituit Plato. *idem, ibid.*

Figuram dodecaedram mundo accommodatam, ex duodecim pentagonis fit sigillatim in triangulos æquilateros quinque diuisis, ita vt vnusquisque ex triangulis sex scalenis conficiatur, & in omni mole duodecadra trecenti sexaginta reperiantur trianguli, quot etiam in zodiaco portiones existunt *Fic. in Plat. Tim cap. 40.* Figura sphærica mundo fuit accommodatissima, quia capacissima, æqualissima, & absolutissima. *idem, ibid. cap. 12.*

Figuræ veræ in corporibus non reperiuntur, nam verus circulus in puncto tangit planum, at corpus in puncto quiescere nequit, nec quantum ad sensum spectat vera figurarum principio existunt, vt puncta, lineæ, & superficies. *Ficin. Platon. Theolog. lib. 8. ca. 3.* Figuris satisfacis commune subiectum at numeri nec proprio, nec communi, nec vllo prorsus corporeo indigent fundamento, ex quo patet figuras naturalibus speciebus, numeros autem figuris esse priores. *idem, in Plat. Timaeum. ca. 40.* Figura octoedra ex octo æquilateribus triangulis constituitur, quorum quisque in sex scalenos diuiditur. *idem, ibid.*

Filij.

Filij si essent equi, vel vituli pulli, possemus aliquem ipsis præficere, ac mercede conducere, qui ipsos pulchros, et bonos faceret in decenti virtute; esset autem hic aut equestris ordinis aliquis, aut ex agricolis, nunc verò cùm homines sint, aliquem doctum præficere debemus, vt doctos efficiamus? *Plato in Apologia.* Filijs Socrates precatur, vt si ita, vt ipse iudicibus molesti fuerint, vt ipsos condemnarent, & si magis pecuniarum, aut alterius rei curam gererent quàm virtutis, & si aliquid se putauerint esse, cùm non sint alij exprobrent ipsis. *idem, ibid.*

Filiorum educatio difficilis, & cum timore coniuncta. *Plato in Theage.* Filiorum cura est maius studium, quod à viro mente prædito habendum sit, vt quàm optimi euadant. *idem, ibid.* Filij, si seipsos neglexerint, & patribus exhortantibus ad virtutem non paruerint, ignobiles euadent. *idem, in Lachete.* Filij quales sunt, vel boni, vel mali, talis patris domus gubernatur. *ibid.*

Filijs quæ sint vel ne, scire pulcherrimum est, nescire turpissimum. *in Gorgia.*

Filios bonos & gloria claros habere, maxime sunt bone. *in Menexeno.*

Filij suppositititij affectiones sunt, vt antequam sciat se suppositum esse, honorat patrem, & matrem, & alios quos cognatos putat magis quàm adulatores, & minus contemnit, si qua re indigeant, & minus iniquum in ipsos facere, aut dicere, minus illis inobedientem esse magnis in rebus, quàm adulatoribus: at vbi senserit id quod est, circa alios studium, & honorem remittit, circa adulatores verò auget, & ipsis insigniter magis obedit, & iam incipit secundùm eorum voluntatem viuere, & patrem quem putabat nihil curare. *Plato de rep dial. 7.*

Filij parentum honores viuentium debent persoluere; nam putare debent, quæ possident & habent omnia esse eorum qui eos genuerunt, & educauerunt, ita vt ipsa omnibus viribus in eorum ministerium exhibeant initio ab externis bonis facto, deinde corporis bona, & tertio animæ mutuo accepta rependant, cuius & veteres pro se iuuenibus toleratos labores velut mutuo datos senibus iam in senectute valde indigentibus exoluant. Per omnem vitam verbis insigniter beneuolè erga parentes exhibere se conuenit, proinde irascentibus, & iram explentibus siue verbis, siue operibus hoc faciant, concedere oportet, & cognoscere patrem qui iniuria affectum se putat merito in filio insigniter succensere. Mortuis parentibus sepulturam moderatissimam, & quam maiores genitoribus statuerunt faciant, & annuas curas vt perpetuam ipsorum memoriam non omittant persoluere debent: hoc si faciunt Deo grati erunt. *Plato de leg. dial. 4.*

Filios & vxorem qui negligit, immortalitate se priuat. *Plato de legibus dialog. 4.* Filiis procreandis Dij fauent iis, qui cognationem, & cognatorum deorum societatem omnē eiusdem sanguinis naturam habentem honorant & colunt. *idem, ibid. dial. 5.* Filiis non multas diuitias, sed multum pudorem relinquere oportet. *ibid.*

Filiis procreandis operam dare non oportet corporibus ab ebrietate diffusis, sed id quod producitur bene compactum, & non vagum, & quietum in vtero constari, at qui ex vino ebrius est, & ipse penitus fertur, & fert tum corpore, tum animo rabie correptus. *Plato de legib. dial. 6.*

Filij ciuibus qui fuerint plures vno non pauciores quam decem annos nati, ex his sortiantur quos pater aut auus paternus, aut maternus proposuerit; eorum verò qui sortiuntur nomine ad Delphos mittantur: quem autem deus responso designarit, is meliore fortuna hæres constituatur in domum illam quem illi reliquerunt, qui produtionis pœnam tulerunt. *idem, de leg. dial. 9.*

Filius nulli cum homine qui non genuit vllum habeto commercium; infelicitatis eius miserere, cùm noueris, quæ hunc mala post mortem maneant. Quod de iis intelligendum est, qui nullam in vita virtutem pariunt, vt qui non operantur bonum, nec bonum suscipient. *Mercurij Trismegisti Pimander, cap. 2.*

Filij secundùm seminariam rationem fœtus nullo impediente formantur, & si quod formatur euadit deterior, aliquo sit intus impediente, vel concipientis visio, vel continentis dispositione conceptui huic aduersante. *Plotinus En.2.lib 3.cap.14.*

Filiorum partitio quę iustissima est portio, ea sermonum est iniquissima: quia illic capiendum est quod suum est, hic quod optimum, licet sit alienum: hic qui opinionem propriam generat, iudex sit deterior aliorum. *Plutar. quæstion. Plato.*

Filiæ sunt artes & scientiæ animæ, filij sunt particulares ratiocinationes animæ, pecora sunt sensus: quod Laban ad Iacob dicebat, filiæ meæ, filij mei, & pecora mea. *Philo Iud. de Cherubin.* Filiæ non existimantibus masculis hæreditatem paternam habere debent, vt ornamentum externum, non vt possessionem propriam. *idem, de vita Mosis, lib.3.*

Filij, qui mores parentum sequuntur, consuetudine potius imbibunt quàm genitura. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 10. cap.8.* Filiis non tantùm cogitandum est vt multa relinquamus sed vt multum bonos. *idem, epist lib 1.* Filiorum officium est genitorem sequi quasi radicem, & caput, & tanquam Deum alterum venerari *idem, ibid. lib.3.* Filij architecti mundi sunt animæ sphærarum, stellarúmque, & dæmonum, vel angeli inferiores. *idem, in Plato. Timæum, cap.37.*

Filios viginti duplici partu Dorothea mulier in alpibus viro suo peperit, vno vndecim, altero nouem. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. in exam vanitatis doctr. gent. lib. 1. cap.16.* Filius non debet subsidia vitæ necessaria parenti, à quo nullam artem accepit, ex Solonis lege. *Franc Patri. de repub lib.1. cap.8.* Filij vbi adsunt, non sunt aliæ deliciæ quærendæ. *idem, ibid. lib 4. cap 6.* Filiis carere præstat, quàm malè moratos & turpes alere. *ibid.* Filijs educandis duæ res considerandæ sunt, vna ad matrem, alia ad patrem spectans prima, ratio viuendi, secunda bene viuendi. *ibid.*

Filios Dei, qui se nouissimis seculis visibiliter omnibus declarauit, erat ille ipse quem olim obscurè cuncti venerabantur Iouam, creatorem, regentémque omnia potestatem vocantes, philosophis religionibus sæculis omnibus notum. *August. Steuch. de perenni philosophia, lib.1. cap 3.*

Filij Dei nomina in antiquis scriptoribus sunt, causa, mens, opifex, verbum. *idem, ibid. cap.27.*

Filum filo non connectere prouerbium est. *Plato in Euthydemo.*

Finis quot dicitur modis.

Finis bifariam accipitur: aut perfectiuè pro bono & appetibili, quo perficitur id à quo appetitur: aut effectiuè pro effectu, quo homo, aut equus, aut quid sale est effectum. *Bessar. Card in Calumniatorem Platonis, lib.3. cap.10.*

Finis in rebus naturalibus accipitur, aut per se ratione effecti operis, aut ad aliud ad quod scilicet refertur. *idem, ibid.*

Finem duplicem aut multiplicem esse eiusdem numero nõ est inconueniens ratione diuersa. *ibid.*

Finis duplex, quem, & cui homo finis est cuiusnam finis quem cœlestium homo est, *ibid.*

Finis duplex est, ordo intentionis vnus, executionis alius, & in vtroque aliquid primum esse oportet, & quod primum est in intentionis ordine, principium est quod appetitum mouet, & subtracto principio appetitus à nullo moueb itur, & quod in exequendo principium est, id est, vnde operatio incipit, quo subtracto operari aliquid nullus inciperet principium intentionis est finis vltimus, executionis principium est eorum, quæ ad finem sunt principium; & sic neutra ex parte in infinitum progredi potest. *Ficin. in Plato phileb. lib.1 cap.2.* Fines rerum omnium ab arte extructarum duo esse videntur, quorum vnum operæ, & alterum operis rectè nuncupare solemus. *Leo Heb. de Am. dial.3.*

Finis quid est.

Finis omnium non est facere aliquid, nec acquirere, nec constituere; sed vbi quis ei quod factum est conseruationem semper perfectè excogitauit, tunc iam putare quidquid factum esse oportuit peractum esse, prius autem totum imperfectum est. *Plato de legib dial.12.*

Finiens non semper finito est magis ens, sed eum abstractum ab ipsa natura seipsum infert. *Syrianus in 2. metaphysicor. cap.6.*

Finis, qui à præstantissimis philosophis celebratur est iuxta naturam viuere; & fit, cùm mens ingressa virtutis semitam incedit per rectæ rationis vestigia, & Deum sequitur, memor eius præceptorũ, habens ea rata, & firma dictis & factis omnibus. *Philo de migr. Abrahami.*

Finem cuiusque præcipuum, & proprium putamus, quod propriè res quæque summopere appetit tanquam summum cuique bonum, cuius gratia petit & agit reliqua, in quo tandem quiescit omnino, adeo vt finem naturæ appetitúsque stimulo iam prorsus imponat. *Ficin. epist. lib.2.*

Finis in arte, & consilio nil aliud est quam terminus, ad quem mouetur agentis intentio potissimum, & in quo quiescit. *idem, in Plato phileb lib.1. cap.1.*

Fines sunt præcedentium, & principia sequentium omnia quæ inter agens primum & finem postremum sunt. *Fic. in Plat. phileb. lib.1. cap.2.* Finis vltimus est, propter quem cætera appetimus & ipsum propter se, non propter aliud, *idem, ibid.* Finis vltimus est, vltra quem quod agis, aliud nihil quærit. *ibid.*

Finis vltimus est illud, quod est principium motus in appetendo, ita vt quidquid mouet appetitum, eius vi, & gratia moueat, etiamsi nequaquam animaduertamus. *Ficinus in Plato phileb. lib. 1. cap 2.* Finis est, in quo appetitio eius quod mouet, & eius quod mouetur quiescit: & ratio boni est, vt appetitum impleat, nam omnia bonum appetunt, & omnis motus ad bonum ducit *idem ibid. cap.3.*

Finis, cuius gratia omnia operantur est bonum *idem, ibid.*

Finis vitæ est actionum, & artium omnium principium. *Fic. in Plat. phileb. lib.1 cap.13.*

Finem totius esse necesse est, cum partium omnium finis sit. *idem, in Plato. de regno.* Finis in arte & consilio cùm nõ sit aliud quàm terminus aliquis ad quem potissimum mouetur agentis intentio, & in quo denique conquiescit, certè & motibus naturalibus præscriptus est finis. *idem, in Plotinum En.3. li.2. cap.1.*

Finis cuius gratia vnaquæque intelligentia orbem suum circunducit, ipsamet intelligentia mouente nobilior ex Aristotelis sententia esse videtur. *Leo Heb. de Amore, dialog.2.*

Finis vt causa.

Finis intentus est principale quæsitum, qui postremo inuenitur. *Aristot. Theolog. Aegypt. lib 1.* Finis non tantùm actionum est causa, sed etiam multo magis contemplationum, nam gratia boni, seo assimilationis ad diuinum, & vere naturæ salutis considerationem appetimus ipsarum actionum verò finis, & particularis est, & nunproprie finis. *Syrian. in 2. metaph.*

Finis appetitio in rebus, aut casu, aut vsu, aut natura est: non casu, quia raro contingeret: non vsu tantùm, quia ante communem vsum inest hominibus appetitus, saltem ad ea quibus post assuescimus: ergo natura, nam quod omnibus inest, est à specie & natura, ergo à Deo, quod est naturæ & speciei principium. *Ficin. in Plato. phileb. lib.1. cap. 2.*

Finis inter alias causas principatum tenet, & ab ipso cæteræ omnes aliæ causæ habens quod actu causæ sunt. *Idem, ibid. cap.30.*

Finis vnum esse debet non plura, nam aut æquè mouent appetitum, aut non æquè si non æquè, quod magis mouet finis est, & aliud est ad finem, si æquè similiter & pariter ad vtrunque afficitur appetitus, affectus iste par & similis, à pari & simili natura est appetitus ipsius, par autem & similis ad par & simile rapit; non igitur, vt diuersa sunt, appetuntur æquè; sed in quantum vna quædam natura communis est in vtrisque per quem paria & similia sunt, & pariter similitérque petuntur: vnum ergo est quod quæritur, vnus ergo est finis. *Fic. in Plat. phileb. lib.1. cap.34.*

Finis optimus est, cuius gratia Deus totum genus humanum procreauit. *idem, in Plat. de regno.*

Fines sublata assignatione, non possunt vlla in re causæ dispositionum & naturalium motionum assignari. *Fic. in Plot. En.3. lib 2. cap.1.* Finis cæteras mouet causas, ipsásque antecellit. *idem, ibid.* Finem proponere his, quæ diriguntur ad finem, ordinémque seruare perpetuum, rationis est proprium. *ibid.*

Finis cognitio maximè omnes solicitat, nam propter omnes mouentur. *M. Ant. Nata de immor. animi, lib.1.*

Finis causa causarum haud immerito nuncupatus. *Leo Heb. de Am. dial.2.*

Finis totius quidem mundi in vnitate consistit. *idem, ibidem.*

Finis actionum.

Fines in hoc vniuerso omnes omnium in eo dispositorum, ad ipsum finem mundi conducunt. *Procl. in Alcibiadem primum.* Finis humani generis certus est, in actione quadam circa perfectiora consistens, per quæ & superiora pro viribus imitetur, & diligenter inferiora gubernet, scientia quidem naturalia perscrutetur, pruden-

tia

gubernet, scientiâ quidem naturalia perscrutetur, prudentia disponat humana, pietate verò diuina colat & veneretur. *Fic. in Plat. de regno.*

Finis hominis in actione & contemplatione consistit, ita tamen vt actio contemplationis diuinitus gratia constituta sit. *Fic. in Plat. de regno.* Finem homines assequi non possunt, nisi quadam lege in vnum conducantur, vt sine Architecti vna lege fabri ędificiū facere non possunt. *Idem, ib.*

Finis operis iudicandum est quod optimum est. optimum mundi in mutuo partium ordine collocatur; ordo itaque partium vniuersi earúmque distinctio tanquam optimæ productionis est finis, ideo ordo & distinctio rerum casu contigisse non potest. *Fic. in Plat. En. 3. lib. 1. cap. 1.*

Finis proprius & vltimus actionum cuiuscunque agentis in suimet perfectione, voluptate, bono, atque fælicitate tādem consistit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Finis communissimus omnium trium amoris specierum, vtilis scilicet, iucundi, atque honesti, in voluptate consistit. *Idem, ibid.* Finis proprius humani generis in diuinorum fælicissima contemplatione collocatur. *ibid.*

Fines singularum partium ad totius mundi compositionem concurrentium duo esse dicuntur, proprius scilicet, atque communis. *Idem, dial. 2.*

Finis proprietates.

Finis si à sapiente non præfigatur, cessabit eius inquisitio: adiuuat enim multùm considerantem, cui ad progrediēdum necessariæ sunt solicitudo & industria. *Arist. Theol. Ægypt. lib. 5 cap. 1.* Finis in rebus vltimis idem est fermè quod & principium, quia causa quæque ad sui finem mouet, & agit, *Fic. Pla. Theol. lib. 9. cap. 4.* Fini naturali quod est propinquius, eò vehementius aduentat ad finem. *Idem, ibid. lib. 18. cap. 8.*

Finis tanquam dominus præstantior est iis, quæ tanquam ministra quædam referuntur ad finem. *Fic. epist. lib. 1.* Finis summus reperitur vbi summus motor. *Idem, ib. li. 2.* Finem suum si vnumquodque in natura assequitur, multo magis animus qui perfectissimus est finem assequitur. *ibi*

Finis agentem mouere solet, & agens exemplar adducere. meritò deum primo contemplatus est, vt bonum, deinde vt essentiam & vitam, tertio vt intellectum, sapientiam, & exemplar. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.* Finis vitæ in primis noscendus est. vt ad eum actiones omnes dirigere valeamus, quid est bonum summum. *Idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 5.* Finis hominis, familiæ, & regni, alius est. *Idē, in Plat. de regno.*

Finis cum destinatis mediis comparatus totius rationem habet, summam destinatorum perfectionem in se continet, illisque fortasse vtroque modo est notior, & certe nascendi ordine postremus. *Iac. Carp. in Alcin. prima. isag. ess. de analytica meth.* Finis natura prior est mediis, & media fine, & totum partibus. *Idem, ibid.* Finis extremus in mathematicis non est quærendus in dirigendis machinis, sed in earum dignitatis ingenua contemplatione continetur. *Idem, in Alcin. cap. 6.*

Finis communis omnium partium ipsius mundi propriis earum finibus longè præstare videtur. *Leo Hebr. de Amore dial. 2.* Finem propositum haud semper nobis attingere licet. *Idem, de Amor. dial. 3.*

Finitis & infinitis, permistis tempora & quicquid pulchrū est peruenit. *Plato in philebo.*

Firmamentum cum vix proportionem habeat cum luna, ideo non tam obseruatur aspectus lunæ ad stellas sublimes quàm ad planetas; aspectus verò planetarum ad stellas altissimas diligentius obseruandus, sic enim illi ad illas proportionē habent, sicut ad illos luna; atque elementaliū humor ad lunam, & calor ad solē. præcipuè verò sublimium stellarum munera sortitus est Saturnus. *Fic. in Plat. de rep. dial. 8. c. 14.* Firmamēti vniformitas in motibus tribuit rebus inferioribus vnionem, & perseuerentiam. *Idem, in Plato. Timæum cap. 2a.*

Fit vnumquodque non à quolibet, sed à propriis quibusdam quædā propria fiunt, vt ab homine homo, ab equo equus. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 2.*

Flammam esse feruorem quendam rectè opinatus est Aristoteles, & ignem velut ob saturitatem iniuriosum atque luxuriantem. *Plot. En. 2 lib. 1. cap 4.*

Flagitiosi omnino sunt alieni, & tanquā profani à votis & sacrificiis sunt segregandi. *Fic. in Plat. Tim. cap 6.*

Flauus color fit, cùm splendidus rubicundo & albo miscetur. *Plato in Timæum.*

Flumina paradisi quatuor virtutes significant. *Philo in legis allegoria 2, lib. 1.*

Fluctus trium vndarum grauissimus, & periculosissimus est cùm aliqua grauissima affertur dubitatio. *Plat. de rep. dia. 3.*

Flusus & latio in rebus non est. *idem, in Cratylo.* Fluxum perpetuum esse non solum circa alia, verum etiam circa cœlestia corpora vetus sententia est. *Plotin. En. 2. lib. 5. ca. 2.*

Fœcunda sunt omnia quæ sunt, alioqui impossibile est semper esse, quæ sunt, quam fœcunditatem siue cupidinem, siue venerem, siue vtrunque possis rectè nuncupare. *Mer. Trismeg. Asclep lib. c. cap. 8.* Fœcunditate dempta ex his quæ sunt, impossibile est semper esse ea quæ sunt. *Apuleius Asclep.*

Fœdus firmantes Medi & Arabes, missum è leuiter vulneratis brachiis, aut pollicibus sanguinem inuicem lambebant. Romani fœdus firmabant porca saxo contusa, cum imprecationibus, vt sic cæderetur qui fœdere rupto à promissa fide discederent, *Francisc. Patric. de regno. lib. 8. c. 2c.*

Fœmina.

Fœmina θῆλυ à voce θηλὴ id est à mamma appellatur. *Plato in Cratylo.* Fœminas liberas non amare debent vulgares amatores. *idem, in Symp.* Fœmina à viro non multum differt secundùm naturam. *idem, de republ. dial. 5.* Fœminæ non minus ac viri in republica virtutum ornandæ, vt quę præstantes natura sunt, principatum gerant; æqualiter enim cum viris communionem haberent *ibid. dial. 7.*

Fœminis non minus quàm viris decoram esse equestrem disciplinam, & Gymnasticam ex veteribus narrationibus persuasus sum; & nunc scio innumerabilia mulierum millia circa pontum esse, quas sauromatidas vocant, quibus non equorum solum, sed etiam arcuum & aliorū armorum societas æqualis, cum viris demandata, æqualiter exercetur, & si id fieri potest, censeo stolidissimè omnium nunc in nostris regionibus fieri, quod non omni robore, vno consensu, mulieres & viri eadem studia tractent. *Plat. de legib. dial 7.* Fœmineum genus eruditionis & aliorum studiorum societatem cum virili genere habere debet. *idem, ib.* Fœminis Thraces vtuntur vt agros colant, vt bubulci, & pastores sunt. *Plat. de leg. dial. 7.*

Fœmineum genus in deliciis agere, & inordinati victus vsu consumere non licet, quod masculum perfectè curam gerit, hoc fermè felicis vitæ dimidium pro duplo relinquere, est. *idem, ibid.* Fœminæ ad equorum certamen non sunt cogendæ, sed si ab hoc studio non abhorreant, admittere oportet, & non vituperare. *ibid. dial. 8.*

Fœmina menstruosa speculum inficit aspiciendo. *Fic. de vita cœlitus comparanda, lib 3. cap 16.* Fœmina grauida tactu statim signat membrum hominis nascituri rei desideratæ nota. *idem, ibid.* Fœminæ viros facilè capiunt, facilius illæ, quæ masculam quandam indolem præ se ferunt, & maximè quæ spiritum habent lucidiorem & subtiliorem, in quo amatoria consistit illaqueatio. *idem, in Plat. conu. or. 7. cap. 9.* Fœminas es masculis ortas esse, Mosaicum illud refert, Euam ex viro productam esse. *idem, in Plat. Tim. cap 41.*

Fœmina quæpiam Augustæ multos menses defuncta, aereo corpore sumpto apparuit, multa interrogata respondit, & mille ferè testibus diuersis temporibus locuta est, & mandato Cæsaris testium responsa de hac re facta quidam asseuerat, nec non et à Cæsare id confirmatum ait. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. d. prænotione, lib. 7. cap 4.*

Fœminas diuina prouidentia timidiores fecit quàm viros, quia eas custodiæ & diligentiæ assignauit, metus enim ad custodiendi diligentiam plurimum confert. ipsæque domi quæ sunt curare debent: viri quæ foris. *Franc. Patricius de rep. lib. 4. cap. 3.* Fœmina animi ingenui nihil magis formidare debet quàm rumorem malum *idem, ibid. cap. 5.*

Fœminarum vera ornamenta sunt modestiæ, pudicitiæ, pudorisque laudes, quæ nullo auro, nullis gemmis, aut margaritis comparari possunt, secundum ornamentum est scitos habere filios, & indolis peregregiæ *ibid.*

Fœmina turturis exemplum imitari debet, vni tantum viro coniungi, hoc enim ingenuum animi signum est; impatiens enim libidinis esse videtur, quæ rursus nubit: nec enim fœlix, nec bene morata, aut pudica esse potest fœmina, quæ secundò nubit. *Franc. Patr. de r. p. lib. 4. cap. 5.*

Fœminas, vt ait Plinius, non ob aliud osculabantur propinqui, nisi vt scirent an vinum olerent tanquam pudicitiæ indicium. *idem, ibid. cap. 6.*

Fœtui Astronomi aiunt Iouem vitalem vim inspiraturum per Mercurium potissimum ad humanam vitam spiritum confirmare. *Fic. epist. lib. 10.*

Fons vno modo mens nostra intelligitur, altero habitus rationalis & eruditio, tertio praua dispositio, quarto bona huic contraria, quinto rerum pater & conditor. *Philo de profugis.*

Forma quot dicitur modis.

Formæ non corporales, sed corporis, quia non habent originem à materia, neque ab ea numerum habent, etsi sint corporis formæ, vt anima rationalis. *Fic. Pla. Theologia lib. 15. cap. 13.*

Formæ triplices sunt, primæ diuinæ, mediæ rationales animæ, tertiæ infimæ sunt naturales. *Idem, in Plotin. En. 5. lib. 1. cap. 2.*

Formæ aliæ sunt coniunctæ corporibus, aliæ penitus segregatæ. illæ naturales, hæ diuinæ vocantur. sunt & aliæ cóiunctæ quodámodo, aliæ separabiles, id est rationales animæ, inter diuina & naturalia mediæ, quæ quatenus coniunctæ sunt corpori, eatenus à diuinis disiunguntur: at à materia separantur duobus modis. præcipuè tum morali purgatione, tum resolutione contemplatiua. *Fic. in Pla. epist.*

Formæ aliæ naturales, aliæ metaphysicæ, nam mathematicas prætermitto, & physicas actus impuros nominat Aristoteles, cum materiæ potentia communicantes: metaphysicos autem actus puros expertes eius potentiæ, quæ ad materiam pertinet. *Iac. Carp. in Alc. digress. 3.*

Forma quid est.

Forma, & materia non sunt substantiæ, aut certe substantiæ sensibiles, *Plot. En. 6. lib. 3. cap. 8.* Forma quamuis principium vnde motus non fit, tamen est principium vt finis, & cuius gratia agitur, quod proprie principium est. *Bes. Card. in Trapez. antium, lib. 6. cap. 8.*

Formæ natura est simplex, efficax, agilis ad agendum, qualis forma quædam est, vnde à physicis sæpe vocatur actus. *Fic. Pla. Theol. lib. 1. cap. 3.* Forma agendi est principium, & formarum aliqua est à natura impressa, vt igni calor, aliqua apprehensa, vt species cibi per visum. *Idem, ibid. lib. 9. cap. 4.* Formans assiduè aliquid est formato præstantius. *ibid. cap. 5.*

Formæ in corporibus nil aliud sunt quàm idearum imagines diuinarum, vt figuræ quæ imprimuntur in cera nil aliud sunt quàm imagines sigilli aurei. *Fic. Plat. Theol. lib. 15. cap. 1.* Forma omnis & lux, quæ oculis videtur, vel cogitatur, quia finita est, vmbra quędam est ad Dei formam & lucem. *Idem, epist. lib. 2.* Forma est agendi principium. *Idem, in Pla. Phil. b. lib. 1. cap. 2.* Forma sola est illa, per quā aliquid tale dicitur. *ibid. cap. 19.*

Formæ in quolibet intellectu post primum sunt contactus quidam essentiales idearum sempiterni, ac penitus intimi, ex quo contactu deinceps in anima, id est in facultate rationali, formulæ idearum, quasi ex coitu illo conceptę, insitæ quidem semper, sed ex habitu in actum atque vicissim tempore transeuntes: sunt que vniuersales formulæ, & de vnoquoque quid sit & propter quid designantes. & ex bis formulæ in imaginatione in aliæ profluunt, propius iam ad singula declinantes, quæ de vnaquaque re potius quale, quàm quid ostendunt, ac si quale quid non tamen propriè quid aperiunt. *Fic. in Plotin. En. 1. li. 2. cap. 2.*

Forma est in causa vt vnumquodque videatur. *Fic. in Plo. En. 2. lib. 4. cap. 3.* Forma terminus dicitur, quia naturam materiæ ad speciem quamlibet, ęque indifferentē, certis quibusdam speciei limitibus terminat. *Idem, in Plotin. En. 2. lib. 8. cap. 4.* Forma cùm sit principium actionis, actus quidem iudicatur. actus verò, vt actus, cùm propriè agat, non potest pati, & cùm naturalia inuicem patiantur, constat præter formas quibus agant materiam, id est essentialem potentiam, qua patiuntur, habere, & hanc subesse omnibus vnam, vt facilius & patiantur inuicem & mutē-tur. *Idem, in Plotin. En. 2. lib. 4. cap. 6.*

Formæ omnium rerum naturalium sunt secundum seminarias rationes in ipsa animæ mundanæ natura. *Fic. in Plotin. En. 5. lib. 4. cap. 12.* Formæ sunt quibus res distinguuntur. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 5. cap. 1.* Formæ vel rationales seminales in natura sunt vltima quædam vestigia diuinorum, ideo cognitione carent, quamuis vita non careant, agántque in materia, vt ignis & similia: & artificio quidē, quoniam sunt viuæ quædam expressiones cuiusdam intelligentiæ diuinæ, atque huius verba loquentis. *Idem, in Plotin. En. 4. lib. 4. cap. 13.*

Formam appellat Moises lucem. *Io. Pic. Mir. in Heptap. lib. 1. cap. 2.* Formæ natura nil aliud est quàm ipsius boni imago tenuis & vmbratilis similitudo. *idem, ibid.*

Forma, quæ cuiusque rei essentiam perficit, nudam & simplicem potentiam esse non dicimus, sed potius actū primum materiæ potentiam informantem, & eandem vt sic dicā actuantem. *Iac. Carp. in Alc. parte post. digres. 10.* Forma est rei cuiusque ratio, & essentia, à qua materia id habet quod est. *idem, ibi. dig. 3.* Forma est veluti materiæ lumen. *M. Ant. Nat. de pulch. lib. 2.*

Forma an sit in Deo.

Formæ rerum non sunt in Deo secundum modum naturæ distinctæ, per quas naturali quadam necessitate non aliter ducatur ad operandum, quàm ignis ad comburendū. *Fic. Plat. Theol. li. 2. ca. 11.* Formæ rerū primò sunt in Deo, deinde in cœlis, tertio in inferiori materia. *idē Plat. Theol. lib. 10. cap. 4.* Formalis omnis rerum distinctio describitur in diuina prouidentia, & eiusdem authoritate perficitur. *idem, in Dion. Areop. de diu. nom.*

Formas omnium primas esse in vno intellectu omniū effectore, & congregatarum naturalium formarum in vna omnibus subiecta materias esse ibi quodammodo distinctas, ostendit formalis naturalium formarum inter se differentia, quæ neque ex materia est informi, nec casu, cùm semper ordinatissima sit. neque ea vna quadam inter has specie formæ, quoniam ad vnū omnibus communissimum ordinatur, cùm ergo formarum cunctarū formalis distinctio ex vna forma omnium effectrice proueniat, necesse est ibi rationes disiunctionis inesse, per quas ibi sint formæ quadam inter se ratione disiunctæ est igitur intellectus ille & vniformis simul & omniformis. *Fic. in Plat. En. 1. lib. 2. cap. 4.*

Formam vnam primam esse necesse est, quæ sit ipsamet essentia prima, vita & intelligentia prima, cum per formam tria hæc per omnia porrigantur. *Ficin. in Plotin. En. 5. lib. 4. cap. 4.*

Formæ rerum quia in primo intellectu sunt, primæ ideo & perfectæ, & perfecto modo, igitur essentiales existunt: differunt tamen ab intellectu ratione quadam. Ille est intellectus vnus, illæ sunt formæ multæ & differunt ratione formali, præsertim quia intellectus eas tantùm inspicit, atque inspiciendo distinctè intelligit, facitque lōgius omnia etiam inter se differentia, id est reipsa, locóq; & tempore. *idem, in Plot. En. 5. li. 5. cap. 10.*

Forma vt abstracta.

Formarum simplicium quod est receptaculum incorruptibile est, & quod est simplex absolutum: at anima humana vtroque modo se habet. quapropter est incorruptibilis. *Arist. Theol. Ægypt. lib. 12. c. 4.* Formæ omnes intellectuales & in seipsis & inuicem sunt & per se singulæ. *Procl. ele. Theol. prop. 177.* Forma intelligibilis non secatur in partes similes, nec dissimiles. *Fic. Plat. Theol. li. 8. ca. 4.*

Formæ vltimæ conditio est, vt neque omnino sit absoluta, nec omnino immersa corporibus. si omnino esset libera, nec quicquam per corpus operaretur, corporis forma nō esset. si omnino obrueretur; neque quicquam ageret absque corpore, non esset vltima forma: esset enim hac vlterior illa, quæcunque talis esse reperiretur. vt partim iungeretur corpori, partim non iungeretur, qualem aliquā esse oporteret, vt inter substantiam illam angelicam à corpore omnino seiunctam, & per illud nihil agentem, & formam aliam omnino coniunctam corpori, & per corpus omnia agentem, qualis est bestiarum anima. Forma quædam sit media, partim iuncta corpori, partim separata, vt aliquid per corpus efficiat, aliquid per se ipsam. Talis est rationalis anima omnis, quia & regit corpus, & speculatur. sic angelus per substantiam, & per operationem est à materia separatus, & totus in æternitate, quia totus in statu. brutorum animæ per vtranque, coniunctæ, & totæ in tempore, quia per vtrunque mutantur. rationales animæ quia partim coniunctæ esse debent, partim separatæ, nec esse possent per aliquid separatæ, si coniunctæ essent per substantiam, necessariò sunt per substantiam separatæ, siue separabiles, quia nullam habent originem à materia, vel ab agentibus instrumentisque corporis: sunt autem coniunctæ per operationes, non per omnes, sed per infimas, & id non violentia sed amore vnde secūdum Chaldæos in confinio sunt æternitatis, & temporis, per substantiam sunt in ęternitate, per operationes in tēpore; siquidem illa manet, istæ mutantur. *Fic. Plat. Theol. lib. 10. cap. 3.*

Formarum diuinarum ad intuitum non simul sehris vnquā propriis nos vti solemus, sed naturis potius ipsis, quas simulachra comitantur. *Fic. Plat. Theol. lib. 15. cap. 16.*

Forma & ratio vniuersalis vtque separata, verior perfectiórque est particulari materialique forma. *idem, in Plat. Parmenidem, cap. 34.*

Forma prima consilii primi totalis, partiū quarumlibet, virtutumque suarum varietatem antecedit, vt radix ramos atque surculos, & lux radios & splendores. pendet autem non ex illis, sed ex ipso duntaxat simpliciter vno, excellēti videlicet illinc præ partibus suis virtute donata, quam virtu-

virtutem nec partes cunctæ comprehendunt inde procedentes. *Fic. in Pla. Parm. cap. 85.* Formæ diuinæ immateriales existimantur résque veræ; cuius imagines sunt mathematicæ, vmbræ verò res naturalis: quod mysterium est pythagoricum. *idem, in Plat. de repub. dial. 7.*

Formæ diuinæ, id est diuinus intellectus, mundi artifex, rerúmque ideæ, id est primi diuinæ intelligentiæ actus, & exemplaria rerum, neque materiæ insunt, alioqui ne fingi quidem posset à materia quid separatum, neque adsunt materiæ, non dico procul esse à materia secundùm locum; nam procul dubio vbique sunt, sed non adesse secundùm vllam naturæ cognationem affectúmque aliquem ad materiam. *Fic. in Plo. En. 1. lib. 2. cap. 1.* Formæ à materia separatæ, quæ & simplices sunt, in se ipsis existunt, nihil idealis rationis amittunt, nihil subeunt alterum. *idem, ibid. cap. 2.*

Formæ separatæ dissolui non possunt, stellæ verò ex natura materiæ dissolui possunt, nisi mira bonitate diuina connecterentur. *Fic. in Plot. 1 En. 1. lib. 8. cap 7.* Formæ primæ id est ideales, quasi materiale nonnihil habent adiunctũ, formabilem inquam mentis essentiam, multò magis formæ omnium infimæ, id est dimensiones, materiale aliquid, imò prorsus materiale vbique secum habent. *idem, in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 1.* Formas in opere suo plurimas voluit diuina mens, tum quia ipsa est vniformis, tum vt ex multis formis opus suum maximè formabile conficiatur. *idem, in Plot. En. 2 lib. 1. cap. 3.*

Formæ rerum in cœlo intelligibili à materia, dimensione & motu sunt liberæ: in cœlo autem visibili tria hæc necessariò subeunt, sed ibi materia procul est à passione, dimensio quoque sine diuisione, motus similiter seorsum à transgressione ordinis & transmutatione substantiæ: in regione denique nostra res tria hæc naturaliter patiuntur. *Fic in Pl 1. En 2. lib. 3. cap 11.*

Formam primam putamus oportere esse simplicissimam pariter & communissimam, vt entia omnia superat, & concipit, & parit, simplicitatem vniformem & communitatem omniformem ita demum possidet, si sit intellectus: præsertim quoniam ad intelligentiam pertinet, tum composita resoluere penitus in simplicia, tum res singulas sub vniuersalissima comprehendere forma. *Ficin. in Plotin. de prouidentia. cap 29.*

Formæ à materia separatæ, vel intellectus sunt, vel in intellectu, & ibi non secundum accidens, sed secundum essentiam intellectualem pariter & intelligibilem. *Ficin. in Plotin. En. 6. lib. 2. cap. 8.* Forma à materia separata, cùm sit forma perfecta, siue dicatur intelligibilis, est intelligibile perfectum, tale est quod intellectui est vnitum, siue dicatur intellectus, est intellectus perfectus. *idem, in Theoph. de phantasia & intel. cap. 49.*

Forma omnis à materia separata est procul à priuatione, & motu, atque diuisione: propter primum inest vniformis vitæ, quæ & intelligentiæ compos: propter secundum intelligit in se permanens, ideoque se omniformem intelligendo intelligit omnia; propter tertium sunt ibi simul in se inuicem omnes formæ, atque quod intelligit, & quod intelligitur, est prorsus idem. *Ficin. in Theophrast. de phant. & intel. cap. 19.*

Formæ sunt æternæ, cùm forma sui priuatio esse nequeat, quia contrarium in suum contrarium nunquam mutatur. *Seb. Foxius in Plat. phædonem.* Forma diuina mox intellectuali naturæ, deinde cæteris rebus procreatis, pro singularum captu & conditione, sese communicauit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Formæ et naturales.

Formæ terrestres, vt sunt in orbe cœlesti, sic in superno, sed adhuc sub specie nobiliore. *Arist. Theol. Aegyp. lib. 2. cap. 11.* Forma omnis naturalis huius mundi habet similem in illo superno sed nobiliorem; nam hic pendet à materia, ibi non, & ista est simulachrum illius. *idem, ibid. lib. 14. cap. 9.* Forma substantialis considerari potest absque materia nuda, vel si quam maximè inseparabilis sit à materia. *Ploton. En. 2. lib. 7 cap. 3.* Formarum mundanarum totam hanc varietatem accipe, & conseruatis formis, earúmque motibus dimensionem localem deme, habes mundi animam, penes quam in qualibet forma sunt cuncta, deme deinde motum, formis in statu seruatis, mẽtem iam diuinam habes, vbi quæuis idea omnes continet; denique idearum diuersitate in lucem vnicam resoluta, primum eius principium consecutus. *idem, En. 4. l. 8. c. 9.*

Forma substantialis non potest materiæ dare esse specificum, & subiecto proprio corrupto manet. *Bess. Card. in calum. Plat. lib. 3. cap. 22.*

Formæ corporales non habent ex se inuicem generationem sufficientem, sed causam insuper postulant aliquam altiorem, quæ causa superior si rursus forma esset similiter materiæ iuncta, ab illa iterum substantia superiore descẽderet, & tandem, ne fiat in infinitum progressio, deueniendum est ad formam aliquam, quæ nullis sit mixta corporibus *Fic. in Theol. Plat. lib. 1. cap. 3.*

Forma substantialis cùm soleat in materia potius quàm in quantitate iacere, & habeat secundùm generis & naturæ ordinem maiorem cum materia quàm cum quantitate proportionẽ, si alicubi absque materia esse potest, multo magis alicubi seorsum à quãtitate consistere potest. *Ficin. Theolog. Platonic. lib. 1. cap. 3.* Formam nullam diuisam in corpore apicem esse naturæ & rerum principium non est putandum, præsertim cùm oporteat principium rerum vi sua sempiternum fuisse, & fore. *idem, ibid.*

Formæ spiritu rationali inferiores, quia ex certis terminatisque materiis oriuntur, iisdem necessariò cohibentur: spiritus rationales, quoniam nullo pacto pullulant ex materia, ideo neque in se certam habent dimensionem, nec dimensioni alicui alligantur. *Fic. Platon. Theolog. lib. 2. cap 6.* Forma omnis, quæ diuisibili subiecto recipitur, fit diuidua. *idem, Plat. Theol. lib. 8. cap. 4.* Forma corporalis, præsertim elementalis, nullo modo vim infinitam habere potest *ibid cap. 16.* Formæ sensibiles non omnino sunt veræ tales quales cognominantur; nam æqualitas, & similitudo passim sunt participes inæqualitatis & dissimilitudinis *idem, Plat. Theol. li. 11. cap. 4.*

Forma corporea vndique finita est secundum esse, essentiã, virtutem, & actionem, secundum esse quia certis limitibus circumscribitur: secundum essentiam, quia in se accipit accidentia plurima præter speciem, tum quia propriũ vigorem omnino non seruat, nempe eius natura est actua efficax, vel vitalis; subit autem in corpore passiones & interitum, id est, secundum virtutem, & actionem, quia virtus eius augetur & minuitur, & operatio qualibet eo vsque se extendit, quousque instrumentorum & subiectorũ conducunt affectiones. *Fic. in Plat. Theol. lib. 15. cap. 2.*

Formæ rerum, vt à mente diuina in materiam per infimam animæ virtutem traijciuntur, id est per semina formarum virtuti huic infusa, ita è formarum corporaliũ perceptione non fit transitus in diuinæ mentis ideas, nisi per summam animæ partẽ, id est per innatas formulas idearum, vt à formis corporis, quæ omnino temporales sunt: quia tam essentia, quàm affectione mutantur, transcendentes in formas diuinæ mentis omnino æternas; quia nulla ex parte mutantur, per mentis humanæ formas partim æternas partim temporales, quia per essentiam manent, per affectionem verò ex habitu vertuntur in actum, & contra. *Fic. in Plat. Theol. lib 12 cap. 1.*

Forma substantialis in natura ipsa sustinet vbique qualitates, ab ipsis verò nusquam substinetur, alicubi tamen in quantitate iacere videtur, quod in formis naturæ infimis plane conspicitur. *Fic. epist. lib. 2.*

Formæ materiales suscipiuntur à materia, formæ indiuiduæ & à materia separatæ materiam ipsæ suscipiunt, & regunt. *idem, in Dio. Are. de diu. nom.*

Formã materialem, nec intellectualem vllo modo, nec actu intelligibilem esse putant Peripatetici & Platonici, sed potentia, quatenus per efficacem agentis intelligentiæ radium, quodammodo absoluitur à materia, formam immaterialem dicunt statim intelligibilem euadere. *ibidem.*

Formæ in materia quoniam sunt in malo, partim pugnant inuicem, partim etiam confunduntur: ideæ verò quoniam sunt sub ipso bono statim sunt in optimo. *Ficin. in Plat. Parmen. cap. 4.* Formæ corporeæ, cum propter dimensiones & qualitates inter se distent, nec in vnum facile conciliari queant, tum etiam propter materiam, si quo fortè congregantur impetu, commiscentur tandem, & inuicem confunduntur, at ideæ his conditionibus obnoxiæ non sunt, quibus ferè similiter se habent, radiales visibilium species, quoniam magis à materia distant quàm voces, odores, & sapores, nullo modo inuicem se confundunt, minus voces, minus odores, cætera verò minimè. *idem, ibid cap. 5.*

Formæ in materia non proximè ab ideis, sed per vires seminales naturæ illuc infusas efficiuntur, formæque materiales cum eiusmodi seminibus non in natura communicant. Sunt enim incorporea semina, sed in conditione quadam particulari admodum & mobili cum ideis, neque natura, neque conditione communicant, sed relatione & dependentia quadam, atque cogno-

Forma quælibet corporalis nil aliud quàm materiæ passio, dum materia hæc afficitur aliunde, nec dimensio aliud quam materiæ ipsius extensio, dum ab eodem extenditur, à quo formatur, vt distinctius & vberius formari queat. *Idem, in Plotin. En.2.lib.1 cap.*21

Forma hic sæpe fit materialis, in mundo incorporeo semper materia fit formalis. *Fic. in Plotin. En.2.lib.4.cap.*3.

Formam in materia resultare ex quadam impressione à formis effecta diuinis dum materia influxum idearum quasi speculi more repercutit; ideo pro veris idearum formis verisimiles reportare, vel reddere, vel simulare, vetus erat opinio. animæ autem à superno mundo prolapsæ, penitentia tandem affectæ ex hac quasi colonia, vel exilio in patriam reuertuntur. *Idem, ibid.lib. 6.cap 6.*

Formæ non sunt introductæ in mundo materiæ gratia, sed materiæ vt formæ naturales sint, & materiæ ita afficiantur, & ita vt formæ sint tales. *Fic. in Plotin. En.3.lib.2.cap* 2.

Formam specialem non variat, quidquid vel materiam sequitur, vel tam ad formale, quàm ad deforme declinat, vel ad materiæ quantæ diuisionem. *Idem, ibid.* Forma est præstantior quam materia. *Idem, in Plotin. En.4.lib.3.cap.*1.

Formæ rerum, quæ in materia distant inter se loco in animundi, distant differentia solum formali quæ in materia priora sunt tempore, & posteriora, in anima solo quodam ordine discrepant, quo aliis alia cedunt potiusquam succedunt. *Fic. in Plot. En.4.lib.4.cap.*16.

Formæ, quæ sunt in materia tanquam subiecto, dependent à formis, quæ sunt in anima mundi velut earum fonte; atque hæ rursus à formis, quæ sunt in mente prima tanquam fonte formarum animæ. *Idem, in Plotin. Enn.*5. *lib.9.cap* 3.

Forma de materiæ sinu educi non potest, nisi affectæ prius, & præparatæ congruis qualitatibus circa quæ totus opificis labor tota actionis mora consumitur, ipsa specie indiuiduo momento quasi præmio laboris statim effulgente. *Ioan. Pic. Mir. in Heptaplum.lib.*1.*cap.*1.

Forma existens in materia est, quæ perficit & custodit essentiam cuiuslibet rei. *Gabriel Buratellus de ente & uno, lib.*2.

Formæ quæ cum materia communicant, intelligibiles sunt, non tamen intelligentes. *Iacob. Carpent. in Alcinoi digressione* 3. Formæ cùm & materiam suapte natura turpissimam exornare, & corpora suapte ingenio rudia atque incomposita perficere valeant, & materia, & corporibus ipsis informatis longè pulchriores debent existimari. *Leo Hebr. de Amore, dial.*3.

Forma ut inter se differunt.

Forma magis ens est, quàm materia; ideo de eis non prædicatur ens vt genus vniuocum, sed vt analogum. *Plot. En.* 6 *lib.3.cap* 7. Forma & efficiens non semper, sed sæpe coincidunt simul. *Bess. in Calum. Plat. lib* 3.*cap.*19.

Forma, finis, & vnde motus, coincidunt inter se. *Idem, in Trapez. calum. lib.6.cap.*8.

Forma effecti operis est effectionis finis in omnibus, quæ non casu, sed vel natura, vel proposito fiunt. *Fic. in Plat. Theol lib.2.cap* 11. Forma non est corpus, quia corpus omne aliqua forma designatur, & forma vt forma formari non potest. *Idem, Plato Theolog. lib. 6.cap.*7. Forma mensura dicitur, quia materia suapte natura nullam habet propriam magnitudinem vel figuram, sed certa quadam forma, dum ad certam speciem eam terminat, propriam quandam magnitudinem & figuram requirit. *Idem, in Plot. En* 1 *lib* 8 *c*.4.

Formæ omnes tam diuersos habent essendi modos, quàm diuersa subiecta sunt à quibus suscipiuntur. *Fic. in Plat. Theol. lib.* 15. *cap.*7. Forma perfectior semper imperfectiores formas in se continet. *Idem, ibid. cap.*4.

Formæ quæ sunt sub cœlo à cœlestibus longe degenerant; illic puræ sunt, integræ, efficaces, passionis expertes, neque pugnaces: hic commixtione aliqua inquinatæ, mancæ, inefficaces, innumeris subditæ passionibus, &, si quid agunt, ad perniciem inter se pugnantes. *Idem, in Plotinu En.*1.*lib* 8.*cap.*8.

Formæ natura potentior est quam materia. merito vt infima formarum, id est quantitas, sic in materiam absorbetur, vt videatur esse materia, & nil agat & nil sit quam passio quædam materiæ extensio. sic forma formarum corporalium præstantissima, id est cœlestis, materiam suam occupat, & occultat, totumque ibi insultat vt forma: forma corporea, sedata vt incorporea vitæ occultatisque virtutis coruscatio quædam foras emicat præsertim per cœli oculos, id est stellas. *Fic. in Plot. Enn.* 2. *libro primo, cap.*9.

Formalis in ordine rerum distinctio prouenit ex prima forma formarum origine, non ex informi materia: in ipso enim duce, tanquam vniformi & omniformi rerum omnium ad necessarium vniuersi ordinem pertinentium, & destinata vnio est, & descripta distinctio. *Fic. in Plat. En.* 2.*lib.4.cap.*4.

Formæ mundi huius differunt à formis incorporei mundi, quia hæ ab anima proximè fiunt, illæ ab intellectu, vel Deo. *Fic. in Plot. En.2.lib.4.cap.*5.

Forma, ut elementorum, & uniuersi.

Formæ elementorum contrariorum, dum sunt in materia, contrariæ inter se sunt, quia se inuicem pellunt & interimunt; in mente non sunt contrariæ, quia ibi non solum se inuicem non pellunt, sed & iuuant. *Plat. Theol. lib.* 8. *cap.*12. Formæ diuersæ & variæ gignuntur ex elementorum mixtura, nam ipsis diuinitus est inserta vis multorum generum seminalium rationum, per quas rationes adiuuante cœli motu ipsæ gignantur. *Idem, in Plato. Timæum, cap.* 45.

Forma totius in se ipsa continet formaliter omnia; in formis verò singulorum non comprehenduntur formaliter alia, quamuis participatione quadam videantur adesse, ideo quicquid agitur vel agit, patiturve in mundo, tanquam familiare & proprium ipsius, ipsi conducit ad bonum. *Fic. in Plot. En.2.lib.3.cap.*13. Forma vna est vnius. *Idem, in Plot. En.2.lib* 6.*c*.2. Formarum ordines sunt, quibus elementa mutua eorum intercedente amicitia in vnum coniuncta atque commixta superuestiri merentur. *Leo Hebr. de Amore, dial.*2.

Forma proprietas.

Formam habent ea quæ ante sunt, omnis ordinis principium. *Procl. elem. Theol. prop.*212. Formæ lineamenta sæpe ex imaginis lineamentis conijcimus. sic ex hoc imaginatio cœlestis animæ vultu, quem in speculari materia mundi conspicimus, veram eius faciem pro viribus conijectamus. *Fic. in Plato. Timæum, cap.*24.

Formarum proprium est perficere, & sibi deuincire materiam, & materiæ partem inuicem copulare. quò præstantior forma est, & quò magis materiæ dominatur, eò perfectius hoc facere potest. *Fic. Plat. Theol. lib.5.cap.*5. Forma sine quantitate magis quam sine mole esse potest. *Idem, ep. lib.*2. Forma, quæ vel indiuisibilis est, vel necessariò iacet in alio, nunquam reflectitur in seipsam. *Idem, ibidem.*

Formabilis natura tantum non perducitur ad formalem naturam, nisi alicuius naturæ vnius, ac simplicis beneficio. *Fic. in Plot. En.2.lib.5.cap.*3. Formas rerum si in mutua rerum communione contueamur, certè cum Anaxagora omnia quodammodo in omnibus contuebimur: si eas rursus per intelligentiam exactissimam in formalibus suis manentibúsque rationibus tanquam iam abstructissimas inspexerimus, iterum cum Anaxagora intellectum ipsum esse discretorem omnium confitebimur. *Idem, in Plat. Parm. cap.*9.

Formarum semina in natura insunt. *Ficin. in Plato. phileb. lib.* 1.*cap.*18. Formæ omnes in materiam proueniunt à natura mundo impressa, quæ formæ vi illius naturæ fiunt, ergo in natura formarum insunt semina. & quia natura agit vi superioris essentiæ omnium seminum, quæ in natura sunt, in ea essentia sunt rationes, quæ ideæ à nobis vocantur. fœcunditate ergo diuinæ substantiæ fit & natura secunda, ex qua in materiam partus varij educantur. *Fic. in Plato. phileb. lib.*1.*cap* 18.

Formas veriores habet animus quibus de corporalibus iudicat, quæ tamen non sunt primæ formæ, cùm anima tota non sit mens, quoniam addat & mouendi, & sentiendi naturam. ergo in mente, quæ prima integra & absoluta est, sunt vniuersæ rerum formæ. *Ficin. in Plato. phileb. lib.*1. *cap.*19.

Formæ proprium est formare, & perficere, & materiam sibi propriam deuincire. nimirum quo præstantior forma est, eò facilius atque coniunctius subiectum sibi, atque accommodatam materiam format atque deuincit. *Idem, in Plot. Enn.*1.*lib.*9.*cap.*3. Formæ, non materia, considerantur in pulchri consideratione. *Idem, in Plotin. Enn.*1.*lib* 6. *cap.*3.

Forma vbi nulla est, ibi nulla est efficacia. *Idem, in Plot. En.*1. *lib.*8.*cap.*4.

Formarum ordo, vt superne non in nihilum desinit, sed in actum omnino purum effectorémque formarum, ita in infimo desinit non in nihilum, sed in potentiam puram, & formarum capacem. *Fic. in Plot. En.2.lib.4.cap.*3. Formabile actu nihil sub extrema formabilitate relinquitur. *Idem, ibid. cap.*15.

Formæ ideales in mente contrariorum non sunt contrariæ, imò in oppositis sæpe cognoscuntur opposita: formulæ verò seminales in natura effectrices contrariorum contrariæ sunt. *Idem in Plot. Enn. 3. lib. 2. cap. 16.*

Formalis differentia & ordinaria, quæ nec à casu, nec à materia fit, dependet ea formalibus quibusdam rationibus, quæ & in materia, & in mente vniuersali consistunt, nec numero infinitæ sunt. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 7. cap. 8.* Forma materiæ actum exhibet, & ordinem tanquam bonum: anima corpori vitam, & motum: intellectus animę virtutē: principium intellectui actum vitalem, & intellectualem, & lumen inæstimabile. *Idem, in Plot. En. 6. lib. 7. cap. 25.*

Formæ omnes rerum semper eædem sunt, nec vnquam pereunt, & si commutantur ab vno subiecto in aliud. *Seb. Foxius in Plat. phaedonem.* Forma nulla cuius est illud absolutè intelligi nequit. *Iac. Carpentar. in Alcinoi. cap. 7.* Formarum animis nostris consignatarum latitatio ex corporis humani materiæque societate nimirum contingit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Formarum spiritualium cognitio fit gradatim, ab inferioribus ad superiores, quousque ad omnium supremam atque excellentissimam formam denique pertingamus. *Idem, ibid.*

Formæ variæ opiniones.

Formæ, vt est rerum principium, variæ sunt inter Platonem & Aristotelem sententiæ. nam exemplarem Plato, quam ideam appellat, vult vnius principij rationem habere: Aristoteles rationibus quibus potest labefactare hoc conatur, & eam solam, quæ in rebus est singulis, & cum materia communicat, in principiis numerat, quam Plato agnoscit, sed principij vim habere negat. & cum Aristoteli illa interior sit, & prima, & summa rei cuiusque naturalis perfectio; eadem Platoni secunda tantùm est, & inchoata, quia ipsius ideæ est imago in materia fluente adumbrata. *Iacob. Carpent. in Alcin. præfatione.*

Formas omnes opinatus est Aristoteles rerum naturalium cœlestes, & diuinas esse, solam mentem extrinsecus aduenire, quia eius actio cum corpore non communicat, & ita in corpore est; vt non modò sit ab illo separabilis, sed etiam agendi modo separata, quoniam ita agit in corpora, vt in propria functione potius impediatur ab eo quàm adiuuetur. nec dubium est quòd ille mentem immortalem esse voluerit, sed quid de natura eius senserit, qualem iam ante corpus, in corpore ipso, & cùm ab eodem separata est, esse voluerit, de eo summa est inter omnes contentio, eáque vtrinque eiusdem scriptis cum aliqua probabilitate confirmata. *Iacob. Carpent. in Alcinoo parte post. digress. 10.*

Forma apud Aristotelem in communi, comparatione materiæ suæ, prior & posterior dicitur, sed ipsius naturæ significatione diuersa. nam vt hæc nascendi ordinem significat, quia in eo aliquid primum subesse oportet, deinde hoc informari, materia natura prior esse dicitur. at vt eadem materia, pro rei cuiusque essentia & summa perfectione, vsurpatur, formam antecedere materiam meritò dicitur; quia materia à sua forma primam essentiæ perfectionem capit ex quo accidit vt physica forma ratione, & cogitatione separari possit. *Iac. Carp. in Alcin. ca. 12.*

Forma apud Aristotelem quædam est sine materia, & actus sine potentia. *Iacob. Carpent. in Alcinoum, digress. 3.* Formositas cum cœlestibus animum mouet & commouet. *Plutarchus in quæstion. Platonic.* Formosi studere debent, vt quemadmodum natura corpori breuem tradidit pulchritudinem, sic ipsi vicissim Deo naturæ auctori sempiternam animi restituant pulcbritudinem nec committendum, cū exteriora multis placeant, interiure displiceant. *Fic. in Pla. Charmid.*

Formosos non quisque diligit, quia cùm animus sub Iouis imperio in terrenum corpus dilabitur, etsi aliquo temporis interuello Ioue regnante descenderit, & propter materiæ ineptitudinem non ita formosum corpus formauit, ab illo magis amatur quàm qui formosior à Phœbo vel Marte, vel Venere formatus est, & sic de aliis: ita vt non amatum in mera eius imagine per sensus accepta perspiciunt, sed in simulachro iam ab anima ad ideæ suæ similitudinem reformatu, quod ipso corpore pulcbrius est, intuetur. *Ficin. in Plat. conuiuium, or. 6. cap. 6.*

Formulæ vt ab animæ intelligentia impressæ in naturam animæ genitalem essentiales sint efficacésque, & substantialia faciant, oportet & formas tam in diuina mente, tum in animæ mente ita essentiales existere, vt ibi ita sit intelligere quod & esse, & ita intelligere quod intelligendo formare naturam: vt in natura idem est esse, & viuere, & materiam viuificare, & viuere. *Ficin. in Plot. En. 2. libro tertio cap. 17.*

Fortis.

Fortes alij sunt in voluptatibus, alij in doloribus, alij in cupiditatibus, alij in timoribus. *Plat. in Lachete.* Fortes non turpi timore timent vbi timent, nec turpi audacia audent vbi audent. *Idem, in Protag.* Fortis vocatur vnusquisque anima irascibili, quum ipsius animi impetus conseruarit per dolores, & voluptates id, quod à ratione horrendum, aut secus dictatum est. *Plat. de rep. dial. 4.*

Fortes reuera sunt qui bonis consiliis sæpe inuenerunt rem & priuatam & publicam in summæ salutis discrimine, constanter sequendo vtilia vel amicis, vel patriæ. *Phil. de fortitudine.* Fortis viri officium non modò in horrendis sed etiam in voluptatibus superandis Plato ponit. *B. ss. Carden. in calumniatorem Plat. lib. 4. cap. 4.*

Fortis non est qui succumbit iniuriis, sed qui superat, & ille superat qui ita resistit, vt ob earum impetum è suo statu non mouetur. *Ficin. epist. lib. 8.* Fortis viri officium est non solùm metus & pericula superare, sed cupiditates etiam coercere. *Idem, in Plat. de legibus, dialog. 8.* Fortem non est tutum procul à timoribus, vel eum qui futurus sit temperatus, seorsum ab omnibus voluptatum illecebris educare. *Idem, ibid.* Fortis verè existit, qui seipsum vincit. *Leo Hebræus de Amore, dial. 1.*

Fortitudo.

Fortitudo, quæ ἀνδρεία dicitur, quasi pugna in rebus si quidem fluunt. non aliud est quam contrarius fluxus. si enim quis ea nomine ἀνδρεία caimat, nomen hoc ἀῤῥεῖ ipsum opus indicat, non autem cuiusuis fluxus contrarius fluxus fortitudo est, sed ei qui præter iustum fluit: alioquin fortitudo laudem non reperiret. *Plato in Cratylo.*

Fortitudo & temperantia multis in rebus aliquo modo inimicitiam, & seditionem inter se habent, quæ in paruis est ludus, in ciuitatibus morbus grauissimus in maximis rebus. *Idem, de regno.*

Fortitudo, si per multas successiones temperatè non miscetur, circa initia viget, tandem penitus ad insaniam efflorescit. *ibid.*

Fortitudo est valdè pulcherrimarum rerum. *Plat. in Lachete.*

Fortitudo est scientia horrendorum & audendorum. *Idem, ibid. & in Protagora.*

Fortitudo est conseruatio opinionis, quæ sub legem per institutionem facta est, de horrendis, quæ sunt ea, & qualia propterea quod & qui in afflictionibus est conseruet ipsam, & qui in voluptatibus, & cupiditatibus & timoribus versatur, ipsam non eiiciat. *Idem, de rep. dial. 4.* Fortitudo non solùm armat virum aduersus timores, & pugnas, & dolores, sed etiam aduersus blanditias, & voluptates. *Idem. dial. 1. de legib.*

Fortitudo est habitus animæ intrepidus, militaris audacia, peritia illorum quæ ad bellum spectant, consonantia animi aduersus illa, quæ terrere possunt, audacia prudentiæ pedissequa, intrepidas in mortis expectatione, affectio seruans in periculis rationale propositum, robur contra periculum obsistens, vigor tolerans omnia virtutis gratia, perseuerentio animi in his quæ rectæ rationi audenda, vel metuenda videntur, obseruatio eorum quæ ratio dictat in rebus expauendis, rei militaris peritia, habitus in lege immobiliter perseuerans. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Fortitudo est habitus passionis expers per similitudinem eius ad quod suspicit extra passionem naturaliter constitutum. *Plot. En. 1. lib. 2. cap. 6.*

Fortitudo nil aliud est quàm non metuere mortem, quam non metuit, qui solus esse desiderat: cùm mors nil aliud sit quàm animæ à corpore separatio. *Idem, En. 1. lib. 6. cap. 6.*

Fortitudo est legitimæ institutionis, seu arduæ, seu facilis seruatio, id est conseruatrix, & executrix facultas legitimi rationis propositi. *Alcin. cap. 31.*

Fortitudo est in anima quidem affectus medius inter audaciam & timiditatem, & habitus per quem quis vbi, quatenus, & quando opus est fortiter se gerit. *Auct. in remp. Plat. tract. 8. col. 1.*

Fortitudo est scientia circa bona & mala adipiscendi & fugiendi. *Ficin. in Plato. Phileb. lib. 1 cap. 8.*

Fortitudo est scientia circa bona & mala audendi atque timendi. *Idem, in Plat. Euthyd.*

Fortitudo tanto temperantiæ anteponenda est, quantò difficilius est superare dolores, quàm à voluptatibus abstinere. & temperantia facit ne ex homine præcipitemur in

in bruta, fortitudo verò præter id vt etiam quodammodo transferamur in Deum omnia superantem, & ob hanc virtutem omnis antiquitas Herculem in deorum numerum retulit. *Idem, in Plat. la het.*

Fortitudinem cum temperãtia copulatam & in lib. de Rep. & de legibus, in politica, & Protagora semper necessariam esse omni viro, & præcipue ciuili & philosophico, existimauit Plato. *Fic. in Plato de republica, dial. 3.* Fortitudo requiritur in militibus, id est firma sententia inuicta tam illecebris, quàm minis, audendi pro patria in periculis, quatenus leges magistratúsque præcipiunt. *Idem, in Plat. de repub. dial. 4.* Fortitudo continentiæ interponenda est, nam circa difficilius versatur, doloris scilicet tolerantiam: at voluptates in se ipsum vincere, officium est continentiæ. *Idem. Plato. de legibus, dial. 1.*

Fortitudo est præ animi magnitudine, nec gloriam nec præmia sequitur, hæc tamen accumulatè, & maiora assequitur, omnium animus & oculos in se conuertit, & nomen honestatis vel sola sibi vindicat. *Franciscus Patricius de regn. lib. 7 cap. 1.* Fortitudo est animi affectio in patiendo & perferendo, summæ legi parens sine timore, quæ propriè in terribilibus & maximè in bello, versatur. *idem, ibid.* Fortitudinis finis est forti animo perferre & obire difficilia & periculosa, ne ab honesto & decoro discedat. *ibidem.*

Fortitudinis non est proprium pericula adire, caret enim consultatione, electione, & ratione, nec diutius stabilis esse potest. *Franciscus Patricius de regno, lib. 7. cap. 4.* Fortes fortuna adiuuat, ignauos premit, Euripidis est sententia. *Idem, ibid. cap. 5.* Fortitudo octo virtutes præstat, magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, stabilitatem, patientiam. *ibidem. cap. 7.*

Fortitudo vera est legitimi præcepti conseruatrix, quia versatur in aggrediendo periculu, non quouis modo, sed secundum legitimum præceptum, prout recta ratio præscribit. *Iacobus Ca pent. in Alcinoi partē post. cap. 24.*

Fortuita, Fortuna.

Fortuita, pro quorum bono, vel malo euentu fortunatos vocamus homines, & infortunatos, hæc præcipuè sunt, quæ sicuti fatales in primis putantur & à cœlesti decreto pendentes; ita prædictionum astrologicarum pars maxima & potissima materia sunt. *Ioan. Picus Mirandul. in Astrologiam, lib. 4. cap. 2.* Fortuita fieri dicimus, quæ præter intentionem operantis eueniunt quare in solis rebus humanis fiunt fortuita, vt quæ solæ consilio & ratione fiunt. *Idem, ibid. cap. 3.* Fortuita, Deo & Angelis præuisa, inconsulta erga homines sunt. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione, lib. 5. cap. 8.*

Fortuna quæ fiunt, non humano ductu fiunt. *Plato de virtutibus.* Fortunæ nullus legislator imperare potest. *idem, de leg. dial. 9.* Fortuna est motus ab occulto in occultum, casu quodam, felicis actionis causa. *Speusippus de Platonis defin.*

Fortuna cæca est, & exoculata, quæ semper suas opes ad malos & indignos confert, nec vnquam iudicio eligit quemque mortalium, imò cum his diuersatur quos procul si videret, fugere deberet, quodque cunctis est extremius, varias opiniones imò contrarias nobis tribuit, vt & malus boni viri fama glorietur, & innocentissimus noxiorum ore plectatur. *Apul. metamor. lib. 7.* Fortuna renuente, nihil licet homini nato dextrum prouenire: nec consilio prudenti, vel remedio sagaci, diuinæ prouidentiæ fatalis dispositio subuerti vel reformari potest. *idem, metamor. lib. 9.*

Fortunę & casui essentiam & compositionem vniuersi committere irrationale est, & hominis proprium nec intellectum nec sensum habentis. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 1.* Fortuna versatur in rebus, quæ nec ex antecedenti proposito fiunt, nec procedunt ordine consequentis, sed potius casu incidunt, vel vt dixi fortuito: quæ fortuna, etsi multorum domina sit intellectum tamen & rationem generare non potest. illis enim contraria est. *idem, Enn. 6. lib. 8. cap. 10.*

Fortuna est concursus simul cadentium causarum duarum, originem ex proposito trahentium, ex quo concursu prouenit aliquid præter spem cum admiratione. *Chalcidius in Plat. Tim.* Fortuna & opportunitas omnia humana gubernant. *Proclus in Alcibiad. in proœmium.*

Fortuna est priuatio vel defectus rationis. *Ficin. Platonica Theologia lib. 2. cap. 12.* Fortunæ bona si tanti fecisset Plato in ciuitate condenda, vt cæteri solent, certè agrum, situm, & modum ad diuitias cumulandas amplificandúmque imperium commodissimum diligenter exquireret, contra verò facit omnino, cùm non corpori, sed animo & moribus consuluit. *Idem, in Plato. de legibus, dial. 4.*

Fortuna quem ad summa rerum fastigia euexit, statim sine mora vel iubet eum vt è monte sponte descendere, vel ipsa præcipitat. *Ficin. epist. lib. 3.* Fortunatus est cui sors contingit mediocris. *Idem, ibid.* Fortunatus sciat bonæ fortunæ soli bono esse bona, & sereno aeri succedere pluuias. *ibidem.* Fortuna ab ipso mundi initio inimica est populo, & rationi aduersatur, ideo semper populus infortunatus est, & miser. Fortunam cæcam qui sequitur, & omnibus est magis cæcus, & ipso nemo sæpius fallitur. *ibid. lib. 6.*

Fortunæ ibi minus, vbi plus intelligentiæ, & vicissim: id verum est, quia sapientes non casu viuunt. *Ficin. epist. lib. 11.* Fortunæ partem designat spatium inter solem & lunam ab ascendente proiectum. *Idem, de Sole, cap. 5.*

Fortuna prospera ad Dei prouidentiam est referenda. *Idem, in Plato. de leg. dialog. 11.*

Fortunæ potestatem sub cœlo plerique collocant in cœlo fati, sic in ratione consilij & electionis arbitrium collocatur. *Idem, in Plotini, Enn. 2. lib. 3. cap. 1.*

Fortuna fiunt, quæ nullo modo intenduntur, quando alterius gratia fiunt, & aliud accidit, quod ab initio nec spectabatur quidem, vt si quis agrum fodiens thesaurum inuenit cum huius gratia non foderit. *Ficin. de fato, cap. 2.*

Fortunam Proclus in Timæum definiens ait esse non temerariam, vel cæcam, sed esse diuinam vel dæmoniacam potestatem, in varium exitum diuulsas causas congregantem. *Idem. in Plotini En. 3. lib. 9. cap. 2.*

Fortuna quæ fiunt, non illam causam esse ait Augustinus, sed latentes causas, quas tribuimus vel veri Dei, vel quorumlibet spirituum voluntati. *Ioan. Pic. Mir. in Astrologiam, lib. 4. cap. 3.*

Fortunam definit Proclus in Timæum esse dæmoniacam potestatem inuicem congregantem causas inter se diuulsas. *idem, ibid.*

Fortunam contemplantes dupliciter errarunt. nam alij eam negabant; non quod ea, quæ improuisa sunt, superioribus prouisa mentibus inficiarentur, sed arbitrabantur huiusmodi euenta necessariò habere causam per se proximam: in quo Arist. primo physicæ & sexto Metaphysicæ argumentatur. alij fortuita dixere nullo consilio superioris causæ produci, nulla prouidentia euenire: contra quos non solùm Theologi nostri, sed & Aristot. in Ethicis ad Nicomachum, & in Moralibus ad Eudemum disseruit. *Ioan. Franc. Pic. Miran. de prænotione lib. 5. cap. 8.*

Fortuna super pilam rectè pingitur, variationem & mutationem conditionis humanæ significans. *Franc. Patr. de regno, lib. 1. cap. 12.*

Frangi est in minutas partes secari. *Plato, in Parm.*

Fratris officium est erga fratrem ceu ferè alterum affici. *Fic. in epist. lib. 3. cap. 7.*

Fraxinus tantam contra venenum habet virtutem, vt nullum animal veneficum eius vmbræ appropinquare audeat, & potius in igne concremantur sponte, quam huic arbori sponte appropinquent. *Fic. in epidem. antidoto, cap. 24.*

Frigidum, frigus.

Frigida affectio in corpore fit, cum humores, qui in corpore sunt grandiores, vbi corpus nostrum ingressi fuerint, minores expellentes, in illorum sedes subire nequeuntes, nostram humiditatem impellentes, ex inæquali ac mobili, immobilis propter planitiem ac æqualitatem, & protrusionem efficientes, congelant. Hæc autem dum præter naturam congelatur, secundum naturam repugnat, ipsós in contrariam sibi partem depellens, & sanè pugna ac concussione hac, tremor & rigor oboritur. *Platonis Timæo.*

Frigidum in primo gradu est Veneris, in secundo Lunæ, in tertio Lunæ cum Saturno, in quarto Saturni. *Ficin. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. cap. 11.* Frigus à tenebris, tenebræ à morte dependent, ergo frigus ducit ad mortem. *Idem, epist. lib. 8.*

Frigidum aliquid iudicamus, quia non ad penetrandum atque dissoluendum est aptum, sed potius ad obtundendum & cogendum. *Fic. in Platon. Timæum, cap. 34.*

Frigoris natura est intercipere, & comprimere. *Idem, in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 6.*

Frigus & siccitas ex nimia à cœlo distantia propter caloris & humoris absentiam fere contingere probabile est. *Idem, ibid. c. 6.*

Frugalitas est rationalis vitæ simplicitas, bonorúmque

morum studium. *Speusip. de Plat. & finit.*

Fructuum lex hæc sit, quicunque de domesticis fructibus vuis aut ficubus gustauerit priusquam veniat vindemiæ tempus, quod cum Arcturo concurrit, siue in suis agris siue in aliorum; sacras quinquaginta drachmas debeat Dionysio si ex suis decerpserit, si ex vicinorum agris minam, si verò ex aliorum duas minæ partes. si vuam generosam appellatam, aut generosas ficus colligere voluerit; si suas, quomodo & quando voluerit decerpat; si aliorum non persuasu domini mulctetur, vt supra. quæ generosa liceat peregrinis iter facientibus cum vno comite, vt hospitalia munera, suscipere: at rusticis lex prohibeat vt peregrini cum nobis non participent: De pyris & huiuscemodi si quis clandestinè acciplat, turpe non sit, si verò deprebenditur, si intra triginta annos natus verberetur, & depellatur absque vulneribus, peregrino liceat, vt supra: si senex edat, & nihil auferas, sic vt in peregrino. *Plato de leg. dial. 8.*

Fructus sui agricolis magis placent quam alieni, etiam si minus boni sint. *Ficin. epist. lib. 3.*

Frui toto pigmæo præstat, quàm magno membro gigantis. *Fic. epist lib. 4.* Fruendum non est rebus caducis, sed vtendum. *Idem, ibid. lib. 6.* Fruitio est amore alicuius rei inhærere propter seipsam. *Gab. Buratel de hominum fœlicitate, lib. 6.*

Frumentum diu seruatur si in paleis optimè munitis permaneat. *Francisc. Patric. de republica, lib. 6. cap. 2.*

Fugæ tres causæ sunt, odium, timor, pudor, timor est affectus animi ignaui, odium irritabilis, pudor modestię. *Phila de profug.*

Fulgor aliud est quam calor, cum fulgent & nitent quæ non calent, & frigida multa, & calida multa, quæ fusca sunt. *Fic. epist. lib. 2.*

Fulgur ab inferiore sed ex causa violentiore demittitur. *Fic. in Plotino En. 2. lib. 9. cap. 13.*

Fullonia ars est lauatrix, & sarcinatrix, & omnia circa hæc curatrix, quum multum sit ornatus studium. *Plato de regno.*

Fuluus color fit mixtura flaui & fusci. *Plato in Timæo.*

Funis ex incomprehensibili arenæ multitudine fieri non potest prouerbium de plebe. *Fran. Patricius de republica, lib. 6. cap. 1.*

Fur, Furtum.

Furi, siue magnum siue paruum quis furetur, vna sit pœna. quod si quis furti damnatus sit, duplum rependere oportet, si suffecerint ipsi reliquæ opes supra sortem; sin minus, in vincula cõiici debet, donec persolueris, aut ei persuaserit qui ipsum condemnauit. at si quis furti publici damnatus, persuasa ciuitate, aut furti duplu rependi, è vinculis liberetur. *Plato de legi. dial. 9.*

Furtum pecuniarum illiberale est, rapina verò impudens Iouis filius nullus nec dolis, nec vi delectatus, alterutrum horum studiu habuit. *Idem, de legibus, dial. 12.*

Furi, qui publicum quid furatur, vel paruum, vel magnum, eadem pœna opus est, eadem enim cupiditate, sed minore facultate furatur: & qui maius quid mouet, quod non deposuit in totum iniustè facit. lex igitur neutrum altero minus iusta furti exilitatem puniendum censet, sed iuxta hoc, quod alter fortassis adhuc sanari potest, alter non potest. proinde si quis peregrinum, aut seruum furti publici in iudicio conuicerit, ei velut sanabali, prout consentaneum est quid pati, aut quam mulctam persoluere oporteat iudicio decernatur. ciuis si patriam deprædans, aut violans deprehendatur, siue in ipso furto, siue secus, cùm sit educatus velut educandum instituimus, ferè velut incurabilis morte plectatur. *Plato de leg. dial. 12.*

Furem quicunque sciens susceperit, in eodem crimine hæreat quo qui furatus est. *Pla. de legib. dial. 12.*

Furem nocturnum occidere per duodecim tabulas licebat. *Francisc. Patricius de republica, lib. 3. cap. 10.*

Furiosus vir Tyrannicum animum habet, quia non solùm hominibus, sed etiam diis imperare conatur, & posse sperat. *Plato de repub. cap. 9.*

Furor.

Furor est corruptio æstimationis veræ. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Furor diuinus est illustratio rationalis animæ, per quam Deus animam à superis delapsam ad inferas, ab inferis ad superas sedes retrahit. *Fic. in Plat. Ionem.*

Furorem Plato in phædro alienationem mentis definit, & alienationis duo genera, vnam ab humanis morbis, alterã à Deo prouenientem, insaniam illam, hanc diuinum furorem nominat. *Ficin. in Platonis Ionem.*

Furoris diuini quatuor sunt species, furor poeticus, mysterialis, vaticinium, amatorios affectus. poesis à musis, mysterium à Dionysio, Vaticinium ab Apolline, amor à Venere. *Idem, ibid.*

Furor poeticus animæ inconcinna & dissonantia temperat; mysterialis furor temperata vnum totum ex partibus efficit: Vaticinij furor vnum totum supra partes; amatorius furor id vnum quod supra essentiam totum est, ducit. primus bonum equum id est rationem, opinionémque à malo equo, id est à phantasia confusa, & natura distinguit; secundus malum equum bono, bonum aurigæ id est menti subiicit: tertius aurigam in caput suum id est in vnitatem mentis apicem dirigit: quartus caput aurigæ in caput rerum omnium vertit, vbi auriga beatus est, & ad præsepe, id est ad diuinam pulchritudinem sistens equos, obiicit ambrosiam, & superipsam nectar potandum, id est visionem pulchri ordinis, & ex visione lætitiam. *Fic. in Pl. Ionem.*

Furor poeticus per hos gradus descendit, Iupiter rapit Apollinem, Apollo illuminat Musas, Musæ suscitant & exagitant lenes & insuperabiles vatum animas, vates inspirati interpretes suos inspirant, interpretes auditores mouent. *Ficin. in Platonis Ionem.*

Furor est occupatio quædam à musis, quæ sortitam lenem & insuperabilem animam excuscitat eam & exagitat per cantilenas, aliámque poesim ad genus hominum instruẽdum: occupatio significat raptum animæ, & conuersionem in musarum numina. lenem dicit, quasi agilem à Musisque formabilem: nisi enim præparata sit non occupatur. insuperabilem, quia postquam rapta est superat omnia, & à nulla rerum inferiorum inquinari vel superari potest. excuscitat è somno corporea ad vigiliam mentes, ex ignorantiæ tenebris ad lucem, ex morte ad vitam ex obliuione lethæa ad diuinorum reminiscentiam reuocat, exagitat, stimulat, & inflammat ad ea quæ contemplatur, & præsagit carminibus exprimenda. *Fic. in Plato Ionem.*

Furorem describens Plato, furorem quemlibet quodam pacto connumerauit, sunt enim inuicem coniugati: nam in mundo intelligibili illuminatoria phœbi virtus coniugatam habet prouocantem, & quasi calefactoriam Bacchi virtutem: in virtute illuminatrice viget virtus ad præsagium, & poesim: in prouocatrice, ad amorem & votu. simile quodam in cœlo coniugium est in sole, penesque solem: lumen enim & color Apollinem referunt, atque Bacchum; solaris præterea virtus per Mercurium ad Musas, per Venerem prouocat ad amorem. *Ficin. in Plato. phædrum, cap 14.*

Furor ac vehementia haud vitiosi duntaxat amoris, verum cuiuscunque amoris intensi atque efficacis, vel honestus, vel turpis esse dicatur, proprietas quædam existit: *Leo Heb. de Am dial. 1.*

Fuscus color fit albi & nigri mixtura. *Plato in Timæo.*

Futura.

Futura vates tantùm sciunt. *Plat. in dialog. de sancto.*

Futuris prædicendis qui curiosius inhiant, omnium infortunatissimos esse, vel fieri. *Ficinus epist. lib. 11.*

Futura à præsenti constellatione fieri non possunt. *Io. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 4. cap. 6.*

Futura prophetici luminis beneficio multo certius præcognosci possunt, quam sensu & ratione videri, & cerni præsentia. ideo prophetæ præteritum pro futuro ponunt sæpe ob indubiam, & certitudinem maximam. *Ioann. Fran. Picus Miran. de prænotione, lib. 1. cap. 6.*

Futurorum omnis cognitio, quę non habet in natura causam determinatam, superhumana est, & à Dei voluntate & prouidentia dependet. *Idem, ibidem. libro 2. capitulo 3.*

Futura aut considerantur, vt in seipsis & sua natura manent, quæ soli Deo, & cui voluerit ipse reuelare nota sunt; aut in suis causis continentur quæ etsi Deo nota sunt, tamen etiam aliqua experientia & sagax coniectura sibi vendicat quę tamen omnia nos sciru non possumus. *Io. Fran. Pic. Mir. de prænotione, lib. 2. cap. 7.*

Futurorum prænotio ex luce eximia spiritali comparatur, non ex talpa, vt Proclus somniatur. *Io. Fran. Pic. Mir. de prænotione, lib. 7. cap. 5.* Futura ad cognoscenda nil vanius est, quam id quod vtrinque contrariis experimentis asseritur, nam veritas vna est, nec sibi aduersatur, ideo quæ aduersantur sibi, falsa sunt. *Idem, ibid. lib. 6. cap. 7.*



G



ALLVM Æsculapio se debere ait Socrates moriens, & iussit persolui. *Plato in phædone.*

Gallus timetur à Leone, & quasi colitur: cuius rei causam à materia, & sensu assignare non possunt, sed solùm, ab ordinis superni contemplatione: quoniam præsentia solaris virtutis magis conuenit gallo quàm Leoni. quod apparet, quia gallus quasi quibusdam hymnis applaudit surgenti soli, & quasi aduocat, quando ex antipodum medio cœlo ad nos deflectitur, quandoque & nonnulli solares angeli formis eiusmodi præditi apparuerunt, atque cùm ipsi in se sine forma essent, nobis tamen qui formati sumus occurrêre formati. & nonnunquam dæmones leonina fronte visi sunt solares, quibus cum gallus obiiceretur repente disparuerunt, quia inferiora superiora in eodem ordine constituta reuerentur. *Proclus de sacrificio & magia.*

Gallum ait Plato viuum prisci Æsculapio sacrificabant diei solisque nuncium, id est diuinæ beneficentiæ morborum omnium curatrici, quæ diuinæ prouidentiæ filia vocatur. diem. i. vitæ lumen debere se fatebantur. *Fi. in Pla. phædonem.*

Galli cantant media nocte, vt ait Democritus, quia depulso de pectore cibo, & in omne corpus diuiso, & modificato, cantus eduni quiete faciant. *Ioan. Fran. Picus Mirand. de prænotione, lib. 7. cap. 5.*

Gallos Cæsar laudat, vt homines apertos, nec insidiosos, qui virtute non dolo decertent. *Franc. Patricius de regno, lib. 7. cap 8.*

Galeno in medicina fides adhibenda quanta maximè fieri potest: quoad doctrinas alias attinet, cautius agendum cum homine meminerimus, quod enim de criticis proditur diebus parum rationi conueniunt. *Ioan. Picus Mirandul. in Astrologiam, lib. 3. cap. 16.* Galeni mensis fictitius est, nec naturę moneta percussus, & mensis qui io se claudit quod tres dies à sole obtegatur Luna falsum est, & Alphagracus testatur, & experientia conuincit. *Ioan. Fran. Pic. Mirandula. de prænotione. lib. 5. cap. 4.*

Galenus infinita penè peccata in Platone notauit circa eam partem quæ pertinet ad humani corporis fabricam. *Iacob. Carp. in Alcinoi desp.ssione.*

Galenus in philosophando Platoni, in re medica Hippocrati non minus addictus est, quam in Aristotele exagitando plerunque nimium acer. *Idem, in Alcinoi digressione septima.*

Gaudium.

Gaudium, quod χαρὰ, ex fluxu animæ & diffusione & abundantia dicitur, hoc enim in gaudio contingere solet. *Plato in Cratylo.* Gaudium est lætitia in operibus temperantiæ. *Speusip. in Plato. defi.* Gaudium omne ibi dominatur vbi est omne bonum: si quidem gaudium tanquam optimum maximè omnium exoptatur; atque ipsum est tum boni ipsius circunfundentis splendor & gratia, tum circunfusæ virtutis amplificatio quædam circa bonum. *Fic. ep. lib. 2.*

Gaudium ipsum quid est nisi Deus? per ipsum enim solum gaudemus, in ipso solo beatè gaudemus *Fic. ep. lib. 2.* Gaudet nemo verè, nisi qui proprio ipso gaudio gaudet. *Idem, ibid.* Gaudium differt à lætitia, quia gaudium laude dignum est, lætitia verò partim laudanda, partim vituperanda est. *Idem, de voluptate, cap. 1.* Gaudium nuncupamus quod in contemplando percipitur, non voluptatem. *ibid. cap. 4.*

Gaudium appellant Stoici, cùm animus cum ratione mouetur placidè & constanter: cùm effusè & inaniter exultat lætitia gestientem, voluptatémque nuncupant. *Ficin. de voluptate, cap. 10.* Gaudium definiunt Epicurei suauem mentis commotionem, eo quod penetrat perfruentis lætitiam vero iucundum motum, quo sensus hiant, ac diffluunt *ibid. c. 17.* Gaudium est rationalis quædam placida & constans iucunditas, dolori contraria. *Fr. Pat. de regno, lib. 5. cap 1.*

Geminus est dolor, intensus & vehemēs, & hic duplex; alius, cum appetentes iniquitatem non fiunt compotes, & hic est malus; alius penitentium, & grauiter ferētium antefactam vitam, & hic bonus. *Philo in leg. alleg. lib. 1.*

Geminos appellāt, quia tunc gemmando omnia germinant. *Mar. Fic. in Plotinū En. 2. lib. 3. cap. 3.*

Generabile & corruptibile est, quod ex materialibus constat elementis: quod vero ex immaterialibus, etsi ingenerabile, tamen est compositum. simplices verò, & ingenerabiles opus est esse diuinas formas, & neque vt animum ordinatas esse, neque multo magis quam mundum hunc esse compositas. *Syrian. in 13. metaph ex cap 7.*

Generaliora sunt, quæ pluribus communicantur. *Iac. Carp in Alcinoi in prima dig. de analyt. methodo.*

Generatio quid est.

Generatio est motus ad essentiam, acceptio essentiæ, processus in esse. *Speusip. de Pla. definitio.*

Generatio non est vitæ creatio, sed latentis explicatio vitæ, nec mutatio mors, sed occultatio potius. *Mercu. Trismeg. Pimander, cap. 12.*

Generatum quod est, creatum est, at non vice versa, qui genuit creauit. inanimatis enim creatio generatio est atque à factore, vel creatore, vt est ædificator, vel textor, vel statuæ artifex, opus est alienum quod factum est, at quod manauit à genitore principium, & vis, id temperatum est cum genito, & eius conseruat naturam, quæ portio est genitoris. *Plutarchus in Platonic. quæstion.*

Generatio principium est nutritionis, & augmentis. nihil enim augeri vel nutriri potest absque partium quarundam generatione. nam vbi generationem nutritio & augmentum sequitur, ibi vita & anima inest. *Ficin. Platonica Theologia lib. 4. cap. 1.* Generationem vocat Plato quasi motionem tendentem ad instaurandum habitum naturalem. *Idem, in Platonis phileb. cap. 50.*

Generatio rebus omnibus vniuersi communissime existit. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.* Generatio à contrario ad contrarium progressio quædam esse. *Idem, ibid. dial. 3.*

Generatio mortalitatis opportunum quoddam remedium esse existimatur. *Ibid.*

Generatio, vt fit, & ad quod.

Generatio fit anima descendente, atque tunc alio quodam ab anima facto, atque deueniente in ipsa animæ ad corpus inclinatione, quasi quodam nutu. *Plotin. En. 5. lib. 1. cap. 12.*

Generationi ex influxu cœlesti aliquid prouenit, non enim facit equum, sed dat equo nonnihil; eques enim ex equo fit, & homo ex homine generatur, sol enim ad hanc formationem vt adiutor accedit, homo fit ex seminaria hominis ratione, sed ita, vt quod externum est, vel impediat, vel conducat; filius enim prouenit similis patri, sed sæpe in melius sæpe in deterius, nunquam tamen abducitur ab ipso subiecto. nonnunquam materia præualet potius quā natura, adeo vt effectus non proueniat absolutus quando videlicet à materia species superatur. *Plotin. En. 2. lib. 3. cap 12.*

Generationi quæ subiacent, non patet ad superiora, sed ad inferiora processus, atque id ita, vt in maiorem gradatim multitudinem procedatur: ideoque principium singulorum sit vbique simplicius, idemque in se manens, dum datur in plura progressus, ideo tandem ad vnum colligendum est, quod simplicissimum sit. *Plo. En. 5. li. 3. ca. 16.*

Generari non potest ex deteriori præstantius, nec essentia vlla substantiaque constitui ex motibus animæ, viribusque corporis, quæ nec substantiæ sunt, nec essentiæ. *Iamb. de mysteriis.* Generatione quæ seminantur, nullum maius aliquid habet, quàm quod ei traditur à causa principaliter generante *Idem, ibid.* Generatio circa naturam à tēpore dimensa est. *Proclus element. Theologic propositio. 51.* Generatio non ad extremorum melius, sed ad deterius declinat. *Idem, in Alcibiad. 5.*

Generationis ordo gradatim nititur ad perfectum, & ordo vnicuique à principio perfectissimo ducit exordium *Fic. in Plat. Parm. cap. 35.* Generationis principium vnum est, genitalis ipsa mundi vita. *Idem, ibid. cap. 48.* Generatio pertinet ad animam, quæ per semina, & rationes ex materia corporali cum motu agit, & tempore. *Idem, in Plato. phil-b. lib. 2, cap. 4.* Generatio omnis sub Luna ad animal rationale quasi ad finem & dominum spectat. *Idem, in Platonis Timæum, cap. 2.*

Generatio semper contendit, ab esse primo ad esse nullom, deinde ad esse viuum, post hæc ad esse quòd dicitur sensuale, denique ad esse quod dicitur intellectuale tanquam summum, vbi anima intellectualis ad corporis descendit comercium *Mar. Fic. in Plotin. En. 4. lib. 1. cap. 4.* Generat nihil in eo genere, quod eius generis est postremum *Idem, in Plotini En. 3. lib. 8. cap. 1.* Generationis via non fit accessus à motu ad formam, sed à forma agentis per motum ad formam in patientem. *Idem, in Theophrastum, cap 46.*

Generationis duplex intentio, prima est fœtum pulchrum

Generatio ad specificam immortalitatem tanquam ad sibi propositum finem contendit. *Idem, ibid.*

Generationis causa.

Generationis causa agens non solum vir, sed etiam mulier in filiis generandis vim obtinet, & in hoc ab Arist. dissentit, cui tamen plurimi medici probatissimi consentiunt. *Plat. de legib. dial. 7.*

Generatio, & motus vitale aliquid præ se ferunt. *Fici. in Plotini En. 1. lib. 4. cap. 3.*

Generatio, vel alteratio, atque motio, quæ duntaxat est singulorum post naturam, videtur esse imaginationi propinqua, circa singula solùm, & præcipuè se versanti. *Idem, in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 17.*

Generatio rerum inferiorum ad cœlum tanquam ad patrē, & ad primam materiam velut ad matrem, est referenda. *Leo. Heb. de Amo. dial. 2.*

Generationis tempus, & in quo sit.

Generationis tempus in mulieribus sit à vigesimo anno vsque ad quadragesimum ætatis suæ annum, in viris trigesimo vsque ad quinquagesimum quintum ætatis annū: amborum enim hic vigor, & corporis, & sapientiæ est. Quod si iunior, vel senior his generationes in commune attingat, neque iustum nec pium dicemus esse delictum, vt filium ciuitati gignentis. Qui si latuerit, generabitur non à sacrificiis, neque à precibus productus, quas in singulis nuptiis precantur vtriusque generis sacerdotes, & vniuersa ciuitas, vt ex bonis meliores, & ex vtilibus vtiliores semper filij nascantur, sed à tenebris cum vehementi intemperantia procreatus. Eadem quoque lex erit, si quis eorum qui adhuc generant, non consentiente Principe attingat mulieres in ætate vigoris consistentes: spurium enim illegitimūmque ac prophanum filium eos sibimet ciuitati constituere *Plato de republica dial. 5.*

Generatio præstans in vita censetur, & liberorum procreatio; extrema enim omnium calamitas & impietas accidit illi qui absque filiis è vita decedit; quam ob causam dæmonibus dat pœnas post obitum, vt sterilis anima in corpus quoddam per iudicium migret, cui nec maris, nec fœmineæ natura insit, quod à Sole eleuatum est & connexum: quod de virtutum partu intelligendum est. *Mercur. Trismegisti pimander. cap. 2.*

Generatio vt se habet ad corruptionem.

Generatio, & corruptio contrariæ sunt. *Plato in philebo.* Generatio & corruptio ita sibi inuicem opponuntur, vt ad contradictoria tendant, vt generatio sit via ad esse, corruptio ad non esse: & ideò tendit ad esse, quia certam quandam accepit formam, & ad non esse, quia formam amittit. *Ficin. Platonica Theologia lib. 5. cap. 8.*

Generatio, & interitus motu quodam accidunt. *Ficin. in Plato. phedrum, ca. 6.* Generatio præcedentē semper requirit corruptionem. *Leo Hebræus de Amore, dialog. 3.* Generatio omnis à corruptione, omnisque vicissim corruptio à generatione aliqua antecedente præuenitur. *Idem, ibid.*

Generositas est virtus ingenui moris, facilitas animi ad dicenda pariter, & agenda. *Speusippus in Plat. defin.*

Geneseos per sex dies, est inter vetera Hebraicæ disciplinæ decreta sex mille annos mundi designari, vtque primi diei opera sint vaticinium eorum, quæ primo mundi millenario futura erant: opera secundi, quæ in secundo millenario, & sic deinceps: ergo quod quarta die fit, vaticiniū est eorum quæ quarto millenario euentura erant: at tertio mundi millenario Iesus apparuit, venit enim circa ter millesimum quingentesimum, & octauum annum. *Ioann. Picus Mirand. in Heptaplum, lib. 7. cap. 4.*

Genesis significat originem rei alicuius ex eorum quibus constat collectione, & vnione, si modò est eiusmodi vt partes habeat. *Iacob. Carpens in Alcinoi 1. digr. de analytica methodo.*

Genitum omne corruptioni obnoxium est. *Plato. de rep. dial. 8.*

Genita quæ sunt, visibilia sunt. qui ea facit inuisibilis, quam cognominare debemus Deum propter potentiam, factorem propter actum, patrem propter bonum. *Trismegisti Pimander, cap. 14.*

Gratias cùm mortales Deo agunt, adorandus est Deus. *Trismegisti, Asclep. cap. 15.*

Genita omnia operātur appetitu naturali ad certum finem. *Arist. Theolog. sec. sect. 1. cap. 1.* Genita sunt quæ principium habent, ingenita quæ non tempore habent principium, sed sunt semper ab alio, non quasi quæ fiant inde semper, vt hic mundus sed existentia semper sicut ille mundus: nam quę illic alteritas est, materiam semper efficit, & hæc est principium materiæ, & prima motio. *Plotin. En. 2. lib. 4. cap. 5.* Genitum omne ab alio perficitur. *Proclus element. Theol. proposit. 45.*

Genituræ felicis gratiâ ingenia pro viribus esse debent electissima; talia in Zodiaco signa tanquam masculina fœmininis signis deinceps coniugata videntur: tale Lunæ cum sole coniugium est, Veneris cum Marte: tale sub cœlo humoris sublimis cum calore quodam æthereo, inferioris autem humoris cum frigore consortium esse videtur. talis in composito corpore resultat cōcordia discors, tale apud musicas grauium vbique vocum cum acutis temperies obseruatur, quæ etsi sunt impares, tamen vtrę que accipiendæ sunt canoræ: sic ex proportionibus dissimilibus scilicet diatessaron, diapente, & diapason omniū æqualissima procreatur: sic in quadratis numeris æquales habitos ex imparibus, inæquales ex paribus generantur. *Fic. in Plato. de republica dial. 8. cap. 16.*

Genitura felicis gratia ex vtrisque bonis coniugia facienda sunt, ita bona sint ingenia vtriusque parentis, quatenus ad bonam stirpem necessarium iudicatur vt acriora ingenia mitioribus copulentur, vehementiora remissioribus temperentur, ne ferocissima, vel ignauissima progenies oriatur, sed pro viribus æqualissima. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 16.*

Genium omnes poëtæ dicunt Deum illum, in cuius tutela, vt quisque natus esset, viueret. *Francis. in Patricius de republica, lib. 8. cap. 2.*

Gentes per aquas figurantur, per terram Israelitæ. *Ioan. Pic. Mir. in Heptaplum, lib. 7. cap. 5.*

Gentiana canis rabiem sedat, & serpentes fugat. *Fic. de vita cælitus comparanda, lib. 3. cap. 15.*

Genus, Genera.

Genera quædam inter se associantur, quædam non, quędam parum, quædam multum & quædam per omnia omnibus communicant. *Pla. in sophista*

Genera maxima tria sunt. id quod est, stabilitas, & motus, & duo inter se mixtionis expertia sunt, & id quod est ambobus misceri potest, & vnumquodque ipsorū aliud à duobus est, & sibi ipsi idem: ideò idem, & aliud duo sunt genera, à tribus alia, sed tamen illis ex necessitate admixta. *Idem, ibid.* Genera summa quinque, id quod est, stabilitas motus, idem, & aliud. *ibid.*

Genera vniuersorum sunt infinitum, finitum, tertium ex his mixtum in productionem in essentiam quartum mistionis & generationis causa. *Plato in Philebo.* Genera tria rerum esse videntur, bonum, malum, nec bonum, nec malum. *Idem, in Sophista.* Genera tria animaduertere oportet, vnum quod fit, alterum in quo fit, tertium vnde id quod fit assimilatur & producitur. & assimulare debemus quod suscipit matri, vnde fit patri, intermediam verò naturam soboli. *Idem, in Tim.*

Genera rerum omnium suas species sequuntur, vt sit ita soliditas genus, species generis particularis. *Apul. Asclepius.* Genera nonnulla sunt & essentiæ ipsius principia, & alia quadam ratione principia sunt, & compositiones quædam. *Plot. En. 6. lib. 2. cap. 2.*

Genus vnum constituere non debemus, quia non est possibile. vt quodcunque perceperis, vel ens vel essentiam nuncupes: nam & occurrit passim vt eos, vel essentia non possit nisi accidens appellari, vt si quis substantiam appellet album: non enim sic ipsum quod per se album, quòdue sit album pronunciabit. *Plotin. En. 6. lib. 2. cap. 2.*

Genus nullum totum est vnum, ideò si vnum ipsum est genus, desinet statim esse genus. *Plotin. Enn. 6. lib. 2. cap. 20.*

Genus omne ita se habet, vt de quo prædicatur, non etiam, prædicantur opposita. *Idem, ibid.* Genus si esse debet oportet quod est commune & vnum in multis, proprias admittere differētias, ac species ita conficere, in eo quod quid est prædicari *ibid.*

Genera prima quinque, ens, motus status idem, alterum; sunt ponenda & in hoc mundo sensibili & in illo intelligibili, sed sic accipienda, vt si æquiuocè, & per analogiam ita dicamus. *Plo. En. 6. lib. 3. cap. 1.* Generibus sub diuersis rationibus diuersis non absurdum est eadem collocare; vt figura in qualitate in quantitate verò magnitudo. *Idē, ibid. cap. 14.*

Genera rerum an principia, vel elementa dicantur principia quidem vt causæ, elementa vt simplicia, dicendum; quæ principia sermo quærit? nam si materialia, & formalia, quæ rei insunt, principia sunt: si effectiua, aut finalia, non quidem hæc quæcunque sunt posterius genita, hæc enim sunt in ipsis operatis, nec etiam quæcunque ob ipsa sensibilia constituta sunt, est enim in Callia & homo, & animal: quæ quomodo esse possint ipsius effectiua principia aut finalia, cùm sint partes apparentis substantiæ? si

verò

verò ſunt aliqua genera ante ipſa ſingularia ſenſibilium cauſæ, quæ in rationibus naturæ vniuerſorum inſpiciuntur, & adhuc multò prius in ſpeciebus mundanæ animæ ſplendent, hæc meritò dicendum rerum quæ hic ſunt eſſe cauſas, & ante hæc adhuc vniuerſalibus rationibus expanſa ſunt: his verò cum effectiua etiam finalis cauſa eſt aſſignanda, non quia etiam penes principia ſubmiſſa non ſit finis, ſed quia manifeſtior in his apparet, tanquam firmatis in veſtibulis ipſius boni. *Syrian in 2. metaph.*

Genere ſaltem ſit vnumquodque oportet prius quàm inquiratur, & non poteſt eſſe forma prima ſi non ſit vera. *Fic. Platonica Theol. lib. 5. cap. 3.*

Generi cuilibet quod naturalius eſt, id in eo exiſtit vt plurimum. *idem, ibid. cap. 5.* Genere in quolibet illud quod eſt illius generis ſummum, vnum eſt duntaxat. *ibidem, lib. 2. cap. 2.*

Genus rerum quiſquis eſt perfectè cogniturus, nec in ipſa generis communi notione quieſcere debet, neque per ſingula infinita vagari, ſcientia ſiquidem eſt perfecta, & certa cuiuſque comprehenſio. *Fic. in Plat. phileb. li. 5. cap. 33.*

Genus omnes eſſe putant, quod de ſpeciebus pluribus in eo quod quid eſt prædicatur. *Idem, ibid.*

Genera rerum duo ponit Plato in ſexto de Republica, imitans Brontinum, & Architam Pythagoricos, intelligibile, & ſenſibile, illud ſtabile & incorporeum, hoc mobile & corporeum: ad intelligibile rationem, ad ſenſibile viſam ponit ſenſum, illius notionem communem intelligentiam, huius opinionem: intelligibile autem illud primum in quo ideas id eſt diuinæ mentis ſpecies, & notiones, & mentes alias ac animas continet: aliud ſecundum, in quo numeros, & figuras, quorum cognitio intellectualis vocatur primorum intellectus: ſenſibile quoque diuiditur in primum in quo collocat corpora, & omnia corporea; in ſecundo vmbras, & imagines corporum. *Fic. in Plat. Theæt.*

Genus eſt abſolutum à differentiis. *Fic in Platonis ſophiſt. cap. 31.* Genera propria rerum omnia ad capita propria oportet referri, vt natura ad vnam naturam, anima ad vnam animam, & ſic de aliis. *idem, in Plato. Timæum. cap. 31.*

Genus omne ſpecies habet quamplurimas. *ibid. cap. 18.*

Genera rerum nominat Plato eſſentiam, idem, alterum, ſtatum, & motum, quod ex illis omnia præter primum componuntur. Eſſentia manifeſtè ſignificat rationem rei cuiuſque formalem, innuit quoque eſſe tanquam actum eſſentiæ proprium. Idem verò dicitur, quoniam quodlibet & ſecum in primis, & cum aliis congruit. Alterum, quia quandam & ad ſe ipſum, & ad alium differentiam habet. Status, quia aliquandiu ſuam quandam retinet vnitatem. Motus exitum quendam & potentiam in actum ſiue eſſendo ſiue quomodolibet intrinſecus extrinſecuſque agendo ſignificat. Super hæc genera tria ponuntur terminus, infinitudo, mixtio: & ſuper hæc ponitur ipſum vnum. *Fic. in Plato. Tim. cap. 27.*

Genera quinque rerum, eſſentia, idem, alterum, ſtatus, & motus, continentur ſub illa diuiſione qua Plato dicit animam ex indiuidua & diuidua eſſentia glomerari: nam ad idem ſequitur ſtatus, ad alterum ſequitur motus, & ad ſtatum ſequitur idem, ad motum alterum. *Ficin. in Platonis Timæum, cap. 32.*

Genus dupliciter accipi poteſt, propriè, & impropriè: propriè dicit naturam communem, vniuocam, finitam, & terminatam de multis prædicabilem, quæ deſcendit in ſuas ſpecies per differentias formabiles: impropriè dicit terminum communem analogum, & hoc aliquando excludit rationem generis, aliquando non. *Gabriel Bucatellus de ente & vno, lib. 2.*

Generis communia præcepta intelligi poſſunt diuidendo in ſuas ſpecies nondum cognitâ categoriarum ſingularum diſtributione, exerceri fortaſſe non item: at categoriarũ diſtributio in qua à ſummis ad ima per intermedia deſcendimus fieri nullo modo poteſt, niſi prius cognitis diuidendi præceptis. *Iacob. Carpent. in Alcinoo 1. digreſſ. de analytica methodo.*

Geometria.

Geometria vtilis eſt ad res bellicas: nam ad caſtrametandum, & regiones occupandas, & exercitus contrahẽdus, & extendendos, & quæcunque alia machinantur exercitus; tum in pugnis; tum in profectionibus. *Plato de republ. dial. 7.* Geometrica cognitio eſt eius quod ſemper eſt, non eius quod aliquando fit & perit. *Idem, ibid.*

Geometria animam ad veritatem trahit, & efficiet, vt philoſophi cogitatione aſſumptâ ſurſum conuertamus ea quæ nunc contra quàm oportet infernè habemus. *Plato de repub. dial. 7.* Geometriæ operam dare debent iuuenes, qui ciuitatis curam habere debens. *idem, ibid.*

Geometriam non ſtatim ſequitur aſtrologia, ſed cuborum incrementum, & id quod participat profunditate. *ibidem.*

Geometria eſt plani tractatio *ibid.*

Geometricus vniuerſus numerus è proportionibus conflatus vim habet ad deteriores, & meliores generationes: quas ſi ignorant ciuitatis cuſtodes, non opportuno tempore ſponſas ſponſis collocauerint, non ingenioſi nec fortunati liberi gignentur. ex quibus etſi optimos conſtituent principes, priores illi tamen, quum ſint indigni ad patrum potentiam progreſſi, incipient primùm vos negligere, & cuſtodes conſtituti, viliora quàm decet muſices ſtudia ducent, deinde etiam gymnaſtices, vnde veſtri iuuenes à muſis fient alieniores, ex his conſtituendi principes admodum ad cuſtodiam idonei, & ad examinandum ea quæ & apud Heſiodum, & apud vos ſunt genera, aureum, argenteum, æneum, & ferreum: at vbi ferrum immixtum fuerit argento, & æs auro, diſſimilitudo oborietur, & inæqualitas inconcinna, quæ dum fiunt, & vbicunque facta fuerint, ſemper pariunt bellum, & inimicitiam, & ex hac progenie ſeditionem eſſe oportat. *Plato de repub. dial. 8.*

Geometricas figuras, & magnitudines in ſenſibilibus nec Plato, nec Pythagoras locauit, ſed ſi Seuerus, vel alius, qui poſterius Platonis dicta expoſuere, Mathematicis attribuuntur, nihil ad antiquos pertinet. *Syrian in 12. metaph. cap. 1.* Geometricæ magnitudines cùm ſint priores ratione, ſubſtantiâ nec priores nec poſteriores ſunt ſenſibilibus ipſis ex Ariſtotelis concluſione. Sed ſi quis dimenſiones circa quas Geometria negotiatur rectè conſiderare voluerit, in omnibus priores ipſas eſſe materiali corpore reperiet; ſi immaterialia materialibus, vniuerſalia particularibus, & æterna corruptibilibus omnes fatentur eſſe priora *idem, ibid. cap. 5.*

Geometria præcedit Aſtrologiam, quia motu prior eſt ſtatus. *Proclus in Euclid. lib. 1.* Geometria in duas diuiditur partes, in planorum & ſolidorum contemplationem. *idem, ibid. cap. 13.* Geometria figuras conſiderat, quæ in imaginibus conſtitutæ ſunt. *in Eucl. lib. 2. cap. 1.*

Geometrica quæſita ſunt, quæ ex geometricis principijs fiunt. *ibid. cap. 2.*

Geometria nobis exhibet inſtrumenta, quibus iudicare poſſumus, quæ quæſita ſunt geometrica & quæ non; & quæſita non geometrica ſunt, vel quæ non vtuntur principijs geometricis, vel quæ malè vtuntur. *Procl. in Euc. lib. 2. cap. 2.*

Geometria ab agrorum dimenſione primò inuenta eſt apud Ægyptios propter Nili inundationem terminos diluentis, quam Thales in Græciam tranſtulit. *idem, ibid. cap. 4.*

Geometria eſt demandatus figuris ſermo. *Proclus in Euclid. lib. 2. cap. 6.* Geometræ in conſtructione petitionibus, in demonſtratione pronuntiatis vtuntur. *idem, in Euclid. lib. 3. cap. 1.* Geometriæ ſubiecta ſunt triangula, quadrangula, circuli, figuræ, magnitudines, & horum termini. *ibidem, lib. 2. cap. 2.*

Geometriæ accidentia ſunt diuiſiones, rationes, contactus, æqualitates, applicationes, exceſſus, defectus, & huiuſmodi omnia. *ibid.* Geometriæ principia ſunt petitiones, & pronuntiata. *ibid.*

Geometria plurimum ad ipſum bonum intelligendum cõferre videtur, cùm quis non mechanicæ diuiſionis gratia ipſam ſectatur, ſed ita vtitur, vt eius adminiculis ad ſuperna conſcendat, nec in rebus, quæ oriuntur & occidunt, dimetiendis inſiſtat. *Alc. cap. 7.*

Geometriæ expers nemo ſcholam Platonis ingredi aptus eſt: & quod de mathematicis ſcientijs, & de virtute quæ ex geometrica medietate eſt, qui non acquiſiuit intelligi poteſt. *Beſſ. Card. in Calumniatorem Plato, lib. 3. cap. 8.*

Geometriæ ſine cognitione nemo doctus appellari poteſt. *idem, ib.* Geometrica æqualitas in quadam congrua proportione conſiſtit, Arithmetica in numero vtrinque pari. *Ficin. in Plato. Gorgia.*

Geometriam multi è medio tollere conati ſunt, tollentes eorum ſuppoſitiones quæ non probant & principia omnia vnica negatione tanquam falcis tractu diſſecuere, & eorum definitiones non magno labore ve ipſi putant ſuſtulere: alij extare illa omnia, nec figmenta eſſe contendunt: quærunt alij, & in magna ambiguitate verſantur: non ſecus de Arithmetica, & Aſtrologia, cùm aſtrorum numerus, & Planetarum, & cœlorum ſit incertus. *Ioannes Franciſcus Pic. Mirand. in exam. vanit. doct. gent. lib. 1. cap. 7.*

Geometria magis conuenire videtur ducibus, & regibus,

quàm Arithmetica. *Fran. Patr. de regno, lib. 2. cap. 14.*

Gigantum conatum canunt poetæ, qui fuit Torris à Nembrot ædificata. *Augustinus Steuch. de perenni philosophia, lib. 9. cap 18.*

Gignatur, vt aliquid plurima concurrere debent, à quo, ex quo, per quod, propter quod: à quo causa, ex quo materia, per quod instrumentum, propter quod finis. *Philo de Cherubim.*

Gymnosophistæ nominabantur sapientes Indorum. *Porphyrius de sapientibus antiquis qui præsentem vitam spe futuræ contemnebant.* Gymnosophistæ præter reliquam temperantiā animalibus abstinebant. *idem, quod sobrietas & contemplatio animam Deo coniungit.*

Glacies est humor sereno frigore concretus. *Apul. de mundo.*

Glaucus color producitur cæruleo cum albo mixto. *Plato in Timæo.*

Glauci ars, prouerbium est, quod industriam exquisitam declarat. *Seb. Fox. in Plat. phædone.*

Glycyrrhiza est humani corporis calori & humori persimilis, & varijs senum morbis opitulatur. *Fic. de vita producenda, lib. 5. cap 8.*

Globosum non est subiecti sensibus corporis, sed animæ & mentis elementum, quibus etiam motionem orbicularem, vt natura conuenientem assignat *Plutarchus in quæstionibus Platonicis.*

Gloriā maiorum abuti non debemus, nec ipsam consumere. *Plato in Menexeno.* Gloria pulchra est, distribuere rectè ea, quæ ad iustitiam pertinent *idem, in dial 1 de leg.*

Gloriam debitam consequi iustum est, æquos viros. *idem, Dom, cap. 4.*

Gloria, vel iustè habetur, vel iniustè, si iustè, tum officiis tum existimantium æquitate comparata est: si iniustè, ex honorantium iniustitia comparata est. eadem est de imperio ratio, & non ex cœlo hæc eueniunt. *Pletm. En 2. lib. 3. ca. 14.*

Gloriæ cupiditate nulla est laudabilior cupiditas *Ioannes Picus Mirandulanus, in epistolis.* Gloriam cùm quærit ex literis humanum genus decipitur, quando tantum abest vt assequatur, vt inde castigationem & flagella patiatur. *Io. Franc Pic. Miran de studio philosophiæ, lib 2. cap 6.*

Gnomonem primus inuenit Anaximander, quo conuersiones Solis, & æquinoctia notaret. *Ioan. Picus Mirand. in Astrologiam, lib. 11. cap. 2.*

Gradus quibus in cœlum ascenditur sic ordine disponamus: in primo, qui potissimum bonitatem amant, deinde potentiam timent, postea sapientiam quærunt: in secundo qui in primis diligūt bonitatem, & circa reliqua duo pariter se habent: in tertio qui in primis diligunt bonitatē, deinde sapientiam scrutantur, postea timent potentiam: in quarto qui circa tria æque se habent in quinto qui, bonum diligunt, deinde potentiam extimescunt: in sexto qui similiter bonum diligunt, sequenti gradu sapientiam quærunt: in septimo qui absolutè & simpliciter bonum amant: in octauo quos potentia primum, secundò bonitas, tertiò sapientia mouet. in nono apud quos sapientia primò, secundò bonitas, tertiò potentia potest. *Fic. Plat. Theo. lib. 18. cap. 8.*

Gradus rerum tres in natura considerantur, superiora, inferiora, æqualia: quæ supra sunt inferiorum sunt causæ, quæ infra superiorum opera, quæ æqualia eadem inter se natura sunt prædita. *Fic. in Plato. commentar. 3. cap. primo.*

Gradus sex in ordine disponuntur in mundo, primò Solis substantia, secundò lux substantialis & intima, tertiò lumen inde manans, quartò splendor resultans ex lumine, quintò calor splendore succensus, sextò generatio caloris flagrantia coalescens: & sex alij ordine digeruntur, vnitas, bonitas ratione distincta, diuina quædam mens anima, natura, corpus mundi. *idem, in Plato. Timæum, cap. 16.*

Græci.

Græci multa nomina à Barbaris accepere. *Plato in Cratylo.*

Græci gentes omnes alias sub Barbari nomine appellabant. *idem, in dialogo de regno.* Græcum seruum nec milites habeant, & hoc aliis Græcis consulemus. *idem, de repub. dial. 5.* Græci & Barbari, naturâ hostes sunt. *ibid.*

Græcia regio est ad virtutem omnem præstantissima, & laus consistit quod media est inter hyemis & æstiuam naturam: & quod Græci à Barbaris acceperunt, hoc præstabilius tandem Græci efficiunt. *Idem, in legum appendice.*

Græci naturâ rerum nouarum studiosi sunt, ac præcipites feruntur, instar nauis saburra carentis, nullam habentia stabilitatem, nec conseruant quod ab aliis acceperunt, sed & hoc ipsò dimittunt, & omnia propter instabilitatem, nouæque inuentionis elocutionem transformare solent. Barbari verò vt moribus granea, firmique sunt, & in sermonibus eisdem firmiter perseuerāt: ob quam sanè stabilitatem & ipsi diis sunt amici, & orationes offerūt illis acceptas, quod nulla vnquam ratione fas est permutare. *Iamb. de myst.*

Græci peripatetici de Astrologia iudiciaria ne verbum quidem fecere. *Ioannes Franc. Pic. Mirand. de prænotione, lib. 5. cap. 6.* Græci insignes ante omnes in scrutanda de doctrina fuere. *Aug. Steuch. de perenni philos. lib 5 cap. 1.*

Græci Theologiam Barbarorum æmulati temporum diuturnitate iam obsoletam fabulis sæpe peruerterunt, *idem, ibid. lib. 9. cap. 6.*

Grammatica.

Grammatices institutor fuit vt fertur quidam Theut. *Plato in philebo.* Grammaticus ille est qui tenet quot in species vna distingui potest, & quales, dum ore articulatim in verba mente concepta distinguuntur. *Ficin. in Platonis phileb. lib. 1. cap. 28.*

Grammaticam esse Dionysius Thracius peritiam experientiámque eorum quæ apud poetas plurimùm versantur; contra Ptolemæus peripateticus non esse grammaticam contendit. Chares habitum dixit esse, quo ex arte dictiones & sensa nascerentur. Crates inter Grammaticum criticúmque distinxit, illi solam linguarum notionem, huic & omnis logicæ peritiam tribuens. Chorus ait esse cognitionem earum dictionum quæ apud poetas, & apud communem vsum essent *Ioan Francisc. Picus Mirand. in exam. vanit. doct. gen. lib. 1. cap. 6.*

Grammaticæ alij tres faciunt partes, alij plures: Dionysius & Tauriscus tres, artificialem, historicam, & propriam: artificialem, in qua de elementis literarum, de partibus orationis, de orthographia præcipitur. Historicam nonnulli condemnant, & censent instabilem, ea agit de personis, diuinis, humanis, heroicis, locis, propria circa poetas, & historicos versatur. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in exam. vanit. doct. gen. lib. 1. cap 6*

Grammaticæ non solum necessariæ sunt poetarum dictiones, sed etiam quæ in vsu communi sunt notiones. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 3. cap. 3.* Grammatica est omnium disciplinarum fundamentum. *Fran. Patri. de repub. lib. 2. cap. 5.*

Grandinare tunc dicitur, cùm aqua nubem lapidoso pondere, & festinante prorumpit, eadémque vi & ad pernicitatem incitata, & cedente aeris mollicie præcipitata indignatione vehementi humana verberat. *Apul. de mundo.*

Gratia prima petentibus non est deneganda. *Plat. in sophista.*

Gratias qui alio modo rependere non potest, laudare debet *idem, de repub. dial. 1.* Gratia est voluntaria beneficentia, redditio boni obsequij in tempore opportuno. *Speusip. de Platon. definitionib.*

Gratiam apud Deum habere illum necesse est qui cessans à peccatis & iniquitatibus, requiescit in honestate & viuit in iustitia. *Philo de leg. alleg. cap 2.* Gratiæ tres sunt, Iupiter, Sol, & Venus, & per Mercurium, & Lunam quasi nuncios putant transmitti & facilè per Lunam, quæ cum Ioue, vel Venere coniuncta facilior est, quàm si per sextilem aut trinum aspectum aspexerit. *Fic. de vita cœlitus comparand. lib. 3. cap. 5.* Gratia mouet amorem, amor fidem procreat. *idem, epist. lib. 5.*

Gratia est pulchritudo, non ratione sensus, quia menti non conueniret, & cæteris æquè vt auditui visuique competeret: non ratione mentis, quia oculos, & aures effugeret: non voluptatis ratione, quia hoc non in auditu, & visu duntaxat, sed in omnibus sensibus reperiretur: non ratione auditus solum, non enim menti visuique congrueret: non ratione visus, auditui namque mentique deesse: non ratione auditus & visus simul, quoniam in auditu & visu vna coniunctis pulchritudo inest; in vnoquoque verò eorum diuisim ab altero agente pulchritudo nulla: tribus ergo animi viribus gratia percipi potest, & tribus obiectis inest. ideò voluptates mentis, visus, & auditus pulchræ sunt, quia omniū voluptatū innatæ sunt & optimæ, atque faciles, spirituales & vitales. *Fic. in Plat. de pulchro.*

Gratia in rebus pulchritudo, in cognitione voluptas cognominatur. *Fic. de legib. dial. 2.* Gratiæ Dei, quæ gratis dicūtur datæ, quanquam concedantur malis, bonis tamen imprimis conueniunt. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænot. Lib. 7. cap 6.*

Gratulationem feram nequàquam reprehendi oportet. *Franc. Patr. de regno, lib. 9. cap. 17.*

Graue & leue si omni natura quæ sursum & deorsum dicitur, expendatur, clarissimè manifestabitur. *Plat. in Tim.*

Graue est id quod ad medium mouetur. *Proc. elem.* P y d f s o

Grauitas infinita vel leuitas non est. *Idem, de phy. prop. 10.*

Graue & leue per superiorem & inferiorem locum definire non decet, nihil enim aut sursum est, aut deorsum: nam cùm cælum rotundum omnino sit, & in conuexa superficie æqualiter leuigatum, non decet aliquid deorsum vel sursum prædicare, sed dicendum graue esse quod difficilè in locum extra naturam suam trahitur, & item graue esse quod ex pluribus partibus est compositum. *Alcinous cap. 20.*

Gubernatoria est ars gerens magistratum in eos qui nauigatione participant. *Plat. in Alcib. 1.* Gubernant omnia humana Deus, fortuna, & ars. *Fic. in Plat. Ionem.* Gubernatio recta est, cùm fit gratiâ gubernati, non gubernatoris. *Idem in Plat. de regno.*

Gubernatori casus inopinatus accidere solet, quia vel non omnia conspicit, vel non omnibus dominatur, soléteque casus ab externis incidere. At vniuersum sub vnius diuinæ mentis imperio conspectúque comprehenditur, vt nihil subterfugere, præuaricariq; possit, præsertim quia est vt vita mundi in qualibet parte tota; sic & intelligentia in hoc viuente corpore tota simul vbiq; , nec tractat extrinsecus materias alienas nec in plura distrahitur, sed suam agitat intus & ex vno ordine totam, tamque facilè regit intelligendo, quàm vita viuendo viuificat, quàm corpus agit essendo. *Fic. in Plot. En. 3 lib. 3. ca. 2.*

Gubernare seipsum feliciter difficillimum est: at ciuitatem impossibile est ex tam multis ac diuersis compositam, cui quotidie innumerabiles incertique imminent casus, beatè vnquam absque Deo beatitudinis auctore componere. Hinc ciuitas vnaquæque numen patronum habet. *Ficin. de repub. Plat. dialog. 7.* Gubernatione in omni, quatenus maior gradatim maiórque in gubernatore intelligentia est atque potestas, eatenus minus aliquid fortuitò illic accidit. *Idem, in Plot. En. 3 lib. 3. cap. 2.*

Gula plures occidit quàm gladius, estque fomes omnium malorum. *Franc. Patric. de rep. lib. 5 ca. 8.*

Gustus sensus similis est tactui coagmentatione, & discretione, insupérque ad meatus progressione & figuris. Aut acerba sunt, aut leuia ea quæ ad gustum pertinent, eliquantia enim & estergentia linguam acerba apparent, moderata extersione prædita salsa; incidentia verò, & diffundentia carnem acida, at contraria leuiáque & dulcia in succum obliquescunt. *Tim. Locrus de anima mun. di, & natura.* Gustus est iudex variorum succorum, à quo porrexerunt dij venas ad cordis sedem, quibus diuersi liquores examinarentur. Hæ dum dilatantur variè & contrahuntur, secundùm succorum incidentias eorum varietatem discernunt. *Galen. cap. 19.*

Gustus instrumentum existimat Aristoteles nec humidum esse debere, nec tale vt humescere nequeat, quippe cùm humidum sit futurum quod est gustandum. Respondebit forsan aliquis hoc ipsum quod est gustabile nō esse simpliciter humorem, sed humorem sapidum; oportuit igitur instrumentum gustus humorem in se duntaxat sapidum non habere, vel potius quoniam gustus sensibile proprium quodam tactu gustat, nec esse est ipsum pati velut à quodam non gustabili solùm, sed tangibili; quapropter & velut ab humido. quamobrem oportet instrumētum eius propriâ humiditate priùs non esse submersum. *Priscian. in Theophr. cap. 39.*

Gustus verum instrumentum non esse linguam, nec carnem tactus, existimant Aristoteles & Theophrastus, sed proportionem habere ad medium, sed instrumentum est spiritus. *Prisc. in Theop. cap. 40.* Gustus sani indicium nullum certius apud medicos est, quàm si illa quæ salubria sunt, eadem & suauia videantur, & contra quæ lædunt plurimùm eadem & offendant. *Fic. epist. li. 4.*

Gustus aquæ liquoribus comparatur, & potu & humidis saporibus vehementissimè delectatur. *Mar. Fic. in Plat. conuiuium, or. 5. cap. 2.* Gustu, tactu, olfactu quæ percipiuntur, quasi valdè materiale pótius instrumēta sensuum titillāt quàm animi intima penetrant. *Fic. in Plat. Timæ. c. 18.* Gustū di virtutē in corde radicē habere antiqui Peripatetici voluerunt, à lingua hucusq; gustus editur. *ibid. cap. 60.*

Gustus instrumentum non oportuit esse aridum, & humectationi prorsus ineptum, cum alimentum aridum in ore liquefieri oportet ne offendat, & faciliùs illabatur. ideo oportuit facillimè & instrumentum humectari, & linguā habere spongiosam, quæ stomachi, pulmonum, cerebri stillicidiis irrigetur, & alimentorum combibat liquores: nec tamen oportuit humorem in se viscosum habere, vel multum, alioquin & hebetaret seorsum, & liquorem venientem esse humidū non perciperet: humidā enim ad tactum pertinet, & gustus est quasi tactus, & tactui proximus. *Fic. in Priscia. it Theophrast. cap. 49.* Gustus variæ fuere opiniones, Alchmeon putauit humido quod est in lingua secerni succos ob mollitiem. *Io. Franc. Pic. Mir. ex van. doct. gent. lib. 2. cap. 16.*

Gymnastica optima soror est simplicis musicæ. *Plat. de rep. dial. 3.* Gymnasticā sola qui se exercet non adhibito studio philosophiæ & musicæ, se ipso fortior euadit; & si qua in anima erat discendi cupiditas, ea debilior & magis surda & cæca efficitur. *Plat. de rep. dial. 3.* Gymnastica circa id quod fit & perit versatur, corporis enim & incrementi, & decrementi curam gerit. *Idem, de rep. dial. 7.*

Gymnasia facimus omnia, quæ in bello corporibus exercentur, & artis sagittandi, & omnis iaculationis & impetus, & peltacestes, & totius armorum pugnæ, & eruptionum ordinum militarium, & totius profectionis exercituum, & castrametationum, & quæ disciplinæ ad equestrem pertinent, omnium enim horum doctores communes esse oportet, qui mercedem à ciuitate accipiant, & horum discipulos pueros, & viros, puellas, & mulieres in ciuitate, qui omnia ista faciant, vt quæ adhuc puellæ sunt omnem in armis saltationem & pugnam didicerint; mulieres verò eruptiones, & castrorum acies & arma sumendi, & deponendi vsum attigerint, si non alterius rei gratiâ, saltem si quando opus sit, vt passim collectis omnibus viribus relinquenda sit ciuitas, & extra militandum sufficiant, quæ pueros & totam ciuitatem custodiāt, aut si contra pro ciuitate pugnare, magna sanè reipublicæ pernicies est mulieres ita turpiter educare, vt neque velut aues pro filiis aduersus quancunque fortissimam bestiam pugnantes mori, & omnia pericula subire sustineant, sed statim ad templa defugiant, omnésque aras & altaria compleant, & eam de hominum genere opinionem induant omnium animalium timidissimum id esse. *Plato de legib. dial. 7.*

Gymnosophistæ ad respondendum ex tempore præstantes erant. *Franc. Patr. de rep. lib. 2. cap. 7.*



H



Habere & possidere differunt. *Plato in Theaeteto.* Habere si multipliciter dicitur, cur omnes habendi modi in hoc prædicamento non rediguntur? non sic & quantum, & quale ad hoc prædicamentum reducuntur? *Plot. En. 6. lib. 1. cap. 23.*

Habitatio custodibus ciuitatis communis esse debet, & in qua omnibus semper aditus pateat. *Plat. de rep. dial. 3.*

Habitudo, nil aliud est quàm animi nostri iudicium, dum videlicet comparamus quæ in seipsis existunt, id quod sunt, dicimúsque hoc, vel hoc magnitudinem eandem habere, & eandem qualitatem, & hic progenuit hunc, hic superat illum: & si superans refertur ad superantem, hæc magnitudo tanta est, illa tanta, & vbi dexter ad sinistrum anterior ad posteriorem potius hæc in situ consistunt; nos enim hæc excogitamus dextrum & sinistrum, at in rebus est nihil, quod prius & posterius reuera sunt duo tempora, sed prius & posterius in nostro est iudicio positum. *Plot. En. 6. lib. 1. cap. 6.*

Habitudo quædam existit in his quæ relatiuè dicuntur; at in aliis, si subiecta separantur, non manet habitudo, in aliis manet. *Plotin. En. 6. lib. 1. ca. 7.* Habitudo alia efficit, alia subsistit, & quæ subsistit nomen solum alteri exhibet, at quæ efficit etiam subsistentiam alteri tradit: & hæc habitudo æquiuocè dicitur de his, & illa, quæ efficit, nominatur actio, & passio, quasi vtraque sit motio, alia verò ponitur quę nō faciat ipsa, sed aliud quiddā est in ambobus efficiēs, vel æqualitas quæ æqualia faciat. *id. m. lib. c. 8.*

Habitus est affectio animæ, secundùm quam quales dicimur. *Speusip. in Plat. definitionib.* Habitus & dispositiones in qualitate ponuntur. *Plot. En. 6. lib. 1. ca. 19.* Habitus nostri pro temporum diuersitate diuersi sunt, nā pleni cùm sumus aliter cupimus, aliter cum vacui. *idem, En. 2. lib. 8. cap. 8.*

Habitus, dispositiones, siue affectiones aliæ à subiectis qualitates dicendæ sunt: in quarum principiis exemplaribúsque actus sunt, quæ in subiectis qualitates cognominantur. *idem, En. 2. lib. 6. cap. 3.*

Habitus fit in anima, & generatio ad naturā perficiendam,

& anima fit quodammodo, quoniam non ita vniformis & simplex est, vt intellectualia, nec stabilis vt illa, sed permanet, & mutationē habet innatam: & sic vbi Theophrastus interrogat à quo fiat in anima generatio vel habitus atque potentiæ vel essentiæ, putandus est interrogare, vtrum secundùm habitum tantùm, atque potentiam, an etiam secundùm essentiam in anima fiat permutatio. *Prisc. in Theop. de phantasia & intel. ca. 1.*

Habitus Platonici putant & in phantasia quodammodo remanente restare post mortem & in rationem illi consentientem, si modo quicquam & tunc quidem coacta consenserit, inde transfundi: peripatetici autem cessare composito dissoluto putant. *Fic. Plat. Theol. lib. 18. cap. 10.* Habitus rationem entis magis habent quàm priuationes. *Idem, in Plat Parmenid. cap 46.* Habitus vel ad operationem trahit sibi conuenientem, vel ad opus conueniens. *Idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap 1.*

Habitus semper pertinet ad aliquod obiectum, nec est habitus nisi vnius rei tantùm: quo fit, vt qui ad vnum non sit aptus, interdum ad alias esse non possit. *Seb. Foxius in 6. Platonis de republ.* Habitus animæ intelligentis quinque esse dicuntur, ars, prudentia, intellectus, scientia, & sapiētia. *Leo Hebr. de Amor. dial. 1.*

Hæreseos notam qui fert, aut dissimulat, non est Christianus. *Io. Pic. Mir. in apologia.* Hæreticus nullus vi logicæ deuictus aut rhetorices persuasus heresim abiurauit, sed simplicissimi illiterati verbis quibusdam acquieuerunt. *Pic. Mir. de stud. philos. lib. 1. cap. 3.*

Halysis est cathena quædam luminis clarioris per solis ambitum in se reuertens. Inter Irim & Halysim hoc interest quod Iris multicolor est & semicirculo figurata procul à Sole, & Luna; cathena clarior est, astrúmque ambit orbe incolumi corona non discolore. *Apul. de mundo.*

Harmonia.

Harmonia est in voce, Rithmus in motione corporis. *Plat. in Philebo.* Harmonia facta est à Musica arte ex discrepantibus primo acuto & graui, amorem & concordiam mutuō inducens. *Idem, in Symposio.* Harmonia Græca est suā ipsius vitam coaptare, sermonibus ad opera consonans. *Idem, in Lachete.*

Harmonia illa relinquenda est in ciuitate, quæ viri in militari actione, & in omni violento opere constituti, voces & accentus decenter imitatur: itémque ei cui res non successit, aut qui in vulnera & in mortem incidit, aut in aliam calamitatem illapsus est, & in omnibus his constanter & fortiter fortunam propulsat; & rursus aliam, quæ eius, qui in pacata, & non violenta, sed voluntaria actione versatur, & voces & accentus decorè exprimit, aut eius, qui alicui quid suadet & rogat, aut Deum prece, aut hominem doctrinâ, & admonitione: aut contra, cùm qui aliis roganti, aut docēti, aut suadenti se ipsum submittit & ex his è sententia agit, & non superbè se effert, sed tēperatè & moderatè in omnibus his agit, & ea quæ eueniūt boni consulit. Has duas harmonias, violentā voluntariā, infortunatorum fortunatorum, temperantium fortium, quæ sonos optimè imitabuntur, inquirere oportet, quæ sunt Dorica & Phrygia. *Plato de rep. dial. 3.*

Harmoniæ molles & conuiuales sunt Ionica & Lydia, quæ laxæ appellantur, quibus in ciuitate vti non licet nam ebrietas, mollities & segnities maximè dedecet custodes. *Plat. de rep. dial. 3.* Harmonia cognatos habens circuitus his qui in anima nostra sunt & qui cu intelligentia musis vtitur, non ad absurdam voluptatem, vt nūc alia videtur, vtilis est; sed ad animæ circuitum in nobis inconcinnum factum, ad ornatum, & concentum redigendum, ipsi pro auxiliario à musis data est: sed & rythmus ob immoderatum in nobis, & gratiis in plerisque indigentem habitu, ad eadem ab eisdem auxiliarius datus est. *Idem, in Timæo.*

Harmonia qui non delectatur non est harmonicè cōpositus. *Fic. epist. lib. 6.* Harmonia est ea concinnitas, quæ in vocum modulis ex eiusmodi obseruatione resultat. *Idem, in Phil lib. 1 cap 18.*

Harmonia ex Phthongis constituitur congrua scilicet mensura in excessu & defectu grauium vocum, & acutarum, & mediarum: & voces hic sunt quatuor, grauis, atque acuta, surgens in acutam, & declinans ad grauem: item proportiones quatuor, dupla inter duo & vnu, sesquialtera inter tria & duo, sesquitertia inter quatuor & tria, sesquioctaua inter nouem & octo; proportionem duplam sequitur consonantia vocis octauæ, sesquialteram quintæ, sesquitertiam quartæ sesquioctauam tonus. *Idem, in Plat. de repub. dial. 3.* Harmonia optima omnium est animi temperantia. *ibid.*

Harmonicum artificium in hoc versatur quod portiones superpatientes, quasi disgregatas & dissonas deuitat, multiplices, & superparticulares admittit, componens duplam ex sesquialtera, & sesquitertia per harmonicam qualem diximus rationē concordi varietate gaudentē. *Fic. in Pla. Tim. ca. 29.* Harmonia est ordo in ipsa vocum per acutū, & graue contemperantia. *Idem, in Pla. de leg. dial. 1.* Harmonica ratio nobis præcipuè à diuina prouidentia est tributa per quam omnes inquietæ naturæ motus, qui suapte natura inconcinni forent concinaremus. A musis habemus motionis animi consonantiam, ab Apolline cōcentum in sermonis cantusque motu, à Baccho festiuam in motu membrorum concinnitatem. *ibid.* Harmonia cælestis non sentitur humanis auribus, quia maxima est distantia, & vsus est continuus vt Pythagoras dicebat. *Leo Heb. de Amo. dial. 1.*

Hebe ministrat pocula diis plena Nectare Hebe est iuuentus, perpetuò enim iuuenes sunt dij Deum æternum cōtemplantes. *Aug. Steuc. de peren. phi. li. 4. cap. 11.*

Hebræi vna die 24000. cæsi à suis propriis auctore Phineo & iubente Mose quia meretricibus à Balaco rege in exercitum missis se miscuerant. *Phil. de vita Mosis. li. 5.* Hebræorum schola in tres diuisa est sectas, in philosophos, cabalistas, & talmudicos. *Io. Pic. Mir in apolog.* Hebræi Iouē sedech, quasi iustitiā appellant. *Leo Heb. de Amo dial. 2.*

Hegesias sic de morte copiosè disputabat, vt à Rege Ptolemæo prohibitus esse dicatur, quòd multi his auditis, mortem sibi ipsis cōsciscerent. *Aug. Steuch. de peren. philo. li. 7. c. 2.*

Helioselinus lapis id est solaris & lunaris, quodammodo imitatur congressum Solis & Lunæ, & figurat colore. *Proclus de sacrificio & magia.* Helites lapis radiis aureis solares radios imitatur. *Idem, ibid.*

Helleborum herbam qui colligit, si folium deorsum trahit, educit humores deorsum, si sursum, sursum. *Fic. de vita cælitus compar. li. 3 cap. 16.*

Halleboro si quis rectè vtatur, & potentior ferat, mutat quodammodo exquisitā purgatione, & occultā eius proprietate qualitatem spiritus, & corporis naturam, & ex parte motus animi, & quasi reiuuenescit, vt fermè videatur esse renatus. *Idem, ibid. ca. 20.*

Hemitonium vnum paulò minus est dimidio tono, & alterum paulò maius: quod interuallum Plato indicat esse inter 243. & 256. quum minoris illius numeri pars octaua sit triginta & prope semis, hic verò maior numerus supra minorem illum addit duntaxat tredecim, neque totum reddit, nec integrum hemitonium. *Fic. in Plat. Tim. cap. 31.*

Hepatis gratiā à natura splen factum est, vt eius sordes purgans. *Plato in Timæo.*

Heracliti opinio erat omnia moueri, nec aliquid consistere. Parmenidis verò & Melissi quod vnum omnia sint, & ipsum in seipso consistat, locum non habens in quo moueatur. *Plat. in Theæt.*

Heraclitus iudicium veritatis in mentem reduxit qui diceret, hoc ab eo sublatum ei calumniosè imputat: & eius opinionem difficile est intelligere, tanta erat in homine sermonis obscuritas vt inde scotini cognomentum traxerit. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. in exam. van. doctrinæ gentium, lib. 2. c. 21.*

Herbæ cor respicientes sunt septem, prima perfora, secunda vincetoxicon, tertia enula, quarta raphanus, quinta dictamus, sexta aristolochia, septima lactucella, his ab Arnoldo, & Raimundo additur herba tunica. *Fic. in epid. antidot. cap. 6.*

Hercules ne quidem contra duos. *Plat. in Phædone.* Hercules non poterat aduersus Hydram depugnare, eo quod sophistria esset, & propter sapientiam si vnum sermonis caput ei resectum esset, multa pro vno produceret, & aduersum Cancrum alium sophistam è mari profectum, & recens vt multis videtur è oaui aduectum, qui vbi ipsum affligeret è sinistra dicendo, & mordendo, Iolaum ex fratre nepotem auxiliarium vocauit, & hic ipsi abundè opē tulit. *Idem, in Euthydem.*

Hercules quia vitā actiuā excellebat, propter probitatem illius vitæ existimatur Deus: sed quia non habebat vitam contemplatiuam, ideò à poeta dicitur apud superos esse, sed aliquid eius esse apud inferos. *Plotin. En. 1. lib. 1 cap. 12.* Hercules, qui in nobis est ratio, occidit Anteum id est inania quædam simulachra phantasiæ. *Fic. epist. lib 4.* Hercules solus cū monstris decertauit, at cæteris periculosa est huiusmodi violentia. *Idem, in Platon. conuiu. orat. 7 cap. 16.* Hercules apud Græcos dignissimi viri appellabatur

iusti

iusti, & virtutibus excellentes. *Leo Heb. de Am. dial. 1.*

Hermogenes Parmenidis & Pythagoreorum fuit, qui omnia manere putarunt. *Fic. in Pla. Cratylum.*

Heroes ab amore dicti sunt, & semidei vocantur vt qui vel ex amore Dei erga fœminam geniti fuet, vel ex amore hominis erga deam vel ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, quod est dicere, quasi rhetores, eloquentes, dialectici, & ad res disputando proponendas aptissimi. *Plato in Cratylo.* Heroes inter aeris purissimam partem supra nos, & terram, vbi nec nebulis locus, nec ex signorum aliquorum agitatione commotio, sunt. *Mercurij Trismegisti Asclepius, cap. 55.*

Heroes etsi potentiâ, virtute, pulchritudine, magnitudine nobis præstant, tamen cum anima nostra, & vita eius multum congruunt: dæmones heroibus sunt superiores, & deorum ministri tanquam architectorum in opificio mũdano. *Iamb. de myst.* Heroes magnificè incedunt ad actionem, tardius tamen quàm dæmones peragunt; principatus cum auctoritate & imperio veniunt ad agendum, principium conatus plurimum habet emphasim, sed desinit ab effectu: animarum actiones mobiliores sunt quàm heroum, sed debiliores *idem, ibid.*

Heroes erant homines excellenti quadam virtute moti, qui è vita abierunt. *Bess. Cardina. in Calumniatorem Platonis, lib. 3. cap. 4.* Heroum opera ardentius ad virtutem inflammant exactiúsque formant, quàm veterum philosophorum de moribus disputantium verba. *Ficin. epist. lib. 1.*

Heroes nominant Platonici Homines à Diis è terra progenitos, qui à parentibus occultâ quadam mentis ad mentem persuasione recti ab initio multa per secula fuere. *idem, in Plato. Atlanticum.* Heroes nil aliud sunt, quàm iustorum, & bonorum hominum animi. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib. 8. cap. 16.*

Hesiodum Homero nulla alia ratione prætulerunt Euboei, nisi quia magis probauerunt agriculturam quàm bellum. *Fran. Patr. de rep. lib. 1. cap. 7.*

Hetrusci cœlum in sexdecim partes diuidebant, vt qua fulmen euenisset ex eo sibi clareret, & si sinistrum id fuisset indicare prospera putabant Romani; sed in comitijs tam dextro quàm sinistro fulmine aduersa portendi, & idipsum timebant quacunque parte tonasset, fulgurassétue *Ioannes Francisc. Picus Mirandul. de prænotione, lib. 6. cap. 6.*

Hiacynthum qui gestat est à fulgure immunis. *Ficin. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. cap. 12.*

Hierotheus post Paulum Dionysij doctor, & Apostolis excellentiâ proximus, Theologiam summulis mirâ profunditate conclusit, scripsit expiatissimis mentibus atque doctissimis. Dionysius autem iussu Hierothei, & Timothei rogatu, vniuersales illas summulas Hierothei in notiones singulas deriuauit. *Ficin. in Dionysiu Areopag. de diuinis nominibus.*

Hilaritas dicitur εὐφροσύνη, quod anima bene vna cum rebus feratur. ἀπὸ τοῦ εὖ φέρεσθαι, ita vt εὐφεροσύνη iuste dici debet quod εὐφροσύνη dicimus. *Plato in Cratylo.*

Hilaritas amplior est voluptate, hilares enim sumus discendo aliquid, & si quis mente ipsa prudentiæ particeps fiat, voluptate verò afficit contingit edendo aliquid, aut si quid aliud iucundi quis ipso corpore percipiat. *idem, in Protagora.*

Hippocrates Cous medicus Asclepiadarum generis erat. *Plato in protag.*

Hippocrates Democriti discipulus primus à studio sapientiæ medicam facultatem separauit, quæ paulò post in tres dissecta partes est, diæticam, pharmaceuticam, & chirurgicam: & hæc quoque in controuersia inter ipsos venit: nam alij rationales appellati, quorum princeps fuit Hippocrates, qui naturæ cognitionem sibi necessariam arbitrabantur: alij eam in vsu & experimentis collocarunt: & empirici vocati sunt, quorum caput Serapion, & qui eum secuti sunt, Glaucus Heraclides, Tarentinus, duo Apollonij, & Sextus Afer, vt ait Cornelius: quamuis Galenus in Philippum eum refert, & Plinius secundus in Acronem Agrigentinum, qui non quòd ratione non pollebant, vt quidam opinati sunt, & empirici nostri temporis existimant, sed quia ratione comparari medicinam non posse, sed vsu duntaxat & experimentis existimabant, in eos qui sese rationales profiterentur acerrimè disputarunt. Deinde fuere qui se methodicos nominarunt ab vtrisque diuersi, auctore Themisone. *Ioan. Franc. Pico Mir. in exam. van. doctr. gent. lib. 1. cap. 2.*

Historia.

Historiarum & poetarum lectio prodest ad parandam perfectam virtutem & ad curam reipublicæ. *Philo de sacrificio Abelis & Caini.* Historia in Atlantico descripta vera fuit, tum quia vbi aliquid fingit solet fabulam nominare, deinde idem in Timæo asserit appellans rem miram, sed omnino veram, & a quibus desumpta sit recenset, id est à maioribus suis & gentilibus præterea Proclus de rebus Æthiopum hæc manifestè confirmat. *Fic. in Platon. Atlanticum.*

Historia dici potest fabula, quoties vltra res gestas angustiorem habet allegoriam. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.*

Historia est quæ ostendit euentus rerum, nam etsi dabo Alphonso talem fuisse siderum positionem per illa tempora, non tamen dabo tunc fuisse cataclismum, aut rem aliam, nisi fidelis hoc mihi historia demonstrauerit. *Ioan. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 5. cap. 8.* Historiarum cognitio regibus, ducibus, imperatoribus, & omnibus principibus perquàm necessaria habenda est; quam Cicero appellat testem temporum, vitæ magistram, veram memoriæ & veritatis nunciam. *Franc. Patr. de regno, lib. 2. cap. 11.*

Hoc aliquid frustra introductum est in prædicamentis, nam qui quatuor tantum introducebant hoc introducebant; nam aut est ens, aut non est ens: si ens, vna quædam specierum est; si non ens, ens erit non ens. *Plotin. En. 6. lib. 1. cap. 24.*

Homerus.

Homeri catena nil aliud ostendit quàm quandiu circuitus ille & Sol mouetur, omnia seruari inter Deos & homines; si verò stet, hoc totum vt ligatum corrumpitur. *Plato in Theæteta.* Homeri Ilias præstantius poema est quàm Odyssea, quantò præstantior est Achilles Vlysse. *Plat. de mendacio.* Homerus milites non pascit piscibus, quamuis in Hellesponto essent, neque carnibus coctis, sed assatis tantum, quæ facillimè parari possunt militibus, vbi facilius est ipso igne vti, quam vasa circumferre; nec condimentorum, vt opinor vnquam meminit, quia qui corpore bono esse volunt, ab iis abstinendum est. *idem, de rep. dial. 3.*

Homeri reuerentia vsque à pueritia habita tenebat Platonem ne poetas à republica eiiceres, tamen quia mentis auditorum pernicies sunt eos in ciuitate non admittit; qui Homerus videtur primus ductor, ac dux tragicorum poetarum. *Plat. de repub. dial. 10.*

Homeri opera, non vt leges, belli tempore ipsi principi aut consultori vtilia fuerunt; nec vir aliquis in rebus gerendis, ad artes, aut alias actiones ex Homero vtilitatem habuit, nec publicè, nec priuatim dum viueret quibusdam disciplinæ dux fuit nec sibi ipsis nec posteris. *idem, ibid.*

Homerica duplicem habent negotium: id quod poeticum spectat, fabulæ effigiem inducit: quod philosophiam respicit, id ad amorem virtutis, ac veritatis cognitionem penitus fertur. *Max. Tyrius, serm. 16.* Homerus vndique pellendus ex omni ciuitate, in qua labores vigent cum virtute coniuncti. *idem, ser. 7.*

Homeri laudes in Philebo à Platone tributæ, non ex Platonis sententia, sed ex communi opinione deductæ sunt. *Fic. in Plat. de repub. dial. 10.* Homerus in amorem inuectus lumen oculorum amisit. *Leo Hebræus de Amore, dial. 3.*

Homicidium si quis commiserit in publicis certaminibus in amicum siue in bello, aut exercitatione ad bellum, dum magistratus exercitia instituunt, purus sit. *Plato de legibus, dial. 9.*

Homicidium qui manu sua perpetrarit, siue suo corpore nudo, siue instrumento, aut telo, aut potus aut cibi exhibitione, aut ignis aut frigoris admotione, aut spiritus interceptione, ipse suo ipsius corpore, aut per alia corpora, penitus sit velut manu perpetrasset, & pœnas tales det. Si seruum occidit, eius qui occisus est dominum indemnem faciat, aut pœnam pretij eius qui occisus est duplam sustineat, & pretij æstimationem iudices faciant, purgationibus autem vtatur maioribus, & pluribus quàm qui in certaminibus cædem perpetrarunt. Si suum seruum occiderit, purgatus secundùm legem à cæde liberetur: at si liberum inuitus occiderit, purgationibus iisdem lustretur quibus qui seruum occidit, sed per totum annum patriæ locos relinquere debet, & si externus, ab externi regione prohibeatur per annum: si paruerit huic legi, parentes proximi defuncti veniam illi præbeant, at si parere noluerit, proximus cædis reum peragat, & omnes pœnæ duplicentur: at si proximus illum cædis non accusauerit, quicunque volet ipsum accuset, & quinque annis à patria abesse cogat. Si externus externum in ciuitate degẽtem inuitus occiderit, accuset quicunque

volet iisdem legibus: si inquilinus est, per annum exulet: si penitus externus fuerit à republica, post purgationem, siue externum, siue inquilinum, siue ciuem occiderit, per omnem vitam à regione prohibeatur, in qua harum legum auctoritas vim habet: si reuertatur, legum custodes ipsum morte plectant, & si bona habet proximo generi interfecti tradant; si inuitus redeat permanere pulsus vel ab aliquibus vi adductus fuerit, illæsus in exilium mittatur. *Plato de leg dial.9.*

Homicidæ postquam reuersi sunt, vxor à viro & maritus ab vxore discedat, & nunquam ad gignendos liberos conueniant, nec in eadem domo habitent cum his, quorum filium, aut fratrem sustulerunt, nec sacris communicent: & qui in his impius est & non paret, à quocunque volente impietatis reus accusetur. *Plato de legibus, dialog.9.*

Homicidium iræ causâ bifariam distinguitur: nam peragitur cædes ab his, qui de repente, & nullâ occidendi præmeditatione plagis aut aliquo huiuscemodi impetu confestim oriente aliquem occiderit, & pœnitentia statim factum sequitur: vel qui verbis antea lacessiti, aut contumeliis factis vltionem prosequentes postea aliquem occiderint, volentes ipsum occidere, & nulla sequitur ad factum pœnitentia hic voluntario similis est, ille inuoluntario, seu potius inuoluntarij imago: contra primum leuiores pœnas, contra secundum grauiores sancire oportet. *Plat. de leg. dial.9.*

Homicidium si quis commiserit in hominem liberum absque præmeditatione ex ira quadam, quæ peracta fuerit, reliqua patiatur, vt pati conuenit eum qui absque ira cædem perpetrauit. sed duobus annis necessariò caueat vt iram suam castiget. *Plat. de legib. dial.9.* Homicidium si seruus in suum dominum commiserit ex ira, cognati interfecti faciant cum occisore quicquid voluerint, saltem vt viuum esse non siuant, & puri sint. *Idem, ibidem.*

Homicidium si seruus in liberum ex ira commiserit domini tradant seruum cognatis, & consanguineis interfecti. Hi verò ex necessitate perimant cædis autorem, quo pacto ipsis visum fuerit *Plat. de legib dial.9.* Homicidium ex ira qui commisit in seruum suum purgetur: qui in alterum, duplum damnum domino suo rependat: at qui legibus non obediuerit, sed dum impurus est, forum & gymnasia, & templa polluerit, quicunque volet, & interfecti bonorumque tutelam gerit, ad iudicium trahat, & duplum pecuniarum & aliarum rerum ab ipsis exigat, & persoluere cogat, & quod persoluerit, ipse sibi ipsi secundùm leges seruet. *Idem ibid.*

Homicidiorum voluntariorum maxima causa est cupiditas acquirendarum pecuniarum: secunda ambitiosi animi habitus qui graues inuidias inter cohabitatores parit, maximè quidem ei qui inuidiam habet, deinde verò optimis in ciuitate: tertia sunt miseri & iniusti timores, qui multas cædes operantur; cùm ab aliquibus peragantur, aut peracta sunt, in quibus neminem sibi conscium esse, aut fuisse volunt. *Plat. de leg. dial.9.*

Homicida si frater in fratrem in seditionibus sit pugna oborta, aut tali modo, aut ipsum priorem vt hostem occiderit vim à se depellendo, purus sit; si ciuis ciuem, eodem modo, si externus externum, & ciuis externum, & externus ciuem dum se defendit occiderit, eodem modo purus sit: & similiter si seruus seruum, at si seruus liberum à se depellens occiderit, eisdem legibus obnoxius sit quibus ille qui patrem occidit: at quicunque remiserit purgatus interfectori, exulet per annum. *Plato. de legibus, dial.9.*

Homicidium si frater in fratrem, aut sororē, aut soror fratrem, aut sororem ex ira patrauerit, purgationibus vtantor. & nunquam in eadem domo habitent, nec sacris communicent, & si non paret, impietatis sit reus. *Plat de legib. dial.9.* Homicidium si quis non suâ manu commiserit, sed consilio & consiliis & insidiis cædis author, & annua à cæde non pura in ciuitate habitauerit eodem modo puniatur exceptis fideiussoribus, & condemnato propria sepultura concedatur. *Idem, ibid.*

Homicidium in liberum hominem si seruus commiserit, siue sua manu, siue ex insidiis & consilio, & condemnatus fuerit, publicus lictor ciuitatis ad monumentum occisi perductum, aut eo vnde tumulum videre potest, tot plagis flagellet quot iniunxerit qui reum peregit, & si ita flagellatus vixerit, adhuc occidat. *Plat. de legibus dial.*

Homicidium in seruum si quis commiserit qui nihil iniusti fecit, sed ob timorem ne turpia & mala ipsius facta indicet, aut alterius cuiusdam eiusmodi gratia, vt is qui ciuē occidit pœnas. *Idem, ibid.*

Homicida quicunque ex prouidentia, & iniustè, primùm legitimis arceatur, vt neque templa, neque forum, nec portus, nec vllum alium publicum conuentum polluat, siue quis interdicat, siue non ei, qui hoc perpetrauit: at qui eum reum non facit cùm facere debeat, aut non indicat, cum sit intra consobrinos ex viris, & fœminis interfecto cognatus, primò fœditatem sceleris, & deorum iram in seipsum suscipiat, velut legis imprecatio sententiam dictat, deinde reus peragatur à quocunque qui occisi cædem vlcisci volet: qui verò vlcisci vult, is postquam lauacra ob hæc tutelæ gratia instituta, & alia quæ Deus circa hæc legitima tradidit, omnia perfecerit, & prædictionem denunciarit eat, & cogat cædis authorem vt pœnam secundum legem det. *Plat. de leg. dial.9.*

Homicidium qui cum insidiis ex ira commisit, tribus annis exulet, & reliqua patiatur vt qui non ex ira commisit homicidium. vt ob iræ magnitudinem maiori tempore puniatur. *Idem, ibid.*

Homicida qui damnatus est morte puniatur, & in occisi regione non sepeliatur, propter impudentiam allatam ad exercendam impietatem: qui verò fugâ euitauit, & iudicium subire noluit, perpetuò exul sit: si verò quis occisi regionem ex his ingressus fuerit qui primus ex mortui cognatis, aut ciuibus in ipsum inciderit, eum impunè occidat, aut ligatum magistratibus occidendum tradat. Hic qui iudicium intentat fideiussores accipiat ab eo cui iudiciū dictat, ille exhibeat tres fideiussores fide dignos quod ad iudicium sistat, & si non habet vinctus custodiatur. *Plat. de leg. dial.9.*

Homicidium si iumentum perpetrarit, curatores agrorum illud condemnatum extra agrorum fines occisum eiiciant, & si aliquid inanimum excepto fulmine vt de animalibus dictum est, extra terminus eiiciant, & pro anima expiationem faciat *Plat. de leg. dial.9.* Homicidium si repertum fuerit ignoto interfectore diligenti factâ inquisitione, denuncietur præconis voce vt qui illum occidit templa non ingrediatur, nec totam occisi regionem. & si cognitus fuerit & comparuerit, moriatur & extra regionem occisi eiiciatur insepultus. *Idem, ibid.*

Homicidia, in quibus homicida sit purus, pura sunt: furem noctu in ædibus ingressum qui occidit purus. prædonem propulsans si occiderit purus sit: si quis liberam mulierem aut puerum ad venerem cogat, impunè occidatur ab eo cui vim intulit, aut à patre, fratribus, & filiis: si maritus vxorem vim passam offenderit, occiso violatore purus lege sit, & si quis patri cædem minimè impiam facienti auxilium ferens aliquem occiderit, aut matri, aut liberis, aut fratribus, aut liberorum coniugi, penitus purus sit. *Plat. de leg. dial.9.*

Homicidæ non voluntarij sex ciuitates concessæ sunt inter Leuitas quia & Leuitæ profugi erant relictis patre, fratribus, & totâ mortali cognatione. *Phil. de prof-gius.* Homicida nemo pestilentior est quàm adulator, qui quantum in se est hoc interficit animam. *Fic. epist. li.1.*

Homicidij reus est habendus qui amatum non amat immo fur, homicida sacrilegus, & velut profanus impunè interfici possit. *Fic. in Pla. conuiu. or.2. ca 8.*

Homicidam non minus putare debemus qui hominē præripit nasciturū, quàm qui natum tollit è medio. audacior qui præsentē abrūpit vitam, crudelior qui lucē inuidet nascituro, & nondum natos suos filios enecat, vt qui masculam venerem exercent. *Idem, dial. or.6. cap.14.*

Homo quid est, & eius natura

Homo mente præditus cupit semper apud eum esse qui ipso melior est. *Plat. in phado.* Homines nil aliud sunt, quàm partim corpus, partim anima. *Idem, ibid.* Homo non est mensura rerum omnium, contra Protagoram *Idem, in Theate.*

Homo omnium rerum mensura non est, nisi sapiēs quis fuerit *ibid.*

Homo est animal mansuetum. *Idem, in sophi.*

Homo nil aliud est quam anima *in Alcib.1.*

Homines sunt Deo similes, vt ait Homerus, *de rep. dial.6.*

Homo solus sibi ipsi malorum causa est *in Ion.*

Homo est miraculum animalium diuinorum, *de legibus, dial.5.*

Homo animal mansuetum est, & si rectam disciplinam & felicem naturam adeptus est, diuinissimum, & mansuetissimum animal euadere solet: si verò non satis, aut non rectè educatus est, ferissimum omnium fit, quæ terra producit. *Plat. de leg. dial.7.* Homo

omnium animalium religiosissimum est. *Idem, ibid. dial.* 10. Homo grauis est possessio, & multa mala contingunt circa ciuitates, quæ multos vnius linguæ seruos possident. *ibid. dial.* 6.

Homo animal est diuinum, nec est cum terrenis brutis, sed cum diis cœlestibus comparandus: imò homo verus vel cœlicolis præstantior est, vel saltem pari sorte potitur: ideò dicere possumus hominem terrenum esse Deum mortalem, Deum verò cœlestem immortalem hominem: ideò horum virtute, duorum hominis & mundi singula gubernantur, demum vni cuncta subiiciuntur. *Mer. Trismeg. cap.* 10.

Homo est magnum miraculum, animal adorandum & honorandum, in naturam dei transit, quasi ipse sit deus: hoc dæmonum genus nouit, vt qui cum eisdem ortum se esse cognoscat; hoc humanæ naturæ partem in se ipse despicit, alterius partis diuinitate confisus: quæ infra se sunt diligit, à superioribus diligitur, colit terram. *Trismegist. Asclep.* 2. Hominem deus non in intelligibilium regione, sed in mundo constituit, quia factus est ex natura mortali & æterna. *ibid. cap.* 4.

Homo non est simplex sed est coniunctum ex anima & corpore; corpus est corruptibile, anima incorruptibilis, ideò homo verè est anima. *Arist. Theol. Aegypt lib.* 13. *cap.* 1.

Homo verus est animal rationale, vbi animal ponitur pro vita, quæ non inest absque anima infundente: totus homo diuiditur in corpus & animam, quæ est forma. *Idem, ibid. lib* 14. *cap.* 4.

Homo est animal sine pennis, bipes, latis vnguibus, quod solum ex animantibus scientiæ rerum per rationes sit particeps. *Speu. de Plat. diffinit.* Homo totus in capite & vultu est, námque prudentia & sensus omnes in illa parte continentur, cætera omnia membra capiti ancillantur. *Apul. de dog. Plat. lib.* 1.

Homo tunc est perfectus, cùm anima & corpus æqualiter copulantur, & inter se conueniunt, & sibi respondent, vt firmitas mentis præualentibus corporis viribus non sit inferior. *Apul. de dog. Plat lib.* 1. Homo non est minor quod ex parte mortalis sit, sed eo fortè aptiùs, efficaciúsque compositus ad certam rationem mortalitatem nactus esse videtur: quoniam vtranque nisi ex vtraque materia sustinere non potuisset, ex vtraque formatus est, vt terrenorum cultum & diuinitatis posset habere delectum. *Apul. Asclepius.*

Hominem verum testatur Plotinus esse animam. *Macrob. in som. Scip. lib.* 2. Homo ab anima mouetur, ergo initium est motus. *Idem, ibid.*

Homo, qui reduci debet ad primum principium, vt ait Plato, est qui in prima genitura in virum philosophum, musicum, aut amatorem descendit: profectò philosophus naturâ, musicus & amatorius reducendi sunt: modus verò quis est? processio duplex est, altera proficiscentibus, altera ad supera iam profectis: prima ab inferioribus ascendit, secunda illorum qui iam in loco intelligibili sunt, ibique fixere vestigia, oportétque eos vltra progredi donec ad summum vsque processerint, qui certè finis tunc itineris continget, quando quis ad summum intelligibilis mundi peruenerit. *Plot. En.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1.

Homo intellectu felix cùm sit, bonum sibi ipsi est, per id quod possidet: quod patet, quia qui sic affectus est nihil vltra desiderat. *Plot. En* 1. *lib.* 4. *cap* 4. Homo si idem esset ac vegetalis virtus, agente illâ nos ageremus, at id minimè sumus, sed ipse intelligentis ipsius actus scilicet sumus, quapropter agente illo tum agimus. *Idem, ibid c.* 9.

Homines sunt in medio, & in inferiori, ac cœlum & dij cœlestes in sublimi, terra verò est quasi centrum, & velut vna quædam ex stellarum numero. *Plot. En.* 3 *lib* 2. *cap.* 8.

Homo tam pulchrum opificium est, quàm pulchrum esse potest, & ita in mundo constitutus est, vt sortem habeat potiorem quam cætera quæ in terra sunt animalia. *Idem, ibid. cap* 9. Homines principium aliud possident; non omnes autem omnibus quæ habent vtuntur, sed alij alio vtuntur principio, alij alio, vel aliis atque peioribus. *Idem, En.* 3. *lib.* 3 *cap.* 4.

Homo si esset simplex, simplex inquam si id solum esset quod habuit ab initio, & secundùm id ipsum ageret, & pateretur, procul dubio querelæ omnis occasio procul abesset, vt in cæteris animantibus compertum habemus: nunc autem in homine malo vituperatio habetur forsan non absque ratione, non enim solùm id est quod est factus, sed principium aliud habet liberum, neque tamen extra limites prouidentiæ, & rationis vniuersæ peruagans: non enim ab his nostris superiora illa dependent, sed micant meliora peioribus, idque perfecta prouidentia est. *Plotin. En.* 3. *lib* 3 *cap.* 3. Homo præcipuè est ipsa anima. *Idem, En.* 4. *lib.* 7. *cap.* 1.

Hominis corpus compositum est, & ideò perpetuò permanere nequit; cùm quodlibet eorum, quæ insunt, reuertatur ad suum, & aliud in alterimas aliud, & commutet in aliud; præsertim cùm anima, quæ conciliare solet, molibus iam non adsit. *Plot. En.* 4. *lib.* 7. *cap* 1. Homo non est aliquid simplex, sed constat ex anima & corpore. *Idem, ibid.*

Homo vnus non sufficit ad exemplar multorum hominum differentium non solùm materiâ, sed quamplurimis propriis differentiis discrepantium. *Idem, Enn.* 5. *lib.* 7 *cap.* 1.

Homines omnes cum statim nati sensu priusquàm mente vtantur, & rebus ad sensum spectantibus necessariò prius incidant, affectúmque applicent: alij eodem in habitu perseuerantes vitam transigunt, existimantes quod molestum malum, quod iucundum bonum, & satis factum arbitrantes si per omnem vitam iucunda prosequuntur, contraria respuant: alij aliquantum ab inferioribus alleuantur, quos ipsa animi natura melior à voluptate reuocat ad honestum, cùm non possent intueri supernum, transferuntur vna cum ipso virtutis nomine ad actionum inferiorum delectus, à quibus attollere se ab initio conabantur. Tertium hominum genus diuinum est, in quo sunt qui maiore potentia, & oculorum perspicaciâ freti, supernam lucem acutè suspiciunt, & ad eam perfectiori se attollunt, inferiores nebulas, & caliginem transcendentes, & cum transcenderint ibi permanent, hæc omnia prorsus despicientes, nec aliter supernâ regione tanquam verâ & propriâ delectantur, quàm peregrinus post longos errores legitimæ tandem patriæ restitutus. *Plot. En.* 3. *lib.* 9. *cap.* 1.

Homo est anima: nam si esset animal rationale, cùm animal constet è corpore & anima, quomodo erit substantia sempiterna? tunc enim solum ratio est cùm corpus anima congrediuntur. *Plot. En.* 5. *lib.* 7. *cap.* 4. Homo est anima intellectualis, rationalisque simul, & sensualis: & hæc animæ humanæ conditio ad amussim ad ideæ nostræ characterem est expressa, quæ idea primus est homo; anima sic se habens est secundus; tertius verò est homo, quasi non homo, animal compositum ex corpore nostro simul, ac vita quadam huic infusa ab anima præcedente, in qua sensus efficacior est. *Idem, ibid. cap.* 5. Homo quatenus est purus, nec deprauatus, agit quod melius est, & dæmonas priores habet, & qui ante ipsum magis est dæmonicus: imò verò deus: nanque imitatio quædam dei est annexus deo dæmon, quemadmodum homo hic suspensus ad illum hominem. *ibid cap.* 6.

Homines nec essentiæ suæ domini sunt, sed potius essentia ipsa est dominum nostrum, nam cùm & quod dominatur quodammodo homo est, hac tamen conditione & domini nostrûm dici possumus. *Plot. En.* 6. *lib.* 8. *cap.* 12. Homines tunc demum extra contingentia positi sunt, & libertatem experiuntur, quando cæteris posthabitis, vnico ipsius boni lumini intelligentiam superante se exponunt: ipsa vera vita tunc effecti sunt. *Idem, ibid. c.* 15.

Humanum genus factum animal quidem, non tamen rerum omnium præstantissimum, sed medium obtinens, eligénsque ordinem, simul tamen quo in loco positum est prouidentiæ beneficio perdi nequaquam dimittitur, sed ad supera reuocatur quotidie, omnibus vbique machinis, quibus diuinitas vtitur virtutem continuò reddens potentiâ præualentem: quo factum est vt genus humanum rationalem nunquam amiserit facultatem, imò particeps, etsi non summopere, sapientiæ sit, mentisque, artis, atque iustitiæ, quam singuli inter se exercent, atque iniuria nonnullos afficiunt, se iustè id agere opinantes, esse nanque eos iudicant dignos, qui ab ipsis afficiantur iniuria. *Plotin. Enn.* 3. *libro secundo, cap.* 9.

Homo perfectissimus est cui desunt pauciora. *Max. Tyrius serm.* 5.

Homo duas animas habet, vt Mercuriales literæ docent, vna est ab intelligibili primo atque ipsius opificis potentiæ particeps, altera ex circuitu cœlestium nobis indita, in quam & anima speculatrix diuinorum irrepit: anima à mundis in nos descendens, mundorum circuitus sequitur, quæ verò ab intelligibili, eam à fato soluimus & per eam ad intelligibilia Deos ascendimus, & religionem habemus ad æterna tendentem. *Iambl. de mysteriis.*

Homo paruus mũdus rectè nominatur, quia ex iisdẽ omnibus est, corpore eandẽ habente materiam, animâ eiusdem

naturæ. *Calcid. in Plat. Timæum.* Homines tanquam animę quædam à solo intellectu pendent; vt autem animę vtentes corpore, agunt & dæmone. *Proc. in Alcibiad. primum.* Homo reuera est ipse animus, ipse essentiâ à corpore segregatus, in quo quicquid est pulchrum est, & bonum, etiamsi inde corpori sequatur incommodum: corpus enim non pars est hominis, sed instrumentum, & instrumenti malum non pertinet ad vtentem. *Idem, ibid.*

Homini dedit Deus intelligentiam, rationísque iudicium ad cognoscēda intelligibilia deique bonitatem, sapientiam, atque iustitiam; & cùm hæc sempiterna sint, consequens est hominem ad sempiterna natum, fore & sempiternum. Hominem inquam compositum, huic.n. iudicium datum est, & eius vsus: at nisi compositum manet, non permanet vsus & officium eiusmodi, & homo sempiternus esse nequit absque resurrectione. *Athenagoras de resurrect. cap. 1.*

Homini Deus dedit naturam ex anima immortali, & corpore mortali constitutam, vt animæ se vniret diuina cōtemplanti, deúmque imitanti per legum obseruantiam diuinarum; hic igitur actus circa tertium, hic finis in actu intimo constitutus, declarat fore hominem sempiternum in natura sua ad actum eiusmodi conducente in copula corporis simul, & animæ; quæ si quando dissoluatur, restituenda est per resurrectionem, speratam à nobis, non vanâ spe, sed certissimo quodam fideiussora, consilio diuino ad huiusmodi officium, & finem sempiternum naturam hominis eiusmodi prouocante. *Athenag. de resurrect. cap. 1.* Hominis finis absolutus est cōtemplatio Dei summa, & absoluta. *Idem, ibid. cap. 2.*

Homo vnusquisque ex anima & corpore constat, exiguus tamen animæ principatus, & intellectus est grauis carnis mole inuolutus: sic verisimile est se habere in vniuersitate sensibile, & intellectibile, cùm principia intellectibilia præbent corporeis. *Plutarc. in Platon. quæstionib.*

Homines paucos Deus per semetipsum appellas & rarò, vulgo hominum dat significationes ex quibus constat ea quę dicitur vaticinatio: nam dij paucissimorum hominum mores exornant. quos summè beatos, & diuinos reuera volunt reddere: quæ verò exolutæ sunt à genitura animæ, ac deorum choro vacant, à corpore velut planè manumissæ, sunt hominum, iuxta Hesiodum, curatores. *Plutarch. de vrbe Thebis & socratis dæmon.* Homines dijs grati sunt & cœlestes, nam illo amore tenentur. *Idem, ibid.*

Homo duplex, cœlestis ad imaginem Dei factus, terrestris è seminali materia; ille incorruptibilis, hic corruptibilis. *Philo in legis alleg. lib. 1.* Homines sunt alij cæli, alij terræ, alij Dei: terræ sunt qui venantur corporis cupiditates: cæli, qui tenent artes & scientias, aut eas sectantur: Dei sacerdotes & prophetæ. *Idem, de gigant.* Homo duplex: alius qui viuit iuxta rationem inspiratam diuinitus; alter qui sanguine viuens seruit carnis voluptatibus. *Idem, de eo, quis rerum diuinarum Hæres.*

Homo somnium est, pulchritudo momentanea, sanitas incerta, robur morbis expugnabile, confusa integritas, humoribus vitiosis facilè corrumpitur, opes ingentes sæpe vna dies abstulit, honoratissimi versi in contemptum, imperia maxima breui subuersa sunt: ideò ciuilem virū somniorum interpretem esse decet, intelligere quæ honesta, quæ turpia, quæ mala, quæ bona, & de aliis similiter, vt bene viuere discat. *Philo de Ioseph.*

Homo cùm non habeat à natura iudicium ad vnum determinatum, est necessariò liber: & quod iudicet liberè ex eo coniicimus, quia seipsum ducit ad iudicandum. *Ficin. Plat. Theolog. lib 9. cap. 4.* Hominis ingenium non est subiectum locis & temporibus. *Idem, Plat. Theolog. lib. 13. cap. 3.*

Hominum infortunatorum duo sunt genera, alteri qui nihil professi nihil agunt, alteri qui professionem ingenio alienam subeunt, & genio contrariam. *Idem, de vit. cælitus compar. lib. 3. cap. 23.*

Hominis vmbram, id est corpus, qui credit esse hominem, hic miser vt Narcissus in lachrymas se resoluit. *Ficin. epist. lib. 5.* Hominem ex anima & corpore constare asserunt Peripatetici: animam vt ad præsentem spectat quæstionem in duas partes diuidunt, in mentem, & sensum: & mentem vim geminam habere, vnam in contemplatione, aliam in actione; & sensus alij intimi sunt, alij externi. *Idem, de voluptatib. cap. 8.* Hominem peripatetici ex anima & corpore componunt; & eius animam tradunt Christiani vna genito corpore procreari. *Idem, in epist. lib. 10.*

Homo est anima rationalis, mentis particeps, corpore vtēs. *Fic. in Plat. Alcibiadem primum.* Homo vt anima rationalis est, in seipsum circulo quodam rationis sese animaduertendo reflectitur; vt mentis particeps, in diuinam mentem, velut riuulus in fontem suum refluit; vt corpore vtens, humanis negotiis gubernandis incumbit. *Idem, ibid.* Homo per animam est id quod est. *Idem, in Plat. Parmen. cap. 53.*

Hominem Pythagoras rerum omnium mensuram esse censet, existentium vt sunt, non existentium vt non sunt; & quælibet cuique talia qualia cuique videntur, & quales res sunt, tales sentiuntur; & quales sentiuntur, tales phantasiæ videntur: ideò scientia sensus est, in quem Thales Milesius, Homerus, Epicharmus, Empedocles, Heraclitus, & Protagoras consenserunt. *Fic. in Pla. Theæteto.* Homo sophista dicitur, quia magna imitatur. *Idem, in Plat. sophistam.* Homo solus est animus, corpus instrumentum. *in Plat. conuiuium. or. 4. cap. 3.*

Homo verus, & idea hominis idem sunt; ideò quisque nostrum in terris à Deo separatus, non verus est homo, cùm à sua idea sit, & forma disiunctus: ad eam nos diuinus amor, pietásque perducit: cùm hinc discerpti simus & mutilati, ideæ tunc nostræ amando connexi integri homines euademus, vt Deum primò in rebus coluisse videamur, quo res deinde in Deo colamus, & in Deo ideò veneremur, vt nos ipsos præ cæteris amplectamur, & amādo Deum nos ipsos videamur amauisse. *Ficin. in Plato conuiuium. or. 6 cap. 19.* Homo animal est admirandum, ex immortali mortalíque constitutum. *Idem, in Plat. Tim. cap. 29.*

Homo totus est mundus: per intellectum quidem refert proportione quadam firmamentum, per rationem speculatiuam Saturnum, per practicam Iouem, per vtriusq; expressionem Mercurium, per sensum imaginationémque Solem, per irascibilem Martem, per concupiscentiā Venerem, per vegetalem Lunam, per vehiculum cælum, per corpus mutabile regionem elementalem. *Fic. in Plat. Tim. cap 29.* Hominem miraculum ingens esse dictum est Mercurij. *Idem, in Plat. de legibus. dial. 1.* Homo miraculum est, quia cùm sit diuinus, mirum est eum à mortalibus infici, & cùm sit mortalis mirum affici ad diuina: & diuinum miraculum est, quia à Deo est institutum. *Ibid.*

Homo cùm gregabile animal sit, à communi hominum commercio segregatus mediocrem viuendi habitum seruare non potest, cogitúrque, vt ita dixerim, vel infra hominem descendere, vel supra hominem ascendere: vnde factum est vt Saturnus hominum segregator crimen & infamiam apud inscios reportauerit, eorum culpa, qui vel naturâ quadam ineptiori. vel educatione peruersa tales euadunt, vt quando à Saturno extra hominem seuocantur, descendant ab homine potius, quàm ascendant. *Fic. in Plat. de legib. dial. 4.*

Homo est animæ rationalis substantia, vltra rationem habens sensum quendam intimum impatibilem & communem; animal verò compositum ex figurato corpore, vtque ex quodam vestigio impresso ab anima: in quo quidem vestigio impressus sit sensus secundus à sensu primo iam per instrumenta varia distributus, atque patibilis. *Idem, in Plat. de legib. dialog. 1.*

Homo verus non est corpus, quia hoc vtimur pro instrumēto: non est vita, quia hæc cum brutis est communis, & quia ipsa ratio ipsi sæpe aduersatur; & iisdem de causis non est compositum ex corpore, & propria eius vita. *Ficin. in Plotin. En. 1. lib. 1. cap. 1.* Homo est anima, id est substantia incorporea, rationalis, ex diuino intellectu existens, in se consistens, corpori non inhærens, sed potius assistens, ac ipsa sui præsentiâ vitam hanc in corpore producens, ex qua & corpore animal appellatur. *Idem, ibid.*

Homo hic aliud est, & aliud est ipsa natura humana, ipsi namque naturæ nec quicquam deest perfectionis humanæ, nec superuacuum aliquid accidit, sed in hoc homine, & sunt quædam homini minimè necessaria, vt platonicè loquar: & quia insunt quædam ab homine minimum aliena, idcirco hic homo ab ipsa idealis rationis integritate degenerat: formæ verò à materia separatæ, quæ & simplices sunt, & in seipsis existunt, nihil idealium rationum amittunt. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 2.*

Homo in generali animæ facultate ita simul est totus, vt in quolibet membro sit totus. *Ficin. in Plot. En. 2. libr. 3. cap. 7.*

Homo non solùm tanquam mundi pars quædam fataliter agit & patitur multa, sed etiam substantiam habet propriā naturaliter quidem, partim superioribus, partim inferioribus cognatam; & libero motu potest insuper affectionē & habitum induere tam cum superioribus, quàm cum inferioribus congruentem. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 45*

Homi-

Hominem considera quatuor gradibus, primò in idea mentis, secundò in ratione seminali animæ, tertiò in hoc nostro corpore, quartò in pictura; quantò deterior est quartus tertiò, tantò tertius secundo, & tantò rursus secundus primo. *Fic. in Plot. En. 6 lib. 3. cap. 15.* Homo quisque nostrum tres homines habet, idealem, rationalem, & sensualem; qui sibi deinceps ordine sunt connexi, sed alij secundùm alium, vel alium vitam trahunt: & quatenus viuendi formas mutant, eatenus dæmones proprios præsentis vitæ mutant duces. *Idem, in Plot, En. 6. lib. 7. cap. 6.*

Hominem sapientissimum esse ait Plato quia numerum nouit non intelligens de arte numerandi, qua nunc mercatores vtuntur. *Ioan. Pic. Mir. in Apolog.* Homo constat è corpore & anima rationali, quæ cœlum dicitur, quia est seipsam mouens vt cœlum, & circulus vt cœlum; corpus terra, quia de graui materia est: & inter hæc spiritus vt ligamen positus est. *Idem, in Hept. lib. 4. cap. 1.*

Homo cùm sit vinculum & nodus terrestrium & cœlestium, mancipantur ei terrestria, fauent cœlestia: & si secum pacem habuerit, omnia hæc secum pacem habebunt: at si per legis præuaricationem defecerit homo, omnia aduersa & inimica ei futura sunt. *Ioan. Pic. Mir. in Heptaplum, lib. 5 cap. 7.* Hominis natura si periclitata erat, per alium restaurari non debebat, nisi per quem tota fuerat instituta natura. *Idem, ibid.* Homo non est, qui sit expers philosophiæ. *Idem, in epist.*

Homo qua homo est, scientiâ perficitur. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de philos. lib. 3. cap. 1.* Homo in fide Christi in primis fortiter stare debet; qua duce Deum versus peregrinari tutò potest per iter sacris eloquiis, quasi viuis lapidibus stratum ad ipsam petram, quæ Christus est: qui sui amatoribus, & seruatoribus præceptorum sempiternam felicitatem & repromisit & retribuet. *Idem, ibid. lib. 1. cap. 4.*

Homines tam ignari, quàm scientes inter se specie conueniunt, eadémque illos differentia essentialis constituit, sed indiuiduationis principio dirimuntur, & qualitatibus corporeis variantur, & affectionibus animi secernuntur. *Io. Franc. Pic. Mir. de praenot. lib. 3. cap. 4.* Homines docti, qui de diis præcepta dedere, & eorum cultum docuere, theologi vocati sunt: Thales, qui primus naturalia docuit sapiens vocatus fuit; Pythagoras philosophus nuncupatus est. *Idem, in exam. van. doct. gen. lib. 1 cap. 1.* Hominum definitionum apud gentes certam non haberi concludendum est. *Idem, ibid. lib. 5. cap. 8*

Homo à natura potissimùm institutus est veritatis amator, & diligens inquisitor. *Gab. Burat. de anima natur. lib. 1.*

Homo quodammodo est finis omnium naturalium corporũ. *Iac. Carpent. in Alcinoo c.* Hominis mens non est ex substantia Dei, sed (vt ait Epictetus) est abscessio: Philo ait esse auulsiones, Moses aspirationes, emissiones ab eo ipso occultas. Philo alio nomine radios scintillas: Mercurius ait, mens non est ex substantia Dei, sed quasi explicata vt Solis lux. *August. Steuc. de per. phi. lib 9. cap 17.*

Hominem non esse corpus & animam coniunctam, sed animam solùm Platonicum est, non peripateticum. *Seb. Foxius in 5. Platon. de rep.* Humana cæcitas est, vt quos putat honorabiles eos contemnat. *Aug. Steuch. de pere. phi. lib. 7. cap. 5.* Homo est astrum inferioris mundi intellectuali virtute præditum. *Steph. Comb. de Asc. mens. in deum, lib. 1. cap. 2.* Hominis essentia in eius anima intelligente tantummodò, ex mente Platonis consistit. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.* Hominum præstantissimorum & diuinorum propemodum genus est. *Idem, ibid.*

Hominum proprietas.

Hominibus triplex cupiditas inest, cibus, & potus, & tertia quæ insania feruentissimos homines facit generis propagatio. *Plat. de leg. dial. 6.* Homines multi reperiuntur, qui se scire multum putant, parum tamen, aut nihil sciunt. *Idem, in Apolog.* Homines beati essent, si omnia noscerent. *in Sophista.* Homines ignorantes præ vtilitate sua fugiunt scientes. *in Theage.*

Hominibus Deus duas artes dedit, & ad animosum impetum, & ad philosophiam, Musicam, & Gymnasticam, non ad animam & corpus, nisi præter institutum, sed ad illa duo, quo inter se coaptarentur, dum intenduntur & remittuntur, quatenus id fieri decet. *Plat. de repub. dial. 3.*

Homines cogendi sunt qui optimæ naturæ sunt ad disciplinam se conferre, videántque ipsum bonum, & ascensum illum perficiant; & postquam eò satis prolati viderint, aliorum curam suscipere, & custodes esse cogemus. *Idem, de rep. dial. 7.*

Hominum tria sunt genera, prout in illis animæ pars dominatur, ideò alij sapientiæ amantes, alij contentiosi, alij lucri studiosi. *Plat. de rep. dial. 9.* Homo duas naturâ cupiditates habet, propter corpus alimenti, propter animam sapientiæ. *Idem, in Timæo.* Homo solus habet ordines, & confusiones sensuum in motibus, quibus nomen est rythmus & harmonia: per quem sensum in tripudiis mouere nos, & choros ducere, & cantilenis, & saltationibus nos inuicem connectere possimus. *Idem, de legib. dial. 2.*

Hominum omnium vnum est desiderium, vt secundùm animæ suæ iussum fiant ea quæ fiunt maximè quidem omnia, sin minus, humana. *Plat. de legib. dial. 3.* Homines vel ab aliis edocti, vel ipsi inuentores sunt, quod omnium præstantissimum est. *Idem, de consilio dando.*

Homini post ascensionem id accidit, vt in corporalis materialis resolutione, corpus in alterationem labatur, species quam ante habuerat insensibilis delitescat in posterum; morum ociosus habitus dæmoni conceditur, & dimittitur, sensus corporei partes animæ facti suos in fontes refluunt, aliquando in suos actus resurrecturi, irascendi & concupiscendi vires in naturam conuertunt ratione carentem: itaque residuum cùm per harmoniam recurrit ad supera, primæ debinc zonæ crescendi & decrescendi officium reddit; secundæ machinationem malorum, ociosúmque dolum: tertiæ ociosam concupiscentiæ deceptionem: quartæ imperiosam, & inexplebilem ambitionem: quintæ profanam arrogantiam, & audaciæ temeritatem: sextæ occasiones diuitiarum prauas, & ociosas: septimæ mendacium insitum: tunc animus harmoniæ motiones exutus ad optatam naturam reuertitur vim propriam habens, vnà cum his qui illic sunt, patrem laudat, ipsi quoque in potestatum se numerũ conferunt, effectique potestates Deo fruuntur: atque id summum bonum eorum est, quibus cognoscendi sors competit, Deum scilicet fieri. *Mer. Trismegist. Pimander, cap. 5.*

Homo morte dignus est, quia præcessit proprio corpori tristis vmbra ex hac natura humida, ex hac corpus in mundo sensibili consistit, ex hoc denique mors ipsa scaturit, & qui seipsum cognoscit transit in Deum, quoniam ex vita & luce constat omnium pater, ex quo natus est homo: lux & vita Deus est, & pater, ex quo natus est homo. Si igitur comprehenderis teipsum ex vita & luce compositum, ad vitam rursus & lucem transcendes. *Mer. Trismegist. Pimand. c. 1.* Homo factus est mundi vniuersi contemplator: quod profectò dum admiraretur, auctorem eius agnouit, & omnibus hominibus sermonem Deus impertiuit, mentem verò nequaquam; non quòd inuiderit, ei enim non est liuor; sed quia vt certamen in medium proponere voluit. *Idem, ibidem, cap. 4.*

Homines post Trismegistum decepti erunt calliditate sophistarum, qui à vera pura, & sancta philosophia auertentur; simplici enim mente, & animâ diuinitatem colere, & eius facta venerari, agere etiam Dei voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima, hæc est nullâ animi importunâ curiositate violata philosophia. *Mer. Trimegisti Ascl. pim. c. 6.*

Homini nihil tam prosperum diuinitus datum, quin ei tamen admixtum sit aliquid difficultatis, vt in qualibet lætitia admixta est quæpiam vel parua quærimonia. *Apul. floridorum, lib 4.*

Homini nato nihil spectabilius est suâ formâ. *Apul. Apolog 1.*

Homine nihil præstantius omnium terrenorum dedit prouidentia. *Idem, de d. g. Plat lib. 1.* Homo cùm mundum & eius penetralia corpore adire non posset, vt è terreno domicilio illas regiones inspiceret, philosophiam nactus eiusque imbutus inuentis, animo peregrinari ausus est per cœli plagas his itineribus, quæ exploratione acuminis sui peruiâ sapientiæ, solis cogitationib. viderat. *Idem, de mundo.*

Hominũ admirationibus, adorationibus laudibus, obsequiis, cœlũ, cœlestésque delectatur. *Apul. Asclep.* Homo diuinâ intelligentiâ & prudentiâ munitus est, qui antequam vitiis implicitus sit, potest malitiæ fraudes, dolos, & vitia vitare. *Idem, ibid.*

Homines in cognitione delinquentes sacra vocant eloquia, qui circa boni rationem haud latetem, vel circa affectionem se debiliter habent, & qui volũtatem quidẽ nouerũt, neq; tamen faciunt, qui audierũt, & infirmi sunt circa fidẽ aut operationẽ boni. Iã verò nolunt quidã intelligere ne bene faciant, propter quandã peruersionẽ infirmitatémve voluntatis. *Dionys. Areopagita de diuin. nom.*

Homo musicus naturâ est qui sit facilis, mobilis, admirabundus, propensior sit ad pulchrum, sed non satis à seipso moueri possit, facilè verò ab his, quæ occurrunt, quasi figuris, incitari queat; & sicut timidi strepitu, sic ille sonis harmonicis concitetur, & pronus sit

ad pulchrum, quod apparet in sonis, & fugiat vbique dissonantiam, quodue vnum est in cantibus, atque numeris, numerosum verò, concinnúmque sequatur; & à sonis numeris, & figuris sensibilibus seducere hunc oportet, separando materiam in qua proportiones eorúmque comparationes sunt, atque ad pulchritudinem. quæ in his est reducendo, & docendo illa ad quæ vt mirabundus vehementer afficitur, non hic esse, sed intelligibilem potius harmoniam, & quod in ipsa pulchrum, & omnino ipsum pulchrum non aliquod pulchrum tantùm, & philosophiæ rationes adhibendu per quas ad fidem perducatur eorum quæ ignorat. *Plotin. En.1 lib.3.cap.8.*

Homo secundùm accidens insciens fit sciens, non enim qua ratione inscius est in potentia sciens, sed accidit ei vt insciens esset: anima verò secundùm seipsam existens apta in potentia perdurat etiam quatenus est sciens, seruátque adhuc quod dicitur in potentia, adeò vt qui iam est grammaticus non desinat potentia esse grammaticus; ille enim in potentia solùm dicitur, hic autem in potentia speciem iam habente. *Plotin. En.2.lib.5.cap.2.*

Homo, quem Plato interiorem nominat, tria in se habet, & hic non loquor de sensibus, separata enim sunt: hæc nostra anima, quæ diuinum quoddam est, & alterius naturæ, qualis est vniuersa natura animæ. perfecta est quæ mentem habet: sed mens altera in ratiocinando versatur, altera vim ratiocinandi suppeditat: hanc ratiocinandi virtutem animæ nullo prorsus instrumento corporeo ad discursionem propriam indigentem, sed actionem suam in puro quodam gradu seruantem, vt & purè possit ratiocinari, in primo intelligibili gradu si quis posuerit, non errabit. *Plotin. En.5.lib.1.cap.10.*

Hominis virtus si non in verbis, sed in actione, & publica negociatione, & vitæ politicæ vsu consistit, ea sequenda homini sunt, quibus virtutem comprehendere possit. *Max. Tyrius serm.5.* Hominibus fortunatissimis diuinæ quædam potentiæ. siue per vigiliam, siue in somnis assistunt. *Idem, serm.26.*

Hominis harmoniam duo componunt, animus, & corpus, quorum ambo sanitatem exposcunt, sed non est par ratio: nam animus imperat corpori, & animi sanitas est præstantior, vt & eius bonum est maius, vt & maior animi morbus quàm corporis: corpus fit arte sanum, animus virtutibus, animi morbus improbitas, corporis infortunium; sponte committitur improbitas; præter voluntatem infortunium accidit: ideò quibus accidit præter voluntatem mali aliquid, luebatur misericordiâ; qui suopte labuntur ingenio, odium in se solent prouocare. *Max. Tyrius sermo.41.*

Hominis animo cùm duo insint volupsas, ac ratio, si voluptas ratione temperata est, non se abdit à necessariis vsibus, amabilioréinque reddit rationem: si verò ratio voluptatibus adueniens præ nimia copia earum extulerit, modum à naturali illa delectatione necessarium admittit; sed non hominis tantùm voluptas est peculiaris possessio, sed etiam cæteris animalibus communis. *Maximus Tyrius, serm.33.*

Homines afflati diuinitus non viuunt vitâ animali: quod patet, quia multi eorum admoto igne non vruntur, ignem repellente Deo, & si vruntur non persentiunt, nec vlla percipiunt tormenta: & quod eorum actiones non sius humanæ patet, quòd per inuia vadunt, per ignem feruntur intacti, & flumina transeunt mirabiliter, quasi Deus ibi sit pro anima. *Iambl. de mysteriis.*

Hominis proprius appetitus est ratiocinandi, intelligendi, & sciendi, qui à cupiditate, & iracundia plurimùm distat. *Chalc. in Plato. Tim.* Hominis duplex natura, altera melior, altera inferior, melior virilis, inferior muliebris: non quòd sit aliqua in animis differentia, vna est quippe natura, sed in sexu diuersitas esse debuit caducâ mortalitate partus, substitutionésque desiderante: & cùm eadem sit & maris & fœminæ virtus, corporum tamen ipsorum diuersæ sunt vires, eum eorum aliud calidius densiúsque sit, alterum frigidius & rarius. *Idem, ibid.*

Homini vaticinium longè plus afferr quàm communis notitia cognitionem, nam vulgus præsentia tantùm nouit, futura coniectans. *Synesius de somnus.*

Hominem habitantem in corpore & mortali genere impossibile est cum Deo colloqui, sed solum eum quem Deus è carcere hoc eruit. *Philo in legis allegoriam.lib.2.* Homo quãdo liberos sibi quærit, ex virginibus reddis mulieres: at Deus cùm incipit cum anima habere consuetudinem, eam quæ modo mulier fuerat restituit in virginitatem pristinam: nam sublatis vilibus & degeneribus cupiditatibus, quibus effœminata erat, generosas & integras virtutes ei in earum locum substituit. *Idem, de Cherubin.*

Homo cùm sit cœlestis planta non terrena, ad cœlum habet erectum caput, plantæ deorsum eius ora deflexa habent, brutis in longum summæ ceruici aptauit. *Philo de Plantatione Noe.* Homines qui peregrinantur, tantum excedũt eos qui nunquam egressi sunt patriam, quantum cæci cedunt videntibus. *Idem, de Abrahamo.* Homo si Deum non conspicit mirari non debet cùm nec suum conspiciat animum. *ibid.* Homini contemplatiuo sufficit Dei, & sanctarum eius potentiarum inquisitio. *Idem, de migratione Abrahami.* Homines nunquam propius ad Dei similitudinem accedunt, quàm quum sunt benefici. *Idem, de iudice.*

Homini vis rationis est propria quæ diuiditur in actiuam vel practicam, & contemplatiuam, *Auct. in Remp. Plato. tracta. secundo.* Homo quamuis nunquam peccasset, perfectámque haberet scientiam; tamen nunquam assequi posset trinitatis cognitionem, & reliqua quæ à fonte fidei profluunt. *Bessar. Cardina. in Calumniatorem Platonis, lib.3.ca.17.*

Hominum differentia in artibus addiscendis non tam ingenij quàm voluntatis diuersitati censeo attribuendam. quilibet enim maxima quæque. si studiosè contendit assequitur. *Ficin. Platonica Theologia, lib.9.cap.5.* Homo omnia diuinæ naturæ opera imitatur, & naturæ inferioris opera perficit, corrigit, & emendat. *Idem, Plata. Theol. lib.13.cap.3.*

Hominis venefici intensa phantasia infensa teneriori corpusculo infantis febrem puero affectat. *ibid. cap.4.*

Homini naturale desiderium est ad causam semper cuiusque effectus inueniendam, nec cessat inquisitio quousque ad causam primam perueniatur: ideò in sola Dei cognitione finis humanus consistit. *Fic. in Plat. Theo. lib.14.cap.2.*

Homo solus in his regionibus peregrinatur: cùm cætera animantia naturalem habitum, & locum nacta sint, quiescunt; ad patriam verò homo aspirat cœlestem *Idem, ibid. cap.7.* Homo nequit solus viuere *ibid.* Homo solus omnium animalium Deum colit. *ibid. cap.18.*

Homines ob id propriè quod à prima sua temperatione discesserint, ad felicitatem suam maxima cum difficultate contendunt; facillimèque eam tunc demum assequuntur, cùm in habitum priorem restituti iam fuerint. *Ficin. Platonica Theologia, lib.18.cap.9.* Homines vbi tard sunt longæui, non est sperandum nos ibi diu victuros, & vbi fructus terræ diu non seruantur. *Idem, de vita producenda, lib.2. cap.7.* Homo quicunque sanæ mentis compos nascitur, est à cœlo ad honestum aliquod opus, & vitæ genus naturaliter institutus. *Idem, de vita cœlitus comparanda, lib.3. ca.23.* Homines omnes bene viuere volunt. *Idem, epist. li.2.*

Hominem qui non diligit, non est homo. *Ficin. epistol. libr.1.*

Hominum miseriam lugebat Heraclitus, stultitiam ridebat Democritus. *Idem, ibid.* Homines stulti sunt, cùm aliena curant, sua negligunt, magnifaciunt absentia & noua, præsentia & solita parui faciunt, ob assiduam futurorum cupiditatem præsentibus non fruuntur. *ibid.* Homo quàm miserum animal est, nisi aliquando euolet supra hominem, videlicet Deo se commendet? *ibid.*

Hominum lucrum & possessio maius est omnibus aliis sucris quæ sunt in terris. *Fic. epist. lib.3.* Homo consideret, cùm nunquam in terrenis contentus viuere possit, se cœli ciuem esse, incolam verò terræ, vt annitatur nihil cogitare, vel loqui, vel agere, quod minus decere videtur cœlestis patriæ ciuem. *Idem, ibid.* Homines impij nunquam Astrologi veri euadere possunt: nam si cœlum est ipsius Dei templum consentaneum est profanos homines procul à cœlo cœlestibúsque arcanis expelli; & apud barbaros, à quibus sapientia omnis descendit, sacerdotes soli mathematicas, physicas, & metaphysicas scientias tractabant. *Ibid. lib.5.*

Homines diligendi non adorandi, & laudandi paucissimi & hi adulti, atque iam diu prouecti, & hi moderatissimè: alioqui laudando vituperamur, & pœnitet laudasse, solus nunquam fallitur, cui & laudandi & amandi lex est Deus; vt solum Deū sui ipsius gratiâ veneretur, homines amet in Deo, in hominibus laudet Deum. *Ficin. epist. lib.2.* Homines omnes cùm æquales sint specie, & arbitrio liberi, iniquissimo animo seruitutem ferunt; nisi fortè qui dominantur, quantum inferiores excedunt sublimitate, tantũ humilitate eisdem adæquentur, ac longè magis sapientiâ quàm fortunâ excellere videantur. *Idem, ibi. li.3.* Homines solâ humanitatis escâ capiuntur. *ibid.*

Homini non est placendũ, si in hac vita Deo displicemus. *Fi. epist. lib.6.* Homines per rationem propriam imaginationi quæ vnà cum sensibus sensibilibus nutritur, innixi, & humana tractant, & diuina frequenter solent aggredi,

unde

inde & falli; inde oportet rationem ad intellectum conuertere, & virtute intelligentiæ propriâ intelligibilia iudicare, sed munere quodam diuino intelligentiam superante, id est amatoriâ quadam vnione per infusum diuinitus lumen accensâ sperare ipso Deo perfrui posse. *Idem, in Dion. Areo. de diu. nom.*

Hominis perfectum & absolutum officium est, vt primo naturam suam animaduertat; deinde ab illa, tanquam ab imagine & effectu, ad diuinam mentem exemplar eius & causam conuertatur, à qua animus hominis illustratus ipsum bonum ipsum vtile, ipsum pulchrum, ipsum iustum intelligit, suúmque bonum, vtile, pulchrum, & iustum perfectè comprehendit: vnde quid bonum, quid vtile aliorum hominum, quibuscum versatur, & quibus imperat, nosci: cumque bonum absolutum, bonum suum, & aliorum cognouerit, ad seipsum, & alium vnumquenque curandum secundum cogniti boni normam accedere debet philosophiæ studio. Moralis, Mathematicæ, Theologiæ opus est, vt ad se ipsum, & ad mentem sui causam redeat. *Ficin. in Platonem, Alcibiadem primum.*

Hominis vis cognitiua actu primo & directo ad humana, & naturalia refertur, quæ per proprium scientiæ modum cognosci possunt. id est per conclusionem ex causis ad effectum ritè collectam *Ficin. in Plat. Parmenidem, cap. 29.*

Hominibus à primis annis duo duces præsunt, innata voluptatum cupiditas, & acquisita opinio ex ciuilibus, & moralibus institutis; quæ ad ea nos ducit, quæ honesta & iusta ab hominibus esse censentur: cui animæ humanæ nouem comites adsunt, Deus vnus, dæmones duo, stella sua compar, dæmon aereus & humidans, item intra animam auriga vnus, equi duo, albus, & niger, appetitus scilicet rationalis, & appetitus sensui parens; item impetus vnus & duces duo, impetus quidem ad bonum, cupido trahens ad bonum iucundum, opinio ad bonum honestum, de quibus latius Plat. in septimo de Republica, & in Phædro. *Fic. in Pla. philebo lib. 1. cap. 25.*

Hominum industria omnis, vel in mentis cessat acumine, vel in vocem ex mente producitur, vel etiam canum requirit, aut etiam sonum, vel præter hæc in corpus agit proprium, vel externam materiam efficit. Prima scientia contemplatiua est. vt Dialectica, Geometria, & reliquæ similes: secunda Grammatica; tertia Musica vocum vel sonorum; quarta saltatio ludúsque gymnasticus, quinta artis cuiusque fabrilis opera. Ex his omnibus tres mediæ notissimum habent euentum, quia sensibus quodam modo se offerunt, & circa corpus proprium operantur: è quibus vt notioribus exempla potissimum Plato trahit. *Ficin. in Plato. philebo lib. 5. cap. 28.* Hominis officium non est sentire, sed quæ sentit considerare. *Idem, in Pla. Cratyl.*

Homo idem sensu cernit, imaginatione concipit, intellectu rationem definitionémque communiter contemplatur, quæ contemplatus fuerit conseruat. *Fic. in Plat. conui. ora. 6. cap. 6.* Homines sub continua Dei custodia sunt, nec licet nisi quando Deus voluerit hinc migrare. *Idem, in Plat. phædonem.*

Homines si instituendi sunt per disciplinam, si optamus aureum genus, vt intelligentiæ ad rationem sit vt quatuor ad tria proportio sesquitertia, rationis ad irascibilem. vt tria ad duo proportio sesquialtera; & irascibilis ad concupiscibilem, vt vnum ad duo in dupla proportione; at si genus optamus argenteum, rationis proportio sit ad intelligentiam sesquitertia sed è conuerso, vt ratio sit quatuor, intelligentia tria. *Idem, in Plato. de republica dial. 8. cap. 22.*

Homo probus vt non doleat non est exigendum, sed vt nascentem dolorem rationibus consoletur. *Mar. Fic. in Plat. de rep. dial. 10.* Hominis complexionem appellat Plato vincula occulta, quibus ministri Dei fabricam humani corporis prosequebantur; quæ complexio est adeò temperata, cœlóque persimilis, vt vix in ea elementarium qualitatum excessus appareat. *Idem, in Plato. Timæum, cap. 38.* Homo contemplationis gratiâ natus est. *Ibid.* Homo non solum ad contemplationem natus est, sed etiam ad imitandum ipsum cœli motorem pro viribus suis. *Ibid.* Homini omnia infra Lunam sunt à Deo subiecta. *Ibidem, cap. 45.*

Homo in hac ignorantiæ caligine constitutus, innumerisque fortunæ vel malis agitatus vel illecebris distractus ad constitutum sibi à Deo finem absque perpetuo Dei auxilio peruenire nequit. *Idem, in Plat. Apolog.*

Hominum generi necessaria est congregatio mutua, alioquin viuere nequit. *Ficin. in Platonem, de legibus dialogo primo.*

Homines à superis gubernari rationi consentaneum est rectius feliciúsque quam à se ipsis. *Idem, ibid. dial. 4.*

Homines ab hominibus gubernari non possunt optimè absque duce Deo, vt bestiæ sine humano pastore regi non possunt: & quandiu mortalis aliquis sine Deo dominabitur, tandiu laboriosa, & misera vita futura est, quasi frustra vigilaturus sis quilibet ciuitatis custos, nisi Deus ipse custodiuerit ciuitatem. *Ficin. in Platonem de legibus, dial. 4.*

Hominibus principium & numen insitum est; si conuenienti sibi honore à singulis munere ipsius vtentibus afficiatur, omnia seruat: principium est idea, formationis humanæ principium; nomen familiaris dæmon; dæmon quoque generationis princeps sub nomine Lucinæ significatus. *Idem, ibid. dial. 6.*

Homo non necessariò agitatur in singulis motibus radiorum confluxu cœlestium; quia nec corpus humanum pars est mundi continua, nec anima hominis pars animæ mundi, nec à mundi anima procreatur. Habet corpus humanum præter figuram propriam motorem quoque intra se proprium, & proprium progressum motorem inquam intellectualem; qui per intellectualem naturam transcendit corpus, & mundi vitam; qui non est vniuersi pars, sed ipse in se aliquid vniuersum. *Ficin. in Plotini. En. 3. lib. 1. cap. 5.*

Homo præter animalia cætera possidet. vt non, vt illa, phantasiam sequatur, sed rationem habeat, qua facienda iudicet: cuius vsu quæ in phantasiam incidunt examinat; siquidem examinando probat, phantasiæ concedit, & ad agendum deinde mouetur. sin improbat; reiicit & expellit obtemperans rationi *Ficin. de fato. cap. 2.* Homines inter se differunt non solùm per materias, sed per proprias etiam formas, & figuras, & modos varios genituræ. *Idem, 5. lib. 7. cap. 1.*

Hominis rationalis in ipsa idea summatim continetur omnis artificiosa facultas, & ingenio processura; omnes formales inter indiuidua differentiæ non contingentes ex diuersitate materiarum, vel locorum, illic ideas habent, sed virtute quadam potius quàm actu proprio, scilicet quatenus in speciebus ipsis, quarum propriè & præcipuè sunt ideæ, continentur varij quidam, & singulares formarum modi, inde quandoque pullulaturi. *Ficin. in Plotini En. 5. lib. 9. cap. 12.*

Homo nullus in diuino cratere, sapientia scilicet, se immergere valet, qui suum corpus non oderit, & qui non se, sed Deum dilexerit, & qui mortalia non neglexerit, & solis diuinis hæserit, solis adsit, sola meditetur, & flagret. *Fic. in Mercurij Trismegisti Pimandrum, cap. 4.* Homo nemo ad diuersa aptissimus nasci potest, ideóque nullus diuersas artes exercere debet, præsertim cùm ex alterius opere opus impediatur alterius. *Idem, in Plat. de rep. dial. 2.*

Hominis substantia omnium in se creaturarum substantias, & totius plenitudinem reipsa complectitur: sed hæc est differentia inter Deum, & hominem; quòd Deus in se omnia continet vti omnium principium, homo in se omnia continet vti omnium medium: quo fit vt in Deo omnia sint meliore nota quàm in seipsis, in homine inferiora nobiliori conditione sunt, superiora degenerant. *Ioannes Picus Mirandulanus in Heptaplum, lib. 5. cap. 6.* Homine nihil in mundana scæna admirabilius conspicitur, dixit Abdalan Sarracenus. *Idem, de hominis dignitate.*

Homini datum est habere quod optat, & id esse quod velit: bruta simul atque nascuntur id secum afferunt è vulua matris, quod possessura sunt. supremi spiritus aut ab initio aut paulò mox id fuerunt quod sunt futuri in perpetuas æternitates. Homini nascenti omnifaria semina, & omnigenæ vitæ germina indidit pater, quæ quisque excoluerit illa adolescunt, & fructus suos ferunt in illo; si vegetalia, planta fiet; si sensualia, obmutescit; si rationalia, cæleste euadit animal; si intellectualia angelus erit & Dei filius; & si nullâ creaturarum sorte contentus in vnitatis cẽtrum suæ se receperit, vnus cum Deo spiritus factus, in solitaria patris caligine, qui est super omnia constitutus, omnibus antestabit. *Ioan. Pic. Mirandula. de hominis dignitate.*

Homo tripartitam philosophiam amplecti debet, ad quam delphica tria præcepta nos admonent: nam ne quid nimis virtutum omnium regulam per mediocritatis rationem de qua moralis agit rectè præscribit: Nosce te ipsum ad naturę totius cognitionem, cuius interstitium, & quasi medium natura est hominis, excitat: postremò hac cognitione illuminati iã Deo proximi, id est Es, dicẽtes theologicã salutatione verum Apollinẽ familiariter appella-

bimus. *Ioan. Pic. Mirandul. de hominis dignitate.*

Homine nil imbecillius, amure nil potentius. *Ioan. Picus Mirandul. in ep stolis.* Homines meridianam incolentes partem, quantò aerem calidiorem spirant tantò intus sunt frigidiores; ideò timidi, & effœminati sunt ad seruiendum nati, quod fit quia calor ita corpora laxat, vt secum mutuum caloris intestini euocet, & absumat. Contra sub frigido cœlo animosi. *Idem, in Astrologiam libr. 3. capitulo 13.*

Homine excepto nihil magnum in terra, & in homine nil magnum præter mentem & animam. *Ioan. Picus Mirandul. in Astrologiam, li. 3. cap. 27.* Homines si quid faciunt quod vires nostras excedere videtur, non in cælis, non quod Deus medio cœlorum hæc in nobis faciat: nam Deus non permitteret per animalia irrationalia hominem disponi, nec corporum auxilio mentes eleuari; sed medio angelorum qui inter nos, & Deum medij sunt, sed Deum, vel angelos auctores faciunt. *Idem, ibid. lib. 4 cap 4*

Hominum genus nullum tam infœlix est quàm quod honorum ambitu feruet, & eorum potissimum quos literæ pariunt: nam qui ob diuitias gloriam quærit, aut sanguinis nobilitate regum fauore se tollit in sublime, faciliùs percipit non à se, sed ab aliis hoc prouenire: at propriâ industriâ, & proprij ingenij præstantiâ ad nimium sui amorem stimulat, quo allucinatur, putans id suum & id proprio esse peculio: ac decipitur, vt hi qui phrenesi capti aliena omnia sua existimant, quid enim habemus quod nostrum sit? nonne cuncta Dei sunt, eius gratiâ nobis collata? *Ioan. Fr. Pic. Mir. de studio philo. lib. 2. cap 6.*

Homo omnium maximè vim habet imitandi. *Ioann. Franc. Pic. Mirandul. in de imitatione.*

Homo eruditus vt sublimiora curare debet, ita nec infima contemnere, quorum ope illa ipsa suspiciuntur, & in eis adipiscendis suppetias afferunt. *Idem, de prænotione lib. 1. cap. 1.*

Hominis naturale lumen aut ea causas, & signa spectat, quæ supra se posita sunt, vt cœlum, & ignis, & aeris sphæras; aut quod in ipso homine est, id vel ad animam spectat, vel ad corpus pertinet, aut quod infra se iacet, aquam, terram, animalia, plantas, lapides; aut quæ ad corpus conducunt. Si primum des, agricolæ plurimum, non fabulatores Astrologi; coniectantur futura, & ex statis anni temporibus, quid noctu agendum quid interdiu comprehendont; & tempora serendi, metendi, & colendi agri, ex varia Solis, & Lunæ, dispositione per se nihil coniectari datur. Ex aere pluuiæ, tempestates, coniectantur à pastoribus agricultoribus, & nautis. Si eorum quæ animæ conueniunt propensio fiat, prudentia oritur: si sanitas, vel ægritudo cogitatur, medicina prodit: si aquæ vel terræ mentio fiat item & agriculturæ, præsagia suboriuntur: si quæ corpori solatium afferunt, & commoda vestigemus, reliquarum artium machinis vtendum, vnde & mechanicæ dictæ partem trahemus, quarum quæque suis præsagiis pollent. *Ioan. Francisc. Pic. Mirandul. de prænotione, lib. 3. cap. 1.*

Homines interdum à lumine diuinitus misso docentur quid euenturum sit, & quandoque verbis angelico ministerio in imaginatione efformatis quid agendum erudiuntur prophetæ, & quid futurum præcipiunt. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione lib. 6. cap 8.* Homo abdita supra proprij ingenij captum, & humanæ facultatis conditionem ne quærat; & suâ naturâ, & suâ intellectus facultate & studio humano contentus Dei secreta ne penetret, præsumptione temeraria scientiæ ordinem, & modum præuertens. *Idem, ibid. lib. 7. cap. 2.*

Homines nihil scire putauit Metrodorus. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. in examen vanitatis doctrinæ gentium, lib. 2. cap 6.*

Homini magis conuenit munus rationis quàm intellectus & mentis, id est ratiocinari & discurrere magis, quàm vno intuitu comprehendere, quamuis hoc munere prorsus, & omnino non sit naturâ destitutus: ideò si ambæ hæ proprietates, ratio, & intellectus coniungantur, vno verbo posset inueniri vltima hominis differentia, sitque *λογισμικὴ*, quæ differentia omnes aliæ superiores includuntur, & ab omnibus rebus, quæ non sunt homo dirimatur. *Idem, ibid. lib. 5. cap. 9.*

Hominem nihil magis indicat quàm sermo. *Francisc. Patricius de republica, in præf.*

Homo tribus indiges in primis, alimento, domo, veste: alimenta agricultura sola præstat, ædificium iuuat, & vestimentum penè suppetit. *Idem, ibid. lib. 1. cap. 7.* Homo sine literis similis est arbori infructuosæ. *Ibid. lib. 2. cap. 1.*

Homines nihil agendo malè agunt. *Ibid. lib. 4. cap. 6.*

Homini propria est mentis solertia, vt auibus volatus, & equis cursus. *Ibid. lib. 5 cap. 2.*

Hominibus imperare magna res est, cùm homo omnium animalium in rectorem & custodem suum ingratissimum sis: vnde in prouerbio, lupum auribus tenet qui imperat. *Francis. Patricius in proæmio de regno.* Homo in omni rerum statu tutiùs rem suam agit dummodò citra iniuriam vitare possit, facilius enim est otij quàm negotii rationem reddere. *Idem, lib. 9. de regno, cap 8.* Homines plerique hoc ingenio præditi sunt vt nō ante sua bona dignoscāt quàm eadem protinus amiserint. *Ibid. cap. 3.*

Homini data sunt ad cognitionem, & diiudicationem sensus, & ratio: in sensu cum belluis communicat, in ratione & intelligentia diuinæ naturæ habet impressam insignem: sed in sensu belluas superat, quòd illæ tantùm singularia apprehendunt, nullas ex iis notiones vniuersas excitant; homo verò singularibus inter se comparatis per rationis discursum in eisdem notatâ similitudine de iis excitat notionem vniuersam. *Iacob. Carp. in Alcinoi cap 4.*

Hominis excellentia in seminario artis differendi posita est, qua hic belluas vincit, & cum Deo quantùm potest similitudinem assequitur. *Iac. Carp in Alcin. cap 4.* Hominum de vita deliberationes à fine incipiunt, & in finem desinunt, *Idem in Alc par. post. cap. 10.* Homini sapienti & viro bono est honor meliora sequi, & ex peioribus meliora ea ad melius quàm optimè reducere. *Ibid. cap 20.*

Hominem ex homine tollere, est ipsum affectibus priuare. *Iac Carp. in Alc. parte post. cap 12.* Homines dato veneficio in caseo quædam mulieres magæ in Italia, mutauerunt in iumenta, Circis more, quos postea in homines restituerunt, cùm portassent, quæ illæ voluerunt onera. *Idem in Alcinoi digress 5.*

Hominibus ingenita est facultas rationis, & intelligentiæ, quæ in suum actum excitatur, & tempore opus est, quo notiones per comparationem singularum imaginum efformentur, eædemque beneficio superioris luminis illustrentur ex quo accidat vt homo non intelligat, nisi cum discursu cogitationis per eas imagines, quarum initia hausta sunt ex sensibus: vnde cum multa huic discursum impediant, error nasci potest *Iac. Carp. in Alcinoi dig. 4.*

Homines primi colloquio, & præsentiâ Dei fruebantur; & quicquid temporis à creatione ad eos pulsos è paradiso exactum est, mirabilium rerum cognitio fuit. *Aug. Steuch. de peren phil. lib. 8. cap 1.* Hominis est errare, insipientis perseuerare in errore, posteriores cogitationes solent esse sapientiores prioribus. *Idem, ibid. lib. 4 cap. 4.* Hominibus nisi labor propositus esset, multa mala cōsecuta fuissent otium, libido. *ib. lib 7 cap. 55.* Hominem à Deo creatum esse tria sunt Aristotelis testimonia, vnum vniuersale, duo particularia: ex his vnum ad animum, alterum ad corpus *ibid. lib. 9. cap. 7.*

Homo contrariarum qualitatum capax, necessariò penè dolore, aut voluptate affici debet, quandiu rationi non paret, quæ turbidos hos motus temperet, & componat. *Seb. Fox. in phæd. Plat.* Homines tribus egent, cibo, habitatione, vestitu. *Idem, in secunda de rep. dialogo* Humani corporis fabrica ad admirationem diuinæ sapientiæ nos excitat. *Aug Steuch. de perenni philosophia, lib. 9. cap. 56.*

Homo semper in aliquo cupiditatis suæ motu versatur: voluntas enim ociosa esse non debet. *Mar. Antonius Natta de pulchro. lib. 5.* Homo manus habet quia sapientissimū animal est, vt instrumentum quòd animali sapientissimo adesse oportet. *Idem, ibid de pulc.* Hominibus quid maius cōtingere potest quàm multis esse auctor salutis? & melioris vitæ? *Ibid. lib 3.*

Homo ad sapientiam duplici potentiâ fretus est; vnâ qua natus est, quia humanum genus sapientiæ idoneus est; aliâ, qua iam sapiens effectus potest vti sapientiâ. *M. An. Natta de pulchro, lib. 5.* Homines nullis artibus effici possunt immortales. *Idem, ibid.*

Homo diuina cognoscit viribus propriis, & intellectus progressi ductu. *Stephanus Combe. de ascensu mentis in Deum, lib. 4. cap. 4.* Homo habet sensum & rationem: ratio rerū omnium rationes per seipsam apprehendit incorporeas: sensus per hæc quinque corporis instrumenta imagines & qualitates attingit. *Idem, ibid. lib. 5. cap. 12.* Homo ex transitu ad Deum beatur, vel saltem corporis culpa beatitudinem ipsam degustamus; beamur quidem, quia Deū intelligimus, cui ascensui amoris ala magis confert, quàm intelligentiæ & ex fruitione magis quàm ex intelligentia beatitudinem animæ nostræ constituere patet. *ib ca. 14.*

Homines, vel rei possibilis actualem essentiam, vel rei actu existentis præsentem possessionem desiderare consueuerunt

runt. *Leo Heb. de Am. dial. 1.* Homines omnes naturæ instinctu scire desiderant. *idem, ibid.* Homo à sapientibus microcosmos, paruus videlicet mundus, iure appellatus fuit. *ibid. dial. 8.*

Homo tanquam vinculum quoddam commune mundum inferiorem cum ipsa diuinitate copulat, atque coniungit. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.* Hominis in honestate finis reponitur, & collocatur. *idem, de Amore, dial. 1.* Hominum miserrimum genus est. *ibid. dial. 2.* Homo omnium rerum omniúmque scientiarū perfectam & absolutam cognitionē sibi comperere minimè potest. *ibid. dial. 1.*

Homo solus formam æternam & intellectualem omnium generabilium & corruptibiliū sortiri meruit, quia in solo homine mutuus amor elementorū æqualitatis, vnitatis, & perfectionis existit, vt omnibus eorū inimicitiis sedatis, & in vnum corpus concorditer coniunctis, ipsum à cuiuscunque contradictionis & oppositionis genere liberum & solutum conficiat, & corpori cœlesti quam simillimum omni cōtrarietate carenti; & hac de causa eâ formâ intelligibili atque æternâ superinduitur, quæ sola cœlestia corpora informare meretur. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.*

Homines docti, ac sapientes pulchritudinem verè propriéque spiritalibus tantùm conuenire, & inde ad corpora quoque exornanda formosáque reddenda distributam fuisse arbitrantur. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.*

Homo, vt differt à cæteris animantibus.

Hominibus ac brutis animantibus quædam à natura, quædam à studio contingunt. *Plat. in Theæteta.* Homo solus ex terrenis animātibus duplicis naturæ est, mortalis propter corpus, immortalis propter hominem ipsum substantialem, & cunctorum arbitriu continet: animantia cætera quæ mortalia sunt fato subiecta patiuntur. *Mer. Trismeg. Pimand. c. 1.*

Homo solus mente & sermone vtitur, reliqua animantia voce. *Mer. Trism. Pimand. c. 12.* Homo vtitur terrâ, aquâ, aere, igni, cœlum suspicit, sensu illud attingit. at reliquorum viuentium genus vnumquodque proprium mundi prouinciē habitat. humida aquam, terrestria terram, volatilia aerem. *idem, ibid.*

Homo reuera deorum brutorúmque est medius, & ad vtraq; vergit, itaque alij diis, alij brutis similiores euadunt, plurimi inter hæc obtinent medium, qui deprauati brutis qualitate propinquant, rapiunt medios, & illis vim inferunt, hi verò cogentibus sunt meliores, ab ipsis tamen deterioribus superantur, quatenus ipsi quoque deteriores sunt, nec sunt boni, nec se ita comparauerūt vt pati non possint, quibus pœna statuta est. *Plot. En. 3. lib. 2. c. 8.*

Homines non alia re quàm scientia brutis sunt præstantiores, & non aliâ quàm propriâ impuritate diis sunt inferiores. *Max. Tyrius serm. 40.* Homo solus ex mortalibus principali mentis bono, id est ratione vtitur. *Chalcid. in Tim. Plat.* Homini regimen est mens, qua differt à cæteris animantibus: & vt corporis regimen est penes oculos, mundi penes lucis naturam, sic in nos mens obtinet imperium. nam hæc est oculus animæ illustratq; splendore proprio, per quem dispelluntur altissimæ tenebræ, offusæ ignorantiæ. *Philo, quod Deus sit immutab. c. 19.*

Homini quæcunque sub Luna create sunt subdita sunt. *Fic. in Plat. Timæum. c. 37.*

Homine nullum animal infelicius esset si terminum eundem viuendi illi natura tribuisset atque cæteris animalibus cùm eius vita propter inquietudinem animi, imbecillitatem corporis, & rerum omnium indigentiam sit bestiis quæ in terra vitam agunt durior: & cùm id fieri nequit, vt homo qui cunctis animantibus Deo propior est sit illis infelicior, ideò post mortem certè felicior & beatior esse potest, & à corporibus liberi animi luce aliqua superest. *idem, in Platonic. Theolog. lib. 1. c. 1.*

Homo habet cerebrum maius, & cor calidius quàm cætera animalia. *Fic. Plat. Theolog. lib. 10. c. 2.* Homo tantò perfectior est quàm brutum: quantò intellectus perfectior est quàm sensus. *idem, epist. lib. 2.* Homines omnes sicut in apparentibus accidentibus hominis propriis conueniunt inter se, differunt à brutis; sic habent in se vnam, communémque accidentium earundem originem, naturam scilicet communem à brutis differentem. *idem, in Plato. Phileb. lib. 1. c. 20.*

Homo multis de causis brutis est inferior, nisi diuina prouidentia atque cognatione diuinum cultum, & religionem susceperit. *Fic. in Platonem de legib. dial. 2.*

Hominis idea cum idea equi, ex Plotini sententia, commisceri nequit; & intellectum hominis in diuinis perpetuò permanere, intellectúque rationem regi, nec naturam animæ nostræ diuinam ad inferiora præcipitari, sed vicissim cum hæc ad illam consequens erat dicere, humanam speciem in equinam minimè permutari. *idem, in Plotini Enn. 6. lib. 7. cap. 7.*

Homo equum naturæ coadiutorem dedit, canem autem custodem. *Francisc. Patricius de regno, lib. 3. c. 6.* Hominem animalia viribus corporis, sensuum sagacitate longè antecellunt: solâ ratione omnium principe, & dominâ ipsa à nobis superantur. *Aug. Steuch. de perenni philos. lib. 9. c. 2.* Hominum mutuus amor ab eisdem quinque, à quibus brutorum quoque, rationibus proficisci videtur, ratione tamen insuper earum vnamquamque concomitante. *Leo Heb. de Amore, dial. 2.*

Hominum generatio, & quæ ad vitam pertinent.

Hominum ab initio natura non hæc erat, sed diuersa; nam tria erant hominum genera, mas, fœmina & tertium amborum horū cōmune: cuius nomē solum restat. Androginorū enim semiuirorum tunc vna species & appellatio erat, ex ambobus mare & fœmina communis, & tota species hominum rotunda erat, dorsum & latera in circulum habens, manus quatuor totidem pedes, & duas facies, & pudenda duo, & ibant erecti in quam volebant partem. Mas ex Sole; fœmina è terra, amborum particeps ex Luna: & cùm in deos auderent, ipsos vt nunc est dissecarunt. *Plato in Symposio.*

Homines qui sunt viri illius communis segmenta, quæ tunc semiuiri appellabantur, mulieres amant, & multi adulteri ex hoc genere sunt, quæ mulieres viros amant: & hæ adulteræ fiunt, at quæ mulieres mulieris segmentum sunt, non ad viros, sed ad mulieres se conuertunt, & sunt hæ quæ tribades appellantur: & qui maris segmentum sunt, mares sectantur: & qui in suam dimidiam partem incidit, nunquam potest ab ipsa separari. *Plato in Symposio.* Homines felices essent si vnusquisque suum amatum adipisceretur. *idem, ibidem.*

Homines concipiunt & secundùm corpus, & secundùm animam; & postquam ad aliquam ætatem peruenerint, parere cupit natura nostra; in turpi parere nequit, parit in pulchro; viri enim, & mulieris congressus partus est, est autem diuina hæc res: & propterea in animali, quod mortale est, immortalis est conceptio, & generatio, quæ in pulchro, vt in congruo fit; & Parca, & Lucina est generationi ipsa pulchritudo. *Plat. in Symposio.* Hominis vita tota concinnitate opus habet. *idem, in Protagora.*

Hominem Dei filij Deum imitantes crearunt accepto immortali animæ principio, postea ei mortale corpus circundederunt, & vehiculum totum corpus effecerunt, & aliam animæ speciem in ipso insuper ædificauerunt, mortalem illam, & quæ graues & necessarias in se affectiones habet, primò voluptatem maximam malorum inescationem, deinde dolores bonorum fugas, insuper audaciam, & timorem, insipientes consultores, & iram ægrè placabilem, & spem, quæ facilè abducitur, tum à sensu rationis exortæ, tum ab amore omnia audente; & hac mixtura humanum genus composuerunt. *Plat. in Tim.* Hominū genus si caput carnosum, & neruosum, & robustum haberet, vitam duplam, & multiplicem, eámque magis sanam, & minus doloribus obnoxiam haberet, quàm nunc est. *idem, ibid.*

Hominū multis interitus ex diluuiis, & morbis & multis aliis facti sunt, in quibus exiguū quoddā hominū genus relictū fuerit. *Pla. de leg. dia. 3.* Homines qui ex diluuio aufugerūt, ferè montani quidam fuerunt, & pastores, in verticibus alicubi velut igniculi humani generis conseruati, & imperiti aliarum artium, & fraudum, quas in vrbibus inter se lucri, & contentionis gratiâ exercent, & omnium aliorum maleficiorum, quæ inter se excogitant. *idem, ibid.*

Homines sacrificari adhuc etiam nunc durare videmus. *Plato de legib. dial 6.* Hominum ortus, aut nullum principium habuit, neque vnquam finem habebit, sed & fuit semper, & penitus semper erit, aut immensa quædam temporis longitudo intercessit ex quo principium incœpit. *idem, ibid.* Homini vt alimento essent, Deus fructus & herbas plantauit. *Plat. in Tim.*

Hominem sibi similem Pater omnium, intellectus vita, & fulgor existens procreauit, & ei tanquam filio suo congratulatus est; pulcher enim erat, patrísque sui ferebat imaginē. Deus reuera propriâ formâ delectatus opera eius omnia vsui concessit humano. *Merc. Trismeg. Pimander, c. 1.* Homo cùm considerasset omnem procreationem, ipse quoque fabricare voluit. vnde à contemplatione patris ad sphæram generationis delapsus. *idem, ibid. c. 5.*

Homo cùm factus esset mortalis, omnia enim volente Deo facta sunt dissolubilia, & mascula ex parte, & fœminea conficiebantur, extemplò Deus verbo sancto clamauit: pullulare, adolescere, propagate vniuersa germina opera mea, vos insuper quibus mentis portio concessa est

genus recognoscite vestrum, & vestram naturam immortalem considerato, amorem corporis mortis causam esse scite, rerum omnium naturam discite. His dictis prouidentia per fatum, harmoniámque constauit mistiones, generationésque constituit, vnde cuncta sunt secundum genus proprium propagata. Demum, qui seipsum cognouit, bonum quod est superessentiam, consecutus est, qui verò corpura amoris errore complectebatur, is oberrabat in tenebris mortis mala sensu percipiens. *Mercur. Trismegisti Pimand. c. 1.*

Hominum generatio facta est ad diuinorum operum cognitionem, & testimonium naturæ, ad imperandum omnibus, quæ cœlo teguntur, & ad bonorum discretionem, ad incrementum generis, numerique propaginem; omnisque anima velata carnis vmbraculo, ad cœlestium deorum discursum suspiciendum, ad opera Dei, & naturæ progressus, ad bonorum signa, ad potestatis diuinæ cognitionem; & portio quædam illis tributa est ad bonorum & malorum iudicium, ac bonorum varium artificium inueniendū; incipis tamen in illis viuere, & sapientiam nancisci. *Merc. Trismegisti Pimander, c. 3.*

Hominem intellectualem creauit auctor primus cum omnibus proprietatibus opportunis simul vno momento: alioqui si pluribus momentis susciperet, fortè generabilis, & corruptibilis, & ab agente diminuto fieret. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 14. c. 2.* Homines formati ab anima, quæ à diis cœlestibus tradita est ipsóque cœlo, secundùm illam corporibus cohærent: alia namque anima, per quam homines sumus, non ipsius esse, sed bene esse causa est, accedit enim facto iam corpore, partim ratione simul ad esse conducens. *Plot. En. 2. lib. 1. c. 5.*

Homo hinc fugere debet, & se segregare ab iis, quæ in generatione nobis adiuncta sunt, & danda opera est ne ad ipsum fortè prolabamur quod cōpositū est, corpus scil. animatū, in quo natura corporis magis præualet, vestigium quoddā animæ nacta, adeò vt vita ipsa cōmunis sit corporis potissimum; quæcunque enim huius sunt, corporea sunt. Ad alteram verò animam quæ extrinsecus extat, ascensus pertinet ad sublimia, ad pulchrum, & diuinum, quibus nihil alicubi dominatur: imò verò animus pro viribus vtitur, quo idipsum euadat, ac secundùm hoc ipsum viuit, quando in se ipsum se recipit; quicunque verò animæ sic institutæ fit expers, iam viuit in fato, & in hoc vitæ habitu stellæ non solùm significant homini, sed ipse fit tanquam pars vniuersi, & totius cuius ipse est pars nō iniuriā ferunt. *Plot. En. 2. lib. 3. c. 9.*

Hominum vita nil aliud est quàm somnus manifestus, per quem animus in corpore demersus vix rerum somniat substantiam, *Max. Tyr. serm. 18.*

Hominem dij ex terra, igne, aere, & aqua finxerunt portiones quasdam, quas quandoque redderent mutuantes, ligantésque inuicem latentibus nexibus corpus vnum ex omnibus confecerunt, & partem animæ præstantiorem in capite locauerunt cùm cerebrum prius ceu cultum agrum præparauissent; circa vultum organa ad sensuum ministeria præparauerunt, & medullam ex leuibus, & sine flexura triangulis compusuerunt, quibus elementa genita erant genitalis seminis futuram originem: os ex medulla, & terra coegerunt, postquam hæc duo igni, & aqua crebrius irrigarunt: neruos ex osse & carne: caro verò ex salso, & acuta quadam quasi fermentatione compacta est: circundederunt autem ossa medullis, & ossibus iunctorarum gratiâ neruos, vnde neruorum obsequio flexiones articulorúmque nodi prouenerunt. Per carnem postremò illis tegumēsum adiectum est, quæ tum alba, tum plurima, & ad decorem, & ad vsum viuentis est tradita Ex his præterea interna sunt implicita vicissim, ventérq. & circa ipsum intestina vndique reuoluta, supernè verò ab ore arteria, & fistula faucium, vna in stomachum, altera in pulmones protensa. Cibi in ventre digeruntur spiritu, & calore attriti, & molliti, atque inde in totum corpus manant permutationibus propriis. Duæ venæ circa spinam erectæ caput contrario modo implicant inuicem obuiantes, hinc in multa se scindunt. Postquam dij hominem fabricarunt, animam illius dominam corpori coniunxerunt, animæ ipsius principem rationem caput habitare iussere, à quo medullæ, neruorúmque origo ducitur, cuius variis passionibus mentis alienatio sequitur; quapropter circumpositis capiti sensibus ipsam corporis arcem quasi quibusdam satellitibus munierunt, in ea siquidem ea vis habitat, quæ ratiocinatur, iudicat, & contemplatur: at partes animæ, quæ mouentur affectibus, humilioribus sedibus addixerunt, irascendi vim cordi, concupiscendi vtero & his quæ circa vmbilicum sunt partibus. *Alcin. c. 17.*

Homines vt diis cognatiores à Deo, & natis facti sunt, nam ipse omnium artifex animas huius generis stellarum numero pares in terrā demisit, & cùm quamlibet antea cognato astro tanquam vehiculo imposuisset, instar legum conditoris fatales illi leges explicauit, vt ipsa extra culpam delictorum existeret. Docuit perturbationes à corpore mortales exorituras, primò sensum, postea voluptatē, & dolores, metum, & iram: quas si superarent, neque se trahi sinerent, iustè victuras, & in cognatum astrum redituras. *Alcin. c. 16.*

Homines à Deo creati sunt non ad alienum vsum, sed ad vitam suam ita continuandam, vt auctoris sui potentiam, sapientiámque considerantes, legémque & ius obseruantes, vnà cum illis sempiternam vitam producerent, cum quibus acceptam ab initio vitam continuarunt. *Athenagoras de resurrectione. c. 5.* Homo compositus est, compositi est procreatio, compositi natura, compositi vita communis ex actionibus, & passionibus tam corporis, quàm animæ congregata: compositi igitur finis est communis, id est, imitatio Dei, & per hanc eiusdem fruitio: iustitia diuina in iudicium trahet vtrumque præmium, vel supplicium reportaturum ex actione, & passione vitáque communi: at non potest esse communis, & vnus iustéque cahibitus, nisi ad vnum communem, eúmque hominem, qui communiter operatus fuerat quandoque pertineat; ad hoc autem necessaria est mortuorum resurrectio. *idem, ibid.*

Hominem Deus vltimò creauit, vt nulla re careret quæ ad vitam, & bene viuendum conferat *Philo de mundi opific.* Hominem Deus fecit ad eius imaginem ideā quadam, aut genus, aut signaculum, intelligibilem incorporeum: nec mas, nec fœmina naturaliter est incorruptibilis; deinde hominis sensibilis structura composita est ex terrena essentia, & diuino spiritu, anima ex nulla re creata, corpus ex humo. *ead. ibid.* Homo primus formosissimus, quia recens terra ab aquis secreta sincera, & pura erat; & quia non ex quauis terra, sed vndequaque optima selecta: tertiò, quia opifex bonus erat arte inter cætera. *ibid.*

Homo mortalis necessariò affectibus premitur, & quicquid natum est expectare debet mala fatalia, sed Dei voluntas cognatas nobis calamitates sublenat. *Philo, de eo qui rerum diu. sit hæres.* Homines perfecti principia quidem habens à corpore, sensu, & instrumentalibus partibus, sine quibus non viuitur, vtilibus ad instituendam vitam, quam in corpore degimus; desinunt autem in Dei sapientiam bonis omnibus redundantem *idem ibid.*

Hominum vitæ duodecim sunt, nam homines agunt vitam per rationem cerebro assignatam, per iram cordi, per concupiscentiam epati; si quis nulla harum virium vti dicatur, nec spirabit omnino qui ratione solum viuit non est homo: nā impossibile est animam corpori iunctam solâ ratione incedere: sola quoque ira nequit, quia hæc semper vel rationi seruit vel cupiditati. nec sola cupiditate, quia hæc vel à ratione deprauata roboratur, vel ab iracundia; ergo vel per omnes oportet incedere, vel per duas; prima vita humana erit, quæ ratione vtitur magis, irâ minus, cōcupiscentiâ minimè: secunda quæ ratione magis minus concupiscentia, irâ quàm minimùm: tertia magis irâ, ratione minus, libidine minimùm: quarta quæ irâ magis, cupiditate minus, ratione minimùm: quinta, quæ libidine multùm, ratione parum, irâ paululùm: sexta, quæ multùm libidine, irâ parum, ratione paulùm, ex trium communi vsu sex oriuntur, ex duarum vsu aliæ sex, in prima ratio superat iram, è conuerso in secunda, in tertia ratio superat concupiscentiam, in quarta contra, in quinta ira dominatur concupiscentiæ, in sexta contra. *Fic. Platonica Theolog. lib. 4. c. 5.*

Hominem animâ sensitiuâ & hoc corpore constare putat Auerroes, quæ tamen anima perfectissima sit, & à bruti specie differat, & tot esse quot corpora, & cum illis occidere, & supremam huius animæ vim appellat cogitatricem, quam Græci phantasiam appellant, quæ ratione & discursu circa singula discurrit nihil sentiens vniuersale: & eam ponit in medio capite inter imaginationem & memoriam: & intellectus separatur ab homine in essentia, & in esse vno, sed quia præsens est vbique huic cogitatrici, & ex hac particulari cogitatione haurit vniuersalem speciem, occasionem præbet homo intellectui ad speculandum, vt coloratum lumen oculo ad videndum: nec ex homine hoc & mente conficitur vnum esse, sed vna operatio contingit, vna scilicet intellectio, quæ in homine non est vllo modo, sed in sola mente, ab hominis cogitatione pulsata: & homo per mentem non intelligit, sed in homine mens intelligit, & in ipsa mente scientiarum & artium sunt habitus: anima cogitatrix vnitur puero à prima eius origine, mens verò diu postea, cùm simulachra in cogitatione

sunt

sunt adeò pura, vt moueant intellectum. *Fic. Platonica Theologiæ lib. 15. cap. 5.*

Hominum generatio si semper fuit, animarum multitudo innumerabilis erit, quod etiam Peripatetici indicant esse posse, res quæ spiritales sunt & eiusdem speciei: quòd à calore, & lumine innumerabiles imagines in aere procreantur. *Fic. Plato Theolog. lib. 15. cap. 7.* Hominum instituta breui tempore in contraria instituta mutantur. *idem, Plat. Theo. lib. 14. cap. 10.* Hominē hic Plato Mosaico more postremò creatum, & ex terra ait Plato. & quodammodo illa Promethei doloris affectum se habet ad illud; pœnitet me fecisse hominem. *idem, in Protagoram.*

Homines procreari putat Plato post vastas terræ illuuiones ex abundante humore; & calore sequente post diluuium terram adeò fœcundam reddi, vt procreentur non solùm pusilla animalia, sed vt dixi homines: quod Algazeles & Auicenna confirmant. *Fic. in Plat. Menex.* Homo cùm hominem generat, non est dicendus homo hic simpliciter hominis autor, sed quidam hominis cuiusdam autor; nam non solus homo in causa est, sed est in causa, in numero videlicet causarum, nec totum facit; nec. n. materiam primam, nec animam, nec homini dat principium, ante hunc enim passim erat homo, & sine huius opera sit vbique & fiet homo. *idem, in Plato. de rep. dial. 10.*

Hominis prouidentia nullam aliam habuit rationem in componendo ipso homine nisi vt contemplationi foret aptissimus. *Fic. in Pla. Tim. cap. 45.* Hominem Deus ad contemplandum formauit, ideò ingenij magis rationem habuit, quàm roboris. *idem in Plat. Tim. cap. 74.* Homines post ingentes terrenì orbis illuuiones Plato arbitratur subcælestium deorum operâ ex ipsa terra velut matre diuinitus generari, & illos posse gignere per ideam velut humanam quasi semen, & posse terram parere, nouo abundanteque humore perfusam, & accedente calore fœcundam, siue post aquarum colluuiones sequantur tepidi soles, siue post vasta quædam incendia pluuiæ vberius effluant. *idem, in Plat. Atlanticum.*

Homo quandiu in hoc motu viuit, reuera beatus esse non potest, sed quatenus ad æternitatem accedimus, eatenus beatitudinis aliquid degustamus. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 5. cap. 5.*

Homo non debet animam à corpore soluere, quæ Orphei fuit sententia: quam Plato in Phædone adducit, & deinde Philolai Pythagorici auctoritate confirmat. *Idem. in Plotini En. 1. lib. 9. cap. 1.*

Hominum commercium cùm semper soleat contendere ad bonum, quod triplex est, animi, corporis, & externorum, quorum primum animi scilicet certum est, reliqua verò caduca sunt atque mortalia: ideò inter eos tantum vitæ vnio est & stabilis, quæ vera est amicitia, qui ad virtutē propositi sunt. *Fic. in Axiochi & Speusippi opuscula.* Hominem ex terra vult Plato authore Deo ad Dei ipsius similitudinem aliquando fuisse genitum. *idem, in Pla. Menex.*

Homo in omnem partem terræ oritur, & seruatur ob amplam naturæ suæ sub multiformi habitu latitudinem, sub qua homo vt differret ab homine vi specificæ differentiæ vanam dederit aliquibus philosophis suspicionē. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib. 3. c. 13.* Hominis nascētis fata ex hora natiuitatis pendere nullo modo philosophia fatebitur, imò nihil minus hac hora affirmabit. *Idem, ibid. lib. 7. cap. 2.* Hominis conceptui plus dat Ptolemæus quàm genituræ; quanquam, vt faueat professioni, mala efficacia genituræ astruere conatus est. *ibid. cap. 3.* Hominis initium incertum est, & falsa ratione ab astrologis constitutum. *ibid. cap. 4.*

Hominum post diluuium anni non sunt terminati vsque ad 120, quia post diluuium multi vixerunt vltra 120. annos: nam Isaac vixit annos centum octoginta patrem superans quinque annis: sed intelligitur, erunt anni illius centum & viginti, vt tot anni ante diluuium erant futuri. *Io. Fr. Pic. Mir. de prænotione li. 3. cap. 4.* Homo vnde venerit dubiæ sunt opiniones: cùm Arist. in tertio de generatione asserit initium habuit, ex ouo, vel ex verme potius prodijsse, & alij varia censere. *idem. in exam. vanitatis doct. gent. lib. 1. cap. 11.*

Hominis futuri in vtero recepto semine formationem incipere voluit Empedocles à 36. die, & perfici ad 49. alij 40. Varro ait septem primis diebus semen conglobari, quartâ hebdomadam caput, & dorsi spinam formari, septimâ hebdomadâ totum hominem formari. Auicenna fœminam vsque ad 35 marem ad 45. protendit; Arist. marem 40. & fœminam tertio mense non esse adhuc perfectam. Hippocrates fœminam ad 42. marem ad 30. manereque in vtero: alii septem menses, alij decem, alij vndecim; plerique omnes nouem voluere. *Ioan. Francisc. Pic. Mirandul. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib. 1. cap. 16.*

Homo ex Platone corpus accipit ex elementis, naturalem speciei constitutionem à cælestibus sphæris, partes animæ quæ trahuntur affectibus, à dæmonibus, & animis syderum sphærarum, accedente etiam ipsius corporis contagione; rationem verò, & mentem nostra parentis imaginem ab ipso mundi totius opifice sine vllo cœlestium orbium, aut dæmonum ministerio. *Iac. Carp. in Alc. dig. 9.*

Hominum animi à Deo creati; cùm in terra eorum creatore periri non posset, necessariò venire à Deo prædicauit antiquitas. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 9. cap. 1.* Hominem à Deo creatum protulit Archytas præcipuus è Pythagoricis, & Iamblichus. *idem, ibid. cap. 2.*

Hominem à Deo creatum Mercurius Trismegistus protulit. *ibidem. cap. 3.* Hominem, & si Plato in Timæo ait factum à dijs, tamen alijs in locis à Deo factum ait. *ibidem. cap. 6.*

Homo, & quodcunque animal perfectum, in seipso marem simul & fœminam comprehendit. *Leo Hebræus de Amore, dial. 2.*

Homini quæ ad mores, & ciuitatem pertinent.

Homines qui admonet, eos felices facit. *Plato in Apologia.*

Hominum odium nascit ex eo quod quis vehementer credit alicui absque arte, & putat verum, ac fidum hominem at paulò post inuenit prauum & infidum, & sic odio homines habet, similes omnes illi putans. *idem, in phædone.* Homines multi leonibus similes sunt, alij centauris, alij satyris. *idem, de regno.* Homo cùm in se habet veram opinionem cum constantia de honestis, iustis, & bonis & horum contrarijs in animo, diuino generi proximus est. *ibid.*

Homines omnes bene agere, & felices esse cupiunt. *Plato in Euthydemo.* Homo nemo volens iniusta facit: sed iniustus, *Idem, in Gorgia.* Homo naturâ libens ad mala non venit quæ mala esse putat, relictis ijs, quæ sunt bona: & cùm duo mala proponantur nemo id quod maius malum est eliget, cùm liceat ipsi eligere id quod minus. *in protagora.* Homo nemo accedere volet ad ea quæ timet, quum liceat accedere ad ea, quæ non timet; nam quæ quis timet mala esse concessum est. *ibid.*

Homo bonus & honestus felix est, iniustus & malus miser: *Plato, in Gorgia.* Homines omnes eadem adepti, iustitiâ & temperantiâ boni sunt. *idem. de virtutibus.* Hominibus qui feliciter vitam degūt, primùm accidit æmulatio, deinde inuidia. *in Menexeno.* Homines pecunijs cumulandis omnē studium impendunt filios autem, quibus eas tradunt, quo illis iustè vti sciant, negligunt, neque doctores iustitiæ requirunt. *in Clitophonte.*

Homines multi peccant, vt videantur multi boni esse, qui non sunt, & multi contra. *Plato de rep. dial. 1.* Homo nullus se ipsum deteriorem vltrò facit, *idem, de rep. dial. 2.* Homini duo insunt circa animam, alterum melius, alterum deterius; & cum id, quod melius naturâ est, dominatur deteriori, hunc dicere solent præstātiorem seipso & laudare. quum verò ex educatione, aut quandam mala conuersatione superatum fuerit à deteriore multitudine, vt minus sit id, quod melius est, hoc sanè velut probrosum vituperare, & vocare inferiorem se ipso, & petulantem eum qui ita affectus est *ibid. dial. 4.*

Homo & à quo ducitur, & eum quo consuetudinem habet, impossibile est, vt ipsum non imitetur. *Plat. de repub. dialog. 6.* Homines ambitiosi tandem lucri cupidi, & pecuniarum amantes fiunt. *idem, ibidem. dial. 8.* Hominum vita iucundissima est prout in illis animæ partes dominantur; nam sapientiæ amans nullas alias voluptates censet ad cognoscendæ veritatis voluptatem collatas; contentiosus non voluptatem ex pecunia quæsitam probat, nec eam quæ discendo quæritur laudat, nisi disciplina honorem afferat, fumum scilicet, & nugas illam putans: lucri cupidus, honoris, & intelligentiæ voluptatem nullius precij esse dicet ad lucrum collatam, nisi & ipsæ argentum acquirant. *ibidem. dial. 9.*

Homo nimio gaudio diffluens, aut etiam contrario modo à dolore affectus, dum alterum intempestiuè apprehendere vult, alterum fugere studet, neque videre, neque audire quicquam rectè potest, sed fabre tenetur, & ratiocinatione tunc minimè particeps fieri potest: semen autem cui multum & fluidum circa medullas fit, & vt arbor si esses vberiore quàm conuenit fructu ex natura abundaret, multis quidem singulatim dolores, multis item voluptates, in cupiditatibus, & earum fœtibus adipiscitur, ita vt maximam vitæ partem furiosus degat: ob maximas autem voluptates, & dolores ægrotantem, & insipientem ex affecto corpore animam habeat, non tamen vt ægrotans, sed vt vltro malus perperam existimatur. *Plato in Timæ.*

Homines timidi, & qui iniustè vitam egerunt; hi iuxta verisimilem rationem in secundo ortu in mulieres trāsmutātur.

Plat. in Timæo. Homo bonus sanctissimus est, scelestissimus malus. *idem, in Minoe.* Homo qui à voluptatibus superatur, peior est & in opprobrium cadit quàm ille qui à doloribus superatur. *idem de legib. dial.* 1.

Homines diuites & bonos esse impossibile est, vt plerique diuites vocant qui scilicet inter paucos homines possident opes plurimo numismate extimatas, quas etiam malus quispiam possidere potest. *Plat. de legib. dial.* 5. Homines iusti, etiamsi corporibus turpes sunt, secundùm ipsum tamen iustissimum habitum penitus pulchri sunt. *idem, ibid. dial.* 9. Homines corrumpit iniustitia & intemperantia cum insipientia, seruat iustitia & temperantia cum sapientia, quæ in animatis deorum potentiis habitat. *ibid. dial.* 10.

Homines naturam humanam, non diuinam accusare debent, si quid sit admodum declinans, quæ humana natura eandem vitam non iustâ distribuit. *Plat. in leg. appen.* Homines bonos facere difficillimum est, reliqua studia non admodum difficilia esse videntur, & reliqua bona comparari fieri potest, & non difficile est: opes quantis opus est, & non opus, corpus quale oportet, & non oportet: & animam quod quidem bonam comparare oportet quiuis eius concedit: quo verò modo bonam, iustam, temperantem, fortem, & sapientem comparare oportet, quiuis dicit; quam verò sapientiam, nemo ex vulgo cum vllo aliquo penitus consentit. *idem, ibid.*

Homini plerunque voluptas detrimento est, vt quæ ad discendum tarditatem, & obliuionem, & desipientiam, & contumeliam in anima parit. *Plato Dionys. epist.* 3. Homines alij si cognosci cupiunt, opus est per multos locos diuagari: principes autem omnium oculos in se conuersos habent; ideò ipsa se præparare debent tanquam ab omnibus conspiciantur: nec vitia sua latere possunt, nec mediocri virtute expectationi satisfacere. *idem, ibid. c.* 4.

Homines iniustè iudicant, non leges. *Plato in Critone.* Omnibus in ciuitate voluerit qui imperare cupit, is tyrannus esse cupit. *idem, in Theage.* Homines scientes, & rectâ opinione existentes, vtiles sunt ciuitati. *idem, de virtutibus.* Homines postquam vicissim iniusta fecerunt & pertulerunt, & ambo gustauerunt inter se conuenire, vt neque iniusta faciant, neque paciscantur, & hinc cœpere leges condere, & quod à lege constitutum est legitimum, & iustum appellarunt, vt est communis opinio. *idem, de repub. dial.* 1.

Homines boni inuoluntariè priuantur, mali voluntariè. *Plat. de repub. dial.* 3. Hominum communio intercedere debet in ciuitate nostra, vt in aliis animalibus. *idem, de repub. dial.* 5. Homines in communi militabunt, & ex liberis producent eos, qui puberes sunt; vt, quemadmodum aliorum opificum liberi videant, & quæ viros perfectos tractare oportebit, & vt ad hoc quod vident, etiam ministrent, & inseruiant in omnibus quæ ad bellum spectant & curent patres, ac matres quod & in figuli filiis percipitur, & in aliis artibus, nam ipsorum filij multo tempore ministrantes spectant priusquã ipsi figulinam exerceant. *ibid. dial.* 5.

Homines qui pecunias habent in statu tyrannici iuxta oraculum Crœso datum; calculosum fugit ad Hermum, nec manet, nec timidus esse veretur, non enim secunda vice vereri posset: qui verò comprehensus fuerit, morte mulctatur. *Plat. de repub. dial.* 8. Homini bono sacrificari, & cum diis conuersari, preces, & donaria, & omnem deorum cultum præstare, pulcherrimum, & optimum, & ad felicem vitam maximè vtile est, & excellenter decorum; malè verò his contraria impuram enim animam malus habet, puram bonus. A scelesto suscipere dona neque bonum virum, neque Deum vnquam decet. *idem, de legib. dial.* 4.

Homines vt nati sunt non admodum inuicem similes, sed natura diuersitate alius ad alterius operis actionem, alius ad aliam, ita vt vnusquisque melius vnam artem facit, quàm multas. *Plat. de rep. dial.* 2. Homo singula, & plura, & meliùs, & faciliùs facit, quum vnus vnum secundùm naturam, & pro occasione, & ab aliis otium agens facit. *idem, ibid.*

Homines qui aliquando amarunt, si non vtilem esse duxerint amorẽ, violenter quidem, attamẽ abstinent. *ibid. dial.* 10.

Homo boni solum nomen habet, naturam boni non habet. *Mer. Trismeg. Pimand. c.* 6. Homo fugere debet ventris luxum, malorum omnium fomitem. & hic error est, hinc boni priuatio. *idem, ibid.* Homini salus est cognitio Dei, ex hoc vno cuncta bona. *ibid. c.* 10. Homo tum quia mobilis, tum quia mortalis malus est. *ibid.* Homo bonus est, qui huiusmodi est vt homini bona reddat. *Speusip. de Platonis definitionib.*

Homo à stirpe nec absolutè bonus, nec malus nascitur, sed ad vtrunque procliue ingenium eius est, & habet semina quædam vtrarumque rerum cum nascendi origine copulata, quæ educationis disciplina in partem alteram debet emicare. *Apul. de dog. Plat. lib.* 3. Homines non omnes intelligentiam veram adepti sunt, sed imaginem temerario impetu nulla verâ ratione inspectâ sequentes decipiuntur, quæ in mentibus malitiam parit, & transformat optimum animal in naturam feræ & mores bestiarum. *Apul. Asclepius.* Hominis mensura est religio, quam sequitur bonitas, quæ tunc videtur esse perfecta, si contra cupiditatem alienarum omnium rerum sit despiciens virtute munita: sunt enim ab omnibus cognationis diuinæ partibus aliena omnia, quæcunque terrena corporali cupiditate possidentur, quæ non omnia nobiscum, sed à nobis postea cœperunt possideri. *ibid.*

Homo ingenij amatorij, in quem fortè musicus incidit, & aut ibi permanet aut præterit, memor est quodammodo pulchritudinis: sed quia seorsum est ab ipsa non potest perdiscere, perculsus à pulchris quæ aspectui patent, circa ipsa vehementius concitatur: docere hunc oportet ne ad vnum corpus quasi cadens pronior reuolutatur, sed ad omnia ratione persuasus ritè se conferat corpora, considerans quod in cunctis est idem, & animaduertens ipsum à corporibus esse diuersum, & aliunde procedere, aliisque magis inesse, qualia sunt pulchra studia, & leges pulchræ: circa enim hæc amatoris studium ad res incorporeas amanda etiam assuescit, & ostendendum in artibus & scientiis & virtutibus pulchritudinem esse, & in cunctis vnam, & à virtutibus ad intellectum, atque ipsum ens perueniendum est, ibique iter ad sublimia peragendum. *Plot. En.* 1. *lib.* 3. *c.* 2.

Homo ingenij philosophici promptus est, & vt alatus, nec indigens separatione, duntaxat indiget demonstrante: ideò operæpretium est in primis demonstrare, & ducere hominem natum duci volentem, & iamdiu solutum: adhibenda sunt mathematica, quibus incorporea cogitare, & credere consuescat; deinde dialecticæ rationes, & dialecticus efficiendus est. *Plat. En.* 1. *lib.* 3. *c.* 3. Homo si potest vitam perfectam habere, certè homo hanc habens est beatus, alioqui diis tantùm felicitatem tribuemus. *idem, Enn.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4.

Homo perfectam vitam habet, non si sensualem solùm habet, sed rationalem quoque intellectúmque verum; & non est homo, nisi hoc vel potentiâ, vel actu habeat, & ille felix est, qui iam id actu habet. *Plat. En.* 1. *lib* 4. *c.* 4. Homo probus viuit, at alios latet huiusmodi felicitas, vt & vitam & optat omnes homines bene viuere, nullisque malis quenquam affici; & si hæc ad vitam nõ succedant, tamen beatus erit. *idem, ibid. c.* 11.

Homo probus commoda eligit potiùs quàm incommoda, quia ad ipsum esse aliquid conferunt, & horum contraria, vel ad non esse deducunt, vel quoniam virum fine potitum occurrentia interpellant non auferentia finem: sed quoniam qui optimo fruitur, ipsum solum optat habere. aliud verò quicquam vna cum ipso nequaquam, & si occurrerit aliud non aufert fidem qui vel hoc præsente non abest: & in summa quicquid accidat felici quod nolit, propterea nulla ex parte à beatitudine decidit. *Plotin. En.* 1. *lib.* 4. *c.* 7.

Hominis probi actiones ob fortunam non impediuntur, sed omnes honestæ erunt actiones in contemplatione positæ: & nunquam ab ipsius boni contemplatione deficiet, etiamsi in Phalaridis tauro sit collocatus. *Plotin. En.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13. Homo probus nunquam propter suorum inscitiem malo premitur, neque in aliorum fortunas siue aduersas siue prosperas traducitur. *idem, ibid. c.* 7. Homo probus prosperitates qualescunque adsint non magnas existimat, sicut regna, & ciuitatum & gentium imperia, constitutionésque vrbiũ etiam nisi ab ipso fiant; & si malum ingens dominationis, aut patriæ iacturam existimabit, ridiculus habendus est: mortem existimare debet vitâ meliorem, & si iuguletur iuste eras, bonum. *ibid.*

Homo probus si dolores vehementes patitur feret, si vehementer excesserint, sufferet, neque miserabilis erit positus in doloribus, sed ipsum suum lumen in suis penetralibus velut facula quædam in pharo fulgebit assiduè, etiam dum extrinsecus venti perflant, turbines, procellæque frementes: ac si minus ipsemet sibi constet, vel si fortè protendatur dolor ita vehemens, vt fermè iam enecet, consultabit: non enim in his liberum aufertur arbitrium. Nosse verò oportet non talia apparere singula viris virtute præstantibus, qualia cæteris, nec hoc ad intima hominis peruenire, esset enim animæ debilitas. *Plot. En.* 1. *lib* 4. *c.* 8.

Homo probus si minimè constet vel morbis, vel magorum artibus obrutus vt dormiens, felix erit. *ibid. c.* 9.

Homo probus serenus est semper, statúsque eius quietus, affectúque sufficiens, quam nullum eorum, quę mala dicuntur, si modò

si modò probus ille sit perturbat, & si quis in vita probi viri altam voluptatem requirit, non iam probam amplius vitam exigit. *Plot. En. 1. lib. 4. cap. 12.* Homo probus non habet voluptates intemperantium, nec corporis, nam hæc cùm adsint felicitatem contaminant, nec affluentior lætitię motus, sed eas voluptates duntaxat, quæ ipsius boni præsentiam necessariò comitantur, nec in motu sunt positæ, nec nuper adueniunt, tam enim adsunt bona, adest & ipse sibi, permanétque voluptas serenitásque sua. *idem, ibid.*

Homo probus non est quiddam ex anima & corpore compositum, quod testatur ipsa à corpore separatio, & cōtemptus eorum quæ bona corporis appellantur. nam felicitatem ad animal quod in nobis est pertinere qui diserit, ridiculus est, cùm felicitas sit vita bona quæ in anima consistit. *Plot. En. 1. lib. 4. c. 14.* Homines beati duo si sunt, & alter habeat quęcunque naturæ consentanea iudicantur, alter verò contraria, ambo pariter beati sunt: *idem, ibid. c. 15.*

Homo probus si corporis bona adsint comminuet, si modò seipsum colat, lusum ac dotes corporis per negligentiam atteret, principatus deponet, corporis sanitatem ita curabit vt morborum haud omnino imperitus esse desideret, & dolorum similiter: imò nisi acciderint in iuuentute discere volet, & in senio neque his, nec voluptatibus perturbari volet, neque à re vlla corporea siue iucunda, siue molesta, ne ad corpus declinare cogatur: in doloribus potius præsentem sibi sufficientemque in his virtutem opponet, atque ita se comparabit, vt neque in voluptatibus, prosperáque valetudine, & vacatione laborum beatiorem esse se censeat, neque in eorum oppositis minus existimet se beatum: cùm priora illa felicitatem non augeant, certè neque eorum contraria minuunt. *Plot. En. 1. lib. 4. c. 14.*

Homo beatus esse non potest, nisi prius corporis & fortunæ bona tanquam imaginationis fallacias à se fugauerit, nam ea his nos ex infirmitate nostra felices fieri consideramus, & eorum amissionem grauem & horribilem, quæ beatus ipse non iudicat: & si ita non sit, sed aliquid metuat, nondum est virtute perfectus. *Plot. En. 1. lib. 4. c. 15.* Homo beatus desuper summum bonum, vt ait Plato, petit, ad ipsúmque respicit, & studet ad similitudinem illius accedere, & illius vita viuere, idque solùm ad finis ipsius perfectionem est habendum: cætera verò vir sapiens, quasi quasdam loci mutationes existimabit, nullum ex locis ad felicitatem suscipiens incrementum, sed quasi conniciat aus alia insuper, quæ circunstant. *idem, ibid.*

Homo beatus ita corpore vtitur vt musicus lyra, qua dum vti valet, curat, cùm verò inutilis sit, vel mutat, vel vsum lyræ dimittit, actionibúsque circa lyram prorsus abstinet, officium ipse absque lyra aliud habens, ita vt iacentem prope despiciat lyram ipse absque ministerio instrumenti cantans; nec huic ab initio instrumentum frustra tributum fuit, cùm sæpe iam ipso fuerit vsus. *Plotin. En. 1. lib. 4. c. 15.*

Homo beatus semper secundùm præsens accipitur, cùm felicitatis præteritæ recordatio momenti ne quicquam habet, neque in dicendo, sed in affectione quadam beatitudo consistit, affectio verò in qualitate præsenti posita est actio quoque vitæ. *Plot. En. 1. lib. 5. quæst. 8.* Homo beatus non auget beatitudinem ob memorias præteritas, quia præsenti gaudio contentus est. *idem, ibid. q. 8.* Homo actionibus nullis incumbens beatus esse potest, & non minus imò magis quàm ille, qui actionibus est occupatus *ibid. q. 10.* Homo non est beatus ob multas actiones, alioqui ex his quæ non sunt, sed ex transactis felicitas coaceruabitur. *ibid.*

Homini mala sunt, tum prauitas tum quæ ex prauitate nascuntur. *Plot. En. 1. lib. 8. c. 6.* Homo non loco fugiens mala vitabit, sed virtutem comparans, & seipsum à corpore remouens se à materia segregabit, nam cùm corpori hæreat, hęret & materiæ *idem, ibid. c. 7.* Homines animæ opera secundum naturam agunt, quandiu in ipsa totius multitudine non aberrant: aberrantes dant iudicio pœnam, tum ipsum erratum, tum deteriorem quandam sortem ipsis in posterum prouenturam. *idem, En. 2. lib. 3. c. 8.* Homo passionibus dominari potest, nam Deus virtutem largitus est a seruitute penitus liberam *ibid. c. 9.*

Homines alij quidem ita fiunt vt quasi ab vniuerso, externísque fascinentur, vel in paucis, vel in nonnullis sunt sui iuris, alij dominantur externis attollentésque ad sublimia caput idquod optimum est in anima antiquitatémque ipsius essentiæ seruant. *Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 15.* Homo probus non exigit æqualitatem in diuitiis, sed in bonitate; nouit enim geminam hic esse vitam, alteram proborum, alteram multorum, proborum ad summum gradum, supremámque naturam erigi: eorum verò vitam, qui homiilores sunt, esse similiter duplicem, alteram, cùm virtutis memor merito alicuius boni sit particeps, altera sit velut turba vilis atque mechanica honestioribus viris necessaria subministrans. *idem, En. 2. lib. 9. c. 9.*

Hominum mutuæ iniuriæ ab ipso forsan boni appetitu proficiscuntur, cùm bonum consequi non valentes aberrant, aliósque inuadunt: vt qui iniustè egerunt, pœnas luunt, tum quia ex actionibus prauitatis deportant animam deprauatam, tum quia certo ordine in locum deteriorem transmittuntur; nihil enim effugere potest, quod vniuersi lege ordinatum est *Plot. En. 3. lib. 2. c. 4.* Homines malos fieri necessitate non est intelligendum ab extrinseco, sed quòd communi quadam conditione peccant, nam id non prohibet quin ipsi ex seipsis agant, sed quoniam ipsi faciunt, idcirco & ipsi peccant, alioqui nec ipsi quidem peccauissent, si ipsi non essent actionum talium auctores. *idem, En. 3. lib. 2. cap. 10.*

Homini solùm probo serio studendum est officiis studio dignis, alius autem homo nil aliud est quàm ludus. *Plot. En. 3. lib. 2. c. 15.* Homo non debet inculpare naturam quòd poterat quid excellentius esse. quod si in seipso aliquid insuper comparante id consequi posse iudicat, accusare debet hominem non auctorem, si non à seipso, sed extrinsecus ab effectore aliquid insuper additum fuisse efflagitauerit, perinde ac si cæteris animalibus, plantísque supra modum desideret. non oportet inquirere cum hoc minus, quàm illud habeat, sed num quid hoc satis quod naturaliter habere expedit, habeat; non enim æqualia omnia esse oportet. *idem, En. 3. lib. 3. c. 3.*

Homo quod facit non à prouidentia fit, sed ab ipso tamen secundum prouidentiam agitur, rationi nãque prouidentiæ consentaneum est. *Plot. ibid. c. 5.*

Homo labitur in vitam ferinam per vitæ similitudinem declinans in deterius; sin autem obtemperare possit superiori dæmoni, super se extollit illius vitâ viuens ac præscribens sibi ipsi præsidem. *Plot. En. 3. lib. 4. c. 3.* Homo probus est in quo id quod est melius operator, alioquin non esset probus, si dæmonem haberet secum cooperantem, intellectus enim in hoc agit, aut dæmon ipse est, aut secundùm dæmonem, aut dæmon huic est Deus. sed id à principio statim non fruitur ob perturbationem ab ipsa generatione vehementer illatam. *idem, ibid. c. 6.*

Homo malus est similis deterrimæ gubernationi: homo medius vt popularis gubernatio obedientiæ non omnis expers; homo melior vt optimatum gubernatio; homo optimus in qua est vnus princeps *Plot. En. 4. lib. 4. c. 17.* Homo mundo tanquam vniuersi parti non concedit totum quod in se est, vt prudentissimi ministrantes partem concedunt dominis, partem sui iuris esse volunt, modestiora ob hoc ipsum mandata à dominis reportant, vt qui nec mancipia sint nec alieni iuris omnino. *idem, ibid. c. 34.* Homines cùm sui iuris facti sunt & se cognoscunt, pulchri sunt; cùm in naturam inferiorem præcipitantur & se ignorāt, turpes. *idem, En. 5. lib. 8. c. 13.*

Hominem perfectum, & perfectam viuendi rationem inuenire magni negotij est. *Max. Tyrius, serm. 5.* Homines vel iusti sunt vel iniusti; non pugnant iusti cum iustis, sed vel iniusti cum iustis, vel cum iniustis pugnant, nec iusti bella suscipiunt nisi coacti. *idem, serm. 14.* Homines nihil peius timere solent, quàm ne præsens voluptas illabatur. *idem, serm. 33.*

Homo qui rectè aduersus voluptates se parat, etsi in multis diuersatur, nec calorem, nec flammam, nec liquationem aliquam sentiet. *idem, serm. 43.*

Homines, quibus quid mali præter sententiam accidit, primò ad creaturas auxilij gratiâ accurrunt, medicos, herbas, pharmacorum compositiones diætam, & cætera omnia mortalium auxilia, quibus si quis dicat, confugite miseri ad illum vnicum medicum morborum animæ, omissis istis falsis auxiliis rident & calumniantur reclamantes in crastinum ista, quasi non præsentaneam malorum depulsionem petituri à Deo supplices, sed quando nihil humanæ opis proficit. *Phil. de sacrific. Abelis, & Caini.*

Homo animam exornatam virtutibus omnibus habens, artes eloquentiæ si non exercuit contra contentiosos assertores dogmatum, quiescat, securitatem habiturus silentij præmium. *idem, de eo quod det. potior insid.*

Homines propriè vincti sunt non qui pro tribunali damnati pœnis sunt, sed quos ipsa natura damnauit ob mores animæ, luxuriem, timiditatem, iniustitiam, & alias pestes quibus referti sunt *Phil. quòd Deus sit immutabilis.*

Homo non debet nec ad dextram, nec ad sinistram, sed per mediam viam incedere, nam in medio virtus est hinc, & hinc vitia. *idem, ibid.*

Homo nemo iniustus est, sed potius bestia humanâ formâ prædita. *idem, de Abrahamo.* Homini nihil felicius contingere potest quàm Deo placere. *ibidem.* Homo bonus paucis cótentus est corpus egestati obnoxium habet, animam diuitem ad immortalitatem aspirantem; contra malus multis indiget. *idem, de fortitudine.*

Homines quidam apti sunt ad laudandum, quidam ad vituperandum. *Auer. in remp. Plat. tract. 1.* Homo non animaduertit nisi quod in medias transit vires: ideò etsi sæpe vis concupiscendi esuriat, & sitiat, non prius tamé hoc animaduertimus, quàm in phantasiam transeat talis passionis intentio. *Fic. Plat. Theol lib. 12. cap. 4.* Hominum actus duo sunt excellentissimi, illi qui in excellentissima parte animę sunt, & circa obiectum versantur excellentissimum: tales sunt in mente nostra Dei cognitio, & amor. *idem, ibid. lib. 14. cap. 10.*

Homo ad religionis pietatem tribus præcipuè causis inducitur: prima naturali sagacitate ab ipsamet prouidentia nobis infusa; deinde philosophicis rationibus ex ipso ædificij ordine architecti prouidentia comprobãtibus, postremò propheticis verbis & miraculis. *Fic. Plat. Theol. lib. 14. cap. 9.* Homines impij vel ignauissimi sunt, vt fuisse dicitur Epicurus; vel flagitiosi, vt Aristippus; vel insani, vt Lucretius. *idem, Plat. Theol. lib 14 cap. 10.* Homo intemperans est, in quo ratio vel consopita est, vel deprauata affectu nimium dominante, vbi ad imperium phantasiæ omnia fiunt, neque affectui ratio aduersatur. *ibid. lib. 18. cap 10.*

Homo continens est, cuius ratio iudicat quoque verè, affectus obtéperat ægrè. *Ficin. Plat. Theologia lib. 18. cap. 10.* Homo incontinens est, in quo etsi non malè iudicat ratio, præualet tamen corporea perturbatio. *idem, ibid.* Homo temperans est, cuius ratio verè iudicat, & sensualis affectus rationi libenter obtemperat. *ibidem.*

Homines impudentes læsi, dum vlcisci volunt, faciunt vt canes, qui mordendo lapidem qui in ipsos proiectus est dentes suos lædunt. *Fic epist lib. 1.* Homines magis studere debent, vt boni sint, quàm docti: scientia gignit inuidiam, bonitas inuidiam, occidit, & bonitas hominibus vtilior, & Deo gratior, quàm scientia. *idem, ibid.* Homo quàm malus est, cui equus vel canis melior est, quàm aut auis. *lib. 3.* Homines boni in aduersis à malis discernuntur, & exercentur, & probantur. *lib. 12.* Homines tam hebetes sunt, vt bonum non aliunde cognoscant, quam ex mali comparatione. *ibid.*

Homines statim nati appetunt bonum; pulchrum verò quæ cognoscunt appetunt, postquam cognouerunt. *Fic in Phileb lib. 2. cap. 31.*

Homines superati ab affectu vt mala faciant nil aliud est quàm inscitia: scientiam verò omnium quæ in nobis. & circa nos sunt, potentissima est neque vlla re vnquam superari, potest. *idem, in Plat. Protag.*

Homo virtute præditus sui ipsius deinde regnum rex est. *in Plat. Euthydemum.*

Homo perditus, etsi bellè loquatur audiendus non est, nec de moribus nisi moratus loqui debet *in Plat. Lachetem.*

Homines quondam, cùm in eis diuina gratia & innata iustitia vigebat, beati in quodam deliciarum paradiso vixerunt: postquàm per intemperantiam, & superbiam gratia illa euanuit, in scelera simul & calamitates inciderunt, & Deus diluuio peccata hominum diluit *Fic. in Plat. Atlanticum.*

Homines mali ferociores sunt feris; quia in homine deprauato ad malum augetur à machinatione perspicacissimæ mẽtis ad malum, & subtilitas spirituum humanorum in ita cóteritur in furorem: accedit & quorundam dæmonum irritatio. *idem, in Plat. de legib. dial. 6.*

Hominem ab optimo aberrare non à cœlo, & multò minus à cœli motore, sed à propria nostri generis, aut moris, aut fortunę códitione contingit. *Ficin de fato, cap. 1.* Homo potest se præstantiorem efficere; habet enim quandam in se principij rationem, bonum scilicet: quod patet, quia potest in deterius labi, quod inferiora non possunt. *idem, in Plotini En. 3. lib. 3. cap. 3.*

Hominibus singula contingentia iuste hominibus dispensantur, cùm mundus supercœlestis atque etiam cœlestis sit ordinatissimus: necessariò est etiam ordinatus sublunaris, in quo & inferiora homine sunt ordinata: ergo multò magis humana. *Fic. in Plot. En. 4. lib 3. cap 16.* Homo pessimus similis est gubernationi populari pessimæ, minus verò malus minus malæ, bonus optimatum gubernationi, optimus regno, & pessimum diceret aliquis tyrannide pessimum. *idem ibi cap. 17.*

Hominibus singulis proprij intellectus præsunt; ab his manant potentiæ animæ gradatim inferiores, inter quas sequẽs vbique seruatur in antecedẽte, fermè vt splendor in radio, radi⁹ in luce, lux in natura Solis. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 2. c. 1.*

Homo idem diuersis temporibus, quamuis sub humana persona, varios eiusmodi mores exerit: nonnulli sub humana specie quasi plantæ vitam degunt, alij vt bruta, alij vt homines, nonnulli tamquam dij, vel dæmones *idem, ibid.*

Homo si actuosæ addictus vitæ inferiorum curam recto examine suscipit, thronorum statâ soliditate firmatur: si ab actionibus feriatus, in opificio opificem, in opifice opificium meditatur, in contemplandi otio negotiatur, luce cherubica vndique coruscat: si charitate ipsum opificem solum ardet, illius igne, qui edax est, in seraphicam effigiem repente flammatur. *Io. Pic. Mir. de hominis dig.* Homo perfectus nó solùm debet abstinere à voluptatibus illicitis, sed etiam licitis, vt purius contemplationi diuinorum vacet. *idem, de regulis dirig.*

Homines perfecti euadunt, quum Deo proximi ac simillimi quàm possunt efficiuntur pro modulo infirmitatis humanæ. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de studio philosop. lib. 1. cap. 8.* Homo primus nullam, vt ait Augustinus, ante peccatum inclinationem habuit ad malum, sed inde secutum rebellionem sensus ad rationem: decernuns, &c. ideò si innocens vixisset, nihil syderibus nihil diuersis inclinationibus cœli accidisset. vnum duorum necessario est; aut ante Adæ peccatũ frustra erat hæc inclinandi ad malum vis, aut post peccatũ cœli naturam mutatam: alterutrum fateri absurdum est. *idem, de pranot. lib. 5. cap. 9.*

Homo septimo quoque anno mores mutat. *Francisc. Patricius de republ. lib. 5. cap. 7.* Homines natura nec bonos nec malos gignit, aptos tamen ad bonum, procliues ad malum reddit. *idem, de r gn. lib. 8. cap. 7.* Homo miser habendus, qui ea voluptate viuit, & quęcunque agit sibi ipsi indulget. *ibid.* Homines nihil agendo malè agere discunt. *ibid. lib. 3. cap. 3.* Homines industrij nonnunquam superant eos, qui boni ingenij sunt: diligentia enim suppeditat eis, quæ per naturam desunt. *lib. 5. cap 2.*

Hominum mores varios qui nequit tolerare, aut nimis est delicatus, aut à communi mortalium consortio se extrudit. *Franc. Patric de regno, lib. 7. cap 14.* Homo cùm rationi paret optimus est animalium, cum rationi non obsequitur deterrimum. *libr. 8. cap. 7.* Homo improbus est qui scit sumere beneficium, reddere nescit. *lib. 8 cap. 18.* Homines magni non modo per hulæ crimine, sed culpę etiam suspicione vocare debent *Pa lib 8. cap. 20.* Homo inuidus sui ipsius tormentum est. *ibi lib. 5. cap. 5.*

Homine, qui virtute caret, nihil nefarium magis & immane. *Iacob. Carpentar. in Alcin cap. 8.* Homines maximè probi fiunt tribus, naturâ, consuetudine, documentis. *Aug. Steuc. de peren. philos. 4. cap 7.* Homines peiores reddunt felices secundarum rerum successus & copia. *idem, ibid. lib. 7. cap. 22.*

Homini pro viuo, nec mortuo quicquam mali euenire potest. *lib. 10. cap. 28.*

Homines nonnulli in voluptatibus quàm maximè intemperantes fuere. *Leo Heb. de Amo. dial 1.* Homines ea honestis appetendis ac diligendis maximam laudem consequuntur. *idem, ibid.*

Homini quæ post mortem accidunt.

Homo, qui reuera in philosophia vitam consumpsit, meritò fiduciam secum fouet vbi iam mori volet, & bonam spem habet, illic maxima bona se adepturum esse post mortem. *Plat. in Phadone.* Homo dum viuit sic cognitioni proximus erit, cùm nihil cómercij cum corpore habuerit, nisi omnis necessitas cogat, neque natura ipsius impleatur, sed ab ipso purus sit, donec Deus ipsum exoluerit. *idem, ibid.* Homo seipsum ita in vita præparare debet, vt quàm proximus sit morti, & sic viuere. *ibid.*

Homines reuiuiscere contingit ex mortuis viuentes fieri, & mortuorum animos esse, & bonis melius esse, malis deterius. *Plat. in Phadone.* Homines in custodia sunt, & neminem oportet seipsum ea hac exoluere, nec aufugere, sed vltimum diem à Deo expectare, qui nostri curam habet. *idem, ibid.* Homini & viuenti, & mortuo & à dijs, & ab hominibus mercedes pro iustitia, ac reliquis virtutibus tribuuntur. *de repub. dial. 10.* Homines si de dijs & de vniuersi origine exactas rationes afferunt, memores esse debent quod humanam naturam habent, ideò decet vt de his verisimilem orationem suscipiamus, & nil vltra quæramus. *idem, in Tim.*

Homines paucis exceptis dum viuunt, felices & beati esse non possunt: bona verò spes est quod vitâ defunctus assequatur omnia, quorum gratiâ quis, & dum viuit, quàm optimè pro viribus viuere, & mortuus talem finem assequi expetit. *Plat. in legum appendice.* Homines hic felices esse fieri non potest paucis exceptis: quicunq; enim diuini, & temperati sunt & reliquæ virtutis naturâ participes, & ad hæc omnia, quæ ex beato studio dependent, consecuti sunt, his solis vniuersa quæ

ſa quæ ad felicitatem pertineot iuſto modo ſe habeor: his autem vbi ad ſenectutem peruenerint maximè magiſtratus tradaotur, vt ulij hos ſequentes omnes deos ac deas collaudent, & noctorū conuentū vbi nos omnes probè cognouerint, & rectiſſimè examinauerint, ad hanc ſapientiā adhortentur. *idem, ibidem.*

Homini ſummum bonum eſt poſt mortem Deo frui *Triſ. Pim. cap. 1.* Homo ad vitam aſcendere poteſt, ſi ſe animaduertis, non enim hominis ſinguli mentem poſſident, nam mens ijs adeſt qui boni, pij, puri, religioſi, ſanctique ſunt, & mentis præſentia illis fert opem, vt ſtatim cuncta dignoſcant, patrémque pacutum & propitium habeant: itaque benedicentes piè, & hymnis ſolennibus collaudant, concedunt corpus menti ſuæ, ſenſuum illecebras faſtidiunt, aditus per quos blāditiæ torpes maoare ſolent mens diuina intercludit, & libidinis omnes fomites extinguit; contra ab ignaris, improbis, ignauis, inuidis, iniquis, homicidis, impijs, mens procul habitat: permittens eos dæmonis vltoris arbitrio, qui ignis acumen incutiens ſenſus affligit. & magis ad patranda ſcelera armat hominem, vt turpioris culpæ reus ſit vterori ſupplicio obnoxius, & cum ſine vlla intermiſſione ad inſatiabilis concupiſcentias inflammat, cum eo pugnat in tenebris, peccatum examinat ignis imperium in eius cruciatum mirum in modum concitat & adauget *idem, ibid.*

Homines ad excelſa contendere eatenus debent quatenus pręcipuè diuinorum verborum radius ſeipſum nobis infundit, dum ad ſupliniores ſplendores temperantia, & ſanctitate diuinorum veneratrice cohibiti ſumus. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Homines cum incorruptibiles & immortales facti erunt, ſortemque Chriſto ſimilem adepti, ſemper vt ſcriptum eſt cum domino erimus, viſibili & diuino eius ſpectaculo per caſtiſſimam ſpeculationem impleti, lucidiſſimis tunc nos circumfulgente luminibus, vt in diuiniſſima transfiguratione ſua *idem, ibid.* Homines cum reſurrectione filij erunt angelis æquales erunt, & erunt filij Dei *ibid.*

Homines cupere debent bene emigrare, & dolere quod aliqua hic ea parte alligati viuant, vt toto animo complectantur Deum, & nihil in eis ipſis reliqui quo non pariter attingant. Iam in eo viuendi ſtatu licet Deum videre, atque ſeipſum, vt fas eſt videre ſeipſum illuminatum, intelligibili lumine plenum, imo verò lumen ipſum purum, leue, ſublime, Deum iam effectum, imò vero iam exiſtentem tunc quidem acceeſum *Plot. En. 6. lib. 9. cap. 9.*

Homo aliter finem conſequi non poteſt niſi Deo ufigatur, & à corpore euellatur, & corporeis oblectamentis, cum non per nudum verborum rationumque auditum, ſed per opera comparetur ſalus, & Deo copulari niſi poſſimus niſi per abſtinentiam. *Porphyrius de abſtinentia animalium.* Homo in bellum vertuur, quoties ferines partes tyrannidem capere, & cupiditates immenſæ nobilitatem animi conſtrictam detinere cœperunt. *Max. Tyrius ſerm. 3.*

Homo niſi reſtituatur in ſempiternum, fruſtra, & temerè coniuncta, fuiſſet anima corporis indigentiæ paſſionibúſque innumeris, fruſtra corpus impeditum à ratione, quominus oblectamentorum ſuorum quotidie potiretur: temeraria fuiſſet virtutum laborioſus vſus, religioſáque iuſtitiæ, & legum obſeruatio. *Athe. de reſurrectione. cap. 1.*

Homo niſi eſſet reſurrectio brutis miſerabilior eſſet, qui religionis & iuſtitiæ gratiā ſe priuat corporeis oblectamentis, & incommodi ſubit innumera: & ipſa virtus, religio, leges deliramenta forent, & detrimenta, *idem, ibidem cap. 2.*

Homo niſi corpore reſurgeret, non haber locum iuſtitia diuina in corpore, vel anima: non in corpore, quia iniuſtum foret animam habere præmia laborum, in quibus magnam partem perpeſſum eſt corpus, & corpus non habere in præmio partem: non in anima, quia iniuſtum eſt ſolam animam dare pœnas peccatorum quam plurimorum, quæ non commiſiſſet niſi corpus ei fuiſſet adiunctum: nam ſæpiſſimè peccat corporeæ neceſſitatis & voluptatis gratiā. *Athe. de reſurrect. cap. 8.*

Hominis natura rationalis finem ſuum habere debet, cùm omnis natura finem proprium ſuum habeat: finis hic non eſt indolentia eſt enim corporibus inanimatis communis, nec ſenſualis ablectatio, communis enim eſt brutis. ſed eſt aliquod ſecūdum propriam ſuum naturam, & virtutem & actionem, id eſt rationalem, & intellectualem perceptum, in quo demque conquieſcat, & in quo ſtatu virtus ipſa ſuis præmijs perfruatur: eiuſmodi finem in vita præſenti nunquam aſſequi poſſumus, igitur in futura: & cum vita & actio compoſiti ſit & finis ad compoſitum pertineat, ideò futura eſt reſurrectio. *Athe. de reſurrectio. cap. 2.*

Hominis beatitudo ſolùm cōſiſtit in Dei ſcientia. *Alc. cap. 30.*

Homines in bruta, vel plantas permutari qui dixerint, impoſſibilia dicunt, & apud naturam & apud iuſtitiam ſuperuacua. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 2 cap. 1.*

Homo decedens ſine liberis calamitatem perſentiſcet in alio ſeculo, quod de animæ partu intelligendum eſt, cuius liberos virtutum partus putat, & maſculum ad Deum, Deique diuiniſſimas poteſtates contemplandas ſapientiam: quaſi dicat, vt quod non operatur bonum, nec boni vequam quicquam ſit ſuſceptura *Fic. in. Mer. Triſmeg. Pimand. cap. 4.*

Homines quamuis euidentiores rationes de immortalitate habeant, magis timent, quod enim amamus multum ei multum metuimus, nihil enim magis quàm vitam amamus ſempiternam. *Fic. Plat. Theo. lib. 16. cap. 8.*

Hominis quæ ad ſanitatem & morbum accidant.

Homo vel ægrota vel ſanus eſt vel non neceſſe eſt alterum horum ineſſe. *Plot. in Alc. 2.* Hominibus ſanitas maximū bonum eſt. *idem, in Gorgia.*

Homo, vel beſtia abſque ſuo nocumento peſtis ſuſcipit ſæpe vaporem, ac tamen alios inficit, vt ferrum ignitum ſtupam conſumit ipſo non conſumpto *Fic. in epid. Ant. cap. 2.*

Homines peſtis tempore purificātur communiter ſpatio quatuordecim dierum; domus, lignamenta, & cætera in vigintiuno: veſtes & panni ſpatio dierum 28. ſi rectè purificentur. *idem, ibid. cap. 23.*

Homo nemo conſilijs ſuis adeo fidas vt vltare ſperet morbos corporis & rerum iacturas. *Fic. epiſt. lib 2.* Hominis artes curatrices propriè ſunt duorum generum legalia & iudicialis quæ purgat animum, & gymnaſtica, & medicina corpus: quibus quatuor repugnant, legali ſophiſtica, iudiciali oratoria vulgaris, gymnaſticæ fucatoria, medicinæ coquinaria: *idem. in Plat. Gorg.*

Homo non poteſt Deo coniungi niſi per eum, qui cum ſeipſo hominem Deo coniunxerit, verus mediator effectus. *Ia. Pic. Mir. in Hep. lib. 6. cap. 7.*

Homines laborantes morbo oculorum aut venę vel fractione vel colliſu ſanguineos oculos habentes, omnia vident rubra. *Ia. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib 5 cap. 3.*

Vt eius dæmon curam habet.

Homines valdè Mercuriales, quales ſunt qui ingenio & artificio pollent, non mediocriter ſunt Solares, nam Mercurius ſemper eſt Apolline plenus. *Fic. de vita cœlit. compar. lib. 3. cap. 10.*

Homines habitare debent in ea prouincia in qua ſuus dæmon magia aſpirat. *idem. eod. lib. cap. 23.* Homini cuicunque naſcenti deputatus eſt dæmon quidam vitæ cuſtos. *ibid.*

Homines dæmones duos habere aiunt Platonici vnum geniture proprium, alium profeſſionis, qui ſi ſint diſcordes, vitam laborioſam, & ſolicitam, & à genio naturali ducti; ſi concordes, facilem *Fic. de vita cœlit. compar. lib. 3. cap. 23.* Homines cognoſcere non poſſunt quid portendant cœleſtia, ſed dæmones. *idem. in Plot. En. 3. lib. 1 cap 6.*

Homo non ſolùm regitur à ſua anima rationis participe, ſed à bono genio huic aſſiſtente, vt & cælum, ſed in cœlo anima iuſta intelligentiæ ſemper obſequitur, in homine non ſemper. *Iac. Car. in Alc. cap. 52.* Hominibus datos eſſe duos dæmones ſiue genios alterum propitium alterum aduerſum, fama eſt priſca quædam vetuſtiſſimáque. *Aug. Steu. de per. phi. lib 9 cap. 40.* Hominem non nulli Mercurij nuncupant *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*

Hominis finis quis.

Homo finem ſuum naturalem habere debet, ſiquidem quicquid naturale eſt finem ſuum habet: qui finis, vt quorundam eſt opinio, nil aliud eſt quàm vt vnuſquiſque in ſui corporis ſalubritate & integritate, & ſenſoriorum tutela ſummum conſtituat bonum: alij putant non debere ſibi deeſſe in rebus vitæ neceſſarijs, ſed finem illuſtriorem ac maiorem quàm ſi neceſſitati eo tantummodò ſpectes omnino habere: viſus enim non ad neceſſitatem, ſed ad præſidium datos, & horum alij in diuitias: alij in gloriam, alij in voluptates humanum finem poſuerunt: & qui voluptates ſtatuunt finem, bifariam diuidunt, alij ſenſorias voluptates, alij in intelligēdi delectationem poſuerunt finem, alij præter hos finem in imperio poſuere: at leges noſtræ quid ſentiant deus ſcit: ea prophetia tamen ſcire poteſt duplicem eſſe finem, alterū ex rerum humanarum actione. *Aurr. in Plat de rep. tract. 2.*

Hominis finis eſt per intellectum Deum videre per voluntatem viſu Deo frui, quia ſummum bonum noſtrum eſt ſummæ potentiæ noſtræ obiectum ſummum, ſiue actus perfectiſſimus circa ipſum: ſummæ autem potentiæ noſtræ ſunt mens mentiſque caput, & voluntas: ſummum harum obiectum eſt commune rerum, bonūmque commune, & integrum, id autem eſt Deus. *Fic. Plat. Theol. lib. 14. cap. 2.* HO

mo diuinus non vult fortunam sibi ducem, nemo enim miserior illo qui veram felicitatem collocat in fortuna. *idem, epist. lib. 3.*

Hominis vita beata, & summa felicitas cõsistit in fruitione absoluti boni. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 6.* Hominis bonum summum est id quod mixtum est ex duobus quodãmodo, sapientia, & voluptate. *idem, ibidem. cap. 32.* Hominis ad felicitatem operatio potior est per quam primò ad Deum attingit, hæc autem est intelligentia, nam velle non possumus nisi quod intelligimus. *ibid. cap. 37.* Homines ad beatitudinem perducuntur prudentiâ, fortitudine iustitiâ, temperantiâ. prudentia primò beatitudinem ostendit, tres reliquæ quasi tres viæ ad beatitudinem ducunt. *idem, in Plat. conuiuium, or. 4. cap. 5.*

Homo contemplando, à corpore in animam, ab hac in angelum, ab angelo in Deum ascendit. Deus est super æternitatem, angelus in æternitate est totus, iam eius operatio quàm essentia stabilis permanet: status æternitatis est proprius. Anima partim in æternitate est partim in tempore, eius enim substantia absque vllius incrementi vel decrementi mutatione perdurat, operatio per temporis interualla discurrit: Corpus tempori omnino subijcitur, nam & substantia eius mutatur, & operatio eius omnis temporis spacium exigit. Igitur ipsum vnum supra statum & motum existit, angelus in statu, anima in statu pariter & motu, corpus in solo motu locatur. Vnus super numerum, motum, & locum manet: angelus in numero super motum & locum ponitur; anima in numero & motu, sed super locum, corpus in numero, loco, & motu ponitur. Vnum nec numerum vllum aut compositionem partium habet, nec vllo pacto ab eo quod est mutatur, nec loco clauditur vllo. Angelus numerũ quidem habet partium vel formarum, nec ab eo quod est mutatur, nec loco clauditur vllo. Anima partium & affectuum habet multitudinem, ratiocinationis progressione, perturbationum varietate mutatur, sed à loco exempta est. Corpus his omnibus est obnoxium. *Fic. in Plat. conuiuium. or. 6. cap. 15.*

Hominum acuta, ac philosophica ingenia non est putandum vnquam aliâ quadam escâ præterquam philosophica ad perfectam religionem allici posse paulatim atque perduci, nam acuta ingenia plerunque soli se rationi committunt, & cum à religioso philosopho hanc accipiunt, religionem subitò communem libenter admittunt. qua imbuti ad meliorem religionis speciem sub genere comprehensam faciliùs traducantur. *Ficin. in Plotini epitomes proœmium.*

Hominum animæ in terra, vel aere crassiore viuentes nõ sunt felices, sed miseræ in loco peccati pœnæ purgatorij constitutæ; tunc furore beatæ cum ad puras sphæras ascenderint cum corpore puro. vel, ad sublimiorem aerem, vel æthereum, atque cœlum: tunc ob prosperitatem corporis atque loci, facilémque corporis prouidentiam à diuina contemplatione minimè distrahẽtur qua tantò maior quantò in sublimioribus *Ficin. in Plotini En. 1. lib. 5 cap. 2.*

Homo vt omnium inferiorum absoluta est consummatio, sic omnium hominum absoluta consummatio est Christus. *Io. Pic. Mir. in Heptaplum, lib. 1 cap. 7.* Homo solus à fine à natura statuto exorbitat. *idem, in Heptaplum. lib 7. in proœmio*

Hominis summum bonum esse videtur animi continuata actio secundùm virtutem. *Fran. Patric. de regno. lib. 1. cap. 7.* Hominum beatitudinem cùm putet Aristo. esse vt illius qua dij sunt beati, elicere potes non in contemplatione esse omnium rerum, sed in Dei summi contemplatione. *Aug. Steuc. de pere. phi lib. 10. cap. 11.*

Honestum.

Honestum est homines erudire. *Plato Apologia.* Honestum nullum, vt honestum, malum est; nec turpe, vt turpe, bonũ. *idem, in Alcibiad. 1.* Honestum bonum est, nam omnes honestæ actiones bonæ quoque sunt. *Protagora.* Honestum & bonum iocundum est *ibid.* Honestum & bonum virum & fœminam felicem esse, iniustum & malum miserum dico. *in Gorgia.*

Honestum, vtile, & iucundum qui loquendo inulcem discreuit non est audiendus. *Ficin in Plat. de legib. dial. 2.* Honestus solius mentis decor, pulcbritudo, & ornatus existit. *idem, de volup. cap. 8.*

Honestum à solo euentu definiuit Aristoteles, cùm ait id esse honestum, ex quo aliquis splendor aut honor ad eum manauerit, qui aliquid gesserit: & Cicero id dixit esse honestum, quod multitudinis rumores laudant. *Francis. Patricius de republica. in præfatione.* Honestas est animi electio firma & stabilis ea omnia agendi quæ secundum virtutem sunt, quæ tantæ præstantiæ est, vt vel sola hominem commẽdet profectò. *idem, de regno, lib. 6. cap. 13.*

Honestum ab vtili non re ipsa, sed cogitatione discernitur. *Seb. Foxius in 5. Plat. de repub.* Honestum non est ab vtili disiunctum. *Marc. Anton. Natta de pulchro, lib. 4.* Honestum vtili atque iucundo duabus de caussis dignitate præcedit: primò, quia iucunda in sensu, vtilia in phantasia, honesta in intellectu collocantur: secundò, quia vtile & iucundum ad honestum vt ad finem referuntur. *Leo. Heb. de Am. dial. 1.*

Honestum cum vtili conuenit atque iucundo, in rebus, quæ post earum absolutam acquitionem iam possidentur, diligendis. *Leo. Heb. de Amore, dial. 1.* Honesta & iucunda expetuntur simul & amãtur, quia ipsorum desiderium in phantasia existentiam quandam voluptariam excitat: vtilia verò cum actu tantùm possidentur amantur, alioqui non, cùm prorsus cupientibus sint aliena. *idem, ibidem.* Honesti cum vtili atque iucundo conuenientia maxima est. *ibid.*

Honor.

Honorandum se exhibere non propter se, sed ob gloriam maiorum, nil turpius est ei qui se aliquid esse putat. *Plat. in Menexen.* Honores excellentes in ciuitate non esse alicui oportet, eo quòd diuitijs præstat; quandoquidem neque quòd velox, aut pulcher, aut robustus, quispiam est absque aliqua virtute, neque cum virtute, si absit ab eo temperantia. *idem, de legib. dial. 3.*

Honor nobis est meliora sequi, deteriora verò, quæ tamen meliora fieri possunt, quàm optimè perficere. *Plat. de legibus, dial. 5.* Honores alij veri sunt, alij adulterini. *idem, ibidem.*

Honor diuinum bonum est. *ibidem.*

Honore corpus dignum est non pulchrum, nec robustum, nec velox, nec magnũ, nec sanũ, nec quæ his contraria; verùm quæ in medio vniuersum hunc habitum attingunt, ea temperatissima simúlque securissima sunt altera ex illis molles & audaces animos faciunt, altera humile & illiberales. *Plat. de legibus, dial. 11.* Honores sunt merces militantium virorum. *idem, ibid.*

Honor est bonorum largitio propter virtutis officium, æstimatio ac dignitas virtute acquisita, figura venerationis, cõseruatio dignitatis. *Speusipp. de Platonis definitionibus.* Honor est virtutis testimonium. *Chalcidius in Plat. Timæum.*

Honoris templum ita ædificatum est, vt nemini ad illud aditus esset, nisi per virtutis ædem ingrederetur. *Fran. Patricius de rep lib. 3 cap. 12.* Honor virtutis comes, vt vmbra corporis *idem, ibid. lib 4 cap 6.*

Honor, est duplex: alter quidem spurius atque adulterinus, qui ad iucundum reducitur, alter verò legitimus & germanus, qui iucunditatem quandam cum honestate permistam amplectitur. *Leo. Heb. de Amo. dial. 1.*

Honor virtutis quidem præmium, haud tamen virtutis proprius, seu consentaneus finis debet existimari. *idem, ibid.*

Horologia primus inuenit Anaximander Milesius. *Franc. Patr. de rep lib. 2. cap. 7.*

Horizon est circulus proprius cuiusque hominis: & est tantus quantum quisque oculos circunferendo conspexit. *Marr. in som Scip. lib. 1.*

Hostes non diuitiis, sed virtute vincuntur. quæ virtutes debilitari potiùs, quàm augeri diuitiis solent: non aureo, argenteóue mucrone opus est, sed ferreo. *Bes Card. in calum. Plat. lib 4 cap. 14.* Hostes si ex mente & ore expellemus, naturam imitabimur. quæ contrarium suum à se expellit: sic Plato de inimicis nec obloquebatur, nec etiam cogitabat. *Ficin. in Plat. lib. 6.*

Humana.

Humana res non esse videtur sua negligere, & publicas res curare. *Plat. in Apolog.* Humani gregis pastor Rex solus est *idem, in dial. de regno.* Humanarum rerum, vt ita dicam, nihil stabile est. *ibi.* Humanis in rebus duo rectè præeunt, scientia, & recta opinio: nam quæ à fortuna contingunt, non humano ductu fiunt. *de virtutibus.*

Humanum genus cum vniuerso tempore cognationem quandam habet, vt quod perpetuò ipsum sequitur & sequutur: & hoc modo immortale est, quod filios filiorum relinquens, idem & vnum est, & perpetuâ generatione immortalitatem participat, & hac se priuare non est pium: vltro se priuat qui filios, & vxorem negligit. *Pla. de legib. dial. 4.* Humana longitudo à quinque annis in duplum in reliquis viginti incrementum capit *idem, de legib dial. 7.*

Humana natura sola ordinem habet in ambobus, id est motu & voce, ad quem nullum aliud animal attingit: & motum rythmum appellamus, in voce in graui & in acuto harmoniam, ambo hæc chorea vocantur: & Deus nostri miseratus dedit nobis in tripudijs socios, & chori duces Apollinem, Musas, & Bacchum. *Plat. de legib. dial. 2.*

Humanæ res magno studio non sunt dignæ, necessarium tamen est ea-

men est earum studio teneri. *idem, de leg. dial. 7.* Humanæ res non omnino constantes sunt *Plat. epist. 6.* Humana natura nulla per se potest humana omnia gubernare vt non contumelia, & iniustitiâ repleantur. *idem, de leg. dial. 4.* Humanæ naturæ maximè sunt voluptates, dolores, & cupiditates ex quibus necesse est omne mortale animal palàm velut dependere, & maximis studijs velut appensum esse. *ibidem. dial. 5.*

Humanitas est affectio amicitiæ, hominum conciliatrix, habitus hominis beneficus, gratiarum sedulio, gratitudo benefica. *Speusip. de Plat. defin.*

Humana gratulatio est cognitio maiestatis diuinæ. *Apul. Asc. lo.*

Humana natura nec rationem, orationémue de dijs suscipere potest sine illis. *Iam. de myst.* Humanarum rerum rationes aliæ trahuntur ex ordine naturali, aliæ ducuntur ex ordine prouidentiæ, quales sunt de resurrectione mortuorum rationes. *Athe. de resurrect. cap. 1.* Humanum nihil verè stat. *phi. de somn.*

Humanarum perfectionum genera quatuor, contemplatiuæ virtutes, mechanicæ, morales, & artes operariæ, quæ contemplatiuæ causâ inuentæ sunt, nam quæ ante finem sunt gratia expetimus. *Auer. in remp. Plat. tra. 1.*

Humanarum rerum est circulus sese voluens, quos modo habebat superiores, hos inferius ducens, & contra qui inferiores erant tollens superius. *Bess. Card. in calumnia. Plat. lib. 4. cap. 15.*

Humorem naturalem velociter exiccant sanguis fluxus vberior, violenta solutio ventris, diu lubrica aluus, profusus sudor, latiùs patefacti meatus, coitus ad debilitatem factus, sitis anhelans, fames crucians, vigilia longa, vsus præcalidarum rerum & siccarum, laboriosus animi, corporísque motus, anxietas, ira, dolor, siccior & feruentior aer, præsertim igne calescens, ventus aridior & violentus, atque diuturnus. Humorem augent his contraria, ebrietas frequens vtrunque facit nimio enim calore siccat & humore suffocat, ad vtrunque eruditas maximè nocet. *Fic. de vita producenda. lib. 2. cap. 4.*

Humana omnia Deus, fortuna, & ars gubernant. *Fic. in Plat. Ionem.* Humana species distincta à brutis propriam habet perfectionem, quæ est contemplatio diuinorum. *idem, Plat. Theo. lib. 14. cap. 9.* Humana mens vnicum corpus in primis mouere debet, & totum secus siue medio agitare, ergo non per animum cogitatricem. *idem, lib. 15. cap. 2.*

Humanæ vitæ tres sunt duces, prima ratio diu diligentérque examinata: secunda, experientia rerum diuturna consuetudine confirmata: tertia, authoritas antiquorum eorum qui tales sint, vt neque ab alio facilè decipi potuerint, neque ipsi voluisse alios decipere videantur. *Fic. epist. lib. 1.*

Humanis in rebus duo præcipuè curanda sunt, patria, & familia. *Fic. epist. lib. 1.* Humana mens summa est inter formas naturales, quoniam concipit formas, siue suscipit puriores & perfectiores, quarum comparatione naturales nihil pendit. *idem, ibid. lib. 2.*

Humanos euentus Platonici putant à stellis interdum significari, incitari verò frequenter à dæmonibus stellarum quasi pedissequis peragi denique ab hominibus pro conditione rerum nobis propinquiorum. *ibi. lib. 8.*

Humanæ res vmbris, & cogitationes somnijs similes sunt hinc propheticum illud: omnia vanitas, & omnis homo mendax. *ibid. lib. 12.*

Humanum genus non potest absque optimis gubernationibus vel honestè viuere, vel feliciter gubernari. *Ficin. in Platon. Euth.*

Humanum genus vt à diuinis maximè distat, mediâ quadam natura indiget, vt est dæmonica; quasi conciliatrice. *idem, in Plat. Apolog.*

Humanum genus ab ipso Deo tanquam rege per electos, optimósque dæmones asserit Plato gubernatum esse *in Plat. de legib. dial. 4.* Humanum ingenium in summa rerum licentia potentiáque lasciuum, superbumque euadit *ibid.*

Humanum ingenium ideò Plato ait ferocius euadere posse, quàm ferarum, quia quod maximam vim habet ad bonum, maximam quoque habere potest ad malum; & optimum, cùm sui deprauatione vertitur in oppositum, fit pessimum. *Ficin. in Pla. de legibus, dial. 6.* Humanis actionibus & operibus communis actus, efficax, ac rectus nobis aduenit ex diuinis, propria verò siue vel agendi deteriórque conditio ex nobis contingit. *idem, in Plot. En. 3. lib. cap. 9.*

Humanorum gubernatio constat ex prudentia & sapientia: eiusdem est scire rectè hominem vnum familiam, ac rempublicam gubernare: quamobrem qui moralis est, idem dominus, ciuilis, rex idoneus est. *Fic. Plat. sophist.* Humanæ vitæ gradus sunt tres, hominis diuini, humani, bruti. *idem, in Plot. En. 2. lib. 9. cap. 9.*

Humana natura, quæ angelis comparata dicitur terra, statim ab initio, quia statim peccauit, inanis erat & vacua originali iustitia, & peccati tenebris facies eius id est ratio obducebatur. *Io. Pic. Mir. in Hep. lib. 7. cap. 1.*

Humanæ res quædam fiunt casu, quædam naturâ, quædam cœlestium: quædam diuino consilio, non quòd omnia non fiat diuino consilio, sed quia quædam mentes ex se non facerēt humanæ, nisi peculiari numinis impulsu commotæ fuissent. *idem, in Astrolog. lib. 4. cap. 3.*

Humanæ res diuinæ iustitiæ legibus, non fati necessitate reguntur *Ioan. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 5. cap. 5.* Humanum genus omne prænoscendi desiderium secutum est, ita quòd quodammodo insculptum à natura existimandum est. *Io. Fr. Pic. Mir. de prænotione, lib. 1. cap. 8.*

Humanas res nemo scire potest qui diuinas nescit. *Fran. Patr. de reg. lib. 2. cap. 16.* Humana ingenia, vt poma, primum acerba & cruda sunt, deinde sensim matura in dies, & coctiora fiunt. *idem, ibidem lib. 6. cap. 10.* Humanitas est beneuolentia quædam, ac dexteritas erga omnes homines permixta. *ibid. lib. 8. cap. 18.*

Humanæ cogitationis labor vanus est circa formas rerum naturalium nisi à prima mente adiuuetur. *Iacob. Carp. in Alc. cap. 4.* Humanum corpus magno mundi corpori simile est: nam quatuor humores quatuor elementis respondent, vt bilis igni, melancholia terræ, pituita aquæ, sanguis aëri, spiritus perpetua agitatio cœlesti perpetuæ agitationi, renē & membra generationi seruientia Lunæ & Veneri, cor Soli, lingua Mercurio, fel Marti, epar Ioui, caput Saturno. *idē. in Alc. cap. 14.*

Humana mens vt Deum imperfectè cognoscit, ita quoque humana voluntas eundem parum ac tenuiter amat. *Leo. Heb. de Am. dial. 1.*

Humana species septem membra cognitione distincta habet, quæ septem membris ad generationem requisitis mirificè consentiunt atque respondent. *idem, ibid. dial. 2.*

Humana beatitudo longè quidem præclarius splendidiúsque theologis quàm philosophis perspecta est. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Humana felicitas in formarum intelligibilium spiritualiúmque acerrima contemplatione consistit. *idem, ibid.* Humani corporis partis mediæ cordi, & duobus pulmonibus ascriptæ cum mundo cœlesti mira quædam proportio atque similitudo est. *dial. 2.* Humani generis cœlestis patria, diuinique parentes *dial. 3.*

Humanda cadauera Cecrops Atheniensis primus inuenit rationem. *Fran. Patr. de repub. lib. 5. cap. 10.*

Humiditas est putredinis mater. *Fic. in epidem. antidot. cap. 5.*

Humidum in primo gradu est Mercurij cum Ioue, in secundo Veneris cum Luna, in tertio Lunæ cum Venere, in quarto Lunæ cum Venere & Mercurio iungitur. *idem, de vita cælit. compar. lib. 3. cap. 22.*

Humilitas est felicitas animæ omnis expers iracundiæ. *Speusippus de diffinitionibus Platon.*

Humor est caloris pabulum, calor vehiculum spiritus, spiritus est animę ad corpus conciliator: ideò fit, vt quando in membris corporis paulatim resoluitur humor, anima quoque membra deserat paulatim. *Fic. Plat. Theo. lib. 9. cap. 5.* Humores in animali duo motus habent principia, naturale videlicet, & animale, naturali quidem leues motus sursum, graues deorsum sæpius sese transferunt animali verò ad ea potissimum membra, quę his maximè indigent, prout vita exigit animantis *idem, ibidem lib. 8. cap. 10.*

Humor frigidus id est aqueus, & quodāmodo terreus, & crassus nos attingens humorem nostrum quodammodo aereum, & subtilem, quasi contrarium impellit ad fugam: ne igitur mentus vacui mox euadant, humor ille crassus in angustos meatus aduentat, & quia nititur, per inuia torquet, præsertim, quia humorem nostrum ante rarum compellendo redigit in angustum: itaque cogit illum, & ipse interim vi trahitur ad ingressum: dum reluctatur ille, rigor & tremor contingit *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 54.* Humor quilibet ex quatuor elementis constitutus est. *idem, ibid. cap. 87.* Humorum corporis nostri proportio dupla sit necesse est ad sanitatem, vt sanguis duplus sit ad pituitam, hæc ad bilem, & bilis ad atram bilem. *idem, in Plat. legum append.*

Humorum periodi in febribus non sunt ad siderum motus referendæ *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 3. cap. 16.*

Humores, qui sunt in viuis animantibus, sanguis pituita, bilis atra, & flaua à primis elementorum qualitatibus pendent, qui item an tot tantum sint sensu deprehendi non potest, cùm in corpore ita mixti sint humores, vt nihil simplex videri possit. *Io. Fran. Pic. Mir. de elem. cap. 8.*

Humores quatuor, quatuor elementis persimiles esse conspiciuntur. *Leo. Heb. de Am. dial. 2.*

Hyperides Demosthene in orando excellentior fuit, auctore Plutarcho. *Beß. Car. in calum. Plat. lib. 1. cap. 2.*

Hypopsophetæ erant ministri prophetarum. *Io. Fran. Pic. Mi. de praenot. lib. 2. cap. 2.*

I

IACET quod in alio est, & seipsum sustentare non potest, ab alio certè dependet: quo fit vt qualitates, quia à corpore non dependent, ab anima vim corporibus tribuente sustententur. *Fic. in Plat. conuiuium orat. 4. cap. 3.*

Iactans, & gloriam appetens, nebulam & vmbram captat. *Fra. Patric. de reg. lib. 4. cap. 8.*

Iactans de seipso, omnis seipsum amat, aliorum laudem expectare debet, nam virtus solâ cum scientiâ rectè factorum contenta est. *idem, ibi.*

Iamblicus ait, Primus Deus & vnus primi pater est Dei, quem gignit in solitaria sui ipsius permanens vnitate; est autem exemplar filij, qui nominatur suimet filius, sui pater, atque vni pater, Deus verè bonus ille enim fons est idearū, à quo vtique vno Deus per se sufficiens, seipsum explicauit in lucem: propterea sufficiens per se nominatur suique pater, est enim principium, Deus deorum, vnus ex vno, super essentiam omnem, principiumque essentiæ: quod mysterium testatur Iamblicus esse Mercurij. *Fic. in Plat. de rep. dial. 6.*

Iani templum regnante Numa Pompilio clausum fuit tres & quadraginta iugiter annos. *Fran. Patric. de reg. lib. 1. cap. 7.*

Icterici pallida omnia & quasi inaurata vident. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. g. n. lib. 5. cap. 3.*

Idearum diuisio & vt boni idea.

Ideæ sunt duæ ducentes nos, altera à natura insita cupiditas voluptatum, altera acceßoria, opinio optimum appetens, & hæ aliquando consentiunt, aliquando dissentiunt, & aliquando hæc illam superat, aliquando illa superat hanc. Cum opinio ad optimum superat, vocatur temperantia: at cùm cupiditas præter rationem ad voluptatem trahit, & imperiū in nobis obtinet, contumelia nominatur, siue intemperantia & multas habet appellationes, circa cibum ingluuies & sic de alijs. *Plat. in Phædro.*

Idea boni maxima est disciplina, qua si circa iusta, & alia vsi fuerint homines, cum modo, & vtilia fiunt: sed si eam non satis nouimus, absque hac quàm maximè alia sciuerimus, horum nulla est nobis vtilitas, vt si quid possideremus absque bono. *Plat. de rep. dial. 6.*

Idea boni est id quod veritatem exhibet his quæ cognoscuntur, & ei qui cognoscit vitam tribuit, & causa est scientiæ, & veritatis vt quæ per intelligentiam cognoscitur. *Plat. de rep. dial. 6.*

Idea boni est in loco, qui vix videri, & cognosci potest: conspecta verò est omnium rectorum, & pulchrorum causa, vt quæ in loco qui videtur, lucem; & ipsius dominum pepererit; & in eo qui intelligitur ipsa domina veritatem & intelligentiam exhibet, quàm inspicere debet ille qui aut priuatim, aut publicè sapienter agere vult. *Plat. de rep. dial. 7.*

Ideæ aliæ communissimæ sunt, vt essentia, identitas, alteritas, status, motus; aliæ specialissimæ: vt homo, equus: aliæ mediæ vt pulchrum, iustum, magnum, paruum, simile, & dissimile. *Fic. in Plat. Parm. cap. 4.*

Ideis suis communicant aliter intellectus ipse, ac intellectuales animæ, atque rationales, & aliter res corporeæ, vitæque addictæ corporibus: illa namque sunt velut quædam progenies idearum, quamuis quodammodo inde degenerantes, hæ sunt duntaxat imagines nullam idearum naturam in se habentes, sed illas speculari quadam similitudine referentes. *Fic. in Plat. Parm. cap. 4.*

Ideæ quædam generales sunt quodammodo scientiarum contemplatiuarum, quæ animum ad intelligibilia reuocant; similiter & moralium virtutum, non ciuilium, sed excellentiorum, quæ purgantes animum ad intelligibilia ducunt. *Fic. in Plat. Parm. cap. 12.*

Ideas quis negabit esse in mente Dei omnium effectrice? quæ sunt species operum suorum, semina vires, rationes, exemplaria, notiones. *Fic. in Plat. Phil. lib. 1. cap. 17.*

Ideæ diuinæ mentis conceptiones per Deos, & dæmones se(p)tem munera largiuntur hominibus, quæ sunt contemplationis acumen, gubernandi potestas, animositas, claritas sensuum, amoris ardor, interpretandi subtilitas, fœcunditas generandi. Deus singulis septem dijs, qui planetas mouent, angelique à nobis vocantur, tribuit, isti hominibus tradunt. Saturnus contemplationis acumen roborat. Iupiter gubernandi potentiam, Mars magnitudinem animi, Sol claritatem, Venus amorē, Mercurius interpretandi subtilitatem, & Luna fœcunditatem generandi, sed illis præcipuè, in quorum conceptione & ortu ex cœli dispositione plurimum possunt. & si à Deo infusa honesta sunt, tamen propter abusum quandoque videri possunt deformia. *Fic. in Plat. conui. or. 6. cap. 4.*

Idea diuina, per quam factus est animus, redeunti illabitur animo ceu gustui sapor: ab eo primum suauiter si quid alienum est diluit: deinde penitus implet, magisque implendo delectat; tertio redigit in seipsum inæstimabili voluptate perfundens, vbi animus ex anima primum factus est intellectus, ex intellectu denique Deus: neque vlterius sicut prius sapit, neque quæ prius, sed sapit aliter, atque alia; & quemadmodum apud nos imaginatio vehemens mouet, formátque corpus ita, & ibi corpus subiectum animæ, sensúsque eius à potentissima cogitatione mentis mouetur protinus, & formatur, adeò vt ineffabili dulcedine mentis mirabiliter & sensus dulcescant, & corpus. *Fic. in Plat. de rep. dial. 2.*

Idea boni non est species hæc, vel illa, hic aut alibi sed ipsa eminentissima diuinitatis fœcunditas per omnia sese potenter suauiter, salubriter propagans, & cuius imaginem quandā in mundo visibili Solem vult Plato esse visibilem vires suas similiter per omnia diffundentem, Vnde animaduertere potes Ari. in Ethicis circa boni ideam aduersus Platonem ludere. *Fic. in Plat. de rep. dial. 6.*

Idea boni non modo super intellectum, sed etiam super intelligibile regnat. *Fic. in Plat. Tim. cap. 10.*

Idea potest dupliciter contemplari, vel pro intentione, vel pro re substrata intentioni: si pro intentione, sic est ens relatiuum: si pro re substrata intentioni, sic idea non relatiuum, sed quid absolutum erit. *Gab. Bura. de idea lib. 5.*

Ideas duplices posuit Plato, vnam quæ respondet cuilibet rei, vt hominis idea, à qua singulæ scientiæ exsistunt: alia est idea omnium idearum. *idem, ibid.*

Idea quòd sunt, quid, in quo, & vt fiunt.

Idea est hoc quod intelligitur vnum esse, quod semper est idem in omnibus. *Plat. in Parme.* Ideæ velut exempla in natura consistunt, & aliæ his similes sunt, & simulachra earūq; & hæc participatio specierum alijs contingit non alia quędam, quàm quòd ipsis assimilentur. *idem, ibid.*

Ideæ inter se sunt id quod sunt, ipsæ ad se ipsas essentiam habent, & non ad ea quæ apud nos sunt siue simulachra, siue quomodocunque quis ea nominet, quibus nos participantes singula esse dicimur: hæc verò quæ apud nos sunt eiusdem cum illis nominis, ipsa rursus ad seipsa sunt, & non ad species, & sui ipsorum, & non illarum, quæ rursus sic nominantur. *Plat. in Parm.*

Ideas nec habemus, nec apud nos sunt, nec ipsarum cognitionem habemus. *idem, ibid.*

Ideam nullus opifex facit, *Plat. de rep. dial.* 10. Ideam plurimam diuino ex igne efficiebat opifex, quo aspectu splendidissimum, & pulcherrimum esset, & vniuerso assimulans orbiculare efficiebat, ponitque ipsum vt ad optimi sapientiam illud sequatur, distribuens circum circa omne cœlum, vt ornatus verus varius ipsi esset per totum. *idem, in Timæo.*

Ideam ingenitam, immobilem & manentem, & de eiusdem naturæ, & intelligentiæ subiectu & exemplum eorum quæ generantur quæcunque in generatione sunt, esse dicimus, & intelligimus. *Timæus Locrus de anima mundi & natura.*

Ideæ sunt formæ omnium simplices, & æternæ nec corporales. *apul. de dog. Plat. lib. 1.* Idea, quæ est primaria species, id est substantia, definitur carēs corpore, colore, figurâ, sine tactu, intellecta tamen cum ratione cōprehensa, causa omnium quæ ex se similitudinem mutuantur. *Chal. in Timæ. Pla.*

Idea veluti participantia sibi similia reddens, & speciem, & ordinem, & pulchritudinem, & vnitatem ipsis communicās sic numen furtiua est tanquam eandem semper speciem seruans, & ad quæcunque plurima suam expandens potentiam, & eandem speciem æternè participantibus afferens. *Syrian. in 12. metaph. cap. 2.*

Ideæ cùm sint causæ subiectæ sensibilibus, bonitatis, & permanentiæ necessarię & scientiæ ipsorum, omnem afferunt perfectione. *idem, ibid. cap. 3.*

Idealium numerum Plato supponebat esse ordinem habentium in ipso Idearum ordine esse, & mathematicum præ-

stantiorum

stantiorem naturali, deteriorum vero ideali. *ibid. cap. 4.*

Ideæ omnes tanquam species quædam intellectuales sunt atque diuinæ, nec malorem causæ sunt *Proc. in temp. Plat. ex Mar. Fic. epist. lib. 12.*

Idea est ad Deum intellectio Dei, ad mundum sensibilem exemplar, ad seipsam essentia, *Alc. cap. 9.* Idea est exemplar eorum quæ secundum naturam fiunt. *idem, ibidem.* Ideæ sunt si Deus ipse sit intellectus, vel intellectuale quiddam; notiones illi adsunt æternæ, & immobiles, quæ sunt ideæ. *ibidem.*

Ideæ sunt si mensura per se ipsam materiā caret ab aliquo superiori, & à materia penitus absoluta mensuras suscipiat necesse est, ergo sunt ideæ mensuræ quædam sine materiæ mixtione existentes. *Alcinous, cap. 9*

Ideæ sunt si mundus non est temerariè factus non solum ex aliquo, sed ab aliquo factus est, neque id solùm, sed ad aliquid etiam fabricatus: id verò ad quod effectus est, quidnam aliud præter idem existit. *idem, ibid.*

Ideas esse concluditur, si intellectus à vera opinione differt, intelligibile quoque ab opinabili discrepat; hoc si verum est extabunt intelligibilia ab opinabilibus differentia, vt sint prima quoque intelligibilia, quemadmodum & prima sensibilia. *Alcinous, cap. 9.*

Ideas esse exemplaria oportet corporalium omnium quæ secundùm naturam distincta inuicem efficiuntur, & ad eas scientias & definitiones referri, & præter singulos homines hominem ipsum intelligere decet. *Idem. c. p. 12.*

Ideæ in ipso bono per causæ modum sunt solùm relatiuis quibusdam rationibus tantùm inter se distinctæ. in ipso intelligibili per formam propriè, atque absolutis insuper formam inuicem differentes; in sequentibus mentibus, siue à corpore separatis, siue coniunctis participatione iam quadam, & gradatim magis magisque distinctæ: in natura verò semina quædam infima formarum ab ideis infusa; in materia denique vmbræ. *Fic. Plato. Theol. lib. 11. cap. 4.*

Ideæ vniuersaliores mentibus sublimioribus insunt, sequentibus paulatim minus vniuersales. *Fic. Platonica Theologia lib. 16. cap. 1.* Ideæ singulorum in mente prima inter se non absolutè, sed quadam relatione distinguuntur. *Idem, epist. lib. 12.*

Ideæ omnes à Deo negantur meritò, quoniam quælibet idea singulatim est quiddam definitum, ac simul cunctæ compositum. *Ficin. in Dion. Areopagit. de trinitate.*

Ideæ in mente diuina sunt, vt opinatus est Plotinus, & Porphyrius, quæ per modum abstractæ formæ pronunciantur at Syrianus & Proclus præter ideas finxerunt communissima quæque abstracta esse diuina quædam rerum principia inter se per substantiam differentia, quorum hæresim in commentarijs in Plotinum refellimus. *Ficin. Idem in Dion. Ar. de diu. nom.*

Ideæ non solùm sunt sub vno primæ intelligentiæ patre, sed etiam in intellectu primo, ac prima forma: sicut formæ naturales quamuis diuersissimæ in vna materia sint, sic ideales in vna mentis forma; quæ quoniam est omnisortius à superiore dependet simplicissimum penitus, & vt ita dixerim, vni formi. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 4.*

Ideæ quoniam sunt sub ipso bono, statim sunt in optimo: at formæ quæ sunt in malo, vt in materia partim inuicem pugnant, partim confunduntur: at formæ non confunduntur, vt lationes cœlestes, etsi oppositæ sunt, sine iniuria, tamen esse possunt. *Idem, ibid.*

Ideas appellat Socrates aliquas contrarias inter se, non quoniam inter se diffideant, sed quoniam apud nos contraria faciunt, & Deus per illas contraria videat & agat *ibid.*

Ideæ penes intellectum diuinum, qui ea quæ apud nos seiuncta sunt, mirabiliter in seipso coniungit, tum contemplandi, tum agendi participes sunt: & quoniam illic non argumentatione, nec casu, sed naturā suā, & hac quidem intellectuali perficit vniuersum, sibique reddit simile, necessariò vires, formasque omnium intellectuali simul, atque naturali ratione disiunctas possidet in seipso. *Fic in Plato. Parme. cap 4*

Idea est totius ignis, non autem partium ignis; & sic totius est idea, non partium. *idem, ibid. cap. 3.*

Ideæ cùm sint æternæ, & ad paritatis summum intellectuales, effectus procreant in eadem sub ipsis serie stabiles ac puros, priusquàm mobiles & impuros nam sub ideis elementorum elementa sunt immaterialia in cœlis, ante materialia quæ sub cœlo; & sic de arbore, equo, homine, & cæteris, quælibet cælestis, deinceps elementalis, sub homine ideali homo primò cœlestis, deinde aereus, & terrenus *Fic. in Pla. Parmen. cap. 5.*

Idea est prorsus causa immobilis. *Ficin. in Platon. Parmenid. cap. 8.* Idea species est, species autem non potest rei omni speciei carentis exemplar esse. *idem, ibid. cap. 7.* Ideales rationes cuicunque intellectui naturaliter insitæ, siue diuino, siue humano. non aliter quàm per mediam naturam viuentem, & inde formatam transeunt in materiam, in qua & viuentia generant Artificiosa verò opera per mediam naturam ab intellectu procedunt, neque viuunt, nusquam igitur habent naturalem ideam. *ibid. cap. 11*

Ideæ sunt causæ exemplares eorum quæ secundum naturam semper consistunt: exemplares. quia causa finalis est superior, id est ipsum bonum, causa efficiens inferior, artifex scilicet intellectus exemplar deinde inspiciēs quod insuper est, & efficax. *Fic in Plato. Parm cap. 11.* Ideæ non sunt apud Deum, nisi eorum quæ ipse fecit. & perficit, ergo non sordidorum id est degenerationum, detrimentorum, & malorum, quæ vel diuulsarum confluentium causarum vel à nostris actionibus, vel passionibus accidunt. *idem, ibidem. cap. 14.*

Idea quælibet est ipse Deus. *Marsilius Ficin. in Platonis Parmenidem, cap. 13.* Idea vltra quod est causa, vt exemplar, est etiam causa efficiens. *idem, ibid.* Ideæ sunt substantiæ veræ, quæ autem apud nos sunt, idearum sunt imagines. ideò his & illis non est denominatio vniuoca *ibid. cap. 17.*

Idea non corporali modo, sed alia ratione est tota in quolibet, & non tota: nam quæcunque in eadem specie sunt, idealem proprietatem illi speciei concessam æquè capiunt, sed nulla rerum nostrarum capit totam æternam illam ideam. *Ficin. in Plato Parmenidem, cap 18.*

Idearum vera sententia est, tanquam exemplaria in natura existere, & cætera his similia fieri, nec aliud esse quàm idearum imagines, nec aliter illas participare, quàm quod similia fiant. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 26.* Ideas asserere, dubitationesque ideis contingentes soluere ingenij diuini est. *idem, ibid. cap. 8.*

Ideas esse Diuus Augustinus in libro octuaginta triū quæstionum affirmat: inter peripateticos Auerroes in Metaph. 11. & 12. lib. vbi ait. Aristoteles dum Platonis ideas negat, ipse interim ponit ideas, dum in primo cæli motore rerum formas ponit idem in Dionysij commentarijs Albertus, vbi ad formalem causam exemplaria refert; nec nobis desunt Simplicij, Themistij, & Eustratij testimonia *Ficin. in Platonis Phileb. lib. 1. cap. 18.*

Ideæ vocantur rationes rerum quæ sunt in essentia diuina, cuius fœcunditate natura sit fœcunda, ex qua partus varij in materiam educuntur. *idem, ibid.*

Idea cùm Plato ait Deum facere in natura, intelligere in natura, & mundo intelligibili angelicarum caput mentium. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 10.* Ideæ multæ concipiuntur in se in mente diuina quasi lumen de luce manans, vt multi radij e a vno lucis radio deriuantur. *Idem, in Plat. Timæum. cap 10.*

Ideas esse circa omnium regem ait Plato, id est circa ipsum bonum sunt ideæ, & per ideas omnia sunt, circa secundum id est mentem, secunda id est rationes quæ sequuntur ideas: circa tertium tertia id est circa animam mundi formæ significauit Deum esse causam exemplarem, vbi dicit circa finalem, vbi ait eius gratiam, efficientem, vbi ait ipsum esse causam pulchrorum omnium. *Ficin. in Platonis epist.*

Ideas menti Plotinus non tanquam tabulæ picturas ascribit, sed tanquam generi species adhibet. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 4. cap 4.*

Ideæ sunt propriæ potestates intellectus, per quas ipse aliter & aliter est definitus. *idem, in Plot. En 5. lib. 9. cap 6.*

Idea quælibet est similiter essentia viua, intellectualis, species, actus; cæteris verò proprietatibus differunt. *ibidem. cap. 10.*

Idea rei cuiuslibet quantumlibet compositæ, motibúsque distractæ, in Deo simplex est, totaque simul præsentia possidens quæcunque in rebus apud nos temporibus euoluuntur. *Ficin. in Plotin. En 6. lib. 7 cap. 1.* Idea quælibet rerum in vita intelligentiáque perfecta est in primo ente, hic non viuentium vita est & intelligentia quædam *idem, ibid. cap 9.*

Ideæ habent in Deo esse virtuale, in verbo formale. in intelligentijs & in anima humana participatiuum. *Gab. Buratel. de ideis lib. 3.*

Ideæ in Deo variæ sunt: quædam appellāntur ideæ cognitionis tantùm non imitationis, nec actu nec factione, nec existentiā, vt mala quæ licet à Deo cognoscantur, non tamen eum imitantur aut sequuntur, verùm potius ab eo discedunt. *idem, ibid.*

Ideæ in Deo sunt virtualiter, non formaliter, quia nō sunt formæ diuinæ naturæ inhærentes, vt in luto, vel cera. *Gab. Burat. de ideis, lib. 1.*

Ideæ etsi sunt æternæ & immobiles, non ideò essent causæ

Ideas intelligit Plato non leuiter nubes esse, sed in mundani archetypi mente existere. *Marsil. Ficin. in Platonis Timaeum, cap. 19.* Ideae hominum tot fermè sunt in mente diuina, quot homines nascuntur in anno mundi magno, totidem seminales hominum rationes sunt in natura. *idem, in Plot. En. 5. lib. 7. c. p. 1.*

Ideas proprias non habent artificia, quae vel solùm imitatione quadam rerum, motionúmque naturalium fiunt, vel etiam ab ingenio naturaliter artificioso proueniunt: sed partim rediguntur ad ipsas naturalium ideas, partim ad rationes rerum, numerorum, mensurarum, modorum, animo rationali ingenitas, & ab ideis similibus dependentes. *Fic. in Plot. En 5. lib. 9. cap. 11.*

Ideas non habent, quae absque ordine certo ad finem directo nonnunquam in vnum confluunt. *Ficin. in Plotini En. 5. lib. 9. cap. 14.* Idea in ipsa hominis continentur artes ingeniosae atque necessariae. *idem, ibid.* Ideam habet contemplatio philosophica rerum, diuinam sapientiam, prudentia priuatim vel publicè gubernans diuinam prouidentiam suspicit, idea diuinum exemplar, tempus aeternitatem. *ibid.*

Idea communis non est eorum quae sunt in diuersis praedicamentis *Gab. Bur de ideis, lib 1.* Idearum quot sunt differentiae in mundo intelligibili, totidem in mundo hoc cadente in sensum sunt differentiae imaginum ideas participantium, quae in non entibus à Platone numerantur. *Iacob. Carpent. in Alcinoi parte post. c. p. 27.*

Idea non est Socratis, vel Platonis inuentum, sed multis seculis ante hos Mercurio Trismegisto cognita, & ab eodem frequenter vsurpata. *Iac. Carp in Alcinoi digr. ss 2.*

Ideae etsi sint rerum corporearum, sunt corporis expertes, per imagines autem in rebus singulis impressae partim corporeae, partim corporis expertes. *idem, ibid.*

Ideae non sunt eorum quae arte constant, nisi per quandam rationis similitudinem. hoc ipso scilicet, quod artifices in rebus singulis efficiendis, Dei in natura prouidentiam imitantur. *Iac. Carp. in Alcinoi 2. digressio.* Ideas non esse rerum quae praeter naturam sunt hoc est in causa; nam haec omnia mala esse aiunt Platonici, & Deum malorum esse causam negant, neque eorum idcirco est idea. *idem, ibidem.*

Idea vniuersi meritò mundus dicitur nobilior & perfectior quàm hic, quem incolumus, qui ab illo sumit imaginem, habet enim, quae hunc nostrum habere videmus omnia, sed meliora nota illic adsunt. *M. Anto. Natta de pulchro, cap. 6.*

Idea vniuersi vna tantùm existit *Leo Heb de Am. dial. 3.*

Idea vniuersi singularúmque ipsius partium cum diuino intellectu vna eadémque prorsus existit nec ab eo vlla ratione distinguuntur *idem, ibid.* Ideae à Platonicis diuiéque numina à poetis non tantùm virtutibus, verùm etiam vitijs, & animorum quoque nostrorum affectionibus attribui solent *ibid.* Ideae etsi ad res procreatas relatae plures esse videntur, prout tamen in diuina mente consistunt ad summam quandam, & simplicissimam vnitatem rediguntur. *ibid.* Ideae primae quoque materiae eiúsque imperfectionibus ex Platonicorum sententia praefici debent. *ibid. dial. 2.*

Ideae vt nos in cognitionem ducunt, & cognoscuntur.

Idea de sanctitate, & de quauis re docere debet ad quam respiciendo, & ipsa pro exemplo vtendo quid tale fuerit cognosci possit. *Plat. in dial. de sancto.* Ideae sensu percipi nõ possunt, sed solùm intelligentiâ percipiuntur. *in Timaeo.*

Idea, materia, & compositum tribus mediis cognoscuntur, idea mente per sciẽtiam, materia ratione spuria, eo quòd nondum secundùm rectitudinem intelligitur, sed secundum proportionem; ex his verò creata, sensu & opinione. *Timaeus Locrus de anima mundi, & natura.*

Ideas si cupis cognoscere quales sint apud Deum, cogita naturalium rerum rationes seminales in ipsa natura, & artificiosorum formas in arte; sed in natura vim ad faciendum habent non ad cognoscendum; at in arte cognoscẽdi ac iudicandi rationes sunt, nihil tamen agunt nisi motrix virtus accesserit. & instrumenta quaedam coniuncta pariter, & seiuncta. *Ficin. in Platonis Parmenid. cap. 4.*

Ideae aut consideramus virtutem, aut proprietatem. *idem, ibid. cap. 18.*

Ideae consideratur & proprietas, & plena architecti virtus; proprietas per identitatem in totam seriem sibi succedẽtem similiter attribuitur: plenitudo virtutis per diuersitatem sub diuersis gradibus distribuitur; nam omnes virtutes penes lunarem ideam vigentes in lunam quodammodo descendunt, in daemones verò lunares nõ similiter omnes, pauciores insuper & hae modo remissiore, in homines in terra lunares pauciores, & sic in aliis animalibus. *Ficin. in Platonis Parmenidem, cap 22.*

Ideae cùm à nobis considerantur non debent considerari, vt intelligentiae actiones quaedam, sed tanquam obiecta, & species viresque naturales intellectus primi essentiam comitantes, circa quas intellectus illius versatur intelligentiâ sequens quidem illas quodammodo, sed mirabiliter ipsis vnitâ. *Fic. in Pla. Parme. cap. 23.* Idearum modus participationis non fit per eam similitudinem qua haec cum illis in communi quadam qualitate conueniunt, sed quoniam haec formantur ab illis, atque illas ideò repraesentant *idem, ibid cap. 27.*

Ideae à nobis cognosci non possunt si ipsarum sinceram consideret quis excellentiam humanâ proportione superiorem: nam vis hominis cognitiua actu primo, & directo ad humana, & naturalia refertur, & haec à nobis per proprium scientiae modum cognosci possunt, id est per conclusionem ex causis ad effectum ritè collectam: diuinae verò nec primo recto intuitu, nec scientiae more comprehendi, sed vel actu quodam reflexo per haec velut imagines & effectus coniectari, ideásque tanquam horum causas & exemplar; vel saltem ideas apprehendi posse, nõ per consuetam scientiae ratiocinationem causam, sed insolito more per simplicem quandam intelligentiam perfectè purgatam ritè exercitatam, diuinitus illustratam. *Fic. in Plato. Parmen. cap. 29.*

Ideae speciésve primae nunquam directâ quadam à nobis vel propriâ virtute comprehendi possunt: nec Dei scientia: qua Deus intus contuetur ideas sic ad nostram scientiam refertur: vt intuitu quodam recto haec velut obiecta primò contueatur, intelligit enim haec consequenter actu quodam reuera reflexo per ideas ipsas, quasi effectus, & imagines idearum. *Ficin. in Plat. Parme. cap. 29.*

Ideae rerum naturalium nisi ponantur separatae ab his, atque aeternae, non habebimus obiecta firma ad quae dirigamus intelligentiam, differendi ars legitima, philosophiáque vera peribit, sed absque dialecticis instrumẽtis, nec ideas assequi, nec dubitationes circa illas soluere possumus. *Fic. in Plat. Parmenid. cap. 39.*

Ideae ad duo conducunt, tum ad Dei scientiam, & nostram, tum ad rerum efficientiam. *Gab. Bur. de ideis, lib. 1.*

Idearum proprietates, & differentia.

Idea ad tale nunquam peruenire potest, quae illi formae contraria est, vt hoc efficiat, vt Idea quae efficit impar, non potest ad paria venire. ad tria enim nunquam paris idea veniet. *Plato in phedone.*

Ideae intelliguntur, & non videntur, res autem videntur, non autem intelliguntur. *idem, de repub. dialog. 9.*

Idea & materia duo sunt principia, quae habent rationem patris, & matris. idea patris, materia matris, tertia verò esse ea, quae his nata sunt. *Timaeus Loc. de anim. mundi, & natura.*

Ideae comparantur ad Deum, vt ad lucem radij, vel splendores, caetera, vt vmbrae *Dionys. Areopag. de diu. nom.*

Idea ignis vbique est, ignem vbique genitura, non diuisa ne pereat, non extensa ne corporea fiat, non numerò multiplicata ne fiat innumerabilis, vna sufficit, vna est vbique tota. *Plotinus En. 6. lib. 5. cap. 8.* Ideae proprijssimas causas, & omnium abiectissimas, & abstractas continent effectiuas, & finales. *Syrianus in 12. metaph. cap 4.*

Ideae cùm à materia liberae sint non sunt obnoxiae conditionibus quibus obnoxiae sunt formae corporeae, quae propter dimensiones, & qualitates inter se distant, nec in vnum facile conciliari possunt, tum etiam propter materiam, si quo forte congregantur impetu, commiscentur tandem, & inuicem confunduntur, & vt ideae ab his conditionibus liberae sint. sic visibilium radiales species quoniam à materia longius distant quàm voces, odores, & sapores, nullo modo inuicem se confundunt, minus voces, minus odores, caetera minimè. *Fic. in Platonis Parmenidem, cap. 5.*

Idea vnaquaeque naturam quandam, ac vim habet propriam ab aliis reuera distinctam, & accipit nonnihil à caeteris, traditque vicissim, suntque coniunctae inuicem, tum praesentia, tum communione mirabili, & mirificè sua quadam proprietate disiunctae, coniunctae absque confusione, disiunctae absque disiunctione. *Ficin. in Platonis Parmenidem, cap. 5.* Ideae omnes inuicem quoquo modo motum participant idealem, & quatenus participant, in effectibus ipsis motus quoquomodo conspirant. *idem, ibid.*

Idea non tota cuique, sed pars per partes sui alijs alias rerum partibus affutura est. *Ficin. in Platonis Parmenid. cap. 18.*

Ideæ virtutem totam nulla nostrarum rerum capit, scilicet æternam illam efficacem, indiuiduam prorsus essentiã, vitam, intelligentiamque perfectam. *idem, ibid.*

Idea non potest per diuisionem in partes suas diuidi more quodam molis alicuius participati. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 19.* Ideæ speciésve illæ primæ non sunt steriles, sed fœcundæ, & longè fœcundiores quàm naturales qualitates, & formæ cœlestes. *Idem, ibid. cap. 29.*

Ideæ duas proprietates habere debent; primam, substantiam eminentem videlicet, neque commixtionem, communionémve naturæ, neque inclinationem vllam ad naturales formas habentem; secundam verò virtutem actionémque per vniuersum communicabilem, suáque passim munera, propria etiam, præsentia diffundentem, primam appellamus eminentiam, secundam communicabilem prouidentiam *Ficin in Platonis Parmenid. cap. 28.*

Ideæ superiores ideis inferioribus quodammodo præsunt. *idem, ibid. cap 30.*

Ideæ primæ quamplurimis ab anima nostra gradibus semotæ sunt, imò nec intellectus angelici illas ea perfectione definiunt, qua Deus ipse definit. *Fic. in Pla Parmen. cap. 31.* Idea quælibet in processibus suis quodammodo imitatur vniuersalem omnium ab ipso bono processum. *idem, ibid. cap 70.*

Ideæ vniuersales seniores sunt particularibus, coætaneæ autem specialissimæ, & vnaquæque suis proprijs coætanea *ibid. cap 73.*

Idea vnaquæque est vna quædam essentia, & ratio essentialis, sic est & aliquid, & certum vnum. *Ficin. in Plato. Parmenid. cap. 83.* Ideales formæ, siue genera sint, siue species, formaliter inuicem confundi non possunt, quod non solum oppositis commune est, sed etiam quibuslibet. *idem, in Plato. sophistam, cap. 34.* Ideæ neque sunt in subiecto, neque inuicem confunduntur, vt materiales formæ. *idem, in Platonis Timaeum, cap. 37.*

Idea quælibet differt ab intellectu ratione quadam intellectuali tantùm, ideæ verò inter se differunt ex natura rei, & ratione formali. *Fic. in Plotini En. 5. lib. 9. cap 8.*

Ideas necessarium est differre formali ratione, ne distinctio formarum & ordo in rebus proueniat ex materia, vel accidat ex fortuna, vel contingat ex diuersis agentibus fortuitò concurrentibus, as si Deus extra se libera voluntate agit more architecti & geometræ, rerum habet ideas. *idem, ibid. cap 9.*

Idearum diuersitas in Deo nil aliud est quàm diuina essentia diuersimodè à rebus, & illis quidem diuersis, imitabilis. *Gabriel Burat. llus de ideis, lib. 1.* Idea, & ideatum differunt; quia idea si secundum suum esse contemplatur in Deo, idem est quod Deus, ideatum verò res caduca, & mortalis est. *idem. ibid.* Idea triplex esse habet, virtuale, formale, & participatum. *idem, de ente, & vno, lib. 2.*

Ideæ à formis naturalibus differunt; quia illæ Deo naturaliter insunt, hæ in animis artificis partæ sunt; & formæ in artificibus, & à se inuicem, & ab illorum mente sunt distinctæ, in Deo verò minimè. *Iacob. Carp. in 2. digressione in Alcin.*

Idearum summa perfectio à rebus singulis separata est, earundem imago his cohæret, vel potius in his consistit. *idem, ibidem.*

Idea vt à veteribus instituta, & ab Aristotele impugnata.

Ideas tradiderunt nobis veteres philosophi, qui dijs propius habitabant, dicentes quod cum ex vno & multis omnia sint, quæ semper esse dicuntur, finem autem & infinitatem in se ipsis insitam habeant, oportet nos his ita ordinatis vnam semper ideam de omni re vbilibet ponentes quærere, insitam enim inuenturos esse. Si igitur apprehenderimus post vnam duas, si fortè sint, considerare, si minus, tres, aut aliquem alium numerum, & vnumquodque illorum quæ vnum sunt rursus eodem modo, donec cognoscat quis quod vnum illud ab initio non solum vnum est, & multa, & infinita, sed etiam quotum. at infiniti ideam non prius ad multitudinem adhibere, quàm quis numerum ipsius omnem cognoscat, qui est inter infinitum, & vnum. tunc verò iam vnumquodque ex omnibus in infinitum dimittere ac valere sinere. *Plato in philebo.*

Ideæ à Socrate, Platone, Parmenide, & Pythagoreis, nec iuxta locutionem consuetudinis neminum producebantur, vt Chrysippus & Archedemus, & plures Stoicorum posterius ponunt, nec eodem modo. Tenues ille vulgatissimæ vna cum intellectu subsistunt, vt dicebat Longinus, nec notiones sunt ideæ ipsæ, vt Cleantes posterius dixit, nec vt Antoninus permiscens Longini & Cleantis opinionem cum intellectu assistit secundum intellectuales ideas, nec definitiua ratio, nec materialis forma, & dissimbilis est idea, vt in his, & in alijs dicit Aristoteles putasse Socratem, sed sunt perfectæ simplices, inpartibiles, & singulares in specie, ingenerabiles, & immateriales, & quid mirandum, si quæ tantum à se mutuò distant, à se inuicem separamus, cùm neque Plutarchum, & Atticum, & Democritum Platonicos in hoc imitamur, qui animales rationes quæ in substantiæ animæ per secula sunt putant esse Ideas? nam & si separent ipsas à communionibus sensibilium, tamen non oportet in idem coniungere animæ rationes, & intellectum, qui vocatur materialis, sicut neq quod in pluribus, & in materialibus formis, & in opificis intellectionibus, sed vt inquit diuus Plato nostrum quidem est in vnum ratiocinatione colligere, & reminiscentiam esse eorum quę quandoque conspeximus coambulaores Deo, diuinum verò secundum eadem semper eodem modo se habere. *Syrian. in 12. metaphysic.*

Ideas ponentes non ad omnia esse aiunt, quia non malorum, nec turpium, sed potius priuatione, & absentia idearum hæc in natura sunt, nec negationum, quas præter naturam esse aiunt, nec sunt ideæ earum, quæ alias aliter se habent, nec partium quæcunque non etiam tota sunt ideas inquiunt, vt manus, capitis, nec priorum corporibus accidentium in intellectu determinatas causas ponunt dulcedinis scilicet & albedinis, nec compositorum, vt hominis sapientis, nec eorum quæ ex complexione dissimilium generum habent generationem ponendum esse Ideas, vt mulorum, nec eorum quæ à diuersis arboribus cognoscuntur, nec artium quæ naturam imitantur, & ad solius naturæ vtilitatem pertinent, nec operum quæ ex animæ proposito pendent, sed solùm animalium, & perfectarum substantiarum sunt ideæ, & eorum quæ conferunt ad naturalem harum substantiarum dispositionem, vt hominis, & si quid est hominis perfectiuum, sapientiæ scilicet & virtutis. *Syrian. 2. metaph. cap. 2.*

Ideas ait Aristoteles Platonem primò introduxisse, quod falsum est, nam & Pythagorici ante Platonem de ideis locuti sunt. *Georgius Gemistus de Plato & Aristotel. philosoph. diff. r. cap. 20.*

Ideas Aristoteles conatur ostendere à Platone poni synonymas, cùm ipse æquiuocas esse velit. *idem, ibid.*

Ideas Platonici seorsum ab intellectu, vel Deo, vt falso Peripatetici calumniantur, nunquam excogitarunt, sed in quodam intellectu diuino posuere ideas absoluta quadam ratione formaliter inter se distinctas. Platonici intellectum huiusmodi diuinum, nostri angelicum nominant. *Fic. in Dionys. Areopag. de diu. nomin.* Idearom amici semper fuerunt Plato & Pythagorici. *idem, in Plat. Parmenidem, cap 4.*

Idearum doctrina non est inuentum Platonis, sed longè antiquior. *Gab. Buratellus de ideis, lib. 1.* Ideam Plato posuit formam quandam æternam incorpoream, materia separatam. in Dei mente positam. *idem, ibid.* Ideas Auerroes de mente Arist. posuit, sed differt à Platone, quia Plato posuit eas in mense opificis actu, & in materia in potentia. Auerroes contrarium dicere videtur. *ibid.*

Idea Mineruæ nomine à poetis fingebatur. *Iac Carp. in 2. digressione in Alcin.* Ideas Plato posuit in diuina mente, & si Aristoteles de separatione idearum dixit, de alia separatione intelligendum est quèm à mente diuina. *idem, ibid.*

Ideas destruens principalis ratio apud Aristotelẽ est, quod absurdum arbitratur rerum earum quæ sunt essentiam in rebus ipsis non ponere, sed essentiæ imaginem tantùm, & in materia adumbratam imitationem, quamquam hæc imago materiata quædam est essentia, sed ab illa quæ est in Deo vel quæ potius est ipse Deus, tanquam à fonte profluens, quomodo non magis mirum est Deum omnia informare, etiam si singularum rerum propria forma non sit; quàm solem Dei filium, vt Plato appellat sexto de republica, animare inferiora hæc, eisdémque vitam dare, qui tamen nec anima est nec vita. *ibid.*

Ideas existimauerim posuisse Platonem esse rationes rerum inferiorum, quæ sunt in primo intellectu, quem eriam appellat mundum intelligibilem, ac causam exemplarem constituit, ac intellectum nostrum a sensu & phantasmatibus inferiorum sensilium excitari, vt ad rationem rerum conuertatur, quæ sunt in superioribus intellecti-

tellectibus, *Iac. Carp. in Alcin. ex 2. dign.* Ideas ponere oportet visum cùm à Deo cognoscantur, & horum cognitione non imminuitur maiestas diuina. *Idem, ibid.*

Ideas Plato voluit esse primum illud Chaldeorum patris, id est opificis mundani sensa, & meditata, posteriores ideas esse ipsas Dei voluntates, si addideris secundum significatum, vt sint rationes naturales, & vniuersales in natura, & in mentibus, & anima, rectum est, & idem ac primum ferè. vltimas autem ideas, vt Plato Arist. & Dionysius reiecerunt delectum in chaldaicis dogmatibus habẽtes, sic prorsus reiiciendæ sunt. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib. 1. cap. 15.*

Ideale quomodo nobis cognitum sit difficillimum est. *Fic. in Plato. Parmenidem, cap. 7.* Ideales rationes, & in conditoris sunt intellectu, & in ipsa anima mundi, & in vniuersali natura, & per officia supercœlestium deorum, & cœlestium perueniunt in materiam. *Idem ibid. cap 57.*

Idealis dominatio & seruitus non ad nos refertur sed inuicẽ. prima dico coniugatáque relatione, verumtamen consequenti quodam relationis modo ad nos quoque referri, quatenus omnia dominatio & seruitus tanquam effectus aliquis & imago dependet ex prima naturaliter dominandi & seruiendi ratione, per quam illa ad nostra cõsequenter, & nostra referuntur ad illa. *Fic. in Plat. Parmenidẽ, c. 30.* Idealis ipsa simpliciter scientia est in intellectu primo nil aliud quàm intelligentia, certáque sui ipsius omniúmque comprehensio. *idem, ibid. ca. 35.*

Idealis ipsa veritas, id est prima, omnisque essentia, naturáque ipsius boni lumine fulgens, est in intellectu primo, quo lumine & intelligentia spectat & cernit intelligibile suum; & hoc intelligibile, quod appellauimus veritatẽ seipsum offert & infert ipsi intelligentiæ penitus comprehendendum. *Fic. in Plat. Parmenidem, ca 31.* Idealis magnitudo, vel paruitas vel æqualitas, non potest vlla conditione corporea rebus adesse. *Idem, ibid. cap 90.*

Ideales similitudines & dissimilitudines supra multa similia extare probat Socrates, & quæ sub his sunt commisceri posse ipsas autem ideas inuicem nunquam confundi. & omnia ex vno & multitudine componi, ipsam verò multitudinem non esse ipsum vnum, neque vicissim. *Fic. in Platonis Parmenidem, cap. 3.* Idealis similitudo & dissimilitudo extat supra multa similia & dissimilia, & quę sub his sunt eadem oppositis commisceri possunt, ipsæ verò ideæ inuicem confunduntur nunquam. *idem, ibid.*

Idealis pulchritudo tanquam ad summam quandam vnitatem redacta, tam naturalibus, quàm artificiosis pulchritudinibus in corpora distributis ac dissipatis longè præstat. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.*

Ideales pulchritudines & in primo intellectu, & in anima mundi, longè tamen nobiliori atque excellentiori ratione in illo quàm in hac residere existimantur. *Idem, ibid.*

Idealis pulchritudo est ipsamet diuini intellectus pulchritudo, & cum diuina sapientia vna eadémque omnino esse videtur. *ibid.*

Idem, Identitas.

Idem & aliud duo sunt genera à tribus, id est eo quod est stabilitate, & motu alia, sed illis semper ex necessitate admista. *Plato in Sophista.* Idem & alia contraria inter se sunt, *in Parmenide.* Idem ab eodem non patitur. *in Timæo.*

Idem esse non oportet id quod fit, & illa ex quibus conficitur. *Plot. En. 1. lib. 6. cap 5.* Idem est particula Theologica, quæ significat animam. *Fic. in Plato. Alcibiadem 1.*

Idem & alterum minus inuicem opponuntur quam motus & status. & facilè misceri possunt; quod non potest accidere motui & statui. *Idem, in Platonis Sophistam, ca. 35.*

Idem, prius, & posterius, esse in diuersis generibus causarum non est inconueniens. *Gabriel Buratell. in de mundo, libro 7.*

Identitas est quædam in natura communio. *Ficinus in Plato. Parmenidem ca 69.* Identitas in sequentibus à primo subit alteritatem: nam regio sub luna mutationem in substantia iam motui cœlestium adhibet non permutanti substantiam, cælum localem circuitum adiungit vitali cœlestis animæ motui non locali; Anima temporalem discursum addit intelligentiæ non currenti. intellectua appetitum intelligentiæ adhibet enti nondum per se intelligentiam affectanti. *Idem, ibid.*

Idola, Idololatria.

Idolum est adumbratio quædam apparens potius quàm existens, ac dum fit protinus euanescens, & quod fit ab homine deterius est homine. *Iamb. de myst.*

Idola si quis fabricat ex multis materijs, & sub cœlestibus influxibus, tunc varietas illinc cœlestium actionum, hinc potentiarum materialium congregata, facit aliquid: sed actio hæc longè degenerat non solùm ab opificio diuino, sed etiam ab effectione naturali. *idem, ibid.*

Idolis fabricandis homo, cùm sit melior, & ex melioribus procreatus, non debet incumbere, quæ non sunt animata, sed ostentamento quodam vitæ sunt inflata, nec intima veráque; sed externa fictáque harmonia continentur, prorsus ad breue mansura, nec habent verum aliquid & legitimum, cùm sint solum arte humana conficta. *Iamb. de myst.*

Idolaris fabrica prodigiorum est omnino contemplatore homine indigna: qui enim hæc machinatur, siue eorum vilitatem cognoscens, delectatur tamen, similis illis euadit, siue colat vt deos, peccati reus est facto dictóque nefandi, nec lux vlla in animam diuina subrutilat, circa tenebrosa idolorum phantasmata occupatam. *Iamblichus de mysterijs.* Idolorum fabrica, cum Dei & dæmonis sit expers, neque vaticinium, neque sacrum opus aliquod affert. *idem, ibid.*

Idola cùm ait Plato non idem esse ac corpora, significat naturam quidem suam habere, sed non habere materiam. *Fic. in Plato. sophistam. cap. 36.*

Idolatria est idolorum seruitus, & est cùm cultus Deo debitus creaturæ datur, & eius adorandæ prophana institutio: sed variè inductus est: nam alij simulachra constituebant arte nepharia, quibus inesse nonnihil diuinitatis putabant, aliquibus effectibus commoti quos dæmon malignus se insinuans excitabat. alij non imaginibus, sed eis creaturis quorum erant imagines cultum exhibebant: & hi trifariam diuidebantur, alij homines deos putabant. sic Iupiter, sic Saturnus, sic Mercurius, vt dij crediti sunt fuere hi reges, qui vel ingenio, vel doctrina, vel artium inuentione inter populos excelluere. quo factum est vt vel ob admirationem virtutis, vel ob adulationem, siue ob suscepta beneficia, coli cœperunt, & defunctis eis erigi simulachra cœperunt, alij putarunt in cœlum conscendisse, & cognominatas stellas eorum animas haberi Iouem, Saturnum, &c. alij mundum, cuius animum Deum esse putabant, & omnes eius partes venerabantur, alij Deo primùm deinde secundis diis, tertiò cœlestium corporum animis cultum deberi existimabant. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænotione, lib. 4. cap. 4.*

Idolatria fuit error posteriorum sæculorum, & contra impetum naturæ, nam quò homines sunt rerum exordio propiores, & hoc meliores, & singularis optimi Dei colentiores. *August. Steuch. de perenni philosophia, lib 3. cap. 2.*

Idolatria nos ducit ad superstitionem. *idem, ibid. lib. 6. cap. 9.*

Iecur.

Iecur dij machinati sunt ad excitandam concupiscentiam animæ, & sedandam dulcedinem simul & amaritudinẽ: & ita institutum est, vt diuinationes quæ per somnium fiunt in ipso reluceant, propter lenitatem, soliditatem, & nitorem, in eo vim à mente manantem, refulgere putarunt. *Alcin. cap. 23.*

Iecur, iuxta Pythagoricorum opinionẽ ex certa soliditate, & pariter clara lenitate, sic contẽperatum est, vt speculi modò imagines rerum facilè accipiat & reddat. & vt vehemens grauidæ mulieris imaginatio in fœtu tenerrimo sæpe exprimit rei desideratæ notas, sic vehemẽs, vel mentis notio, vel sensus imaginatio, naturam iecoris specularem facillimè format. in hoc speculo dæmones superique futurorum effingunt imagines, quoties pacato prorsus animo aliunde illic imagines non pinguntur, itaque futurorum notæ speculo huic infusæ in mentem protinus imaginationémque resultant, sed illic sæpe imaginibus alijs adeo confunduntur, vt futura protendere nequeant, quando videlicet vel mens prudentiæ officiis occupata circa gubernanda distrahitur, vel imaginatio similibus negotijs occupatur, vbi verò rationis, imaginationisque vacat prudens, & continuata, & laboriosa discursio, sæpe imagines futurorum à superis in speculũ nostrum prosilientes, inde in iudicium manifestè resiliũt. verùm quid nam portendant discernere illius est officiũ, qui ab antecedentibus in consequentia prudenter sagacitérque discurrere consueuit. At verò discursio talis impedit vaticinium, vt merito alij sint, qui præuiderint, alij qui præuisa interpretantur & explicant. *Ficin. in Platonis Tim. cap. 45.*

Iecur in se, vt denso, leni, & nitido, quasdam habet imagines à vehementi quodam rationis & imaginationis actu pariter, & affectu, fermè vt à grauida fit in fœtu, sæpe etiam à dæmonibus illic ostenta fingentibus. *Ficin.*

in Platonis Timaeum, cap.67. Iecur calidum est & humidum. *Idem, in Plato. de republica, dial.8.ca.12.* Iecori addita est cōcupiscendi vis tanquam à ratione distantior, motus habitura erat rationi nunquam obtemperaturos, nisi Deus iecori hinc quidem dulcedinem propriam, inde amaritudinem fellis adbibuisset. *Idem, in Platonis Timaeum cap.67.* Iehoua Hebræis Æterni Dei nomen, idem atque qui est, significat. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib.5. cap.58.* Iehoua, & τὸ ὂν, idem est. *Idem, ibi. lib.3. cap 7.*

Ieiunium magnum ait Plutarchus cum Empedocle esse abstinere se à scelere; & cùm Deum colimus, à Venere, & vino abstineamus. *August. Steuch. de peren. philosophia, lib.10. cap.7.* Ieiunium à vitiis accedente habitu virtutis ex actu frequenti abstinentiæ, est via ad vitam. *Idem, ibid.*

Ignaui sunt qui in timore nimio educantur, & seruilem & abiectum semper animum habent. *Francis. Patric. de regno, lib.5 cap.1.*

Ignaui hominis est mentiri, & eius qui alios decipere vult, vel opinionem potius sequitur quam veritatem. *Idem, ibi. lib. 4. cap.1.*

Ignis quid est, vnde dictum fuerit, & quibus constat.

Ignis & aquæ voces πῦρ & ὕδωρ à barbaris Græci sumpsere. *Plato in Cratylo.*

Ignis, qui alia gignit & gubernat, ex latione & confricatione generatur. *in Theaeteto.*

Ignis per omnibus generibus ex minimis partibus constat, vnde per aquam, terram, & aerem, & ea quæ ea his constituuntur secedit, & nihil ipsum continere potest. *in Timaeo.*

Ignis est ratio quædam in materia prima, non fit à cōfrictu, & collisu corporum, sed ab anima vniuersali, & effectrix huius ignis est vita ignea & ignis occultus, qui supernè existit in alio mūdo: iste enim ignis est illius simulachrū. *Arist. Theol. Aegypt. lib 8. ca.1.*

Ignem gladio ne fodias, Pythagoræ symbolum. *Ficin. in Plato. phileb. lib.1.c.53.* Ignem calidum esse percipimus, quia diuidit vehementer, ita verò diuidit propter partium subtilitatem, & efficaciam virtutis, & motus impetum: quod significatur per figuram pyramidalem factam ex triangulis æquilateris, in quibus omnes anguli sunt acuti. *idem, in Platonis Timaeum, cap.53.*

Ignem deultans incidit in fumum, vt est in prouerbio. quod Proclo accidit: qui dum pietatem putat Deum æternum rerum corporearum declarare opificem, delapsus est in eam execrabilem sententiam, quod indigeat maiestas diuina rerum creatione; quasi, si mundum aboleret, non possit maiestas diuina consistere. *Augustin. Steuch. de perenni philosophia lib. 7. cap. 5.*

Ignis per vires.

Igne cœlesti si corrumpitur aliqua pars terræ, qui in montibus & altis & siccis locis habitant, magis pereunt quàm hi qui ad flumina & mare habitant: & Ægyptiis Nilus liberator est. *Plat. in Timae.* Igne quod separatum est videri non potest *idem, ibid.* Ignis cùm in aliud genus agit, vbi id in ignis naturam abiit non amplius secatur; nam simile & idem, non vnumquodque genus, neque aliquam mutationē inducere potest, neq; aliquid pati ab eo quod secundum eadem & similiter se habet, quandiu verò ad aliud quid accedit, & minus est, ac cum præstantiore pugnat, dissolui non desinit. *ibid.*

Ignis, cùm ab aere, vel aqua, aut terra aliqua comprehenditur, & in multis modicis mouetur, & in ipsis dum feruntur reluctatur, & superatus fractus fuerit, duo ignis corpora in vnam aeris speciem constantur. *Plat. in Timaeo.*

Ignis genera multa facta sunt velut flāma, & quid à flamma descendit, & non quidē vrit, sed lucem exhibet oculis, & quod flamma extincta de ipsis in ignitis corporibus relinquitur. *idem, ibid.* Ignis quia tenuissimus est, per omnia permeat, aer per alia præter ignem, aqua per terram. *Timaeus Locrus de mundi anima, & natura.* Ignem heri, & igniri differunt: nam igniri alio fit, in quo contingit pati, quod enim pars est ignis igniri nō potest. *Plo. En 3. l.6. c.15.*

Ignis proprior natura est lux quàm calor, propterea diuinior, quia illa citius agit, quia latius se diffundit, & quia non remanet post ignem, sed tanquam igni maximè propria, nullique permixta suum vbique sequitur ignem. & quia ignis quo magis alienæ soliditati miscetur, feruet magis, lucet minus, & quatenus in puritatem propriam restituitur, vrit minus, lucet magis, ideo cœlum est ignis, quod lucet actu, calet virtute. *Ficinus Platonica Theologia lib. 16. ca. 6.*

Ignis natura distantia illuminat, propinqua calefacit. *Ficin. in Plotini En.6. lib.7. cap 25.*

Ignis radius duas habet vires, vna vrit, illuminat altera, sic Dei radius calore purgat mentes & animas ab inferioribúsque secernit, luce illustrat, caloris feruore inflammat omnium inflammat & incitat appetitum, lucet fulgore, appetentibus omnibus veritatis exhibet claritatem. *Idem, in Pla. phileb. li.1. ca.16.*

Ignem quanto maiorem quantitatē habet, tanto grauiorem esse putat Plato, contra Aristoteles tanto leuiorem. *Lo. Carp. in Alc. r.15.* Igneaius est quæ membra corporis nostri mouere potest. *idem, ibid.* Ignis actiua & formalis natura est. *Leo. Heb. de Am. dial.3.*

Ignis, vt elementaris, & cœlestis.

Ignis elementis omnibus corporibus pulchrior, & omnium subtilissimus, quasi incorporeæ naturæ propinquus, & solus non suscipit alia, cùm alia ipsum capiant, & cætera ab hoc coloris speciem accipiunt. *Plot. En. 1 lib.6. cap 3* Ignis in sua sede collocatus multiplicationem suam vndiq; quæreret, ad superiora nequit ascendere, nihil enim superius extat, ad inferiora ferri natura non patitur, reliquum est, vt ductu facilis fit in amplum, tractuque naturali ab anima perducatur ad vitam, ideóque in pulchra regione, videlicet in ipsa anima nunc eatur. *idem, En.5. lib.8. cap.3.*

Ignis cœlestis æqualis est, & quietus, naturæ astrorum accōmodatus. *Plot. En.2. lib.1. cap 4.* ignis cœlestis partim in stellis distributus est varia ratione, in quibus tam colorū, quam magnitudinum differentia discrepat, partim in reliquo cœlo simili ratione viget, & si oculis non apparet propter corporis tenuitatem perspicuitatémque aspectui non resistentem, vt in aere puro contingit; accedit ad hęc interuallis etiam longitudo *idem, ibid. en. cap 7.* Ignis elementaris scilicet potissima actio est calefactio *ibid. cap. 8.*

Ignis cœlestis cùm lumen præbeat purissimum, & ipse in se de sublimi resideat, & ibi naturaliter habitet, non est putandum nostram hanc flammam superioribus esse permixtam, sed ad certum spatium percurrentem prorsus extingui atere quamplurimo occurrente, & procedente, sæpe cum terra deorsum præcipitari, cùm superius trāscendere nequeat, sed subsideat infra lunā, vbi aerem extenuat proximum, ac si maneat ibi flāma, certè facta subtilior euadit, & mitior, splendorémque habet, non quoad feruorem spectat, sed quatenus a superiori lumine perlustratur. *Plot. En.2. lib 1. cap.7.*

Ignis non quiescit postquam proprium locum consequutus fuerit, quia ipsa natura ignis est in motu versari, & nisi volvatur, distractus in rectum protinus dissipabitur, restat vt agitetur in orbem. at verò id tā est prouidentiæ munus nam & ipse ignis in seipso est ab ipsa prouidentia positus: quapropter si ibi fiat, ex se circulariter reuoluitur, aut forsan si rectū cupit motum, vbi non habeat vltra locum ad quē feratur, necessariò quasi circulabens, quibus in lo cis potest reuoluitur. nullus enim huic vltra se ipsum patet locus, hic namq; est locus extremus, imò currit in sede quam possidet. & ipse suipsius est locus sic institutus, non vt maneat, sed vt feratur. *Plot. in En 2. lib. 2. cap 1.* Ignis calor innatus species est aliqua, & actus ignis non qualitas. *id m, En. 2 lib 6. cap.3.*

Ignem Pythagorici volunt vt materiarū omnium principē medium mundi obtinere, quē Iouis custodē appellant: per hunc moueri circūactas in gyrum tanquā stellas terram, & ἀντίχθονα, vel aliquanto verisimilius medietatē mundi adhærentē quiescere terrā. *Chalcid. in Plat. Tim.* Ignis ita petit naturaliter ambitu sphæræ, vt nunquā naturaliter petat centrū terra ita petit centrū, vt nunquam naturaliter petat mediū *i c in Plat. Timaeum. c.53.* Ignis aere duplo subtilior est, triplo mobilior, quadruplo acutior *idem, ibid.* Ignis ad terram analogia quadam, id est rationis similitudine, atque proportione comparabilis apparet; nā vt se habet subtilitas ignis ad crassitiem terræ, sic ignis acumen ad obtusitatem terræ, & sic mobilitas ignis ad immobilitatem terræ. *ibid.*

Ignem ac terram Deum in principio creasse ait Plato, idē ac Moyses: cùm ignem pro cœlo accipiat. *Ficinus in Plato. Timaeum cap.54.* Ignis ipsius, qui in idea est, dicimusq; cum Heraclito & Empedocle intellectuale lumen, in cœlo quidem visibile lumen ad oculos conicere, sub cœlo in æthere puram ipsius & innoxiam vigere flammam: in terra verò carbonem in aspera materia combureotem. *idem, ibid.*

Ignis natura in cœlo præbet sensibile lumen, vinificum colorem, & motum promptissimum. Terræ natura largitur solidam & firmam stabilitatem, stellis densitudinē qua videri possunt, & Lunæ qua radios repellat Solares. Aeris

natura perspicuam præstat qualitatem, quam nominant sranslucentem. Aquæ natura affert delicatissimam & æquabilissimam lenitatem, & quod maximum est ipsia sphera rura labiis quibus se contingant inserere virtutem illam frigoris & humoris, per quam fiat vt quamuis ex velocissimo motu rapidissimè & vehementissimè se consingant, æstus tamen illic resolutióque non accidat. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 24.*

Ignem & aerem moueri in circulum ostendis circuitos cometarum *Fic in Plat. Timæum, cap. 25.* Igni ideo Plato tribuit pyramidalem figuram, quia tenois, & ad incisionem præ cæteris apta, ex paucioribúsque triangulis constituta, ideo omnium leuissima figurarum. *idem, ibid. cap. 40.*

Ignis & terra quia per solidam, id est trinam & absolusam distantiam, inter se discrepant, duobus saltem mediis elementis quibos conciliantur indiguerunt *ibid. cap. 26.*

Ignis naturalis nostri corporis seruorem exercet potissimũ in vitali spiritu, lucem verò in animali. *Ficin. in Plat. Tim. cap. 30.* Ignis cõuersus in aerem duplo euadit angustior, aer in aquam fermè similiter. *id. in. ibid. cap. 43.* Ignis portio inuadit aeris portionem, vt sibi reddat similem. hæc si ad reluctandum debilis est, vel confugit ad elementum suum, vel in ignem conuersa locum ignis petit, nec iã ab igne patitur, & sic de aliis elementis eadem est ratio. *ibid. cap. 44.* Igni conuenit pyramis facies babens quatuor. *ibid. cap. 45.*

Ignis quantu efficacior est elementis cæteris, & igne cœlũ, tantò efficaciores sunt in cœlo spiritus, qui vel viuificãt, vel mooent cœlum, vel viuificantium & muocntiũ sunt consortes. *Fic. in Plat. de legib. dial. 5.* Ignis cœlestis est solus, purúsque ignis, neque vim patiens neque inferens, mirificè lucens, sed super aspectum suauissimè calens, si quo modo tangatur *idem, in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 3.* Ignis sublunaris comburens non est ignis purus, sed ignitum potius elementum: qui sanè quod facilius quàm alia generetur, generétque, & amplificet semesipsum, & longissimè luceat, & ad se omnia trahat, & nascator vbique, totum habet à cœlo quod viget vbique *ibid.*

Ignis cœlestis præcipua actio est, quæ præcipuam actionem cœlestis animæ refert, id est intelligentiam, eiusmodi verò illuminatio est. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 8.*

Ignis cœlestis non solum dici potest calidus, sed insuper humidus, id est liquidus, floidus, agilis, atque lubricus & lenis, & blandus. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 6.* Ignis elemẽtalis ab igne cœlesti prouenit, hic multum differt ab illo: nam illo nihil perseuerantius, hoc nil mutabilius, qui vix momentum sine alieno pabolo permanet: nihil salobrius illo, nihil pestilentius isto, qui omnia rapacissimè deuorat: ille totus est lumen. hic fumus. *ibid. cap. 51.*

Ignes quod accendantur in alto non prouenit ab æstu cœli, sed forsan ex aeris illius angustia, in quo calor ex calore & cœli motu, leuiter primum accensus, euadit pauld acrior angustia loci, cui cùm se applicat subtilis vapor, & siccus, atque sulphureus, fit feruor longè vebementior in vapore, vbi ex motu vaporum concutiente calor intenditur: & plus est ibi luminis quàm caloris. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 9. cap. 15.* Ignis inter corpora proximus est animæ, quoniam efficacissimus nobilissimúsque est. *idem, in Plotinum En. 3. lib. 5. cap. 5.*

Ignis sub cœlo inter inferiora perfectius est, & maximè est in actu, quod ex efficacia formæ apparet, & ex motu perpetuo. & quoniam non tolerat mixtionem, quoniam verò materiam habet sub actu, nec eo contensam, non est semper. *Ficin. in Plotini En. 3. lib. 9. cap. 4.* Igni maximè conuenit, sicut corpori conuenit, circolo ferri, cùm à terra distantissimus sit, etiam per naturam sicut terra est semper immobilis ita ille semper mobilis; &, si semper mobilis, ergo in orbem *idem, in Plat. Tim. cap. 25.*

Ignis ad agendum efficacissimus, ad patiendum ineptissimus est, ideo nunquam putrere potest: terra contra. *Iac. Carp in Alc. cap. 12.* Ignem cùm animaduerteret Empedocles efficacissimum esse, ideo tria reliqua elementa illi opposuit, vt his coniunctis ad resistendum vis maior inesset, sicque quatuor elementis pro duobus visus est. *idem, in Alcinoi, cap. 14.* Ignis elementom antiquis obscurum atque incognitum fuit. *Leo Heb. de Amor. dial. 2.*

Ignis vt est apud nos.

Ignem deorum donum aliis demissum cum Promethen, & veteres nobis præstantiores, & diis propius babitantes, per famam tradiderunt. *Plat. in Philebo.* Ignis particularis, qui apud nos est, regitur ab igne vniuersi, & sic de omnibus quæ apud nos sunt *idem, ibid.* Ignis, & omnia quę apud nos sunt elementa, sunt exigua & debilia, quæ verò in vniuerso sunt, admiranda & pulchra sunt *ibid.*

Ignem calidum dicimus considerantes disparationem & sectionem ipsius circa corpus nostrum Nam quòd acuta quædam sit affectio omnes ferè sentimus: angulorum verò tenuitatem, & laterum acumen, & partium paruitatem, & motionis celeritatem. quibus omnibus vehemens est & secandi vi præditus: quidquid occurrit semper celeriter secat, ratione expendere oportet reuocando in memoriam figuræ ipsius ortum, nam illa & non alia natura disparans, & in tenues partes secans corpora nostra, hanc affectionem, & hanc appellationem, quam nunc calidam dicimus, meritò induxit. *Plat. in Tim.* Igne si quis materiam ex agro expurgans vicini agrum non vitauerit, mulcta prout magistratibus visum fuerit mulctetur. *idem, de legib. dial. 8.*

Ignis dicitur tripliciter, vel pruna vel flamma, vel splẽdor. pruna est ignis in materia terrea spiritali quadam babitudine peruadens totas vsque extremitates. flamma est id, quod è fomite fertur in sublimia, splendor, qui à flamma emittitur, oculos adiuuans ad percipienda visibilia. *Philo, quòd mundus sit incorruptibilis.*

Ignis qui apud nos est. putatur mixtionibus impatiens: apud nos nescio qoid crassum habet. *Fic. in Plato Parmen. cap. 17.*

Ignem Prometheus ex officina Minervæ & Vulcani vt artium instrumentum accepit, ac hominibus sradidit. *in Plat. Protagoram.* Ignis aquam non fugit odio aquæ, sed sui ipsius amore, ne ab aquæ frigore extinguatur. *in Plat. conuiuium or. 3 cap. 4.*

Igne ac aqua prouidentia Dei magis vtitur ad amplissimũ exitiom rerum, quia per exitium factum ab his duobus sequitur maius bonum, id est fœcundior rerum regeneratio quàm per aeris pestes, ac per terræ hiatus, cui prouidentiæ sic rotæ cœlestes inde rectè obtemperãt, vt quibus temporum interuallis exitium, imò reformationem, fore Deus instituit, iisdem planetæ omnes ad astra vel ignea, vel aquea, stellis quoque fixis ad idem conducentibus, ritè concurrant. *Fic. in Plat. Tim. cap. 5.*

Ignis est omnium efficacissimus, aqua efficacior terra, & minus patibilis aere, & ignem diuidere poteoter, & penetrare, aquam vndique valde percutere: ideo per hęc duo elementa vastiores calamitates accidere. *Fic. in Pla. Tim. cap. 5.* Ignis largitur calorem calefacto post ignem ad tempos seruante calore, lumen verd largitur nulli, vt potè sibi proprium, siquidem abeunte igne simul abit & lumen *idem, ibid. cap. 25.*

Ignem antiqui verebantur extinguere, ne naturæ cœlitus viuæ vim viderentur inferre. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 5. cap. 3.*

Ignis hic noster, edacitate quadam omnem subito materiã deuorat, mox inde luxurians euomit flammam, quasi seruorem, qua etiam consumit obiecta, & cùm ob naturam suam tenuem, amplificabilem, & mobilem, inter aliena positus atque permistus facilè dispergatur, ne mox inserat, natura sibi tributum est, vt facilè propinquantia deuoret At ne tanquam potentissimus omnia perdat, datum est vicissim vt facilè extinguatur, & ne desit mundo materia tam nobilis, factum est vt omnium facillimè recreetur, citòque ex minimis excrescat in amplum. *Idem, ibid. cap. 4.* Ignis rubet in materia crassa, pallet in media, in tenuissima nitet. *ibid. cap. 7.*

Ignorantia.

Ignorantia est falsa opinari: scientia est vera opinari. *Plat. in Theæt.* Ignorantia nil aliud est quàm desipientia dũ ad veritatem anima contendis, & intelligentia aberrat. *in Soph.* Ignorantiæ duo sunt genera, vt docendi ars; nam alia est ignorantia quæ nescit & se scire putat, alia quæ nescit & illi quæ cum nesciat, & se scire putat, opponitur redargutoria disciplina, huic autem eruditio suffragatur. *ibid.* Ignorantia est in causa vt aliquid mirum videatur. *de regno.*

Ignorantes seipsos secundum tria necesse est hanc affectionem pati, primò secundùm pecunias opulentiorẽ se putare. quàm reuera est. secundò, quæ circa corpus sunt excellenter babere supra quàm res est tertiò, seipsos præstantiores putantes quam non sint, & horũ pars robur & potentiam habent, pars non, hi ridiculi, illi horrendi, fortes, & hostes. *Plat. in Phileb.* Ignorantia malũ est, & quem stolidiorem habitum dicimus. *ibid.* Ignorantia potentiũ ac fortiũ hostilis est. ac turpis, nociua enim est vicinis tum ipsa, tũ quæcunque sunt ipsius imagines. *ibid.*

Ignorantia, quæ nesciens putat scire, malorum est causa, & probrosa est imperitia *Plat. in Alcib. 1.* Ignorantia optimi malum est & malorum bona. *in Alcib. 2.* Ignorãtia hominibus malorum causa est, propter hanc non intelligi-

mus nos ipsos &; facere, & quod extremum est precari nobis ipsis pessima, quod nemo putare potest, sed ad hoc quiuis se esse idoneum putat, vt optima, & non pessima sibi ipsi precetur. *ibid.*

Ignorantis pœna est vt discat à sciente. *Plat. de rep. dial. 1.* Ignorãtia est ipsius quod non est, scientia ipsius quod est: in medio est opinio *idem. ibid. dial. 5.* Ignorantia & insipiẽtia sunt habitus, animæ euacuationes. *ibid. dial. 9.* Ignorantia est destructio humanarum rerum. *de legib. dial. 3.*

Ignorantiæ pestis omnem terram subuertit, & animã corrumpit corporis vinculis inclusam, nec sinit eam salutis iter asciscere. *Merc. Trismegist. Pimander, cap. 7.* Ignorantia humana prouenit, quia non ducimur ad discendum nisi sensu, & animum & intelligentias sensu percipere nõ possumus. *Arist. Theo. Aegypt. lib. 15. cap. 20.*

Ignorantia fit propter irrationalis potentiæ dominatũ, cognitio propter rationalis imperium. *Proc. in Alcib. 1.* Ignoramus nos ipsos, quoniam obliuione benefica occupati sumus, atque irrationalium specierum vitæ perturbatione perculsi, existimamus autem in terra cognoscere multa quæ ignoramus, quoniam essentiæ nostræ innatas rerum rationes habemus. *idem, ibid.*

Ignorantia leue malum est quod mutis obrepit, facilè remedium habet disciplinam scilicet. *Philo, de sacrificiis Abel & Caini.* Ignorantia peccans meretur veniam, malitia qui peccat, excusationem non habet. *idem, in flaccum.*

Ignorantia est, per quam circa rerum veritatem sibimet animus ipse mentitur. *Fic. in Plat. de rep. dial. 2.*

Ignorantia illa animum reddit indocilem, qua cùm quis ignorat se scire putat. *in Plat. de pul. hro.* Ignorantia bonorum atque iustorum damnum est perniciosissimum. *in Plat. Phadr. cap. 36.* Ignorantiam & opinionẽ tribuit Plato plebeis & sophistis, scientiam duntaxat philosophis. *in Plato. de rep. hisca, dial. 5.*

Ignorãtia vel literarum propriè, vel artis cuiusdam ad externorum quorundam à nobis alienorum, vel ignorantia boni, quæ ignorantia boni destruit ciuitatem. *Fic. in Plat. de legibus dial. 3.* Ignorantes à Platone vocantur, qui nesciunt ita animum suum temperare, vt rationis suæ tanquam reginæ legibus sensus quasi populus legitime educatus obediat adeo vt non alia prosequatur & fugiat, nec aliis aliterue gaudeat atque doleat, quàm rationis instituta præscribant, & si ingeniosissimi & eruditissimi sint. *idem, ibid.*

Ignorare qui se rem quampiam fatetur, rem ipsam nõ prorsus ignorat, eo ipso enim se carere scit, at quæ nullo modo sciuntur, non possunt interim quodammodo sciri. *Fic. in Plat. Charm. idem.*

Ignorantia cohibet arrogantiam. *M. Ant. Nat. de pulchra, lib. 5.* Ignorantia voluntaria aut inuoluntaria: voluntaria est fæditas animi, inuoluntaria non est timenda quia non ei inest culpa. *idem, ibid.*

Illiberale nihil faciendum periculi euitandi gratia. *Plat. in Apologia.*

Illuminatio dicenda potius est quam motus infusio illa, quę in mentes inferiores à superioribus & angelicis transit. *Fic. in Plat. Theol. lib. 9. cap. 4.*

Imaginatio.

Imaginatio & sensus idem sunt in causis, & in omnibus huiuscemodi. *Plato. in Theæteto.*

Imaginatio est sensus & opinionis permixtio. *in sophist.*

Imaginatio est, cum in anima non per seipsam, sed per sensum affuerit opinionis affectio. *ibid.*

Imaginationes variæ secundum singulas humorum corporis qualitates excitantur, & qui agit hac imaginatione nõ computatur liberè agere, sed ille qui per mentem a passionibus corporis agit liberè agit. *Plot. En. 6. Lib. 8. cap. 3.*

Imaginatio sese voluntat circa corporum imagines per sensus acceptas, sensus verò circa corpora. *Fic. Plat. Theologia lib. 8 cap 5.*

Imaginatio febris spiritus febris vibrat, id est cholericos, sicut imaginatio coitus seminales spiritus ad genitalia membra. *idem, ibid lib. 3. cap. 4.*

Imaginatio non semper indiget ad actionem præsentia corporum, qua necessariũ sensus eget, sed corporeas quasdam in agendo sequitur conditiones, & actionem nobilem & multiplicem habet. *Fic. in Dionys. Areopag. de trinitate.*

Imaginationis sensus ad intelligentiæ principia confert, vlterius obest, sic actio rationi cum ad intelligibilia per eam consequutus fuerit posthabenda est. *idem, ibid*

Imaginatio vna paucioribus actibus efficit quotcunque sensus multi actibus multis efficiunt. *ibid.*

Imaginatio qua vtimur & viuimus quamplurimum intelligentiæ notationes assiduè sensibilium imaginibus induit. quocirca cognitioni nostræ non tam nuda, quàm vestita accommodata videntur, ergo induunt sapientes nimiò sensibilibus quidem intelligibilia, his verò diuina. *Fic. in Dionysio Areopag. de diuinis nominib.*

Imaginatio, vt se versat circa imaginanda, sic ratio circa excogitanda *idem, ibid.*

Imaginatio hilaris sequitur sanguineam corporis affectionem, cholericam iracunda, melancholicam tristis, fæcundam luxuriosa. & hactenus procedit necessitas. at ratio imaginatione superior, cuius est ratiocinatio, consilium, & electio, potest & probare & reprobare eiusmodi vitæ descriptionem. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.*

Imaginatio medium appellatur, nam est medium inter rationalia nostra & irrationalia, & quasi medium vtrinque imagines accipit *Fic. in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 11.*

Imaginatio est intelligentiæ imago confusa. *idem. in Plat. En. 1. lib. 1 cap 2.*

Imaginatio duplex, alia in anima rationali, discursionis & iudicij compos, rationi quodammodo similis, altera ab hac impressa in anima, seu vita, in nobis ratione carente, quæ non tam discursione vtitur, quàm fertur instinctu quantuis intimo, sed circa corporis passiones & quæ tanquam communis sensus principium est sensuum reliquorum. *Idem, in Plot. En. 3. lib 6 cap. 5.*

Imaginatio quorsum se conuertit illuc ratio se diuertit ab intellectu, & vtràque non descendendo solùm, sed amando qui amor est ascendendi principium, atque post casum etiam permanendi, sed intellectus interea se seruauit immotum. *Fic in Plot. En. 4. lib. 3 cap. 51.* Imaginationes in nobis duæ sunt, vna in vita irrationali, quę est summum sensuum, alia in vita rationali quæ est infimum cogitationũ. *Idem, ibid, cap. 23.* Imaginationis actus cùm sit rationi propinquus, & eius sit particeps, in capiteque sit, ideo ratio capiti tribuitur. *ibid.* Imaginatio cognoscit quæ sunt in anima, idest sensuum actus. *in Pl. 1. En. 5. lib. 3 cap. 1.* Imaginatio imaginatur in se, ni ratione imaginari se percipit. *in Plot. En. 6. lib. 2 cap 22.*

Imaginatio à Græcis *φαντασία* dicitur, & nomen ex officio sortita est, ea imaginibus scilicet, quas concipit & effingit in se, quæ aduehuntur in eam per quinque sensuum instrumenta visum, auditum, tactum olfactum, & gustũ, rerum quæ forinsecus sunt similitudines speciésque seges imaginatiuum voceremus. *Io. Fran. Pic. Mir. de imaginatione, cap. 1.* Imaginatio de sensu est. *idem, ibid.*

Imaginatio ab opinione, ratione, & intellectione separatur, nam vtitur anima virtute phantastica ad concipiendum & proponendũ intellectui sensibilium rerum tantùm similitudines, vtitur ratione ad inquirendum de eis arbitrandúmq; quæ à corporeis sequestrantur, vtitur intellectu ad contemplanda intelligibilia, non à materia modò sed ab omni materiæ similitudine abiuncta. opinatur anima, cùm ex contrarijs ratiocinationibus anxia deligit in vtram partem sibi vergendum sit, vt veri notitiam consequatur. imaginari impossibilia possumus, opinari non. Brutis datum est vt imaginationibus polleant, solus verò ex omnibus animantibus homo ratiocinatur, opinatur, intelligit. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de imagin. cap. 2.*

Imaginatio in medio sensus posita est & intellectus: nã intellectum præcedit, sensum sequitur. intellectui conuenit, quia vagatur libera, & nulli rei addicta est. præcellit qui particularia tantũ cõcipit intellectus. præter hæc vniuersalia, & ab omni materia defæcata, in fædus verò superiorum viriũ venit, quoniam sine imaginatione nec ratiocinari, nec scire, nec intelligere anima corpori alligata potest. *Io. Franc. Pic. Mir. de imaginatione, cap. 3.*

Imaginatio est motus is animę, quem sensus in actu positus parit. *Ioan. Fran Pic. Mir. de imaginatione, c. 4.* Imaginatio est vis animæ, quæ formas ex se promit, omnibus viribus potestas adnata, effingens omnes rerum similitudines, & aliarum virium impressiones, in alias transmutans, potentia assimilandi cætera in se ipsam. *idem, ibid.* Imaginatio, licet sit necessaria, bruta tamen est & recti iudicij expers. nisi superiori potentiæ adiuta ei obediẽs beat, & nõ obedientes damnat. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de imaginatione c. 6*

Imaginatio fallax homini incommodorum est causa, necnon falsarum opinionum in philosophia, nec non Christiana vita labefactatur à falsa imaginatione, à qua etiam hæreses ortum accepere. *Idem, ibid. c. 7.*

Imaginatio præter Deum omnium causam ab ipsa temperatura, à rebus sensu perceptis quibus afficimur, ab arbi-

trio

trio nostro, à bonorum malorúmque angelorum ministerio dependet. nam vt quisque sanguine, pituita, bile, atra, vel rubra abundat, sic & eius imaginatio huiusmodi naturam sequitur. *Io. Franc. Pic. Mir. de imaginatione, c.8.* Imaginationis morbi contrariis affectionibus curandi, si ob temperaturam calidam, infrigidam curandum; si ex vsibus & affectibus in contrarios affectus flectere oportet; si fluxa imaginatio, paucæ imagines quærendæ. *Idem, ibid. cap.9.*

Imaginationis fallaciis, quæ à nostro pendent arbitrio, ratio medetur. *Io. Franc. Pic. Mir. de imagin. cap. 10.* Imaginatio maximum incommodum parit, cùm ob id tristamur, quod cum sit factum fieri nequit vt non sit factum ingenuè enim perferre oportet quod factum est, & quod necessario etiam tutum est. *Idem, ibidem.*

Imaginationis in homine duplex gradus, humanus videlicet & brutalis, sed fidei lumen ambobus auxiliatur. *ibid. cap.12.*

Imaginationis officium est recipere solùm, seruare, & componere corporalia, vt res corporeæ sunt & nullo modo ferre iudicium. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænot. lib.2. c.5.* Imaginationes omnes & opiniones veras esse opinatus est Protagoras, sed non in vniuersum, particulatim tantummodo. quoniam veritas earum esset in rerum numero, quæ ad aliud referuntur quare omne quod mihi videtur verbi causa, apud me ita est. vnde & exclamauit, omnium rerum mensura est homo & eorum quæ sunt vt sunt, & eorum quæ non sunt vt non sunt. *Idem, in exam. van. doct. gent. lib.2. cap.5.* Imaginatio falsa rectæ veræque rationi nullum vnquam impedimentum debet afferre. *Leo Heb. de Amore. dial.3.*

Imago.

Imago, & res non penitus eadem esse debet. *Plat. in Cratyla.*

Imago neque ipsum hoc in quo facta est ipsius est sed alterius cuiusdam semper fertur simulachrum, propterea in altero quodam fieri conuenit, ita vt essentiam quodammodo vsurpet, aut ipsa penitus nihil sit *in Timæo.*

Imago omnis naturæ constans tandiu est, quandiu manet exemplar. *Plotin. En.5. lib.8. cap.12.* Imaginabilia non sunt extrinsecus, quamuis sint quædam externorum, vt ita dixerim, assimilamenta, sensibilia vero sunt externa circa hæc hi sensus, nõ circa passione instrumentorũ, tametsi vna cum eiusmodi passionibus ipse sensus species quę sunt in corporibus, percipit. *Priscianus in Theophrastum, cap.2.*

Imagines apparentes sunt substantiæ quædam quorundam simulachrorum, machinatione quadam dæmoniaca fabricatæ, atrem & vmbræ huiusmodi naturam habent, sunt enim figurarum & corporũ imagines, & compassionem, & concussionem cũ ipsis habent. *Procl. in rep. Plat. ex Mar. Fic. epist. lib.12.* Imaginibus non vtor, sed medicamentis ad cælum temperatis. *Fic. de vit. cælit. compar. lib.3. cap.5.*

Imaginibus Arabes antiquiores crucem describebant, quod & Ægyptij etiam comprobauere ante Christum. *Fic. de vit. cælit. compar. lib.3. c.18.* Imagines in rem distantem vim vllam habere non satis intelligo. habere verò in astantem non nullã suspicor: nõ tamen talem opinor, qualẽ pleriq; fingunt, & hanc ratione materiæ potius, quàm figuræ, & longo interuallo medicinæ ante pono. *Idem, ibid. c.20.*

Imago & si repræsentandi officio fungitur, nihil tamen eiusdem naturæ conseruare videtur. *Fic. in Plot. En.1. lib.2. cap.1.* Imagines rerum non vult Plato in corpore fingi, neque in animo ab externis obiectis effingi sed vel ex natura sua habere illas animum, vel occasione ab externis motibus corporisque passionibus sumpta, in seipsum sua vi formas rationésque concipere. *Idem in Plat. Theætet.*

Imagines variæ in omnibus faciebus signorum falsissimæ sunt, & ab astrologis cæteris præter quam Arabibus, & Latinis qui eos secuti sunt, fabulosæ existimantur. *Ioan. Pic. Mir. in Astrolog. lib.8. cap.6.*

Imaginum Astrologicarum superstitio reiicienda est. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænotio. lib.7. cap.10.*

Imber exprimitur, cùm inter se vrgentur nubium densitates, totque diuersitatibus pluuiæ caduot quot modis aer nubium conditionibus cogitur. *L. Apul. de Mundo.*

Imitatio, Imitator.

Imitationis duæ sunt species, alia assimilandi ars vt pictor, alia simulachra faciendi, & hæc alia assimilandi, alia faciendi spectra. *Plat. in sophista.* Imitatio effectio quædam est simulachrorum, non ipsarum rerum singularium. *ibid.* Imitatio quæ cum opinione fit, imitatio opinionis appelletur, quæ cum scientia, scientiæ, & historica quædam imitatio. *ibid.* Imitatores alij scientes imitantur, alij ignorantes. *ibid.*

Imitator opinionis duplicem quandam laminam habet: nam alter fatuus est, putans se scire quæ opinatur, alterius autem figura propter volutationem in sermonibus multam suspicionem & timorem habet. quod ignoret ea, quæ erga alios se scire simulat. ideo alterum simplicem imitatorem, alium simulantem imitatorem ponemus, & hunc alium publicè & longis sermonibus ad multitudinẽ vti, alium priuatim & breuibus sermonibus cogere, vt is eum quo disputat contraria dicat. primus popularis dicitur secundus sophista. *Plat. in sophista.*

Imitatio si à pueris perseueret, in mores & naturam transit, & in corpore, & in vocibus, & in mente. *Plato de republic. dial.3.* Imitari rectè vnum multa non potest, non ergo memorabili quiuis studio aliquo incumbit, & multa imitabitur, & imitando præstabit; quandoquidem neque duas, quæ inter se vicinæ imitationes sunt, iidem simul imitari possunt, vt qui Comœdiam & Tragœdiam faciunt. *ibidem.* Imitatores qui sunt, præstigiatores sunt. *de rep. dial.10.*

Imitatores si cognoscerent ea quæ sunt, non ponerent studium in simulacrorum opificium, & hoc sibi velut optimum in vita propositum magis cuperet laudari, quàm laudare. *Plat. de rep. dial. 10.* Imitator alicuius rei nec scit, nec rectè opinatur de iis quæ imitatur, quo ad pulchritudinem, aut prauitatem attinet *ibid.* Imitator est ignarus vt imitator de vnoquoque quomodo prauum sit, aut bonum, sed vt apparet, quod pulchrum esse plerisque, & nihil scientibus videtur, hoc imitabitur. *ibid.* Imitatoria vilis est, dum cum vili parte animæ conuersatur, & talia gignit. *ibidem.*

Imitatoria gens, ea in quibus educata est & facilimè, & optimè imitabitur: quæ verò ab omni educatione aliena est ei vt benè imitetur difficilè quidem est in operibus, adhuc verò difficilius in sermonibus. *Plato in Timæo.*

Imitatio omnis voluptate & opinione non vera minimè iudicatur æqualitas: non enim si cui videtur, aut si quis aliqua re gaudeat, æquale æquale, aut moderatum moderatum fuerit. id veritate omnium maximè, minimè verò quocunque alio. *Idem, de legibus, dial.2.*

Imitandi sunt omnes boni, non vnus aliquis, nec omnibus in rebus. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de imitatione.* Imitatores à Platone, vel inani vel nullo verius titulo notatos fuisse constat, vt qui proprio digni nomine non habeantur. *idem, ibidem.* Imitatione nihil magis Virgilio verti solet, nam omnia veterum poetarum imitatione vsus est *ibid.*

Imitationi aliquorum antiqui nulli studebant egregij viri, vt in eorum verba, circuitus, membra iurarent, quasi semper infantes carpebant, quantum satis esset ad phrasim vel constituendam, vel ornandam. *Io. Franc. Pic. Mir. de imitatione.*

Imitandi sunt qui magis placent, non tamen, vt peiores eligamus vt simiæ. *Idem ibid.*

Imitãdi vim atque sensum ac æmulatione quadam mixtam cupiditatem natura omnibus hominibus tribuit, quæ sedari & opprimi ratione potest, euelli prorsus extirparique non potest. *Pet. Bemb. de imitat. ad Picum.*

Imitatio ab exemplo petenda est, & nil aliud est imitari, quàm alieni stili similitudinem in tua scripta transferre, & eadem temperatione vti qua est vsus quem imitandum proponis. *Idem, ibid.*

Imitatio, vt ait Cicero, est illa qua impellimur cum diligenti ratione vt aliquorum similes in dicendo esse valeamus. *Pet. Bemb. de imitatione, ad Picum.*

Imitari multos oratione qui vult, eius oratio dispar & inconstans erit. *idem, ibid.*

Imitandus in prosa solum Cicero, in Heroicis carminibus Virgilius. *ibid.*

Imitatio mediocrium auctorum impedimento est ad bonorum imitationem. *Pet. Bemb. de imitat. ad Picum.*

Imitemur oportet eum quem anteire maximè cupimus. *Idem, ibid.*

Imitandum proponere debemus animum optimum, & sic imitemur vt assequi contendamus, & nostra contentio id respiciat, vt quem assecuti fuerimus etiam prætereamus. *Ibidem.*

Immemor eorum quæ dicta sunt, non est dignus reliqua audire. *Plat. de repub. dial.6.*

Immobile aliquid est, & omnia nõ mouentur, ne omnia quiescunt, sunt enim aliqua quæ mouentur; nec alia semper quiescunt alia semper mouentur, sunt. n. aliqua quæ aliquando mouentur aliqua quæ aliquando quiescunt, est

namque quod & æterno mouetur, & quod æterno immobile est. *Procl. elem. phys. proposit.* 19.

Immoderatum est in maximis proportionibus. *Plat. in Tim.*

Immortale, Immortalitas.

Immortale interitus expers est. *Plat. in phædone.* Immortalitatem omnes homines amant, & ob eam adipiscendam omnia aspernantur. qui anima fœcundi sunt, egregia facta operantur vt immortales euadant, & prudentiam, & reliquam virtutem concipiāt: qui corporibus fœcundi sunt, ad mulieres se conuertunt, & generationi liberorum student, immortalitatem sibi comparantes. *Idem, in Symp.*

Immortalitate se priuat qui filios, & vxorem negligit. *Plat. de legib. dial.* 4.

Immortalitas est essentia viuens, & sempiterna perseuerantia. *Speusippus in Plat. definitionibus.* Immortalitas duobus intelligitur modis, aut quia non est mortis capax, aut quia procuratione alterius à morte defenditur. *Macrob. in som. Scip. lib.* 2.

Immortale quod est, impatibile est, alteri quoddam ipsius impartiens, ipsum ab alio nihil accipiens, nisi quorum à superioribus acceperit quicquam à quibus præstantioribus nihil segregatur. *Plot. En.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2.

Immortalitas Dei, alia est ab angeli immortalitate, & ab animæ hominis: prima infinita à nullo pendet, aliæ ab illa pendent; ita vt nisi ab ipsa sustinerentur, in nihilum redigerentur. *Ia. Franc. Pic. Mirand. in exam. van. gent. lib.* 5. *cap.* 8.

Immortale est quod vitam semper participat. *Proc. elem. Theol.* 105. Immortale omne æternum, non autem omne æternū immortale. *Idem, ibid.* Immortale est, quod mortem suscipere non potest. *ibid.*

Immortalia procreationis auxilio minimè indigere videntur. *Leo Hebr. de Amor. dialog.* 3. Immortalitatem appetentes eam veluti rem, quæ etsi difficillimè, aliqua tamen ratione ipsis contingere possit, expetere videtur. *Idem, ibid.*

Immortalitatis corporum desiderium homini infusum, etsi vanum esse videtur, certo tamen cuidam stabilique innititur fundamento. *ibid.*

Impatientia turbat animum, præterita bona delet, præsentia inficit, futura impedit. *Ficin. epist. lib.* 1. Impatientia sola facit vt aduersa, quæ ad externa & corpus tantùm pertinere possunt, in animum quoque pertranseant. *Idem, ibid. lib.* 5.

Imparticipabile omne producit à seipso participantia, & omnes participatæ substantiæ in imparticipabiles existentias reducuntur. *Procl. elem. Theol. prop.* 23. Imparticipabile omne duplices producit participatorum ordines, hūc quidem in his quæ aliquando participant, illum verò in his quæ semper & connatè participant. *Idem, ibid. prop.* 63.

Imparticipabile omne, quà imparticipabile est, hoc ab alia causa non substat, sed ipsum principium est & causa participatorum omnium ad quæ ita principium omne in vnaquaque serie ingenitum est *ibid. prop.* 99.

Impartibilium quę sunt incontinuo, quod inter vtrunque est continuum est. *Proc. elem. phil. prop.* 3. Impartibilia duo nullum faciunt continuum. *Idem, ibid. pr.* 2.

Impartibilia duo non sunt sibi mutua deinceps. *ibid. pr.* 4.

Impartibile omne in quanto immobile est per se. *ibidem, prop.* 31.

Impartibile quod est æquale sibi, non mouetur *ibidem, proposit.* 32.

Impartibile necessariò est quod ex seipso fit, & quod propriè facit & gignit incorporeum est. *Ficin. in Plat. Phileb. lib.* 1. *cap.* 18.

Imperia, Imperatoria ars.

Imperatoriæ scientiæ cognitio alia versatur circa animata facienda, alia circa inanima. *Plat. de regno.* Imperatoria scientia semper circa animata potestatem habet. *idem, ibi.*

Imperatoriæ scientiæ cognitio quæ circa animata versatur, alia circa vnius educationem, alia circa communis gregis pecorum curam versatur: non enim circa curam vnius & hæc multarum armentaria gregaria, vt communis pastio, vocatur. *ibid.*

Imperia & magistratus non sunt à Diis precanda, nam ipsi videmus quicunque imperium militare Athenis affectarunt, & ipsum consecuti sunt, partim exules ab hac ciuitate fuerunt, partim perierunt: & qui rem optimè gerere putati sunt, per multa pericula & metus progressi non solùm in hoc militari imperio, sed domum reuersi à sycophantarum calumniis obsidionem perferentes non minorem quam ab hostibus, vitam transegerunt, vt quidam ipsorum optent potius ab imperio alienos fuisse quàm imperium gessisse. *Plato in Alcibiade* 2.

Imperatores postquam venatu ceperunt ciuitatem aut exercitum, ciuilibus viris tradunt; ipsi enim vti non possunt his, quæ ceperunt, vt coturnicum venatores, coturnices altoribus tradunt.

Imperatoria ars est venatoria quædam ars hominum. *Plat. in Euthydem.*

Imperandi dignitates septem, tum in magnis & paruis vrbibus, tum in priuatis ædibus sunt eodem modo prima, vt parentes imperent liberis, vt generosi ignobilibus, vt seniores iunioribus, vt domini seruis, vt potentior inferiori, vt sapiens ignoranti, & cui sors fauet imperet, cui nō fauet sit subditus. *Idem, de legib. dialog.* 3.

Imperandi modus vtilis est qui ex tribus fuerit temperatus: non enim vel optimatum, vel popularis imperii solos & meros status vtiles arbitratur Plato. *Apule. de dogm. Plato. libr.* 3. Imperare bene nihil difficilius est: initia enim principatus faciliora sunt quo ad populi fauorem sibi concilient, sed vbi potiti rerum sunt, sæuitia & libidine omnia pessundant. *Fran. Patr. de rep. lib.* 1. *cap.* 1. Imperare perpetuò in libera ciuitate odiosum est, & plures magistratus in eodem tempore gerere iniquum est. *Idem, ibid. cap.* 6.

Imperare nemini præstat, Bruti sententia est, quàm alicui seruire. *Franc. Patric. de rep. lib* 6. *cap.* 5. Imperatori eloquentia necessaria est, & historiarum cognitio: nil enim nouum, nil admirabile, nil inauditum accidere potest imperatori, qui optimè historias callet. *Idem, de rep. lib.* 9. *cap.* 2. Imperatore optimo nihil difficilius inueniri potest. *ibid.* Imperatoriæ virtutes sunt labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo. *ibid.* Imperatore melius est vti peregrino, & perito, quam ciue imperito. *ibid.*

Imperator nemini secretum suum credat. *Franc. Patric. de rep. lib.* 9. *cap.* 3. Imperare bene nil difficilius. *Idem, in proœmio. de regno.* Imperare iustè nemo diuturno tempore potest nisi cui deus imperium permiserit. *de regno, libr.* 1. *cap.* 11.

Imperare bene hominibus est omnium actionum humanarum difficillima. *ibid. cap.* 12. Imperans aliis non verbis aut verberibus sæuire debet, sed tolerando, mulcendoque homines in suam sententiam. *lib.* 7. *cap.* 13.

Imperfectius quanto imperfectius est, tanto pauciorum est causa. *Procl. elem. Theol. prop.* 25.

Imperfecta quæ per se non sunt, dependent à perfectis quæ per se sunt. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6.

Imperfectum quodlibet in omni genere reducendum est ad perfectum aliquid in eodem genere positum, per quod reducatur ad perfectum aliquid supra genus. *Idem, in Plot. En.* 4. *lib.* 3. *cap.* 2.

Imperfecti quicquid rationem habet in his quæ sunt, duplici capite definire possumus: alterum est, cum quid in re est quod in genere illius rei minus perfectum est: alterū, cùm perfectum suo quidem in genere est, sed ideo nō simpliciter perfectum, quoniam vnius tantùm generis perfectionem habet, & multa sunt extra ipsum genera suis perfectionibus honestata, quæ in illo clauduntur. *Ia. Pic. Mir. de vno, & ente. cap.* 5.

Imperitia ignorantia est, quæ nescit id quod scire putat. *Plat. in sophista.* Imperitia est falli rebus *in Euthydem.* Imperitiæ signum maius est dissentire à sapientibus. *de mendacio.*

Imperitia est habere falsam opinionem, & de rebus quantiuis pretii falsum esse. *in protag.* Imperitia nil aliud est, quàm cum homo sciat iocundum bonum esse, & sciens alia meliora non esse, illa facit, cùm meliora facere possit, neque inferiorem seipso esse. & si superiorem seipso, nil aliud quam sapientia. *ibid.* Imperitiam suam vnusquisque sapientiam putat: vnde cum nihil, vt ita dicam, sciamus, omnia nos scire putamus. quum autem aliis facere non permittamus quę ipsi nescimus, ipsi facientes peccare cogimur: quapropter nimium sui amorem quemuis hominem fugere oportet. *de leg. dial.* 5.

Imperium stabiliunt plurimùm maiestas, grauitas, beneficentia, maiestas parit reuerentiam, grauitas metum, beneficentia beneuolentiam: quæ egregie subditos continent in officio. *Phil. Iud. de præmiis & pœnis.*

Impii.

Impii frustra multùm laboris circa Deos insumunt, at piis omnis labor opportunus est. *Plat. de leg. dial.* 4. Impii quicunque efferati facti fuerint, ita vt ad hoc quòd Deos esse non putant, aut negligentes, aut placabiles, etiam homines

nes contemnant, & multorum viuentium animas dilaniant, mortuos autem se consolari asserant, & polliceantur se sacrificiis, præcationibus, incantationum prestigiis Deos demulcere, & hoc modo priuatos, & totas domos, & ciuitates pecuniarum gratia ab eaecratione eximere aggrediantur, horum quicunque condemnatus fuerit, eum iudicium secundum legem puniat, vt in mediterraneo carcere vinciatur, & nemo ipsum ex liberis hominibus vnquam accedat, sed constitutum à lege custodibus alimentum de seruis accipiat, qui etiam mortuum eatra fines insepultum eiiciant, si quis liber sepeliuerit, à quouis volente impietatis accusetur. quod si filios reliquerit reipublicæ idoneos, hi qui pupillorum curam habent, etiam horum velut pupillorum curam gerant, nun minus quam aliorum ab ea die qua pater condemnatus est. *Idem, de legibus, dial.* 10.

Impij præ dementia, & absque praua ira & affectione iudex in castigationis carcerem ea lege sancita mittat, vt in eo maneant non infra quinque annos, in hoc tempore nemo alius ex ciuibus cum ipsis conuersetur, præterquam nocturni collegij sodales, admonitionis gratia & ob animæ salutem colloquentes. postquam verò vinculorum tempus exactum fuerit, si quis ad modestiam deueuisse videatur cum modestis habitet; sin minus, & rursus talis criminis reus condemnetur, morte plectatur. *Plato de legibus, dial.* 10.

Impij in sex genera diuiduntur. & non æquali nec simili pœna opus habent. Nam qui Deos esse non putant, his iustus affectus ex natura accedere potest, vt & malos odio habeant, & eo quod iniustitiam grauiter ferunt, nec tales actiones facere admittant, & iniustos fugiant & iustos ament: quibus ad eam opinionem quòd diis omnia deserta sunt, voluptatum & dolorum incontinentiæ accesserint, & memoria excellens, & in disciplinis acumen affuerit, quod Deos esse non putant communis est affectio, sed aliorum hominum detrimento, hæc plura illa pauciora mala perpetrabit Alteri enim de diis dicendi libertate pleni fuerint, & circa sacrificia, & iusiurandum & vt qui alios derident fortasse etiam alios tales efficient nisi puniantur. Alteri in eadem opinione sunt vt illi. sed fortunati appellantur, & dolo ac insidiis pleni, ex quibus multi vates fiunt, & qui circa omne præstigiarum genus versantur, ea ipsis fiunt Tyranni, concionatores, eaercituum duces, & qui priuatis sacrorum mysteriis, & qui sophistæ appellantur, artibus insidias struunt. Horum multæ species erunt. sed duæ legum latione dignæ. quarum ea quæ derisoria est. non vna nec gemina morte digna peccat; altera admonitione, & vinculis opus habet. eodem modo & Deos negligentes esse putare, alia duo genera parit, & piacabiles putare alia duo. *Plat. de leg. dial.* 10.

Impius si quis sit aut verbis aut factis, is qui adest Deos defendat, & ad magistratus referat. magistratus si non puniat sit ipse impius. si condemnatus fuerit, vinculis omnes coerceant. *Plat. de leg. dial.* 10. Impiorum lex communis sit: nemo templa in priuatis ædibus habeat: vbi alicui sacrificare placuerit, ad publica sacrificaturus accedat; & vtriusque sexus sacerdotibus victimas in manus tradat qui purè harum rerum curam gerant: præces autem simul fundat, & ipse, & quicunque cum eo precari volet. *Idem, ibid.*

Impium delictum non puerile, sed virile si quis compertus fuerit admisisse, siue in priuatis. siue in publicis templis, quibuscunque Diis sacrificia fecerit, velut qui quum non purus sit sacrificet, morte plectatur. *Plato de legibus, dialog.* 10. Impietas omnibus peccatis mixta est. & est inde a omnium malorum, & fructum præstat his qui ea detinentur amarissimum. *Idem, epist.* 7. Impio scelere polluti homines sanari non possunt, nec impietatem quis eluere potest. *epist.* 8.

Impietas sub se comprehendit vltra sacrilegium cætera multa in deorum contemptum siue cogitata, sio e dicta, siue facta, & commissa pariter & permissa, atque etiam prætermissa, ad impietatem quoque pertinet & familiaritas, & communio omnis seu in cibis, seu verbis cum iis inita, qui ob nefaria scelera arcentur à sacris, qui & contaminati cęteros quoque vel ipsa propinquitate contaminant. *Fic. in Plat. de legib. dial.* 10.

Impietas laniat animam *Merc. Trismeg. Pimander. cap.* 10.

Impium æque est totaliter tollere religionem, & ea cœlo fatali quadam necessitate eam ducere *Io. Pic. Mir. in Astrologiam lib.* 1. *cap.* 5. Impiorum vltores maximas gratias à Deo ac hominibus promerent. *Franc. Patric. de regno, lib.* 8. *cap.* 15. Impiorum pœnas, præmium bonorum, ita scribit Plutarchus, vt admirationi esse debet. *August. Steuch. de peren. phi. lib.* 10 *cap.* 26.

Impossibile nullius boni particeps iudicatur. *Fic. epist. lib.* 2.

Improbi, Improbitas.

Improbi in anima sentiunt dissentire opiniones à cupiditatibus, & iram à voluptatibus, & rationem à doloribus. *Plat. in sophista.* Improbitatis omnis affectio contrario modo se habet dicto oraculo, nosce teipsum. *in philebo.* Improbitas nunquam & virtutem & seipsam cognoscere potest. *de repub. dial.* 4. Improbitas omnis, iniustitia, intemperantia, timiditas, & imperitia, est animæ partium turbatio & error. *ibid. dial.* 4.

Improbitatis prouincia terra est. *Mer. Trismeg. Pimander. ca.* 9.

Improbus iniuriam infert, non accipit; infert ob improbitatem quam habet non accipit, quia cùm boni expers sit, bono priuari non potest. *Max. Tyrius ser.* 2. Improbus non potest probè detrimentum inferre. *Idem, ibid.*

Improbos quæcunque agit inuoluntariè agit: nam cùm iustitia inuoluntaria sit, multo magis iniuste agere inuoluntarium erit, quo deterior est operatio ipsa vitij quàm eius habitus ociosus; & quamuis scelera sint inuoluntaria, punienda tamen sunt differentibus pœnis, prout differunt damna. *Alcin. cap.* 27. Improbitas ad miseriam satis est nam qui iniuriam facit miser est, non in quem cadit. *August. Steuch. de peren. phi. lib.* 7. *cap.* 7.

Impudentia est habitus animæ, infamiam lucri causa subiens. *Speusip. in Platon. definitionibus.*

Impuri sunt qui vel disciplinas nunquam gustarunt vel eas perperam, non rectè, acceperunt. sapientiæ pulchritudinem dehonestando in speciem sophistices. *Philo. quòd omnis probus liber.*

Inæqualibus æqualia inæqualia fiunt, si tum mensuram accipiunt. *Plato de legib. dial.* 6. Inæqualia alia commensurabilia sunt, alia incommensurabilia, vt diameter lateri non ita commensurabilis existimatur. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap.* 71. Inæqualitas est causa per quam hoc inuadit, & agit in illas id est qualitatis dissimilitudo, & virtutis excessus. *Idem, in Plat. Timaeum, cap.* 46.

In aliquo aliquid esse, & non contineri ab ipso, impossibile est. *Plato in Parmenide.*

Inane nec esse aliquid, nec esse potuisse, nec futurum vnquam, nam omnia mundi sunt membra plenissima. *Apul. Asclepius.*

Inanimata quæ sunt in mundo, omnino aliorum sunt instrumenta, & quasi ab extrinseco impelluntur ad actionem. *Plot. En.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. Inanimatum aliquid esse in viuente soluitur aliud aliter in toto viuere, & nos negamus in toto viuere, quod inter hæc non manifestè per se moueri nobis apparet, & si tale clam viuit, & ex hoc componitur quod manifestè viuit. *Idem, En.* 4. *lib.* 4. *cap.* 36.

Incessus est actus quidam ex potentia circa pedes. *Plot. En.* 6. *lib.* 3. *cap.* 23

Inclinationis momentum exiguum satis efficit, vt rectum transgrediamur. *Plot. En.* 3. *lib.* 3. *cap.* 4. Inclinatio nulla ad motum potest esse amplior quàm motor. *Fic. epist. lib.* 2.

Inclinationes omnes & motus in mundo per propria bona ad commune totius bonum conferunt præcipua intentione naturæ. *Idem, in Plat. Phileb. lib* 1. *cap.* 20.

Incorporea nobiliora sunt corporeis; in quibus verum est, in corporeis verò veri vmbra *M. Ant. Nat. de pulchro. lib.* 1.

Incolæ officium est & peregrini scire se solùm esse, honorare omnes, aliena via attingere, non tractare. *Mar. Fic. epist. lib.* 3.

Incomposita sunt, quæ semper secundum eadem, & similiter se habent, quæ vero alias aliter, & nunquam secundum eadem, composita sunt. *Plat. in phædone.*

Incontinentia est affectio trahens ad ea, quæ iniucunda videntur, præter rectæ rationis iudicium. *Speusip. de Plat. definitionib.*

Incontinens aliquando emendatur, intemperans vix vnquam ad rationis viam reducitur. *Franc. Patric. de regno, lib.* 6 *cap.* 21.

Incontinenti vel falso vno dato multa sequuntur. *Plat. in Cratylo.*

Incorporeum.

Incorporea cùm pulchra sunt, & maxima, non possunt ostendi clarè alio modo quàm ratione. *Plato in dialog. de regno.*

Incorporeum est mens & ratio sese complectens libera ab omni corporis mole, ab errore aliena impassibilis, intangibilis, ipsa sibi assistens, purgans & seruans omnia, cuius radij sunt bonum, veritas, principale lumen

& prima animarum forma. *Merc. Trismegisti Pimander. cap. 2.*

Incorporea corporum obstaculo disiungi non possunt, non igitur loco distant, sed alteritate potius, & differentia quadam. *Plot. En. 6. lib. 9. cap* 8.

Incorporeum nullum est in loco, *Porph. de occasionibus.* Incorporea secundum se cùm sint præstantiora corpore omni & loco, sunt vbique non distanti quidem, sed indiuidua quadam conditione, nec per substantiam, vel essentiã corporibus adsunt, non enim corporibus miscentur, sed ex ipsa inclinatione, quasi momento vis quædam subsistit inde communicata iam propinqua corporibus, & ipsa inclinatio secundam quandam vim substituit corporibus iam propinquam. *Idem, ibid.*

Incorporea alia sunt essentia, alia non essentia, alia ante corpora, alia cum corporibus, alia à corporibus separata, alia non separata, alia item secundum se subsistentia, alia aliis vt sint indigentia, alia denique actionibus & vitis ex se mobilibus eadem, alia vitis, & qualibus actionibus, quodammodo permutata, nempe secundum negationem eorum, quæ ipsa non sunt, non secundum assistentiam eorum quæ sunt appellantur. *Por. de occasio.* Incorporeum esse potest vbicunque & quomodocunque vult, nec id natura corporea impedit *idem, ibid.*

Incorporeum si quando in corpore comprehenditur, non opus est vt ita includatur vt in septo feræ clauduntur, nullum enim corpus potest ipsum sic cohibere, sed oportet ipsum substituere vires ab ipsa in seipsum vnione extra manantes, quibus descendens corpori applicatur, itaque copula eius ad corpus per ineffabilem quandam sui ipsius impletur extensionem: quamobrem non aliud quidem nullum ipsum alligat, sed ipsum certè seipsum, nec resoluit ipsum corpus cum frangitur, aut interit, sed ipsum potius semetipsum enodat, quando à familiari erga subiectum affectione diuertit. *Porph. de occasionibus.*

Incorporeum nec pati à corpore fingi potest. *Michael Psel. de dæmonib.* Incorporeum est omne quod in se conuertitur. *Proc. elem. Theol. prop.* 15. Incorporeum patitur propter communionem ad corpus, eo modo quo possunt agere corporea ob incorporeorum participationem. *Idem, ibid. prop.* 80. Incorporeum omne per se natum est agere. *Ibid.*

Incorporeum omne ad se conuersiuum existens ab aliis participatum separabiliter participatur. *ibid. prop.* 82.

Incorporei terminus propius est corpus materia immensum est & interminatum: euadit autem sensibile, cùm intellectibilis consortio limitatum est. *Plutarch. Platonicæ quæstiones.* Incorporeis rebus à corpore separatis vel separabilibus Theophrastus ait nec passionem nec mutationem accidere posse, & ab externis passiones incidunt. *Priscian. in Theoph. de phantasia & intel. cap.* 8.

Incorporeæ essentiæ ad efficiendum & mouendum inducitur, quicquid efficiens & mouens est aliorum incorporearum autem essentiarum aliæ cum corporibus diuiduntur, vt qualitates, & formæ materiales, quæ & aliunde mouentur, & aliud mouent, aliæ se à naturalium rerum diuisione sequestrant, qualis est substantia, quæ à seipsa mouetur, nec in aliis, sed in seipsa consistit, atque in omnium concretione corporis vacat: à qua prima corporibus omnis mouendi ratio præstatur, diximus animam esse corpore antiquiorem. *Bess. Card. in calumn. Plat. lib.* 2. *cap.* 7.

Incorporea species est quædam per se existens, supra corpora, cuius officium est vt agat tantùm & non patiatur, vt corporis opus est vt patiatur tantùm & non agat, qualitatis autẽ quæ in corpore vt patiatur quia in corpore est, nam cum eo diuiditur & interit. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. ca.* 18. Incorpoream rem appellat Plotinus illam, quæ vel nullam in sua ratione quantitatem includit, quamuis intrinsecus eam accipere valeat, hæc est materia, vel materiã prorsus excludit. hæc est mens & anima *Idem, in Plot. En.* 3. *lib. 6. in summa. li.* 1. Incorporeum, quod èst in corpore, siue circa corpus, quale lumen existit, ab incorporeo fit quod in seipso consistit. *Idem, Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. cap.* 7.

Incorruptibile id est, cui est aliquod malum quod prauum facere potest, vt tamen illum perdere non possit. *Plato de republ. dial.* 10.

Incredulitatis robur legibus nocet. *Plat. de leg. dial.* 8.

Incrementum vel decrementum fit, vbi forma nõ variatur, & tamen aliqua intrinsecus fit mutatio. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 8. cap.* 4.

Indefinitum quod est, non est vbique contemnendum, nec quod in ipsa sui notione informe est, si modò superioribus & optimis sit præfuturum, vt anima suapte natura ad intellectum & rationem se habet, quę ab his formatur, & in speciem producitur meliorem. *Plot. En. 2. lib. 4. cap.* 3.

In Deo cuncta modo quam perfectissimo inueniri oportet, & illi vniri, & sibi inuicem perfectissimè. *Fic. Platon. Theol. lib. 5. cap.* 11. In Deo nec est intelligentia sui nec aliorum, si intelligentia est cognitio quædam eiusmodi habens conditiones: primam quidem, vt vna cum stabilitate habeat nonnihil simile motioni: secundam, vt vna cum identitate admittat & differentiam: tertiam, vt simul componendo discernat: quartam, vt naturam cuius actus intelligentia est sit in se difformis, dum est intellectus, intelligibile, intellectio: quintam, vt sit etiam omniformis, si modo per hanc intelligentia sit omnia perceptura, perceptionem varietate plenam in Deo Plotinus negat, simplicem certitudinem & claritatem, & lucem non negat, & actionem & prouidentiam à bonitate differentem, & foras declinantem negat, sed interea omnia illinc effici vult, prouidéque disponi, *Idem, in Plot. En.* 6. *lib. 7. cap.* 39.

Indorum sapientes nominati sunt Gimnosophistæ: qui quadam generis successione in studio religionis & sapientiæ procedebant, Brachmanes nominati sunt: qui verò idem electione tantum profitebantur, Samanei; quorum vitã Bardesanes Babylonius latè describit. *Por. de sapient. antiquis qui vitam præsentem spe futura contemnebant.* Indi philosophi absque diuina regula, & hac à Deo monstrata, non posse quicquam nec priuatim, nec publicè rectè, felicitérque vnquam administrare posse, existimabant. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 7.

Indicium appello haustum & receptionem sensilis formæ, quo res ipsa indicatur altiori potestate. *Io. Franc. Pic. Mir. de ex. van. doct. gent. lib. 5. cap.* 2.

Indigenæ officium est patriam vt patris patrem, matrisque matrem colere, & quando cum peregrinis aliquid est agendum, se quandoque peregrinaturum existimare. *Fic. epist. lib.* 3.

Indigentia est bonorum diminutio. *Speus. in Plat. definition.*

Indigenti benefacere misericordis est officium merenti autem iusti. *Fic. in epist. lib.* 1. Indigentiam explere nil aliud est quàm id quo indigeas assequi *Idem, de voluptate, cap.* 4.

Indigentia est libido inexplebilis, vel cupiditas immoderata. *Franc. Patric. de regno, lib. 4. cap.* 6.

Iudicia.

Iudiciis aliqua permittenda sunt, aliqua non. *Pla. de leg. dia.* 9.

Iudicia cùm praua sunt & muta, quæ iudicia sua occultant, & clandestina iudicia faciunt, est afflictio vniuersæ ciuitati magna: sed adhuc grauior, cùm neque tacent, sed tumultuantur, velut cùm theatra plena sunt, & clamore laudant, & vituperant vtrunque rhetorem, & ex parte iudicant, talibus ex necessitate permittet magistratus, vt de exiguis pœnas imponant, at in qua iudices boni sunt ipsis mulcta permittat. *Idem, ibid.*

Iudicium dicitur virgo pudoris, at mendacium & pudori & iudicio odiosum est. *Plat. de legib. dial.* 12. Iudicium accedere si quis per vim aliquem prohibuerit, siue ipsum, siue testes, siue seruum, siue suum, siue alterius, imperfectum & irritum fit iudicium. si verò liberum, & imperfectum sit iudicium, in vincula per annum coniiciatur. *Idem, ibid.*

Iudicium multitudinis fidem nobis non facit vbi contra stat ratio & consensus doctorum. *Ioan. Picus Mirand. proœmio in Astrologiam.*

Indiuiduum id est, quod simplex est, impartibile, liquidum, & vnius formæ. quod compositorum diuiduorum, & temere huc illuc iactatorũ contagione sui nonnullã coercet frequentiam atque ad vnam habitudinem redigit affinitate. *Plutar. de am. creat.* Indiuiduorũ nõ est sciẽtia, vt demõstrationes & definitiones declarant. *Syrian. in* 13. *met. ca.* 7.

Indiuiduorum multiplicatio est, vt species conseruetur, cũ in vno indiuiduo conseruari nequeat, *Bess. Card. in calumniatorem Pla. li. 3. cap.* 19. Indiuiduum quod dicit Plato, ea quo procreauit Deus animam mundi, continet in se quod neq; secundum locum secatur in partem extra partem, neque secundum tempus diffluit in posterius. per primum appellatur idem. per secundum status, & stabile. *Fic. in Plat. Timæum. cap.* 32. Indiuidua non modo habent ideas in Deo cognitionis, imitationis, actu, factione, sed etiam existentia. *Gabr. Buratellus de ide is, lib. primo.*

Indiuisibile non esse potest corporis qualitas. *Ficin. Pla. Theolog. lib. 8. cap.* 3.

Indiuisibile non aliter quàm per indiuisibile potest attingi: intellectus verò cùm attingit indiuidua, indiuiduus est, & vbi separatis se coniungit, est à corpore separatus, & cùm coniuncta separat, maximè separatum se esse declarat. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 7. cap.* 8.

Indo-

Indocilitas est tardites ad discendum. *Speusip. in Plat. definitionibus.*

Indoctus esse non potest, qui se doctum credit. *Ioannes Picus Mirandulanus in Apologia.*

Indolentia est habitus, quo in dolores nunquam incidimus. *Speusippus in Plat. definitionib.*

In dolio figulina prouerbium est. *Plat. in Lachete.*

Inductio.

Inductio est transitus ab vno problemate vel theoremate in aliud, quo cognito aut comparato propositum quoque perspicuum est. *Procl. in Eucl. lib. 3. com. 5.*

Inductio est omnis per rationes processus, qui vel à simili transit in simile, vel à singulis in communia; & hæc argumentatio ad excitandas naturales intelligentias summopere confert. *Alcin. cap. 5.*

Inductio rationis ad scientiam conferens est veri rationis discursus. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 7.* Inductio etsi nobis sit manifestior demonstratione, est tamen in se imperfectior cùm idem quasi per idem declaret. *Idem, ibid.*

Inductionis conclusio principium nobis porrigit syllogismi. *ibid.*

Inductione parum fidendum, credibile reddit non certum. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam. van doct. gen. li. 5. cap. 12.* Inductio si vniuersalem probare debet propositionem, omnia sumere particularia debet; et qui negat vnum particulare, non permittit fieri inductionem: nam inducens, aut quod probandum sumit, & sic non probat, aut nullo modo probare potuit. *Idem, ibid. cap. 13.* Inductio si ritè fiat, & perperam negatur, probari tamen non potest quin fallaciam incurras. *ibid.*

Inductio quæ à simili ad simile progreditur, vel à multis similibus ad simile est Platonis, quæ ab Aristotele exemplum appellatur: altera quæ ex singulis colligit vniuersum, Aristotelica est inductio & in instrumentis dialectices plenæ ratiocinationi ex altera parte opponitur. *Iac. Carp. in Alcin. cap. 5.*

Indulgentia homines ad vitia proniores facit. *Francisc. Patricius de republica, lib. 9 cap. 2.*

Indulgentia est amor in liberos, ac descendentes nostros, & in eos, qui imperio nostro subiecti sunt. *Idem, de regno, lib. 8. cap. 9.*

Industria est ingenium animæ quo quis munitus est, in singulis quod decet facilè concit mentis acumen. *Speusip. de Platonis definitionib.*

Inertia est priuatio artis, vbi ea maximè requiritur. *Max. Tyrius, sermo. 17.*

Ineruditi cùm de aliqua re contendunt, non curant quomodo se habent ea, de quibus disceptatio est, sed in studio habent quomodo præsentibus probent quæ proposuerit. *Pla. in phædone.*

Infantes.

Infantium ad animam & corpus, nutritionem scilicet, & motionem, quæ per totam noctem & diem maximè contingit est vtilis omnibus, & non minimè tenerrimis & vt habitent si id fieri posset velut semper nauigarent, quod experientia patet. nam cùm somnum ipsis adhibere volunt, non quietem adhibent, sed contrariam motionem in vlnis semper agitantes, & non silentium, sed aliquam iucundam cantilenam, & fere velut tibiarum modulationem somnum ipsis inducunt. *Plato de legibus, dial. 7.*

Infantibus curandis motu perpetuo vti iubet Plato. primò, quia motu geniti seruantur, secundò, quia eiusmodi motione vitæ moderata immoderatæ agitationi tum intrinsecus à natura, tum extrinsecus ab aere factæ resistimus. tertiò, quoniam motus calorem excitat naturalem corpusque totum æquè viuificat. quartò nutrimentum concoquit, & digerit per membra. quintò, superuacua excrementa secernit. sextò, obstrusa aperit, & adæquat humores. septimò, conducit ad augumentum. octauò, membra apta simul reddit, & solida, non solum moderatione quadam æqualitatis, verùm etiam numeri cuiusdam proportione, motum nobis oportet congruere. *Fic. in Pla. de leg. dia. 7.*

Infantes in vtero capere nutrimentum alij aliter sensere: Democritus, & Epicurus per os, Alcmeon per totum corpus, Stoici & plerique per vmbilicum. *Ioan. Franciscus Picus Mirandul. in exam. vanitat. doctrina gentium, lib. 1. cap. 16.*

Infelicibus nulla tam familiaris patria quam solitudo. *Franciscus Pat. de regno lib. 5. cap. 6.*

Inferiora cuncta præcantur, & hymnos dicunt ad ordinis sui duces, alia intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia sensibili modo, vt solisequa ad solem mouentur, lunisequa ad lunam. *Proclus de sacrificio & magia.*

Inferiora hæc mixta sunt cuncta oppositis, aut conditionibus alienis. sic cælida frigus habent, leuia pondus, ignis qui est simplicissimus habet aliquid crassum. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 17.*

Inferiorum euentus per certos numeros, ac mensuras pendentes existimat Plato, ideo accipit numeros, qui cùm vniuerso conueniunt, consonantiasque complectuntur. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 3.*

Inferiora omnia calore viuunt & nutriuntur. *Leo Hebr. de Amore, dial. 2.*

Inferorum flumina, vt obliuionis, nil aliud significant quàm errores animæ obliuiscentes vitæ præteritæ, & inferorum pœnæ tormenta conscientiæ. *Macrob. in somn. Scip. lib. 1.* Infernus duobus modis sumitur, pro loco infra terram, & pro carentia visionis diuinæ. *Ioan. Picus Mir. in Apol.*

Infidus est, cui mendacium voluntarium gratum est, cui verò inuoluntarium demens, neutrum autem expetendum. quisquis enim infidus, & imperitus & demens est, ab amicitia alienus est: temporis verò progressu cognitus, ad difficilem senectutem in fine vitæ omnem solitudinem sibi ipsi præparat. vt & viuentibus, & vita functis amicis, & filiis ferè similiter orbam vitam degant. *Plato de legib. dial. 5.*

Infidelis est qui in fide dubius est. *Mar. Antonius Natta de immortal. anim. lib. 2.*

Infinitas.

Infinitas res partim Deus ostendit, partim finitas, & tertio his permistas. *Plato in philebo.* Infinitæ res sunt, quæ magis & minus fieri apparent, & vehementer, & lene, & valde suscipiunt & quæcunque huiusmodi sunt: at quæ non suscipiunt, sed quæ his contraria, suscipiunt æquale, inæquale, vt duplum, & quidquid est numerus ad numerum, aut mensura ad mensuram, omnia enim sunt finita, quæ ex his mixtis fiunt, sunt mediocritates productionum scilicet in essentiã ex numeris cum fine effectis quarum causa. *Idem, ibid.*

Infinitum est indistinctum, magnitudinis habet finem. *Apul. de dog. Plato. lib. 1.* Infinitum quod pertransire quis nequeat, in rebus existere non potest. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 7.*

Infinitum si ad terminatum accedit, perdit naturam. *ibid. cap. 15.* Infinitum duplex, ut differunt inuicem exemplar, & imago; nam quod apud nos est, quatenus est simulachrum, & ab existentia veritatis deficit, eatenus magis est infinitum; nam infinitum magis est in eo quod minus est terminatum, quod autem in natura est finitum, vt quod magis existit ens, imaginariè est infinitum. *ibid.*

Infinitati motus videtur attribui, quia non consistit, sed non illi contingit, sed si omnes species auferas, quod restat erit infinitum, nec aliquod oppositorum ei conuenit, nam sic esset finitum. *Plotin. En. 6. lib. 6. cap. 3.* Infinitum non est actu proprio; nam quod extitit, & est, numero iam est cõprehensum. *Idem, ibid.*

Infinitio est numeri & proportionis orbitas, nec claudicationis enormitatis, discrepantiæ, & disparitatis in se terminum vel modum habet. *Plutarchus de anima generatione è Timæo.*

Infinitorum nullius est cognitio. *Proclus element. Theologic. proposit. 11.* Infinitum omne in entibus neque supra positis infinitum est, neque sibi ipsi. *Idem, ibid. prop. 13.* Infinitum si est quod mouetur, non transit terminatam magnitudinem terminato tempore. *Idem. prop. 28. elem. phil.* Infinitum si est id quod mouetur, non transit infinitam magnitudinem in terminato tempore. *ibid. prop. 29.* Infinitum nullũ à finito pati potest. *prop. 11.* Infinitum nullum ab infinito pati potest. *prop. 13.*

Infinitas quadruplex, prima virtutis & perseuerãtiæ in Deo præcipue summo, secunda perseuerantiæ saltem in diuinis inde perpetuè permanentibus, tertia numeri; quarta molis. *Fic. in Platoni Enn. 2. lib. 1. cap. 3.* Infinita turba in diuinis tanquã ipsi vni propinquit, quę diuersissima est ab vno regnare non potest, sed illic infinitudo significat vniuersalitatem omnia comprehendentem, nec ab alia vniuersalitate cõprehẽsam, & quę per intelligibilia ita processit, vt non possit vltra procedi. *Fic. in Plato. Parmenidem, cap. 95.*

Infinitum est, quod non habet terminum. *Ficin. in Plato. phileb. li. 2. cap. 1.* Infinitum duplex; vnũ quod excludit terminũ, alterum quod termino caret. *Idem, ibid.* Infinitum non tempore, sed origine processit terminum. *ibid. cap. 4.*

Infinitæ naturæ proprium est progressio hinc inde indifferens per quoslibet gradus. *ibid. cap. 10.*

Infinitas numeri perpetua quadam rerum singolarium suc-

cessione paolatim prouenire videtur nunquam tamen actu simul existit: tum & ipsa sub speciei vnitate, tanquam termino definitur. *Fic. in Plotini En. 2. lib. 1. cap. 3.*

Infinitas est, vt ait Aristoteles, quæ caret principio & fine & omnium rerum est principium, & cum solus Deus careat principio & fine natura, sequitur solum Deum infinitum, & ab eo omnia proficisci, gubernari & contineri. *August. Steuch. de perenni philo. lib. 3. cap. 9.* Infinitum actu, & potentia: at quod prohibet primum prohibet & secundum. *Idem, ibid. lib. 7. cap. 3.*

Infinitum tam à maximo quàm à minimo finitorum quantumlibet repetito terminari minimè posse, nec nõ ab eorum vtroque æque distare videtur. *Leo Hebr. de Amore, dial. 3.* Infinitum ad finitum nullam prorsus habet proportionem. *Idem, ibid.* Infinitum infinito æquale existere prædicatur. *ibid.*

Infirmitatis instantis signa sunt grauiora membra; calor præter consuetudinem intentior, grauior somnus, tumultuosa somnia, si aliter se habet corpus quam consueuit, neque in peius tantum, sed etiam in melius, si animus marcet, si moueri aut loqui piget, si saliua plenum est os, si genua quasi fatigata sunt. *Ioann. Franc. Picus Mirand. de prænotione, lib. 3. cap. 7.*

Influxus.

Influxus cœlestes natura corporea non admittit, vt è cœlo mittuntur, multo minus anima rationalis: cui frustra natura dedisset vt in consultatione plura opposita proponeret, nisi posset ad vtrumlibet eligendo se ducere, & cum contingentiam Deus in naturalibus permittit, multo magis in agentibus voluntariis permittit. *Ficin. de fato, cap. 1.*

Influxus è cœlo quotidianus nõ ita prorsus sicut cœlitus destinati videntur expleri, sed aliter passim & aliter contingere. *Idem, ibid. cap. 3.* Influxus dicitur, quia non solum mouet visum, sed naturam penitus afficit calore, atque motu. *Idem, in Plato. phædr. cap. 29.*

Influxus cœlestis ex accidenti quodam agere dicitur, quia tum ex opportunitate, quam nanciscitur ex inferiorum concursibus agit, tum non agit proprio tenore deformia, tum non mouet animam, nisi forsan moto per cœlum corpore anima vel per accidens moueatur, vel motioni cõsentiat. & si quis propter monstruosos fœtus interdum dubitet rationes seminarias, vel species permutari, animaduertat semper in eos præcipuam, & radicem propriæ speciei conseruari, quamuis vel adiunctum sit aliquid vel ademptum non tam influxu cœlesti, quam vel materiæ locique & imaginationis vitio, vel concursu quodam fortuito diuersorum. *Fic. in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 13.*

Influxu cœlesti communi quæ apud nos fiunt differentia tũ propter species differentes, tum propter varias fortunas singulis contingentes, varias inquam, prout pertinet ad anni tempora, loca diuersaq;, & animorum affectiones. *Fic. in Plotini En. 2. lib. 9. cap. 15.* Influxum cœlestem proprio quodam ordine quandoque ad certum aliquid processurum tum materia hæc aliorum auida, facileque capax, & confunditur cum aliis. & perdit, subinde aliud receptura, tum regio plena discordium qualitatum commiscet protinus, & transformat vt vix certum aliquid cælitus hic oriatur, & vix quale sit nasciturum valeas coniectare, nisi & quæ ex alto, quæ è medio, & intimo causæ, & conditiones quolibet momento confluant, aspexeris. *Idem, de fato, lib. 1.*

Influxus cœlestes præter motum, lumen, & calorem, non pertinent ad hæc inferiora, nullámque in sublunaribus vim habent. *Ioan. Picus Mirandul. in Astrologiam, lib. 3. cap. 1.*

Informe formatum præcedere semper oportet. *Leo Hebræus de Amore, dial. 3.*

Infortunatus satis est qui non post & extra principium expectat finem, sed finem suum in principio collocat. *Ficin. epist. lib. 3.*

Infortunatus sciat quòd debet cogitare mala fortunæ soli malo esse mala, ac post dies pluuias serenam expectet. *Idem ibid.*

Ingenia, Ingeniosi.

Ingenij diuini est & admirandi, qui ideas inuenire, & alios docere potest, ita vt rectè, & probè ea discernat. *Plato in Parmenide.* Ingeniosum esse est celeritas quędam animæ. *In Charmide.* Ingenia deprauat educatio delicata, & luxuriosa *in epist.* Ingenium est discendi velocitas genitura bona naturæ, virtus insita in natura. *Speusip. de Pla. defin.*

Ingeniosi omnes modulis rapiuntur, at multi multis delectantur, modulis animes. *Fic. epist. lib. 1.* Ingenia acuta soli se rationi committunt. *Idem, ibid. lib. 8.* Ingenium Plato in Parmenide sub ludo quodam dialectico, & quasi logico scrutatur, & ad diuina dogmata passim Theologica multa significat. *in Plat. Parmenidem.*

Ingenia acuta redargutis falsis exiguo deinde vestigio vera venãntur. *in Plat. Lysidem.*

Ingenium iniquè natum, vel perperam educatum pertinax esse in vitiis, & in nugis patet. *in Platonis Euthydemum.*

Ingenio naturali qui confisi diuinorum inuestigationem præsumunt, in impietatem euaserunt, & non modò diuinum lumen non recuperarunt, sed naturale propter eius abusum deprauarunt, quod deprauatum non iniuria scissum & fractum putatur. vt qui Deum non esse dixerunt vt Diagoras, qui dubitarunt, vt Protagoras, qui corpus iudicarunt vt Epicurei, Stoici, Cirenaici, & alij permulti, qui animam quandam, vt Marcus Varro, & Marcus Manilius & alij nonnulli. *Fic. in Plato. minuum, or. 4. cap. 5.* Ingenia hominum apta ad gubernandum auro similia dicit Plato, apta verò ad militiam argento, ad opificia, & agriculturam, æri, & ferro. *Idem, in Plato. de republica, dial. 3.*

Ingenia quædam diuina, potius quàm humana proueniunt quibusdam seculis producta à conuersionibus, ac reuolutionibus, soli Deo certis, ac destinatis quas numerus perfectus metitur, vel seculorum, vel annorum, vel mensium atque dierum similiter soli Deo notus. *Fic. in Plato. de republica, dial 8. cap. 1.* Ingenium, spiritum & sensum coferens natura est aerea, plurimum igneo quodam vigore prædita est ergo subtilis, & rara huic contraria est natura ad ossium densitatem & carnis molem conferens. in quo igitur corpore, & in qua parte corporis hęc abundat, illa deficit, & quod semen & pars seminis ad alterum confert, non conducit ad alterum. *Idem, in Plat. Timæum cap. 74.*

Ingeniis accommodatam esse Atticam regionem ait Plato, cur hoc sit. Platonici dissident. Panætius ait temperiem aeris inter æstum & gelu causam esse. Longinus qualitatem loci commixtam ex multis, & occultam. Origenes cœlestes aspectus, & influxus Proclus ait opificam intellectum mundi intellectualem esse mundum, ideóq; quasi multiplicem, animam verò mundi esse animalem rationalémque mundum magis multiplicem, atque proximè adesse vniuerso mundi spatio, continuo prorsus, atque immobili ex materia prima, & dimensione cõstanti Rursus in ipso spacio ante omnes, quæ generandæ sunt formas animam ex rationibus suis ideam sequentibus, alibi alias vires imprimere, quas animæ mentis plenæ vestigia ac peculiaria quædam receptacula formas alibi alias familiariter susceptura, tum deos varios variat sortitos prouincias; eiusmodi hospitia illustrare, alia quidem alios, atque formare. animas ergo rationales post quam elementalem vitam propriámque elegerint, si forte reuolutione cœlesti ad ea loca præ cæteris dirigantur. quæ electæ iam viuendi formæ potissimè congruunt, vitæ ipsius officium prorsus implere. itaque quando ad Martiã, vel Apollineam vergentes vitam, mox plagam à Marte, vel Apolline illustratam nanciscantur perfectæ vel fortitudinis, vel vaticinij opus absoluere, quæ verò philosophicam vitam elegerint, si regionem afflatam Pallade, sapientia magnanimitatéque simul excellere. itaque Attica regio à Pallade recta sapientia, & magnanimitate, & militiæ conuenit & requirit aeris temperaturam non vt causam, sed ne causæ ipsius opus impediatur. *Fic. in Plat. Atlanticum.*

Ingenium in Pythagora & Socrate diuinum tantum fuit, in Aristotele & cæteris philosophis post Platonem humanũ solùm, sed in Platone & diuinum, & humanum. *Fic. in Plato. de leg. dial. 1.*

Ingenium humanum tum causarum numerus & qualitates latent, tum experientia fallit, tum signa decipiunt. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 7.* Ingeniorum, & morum diuersitas, non pendent à primis qualitatibus. *Ioan. Pic. Miran. in Astrologiam lib. 5. cap. 22.*

Ingenia præclara vt virtutes multas, sic quoque complura vitia plerunque effundunt. *Franc. Patric. de regno, lib. 2. ca. 13.* Ingenia recta verecundia debilitat, peruersa autem audacia confirmat, nec sperandum quempiam eruditorum hominum ab inuidis intactum esse *Idem, ibid. ca. 1.*

Ingenium Stoici dicunt habitum celerem officij inuentorem, alij vim animi esse, qua aliquid inuenimus quod à nemine didicimus. Peripatetici aiunt esse vim quandam animis insitam naturaliter suis viribus præualentem. *Idẽ, de regno, lib. 6. cap. 8.*

Ingenium triplex aptum tantùm est ad diuinorum reminiscentiam, musicum primò, secundò amatorium, tertio

philo-

a

philosophicum. *Steph. Camb. de ascensu mentis in Deum, lib. 5. cap. 12.*

Inimicitiæ oriuntur, cùm aliqui discentium inuicem de iusto, iniusto, pulchro, & turpi, bono, & malo, ita ad idoneū ipsarum iudicium diruere nequeunt. *Plato in dialogo de sancto.* Inimicis mala debemus. *de rep dial. 1.*

Inimicorum malis gaudere nec iniusti nec inuidi est. *in phil.*

Inimicis omnia iniuja facienda sunt, amicis autem puruia, & hominibus, & pecoribus, & iumentis. *de leg. dial. 6.*

Inimicitiæ grauissimæ ex verbis leni admodum de re, & odia oriuntur. *dial. 11.*

Inimicitiam ponam inter te, & ipsam dicit scriptura, non tibi & mulieri, quia in medio tanquam in confinio voluptatis & sunsus bellum hoc nascitur. *Philo in legis allego. li. 2.*

Inimicis non est malè faciendum, nec vlciscendum iniurias, *Ficin. in Plat. Crito.* Inimici pessimi sunt, qui sub amicorum specie nos circumueniunt. *Ioan. Pic. Mir. in proœm. in Astrologiam.*

Iniquæ ne nobis res sint, æquo sunt animo ferēdæ. *Fic. in Plat. Menexeno.* Iniquitas est habitus, qui leges despicit. *Speusippus in Platonis definitionibus.* Iniquitas nulla maior quàm amicum fallere. *Ioan. Pic. Mir. in epist.*

Initia rerum tum magnarum, tum paruarum non sunt aggredienda absque Dei inuocatione. *Plato in Timæo.*

Initia rerum tria esse arbitratus est Plato, Deum, materiam, & ideas. *Apul. de dogmat. Plat. lib. 1.*

Initia rerum non ex hora qua fieri, sed qua esse incipiunt, rationabiliter auspicamur: rursus si aliæ alio tempore partes absoluuntur, cur non quæque decretum suæ fortonæ de suo tempore adipiscetur? maximè cum experiētia comprobetur aliter variis eiusdem rei partibus euenire, nam in hominis corpore alia interdum membra rectè se habebunt alia malè, aliqua pars vrbis incendiis erit obnoxia, aliqua non. *Ioannes Picus Mirand. in Astrologiam, lib. 7. cap. 2*

Iniuria qui virum probum afficit, videtur ferè rempublicam ab ipsis lateribus affligere *Plato, in dial. de sancto.*

Iniuriam facienti, quicunque illi fuerit, non est permittendum *idem, ibid.* Iniuriam nulli homini sua sponte Socrates fecit *in Apologia.* Iniuria affectus, vicissim iniuria afficere non debet, nam iniusta facere non licet. *in Crit.*

Iniuria cum quis se affici putat, non ne in hoc efferuescit, & indignatur, & auxilium fert ei, quod iustum esse videtur, & eo quod famem, & frigus, & alia huiusmodi patitur, sostinens etiam vincit, & a generoso incepto non desinit, priusquam transigerit, aut obierit, aut vulut canis à pastore, à ratione, quæ in ipso est reuocata ira placata fuerit? *Plato de repub. dial. 4.* Iniuria est insolentiæ filia. *de leg. dial. 3.*

Iniuriam magnam aut paruam qui intulit, eum lex doceat, & cogat, vt rursus talem, aut nunquam volens facere audeat, aut insigniter multominus ad hoc vt damnum rependat. Hæc autem siue factis, aut verbis, aut cum voluptatibus, aut doloribus, aut honoribus, aut ignominiis, & pecuniarum mulctis, aut muneribus, aut omnino quocūque modo fecerit quis, vt odio habeant iniustitiam, amēt autem, aut non odio habeant iusti naturam, hoc ipsum sanè optimarum legum opus est at si curari non possint, his pœnam & legem constituet, melius ipsis esse vt non amplius viuant, nam sic & malis exemplo prosint vt non sint iniusti, & ciuitas malis viris purgatur. *Plato de legib. dial. 9.*

Iniuriæ maximæ sunt quæ iuuenum lasciuiæ, & contumeliæ in maximas res, quum in sacra fiunt & rursum in excellenter magnas, quum in publica, & sancta, aut ex parte tribubus, & aliis quibusdam eiusmodi societatibus communia, secundum locum habent quæ in sacra priuata, & sepulchra committuntur. Tertium cùm quis citra ante relata ante parentibus iniuriam intulerit Quartum, cùm quis contemptis magistratibus, res illorum aufert, aut vastat, aut vtitur illis citra ipsorum voluntatem. Quintū ciuile fuerat, dum singuli ciues quod ad ciuilem statum attinet, afficiuntur iniuria, & hoc publicam actionem postulat. *Plat. de leg. dial. 10.* Iniurias & omne delictū maximum, minus malum est pati quàm facere *idem, epist. 7.*

Iniuriam qui intulit, quia causam prior præbuit, maius flagitium admisit, attamen qui retulit, qua vlteus est iniquitate æquatur. *Max. Tyr. serm. 2.* Iniurio homini qui congreditur, non potest nisi cum eo voluntari iniuria, & flagitij partem accipere, vt qui caliginosum hominem amplectitur non potest non immundus abire. *idem, ibid.* Iniuriā afficere deterius est quàm pati, quia iniuria afficere improbi est, affici imbecillis, turpe quidem vtrūque, tamē iniuriam inferre deterius est, quo turpius. *Alcin. cap. 28*

Iniuriam qui facit, sibimet facit. *Synes. epist lib. 1.* Iniurias ab inuidis illatas vlciscuntur, qui dāt operam, vt in dies magis & magis inuideant. *ibi. lib 3.* Iniuriā penitus extirpare qui cupit, talem, & tantū euadere oportet, vt nullus aut superare, aut æquare te speret. *ibid.* Iniuriarum memoria nil aliud est quàm sui ipsius obliuio. *ibid lib. 6.*

Iniuriam referre non minus quàm inferri, nec boni viri, nec philosophi est. *Ioan. Pic. Mir. in apolog.* Iniuriæ magnanimus citò obliuiscitur, nisi eam subitò vlciscatur: nec odij, & simultatis memoriam seruat, & de se parcius loquitur. *Franc. Patr. de regno, lib. 7. cap. 8.*

Iniustitia, Iniusto, Iniustus.

Iniustitia, id est, *ἀδικία* rei veræ permeantis impedimentū est *Plato in Cratylo.* Iniustitiæ pœna est, vt qui iniusta faciunt ei assimilentur iniustitiæ, quam perpetrarunt, & si non desisterint ab improbitate, etiam mortuos ipsos ille à malis purus locus non suscipiet, sed isthic semper habebunt vitæ suæ similitudinem, vt mali cum malis conuersentur. *in Theæteto.*

Iniustitia est imperitia *Plat. de rep. dial. 1.* Iniustitia extrema est iustum eum videri, qui nō sit *dial. 2.* Iniustitia est maximum maleficium ciuitatis *dialog 4.* Iniustitia est seditio animæ rationalis irascibilis, & concupiscibilis, & de multis & de alienis curiositas, & alicuius partis animæ aduersus totam rebellantis insolentia, quæ imperet in ipsa quum hoc illam non deceat, sed eiusmodi natura sit, vt principali generi seruire debeat. *ibid.*

Iniustitia non esset horrendum malum, si perderet eum, qui ipsam habet: liberatio enim esset à malis; imò iniusti sunt viuaciores *Plato de rep. dial 10.* Iniustitiam appello iræ, & timoris, & voluptatis, ac doloris, & inuidiæ, ac cupiditatis in anima tyrennidem, siue noceat, siue non, verum optimi opinionem quatenus hoc viuimus, aut priuati aliqui fore putauerint, si hæc superans in anima quemuis virum gubernarit, etiam si quid fallitur, iustum quidem esse quidquid per hanc peractum est dico, & quicquid tali principatui paret amabile esse, & ad omnem vitam humanam optimum, putari tamen à multis in voluntariam iniustitiam esse talem offensam, & errorem. *de leg. dial. 9.*

Iniustitia eadem est in anima, & in ciuitate, id est partium ipsarum peruersum dominium. *Autor in Platonis tractat. 2.*

Iniusta nullo modo facienda sunt. *Plato in Critone.*

Iniusta facere, & malo afficere homines, idem est. *ibid.*

Iniusta faciens, & impia dicens & perpetrans, longè optimū est vt non permittatur, vt potens sit per impietatem. *in Theæteto.* Iniusta facere maximum malorum est. *in Gorg.*

Iniusta pati eligibilius est, quàm iniusta facere. *ibid.*

Iniusta qui fecit, se ipsum accusare debet, vt malum è anima auferat *ibid.* Iniusta nemo volens facit, sed inuitus. *ibid.*

Iniustus si iniusta facta aggreditur, lateat oportet, si valde iniustus esse volet, nam qui deprehenditur, is vilis considerari debet. *Plato de repub dial 2.* Iniusta qui se fecisse putat, quantò generosior est, tantò minus irasci potest, dum famem & frigus & aliud huiuscemodi patitur ab illo, quem iste hæc facere putat, & non vult animum ipsius impetus ira aduersus hunc excitari. *dial. 4.* Iniusta facere conducit ei qui perfectè iniustus est, iustus autem putatur. *dial. 9.*

Iniusta qui facit, & petulantem esse, & pœnas non dare vtile non est, quia improbior fit: & qui punitur melior efficitur. *ibid.*

Iniusti qui nihil facit honorandus est, at qui iniusta facientibus iniusta facere non permittit, plusquam duplici honore præ illo dignus est; ille enim vni, hic multis alijs comparandus est, cùm aliorum iniustitiam principibus indicet: qui verò pro viribus cum principibus iustos punit, his magnus & perfectus vir in ciuitate denuncietur, & virtute victor, & eadem de omnibus virtutibus *Plato de legibus, dial. 5.* Iniusta qui facit inuitus facit. *de legib. dial. 9.*

Iniusta faciunt homines, & iniusti sunt nolentes. *de iusto. dial. spurio.*

Iniustitia & in ciuitate & in animo perniciosa est. *Fic. in Plato. de rep. dial. 8.* Iniustitia non solùm ob metum, vel legum timorem vituperanda est, sed etiam propter ipsum maleficæ naturæ suæ venenum procul effugiēda. *idem, ib. dial. 9.*

Iniustos puniendos non esse, nec homines, nec dij dicere audent. *Plat. in dial. de sancto.* Iniustè agere, & non parere tū Deo, tum homini meliori, malum, & turpe est. *in Apolog.*

Iniusti puniuntur, quia homines virtutem parari posse putant, nam non puniuntur iniusti, quia mala fecerunt, nisi quis velut bestia præter rationem puniat. sed qui cum ratione punire aggreditur, is non præteritæ iniustitiæ

gratie punit, neque enim factum infectum reddere potest, sed futuri gratia, vt ne rursus iniuriam faciat, nec hic ipse, nec qui ipsum puniri videt. *in protag.*

Iniusta si quis facit nesciens, aut mentiatur, aut aliquid mali perpetret, maiori venia dignus est, quam qui sciens. *Plato de mendacio.* Iniustus, & qui iniusta facit, miser est, & miserior si pœnas non det, nec supplicium consequatur, minus autem miser si det pœnas, & supplicium à dijs & hominibus consequatur. *in Gorgia.* Iniustus impotens ad agendum redditur, vt qui in se seditionem agit, & sibi ipsi non consentit, & sibi ipsi inimicus est iniustus. *de rep. dial.* 1. Iniusti perfectè, & penitus mali, perfectè etiam ad faciendum impotentes sunt. *ibid.*

Iniusti, & si dum iuuenes sunt lateant, tamen in fine cursus deprehensi ridiculi fiunt, & senes facti, miseri illuduntur, & ab externis, & à ciuibus, & flagris caeduntur. *Plato de rep. dial* 10. Iniustus omnis non est vltro iniustus. *de leg. dial.* 5.

Iniustus miserabilis est, & qui mala habet. *ibid.*

Iniustè occidens aliquem, iniustè quoque occidetur. *Plot. En.* 3. *lib.* 2. *cap.* 13.

Iniustitia tantum malum est, vt præstet iniuriam pati, quàm inferre: nam iniuria afficere improbi est, affici imbecillis. *Alcinous cap.* 28. Iniustus debet iudici vltro se offerre, vt ægrotans medico, omnis enim castigatio est medicina quædam delinquentis animæ. *idem, ibid.*

Iniusti centum annis affliguntur, quasi ad centum annos vixissent, quo termino vita hominum quodammodo designatur, continuè peccassent, & cuilibet decem graduum attribuitur numerus centenarius, & fiunt mille, hinc centum errant annos, & illud, totam voluere per annos mille, & per annos centum, pro vno acceptandum est, his enim Plato vtitur numeris non solum in suppliciis, sed etiam in quibusdam præmiis. *Ficinus in Platon. de republica, dialog.* 10.

Iustitia præponenda est temperantiæ, si humanam spectas consuetudinem: at si puritatem animæ contemplationi necessariam spectas, iustitiæ temperantiam antepones. *Fic. in Plat. de leg. dial.* 1. Iniustus etiam si cuncta quę inter homines habentur bona, possideat, est infœlix, & quandiu ita viuit, præstari ei dicendum est mori, quàm viuere. *idem, in Plat. de leg. dial.* 2.

In natura intueri nil aliud est quàm esse tale, & tale quiddā facere. *Fic. in Plot. En.* 3. *lib.* 8. *cap.* 1.

Innocens quisque insimulari potest, conuinci nocens tantū. *Apul. Apolog.* 1. Innocentia est eloquentia *idem, ibid.*

Innocentia sula optimam in posterum spem animo præbet, vnicum vitæ solamen. *Fic. in Plat de repub. dial.* 1.

Innocentia est habitus animi ita informatus, vt nemini noceat. *Franc. Patr. de regn. lib.* 8. *cap.* 7. Innocentem damnare maximum pene omnium criminum est, quod diuinum numen, & homines probi vlciscuntur, & innocentem lædere omne ante acta vitæ lumen obscurat. *idem, ibid.*

Innocentia magnos habet fauores. *idem, de repub. lib.* 3.

Inopiâ audaciæ et impudentiæ condemnatus Socrates. *Plat. in Apol.* Inopia nulla calamitas maior. *Philo in vita Mosis. lib.* 1. Inopia non est expectanda, sed in rerum copia de egestate cogitandum. *Franc. Patric. de repub. lib.* 9 *cap.* 3.

In principio creauit Deus, Hebræi interpretantur in sapiētia, sapientia verò est ipsum organum, & primogenitus filius, verbum, plenus idearum Deus, Archetypus hominis. *August. Steuch. de perenni philosophia, lib.* 5. *cap.* 16.

Inquilini ad cohabitationem admittantur certis conditionibus, & artem habeant vsque ad viginti annos, nec aliū precium persoluant præter temperantiam, & quum finitum fuerit tempus rebus et bonis suis acceptis abeant. at si hoc tempore in aliqua existimatione quispiam inquilinus sit & aliquid memorabile commodum ciuitati exhibere potest, & senatum, & concionem persuadere se fidat, vt aut dilatio aliqua emigrationis ipsi continget, aut mansio per omnem vitam accedat, & persuadeat reipublicæ, & quæ persuaserit rata habeantur. *Plato de legibus, dial.* 8.

Inquisitionem de quacunque re qui facere vult, nudus, aut tunicula tectus discinctus, iureiurando per legitimos deos præstito, quod se inuenturum esse sperat, ita inquisitionem faciat, ille domum exhibeat, & vt obsignata & non obsignata perscrutetur. & qui prohibet, inæstimatæ rei precium duplum rependat si condemnatus fuerit, si Dominus domus peregrè profectus est, non obsignata videat obsignata, ipse quoque obsignet, & quencunque si volet custodem ad quinque dies constituet, si longiori tēpori permanet Dominus sumptis vrbis curatoribus soluat obsignata, & inquirat & rursus obsignet. *Plat. de legibus dialog.* 12. Inquisitionis finis non est dubitatio, sed inuentio. *Fic. in Plato. phileb. lib.* 2. *cap.* 29.

Insania.

Insania nobis causa est maximorum bonorum, illa scilicet, quæ Dei beneficio detur: nam & quæ in græcis sacerdotibus, & in delphicis prophetis, multa græcis bona attulit, quæ sub vaticinij pulchro nomine continetur; secunda insania est mysterialis, quæ purificationes & lustrationes consecuta, sanum facit eum qui ipsam habet, tertia à musis est, quæ per cantus, & poesim innumera facta ad posteros transmittit, quarta est amoris. *Plato in phædro.*

Insania duplex, alia à morbis humanis, alia ea diuina immutatione eorum, quæ recepto more fieri solent, contingens, cuius quatuor sunt partes, vaticinatio Apollinis inspiratione, mysteria Dionysij, poetica Musarum, quarta Veneris & amoris amatoriam insaniam optimam esse diximus. *idem, ibid.*

Insanus, puer, qui morbis aut senio detinetur ingenti, aut qui à talibus nihil differt, si damnum intulit, simplex rependat damnum, à reliquis criminibus liber dimittatur, nisi aliqua cæde commissa non puras à cæde manus habeat, quod si ita est, in aliam regionem ac locum digressus annum illuc peregrinus habitet, si ante tempus redierit, per duos annos publicis vinculis à legum custodibus sit illigatus. *Plat. de leg. dial.* 9.

Insanus si quis fuerit, palam in ciuitate ne conspiciatur, sed singulorum cognati ipsos insanos in ædibus custodiant quocunque possunt modo, aut mulctam persoluant; qui maximi sunt census centum drachmas, siue seruum, siue liberum neglexerint, qui secundi census quatuor de quinque minæ partes, qui tertij tres, qui quarti duas. *Plato de legibus, dial.* 11. Insaniunt homines multis modis, alij præ morbis, alij ob iram, & naturam, & educationem prauam, qui parua inimicitia oborta cum magna vociferatione conuicia inter se faciunt, quod minimè decet facere in ciuitate bene legibus instituta. *idem, ibid.*

Insaniâ homo infra hominis speciem deiicitur, & ex homine brutum quoddam redditur. diuino furore homo supra hominis naturam erigitur, & in Deum transit. *Fic. in Plat. Ionem.*

Insaniæ duo sunt genera. alterum à cerebri, alterum à cordis vitio nascitur, cerebrum sæpe adusta bili, sæpe adusto sanguine, nonnunquam atra bili nimium occupatur, & hinc dementes nascuntur homines, qui adusta bile vexātur: etiam non lacessiti vehementissimè irascuntur, altè vociferantur, in obuios irruunt, seipsos, & alios cædunt, qui adusto sanguine laborant, effusos nimium in risus prorumpunt, præter omnium consuetudinem se iactant: mirabilia de se pollicentur, cantu gestiunt, exultántque tripudio, qui bili præmuntur atra, mœrent perpetuò, ipsi sibi somnia fingunt, quæ vel præsentia expauescant, vel futura formident, at si humores illi in corde detineantur, angustiam, & solicitudinem pariunt, non dementiam, tunc verò amentiam, cum caput oppresserint, idem cerebri vitio dicuntur contingere, cordis verò morbo eam propriè insaniam fieri arbitremur, qua affliguntur hi, qui perditè amant. *Ficin. in Plato. conuiuium, or.* 7. *cap.* 3.

Insaniæ in homine causa est tum sensualium instrumentorum ineptitudo, tum eleuatio vaporum, tum vehementior imaginationis intentio, qua rationis, remittitur actus, tum naturæ occupatio nimia circa morbi curam, tum denique occupatio quædam dæmoniaca. *Ficin. in Plotinum En.* 3. *lib.* 1. *cap.* 10.

Insanus & miser habendus est, qui dum à Deo prouisum ad sublimia prouocatur, ipse per tactum se demergit in lutum, & ex homine cum fieri poterit Deus ex homine bestia redditur. *idem, ep. lib.* 1.

Inseparabile ab illo id est, quod alicui per se conuenit. *Fic. in Plat. Theol. lib.* 5. *cap.* 9.

Insipientes sunt qui, quæ facere, & dicere oportet nesciunt. *Plato in Alcibiade* 2. Insipientes distincti sunt: nam qui plurimam partem habent, furiosi appellantur, qui verò paulo minorem, eos stolidos & attonitos vocamus: qui vero gratiosissimis nominibus eos appellare volunt, partim magnanimos, partim simplices, alij innocentes, & imperitos, & stupidos vocant inuenies & alia multa nomina si quæras. omnia hæc desipientia sunt: sed differunt, vt morbus à morbo. *Idem, ibid.*

Insipientia & ignorantia maxima hæc est, quod cum alicui quid pulchrum aut bonū visum fuerit, is non amat hoc, sed odio habet, id verò quod prauum & iniustum visum est amat & amplectitur. *Plat. de leg. dial.* 3.

Insipientia est tenebrosa, & vespertina nocturnáque res, sapientia

pientia verò splendida, & fulgida.& orientalis. *Philo de plantatione Noe.*

In sole tria considerantur, natura, lux naturalis, in luce naturali virtus calefactoria, sic in Deo tria fermè similiter: nam in bonitate diuina id est potestate fœcunda intelligentiam lucem tanquam eius pulchritudinem. in hac rursus amorem quasi calorem qui amor omnia diligit non aliundè pendens. sed boni, pulchrique sui propagandi, communicandi,& imitandi gratia. *Mar. Fic. in Dionysium Areopagitam de diu. nom.*

Insolentiores multi facti sunt ob bellorum victorias, & alia multa mala ex insolentia contraxêre. *Plato dial. 9. primo de legibus.*

Insomniorum leges statui posse cunctis æque communes non est sperandum, sed vnusquisque debet artis quasi habere materiam. & in memoria scribere potest qualia visa in quales euentus inciderint, non enim difficile habitus congregabit circa rem, quam vsu quodam vel indigentia meditabitur, vsus enim & necessitas meditationem memoriæ suggerit. *Synesius de somno.*

Insomnia omnia quæ non à diuina, vel naturali causa pendent, falsa sunt. *Ioan. Francisc. Pic. Mirand. de prænotione lib. 6. cap. 7.*

Inspiratorũ diuinitos variæ sunt species, aut Deus ipse nos occupat, aut nos ei addicimus, aut communem agitamus cum Deo actionẽ, vel vltimæ diuinæ potentiæ euadimus compotes, vel mediæ, vel supernæ. aliquando est nuda Dei præsentia, aliquando vltra præsentiam fit communio, interdum vltra hanc fit vnio. rursus inspirationis vel anima sola fit compos vel corpus particeps vel commune animal. & pro harum diuersitate diuersos inspirati faciunt motus vocésque edunt. *Iamb. de myst.*

Inspirare idem est quod afflauit & animauit inanima, non quod Deus vsus sit ore, aut naribus, expers enim qualitatis Deus, & humana forma Deus inspirat, mens inspirationem capit, spiritus ex inspiratione accipitur, quod significat, vt cogitatione eum percipiamus. alioqui nisi Deus inspirasset, quomodo anima Deum cognouisset? *Philo in l. gu. allegoriam lib. 1.* Inspirauit Deus in faciem naturaliter, quia in facie sensus creabat moraliter, quia vt facies est corporis principalis pars, sic animæ mens, quam solum inspirabat Deus, reliqua à mente inspirantur. *Idem, ibid.*

Instantia est quæ totam orationem impedit, vel constructioni, vel demonstrationi occurrens. *Proclus in Eucl. li. 3. co. m. 5.*

Instinctus naturales necessarij sunt quia à superiore mouente insunt, & electionem, & iudicium præcedunt. *Ficin. in Plat. philob. lib. 1. cap. 32.*

Instrumentum.

Instrumentum ex natura aptum vnicuique rei inuenire oportet, & ad illud ex quo facit tradere, non quale quis volet, sed quale natura aptum est. *Plato in Cratylo.* Instrumentorum aptorum cognitio non pertinet ad opificem, sed ad vtentem. *id. in, ibid.* Instrumentorum tres sunt repræsentationes: prima est in idea, quam Deus fecit, alia quam fecit opifex, tertia pictor. ergo tres sunt, Deus, opifex & pictor *idem, de rep. dial. 10.*

Instrumentum, idem, qui facit, fidem rectam habebit de pulchritudine & prauitate, qui nouit & cum ipso conuersari, eúmque audire cogitur: qui verò vtitur, scientiã. *Plat. de rep. dial. 10.* Instrumento qui vtitur, de bono & malo eum, qui facit iudicat, ille verò credens facit. *Idem, ibid.* Instrumentum vnius cuiusque animalis & actionis non in alio est, quàm in vsu, ad quem vnaqueque res facta, aut producta est, *ibid.*

Instrumenti malum non pertinet ad vtentem. *Proclus in Alcibiade 1.* Instrumentum seorsum ab artifice non mouetur ad artis formam *Fic. Platonica Theologia, lib. 4. cap. 1.*

Instrumentorum duo sunt genera, vnum coniunctum, aliud disiunctum. *Gabriel. Buratellus de anima mundi, & natura, lib. 3.* Instrumenta cuiusque facultatis prima, ex ea parte oriri debent, in qua facultatis ipsius est primaria sedes. *Iacob. Carp. in Alc. dog. 8.* Instrumentum vnum vni muneri satis est, & refrigeratio satis est omnibus. *idem, ibid. aggress. 8.*

Insultus repentini grauius terrere solent, & securini facilius intercipiuntur quàm soliciti. *Philo de vita Mosis, lib 1.*

Insultatio est gestiens quædam lætitia ex alienis malis. *Fr. patric. de regno, cap. 7.*

Insulæ beatæ est locus cœlestis. *Aug. Steuch. de perenn. philosophia, lib. 10. cap 12.*

Intellectualis.

Intellectualis nulla substantia admittit quicquã motus, sed fixa in mundo intellectuali non diuellitur ab ipso, nec alio accedit, cùm non habeat locum ad quem ipsa transfertur. *Arist. Theolog. Aegypt. lib. 5. cap 2.*

Intellectualis omnis substantia secũdaria habet in se quoddam desiderium alterius. cùm enim appetitu intellectus concipit aliquid, ad illud mouetur, vt mulier grauida nititur parere. *idem, ibidem.*

Intellectualis natura apparet adesse corporibus illustrans illa viuentiáque efficens, non ex seipsa & corpore. sed manens quidem in ipsa, sui verò simulachra exhibens, vt in pluribus speculis vultus imaginem, primum verò simulachrum seorsus est, qui in ipso communi viget, deinde ab hoc rursus omnis alia species animæ ducitur semper alia ab alia definitque vsque ad generandi & augendi naturam, atque vsque ad alterius operis effectionem, præter ipsam vim facientem, conuersa videlicet vi faciente ad opus efficiendum *Plot. En. lib. 1. cap 8.*

Intellectuale in nobis vicem gerit formæ, irrationale materiæ, tunc pulchri sumus, cùm forma superat materiã, ergo cùm intellectuale irrationale. *Proclus in Alcib. 1.*

Intellectualis seriei omnis alij sunt diuini intellectus suscipientes deorum participationes, alij verò intellectus solum & omnis animalicæ seriei aliæ sunt intellectuales animæ in intellectus alligatæ proprios, aliæ quidem habent etiam animas propositas desuper, aliæ sunt naturæ solum expertes præsentiæ animarum. *idem, element. Theologic. propositione 111.* Intellectualis omnis numerus terminatus est. *ibid propositio. 179.* Intellectualis omnis forma æternorum est conditrix. *ibid propo. 178.*

Intellectiua natura duplex est: vna, quæ adeo est à corporibus aliena, vt nullam illis vitam præstat quæ non dicitur materiæ vel corporis forma, & apud Platonem angelis tribuitur, altera, quæ corpori iuncta quasi fœdere cũ ipso cõspirat, in quam velut vltimã materię formam ascendit progressio corporum, cuius progressionis duo sunt termini, infimus materia, supremus ista mens & tria mentẽ sequuntur, vt vltima forma nulla ex parte pullulat à materia, vt à solo Deo fiat, vt immortalis permaneat. *Fic. Platonica Theologia, lib. 10. cap. 3.*

Intellectio est scientiæ principium. *Speusippus in Platon. definition.*

Intellectio est operatio intellectus prima intelligibilia speculantis, vna antequam anima descendat in corpus, altera postquam in corpus mersa est, prima intellectio propriè dicta est, secunda naturalis intelligentia nuncupatur. *Alcin. cap. 4.*

Intellectio est idearum, vel saltem idealium contemplatio. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4 cap. 10.*

Intellectualis intuitus res quædam est maximè omnium quæ in spiritu sunt concreta secernens, extenuat enim ipsum clàm supra quàm dici possit, & dirigit in Deum. hic factus ab hoc idoneus trahit cognatione quadam diuinum spiritum ad animæ nostræ commercium, & condensatione aliqua cohibetur; fitque angustior, quàm vt implere possit sedes assignatas ei à prouidentia hominẽ efficiente, quæ in cerebri sunt ventriculis. Tunc natura vacuum in rebus non tolerante, spiritus malus insinuatur. tunc quid non patitur anima in execrabili malo assiduè pertæsa? sic enim natura comparatum est, vt ipsius spiritus sedes in hoc ipso dispositæ, vel peiori quodam, vel meliori sint plenæ. hócque malum pœna est impiorũ, qui diuinum eis sibi insitum inquinarunt; illud verò bonum, aut finis ipsẽ pietatis est, aut procul dubio prope fi-

oetur *Synesius de somnus.*

Intellectuales species fortè in intellectibus nostris superioribúsque naturaliter insitæ, per industriam nostram certò sciri possunt; intelligibiles verò species, & ideæ, primo intellectui naturales, nostra quauis sagacitate, certáque ratione apprehendi non possunt. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 29.*

Intellectualis ille mundus quodammodo est cunctæ suæ partes, id est vires, atque formæ. dum igitur vniuersa multitudo hæc, in forma totali, mundus ille dicitur in se ipso esse, est multitudo hæc semper in illa velut causa conseruante, est igitur ita mundus ille semper in semetipso, quapropter in suo quodam eodem esse semper manet, stat itaque semper. *idem, ibid. cap. 86*

Intellectualis natura tum præsidens, tum insidens nobis, indiuidua est; vita verò ad corpus diffusa diuidua: quia quãuis sit vna tota diuisa in quolibet membro, tamen afficitur ad diuersa, varióque modo viuificat varia, atque in multis siue membris vehiculisque simul, siue corporibus successione viuificãdis, anima rationalis non conficit ex se & corpore vnum, sed ex corpore, & vita quadã illi tribut-

quasi quadam anima ipsius imagine. *Fic. in Plotin. En. 1. lib. 1 cap. 8.*

Intellectualis naturæ tres sunt gradus, intellectus ipse communis, intellectus animæ proprius, & ratio: & tres intellectualis naturæ sunt imagines, prima sensus, secunda vis vegetalis, tertia forma corporis. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 4. cap. 9.*

Intellectualis natura etiam in nobis non fit aliquando particeps, vt vult Plotinus, sed semper diuinæ mentis est compos. *idem, ibid. lib 8. cap. 2.* Intellectualis natura sola omnem à se motum procul repellit. *idem, in Plot. Enn. 1. lib. 1. cap 8.*

Intellectualis sapientia apud Plotinum, & magnos philosophos, causam non habet externam, ex occurrentibus videlicet incitantem, sed intus ab æuo lucet, & micat interiosecus, hucusque nullo prorsus impediente, enitet quoque in rationem intelligentiæ proximam, & vtentem intelligentia, quoties non impeditur. Impeditur autẽ tum communiter ob distractionem quandam animæ circa plurima, tum propriè in quibusdam, qui vel nascuntur insani, vel fiunt, & hoc tribus præcipuè modis, aut hebetes vel obliuiosi, aut stolidi, aut furiosi sunt. *Fic. in Plot. En. 3. lib 1. cap. 10.*

Intellectualis anima naturali quadam intelligentia & voluntate vitam generat, & naturam genitalem, mundum scilicet, seminarium vestigiorum vltimum diuinorum. *Fic. in Plot. En. 3 lib. 2. cap. 3.*

Intellectualis vitæ finis non simpliciter est, & quomodolibet habere bonum, sed habitum bonum intelligere. *idem, in Plot. En. 3. lib. 8 cap. 2.*

Intellectualis anima vt dependet ab intellectu puro, qui nõ est anima, ita & hic intellectus emanat ab ipso bono, quod non est intellectus, sed supereminens intellectum. *idem, in Plot. En 5 lib. 1. cap. 7.*

Intellectuales formas in intellectu, vel anima, siue ingenitas illi siue huic acquisitas, non tam modo characterum, quàm habitus cuiusdam naturalis inesse putarunt Auicenna & Henricus magni Scoti præceptor, quo quidem habitu animus ad hoc vel illud facilè sese vertat. *Fic. in Plot. En. 5. lib 3 cap. 8.*

Intellectuales animæ omnes per intellectum suum ad intellectum diuinum ascẽdere quandoque possunt, & quãdoque ad principium omnium progredi, tum per virtutem suam, tum per diuinum intellectum. *idem, in Plot. Enn. 5 lib. 5. cap. 3*

Intellectilia sola vera dixere Democritus & Plato; sed alia & alia ratione Democritus, quia nihil sensile atomis subjici voluit, omni sensili qualitate destitutam habentibus naturam, Plato, quia semper fierent sensilia, nunquam essent, existerent nunquam instar rapidi torrentis, vt nec per duas minimas temporis particulas permanere, nec suscipi quirent, sed nec ostendi propter fluxus velocitatẽ, vt dicebat Asclepiades. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in exam. van. doct. gen. lib 2 cap. 36.*

Intellectus quodcunque actualiter intelligens, res intellecta, ipsaque intelligentia, idem prorsus existere comperiuntur. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Intellectualis visio præter idealem primam sapientiæ pulchritudinem nullam altam pulchritudinem superiorem distinctè comprehendere, aut clarè discernere valet. *idem, ibid.*

Intellectus quid in vniuersale accedit.

Intellectui semper inest appetitio, est semper appetens est semper & consequens ipsum verè bonum: neque desiderat quicquam intellectus semper pulcher est omnium pulcherrimus in lumine puro splendoréque simul constitutus, entiúmque naturam in se comprehendens, cuius quidem noster hic pulcher mundus vmbra est, & imago ille vero mundus superior in omni positus est claritate, vbi nihil intellectu vacans, nihil tenebrosum, nihil immoderatum, sed in seipso beatam agit vitam. quam si quis aspexerit protinus obstupescet, præsertim si quatenus oportet illi seipsum insinuet, iur[?]sque illius euadat. *Plo. En. 3. lib. 5. cap. 50.*

Intellectus omnis in mundo intelligibili est nec discretus, nec diuisus simul; & vno in mundo sunt animæ, nec ex vllis locorum interuallis distantiam patiuntur. Intellectus indiscretus & indiuisus semper est, anima illic indiscreta & indiuisa viuit, habet tamen diuisionis naturam cuiusdam capacem. eius partitio est illic abesse, & distare, & corporibus coniungi, ideo non iniuria dicitur circa corpora diuisibilis. non tamen tota illinc discedit, sed etiam superest eius aliquid, quod ad inferiora non venit, cuius natura nullam subire potest partitionem, *Plotin. Enn. 4. lib. 1. capite 1.*

Intellectus omnis semper est in excelsis, nec vnquam è sua sede dilabitur, sed firmiter omnis in alto consistens, nonnihil per animam ad hæc vsque demittit. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 12.*

Intellectus habet omnia consistentia in eodem, atque est duntaxat sempérque præsens, nec vllo modo futurum, est enim iam tunc quidquid esse potest, nec habet præteritum, non enim ibi quicquam præteriit, sed cuncta sunt præsentia. *idem, En 5. lib. 1. ca 4.*

Intellectus est melius omnium quæ sunt, quoniam alia sunt post ipsum, & anima est mentis verbum & actus quidam, sicut mens est dei verbum, verùm animæ obscurum est verbum, quatenus est mentis imago, hoc ipso ei aspiciendum est in mentem, eadem ratione Deum inspicit mens imago Dei, vt ita sit intellectus. Videt verò Deum minimè inde separata, sed quoniam est post ipsum, & nihil est medium inter animam & mentem. omne vero genitum appetit genitorem in cuius consecutione sit contentum, præcipuè vero cum soli sunt genitor & genitus, at vbi quod genuit est omnium optimum, necessariò genitum ipsi cohæret. vsque adeo vt alteritate quadam solùm videatur inde discretum. *Plot. En 5 lib. 1 cap. 6.*

Intellectus per se ipsum, & definit esse sibimet, potestate quadam ab illo prorsus accepta, vbi animaduertitur essentiam esse tanquam partem quandam vnam eorum quæ sunt illius. atque ex illo & ab illo corroborari, & ab eodem, & ex eodem perfici in essentiam. Videt se ipsum, vt partibile quoddam ex impartibili, cum viuere, cum intelligere prorsus omnia, quoniam ille nihil est omnium, & ideo ab illo omnia fiunt, quia ipsum vna non circunscribitur forma, Illud enim vnum est duntaxat, intellectus verò in ordine rerum est omnia ob hoc illud nihil eorum est quæ sunt in mente, sed ex ipso cuncta in rerum ordine manant, quamobrem hæc sunt essentiæ, determinata enim iam sunt, & vnumquodque habet iam velut formam, ipsum verò ens non est quasi in quodam indefinito considerandum, sed termino quodam statúque firmatum, & intellectus hic pur[?]ssimæ mentis appellatione dignus à primo principio nuncupatur. *Plotin. En. 5. lib. 1. cap. 7.*

Intellectus nec alia quadam vita, nec aliis indiget, sed quas præbet non sibimet, sed aliis exhibet. *Plot. Enn. 5. lib. 3. ca. 9.*

Intellectus, si quatenus euadit multiplex, sit intellectus, atque ipsa intelligentia sui, etiam si ex ipso procedat, tamen velut accedendo multiplicat; oportet quod est omnino simplex omniumque primum, esse mente superius, etenim si intelligat, nequaquam intellectu superius, sed intellectus est, & si intellectus, erit etiam multitudo. *idem, ibid. cap. 11.*

Intellectus & ens est idem quam cum rebus prodit, nec res ipsæ intelligibiles omnino sunt absque intellectu. *Plot. En. 5 lib. 4 cap. 2.* Intellectus vniuersus omnia, vt genus species continet, & vt totum partes. *idem, En. 5. lib. 9 cap. 6.*

Intellectus ipse agendo intelligendóque generas entia, atque perficit. *ibid. cap. 8.*

Intellectus geminam vim habet, alteram ad intelligendum per quem interna sibi conspiciat, alteram qua superiora suscipiebat, iactu quodam intuendi, & perceptione quadam quo intuitu & acceptione prius etiam videbat solũ, & videndo accepit posterius intellectum, vnumque existit, & illa sana mentis visio est, hæc ipsa mens est amoris. *Plotin. En. 6. lib. 7. cap 35.*

Intellectus vbi est, & essentia, merito semper est diuersitas, fit enim necessario, etiam si seipsum intelligat, intelligibilis, & intelligens. *idem, ibid. cap. 37.*

Intellectus proprium est cognoscere entia, & in intellectionibus habere perfectionem. *Proclus element. Theologic. propositione 134.* Intellectus omnis secundum sui essentiam definit omnia, & quæ secundum causam sunt in alio, & quæ secundum participationem. *idem, ibid. prop. 173.*

Intellectus omnis in sempiternitate essentiam habet, & potentiam, & actum. *ibid. propos. 169.*

Intellectus omnis totus est veluti & partibus constans. & vnitus est aliis, & distinguitur ab istis sed imparticipabilis intellectus simpliciter vniuersalis est, & velut partes omnes vniuersaliter in se habens, particularium verò vnusquisque, vt in parte vniuersum habet, & ita omnia particulariter; nam si sigillatim, est omnia, sigillatim nihil aliud est quàm particulariter. *Proc. in elem. theolog. prop. 180.* Intellectus quibus adest omnibus, & vita adest, non contra. *idem, ibid. proposit. 102.*

Intellectus omnis particularis participat eam quæ est super intellectum & primissimam vnitatem, & per vniuersale,

& per

& per coordinatam ipsi particularem vnitatem:& omnis particularis anima vniuersi est particeps intellectus, & per vniuersalem animam, & per particularem intellectum,& omnis corporis particularis natura & per vniuocam naturam,& per particularem animam, particeps est vniuersalis animæ. *Proclus element. Theol. propos. 1C9.*

Intellectus omnis participatus tantum intellectualis existens, participatur ab animabus, neque diuinis neque iis quæ in mentis amentiæ mutatione sunt. *idem, ibidem, propositon. 183.*

Intellectus anima melior est:& eo intellectu, qui in potentia est, melior est ille, qui actu semper omnia simul intelligit,& hoc pulchrius, quod eius causa est, quodque omnibus super extat. is est Deus ipse primus, & causa vt mundi mens semper agat, in quam immobilis ipse haud secus quàm in oculum obiectum sol agit, ac ea ratione mouet, quà id quod appetitur immobile ipsum appetentē agitat, hoc pacto mens suprema totius cœli mentem ducit. *Alc. cap* 10. Intellectus passionis est expers. *Priscianus in Theophrastum de phantasia & intellectu, cap. 5.*

Intellectus respectu speciei ipsius semper est refertus sciētia *Bess. Card. in Cal. Plat. lib 3. cap 28*

Intellectus clarius diuinam substantiam contueri possunt, quatenus lumen ipsum, quo ad id quasi materiæ perspicuę præparantur sub diuersis perfectionis gradibus inde suscipiunt, siue pro naturæ, siue pro dispositionis acquisitæ diuersitate, aliter & aliter præparantur, maxima verò nostris mentibus varietas ex diuersis amoris gradibus proficiscitur, quibus diuersi visionis & gaudij gradus cōgruunt. *Fic. Platonica Theolog. lib 18 cap. 8.*

Intellectus ipse simpliciter tenet summum gradum velut principiū in ordine essentiæ in æternis gradibus, à quo intellectus animalis in generatione descendens summū tenet in toto generationis ordine, tanquam finis nō tanquam simpliciter generatione factus sed accommodatus corpori ad prouidentiam totius explendam. *Fic. in Plotinum En. 4. lib 1. cap. 1.* Intellectus, vnde omnes animæ vires ordine effluunt, quodammodo est. & quodammodo nō est omnes. Anima tandem omnésque vires eius, quoniam certis loci limitibus nec extenduntur, nec circunscribuntur, facilè sunt vbique. *idem, in Plotini En. 5. lib. 2 cap 5.*

Intellectum suum qui totus ingreditur, per hunc ingreditur & diuinum, qui boni ipsius filius est. pater autem animæ mundi generatur intellectus à bono, & anima mundi simul ab intellectu, cum in intellectu primo ipsa intelligentia *Fic. in Plotini En 5 lib. 8. cap. 12.*

Intellectus infinitam virtutem in se habet, cùm nec humana, nec diuina respiciens satiatur, nisi infinitum Deum capiat qui capacitatem eius ab ipso manantem impleat infinitam. *idem, Platonica Theologia lib 8 cap. 16.*

Intellectus terminum in perduratione habere non debet, cùm in virtute saltem adeo amplificata & operatione nō habeat, *Fic. Platonica Theologia lib. 8. cap. 16.*

Intellectus natura sua in rationum vniuersalium conceptione versatur, ideo vt ex eius apprehensione proueniat aliqua actio, vniuersalem eius conceptionem ad particularia deducere oportet. *idem, in Plato. Theol. lib 9 cap. 4.*

Intellectus instrumentum nullum habet. *ibid. cap. 5.*

Intellectus, quò altior est, eò paucioribus subiecta pluribus præsidet. *Fic. Plat. Theol. lib. 10 cap. 1.* Intellectibus Deus essentiam tribuit, deinde intelligendi virtutem, postremo ipsam infundit intelligentiam, rebus quoque intelligibilibus præstat essentiam, vim qua mentem mouere queant, & actum per quem moueant, & ita cum intelligibilium actu mentis actum Deus coniungit, vt solis lumen oculi actum cum actu colorum, *idem, ibid, lib. 12 cap. 1.*

Intellectus omnes tanquam lumina ad vnam mentem tanquam lumen, animarum idola & simulachra ad vnum vniuersalis animæ idolum. omnes naturæ corporum quasi animarum vmbræ propriè ad communem naturam vnius corporis, quasi vmbram vnius corporis reducuntur. *Fic. Plato. Theol. lib 15. cap. 5.* Intellectus omnes, siue sublimes, & super animas sint, siue inferiores, & indita animabus, ita inuicem connexi sunt, vt ab eorum capite Deo incipientes lōga & continua serie procedant, ac superiores quilibet inferioribus radios suos dispertiant *idem, ibid.*

Intellectus nunquam tum facilè fieret phantasticus, aut phantasia intellectualis euaderet, nec ille irrationalis efficeretur aliquando, aut illa rationalis, nisi commune subesset vtrisque subiectum. *Ficin. Platon. Theolog. lib 15. cap 9.*

Intellectus vt induat diuinam substantiam quasi formam, non trahitur propria virtute, sed diuina actione: nam natura inferior proprietatem & formam superioris absque superioris actione consequi nequit. *idem, ibidem, libro 18. cap 8*

Intellectus non potest ad diuinam substantiam per semet ipsum perspiciendam attolli per solum naturalis virtutis & luminis augmentum, cùm eiusmodi operatio ab ipsa naturali mentis operatione plusquam genere differat. Sed opus est noua quadam virtute nouóque lumine ab altiori principio descendente, quod & gratiæ, & gloriæ lumen appellant: quo illuminata & accensa mens diuinam substantiam induit, vt flammam super cœlestem lucentem salubriter non vrentem. *Fic. Platon. Theol. lib. 18. cap. 8.*

Intellectus naturam maximè cognouit Plotinus, & illi maximè credendum est, cùm semper intellectu vixit, vt vita eius, gesta, & scripta testantur. *Fic. in Plotini En. 5. lib 1. cap 8.*

Intellectus omnes vult Plotinus in se inuicem esse & vbique, cum semper sint in mente diuina tota semper præsente, ideo intellectus perfectè, & hominis abstracti, & si sit in occidente, videt quæ in oriente, qua præsentia & Deus percipit preces, & homines cum Deo familiarissimè colloquuntur. esse quoque vult intellectus huiusmodi familiares hominum dæmones assiduósque duces singulos singulis attributos. *Idem, in Plotini En 4. lib. 2. cap. 5.*

Intellectus quilibet essentiam suam & esse possidet in sua quadam intima prorsus identitate: & vt ita loquar alteritate: identitate inquam vt est simplicissima forma à sua simplicitate nunquam cadens alteritate, prout huiusmodi forma per seipsum talem, velut per suam proprietate nō à re qualibet alia, & à quolibet alio distinguitur intellectu quod si primo & per se distinguitur, permanet semper procul à confusione discretus. *Fic. in Plotin. En. 4. lib. 3. cap 4.*

Intellectus cùm non excludat multitudinem, quam excludit vnum, ideo vnum ipsum tanquam simplicius est eminentius intellectu, consequens vt per intellectum apprehendere, & explicare ipsum minimè valeamus, loquimur tamen de illo vt Parmenides & Dionysius ait, per negationes & relationes. *Fic. in Plot En 5. lib 3 cap. 14.*

Intellectus non solum sola contemplatione contentus putandus est sibi viuere liber, sed etiam ratio per virtutem ab intellectu conceptam libera secum habetur, quatenus pro fine non statuit rerum actionúmque exitum, sed honestatem & contemplationem internam. *Fic. in Plotin. En 6 lib 8 cap. 6.*

Intellectus nihil noui nasci in se permittit, in anima nascuntur nouus actus, & habitus per actum, natura enim intellectualis est vniformis & stabilis, natura animalis præter hæc duo habet & horum opposita. *Fic in Prisc. Theoph. de phantasia & intellectu. cap. 10.*

Intellectus quot intelligant modis.

Intellectu cùm agimus, regnamus duobus modis secundum illum agimus vel quia vt literæ, & quasi leges inde scriptæ sint, vel quia implemur eo: aut quoniam eo præsente videre ipsum & persentire possumus, cognoscimus nos ipsos tali quodam spectaculo alia per ipsum discere, aut vim eiusmodi aliquid cognoscentem, eadem ipsi vi perducentes, aut illud quoque nos facti, adeo vt quod seipsum cognoscat duplex iam existat: aliud se cognoscens in natura ipsius animę cogitatrix, aliud hac natura superius, vbi qui se cognoscit secundum intellectum illum id euasit & se conspicit non tum adhuc hominem, sed aliud iam factum. *Platon. En. 5. lib. 3 cap 4.*

Intellectus est multiplex alteritate, non loco, sed simul est omnis. *idem, En. 6 lib 4. cap. 4.*

Intellectus in duo diuiditur, in scientiam, & recordationē. *Chalcid. in Timæum Platon.*

Intellectus omnis, vel imparticipabilis est, vel participabilis & si participabilis, vel à supermundanis animabus participatur, vel à mundanis. *Proclus element Theol. prop. 166.*

Intellectus omnis ab his quæ secundum essentiam simul & secundum actionem sunt intelligibilia participatur primò. *idem, ibid. prop. 175.*

Intellectus omnis plenitudo existens formarū alius quidem vniuersaliorum, alius particulariorum est cōprehensiuus formarum, & superiores quidem intellectus vniuersales habent quæcunque particularius habēt ij qui post ipsum sunt: inferiores verò particularios quæcunque vniuersalius ij qui ante ipsos. *Procl. elem. Theol. prop. 177.*

Intellectus alter intelligendi vim habet à natura, licet actu non intelligat, alter & ipse naturam intelligendi habet, nondum tamen perfectus esse cognoscitur, nisi amplius addideris semper illum atque omnia intelligere, non alium temporibus aliis quippe qui perfectissimus semper est & omnis & simul omnia intelligit. *Max. Tyrius serm. 1.*

Intellectus duplex, vniuersalis qui est Deus, & particularis qui est suus cuiusque. *Philo in legis Allegor. lib. 2.*

Intellectus vel bonus, vel malus est qui pronus est ad voluptatem, bonus eius inimicus expectans occasionem tollendæ è medio voluptatis è contra voluptatis insipientis plantam seruit, sapientis basim destruere conatur. *Idem, ibid.*

Intellectum rerum bifariam diuidit Plato, priorem validum & potentem earum rerum quæ verè sunt, alterum cognitionem vocat simulachrorum & imaginum existentium intelligibilia, qua notitia mathematicas comprehendit, & dicit earum principia esse incognita & fines incognitos, & per consequens quæ inter principia & fines sunt, sunt incognita. *Auer. in remp. Plat. tract. 2.*

Intellectus duas habet vires, agentem qua agit species vniuersales, & capacem qua capit ab agente conceptus. *Fic. Plat. Theol. lib. 11. cap. 2.*

Intellectus secundum participationem sunt animæ rationales, angeli secundum formam, Deus secundum causam intellectus omni intellectu præstantior infinitè. *Idem, epistol. lib. 2.*

Intellectus in anima duplex, vterque possibilis nominatur, primus essentia indiuidua ab anima participata, secundus potentia ratione discurrens, quæ propriè nominatur anima. Ille actu semper intelligit diuina mente formatus, hic intelligit cùm conuertitur ad illum, cessat cùm diuertitur ad sensum, & in vtraque est proprius actus, & liber. *Ficin. in Priscian. Theophrastum de phantasia & intellect. cap. 6.*

Intellectus duplex est, operario prima, & secunda. *Gabr. Burana. in de tempore lib. 8.*

Intellectus de mente Themistij tres sunt, agens, potentiæ & patibilis: priores duos separabiles, & immortales, patibilem verò, in quo iracundiæ & libidines sedent, mortalem ponit. *Iac. Carp. in Alcin. pa. post digr. 10.*

Intellectus tres partes ponit Auerrois, primam recipientis, secunda agentis, tertia adepti, sic enim nominat intellectum illustratum ab agente intellectu, & rerum cognitionem qui adeptus est, de quibus agentem qui secundum substantiam extra nos est vnicus, & recipientem qui in nobis est, immortales ponit, tertium partim generabilem & corruptibilem, partim æternum. *Iac. Carpen. in Alcinoi par. post. digr. §§ 10.*

Intellectus duo munera propria agentis sunt facere omnia intelligibilia, eáque intellectui potestatis imprimere, vel ipsis eum illuminare *Leo Heb. de Amo. dial. 1.*

Intellectuum ordines quatuor sibi inuicem succedere conspiciuntur, humanus, copulatus, angelicus, atque diuinus. *Idem ibid. dial. 3.*

Intellectus quid sit, & eius obiectum.

Intellectus est simulacbrum Dei, anima verò est simulachrum intellectus, tanquam verbum expressum eius. *Arist. Theolog. Aegyp. lib. 10. cap 6.*

Intellectus est principium omnium entium, & intellectui agenti succedit anima vniuersalis. *Idem, ibid. lib. 14. cap. 1.*

Intellectus est quod contemplatur, ipsum autem viuens non intellectus quidem, sed intelligibile potius nominamus, & dicimus intellectum extra se habere quæ cernit. *Plot. En. 3. lib. 9. cap. 1.* Intellectus est visus quidam, visus inquam videns, ideo est quædam in actum iam perfecta potentia. *Idem, En 3. lib. 8. cap 10.* Intellectum dicimus imaginem esse ipsius boni, qui genitus est, & seruat multa in se genitoris, & fermè similitudinem talem ad ipsum habet qualem lumen ad Solem: genitorem illum verò non esse mentem. quomodo ergo gignit mentem? quia videlicet genitum conuersione quadam ad genitorem inspicit, & hæc visio est intellectus. *Plot. En. 5 lib. 1. cap. 8.*

Intellectus apud Platonem est mundi artifex, hunc ait animam in illa patera procreare, & ipsum bonum partem appellat, quod est intellectu superius. & sæpe ipsum ens & intellectum appellat ideam, & ea ipso bono mens, & ideo ex mente anima. *Idem, ibid.*

Intellectus est actus in seipso anima quatenus ad intellectum vergit, quasi habitat intus, quatenus autem mente egreditur, ad externa porrigitur. *Platin. En. 5. lib. 3. cap 7.*

Intellectus est quod primo gignitur, quia quod primo gignit, est intellectu superius nec primus genitor est intellectus. *Idem, En. 5. lib 4. cap 2.*

Intellectus qui intelligibile possidet, nunquam consistere posset, si non esset essentia, eiusque est intelligibile purum, quod ad intellectum intelligibile erit: secundum verò seipsum nec intelligens, nec intelligibile propriè erit, nempe quod intelligibile dicitur alteri intelligibile iudicatur. at intellectus non habet intelligentiam absque intelligibili: tunc perfectus est cùm habet, & antequam intelligat perfectam oportet habere essentiam. *Plotin. En. 5 lib 6 cap. 2.*

Intellectus est ipsa essentia, habétque omnia in se ipso, non tanquam loco, sed tanquam seipsum habens, vnumque cum ipsis existens, sunt enim illic omnia simul, sed nihilominus inter se distinguuntur. *Plotin. En. 5. lib 9. cap. 6.*

Intellectus ipse communis est species omnes: vnaquæque verò species est vnusquisque intellectus. *Idem, ibid cap. 8.*

Intellectus & ens est vna natura, quapropter entia & entis actus & intellectus talis vnum sunt, atque intellectionis eiusmodi species, & forma, actusque sunt entis. *ibid.*

Intellectus mundus intelligibilis est. *Plot. En 5. libr. 9. cap. 9.*

Intellectus est actus essentiæ, ideo secundum obtinet locum. primum ens, tertium animal, numerus est ante mentem, essentia vnum & multa. *Idem, En. 6. lib. 6. cap. 8.*

Intellectus bonus est non simpliciter, sed quoniam vnut sit, & ab ipso bono progenitus. *Idem. ibid. lib. 7. cap 18.*

Intellectus essentia est indiuidua solùm. *Porphyrius de occasionib.*

Intellectus omnis impatibilis est essentia. *Procl. idem. Theol. propos. 171.*

Intellectus omnis internorum est proximè & immotabilium secundum essentiam procreator. *Idem, ibid. prop 173.*

Intellectus omnis intellectualiter est, & ea quæ sunt ante ipsum, & post ipsum. *Ibid.*

Intellectus animalis nec est vt materia, nec vt sensus, est enim species omnium specierum secundum ipsius essentiam comprehensor, agit à seipso, & in seipso intelligibilia continet. *Priscian. in Theophrastum de phantasia & intellectu, cap. 4.*

Intellectus, sit Theophrastus, non est potentia ita subiecta vt materiales potentiæ forsan hoc apparebit absurdum, si intellectus sic materiæ naturam habeat, vt sit nihil: sed potentia omnia, distinctione vtendum est, nec de omni intellectu hoc accipiendum: materia quidem non est hoc aliquid, at si intellectus non est hoc aliquid, quid vlterius hoc aliquid erit? *Idem, ibid.*

Intellectum Aristoteles & Theophrastus totam rationalem aliquando cognominant, vbi etiam vsque ad phantasiam intellectus nomen extendunt. *Prisc. in Theo. de phant. & int. cap 16.*

Intellectus sic est à materia segregatus, vt immateriales species seiunctæ reuera à materia sunt. *Idem, ibid.*

Intellectum dicit scriptura terræ fontem, sensum verò faciem eius, nam fontis modò intellectus sensum omnem irrigat, mittens riuulos conuenientes singulis. *Philo in leg. Allegor. lib. 1.* Intellectus est tanquam Deus partis brutæ. *Idem, ibid.*

Intellectus qui non simplicibus tantùm, sed etiam superfluis oblectatur voluptatibus, eunuchus vocatur, sterilis sapientiæ. *Ibid. lib. 2.* Intellectus est oculus animæ illustratus splendore proprio, per quem dispelluntur altissimæ tenebræ offusæ à rerum ignorantia. Hic nõ ex elementis vt aliæ animæ species, sed puriorem & meliorem nactus essentiam, ex qua naturæ diuinæ sunt conditæ, solus in nobis meritò immortalis censetur. *Phil. quòd Deus sit immutabilis.* Intellectus visus nil aliud est quam prudentia. *Idem, de Abrahamo.* Intellectu quæ percipiuntur, nihil est Deo perfectius. *Idem, quòd mundus sit incorruptibilis.*

Intellectus puri sunt qui solùm intellectus sunt, & qui neque animalia ex se fundunt simulachra regendis vniuersa corporibus *Fic. Plat. Theol. lib. 10 cap. 2.*

Intellectuum finis si est ad diuinam substantiam peruenire, necessariò illic tanquam in fine omne mentium desiderium impletur, non impletur autem nisi ordinem illic vniuersi creatum vndique comprehenderent, studium. n. intellectus est vt particularia in vniuersalia ad cõmunissimu vsq; resoluat, & ens sub absoluta ratione describat,

& per

& per eius gradus distinctissimè diuidat; quasi ad id præcipuè natus sit, vt vniuersi forma quandoque formetur. *Idem, Plato. Theologia lib. 18. c. 3.*

Intellectus vbi finem consecutus fuerit, quietis potiùs quàm motionis auidus esse debet. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 18 cap. 8.*

Intellectus, qua ratione simpliciter intellectus existit, non est sibi ipsi sufficiens, sed est quasi quidam oculus institutus, & aspirans ad intelligibile lumen. *Idem, in Dion. Areop. de diuin. nom.* Intellectus est ipso intelligibili iunior, senior vero quàm anima. *Idem, in Plat. Parmenidem, cap. 73.*

Intellectum vocat Plato formalem mundi ordinem, quia intelligentiæ diuinæ est simulachrum. *Idem, in Plat. Timæum. cap. 39.*

Intellectus est ipsa vita, viuentium omnium principium & exemplar, cætera viuentia per diuersos gradus inde manare, rationale primum, deinde sensuale, denique vegetale, ea tamen connexione vt in animali rationali sit etiam nonnihil intellectuale, rursus in sensuali rationale nonnihil, item in vegetali aliquid sensuale, denique in mixtis vitale aliquid, atque vegetale. sic & principij fœcunditas declaratur, & sequentium seruatur conditio, & vniuersum vndique perfectè connectitur. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 4. cap. 3.* Intellectus solus est vita, reliquæ omnes sunt solum imagines. *idem, ibidem.*

Intellectus vniuersalis siue anima intellectualis plenitudo quidem est & multitudo penitus vniuersi, quamuis non vnita penitus: ideóque & si partes eius iunctæ comprehenduntur in qualibet, tamen non ita actu quàm potentia continentur. *Fic. in Plot. En. 3 lib. 2 cap. 16.* Intellectus simpliciter est prima vita in ordine rerum. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 8. cap. 4.*

Intellectus ipse nil aliud est quàm visus aliquis ad primum lumen suum ita directus, vt visus corporeus est ad suum, qui semper lumine inferior erit, qualicunque perfectione visus corporeus augeatur: ita intellectus consummatissimus à lumine suo, id est veritate, ipsoque bono, videtur adhuc secundus. *Fic. in Plot. En 5. lib. 3. cap. 11.* Intellectus quo præstantior & verior est quàm sensus, eo obiecta intellectus præstantiora sunt, veriorâque quàm sensus obiecta. *Idem, ibid lib. 5 cap. 2.* Intellectus obiecta non sunt imagines, sed veræ res. *ibid.*

Intellectus perfectus cum sit essentia perfecta, pro obiecto habent entia quoque perfecta quorum entium perfectorum multitudo est in intellectu eum intelligente; præsertim quia omnis multitudo rerum extra ipsum ab eius intelligentia proficiscitur, nec antecedit, nec comitatur eam, sed subsequitur, sicut verba loquentem. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 9. cap 5.* Intellectus non est ipsum simpliciter ens, sed ens duntaxat intellectuale. *Idē, in Plot. En. 6 lib. 9. c. 3.*

Intellectus habet pro obiecto proprio ipsum ens, in hoc noscendo nunquam errat: at si quādo errat, id fit ex eo quod addit subtrahitque illi aliquæ, quæ ipsi non congruunt. *Sebastianus Foxius in 2. Plato. de repub.* Intellectum videntur aliquando Aristoteles & Theophrastus totam vitam rationem cognominare, vbi etiam vsque ad phantasiam intellectus nomen extendunt. *Iacob. Carpent. in Alcinoi partem posteriorem digr. 11.*

Intellectus est habitus & principium intelligendi omnia principia, quæ naturæ lumine ab omnibus statim cognoscuntur, & vera esse conceduntur, dummodo vocabulorum ea exprimentium significatio rectè intelligatur. *Leo Heb. de Am. dial. 1.*

Intellectus vt primum, diuinus, idealis, agens causa.

Intellectus agens nunquam separatur ab anima, sed illi semper cooperatur opportunè ad omnia. *Aristot. Theolog. Aegypt lib. 1. cap 3.* Intellectus operatur vt secundum agens, & quicquid operatur, per primum operatur, siquidem indiget speculatione in agens primum, propter sui contemplationem substantiæ; & eius operatio non est tota simul, neque subitanea. *Idem, ibid lib 8. cap 8.*

Intellectus agens, & anima, non sunt priora tempore, sed prioritate essentiæ & naturæ, quia sunt supra tempus, primaria autem est mens. ideo dicitur princeps, quantum est idem quod verbum Dei, ac suppositum formæ primo continens omnes substantias illustres & puras. illi succedit intellectus ad mentem secundarius, qui est velut eius species. ab isto procedit anima rationalis, cuius lumen est simile matutino crepusculo; ideo et contingit obliuio & ignorantia, ideo indiget doctrina. memoria, & ratiocinatione. Ex lumine rationalis animæ oritur anima sensitiua, ex huius lumine profluit anima vegetatiua, ex huius lumine fit natura, quæ mouetur motu circulari simplici, in incessabili vniformiq; motu, & ab hac cœli natura procedit natura multiformis & variabilis, cuius motuum inter se contrarietas est causa generationis & corruptionis. *Arist. Theolog. Aegyp. lib 10. c. 2.*

Intellectus agens influit animæ rationali, siquidem est lumen eius, quod vniuerso mundo expansum: dirigit alia entia, & omnia seruat, quæ per sinceritatem accedunt ad eius essentiam, per immunditiam autem ab eadem recedunt; nam intellectus primus cum intellectu materiali, qui est substantia nostra, influit mundo. *Aristo. Theol. Aegyp lib. 10 cap. 8.* Intellectus agens est supra naturam possibilis. & eum amat vt præceptor discipulum. quia nullum aliud ens est aptum suscipere eius actionem perfectam quàm intellectus materialis. *Idem, ibid.* Intellectus agens nobilitat animam rationalem nunquam ab illa separatus. *ibid cap. 11.*

Intellectus primus post auctorem est principium cuiuslibet entis alterius creati, existéosque vbique seruat illa omnia: & vniuersalis anima est principium omnis formæ spiritualis & corporalis existens quoque ipsa forma à materia nudata, & sufficiens in se ob influxum receptum omnia speculari. eius opus est natura, quæ apparet formata in materia naturali, postremu artificia similia formatis naturalibus, vt ex eis constant. *Aristot. Theol. Aegyp. lib. 13. cap 6.* Intellectus agens habet potestatem perfectam nouandi animam vniuersalem. *idem, ibid.*

Intellectus agēs est opus auctori supremo proportionatum, in quem intellectum adhuc vniuersaliorem speculando conuersus sublimatur, fit causa vniuersalis procreans omnia alia subsequenter digesta entia. *Arist. Theo. Aegypt. lib. 14 cap. 11.* Intellectus agentis scientia in eo est qualitas non substantia, scientia nanque vera est substantia scientis, ac substantia vera est scientia sua, & hæc scientia vera inest ipsi substantiæ primæ a seipsa: ideo nulla substantia carens scientia tali est substantia vera, & consequenter est substantia particularis. *Idem, ibid. cap. 13.*

Intellectus agens immaterialis creauit omnia secundum propriam essentiæ cuiuslibet rationem & similitudinem. *ibid. cap. 18.*

Intellectus primus est, veritas & magnus Deus, Deus inquā secundus seipsum præ serena indagantibus antequam superiorem illum intueantur nempe superior ille eminentius sedet in præclaro eius solio ab ipso pendente. *Plot. En. 5. lib. 5 cap. 3.* Intellectus primus & est effector formarum, & illas in se habet. *Idem. En. 5 lib. 3 cap. 10.* Intellectus primus est multiplex, est alterius, & videndi compos, & præterea vt eius essentia sit visio: & vt sit visio & nō sit inanis plura esse oportet, nam quod vnum est quiescat oportet, nam qui ratione operatur, aliud est & aliud. *ibid. cap 29.*

Intellectus primus si in se rerum veritatem non habebit, nec veritas erit, nec reuera mens. nec omnino mens erit, imo verò nec vsquam alibi veritas habitabit. *Plot. En. 5. lib 5 cap. 1.* Intellectus primus, vt inferiora faciat, non cogitauit hunc equum, sed ibi hæc erant, quę deinde subsequuta sunt. *Idem, En. Plot. 6. lib. cap. 8.*

Intellectus primus omnia apparet, alius denique insidet illis, non vt fundetur in eis, sed vt fundet primarum speciem specierum, ipse tamen à specie procul existens. ac ferme sic intellectus se habet ad animam, tanquam ei lumen infusum, quemadmodum ille ad intellectum, nanq. cum intellectus determinat animam, reddit rationalem, eorū quæ habet ipsi vestigium exhibens. igitur & intellectus ipsius est vestigium. quoniam vero intellectus est species in differentia quadam inducta, multitudinéque consistēs, merito ille extra formam, & speciem existit, sic enim reliquum specie format. si autem ille species esset intellectus deinde ratio foret, oportet tamen primum ipsum nullo modo multum fore, alioquin multitudo eius ad aliquid superius referretur. *Plot. En 6. lib. 7. cap. 17.*

Intellectus in Deo vbique est, sed in eis, quę sunt post ipsum, existit, & nusquam pariter, & vbique pariter: anima in intellectu, atque Deo, simpliciter est vbique, in corpore vero vbique est nusquam. *Porphyr. de occasionibus.*

Intellectus omnis diuinus est per participationem diuinæ vnitatis, & vnitas quidem ex se Deus est. *Proclus in Theol. prop. suo. 129.* Intellectus omnis deificatus omni intellectu præstantior est. *Idem. ibid. prop. 160.* Intellectus diuinus vniformis est & perfectus, & primò intellectus à se ipso & alias mētes producens. *ibid.* Intellectus, cùm semper sit, est semper causa entium. *ibid. prop. 172.* Intellectus omnis participatus, vel diuinus est vt ex diis pendēs, vel intellectualis tantùm. *prop. 184.*

Intellectus omnis diuinus participatus ab animabus, participatur diuinis. *prop. 185.*

Intellectus omnium opifex adest semper omnibus diis plenissimè, per actum vnum in seipso manentem. *Iamblichus de mysteriis.* Intellectus puri sine sensu sensibilia noscunt. *Idem, ibid.* Intellectus opifex qui & veritatis est dominus, atque sapientia, quatenus in generatione progrediens occultam latentium rationum potẽtiam traducit in lucem, *Ammoũ* Ægyptiaca lingua vocatur, quatenus sine mẽdacio peragit omnia, & artificiosè simul cũ recitate *Phtha* nũcupatur, Græci *Vulcanũ* nominãt, artificiosum dũtaxat considerantes, & quando est effector bonorum appellatur *Osiris*, & alias habet denominationes propter diuersas potentias. *ibid.*

Intellectus diuinus non res nouit ex ipsis, sed ex seipso, atque in se per causam, omnium notitiam, & cognitionem, essentiámque anticipat, & excellenti ratione comprehendit, non distractus in singula, sed per vnam causæ comprehensionem omnia sciens & continens. *Dion. Areopag. de diuin. nomin.*

Intellectus cùm in rebus naturalibus sit principalis forma, oportet vt formet cæteras formas, & omnium gerat vicẽ, quod fieri nequit nisi formet materiam per formas inferiores congruè præparatam & illis quasi cessantibus ipse in seipso vires sequentium formarum experiatur. *Ficin. Plato. Theol. libr. 15. cap. 2.* Intellectus puri voluptas circa intelligibile summum non modò continua & pura est, qualis non est in sensibus, verùm etiam integra, & intima & simul tota comprehenditur, multoque magis, sensus superat voluptatem; quàm saporem suauitas illecebras inanes odorum. *Idem, ibid. lib. 18. cap. 8.*

Intellectus primus perfectè intelligit seipsum, vt omnium effectorem, & omnibus appetibilem, cùm & effector ad effectum, & appetibile ad appetentia relatiuè dicatur, necessariò & eadem perfectione cognoscit, & suos effectus omnes, & quæcunque ipsum appetunt, non communiter tantùm, & confusè, sed ratione distincta, vt seipsum & effectorem, & omnibus appetibilem comprehendit, ita & quæ inde fiunt, & quæ ipsum appetunt cognoscit. *Ficin. Plat. Parmen. de cap. 32.*

Intellectus primus qua ratione est intelligens, ad intelligibilia iam existentia, & ad ipsa quæ dicuntur entia sese cõfert, nec aliud habet proprium nisi illa, quæ iam sunt perspicuè contueri. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 49.* Intellectus primus tantùm distat à primo rerum omnium principio, quantum differt facere à contueri; nàm intellectus proprium est cõtueri quæ sunt, principij primi facere ea. *idem, ibid.*

Intellectus primus intellectualium munerum, & intelligẽtiæ multiformis est principium naturaliter intelligens ea seipso, & aliunde nactus est, vt sit ens vnum, & viuum; atque perfectum eminentissiméque cognoscens: intellectualem verò proprietatem eiusmodi, & vniformem, naturaliter peperit in seipso, & in sequentia protulit, vt nubes varia accepto solis radio colores in se varios procreat. *Fic. in Plat. Phædrum, cap. 2.*

Intellectus puri stabiliter intelligunt, Dij verò mundani & animi diuini perpetua discursione circa intelligibilia se versant, nos autem per quædam temporum interualla. *Fic. in Plat. Phædr. cap. 20.* Intellectus optimus bonitatis gratia primam mundi molem alioquin temere iactabundam pulcherrimo ad sui similitudinem disposuit ordine vitàque & mente donauit. *Idem, in Plat. Timæum, cap. 8.*

Intellectus diuinus ita præsidet animæ, vt animi animali. *Fic. in Plot. En. 5 lib. 1. cap. 8.* Intellectus diuinus tum communis dicitur quantum ipse indiuiduus totúsque est vbique tum proprius quantum à singulis animabus singulis quoque modis proprijsque accipitur; vnde & diuersi apud alias animas modi ratiocinandi sequuntur, modi quoque imaginandi diuersi. Intellectum verò, qui iam est forma quædam in anima non solum præsidens, sed & insita, nemo dixerit esse communem, oculi sanè multi multas referunt animas, multi præterea visuales radij oculis nostris naturaliter insiti varios intellectus animabus naturaliter insitos repræsentant: vnum verò commune solis lumen vbique præsens intellectum præfert, diuinum animarum intellectuúmque patrem lux tandem ipsa solis in vno sole consistens, ipsum bonum mentis patrem nobis ostendit. Intellectus igitur animabus ingeniti, si non vnus sunt intellectus, sunt tamen vnum, scilicet vnum, secundum esse intellectuale, redditum actu intelligens ab vno mentis illius lumine, in quo veluti in communi forma & obiecto sunt vnum, quamuis etiam sint pro animarum multitudine multi, sicut etiam visuales radij, seu visus, pro numero oculorum numerati sunt: neque sunt vnus, sunt tamen vnum in vno lumine inuicem concurrentes maximè verò viderentur vnum, si in seipsis extarent sic ab oculis expediti, sicut intellectuales animæ restant à corporibus absolutæ. *Idem, Ficin. in Plotino Enn. 1. li. 1. cap. 8.*

Intellectus purus, si nullo modo declinat ad corpus, vita verò intelligentiæ expers tota declinet, sequi putant Platonici vt intellectualis anima, qua parte intellectualis est, nunquam inclinetur ad corpus, qua verò parte non est intelligentiæ compos, flectatur ad corpora. *Fic. in Plotin. En. 1. lib 5. cap. 2.* Intellectus diuinus pater est formarum, materia mater, sed ratio & formarum fomes in materia vigens ritè paternum semen & efficax nominari potest, forma verò inde genita proles. *Idem, in Plotin. En. 1. libr. 6. cap. 5.*

Intellectus purus à patre manat, tanquam essentia viuens, mox naturaliter illuc aspiciens intellectus euadit. *Fic. in Plot. En. 5. lib 1. cap. 7.* Intellectus primus non propriè per superiorem causam est intellectus, sed quod existat vnum aliquid, atque bonum, ex superiore habet causa. *Idem, in Plotini En. 3. lib 1. cap. 1.*

Intellectus purus sub ipsa statim vnitate adeo sibimet euadit vnitus, vt ipse formaliter consistens omnia in quolibet sui sit totus. adeoque ipsius omnia in ipso sui quolibet comprehenduntur, igitur penes ipsum partes cunctæ sunt in qualibet, non per potentiam solùm, sed per actũ differunt verò formaliter, quoniam per actum alium, & alium, aliter, & aliter, siue magis, & minus. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 16.*

Intellectus primi actio propria intelligentia est tanquam eminentissima, amplissimáque simul & intima: & quousq; agit, eousque intelligit & è conuerso. *Fic. in Plot. de prouiden. cap. 19.*

Intellectum diuinum cùm nihil lateat, & ordo sit intelligẽtiæ proprius, nihil vsquam in hoc opificio intelligentiæ potest accidere quod non ab ipso totius ordinatore sit ordinatum, etiam antequam accidat, & subitò alteri annexum cæteris consequenter, & in ordinem vniuersi redactum, qui ordo ita demum absolutissimus est, vt minima quæque sint prouidentissimè ordinata, ita excellentissimus, si non solùm ex ordinatis, verùm etiam ex ordinatoribus complectatur. *Ficin. in Plotini En. 3. lib. 3. cap. 2.*

Intellectus diuinus est forma prima, puraque prorsus & vniformis, intellectus animalis est forma secunda, sed similiter omniformis. Natura est forma tertia, similiter vniformis, suisque ducta principijs, eò spectat assiduè vt informitatem materiæ formis operiat mirabiliter & exornet. *Ficin. in Plotini En. 3 lib. 5. cap. 1.* Intellectus primus est reflexio quædam in seipsum vitæ primæ potissimum secum ipsa constantis. *Idem, ibid. lib. 9. cap. 1.*

Intellectum mundi opificem existimat Plotinus animam generare, tum mundi animam, tum reliquas cõmunes sphærarum, stellarúmque animas, tum denique particulares animas, dæmonum videlicet & hominum. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 9 cap 5.* Intellectus primus, & essentia prima, sunt ideæ ideo intellectus omnes sunt essentiæ veræ, & veris inter se differentijs distributæ. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 4.*

Intellectus ideales distinguuntur in mente diuina inter se, non existentijs differentibus, vnica enim hactenus est substantia, sed ratione quadam & proprietate formali, quæ essentiales proprietates si cogitantur extra prodire, distinguuntur subitò magis, & distinguuntur existentijs adeo enim intus sunt efficaces, vt foras agant non accidentale aliquid, sed substantiam, & substantias diuersas pro rationum formalium diuersitate. *Ficin. in Plotini En. 4. lib 3. cap. 4.*

Intellectus diuinus intellectui nostro impressis omniformẽ vniuersi formam, quæ facilè in rationem vacantem inde subrutilat, quando igitur ratio penitus ad eam se conuertit & secum rapit imaginationem, in eodem statu quo & mundi anima permanet, id est simili cõtemplatione fruitur; & interim cœlum habitat, ad vniuersalem mundi gubernationem intuitum conuertit similiter & affectum. At cùm ratio imaginatione vniuersali mundi forma neglecta, particularem quandam diligentius intuetur, & amat ardentius, tanquam & vegetalis ipsa natura eandem prorsus affectat, tunc anima facta iam angustior, corpus asciscit angustum passionibusque subiectum: hinc curis innumerabilibus vexatur. *Ficin. in Plot. En. 4. lib. 8. cap. 4.*

Intel-

Intellectus, cum sit prima forma, meritò & vniformis est, & omniformis existit. *Fic. in Plot. En. 4 lib. 3. cap. 5.* Intellectus purus cœlo genitus, Saturnus est appellatus, conceptus suos ipse deglutiens, à Rhea, id est natura, & materia segregatus. Huius filius Iupiter mundi anima, filias, id est formas generat in natura, atque per hanc ad materiam postremò producit. *Idem, in Plot. En. 5. lib. 1. cap. 7.*

Intellectus primus in se habet formas omnium, tum secundùm essentiam eandem, tum formali ratione distinctas. *ibid. lib. 9. cap. 10.*

Intellectum primum probant Christiani formarum multitudinem non habere, quoniam per vnam sui formam, vnoquoque actu intelligens omnia, vt se variè ad omnia participabilem refert, multitudinem non in seipso, sed extra disponit. *Fic. in Plot. En. 5 lib. 9. cap. 50.* Intellectus primus in se habet numerum multorum absolutè inter se differentium, ideò necesse est super ipsum esse simpliciter aliud principium vnum, id est penitus simplicissimum. *Idem, ibid. cap. 15.*

Intellectui primo sua ipsa substantialis vnitas est ipsum intelligibile suum, vnde pendet intelligēdi virtus ad ipsum conuersa & inde formata, virtus eiusmodi vnà cum conuersione est indefinita duitas, sed definita euadit per suū intelligibile euadit intellectus in actu & omniformis idea. Hinc quoque cōuertitur per suam vnitatem ad ipsum simpliciter vnum. quod etiam intelligibile præstantius nominatur, quod Plotinus hic non priuat omnino cognitione, sed intellectuali duntaxat. *Fic. in Plot. En. 5 lib. 4. c. 2.*

Intellectus diuinus sic in ideas se deriuat, vt totus conseruetur in singulis, sed sub alia in aliis proprietate, nec tam dicendum est ideas esse in intellectu, quàm intellectum ipsum esse ideas, multiformem videlicet ex vniformi seipso mirabiliter producentem. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 8 cap. 4.*

Intellectus diuinus, qui Saturnus nominatur, castrat cœlium id est ipsum bonum, diuidit enim penes se in plures formas vniforme patris donum, permanet verò in se absque motu, & à commercio corporis segregatus, nam mundanam dispensationem, motus, generationes Ioui id est animæ mundi concessit, cuius natura genitalis appellatur Venus. *Idem, ibid. cap. 13.*

Intellectus proprius animæ inest vt forma, communis autem tanquam agens adest animæ. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 9 c. 7.*

Intellectus absolutè sumptus est omnes ideæ, idea quælibet non est intellectus absolutè sumptus sed intellectus eiusmodi. *Idem, ibidem. cap. 8* Intellectus primus in se habet ens, motum, statum tanquam tria rerum genera. *Idem, in Plot. En. 6 lib. 2. cap 7.* Intellectus primus in se concipit genera rerum quinque, ens, motum, statum, idem, alterum, & in hoc intellectu essentia altera est ab intelligentia. *ibid. cap. 8.*

Intellectus diuinus in sua essentia viua possidet & inuenit omnia; est autem viuens hæc essentia vniformis simul & omniformis, ideò mūdus hic inde talis intelligitur, & generatur. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 2. cap. 22.* Intellectus primus dum se intelligendo omnia intra se discernit, ibidem numerum patefacit. per virtutem immensam declarat magnitudinem, per intelligentiæ claritatem aperit qualitatem. *Idem, ibid. cap. 22.*

Intellectus diuinus ad ideas se habet vt ad propositiones suas geometria, ille enim intellectus existit hoc ipsum quod in se est in actu, & dupliciter habet ideas, tum in actu iam cunctas ibi iam consistentes, tum in potentia singulas, ibi mox inter se distinguendas: ideæ verò singulæ hoc ipsum quod in sua proprietate sunt; in actu sunt, in potentia verò sunt ipsum totum; tum verò quod est ibi superius ad sequentia quasi & genus est, & causa, qua ratione genus, illa est in potentia, qua causa illa est in actu. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 2. cap. 20.*

Intellectus primus fœcunditate lucis exuberante in seipso, quamplurimos intus naturaliter propagat radios ideales, ex hac propagatione intellectuali simul & naturali materiales rerum formæ foras tanquam lumina profluunt. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 7. cap. 8.* Intellectus primus cùm sit vita prima, sola intellectualis vita est vera vita. *Idem, ibid. cap. 55.* Intellectus primus maximè viuit liber, vbi viuere intelligere est, intelligit vt vult, vix enim ibi discernitur voluntas, & intelligentia, sunt enim actus ferè idem: vergens ad bonum voluntas dicitur, attingens bonum intelligentia nominatur. *Idem, ibid. lib. 8. cap. 6.*

Intellectus diuini, & animi intellectuales sua quædam habent centra, id est vnitates essentiales intellectu superiores; in intellectibus ergo diuinis præter eiusmodi centrum extat orbis vnus, id est proprius intellectus; in anima verò vltra centrum suum sunt tres orbes, intellectus, ratio, imaginatio, centrum semper copulatum est cum vniuersi centro, intellectualis orbis semper voluitur circa idem; orbis rationalis aliquando circa centrum suum, & diuinum voluitur, aliquando quasi frangitur & per obliquum declinat ad alia. *Fic. in Plotin. Enn. 6. lib. 9. cap. 8.*

Intellectus agens se videns conspicit omnia secundum causam. *Fic. in Prisc. in Theophrastum de phantasia & intel. cap. 13.*

Intellectus agens nullo modo est factus, intellectus possibilis in nobis primus nunquam fit, sed semper est factus. s. formatus agente, intellectus possibilis in nobis secundus id est ratio fit semper, id est quotidie per intellectum superiorem, & discursionem ad illum actu formatur, vel saltem innatas formas in actum ex otio profert. Quæ sententia sæpius à Plotino & Iamblico approbatur. *Ficin. in Prisc. Theoph. de phant. & intel. cap. 20.*

Intellectum agentem ponit Themistius de Aristotelis mente vnicum & immortalem, nec satis definitum, cùm ille suo lumine in nos influere dicitur, qualem extra nos essentiam habeat, & item apud ipsum de intellectu potentiæ omnia sunt indefinita. nam impatibilem vult ab Aristotele poni, minus tamen propriè quàm intellectū agentem, & immortalem, non solùm quia non interit simul cū corpore, sed quoniam nunquam est ortus, quod satis mihi videtur cum Aristot. metaphysicorum duodecimo conuenire; & omnia reliqua per se obscura inuoluta sunt apud illum. *Iacob. Car, tot. in Alcin. part. post. dig. 10.*

Intellectum agentem ex mente Themistii colligere possumus esse extra nos substantiā suā, quoniam semper actu intelligit, & omnia in seipso, vel potius se ipse contemplatur, sine vllo rationis discursu à præcognito ad incognitum sed in puncto indiuisibili, quorum nullum de intellectu. qui singulis hominibus proprius est, verè dici potest & intellectum in se esse cuiusque nostrum veram & germanam essentiam. *Iacob. Carp in Alcin. parte post dig. 10.*

Intellectus agens est substantia quædam à possibili nostro longè diuersa, Deo proxima, secundum mundi principium dirigens & conseruans præter cætera intellectum nostrum, & Deo proximus quia ab eo procreatus. *Steph. Comb. de ascensu mentis in Deum, lib. 4 cap. 11.* Intellectus agentis opera nobis esse opus dicendum, quia vniuersalia re ipsa non reperiuntur ex se subsistentia; sed est intellectus, qui facit vniuersalitatem in rebus quod munus exequitur tum in phantasma tum in possibilem propriam exercens virtutem; in phantasma exercet proprium munus influxu & abstractione. *Idem, ibid. c. 14.*

Intellectus agens hoc nomen sortitum est abstrahendo, quod species de actiua potentia phantasmatis ipse deducat in actum, *Steph. Comb. de ascensu mentis in Deum. lib. 4. c. 14.*

Intellectus agentis functiones sunt influere, abstrahere, & intelligibilem speciem procreare. *Idem, ibid.* Intellectus agentis effectus est species intelligibilis. *ibid.*

Intellectus vt se habet ad corpus, sensum, intelligentiam, & animam.

Intellectus differt ab intelligentia, vt à diuinitate Deus: diuinitas enim à Deo, intelligentia ab homine peruenit. hæc sermonis est soror, & vtraque sibi inuicem instrumenta: nam nec sermo absque intellectione pronunciatur, nec intellectio absque sermone prodit in lucem; quamobrem in homine sensus & intelligentia tanquam connexa conspirant inuicem, nam nec intelligere sine sensu, nec sentire sine intellectione vllo modo possumus. intellectionem tamen intelligere absque sensu possibile est, instar eorum qui in somniis phantasmata vident. *Mer. Trismegist. Pimand. cap. 9.*

Intellectus differt à sensu, quod intellectus noster ad qualitatem sensus mundi intelligendā & dignoscendam mentis peruenit intentione, & intellectus mūdi peruenit ad æternitatem, & Deos noscendos qui supra se sunt: & si contingit hominibus, vt quasi per caliginem ea, quæ in cœlo sunt videamus: quantum possibile est per conditionem sensus humani? hæc autem intentio prouidendis tantis bonis angustissima est, latissima verò cùm viderit felicitate conscientiæ. *Mer. Trismeg. Asclep. cap. 52.*

Intellectus appetens statū inferiorē fit anima. *Aristot. Theol. Aegypt. lib. 1. c. 2.* Intellectus & res intellecta sunt idē, & intellectus solū intelligit intellectuale, *idē. ibid. lib. 14. c. 8.*

Intellectus differt à sensu, quod intellectus noster ad qualitatem sensus mundi intelligendam, & dignoscendam mentis peruenit intentione, intellectus autem mundi peruenit ad æternitatem, & Deos noscendos qui supra se sunt; & sic hominibus contingit, vt quasi per caliginem quæ in cœlo sunt videamus, quantum possibile est per

conditionem sensus humani. *Apul. Asclep.*

Intellectus in ipso primo intelligendi actu habet, & quod intelligat, & quod intelligere se intelligat, tanquam vnũ prorsus existens, nec vllo excogitationis figmento quod vnum est ibi sit duplex. *Plot. En. 2. lib. 9. cap 1.*

Intellectum intueri ideas vbi dicitur, non significat omnino in alio contueri, sed in seipso intelligibile possidere. An fortè nil prohibet ipsum intelligibile esse etiam intellectum, sed in statu, vnitate, quiete; naturam verò intellectus inspicientis, intellectum illum in seipso manentem esse actum quendam ab illo manantem, qui suspicit illum & dum eum suspicit quasi illum euadere, & illius intellectum existere, quatenus intelligit ipsum, ac dum illum intelligit, ipsum quoque intellectum, & intelligibile aliter esse propterea quod imitatur? Hoc autem est quod excogitat quæ ibi cernit in hoc mundo facere animalium genera quatuor. *Plot. En 3. lib. 9. cap. 1.*

Intellectus cùm sit melior anima, ideò in anima quiescere non possumus, anima enim non generat intellectum. *Plot. En. 5. lib. 9. cap 4.* Intellectus cognoscit quæcunque intelligibilia sunt, & seipsum, & sua cognoscit. *Idem, En. 5. lib 3. cap. 1.* Intellectus inspicere potest vel quæ sunt super ipsum, vel sua, vel quę sequuntur ab eo: pura sunt quæ sunt in eo, puriora quæ superiora sunt intellectu, imò quod est intellectu superius. *Idem, En. 6. lib. 9. cap. 3.*

Intellectus vbique existens, & nusquam, est causa animarum, & animas sequentium nec ipse anima est, neq; quæ post animam, neque in eis existit, quoniam non solum vbique est, eorumque quę sunt post ipsum, sed & nusquam. *Porph. de occasio.*

Intellectus contemplabilis in se erat quondam deorum cõtemplationi coniunctus, deinde alteram ingressus est animam, circa humanam formæ speciem coaptatam, siue contemperatam, atque propterea in ipso necessitatis, & fati vinculo est alligatus, quam alligationem soluere nihil potest præter ipsam Dei cognitionem: idea namque felicitatis est ipsum cognoscere bonum. *Iamblic. in de myst.*

Intellectus propinquior est opinio, remotior phantasia. *Synesius, in e. myst. ph.* Intellectus quoniam in vniuersa anima disseminatus est, propterea distrahitur à sensibus ac perturbatur: ideò nil aliud esse arbitratur quam videri, audiri, olfieri, gustari, & tangi, vnde difficile est inuenire mentem frugi, quæ sua spectacula possit intueri. *Max. Tyrius ser. 1.* Intellectus sic se habet ad animam, vt ens ad generabile. *Synesius de somnijs.*

Intellectus animalis agit à seipso, & in seipso intelligibilia continet, quamuis propter cognationem ipsius cum anima, atque ob essentialem ad animam habitudinem, & denique propter inclinationem quandam eius ad diuisibile, tum ipse ab intellectuali essentia simul, & actione omnino impartibili, prorsusque vnitâ, quodammodo cecidit, tum intelligibilia quæ sunt in eo ab ipsa superfulgidâ, & seipsa lucente primorum intelligibilium substantia degenerasse videntur; & ipsa inter intellectum animalem & intelligibilia eius cõtinuatio quodammodo relaxata est, nec integra prorsus, vt veritas illa, quæ in separato intellectu assiduè viget. Atque ob hanc causam tum ipse ad cognitionem penitus impartibilem intellectu qui actu est indiget perfectiore, tum intelligibilia quæ sunt in eo illustratione indigent eâ, quæ ab intelligibilibus separatis effulget, ad hoc vt & hæc perfecta intelligibilia fiant, & dicuntur in potentia, quia ab intellectu separato perficitur. *Prisc. in Theophr. de phantasia & intellectu, cap. 4.*

Intellectus qui reuera est intellectus, & qui potentiâ dicitur intellectus ab anima scilicet participatus, intelligit sanè, vt qui est actus, quamuis gradu secundo, at anima particularis non semper intelligit, est enim anima res ipsa in se anima antequàm cognoscat. *Prisc. in Theophr. de phant. & intel. cap. 7.*

Intellectus non operaretur circa sensum si Deus non plueret super sensum perceptiones subiectorum, cum ipse ex seipso non sit idoneus ad irrorandos visui colores, voces auditui, gustui sapores, & cæteris sensibus sua obiecta. Quamprimùm Deus sensibilibus sensus rigare cœperit, mox intellectus tanquam vberrimus cultor præsto est; at sensus idea, quæ figuratè vocatur pluuia, nullo alimento indiget, sed alimentum sensuum sunt indiuidua sensibilia quæ corpora sunt. *Philo in legis alleg. lib. 1.* Intellectus reuera tunc fugitiuus est, cùm solutis intelligibilibus, vertitur ad sensibilia. *Idem, de migr. Abrahami.*

Intellectus si mistus esset non caperet incorporea, quia quod mixtum est sincera non comprehendit, & non affectaret attingere aliquid à corpore separatum: aliqui affectaret à corpore separari & dissolui. *Fic. Plat. Theol. lib. 8. cap. 10.* Intellectus si esset corpus, certum corpus esset in specie corporum, & ex hoc duo absurda sequerentur, primum quod multorum corporum formas neque susciperet, nec conciperet; similes non caperet, quia iam haberet, dissimiles non, natura enim quælibet similes parit: secundum quod ordinem corporum non transcenderet, cùm corpora fermè nunquam vltra suam speciem, & certè nunquam suprà suum genus aliquid operentur: ergo mens nunquam incorporalia cognosceret. *Idem, ibid.*

Intellectus non intelligit ausiliante corpore, quia cùm intelligere vult à corpore auertitur. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 12. cap. 6.* Intellectus esse suum impertit corpori non se miscendo, nec tangendo corpus, nec in corpore clauditur, sed penetrant ipsum vndique hæ formæ corpus essentiâ suâ, & virtutem essentię suæ illi dedicans, & cum ab essentia dicatur esse, & à virtute profluat operatio, coniungendo essentiam impertiunt esse, dedicando virtutem operationes communicant, vt ex animæ corporisque congressu vnum euadat animalis esse, operatio vna. *Idem, ibid. lib. 15. cap. 3.*

Intellectus sensu tantò perfectior est, quantò latiùs, & perfectiùs propagatur agendo. *Fic. epist. lib. 2.* Intellectus secundum intimam actionem ab omnibus emergit corporibus, vt qui secundum essentiam & vitam non sit submersus, & circa vniuersalia & æterna obiecta versetur. *Idem, ibid.* Intellectus inter omnes animæ vires purissimus est. *ibid.* Intellectus ita diuertitur ad intima si est inuentione, & iudicio profuturus, vt sensus se conuertit ad exteriora. *Idem, in Plat. Parm. c. 34.*

Intellectus ita fermè se habet ad intelligibile bonum, vt sensus ad sensibile bonum. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 46.* Intellectus dependet ab intelligibili fermè vt visus à visibili, ideò non est primum. *Idem, in Plot. En. 5. lib. 4. cap. 1.* Intellectus ita se habent ad summum intelligibilium lumẽ, Deum scilicet, vt visus se habet ad visibilium summum, quod est solem. *Idem, in Plat. de rep. dial. 6.*

Intellectus tanquam ratione præstantior non habet tam vim intelligibile, sed existit. *Idem, in Plotin. En. 1. libr. 4. cap. 9.*

Intellectus non solùm externa attingit vt sensus, sed interna etiam penetrat ideò cum intelligibili & diuino magis congruit quàm sensus cum sensibili & caduco. *Idem, in Plot. En. 1. lib. 8. cap. 1.* Intellectus simplici more procreat animam non mutatus, anima corpora instar compositi producit mutata naturam. *Idem, in Plot. En. 3. lib 4. cap. 1.*

Intellectus æque se habet in qualibet corporis portione, & penitus videtur indiuisus: anima verò aliud in hoc membro, aliud in alio exercet, vitam sensum & motum diuersis corporis partibus accommodat; itaque diuisa quodammodo in corpore videtur. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 1. cap. 1.* Intellectus natura longè diuersa est à corpore. *Idem, ibid. lib. 7. cap. 13.*

Intellectus omnis est quodammodo intelligibilis, non tamẽ omne intelligibile necessariò est intellectus; ergo ratio intelligibilis communior & prior est quàm ratio intellectus. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 6. cap. 2.* Intellectus ratio ad intelligibile vbi seipsum intelligit est tanquam inchoati cuiusdam luminis annitentis ad absolutum lumen accipiendũ, cui pro viribus adæquatur. *Idem, ibid.*

Intellectus animalis non est mixtus corpori, ideò non formatur à sensibus; & potentia rationalis huiusmodi formas non recipit nouas, sed vicissitudine quadam suas exercens rationalis natura in formali suæ essentiæ ratione scibiliũ omnium formas includit. *Fic. in Prisc. Theophrast. de phant. & intellectu. cap. 9.* Intellectus non sicut sensus externa prospicit, sed inspicit sua, & aliâ conditione quàm externa requirant. *Idem, ibid. cap 17.*

Intellectus in spiritali idem est quod in genere corporali oculus, qui etsi indiget luce vt videat, non tamen sua natura est visus: sic intellectus oculi sunt intelligibilis veritas lumen; & cùm intimæ aliquid lucis habeat, quæ seipsam videre potest, sed non potest reliqua, verùm indiget formis, & rerum ideis quibus vel radijs quibusdam inuisibilis lucis intelligibilis veritas indubiè cernitur. *Io. Pic. Mirand. Heptap. lib. 5. cap. 1.* Intellectus aciem in diuina luce figere non valemus, vt oculus corporeus Solis lucem cernere nõ potest. *Gabr. Buratellus de idea, lib. 2.*

Intellectus corporis facultatibus vtitur quantũ ad operari tãtùm, cùm cæteræ facultates animæ & quantũ ad esse & quantũ ad operari eis vtantur: vnde peripateticè deducere possumus sensui & intellectui deberi materiale obiectũ. *Steph. Comb. de asc. eius mentis in deũ, li. 4. ca. 3.* In intellectu nihil est, quod prius nõ fuerit in sẽsu. *Leo Heb. de Am. dia. 1.*

Intelle-

Intellectus actu.

Intellectus actuatus dicitur, qui habet quæsitum obuium speculationis, intellectus in potentia qui non habet quæsitum obuium, sed eo caret. *Arist. Theo. Ægypt. lib. 2. ca. 3.*

Intellectus actu existens causatur à principio primo & intellectus seruat formas in anima, anima seruat formas in materia prima. *Idem, ibid. lib. 3. cap. 4.*

Intellectus nequaquam ex potentia quæ intelligere possit, in actum prodit intelligendi. *Plot. En. 2. lib. 5 cap. 3.*

Intellectum actuatum appello habētem quæsitum obuium speculationi, intellectum verò in potentia non habentem quæsitum obuium. *Steph. Comb. de ascensu mentis in deum, lib. 4. cap. 9.* Intellectus actualis haud quidem in inferiori, sed angelico mundo duntaxat reperitur. *Leo Heb. de Am. dia. 3.*

Intellectus vt hominis.

Intellectus noster partim habet intelligendi virtutem per quam intelligibilia cernit, partim vnionem quandam excelsiorem intelligentia, per quam his quæ super intellectum sunt coniungitur. Eiusmodi vnione cognoscenda sunt diuina, non humano more, sed vt ipsi toti nos totos excedimus, & nos integros Deo dedimus, præstat enim esse Dei quàm nostri iuris: ita enim tradi nobis diuina poterunt, si cum ipso Deo fuerimus. *Dionysius de diu. n. nominibus.*

Intellectum, non intellectum vt habitum quendam, sed intellectum ipsum fortè super nos, habemus aut communem, aut proprium, fortè & communem omnium atque proprium: communem quidem, quoniam impartibilis est, & vnus, & vbique idem: proprium verò, quoniam vnusquisque ipsum in anima propria totum habet: habemus igitur & species duplici ratione, in anima quidem explicatas atque segregatas, in intellectu verò simul omnes. *Plot. En. 1. lib. 1. cap. 8.*

Intellectus an attingit culpam? fortè non, quapropter innocens manet: fortè sic dicendum, nos vel attigisse intelligibile ipsum quod in intellectu est, aut non, vel id quod in nobis, possibile enim est habere, nec habere intelligibile & promptum. *Idem, ibid. cap. 9.*

Intellectus purissimæ mentis appellatione dignus non aliunde nascitur quàm ex primo principio: & hic iam genitus cuncta secum simul genuit, vniuersam pulchritudinem idearum, intelligibiles Deos omnes; & hunc existimandum est esse plenum omnium, quæ progenuit, & quasi genita protinus absorbentem, quia in se omnia complectitur, nec sinit in materiem labi, & nutriri apud Rheam, vt mysteria, & fabulæ de diis fingunt. *Plotin. En. 5. lib. 2. cap. 7.*

Intellectus absente prorsus omni impedimento non tantùm ostendit suam sui ipsius cognitionem probabilem, sed etiam necessariam. *Plotin En. 5. lib. 3. cap. 6.*

Intellectus qui totus in mente est positus Deum intelligit; & & si Deum intelligit & seipsum cognoscit, etenim quæcunque à Deo habet cognoscit, & quæ ille tradidit, & quę tradere potest; & hæc cognoscens seipsum cognoscet, nā & ipse datus est, imò ipse est omnia quæ data sunt. *Idem, ibid. cap. 7.*

Intellectum perfectum si quis optat nosse qualis præcipuè sit, oportet in primis animum in mentem redigere, vel saltem actionem suam menti concedere, actionem inquā circa illa se versantem, quorum in se memoriam retinet. Animo hæc habenti & sic affecto iam licet demonstrare seipsum, qui per se velut imaginem illum quodammodo valeat intueri, obuitam præcipuè enim illud expressiori quadam similitudine resserentis, quatenus videlicet pars animę quædam seipsam potest ad mentem pro similitudine reuocare. *Plotin. En. 5 lib. 3. cap. 8.*

Intellectus in nobis semper agit illuminando, neque tamen semper animaduertimus, sed quando è quamplurimo generationis tumultu purgati sumus ac tranquillè viuimus. *Proc. in Alcibiadem 1.* Intellectus noster est numinis Apollinei proles. *Idem, ibid.* Intellectui humano exigen principiorum haustu ad integram rerum intelligentiam opus est, vt qui capulam hastæ vibrauerit, reliquas hastæ partes ad cuspidem vsque concutiet. *Max. Tyr. ser. 18.*

Intellectus animalis ab ipso secūdùm actum intellectu perficitur, ideò non vt sensus patitur, sed æquiuocè ac potiùs agit, quàm patitur, cùm per actionem suam à superioribus perfectiones accipiat, nec extrinsecus suscipiat, quæ intelligit. *Priscian. in Theoph. de phant. & intelle. cap. 5.*

Intellectum de foris aduenire Theophrastus, Alexander, Themistius, Auerroes accipiunt; vt iam quid sit ex quo quisque domicilium ortus sibi illico intellectum excipiat, & suam quisque appropriatam, siue applicatam portionem ita extinctus relinquat in commune, non aliter ac si quis Sole nascens participare dicatur, moriens priuari & lucem relinquere: & non esse animam particularem quæ de foris aduenit, sed ex communi acceptam applicationē. *Bess. Card. in calum. Plat. lib. 3. cap. 27.*

Intellectus nunquam fieret rei intelligendæ capax nisi esset aliqua sibi cum reipsa cognatio. *Fic. Plat. Theo lib. 2. cap. 9.*

Intellectus vi naturali statim absque vlla discursione accepto à phantasia hoc homine humanam illam communem naturam in omnibus, & ideam excogitat. *Idem, Plat. Theol. lib. 8. cap. 1.*

Intellectus noster ideò est postremus, vt & pluribus placuit antiquorum, quoniam non simul agit sua, sed versat in se vicissim, tanquam Proteus, formas atque intelligit succedendo, vt Luna quæ stellarum vltima est, vicissim mutat lumen cæteris non mutantibus. *Fic. Plat. Theol. lib. 10. cap. 1.*

Intellectus in diuinam eleuatur ideam, quando phantasiā excitatā per hominis alicuius figuram visu haustam simulachro formatur humano; tunc humanæ speciei formule quæ latebat in mentis arcanis instigata coruscat, & mentis siue rationis aciem actu format, quam formauerat habitu; formatio talis vel intelligentia quædam ambigua est, vel ortus intelligentiæ; postquam ita satis formata est, hominis idea formatur, id est ratio illa per quā Deus hominem generat, ita mens per formulam hominis ideæ quadrat humanæ, vt cera quæ ab annulo figurata est, quando diligenter annulo admouetur suo congruis exemplari; illa ipsa quadratio vera, & distincta hominis intelligentia est. *Fic. Plat. Theo. lib. 12. cap. 2.*

Intellectus in diuinam eleuatur ideam nequaquam Deum videre animaduertit, vt oculus per speciem formatus videt colorem, speciem verò per quam videt non cernit; sic intellectus formatus ideâ per hanc statim naturalē speciem ipsam intelligit, quæ per talem facta fuit ideam, ideam tamen ipsam nondum perspicuè intuetur, imò non agnoscit licet intuetur. Fortè verò sic accidit in contemplationis & quadrationis initio, sed quando pergit in contemplando congruit magis, ipsam quoque ideam suscipit clariùs, & agnoscit; sed vbi eam suscipit, nondum discernit. *Fic. Plat. Theol. lib. 12. cap. 3.*

Intellectum humanum existimarunt Plotinus, Theodorus & Iamblichus in mundo intelligibili viuere, & continuè operari per continuum intuitum idearum: ad quod mouerunt duæ rationes: prima, animæ suprema mens, quæ per se intellectualis essentia est, ideò intelligit per essentiam, vt per essentiam ignis calet, licet potentia animæ mente inferior per essentiam non intelligat; itaq; vt ignis semper calet, ita mens semper intelligit, & obiecta intelligentiæ sunt species ipsæ rerum æternæ: at intellectus intelligendo non obiectorum simulachris fallacibus hæret, sed vt verè intelligat, ipsis vnitur obiectis: ergo mens semper est æternis speciebus vnita; quo fit vt sedulò ædem colat æternitatis. Secunda ratio talis est: rationalis anima à mente diuina fit, & coniungitur corpori, & inter mentem, & corpus obtinet medium: si solùm hęreret menti, vitam corpori non tribueret; si solùm hæreret corpori, nihil intelligeret: ergo & menti, & corpori hæret simul: & vt anima rationalis se habet ad corpus, sic mens ad animam se habet rationalem; sed vita corporalis nil aliud est quàm actus continens animæ transfusus in corporis huius complexionem, ab anima non recedens: igitur intellectualis animæ vitę nil aliud est quàm intellectus diuini perennis actus annexus animæ non solutus à Deo: & sicut anima vitę corporali semina inserit rerum generandarum, ita Deus animæ cognoscendarum accendit igniculos. *Fic. Platonica Theologia lib. 12. cap. 4.*

Intellectus humanus ad mentem diuinam in ipsa sua intelligentia fermè comparatur, vt materia comparatur ad formam. *Ficin. Platonic. Theologia lib. 12. cap. 4.* Intellectum humanum Soli eidem nostro, rationem Solis huius lumini, idolum luminis huius radio, naturam radij reflexioni, id est splendori, & vt rectiùs loquar, vmbræ Platonici cōparant. *Idem, Plato. Theolog. lib. 13.*

Intellectum hominis Dicæarchus aiebat esse formam tum corporis, tum corporalem: corporis, quia corpus humanum viuificat: corporalem, quia è corporis sinu depromitur. Contra Auerroes, nec formam corpoream esse, nec corpus, Auicenna Theologorum Arabum princeps, & Algāzeles mediam viē secuti, mentē corporis formā esse asseruerunt nō corporalem; vt inter formas, quæ corporis & corporales sunt, atque formas, quæ neque corporales sunt, nec corporis, tanquam maximè differentes, mediæ

quædam formæ sint partim cum his partim cum illis quodammodo congruentes. *Fic. in Platonica Theologia lib. 15. ca. 2.*

Intellectus humanus infimus inter alios ita coniungitur naturæ earum formarum, quæ inter corporeas supremæ sunt, vt partim formet corpus vt illæ, partim intelligat vt mentes superiores. *Idem, ibid.*

Intellectus humani prima & familiaria sunt obiecta communes ipsæ naturalium naturæ, rationésque coniunctæ quidem corporibus, sed à corporibus separabiles. *Fic. in Platonica Theologia lib. 15. cap.* 10. Intellectus humani naturam esse mediam nihil magis mihi demonstrare videtur quàm inclinatio eius naturalis ad vtramque, siue enim per intellectum, vel incipiat à corporibus, mox inde se ad incorporea transfert, vel si ab incorporeis interdum exordiatur, vicissim ad corporum simulachra labitur, siue per voluntatem vel optet æterna interim inde temporalium affectu deflectitur, vel contra cupiat temporalia vicissim, inde sæpe æternorum reuerentiâ cohibetur. *Idem, ibid.*

Intellectus humani ad numerum hominum numerantur, ita vt vel specie inuicem distinguantur, vt opinantur magi, vel numero, vt posteriores Theologi asseuerant. *Fic. Platonica Theologia lib. 15, cap. 12.* Intellectus humanus immensam ipsam diuini luminis plenitudinem in absoluta Dei natura exuberantem nunquam penitus comprehendit, cum illa nimium capacitatem mentis exuperet. *Idem, ibid. lib. 18. cap. 8.*

Intellectus humani quātum ad motum præsertim spectat, ad angelicam notitiam perduci possunt, præcipuè si quod illic gubernationis officium consequantur. *Ficin. Platonica Theologia lib. 18. cap* 8. Intellectus humani accensi lumine diuino diuinum appetunt bonum quotidie, & illic quādoque verum illuminati conspiciunt, & conspiciendo bono feliciter fruuntur. *Idem, ibid.*

Intellectus humanus medius est inter æterna, & temporalia *Fic. in Pla. Theo. lib. 18. c. 8.* Intellectus diuinâ substantiâ formati immobiles prorsus manent. *Idem, ibid.*

Intellectus humani multi sunt, multi angelici, diuinus vnicus. *Fic. epist. lib. 2.* Intellectus noster, vt ait Aristoteles, se habet ad intelligibilia quæ in natura clarissima sunt, tanquam oculus noctuæ ad Solis lucem; & vt ait Auerroes, vt paralyticus id est sensu naturali orbatus ad illa quæ penitus incorporea sunt, & æterna. *Idem, ibid.*

Intellectus humani familiaria obiecta sunt naturalia quousque hoc corpus induit, & ideò intelligit ea à singulis separanda: vnde inter hunc & illa necesse est esse proportionem non paruam: ex quo concluditur intellectum esse à corpore separabilem, imò quodammodo separatum cum obiecta eius sint species coniunctæ singulis, sed non vt coniunctæ, immò separabiles & separatæ. *Ficin. epist. lib. 2.*

Intellectui nostro conditio hic innata est, vt rei cuiusque inuenire curet causam, & causæ causam, & non cessat nisi ad causam causarum quæ solus est Deus veniat. *Idem, ibid.*

Intellectus noster propter nimium sensuum sensibiliúmque commercium in hac vita quodammodo ad intelligibilia est ineptus. *Ficin. in Dion. Areopagitam de diuinis nomin.* Intellectus, vt in homine, appetit id quod intelligibile est perfectius, ab eóque formari vult potentiori; item in mondo præponendum est natura intelligibilis, intellectuali naturæ, intelligibile idem omnino atque ipsum eius appello. *Ficin. in Plato. de republ. dial.* 10.

Intellectus noster quodammodo est, vt ex Plotini sententia loquar, æterno, intimóque contactu redactus in actum idearum omnium, in quarum actu diuina mens prodiit ab æterno. *Fic in Plotinum En. 1. lib. 2. cap. 7.*

Intellectum stabiliter operantem proprium in anima esse hinc etiam confirmatur, quod rationalis natura quasi potentia quædam est quodammodo patiens, dum motu formatus, atque ex otio prodit in actum, quem plerique intellectum passibilem, vel formabilem nominant; & hic intellectus, vt imperfectus, ex se ab alio perficitur qui semper in actu sit, nec intellectum communem sic esse oportet, sed proprium animæ ne rationali desit naturę efficax intelligentiæ suæ, & intimum sufficiénsque principium, cum neque vegetali naturæ desit negationis suæ ratio seminalis, quæ est intimum, & efficax, & continuum generandi principium. *Ficin. in Plotinum En. 5. lib. 4. cap. 9.*

Intellectus noster semper actu cognoscere debet; ad rationem verò nostram quodammodo pertinet recolere cognita, dum circa formas excogitandas ea habitu transit in actum, atque vicissim: ad imaginationem autem attinet quodammodo discere noua. *Ficinus in Plotinum En. 2. lib. 4. cap. 16.*

Intellectum nostrum semper agere, vt ait Plotinus, non probat Marsilius, nec probauit Procl. nec Porphyrius: satis enim putandum est, si essentia, & formæ rerum insite, scientiarúmque principia maneant. *Idem, ibid.*

Intellectus de foris aduenit, vt ait Aristoteles, id est intellectus, id est superior anima, non intellectus, vt interpretatur Auerrois vnicus, sed vnaquæque intellectus anima forinsecus, id est non à seminali spiritu, vel calore, non à vita hac intima mundi, sed à mente diuina, quæ quasi exterior id est non coniuncta vt forma, omnibus dominatur & hinc efficitur, vt intellectualis anima tum cogitatione, tum voluntate possit quæ supra corpus, & naturam, & corpoream vitam sunt pro arbitrio petere, atque corpus, naturam, fatum quoties omnino decreuerit superare, & à temporaneis segregata coniungitur æternis, & cum his temporaneis dominatur. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3 cap 9.*

Intellectibus tanquam stabilibus, ipsique bono propinquis conuenit, vt sint felices: animabus autem tanquam mobilibus remotioribúsque competit vt felices efficiātur, sed quia per se mobiles vt sua opera tales fiant. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 5.* Intellectum, quem & Plotinus animæ partem medium vocat, diuinam intelligentiam intermittere nonnunquam confirmat Plotinus. *Idem, in Plotin. Enn. 2. lib. 9. cap. 2.*

Intellectum nostrum in diuinis restare felicem, dum rationalis potentia quasi ad terram præcipitata fit miserrima, ab Iamblico non videtur penitus dissidere, à Porphyrio tamen Plotini discipulo spretum est, à Proclo reprobatū. *Fic in Plot. En. 4. lib 3. cap* 11. Intellectus noster se habet ad rationem, & intellectus communis ad nostrum, vt lumen ad aerem, & forma ad materiam, sed ratio quotidie formatur ab intellectu nostro, noster autem à communi semper formatus est, semper illuminatus, Intellectus igitur communis excellentiam ex ipsa intellectus animalis præstantia possumus cōiectare. *Idem, in Plo. En. 5. li. 1. c. 3.*

Intellectus noster etsi circa diuina semper agit, non tamen animaduertimus, quoniam ratio & imaginatio nobis ad opposita diuinorum & varia distrahuntur. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 1. cap. 15.* Intellectus non est pars animæ, quia nō est potentia huius substantiæ qua ratione dicitur anima, dicitur enim anima, quatenus pertinet ad discursum, siue per vniuersalia, siue per particularia discurratur, sed intellectus est mera substantia, cui subnexa potentia est, quæ appellatur anima. *Idem, ibid. lib. 3. cap. 3* Intellectus noster in se intelligit, in diuino intelligentiam suam animaduertit. *Idem, in Plot. En. 6. lib. 5. cap. 22.*

Intellectus noster est aliquid animæ proprium, & species quædam, & actu intellectus, ac per essentiam suam continet in se omnes intelligibilium species; sed quoniam à primo degenerauit, ideò indiget primi fomento ad tria, primò vt sit perspicacissimus, secundò vt species eius sint lucidissimæ, tertiò vt hic illis sit vnitissimus. *Fic. in Theophrastum de phantasia & intellectu, cap. 4.* Intellectus noster semper copulatur diuino. *Idem, ibid. cap. 5.*

Intellectus noster qui possibilis dicitur, id est ab intellectu primo formabilis, habet innatum actum proprium atque liberum, per quem ex se conuertitur primò ad se speciésque innatas, deinde quatenus ad se speciésque suas conuertitur, eatenus ad intellectum primum, & illius species. *Ficin. in Prisc. Theophrastum de phantasia, & intellect. cap. 5.* Intellectus noster secundùm essentiam est actus, ideò in eo idem est esse & agere. ideò semper intelligit: sed in anima aliud est essentia, aliud actio, id est in potentia rationali, ideò non semper intelligit sed est scibilia, quāuis non habeat hæc semper in actu, vt ille. *Idem, ib. c. 7.*

Intellectus noster habet intelligibilia in ratione scibilia nobis innata, sed agit circa illa actu quodam externo; hæc circa sua agit actione temporali per eandem intellectus actionem scilicet per intelligentiam, tum ipse maximè est intellectus, tum intelligibilia, atque vicissim. ergo intellectus est ipsæ res intellectæ. *Fic. in Prisc. Theophrastum de phantasia & intellectu cap. 7.* Intellectus siue intellectualis, siue rationalis, qui & vterque in nobis est, exorditur actum suum à se ipso, nec quicquam habet se prius secundùm tempus. *Idem, ibid. cap. 6* Intellectus noster simplicem & stabilem semper habet intuitum, ratio discursum in ratione est scientia, quæ est acquisita cognitio per discursum. *Ibid. cap. 29.*

Intellectus humanus vt in se est semper felix dupliciter potest considerari: vel vt sic in se, vel respectu huius vel illius, quibus per phantasmata continuatur, in se plenus est omnium habituum, sed non respectu huius, cui iungitur vt possibilis. *Gabriel Buratell. de reminiscentia, lib. 4.*

Intellectus noster ad ipsum diuinum naturā clarissimū, sed cuius

cuius splendorem capere non potest propter eam imbecillitatem quæ in hunc ex corporis contagione redundat, ita se habet vt oculus noster ad Solem bene afficitur, vt ad proprium obiectum, & tamen circa eundem nimio splendore impeditur ne huius radios apertè intueri possis, hac imbecillitate ex oculo nō ex Sole nata. *Iac. Carp. in Alcinou c. 2.*

Intellectus noster ad cognitionem Dei, & idearum, quæ sunt in eodem cōfugere solet ad res effectas quæ Dei & idearum vmbræ sunt & imagines, in quibus illæ clarissimè refulgent, vt oculus ad intuendum primum aspectabile, Solem scilicet, sibi vmbram quærit. *Idem, ibid.*

Intellectus noster etiam cum in corpore est, functionem habet suam, in qua cum illo non communicat, ad intelligendum tamen discursu vtitur à præcognito ad incognitum qui prius est cogitationis quæ *διάνοια* dicitur, & primum excitatur ducto initio à corporis sensibus, quorum cognitio prima, & sine medio est vt ait Arist. cap 1 lib. 1 post anal. Hac via secundùm Platonem rerum species obliuione obscuratæ, & magna ex parte obliteratæ per illum cogitationis discursum quodammodo renouantur. *Iacobus Carpentarius in Alcinoi cap 4.* Intellectus noster post efformatas in animis rerum ad aliquam artem pertinentium notiones ab vniuersalibus, tanquam confusis, ad speciales, vt distinctas, & enodatas progredi solet. *in Alcin. in prima digress. de anal. method.*

Intellectus noster possibilis non solus, sed agentis beneficio intelligibili specie iam actuatus ad intelligendum se recipere potest. *Steph. Conb de ascensu mentis in Deum lib. 4. cap. 10.* Intellectus humanus immensi Dei claritatis exiguus quidam radius homini aptatus esse videtur. *Leo Heb. de Amor. dial. 1.*

Intellectus humanus ad honestos & sapientes habitus acquirendos exercendósque diuinæ lucis necessariò indiget illustratione. *Leo Hebr. de Amor. dial. 1.* Intellectus humanus pro sui tantummodò viribus atque capacitate, non autem pro essentiæ sapientiæque diuinæ immēsitate Deum ipsum comprehendit. *Idem, ibid.*

Intellectus naturâ nullam determinatam habet essentiam, sed omnia simul existere prædicatur. *Leo Hebraeus de Amore, dial. 1.* Intellectus humanus ad spiritalia cognoscēda eam obtinet rationem, quam oculus vespertilionis ad Solis lucem discernendam. *Idem, ibid.*

Intellectus humani felicitas atque beatitudo in diuina copulatione tandem consistit. *Leo Heb. de Am. dial. 2.* Intellectus humanus, nisi & ipse intelligens, & res intellectæ, & media ipsa intercedens intelligentiâ diuini intellectus lumine illustretur, intelligere profectò neutiquam potest. *Idem, ibid.*

Intellectus humanus pro naturæ suæ intellectualis captu & conditione, non autem pro essentiæ diuinæ præstantia atque excellentia Deum ipsum comprehendit. *Leo Heb. de Amor. dial. 3.* Intellectus humanus diuinam illam & simplicissimam vnitatem, non tantùm sub trinæ formæ, verum etiam sub producendi quadam relatione necessariò percipere debet. *Idem, ibidem.*

Intellectus humanus primi illius diuiníque intellectus imago est. *Leo Heb. de Amor. dialog. 3.* Intellectus humanus homine vita defuncto longè facilius, magisque intimè, coniunctè, assiduéque quàm eo viuente diuinâ fruitur copulatione. *Idem, ibid.*

Intellectus noster si quando ad summam beatitudinem euectus cum agente intellectu copulatur, non amplius humanus, sed vel angelicus prorsus, vel inter humanum & angelicum intellectum medius potius nuncupari meretur. *Leo Hebraeus de Amor. dialog. 3.* Intellectus humanus, & copulatus Deum ipsum, rectè cognoscere, appetere, atque amare, sicut intellectus angelicus, minimè possunt. *Idem, ibid.*

Intellectus humanus copulationis beneficio agentem intellectum recta, & in eo non secus ac in speculo quodam cristallino diuinam formam intueri tantummodò valet. *ibid.*

Intellectus, vt æternus.

Intellectum incorruptibilem esse tribus accipi potest modis, aut ita vt ne à toto pendeat naturali & corruptibili, aut vt incorruptibilis sit in sua operatione, quamuis corruptibilis in esse, aut vt ratione tum instrumenti tum operationis incorruptibilis sit. *Bessar. Cardinal. in Calumniatorem Plat. lib. 3. cap. 12.*

Intellectus omnis cùm impartibilis sit est etiam æternus. *Proc. elemen. Theolog. prop. 172.* Intellectum vltimum, naturali ordini cōsentaneum esse videtur, quamuis sempiternus sit, cum quodam corpore licet caduco coniungi posse. *Fic. Plat. Theol. lib. 10. cap. 2.*

Intellectus secundùm Aristotelem, & Theophrastum est immaterialis, tamen potentia est quædam materialium: quod tribus exponitur modis, primò intellectus est potentia productiua actuum suorum, vel actionum circa materialia: secundò non æqualitate naturæ, sed supereminenti potestate per formas suas quasi per causas materialia cognoscit: tertiò materialia quoque cognoscit quatenus lumine intellectus agentis est formatus, at immaterialia semper sunt intellectui præsentia naturaliter, materialia semper sunt in intellectus præsentia naturaliter, materialia quatenus per intellectum à materia resoluuntur. *Fic. in Priscian. Theophrastum de phantasia & intellectu. cap. 20.*

Intellectus humani duplex incommodum, imaginationis vnū, alterum ex debilitate congenita, vt qui intelligentiarum vltimus sit; sed fidei lumine roboratur. *Ioan. Francisc. Picus Mirand. de imaginatione, cap. 12.*

Intellectus, vt mouetur, intelligit, & decipitur.

Intellectus nūquam mouetur nisi auctore eo primario volente, & tunc mouetur rectè, incessanterque: & talis motus est quædam quies: & si mouetur, mouetur ad seipsum, & à seipso, non aliter; quare non mouetur ad res extra se. non enim recedit à substantia nec qualitate pristina. nam si alteraretur non verè sciret, nec si mitter nosset. *Arist. Theo. Aegyp. lib. 2. cap. 4.* Intellectus omnia in se habet, non vt in eo sint res absolutæ, nec ita vt cum eo componantur, sed quòd intellectus producat eas, ac seruet, nec quidquā permanens cogitatur esse nisi in eo; & si intellectum auferamus, auferimus & eas cum sua vniuersitate. *Idem, ibid. lib. 8. cap. 8.*

Intellectus, & anima, cùm species sint quędam, species quoque cognoscunt, speciéque naturaliter apperunt. *Plotin. Enn. 1. lib 8. cap. 1.* Intellectus in contemplando viuis liber, & actiones omnes publicas & priuatas refert ad contemplationem: & incommoda, quæ minus optat, tum suis, tum corpori, tum etiam animo sæpe ventura icit, & pro viribus remedia opportuna ferre deliberat, vniuersa hæc dispositio voluntaria est: at actiones insequuntur in dies, & incommoda non sui iuris existunt, sed ex opportunitate dependent. *Idem, En. 2. lib 8. cap. 5.*

Intellectus omnis seipsum intelligit, sed primus simul quidem seipsum solum, & vnum numero; in hoc est intellectus & intelligibile. singuli verò sequentes seipsos simul & quę ante eos sunt; & intelligibilis est huic partim quidem id quod est partim id à quo est. *Procl. elem. Theol. propo. 167.* Intellectus si seipsum intelligit, idem est intellectus & intelligibile, & intellectio intellectui idem est intelligibili. *Idem, ibid. prop. 169.*

Intellectus omnis acta nouit, & id quod intelligit & etiam quòd intelligit, nec non alterius quoddam proprium est intelligere, & alterius intelligere quòd intelligat. *Procl. elem. Theol. proposi. 188.* Intellectus omnis omnia simul intelligit, sed imparticipabilis quidem simpliciter omnia; singuli verò eorum, qui post ipsum sunt, singulatim omnia. *Idem, ibid. propos. 170.*

Intellectus si est immobilis, nō à tempore mensuratur nec secundum esse, nec secundùm actionem. *Procl. elem Theol. propos. 169.* Intellectus omnis ipso intelligere procreat ea quæ post ipsum, & factio in intelligendo est & intellectio in faciendo. *Idem, ibid. prop. 174.*

Intellectus cognoscit materialia non sicut sensus, nam sensus, particularia tanquam secundum qualitates attingit: intellectus, & vita rationalis cognoscit essentias secundùm communes materialium species. *Priscian. in Theophrast. de phantasia, & intellectu, cap. 14.* Intellectus cùm cognoscit essentiam, accidentia quoque per ipsas essentiæ rationes præstātiua quàm sensus cognoscit. *Idem, ibid.*

Intellectus & vniuersalem & particularem cognoscit naturam, alioqui non posset eas inter se comparare; cognoscit etiam vires infra se omnes, actúsque ipsarum, cùm omnes comparat ad seipsum; sed prius vniuersalem quàm particularem naturam cognoscit, siquidem pro natura formæ intelligibilis in primis agit, quàm vim à virtute intellectus in quo, & à quo est, adipiscatur, quasi intellectus ipse sit absolutus à simulachro verò, quod est in phantasia, particulare solum repræsentatur; quod ab intellectu solùm secundo actu & reflexo prospici & Platonici & Peripatetici arbitrantur. *Fic. Plat. Theol. lib 8. cap. 1.*

Intellectus non intelligit rem aliquam, puta hominem, si formam quandam hominum vniuersalem significatricem non adipiscatur, quam intelligibilem formam & speciem nominant. *Fic. Platonica Theolog. lib 8. cap 4.* Intellectus per se accipit totum quicquid capit, quod non faceret si esset corpus. *Idem, ibid. cap. 6.*

Intellectus nec per motum accipit formas, aut accipiendo

mouetur, sed quantò magis quiescit, tantò magis proficie speculando. *Ficin. Platonica Theologia lib. 8 cap. 10.* Intellectus sui gratiâ operetur. & actio eius in actione finitur. *idem, ibid. c. 15.*

Intellectus motus, quia orbicularis est in seipsum circumuolutus, vt intellectualis est, est etiam sempiternus. *Ficin. Platonic. Theolog. lib. 8. cap. 16.* Intellectus nequit intelligere per seipsum quod nihil est omnino, nam & priuationes per habitus cogitat *idem, ibid. lib. 11. cap. 4.* Intellectus quælibet creata in eorum rationibus absolutis intelligit & iudicat. *ibid. lib. 13. c. 1.*

Intellectus quantò est præstantior quàm materie, tantò efficacius formam quam ceoptat, sibi adsciscit & vnit. *Fic. Platon. Theol. lib. 14. c. 3.* Intellectus modo suo potius res intelligit, quàm pro natura rerum, nam formas corporum, quæ sunt particulares, materiæ immersæ, diuisæ, confusæ, infectæ, ac mobiles, intelligit modo quodam vniuersali, absoluto, simplici, distincto, puro, & stabili. *idem. ibid.*

Intellectus eiusdem substantia vim obtinet intelligendi, sentiendi, & nutriendi, & vim totam liberè operendi, & mouendi *Fic. Plato. Theologia lib. 15. c. 7.* Intellectus nullus creatus, vt in nudam quasi caliginem aspicit, visionis claritatē adipiscitur, vt Luna si in se respiceret nondum Solis lumine illustris *idem, ibid. lib. 16. c. 1.*

Intellectibus altioribus vis intelligendi perspicacior viget, in sequentibus hebetior, quia quo quid simplicius est & magis attritum, eò potentius est. *Fic. Platon. Theol. lib. 16. c. 1.* Intellectus creatus respiciendo in suam essentiam quæ ibi differt ab esse, vel in certa specie quæ est à Deo infinitè distante, vel in lumen sibimet proprium, vel in quoduis lumē in ea determinatum, substantiam diuinam intelligere nequit, quæ cùm infinita sit, certè quid ipsa sit per infinitum aliquid repræsentari nequit. *idem ibid lib. 28. c. 8.*

Intellectum summum, & summum intelligibile putant idem esse Peripatetici, possidet enim summus intellectus summū intelligendi modum: non igitur intelligendo respicit extra, sed intus, nec eius intelligentia ab alio quàm à se ipso dependet. *Fic. epist. lib. 2.* Intellectus supremum est intelligere, voluntatis velle; in intellecto claritas summa, id est exactissime verorum omnium certitudo, in voluntate plenissimum gaudium, id est integra bonorum omnium & secura fruitio est. *idem, ibid.* Intellectui nihil optabilius quam verorum omnium certitudo *ibid.*

Intellectus agendo per multiplicem & diuiduam actionem ad obiectū intelligibile dirigitur necessariò multiplex, quod & proportione quadam cum intelligentia subeat, & cum intelligibile sit ei æquale, vel fortè latius & præstantius, sequitur principium rerum, dum excedat intelligibile, eius tem multò magis excedere. *Fic. in Dionys. Areopag. de trinitate.* Intellectus motum deposuit diuiduam multiplicitatem minimè, nam & necessitate ordinis ipsam retinet. & vsu declerat, siue definiat, seu diuidat, siue componat. *idem, ibidem.*

Intellectus non tam suâ quàm diuinâ virtute res consequitur intelligendas, ergo nullâ facultate suâ bonum ipsum assequi potest; igitur Deo frui non est ad Deum agere, sed potius agi à Deo, non aliquid per se haurire, sed aliunde impleri, & amore transferri, & ipso bono copulari, vbi animas diuinam formam induit, & intellectus reformatus in Deum agit tanquam Deus. *Ficin. in Dionys. Areopag. de trinitate.*

Intellectus immobili quodam subitòque intuitu conspicit, quę ratio per viarum discursum aucupatur. *idem, ibid.*

Intellectus lumine naturali potest certis rationibus intelligere primò quidem esse Deum, deinde quid non sit ipse Deus, tertiò quid & quemadmodum efficiat, & regat, quartò qua conditione res ad Deum omnes sese habent: scire verò quid sit propriè ab ipsa Dei natura, nec intellectus noster, nec angelicus naturali lumine potest: est enim natura illa longo interuallo super essentiam, & intelligentiam quantumcunque perfectam: sed solæ beatæ mentes intelligunt quid sit Deus, sub lumine quodam pluſquam naturali, quando Deus ipse se menti coniungit quasi tanquam formam quam videat, & per quam videat. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Intellectus quilibet vt omnia intellectuali & intelligibili ratione comprehendit, intellectus sanè circuli quidam sunt, & mundi: sic sphæra quælibet omnia corporali quadam conditione, sed sua quadam proprietate complectitur. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 5.*

Intellectus nunquam decipitur, in opinione enim est deceptio, voluntas decipitur opinione, & specie boni. *idem in Plat. phileb., lib. 2, cap. 37.*

Intellectus rationem boni concipit etiam dormiente voluntate. *ibid.*

Intellectum sic creat Deus, & creando intelligendi vim præstat, & creato continuè actum intelligendi, vt sol generat oculum, & generando vim videndi largitur, & genito actum videndi continuè præstat. *Fic. in Plato. de rep. dial. 7.*

Intellectus eodem modo viuit & cognoscit, quia in ipso idem est viuere & cognoscere, sic idem est cognoscere penitus & agnoscere, id est quod ipse cognoscat animaduertere; sed in ratione quoniam non est omnino idem videre & cognoscere, cùm illud æternum sit, hoc verò perpetuò permutabile, meritò nec idem est cognoscere, & agnoscere; quo fit vt agnitio hic cognitionem sequatur, tamquam posterius aliquid. *Fic. in Plot. En 1. lib. 4 cap. 10.*

Intellectus ita vnumquemque rerum ambitum contuetur, vt oculus sphærulam quandam simul conspicit totam; ratio verò nondum conuersa ad intellectum, ita res per partem, deinceps per partem aggreditur, sicut cæci hominis tactus in digito eâdem sphæram paulatim contrectando iudicat esse sphæram, quam oculus subitò iudicauit. Rationem verò iam conuersam ita omnia cum mente complecti putemus, vt hominis videntis manus ab oculo recta, sphærulam toto pugno complectens, subitò sphæram esse perpendit. *Fic. in Plo. En. 1. lib 5. cap. 4.*

Intellectus rem ipsam intelligendam penetrat, & diuidit, & definit, quod circa sensibile nullus efficit sensus. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 8. cap. 6.*

Intellectus ipsius notiones per semina rerum vsque ad singulas rerum perueniunt formas. *Idem, in Plotin. En 3. lib. 3. cap. 2.*

Intellectus semper intelligit, & animæ potentia in discursione posita discursis semper quocunque modo discurrat, siue per rationes, siue per imagines, more etiam somniantis. & potentia vegetalis semper vegetat; & dum anima viuit in homine tum mens, tum ratio est aliquid hominum, quamuis non vtroque semper actu redundet in homines, atque mens rariùs admodum quam ratio fulgeat. *Fic. in Plot En. 3. lib. 3. cap. 4.*

Intellectus hæc ipsa ratio est vt moueatur, & illuminetur, atque formetur; intelligibiles autem ipsius proprietates oppositæ sunt, & ad esse intellectus non necessariò concluditur vt ipsum sit intelligibile; potest enim esse aliquis intellectus etsi à nullo intelligatur, nec ad rationem intelligibilis necessariò pertinet, quod intellectus existat. *Fic. in Plot. En. 3. lib 8 cap 3.*

Intellectus, & intellectualis omnis essentia sicut est omnia semper actu, ita & actu semper cuncta intelligit: rationalis verò natura animæ omnia quidem est, sed non semper in actu omnia, & quatenus se confert in aliquam intra se latentium rationem, eatenus fit ipsa ratio, perque hanc intelligit quæ in huius virtute comprehenduntur, & intelligendo fit illa; & summatim cognoscere reuera aliquid non est aliud quàm hoc ipsum esse vel fieri. *Ficin. in Plot. En. 3. lib. 8. cap. 3.* Intellectus seipsum intelligere debet. *idem, in Plot. En. 5 lib. 3. cap. 1.*

Intellectus resolutione ex particulari phantasmate solutam concipit speciem, vnde prius vniuersale cognoscit, quàm particulare, scilicet per conuersionem ad phantasma, sicut imaginatio prius imaginabile, vigilans quàm visibile: sic primum vbique est resolutio ad simplex; interimque diuidens impuriora a putiori, & vtiens cum anima purius, quod ignis est proprium, & hactenus subito rationalis naturæ fit instinctu resoluendo ab indiuiduis ad speciem, & ab hac ad genus. Hinc diuidendo per differentias, & ex his species cōponendo, sicque definiendo, post definitionem demonstrando, tota progressio fit discursu quodammodo naturali, magis verò artificioso; atque dum demonstrat, resolutionem facit compositam, cùm prima fuerit simplex: resoluit ergo demonstrando tum sursum è causa tum deorsum ab effectu, tum in latus à commitantibus quod ignis est proprium. *Fic. in Plat. phi. lib. 1. cap. 24*

Intellectus in cognoscendo circularem egit lineam, seipsum, & sua penitus contemplando. *Ficin. in Plotino En. 5. lib 3. cap 6.*

Intellectus & vnitus est cum re intellecta, & pariter distinctus: si externa foras inspiciendo cognoscit, manifesta est inter intellectum & intelligibile diuersitas; si intelligit seipsum, eadem est intelligentis & intelligibilis essentia. *idem, ibid. lib. 6. cap 1.*

Intellectus in se habet res ipsas quas intelligit; alioqui si à rebus intelligibilibus sit imagines accepturus, neque res ipsas adæquabit cognitione factâ per imagines rebus ipsis valdè deteriores, neque certus erit de rebus sincerum

habere

habere iudicium; quandoquidem imagines in naturam suscipientis translatæ non meram afferunt obiecti naturam, super rationem discurrentem positus intellectus stabiliter egens præsentia pro arbitrario habet obiecta; intus itaque possidet nec solum principia quædam artium, atque rerum sed etiam in principiis quæcunque necessariò inde sequuntur. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 5. c. 1.*

Intellectus se intelligens diuersas habet in se rationes. *Ficin. in Plot. En. 5. lib. 6. c. 2.*

Intellectus seipsum intelligens in se multiplicitatem habet. *idem, ibid.*

Intellectus, & intelligibile statim euadit quod à materia separatur; & apparet indiuiduus intellectus, quia conuertitur in seipsum; & formarum plenus, quia in se conuersus inuenit omnia. *idem, in Priscian. Theophrast. de phantasia & intellectu cap. 16.*

Intellectus hoc modo cognoscit, vt ad eum res ipsæ per suas species, seu imagines, seu spiritales formas ingrediantur. *Ioan. Fr. Pic. Miran. de prænotione. lib. 1. c. 8.*

Intellectus ex sese, & primò non potest cognoscere substantiam naturaliter per eius speciem, vt verè scire se noscat ex Aristotele, & fortè nec vllius philosophi ex gentibus; quanquam Platonici propter ideas, & inditas quas ponunt in anima species non tot angustiis premerentur. sed expertes tamen earum prorsus non essent. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 5. c. 10.*

Intellectus munus proprium est verum & falsum discernere. *Franc. Pat. de regno, lib. 6. c. 10.* Intellectus nihil percipit nisi sub ratione entis. *Stephan. Comb. de ascensu mentis in Deum, lib. 4. cap. 3.*

Intellectus, vt possibilis & separatus.

Intellectus in mundo intellectuali habet obuiam speculationi tantùm substantiam suam, ideò intellectio eius est substantia sua; in mundo sensibili obuiam habet aliquando substantiam, aliquando res ipsas, & hoc ratione particularis, cuius essentia reuertitur vniuersalis apud eum impedimento sublato, nam particulare habet eum vniuersalis, suscipit enim prædicationem eius definitam per illud, tantúmque ab hoc differt, quod vniuersali subest, hoc autem fit ob corpoream dispositionem mediæ animæ impressam, intellectus namque corpori vnitus habet obuias res speculationi, emersus paululum habet obuias contemplationi etiam substantiam, ideò non variatur nisi vt diximus. *Arist. Theol. Ægypt. lib. 2. c. 4.*

Intellectus possibilis qui est secundus ab agente non valet ea se depurare formas naturales, & eas ducere in essentiam suam & rationem vniuersalem absque excitatione animæ sensualis, quæ est nobilior qualitatibus corporeis. Quum intellectus secundus amanter complectitur eas, fit imaginatiuus, & item anima hominis sensitiua cupit subiungi intellectui materiali. *Aristot. Theolog. Ægypt. lib. 10. cap. 9.*

Intellectus possibilis mortuo corpore perseuerat, cessante anima sensuali & vegetatiua, qui possibilis seruatur ab agente, qui agens intellectus seruatur à Deo. *idem, ibidem, cap. 10.*

Intellectum purum contemplare, in eúmque penitus inspice intimum attingens intuitum, intueris illic essentiam tanquam Vestale numen, & fundamentum; & ibi cernis peruigil & inextinguibile lumen, & qua ratione intellectus in seipso quiescit. & quæ sunt simul ritè discernis, atque distinguis, specularis vitam permanentem, & intelligentiam non in futurum agentem, sed in præsens se potius intendentem, imò habentem, & semper iam possidentem, non aspiciens externum, sed seipsum; qua ratione intelligit actus ibi est & motus; qua seipsum animaduertit, essentia & ens: existens intelligit, ac se intelligit existentem, & id ipsum quo, vel in quod nititur ens existit. Actus in ipsum directus non est essentia, id autem in quod annititur, & à quo dependet, ens iudicatur, & eius non perspectio, sed perspectum dici debet. Est quoque in quod intelligentia desinit non exordiens status, & à quo erumpit non erumpens status: non enim ex motu nec in motum motus. Præterea idea consistit in statu, cum sit terminus intellectus. intellectus autem ipsius est motus; quapropter vnum omnia esse videntur, & motus, & status, & quæ per tota communiter existunt genera sunt. Vnumquodque verò sequentium ens aliquod est, & quidam status, & motus quidam, & post hæc in ente alteritatem comprehendit, & in vno, & ad vnum omnia ponens identitatem agnoscit iam factam, imò iam existentem. quinque ergo esse consequens est, ens, motus, status, idem, alterum. *Plotin. En. 6. lib. 2. c. 8.*

Intellectus alter ad alterum quatenus in potentia quadam est, & sic intellectus animalis ad ipsum qui actu est semper intellectus, & separatus, meritò esse omnia in potentia dicitur. *Prisc. in Theoph. de phant. & intell. c. 4.*

Intellectus dicitur quasi tabula literarum expers quod accipi debet secundùm quandam comparationem, non quòd sit omnibus speciebus nudus, sed vt ipse intellectus est in potentia, non ita vt omnino non sit intellectus, sed vt intellectus sanè. Talis autem intellectus, qui ab intellectu primo perfici debeat, sic & quæ in eo intelligibilia collocantur, intelligibilia quidem sint, sed talia qualia sint à separatis intelligibilibus illustranda, vt sincerè prorsus intelligibilia sint. *Prisc. in Theophrastum de phantasia & intellect. cap. 4.*

Intellectus etiam, qui potentia dicitur intellectus secundùm essentiam actus quidam est, quamuis secundo gradu: qui actus passioni opponitur, ne vnquam affici passione possit. *Prisc. in Theoph. de phan. & intel. c. 5.* Intellectus non sic potentiam habet, vt materia, sed secundùm quandam comparationem proportionis. *idem, ibid. c. 8.*

Intellectus potentia tum qui participatur ab anima, tum potentia rationalis, cum vtitur sincerè ratione, neque vnà cum sensu & phantasia ad exteriora protenditur, tum species & rationes immateriales sibi insitas contemplatur: & secundùm has ipsas excogitat species non à materia segregatas, tum materiæ distinctas, illas secundùm quandam identitatem, & communem inter immateriales species vnionem, has velut à causa ea, quæ sunt similia causæ. *Prisc. in Theoph. de phant. & int. l. c. 13.*

Intellectum res ipsas existere intelligere debemus. & de intellectu secundùm potentiam, & de intellectu secundùm actum propriè se habente. quod secundùm potentiam non est accipiendum, vt in materia accipitur, id est secundùm priuationem, nec secundùm actum, nec secundùm perfectionem passiuam, nec vt in sensu qui percipit extra posita: sed intellectus reuera est res ipsæ, non secundum participationem, non diuisum, non vt alius, non vt ab eis determinatus, vel inde perfectus, imò vt res ipsæ existens, & vt terminus omnium & perfectio. *Prisc. in Theoph. de phant. & intell. cap. 17.*

Intellectus possibilis habet notas, vt literarum vacuitatem; sed ita vt à primo intellectu sit perfectus actúque conscriptus. Ipsum namque indiuiduum & vnitum perfectionis hic habet inde, & intellectus hic qui dicitur in potentia esse est intellectualia secundum potentiam, vt qui secundùm quandam gradus submissionem, & cum quadam alteritate, vel diuersitate hæc habeat, sed à seipso excitatus ad indiuiduam perfectionem, ab intellectu primo suscipiendam. tale enim est intellectuale, quando dicitur in potentia esse, sed actu nihil à natura quam intelligit, id est non indiuiduè nec vnicè, intelligibilis est prius quàm perficiatur à primo. *Prisc. in Theophr. de phant. & intel. c. 18.*

Intellectum materialium potentiam esse, vel tanquam actionum causam, vt Plutarchus exponit, vel tanquam non coniugata, sed eminentiore quadam conditione hæc intelligens: quoniam hæc à causa contemplatur, vel ipse in potentia intellectus talium quoque potentia est, tanquam hæc etiam secundum perfectionem intelligens à superiori tributum. *Prisc. in Theophr. de phant. & intel. c. 20.*

Intellectui semper immaterialia & eadem adsunt, nam secundum essentiam ipse simul cum eis existit, atque est idipsum quod intelligibilia esse dicuntur. materialia verò tunc intellectui præsentia sunt, cùm intelliguntur, non tanquam pari sorte & ordinis eiusdem ab eo intelligenda, nunquam enim cum intellectu immateriali ex æquo coniugium sortiuntur. At quando intellectus. quæ sunt in ipso, non tanquam ipsa solùm, sed etiam tanquam causas materialium animaduertit, tunc materialia quoque intellectui secundùm causam præsentia sunt. *Priscian. in Theophrast. de phant. & intel. c. 20.*

Intellectus purus potentia esse non potest. *Fic. in Plat. Theolog. lib. 15. c. 12.*

Intellectus est separatus, quia non est in composito vt sensus, sed in ipsa animæ substantia, quæ est à composito separabilis, nec intelligendo vtitur instrumento. *idem, ibid. cap. 12.*

Intellectus puri proprietas est seorsum à corpore viuere. *idem, epist. lib. 5.*

Intellectus non est ita separatus, vt non sit pars animæ. *Fic. in Plotin. En. 3. lib. 3. cap. 4.* Intellectus potentia in ambitu obiecti sui comprehendit materialia simul, atque spiritualia, & inter hæc continet quæ intelligunt, & quæ non intelligunt. Intellectus ergo & intelligibile distinguuntur inter se quadam ratione formali, eiusmodi verò

distinct in distinctioni, quæ secundùm rem appellatur, proxima est *Idem, in Plot. En 3. lib 8 cap. 3.*

Intellectus apud Deum, cùm sit beatus, agit non tam virtute sua quàm diuina, sub cuius forma iam agit. itaque animam semel ita beatam putandum est nunquam inde discessuram, nobis satis est dixisse quæ Plotinus ait: at quæ Theologi verò nostri comprobauerint, sumus probaturi. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 31.*

Intellectus cùm ad inferiora se non vertat, & sit forma prorsus in actu, ideóque vacare ab actione non possit, meritò circa seipsum semper agit, atque, vbi in se conuertitur se cognoscit per formam, Deum verò per effectum; vbi ad Deum conuertitur. Deum quasi per formam videt, se verò per causam. *Fic. in Plot. En. 5. lib 3. cap. 7.* Intellectus purus est ipsa substantialis visio ex aspectu siue affectu naturali resultans. huius pater est ipsum simpliciter vnum. *Idem, ibid. lib. 8 cap 7.*

Intellectus possibilis in nobis duplex est, alter primus semper in actu, alter secundus transiens de potentia in actum, id est ratio. *Fic. in Prisc. Theophr. de phantasia & intellectu, cap. 13.*

Intellectus possibilis est quodammodo distinctus à formis suis, atque hæ inter se distinctæ potentia rationalis magis etiam à formis suis distincta est, & in ea formæ magis discretæ. *Idem, ibid. cap. 17.*

Intellectus possibilis dicitur in potentia, tum ad suas formas, quia quodammodo distinctus est ab eis, tum ad agentem, quoniam illuminatus est inde, & inde suis formis vnitus. *Fic. in Prisc. in Theophrastum de phant. & intellect. cap. 57.* Intellectus possibilis semper & vbique est vnitus agenti, & formatus ab eo, sed quoniam per propriam & liberã actionem suam est inde formatus, iure formare seipsum dicitur intellectus possibilis. ita est omnia secundo gradu, vt agens. omnia primo gradu. *Idem, ibid.*

Intellectus possibilis, cùm primum existit, est species ipse omnes secundum essentiam, ideo non accipit eas ab agente, sed perfectam suã ad eas earumque inter se vnionem, quam illinc habet ab æuo *Fic. in Prisc. Theophrast. de phantasia & intellectu, cap. 18.* Intellectus possibilis simplici stabilique intuitu videt: potẽtia rationalis actione mobili atque composita, ideo minus vnita est rebus perficiendis, sed vnitur ab intellectu ad quem est in potentia. *Idem, ibid.*

Intellectus possibilis dicitur quasi vacuus formarum, quia nisi ab agente vnatur suis formis, perinde se habet vt si non haberet, non enim videt eas nisi perfectè vnitus sit. *Ficin. in Prisc. Theophrastum de phant. & intellec. cap. 18.* Intellectus possibilis per suum liberum arbitrium actum assumit & perfectionem ab agente, & ita perficitur, semperque agenti copulatur, semperque formatus in actu. Ratio non semper copulata, & per actum proprium & liberum copulatur intellectui. & inde perficit seipsam. *Idem, ibid.*

Intellectus idem ab Auerroe quando magis est intellectui possibili radicatus, nominatur habitu, quum non est ita permanens, appellatur speculatiuus. *Gabr. Buratel. de reminiscentia, lib 4.*

Intellectum potestatis, vel potentiæ, ex Themistij variis locis colligi potest esse reuera in nobis singulisque quiddam proprium te, quando nascimur rudis, omnino existit, & tabulæ nudæ similis. Idem discurrendo à præcognitis ad incognita progrediente ætate discere incipit, beneficio luminis ab intellectu agente manantis, & partim hunc intellectum potentiæ, partim res ipsas illustrantis, præcognitionis verò suæ illum fundamentum habere in sensuum functionibus, quibus rerum singularium imagines notatæ, deinde in phantasia reconditæ, post remóque inter se comparatæ, notiones vniuersas in hoc intellectu pariunt, ideoque hunc non semper reipsa intelligere, nec intelligendi actũ à se habere, sed à superiori intellectu agente sic accipere, vt neque simplices notiones efformare, nec has efformatas vi eorum quæ in animo affirmationi & negationi respondent, componere, aut diuidere per se vllo modo posset, sed vtraque intellectus agentis in illo tanquam in subiecta materia ad patiendum apta munus esse dicatur. *Iac. Carpentarius in Alcinoi partem poster. digress. 10.* Intellectus potentiæ, si Themistio credimus, non habiturus est finem, & in singulis hominibus prior est tempore intellecto agente. *Idem, ibid.*

Intellectum possibilem per se non pati, sed passibilem, qui constituit animal, animaduersione dignum est. *Steph. Combent. de ascensu mentis in Deum, lib. 2. cap. 15.*

Intellectus possibilis in nobis est, qui ad actum præter communem non nisi per quendam existentem in actu & intrinsecus duci potest. *Idem, ibid. lib. 3. cap. 55.*

Intellectus possibilis distinguitur ab intellectu agente, quia naturales formas ex se depurare, & illas in essentiam suam, & rationem vniuersalem absque excitatione animæ sensualis & lumine agentis non potest, à quo agente conseruatur quoque possibilis. *Ibid. lib. 4. cap. 51.*

Intellectus, vt vnus in nobis.

Intellectus est vnus, non tamen vnus vnitate qua forma corporalis, est enim altior: sed quatenus continet rationem potentem vnire plura. nec diuiditur à corpore, sed à cogitatione per intrinseca diuiditur. *Aristot. Theol. Ægypt. lib. 8. cap. 7.*

Intellectum vnum ponere debemus eodem modo se semper habentem, prorsus indeclinabilem, qui & partem suam pro viribus imitetur, & animã nostram penes illam viuentem, parte nostra ad hæc vergentem, parti denique in medio collectam. *Plot. En. 2. lib. 9. cap 2.*

Intellectus vnum toti speciei humanæ tribuit Auerroes, vt singulis orbibus singulas tribuit mentes, sic huic inferiori humanæ vnam tantùm, & vt nonnulli ipsum interpretantur totum vbique. *Mar. in Fic. Plat Theol. lib. 15. cap. 1.* Intellectum vnum, & immortalem, nobis tribuit Auerroes, intellectum præter vnum multos nobis tribuit mortales Alex. Aphrodisius. At Plotinus cum Alexandro ponit præter vnum intellectum multos, & cum Auerroe immortales. *Idem, in Plotin. Enn. 1. lib. 1. cap. 8.* Intellectus est omnes species habere quas cogitat, & eas à seipso, & in seipso induit, aut edit, aut prorsus existit. *Idem, in Plotin. Enn, 5. lib 8 cap. 2.*

Intellectus vnitas si daretur, multa sequerentur incommoda, quorum primum est quod tu esses per esse mei, & ego per esse tui, quo quid absurdius? & duo contraria essent in eodem. *Gab. Buratellus de reminiscentia, lib. 4.*

Intellectum multi probant ex Aristotelis & Theophrasti sententia vnum esse externum agentem, communem, immortalem, & à nobis substantia sua separatum, nostróque intellectui suo lumine semper assistere, etiamsi ab eo ad intelligendum non semper excitemur, quia eius radium non semper excipimus, nec nos à rebus sensibilibus ad intelligibilia semper conuertimus. *Iac. Carpentarius in Alcinoi par. post, digress 10.*

Intellectus, vt creatus.

Intellectus productus fuit purus perfecta & momentanea creatione, quare eius essentia incipit fieri, & simul facta est subitò in actu, siue potentia interfluente: ideo cognito quid est, statim scitur propter quid. *Arist. Theo. Ægy. lib. 5. c. 6.*

Intelligentem dum intelligit necesse est in duobus saltem omnino versari, atque aut duorum alterum externum esse, aut vtraque in eodem, semperque intellectionem in quadam alteritate versari, & in quadam identitate: item quæ propriæ præcipuéque intelliguntur ad mentem se habere, tanquam eadem simul, & diuersa, & rursus intellectorum quodlibet identitatem, & alteritatem quandam secum simul afferre, alioquin quidnam intelliget, nisi aliud in se, aliudque contineat? *Plot. En. 5. lib. 3. cap. 10.*

Intelligentem oportet nec simplicem permanere, præsertim quando se prorsus intelligit, diuidit namque seipsum, etiam si intelligentiam scientiam quis esse dixerit, præterea quod est simplex varia non indiget cura per quam sese apprehendat. *Plot. En 5. lib. 3. cap. 10.* Intelligentem necesse est aliud accipere. atque id quod intellectum est, velut intelligentia ipsa discretum in se esse diuersum, alioquin nulla erit ipsius intelligentia. *Idem, ibid.*

Intelligens omne necesse est esse simplex, & non simplex. *Plot. En. 5. lib 6. cap. 1.* Intelligente primo quod est superius non intelligit. nam si intelligeret haberet intelligibile in se ipso, non tamen necessarium est quicquid intelligibile est habere in se intellectum, & intelligere, esset enim non intelligibile tantum, sed & intelligens, & cum duo iam sit, non esset vtique primum. *Idem, ibid. cap 2.*

Intelligendi donum naturis diuinis quamuis non primis adminiculi gratia fuit tributum, ac velut oculis illis natura sua quasi cæcis adhibitus. *Plot. En 6. lib. 7. cap. 41.*

Intelligendi potentia nisi à Deo illuminatur sua natura informis est, & obscura, vt oculi vis ante solis aduentum. *Ficin. in Plat. comm. or. 6 cap. 7.*

Intelligendi actus à Platone generatio, ac actus vocatur, quod cum Christiana consentit theologia. *Idem, in Plato. de republica, dial. 6.* Intelligendi actus in sola mente est, nam mens id intelligere solet cuius habet speciem, & similitudinem in se ipsa. *Idem, in Plat Theol. lib. 15. cap. 9.*

Intelligendi actus idem est cum obiecto in Deo, & vtrunque idem cum ipso Deo *Iac. Carpen. in Alc. defensione.*

Intelligendi munus in nobis phantasia adiuuatur, quæ nihil apprehendit nisi hausto initio ex imaginibus rerum sensibilium

sensibilium. *Idem, ibid.*

Intelligendi vis in vniuersitate tribus gradibus distincta est, in Deo summa & exemplaris, in homine infima, & illius rudis imago quædam in dæmone media: in Deo omnino à corpore separata, in homine manifestè vt ita dicam incorporata, in dæmone ambigua. *Idem, in Alc. dig. 4.*

Intelligens ab imperito differt, quòd imperitus inspecto aliquo opere afficitur magis quàm deceat, quia gradus pulchritudinis non nouit, infima sæpe pro medijs, & media pro summis habens, at intelligens vir si mediocre opus, mediocriter commouetur, si maius, magis. *M. Ant. Natta de pulchra, lib. 2.*

ad Intelligendi actum tria necessaria esse, Deum & primam mentem, vt commune agens & primum, formulam, vt agens proprium & secundum, simulachrum, vt incitamentum. mens verò tenet locum materiæ. *Steph. Comb de ascen. men. in Deum, lib. 3. cap. 14.* Intelligendi actui necessaria dicere Platonici, Deum, formulam, rei simulachrum, & intellectum nostrum, quibus munera propria demandarunt, Deus est ad intellectionem nostram agens & commune: formula vt agens secundum; simulachrum vt incitamentum; mens nostra vt materia. *idem, ibid. lib 4. cap. 6.*

Intelligentiarum diuisio.

Intelligentiæ aliæ sunt diuinæ, quæ recipiunt ex bonitatibus primis, quæ procedunt ex causa prima, præceptionem multam: aliæ sunt intelligentiæ tantum, quoniam non recipiũt ex bonitatibus primis, nisi mediante intelligentia. *Arist. de causis prop. 19 cap. 3.* Intelligentiæ aliæ continent formas magis animales, aliæ minus, quia formæ quæ sunt in intelligentijs inferioribus per modum particularem, sunt in intelligentiis primis per modum vniuersalem. *idem, ibidem. proposi. 10.*

Intelligentia duplex, aut intelligit aliquid aliud, aut seipsam; quod longius deuitat illam deuitat diuersitatem, per quam duo quædam euadat intelligendo: quod intelligit aliud, vult ipsum quoque diuersitatem fugere, sed minus id valet, habet quidem apud se, quod videt; sed à se diuersum. at quod seipsum intelligit, non est ab eo quod intelligitur essentia separatum, sed coexistens secum, seipsum intuetur. imo magis intelligit, quia quod intelligit habet. *Plot. En. 5. lib. 6. cap. 1.*

Intelligentiarum ordines aliæ dij sunt, aliæ secundum obtinent genus, in quo continetur id, quod rationale apud nos appellatur, deinceps natura, quæ à nobis irrationalis nuncupatur, Illic enim illud etiam ratio quædam est, quod à nobis irrationale vocatur, & quod menti vacans illic est intellectus, quippe eum, & qui intelligit equum sit intellectus, & equi intelligentia sit similiter intellectus, cum res intellecta & intellectus sint idem. *Plotin. En. 6. libr. 7. capitulo 9.*

Intelligentia aliud est, & aliud intelligentiæ ipsius animaduersio; semper enim intelligimus, non semper tamen animaduertimus. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 30.* Intelligentiæ inter se non conueniunt vel differunt genere, vel differentijs vllis, simplicissima enim sunt, sed quatenus vel eadem vel diuersa ratione referuntur ad primam. & aliæ in sequentibus perfectionis gradibus dispositæ sunt. *Iambl. de myst.*

Intelligentia quid est.

Intelligentia, id est *νόησις*, velut supputatio, ac collectio esse videntur, id est syllogismus. *Plat. in Cratylo.* Intelligentiam omnes sapientes consentiunt nobis esse regem cœli & terræ, & fortassis rectè dicunt. *Idem, in Philebo.*

Intelligentia est genitrix causæ *ibid.*

Intelligentia aut idem est quod veritas, aut omnium simillimum ac verissimum. *Plat. in Philebo.* Intelligentia cum ratione percipi potest, quod sit quod semper est; originem autem non habet, opinione verò, cum sensu rationis experte, id quod fit quidem nunquam verò est. *Idem, in Timæo.*

Intelligentia est substantia quæ non diuiditur *Aristoteles de causis proposit. 7. cap. 3.*

Intelligentiæ substantia & operatio est vna. *idem, ibid.*

Intelligentia est substantia intelligibilis. *ibid em, proposit. 8.*

Intelligentiæ omnis fixio, & essentia est per bonitatem purã quæ est causa prima. & virtus intelligentiæ primæ est vehementioris vnitatis quam res secunda quæ sunt post eam, quia ipsæ accipiunt cognitionem eius, & non est factum ita nisi quia causa est ei, quod est sub ea. *Aristoteles de causis propositio 8. capite 3.*

Intelligentia est regens omnes res, quæ sunt sub ea, per virtutem diuinam. quæ est in ea, & per eam retinet res. *Arist. de causis, prop. 9. cap. 3.*

Intelligentia omnis tum ex aliquo, tum alicuius existit; & quæ cum illo ex quo est adhæret subiectum habet illud cuius est intellectio, & ipsa est veluti inhærens aliquid, & actus illius: eiusdemque potentiam implens, nihil interea generans, illius nanque est cuius est duntaxat, tanquam eius perfectio quedam. Intelligentia verò quæ cum essentia est, & per quam consistit essentiæ consistentia, non potest in eo esse à quo facta est, alioquin nihil genuisset. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 40.*

Intelligentia est imaginatione præstantior, sed imaginatio est inter naturalem figuram & intelligentiam media, natura nullius rei animaduersionem ac cognitionem habet, imaginatio rei peregrinæ cognitionem dat imaginanti, vt quæ patitur, & agnoscat, quæ actio ab ipso agente dependet. itaque mens possidet, anima semper accipiebat, & semper accipit idque ei est viuere, & quod in ea apparat & fulget, semper est ipsius animæ intelligentis agnitio, quod autem in superficie micat, est natura, in quam entia desinunt. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 13.*

Intelligentia est actus primus, & optimus, & essentialis, & huiusmodi est intelligentia prima, & intellectus primus quæ nec in potentia est, nec aliud ipse. aliud intelligentia, & cum sit vnum actu ens ipsum atque intelligibila, vnum simul erunt cuncta, intellectus intelligentia & intelligibila, si igitur intelligentia eius est ipsum intelligibile; atque ipsum est intelligibile ipsum, nimirum ipse intelliget semetipsum, intelliget enim per ipsum intelligentiam, quod quidem existit ipse, & intelliget intelligibile quod est & ipse similiter. *Plot. En. 5. lib 3. cap. 5.*

Intelligentia est consensus quidam totius, vbi multa conuenerunt in vnum. *Idem, ibid. cap. 13.*

Intelligentia est intelligentis circa stabile motus. *Plutarch. in compendio de anima genit. in Tim.* Intelligentia appetibilis est vt bonum, per eam enim res quæque seipsa frui potest, ac cæteris omnibus. primo quidẽ bono idest, Deo nihil deest boni. *Fic. Plat. Theo. lib. 2. cap. 9.*

Intelligentia est vitæ reflexio in seipsam. *idem, Plat. Theo. lib. 8. cap. 4.*

Intelligentia est absolutio vitæ reflexioque eius in semetipsã. *Fic. epist. lib. 1.*

Intelligentia formaliter actio quædam est, & quasi motus, speciea autem essentia est, & virtus, & terminus. *idem, in Plat. Parm. cap. 24.*

Intelligentia nihil aliud est quàm bonum, spectat enim bonum, atque vias ad ipsum bonum, neque seipsa contenta est. *Idem, in Plat. phi.*

Intelligentiæ sensus est vestigium, imago confusa est imaginatio, imago distincta est ratio. *Ficinus in Plotum En. 2. lib. 7. cap. 1.*

Intelligentia est vitæ reflexio in essentiam. *Ficinus in Plot. En. 3. lib 6. cap 2.*

in Intelligente natura intelligentia amor atque fruitio re aut essentia vnum idemque; sola autem ratione differre existimantur. *Leo. Heb. de am. dial. 3.*

Intelligentia, vt prima, & secunda.

Intelligentijs primis inest virtus magna, quia sunt vehementiores vnitatis, quàm intelligentiæ secũdæ vniuersalis inferiores, & intelligentijs secundis inferioribus sunt virtutes debiles, quia sunt minoris vnitatis, & pluris multiplicitatis: quia intelligentiæ quæ sunt propinquæ vni puro vero, sunt minoris quantitatis & maioris virtutis; & Intelligentiæ quæ sunt longiores ab ipso, sunt maioris quantitatis, & debilioris virtutis Ideo accidit vt formæ, quæ procedunt ex intelligentijs primis, procedunt processione vniuersali vnita. *Arist de causis. cap. 3 propo. 10.*

Intelligentiæ primæ influunt supra intelligentias secundas virtutes & bonitates, quas recipiunt à causa prima, & intendunt bonitatem in eis vsquequo consequuntur vltimum earum. *Idem, ibid prop. 4.*

Intelligentiæ superiores primæ, quæ consequuntur causam primam, imprimunt formas secundas stantes. quæ non destruuntur, ita vt sit necessarium iterare eas vice vlla. *Arist. de causis. cap. 3 prop. 9.*

Intelligentiæ secundæ imprimunt formas, declines & separabiles, vt est, anima, & non multiplicantur animæ nisi per modum quo multiplicantur intelligentiæ, quod est

quia esse animæ habet finem, sed quod ex eo est inferius est infinitum. *idem, ibid.*

Intelligentiæ primæ si sunt, vt verum est, à corpore absolutæ, necesse est & naturam intelligentem eatenus intelligere, quatenus vel est vel fit à corpore libera. *Plotin. En. 4. lib. 7. cap. 8.*

Intelligentiæ summæ nullum deesse potest genus intelligendi. *Fic. Plato. Theol. lib. 2. c. 9.*

Intelligentiæ primæ intentione, vniuersalis & maximè communis distinctio rerum prouenit. *idem, in Plotin. de prouidentia, cap. 19.*

Intelligentiæ non communiter solùm, sed etiam rationis fulgorem in animabus minimè emicare in causa est, vel peruersa nimium corporis compositio, vel inepta frequenter ingenio, tum perturbationi parata, vel ipsa animæ seminalis ratio in habitum conuersa brutalem, atque subinde corpus in materia prout fert opportunitas sibi brutale conformans. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 3. c. 4.*

Intelligentia prima animal perfectissimum, omnes quotcunque excogitari possint vitæ, & intelligentiæ, & animalium gradus speciésque continet. *idem, in Plotin. Enn. 6. lib. 7. cap. 9.*

Intelligentiæ diuinæ, qui purissimi sunt actus, & in suis actionibus corporibus non indigent, idcirco à corporibus separatæ manent: aut si quando propter vniuersæ naturæ quandam commoditatem se ad corpora demittunt, vt quæ mouere cœlestes orbes dicantur, hæ sunt ab illis separabiles vel potius adhuc separatæ. *Iaco. Carp. peripat. dig. 10.*

Intelligentiæ dum orbes suos circunducunt, vnitatem quàm maximè colligant atque constringunt vniuersi, & propterea munus à Deo sibi iniunctum cumulatissimè explent atque exequuntur. *Leo Heb. de Amo. dial. 2.*

Intelligentia, vt inferiora gubernat.

Intelligentia & sapientia admirabili cum ordine cuncta gubernat. *Plat. in Phileb.*

Intelligentia vniuersi semper imperat. *idem, ibid.*

Intelligentiæ ac sapientiæ vitam qui elegit, dictum est non opus habere, nec vt gaudeant, nec vt doleant. *ibid.*

Intelligentia, & si regit res quæ sunt sub ea tantum, Deus benedictus, & excelsus præcedit intelligentiam per regimen, & regit res regimine sublimioris ordinis & altioris quàm sit regimen intelligentiæ quod est in illud, quod dat intelligentiæ regimen. *Arist. c. 3. propos. 23.*

Intelligentiis nulla est potentia ad esse; nam si cœlestia non habent potentiam ad esse, etsi ad locum habeant, longè minus intelligentiæ quæ nobiliores sunt. *Bessar. Cardin. in calumniatorem Plat. lib. 3. c. 12.*

Intelligentia, vt intelligit.

Intelligentia omnis intelligit res superiores, quæ non cadunt sub tempore, nec destruuntur, quia intelligit res per esse suum est sempiternum, & non corrumpitur. *Arist. de caus. c. 3. prop. 11.*

Intelligentia omnis intelligit essentiam suam, quia intellectus, & intellectum sunt simul, & cùm intelligit essentiam suam, scit & ea quæ sunt sub ea, quoniam sunt ex ea. *idem, ibid. prop. 13.*

Intelligentia omnis scit quod est supra se, quia acquirit bonitates ab eo, & scit quod est sub se, quia est causa ei. *ibid. proposit. 8.*

Intelligentia non intelligit, sed est causa, vt alia intelligant. *Plot. En. 6. lib. 9. c. 6.*

Intelligentias edere homines non solent sine phantasia, nisi forte quispiam ad breue immaterialem attigerit speciem: phantasiam verò supergredi non minus est arduum quàm beatum. *Synesius de som.*

Intelligentia vera quæ à Platone nominatur notio sic ad intelligibile suum dirigitur reuera existens ac præcedens, vt verus sensus circa sensibile versatur, & antecellit sensum, ac denique cum sensu coniungitur, & magis intelligibile cum intelligentia quàm cum sensu sensibile. *Ficin. in Plat. Parmeniden, c. 23.*

Intelligentia sine re intellecta esse non potest, qua re antequam sint omnia, mens diuina intelligit omnia. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. c. 21.*

Intelligentiam cognosces, ex vno cardine rerum vno quodam nutu cardines omnes, sequentiáque deinceps mira facilitate mouere intelligendo, & ita singulis prouidere, si redigas opera singula ad singulas vbique naturas, & eas subigas vniuersali naturæ, & hanc connectas intelligentiæ, & intelligentiam voluntati. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 3. c. 1.*

Intelligentiæ proprietas.

Intelligentia ac sapientia versatur circa id quod semper est & secundùm eadem eodem modo purissima sine mistione se habet. *Plato in Phileb.*

Intelligentia ac scientia nihil concinnius. *idem, ibid.* Intelligentiam ac sapientiam nemo vnquam nec reuera, nec per somnium, turpem vidit, aut vllo modo cogitauit. *ibid.*

Intelligentia veritati cognatior quàm voluptas. *ibid.*

Intelligentiæ in anima sunt per modum accidentale, quia intelligibilia vnita sunt in anima per modum qui multiplicat, & res intelligibiles quæ non mouent sunt in anima per modum motus. *Arist. de causis, c. 3. prop. 14.*

Intelligentia non dat eis, quæ sunt sub ea, scientiam per modum creationis, sed per modum formæ. *idem, ibid. propositio 28.*

Intelligentia omnis diuina fit res per hoc quod est intelligentia, & regit ens, quia est diuina. *Aristot. de causis, cap. 3. propo. 23.*

Intelligentia non recipit diuisionem, quia est primum creatum, quod creatum est à prima causa, & vnitas est dignior quàm diuisio. *idem, ibid. prop. 7.*

Intelligentia omnis est plena formis. *ibid. propos. 9.*

Intelligentia est cogitationis intentio. *Speusippus de Platon. defin.*

Intelligentiæ & sensus vocatio in Deo non arguit defectum, sed excessum. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Intelligentiæ actus æternus latet, quia non peruenit ad vim aliquam persentientem, nam per sensum medium agere quoquo ad hæc oportet, & si est idem intelligere & esse, oportet actionem aliquam ante animaduersionem esse: at animaduersio videtur esse & fieri, quando intelligentiæ actus reflectitur, & cùm agit secundùm animæ vitam repercutitur, vt in speculo aliquid circa lene nitidúmque quiescens. *Plot. En. 1. lib. 4. c. 10.*

Intelligentia non eget, quòd simplex est, & reuera sufficiens: quòd secundo loco sufficiens est, sed sui ipsius egenum, hoc indiget intelligentia. *idem, En. 5. lib. 3. c. 13.*

Intelligentiæ finis non est certitudo qua certitudo est, sed quando certè suum bonum percipit non quiddam vt dicitur maximè ens, sed maximè consentaneum & delectabile. *Fic. in Plat. Parm. c. 47.*

Intelligentia nulli rei inerti & inefficaci, & ad vitam ineptæ inesse potest. *idem, in Plat. sophistam, c. 30.*

Intelligentiæ vestigium per formam vbique apparet: fit enim vbique per formam proprium intelligentiæ signum. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 4. c. 3.*

Intelligentiæ virtus, vt quæ efficacissima est, ignis instar omnia penetrat & resoluit: & quia simplicissima est, nunquam quiescit donec ad simplicissima peruenit. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. c. 34.*

Intelligentiæ ratio alia est ab existentiæ ratione, non enim quicquid existit intelligit. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 9. c. 4.*

Intelligentia & virtus perfecta motum ac sensum & sensibilia mirabiliter antecedens, nec à sensu vel sensili exorditur, nec instar mobilis alicuius ab hoc in illud, ab isto in illud ordine ducitur, quasi gradibus, sed in vno semel omnia possidet. *idem, in Plot. En. 6. lib. 7. c. 8.*

Intelligentia animalis naturam non format rationali, vel imaginali quadam discursione: nam & artifex perfectissimus non consultat vlterius, sed agit more naturæ. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 17.*

Intelligentiæ tota potestas, nisi ardentissimus amor accesserit, hucusque fortassis peruenit, vt pulchritudinem quæ in mundo diuino est prospiciat vt externam. Accedens amor contemplantem in eam transfert, ac vicissim vsque adeo vt contemplator amator iam se ipsum aspiciat pulchrum, imò pulchritudinem euasisse. *idem, in Plotin. Enn. 5. lib. 8. cap. 10.*

Intelligentiam voluptas consequitur, qua nulla maior, qua nulla verior, nulla permanentior. *Ioan. Pic. Miran. in Heptaplum lib. 5. c. 1.*

Intelligentia vt anima.

Intelligentia in nobis efficax, in angelis efficacior, in Deo efficacissima est: idem enim in eo est natura, & intelligentia, idem operationis naturalis modus & operationis intellectualis vbique esse solet. siquidem tam natura, quàm intelligentia per formam agit, & simile aliquid operatur in forma. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. c. 11.*

Intelligentiæ nostræ formulæ dependent non à sensibilibus formis, quæ semper abundè mouentur, sed ab ideis, quæ

nullo

nullo modo mouentur, sed in eodem intelligentiæ actu semper existunt. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 34.*

Intelligentia non sufficit nobis ad beatè viuendum nisi per ipsius boni præsentiam. *idem, ibid. cap. 35.*

Intelligentia vna quædam plerunque ad multa intelligenda sufficit. *ibid. cap. 24.*

Intelligentia nostra se intelligit vnum aliquid secundum speciem, vnam vbique essentiam in se veram immutabilémque possidens, proprietatémque & appellationem suam singulis sub eadem specie comprehensis impatiens. Id autem intelligibile nec est in singulis, alioquin iam diuisum & mutabile foret: nec est ipsamet notio nostra noua, alioquin & mutabile foret, atque figmentum: neque iam esset intelligentia vera, nec notio illa superior menti nostræ naturaliter insita, nam hæc rebus cognitis nihil tribuit, nec communis est vllis. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 23.*

Intelligentia in vita versatur. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 63.*

Intelligentiæ opus sine voluptate nō est optabilissimum. *idem, in Plat. phileb. lib. 2. cap. 3.* Intelligentia nostra, cùm à sensu originem trahat, ideò interiorem bonitatem nunquam intelligeremus nec appeteremus, nisi exterioris speciei indiciis manifestis proueheremur. *Idem, in Plat. conuiuium. or. 5. cap. 1.*

Intelligentiæ circuitus à corpore impediri ait Plato, rationis verò distrahi duabus præcipuè rationibus: tum quia priusquam adultum sit corpus, anima tota in fabrica corporis occupatur, tum quia quæ extrinsecus sensus mouent in teneriore ætate offendunt vehementius. & propter nouitatem rerum animam circa corporea reddunt admirabundam. his de causis diu & intelligentia à diuino vacat officio, & rationalis ipse discursus circa inferiora distractus, quasi demens, turbatur & fallitur. sic totus animus peruersam figuram subit. & vitam ducit laboriosam, dum ratio cedit sensibus, perinde ac si quis caput pro pedibus humi figat, & pedes pro capite tollat in altum. *Fic. in Plat. Timaeum, capitulo 18.*

Intelligentia rationibus certis incedens firmaque, & compotens paucissimis, longo interuallo, tanquam præstantior, distat ab opinione, id est imaginatione, pedissequa sensuum incerta, vagabunda, communi eodem interuallo, velut præstantiora, ab imaginabilibus distant intelligibilia, id est rationes borum ideales. Hæc igitur veriorem habent essentiam quàm formæ sensibiles, & adeo differentem, vt hic ignis cum separato non natura conueniat. sed vmbratili similitudine, & nomine. *Fic. in Plat. Timaeum, cap. 36.*

Intelligentia animæ infusa ab intellectu puro fit, & seruatur, nec inde disiungitur. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 2 cap. 7.*

Intelligentia animæ propriè dicitur: non tam quod ex natura sua sit, quàm quòd intelligat absque corporis instrumento: sic anima etiam sine illo ratione discurrit. Sed hoc saltem interest, quòd esse discursu & argumentatio non fit per corporis instrumentum, imagines tamen sensibilium aliquas ferè semper ante oculos habet, motos enim naturaliter ad talia habetur. Intellectus verò nec corporis vtitur instrumento, nec tales spectat imagines: ratio enim quando ad intellectum penitus se conuertit, vniuersalia sine particularium imaginibus intuetur. *Idem, ibidem, cap. 9.*

Intelligere est ipsum credere, at non credere est ignorare, quæ ergo de diuinis dicuntur, intellecta creduntur, non intellecta negantur. *Mer. Trismeg. Pimand. cap. 9.*

Intelligere est absque corpore comprehendere. *Plot. En. 4. lib. 7 cap. 8.*

Intelligere est moueri ad bonum ipsius desiderio boni. *Idem, En. 5 lib. 6. cap. 5*

Intelligit seipsum aliter quod est in anima, aliter quod est in mente anima enim cognoscit seipsam, quòd sit alterius: mens verò quòd sit ipsa & qualis ipsa, & quæ nam sit, & id suapte natura videlicet in se conuersa. *Idem, En. 5. lib. 3 capitulo 6*

Intelligere in Deo nil aliud est, quàm esse: & agere quàm velle. Ideo quæcunque hic meditantur cum labore & tempore meditantur, & aguntur: æterna veritas, & infinite illa virtus momento, prout vult, & facillimè peragit. *Fic. epist. l. 2.*

Intelligere cùm dicit Plato, contemplationem diuinorum intelligit: cum vero sapere, humanorum prudentiam. *Idem, in Plat. Phil. lib. 1. cap. 7.*

Intelligere, quod est agere immobiliter, est medium inter intelligere, quod est esse simpliciter, nullaque participatione, sed penitus per essentiam, & inter intelligere, quod est mobiliter agere. *Idem, in Plotini En. 1 lib. 4 cap. 9.*

Intelligere in intellectu primo est ipsum esse, in secundo est quasi esse, & vt ita loquar existere: est enim agere, agere inquam actu quodam essentiali, & interno, atque perpetuo, vt in luce lucere atque micare, in tertio denique intelligere est argumentari, vt in lumine refulgere. *Ficin. in Plotini En. 1. lib. 4. cap. 9.*

Intelligere est quodammodo tangere. *Idem, in Plot. En. 5. lib. 7. cap. 2.*

Intelligere, & intelligi, quod intelligitur, & quod intelligit, differunt inter se quadam ratione formali in mente ipsa: substantia tamen conueniunt. ibi intelligere ipsum metaphoricè est moueri, intelligi verò quasi mouere & stare. *Idem, in Plot. En. 5. lib. 2. cap. 4.*

Intellectus est actio immanens, cùm per ipsum intelligere homo felicitatur. *Gab. Bur. de remin. scent. lib. 4.*

Intelligibilia omnia habent scientiam propter intelligentiam primam. *Aristot. de causis, prop. 28.*

Intelligibilia sensibilibus comprehendi, ac spectari non possunt, neque fictis figuratisque simplicia, & in figura, nec informitas per corporum figuras, incorporeum refugiens tactum, & figura carens. eadem veritatis ratione ipsa superessentialis infinitas omnes essentias antecellit. *Dionys. Areopagita de diuinis nominibus.*

Intelligibilia sensibilibus per sacra velamina nostri ingenij facultati indulget sanctarum literarum benignitas, & sacerdotalium traditionum, quæ verò essentiam superant, rebus quæ habent essentiam obtegit, & formas & figuras his quæ formam & figuram refugiunt ritè circundat: & excelsam & infigurabilem simplicitatem signorum diuiduorum varietate multiplicat & effingit. *Dionys. Areopag. de diuin. nomin.*

Intelligibile ipsum duos actus habere debet, alterum in ipso manentem, alterum in aliud prodeuntem. *Plot. En. 2. lib. 9. cap. 8.*

Intelligibilium cognitio multo magis, quàm sensus est à passione remota; hæc enim interiùs prodeunt, sensibilia verò attingunt extrinsecus. *Idem, En. 4. libro sexto capitulo 2.*

Intelligibilia sensibilibus connectuntur, vt illa quidem per se existant, hæc verò illarum participatione esse semper accipientia, naturamque intelligibilem pro viribus imitantia. *ibid lib. 8 cap. 6.*

Intelligibilia ipsa vel sensu, vita, & intellectu carent, vel intellectum habent. si habent, in eis pariter erunt ambo, & ipsum verum hic existet, primúsque hic erit intellectus. *Plo. En. 5. lib. 5. cap. 1.*

Intelligibili naturæ superiorem naturam qui contemplari desiderat, si modò omne intelligendum dimiserit, contemplabitur. *idem, ibid. cap. 6.*

Intelligibilem naturam qui cognoscere cupit, tunc demum cognoscet, quod est super sensibile genus, quando nullam prorsus rei sentiendæ tenebit imaginem *ibid.*

Intelligibile cùm sit vniuersum vbique totum, tamen quæ paratiora sunt ad capiendum, præsentiora censentur, & ens ipsum vbique per entis naturam existit, nusquam sibi deficiens, & præsens est illi quicquid præsens esse potest, & quatenus valet non loco, sed vt perspicuum corpus lumini. Præterea cùm esse prima, secunda, tertia, disponuntur, non loci gradibus, sed ordini, virtuti, differentiis gradatim est accomodandum: nihil enim prohibet simul esse quæ differunt, vt animam, intellectum, scientias omnes, maiores, & minores, quoniam circa pomum idem oculus videt colorem, olfactus odorem sentit, & sic alij sensus: ratio tamen est & vna, & multa. *Plot. En. 6 lib. 4. cap. 11.*

Intelligibilia, cùm entia sint, sunt multa simul, & vnum, & multa in vno, & in multis vnum, & omnia simul, & agunt omnia illic ad totum vnà cum toto, aguntur ad partem vlterius cum ipso toto, & admittit primum pars in seipsam actionem partis, deinde totum. *Plot. Ennea. 6. libr. 5. capitulo 6.*

Intelligibilia sic agunt in intellectum, vt sensibilia in sensum, hoc tamen excepto, quod intelligibilia non extrinsecus veniunt ad agendum, quia ab intellectu non sunt separata, ambobus enim vna quædam est actio. intelligibilibus ad intellectum, intellectus ad intelligibilia, quatenus ab intellectu non sunt seiuncta. *Priscian. in Theophrastum de phantasia & intel. cap. 9.*

Intelligibiles cùm sint res à materia separatæ, ex seipsis perficiuntur, & intelligibiles sunt, impartibiliterque vniuntur inter per totas secundum essentiam propriam perfectæ intellectus, & secundum seipsas intelligibiles sunt perfectissimè *id. in ibid. cap. 19.*

Intelligibile sua tenuitate & vi mirabili illabitur in intelle-

ctus interiora;& intellectus,subtilitate virtuteque sua,vndique intelligibile penetrat. *Fic. epist. lib. 2.*

Intelligibile excedit ens quia & quæ sunt, & quæ non sunt intelligimus, & esse,& non esse,& aliquid ipso ente esse,& efficatia perfectius. hinc concludimus principium vniuersi, quod propter supereminentem simplicitatem ipsum vnum nominamus, excelsius ente putandum,præsertim cùm ens, qua ens, non refugit diuisionem. at vnum hanc valde procul propulsat. *Ficin. in Dion. Areop. d. diuin. nom.*

Intelligibile, qua intelligibile, eminentius est,& priùs quam intellectuale: hoc enim participatione illius intelligit. *Ficin. in Dion. Areopag. de diuinis nominib. 7.* Intelligibilia & sensibilia Deo certa sunt, modo quodam sensum & intelligentiam excedente: vt rationi perfectæ nota sunt eadem, quæ & oculo, per modum superiorem,quàm per visum. *Idem, ibid.*

Intelligibile reuera ita intrinsecus mouet intellectum, vt sensibile extrinsecus mouet sensum. *Ficin. in Plat. Parmen. cap. 4.*

Intelligibilia tanto sensibilibus præstantiora sunt, & veriora, quanto intellectus est præstantior & verior sensu. *Idem, ibid. cap. 52.*

Intelligibilia sunt, ad quæ naturaliter conuertitur intellectus, quoties est expeditus, quæ sunt communes quædam rerum absolutæque rationes, quæ nec esse nisi penes intellectum quendam possunt, nec primæ omnium sunt quàm à nobis concipiantur, mobiles enim sunt,& intelligentia nostra posteriores. *ibid.*

Intelligibilia vera immutabilia sunt, & intelligentiam nostram antecedunt primæ igitur eiusmodi rationes sunt in mente diuina,sed in nobis quoque ante aduentitios quosdam conceptus rationes sunt naturaliter insitæ, per quas & conceptiones eiusmodi parimus, & hinc ascendimus ad ideas, & has rationes mentibus nostris inesse tunc, declaramus, cùm res quasdam absolute definitur à singulis externis confugimus ad communia, & intima mentis penetralia petimus, vbi nobis occurrunt intelligibilia proxima. Ideæ vero intelligibilia sunt remota: proxima verò hæc intelligibilia, tanquam perfectiora à sensibilibus, tanquam imperfectis, non collecta non sunt, sed à primis infusa,per quæ horum ipsorum virtutem, dum particulare aliquid circumspicimus rationem specialem, quæ in singulari non est vniuersalis, vniuersaliter cogitamus, eusque corporeas ad incorporeas causas recta ratione reducimus. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 22.*

Intelligibilia sunt speciales ipsæ omnium rationes communes,immutabiles,absolutæ. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 23.* In intelligibile est species quædam in ipso intellectu omnium rerum conditore, cuius speciei proles quædam est,& ratio seminalis circa quamlibet speciem, ocuus naturæ illinc infusa,& quædam singulis sub eadem specie communiter tributa proprietas,& notio nobis infusa diuinitus. *Idem, ibid.*

Intelligibili supra cœlum loco quædam insunt: quædam de ipsa negamus, negamus tactum, idest omnem conditionem & passionem corporeo mundo propriam: figuram, idest animalis mundi qualitatem, quæ per figuras, & numeros in Timæo describitur: colorem, idest lumen participatum. *Fic. in Plat. Phædr. cap. 12.*

Intelligibilium prima sunt ideæ, secunda inhærentes materiæ species, quæ ab illa separari nequeunt: sic intellectio primorum vna, secundorum altera. Prima intelligibilia intellectio iudicat, non sine scientifica quadam ratione, per comprehensionem & discursum; secunda scientifica ratio, non sine ratione opinatiua. *Alcin. cap. 4.*

Intelligibilis mundus cùm sit primum intelligibile, sensibilis verò concretum quoddam, illud intellectio cum ratione, idest non sine ratione iudicat, hunc opinatiua ratio non sine sensu,& cùm contemplatio sit, nec non actio recta ratio, haud eodem modo discernit, quæ contemplationi & quæ actioni subijciuntur. In contemplatione quid verum vel falsum considerat: in actione quid proprium, quid alienum, quid agendum, quid non. Ex eo enim quod pulchri & boni naturalem habemus intelligentiam ratione vtentes, referentesque ad naturales intelligentias, veluti ad præfinitas normas, bona ne,an mala sint, singula diiudicamus. *Alcin. cap. 4.*

Intelligibile idem omnino, atque ipsum ens,appellandum est. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.* Intelligibili & enti bonum proponendum est. *Idem, ibid.*

Intelligibilis ad intellectum longè maior est proportio,quàm sensibilis ad sensum. *Idem, in Plotin. En. 2. lib. 9. cap. 6.*

Intelligibilia sunt in ipsa sensus essentia: non enim quærit argumentando, nec vagatur extra, sed in se conuertitur & stabiliter intuetur quasi possidens, ipsamque vniuscuiusque substantiam penetrat,& definit, at per imagines rerum non posset aliud, quàm qualitates & externa conijcere. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 5. cap. 2.*

Intelligibilia non sunt propositiones & quasi dictiones quædam, sed rationes & formæ essentiales: nec sunt spectacula quædam inter se disiuncta,sed formę in vna quadam immateriali forma, vt sensibilia cunctæ in eadem informi materia. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 5. cap. 2.*

Intelligibiles formæ magis vnitæ sunt cum intellectu, quàm sensibiles cum materia, & cœlestes cum substantia cœli. *Idem, ibid.*

Intelligibile duplex, vnum coniugatum cum intellectu, alterum superius. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 4. cap. 2.* Intelligibile se habet ad intelligentiam, ferè, vt motor, ideoque quodammodo antecedit. *Idem, in Plotin. En. 5. lib. 9. cap. 7.*

Intelligibile est propria intellectus perfectio, vnde intellectus in actu,& intelligibile in actu sunt vnum. *Idem, Plat. Theol. lib. 11. cap. 2.*

Intelligibilis mundus est magis vnum, quàm mundus sensibilis, quia formæ immateriales firmius & proprius affiguntur ideis suis, & per ideas intellectui, quàm formæ materiales inchoationibus suis, & per eas materiæ. Ille est vnus vnitate summæ formæ: hic infirmæ materiæ. *Ficin. in Plotin. En. 6. lib. 5. cap. 5.*

Intelligibile ipsum amplius est, quàm ens, nam intelligimus non solum entia, & esse, sed etiam non entia,& non esse, vnum autem latius est. *Idem, ibid. lib. 9. cap. 2.*

Intelligibilibus primis iudicandis primò dominatur mentis intellectio, quæ posita est in illorum fruitione per intuitum: accedit verò, quasi comes, vel prænuncia, ratio ea, quæ coniuncta est cum cogitationis discursu. In secundis contrà, primum tenet locum ratio cum cogitationis discursu; ad eam accedit mentis intellectio. Atqui in sensibilibus prima & secunda ab homine cognosci per sensum accedente ratione, & cum opinione coniuncta. concretas verò substantias, quæ primis sensibilibus affectæ sunt, percipi potissimum ratione, potest sensu hæc subministrante, & seruiente. *Iac. Carp. in Alcinoi cap. 4.*

Intelligibilia prima, cùm formæ sint omnino materiæ expertes, in vita hac, & in altera solo intuitu cognoscuntur cum ipsa mens ad mundum intelligibilem ascenderit, vel post hanc vitam corpore soluta, vel in hac vita rapta per ecstasin, & per eam mortem quam philosophicam appellauimus cap primo. At in hac vita mens præparatur ad intelligibilem mundum antecedente rationis & cogitationis discursu, quo exercetur in contemplatione naturalium & abstractione mathematicarum. *Iacob. Carpent. in Alcinoi cap. 4.*

Intelligibilia secunda sunt formæ cum materia coniunctæ, & cum caduis in agendo necessario communicantes principem locum obtinet in eis ratio cum cogitationis discursu, sed in illa in hoc errorum vitare non potest, nisi illustretur, & dirigatur primæ mentis lumine extrinsecus aduenien te,& influente. quoniam vanus est labor humanæ cogitationis circa formas rerum naturalium, nisi à prima mente adiuuetur. *Iacob. Carpent. in Alcinoi cap. 4.*

Intelligibilia sunt scibilia, vt opinabilia sensibilia. *Idem, in Alcinoi defensione.*

Intemperantia.

Intemperantia circa res venereas magna ex parte propter vnius generis habitum præ ossium raritate in corpore fluidum & humectantem morbus animæ facta est: & sanè omnium ferè, quæ ex voluptatum intemperantia opprobrium afferunt, velut vltro sint tales mali, non rectè exprobrantur. *Plato in Timæo.*

Intemperatus vnusquisque est præter animi sententiam. aut enim ob imperitiam, aut ob incontinentiam, aut ob ambo hæc, omnis humana turba temperantiæ exors viuit. *Plat. de legib. dial. 5.*

Intemperantium lapsus in veneream passionem est peccatum. *Plotin. En. 3. lib. 5. cap. 1.*

Intemperatus propter intelligentiam diuinam cognatam, diuina quandoque cogitat, atque loquitur sed propter concupiscentiam imaginationemque perturbatam à temperantia diuina longe discedit, & cùm secum semper pugnet, cum alijs consentire non potest. *Proc. in Alcib. 1.*

Intentio requiritur ad actum cuiuslibet cognoscentis potentiæ: quæ ad multa referri non potest, nisi hæc inuicem ita sint ordinata, vt quasi vnum accipiatur. *Steph. Comb. de transitu mentis in deum, lib. 6. cap. 2.*

Interdictum, præceptum, & mandatum differunt: quia interdictum ad peccatum pertinet, præceptum ad rectè facta, mandatum ad medium hominem, qui nec vitio, nec virtute præditus

prææditus sit. *Phil. in leg. allegor. lib. 1.* Ioterrogans necesse est vt eum, qui interrogatur sequatur, quocunque tandem ille se subdocut. *Plat. de sancto, lib. 2.*

Interrogationibus non est temere respondendum, sed tempore intercedente coosulere quid diceodum, hoc io loco Socrates ducet. *Plato in Phadone.*

Iqterrogaodi & respondendi io modum facilius est vti eo, qui sine molestia & facilè respondet: sio minus, ipse per se quisque facilius disseruerit. *idem, sophista.*

Iuterrogari facilius est quàm respondere. *de rep. dial. 1.*

Interrogationes cuiuscunque rei duæ sunt, nominis & desioitionis. *Idem, de leg. dial. 10.*

Ioteruallum in modulatione est, quicqoid à duobus tenore diuersis comprebenditur sonis. Interuallorum vnum vocatur Tonus, quo harmonia diapeote est. diatessaroo maius hanc harmonici geoerare arbitrãtur bipartitum interualla duo, quorum vtrunque hemitonium appellaot. Pythagorici æquam eius portionem ooo agnoscunt, sed sectionum inæqualium minorem dicunt limma, quod contractior dimidio est. quocirca concentum diatessaroo bi duorum tonorum & semissis volunt esse, duorum alij & defectus. *Plutarc. de anima genitura ex Timæo.*

Interuallum nil aliud est, quàm distantia partium. *Fic. in Plat. commentar. 5. cap. 6.*

Intestina non directa, sed obuoluta facta sunt, ne alimeotum cito pertransiens, citò rursus corpus ad aliud assumeodum cogeret & sic inexplebili ingluuie inducta, vniuersum genus à philosophia & musis alienum efficeret, vt diuinissimæ apud nos parti minimè obediret. *Plat. in Timæo.*

Intestioa facta sunt reuoluta, ne alimenta citius defluentia cogerent nos anserum more perpetuu quadam voragine cootemplatiooem prorsus omittere. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 70.*

Intrepiditas est habitus, per quem timoribus nullis mouemur. *Speusip. de Plat. definitionib.*

Intrinsecus competere necesse est id, quod secuodum naturam commonem alicui competit. *Io. Fran. Pic. Miran. de prænotione, lib. 5, cap. 5.*

Inuentio.

Inueniunt alij quod prius erat amissum: reperiunt denuo, (quæ redinuentio vocatur) alij, cùm nouum lucrum acquiruot, quam inuentionem vocant. *Philo, quòd Deus sit immutabilis.*

Inuenire quicquam oisi consilio noo possumus. *Bes. Card. in Trapezuntium. lib. 6. cap. 2.*

Inuentio tunc laudatur magis, cùm genuina est & libera: explodi solet, quæ ereptitia est, nedum accersita. *Io. Franc. Picus Miran. de imitatione.*

Inuentionem rerum accedimus, fine nobis proposito: deinde gradatim descendimus per media fini proxima, ad ea quæ sunt ab illo remotissima via analyseos. At cùm iam sumus exercitati in rebus colligendis, nos cootrario ordine in barum obseruationem incumbere, via geneseos, quam synthesin quoque possumus nominare, vt Galeno placuit. *Iac. Carp. in Alc. 1. digress. de analyt. methodo.*

Inuentum & perfectum oihil simul est. *Franc. Patric. de rep. lib. 1. cap. 10.* Inuentores omnes in quacunque arte nobiliori id fecere præcipue, quando digressi à corpore in arcem animi confugeront. *Ficin. Plat. Theologia lib. 13. cap. 2.*

Inuentio ad instioctum, conceptumque oaturalem pertinet. *Idem, in Plat. phædrum, cap. 49.*

Inuidia.

Inuidia, & calumnia multos bonos viros euertit & euertet. *Plat. in apologia.*

Inuidia nulla est dicere, quæ quis audierit. *Idem, in phædone.*

Inuidia fugienda est, ne futuros sermones io disputando euertat. *ibid.*

Iouidum ob vicinorum malu gaudere dicimus. *in Philebo.*

Iouidia est dolor animæ, & ridere voluptas. *ibid.*

Iouidiæ potentia est dolor quidam iniustorum, & voluptas. *ibidem.*

Inuidia extra diuinum chorum consistit. *in phædone.*

Iouidus, & qui vitro cum nemine aliqua booa amicè communicent, vituperandus est ipse, possessionem verò nihilo magis propter possessorem igoominia afficere oportet, sed quaotum fieri potest coosectari, & comparare. contendat nobis quiuis ad virtutem citra iouidiam. talis enim ciuitates auget, quum ipse decertet, alios autem calumnijs oon impediat. Inuidus verò, qui alios calumnia ascedere oportere putat, & ipse minus ad veram virtutem cootendit, & eos qui simul decertat iniusta vituperatione ad animi deiectionem perducit, & propter hæc totam ciuitatem ad virtutis certamen inexercitatam faciens, inferiorem ipsam existimatione, quantum io se est, facit. *Plat. de legib. dial. 5.*

Inuidet vir boous alteri, vt bonum, aut similem sibi ipsi faciat. *Plat. de virt. an doceri possit. spurio.*

Iouidia est tristitia ex liiorum bonis, siue præseotibus, siue præteritis. *Speusip. de Plat. definitionib.*

Inuidiæ, meodacia, furta, nascuntur, quia minus habent; luxuria, superbia, pigritia, quia magis. *Ficin. in Plat. de republica, dial. 4.*

Inuidia gloriæ comes est. *Franc. Patric. de rep. lib. 6. cap. 5.*

Inuidia plerosque ooo modò viros clarissimos pessundat, verùm ciuitatum nonnunquam statum euertit, & vrbes, ipsas diruit. *Idem, ibid.*

Inuidia est pessimus omnium affectus, quæ mæret alieno bono, & lætatur alieno malo. *Idem, de regno. lib. 5. cap. 11.*

Inuidia noo cadit io pares. *Iac. Carp. in Alcin. cap. 1.*

Inuidia sequitur superbiam, quæ est amor propriæ excellentiæ, & odium fœlicitatis alienæ. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib. 8. cap. 38.*

Inuisibile dicitur & lumen quam minimum, & quam maximum. nam oec illud perspici, oec hoc iospici oculis potest. sed hoc potest superinuisibile oominari. *Fic. in Dion. Areopa. de trinitate.*

Iouoluntarium est iniusta facere. *Plat. in Clitophonte.*

Iouoluntarium est, quod præter senteotiam factum est. *Speusip. in Platon. definition.* Iouoluntarium est abductio quædam ab ipso bono. *Plotin. En. 6. lib. 8. cap. 4.*

Inuoluntarium in ignoratiooe quadam, vel perturbatione consistit. quod licet cauere ratione, coosuetudinéque ciuili, & diligentia. *Alcin. cap. 27.*

Iocularia & fabellas scribere eruditè acrioris iogenij est, quod de grauissimis rebus vel ornate disserere potest. operosius enim est ex luto, quam ex ære vel auro decoram effingere statuam. *Ioan. Picus Mirandul. in epistola.*

Iocos & dij amant. *Plato in Cratylo.*

Iucundum.

Iocandum, quod τερπνὸν dicitur, ad ἑρπύσεως effectum est, quòd velut perspiratione quadam per aoimam, id quod iocuodum est, perrepiet. merito τερπνὸν appellatum est: temporis verò progressu ad τερπνὸν deductum. *Plato Cratylo.*

Iocundum & bonum non sunt idem. *Idem, in Gorgia.*

Iocundum booi gratia persequendum est. *ibid.*

Iocundum est, quo accedente delectamur. *ibid.*

Iocunda sunt, quæ voluptate participant, aut voluptatem faciunt. *in Protagora.*

Iocundum nihil alicui esse potest, oisi quod quisque sibi cognatum ac bonum existimauerit. *Fic. de voluptate, cap. 4.*

Iocunda antequam compareotur, simul cupiuntur & amantur: quibus iam habitis, & desiderium, & amorem eorum sæpe extingui videmus. *Leo Heb. de Am. dial. 1.*

Iocuoda antequam habeotur expetuntur simul ac diliguntur. Iam autem habita, desiderio simul & amore frequeoter euanescentibus, fastidium & odiosam quandam facietatem inducuot. *idem, ibid.*

Io Iocundis appetendis imaginaria quædam voluptas sentitur. *Leo Hebræus de Amor. dial. 1.*

Iocundorum perceptio vsque ad saturitatem cootiouata, cum priuatiooe sensuque priuationis semper est conoexa. *idem, ibidem.*

Iocundorum desiderium appetitio ouncupatur. *ibid.*

Iocundum multo magis, quàm vtile, naturæ humanæ est insitum. *ibidem.*

Iocundum est longe communius & vniuersalius, quàm vtile. *ibidem.*

Iocuodum in absentia ipsi vtili præstat. *ibid.*

Iocundum non omne iam habitum, facietatem iodueit. *ibidem.*

Ipsum quod dicitur, super hoc est, quod aliquid appellatur. *Plo. En. 6. lib. 3. cap. 12.*

Ipsum vnumquodque ἰ particola est theologica, quæ significat aoimam io corpore. *Fic. in Plat. Alcib. 1.*

Ira.

Ira aliquando pugoat aduersus cupiditates. *Plat. de rep. dial. 4.*

Irascibilis alia est à rationali, quod in pueris videre licet. nam statim nati pleni sunt ira, etiam si rationali nunquam compotes sint. *idem, ibid.*

Iratis varij colores io vultu apparent. *idem, epist. 7.*

Ira est prouocatio irascibilis animæ ad vlciscendum. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Irascendi natura timida est, propterea quod ooo aspicit rationem, vel aspicit ratiooem malam, vel instrumentorum vitio, vt defectu, vel labefactatiooe armorum corporeorum, vel agere prohibetur, vel non incitatur. fortis est,

si contra fiat. *Plot. En. 3 lib. 6. cap. 2.*

Irascimur non solùm ob id, quod corpus patitur, sed ob id, quod chari nobis homines patiuntur, atque horum causa, quæ indignè, aut nobis, aut nostris inferri putamus, ideo in iracundia & sensu & intelligentia opus est. *Plotin. Enn. 4. lib. 4. c. 28.*

Iræ propensiores homines sunt, cum ægrotant, quam cum benè valent, & cum ieiuni, quam cum saturi, ideo ad corpus pertinet ira, & bilis, & sanguis hos impetus excitat, ideo tali hoc corpore patiente, repente moueri sanguinem, aut bilem, sensúque excitato, imaginationem quoque expergisci, quæ prouocet animam cum tali corpore communicantem eum inuadere, qui molestiam intulit. *Plot. Enn. 4. lib. 4 cap. 28.*

Iræ procliuiores sunt, qui sunt sanguine & bile feruentes; contrà tardiores, qui bilem & sanguinem frigidiorem habent. *Plot. En. 4 lib. 4 cap. 28.* Ira solet & prouocari absque ratione, & deinde per imaginationem prouocatam conuocare ad idem rationem, est & quod exorditur à ratione, & definitur id quod naturaliter excandescit, ideo fomes tam irascendi, quàm concupiscendi, ab ipsa vegatali & genitali natura pullulare videtur. *Idem, ibid.* Iræ vestigium in præcordiis est, non enim ibi animam propriè, sed talis cuiusdam sanguinis fontem esse putandum est. *ibid.*

Iræ qui indulgent, maximis calamitatum vsuris se inuoluunt. *Max. Tyrius sermo. 2.* Iræ morbi animæ grauissimi medicina est sermo cum doctrina & veritate. *Phil. in leg. allegor. lib. 2.* Iræ, & amoris incendium facile est. *Fic. in epist. lib. 1.*

Irasci nunquam, optimum, & tutissimum est: quid enim aliud irasci est, quàm insanum, & ebrium euadere? & vbi ira frenum carusserit, interea donec iracundia referuescat, cohibenda est lingua, & vt insanis fieri solet, manus, & pedes ligandi, ne quid in ipso furore aut dicatur, aut agatur. *Idem, epist. lib. 9.*

Irascendi & concupiscendi vires quasi germanæ sunt, nam procliues ad libidinem sunt etiam propensiores ad iram, & vicissim; vt non immeritò Martem cum Venere Poetæ coniunxerint. *Fic. in Plotini En. 4. lib. 4. cap 28.* Iracundiæ motus aut quasi extrinsecus oritur, aut intrinsecus: extrinsecus ira, quando illatâ corpori foris passione, ad primum sensus motum feruet vigor igneus, & imaginationem mouet, & per hanc prouocat rationem: intrinsecus ira, cum ratio, vel imaginatio iniuriam excogitans humorem feruentem incitat. *Idem, ibid.*

Ira est sanguis feruor, & accensio circa præcordia. *Franc. Patric. de regno, lib. 4. cap. 10.* Iracundia est cupiditas ad vlciscendum tempus obseruans, quæ in habitu & dispositione est, ira verò in actu & feruore. *Idem, ibid.* Ira implacabilis subditos sæpe in desperationem inducit. *ibid.*

Iram à mollicie mentis multi philosophi nasci affirmant. *Idem, de rep. lib. 5 cap. 6.*

Iracundiæ qui est expers, nec efferuescere potest, & ita nec arcere, nec abigere hostem. *Auer. in rep. Plat. tract. 5*

Iracundia Leonem, cupiditas Simiam sequitur, ob effectus similes & communes cum iis animalibus *Sebast. Foxius in 9. Platon. de repub.* Iracundiâ si accendatur animus, supersedendum est ab omni actione. *Franc. Patric. de rep. lib. 5 c. 6.*

Irascibilem fortitudo, & eius pedissequæ perficiunt. *Ficin. in Plat. de virtute.* Irascibilis actus est, aggredi quæ ratio & phantasia proponit. *Fic. in Plat. de virtut.* Irascibilis est ministra rationis vel concupiscentiæ, ad illa, quæ vel eligunt audacter exequenda, vel abhorrent per iracundiam deuitanda. *Idem in Plat. Phileb lib. 5 cap. 7.*

Irascibilis naturæ generosa animositas amaritudine fellis adiuta, aduersum resolutam libidinis, vel inertiæ mollitiem pro ratione repugnat. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 67.* Irascens pro quibus, & contra quos, & vt oportet, & quando, & quanto tempore, laudatur. *M. Ant. Nat. de pulchro, lib. 9.*

Irradiationis & illuminationis nomen Platonici non intellexerunt. Est enim illuminatio nectar & ambrosia diuina, cognitio, sapientia: quam supremam animarum voluptatem sensit Aristoteles. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib. 8. c. 18.*

Irrationale nullo modo est excellentius rationali. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 2.* Irrationales vitæ, non animæ propriè appellantur, sed idola & animarum simulachra. *idē Fic. Pla. Theo. lib. 5. cap. 2.* Irrationalis vita corpori mancipata, non est vere animæ substantia, nec ex seipsa liberè mouetur vel agit, sed partim ab anima rationali, siue particulari, siue vniuersali pendet, sicut à vultu imago specularis, partim animalibus influxibus agitatur, partim ab externis obiectis impellitur; soli verò animæ rationali conuenit vt ex se liberè, absolutè, suo quodam pacto moueatur, & moueat, atque agat. Ita omnis rationalis anima tam humana, quàm diuina motus principium dici potest, & omnis talis anima à Socrate immortalis iudicatur. *Idem, Fic. in Plat. Phædr. c. 5.*

Immaterialia in se habent, nisi necessariò pertinentia ad essentiam, materialia præter essentialia, subeunt accidentia multa; intellectus noster vtraque cognoscit per formas innatas, quæ formæ repræsentant immaterialia tanquam eis cognatæ, & materialia tanquam causæ. *Fic. in Theophrast. de phant. & intel. cap. 13.*

Iris.

Iris à verbo *εἴρειν* dicitur, quia nuncia erat. *Plato in Cratyl.*

Irim arcum esse vulgo aiunt, cùm imago Solis vel Lunæ humidam, & cauam nubem, densámque ad instar speculi colorat, & medietatem eius orbis secat. *Apule. de mundo.* Iridem non excedere semicirculi figuram docet Aristot. quod experientia comprobatur esse falsum. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. de studio philos. lib. 2. cap 3.* Iris cœlestis arcus Thaumantis filia dicta est propter admirationem. *Idem, in exam. van. doct. gent. lib 3 cap. 12.*

Iridem sunt qui sentiant euaporationem humidam esse cùm in nubes inciderit, in parua confestim ramenta disseparari: itaque Sole in occidentem vergente, ex aduerso omnis Iris cernitur, tum cum visio aspersionibus stellarum occursans refrangitur; quæ aspersiones non figuræ, sed coloris esse formas ideò putant, quòd primò puniceum quiddam, secundò purpureum, tertiò subnigricans & viride repræsentat obtutui. Metrodorus voluit tum Iridem fieri, cum per nubes Sol explenduerit, quia nubes nigrescat, & splendor ipse subrutilet. Anaximenes Iridis causam retulit in splendorem Solis densæ nubi & crassæ & nigræ occursantem, cum penetrare nequeant radij & nubem transmittere. Placuit Anaxagoræ ex crassa nube, quæ Solari corruscationi resistat, refractionem contingere. Placuit Senecæ esse imaginem Solis, & roscidam, & cauâ nube conceptam. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doctr. gen. lib. 3. cap. 12.*

Iridem nunquam maiorem semicirculo ait Arist. quam ego vidi, vt pauló minus circulum impleuerit. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam van. doctr. gen. lib. 6. cap. 12.* Iridem noctu non fieri, nisi Luna plena, & spatio quinquaginta annorum ait Arist. quod falsum compertum est: nam semper Lunâ plenâ roscida nube existente, fieri potest. *idem ibid.*

Iris potius fit, dum Solis radius partim in oppositam nubem, partim in terram huic subiectam, ac plerunque virescentem emittitur, in illis triplicis coloris speciem excitat, quæ deinde ad oculum eius qui nubem intuetur ita defertur, vt in huius pupilla aliquid simile Iridi possis intueri. *Iac. Carp. in Alcinoi digr. 57.* Iris mortalibus aquarum alluuie maximam præstat securitatē. *Leo Heb. de Am. dial. 2.*

Isosceles triangulus figuræ cubicæ elementum est: nam quatuor trianguli Isosceles concurrentes quadrangulum complent, ex quibus sex quadrangulis cubus conficitur. *Alcin. cap. 13.*

Italia Charundam legislatorem laudat, Athenæ & Sicilia Solonem, Homerum nemo vt legislatorem laudat. *Plato de republ. dial. 10.*

Iter in Ægina qui noctu serò faciunt, damnentur. *Plat. in Cratylo.* Itineris Deam geminam esse scito, indicatricem scilicet & seruatricem, & illam esse lucem sub nomine Lunæ, hanc verò sub Dianæ nomine fidem; & quidquid casu quodam alienum in itinere repertum est, Deo esse dicandum, vt cognoscas fortunam prosperam esse ad Dei prouidentiam referendam. *Fic. in Plat. de legib. dial. 10.*

Iudex, Iudicia.

Iudicis virtus est cognoscere an dicantur iusta, an non. *Plat. Apolog.* Iudex rogari non debet, nec rogatus absoluere, nec rogans absolui, sed per hunc doceri, & persuaderi. *Idem, ibid.* Iudex sedet vt iudicet quæ iusta sunt, non vt gratificet, & iureiurando se adstrinxit se non gratificaturum esse, prout visum fuerit, sed iudicaturū secundum leges. *ibid.*

Iudicis officium est, suam propriam virtutem exhibere, vt neque à muneribus, neque à timore, neque à commiseratione, neque ab inimicitia aliqua, neque ab aliqua amicitia superata, præter legislatoris ordinationem accusationes diiudicare velit. *Plat. de regno.*

Iudicum potentia non est regia, sed legum custos, & ministra. *Idem, ibid.* Ex iudicibus infernorum, Asiaticos iudicat Radamanthus, & Europæos Æacus: & si sunt in aliquo ambiguo, Minoi hæc prærogatiua datur. *in Gorg.*

Iudicibus opus habere quid turpius est? & præsertim ei qui multam vitæ partem in iudicibus modò reus, modò accusator conterit; sed etiam præ honesti imperitia ob hoc ipsum gloriatur, velut qui in ferenda iniuria præstet, & omnibus fallaciis vti possit, & omnes ad elabendum exitus perquirere, & ratiocinando tergiuersari, ne pœnas det,

det,& hæc paruarum, & nullius pretij rerum gratiâ, vt qui ignoret quantò pulchrius & melius sit præparare sibi vitam, vt nihil opus habeat stertente iudice. *Plato de rep. dial. 3.*

Iudicibus & medicis multis in ciuitate opus esse, & non solùm vulgaribus & manuariis opificibus, sed etiam illis qui in liberali studio se educatos esse simulant, maximum indicium est malæ & turpis institutionis, eam ob inopiâ propriæ virtutis, externâ iustitiâ ab aliis, velut dominis & iudicibus, vti cogi. *Plato de republica, dial. 3.* Iudex non iuuenis, sed senex esse debet, vt qui serò qualis res sit iniustitia didicerit, & nõ propriam iniustitiam in sua anima senserit, sed alienam in alienis per longum tempus, quale malum sit percipere & cognoscere meditatus sit, scientiâ, non propria experientia vsus. *Idem, ibid.*

Iudex non vt discipulus, sed vt doctor spectatorum velut par est consider, vt qui aduersatorus est his, qui non conuenienter, neque rectè spectatoribus voluptatem exponunt. *Plat. de legib. dial. 2.* Iudicia iudicata rata habenda sunt. *Idem, in Crit.* Iedicandi instrumenta sunt experientia, sapientia, ratio. *de republica, dial. 9.* Iudicia de variis varia esse debent. *de legib. dial. 2.*

Iudicium maximè ratum sit illud, quod singuli sibi ipsis diffinierint: sunt autem duo: alterum quum priuatus priuatum aliquem ob iniurias illatas accusat, & ad iudicium trahit, & rem diiudicari cupit: alterum, quando rempublicam ab alio affectam iniuriâ quis putat, & communibus rebus opem ferre conatur. *Pla. de legib. dial. 6.* Iudicium maximè ratum habeatur, quod singuli sibi ipsis definierint in communi quibusdam delectis. *idem, ibid.*

Iudicia per tribus fieri necesse est, & per sortem iudices precibus incorruptos è vestigio iudicare. *Plat. de leg. dial. 6.*

Iudicandi cui facultas negatur, is neque ciuitatis participem esse se petat. *idem, ibid.* Iudicia ciues omnes, quibus ocium est, studiosè audiant. *ibid. dial. 9.* Iudicij diuini nemo exors erit, etsi sit ita paruus, vt terræ profunditatem subire possit, aut ita altus, vt in cœlum euadat; sed debitam quisque pœnam dabit. *dial. 10.* Iudicio in quocunque ferendo oportet, vt quiuis vereatur, ne falsam pœnam inducat, nec volens, nec inuitus, quoad fieri potest. *dial. 12.*

Iudiciorum præsides in agendis causis non permittant, neque vt quis iureiurando dicat persuadendi gratiâ, neque vt seipsum, & genus suum detestetur, nec supplicationibus indecoris, & commiserationibus muliebribus utatur: sed vt in eo, quod iustum est docendo, & discendo cum commoda dictione semper perseueret: sin minus, tanquam qui contra propositum dicat magistratus ad sermonem de re proposita reducant: at externo ad externum veluti liceat vt si velint, alter ab altero iusiurandum suscipiat: non enim cõsenescunt, nec nidificant in ciuitate, vt timendum non sit ne alios dominos regionis exhibeant suos alumnos. *Plat. de leg. dial. 12.*

Iudiciorum primum est arbiter à partibus electus, secundum iudices vicini & tribules, tertium sint iudices electi. si in primo acquiescere noluerit iudicio reus, & secundo victus fuerit quintam partem æstimatæ litis persoluat: si ad tertium reus victus sesquiplum, actor dimidium persoluat. *Plat. de leg. dial. 12.* Iudex si quis iniquam sententiam de damno illato pronuntiare videtur, dupli ei qui læsus est persoluendi reus sit, & condemnetur: at de magistratibus iniustis factis quicunque volet actionem apud publica iudicia instituat. *Idem, ibid. dial. 8.*

Iudices in capitali crimine sint legum custodes, & iudicium eorum magistratuum qui de super toti anno optimè fuerint ab hoc delecti: & horum inductiones & vocationes in ius & quæcunque huiusmodi sunt, & vt fieri oportet, iunioribus legislatoribus curæ sit. *Plat. de legib. dial. 9.* Iudices aduersus faciem & accusatoris & rei quam proximè pro senij dignitate sedeant. *idem, ibid.*

Iudex senior post orationes ab actore, & reo factas incipiat iudicare ac percontando examinare ad iustam eorum, quæ dicta sunt, considerationem progressus: post seniorem omnes recensere oportet quidquid ab vtroque aduersario dictum, aut non dictum quis aliquo modo desiderat. qui verò nihil considerat, alij examinationem deferat. Ex his quæ dicta sunt præcipua quæque literis obsignata omnium iudicum sigillis impressis ponantur in sedem, & postridie cursus in idem congressi similiter examinent, & iudicium prosequantur, & rursus his quæ dicta sunt sigillis impressis eadem ponant; & postquam ter hoc fecerint, & coniecturas & testes quantum satis est adhibuerint, quisque suffragium sacrum ferat, & ante sedem promittat se pro viribus iusta & vera iudicaturum esse, & sic huiuscemodi iudicio finis imponetur. *Plat. de legibus dial. 9.*

Iudici animo qui vim conatur incutere, vt præter occasionem litiget, aut talibus qui lites intentat patrocinatur, quicunque volet temerè litigantium, aut peruersi patrocinij actionem contra ipsum instituat, iudicetur in electorum iudicio, & si condemnatus fuerit iudicij æstimationem faciat, an ob pecuniarum studium hoc facere videatur, aut ob contentionis amorem, vt si contentionis amore id facit, condemnet cum quanto tempore nulli liceat iudicium dictare, nec patrocinari; si verò ex pecuniarum amore, externus è regione discedat, & nunquam redeat, aut morte plectatur; ciuis autem ob pecuniæ studium quod omni modo apud ipsum colitur occidatur: quod si quis contentionis studio bis hoc fecisse iudicatus fuerit, occidatur. *Plat. de legibus, dial. 11.*

Iudex qui iudicaturus est iuret, & is qui magistratus publicos constituit per iusiurandum, aut per calculorum lationem, vt à sacris eos ferat, hoc semper facere debet, iudicantes omnes absque iureiurando iudicentur. *Plat. de leg. dial. 12.*

Iudex bonus legislatoris scripta velut aliorum sermonum auxiliaria medicamenta in seipso habere debet, & his seipsum & ciuitatem dirigere. *Idem, ibid.*

Iudex causæ ne sis, nisi eudiueris ambos. *Idem, de consilio dando.*

Iudex nec diuiti propter opes, nec pauperi propter misericordiam gratificari debet, sed omisso personarum respectu, incorruptè sententiam pronunciare iustum. *Philo de Ioseph.*

Iudex ipse institiâ plenus esse debet, si aliis ius administraturus est; quod fiet, si non minus iudicari putet quàm iudicare: & vnà cum auctoritate assumat prudentiam, ne decipiatur, iustitiam, vt vnicuique suum tribuat, fortitudinem, ne flectatur precibus, aut misericordiâ quamuis animaduertat in conuictos sceleris; cuicunque enim hæ fuerint virtutes, bene meritus de republica existimandus est. *Phil. de iudice.*

Iudex munera non accipere debet; excæcant enim oculos, officiunt iustitiæ, mentem à recta via cogunt decedere; præterea muneribus induci ad iniustitiam est scelerati hominis, sicut serui mali non reddere ius absque operæ præmio. *Phil. de iudice.*

Iudicis boni sententia incorrupta, & legitima esse debet. *idem, ibid.*

Iudex solùm naturam negotiorum sinceram & nudam considerare debet, non personas animaduertere, vt non iuxta opinionem, sed iuxta veritatem iudicet. *Philo de iudice.* Iudex senex esse debet. *Auer. in rep. Plat. trac. 3.* Iudex rei iudicandæ formam in se transferr, amator verò se transfert in amati formam. *Fic. epistol. lib. 1.* Iudex nemo in republica esse debet absque iudice. *Idem. in Plat. de legib. dial. 12.*

Iudicis, & medici similitudo est non tantum professione ipsâ, sed etiam munere, medicus morbos corporis, iudex animi vitia curat: ille morborum peritus, & intelligens constitutionis cuiusque esse debet, hic ingeniorum & morum ciuilium doctus, vterque probus, & diligens; vterque senex, aut saltem experimento peritus. *Seb. Foxius in 3. Plat. de rep.*

Iudex sæpe affectu concitato decernit quædam, quæ interuallo libenter commutaret. *Fran. Patric. de rep. lib. 1. cap. 5.* Iudicio nihil in Republica magis incorruptum esse debet, nec minus malè facit qui oratione, quàm qui precio iudicem corrompit. *idem, ibid. cap. 6.* Iudex potius publicam pecuniam, quàm priuatam habere debet. *ibid.*

Iudicans, Iudicatorium.

Iudicans duplex esse videtur, vnum à quo, alterum per quod iudicatur, illud intellectus noster, hoc organum naturale, idque primò vera, secundò falsa iudicat, nec hoc aliud est, quàm ratio naturalis; & si liquidiùs explicare velimus, iudex appellandus erit philosophus, à quo res ipsæ diiudicantur, & iudex ratio per quam etiam verum iudicatur, quod organum appellamus. *Alcin. cap. 4.*

Iudicatricem comprehensionem cuiuslibet artis sustulit Anacharsis Scytha, putans non posse reperiri aliquem, qui exactè iudicet. *Ioan. Fran. Pic. Mirand. in exam. van. doct. gent. lib. 2. cap. 4.*

Iudicatorium Gorgias Leontinus sustulit in libro cui nomen fecit, dico quod non est; primò probauit quod nihil est, secundò si est ab homine comprehendi non posse, tertiò si quis id queat comprehendere aliis narrare non posse. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 3. cap. 6.*

Iudicatoria duo Speusippus constituit, intellectilibus adaptauit scientificam rationem, sensibilibus scientificum sensum. *idem, ibid. lib. 2. cap. 13.*

Iudicatoria tria Xenocrates statuit: nam cùm tres imagina-

tus esset substentias, intellectualem, sensibilem, & compositam opinabilémque, sensiles putauit esse eorum, quæ intra cœlum, intellectualem quæ supra cœlum, opinabilem & compositam ipsius cœli scientiam putauit; iudicatorium intellectualis esse[illegible] sensibilis sensum, compositi opinionem: primum verum & firmum, secundum verum, non tamen ita, vt aduæquari possit; tertium aliquando verum, falsum. *Ioh. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 5. ca. 13.*

Iudicatorium Archesilaum aliqui nullum instituisse volunt, aliqui definitum videri volunt, ait Firmanus: eo quod singulæ sectæ multarum sectarum iudicio conuincerentur stultitiæ, & reprehensiones omnium inter se Archesilaum collegisse, confusionémque ignorantiæ multorum philosophorum, & se aduersus omnes armauisse, & nouam non philosophandi philosophiam instituisse. *Ioh. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib. 1. ca. 14.*

Iudicatorium esse volunt Cyrenaici à schola & ipsi Socratis (vt volunt) profecti, affectus, vnde ea sola percipi, & non mentiri volunt: eorum verò quæ pariunt affectus, nihil esse comprehensibile. *Ioh. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib. 2. cap. 16.* Iudicatorium veritatis phantasiam Stoici existimarunt. *Idem ibid. cap. 17.*

Iudicatorium duplex veritatis constituere Arist. & plerique sectatorum eius, sensibilium sensum, intellectilium intellectum: commune vtrisque vn[illegible] Theophrastus τὸ ἐναργές, quod clarum & lucidum possimus appellare. Sensum præponit Arist. Theophrastus ordine sensum præponit, vi & potestate mentem, quanquam ordine posterior, & sensum videtur subsequi. *Ioh. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 2. cap. 18.* Iudicatorium existimauit Epicurus veritatis esse phantasiam, quam opinioni iunctam appellauit claritatem, & omnino veram existimauit, vt quæ voluptatem & laborem ostenderet. *Idem ibid. cap. 19.*

Iudicatorium veritatis quod sit variè senserunt philosophi, quorum opiniones ad quinque potissimum capita reduci possunt: nam alij mentem, alij sensum, alij vtrunque, alij phantasiæ primas dedere: sed quænam esset veri captatrix phantasia dissentiebant: alij phantasiâ vtebantur, sed vti famulâ & ministrâ vel sensus: vel mentis: quæ omnia placita sceptici confutari procurant. *Ioh. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doc. gen. lib. 2. cap. 20.*

Iudicatorium sceptici non esse asserunt, tribus innixi rationibus: primò à quo manat ipsum iudicatorium, quidnam sit ignorari contendunt; id est hominem qui ferre iudicium debet, quo non cognito, nec notum volunt esse iudicium quod ab eo pendere consensus hominum vult. Verum etsi hominem percipi concesserint quid sit, sensum tamen & mentem ita effectam volunt, vt ab eis iudicium rectum expectari non possit; & si detur sensum & mentem ferre sententiam, nihilominus volunt, sublatum esse iudicium id, cui factum est nomen; secundum quod hoc est phantasiam quia eam nec rectè nec sincerè fieri contendunt, adeò vt si cætera vera forent falsa fierent internunciâ phantasiâ, quæ suopte ingenio falsa potius, quàm vera præsentet: ideò reperiri nequeat opinio, quæ iudicatorium decernat vllum, quod non à sensu, à mente, à phantasia prodeat, & cùm hæc in homine sint omnia iudicio de homine sublato, & illa ipsa consequenter sublatum iri censent. *Ioannes Franc. Pi. Mir. in exam. doct. gen. lib. 2. cap. 20.* Iudicium de disputationibus philosophicis si intrinsecus obstrepat, & resonet ægrè intelliget ea quæ extrinsecus dicuntur, vt aer, qui in auribus est, nisi stabilis est, & voce vacet propriâ, sed sit tinnitus & stridoris plenus, haud exactè loquentes percipit. *Plutarchi quæstiones Platonicæ.*

Iudicij prudentis perspicacia nos perducit ad artem & scientiam magis, quàm vel docilitas ingenij, vel memoriæ firmitas; & iudicium experimento confirmare oportet, quod nisi vitæ longitudine comparari posse certò scimus, quam vitam longam non solum ab initio fata promittunt, sed nostra diligentia præstat. *Fic. de vita producenda lib. 2. cap. 1.*

Iudicium sequens amor obcæcat, non præcedens. *Ficin. epist. lib. 1.* Iudici cuncta inspicienti animam purissimam offerri posse recensendum est, cætera omnia, quæ homines admirantur, esse penitus contemnenda, solaque ex omnibus honoranda, quæ ad salutem animæ sempiternam conferunt. *Fic. in Pla. Gorg.*

Iudicium humanum circa virtutes & vitia decipitur, non diuinum. *Idem, ibid.*

Iudicium atque discretio, ad rationem & intelligentiam perfectam pertinet. *Fic. in Pla. phæd. cap. 49.* Iudicium curiæ & magistratuum palatia idcirco templis proximè collocantur, quòd humani iudices semper iudicando meminerint se à Deo, dum iudicant homines, iudicari & custodes vrbis meminerint, vrbem custodiri non posse, nisi Deus custodierit. *Idem in Plat. de leg. dial. 6.*

Iudicij libertate aliqua carent, quæ nullum habent iudicium, vt plantæ: alia etsi habent, habent tamen ad vnum tantùm determinatum, vt bruta. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 9 cap. 4.* Iudicium diuinum nunquam abest, vel effugitur vnquam. *Idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 8.*

Iudicij dies magnus à tota Cabalistarum schola vocatur septimus millenarius. *Iac. Carp. in Alc. cap. 12.* Iudicium de nobis nonnunquam de foris exquirere debemus, nimiâ enim nos indulgentiâ plerunque fallimus. *Franc. Patr. de regno lib. 3. cap. 11.* Iudicium est recta iudicatio iusti, vel iniusti, & differt à præiudicio, quia iudicium est res, quæ causam & litem determinat, præiudicium est res, quæ quum constituta fuerit, affert similibus in rebus iudicaturis exemplum. *Idem, ibid. lib. 8. cap. 5.*

Iuno.

Iuno dicitur ἥρα, velut ἐρατή, id est amabilis, quòd Iupiter amore ipsius affectus sit, fortassis sublimium rerum contuitu habitu, legislator ἀέρα, id est aerem occultè ἥρα principio eius vocis in fine posito nominauit, quod cognosceres si sæpe ἥρα nomen protuleris, ἀήρ enim manifestè resonabit. *Plat. in Cratylo.* Iuno dicitur & soror & coniux Iouis qui cœlum est: quia cùm sit aer, dicitur soror, quia iisdem seminibus quibus cœlum, etiam aer est procreatus: coniux, quia aer cœlo subiectus est. *Macrob. in som. Scip. lib. 1.*

Iuno cùm sterilis esset, ab Apolline quod lactucas agrestes accepisset, grauida facta peperit Heben: quod nil aliud significat, quam Sole à Sagittario in Pisces Iouis domos peragrante, terram humiditate repleri, & generandi virtutem acquirere, vnde è Piscibus exeunte Sole, fœtus oriuntur tam varij. *Leo Hebr. de amore dial. 2.*

Iupiter.

Iupiter patrem ligauit quia filios iniustè deuorasset, & eum castrauit ob huiuscemodi alia facta. *Plat. in dial. de sancto.* Iouis autem est intelligentia regia, propter causæ facultatem: in aliis verò alia bona, prout singulis dici gratum est. *Idem, in Phileb.* Iupiter deorum & hominum gubernationem amore duce inuenit. *in Sympos.* Iouis Lycei in Arcadiam circa templum fertur quod qui de humano sanguine, vno fortassis inter aliarum victimarum viscera immixto gustauerit, eum necesse est lupum fieri, prout est in fabule. *de rep. dial. 8.*

Iupiter est cœli οὐσιάρχης, id est princeps substantialis, & per cœlum omnibus præbet vitam. *Trismegisti Asclepius, ca. 8.* Iouis hi etsi sunt splendores ab ipsius intellectu in animam micantes, & rationes ab ipso fluentes. *Plat. En. 3. lib. 5 cap. 9.* Iouem cùm nominamus, aliquando mundi artificem intelligimus, aliquando ducem: ipsi vt mundi architecto priua, & posterius segregare debemus, vnicam & immutabilem vitam temporis expertem tribuentes, nec vt dux in ambiguum discurrit, & distrahitur. *Idem, En. 4. lib. 4 cap. 10.*

Iupiter in omnia & vita vna semper existit, & motus infinitos ita percipit vt infinitum ille sit, & consistat vnum, non per cognitionem extrinsecus incidentem, sed re ipsâ consistens cùm ipso sic infinitum semper maneat simul totum. potius autem comitetur, conspiciatúrque, non aduentitiâ notione, nam vt infinitum suæ vitæ cognoscit, sic etiam actionem diffusam per vniuersum infinitam esse, præsertim cùm sit vna, nec tamen ob hoc ipsum, quod ad vniuersum se cõferat. *Plot. En. 4 lib. 4 cap. 9.*

Iupiter est mens dei, ab hac Apollo mens animæ mundi, & anima totius mundi & octo sphærarum cœlestium animæ, quæ nouem Musæ vocantur, quia dum cœlos harmonicè mouent, musicam pariunt melodiam, quæ in nouem distributa sonos, octo scilicet sphærarum tonos, & vnum omniũ concentum Nouem sirenes Deo canentes producit. *Ficin. in Plat. Ionem.* Iupiter Deus mundi opifex appellatur. *Idem, in Plat. protagor.*

Iupiter & Sol in cœlo virtute occultâ maximè consonant. *Fic. in Plat. Phædr. cap. 13.* Iupiter magnus in cœlo, id est animus mundi, quæ in cœlestes animas principatum tenet, citans alatum currum, id est exercens in se geminum conuersionis motum: & hunc sequuntur, id est per motum imitantur duces mondeni id est duodecim sphærarum animæ, & deinde animæ stellarum, & sublimium dæmonum, imitantur per similes motus mouendo exteriora, & diuina interim contemplando. *Idem, ibid. cap. 19.*

Iupiter potentiam, Prometheus prouidentiam, significat. *Fic. in Plat. epistol. secundam.* Iupiter præ cæteris almus est, quoniam si Solis Lunæque lumen perfectè constetur, ex vtrisq; Iupiter coalescit. *Idem, de Sole, cap. 8.*

Iupiter per Mercurium, id est per angelum diuinæ voluntatis interpretem, ciuiles scientiæ leges, id est voluntatis suæ decreta

decreta ad humanæ societatis generisque salutem spectantia, mentibus nostris inscribit, & quotidie per angelos diuinam voluntatem interpretantes nos docet; vnde intimus in nobis præsidet iudex, inextinguibile rationis lumen, rectum veri falsique, & boni & mali examen, ineuitabilis cōscientiæ stimulus. Per hanc legem infusam omnes Deus ad commune dirigit bonum, vt omnes flammas erigat ad superna; ab hac ingenita lege lex oritur scripta, quod in exordio legum dixit Plato non ab homine, sed à Deo originem sumpsisse. *Fici. in Plato. Protagoram.*

Iupiter & Mars à Sole concluditur, Venus & Mercurius à Luna, vetus est mysterium Hebræorum. *Ioan. Pic. Mirand. in Heptaplum, lib. 2. cap. 3.* Iupiter & Saturnus vniti minus agūt, quàm separati, nam cùm vires sint contrariæ naturæ, alter alterum necessariò impedit. *Idem, in Astrolog. lib. 5. cap. 5.*

Iupiter Apollinis oraculo est Deus ille magnus, æternúsque. *Aug. Steuch. de per. phi. lib. 3. cap. 17.* Iouis nomen non hominis primum fuit, sed cùm priscis esset Dei æterni nomen, prauis moribus inualescentibus ad mortalem corruptibilémque hominem fuit translatum: de quo sæpe dictum fuit. Fatum quoque & fortuna, quæ nomine Iouis creditur appellata, sunt ipse Deus: quoties operator occultè, fortuna: quoties rerum consequentium necessitas aspicitur, fatum nuncupatus. *Idem, ibid. lib. 6. cap. 8.* Iupiter, cùm creare vellet, in amorem se transformasse dicitur. *idem, lib. 7. cap. 10.*

Iupiter est, princeps, & summus poetarum Deus. *Leo Heb. de Am. dial. 2.* Iupiter quasi iuuans pater ab omnibus sic appellatur. *Idem, ibid.* Iupiter à Romanis optimus maximus, & à Græcis Ζεὺς nuncupatur *ibid.* Iupiter apud poetas plures significationes habere reperitur. *ibid.*

Iupiter varia ac differentia amorum genere pro aliorum planetarum cum quibus coniungitur, vel quos aliqua ratione conspicit, cōditione hominibus infundere videtur. *Leo Heb. de Amor. dial. 2.* Iupiter à Græcis Zeus, quasi vitam dixeris, appellatur. *idem, ibid.* Iupiter & Iuno eandem habent etimologiam, ambo enim à iuuando sic appellantur. *ibid.*

Iouis & Mercurij differentes, contrariique influxus sunt. *Leo Heb. de Am. dial. 2.* Iouis Venerisque coniunctio, vel eorundem benignus aspectus optima quidem portendere ab Astrologis existimatur. *Idem, dial 3.*

Iouem Saturnum è regno expulisse nil aliud significat, quàm cùm in cuiusuis initio Iupiter vim obtinet, destruit malignitatem & imperium Saturni. *dial 3.*

Iuraturus debet omnes rei circumstantias diligenter prospicere, quanta sit, quàm vera, quàm bene à se percepta, tum seipsum considerare, num purus sit anima, corpore, linguâ, illa ab iniquitatibus, hoc à maculis, hac à maledicentia: nefas est enim per os, quo profertur illud sanctissimum nomen, quicquam turpe progredi; quæratur loci & temporis opportunitas. *Phil. de decalogo.*

Ius, Iusiurandum.

Ius est legis institutum, à quo iustitia prouenit. *Speusip. in Plat. definitionib.*

Ius diuisum est in partes quinarios; prior ius diuinum spectat, posterior humanū: in diuino prima lex opponitur opinioni plures deos credentium, docens nos mundum esse sub vnius imperio; secunda vetat ne quis simulacros deos faciat præter creatorem; tertia de nomine domini; quarta est de semper virgine sine matre nata hebdomade, quinta de honore habendo parentibus; pater & mater instrumenta sunt gignendi, deus genituræ auctor. Quinarius alter vetat adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, & concupiscentiam. *Phil. de eo quis rerum diuinarum Hæres.*

Iusiurandum nil aliud est quàm in re ambigua Dei testis citatio: id ni fiat in veritatis fauorem, scelus est non expiatu facile. *Philo de special. legib.*

Iurisperitus est publicus ciuium patronus, commune ciuitatis oraculum, diuinæ mentis & voluntatis interpres. *Fic. epist. lib. 1.* Iurisconsulti officium est, vt omnium grauissimus sit, atque sciat, qui sacram adulterat legem, ceu sacrilegum seuertore censurâ plectendum esse, quàm qui nummos. *idem, ibid. lib. 9.* Iurisperitia rei familiari consulere debet, non animo tantum, vt subtiliter iurisperiti arbitrantur. *Seb. Foxius in 3. Platon. de republica.*

Ius est lex humana, quæ ex moribus tantùm constat. *Franc. Pat. de regno lib. 8. cap. 4.* Ius omne vt ait Modestinus, aut consensu fit, aut necessitate constituitur, aut firmatur consuetudine. *idem, ibid. cap. 5.*

Iuris mali interpretes, qui per calumniam causas agunt, pessimi hominum habendi sunt. *Idem, ibid.*

Iusiurandum regum Atlantidis sic fiebat: cùm iudicare vellent, quinto quoque anno ad templum Neptuni accedebant, & cùm tauri dimissi in Neptuni templo essent, & ipsi soli decem essent, voto peracto ipsi Deo se gratam ipsi victimam capturos esse, absq; ferro, lignis, & laqueis venabantur, & quem cepissent ad columnam ad ductum, iuxta apicem ipsius, aduersus literas mactabant. Erat in columna supra leges iusiurandum, quod his qui non parerent, magnas execrationes imprecabatur, & sacrificato tauro, in craterem mixtam pro vnoquoque sanguinis guttam immittebant, reliqua in ignem ferebant columnam circumlustrantes; post hæc autem phialis ex cratere haurientes aduersus ignem libantes iurabant se iudicaturos iuxta leges in columna exaratas, & punituros, si quis in aliqua re trangressus esset, & in posterum nihil se transgressuros esse, ex his quæ literis exarata essent, neque imperaturos se, neque imperanti obediētiam præstaturos, nisi secundùm patris ... illud fiat. Hoc vbi vnusquisque nouisset, & pro seipso, & genere suo precatus esset, bibissétque, & phialam in templum Dei dedicasset, circa cœnam, & res necessarias versabantur & sic nocte iudicabant & iudicabantur; & die sequenti præscriptas sententias in aurea tabula vnà cum vestibus in monimentum dicabat. *Plato in Atlantico.*

Iustitiæ diuisio, & vt ad ciuitatem pertinet.

Iustitia alia vniuersalis, alia particularis, & hæc aut cuique homini particulari, aut ciuitati. *Seb. Foxius in 2. Plato de repub.* Iustitia tantùm commoterrix ad ciuitatem pertinet. *Idem, ibi.*

Iustitia in quatuor partes diuiditur, diuinam, naturalem, ciuilē, iudicialem. *Fran. Patri. de regno, lib 8. cap. 2.* Iustitiæ ciuilis proprium est multitudini consulere, vrbes tueri, ciuitates regere, homines ab iniuria prohibere, socios prouidentiâ protegere, vnicuique reddere quod suum est, magistratus & honores distribuere secundùm cuiusque dignitatem. *Idem, ibid. cap. 4.* Iustitia iudicialis in iure dicendo præcipuè versatur. *ibid. cap 5.*

Iustitia quid est, & vnde dicta.

Iustitiâ diuinâ Deus omnia ordine certo disponit & determinat, & custodit singula seorsum à singulis non confusa, & pro dignitate quod cuique conuenit singulis largitur. *Dion. Areopa. de diu. nom.* Iustitiæ diuinæ proprium est non mollire, & eneruare virilem optimorum quorumque animum largitionibus terrenorum, nec si quis id tentet efficere, absque auxilio linquere, sed illos in statu potius honesto & inflexibili solidare, eisque cùm sint tales, secundùm merita reddere. *idem, ibid.*

Iustitia diuina ex hoc maxime iustitia vera est, quòd ex omnibus, quæ sua sunt, pro dignitate cuique tribuit, singulorúmque naturam in ordine proprio suáque facultate conseruat. *Dion. Areopa. de diu. nom.* Iustitia diuina omnium æqualitatem metitur, & terminat, omnémque inæqualitatem priuatione quadam oppositam æqualitati singulis competenti foras expellit, & omnia custodit secundùm vnamquamq; speciem, in qua esse proprium singula naturaliter susceperūt, nec permittit res inuicem commistas perturbari. *idem, ibid.*

Iustitiæ pars, quæ Deo suum tribuit, quæ diuina est, in dialogo de Sancto, & Gorgia sanctum appellatur. *Fic. in dialo. de Sancto.*

Iustitia ad Deum attinet, virtutes autem quæ circa affectus versantur, vt fortitudo, patientia, & similia, non nisi ratione quadam à nostris longè diuersâ. *Idem, in Dion. Areopa. de diu. nom.*

Iustitia diuina non peruertit ordinem à diuina sapientia rebus dispositum, sed conseruat, ideò propria superiorum munera non distribuit inferioribus, sed sua cuique pro natura confirmat, & pro dignitate rependit. *idem, ibid.*

Iustitia diuina inæqualitatem è rebus exterminat eam dico, quæ tanquam priuatio proportionali opponitur æqualitati ad meritum modúmque cuiuslibet pertinenti, non eam quæ formarum significat differentias, differentes enim propriásque rerum species diuina iustitia facit & conseruat. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Iustitia omni sublatâ perturbatione, expulsisque contentionum impedimentis, ciues tandem reddit expeditissimos ad verum inuestigandum, Deúmque colendum. *Fic. in Platonem de republ. dial 1.* Iustitiæ signum in Ægyptia columna posita omnia octo notabantur inscripta, vt testatur Euander, Saturnus Rhea, Osiris, Spiritus, Cœlum, Terra, Nox, Dies. *idem, ibid. dial. 4.*

Iustitia apud Pythagoricos octonario numero designata est, *Fic. in Plat. de rep. dial. 4.* Iustitiæ cœlestis ordinem in octo sphæras digestum esse omnis arbitratur antiquitas. *idem, ibi.*

Iustitia diuina est qua à Deo participes facti sumus. *Francis. Patric. de regno, lib. 8. cap 3.*

Iustitiæ vtilitas, & cognitio.

Iustitiæ cognitio est sapientia, & virtus vera: ignorātia verò imperitia, & euidens malitia. *Plato in The.*

Iustitiâ, & sapientiâ gubernatur & Rex & tyrannus, reipublicæ gubernatrix, dominatrix, & œconomia. *idem, in dialogo de philosophia.* Iustitiâ omnes homines participes esse oportet, aut non inter homines versari. *in Protagora.* Iustitiâ iusti sunt, qui iusti sunt. *de pulchro.* Iustitiam iniustitiâ inutiliorem esse quiuis putat. *de repub. dial. 2.* Iustitia, & temperantia secundùm communem hominum opinionem præclara est, sed difficilis, & laboriosa: intemperantia, & iniustitia iucunda, & facilis adeptu, opinione verò solùm, & lege turpis est. *ibid.* Iustitiâ ciuitatis cognitâ, iustitiam vnius viri faciliùs cognoscimus. *ibid.*

Iustitiæ duo sunt propria, vt vnaquæque res id quod suum est teneat, & quod conuenit exequatur, & vt non vsurpet sibi, quod alienum est, & aliorum proprium. *Ficin. in D. Areop. de diuin. nom. mib.* Iustitia, fortitudo, & temperantia, & cæteræ virtutes morales prudentiæ, rectæque opinionis legibus, & exercitatione legitimâ perficiuntur. *idem, in Platonem de virtute.* Iustitia iustitiam nunquam minuit. *idem, in Plato. de repub. dial. 1.*

Iustitia tum aliorum causâ ex ea sequentium, tum vel maximè sui ipsius gratiâ expetenda est. *Ficin. in Platonem de repub. dialog. 5.* Iustitiam priùs Plato in ciuitate quærit, vt per hanc demum animi iustitiam manifestè definiat. *idem, ibid.* Iustitia requiritur in principibus, artificibus, ac militibus, per quam suum quisque id est ad quod naturâ & studio est aptissimus, opus, munúsque exequitur, tam publicè quàm priuatim communis commodi gratiâ, neque quisquam sibi vendicat alienum. *ibid. dial. 4.*

Iustitiæ præmium supra modum hæc inferiora superat, alioqui iustitia, quæ excellentissimum iudicatur bonum, iustis hominibus foret malum, ob amorem iustitiæ continuò laborantibus. *Fic. in Plato. de repub dial. 10.* Iustitiæ proprium præmium maius est, quàm cuncta, quæ inter homines præmia possint reperiri. *idem, ibid.* Iustitia odium ac inuidiam potius contrahit, quàm gratiam ac beneuolentiam. *Franc. Patric. de regno lib. 7. cap. 1.* Iustitia ab innocentia, & prudentia separari nequit. *idem, de regno lib. 8. c. 5.*

Iustitiam qui facit, quid ipsa faciat, & vt laudatur.

Iustitiam & sapientiam qui facit, & sibi, & Reipublicæ, quod gratum est Deo, facit. *Plato in Alcib. 5.* Iustitia concordiam, & amicitiam inducit, iniustitia seditiones, odium, & pugnas. *idem, de repub. dial. 1.* Iustitiam qui laudare vult non solùm oratione explicare debet iustitiam iniustitiâ meliorem esse, sed etiam quid vtraque efficiens in eo, qui ipsas habet, ipsa per seipsam, siue lateat, siue non, tum deos, tum homines, hæc quidem quòd mala sit, illa bona. *idem, de repub. dial. 2.*

Iustitiam qui vituperare audet impius est, si animum abiicit, & opem ferat dum adhuc spirat, & loqui potest. *Plato de rep. dial. 2.* Iustitia, & lex conseruant ciuitates, & reliqua omnia: iniustitia, & iniquitas destruit, & euertit. *idem, in Minoe.* Iustitia non solùm opinione humana est laudabilis, sed etiam ipsa sui naturâ & honestâ inusitatum in modum, & salutaris, ante omnia veneranda *Ficin. in Plat. de repub. dial. 3.*

Iustitia præ cæteris virtutibus est diuinissima, & amplissima virtus: nam & apud superos, & apud homines, & apud inferos suum exercet officium *Ficin. in Dionys. Areop. de diuin. nom. mib.* Iustitia etsi prius quærenda erat quid sit, tamen Socrates dum sequeretur partim disputantes, partim per notiora principia disputans audientium ingenio indulgeret, qualis sit, & non quid sit in hoc dialogo inuenit. *idem, in Platon. de repub. dial. 1.*

Iustitia, vt diuina, & eius signum.

Iustitia, id est, *δικαιοσύνη*, ex iusti intelligentia nomen adepta est. *Plato in Cratylo.* Iustitia est; quæ in ciuitate petulantes, & contra leges agentes punit. *idem, in dialog. de philos.* Iustitia est pars virtutis. *de virtute.* Iustitia est, quæ vnicuique debentur, tribuere. *de repub. dial. 5.* Iustitia est virtus humana. *ibid.* Iustitia auro pretiosior est. *ibid.* Iustitia potentior est & fortior iniustitiâ. *ibid.* Iustitia est animæ virtus, iniustitia vitium *ibid.*

Iustitia ponenda est in illa bonorum specie, quæ optima est, quæ propter seipsam, & propter ea quę à bono proueniunt, amplectenda est ab eo qui beatus esse vult. *Pla. de rep. dial. 2.* Iustitiæ locus peruius est, & vmbrosus, difficultérque perscrutabilis. *ibid. dial. 4.* Iustitia est vt vnusquisque suum proprium possideat, & agat *ibid.* Iustitia est sua agere. *ibid.* Iustitia est vt vnusquisque faciat in ciuitate id, quod suum est. *ibid.*

Iustitia est vis, quæ viros, & ciuitates ita efficit, vt depositum reddant, à sacrilegiis, furtis, & proditionibus aut priuatim sociorum, aut publicè ciuitatum alieni sint, nec quomodocunque perfidus quis sit, aut in iureiurando, aut aliis pactis; adulteria, & parentum neglectiones, & deorum cultus negligi ipsi non conuenit, quorum omnium causa est, quòd vnumquodque ex his quæ in ipso sunt, quæ sua sunt facit, & quod ad imperium, & quod ad subiectionem attinet. *Plat. de repub. dial. 4.*

Iustitiam inducere est, ea quæ in anima sunt secundùm naturam constituere, ita vt alia aliis dominentur & subdita sint: iniustitiam verò inducere est præter naturam imperare, & aliud alij subditum esse. *Plat. de repub. dial 4.* Iustitia, temperantia, fortitudo, & sapientia non sunt maximæ disciplinæ, sed adhuc est quid maius, quæ est boni idea: & nonne ridiculum est in aliis parum dignis omne studium collocare contendendo, vt quàm exactissimè & purissimè se habeant, maximis autem non maximè exactas rationes deberi censere? *idem, ibid. dial. 6.*

Iustitia & lex pulcherrimum est, iniustitia & iniquitas turpissimum. *Plat. in Minoe.* Iustitia, temperantia, fortitudo, & sapientia sunt Principis studium. *idem, de repub. dial. 6.* Iustitia perfecta nominari potest fidelitas in rebus aduersis. *dial. 1 de legibus.* Iustitia non prouenit absque temperantia. *dialog. 3.*

Iustitia est consensio animæ ad seipsam, eiusque partium ordo ad inuicem inatus, habitúsque vnicuique pro dignitate distribuens, habitus quo qui præditus est, semper quæ iusta videntur eligit, habitus vitæ legibus obediens, æqualitas communicatiua, habitus qui legibus rectis semper obtemperat. *Speusip. in Plato. defin.*

Iustitia vera est vnius ad seipsum, in quo non aliud est atque aliud; quapropter & ipsa animæ iustitia maior est se ad intellectum regendo dirigere. *Plot. En. 1. lib. 5. cap. 6.* Iustitia bonorum est, dolus improborum: illa comprobat valida vtilitate prædita; hic debilis, adulterinus, nullius vtilitatis. *Max. Tyrius serm. 2.*

Iustitia est optima symphonia in moribus nostris virtutum omnium principalis, propter quam cæteræ quoque virtutes munus suum exequuntur, vt ratio sit dux, vigor intimus, qui est iracundiæ similis auxiliatorem volens sui rationi præbeat. *Chalcid. in Plat. Tim.*

Iustitiam definimus vt suum quisque faciat officium, secundùm præsentes patriæ leges. Dij eam definiunt latius admodum spectantes, videlicet ad totum ordinem vniuersi, & eam præcipuè rationem spectantes, qua anima diis conducat, iudicium inde peragunt; tantáque est diuersitas inter iudicium diuinum de ipso iure, & nostrum, vt ad illud attingere non possimus.

Iustitia est consensio quædam omnium animæ partium, quippe vis quædam est per quam tres animæ vires sibi inuicem conseruant, & vnaquæque secundùm dignitatem proprio munere fungitur, vt iustitia communis quædam & integra harum, trium virtutum prudentiæ, temperantiæ, & fortitudinis perfectio sit, dum ratio ducit & imperat, reliquæ partes quæque pro naturæ suæ officio superiori subiectæ obedientésque permanent. *Alcinous cap. 32.* Iustitia in anima reuera est finis vitæ actionum. *Philo de congressu quær. eruditio. gratia.* Iustitia ex æqualitate acta est, & ideò quicquid in nobis peccat ex inæqualitate est. *idem, de creatione Princip.*

Iustitiam publicam voco legitimam distinctionem, qua singuli, licet sub eodem Principe, & ad eundem finem, scilicet publicum bonum, diuerso tamen tramite proficiscuntur, variamque officiorum distributionem pro natura & dignitate vniuscuiusque, à natura & legibus assignatam sortiuntur, proprióque munere sine vsurpatione alieni funguntur. *Fic. in Plat. Alcib. 1.*

Iustitia est scientia bonorum, & malorum pro meritis distribuendorum. *Ficin. in Euthyd.* Iustitia maximè consistit in voluntate. *idem, in Plato. de mendacio.* Iustitia iuxta Simonidis, Pittaci, & Biantis opinionem, est vera fateri, ac debitum vnicuique reddere. *in Plato. de repub. dial. 1.* Iustitia non est verum fateri, ac debitum vnicuique reddere, quia insano omnia verum non est patefaciendum, nec arma reddenda sunt, quæ dum sanus erat, apud te deposuerat. *ibid.*

Iustitia est hominis virtus; at qui hominem lædit, ad iustitiam deteriorem facit. *Fic. in Plat. de repub. dial. 1.*

Iustitia ad vitæ alterius præmium referenda est, & pecuniæ ad iustitiam. *idem, ibid.*

Iniustitia est infirmitatis omnium causa, in omni enim cœtu odium ac discordiam parit *ibid.*

Iustitia cùm sit æqualis pro vniuscuiusque meritis distributio, ciuitatisque solidum fundamentum, per octonarium iustè describitur numerum qui solidorum primus est, & primus soluitur in pariter pares, & qua æqualitate resoluitur, eadem quoque continetur. *in dial. 4.*

Iustitia

Iustitia communis & legalis est virtus vniuersa sub legum probidentia instituta: iustitia verò magis propriè siue distributiua, per quā & in ciuitate pro meritis honores, & pœnæ distribuuntur, & in anima partibus animæ pro dignitate naturæ actiones & munera tribuuntur; siue commutatiua, per quam & in ciuitate æquo & legitimo precio res vel rebus, vel pecunijs commutantur, & in animo ita quasi similiter commutantur officia, vt quantam ratio inferioribus cōsuluit, tantundem vires inferiores pro rationis imperio necessaria subministrent. *Ficin. in Plato. de republica. dial.* 9

Iustitia potius quid non sit, quàm quid sit in primo dialogo de republica quæritur. *Seba. Fox. in Republica Platonis arg. lib.* 1.

Iustitiam neæum omnium virtutum esse hic ponit Plato; quod de iustitia vniuersali non de particulari intelligendum est. *Idem, in 4. Platonis de republica.*

Iustitia est alienum bonum, non illius qui secundum eam agit, sed iusto satis mercedis ab honore, & gloria rependit. *Fr. Pat. de regno, lib. 2. cap.* 5. Iustitia naturalis est, quæ semper apud omnes gentes eadem est, nec vnquam variatur, sed naturæ congruit, & stabilis perpetuáque habetur. *idem, de regno lib 8. cap.* 3. Iustitia dicitur alienum bonum, quia iustus alijs non sibi laborare videtur. *ibid. cap.* 5. Iustitiam Platonici septem virtutum species præstare aiunt, innocentiam, amicitiam, concordiam, pietatem, religionem, affectum, humanitatem; alij addunt facilitatem. *ibid. cap.* 6.

Iustitia est ciuilium bonorum maximum, quæ iacit fundamenta humanæ fælicitatis. *Fr. Patric. de republica, lib. 1. cap* 3. Iustitiæ primam munus est pietas erga Deum, quem solus homo cognoscit, & vt factorem mundi veneratur. *idem, ibidem cap.* 5.

Iustum aliud respicit ad deorum curam, & hoc appellatur sanctum, aliud ad homines, & huic iusti nomen sortitum est. *Plato de sancto.* Iusta promissa facienda sunt, & fides non est fallenda *idem, in Critone.*

Iustius existimauit Socrates reipublicæ pœnam persoluere, quamcunque tandem illa statuent, quàm fugere, & in exilium abire *in Phædone.* Iustum quod *dikaion* dicitur, ideò dictum est, quasi *diaion* cui boni soni gratiâ, *n* adiectum est. *in Cratylo.* Iustus vir, pius, & bonus dijs charus est iniustus, & malus contra quàm ille. *in Phil. b.* Iusta, leges ciuitatis esse concedunt, quæ quisque volens volenti facit. *in Symposio.*

Iusta omnia, honesta sunt. *in Alcib. primo.* Iusta tenere, & ne quis amicum audeat decipere, Hipparchi carmen est. *in Hipparcho.*

Iustum naturâ est, vt qui melior est, & sapientior imperet, & plus habeat quàm rudiores. *Plato. in Gorgia.* Iusti mansueti sunt. *idem, ibid.* Iusti post mortem in beatorum insulam abeunt, iniusti in supplicij carcerem, quem tartarum vocāt, *ibid.* Iusti non est lædere, siue amicum, siue alium quempiam *de rep. dial.* 1. Iustus vir semper in mutuis commercijs minus habet iniusto. *idem, ibi.* Iustus vir in tributis conferendis plus confert de æqualibus, iniustus minus. *ibidem.*

Iustus vir, quum est aliquid accipiendum, nihil; in istas multa lacratur. *Plato de rep. dialo.* 1. Iustus, si magistratum gerit, ex publico nullam capit vtilitatem; vt tamen res familiaris ob negligentiam deterius habeat: & ad hæc vt odio habeatur à suis, & familiaribus, dum nihil ipsis inseruire vult, præter iustum: iniusto omnia his contraria eueniunt. *idem, ibid.*

Iustus & sapiens, & bonus est *ibid.* Iustum est principatibus obedire *ibid.*

Iustus amicus est Deo; iniustus inimicus. *Plato de rep. dial.* 1. Iustus felix est, iniustus miser *idem, ibid.* Iustum neminem volentem esse huc magnum signum est; quod nemo volens, sed coactus iustus est, velut non sit hoc priuatim bonum; quoniam vbicunque quiuis se iusta facere posse putat, iniusta facit. *idem, de repub dialog.* 2. Iustus, simplex, generosus, non videri, sed esse vult, & omnibus nudatus esse debet, præterquàm iustitiâ, ne videatur aliorum causâ aliquid agere quàm iustitiæ *idem. ibid.*

Iustos ad orcum perductos discumbere faciunt Poetæ, ac instructo sanctorum conuiuio coronatos assidere dicunt, ita vt per omne tempus ebrij degant, pulcherrimam virtutis mercedem perpetuam ebrietatem arbitrati, vt ait Musæus. Alij verò longiores mercedes à dijs rependunt: filios enim filiorum, & genus pij, ac iusti, ad posteritatem relinqui dicunt: impios in cœnum defodiunt, & cribro aquam gestare cogunt, & infamiâ viuos notant. *Plato de repub. dialo.* 2.

Iustus vir à iusta ciuitate iuxta ipsam iustitiæ speciem nihil differt, sed similis est. *idem, de rep. dial.* 4.

Iusta, non sinere debet vnumquodque in se aliena facere, neque ea quæ in anima sunt genera curiosè inter se multa aliena tractare: sed reuera, quæ sua sunt bene disponat, & sibi ipsi imperet, seque ornet, & sibi ipsi amicus sit, & infimam, supernam, & mediam chordam concinnet, & si aliqua inter hæc media sunt, vbi ea omnino composuit, & penitus vnus ex multis factus est temperatus, & concinnus, sic iam tandem faciat si quid facit, aut circa pecunias acquirendas, aut circa corporis curam, aut circa ciuile quiddam, aut circa propria commercia: ita vt in omnibus his iustam. & honestam actionem ducat, & nominet eam quæ hunc habitum conseruat, & simul efficit, sapientiam: eam, quæ huic actioni præsidet, scientiam; iniustam actionem, eam quæ semper hunc habitum soluit; imperitiam verò, eam quæ huic actioni præsidet, opinionem. *Plato de rep. dial.* 4.

Iustus talis sit oportet qualis est iustitia. *Plato de Republ. dial.* 5.

Iustum non est, eum qui multo tempore circa aliqua versatus est, aliorum sententiam referre posse, & suam non posse. *Idem, de repub. dial.* 6. Iusta qui laudat, vera dicit: qui iniusta, mentitur. *ibid. dial.* 9. Iustis Deus præsidio est. *Mer. Trism. Asclep. cap.* 10.

Iustum vbi est, ibi pulchrum: pulchrum vbi est, ibi bonum, siue prima principia spectare volueris, siue principiorum illustrationes vsque ad extrema porrectas: omnia enim boni participia sunt, pulchri verò quæ aliquam habent speciem, iustitiæ verò solæ animæ sunt participes. *Proc. in Alc.* 1. Iustum, tunc in anima reperiri oportet, quum quod optimum in ea est, vitæ totius habet imperium, medium verò subditum meliori, præualet vltimo: tunc enim vnaquæque animæ pars habet, quod sibi competit. *Idem, ibid.* Iustum duplex: aliud in contractibus, quod arithmeticam seruat æqualitatem, alterum in distribuendo, in geometrica æqualitate consistens *ibid.*

Iustum in contractibus tunc arithmeticam seruat æqualitatem, quum socium non defraudemus, plus accipientes quàm dederimus. *Proc. in Alcib.* 1. Iustum seruat in distribuendo geometricam æqualitatem, quum inæqualibus distribuit inæqualia, pro ratione, & dignitate cuiusque: vt quemadmodum personæ differunt, sic differant personis distributa. *Idem, ibid.*

Iustus neminem vnquam lædere debet. *Ficin. in Platon. dialog.* 1. *de republica.* Iusti ad cœlum euntes, coram se & opera, & iudicia præferunt: quia & seipsos onuerunt, & tam sibimet, quàm alijs lucent; iniusti verò descendunt, sua ferentes à tergo, neque enim cognouêre seipsos, neque profuêre sibi, sed cæteris exemplo sunt potiùs, quàm sibimet auxilio. *Idem, in Platon de republica, dial.* 10.

Iustum duplex, suapte naturâ, & ex institutione. *Seb. Foxius in Plato. de repub.* Iustus est, qui secūdùm legem agit, nec fraudem aliquam legi per versutiam innectere nititur. *Fr. Patric. de regno. lib. 8. cap.* 3.

Iuuenes.

Iuuenes, mathematicas scientias discere solebant. *Plato in Thea.* Iuuenes dociles, & mansuetos difficilè simul est inuenire: nam acuti, & ingeniosi, & memores, plerunque ad iram præcipites sunt, & velut saltu feruntur, vt naues non saburratæ, & furiosi magis quàm viriles existunt, at villores torpentes, & obliuiosi sunt. *idem, ibid.* Iuuenes, obedire debent viro sapienti imperanti, & in rebus disciplinari. *ibidem.*

Iuuentus ad omnia incrementum facere potest *ibid.*

Iuuenes, faciliùs omnem laborem sustinent. *Plato de regno.*

Iuuenes propter ætatem, ad hominum opiniones respicientes, pronunciant. *Idem, in Parm.* Iuuenes, naturâ amantur ab amore, senes, odio habentur. *in Symp.* Inanimatum est omne corpus, cui contingit, vt extrinsecus moueatur: cui verò intrinsecus, animatum est *in Phædra.* Iuuenum maxime cura habenda est, ne quis præueniendo, mentem illorum aliò præuertet, & corrumpat. *in Euthydemo.* Iuniores senes prius audire debent, & ex ipsis discere *in Lachete.*

Iuuenes vbi à præceptoribus discesserunt, leges statim discere ciuitas cogit, & secundum has, velut iuxta exemplum viuere, vt ex seipsis nihil faciant, sed velut grammatistæ pueris qui nondum scribere sciunt, ductis lineis per calamos, ita libellum exhibent, ipsósque ad linearum ductum scribere cogunt sic & ciuitas præscriptis legibus bonorum, & veterum legislatorum inuentis, secundum has, & imperare, & parere cogit. *Plato in Prot.* Iuuenes cum senibus magnâ cum voluptate disputare debent, ex ipsis enim percuntandum est, veluti qui viam quandam iam perfecerint, quam & nos fortassis, insistere oportebit, qualis illa sit, aspera ne & difficilis, an facilis & expedita. *Idem, de rep. dial.* 1.

Iuuenes temperantiæ studio operam dare debent, & continentiæ, non munera sectari aut pecuniarum studio teneri. *Plato de rep. dial.* 3.

Iuuenes ex viginti annis electi maiores quàm alij honores ferent, & disciplinæ, quæ pueris susim in pueritia contigerunt,

contrahendæ sunt his in summam, vt cognoscant disciplinarum inter se, & eius quod est naturæ cognationem. sola enim huiuscemodi disciplina constans fuerit quibuscunque contigerit. *idem, de repub. dial. 7.*

Iuuenum sunt omnes multi, & magni labores. *Plat. de republ. dial. 7.* Iuuenes, qui constantes in disciplinis, & in bello sunt, & in aliis legitimis, oportebit post trigesimum annum ex electis delectos ad maiores honores producere, & disserendi facultate examinare, ac considerare, quis ex ipsis possit oculis, & reliquo sensu dimisso, ad ipsum quod est cum veritate, progredi. *idem, ibid.*

Iuuenes vbi in voluptates inciderint, si à cognatis auxilium quoddam ei quod adhuc de parcum in anima ipsius veniat, temerariæ rationes illæ occlusis regij in ipso muri portis, nec auxilium admittunt, nec legatos priuatorum senum rationes suscipiunt, & ipsæ pugnantes superant, cum otiosis & inutilibus cupiditatibus pudorem, stoliditatem nominantes, ignominiosè in exilium expellunt: temperantiam, ignauiam vocantes, ac illudentes eiciunt, modestiam, ac moderatum sumptum, rusticitatem, & illiberalitatem esse persuadentes penitus exterminant. *Plat. de repub. dial. 8.*

Iuuenis ob admonitiones, & vituperationes vitiorum, virtutibus ornatur; & aliquando ob paternæ educationis imperitiam, cupiditates in ipso enutriuntur, quæ adolescentis animæ arcem occupant, dum sentiunt illam vacuam disciplinis, & honestis studiis, & veris rationibus quæ sunt optimæ custodes, & tutores in mentibus piorum virorum. *Plat. de repub. dial. 8.*

Iuuenum animi, quia seria studia ferre non possunt, ideò vt ægrotia debilia corpora habentibus, iniocundis quibusdam cibis, ac potibus vtile alimentum exhibere conantur hi quibus hæc cura impendet, noxium verò in iucundis, quo illud quidem amplectantur, hoc verò odio habere rectè adsuescant: sic etiam rectiùs legislator poeticè homini iucundius verbis, & laudibus persuadebit, etsi non persuaserit, ipsum coget vt temperantium, & fortium omniumque bonorum virorum, tum in rithmis gestus, tum in harmoniis concentus, in poematis rectè exprimat. *Plat. de legib. dial. 2.*

Iuuenum natura omnium, feruida est, & quietem agere non potest, nec corpore nec voce, sed semper inordinatè & vocem edit, & saltat. *Plato de legib. dial. 2.* Iuuenilis animus accepto principatu, ex quo tyrannis fieri potest, iureiurando ad moderationem adduci posse non putant sapientes periti ferendarum legum. *idem, de legib. dial. 3.* Iuuenum mores nobis non animaduertentibus transmutantur, & quod priscum est, apud ipsos ignominiosum fit, quod verò nouum, in honore habetur. *idem, de legibus dial. 7.*

Iuuenes & melancholici maximè voluptatibus delectantur, & omnium incontinentes & intemperantes esse solent, & pluribus vehementibúsque motibus concitantur. *Fic. de volupt. c. 13.* Iuuenes seniorum doctrinam exquirere, exorare, & extorquere debent. *idem, in Platonis Phileb. lib. 1. c. 33.* Iuuenum animos ritè contemperabit, qui temperantiam & fortitudinem copulauerit. *idem, in Plato. Lachetem.*

Iuuenes obtusè vt plurimum vident, senes acutè prospiciunt; nisi fortè quandoque Deus, vel iuuentutem reprobet inplebitatem. *Fic. in Plato. de legib. dial. 4.* Iuuenes consilio seniorum indigent. *idem, in Plato. epi. 5.*

Iuuenes bonarum artium studiis imbui debent, disciplinarum enim cura in libera ciuitate omnibus esse debet. *Patricius de repub. lib. 1. c. 8.* Iuuenes otiosi, & ignaui ciuitatis venenum sunt, & à parentibus expulsi sæpe plus proficiunt. *idem, ibid.*

Iuuenes corpore exercendi sunt, tum valetudinis gratiâ, tum quod vtiliores fiant reipublicæ. *Fr. Patric. de repub. lib. 4. c. 6.*

Iuuenes, qui ob malefacta erubescunt, boni euadunt, contra qui pallescunt, illud enim ingenui pudoris indicium est, hoc impudentiæ, aut vecordiæ. *idem, de regno, lib. 5. c. 3.* Iuuenibus permittere oportet pilæ ludum. *idem, de regno, lib. 3. c. 9.*

L

LABORES moderati corpora bene se habere faciunt. *Plat. in dial. de philosophia.* Labores corporis qui cum violentia peraguntur, nihilo deterius efficiunt corpus. Animæ verò nulla violenta disciplina stabilis est. *idem, de repub. dial. 7.*

Labor, & periculum est in omni ciuili constitutione. *de legib. dial. 5.* Laborem in rem aliquam frustra impendisse ridiculum est, & nihil firmi constituisse. *de leg. dial. 12.*

Labor per se, sed cum arte coniunctus bona res est, nam artem quamcunque artificiosè tractare conuenit, nec prudentiam callidè, nec superstitiosè religionem. *Philo de eo quod det. potiori ins.* Labor non cadit in animali beato, ideò nec creando, nec gubernando Deus laborat. *August. Steuch. de peren. philo. lib. 7. c. 6.* Laborum magnum incitamentum est gloria. *M. Anto. Natta de immortal. anim. lib. 4.* Labor laborem adducit. *idē, de pulchro, lib. 4.* Laboris alimonia plurimum confert & ad corpus formandum, & ad affectus, & mores. *Fran. Patr. de regno, lib. 2. c. 5.*

Lacedæmonij diuites sunt magis, quàm vniuersi Græci. *Plato in Alc. 1.* Lacedæmonij & priuatim, & publicè precabantur honesta cum bonis ipsis deos dare. *idem, in Alc. secunda.* Lacedæmonij nonnullis festis, agrestes quosdam homines, quos Hælotas appellabant, quantum maximè poterant ad potum compellebant, vt ebrij circumducerentur in conuiuiis, vt cernentes iuuenes vitarent turpitudinem ebrietatis. *M. Anto. Natta de pulchro, lib. 4.*

Lachesis cur gemina manu tangit globos? quia in exordio & medium continetur & finis. *Fic. in Plat. de repub. dial. 10.*

Lachrymæ à claris viris auferendæ sunt, mulieribus autem tribuendæ, neque his præstantibus, & ex viris his, qui viles sunt, vt vereantur similia his facere, illi, quos ad regionis custodiam nos educare asserimus. *Plat. de repub. dial. 3.* Lachrimæ, & alia huiuscemodi, quę quotidie è corpore effunduntur, sunt ex seroso humore pituitæ recenter conflatæ. *idem, in Tim.* Lachrimas profundere ob mortuum, aut secus præcipere, indecorum est. lamentari, & extra domum vociferari interdicendum est, & mortuum in propatulum ad vias producere, prohibendum est; & in progressu per vias eiulare, & ante diem extra ciuitatem esse, qui non obedit puniatur prout legum custodi videbitur. *idem, de leg. dial. 12.* Lachrimæ nihil remedij afferunt malis. *M. Ant. Natta de immortal. animo lib. 1.*

Laconissare, prouerbio dicitur de his, qui in sermone verbum dignum animaduersione, breue, & contortum ponunt. *Plat. in Protag.*

Læsus per vim, aut occultè, si damnum vsque ad tres minas se extenderit, magistratus puniat, si maior, ad publica iudicia litem referat. *Plat. de legib. dial. 8.* Læditur nemo, nisi à seipso. *Fic. epist. lib. 1.* Lædere aliquem est ad ipsum ad opus suum propriámque virtutem deterius efficere, & ineptius vt qui canem lædit, ad propriam canis virtutem reddit ineptum. *idem, in Plat. de repub. dial. 1.*

Lætitia.

Lætitiam nimiam, & nimium dolorem quicunque vir occultare debet, & decorum habitum præ se ferre conuenit, & à nimio risu, & lachrimis abstinere. *Plat. de legib. dial. 5.* Lætitia pura in solis animæ bonis inuenitur; ideò sapientes in se gaudent, non in eis, quæ circa se sunt. *Philo de eo quod det. potiori insid.*

Lætitia est erectio quædam atque elatio animi sperantis, se absque vlla dubitatione quod optauerit possessurum. *Ficin. de volupt. c. 10.* Lætitiam vocat Orphæus sincerum illud, & salubre, & perpetuum, quod in musica sentimus, oblectamentum. *idem, in Plat. commentar. c. 5. r. 2.*

Lætitia exultandum non est nec dolore deficiendum. *Ficin. in Plat. Menexenum.* Lætitiam affert lienis spongiosa natura crassum sugens sanguinem. *idem, in Plato. Tim. c. 69.* Lætitia est exultatio quædam animi gaudio efferuentiore rerum euentu experitarum. *Fr. Patric. de regno lib. 4. c. 13.*

Lamentatio est aliena à viris summis, & vix mulieribus, & pueris permittitur, & est ægritudo cum eiulatu. *Fran. Patric. de regno. lib. 5. c. 19.*

Lampades plures accensæ si ponantur in aula, lumen vnum, & splendorem indiuiduum præferunt; nec posset quis lampadis lumen ab aliis ex aere cuncta lumina continente secernere, cum tota in totis sine mixtione fiat inserta: iam verò si quis lampadem vnam auferat, eius lumen quoque totum proprium auferet, nec quicquam aliorum luminum secum trahens, nec ex suo cæteris linquens, erat enim illic totum ad tota exacta vnio, nec vllo modo commixta, nec vlla ex parte confusa. *Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Lampades & faces in Panathenæis festis ab Erichthonio institutis Athenis incendi solebant noctu, vt hodie Romæ in profesto D. Petri. Diéque ipsu Ioannis in Gallia. *Sebast. Fox. in 1. Plat. de repub.*

Lanificium appellatur ars, quę versatur circa carminatricem, netricem, & omnes circa faciendam vestem partes: cuius lanificij duæ sunt partes, carminatoria, & radio texendi pars dimidia,

dimidia, & quæ composita disparat, & altera coagmentat, altera dispar atque coagmentat, alia torquet, alia aöplicat, & quod ex carminatoriæ operibus in longum productum est, & latitudinem habet, deductionem quandam dicimus, quod fuso tortum est, & solidum filem factum, filem vocant stameo, artem ipsam dirigentem implicatione ad inflexionis tractum staminariam. quæ autem contorsionem laxam accipiunt, staminis verò moderatam multitudinem habent, hæc subtegmina, & ars subtegminum netrix dicitur. *Plato de regno.*

Lapideum genus fit ex terra, quæ per aquam excoletur. *Plat. in Timæo.* Lapis nigro colore fit, cum terra humiditate relicta ab igne fusilis fit, & ubi frigefacta fuerit *id. in ibidem.* Lapis fit terra compulsa ab aere, & ab aqua quæ dissolui nequit *ibid.* Lapidem coquere, prouerbium est in eum qui possibile vult facere. *idem, de diuitiis.*

Lapides imitationem, & participationem habere videntur supremi luminis *Procl. de sacr. & mag.* Lapis, qui vocatur cœli oculus, vel Solis oculus, figuram habet similem pupillæ oculi, & ex media pupilla emicat radius. *idem, de sacr. & magia.*

Laqueos omnes effugere non facile est, ut in prouerbio est. *Plato in Sophista.*

Lar familiaris, dicitur ille dæmon, qui pacato, & quieto numine domum possidet, *Apul. de d. o Socrat.*

Larua, est dæmon, qui propter aduersæ vitæ merita, nullis bonis sedibus, in terra vagatione, ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum malis noxium. *Apul. de Deo Socratis.*

Lasciuiæ remedia tria censuit Plato. auferre à ciuibus aurum & argentum, in laboribus assiduis educare iuuenes, & oculis iudicum mores subiicere, & quarto, ut fama diuulgetur turpes esse concubitus puerorum, ut inter filios, & parentes. *Ficin. in Plato. de legib. dial. 8.*

Latere parua & obscura possunt, magna non possunt. *Ficin. epist. lib. 11.*

Latitudine quod est expers, & crassitudine caret, non contra *Proclus in Eucl. lib. 2. c. 11.*

Latona porò dicitur à mansuetudine quia ἐθελήμων id est voluntaria est in his, quæ petuntur ab eo. *Plato in Cratylo.*

Latriam vocant Theologi cultum, quem Deo soli attribuimus. *Bessarion Ca. d. in c. calumniatorem Platonis. lib. 3.* Latria apud gentiles non religionem, sed seruitutis genus quoddam obstrictius significat, quod vel hominibus notæ superioris ab inferioribus exhiberetur. quomodo & multa alia verba à nostris in alio vsu translata, sua vno siue præcipuo remanserunt. *id. in ibidem.*

Latrones nihil anteferre debent suo lucro, nec ipsam sæpe & aliis damnosam vltionem. *Apul. in Metamor. lib. 7.* Latrones cum Christo crucifixi nō appensi cruce sed fixi fuere. *Ioan. Francisc. Picus, Mirand. epist. lib. 3.*

Luceant ut corpora, non necessariis est ignis, sed sufficit lumen. nam nix, & reliqua corpora frigidissima multa, absque igne sunt lucida. *Plot. En. 2. lib. 1. c. 6.*

Laurus.

Laurus sufficit ad custodiam numinis, idem præstat racemus, id est genus virgulti spinosum squilla, corallus, adamas, iaspis. *Procl. de sacrif. & magia.* Laurus pellit fulgur seminaria ratione, quæ in ipso est. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 13.*

Lauro, & pelle vituli marini vtebatur Cæsar contra fulgura, quæ maximè timebat. *Francisc. Patric. de regno, lib. 5. c. 1.* Lauri optima temperies atque perennitas est *Leo Heb. de Amo. dial. 2.* Lauro, celebres poetæ, triumphantes Imperatores, & potentissimi reges tantummodo coronantur. *idem, ibid.* Laurum quasi aurum homines appellare consueuerunt *ibid.* Laurus, ab antiquis laudus appellata. *ibid.*

Laus, Laudare.

Laudantes omnes, modum vnum tenere debent, vt qualis sit is de quo instituta est oratio prius dicant: deinde vt talium bonorum author, & causa sit, primum explicare. *Plat. in Symp.* Laus à viris fide dignis pulchra est *in Lache.* Laudanda est patria, pater, & mater, etiam improbi *in Protag.* Laudare Athenienses Athenis non magnum est. *in Menexeno.*

Laudem diligentiæ suæ, & gratiam celeritatis nihil habere potest. *Apul. de Deo Soc.* Laus à virtute proficiscitur, velut à fonte perenni. *Philo de fortitudine.* Laus non in numero, sed in electione, non in quantitate, sed in qualitate consistit. *Ficin. epist. lib. 1.* Laus verissima est, quæ laude est digna. *idem, ibid.*

Laus vehemens non tam à laudante fortitur, quàm à laudato virtutem; & quamuis sæpe veritatis opinionem quandam à dignitate laudantis adipiscatur, vera tamen erit laus, si vera virtus in eo fuerit quem laudamus, & tunc ritè laudatores habent, cùm in Deum referunt hominis excellentiam. *Fic. epist. lib. 3.* Laudibus vulgaribus præstantia singularis concrescit. *idem ibid. lib. 6.*

Laudatio perfecta cuiuscunque rei est, quæ præcedentem rei recenset originem, præsentem formam narrans, sequentes ostendit euentus. ab antecedentibus, res laudatur vt nobilis à præsentibus, vt magna, à sequentibus vt vtilis. *Fic. in Platon. conui. ora. 1. c. 2.*

Laus vera illa haberi debet, quæ à laudato viro proficiscitur. *Fran. Pat. de regno, lib. 4. c. 39.* Laus frigida est quædā species vituperationis. *idem, ibid. lib. 5. c. 19.*

Laus sine conscientia actionum, vt plerunque ab adulatoribus fieri solet, nullum honestatis fructum habere potest. est enim quasi vana terriculo. at conscientia ipsa satis habet mercedem habet, etiam si per inuidiam, aut ingratitudinem, gloria, fama, ac laude frustratur. *Fran. Patric. de regno, lib. 9. c. 20.* Laus nimia esse non debet, adeo vt merita longè antecedat. plus enim inuidiæ, quàm gloriæ affert. *idem, ibid. in.* Laus moderata diuturnior est, & plus fidei apud posteros habet. *ibid.*

Laudari i. coli, diligi, gloriosum existimetur. odio esse inuidiosum, detestabile, imbecille, caducum. *Fr. Patric. de reipub. lib. 5. c. 3.*

Laudare seipsum aliquando necesse est, vt ad reprimendum iniustum in se odium cum quis calamitate aliqua percussus est, cùm id summa audientium vtilitate fieri potest, & vbi coram laudaris ad Deum laudem referre. *M. Anto. Natta de pul. lib. lib. 1.*

Lectis ut idem cœnabant & dormiebant *Plat. in Symposio.*

Lectio Christiani hominis perpetua debet esse Euangelium. *Ioan. Pic. Mirand. in orationem Dominicam.* Lectio diuinorū eloquiorum magis condecet ad bene & beatè viuendum, quàm cætera omnia. *Io. Fr. Pic. Mir. de studio phil. lib. 2. c. 3.*

Legatus, aut præco si quis apud aliquam ciuitatem mentiendo, contra ciuitatem falsam legationem obierit; aut dum mittitur, non veras legationes ob quas mittitur denunciat: aut rursus ab hostibus, aut etiam ab amicis legatus, aut præco rediens, non rectè ab illis legationem renunciasse compertus fuerit; contra hos actiones instituantur, veluti qui in Mercurij, & Iouis legationibus & mandatis impiè se gesserint, & iudices æstiment quantum persoluere, & pati damnatum oporteat. *Plato de leg. dial. 12.* Legatorum infortunium solet imputari his, à quibus missi sunt. *Philo de legatione ad Caium.*

Legitima ciuilitas est bonis legibus obedientia. *profip. in Plat. defin.* Legitimum à lege, à legitimo iustum, à iusto bonū, rectum, verùmque apud sæpenumero nominatur. *Ficin. in Plato. Minoem.*

Lene est, quod plenum simul, & pingue. *Alcib. c. 19.* Lene est, quod facile extra naturam suam trahi potest, & etiam quod ex paucissimis partibus est compositum. *Alcin. c. 20.*

Lenocinium est iniusta, & non artificiosa viri, & fœminæ coniunctio. *Plat. in Theæteto.*

Leo.

Leonem tentare radere, est in prouerbio *Plat. de repub. dial. 1.* Leo non ob aliud gallum veretur, nisi quia in ordine solari gallus est Leone superior. *Fic. de vita cœlitus compa. lib. 3. c. 14.* Leonem appellant signum illud, quia tunc Sol vehementer calefacit *idem, in Plot. En. 2. lib. 3.*

Leonem Hercules ingentem occidit, eúmque ideò inter signa locauerunt. *Ficin. in Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 3.* Leo fugit gallum gallinaceum. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 2. c. 11.* Leonum pugnam, Romano populo spectandā primus omnium Q. Scæuola Publij Scæuolæ filius edit. *Franc. Patr. de regno. lib. 5. 6.*

Leones iugo subiectos ad currum iunxit Marcus Antonius post Pharsalicam cladem, & primus omnium Hanno illustris Carthaginensis mansuetum ostendit Leonem, & ausus est manu tractare, quo facto à ciuibus exilio damnatus est, quando nihil non persuasurus hominibus videretur vir ille tam artificis ingenij, qui feris etiam belluis imperare potuerit *Franc. Pat. de regno. lib. 5. c. 6.*

Leo Hebræus in ardua illa disceptatione, vtrum diuina spirita idealisque pulchritudo à Deo orta, sicut Aristoteles, an aliqua, sicut Plato sensisse videtur, distinguatur ratione, Platonis potiùs opinionem tanquam sacrorum voluminum authoritati similiorem, quàm Aristotelis sententiam ab eadem remotiorem, sequendam sibi proponit. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.*

Leonis Hebræi sententia, Deum tantummodo supremum orbem, & vt finem, & vt efficientem causam mouere arbitratur, cæteras autem inferiores intelligentias, vt agentes duntaxat suos orbes circumuoluere censet, Deum ipsum tan

quam propriarum motionum communissimum sibi finem proponentes. *Leo. Heb. de Am. dial. 2.*

Leonis Hebræi propria sententia est quòd Plato cœlos quoque, diuturno æuo exacto, corrumpendos denique fore existimauerit. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*

Leue planicies densitati admixta facit. *Plat. in Tim.* Leue est id quod à medio mouetur. *Proc. in ele. phi.*

Leuibus non debemus occupari, miscenda est leuitas grauitati. *Fic. epist. lib. 5.*

Legum diuisio & earum custodes.

Lex duas partes habere debet, persuasoriam, quæ est legis præfatio, & legem, nam vt beneuole, & cum beneuolentia docilior redditus iussum suscipiat is cui legis, ita qui legem dictat debet legi addi sermo ad persuadendum, quæ tum legis præfatio est, deinde legem ferat oportet legislatorem ante omnes semper leges cauere, et ne præfationem exortes ipsas faciat, & in singulis exponere, quatenus inter se differunt. *Plat. de leg. dial. 4.*

Legum custodes hoc cogitare debent, se custodes esse non solum illorum, quos custodire facile est, hoc in quam & malisint, qui & bene nati, & bene educati sunt, sed etiam eorum, qui tales non sunt, & studijs dediti sunt qui vehementer ad hoc impelluntur vt mali fiant, & hi sanè magis custodiendi sunt. *Plat. de leg. dial. 11.*

Legum custos nunquam fiat, nec inter virtute præstantes ponatur aliquis, qui non diuinus sit, & in diuinis rebus non elaborauit. *Plat. de leg. dial. 12.*

Legum custodes qui reuera esse debent, reuera scire debent ea, quæ ad veritatem ipsarum pertinent, & sermone explicare posse, & operibus assequi, & exprimere: ita vt iudicare possint, & quæ rectè, & quæ secus sunt secundum naturam. *Idem, ibid.*

Lex fati duo habet, textũ & consequentiam: si hoc erit, sequetur hoc, pars prior in nostra est potestate, posterior necessario sequitur. vnde tria sunt: quod in nobis positum est, fatum, & quod secundum fatum summitur. *Chal. in Plat. Tim.*

Legis species quatuor sunt: prima diuina, quam prouidentiam Plato vocat; secunda cœlestis, quam fatum; tertia mouens, quam naturam; quarta humana, quam prudentiam naturalem dicimus. Prima est in mente diuina, quam Saturni legem Orpheus & Plato esse voluit. Secunda in superiore parte animæ mundi quam Iouis, tertia in mouente, inferiorique illius potentia, quam primæ Veneris. Postrema in humana mente, quam secundæ Veneris legem vocant. Prima à summo bono quod supra mentem est profluit, secunda à mente, & summo bono: tertia à summo bono, mente, & vniuersali anima: quarta à summo bono, mente & anima. Omnes verò ad ipsum bonum iterum reflectuntur: prima in ideis circa summum bonum supra rationes, secunda in rationibus circa ideas supra semina, tertia in seminibus circa rationes supra formas: quarta in notionibus circa rationes, super affectus, & artes, quam regiam legem appellant, superni regis imitatricem. *Fic. in Platonis ... mem.*

Legum totam disputationem in tres partes diuisam esse patet: primò in proœmium ab initio primi libri ad quinti dialogi partem: deinde in ipsam legis dispositionem, & primò ad rempublicam, & magistratus pertinentes deinde ad singulas ciuium actiones. *Fic. in Platon. de leg. dial. 5.*

Leges quid sint vnde dictæ, & quæ ferantur.

Lex est rectissima res. *Plato, de regno.* Legem reginam esse omnium mortalium, & immortalium, ait, Pindarus. *idem, in Gorg.* Lex & iustitia sunt animæ ornatus, *ibidem.* Leges quisque principatus fert ad suum commodum, Popularis populares, Tyrannis Tyrannicas, & sic alio modo *de rep. dial. 1.* Leges conditæ à Platone de instituenda republica difficiles factu sunt, non tamen impossibiles. *de rep. dial. 6.*

Lex regia est rectum non scriptis de iustis, iniustis, & in summa de ciuitatis gubernatione, & quo modo rempublicam gubernare oportet. *Plato in Minoe.* Lex semper intendit esse videtur pro tota ciuitate. *Idem, de legibus dial. 9.* Leges sint reges hominum, & non Tyranni *epist. 8.* Leges suscipiendæ sunt, quæ videntur non ad quæstum & diuitias, nec ad cupiditates conuertere mentes: verum cum tria sint, anima, corpus, pecuniæ primùm animæ curam habere oportet, secundò corporis, tertio pecuniarum existimationem facere oportet, corpori & animæ inseruientem. *Idem, epist. 8.*

Lex est norma, ad quam quæritur an quis iniuriam intulerit, nec ne *Speusippus de Plato definition.* Lex est ciuilis institutio multitudinis absque certi temporis termino. *Idem, ibid.*

Legum institutio est scientia ciuitatem tumultu vacuam reddens. *ibid.*

Lex diuina est fatum, per quod ineuitabiles cogitationes Dei, atque incepta complentur. *Apule. de dogm. Platon. lib. 1.* Lex est Domini tributum. *Philo de mig. Abr. ham.* Leges oppidatim receptæ sunt, appendices rationis rectæ à natura nobis insitæ. *Idem, de Ioseph.*

Legum ciuilium institutio nobis non aliunde monstrata est, quam à dispositione diuinarum legum, quam in se ipsa mens diuina intuetur, dum in seipsa reflectitur, idea Plato ait in protagora, ciuilem disciplinam à Ioue per Mercurium ad homines descendisse. *Ficinus Plato. philo. lib. 1. cap. 26.*

Lex est anima ciuitatis, corpus mercatura, spiritus medicina. *Fic. ep. lib. 3.* Legem verum bonam esse necesse est. *idem, in Plat. Min.* Lex est vera gubernatrix ratio, quæ ad finem optimum per commoda media gubernata dirigit, transgredienti pœnam, obedienti præmium statuens. *ibid.*

Leges non sunt institutiones principum, cum veræ non sunt, cùm non proficiantur ad optimum finem recto calle, sed decreta edicta, instituta potius quàm leges. *Fic. in Plat. Minoem.* Leges viuæ sunt viri probi. *idem, in Plato. de republica, dial. 4.* Lex quid aliud est, quam rationalis quædam regula, certo quodam ordine ad bonum subditos perducens. *idem, in Plato de legibus. dial. 1.*

Lex ciuitatis idest disciplinæ ciuilis forma est, & ciuilitas est ciuitatis forma. *Fic. in Pla. de leg. dial. 3.* Lex est mentis distributio, eique in omni & priuata, & publica gubernatione esse obtemperandum vt per nostram mentem feliciter a diuina mente ducamur. *Idem, ibid. dial. 4.* Legem appellat Pomponius iurisconsultus communem reipublicæ sponsionem, *Fran. Patri. de rep. lib. 1. cap. 5.*

Legem appellat Aristoteles communem ciuitatis consensum quæ scriptis mandat quomodo vnum quidque agendum, aut non agendum sit: recta vt ait Cicero præcipit, praua verò depellit. eius virtus est, vt ait Modestinus, imperare, vetare, punire, permittere. *Idem, de rep. lib. 1. cap. 5.*

Lex omnis est ad salutem ciuium, conseruationem humanæ societatis, incolumitatem ciuitatis, & vitam singulorum quietam & beatam, quæ persuasio efficit vt populi æquo animo, & ita illa accipiant, quæ etiam aliqua ex parte singulorum libertati obesse videntur, defendat bonos & malos supplicio afficiat: ea sanè ratione, vt malit ciues emendare quam interimere. *Fran. Patr. de rep. lib. 1. cap. 5.*

Lex à contentione limitum nomen sumpsit: principio enim duobus limitibus agri præfiniebantur. *idem, rep. lib. 3. cap. 6.*

Leges & Ipsi ... & earum vindicias.

Leges non, sed homines intusse iudicant. *Plat. in Critone.* Lex tradidit nobis nomina *Idem, in Craty.* Legum ministri principes appellandi sunt, quia circa hoc salus ciuitati est. *de leg. dial. 4.*

Lex ferè ad hoc ipsum contendere videtur, vt hominem quendam contumacem, ac imperitum, qui nihil præter institutum facere sinit, nec interrogat quenquam an quid melius alicui recens contingat, præter eam, quam ipse constituit rationem, *Plat. de reg.*

Lex nunquam poterit optime & iustissimè simul omnibus existe comprehensis, id quod optimum est præcipere. nam dissimilitudines hominum, & actionum, & quod nunquam quid, vt ita dicam, humanarum rerum stabile sit faciunt: vt nulla penitus ars quicquam simplex in vniuersum de omnibus per omne tempus pronunciare potest. *Plat. de reg.*

Legibus nil sapientius esse oportet. *Plat. de reg.* Lex & natura non sunt contrariæ. *idem, in Gorg.*

Lex amatoria sit, vt amet quidem, ac conuersetur, ac contingat amator amatum velut filium, honestarum rerum gratia si persuadeat: in reliquis verò ita conuertetur cum eo cuius quis studiosus tenetur vt nunquam videatur longius cum ipso commoratus, sin minus, vituperationem subeat, tanquam qui sit à musica concinnitate ac honestate alienus. *de rep. dial. 3.*

Lex de patribus præcipit, de reuerentia, & cura, & parentibus obediendum esse, alioqui neque apud Deos neque apud homines, ei qui hæc non facit, successurum esse, vt qui neque pia nec iusta faciat, si alia quam hæc fecerit. *Plat. de rep. dial. 5.*

Lex de dolore ferendo dicit, optimum esse quàm maximè quietem agere in calamitatibus, & non male ferre. quòd neque certum est, bonæ ne, an malæ tales sint, neque is qui molestè fert quicquam vltra proficiat, nec quicquam rerum humanarum magno studio dignum sit, & quod dolor obsiens obstat ei, quid paratus est legi obedire quatenus illa præscribit. *Plat. de rep. dial. 10.*

Lex Atlanticorum erat, ne alter contra alterum arma sumeret, & omnes auxilium ferrent, si quis in aliqua ciuitate regium ipsorum genus extirpare conetur. *Plat. in Atlantico.*

Legibus neque ijdem iisdem semper viuntur, & quod alij alijs.

alijs. *Plat. in Minoe.* Leges scripto constitutas corrumpit hominibus in paruis & frequentibus contra leges agere adsuetis. *Idem, de leg. dial. 7.* Leges antiquæ permiserunt licere cuique ex testamento res suas simpliciter cuique, & quomodocunque legare. *de legib. dial. 11.*

Lex non solùm delictum, sed & voluptatem delinquendi punit. *Max. Tyrius sermo. 2.* Leges & doctrinæ omnes nihil aliud contendunt, quàm ita homines instituere, vt declinent à turpibus, agant honesta. *Fic. in Plat. commen. orat. cap. 4.* Legis finis est tranquilla animorum ciuium puritas, veritatis contemplationi, quo ad fieri potest, sufficiens. *idem. in Plat. de legib. dial. 1.*

Lex imprudenter gubernacula committentur sanciet, ne mera & ingens imperandi autoritas concedatur, sed omnes subijciet legibus, reges cum senatu coniunget, senatum cum consilio populari. *Ficin. in Plat. de legib. dial. 3.*

Lex studebit vt totum ciuitatis corpus, quo ad fieri potest, liberum sit, prudens, & amicum: liberum, vt possit quilibet patriæ suæ consulere: prudens vt sciat: amicum, vt velit. *idem, ibid.*

Leges nullæ constitutiones appellandæ sunt, nisi commune ciuitatis totius bonum procurent. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.* Leges singulæ singula habent præmia. *idem, ibid. dial. 5.* Legum Platonis consilium est, animos ciuium pro viribus ita componere, vt expeditam adepti tranquillitatem, diuinorum operum rationes & causas perscrutentur, & in his quasi speculis authorem Deum speculentur & colant. in speculatione sapientia, in cultu religio, in ambobus tota consistit humana fœlicitas, & finis. *idem, in Plato. de legum appendice.*

Legum in viuando firmiorem regulam esse & morum, quàm in sideribus auctoritatem, probas Bardesanes Syrus dicens: omnes Iudæi Mosayca lege octaua die pueros circuncidunt, nec alicuius stellæ vi ad talia compelluntur, non enim possibile est eandem natiuitatem Iudæos omnes habere, ve simul nati similiter octauo die sanguinem fundunt, vel septimo quoque die pariter conquiescunt. *Fæsiu. de fato, cap. 3.*

Leges omnes vt virtutes iubent, sic vitia prohibent. *Franc. Patri. de regno, lib. 8. cap. 5.*

Lex nullo affectu mouetur, non irascitur, non odit nulla ambitione ducitur, diligit omnes pariter omnibus indulget. quæ dum dominatur, non permittit aliquem per ambitionem surgere, qui populum ducat, & turbulentas factiones agat, sed optime multitudo gubernat. *idem, de rep. lib. 1. cap 5.*

Legum formidine à vitijs se cohibere debent iugenij, est. *idē, de rep. libr. 5 cap. 3.*

Lex secundum naturam non est, quæ scripta est, nec quæ eorum qui imperant placitis obtemperat: sed quæ animis nostris ante scriptam aliquam legem insita est, quæ nil aliud est, quàm recta ratio. *Iac. Carpen. in Alc. in parte post. et.*

Leges vt condantur, & mutantur.

Legum ferendi ars ad regiam scientiam pertinet: optimum enim est non ipsas leges valere, sed virum cum sapientia regium. *Plat. de regno.* Leges mutantur, vt à peioribus meliores reddantur ciues. *Idem, ibid.* Legum custodia non opus habet pigritia. *de rep. dial 6.* Legum condendarum causam Deus in se recepit, apud Cretenses Iupiter, apud Lacedæmonios Apollo. *de legibus, dial 1.* Leges omnes optimi gratia fert. *ibidem.* Leges non sunt ferendæ ad virtutis aliquam partem, sed ad omnem virtutem. *ibidem.*

Leges ferendæ sunt de concentibus, qui natura rectitudinem exhibeant. *Plat. de legib. dialog. 5.* Leges nullum vnquam hominem dicimus sancire, sed fortunas & calamitates varias incidentes, penitus per omnia leges nobis ferre, aut enim bellum violentum respublicas euertit, & leges mutauit, aut grauis cuiusdam paupertatis inopia & morbi multa nouare cogunt pestilentijs ingruentibus, & multorum annorum sæpe importunitas. *Plat de leg. dial. 4.*

Legūlatio, & ciuitatis ædificatio, perfectissima omnium res est ad virtutem vitarum. *Plat. de leg. dial. 6.* Leges ciuitas nulla alio modo mutare solet citius & facilius quàm potentum exemplo præeunte & non alio modo fit, nec rursus futurum est. *idem, de leg. dial. 4.* Leges non mutentur vlteriùs si necessitas aliqua incumbere videtur, omnes magistratus, & totus populus in consilium adhibeantur, & omnia deorum oracula perantur, & si consenserint, ita ipsas mutent: aliàs vero nullo vnquam modo, sed vnus qui prohibet secundum legem, semper vincat *dialog. 6.*

Legum correctio, si legislator viuus sit, in communi cum ipso fiat. si vero vita defunctus erit ipsi magistratus singuli sui muneris defectus ad legum custodes deferant, vt corrigantur, donec singuli ad finem deducti esse videantur, vt rectè exculti sint. & tunc ratæ habeantur, & pro legibus vtantur. *Plato de legibus, 6.* Leges omnes paruas, & inuentu faciles, quas vetus legislator reliquit, iuuenem legislatorem explere oportet *idem, ibid. dialog. 12.*

Legum quarumcunque ratione rempublicam qui putant bene constitui posse, absque eo, vt sit aliquis dominus, qui quotidiani victus curam gerat, vt sit hic temperatus & fortis tam seruorum, quam liberorum dominus, non rectè sentiunt. *Plat. epist.*

Leges humanæ non aliter aut admittuntur ab initio, aut postquam admissæ sunt propagantur, quam vel confictis communibusque humanarum & naturalium rationum suasionibus, vel auctoritate quadā imperatoris, imperiūue armorū, vel facilitate, commoditateue viuendi, & voluptatum illecebris. *Fic. epistol. lib. 5.*

Lex æterna esse debet, & penitus immutabilis, & apud omnes gentes eadem de eisdem, si hoc modo vera sit; nam quæ temporibus, locis, & opinionibus permutatur, non lex, sed institutio nuncupatur. *Fic. in Plato. Minoem.* Leges omnes manant ab ipso rerum principio, sed vario modo *idem, ibid.*

Leges non ab hominibus, sed à Deo originem sumpserunt. *in Plat. Protagor.*

Legum autoritas condendarum, paucis conceditur: paucissimi legibus latis obtemperant. *Ficin. in Plat. commentar. orat. 7. cap. 19.* Legibus condendis maxima cura adhibenda est: putat enim Plato prius in his errari quàm hominem interficere, quam eiusmodi error multos per multa secula animos simul, interficit & corpora. *idem in Plato de republ. dialog. 5.*

Leges a Ioue Minos contemplando petijt, Scipio Ioue magistro ad rem publicam accedebat, Numa Pompilius ciuitatem religiosis legibus gubernauit. *Fic. in Plat. de rep. dial. 7.*

Leges Minois Lycurgi, Solonis sumpsit Plato, & ex illis adeo addidit, & mutauit. *Idem, in Plat. de leg. dial. 1.* Lege princeps qui ferre vult, tres dotes habere debet potentiam clementiam, & sapientiam. *ibid.*

Leges qui condere volunt, necesse est vt sint vitæ innocentissimæ: tum ad hoc, vt autoritatem diuinam habeant, quæ in condendis legibus necessaria est, requiritur sanctimonia vitæ: tum diligentia, super humanas vires omnibus admirandi. *Ficin in Plato. de legibus, dialog 1.* Legum conditoris totum studium versari debet circa voluptates, & dolores, vt duo hæc quasi bruta freno non careant. *idem, ibid.* Legum cultor ita animi sanitatem spectat, vt medicus corporis sanitatem *ibid. dial. 3.*

Leges Minos à Ioue habuisse testatus est, Zaleucus à Minerua, Lycurgus a Phythio oraculo. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 3. cap 19.*

Leges firmiores efficit populi consensus, & promptiores ad parendum potentes reddit *Franc. Patri. de rep. lib. 1. cap 5.*

Leges & optimæ consuetudines in republica non sunt momento mutandæ, sed si pro communi vtilitate quidquam mutandum est, sensim mutandum est. *Idem, de rep. lib. 6. cap. 5.*

Legum mutationem plerunque exigit morum mutatio. *idem, de rep. lib. 1. cap 5.*

Leges vt meliores & qui planta in prasunt,

Leges ciuitas omnis quantum potest sibi vtilissimas constituit. *Plato, in Theæteto.* Lex optima est, quæ non permittit aliquem iuuenem quærere, quæ ex ipsis rectè, aut secus habeant, sed vna voce, & ex vno ore omnes consentire, quòd omnes dijs autoribus, rectè latæ sint: & si quis aliter dicat, hi qui audiunt non ferant. si quis senex apud eos aliquid excogitet, tales sermones ad principem & coætaneum referat, nullo iuuene præsente. *idem, de legib. dial. 1.*

Leges suæ singulis placent. *Plat. de legib. dial. 3.* Legibus bonis ciuitatem instituti difficile est. *de leg. dial. 4.* Leges non sunt rectæ, nec respublicæ sunt, quæ non in commune vniuersæ ciuitatis gratia latæ sunt. at quæ aliquorum gratia latæ sunt, seditiosæ esse dicuntur, & non respublicæ, & horum iusta, quæ ipsi esse dicunt, frustra & falso ita appellari. *ibid.* Leges ciuitatum nil miri est aberrare, eo quod in vnaquaque ciuitate alia legislatio ad aliud respicit. *dialog. 12.*

Legum facultatem Astronomi Ioui & Soli tribuunt, quibus in cœlis nil est pulchrius. *Fic. epist. lib. 1.* Legibus cum philosophia cognatio eadem est, quæ Ioui legum ducenti cum Saturno philosophiæ duce, idest filio cum patre necessitudo. *idem, epist lib. 12.* Leges naturam totum continent Sol, Iupiter, & Minerua. Sol vt planetarum dominus potentiam, Iupiter clementiam, Minerua sapientiam. *in Plat de leg. dial. 1.* Leges parum prosunt, nisi sacris Deo optimo maximo factis vtirentur. *Fran. Patric. de rep lib. 3. cap. 4.*

Legibus vt sit parendum, & quæ requiruntur.

Legibus parendum est. *Plat. in Apologia, & in Critone.* Legi-

bus qui non paret, iniustè trifariam facit? & quod nobis genetricibus non obedit, & quod nutricibus non paret, & quod tiates nobis parere neq. paret neq. nobis persuadet siquid iniustè facimus. *in Crit.* Legibus qui parere non vult, licet sua accipere, & abire quocunque velit. at qui manet, videtur legibus consensisse, vt ea facturus sit, quæ ipsæ iusserunt. *ibidem.* Legibus vel parendum est, vel contrarium persuadere oportet *ibidem.* Legum corruptor, adolescentium, & imprudentium, hominum corruptor esse valde videri potest *ibid.*

Legum & ciuitatis custodia non opus habet pigritia. *Plat. de republica, dial 6.* Legibus nocet incredulitatis robur *Idem, de leg. dial 8.* Lex vbi subdita est, & non dominator, ciuitati illi paratum interitum patet. *dial. 4.* Lex vbi dominatur, & principes sunt legis serui, salutem, & omnia, quæ Dij ciuitatibus contribuerunt bona, contingere video. *ibid.*

Leges nouenario numero indigent, videlicet, vt in lege ipsa, in iudice, & in ministris sit sapientia, potentia, & clementia, quæ ter multiplicatæ nouem faciunt. *Fic. in Plat. de leg. dial. 1.*

Legibus qui obseruantius parent, his magistratus, maximéque diuini cultus munera committi debent. *idem, ibid. dial 4.*

Legum obseruantibus solum licet expedire vota dijs, & sacra facere: cæterorum preces, & munera à Deo respuuntur. *ibid.* Lex naturalis est scintilla legis diuinæ, à qua oritur lex scripta scintillæ eiusmodi radius. *epist. lib. 1.*

Lex à ligando vel legendo dicitur. *Io. Franc. Pic. Mir. de præuot. lib. 1. cap. 9.* Lex quod prohibet qui facit, contra legem facit: at qui saluis legis verbis contra legem agit, in fraudem legis facit. *Franc. Patri. de regn. lib. 8. cap 3.*

Leges de compotando & nuptiales.

Leges compotandi sunt, quæ hominem in magnam spem elatum, & confidentem, ac multo impudentiorem redditum, & ordinem, & silentij, & sermonis, & potationis & mutæ partium vsum seruare nolentem, ita tractare possint, vt omnia his contraria facere velit, & quæ ei, qui non cum honesta confidentia ingressus est, optimum aduersantem timorem cum iustitia inducere possint. quem sanè morem, pudorem, & verecundiam, & diuinum timorem nominauimus, & earum legum custodes sobrios esse & à tumultu alienos duces esse oportet. Qui his & Bacchi ducibus sexagesimum annum transgressis obedire nolit, æqualem, & maiorem ignominiam ferre debet, quam is, qui Martis ducibus non obedit *Pla. de leg. dia. 2.* Leges nuptiales si primum ferantur, in omni ciuitate rectissime ferri videntur. *idem, de leg. dial. 4.*

Legum sacrarum interpretes tribus quatuor proferant: quatuor illæ tribus singulos ex se ipsis: tres autem quibus plurima suffragia contigerint, vbi nouem probarunt, mittant ipsos in Delphos, vt ex vnaquaque triade vnus auferatur, & ipsorum probatio, & tempus sit, vt sacerdotum. quod scilicet minores natu non sint, quam sexaginta annis. at hi sint interpretes per vitam & in defuncti locum eligant alterum, quatuor illæ tribus, vndecunque defecerit. *Plat. de leg. dial. 6.*

Leges circa res diuinas à Delphis petere oportet, & constitutis ad ipsas interpretibus vti. *idem, ibid.*

Legum sanctione minari, & præoccupare, quasi mali sint, in præclara ciuitate turpe est: verum cum homines humano generi leges feramus æquum est timere ne quis nobis nascatur ciuis, velut in cornu protectus, qui adeo durus natura fiat, vt velut illa in cornu protecta semina igne nō moriuntur, ita hic legibus quantumuis robustis emolliri non possit. *Plat. de leg. dial 9.* Legibus diuina autoritas necessaria est, ne vel negligentia obsolescant, vel fraude, vel violentia confringantur. *Fic. in Plat. de leg. dial. 1.*

Leges diuinæ.

Leges diuinitus datæ corpori & animæ datæ sunt: compositum ergo legibus alligatum, subitecum est præmium vel pœnam, obseruatarum legum, vel præuaricationis. ergo resurrectio corporis. *Athenagoras de resur. cap. 2.*

Lex prohibet iuxta sacrarium plantare lucum: quia in animo fructiferas virtutes plantare debemus, non infructifera vitia. *Philo. in leg. alleg. lib. 1.* Legum ad pietatem adhortationes omnes, referri videntur ad dilectionem, vel ad timorē eius qui est. *idem, quòd Deus est immutab.* Lex diuina est diuinum eloquium facienda præcipiens, vitanda prohibens. *idem, de migratione Abraham.*

Legum diuinarum contemplatio (vt Plato in Politico) à Saturno data, quia eminentis prout erigitur cadus in nos descendens, mentem quoque nostram in diuinum attollit intuitum. *Fic. in Pla. Phileb. lib. 1. cap. 26.* Leges Mosaycæ, quibus Dei populus diuinè gubernaretur, Deo ipso docente ad homines peruenerunt. *idem, in Pla. de repub. dial. 7.* Legum mysteria Deus tum occultis inspirationibus, tum miraculis manifestis, quoties necessitas exigit, reuelat & sancit palam, & promulgat. *in Pla de legib. dial. 5.*

Leges vt se habent ad magistratus, & quo tempore Romæ ferri solebant.

Legibus sæpe magistratus optimos anteponit Plato, quia leges sine illis inutiles esse videntur. *Fic. in Pla. Lachetem.*

Leges omnes absque probatissimis magistratibus mortuæ sunt. *idem, in Pla. de rep. dial. 6.* Leges in republica non multas esse debere Plato existimauit, sperans prudentes honorisque viros leges esse inuentures. *idem, ibid. dial. 4.* Legum rogatio apud Populum Romanum in nundino promulgabantur, & antequam sancirentur vndeuiginti dierum spacio deliberare poterant, an condendæ, vel ne. *Fran. Patr. de rep. l. 1. cap. 5.*

Legislator.

Legislatorem nunquam satis præstare posse putamus, vt dum omnibus simul imperat, id quod vnicuique conuenit exacte attribuat. *Plat. de regno.* Legislator ciuitatis curam habere debet de templorum constructione, sacrificijs, & deorum, dæmonum ac heroum cultu, & mortuorum sepulchris, & quæ ex nostro ministerio illa, qui illic sunt præstita, propitios ipsos nobis faciunt: talia enim neque nos scimus, & habitantes ciuitatem nulli alij credimus, si mente præditi fuerimus, neque expositore alio, quàm patrio vtemur, hic enim Deus patrius omnibus hominibus expositor, talium in medio terræ, in vmbilico considens exponit. *idem, de republica, dial. 4.*

Legislatori cura esse debet, vt vnusquisque curet prodesse in communi ciuitate, & non permittere quemque se vertere quo velit, sed quod ipse ipsis vtatur ad connexionem ciuitatis. *Plat. de rep. dial. 7.* Legislator non erit sincerus, si non pacis gratia magis quæ ad bellum pertinent sanciet, quàm belli gratia ea quæ ad pacem. *idem, de legibus, dial. 1.*

Legislator primò prudentiam, secundò temperantiam, terriò iustitiam, quartò fortitudinem respicere debet: posthæc alia mandata ad hæc respicientia ipsis ciuibus imperanda, ita vt bona humana ad diuina, diuina ad principem intelligentiam referat. & sic nuptias inter se contrahant, deinde in liberis gubernandis, & educandis, postea in iracundijs, & timoribus, & perturbationibus, deinde possessiones & sumptus ciuium, commercia, & obedientibus honorem tribuat, inobedientibus pœnam. & omnibus his custodes præficiat, partim per prudentiam partim per verum opinionē progredientes, quæ omnia hæc intelligentia colliget, & temperantiam & iustitiam sequi declaret, & non diuitias, & ambitionem. *Plato de leg. lib. 1, dial. 1.*

Legislator optimè faciet, si eandem & iucundissimam, & optimam vitam à dijs dici asseuerabit. *Pla. de legib. dial. 2.* Legislatoris vel exigua est vtilitas etiam si hoc non ita se haberet, vel ut ratio exposuit, siquidem aliud quid vnquam ad iuuenum vtilitatem mentiri ausus fuit, est hoc mendacium quod vtilius hoc vnquam mentitus fuit, & quod magis efficere posset, vt non coacti, sed vltro omnes iustitiam amplectantur. *idem, ibid.*

Legislator nil aliud spectare, & obseruare debet, quàm vt persuasione vsus maximum bonum ciuitati exhibeat, & in hoc omne studium ponere, vt comperiat quomodo vniuersa ciuitas de ijs vnum & idem quàm maximè semper per omnem vitam loquatur, & sonet, & in cantilenis, & fabulis, & sermonibus. *Pla. de leg. dial. 2.* Legislatores primo appellati sunt, qui electi vt omnium legum gnari, eas quæ sibi ipsis maxime placerent in commune principibus, & ducibus populi velut regibus, palam ostenderent & eligendas darēt. *idem, ibid. dial 9.*

Legislator nullus fortunæ imperare potest. *Pla. de legib. dial. 9.*

Legislator cum rerum publicarum curam gerat, nunquam simul & priuatas vniuscuiusque contingentes calamitates tractare potest. *idem, ibid. dial 11.*

Legislator est autor legum, quibus gubernari ciuitas debet. *Speusip. in Platonis definitio.*

Legislator omnes virtutes habere debet. sed hæ quatuor coniunctissimæ sunt, charitas erga proximos, iustitia, amor virtutum, & vitiorum odium. *Philo Iud. de vita Mosis, lib. 2.*

Lex semper pugnat cum superbia *idem, ibid.*

Legum latores illustres omnes legum inuentionem in Deum, sed per diuersa nomina retulerunt, Zoroaster Bactrianis Persisque leges tradens in Oromasim; Trismegistus Egyptijs in Mercurium, Moises Iudæis rectissimè in patrem totius naturæ Deum; Minos Cretensibus in Iouem, Charondas Cartaginensibus in Saturnum; Lycurgus Lacedemonijs in Apollinem; Draco & Solon Atheniensibus in Mineruam, Pompilius Romanis in Aegeriam: Mahometus Arabibus in Gabrielem; Zamolxis Scythis in Vestam: Plato noster Magnesijs & Siculis in Iouem & Apollinem, Arcadibus autem, & Thebanis & Cyrenaicis, leges postulantibus, denegauit

negauit. *Fic. in Plat. Minoem.* Legum latores illi & apud Platonem, & apud veritaté contemnendi censentur, qui subitò qua censura scelera perpetrata sunt, punienda decernunt, qua verò ratione homines ita oriantur, nutriantur, erudiantur, vt scelera perpetrare nolint, non prouident. *Fic. in Plat. de leg. dial.* 3.

Libationes ac cantus à cœnis fiebant. *Plat. in Symposio.*

Liberi.

Liberi cum parentibus, puberes facti, ad bellum proficisci debent, vt videant, quæ viros perfectos tractare oportebit, & ministrent, quæ ad bellum spectant, & curent patres & matres *Plat. de rep. dial.* 5.

Liberi belli spectatores esse debent, & patres ipsis præstare debent securitatem: & cùm patres sint expeditionum militarium educti, noscant quæ periculosæ sunt, & quæ secus extstunt, ad has producent, & illas vitabunt. *idem, ibid.*

Liberi puberes ducendi sunt ad bellum, nam patres diligentius ipsos instituent, quàm custodes, & experientia, & inspectione eorum, quæ conueniunt: præterea animal omne insigniter pugnabit, præsentibus his, quæ peperit. *Plat. de rep. dial.* 5.

Liberi, si præter opinionem in bello aliquid accidat, alati esse debent, vt quo, si opus fuerit volantes aufugiant, nam admodum adhuc pueri in equos transferendi sunt, & vbi equitare didicerint, ad spectaculum ducendi sunt, non illis animo concitatis, neque ad pugnam instructis, sed quàm velocissimis, & habenis maximè parentibus, sic & optimè spectabunt & securissimè, si aliquid accidat seruabuntur, cum senioribus ducibus. *idem, ibidem.* Liberis tempore bellorum præficient principes non vilissimos, sed eos, qui & experientia, & ætate præstantes sunt, & duces, & puerorum ductores. *ibid.*

Liberorum procreatio, & custodia eorum, qui liberis procreandis operam dant, ad decem annos duret, & non ampliore tempore, vbi commodus fuerit fœcunditatis prouentus: at si ad hoc vsque tempus infœcundi fuerint, cum cognatis, & mulieribus præfectis in communi consultent, ac separatim ad ea quæ vtrisque commoda sunt, & si sit controuersia, decem eligant ex legum custodibus, & quæ hi præceperint, in his acquiescant. *Plat. de leg. dial.* 6.

Liberos postquam secundum leges generauerint, si quis cum aliena muliere in talibus consuetudinem habuerit, aut muliere cum viro, si adhuc liberos procreant, eadem mulcta ipsis irrogetur, vt de his qui adhuc generant dictum est. *Plat. de leg. dial.* 6. Liberorum educatio doctrinæ potius cuidam, & admonitioni potius similis est, quam legibus. *Idē, de leg. dial.* 7.

Liberis inquilinorum, si opifices sunt, & quindecim annos nati, cohabitationis tempus initium sumat post quintum & decimum annum, & postea maneant per 20. annos, si cui hoc ita placuerit: si vero, manere voluerit, maneat postquā eodem modo vt de inquilinis diximus reipublicæ persuaserit: qui discedit abeat de lenis præscriptionibus, quæ ab ipso prius fuerunt apud magistratum præscriptæ. *Plat. de leg. dial.* 8. Liberorum numerus iustus, & qui secundum legem sufficit, est masculus, & fœmina. *idem, de leg. dial.* 11.

Liberi, bonum quoddam, ex honestate simul atque iucunditate permistum, esse videntur. *Leo Heb. de Am. dial.* 1.

Liber Libertas

Liberi reuera homines non agunt quatenus agunt impetu, & appetitu, vt quod ira vel concupiscentia fieri solet, aut ratiocinationi conferenti vna cum appetitu, vt aliquid fiat, vel non fiat, tribuemus, & si sic, & pueri & bruta ac furentes id arbitrij munus habebunt, quod non est verum. si rationis discursioni vnà cum appetitu coniūctæ arbitrium liberum concedimus, dubium erit an ratio appetitem an appetitus rationē ducat. si secūdum naturam sint appetitus, ita distinguere licet. si tanquā compositi ipsius sic anima naturæ sequetur necessitatem, sin tanquā solius animæ multa, extra id fieri videbuntur. si sensu, sensus tantū percipiens non efficit dominium actionis. si cognitione alia vel ratione præter sensum, certè non in actione, sed in mente consistet: quoniam quicquid in agendo versatur, quamuis ratio superet, mixtum quiddam est, nec purum. id arbitrij munus habet, per quod in nobis id esse iudicari possit. *Plot. En. 6. lib.* 8. *cap.* 2.

Liberum qui putat aliquid, cum operatur præter naturam, decipitur. *idem. En. 6. lib. 8 cap.* 7.

Liber solus est, qui solum Deum sequitur. *Phi. quod omnis probus liber.* Liberum est quod sibipsi dominatur. *Speus. de Pl. definition.*

Liberam esse volontatem humanam, & fati necessitati nō subiacere, est opinio Aristot. & Platonis. *Bess. Card. in calumn.* *Plat. lib. 2. cap.* 9. Liber is est, qui sui iuris est non alieni, & qui in agendo à se mouetur non ab alio. *Iac. Carp. in Alc. partem poster. dig* 22. Liber est homo, quia in eo quod rationis particeps est, potest perturbationes de parte inferiore orientes, reddere obsequentes superiori: alioqui nec particeps rationis dici posset. *idem, ibidem.*

Liber pater in numero deorum collocatus est, quia docuit homines emere, & vendere, & vinum, diadema, & triumphum in honorem fortissimorum hominum. *Franc. Patri. de reg. lib. 5. cap.* 9.

Liberalitas est habitus, qui in quærendis & erogandis pecunijs decorum seruat: decens acquisitio accumulatióque pecunia. *Speusip. in Plat. defini.*

Liberalitas in priuato, in rege esse debet magnificentia: & frugalitas non multum laudatur in rege. *Fran. Patr. de reg. lib. 3. cap.* 1. Liberalitas summopere principem commendat. *Idem, ibid. lib. 4. cap.* 9.

Libertas.

Libertas dicendi maxima totius greciæ Athenis erat. *Plat in Gorg.* Libertas nimia non in aliud quid quam in nimiam seruitutem mutari videtur & in priuato, & in republica. *idē, de rep. dial.* 8. Libertatis nimiæ mala sunt, primo vt principibus seruire nolint: ad hoc sequens vt patris, & matris, & seniorum seruitutem, ac admonitionem fugiant: & vbi propè ad finem deuenerunt, vt legibus obedire recusent, & in ipso fine, vt iusiurandum, fidem, & Deos omnino non curent. *idem, de leg. dial.* 3.

Libertatem populi nimium tollentes Persarum respublica, & dominandi potestatem magis quàm conueniu inducentes, amicitiam & societatem in ciuitate perdiderunt; & hæc corrupta principum senatus nō pro subditis & populo consultat, sed pro suo principato. *Plat de leg. dial.* 3. Libertatem si quis dat alicui, qui vt seruos ducitur is qui ducit dimittat, qui verò aufert fideiussores det tres, & hoc modo auferat, alio non si verò propter hæc auferat, violentiæ illatæ reus fit, & condemnatus duplum damni ei, à quo abstulit, rependat. *Idem, de leg. dial.* 11.

Libertas, & seruitus, vtraque modum excedens mala est; moderata bona, immoderata seruitus est quæ Deo, immoderata quæ hominibus exhibetur. Deus autem hominibus est lex sapientibus, insipientibus verò voluptas. *Plat. epist.* 8. Liberos mores qui prosequuntur, & leges seruile iugum vt malum fugiunt, vt caueant consuluerint ne quando ob intempestiuæ cuidam libertatis inexplebilem cupiditatem in tyrannidem incidant. *idem, ibid.* Libertas est vitæ dominium, dominatio in omnibus absoluta. *Speusip. de definitionib. Plat.*

Libertas, & quod in nobis inter res agendas, nec ad actionis effectum, nec ad externam actionem, sed ad actum intimum & intelligentiam, & contemplationem virtutis ipsius omnino refertur, & hanc virtutem, oportet mentem quandam existimare. *Plot. En. 6. lib. 8. cap.* 5.

Libertas absoluta non est in ijs, in quibus hæc tria, esse, intelligere, velle, reipsa inter se discrepant, quoniam in rebus huiuscemodi motus volendi sequitur intelligendi normam hæc essendi conditionem, esse denique sequitur eum, qui dedit esse, at in Deo idem est reipsa esse, intelligere, velle, & ita est per voluntatem suam intelligentiæ, essentiæque suæ compos, vt non modo sicut est, & sicut intelligit suapte natura, ita quoque velit, & sicut vult, ita intelligat & existat. *Fic. in Plat. Theol. lib* 2. *cap.* 12.

Libertatis extrema licentia extremæ seruitutis est principiū. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 8. Liberam nil magis est, quàm quod per se est, & per se omnino agit, non contingente aliqua voluntate *idem, in Plat. Tim. cap* 14.

Libertas nimia lasciuiam primo parit, deinde legum contemptum, post hæc frequentes sediiones, & denique externam seruitutem. nimia seruitus amicitiam & beneuolentiam populi erga principem, & charitatem erga patriam tollit, & adeo tollit, vt seu de causa vel princeps, vel patria pereat. *idem, in Plat. de leg. dial.* 3.

Libertatis duo sunt gradus, duo seruitutis: vnus est inter vtrūque medius: seruus est, qui imaginationem solam sequitur à corpore nostro vel externis corporibus incitatam; seruus item cuius etiam ratio imaginationi huic indulget. Liber primò qui mente viuit, sola contemplatione contentus, cæteris omnino neglectis: liber secūdo, qui si quid prætcrea agit, id solum legibus à contemplatione susceptis eligit, res que gerendas refert ad contemplandum: ex libertate quadam & seruitute permistus videtur, qui imaginationem quidem subigit rationi rectæ, sed vitam actiuam, alioquin honestam, eligit tanquam finem. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 8. cap.* 3.

Libertatis ratio cum in libero quodam motu consistat, & ad volendum bonum conuertatur, intellectus libero & voluntario incedit motu quando certus ad verum sibi bonum agendo, ac gubernando procedit. & si natura sua intelligit, vult eligit, agit, non ideo dicitur cogi, quoniam hoc ipsum sibi in primis voluntarium est, nec ab alienis ad hoc adducitur, nec dici debet intellectualis actio intellectuali naturæ seruire, ibi enim actio est ipsa natura. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 8. cap. 4.*

Libertas est facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur. *Fran. Patr. de rep. lib. 1. cap. 4.* Libertatis persuasio potentior est in ciuili societate omnibus alijs persuasionibus *idem, ibid. cap. 6.*

Libertas omnium maxima est, qua quis ita sui iuris est, vt nemini omnino ea debito, sit obnoxius, quo modo nec angeli liberi verè dici possunt: altera in consentiendo spectatur, qua quis ita se parat, vt solùm velit, quæ Deus vult, nolit, quæ ille non vult: tertia, quæ adijcit quoque efficiendi facultatem, vt scilicet liber sit, qui per se potest facere quæ cum Deo vult, & per se fugare, quæ cum Deo non vult. *Ia. Carp. in Alc. par. post. dig. 12.*

Libertatis humanæ voluntatis disputatio non est eadem in philosophorum & Christianorum schola. nam veteribus philosophis satis est docuisse motus omnes de parte animi inferiore exorientes, rationis imperio cohiberi posse. & si non omnino extingui, at ad eam moderationem reuocari in cuius obseruatione virtutes morum sunt positæ. at hoc non est satis in Christiano libertate, sed alio diuino externoque remedio opus est, quo à seruitute peccati liberemur. interea tenendum est neminem nostrum ex puris naturalibus ad malum cogi, etiam si ex naturæ deprauatione ad hoc maiorem habet propensionem, quam ad bonum. *Iac. Carp. in Alc. par. poster. dig. 12.*

Libertatem amittat quicunque omnino non, aut non iustè coluerit eos qui libertate donauerunt. Cultus autem hic est, vt libertate donatus ter in mense veniat ad domum eius, qui ipsum manumisit, & promittat se facturum quod iustum est & quod præstare potest, & nuptijs simul faciat quicquid visum fuerit ei, qui ipsius dominus fuit: & vt non liceat ei magis ditescere eo, qui manumisit, sed quod plus habuerit domini sit, & vt non pluribus quam viginti annis manumissus in ciuitate maneat, sed velut etiam alij externi acceptis opibus suis omnibus abeat, si non magistratibus, & ei qui manumisit ipsum persuaserit. *Plat. de leg. dial. 11.*

Liberti aut externi opes, si magnitudine tertium censum excesserint, trigesimo die ab eo, quo hoc deprehensum fuerit, acceptis quæ sua sunt abeat, & nulla amplius, huic manendi facultas à magistratibus concedatur. at si quis his non parens ad magistratum pertractus condemnatus fuerit, morte plectatur, & bona eius publica fiant, iudicia horum inter tribuum iudices fiant, si non prius inter vicinos, aut electos iudices inter se reconciliati fuerint. *Plat. de leg. dial. 11.*

Libidinis motiones non fiunt in anima, sed ex ipsa fiunt. *Plot. En. 3. lib. 6 cap. 4.* Libidinis locus sit circa membra ad hoc munus conducentia. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 28.* Libido est lea viro insipienti, sapienti Deus. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.*

Libido procliuitatem habet in corpore, & quandoque ex ipso corpore seminibus quasi turgida suscitatur, quandoque ex primo aspectu corpore incitato imaginationemque mouente, vel etiam rationem: aliquando verò ex imaginatione, vel etiam ratione oblectamentum excogitante, corpusque mouente *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 28.* Libido est appetitus vehemens contra rationem excitatus. *Franc. Patr. de de reg. lib. 4. cap. 8.*

Libram appellant, quia Sol ibi noctes diebus adæquat. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 3.*

Liber est discipulus carens anima, discipulus est liber viuens. *Fic. epist. lib. 8.* Libri liberis chariores sunt parentibus, quanto mentis filij sunt præstantiores quàm corporis. *idem, epist. lib. 7.* Libri etiam boni scelestorum hominum, vt memoria eorum auferatur, sunt tollenti, Græcorum lege *idem, in Plat. Craty.* Libri de republica magis Pythagorici & Socratici sunt, de legibus Platonici. *idem, in Plat. de legibus, dial. 1.*

Licentia vbi est, ibi nimirum quisque propriam vitæ suæ formam constituit, prout cuique placuerit. *Plat. de rep. dial. 8.* Licentia mater impudentiæ *Plat. de leg. dial. 3.* Licentia est propria vitæ affectio in possessione, & vsu rarum minime parca. *Speusip. de definitio. Plat.* Licentia est legis concessio. *idem, ibid.*

Lienis spongiosa natura crassum sugens sanguinem, purgat iecur, & ita confert ad vaticinium & lætitiam. vt & renes aridi pinguedinem sugentes, intimum spiritum reddunt sincerum intelligentiæ aptum. *Ficin. in Plat. Timaeum, cap. 69.*

Lien ad se trahit quicquid abundè crassum & terrenum ex ciborum natura in nutrimento fertur, nec commodè à naturali calore alteratur. *Iacob. Carpent. in Alcin. 3. cap. 16.*

Linea.

Lineæ quæ æquilaterum: & longum numerum quadrangulant, longitudinem esse definimus, quæ vero ex altera parte longum, facultates. *Plat. in Theaeteto.* Linea recta est quantitas quædam cum differentia simul: nec propter hoc composita est linea ex rectitudine & linea. *Plot. En. 6. lib. 3 cap. 14.*

Linea sine latitudine prolixitas est, quę in puncta definit. *Chalcidius in Tim. Plato.*

Linea respectu superficiei rationem habet principij. *Proc. in Eucl. lib. 2. cap. 11.* Lineæ sensum habuerimus, si diuisiones locorum lucidorum ab obumbratis inspexerimus. *idem, ibid.*

Linea geometria tripliciter vtitur, vt vtrinque terminata, & vt partim infinita partim infinita, & vt ex vtraque parte infinita. *ibid.* Lineæ Helicis partes similes quidem sunt, non autem simplicis, sed ex simplicibus compositæ. *ibid.*

Linea recta infinitatis, circularis finis rationem videtur habere. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 18.* Linea perpendicularis est nota immaculatæ potentiæ, & indeclinabilis, & diuinæ intelligibilisque mensuræ signum. *idem, ibid.* Lineas parallelas non ipsum facit non concidere, sed quod in infinitum progrediantur non incidentes *idem, ibid.*

Linearum conoidum inuentor fuit Nicomides. *Proc. in Eucl. lib. 3. cap. 13.* Linea non fit ex punctis, quia punctum, puncto additum non auget longitudinem. *Fic. Plat. Theol. lib. 8. cap. 4.* Linea est longitudo latitudine & profunditate carens. *idem, in Plat. com. n. 5. c. 6.* Lineæ & si rectę sint, aque curuæ videtur, cum procul nauigijs alligatis eos, & mersos mari spectamus. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam. van. d. et. gent. lib. 1 cap 12.*

Linguæ venæ ad cor extenduntur veluti probatrices. *Plat. in Tim.* Linguæ propriæ sunt affectiones, quæ ex humoribus proueniunt. *idem, ibid.* Lingua abutitur, qui ad malum vtitur. *Fic. epist. lib. 1.* Linguæ humor vi actum gustandi adimit, non virtutem, (quod patet in eo qui iam purgatos gustandi recipit actum) ita corpus actionem intellectus circa incorporalia interturbat, sed potentiam non disperdit. *ibid. lib. 5.* Lingua habet meatus in præcordia patentes, vt pars saporum suauium subtilissima subitò maxime vitalem cordis spiritum recreare possit. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap. 60.*

Linguæ & penis maxima est similitudo. *Leo. Heb. de am. dial. 2.*

Lites vbi multæ, & iniuriæ multæ vbi sunt, ciues inter se non sunt amici. *Plat. de leg. dial. 5.* Lis litem generat. *Ant. Nat. de pulchra, lib. 4.*

Lisander Rex Aphutim vrbem obsiderat. & in somno iussus ab Ammone, soluit obsidionem. *Iambl. de myst.*

Litera.

Literas antiqui mutarunt, vt loco ι, aut ε aut η loco δ, ζ dicant tanquam magnificentiora: nam diem ἱμέραν dicebant, one autem alij ἑμέραν alij ἡμέραν appellāt. *Pla. in Craty.* Literam ρ existimasse qui nomina imposuit esse pulchrum motus instrumentum ad lationis assimulationem. & passim vtitur ad illam exprimendam vt in voce, ῥεῖν & ῥοῦ, per hanc literam imitatur lationem, deinde voce τρόμος idest tremore & similia; & in proferendo ρ lingua maxime concutitur. *idem, ibid.*

Litera ρ omnis motus velut organum esse videtur. *ibid.*

Litera ι ad omnia tenuis, maximè per omnia transire potest: quare verba ἰέναι & ἵεσθαι, idest ire, & progredi per ι exprimit, *Plat. in Craty.* Literæ φ, ψ, σ, ζ, eo quòd flatuosæ sunt omnia huiusmodi imitatus est per ipsas hæc nominare, velut ψυχρὸν idest frigidum, & ζέον feruens, & σείεσθαι concuti & omnino, & σεισμὸς idest cōcursio, & alibi alicubi fructuositatem imitari vult qui nomina imposuit, ibi vbique tales literas ferme inducet. *idem, ibid.*

Litera δ, & τ compressionis, & innixus linguæ, facultatem ad δεσμοῦ idest vinculi, & στάσεως idest stationis, imitationem, vtilem duasse inuentor apparet. *Plat. in Craty.* Litera λ quia maxime labat lingua in ipsa λ proferenda, hoc istius similator ille per hoc nominauit λεῖα idest læuia, & verbum ὀλισθάνειν labascere, & λιπαρὸν idest pingue, & κολλῶδες glutinosum. *idem. ibid.* Litera γ labanti linguæ succurrit, vt γλίσχρον idest viscosum expressit, & γλυκὺ idest dulce. *ibid.*

Litere ν cùm sonum intrinsecus hærere sentiret vocem ἔνδον intro, & ἐντὸς intus per ipsam nominauit. *Plat. in Craty.* Literæ α & η magnæ sunt, idẽo μέγα idest magno, & μῆκος idest longitudini attribuit *idem, ibidem.*

Litera ο rotunditatē significat, vnde vsus est in voce γογγύλον. *ibidem.*

Litera-

Literarum elementa præcognoscere debet necessariò, qui syllabam cogniturus est. *Plato in Theateto.* Literarum elementorum genus longè euidentiorem & præstantiorem cognitionem habere dicimus quam syllabam ad vnamquanque disciplinam perfectè percipiendam. *idem, ibid.* Literæ obliuionem inducunt ob memoriæ exercēdi neglectionem, non enim in seipsis recordantur ob fidem quam in scriptis habent. *in Phedro.* Literæ quædam simul copulantur, quædam non, sed medio vocalium copulantur. *in Sophista.*

Literæ à Theut inuentæ sunt non memoriæ, sed reminiscentiæ causa, sed obliuionem afferunt. *Bessar. Card. in calumniatorem Plat. lib. 1. cap. 2.* Literæ hirci adipe inscriptæ lapidi prorsus occultæ, si lapis immergatur aceto, prodeunt & sculptæ eminentes extant. *Fic. de vit. calit. compar. lib. 3. cap. 18.*

Literarum studia homines intermittere solent, cum primum attingunt publica negotia, tum quia negotiosa vita literarum in primis otium aufert, vacuæ mentis opus, tum quò propius ad Iouem accedimus gubernationis & imperij dominum, eò longius discedimus a Mercurio literarum principe. *Fic. epist. lib. 8.*

Literarum vsus sempiternus fuit, vt Plato ostendit lib. 7 & Plat. in principio Timæi & 3. legum, sed certi literarum modi à varijs sunt inuenti. Zoroaster, & sacerdotes sui, propriam seorsum à vulgo habent literaturam in signorum syderumque cœlestium characteribus literas instituit. Mercurius eius exemplo sacerdotibus, suis in animalium & plantarum figuris dedit literas, ne vulgus Theologiæ esset conscium. *Fic. in Pla. Plot. lib. 1. cap. 29.* Literas in Græciam è Phenicia transtulit Cadmus, è Græcia in latium Pelasgi. *idem, ibid.*

Literæ inscriptæ in charta succo cæpe non videntur, nisi charta calefiat. *Ficin. Prs. Theo. de phant. & intel. cap. 4.* Literarum characteres in animalium & arborum figuris instituit Mercurius Trismegistus. *idem in arg. Mercurij Trismegisti.*

Literæ humanæ ad perfectiorem sacrarum literarum eruditionem notitiam conducunt, quamquam non necessariæ, vtiles tamē & opportunæ quoquomodo sunt, nam etsi sine literis multi earum cognitionem adepti sunt, tamen cum pauci ad id perfectionis culmen ascendant, & versandæ sint sacræ literæ nocturna & diurna manu, vocandæ sunt humanæ in famulatum, vt veluti ancillæ dominæ deseruiant, non imperent. *I. Fran. Pic. Mir. de st. diu. phil. lib. 1. cap. 2.*

Literæ sacræ omnem doctrinam gentium etiam ipsarum testimonio superant, quod etiam Platonici confessi sunt, qui semper Hebræam disciplinam imitati sunt. *Ioan. Fran. Pic. Mir. de st. diu. phil. lib. 1. cap. 2.*

Literarum notitiam homo potest trifariam dirigere in Deum, in proximum, in seipsum. in se autem trifariam aut ad bona animi permanentia, vt sciat tantum, aut apparentia vt gloriam captet, aut ad externa, vt pecunias, & diuitias congreget. & omnes falluntur præter eos, qui in Deum scientiam suam ordinant. *idem, ibid. c. p. 4.*

Literæ in Græcia non è Phœnicia vel Aegypto, sed ex Hebræis allatæ fuere *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 2. cap. 37.* Literas alicuius viri inuentum opinor, nec assentior Platoni, qui eas æternas opinatur & alij Mercurium, alij cadmum, alij alios fuisse inuentores asserunt. *Franc. Patric. in rep. lib. 2. cap. 1.*

Literæ vel ab antiquis receptæ non erant vbique siue quod consuetudo per literas ad posteros res mandandi non erat visitata, ad scribendum tardi, & segnes fuere. *Aug. Steuc. de peren. phil. lib. 1. cap. 1.* Literarum sacrarum sola sapientia incorrupta & inuiolabilis est *id. ... lib. 8. c. p. 10.*

Locus.

Loci omnes vbi non ingens frigus, aut æstus arcet, modo amplius, modo paucius, humanum genus semper est, & in Aegypto in templis scripta quæcunque vbique terrarum aut pulchra, aut magna facta sunt, aut alio modo insignia seruantur, at apud alias gentes solum recentia seruantur & quibus ciuitas opus habet; & venit velut morbus cœlestis fluxus omnia abripiens, & vos sine literis, & musis relinquit, ideo semper iuuenes estis, quia nescitis quæ priscis temporibus nec apud eos, nec apud alios facta sunt. *Plat. in Timæo.*

Locus vim habet ad præstantissimos, ac sapientissimos homines producendum. *Pla. in Tim.* Locum quendam omne quod est occupare debet: & quod nec in cœlo, nec in terra est, nihil est. *idem, ibid.* Locum mutat quodcunque magnitudinem mutat. *ibid.*

Locos duos contrarios natura esse, qui in duas partes vniuersum diuiserunt, alterum inferne, ad quem omnia feruntur, quæ aliquam molem corporis habent, & alterum superne, ad quem inuitè omnia peruenirent, qui asserunt, non rectè dicunt cum enim vniuersum cœlum ad pilæ speciem rotundum sit, quæcunque æqualiter à medio facta sunt extrema, ea similiter extrema ex natura esse oportet, medium verò ijsdem mensuris distans ab extremis, ex aduerso omnium esse putare oportet. mundo itaque sic se habente, si quis ex relatis aliquid sursum, aut deorsum ponit, nonne meritò videbitur nomen minimè conueniens proferre? medius enim in ipso locus, neque infernè, neque supernè esse rectè dicitur sed in medio; qui verò circum circa est, neque medius est, neque partem aliquam ab alia differentem magis habet, quod ad medium, aut quid ex his, quæ ex aduerso sunt attinet et verò qui vndique similiter se habet, qualia, & quomodo nomina ipsi contraria attribuere quis possit, vt rectè dicere se putet? nam si etiam solidum quiddam iuxta medium vniuersi æquilibre esset, ad nullum vnquam extremorum deferretur propter similitudinem ipsorum, quam vndique habens, sed & si quis circum ipsum obambularet, vt sæpe ob versis pedibus consistat, tamen eandem ipsius partem & inferne & superne diceret, totum enim quod, vt nunc dictum est, instar pilæ rotundum est, locum aliquem inferne aut superne habere dicere non est sapientis. *Plat. in Timæo.*

Loci alij alijs sunt præstantiores, & ad meliores, & deteriores homines producendos, quidam propter ventos varios, & ob æstus, aliena & incommodi sunt, quidam propter aquas, quidam propter alimentum ex terra, quod non solum corporibus meliora & deteriora infert, sed etiam animis omnia eiusmodi non minus inducere potest, inter hos omnes maxime præstiterint loci regionis, in quibus diuina quædam inspiratio, & dæmonum sortes fuerint, qui habitantes semper placide suscipiunt, & vice versa. *Plat. de leg. dial. 5.*

Locus est incorporeum. *Mer. Trismeg. Pimand. cap. 2.* Locus est corpus immobile. *idem ibid. c. p. 11.* Locus nisi esset, naturalia omnia esse non potuissent *Eusd. Ascl. pim. cap. 7.*

Locus solus quid sit dignosci non potest, nisi ei longitudines latitudines, profunditates, & corporibus signa adiuderis. *idem, cap. 19.*

Locus si non esset, reliqua esse non possent, quomodo enim sustinerentur? nam nec qualitas, nec quantitas, nec positio, nec effectus dignosci potuisset earum rerum, quæ nusquam sunt. *Apul. Ascl. p.* Locus ex eo cuius est quid sit apparet, principali enim nomine dempto significatio mutilatur, quare terræ locus ignis locus dicetur. *idem, ibid.*

Locus materia & corporibus posterior est, qua propter materia prius corpora indigent. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 12.* Locus qui principaliter locus dici solet, incorporeum quiddam est, non corpus. *idem En. 4. libr. 3. cap. 20.* Locus est terminus continentis *En. 6. lib. 3. c. 5.* Locus & tempus non comparantur in quantitate, sed in habitudine, tempus quia ad motum habet relationem, locus ad corpus. *En. 6. lib. 3. cap. 15.*

Locus ab eo quod in loco est, aliud est. *Pro Lelem. Theol. prop. 41.*

Locus primus est, qui neque maior est corpore locato, neque minor *idem, elem. Phil.* Loco quod mouetur omne, totum in ipso nunc fit per primum locum. *ibid. prop 30.* Locus vt vnicuique corpori ab ipsa natura proprie destinatus est, sic temporis partes aliæ alijs conueniunt actionibus, quod tempus est cuiuslibet operis opportunitas *in Alcibiad. 1.*

Locus tripliciter intelligitur, primò spatium quod impletur corpore, secundo sermo ille dei, quem Deus ipse totum expleuit incorporeis potentijs, tertio ipse Deus vocatur locus, quia omnia continet, & à nullo continetur, & omnibus ad eum refugium pateat. *Phil. de somnijs.*

Locus habitationis plurimum refert ad vitam, quod declarat pomum persicum in persia venenosum in Aegypto cordis amicum, & helleborus in Anticyra impune sumptus, alibi venenum *Fic. de vita producenda. lib. 2. cap. 7.* Localis motus in mentibus puris est, cum fit circuitus ad seipsas, & ad causam, forte quoque rectum motum agunt, quatenus per aliam speciem aliam intuentur. *idem in Plat. Parm. cap. 63.*

Locus ille diuinus est, qui præstantioribus subest influxibus, atque numinibus. *Plat. in Phæd. cap. 7.* Localis motus qui omni forma deterior est, atque ad externa pertinet, quis asseret suapte natura calorem generare? *Fic. in Plat. En. 2. lib. 2. cap. 6.* Locales motus videntur inter se differre, vel per terminos oppositos, quos petunt, vt ascensus & descensus, vel per figuram processionis, vt rectus, & circularis. *idem, in Pla. En. 6. lib. 3. cap. 24.*

Locos quinque Sceptici iuniores inuenerunt ad delenda dogmata philosophorum, primus à dissensione auctorum stabilitur, secundus quod claritas probationis in infinitum excurrit, tertius relatione communitur, quartus suppositio, quintus promiscuus vel alternus *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 2. cap. 30.*

Locos duos inuenere Sceptici ad assensum cohibendum, vnum quod comprehensum est, vel ex ipso comprehendi videtur, vel ex alio comprehenditur, omnibus io modis dubitatione inuehunt. *idem, ibid. cap. 31*

Locos octo ad contradicendum inuenit Aenesidemus primo quod eorum causæ genus, & ratio dubijs in rebus, & ambiguis versaretur, nec vllam haberent confessionem testem ex his, quæ liquido extra controuersiam pro claris recipiuntur, secundo quod adest abundans quædam facultas reddendæ causæ & multa occurrunt animo quibus inclinatur, vt multis modis rei quæsitæ ratio queat afferri, ex quibus vnum tantum modum sequatur. tertius in eos qui reddere causas volunt eorum quæ ordine fiunt, nullo ordine factus claro & aperto. quartus quo plerique quæ videntur & comperta sunt capientes vt fiunt; etiam existimant quæ non videntur, & incomperta sunt, vt fiunt comprehendisse: forte autem simili modo ijs quæ videntur fiunt quæ non videntur, forte dissimili, & proprio, & particulari. quintus, quia omnes vel plurimi reddere conantur causas secundum proprias elementorum suppositiones. sextus in eos, qui quæ cumulo & abundantior offeruntur propositæ materiæ commuonicunde occersunt. quæ vero contra succurrunt æqualis etiam roboris, prætermittunt. septimus in eos, qui causas reddunt proprijs argumentis repugnantes. octauus in eos, qui cum multa similiter ambigua sint, ijs vtuntur ad probanda similiter ambigua. *Io. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 2. cap. 35.*

Locus esse vltimam superficiem corporis ambientis, aduersus impugnatur, cum omni corpus alicubi collocetur, nullibi vero corpus extimum, quo cætera concluduntur ambiunturque, collocari possit omnino. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 6. cap. 4.*

Logica prius pueris instituenda est, cum nunc regulis instituta sit, quod non erat tempore Pla *Auer. in rep. Plat. tra. 1.*

Logicam consulere solitum Socratem, in dictis Socratis ait Xenophon, ita discendam, vt magnum eius studium multumque operis improbaret. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in exa. van. doct. gen. lib. 3. cap. 10.*

Logica est facultas, quæ de proprietatibus agit nominum & verborum, de horum compositione, quæ ratio est, de orationis varijs speciebus, de orationum cum orationibus compositione, ex qua argumentationes conficiuntur, ac postremo de varijs argumentationum generibus: hæc circa sermonem versatur, nec propria scientia est, sed scientiarum omnium instrumentum. *Fic. in Plat. Phil. lib. 1. cap. 25.* Logica apud Platonem significat artem, regulas nominum, orationum, argumentationumque disponentem. *idem, in Pla. Euthydemum.*

Logon, quod Græci nominant, Marsilius nominat proportionem: quod ipsi analogiam, ille proportionalitatem appellat. *Fic. in Plat. Tim. ca. 29.*

Loquacitas est resolutio loquendi sine ratione intemperantia? *Speusip. in Plat. definitio.* Loqui bene multorum est, agere bene paucorum, ideo magis attendendum est quid egerit quisque quam quid dixerit. *Fic. in ep. li. lib. 8.* Loquens vnusquisque vel affirmat, vel negat, qui affirmat, multa ligat in vnum, qui negat, ab vno separat aliud, & in multa procedit ex vno. *idem, in Plat. phi. lib. 1. cap. 23.*

Lotio laxat corpus, & partes eius constrictas aperit. *Seb. Fox. in Plat. Phadone.*

Lotus implicat in se folia ante solis exortum, oriente sole explicat paulatim, & quatenus sol ad medium cæli plagam vergit, eatenus pandit folia, quatenus a medio petit occasum, gradatim folia contrahit: & sic contractione et dilatatione foliorum Solem honorare videtur vt homines genuum flexu & labiorum motu. *Procl. de sacrificio mag.*

Lucidum omne a summo lucido Sole efficitur, & seruatur. *Fi. epist. lib. 2.*

L. Apuleius librum de mundo fecit, sequutus Aristotelem & Theophrastum. *Apul. de mundo.*

Lucretio si leporem poeticum detraxeris nihil fere boni reliqueris. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 7. cap. 21.*

Lucrari est vtilitatem capere. *Plat. in Hipparcho.* Lucri studiosus est sciens pretij eius rei, vnde lucrari cupit. *idem, ibid.* Lucrum bonum est. *ibid.* Lucra omnia & parua, & magna, bona sunt. *ibid.* Lucro adesse oportet precium & æstimatio. *ibid.*

Lucris tactis & concessis a lege qui se abstinet, hic semetipsum vltro subigit, & consuescit abhorrere ab iniusto omni, & improbo captura. *Plutarch. de vrbe Thebis, & Socratis dæmone.*

Lucri opinio falsa vituperanda est, quæ cum quod reuera vtile est, & lucrum, ignorat, appetitum naturæ ad aduersa retorquet. *Mar. Fic. in Hipparchum.* Lucrum est boni vtilis acquisitio, quod ad venerandi boni consecutionem conducere potest, & quod ad hoc non confert, nec ipsum vtile est, nec eius adeptio lucrum. *idem, ibidem.* Lucrator melior est qui volens cadit, quam qui inuitus. *Plat. de mendacio*

Luctus est animi ægritudo ex eius acerbo interitu concepta, qui nobis charus fuerit. *Fran. Patri. de reg. lib. 5. cap. 17.* Luctus in legibus duodecim tabularum prohibitus erat & mulieribus, & viris, eiulatus, & fletus funebris. *idem, ibid.* Luctu carere debet interitus eorum, quorum vita clarissima fuit, & mors splendida. *ibid.* Lugendo & merendo nil aliud assequimur, nisi vt leuiores esse videamur, & corporis habitu indecori. *ibid.*

Ludus.

Ludus aliquando studij requies est. *Plat. in Phileb.* Ludos pueri qui mutant, viri facti assueti nouationibus, aliam vitam quærunt, ea quæsita, alias leges cupiunt. ideo pueris persuadendum est non cupere alias imitationes in saltationibus, & melodijs, nec quis hoc ipsis persuadeat, qui varias voluptates adducat. *idem, de leg. dial. 7.*

Ludorum genus ab omnibus ciuitatibus ignoratur, & maximam vim habeat ad ferendas leges, & vt latæ stabiles sint, aut contra. nam si constitutum sit hoc ipsum, vt eadem secundum eadem, & similiter semper ijdem homines laudant, & ijsdem ludis se oblectent, etiam ea quæ serio legibus lata sunt quieta manere sinit: si vero eadem ludorum genera mutentur, & moueantur, & alias mutationes semper suscipiant, & iuuenes nunquam eadem sibi grata dicunt, sed semper noua curent, hac maiorem cladem ciuitati non contingere rectissime dixerimus. *Plat. de leg. dial. 7.*

Ludi bellici in ciuitate, & per totam regionem fiant veris similes, qui non omnino sine timore fiant, sed pauores inducant, & aliquo modo & magnanimum & ignauum declarent, & honores & ignominias recte distribuens totam ciuitatem per omnem vitam ad verum certamen vtilem præparet. & si aliquis moriatur velut inuoluntaria cæde perpetrata, sanciat eum, qui occidit secundum legem expiatum puras manus habere. *Plato. de leg. dial. 8.*

Ludi in pecunia, & ex aleis, prohibeantur omnes. *Franc. Patri. de reg. lib. 8. cap. 10.*

Luminis diuisio.

Lumina quinque ponunt Platonici, primum superintelligibile, secundum intelligibile, tertium cogitabile, quartum imaginabile, quintum visibile. & visibile, cuius fons est Sol, pendere putant ab imaginabili, quod animæ mundanæ imaginatio excellentius isto apud seipsum imaginatur. imaginabile quoque a lumine cogitabili quod eiusdem animæ ratio præstantius excellenter excogitat, cogitabile emicat ab intelligibili per formam quæ est in angelis, intelligibile a superintelligibili quod est ipsius boni. *Fic. in Dion. Areop. de dia. nom.*

Lumen triplex, visibile, intellectus, & supervisum, & diuinum super intellectum, ideo Plato in tribus gradibus mentionem de hoc facit, scilicet in cauerna, in nocte, in die, & sic de aqua, quæ omnis lauat & repræsentat. *Fic. in Plat. de rep. dia. 7.* Luminum spiritualium quatuor sunt principalia genera, intellectus, fidei, prophetiæ, gloriæ. *Io. Fran. Pic. Mir. de præ. lib. 2. cap. 3.*

Luminis ad speculum tanta est amicitia, vt in hoc ipso lumina radij visuales, radiales imagines non frangantur quidem, sed ita protinus inualescant vt hinc statim multiplicatum lumen oppositum illuminet parietem, ac radius visualis non solum videat speculum, sed etiam illinc valide replicatus, quasi rursus ex oculo prodiens, quæ e conspectu speculi sunt attingat, atque circumspiciat. & radialis imago rei obiectæ speculo hucusque prouecta radijs implicata hic iam in formam pristinam explicetur atque cernatur. *Fic. in Plat. Tim. cap. 30.*

Lumen quid est, in quo, sit & vt fit.

Lumen ex ipso bono est, & bonitatis imago, ideo ipsum bonum luminis cognomento laudatur tanquam in imagine quadam exemplar expressum. *Dion. Areop. de diu. nom.* Lumen non aliunde tenebras, quam ex propria claritate cognoscens. *idem, ibid.*

Lumen est actus corporis luminosi *Plot. En. 4. lib. 5. cap. 6.* Lumen non est ueris ipsius primo, nec qua ratione est uer, sed vnius cuiusque corporis ignei, atque splendidi; & cum sit qualitas, & omnis qualitas in subiecto est, sed non est ita accidens vt sit prorsus in alio, vel alterius passio quædam, ita vt oporteat esse quod patiatur, alioquin oporteret discedente eo, quod illuminat, lumen in re illuminatum manere, sed est actus ex subiecto quodam emicans, non tamen transiens in subiectum. *idem, ibid.*

Lumen quamuis sit corporis actus, incorporeum tamen est. *Plot.*

Plot. En 4. lib. 5. cap. 7. Lumen est actus alter in luminoso, & quasi vita plurima corporis luminosi ac velut principium, & fons agendi, est & actus alter vltra terminos corporis luminosi, qui est interioris imago, & secundus actus à primo minime distitutus. *idem, ibid.*

Lumen est actus quidam lucidi corporis ad externa procedẽs, & ipsum lumen talibus corporibus insitum, quæ primo talia sunt, est essentia secundum speciem corporis primo lucidi *ibid.*

Lumen vbicunque sit, est actus diaphani, in corpore luminoso est actus tanquam forma, & qualitas eius propria, in diaphano non luminoso naturaliter lumen intromittitur, non tanquam huius forma, vel passio vera, sed quasi passio. *Prs. in Theo. cap. 18.*

Lumen non est corpus, nec vt Peripatetici vna corporis alicuius qualitas, vel passio, sed quomodo dicitur actus diaphani, non vt passio quædam, nec vt perfectio eius in eo, vt subiecto facta tanquam, separabiliter ipsum perficiens, nec luminosus hic actus aliquando fit diaphani, sed efficit potius, vt diaphanum sit ipsius permanens, ipse interim illuminanti continuus, atque cum illo vndique circunductus. *Pri. in Theop. cap. 19.*

Lumen est species ignea, non tanquam corpus igneum, sed tanquam species quædam ab igne participata & ideo Pythagorici instrumentum visus æstimabant esse igneum, & solare, propter lumen. *Prs. in Theop. cap. 44.*

Lucis actus nil aliud est, quàm lucere, & tanto clarius rutilare quanto longius à crassis corporibus separatur. *I. v. Plat. Theol. lib. 6. cap. 2.*

Lumen, vt placet Orphicis & Heraclito, nil aliud est nisi visibilis anima, vnde per hoc omnia reuiuiscunt, anima vero est lux inuisibilis. *idem, ibid. lib. 8 cap. 13.*

Lumen est spiritalis quædam & subita, & latissima à corporibus naturæ eorum sini detrimento proprio emanatio, nitoris cuiusdam à Diaphanis idest transpicuis, coloris sub horum oppositis, quantitatis figuræ, motusque ab omnibus. *Fic. epist. lib. 2.*

Lumen est risus cæli, ex spirituum cælestium gaudio proficiscens. *idem, ibid.*

Lumen, quod cuncta videtur, est puræ efficacisque formæ spiritalis quædam amplificatio. *Fic. epist. lib. 2.* Lumen est quasi spiritale quoddam, & spiritus sunt lumina quædam. *idem, ibid.* Lumen est quasi numen quoddam in mundano hoc templo Dei similitudinem referens. *idem, ibid.*

Lumen est amplificatio quædam subita, & latissima absque detrimento sui, ob exuperantem bonitatem largitatemque suam cunctis sese libentissime, & felicissime largiens causa, conseruatio, & excitatio omnium quæ noscuntur, proinde ad vitam, veritatem, & lætitiam vnde descendit cætera subleuat, absque huius præsentia cuncta mori videntur, huius præsentia reuiuiscere. *Fic. epist. lib. 2.*

Lumen rebus à Deo factis est quidam diuinæ claritatis splendor & vt ita loquar, est Deus quasi seipsum finiens, & ad operum suorum capacitatem sese accommodans *Fic. epist. lib. 2.*

Lumen cuiusque rei, & veritas idem est. *idem, ibidem.*

Lumen est vestigium quoddam vitæ mundanæ, quasi proportione quadam seipsam oculis offerentis, vel quasi spiritus vitalis inter mundi animam, & corpus. *Fic. de sole, cap. 2.*

Lumine nil clarius, & cum nullus philosophus adhuc definiuerit quid sit, nihil ipso obscurius est, vt bonum notissimum omnium est pariter, & ignotissimum *idem, ibid.*

Lumen maximè præfert naturam boni primo, quia in genere sensibili purissimum & eminentissimum apparet; secundo facillime omnium, & amplissimè, momentoque dilatatur; tertio innoxium omnibus occurrit, & penetrat, lenissimum, & blandissimum; quarto calorem secum fert almum, omnia fouentem, & generantem, & mouentem; quinto, dum adest & cunctis inest, à nullo inficitur, & nulli miscetur. *Ficin. de sole cap. 2.*

Lumen est incorporeum, cui nec duritia resistit, nec spacium, estque actus naturæ cœlestis, estque forma primi corporis prima. *Ficin. de lumine, cap. 9.*

Lumen est solius illuminantis proprius, & naturalis actus, nec corporis illuminanti est qualitas *idem, ibid. cap. 21.*

Lumen est vinculum vniuersi. *ibid.*

Lumen est quasi numen quoddam in mundano hoc templo Dei similitudinem referens *ibid. cap. 26.*

Lumen intelligibile pulchritudo prima est, prima bonitatis imago; sensibile vero pulchritudo secunda boni. *Ficin. in Dionys. Areop. de diu. nom.*

Lumen oculis & cerebro inesse, animalia multa, quæ nocte vident, testimonio esse possunt, quorum in tenebris coruscant oculi, ac etiam si quis certo quodam modo oculi angulum digito presserit, ac contorserit, circulum quendam videtur intra se lucidum intueri. *idem, in Plato. conuiuium, or. 7. cap. 7.*

Lumen esse corpus putant Epicurei. *Fic. in Theophrastum, cap. 9.*

Lumen non est corpus, cum repente totum impleat orbem, & sine vlla offensione, aeris & aquæ corpus penetret, & sordibus immixtum non inficiatur, quæ corporum naturæ non conueniunt. *idem, in Plato. conuiuium or. 5. cap. 4.*

Lumen nec propriè corporeum est, sed inter corporea, & incorporea medium, & profecto propria cœli qualitas, cuius natura incorporeæ est quàm proxima, communicat quoque solem elementis perspicuis in hac perspicuitate cœlo similibus, perspicuis primo lumen, deinde calor opacis primo calor, deinde lumen, & corporibus opacis in quibus natura terrea dominatur non infunditur. *Fic. in Plato. de rep. dial. 7.*

Lumen dici potest quidem corporis luminosi, atque ita per primum colorem colores cæteri sentiuntur. *Fic. in Prisc. Theoph. cap. 20.*

Lumen est causa potentissima in agendo. *Idem, ibid.*

Luminis natura est, vt humiditates non superfluas & excrementitias, sed naturales & necessarias trahat, & augeat, illas verò defluere faciat & disperdat, ideo loti folia in se complicantur, cùm solaris luminis beneficio destituuntur, & aperiuntur sole exoriente, & eo magis explicantur, quo magis illa ad cœli summum euehitur. idem in lupino euenit. *Ioan. Fran. Pic. Mir. de præn. lib. 7. cap. 5.*

Lumen quod sit per se visibile probari solet ex colorata superficie, cuius pars illustretur, pars adumbrata maneat, quando in altera parte lumen & color perspiciuntur, in altera color duntaxat inspectatur. *Idem, in exam. vanita. doctr. gen. lib. 5. cap. 3.*

Lumen est ignis actus quidam non adurentis, sed lucentis, nec tractabilis siue tactilis, nisi per soliditatem, quæ terræ primo vel maximè inesset, cæteris verò, prout terra magis vel minus participant. *Iacob. Carp. in Alcinous cap. 20.*

Lumen ait Aristoteles est quasi color naturæ translucidæ, & vt ait, est color veluti flammula quædam fulgorque à singulis corporibus emanans partes habens visui ad cernendum accommodatas. *Iacob. Carpent. in Alcinoi digressionem. 7.*

Lumen vt diuinum & solis.

Lumen ad solem refertur, vt eius causa, cuius lumen nobis visum optimè videre facit, & ea quæ videntur videri. *Plato de Rep. dialo. 6.* Lumen instar columnæ maximè iridi simile, sed splendidius & purius, quod est cœli vinculum, omnem circumuolutionem continens, vt in triremibus succingula, ab extremitatibus autem extentum colum necessitatis, per quem omnes verti circumuolutiones, & eius fusum, & hamum esse, ex adamante, & verticulum mixtum ex hoc, & ex alijs generibus. *idem, ibid. dial. 10.*

Lumen accendit Deus in secundo ad terram circuitu quod nunc solem appellamus, vt in totum cœlum luceret, & animalia quibus hoc conueniret numero participarent disciplina ab eiusdem, & similis circumuolutione accepta. Nox igitur, & dies facta sunt, & propter hæc vnius & sapientissimi circuitus circumuolutio, & mensis, postquam luna circulum suum circum gressa solem apprehenderit. *Plato in Timæo.*

Lumen cœleste cœlesti lumine perspicitur supercœleste supercœlesti. *Fic. epist. lib. 2.* Lumen solis prout in sole manet inuisibile est, vt à sole effluit in colores, est visibile, prout influit oculo, eique naturale euadit, fit visiuum, quando inde refluit in solem, tunc videns efficitur. *Idem, ibid.* Lumine, & Deo nil clarius, & nil obscurius. *ibid.*

Lumen proprium est naturæ cœlesti, neque corporibus communicari, nisi quoad cœlestibus, idest diaphanis, & igneis, & in his conseruare cœlestem proprietatem. *Fic. de lumine, cap. 11.* Lumen omne à sola dependet. *idem, ibid. cap. 12.*

Luminis diuini circa corpora septem sunt effectus præcipui, penetrat, illustrat, accendit, excitat, amplificat, eleuat, format. *ibid.*

Lumen diuinum existimat Plato firmiter adesse vbique rerum omnium penetralibus, mente à sensibus segregata, atque instar figuræ rotundæ sphæricæ in se inflexa, & omnibus esse præsentem, & patrium, familiarem, ac proprium patrem quidem nascentibus, patriam denique reuertentibus. *Fic. in Plato. de repu. dial. 4.*

Lumen à Deo descendens non tanta claritate accipitur à mente natura sua obscura, quam à Deo tribuitur. *Fic. in Plat. conuiuium or. 5. cap. 12.* Lumen proprium est solis & corporis solaris. *idem, in Plotini En. 4. lib. 5. cap. 8.*

Lumen à cœlo in perspicua nostra diffusum, Solis imago debet appellari, quod ipsum est imaginum omnium communis, propriáque origo, nam imagines rerum sub ipsius fulgore resultant, éstque imago tam potens, vt appareat non solum quando à speculari corpore resilit, sed etiam quando à Sole prosilit, quod cæteris imaginibus non conuenit, omnes tamen incorporeæ sunt; nam per totum momento se fundunt, eodémque in puncto absque mutua confusione sunt multæ ergo incorporeum est & lumen, cuius id virtute perficitur, proinde momento Solis radium ferre secum actum lucis, & vim caloris ac per lucem referre diuinæ & angelicæ intelligentiæ claritatem, per calorem vtriusque voluntatis & charitatis affectum. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 7.*

Lumen visibile Phœnices dicebant esse diuinæ, angelicæque intelligentiæ actum quendam perennem, per solarem fenestram ad oculos emicantem, atque inde per materias passim perspicuas quasi conuenientes sibi diffusum. *Ficin. in Platon. de repub. dial. 7.*

Lumen distare propriè dicitur à coloribus, qui nec differentiæ nec species sunt illius, sed participationes quædam, & imagines atque ipsum talia reipsa supereminet. *Fic. in Prisc. Theophr. c. 38.*

Luminis omnis mundani principium est Sol. *idem, in Plat. Parmenidem, c. 48.*

Lumen procreat animus intellectualis Solis. *ibid.*

Lumen omne est cœlestis luminis imago. illud verò animæ cœlestis est actus. sicut verbum ab anima emittit, vt actus imaginationis extra porrectus, in quo tria sunt, aer, motus, & significatio: sic in luce intellectuali cœlestis animæ per omnia efficacissimus actus effunditur, in quo tria sunt, lumen, calor vis occulta, & aliquò peruenit, quò non calor, & è conuerso: vis autem in hoc actu occulta, quæ in eo potissimum est per omnia transit, facitque mirabilia non formaliter calefaciendo, vt palam illuminando, sed speciales inferendo virtutes. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 5. c. 6.*

Luminis fons est Sol, hic illuminat Lunam, Luna efficit aerē, aer omnia corpora quæ sub aere, & in aere viuunt. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 3. c. 10.*

Lumen omne cœleste beneficum est præcipuéque solare, nec nisi materiæ vitio rebus terrenis nocet. *idem, in Astro. lib. 6. c. 9.*

Lumen vt recipitur in diaphano, & à stellis.

Lumen non per diaphanum, sed in diaphano potius, & secundum seipsum nobis fit conspicuum ipsum quoque diaphanum fit lumine manifestum, & nec lumen absque diaphano, nec diaphanum absque lumine percipitur. & si lumen est color diaphani, certè hoc ipsum quod visibile dicitur, nihil præter colores erit. *Prisc. in Theophr. c. 29.*

Lumen omne stellarum à Sole, & in Solem mentium à Deo, & in Deum. *Fic. epist. lib. 1.* Lumen ita separabiliter adest diaphano, vt intellectualis anima corpori. *idem, in Priscianu Theophrast. cap. 19.* Lumen aiunt astra, vt omne corpus semper promit ex se foras non nihil, vt vaporem, vel virtutem. *idem, in Plot. En. 4. lib. 5. c. 7.*

Luminis virtus, & vt igni lumen.

Lumen ad colores se habere ait Aristoteles, vt sonus ad acutum & graue quod verum est si consideretur, quod colores absque lumine cerni non possunt, vt nec graue & acutum absque sono aliquis color vt rebus computari potest consono, non lumen. *Prisc. in Theoph. c. 38.*

Lumen ingens vt minora lumina prorsus extinguit, sic amor rerum omnium ardentissima cæteras omnes longè propulsat. *Fic. epist. lib. 10.* Lumine nihil aspectu pulchrius, nihil amabilius, nihil admirabilius est. *idem, ibid. lib. 12.* Lumina luminibus non confunduntur. *idem, de lumine, c. 11.*

Lumen in se purum & solum nullus oculus quantumlibet acer cernit, vt quod incorporeum est omnino, proportionémque oculorum superat vt diuinum. *Fic. de lumine, c. 22.* Lumen etsi est vbique die, nusquam tamen apparet, nisi vbi densum est aliquid atque resistens. *idem, ibid.* Lumen ignis forte coniectare licet esse sempiternum, est enim portio quædam cœlestis ignis cœlesti quodam impetu crassioribus inclusa corporibus. *ibid.*

Luminis summitas, vt est calor in speculo concauo, sic summitas essendi iam est vita, & viuendi sensus, sentiendi imaginatio, imaginandi ratio, rationis intelligentia, intelligentiæ gaudium, gaudij bonum. *Fic. in Plat. Phileb.*

Luminis proprium est omnia facere, atque demonstrare, idque triplex est, diuinum, intellectuale, & visibile. Diuinum Solis vtriusque Solem. intellectualem Solem angelicum; Solis mundani Solem, visibile esse Solem cœlestem, eiúsque fulgorem. quemadmodum verò fulgor à cœlesti Sole per omnia se diffundens est imago Solis, ac eius actus; ita & lux, quæ inest Soli, imago est, actúsque mentis angelicæ lumen deinde in angelo est diuini luminis actus & imago. & vt visibile lumen in natura perspicua solum recipitur, sic inuisibile in perspicaci natura. *Ficin. in Platon. de republica dial. 7.*

Lumen dimensioni propriæ non astringitur, non enim tempore peruenit, nec illuminat partem post partem. & amplum absque sui dissipatione implet, & vicissim in angustum sine vel sui, vel vasis contractione momento se colligit. *Fic. in Plat. de repub. dial. 7.*

Lumen, vt se habet ad tenebras & colores.

Lumine externo indigent tum visibile ipsum tanquam aliquid luminale, tum colores, ceu lumina quædam, quod eorum indicat susceptaculum. *Prisc. in Theophrast. cap. 14.* Lumen adeo familiare est rebus videndis, vt perficiat eas, & educat in actum; non enim lumen aufert alicui propria, sed perducit ad actum. *idem, ibid. c. 26*

Lumen oculis adesse affirmare possumus, inesse verò, & suscipi non, quoniam ab oculo ne momento quidem tenetur. *Fic. Platonica Theolog. lib. 11. c. 2.* Luminis priuatio non sunt tenebræ, sed lux minima, & opacissima. *idem, de lumine, cap. 9.* Lumen aliud est, & aliud est calor; nam plura fulgent, quæ non calent, & frigida sunt; & multa calida sunt, quæ fusca sunt, & ignis calor penetrat qua non penetrat lux. *ibidem, cap. 10.*

Luminale primum est oculus præcipuè radiosus in animalibus, quæ nocte vident, & alij oculi quamuis non tantum vident. secundum est calor factus, id est ex dominatu quodam luminis in corporibus natura compositis. tertium luminale est diaphanum, quod transpicuum appellare possumus. *Fic. in Theophr. c. 14.*

Luminosum primum est cœleste, secundum est igneum, tertium est compositum quod quasi fulget vt ignis. *idem, ibid.*

Luna.

Luna *ἀπὸ τοῦ* dicitur, quia Lumen à Sole habet, ideo vetusto dicitur. *Plato in Cratylo.* Luna octo & viginti diebus propè totius Zodiaci ambitum conficit, & bis Soli coniungitur in Geminis tantum. *Macrob. in somn. Scip. lib. 1.* Luna est consilium vitæ, & mortis. *idem, ibid.* Luna lumen proprium non habet, cæteræ stellæ suo lucent lumine, quia Luna Soli subiecta est. *ibid.*

Luna mensis terminum indicat, In eo spatio circulum suum currens, & Solem comprehendens. *Alr. cap. 14.* Lunæ sine beneficio nihil tentare tutum est. *Fic. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. c. 6.* Luna discurrente sub signo domino alicuius membri, ne tangat illud membrum ferro, igne, cucurbitulis, quia in illo membro auget humores, quorum affluentia & consolidationem prohibet, & aggrauat membri virtutem. *idem, ibid. c. 10.*

Luna generationis domina, nullum habet manifestum lumen nisi a Sole. *Fic. de Sole, c. 4.* Lunæ lumen nil aliud est, quam idem ipsum Solis lumen hinc inde Lunari speculo repercussum. *idem, ibid.* Lunæ locus in cuiusque hominis natiuitate declarat dominum genituræ, & conceptionis momentum; & Lunæ cum Sole coniunctio, vel oppositio ante hominis ortum facta, veritatem natiuitatis aperit, & fortunam. *ibid. c. 5.*

Luna in 28 diebus redit ad idem Zodiaci punctum, eiusdem ad Solem in 29 diebus. *Fic. in Plato. de republica, dial. 8. c. 3.* Luna cum Solis qualitate qualitatem suam rectà commiscens eligenda est, nam senariam Iouis temperantiam, & qualitatem agit, atque infirmitatem. primo si in centro Solis sit, quod quidem est breuissimū, secundo si in sextili, vel trino aspectu Solis sit, sic maximè Iouis conbibit qualitatem. *idem, ibid. c. 17.*

Lunæ radij quod non calefaciant ob tardiorem Lunæ motū, falsum est: nam si ponatur esse tardior, tamen tanto propinquior est, quàm Sol hominibus, vt debeant si non tantum aliquantulum tamen calefacere, si repercussione tantum proueniat calefactio. *Ficin. in Plat. Tim. c. 25.* Lunæ humor aqueus obedit. *idem, ibid. c. 30.* Lunam cæsæ materiales sequuntur. *ibid.*

Luna meritò proxima est elementis, generationis mater, proportionem cum his habens non mediocrem. *Ficin. in Plato. Tim. c. 20.* Lunam, Solem alium, & minorem vocat Plato. *idem, ibid.* Luna lumen gignit & auget, vt quo habet cum humore calorem. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3 c. 6.*

Luna quanto longius à stella est, tanto plus luminis sideris eius nobis communicatur, & tanto minus quanto minus distat, quod patet, vt cōiuncta Soli radios Solis ad nos nō transmittit. ideò errant qui dicunt lumen fortunatum, cum malis, cùm non aliud sit illis aggredi Lunam, quam illorum influxum

influxus per eius densitudinem e nobis intercipi. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib. 3. capit. 11.*

Luna plus è terra distat, quàm vt ad eam terræ vapores & halitos peruenire possint, qui nec sexdecim stadia putentur à physicis, sursum attulit oedum ad Lunam, Venerem, Mercurium ettollantur. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib. 10. cap. 13.* Luna cum inferiora permeat epicycli, velocius fertur, & sic sexta die ed quadreta signa pertingit, cite cum superiori tardius, & non prius quam octaua, vel nona, quadrangulari sir loce. *idem, ibid lib. 3. cap. 16.*

Lune vetere, ex Plinij & Varronit obseruerione elicitur, decrescente scilicet, frumenta metantur cedantur ligna, tondantur oues, & capilli, verres, iuuenci, bædi, Acieter emasculentur, noua supponantur oua, calcentur musta cum lune sub terre, seminaria cum supra est fiant, quorum omnium causa est multitudo, & paucitar luminis, *Ioan. Fran. Pic. Mir. de pranotione, lib. 3. cap. 6.* Lunæ culoc vt valde tenuis nunquam exiccat humefacit potius, sed diuci se, quo enim plus habet luminis plus humefacit. *idem, ibid.*

Luna in quarta puro nitore exoriens, fecenitatem designat, si rubicunda ventos, si nigra pluuias. *Io. Fran. Pic. Mir. de pranotione, lib. 3. cap. 6.* Luna io quieta obtusis cornibus pluuiam, erectis & infestis ventos minatur, quod de vaporum qualirate prouenit, & ea parte ventos significet, qua cornua protracta sunt. *idem, ibid.*

Lunam Anaximenes, & Parmenides, & alij ex solo igne conflacunt, Pythagoras petrosum corpus arbitratus est esse, Heraclitus terram caligine comprehensam: Anaxagoras & Democritus præterea quod firmamentum eem voluerunt esse igneum, in ipsa etiam & campos constituerunt, & mõtes, & valles, & Xenopheoes, vt est apud Ciceronem & e-ltos babitari dixit in Luna eamque esse terram multarum vrbium, & montium. idem Pythagorei nonnulli opinati sunt, eam esse instac eius terræ quem calcamus. sed animalibus, & arboribus quinquagies maioribus, quam ea quæ epud nos conspiciuntur. *Ioan. Francisc. Pic. Mirandul. in exam. vanit. doctrinæ gentium, lib. 1. cap. 12.*

Luna crescente bonæ humiditetes erescunt, decrescente malæ humiditater augescunt, non à luna, sed eb elementis prouenientes, quibus luna debili calore minus resistit. *Io. Franc. Pic. Mir. de pranotione lib. 5. cap. 4.*

Lunæ defectuum Assyrij primi inuectores fuere. *Fr. Patr. de rep. lib. 2. cap 1.*

Lunæ elteram medietetem à sole semper illuminari, elteram vero tenebcosam cemanere, eclipsi tantummodo excepta, clare patet. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Lunæ inferior pars est quæ ad rerram inclinet, superioc vero quæ ad solem conuersa est ab astcologis vocari consueuit. *idem, ibid.* Lunæ geminus amor, vnus in solem, vt fœminæ in marem, alter in mundum inferiorem atque tecrenum, vt maris in fœminam *ibid.*

Lunæ duos ad solem quadratos aspectus duabos animæ commutationibus persimiles esse. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Lunæ duo ed solem sextiles, duoque trini aspectus quatuor ipsius commutationibus accommodantur. *idem, ibid.* Luna eandem inter ad solem tenebrasque, quam anima ed intellectus & corpus proportionem obtinet. *ibid.*

Lunare corpus inter lucem solarem, tenebrasque terrestres medium locum obtinet. *Leo. Heb. de Am. dia. 3.* Lunaris variæ corpocis vicissitudines atque commutationer in solaribus radijs escipiendis sunt *idem, ibid.*

Lupum nisi quis prior viderit, mutum hominem reddit vt in prouerbio. *Plato de rep. dial. 1.*

Lupum auribus tenere, prouerbium in eum qui imperat. *Fran. Pat. in proœmio de regno.*

Lux.

Lux in elementis facile perspicitur oculis, in cœlo difficilius, in anima non videtur, sed rationalis animæ discursu cogitatur, in angelis nec videtur, nec cogitatur, sed intelligitur, in Deo non intelligitur, sed creditur potius, & amatur *Ficin. epist. lib. 2.* Lux inuisibilis à visibili in hoc potissimum differt quod visibilis extrinsecus veniens, prius illuminat quem calefaciat, inuisibilis contre intrinsecus agens quodammodo calefacit prius quam illuminet, ideo in illa è visu ed tactum, in hac quasi à tactu quodam in ipsum visum progredimur. *idem, ibid.*

Lux est color clarus, immo perspicui corporis, colorumque flos quidam vigorque quasi vnicolor, actu, virtute que omnicolor. *Fic. epist. lib. 2.* Lux in angelis est intelligentiæ certitudo à Deo manans, profusumque gaudium voluntatis. *idem, ibid.* Lux in Deo est immensa suæ bonitatis, & veritatis exuberantia *ibid.*

Lux in igne est vitalis vigor à cælestibus in sentientibus, excitatio ipsius spiritus, & sensus vigor. *Ficin. epist. lib. 2.* Lux in omnibus summatim est intimæ fœcunditatis effusio, vbique diuinæ veritatis bonitatisque imago. *Idem, ibid.* Lux in cœlestibus est copia vitæ ab angelis, virtutis explicatio à cœlo, risus cœli. *ibid.* Lux in mente est veritas, gaudensque gaudium verum, lumen à mente in corporibus est quædam veritatis rerum sensibilium declaratio, pulchritudinis flos, oblectatio sensus *ibid.*

Lux diuine quibus à Dei sole cum fortitudinis affectu in sui ortu fuit infusa, his masculam dicimus lucem fuisse concessem: quibus à Dei Luna cum affectu iustitiæ, promiscuam; quibus a Dei terra cum affectu temperantiæ, fœmineam. *Fic. in Plato. conuiuium or. 4. cap. 5.*

Lucem diuinam infusam homines statim ad naturalem reflexi neglexerunt, alteram scilicet ingenitam posthabita infusa seruerunt, & sic dimidium prætermiserunt, & dimidium retinuerunt. at certo tempore eb ingenite & naturali ducti diuinam affectamus, & diuerso modo ad illam procedimus, alij per fortitudinem, quibus à Deo fortitudinis affectus tributus est, & sic elij per iustitiam, & alij per temperantiam similiter sic & vnusquisque suum aliud dimidium quærir. *Fic. in Plato. conuiuium ora. 4. cap. 5.* Lux principium caloris colorumque, non est calor nec colores. *Idem, in Plot. En. 5. lib 2. cap. 1.*

Lucem vidit Deus quoniam bonum, cum nihil sit aliud natura formæ, quam primi boni imago tenuis, & vmbratilis similitudo. *Ioan. Picus Mirandul. in Heptaplum, lib. 1. cap. 2.* Lux diuina merito dicitur firmamentum. *idem, ibid. cap. 2.*

Lux consummatricem habet corporum virtutem, & vitale nonnibil pussidet, non quod ipsa aut viuat, aut vitam efferat; sed corpus vitæ cepas ad vitam maximè præparat, & disponit, nam lucem sequitur calor quidam non igneus, non aereus, sed cœlestis maximè salutaris, omnia penetrans, fouens, & moderans *idem, in Astrologiam lib. 3 cap. 4.*

Lux maior minorem offendit, quia ea est ignis nature, vt minorem ignem debiliter, vel quod obiectum excellens potentiam lædat, cui esse proportionatum deberet. *Seb. Fox. in 7 Plat. de rep.*

Lux magis propriè dicitur in sole, quàm lumen, in quo affectio est, vel proprietar essentiæ, in eo ipso cui inest per se aspectabilis, eademque luminis causa. lumen vero quasi lucis species, & repræsentatio. quæ in medio est, & in obiecto corpore colorato, vt ceusa, cuius vi per media, quæ interminata sint corpora, reipsa videre possumus colores, qui obiectis corporibus terminatis insunt, siue quo videri non potest. *Iacob. Carpent. in Alcinoi disgres. septima.*

Lux solis, & cæterorum astrorum haud accidens, sed spiritalis quædam forma potius existit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Lux diuina atque intelligibilis diuersa quadam ratione diuersis corporibus impertitur. *Idem, ibid.* Lux ea ratione diaphano assistit, qua intellectus, siue intelligens anima ipsi corpori. *ibid.* Lux intelligibilis verè proprieque lux appellatur. *ibid.*

Lux omnium pulchritudinum, quibus corpora insignita conspiciuntur, formosissime, & quasi earum princeps existit. *Leo. Heb. de Amore, dial 3.* Lux solaris nihil est aliud, nisi vmbra quædam lucis intelligibilis, vel splendor quidam intellectualis nobilissimo corpori communicatus. *Idem, ibid.*

Luce ex intelligibili cæteræ omnes luces corporibus infusæ proficiscuntur. *ibid.*

Lucem in diaphanum perspicuumque corpus, vt qualitatem in subiectum minimè cecipi. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Ex Luce, tanquam ex vberrimo fonte omnes visibiles pulchritudines emanare videntur. *Idem, ibid.* Lucis appellatio verius & conuenientius diuino intellectui, quam soli congruece cumpetereque videtur. *ibid.*

Lycaon samius author fuit gemini tetrachordij per cordas octo dispositi atque disiuncti. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 29.*

Lyncis lotium vertitur in lapidem, & congelatur tacto aere. *Io. Fr. Pic. Mir. in exa. van. doctr. gen. lib 2. cap 22.*

Lyrici in mysticis canticis, & numinum laudibus admirendi sunt, quorum præstentissimus fuit Pindarus. *Fr. Pat. de rep. lib. 2. cap 6.*

M

MAGIA ars est dijs Immortalibus accepta colendi eos, & venerandi, pregnata, pia & diuinisciens, nec vlli inter persas concessum est magum esse haud magis quàm regnare. *Apulo in Apologia prima.*

Magia 12. tabulis propter incredendas frugum illecebras interdicta fuit. *Idem, ibid.*

Magicus attractus fieri ex consensione quadam rerum in patientis,& lege quadam naturæ faciente, dicamus, vt inter similia concordia sit,inter dissimilia discordia:item virium multarum varietate in vnum animal conferentium etenim nullo alio machinante multa rito quodam magico extrahuntur, veráque vis magicæ est amicitia in vniuerso,& discordia. *Plot. En.4.lib.4.cap 4.*

Magia facultas quædam Græcis visa est potestatis plurimæ compos:tradunt enim eam esse extremam sacerdotij portionem, effert enim visa quædam sæpius in aspectum falsò diuinitatem aliquam præferétem. Hæc facultas perscrutatur vniuscuiusque sub luna rei genitæ naturam:& instructa est Magia plurimùm astronomicâ facultate,& plurima per ipsam peragit. *Mich. Psell. de dæmon.*

Magiæ duo sunt genera;aliud eorum qui certo quodam cultu dæmones sibi conciliant,quorum opera freti fabricant sæpe portenta, quod penitus explosum est, quando princeps huius mundi eiectus est foras:alterum eorum qui naturales materias opportunè causis subijciunt naturalibus mira quadam ratione formandas;cuius artificij duæ sunt species,altera curiosa, altera necessaria,illa superuacua ad ostentationem fingit prodigia; quæ vt vana explodenda est,secunda verò necessaria cum astrologia copulans meditionem. *Pic. in Apologia.*

Magi carminibus suis immortalitatem corporibus pollicentur,quam *Zoroastris* Magiam Plato nil aliud esse in Alcibiade fatetur,quàm diuinum cultum. *Pic. in Plat. Charm.*

Magiæ fascinatio nititur viribus naturalibus tam cœlestium, quàm inferiorum rerum scilicet,& verborum, attingit enim proximè spiritum nostrum,& per hunc humores,& etiam vitam irrationalem dependentem ab ipso mundo, animam verò rationalem, natura vtráque corporea mundi superiorem,& solùm à mente diuina pendentem,nequit attingere,nisi vt cum vita inferiore consentit. *Pic. in Plot. En. 4.lib.4.cap.43.*

Magia duplex:altera dæmonum opere & authoritate constat, res execranda & portétosa: altera nil aliud est quàm naturalis philosophiæ absoluta consummatio. *Ioan. Pic. Mir. in apolog.* Magus Persarum lingua idem sonat, quod apud nos diuinorum interpres & cultor. *idem, ibid.*

Magia,quæ est absolutissima philosophiæ consummatio,duos præcipue habuit authores,Zamolxidem,quem imitatus est Abbaris Hyperboreus,& Zoroastrem, non qui forte creditur, sed Oromasi filium:quam magiam Zoroastris Plato ait nil aliud esse, quàm diuinorum scientiam,qua Persarū reges erudiebantur, vt ad exemplar mundanæ reipublicæ suam ipsi regere rempublicam edocerentur: & Zamolxidis,ait Plato in Charmide, esse enim medicinam,per quā animo temperantia,vt corpori sanitas comparatur. Zamolxidis, & Zoroastris vestigiis persisterunt Charondas, Damigerun, Apollonim, Hostanes, Dardanus,& Homerus, Eudoxus, & Hermippus, & ferè omnes qui Pythagorica,& Platonica mysteria sunt perscrutati; ex iunioribus autem, qui eam olfecerunt fuere, Achindas Arabs,Rogerius Bacchonus,& Gulielmus Parisiensis,& tempestate nostra Antonim Cronicus. *Io. Pic. Mir. in apol.*

Magicæ naturalis mirabilia non sunt,nisi per vnionem & actuationem eorum, quæ seminaliter & separatè sunt in natura. *Io. Pic. Mir. in Apol.* Magia & de occulto & de manifesto pacto cum dæmone dependet,& ab vtroque fulcitur. *Io. Fra. Pic. Mir. de pra. lib.8 cap.1.*

Magiæ nomen persicum est:apud Persas auctore Porphyrio vocabantur diuinorum interpretes & cultores;apud alios qui elementis numen tribuerent: & apud alios qui præessent sacris,vt sacerdotes magi dicebantur,& alij aiunt Persas suos sapientes hoc nomine intelligi voluisse. *Io. Fra. Pic. Mir. prænot. lib.7.cap.1.*

Magia triplex:vna Persarum peculiaris & in Perside nata,quę habuit Oromasum authorem, & Zoroastrem Oromasi filium, quam postea Threicius Zamolxis excoluit:secunda, quam incantatores venefici necromantes profitentur: tertia quam naturalem vocauerunt. Qualis fuerit persica,monumentis non constat. *Io. Fra. Pic. Mir. de pra. lib.9.cap.2.*

Magia,quæ naturæ limites non excedit:non est dannanda. *idē. ibid.*

Magicā Romani semper damnarunt. *ibidem. cap.4.*

Magistratus.

Magistratuum temperantiā præditorum mores valde quidem religiosi,& iusti, & salutares sunt,verùm acrimonia quadā, & rigore vegeto, ac efficaci opus habent. At fortitudine præditi ad iustitiam, & religionem illis inferiores sunt,at in rebus agendis insigniter antecellunt: & si ambo hæc non adsint in ciuitatibus,priuatim, & publicè fieri rectè non potest, *Plat. de reg.* Magistratum gerere est hominum qui hominibus vtuntur. *Plat. in Alc.1.*

Magistratus ad hoc constituti assumere debent fœtus qui eduntur, tum mulierum,tum virorum,siue amborum,nam communes erunt & mulieribus, & viris magistratus. *Idem, de rep. dial.5.*

Magistratus bonorum fœtus acceptos ad caulam deferent ad quasdam nutrices, seorsum in quadam ciuitatis parte habitantes. Deteriorum verò, & si quis aliorum mutilus fœtus nascatur, in occulto, & abscondito occultabunt, vt decet. *Plato de Republica, dial.5.*

Magistratus educationis curam gerent,& matres ad caulam ducentes, quum mammæ lacte turgent, omne studium adhibetur, vt nulla suum agnoscat, & alias lac habentes procurabunt, si non hæ suffecerint; & harum ipsarum curam gerent, quo moderato tempore lactent. Vigilias,& reliquum laborem nutricibus, & alumnis commendent. *Plat. de rep. dial.5.*

Magistratus ineptos bene præparatā ciuitate legibus præficere non solùm nihil aliud quàm ingens risus orietur, sed etiam detrimenta, & damna longè maxima ciuitatibus, ex ipsis euenient. *Plat. de leg. dial.6.*

Magistratus primis omni studio eligendis sunt legum custodes. *Idem, ibid.*

Magistratus primus sit legum custos,deinde qui curam habeat tabulatum, in quibus vnusquisque opulentiæ suæ magnitudinem magistratibus descripserit: verumtamen maximi census sit minarum quatuor secūdus trium,tertius duarum, quartus vnius minæ:si verò quis aliudquid præter prædicta possideat, totum hoc publicum sit:ad hoc autem iudicium subeat,si quis id dictare voluerit nō honestum nec illustre, sed turpe, si propter lucrum leges contemnere deprehendatur quicunque volet turpes lucri actionem contra ipsum instituat,& illam coram legum custodibus prosequatur, si postulatus damnatus fuerit communium possessionem particeps ne fiat, & si qua distributio in posterum contingat, nulla pars ad ipsum perueniat,præter primam sortem:scribatur damnatus quandiu viuit in loco vbi quiuis legere poterit *Plat. de leg. dial 6.*

Magistratum custodis legum non doret amplius quàm viginti annis,ad quem non infra 50. annum accedat,sed si 60. annis electus fuerit hoc dures nisi per decem annos. *Plat. de leg. dial.6.*

Magistratus si quis in quacunque sorte,& iudicio reprobatus fuerit,alij pro ipso similiter eligantur, & probatio ipsorum eodem modo fiat *idem, ibid.*

Magistratus qui in certamine tum equorum, tum hominum præmia proponunt, eligantur ex secundo, & tertio censu: necessitas ad electionem veniendi tribus censibus incumbat,minimus impunis dimittatur, sunt autem tres,qui sortem subeunt propositis ex electis viginti,sortem autem subeuntibus ex viginti, quos etiam suffragium eorum qui examinant approbarit. *Plat. de leg. dial.6.*

Magistratum omnem aliquorū iudicem esse necesse est. *Pla. de leg dial 6.* Magistratum publicum gerens si è uiuis discesserit priusquam ad finem magistratus perueniat,vt plures quā triginta dies restent, eodem modo alium in magistratum constituant hi,quibus ea cura demandata est. *ibidem, ibid.*

Magistratus eligatur,qui sit curator disciplinæ,& eruditionis totius tum fœminarum,tū masculorum:& vnus sit qui secundùm leges imperet,annos natus non pauciores quàm quinquaginta, ingenuorum liberorum pater, maximè quidem filiorum,& filiarum; sin minus alterorum: & hic magistratus omnium qui in ciuitate sunt longè supremus est. *Plat. de leg. dial.6.*

Magistratus in ciuitate nocte vigilantes terrori sunt malis tum hostibus,tum ciuibus,in admiratione verò,& honore apud iustos,& temperantes, vtiles sibi ipsis,& toti ciuitati. *Plat. de leg. dial. 7.* Magistratus in ciuitate primi à somno surgere debent, in domo dominus,& domina. *idem, ibid.*

Magistratus,qui iudex est,condemnati opes orationes victori tradat,exceptis his,quorum necessaria est possessio,idque statim post suffragiorum lationem per præconem audientibus iudicibus. Postquam verò iudicialibus mensibus proximus accesserit mensis,si quis non submouerit volens victorem volentem magistratus, qui iudex fuit vincentis partes sequens opes condemnati illi tradat:si verò non fuerit vnde solutio fiat,sed deficiat,non minus quàm drachma, non liceat huic vt elij vlli iudicium dictet,priusquàm omne debitum victori persoluerit: alijs autem actiones contra hunc ratæ fiant. Quod si quis condemnatus magistratui qui iudicium intulit, derogauerit, hi quibus ille iniustè derogauit ad legum custodum iudicium ipsum pertrahant

trahant, & qui huius criminis condemnatus fuerit velut qui totam ciuitatem, & leges corrumpit, morte plectatur. *Plato de legibus, dial.* 12.

Magistratus philosophicum ingenium omnium sine controuersia perspicacissimum ad humanum gregem custodiendum habere debet. *Ficin. in Plato. de repub. dial.* 6.

Magistratus propriũ maxime est perspicere, & circumspicere, esse viridicos, liberales, temperatos, fortes, iustos, magnanimos, & mansuetos. *idem, ibid.*

Magistratui viri apti non solùm à tenera ætate reformãdi sunt, verùm etiam ab ipso fœtu studiosè procreandi, vt ea electis seminibus, continuáque cultura ad optimam frugem perueniant. *Ficin. in Plato. de republica, dialog.* 6.

Magistratus optimi absque legibus scriptis sunt viuæ leges. *idem, ibid.*

Magistratus sæpe optimos legibus anteponit Plato, quod leges absque illis omnino inutiles esse videntur, eas enim seruabit nullus. Magistratus optimi ipsi sunt leges: aut optimi fieri non possunt, nisi ciues optimi sint, nec viri tales, nisi adolescentes, & pueri sint tales. *Ficin. in Plato. Lachetem.* Magistratus officium est, meminisse se non dominum esse legis, sed ministrum, tutorémque publicum ciuitatis: præterea se à Deo dum homines iudicat, iudicari. *Idem, epist. lib.* 3.

Magistratus virum ostendit, prouerbium est. *Gabriel Buratellus de hominis fœlicitate, lib.* 6. Magistratus est lex loquens, & lex est magistratus mutus. *Fran. Pat. de repub. lib.* 5. *c.* 5. Magistratuum potentia, & authoritas non est augenda, quia pleronque ciues ad tyrannidem mutat. *Idem, de rep. lib.* 6. *cap.* 5.

Magistri officium est doctrinâ & bonitate suâ discipulum doctum & bonum quasi mentis suæ filium procreare. *Fic. epist. lib.* 3.

Magnanimus.

Magnanimus est moderatus contingentium vsus, vrbana cum hominibus conuersatio, magnificentia animi cum ratione. *Speusip. de Plato. defin.* Magnanimus magna præclaráque omnia agit forti & inuicto animo, nec fructum ac mercedem aliquam expetit, sed sola honoris & laudis gloriâ contentus est. *Fran. Patr. de regno lib.* 7. *cap* 8. Magnanimitas est rerum mortalium contemptus. *Plotin. En.* 1. *lib. cap.* 6.

Magnanimi est præ magnitudine sua parui facere quæ sunt parua, parua sunt temporalia omnia, quorum quod est præteritum non est amplius, quod est futurum nondum est, quod præsens est indiuisibile est. *Fic. epist. lib.* 1.

Magnanimi solent tantùm rebus, quantum cæteri verbis, abundare. *idem, ibidem lib.* 6.

Magnet.

Magnes non solùm annulos ferreos trahit, sed etiam vim annulis indit vt idem hoc facere possint quod lapis, alios scilicet annulos trahere. *Plato in Ione.*

Magnes trahit ferrum, effluuia effundit spiritalia, quibus continens repressus aer interiorem propellit: hic in orbem circulans, & relabens iterum in vacantem locum detruditur, & secum rapit ferrum. At cur non lapidem, non lignum aer, sed ferrum tantum protrudat, & adigat ad lapidem hunc? Hæc communis hæsitatio est aduersus eos, qui tactu lapidis, & aduersus illos qui ferri cursu conglutinationem fieri corporum suspiciantur: est ferrum neque præter modum spongiosum, vt lignum, nec vt aurum vel lapis spissum: cæterum habet spiramenta, & meatus, & asperitates ex scabricia aeri consentaneas, vt non prolabatur, sed sedibus quibusdam infigatur, & hæ ribus, qui iustè eum amplectuntur, vt si incursu suo impegerit in lapidem, vi pellat ferrum. *Plutarch. in quæst. Plat.*

Magnes ferrum trahit, quia & ferrum, & Magnes ordine vrsam sequente clauduntur; sed superiorem in ipsa vrsæ proprietate gradum tenet magnes, inferiorem ferrum. *Fic. de vita cælitus comparanda, lib.* 3. *cap.* 15. Magnes non sequitur ferrum, quia magnes fortius in ferrum agens validius intrudit aerem ferro propinquum, atque expellit: & sic electrum ad paleas. *Idem, in Plato. Timæum. cap.* 34.

Magnificentia Magnificus.

Magnificentia est æstimatio secundum rectam rationem, & honorandam. *Speusip. in Platonis definitionibus.* Magnificentia indicat regis iustitiam, nam qui res suas ad hominum vtilitatem largiri gaudet, ab alienis manus abstinere verisimile est. *Francis. Patric. de regno. lib.* 2. *cap.* 4.

Magnificentia est virtus, quæ solis principibus & regibus conuenit, opes enim singulorum vix tanti sunt vt liberalitatem præstare possint, quę mediocritas quędam esse debet. *Franc. Patric. de regno, lib.* 7. *cap* 11. Magnificus differt à liberali, ille enim circa magna & publica, hic circa parua & priuata versatur. *Francis. Patric. de regno. lib.* 3. *cap.* 11. Magnificus in conferenda gratia dato vt excedat oportet, pari enim mensura reddere iusti hominis est, cumulatiore liberalis. *Francis. Patric. de regno lib.* 7. *cap.* 12.

Magnitudo.

Magnitudo non alia maior est quàm paruitate, nec paruitas alia minor quàm magnitudine. *Plato in Parmenide.* Magnitudo & paruitas cuicunque est, ei est etiam æqualitas, quæ inter hæc media est. *Idem, ibid.* Magnitudines cominus maiores videntur, eminus minores. *in Protagora.* Magnitudo non est primum genus, quia in ipsa est numerus, & linea, & planum. Si magnitudo continua à numero hoc habet, quod sit quantum aliquid, cum numerus non sit genus, nec magnitudo erit genus. Præterea magnitudo, vel motus est, vel pendet à motu, dum motus in quiddam procedit indefinitum, status verò sistens quod procedit procreat vnitatem. *Plot. En* 6. *lib.* 2. *cap.* 13.

Magnitudo sic se habet ad suam partem, vt motus ad motum, & tempus ad tempus. *Proclus element. Philosophic. propositione* 53. Magnitudo terminata nulla mouetur in infinito tempore. *idem, ibidem.* Magnitudo aliqua si fuerit ex impartibilibus, erit quoque motus qui super ea est, impartibilibus. *ibid. prop.* 6. Magnitudo diuisione abit in infinitum. *Proclus in Euclid. lib.* 5. *cap.* 2. Magnitudo secatur in infinitum, non in infinita, nam hoc actu facit infinita, illud potentia tantùm, & hoc essentiam infinito præbet, illud ortum solum. *Idem, in Eucl. lib.* 2. *cap.* 12.

Magnitudo diuina nec dimensione, nec numero constat, sed absque his omnem dimensionem numerumque, etiam si infinita fingantur, indiuiduæ virtutis excessu penetrat vbique, & ipsa etiam præsentia infinitè vsquequaque transcendit, potéstque dona etiam extra quemlibet numerum elargiri, plenitudine propriâ minimè diminutâ, si modo res ipsę suorum munerum sunt capaces, quas Deus quantò maioribus & pluribus muneribus implet, tantò efficit maiorum & plurium capaces. *Ficin. in Dion. Areopag. de diuinis nominibus.*

Magnitudo non fit ea indiuiduis. *Ficin. in Platonis Parmenidem, cap.* 59. Magnum & paruum non sunt quanta, sed ad aliquid. *Plotin. En* 6. *lib.* 5 *cap* 4. Magnum in terris nihil est, cum terra ipsa minimum sit. *Idem, epist. lib.* 6. Magni viri sunt, qui res magnas magnâ virtute gerunt, neque superantur à magnis, sed aut superant, aut æquant. *ibid.*

Maius & Minus.

Maius nec minus vnquam aliquid fieri potest, cui neque apponitur nec diminuitur aliquid sed semper æquale erit. *Plato in Theat.* Maius vel minus aliquid nec mole, nec numero fieri potest, donec ęquale ipsum sibi ipsi faciat. *idem, ibid.*

Maius est quod maiores habet mensuras quàm habet aliud. *in Parmenide.* Minus est quod minores habet mensuras alio. *ibidem.* Maius & minus non facit idem differre dissimilitudine, sed simile est. *Plato de rep. dial.* 4.

Magna, Magnum,

Magna omnia periculosa sunt, & pulchra difficilia. *Plato de republica. dial.* 6. Magna gubernare, & parua despicere, nec medicus nec imperator, nec gubernator, nec œconomus solet. nec magni lapides absque paruis bene construi, aiunt structores: ergo nec Deus parua despicit, sed omnia regit & gubernat. *Idem, de leg. dial.* 10. Magnus is est, qui se exhibet rationi obsequens. *Idem, Dion. epist.* 2.

Maledicta.

Maledictâ nemo in aliquem dicat, qui verbis disceptat, discat, & doceat eum cum quo disceptat & præsentes, & à maledictis penitus abstineat. *Plat. de leg. dial.* 11.

Malitia.

Malitia que κακία dicitur, quia male progreditur quasi τὸ κακῶς ἰὸν dicitur, & est non nomen barbaricum. *Plat. in Craty.* Malitia decet seruos, liberos decet virtus. *idem, in Alc.* 1. Malitia est hominis deterrimi, & omnibus vitijs imbuti: quod accidit cùm rationalis proportio quæ cæteris imperare debet, seruit alijs. *Apul. in dog. Plat. lib.* 3. Malitia grauius delinquitur in his, quæ ad voluntatem & mores pertinent, quàm si impotentiâ, vel ignorantia delinquatur. *Fic. in Plat. de mendacio.*

Mali diuisio, vt puniendum & quot sunt mala.

Mala tria sunt pecuniarum, corporis, & animæ, paupertas, morbus, iniustitia, quorum turpissimum est iniustitia. *Plat. in Gorgia.*

Malo maiori quod simile est, maiore supplicio: quod minori, minore puniendum est. *Idem, de leg. dial.* 9.

Malum vt malum nullam essentiam vel generationem facit, solùm verò deprauat, quantum in ipso est, rerum substantiam: nec qua malum generat, sed deprauat, nam bonum solum generat, & qua ratione malum est, nec ens, neque et-

tam affectus: at propter bonum & ens est, & bonum, & author bonorum. nec aliquid est secundum idem bonum & malum, nec eiusdem interitus & generatio idem; nec qua malum est, eadem est potentia, nec quædam per se potentia, aut quidam per se interitus. Per se ergo malum, nec ens, nec bonum est, nec generationis effectorum, nec rerũ auctor, nec bonorum. *Dion. Areop. de diuin. nominib.*

Malum aliud ipsum malum est, aliud secundum hoc accidit alteri. *Plot. En. 1. lib. 8. c. 3.* Malum aliud est vt non sit bonum, aliud vt sit ipsum malum, aliud medium, videlicet posse in malum cadere quod iam est malum. *idem, ibid. c. 5.* Mali necessitas est, vt si sit primum necessarium est etiam esse vltimum, id est materiam. *ibid. c. 7.*

Malum primò est quod omnino mensuræ est expers; quod autem in natura mensuræ prorsus experte sit, aut existit, vel similitudine, vel participatione, secundo loco est malum, propterea quòd ipsi accidere. Rursus primò malum est tenebrositas, secundò tenebrosum, tum verò prauitas, cùm sit inscitia, immoderatioque in anima, secundum obtineat mali locum, neque sit ipsum malum, cùm virtus non sit primum bonum, sed quatenus similis, vel particeps boni ipsius euadit, bona censetur. *Plot. Enn. 1. lib. 8. c. 8.*

Mali non sunt admetendi ad magistratum. *Fic. in Plat. de rep. dial. 1.* Malos punire potius in Platone est necessitas, quàm voluntas. *idem, in Plat. de leg. dial. 9.*

Malum dupliciter consideratur: primò absolutè, & sub prima ratione mali, id est in quantum nihil, secundò in quantum cuiusdam boni priuatio, id est particulare malum. *Io. Franc. Pic. Mir. in epist. ad Anton. Fauentin.* Malum nascens facilè opprimitur, inueteratum fit plerunque incurabile. *Franc. Pat. de repub. lib. 6. c. 5.*

Malum aliud morale, aliud corruptiuum, corruptiuum est ex essentiæ defectu, morale ex inordinatione mentis nostræ nascitur, & malum morale fit ex corpore, non ex natura animi. *Seb. Foxius in 10. Platonis de repub.*

Malum duobus modis appellare solemus, vno cum aliquem malè fecisse dicimus, alio cum mali aliquid est perpessum: quod si iniustè nemo pœnas luit, a Deo enim regitur mundus illius primi nullo modo, huius secundi auctor est Deus. *Iacob. Carpen. in Alcin. c. 9.*

Malum quid est.

Malum & turpe est iniustè agere, & non parere tum Deo, tum homini meliori. *Plato in Apologia.* Malum est damno affici, & homines læduntur à damno. *in Hippar. ho.* Mala turpia sunt. *in Gorgia.* Mala cupere, & ea adipisci miserum est. *de virtute.* Malum est, quod omnia perdit & corrumpit, bonum, quod omnia seruat & vtile est. *de republica, dial. 10.*

Malus volens nemo est, verùm ob prauum corporis habitum, & imperitam educationem malus fit malus. *Plat. in Timæo.*

Malis viris assimilari est malefici pœna maxima. *de legib. dialog. 5.* Mali omnes ad omnia inuiti mali sunt. *de leg. dial. 9.*

Malum in rebus est ens aliquod tanquam conferens ad entia generanda, nam sæpe huius interitus est illius generatio. *Dion. Areop. de diuin. nomin.* Malum omninò non est ens, nec bonum, nec beneficum, sed quod magis aut minus propinquat bono, pro ipsa appropinquandi mensura fit bonum. *idem, ibid.* Malum non potest existens aliquid esse *ibid.*

Malum quod dici solet non omnino est malum, sed deficiens bonum: quod enim capers boni omnino fingitur, nec vsquã quidem aliquid erit: eadem & de potentiæ, & actionis corruptela ratio est. *Dion. Areop. de diu. nominib.* Malum naturæ dicitur quod propria sibi officia explere non potest. *idem, ibid.* Malum mentibus, corporibus, & animabus est infirmitas ad bonum proprium consequendum impos & casus. *ibid.*

Malum est præter viam, præter intentionem, præter naturã, præter causam, præter principium, præter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra substantiam itaque malum est priuatio, defectus, infirmitas, inconcinnitas, error, scopo, pulchritudine, vita, intellectu, ratione, perfectione, fundamento, causa destitutum, interminatum, sterile, iners, imbecillum, confusum, dissimile, infinitum, tenebrosum, essentia carens, ipsumque nullo modo, ac nusquam, & nihil existens. *Dionys. Areopag. de diuin. nominib.*

Malum vt malum nec existens est aliquid, nec in existentibus aliquid, nec est aliquid extra prouidentiam: ergo nec malum existens aliquid permixtionem boni non habens. Iam verò si nihil in rebus boni participatione caret, malum verò est defectio quædam à bono, résque nulla boni prorsus est expers, prouidentia diuina cuncta comprehendit, & nihil prouidentiæ gubernatione deseritur; sed his quoque qui mali sunt prouidentia bene vtitur ad aliquam videlicet vel ipsorum, vel aliorum, siue priuatam, siue communem vtilitatem. *Dion. Areop. de diuin. nominib.*

Malum vt malum nusquam existit, & fieri non est potentiæ, sed impotentiæ. Est malum dæmonibus, quòd à proprio bono sunt prolapsi, & circa identitatem & habitum permutari, & perfectionem angelicam sibi conuenientem ob infirmitatem propriam non impleuerunt: appetunt quidem bonum, dum esse, viuere, intelligere diligunt: rursum non appetunt bonum, dum quod non est desiderant, nec est istud appetere, sed à vera appetitione potiùs aberrare. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Malorum non est dicendum nos esse principium, quasi natura propria mali simus. sed ante nos hæc esse, & vitia homines detinent nolentes, at malorum animi fugam præstari non omnibus, sed potentibus; & superant in eo quod in ipsis est à materia segregatum. *Plot. En. 1. lib. 8. c. 5.* Malum nondum est, quod à bono parum deficit: potest enim pro natura sua esse perfectum; imò quod penitus deficit qualis est materia, id reuera malum est, nullam boni possidens portionem. *idem, ibid.*

Malum est boni defectus. *Plot. En. 3. lib. 2. c. 5.*

Mala hæc esse non est argumentandum ex eo, quod hic lugeatur, & eiuletur, quoniam pueri etiam in rebus non malis deflent, ac lamentantur. *idem, ibid. c. 15.*

Malum est passio quædam infortunatæ materiæ formam minimè consequentis, itémque eius quod materiæ simile videtur euadere. *idem, Enn. 5. lib. 9. c. 9.*

Mala, morbi, & huiusmodi, nil aliud sunt, quàm ab intentione finis excidere. *idem, En. 6. lib. 1. c. 10.*

Mala non sunt quæ non transeunt in animam, quæ nos ipsi sumus. *Proclus in Alcib. 1.*

Malus omnis exul est, virtus est ciuitas sapientum in qua nemo malus admitti potest. *Philo in legis allegor. lib. 2.*

Malum nihil est per essentiam, cùm quicquid in essentiæ ordinem computatur, bonum expetat. *Ficin. in Dion. Areopag. de diuin. nominib.*

Malum est defectus alicui noxius *idem, ibid.*

Malum naturale, vt in materia cum naturali deformitate concurrit; sic in primo ente, in prima mente natiuum bonum, id est boniforme cum natiua formositate congreditur. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 6. c. 6.*

Malum est quod longissimè distat à bono, id est informis ipsa mundi materia *idem, in Plotin. Enn. 1. lib. 8. c. 3.*

Malum summum apud Plotinum intelligitur extrema formarum vacuitas *Ficin. in Plotin. Enn. 1. lib. 8. c. 11.*

Malum vnicuique proprium non est aliud quàm quod per impotentiam cadit ab optimo, & in sibi malum cadit, sed in mundo bonum. *idem, in Plotin. Enn. 3. lib. 2. c. 4.*

Malum facere est nihil facere, & eius non est causa efficiens, sed deficiens. *Ioan. Pic. Mirand. de ente & vno c. 8.*

Malum non est aliqua entitas, sed pura priuatio. *idem, in epist. ad Anton. Fauentin.*

Malum in quo est, & vnde prouenit.

Malorum causa ignorantia est *Plato in Alcib. 2.*

Mala quæ ex fortuito, aut casu hominibus adueniunt, ob ea nemo cuiquam succenset, neque de his admonet, nec docet, nec castigat, sed miseretur omnes deformium, paruorum & debilium. quæcunque ex industria, exercitatione, & doctrina constringunt, hominibus esse bona putamus: si quis hæc non habeat, sed contraria his mala, his succensemus, hos castigamus, & admonemus. Horum malorum vnum est iniustitia, impietas, & in summa quicquid contrarium est reipublicæ virtuti. *idem, in Protag.*

Malum omnium maximum plerisque hominibus in animis à natura insitum est, cuius quiuis sibi ipsi veniam dans, fugam nullam meditatur; hoc autem est quod dicunt quemuis hominem sibi ipsi naturâ amicum esse, & rectè habet talem esse oportere; sed reuera omnium peccatorum vnicuique semper causa fit ob vehementem sui amorem. *Plat. de legib. dial. 5.*

Malis quàm maximis nemo vsquam vllum vltro sibi vnquam comparauerit, multò verò minus in preciosissimis suis possessionibus habuerit; at anima est res preciosissima, in re igitur preciosissima maximum malum nemo vnquam vltro susceperit, & ipsum possidens per vitam vixerit. *idem, ibidem.*

Malum non ex ipso bono existit, & si ex bono sit, non erit malum, boni enim natura est producere & seruare, mali perdere & dissoluere; profectò nullum existentium est ex

esset ex malo, nec malum ipsum erit. *Dionysius Areop. de diuin. nom.* Malum non inest in existentibus, nec in bono, nam in igne non est frigidum; nec malum in se vllum admittere potest. *idem, ibid.* Malum nec est in Deo, nec ex Deo, neq; simpliciter, neque per tempus. *ibid.*

Malum non est in tota natura. *Dion. Areop. de diu. nom.* Malum non est in corporibus aliquid; deformitas enim, ac morbus defectus est speciei, & ordinis priuatio; id non omnino malum est, sed minus bonum; alioquin si pulchritudinis, & speciei, & ordinis integra solutio fiat, ipsum quoque corpus abibit. *idem, ibid.* Malum non est in materia, qua ratione materia: ornatus enim & pulchritudinis fit particeps. *ibidem.*

Malum ex multis particularibúsque defectibus accidit. *ibid.*

Malorum omnium principium & finis est bonum, boni namq; gratiâ omnia tum bona, tum contraria fiunt, nam & mala facimus appetentes bonum. *Dion. Areopag. de diuin. nomib.* Malum esse est per accidens, atque propter aliud, nec ex principio proprio; itaque cum agitur, fortè rectum quidem esse videtur, quoniam boni gratiâ geritur, re autem verâ non est rectum quia quod bonum non est opinamur bonum. *idem, ibid.* Malum solâ permixtione boni valet, nam quod omnino bono vacuum est; neque est aliquid, nec potest quicquam. *ibid.*

Mala cùm hic sint, & necessariò circa hunc locum reuoluantur, qui mala velit fugere, hinc procul dubio fugiendum est: quæ non fuga? vt inquit Plato, Deo similem fieri; hoc autem fiet, si iusti & sancti cum prudentia efficiantur, & omnino cum virtute viuamus. *Plot. En. 1. lib. 2. cap. 1.*

Malum in entibus non est, & multo minus in eo quod entia supereminet, nam hæc omnia bona sunt: at si in aliquibus reperitur, est in his, quæ verè entia non sunt, quasi quædam non entia species, & circa aliquid eorum, quæ non enti miscentur, vel quomodocunque habeant cum non ente commercium: non ens non omnino non ens, sed ab ente diuersum, non sic non ens vt status, & motus, quæ circa ens esse dicuntur, sed tanquam entis imago, aut ab ente remotius, id est sensibile vniuersum, & quæcunque sunt circa sensibiles passiones, vel aliquid iis posterius, & quasi his accedens, vel horum principium, vel eorum aliquid, quæ id ipsum complent. *Plotin. En. 1. lib. 8. cap 3.*

Malum fit à materia, nam etsi formæ malum facere videntur, non vt formæ, sed vt quæ in materia sunt, id efficiunt: non enim eædem sunt, quæ essent, si in seipsis existerent; sed rationes quædam immateriales sunt iam corruptæ, & materiæ plenæ, nam ignis ipse separatus non vrit: materia cùm eius, quod in ea apparet, sit domina, deprauat ipsum ac dissoluit, suam naturam adhibens illi contrariam. *Plotin. En. 1 libr. 8. cap. 8.*

Malum si est in priuatione, est in eo quod specie priuatum est: atqui malum in anima collocat, ita collocet, vt sit boni absentia. *idem, ibid. cap. 11.* Malum qui esse in rebus negauerit, necessariò tollet & bonum, nam appetitus est boni, & declinatio mali, intelligentia est boni, & mali *ibid. cap. 15.*

Mala quæ in mundo sunt multa vtilia continent, multáq; reddunt pulchra pulchritudinis artificiosæ more, suscitant sæpe homines ad prudentiam, nec securiori licentiâ torpere permittunt. *Plotin En. 2. lib. 3. cap. 18.* Mala hic tantùm regnant, quoniam hic est duntaxat vitæ vestigium, mentis enim hic solum est vestigium, illic autem principale viget exemplar quod Plato nuncupat boniforme, quoniam in formis bonum possidet. *idem, En. 6. lib. 7. cap. 25.*

Mali nihil à diis ortum, nec parcarum vi calamitates obueniūt hominibus. *Max. Tyr. ser. 3.*

Mala proueniunt ex materiæ malignitate. *idem. serm. 16* Mala quæ ex animi affectione proueniunt, improbitas appellantur, & eorum causa est arbitrium eligentis, Deo semper extra causam omnem constituto. *ibid.*

Mala ab impuris dæmonibus inferuntur, qui sub specie bonorum falluot suos sectatores; boni autem non fallunt, nec cōferunt iniqua. *Iamb. de mysteriis.* Malum omne ab externis accidit animæ rationali, & ipsi est peregrinum, ex intimis autem bonum, est enim naturaliter anima boniformis. *Proc. in Alcibia. 1.*

Malum nec ex Deo, nec ex alia causa proprium habet progressum, nec malorum ideam ponere possemus, vel materiam dicere causam esse malorum, sed particularia, & dispersa malum inferunt, particularia quidem, quoniam nullum vniuersorum, vt intellectus, anima, corpus, causa est malorum; dispersa verò, quoniam non res vna quædam causa est malorum. *Proc. in temp. Plat. ex Mar. Fic. epist. lib. 11.*

Mala apud superos non sunt, sed hanc regionem circumeunt. *Fic. epistol. lib. 1.*

Malum nullum est alicubi purum, sed est boni quodammodo particeps, & ita quodammodo malum diuinitus pendens dici potest tanquam quodammodo bonum, sed tanquam ab aliis particularibus agentibus vt aduentitium huic incidere. *Proc. in temp. Plat. ex Marsi. Fic. epist. lib. 11.*

Malum prius in accidente contingit, quam in substantia, ideò non in anima, sed in affectu, motu, & actione; in corporibus malum præter accidentia, attingit quoque substantiam. *Fic. in Dion. Areopag. de diuin. nomin.*

Malum integrum vbi fingitur, cùm ibi nihil superfit boni, nec vlla corporis superest forma, nec ipsa materia prima. *idem, ibid.*

Malorum sub cœlo omnia plena sunt, perpetuúmque circa animas bellum, in quo vitia deorsum trahunt, dij verò, dæmonésque sursum. *Fic. in Plat. de leg. dial. 10.*

Malorum apud Deum non sunt propriè ideæ, alioqui faceret mala, cùm idea sit causa efficiens. *idem, in Plato. Parmenidem, cap. 3.* Mala & turpia apud nos non sunt simpliciter, sed huic vel illi, aliis autem & vniuerso & bona & pulchra sunt. *ibid. cap. 15.*

Malum nusquam reperitur nisi in ea potentia cui deest actus, quod malum omnia quantum possunt fugiunt, & bonum sequuntur. *Ficin. in Plato. Phileb. lib. 1 cap. 3.* Mala nemo eligit, nisi deceptus sub specie boni. *in Plat. Protagor.* Malorum plurimis in ipso statim principio dæmon aliquis immiscuit voluptatem. *in Plat. phædr. cap. 1.* Malorum causa potius est deficiens, quàm efficiens. *in Plotini En. 1. lib. 9. cap. 15.* Malum permittit prouidentia ipsius boni sæpe boni gratiâ. *De fato, cap. 1.*

Malum nec est in rebus intellectualibus, nam proximæ sunt ipsi bono, nec in animalibus, corporibúsque vniuersalibus, vniuersalis enim forma & authoritas est propria boni, reliquum est vt malum sit in particularibus animabus, & corporibus, nec tamen in horum essentiis ex Deo natis, nec in naturalibus horum viribus, nam ex Deo quoque dependent, ergo horum actionibus duntaxat accedit malum. Sed nec in actionibus rationalibus, nam appetunt bonum, nec in ratione carentibus, natura enim feruntur, sed in quadam earum inter se congruitate, quam incommensurationem vocant. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 4.*

Mala nulla à cœlo, nec mors, sed à materia, cùm quæque qualitas vitio proprio ita degenerauerit vt præfecti syderis disciplinam non sustineat, vnde vel euagatur immodica, vel remissa deficit. *Ioan Francisc. Pic. Mirand. de prænot. libr. 5. cap. 5.*

Mali Deus non est author, cùm malum sit corruptio, non ens, & ex materia rei nascatur non ex efficiente causa, quæ rebus potius essentiam, quam carentiam illis dat. *Seb. Fox in 2. Plat. de rep.*

Malorum Deus non est causa, & pœnæ quæ in malis numerantur, hoc ipso bonæ sunt, quod à peccatis homines auocant; Deúmque eos puniendo iuuisse dicendum. *Iac. Carp. in Alcin. 2. dogr.* Mala accepta non debent homines, vt ait Plato, in Deum referre. *August. Steuc. de per. phi. lib. 5 cap. 8.* Malum ex bono quandoque profluere potest, in directâ quadam tamen, & obliquâ ratione. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Malum vt expetitur & cognoscitur.

Mala cognoscentes homines quòd mala sunt, cùm liceret ipsis non facere, tamen consternati à voluptate ducuntur; & ridiculum est quod homo cognoscens bonum, facere nō vult à præsentibus voluptatibus superatus. *Plat. in Protag.* Malè qui dicit, non cognoscit; nec non cognoscit qui benè dicit. *Idem in Ione.*

Malum Deus sub boni ratione cognouit, & penes ipsum malorum causæ sunt beneficæ vires. *Dion. Areopag. de diuin. nom.*

Mala qui cognoscere vult, prius bonum cognoscere debet, præstantiora enim deteriora præcedunt; & species ea præcedunt, quæ non species, sed priuationes potius iudicantur: quod de gradibus vniuersi intelligēdum est, vbi vnumquodque à superiori pendet, atque perfectiori. *Plot. En. 1. lib. 8. cap. 1.*

Malum præter intentionem prouidentiæ etsi accidat, tamen cognoscitur ab ea, & redigitur ad bonum. *Ficin. in Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Malorum proprietas, & vt fiunt.

Mali semper aliquid praui faciunt his cum quibus conuersantur, boni verò aliquid boni. *Plat. Apolog.* Malo homines afficere, etiamsi ab illis malo affecti sumus, non est iustum. *idem in Critone.*

Mala perire non possunt, semper enim aliquid contrarium bono esse necesse est. *in Theæteto.*

Malum malo amicum esse, nec bonum bono non amicum, nunquam à fatis decretum est. *in Phædro.*

Mali semper sunt inutiles, boni vtiles. *in dial. de philosoph.*

Malus non est amicus bono, nec malo, sed solus bonus bono amicus est. *in Lysid.*

Mali medicamentum bonum est. *ibid.*

Mala sunt non quòd in præsenti voluptatem faciant, sed quòd postea accedunt mala, vt morbi, & huiusmodi, & in tristitiam desinunt, & aliis voluptatibus nos priuant. *Plat. in Protagora.*

Mala plura faciant omnes homines quàm bona; statim ab ineunte ætate, & peccant multi. *Idem, de pulchro.*

Malum & morbus vnicuique suus insitum est naturâ, vt oculis lippitudo, frumento rubigo, putredo lignis, æri & ferro ærugo: & cui aliquid horum acciderit, id prauum facit, & dissoluit, & perdit. *de repub. dialogo 10.*

Malorum nihil honorandum est. *Plat. de legib. dial. 5.* Mali qui in nostram rempublicam munus administrationi conuenire conantur, omni persuasione & multo tempore exploratos accedere prohibebimus: bonos autem pro viribus beneuolos & fauentes nobis redditos adducemus. *idem, ibid.* Malus iniustus est, & inuitus talis est malus: voluntarium inuitè vnquam fieri nullam rationem habet: inuitus igitur iniustè facere, qui iniusta facit illi videtur qui iniustitiam inuoluntariam esse censet. *ibid. dial. 9.*

Malis mortalibus liceret suas consuetudines corrigere valde magnum studium adhibituros esse arbitror, vt meliora de ipsis nunc dicantur. *Plat. Dionysio, epist. 2.* Malum dum instat, fortes & eximij sermones latenter elabuntur, & reprobantur: resistit enim formido quædam, mentem variè lancinans, quòd hâc luce, & his bonis priuabor, & neque videbo, nec audiam, vbi tandem putrescens iacebo, dum in puluere & vermes mutor. *Idem, in Axioco.* Malæ res non vtiles sunt ad bonum. *Idem, de diuitiis.* Mala quædam omnibus & semper mala sunt, vt vitia, & infortunia, quædam aliis nocent, nec semper, vt ægritudo, egestas. *Apul. de dog. Plat. lib. 3.*

Mala nec immobilia sunt, nec semper eodem modo se habent, sed infinita, & indeterminata, & in aliis aliter peruagantia, & his insuper infinitis. *Dionysius Areop. de diu. nom.* Malum non omnibus idem est: dæmoni malum est quòd intellectus eius amisit ipsam boni formam: animæ quòd ratione deficit, corpori quòd à natura deficit. *idem, ibid.*

Mala à nobis aguntur à deteriore nostro superatis. *Plotin. En. 1. lib. 1. cap. 9.* Malum alicui accidere oportet. *Idem. En. 1. lib. 7. cap. 3.* Malum nemo sub speciei ratione potest effingere, cum in quadam boni totius absentia cogitetur. *En. 1. lib. 8. cap. 2.* Malum si alteri accidit, oportet aliquid ipsum prius esse, etiamsi nulla id essentia sit. *En. 1. lib. 8. cap. 3.*

Mala omnia deleri non posse, ait Plato, sed ex necessitate venire, nec apud Deos esse, sed apud mortalem naturam, inferioremque hunc locum assiduè circumuolui. *Plot. En. 1. lib. 8 cap. 6.* Malis bene viuere maximæ potestatis est. *Idem, En. 3. lib. 2. cap. 5.* Mali ignauiâ subditorum dominantur. *En. 3. lib. 2. cap. 8.*

Mala non electionibus, sed naturalibus necessitatibus fiunt, quæcunque inde proueniunt: deinde multa ex his quæ fiunt, ex ipsis etiam rebus adiunguntur: tertiò quæ desuper dantur penes daturos singulatim non sunt mala, sed in mistione aliud quiddam contingit: quartò non vniuscuiusque, sed totius gratiâ datur vita atque censetur: quintò subiecta natura aliud accipit, aliud patitur, neque potest ab ipso munere vbique superari, vel vim illius propriam retinere. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 39.*

Malorum sensus pulsationes maiores habet, cognitiones verò minores, vt quæ vi quadam pulsationum excutiantur. Morbus enim vehementius pulsat & excitat, sanitas quietior nobiscum habitans notitiam sui exhibet planiorem. *Plot. En. 5. lib. 8. cap. 11.*

Mali non sumus cùm multitudo sumus: nam tunc quodlibet multum fit, quando non potens penes idem in seipso manere, diffunditur, & extenditur iam dispersum, & cum in vna distantione prorsus vno priuatur: fit multitudo, vbi deest quod partem aliam cum alia veniat: at si adsit conciliator, quod fusum est permanendo fit magnitudo. *Plotin. En. 6. lib. 6. cap. 1.* Malum per discessum à primo principio, ipso bono crescit. *Idem, En. 6. lib. 7. cap. 33.*

Malum bono magis contrarium est quàm non bonum. *Iamb. de myster.* Malum esse deterius iudicandum, quàm non esse. *Proc. in Alcib. 1.* Malus secum consentire nequit, quod declarat pœnitentia remissis perturbationibus veniens. *idem, ibid.* Malorum omnium est extremum, quod intellectus propter oblectationem aliquando se immergat, & quia hoc non animaduertunt, nec conantur emergere ij quibus durissimum callum iam morbus obduxit, ideò cùm nihil doleant, nec amplius curare contendunt. *Synesius de somniis.*

Mala non patitur nisi malus. *Fic. epist. lib. 4.* Mala etsi voluptatis escam præferunt, hæc tamen in dolorem decidunt diuturnum. *Idem, epist. lib. 10.* Malum virtute infultum esse non potest, bonum verò potest. *ibid.* Mala grauiora sunt quæ homines sibi ipsis imprudenter inferunt. *epist. lib. 12.*

Mala omnia & turpia eadem sunt; bona itidem & honesta. *Fic. in Plat. commentar. 1. cap. 4.* Mala consequuntur ad maximum bonum, & minimum bonû ad minus, minus ad maius bonû. *Idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 18.* Malum & non bonum se consequuntur. *Io. Franc. Mir. in epist. ad Aut. fauentinum.* Malum abominare, & ab omni nostro cogitatu abesse in primis oportet, nec id aut sequi, aut eo delectari debemus. *Idem, de prænot. lib. 8. cap. 2.*

Malo alieno lætari angusti animi est. *Fra. Pat. de regno. li. 4. ca. 1.*

Malum non debet numerari inter ea quæ sunt, sed sub boni priuatione contineri. *Lic. Carp. in Alc. degres 2.*

Malum, propterea quod ipsum quoque ad vniuersi conseruationem necessariò concurrit, in bonum conuertitur. *Leo Heb. de Amo. dial. 2.*

Mamma, dicitur ἀπὸ τοῦ μαμμᾶν ab eo quòd τεθηλέναι, id est florere facit, velut ea quæ rigantur. *Plato, in Cratylo.*

Manna significat verbum Dei continuum, simile rori, per circuitum terram complectens, & nullam partem eius expertem sui relinquens, qui sermo non vbique apparet, sed vbi desertum est vitiis vacuum, & affectibus: est tenuis qui percipiatur, & intelligatur: pellucidúsque valde, purus aspectu, & coriandro similis. *Phi. in legis alleg. lib. 2.* Manna populo Hæbreo pluit in deserto, & cum Sabbatho non liceret aliquid operis peragere, duplum Deus pluere faciebat pridie Sabbathi, quod duraret in biduum, alioqui aliis diebus vno tantùm die vtilis erat. *idem, de vita Moysis.*

Mandragora & vinum somnum inducunt ob diuersas causas, mandragora ob frigiditatem, vinum propter humiditatem. *Seb. Fox. in 6. Plat. de repub.*

Manducare, ac saturari bis in die, vt in Italia, & Syracusis mos est, Platoni non placuit. *Plat. epist. 7.*

Manet hic nihil, sed quod manere videtur, tardiore motu mouetur. *Plot. En. 6. lib. 3. cap. 27.*

Manifestum nihil est tantum, quod impudens os non inuadat. *M. Ant. Nat. de pulchro. lib. 5.*

Mansuetorum hominum motus comparatur fluxui olei fluentis absque strepitu. *Pla. in Theæt.*

Mansueta natura si per multas progenies generi virili & audaci non misceatur, segnior quàm oportet nascitur proles, & tandem mutilatur. *idem, de regno.*

Mansuetudo est constitutio animæ aduersus iræ impetum immobilis, moderata temperies animæ. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Manus abluatur ante cœnam. *Pla. in symposio.* Manus dextra, & sinistra nobis naturâ differre videntur ad vsus in singulis actionibus; nam quod ad pedes pertinet & inferna membra, non videntur hæc ad labores differre; quò verò ad manus, per ignorantiam nutricum & matrum, velut claudi facti sumus. *idem, de legib. dial. 7.* Manuum nodus significat actionis & profectus priuationem. *Fic. in Pla. de rep. dial. 10.*

Mare.

Mare nihil memorabile producit. *Pla. in phædone.* Mare Atlanticum terræmotibus, ac diluuiis ingentibus innauigabile redactum est, submersa in mari insulâ Atlantis. *idem, in Timæo.*

Mare rotundum videtur, si quis nauim stans in litore videt, si iacens perspicit, aut omnino non videt, aut minorem quàm prius, obsistente marinæ in curuitate; & in nauigando terra è naui non videtur, è malo videtur: cùm natura tributum sit vt ex superioribus locis humor in depressione defluat: sunt excelsiora ea, quæ à puncto terræ plurimum distant, humiliora, quæ minimum. *Chalcid. in Pla. Timæum.* Motus ordinatus est in quo nec resistitur, nec retrorsum reditur, sed ad proxima quæq; moderato incessu peruenitur. *Idē, ibi.*

Mare ad terram sesquialteram paulò maiorem proportionem habet, vt Sol centum ferè maries includat. *Io. Fran. Pic. Mir. in astrolog. li. 3. cap. 10.* Mare Persicum Sole virginem ingrediente fluctibus agitatur, & innauigabile est præcipuè, cum præuenit ad Sagittarium, rursus nauigabile & placidum, Sole ad pisces delato. Contra Indicum sub Virgine & Sagittario placidû, sub Piscibus & Geminis innauigabile. *idē, ibi. c. 13.*

Maris fluxus & refluxus causam Lunam esse cùm omnes affirment, Adelandus ex opinione Saracenorum probat non Lunam causam esse, sed cùm ipsa sibi maris brachia, puta quæ intericcta terræ dirimit moles, obuiare & confluere impetu concito properent, fit tum montibus interpositis, tum ipsius terræ situ, vt ab eodem cursu dum deficiunt referantur vnde inde quo pateruus ac naturalis impellit motus, loci ipsius positu reuocantur. *Io. Pic. Mir. in astrol. li. 5. cap. 25.*

Maris

Maris accessus & recessus non euenire fatentur Astrologi in omnibus aquis etiam marinis, sed in his tantùm quarum terra profunda, dura, motibus crebris aspera, & inæqualis, aqua verò multa, quæ nec adiectu fluminum crescit, nec digressu diminuitur, sed diuturnam ibi traxerit sedem densitudine spissa, quocirca conceptaculum fiat, & alumna vaporum multorum, nec tenuium, nec facile difflabilium qui de suis parentibus, id est de aquosa terra, aqua terrosa, déque cœli calore ducant amaritiem illam notam, & salsuginem. Hinc apparere cuipiam poterit quod in aqua fiat ventus, præsertim quia ex motu & impulsu isto vaporúmque admixtione calescit; quare locum quærit ampliorem, quo se diffundat. *Ioannes Picus Mir. in astrologiam, lib. 3. cap. 15.*

Maris accessus & recessus fieri etiam potest ex reflexione ventorum vellicantium aquæ summa ad infernas illius partes, quæ spirantibus ventis implicatæ prorumpunt, tu supernas tum aquæ necessariò dum eructant, abundant & tumescunt, & pariter reiectæ & pulsæ reuolutæ propriam faciunt accessionem. Rursus cùm vis illa, dissolutis vaporibus, conflammescit, subsidunt, & sternuntur, & in angustius se contrahentes ab occupatis locis abscedunt; quæ vaporum & ventorum generatio, pro natura maris, vt perpetua fermè esse dissolutiu videtur, iugis reciprocationis causa sufficiens, vnde sedit frigida, quæ prius tepens aduenerat. *Ioan. Pic. Mirandul. in Astrologiam, lib. 3. cap. 15.*

Maris accessus, & recessus si ad Lunam pertinet ad eius motũ referamus, quem tacitu naturæ consensu octaui motus imitatur; quare ascendit cum ascendente, descendit cum descendente. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 3. cap. 18.*

Maris fluxus & refluxus causam Adulandus Ammonij, vt opinor, discipulus, opinatus est esse quòd partes maris quas terra dirimit in vnum confluere locum, & se contingere properant, quę obiectu terrenę molis repulsæ interim quo naturalis impellit motus reuocentur, quod probari potest quia elementi partes ad suam integritatem ad locum proprium & congenitum naturali propensione feruntur; & quod Luna non sit in causa patet, cùm reciprocatio in maribus torridæ Zonæ vicinioribus non fiat, quibus non deest maris natura, nec Lunæ præsentia, sed terrena illis deest moles, cuius obiectu è toto partes repellantur. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænot. lib. 9. cap. 4.* Mores hominum ex corporis complexione colligi non possunt. *Idem, de prænot. lib. 1. cap. 1.*

Mare putauit Anaximander esse primę humiditatis reliquias, quarum magnam partem excusserit ignis, & transmutauerit exustione residuum. Anaxagoræ visum est, cùm ab initio stagnaret humor, consumptam eius esse partem solaris itineris frequentiâ, & eo quod pingue erat euaporato, reliquum in salsuginem & amaritiem concessisse. Terræ sudorem combustæ ob Solis ardores existimauit in causa esse, nec alienus ab hac opinione fuit Antiphon, Metrodorus: & Platonici aquæ partem quæ plurimum habet aeris ob refrigerationem collutam dulcem esse; quæ verò ob excalefactionem, exhalationem perpessa sit, salsuginem contraxisse volunt, quam Xenophanes voluit acceptam mixtioni terræ. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doctr. gent. lib. 3. cap. 11.*

Maris fluxum alij in Solem qui ventos eleuat impellentes vndas, retulerunt, qui venti vbi posuere, resultet & restuat pelagus; à qua opinione nec Heraclitus abhorruit, nec Arist. Pythias Massiliensis incremento Lunæ maris augmentum, decremento maris minutionē assignauit, Timęus Pythagoræus fluminibus in Atlanticum pelagus mittentibus retulit causam. Seleucus mathematicus terram & Lunam causam dixit. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 3. cap. 12.*

Mariti officium est vxorem quasi corpus suum, sensúmque diligere, ac diligentissimè ducere. *Fic. epist. lib. 3.*

Mars.

Mars à voce ἄρρεν dicitur à virilitate ἄρρην dictus etiam vel à duritia, & immutabili natura quæ ἄῤῥατον appellatur. *Plat. in Cratylo.* Martem & Venerem certo modo dispositos adulteria procreare valde à ratione dissentit, cùm id non aliud sit, quàm illos humanæ intemperantiæ more auiditatem mutuam, indigentiámque suam ardenter explere. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 6.*

Martem si times, oppone Venerem. Saturnum si vereris, adhibe Iouem. *Fic. de vit. cœlit. compar. lib. 3. cap. 6.*

Martem à Venere, Saturnum à Ioue ligari aiunt Astrologi. *Idem, epist. lib. 3.*

Mars in ortu hominis in angulis in secunda, vel octaua constitutus nascenti mala portendit; Venus aspectu, vel coniunctione, vel receptione Martis compescit, vt ita dicam, malignitatem: & si in ortu est, præstat Mars iram, & magnitudinem animi, at Venus vitium iracundiæ deprimit, & Venerem nunquam Mars domat, sed Veneris imperiũ ardentiore reddit, & Venus Martem non sequitur, sed mars Venerem, quia audacia amoris pedisequa est, non amor audaciæ. *Fic. in Plat. conuiuium or. 5. cap. 8.*

Martem subire potius debemus quàm peccare. *Ficin. in Plat. Criton.* Marti calor vrens subditus est. *idem, in Plat. Timæ. c. 32.* Marti, & Mercurio applicatur expeditio rerũ velox, illi quidem propter vehementiam, huic propter dexteritatem, & multiformem virtutem. *ibid.*

Mars præ cæteris horrens est, angularis præsertim in occidentum, & similiter eligunt Saturnum angularem. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 3.* Martem cùm igneum esse dicunt Astrologi, cur non potius in piscibus cadit, quàm in libra? an quia à libra maximè distat Aries domus Martis? sed maior profectò est distantia naturæ, quàm situs. magis distant Pisces ab Ariete aquei, quàm ab Ariete libra? *Idem, ibid. c. 4.*

Martis Venerísque oppositio nequaquam circa pugnantes influxus; verùm circa contrarias tantùm temperaturas versatur. *Leo Heb. de Amo. dial. 2.*

Marsilius Ficinus vbique protestatur, sed hoc in loco præcipuè, omnia quæ in suis scriptis tractata sunt, tantum dicta esse, quantum ab ecclesia comprobantur. *Ficin. Plat. Theol. lib. 18. c. 10.* Marsilius Ficinus natus est anno salutis 1433. die 19. octobris, hora 21. & tũc ascendisse Aquarium fermè medium, vnà cum Piscibus arbitratur, Saturnũ in angulo orientis in Aquario, Martem in eodem carcerem duodecimæ tenuisse, in Scorpione Solem, & Mercurium in nona Lunã in Capricorno, in Leone Iouem in septimo, ibidem in Virgine Veneram, in Ariete Fortunã. *idem, epist. lib. 9.*

Masculus, id est ἄρρεν; & vir, id est, ἀνὴρ dicitur à fluxu sursum contingente. *Plat. in Cratyla.*

Masculus in vtero, septima hebdomada diuiditur in membra; post partũ an victurus sit vel in vtero præmortuus, vt tantũmodo spirans nascatur, septima hora discernit: post dies septē iactat reliquias vmbilici, post bis septem incipit ad lumen visus eius moueri: post septies septē libere iam & pupolas, & totam faciem cõuertit admotus singulos videndorum: post septem menses dentes incipiunt in mandibulis emergere; post bis septē sedet sine casus timore, post tersepte sonus eius in verba prorũpit: post quater septē nõ solùm stat firmiter, sed incedit, post quinquies septem incipit lac nutricis horrescere, nisi forte ad patientiã longioris vsus continuatã cõsuetudine protrahitur; post annos septē dẽtes in meliores vsus ad cibũ solidũ nascuntur priorib. eiectis, & loquẽdi integritas cõpletur: post annos bis septem pubescit, post ter septē genas vestit flore iuuenta, & finē crescendi in longũ facit, & post quater septem desinit crescere in latu, post quinque vires complentur. *Macrob. in som. Scip. lib. 1.*

Masculinum, & fœmininũ vbique sunt, & non solùm in sensibilibus animalibus, verùm in ideis, & in generibus quæ rebus meliora sunt. *Syrian. in 12. metaph.* Masculina & fœminina vis ad naturã pertinẽtes, cõiunctę sunt in vniuersali natura, quãuis in alijs separatæ. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 27.*

Matrem qui olim occidit, in posterum extinguetur à filio. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 13.*

Matres cõcurrere ad generationē vt causa agens cõprobatur, tũ quia cùm vnusquisq; opus suũ diligat, & propterea magis pater filium diligat, quàm à filio diligatur, mater ardentius quàm pater amat natũ: quod etiam hinc confirmari potest, quòd nati sæpius magis matri similes sunt, quàm patri, & similitudo tum propria, tum frequens denotat, fœtũ substantiam nõ à patris tãtùm, sed matris etiã effectione suscipere, nã omnis causę conatus fertur ad simile producendũ: deniq; cùm species eiusdē sit mas & fœmina, vires habent rationis eiusdē, vtriq. igitur efficaces ad formã eiusdē rationis, etsi non pari similitameo ratione perficiendã. *Fic. in Pla. de leg. dial. 7.* Mater integra nõ videtur esse, quę cùm in aluo haberet, eum aluit quem ignorabat, si postquã in lucē homo editus est, eũ aliò ablegarit. *Fr. Patr. de regno, lib. 2. c. 5.* Maternæ curæ est, nõ modũ vt alatur puer salubriter, & vt optimo & puro sermoni assuescat, sed vt nihil turpe aut indecorum audiat, cernat, aut suspicari possit. *Idem, ibid. c. 7.*

Matres filios nutrire proprio lacte debent, pessimè enim meritæ de filiis sunt, quę alijs filios mittunt quo tempore magis maternã ope indigent. *idem, de repub. lib. 4. c. 6.*

Materia diuisio.

Materiã duplicem ponũt qui essentiam incorporeã admittunt alterũ corporibus subiectã alterã in rebus intelligibilibus, primã materiã speciebus quę sunt illic, incorporeísque essentiis subiectam. *Plot. En. 2. lib. 4. c. 1.* Materia duplex, vna eorum, quæ sensui coniugata sunt, altera eorum, quæ imaginabilia sunt. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 1.*

Materia duplex, vna composita & naturalis, ad formam artis accepta, vt cùm ex ære fit statua, alia naturalis, sed simplex, accepta ad formam similiter naturalem, vt cùm ex aqua fit aer. *Ficin. in Plotino En. 5. lib. 5. cap. 2.*

Materia quid est.

Materia effigies mater & nutrix & genitrix est tertiæ essētiæ, & vbi simulachra in se susceperit, & velut impressit, perficit omnia opificia. Hæc autem materia sempiterna est, non autem immobilis, formę autem & figuræ exors per seipsam, sed quæ omnem formam suscipit. & circa corpora diuidi potest, & de alterius natura est, & locus & regio appellatur. *Tim. Locr. de an. mundi & nat.*

Materia seorsum est à Deo, estque rudis, & indigesta congeries. *Mer. Trismeg. Pimand. cap. 12.* Materiæ natura qualitatis est fœcunda, & malignitatis. *E usd. Asclepius, cap. 7.*

Materiam omnes asserunt esse subiectum quoddam, & susceptaculum specierum. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 1.*

Materiam, quicunque res ipsas corpora solùm esse putant, essentiámque in his consistere, vnam in his esse dicunt, quæ elementis subiecta sit, & ipsa sit essentia; cætera verò omnia quasi materiæ passiones. esséque hæc materiam ipsam sic, aut sic affectam, atque esse sic etiam elementa, & vsque ad deos materiam protendunt. ipsósque deos materiam hanc existere, & tradunt ipsam esse corpus qualitate vacuum, & insuper magnitudinem. *Idem, ibid.*

Materiam non esse elementa, vt Empedocles ait, elementorū corruptio reclamat. *Plo. En. 2. li. 4. cap. 7.* Materia non potest esse atomi, cùm omne corpus diuisibile sit, & cùm corpora habeant continuitatem & humorem, & absque mente & anima singula esse non possunt, & cùm nullus artifex ex materia non continua quicquam facere possit. *idem, ibid.*

Materia est infinitum. quod forsan genitum est ex ipsa vnius infinitate, siue potentia, siue æternitate. adeò vt in ipso vno non sit infinitudo, sed ipsum sit infinitudinis auctor. *Plo. En. 2. li. 4. cap. 15.* Materia ex seipsa est infinitum oppositione quadam ad rationem *idem, ibid.*

Materia ipsa, quam esse in potentia iudicamus, cum nihil sit eorum quæ sunt in ipsa. hæc verò sint entia, non ens dicitur, & vt informe cogitatur, non est species. *Plotin. En. 2. libr. 5. capitul. 4.*

Materia est non ens, non vt alterum ab ente, vt motus, sed quasi reiecta, ac penitus segregata; nec permutare seipsam valet, sed vt ab initio erat non ens, sic semper se habet. *idem, ibid. cap. 5.*

Materia est incorporea, quoniam corpus posterius est atque compositum, & ipsa vnà cum alio complet corpus; non est anima, nec mens, nec vita, nec species, nec ratio, nec terminus, est enim indefinitas quædam, neque potestas, nec ens, sed non ens nominatur, sed non ita non ens vt motus & status dici non ens solet, sed reuera non ens simulachrum, & imaginatio molis appetitióque substantiæ, siue subsistentię, stans non in statu, secundum se inuisibile, & videre volentem effugiens, & quando quis non videt, tunc quodammodo præsens, quando verò quis intentiùs inspicit, non perspectū. & in seipsa contraria apparens semper; & in defectu totius entis, nihil habens, & apparens omnia, & quæ ingrediuntur, & exeunt imitamina entium, atque simulachra circa simulachrum informe, & quia informe, ideò ibi visa, nullam soliditatem habens. *Plot. En. 3. lib. 3. cap. 7.*

Materiam Plato appellat susceptaculum generationis omnis, atque nutricem. *Plot. En. 1. lib. 6. cap. 13.* Materia cùm ex seipsa non sit aliquid, potest & per aliud rursus cōtrarium fieri, & postquam factum est contrarium, neque etiam illud est, alioquin tantùm in hoc ipso consisteret. *idem, ibid. cap. 17.*

Materiæ propria apud antiquos sunt incorporea, vitæ expers, nec intellectus, nec anima, nec aliud secundum se viuens, informis, permutabilis infinita, impotens, nec ens, sed verum non ens, imago molis apparens, appetitio substantiæ, & stans non in statu, præterea semper in se apparens, tum paruum, tum magnum, tum minus, tum magis, tum deficiens, tum excedens, quod fiat semper, maneat nunquam, nec tamen aufugere potens, quippe cùm sit totius entis defectus, quod promittit mentitur, si magnum apparet, euadit paruū, & nihil habet, vt speculum, cùm omnia habere videtur. *Porph. de o casio.*

Materia genus esse non potest, quia non habet differentias. *Plotin. En. 6. lib. 3. cap. 3.*

Materiam ab essentia multi separant dicentes materiam esse id quod est sub his omnibus, quæ habent qualitates, essentiam verò primam rerum omnium materiam, vel antiquissimum fundamentum earum, suapte naturā sine vultu, & informe. Alij asserunt essentiam esse operis fundamentum, materiam contemplationem opificit dictam quod eam fingat & formet. *Chal. in Plat. Tim.*

Materiam Platonis sententia est non ens potiùs, quàm ens esse, & aliquo modo vnius esse participem: vnius verò participatione omnia substantiam habere. *B ss. Card. in Plat. calum lib. 2. c. 5.* Materia à Platone hoc aliquid nominatur, ab Aristotele hoc aliquid forma appellatur. *idem, ibid. cap. 6.* Materia aut distinguitur suā ratione, quomodo genera diuersa existunt, aut ratione quantitatis, quatenus diuersis dimensionibus variatur, vt diuersa indiuidua, eadem in specie existunt. *idem, ibid. lib. 3. c. 23.*

Materia non est essentiæ particeps, cùm eiusmodi munus sit per formam. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nom.* Materia est mutationis & confusionis origo. *idem, in Pla. Parmenidem, c. 5.* Materiæ ratio informitas est, & per consequens formæ opposita, ideò forma materialis imperfectissima est. *ibid. cap. 35.* Materia est non ens, quia nihil est actu formali *ibid. c. 36.*

Materiam in Philebo Plato appellat infinitudinem, dicens, ipsum bonum proximè infinitudinem, ac terminum peperisse, statimque inuicem miscuisse, & ex hac mixtione cuncta composuisse, id est ex potentia quadam formabili, & accedente forma. *Fic. in Plat. Tim. c. 11.* Materia non est æqualis mundi fabro, & non est ante mundum vllo temporis interuallo, licet origine quadam, & ordine, non iactari inordinatè ante ordinē, sed erraturam fuisse procul ab ordine quantum in se est, nisi statim desuper ordinata fuisset. *idem, ibid. c. 12*

Materiam Dei est stabiliter ordinare, materiæ verò ordinari mobiliter; & ordinis accipit temporalem temperationem, non aliter quàm à fabro accipit horologium, per actisque pro natura sua certis temporum interuallis, amittit ordinem paulatim, denique totum, reditque in chaos; sed Deus subitò extremam confusionem minimè tolerans in priorem dispositionem vnico nutu retemperat, id quod fit infinitè vicissim nunquam mutato Deo, infinitè reformata materia. *Ficin. in Plat. Tim. c. 14.*

Materia non habet quantitatem, quia similiter se habet ad magnum & paruum. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. cap. 8.* Materiam Plato in Theæteto nominat dissimilitudinis regionem. *id. in Plot. En. 1. lib. 8. c. 13.* Materiam Stoici, Cynici, & Cyrenaici duntaxat esse substantiam voluerunt, & formas nil aliud esse, quàm materiæ passiones, & materiam esse corpus trinā dimensione porrectum; quod in Theologia confutamus. *in Plat. En. 2. lib. 4. c. 1.*

Materiam Pythagorici, Platonici, & Peripatetici supra corpus aliquid cogitantes, cogitare potuerunt non esse corpus, ideò etiam in rebus incorporeis materiam esse quandam intellexerunt, vt formale aliquid ponant in corporibus & diuinum, *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. c. 1.* Materiam existimamus infinitam, non definientes intrinsecus, sed ad rationem ipsam extrinsecus referentes, ad rationem scilicet idealem, seminariam, & formalem, cui velut fini & finientē materiam exponimus, vt ad finem, & indefinitam, & finiendam *idem, ibid. c. 15.*

Materia est res præter conceptus, & relationes nostras corporibus subsidens *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 4. c. 17.* Materiam Plotinus appellat essentiæ imaginē *idem, ibid.* Materia reuera iudicatur re ipsa nōnihil, & aliquid quasi substātiale. *ib.*

Materiam si quis apud Peripateticos non ens diceret, diceret omnino nihilum, apud Platonicos verò qui ipsam naturam vnius latius quàm naturā entis & lógius sursum & deorsum protendunt, quāuis materiā dicas nō ens, non tamē habes eā pro nihilo, vt nec pro nihilo habes ipsum bonū, quāuis non ens iudicetur, sed ita nō ens illud vt sit superius ente, hæc ita non ens vt sit ente inferior. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. c. 17.*

Materiam etsi substantiam nominamus, quia substat corporibus, neque iacet in alio, putamus tamen eam semper desuper dependere, adeò vt nihil in ea vigoris sit ad se cōseruādam, & dependet ab ipsa natura quasi neruo quodam inde deuincta, & per formas à natura in materiam continuè iactas, quasi per neruos assiduè colligatur; ipsa verò formam sustinet modo profundo, & dum cadit ab ente, id est à natura, quæ verorum entium infimum est; interea subest vt fundamentum imaginibus entis. id est formis naturalibus. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. c. 17.*

Materia est inanis essentiæ primæ vmbra; formæ verò materiales sunt variæ imagines idearū quæ in prima continētur essentia, nullā habentes cū illis similitudinē in natura, quāuis in effectu repræsentandi similitudinem aliquam habere videantur & ideò materia nil patitur, nec vlla forma cōtraria est, cùm æquè naturaliter omnibus exposita sit. *Ficin. in Plot. En. 3. lib. 6. c. 3.*

Materia est minimè ideale, forma est quammaxime ideale *idem, in Plot. En. 6. lib. 3. c. 7.*

Materiam vocat Moises abyssum. *Io. Pic. Mir. in Heptap lib. 1. cap. 1.* Materiam Plato eppellauit matrem, altricem germinum, sinum, receptaculum, syluam, locum. *Gabr. Baratellus de materia & primatio. lib* 10. Materia apud Moysem est tenebrarum abyssus, formarúmque informe subiectum, & est infinita potentia patiendi; ob nimias tenebras ignota est. *Iacob. Carpentar. in Alcinoi degres 3.*

Materiæ proprietas.

Materia omnibus formis carere debet, cùm omnia genera in seipsam susceptura sit, vt in vnguentis odoratis liquores qui suscepturi sunt odores, & in mollibus, in quibus imprimere volunt figuras, nullam figuram esse permittunt. *Plat. in Timæo.*

Materia esse non hebet, cuius munere bonum habere potuerit, sed esse de ipse æquiuocè dicitur. *Plot. En. 1. lib. 2. cap. 5.*

Materiæ quædam passio est sectio, & dispersio. *Idem, En. 2. lib. 4. cap. 4.* Materiæ nihil prorsus eorum quæ in ipso sensibilium genere percipiuntur, secundùm naturam suam attribuemus. *Idem, En. 2. lib. 4. cap* 8. Materia cognoscitur, quia cùm nec ipsa informis permaneat, sed in rebus formetur assiduè, idcirco & anima repente ipsi rerum adhibet speciem, indefinitatem ægrè ferens, perinde ac si metuat, ne extra rerum ordinem corruat, neque toleret in eo quod non est diutius immorari. *ibid. cap.* 10.

Materia præbet subiectum agentibus quando agunt in ipsis permanens, nec in actione ïo seipsam exhibet, neque agentes id quærunt, nec actio altera permutatur in alteram, quo necesse sit ipsis inesse meteriam, sed agens ipse pertransit ex alia actione in aliam, adeò vt consentaneum sit cum actionibus esse materiam: est igitur materia necessaria tum qualitati, tum magnitudini, ideòque corporibus. *Plotin. En. 2. lib. 4. cap.* 12. Materia non sensu, sed ratione percipitur, non ratione intellectu plenâ, sed vacuâ, ideòque ratio hæc adulterina vocatur, nec corporeitas ipsa est materiæ proprie. *idem, ibid.*

Maretiæ proprietas nõ est forma, proprium eius est nec qualem esse, nec speciem possidere, sed dicitur alia numero plurali, vt naturam eius indefinitam ostendamus. *Plot. En. 2. lib. 4 cap.* 13. Materiam qui qualem dicunt, quia priuata est qualitate, omnia faciunt qualia & essentiam, & quantitatem: at ridiculum est aliquid fieri quale ab eo quod non est quele. *idem, ibid.*

Materiam infinitum ipsam esse necesse est, non tamen vt secundùm accidens, atque ex eo quod materiæ accidat infinitum: nam quod accidit, ratio est quædam, infinitum verò non est ratio, & infinitum aut termino, aut terminato accidit, materie non est nec terminus, nec terminatum. *Plo. En. 2. lib 4. cap. 15* Materie non idem est cum alteritate simpliciter, sed cum alteritatis parte videlicet opposita ad ipsa quæ præcipuè sunt, quæ rationes existunt. *Idem, ibid. cap.* 16.

Materia non habet passionem, nam velut in quodam insomnio incidit quod in materia incidit, & ipsam impatibilem restare permittit. *Plot. En. 3. lib 6. cap. 7.* Materia corrumpi non potest. *Idem, ibid. cap* 8. Materia non est quod patitur, sed compositum simplex enim à nullo pati potest, sed omnibus agentibus sub se vt medium potest subesse. *ibid. cap. 9.*

Materiam quæ ingrediuntur, priora inde expelluni, & in composito esse passionem putandum est, & non in omni composito, sed in eo, cui opus est antecedente forma, vel recedente, & quod per alicuius absentiam defectum in constitutione propria petitur, per præsentiam verò perficitur: at materia nec accedente elio plus habet, nec recedente minus, perseuerat enim quod ab initio fuerat. *Plotin. En. 3. lib 9. cap.* 11.

Materia si patitur, alterum è duobus accidit: vel alterata materie à seipse discedit, vel non discedens non alteratur; at vt materia est, non licet alterari, sed permanere, & vt illic immutabilis, & hic necesse est immutabilem esse meteriã. *Plo. En. 3. li. 6. cap* 10. Materie nec figuram, nec magnitudinem habet vllam, & passionis expers est, & formarum præsentiã solùm est apparens, vt imaginum non præsentium. *idem, ibid. cap.* 12. Materia si non esset, nihil subsisteret præter entia *ibid. cap.* 14.

Materie impossibile est vt sit absque ente, nam hæc natura est entis, entia facere; & cùm non ens cum ente misceri non potest, certè nonnihil mirabile prouenit, & participat non participans, & ipsa propinquitate nanciscitur aliquid quamuis suapte natura conglutinari non valeat: relabitur verò velut ab aliena natura quod accepit. *Plotin. En. 3 lib. 6. ca.* 14.

Materia cùm sit inualidior anima, nihil habet entium proprium nec verum, nec falsum, nec quicquam per quod appareat, cum in omnium solitudinem sit reiecta, est autem causa cæteris vt appareant, & est nonnihil ab omnibus entibus destituta *idem, ibid. cap.* 15.

Materia nec imitationes entium potest sibi conciliare, & sic certè nec hoc pacto est magnitudo. *Plot. En. 3. lib. 6. cap.* 17.

Materiam quæ intrant nihil eam lædunt, nec vtilitatem aliquam afferunt, nihil enim patitur vel aduenientes, vel recedente frigore, ideò eius nomen proprium est susceptaculum & nutrix. *idem, ibid cap.* 18.

Materia quando multum disposita est, tunc agens causa quantuncunque imbecillis, citò producit effectum, sic stupam & sulphur fauilla ex suscipientis aptitudine accendit, & potentissima causa in non dispositam materiam operatur. *Fic. in epid. Auxil. cap.* 2. Materiam communem quæ habent, mutcem confundi possunt, & quæ aliorum sunt partes in illa restituit. *Idem, de lumine, cap.* 15.

Materia & corporis moles est ab alio, & in alio mouens: ab alio, quoniam ab anime necessariò agitatur: in elio, quia in loci spacio agitatur. *Ficin. in Plato. conuiuium. or. 2. cap. 3.* Materia animæ ornatum appetit, anima mentis decorem; Hæc omnia ipsum bonum decoris fontem sitiunt, decore ipso quasi quedam boni ipsius prælibatione pellectâ. *idem, in Plat. Phil lib. 1. cap.* 30.

Materiæ summum bonum non ipsa quantitatum, & qualitatum differentia est, sed vnus ex omnibus decor, ex vnius animæ vita vna. *Ficin. in Plato. Phileb. lib. 1. cap.* 31. Materia cùm est ipsa omnis passiua potentia, actiuam solam exigit, non passiuam potentiam. *Idem, in Plato. Phileb. lib* 2. *cap.* 1.

Materia naturâ suâ caret ordine, quem assequitur ab alio. *Fic. in Plato. Timæum, cap.* 14. Materiæ quod est corporalis species, id ratio, & intelligentiã est in anima, qua si caruerit, materiam inordinatè mouebit *idem, ibid.* Materiam coniectare possumus non tam per ideam propriam quàm per ideam formæ à Deo procedere, neque antecedenti proposito, sed quodammodo consequenti, ab intelligentia, vt ita dixerim, adinuentam. *ibid. cap* 39

Materie nõ per eliam proprietatem, quàm per saipsam ab eliis diuersa censetur, est igitur materia quodammodo ipsa diuersitas, siue maxis alteritas. *Fic. in Plot. En 2. lib. 4. cap.* 13. Materia sola nullius est finis, cui quicquam naturalit ordine seruiat, sed ipsa duntaxat omnibus seruit *idem, ibid. cap.* 14. Materiæ quidquid addideris, cùm ipsa sit prorsus indefinita, eris finis, & illam definiet. *ibid. cap.* 15.

Materia hæc, quia verum eliquid accepit nunquam, nec qualecunque videtur accipere, ob naturalem falsitatem verè accepit, ideò impletur nunquam, sed semper affectans transmutationi perpetuæ præbet occasionem. *Fic. in Plot. En.* 3. *lib. 6. cap* 3. Meteria dicitur infinita, quia terminis indigens est, & eos ab alio postulat. *Idem, in Plot. En. 2. lib. 4. cap.* 3. Materia est in causa mutabilitatis rerum, & nisi essent quædam è materia segregata, ordo consequens & perpetua successio similium transmutatione rerum conseruari non posset. *Idem. in Plo. En 3 lib. 9 cap.* 4.

Materia diuersa est in causa diuersarum apparitionum, quæ in meteoris fiunt. *Io. Franc. Pic. Mir. de praenot. lib. 5. cap.* 5. Materiam à priuatione differre putauit Plato, etsi non adeò apertè verbis explicauit vt Arist. & cum eam per se ens dicat, per accidens non esse aliquid dicit. *Gab. Burat. de materia & priu. lib* 10. Materia & à physico, & à metaphysico consideratur nam homo si definietur per materiam, & in comparatione ad motum, est physicæ considerationis, si consideratur vt substantia, est metaphysicæ. *Gab. Burat. de iden li.* 1

Materia vt prima, genitaque, vitiosa, & vt primum principium.

Materia prima quæ receptaculum & mater esse debet eius quod factum est, & quod videri potest, nec terra, nec aer, nec ignis, nec equa dici debet, nec quæ ex his, neque ex quibus hæc facta sunt, sed species quædam quæ videri non potest, & informis est, & omnia suscipit; quam si eius quod intelligentiã percipitur inexplicabili quodam modo participem esse, & difficillimè comprehendi posse dicamus, non mentiemur *Plat. in Timæo.*

Materiæ origo pendet ab æuo, vt ex Deo æuum. *Mercurij Trismegisti Pimander, cap* 11. Materiam improcreabilem, incorruptam commemoret Pleto, non ignem, neque aquam, nec aliud ex elementis, sed ex omnibus primam figuram capacem, factionique subiectam, adhuc rudem, & figurationis qualitate viduatam *Apul. de dog. Pla. lib* 1.

Meteriã, quæ simplex est materia, oportet & magnitudinẽ ab alio accipere, & nõ oportet id esse molẽ, quod est speciẽ suscepturum, imò dum fit moles qualitatẽ quoque aliam suscipit & visum & imaginem molis babet, vt quæ cum prima sit, aptitudo quædã est ad illam. *Plotin. En. 2. li. 4. ca.* 11. Materiã si incorruptibilem seruare necesse est, oportet eam dicere solùm in potentia esse, vt id ipsum quod est permaneat. *idem, En. 2. lib. 5 cap* 5.

Materia in nihilum resolui non potest. *En.2.lib.9.cap.5.* Materia & ingredientibus formis,& egredientibus impatibilis, & eadem permanet. *En.3.lib.6.cap.15.*

Materiam ponere pro rerum principio, quæ in potentia est, neque actum ipsum potius potentiæ anteferre,absurdissimum esse videtur. nam fieri non potest, vt quod est in potentia, ad actum aliquando prodeat, si modo id quod est in potentia ordinem in rebus principij tenent, sed oportet, quod actu est,esse ante ipsum. *Plo.En.6.lib.1.cap.26.*

Materia si esset primum principium, mille sequerentur absurda. *idem,ibid.cap.27.*

Materiam qui posuerunt principium primum, errauerunt, quia sensum sequuti sunt, corpora enim res veras existimarunt. *Plot.En.6.li.1 cap.28.*

Materia prima cogitatur vt potentia informis, sed naturaliter capiendæ formæ parata: qua informis est, malum est, nec sic appetit bonum; qua ratione potentia parata formæ,non est malum, & sic appetit formam præsertim occulto quodam suæ deformitatis odio. *Idem,En.6.lib.7.cap.28.*

Materia ipsa quoque cum ab opifice, patréque omnium facta sit,meritò perfectionem quandam sui acquisiuisse potest ad deos suscipiendos: & superiora nil prohibet ad inferiora lumen infundere, ergo nec materiam permittunt expertem fore superiorum, ideò quantumcunque informe ad deorum susceptionem non est ineptum. *Iamblichus. de myst.*

Materiam produxit Deus materialitate videlicet ab essentialitate subderiuata, quam opifex vitalem assumens, simplices impartibilésque sphæras effecit, ipsius verò postremum accepit ad generabilia & corruptibilia corpora facienda. *idem,ibid.*

Materiæ primæ Stoici nullam dederunt formam,nec qualitatem,alij formam,vt Thales, aquam puram, vt rerum initium, itidem Homerus; & vt Anaximenes aerem,& Heraclitus ignem, alij immobilem sine ortu & interitu, vt Xenophanes, Melissus, Parmenides, sed Parmenides vnum perfectum & definitum, Melissus infinitum & indeterminatum; Empedocles variam & multiformem materiam docet substitutam quatuor radicibus ignis, aquæ,aeris, & terræ,& ex his modo concretionem fieri modo discretionem. Aristoteles eam absolutâ formâ carentem constituit, & mundum sine interitu esse diuinâ prouidentiâ perpetuitate propagatum, ac sine genitura. *Chalcid. in Plo. Timæum.*

Materiam primam originem rerum esse consentiunt Pythagorei,Platonici,Stoici,quam Plato materiam primam appellauit, rerum receptaculum, matrem, nutriculam totius generationis: Platonici verò appellant Syluam,quæ nec figuram,nec speciem,nec qualitatem habeat, non quod sine his esse vnquam possit,sed quod hæc ex propria natura non habeat. *Chalcid.in Plat. Timæum.*

Materia prima nec ignis, nec terra, nec aqua,nec spiritus est, sed materia principalis, & corporis prima subiectio,in qua non qualitas, non quantitas, non figura,non forma ex propria natura, sed virtute opificis hæc ei coniuncta est,& connexa, vt ex his vniuerso corpori & singillatim perfecto, communiter varietas comparetur. *Chalcid. in Platon. Timæum.*

Materia prima nec corporea, nec incorporea ex sua natura est, sed possibilitate corpus, & possibilitate non corpus. *Chalcid.in Plat. Timæum.*

Materia prima,vt cuius nulla est qualitas, nullàque forma,nec in contrarias qualitates, nec in diuersas formas patitur conuersionem, & quia semper eadem manet, certo nomine appellari firma potest. *Idem,ibid.*

Materia cuiusuis rei proxima generabilis esse potest,resoluta autem in vltimam ingenerabilis est; principio abolito nec ipsum ex alio, nec aliud ex ipso vnquam generabitur. *Syrian in 2.metaph.*

Materiam & formam materialem nunquam Plato posuit rerum principia. *Bess.Card.in calum.Plat.lib.2.cap.5.* Materiam & formam qui corpora animata existimant priusquam mundus fieret, temerè solita moueri,falluntur. *idem,ibid.*

Materia etsi secundùm Platonem sit æterna, & deus sit æternus, tamen non coæterni sunt, nam æternitatis multi sunt gradus apud Platonem. *ibid.*

Materia nec ex se est,cum imperfecta sit,& non agat ex se,nec ex qualitatibus, quæ antecellunt ipsa, sed ex forma quadam, quæ materiam antecedit,talis est incorporea, in talis formæ virtute & operatione fundantur qualitatum virtutes, & operationes, postquàm in illius opere opera superfundantur illarum. *Fic.Theo.Plat.lib.1. cap.3.*

Materia prima nunquam corrumpitur,quia totius naturæ corporalis est fundamentum, quo dirupto omnis mundi machina corruet; nec vnquam in partes dissoluitur, quia per naturam suam non est ex partibus constituta, partes enim per quantitatem fiunt, materia verò quantitatem præcedit, est enim qualitatis & quantitatis subiectum,& illi nulla est contraria qualitas, quia omnes simul sumit: & si materia nô interit,multò minus interibit vis naturalis,quæ est materiæ domina. *Fic.Plat.Theol.lib.5. cap.4.*

Materia infima omnes formas habet in potentia passiua, quas per successionem à superioribus suscipit patiendo, in virtute autem effectiua nullam habet. *Fic.Plat.Theol.lib. 10.cap.5.*

Materiam primam producit & vnit Deus, ordinat angelus, format & mouet anima rationalis. *idem,ibid.lib.5.cap.4.*

Materia prima vt neque per aliquam sensibilem formam corporali corruptione corrumpitur, nam per has formatur, nec per aliquam intelligibilem speciem, ab his enim perficitur; sic mens vltima neque per aliquam intelligibilem speciem spirituali corruptione destruitur, ab his enim perficitur,neque per aliquam sensibilem formam corporali perit corruptione, præest enim menti, & non subest corporalibus speciebus,nec in mentem transit corruptio corporalis, vt non transit in materiam corruptio spiritualis. *Fic. Plat.Theol.lib.2.cap.8.*

Materiam primam Deus disponit ad species naturalium producendas per qualitates primas,id est per raritatem, densitatem,leuitatem, grauitatem,caliditatem,frigiditatem,humiditatem,& siccitatem,quæ qualitates sunt,& præparationes materiæ potius quàm formæ principales, quia pluribus competunt speciebus, & intenduntur, & remittuntur,& per has suscipit formas elementorum. *Fic. Plat. Theol. libr. 10. cap.5.*

Materia vna est vmbra vmbratilium infima,vt ius Deus lux vna luminum; materia ob nimias tenebras ignota est. Deus ob nimiam lucem est incognitus. *Fic.epist.lib.2.* Materia & rerum principium sunt ignota,sed materia ob lucis defectum, principium ob lucis excessum. *Idem,in Dion. Areopag. de trini.*

Materia propter potentiam & appetitum ad bonum,& eius necessitatem in vniuerso appellationem boni non æquè vt essentiæ nunquam amisisse videtur. *idem,ibid.*

Materia prima habet causam apud superos diuinam,exemplar verò non habet. *Fic.in Plat.Parmen. cap.7.* Materiam qui cogitare vult,cogitur illam ab omni forma exuere. quod est contra consuetum cogitationis effectum. *Idem, ibid. cap.35.*

Materia prima ita nullo modo est,vt essentiam formalem per se nullam habeat, & participatione vnius existit vnum. *ibid.*

Materia prima prorsus informis cùm careat qualitate,meritò neque similitudinem habet,nec identitatem,nec alteritatē. Hæc enim sunt formalia quædam, nec habet motus vllos, quoniam ad formas attinent, nec differentias quantitatis, cum materia est quantitate prior. *Fic. in Plat. Parmen. cap 36.*

Materia prima suapte natura prorsus informis est nec vnum illud formale,nec aliquid illius intus naturaliter habet, nec habet multitudinem, numerúmve formalem. *idem,ibid.*

Materia etsi omnium vilissima tamen seruat se sub omnibus vna. *Fic.in Plat.Phileb.lib 1.cap.22.* Materies omnibus est communis vna, quæ ideò vna dicitur, quia vnius Dei superè eminentiam sequitur, & vni actui est subiecta;neque ex eo quòd incorporeis hæc materia conuenit in eisque incorporea ideò à corporeis dissentit formis: nam in his quoque est incorporea: antecedit quantitatem cuius dimensionibus corpora constant,imò quæ hic qualitatibus & virtutibus incorporeis sufficit, illic quoque ideis sufficiet; illic corporale aliquid quodammodo sustinet, corporum scilicet rationes, hic non nihil incorporale impartibiles qualitates. *idem,in Plat.Phil.lib 2.cap.1.*

Materia infima perpetuò in omnibus generandis ad ipsam boni vergit similitudinem, vt appareat hanc à bono pendere potius quàm à mente: quippe cùm mentis actio, quæ per formas fit ideales terminetur ad formas. Boni actio vtpote amplissima vltra formas descendit in materiam & efficit bonorum auidam & capacem: quam in Philebo infinitudinem appellauit Plato. *Fic.in Plato.Timæum,cap.11.*

Materia infima appetit bonum appetitu non infimo. *Fic.in Pla. Timæum,cap.11.*

Materiam ante mundum absque ordine fuisse iactatam, expone,potentiam animæ motricem etiam ante intelligentiæ munera, potuisse materiam agitare, sed procul ab ordine. *idem,ibid.cap.39.*

Materiam ex Platone,coniectura elicere possumus, tribus modis factam, vel ex nihilo à Deo creatam & simul tempore formatam; aut non de nouo peperisse, sed ab æterno ornasse; aut semper à Deo fuisse. Scientiâ verò affirmamus,

materiam existere ex causa certa, intellectuali, voluntaria libera. *Fic. in Plat. Tim. cap* 14.

Materia cùm primum subiectum sit, æque ad omnes formas expositum, nullam sibi propriam vendicat formam, & nihil formale: & huic nihil formalis intrinseci & absoluti boni proprium est. *Fic. in Plat. En.* 1. *lib.* 8. *cap.* 4. Materiam, innuit Plotinus hic & alibi, à natura, id est ab infima animæ virtute generari; ab anima siue patiente vt alicubi legitur siue præsente quod legi rectius puto. *idem, ibid. cap.* 14. Materia, & Deus non sunt æque principia, nam nulla est causa differentiæ quòd Deus sit summè bonus, & agens materia mala, & patiens. *idem in Plat En.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2.

Materiam artifex ipse antecillit, summâ libertate materiæ dominator, & in formanda non laborat ne transgressio vnquam contingat in opere: ideò pro natura, pro ratione pro volontate sua potius, quàm pro quantitate mouet. & format materiam. *Fic. in. Plot. En.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. Materia pora nominabilis tantum est. *idem, ibid.*

Materia in mundo corporeo propter extremam inopiam, & inexplebilem appetitum dicitur mutabilitatis origo. Merito talis est vbi formæ materiales euadunt: in mundo vero incorporeo non talis, vbi materia penitus sit formalis. *Fic. in Plot. En* 2. *lib.* 4 *cap.* 3. Materia dicitur informis, quia formâ deterior, nec tamen omnino nihilum *idem ibid.*

Materiam binarium Pythagorici nominabant, quia sicut binarius est ab vnitate numerali processus, sic superioris mundi materia est à diuina vnitate processio. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. Materia non est dimensio, alioqui dimensio esset substantia. *idem, ibid. cap.* 12. Materiæ dimensionem interminatam dare nil aliud est, quàm consiteri materiam ad dimensionem quamlibet id indifferenter habere, vt ad quãlibet qualitatem *ibid.*

Materia est penitus segregata, vt & primum principium segregatum est. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib.* 4 *cap.* 13. Materia est infinitudo, id est aptitudo per se formabilis, nullos per se formalea in se fines possidens. *idem, ibid cap.* 15. Materiæ primæ potentia non est conferenda cum reliquis potentiis, nam cæteræ sunt in subiectis, hæc omnium naturalium est subiectum. *ibid. cap.* 17.

Materia prima cùm sit malum, id est maximè distans à bono, non sic appetit bonum, vt naturale aliquid sibi vendicet, sed vt quandam imaginariam sibi inde vestem inducat. *Fic. in. Plot. En.* 3. *lib.* 6 *cap.* 3. Materia ob suam debilitatem nequit motum euitare, vel absque tali distractione suscipere formas id est vt vna cum qualibet specie venit propria qualitas in materiam, sic & abeat vnà cum specie, & ad nouæ speciei aduentum noua fiat quantitas, vt & qualitas propria speciei, & quantitas producitur in materia secundùm distanciam ex quantitate virtutis agentis, motúque formali. *idem, ibid. cap.* 4.

Materia cùm ob extremum virtutis defectum semper egeat sustentaculo, nec fundamentu inferiori possit inniti, nihil enim est illâ inferius, nacta est superius sustentaculum id est naturam, vt & natura animam: tum materia ab essentia naturæ pendet & ab ipsa mentis essentia. *Fic. in. Plot. En.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3. Materia primo si omnibus tum mouentibus tũ formis est subiecta non est principium rerum. *idem, in Plot. En* 6. *lib.* 8 *cap.* 27.

Materiam primam Plato non vult esse nihil, imò receptaculum formarum, nutricem & alia vt in Timæo. *Io. Pic. Mir. de vno & ente, cap.* 5. Materia prima dicitur ab Aristotele subiectum vniuscuiusque primum, ex quo quidpiam fiat non ex accidenti, vel si corrumpitur in quod vltimò resoluitur; ex quo fiunt quæcunque fiunt: & in quod ea ipsa corrumpẽtur. *Io Fra. Pic. Mir. de materia prima, cap* 2. Materiam primã analogiâ cognosci voluit Aristoteles; Plato verò notâ ratione; Auerroes verò ita eam ex transmutatione cognitam voluit, vt ex operatione forma cognoscitur. *idem, ibid.*

Materia prima, & vniuersalia quodammodo habent ideas in Deo imitationis, & cognitionis: cognitionis, quia Deus eam cognoscit distinctam à forma; habet ideam imitationis quia Deum authorem suum imitatur quantum potest. *Gabriel. Bura. de ideis lib.* 1.

Materia principij cuiusdam rationem habet, & alia principia Plato introducit, exemplar ad quod ideæ reducuntur, & principium paternum, quod ad Deum rerum omnium principium refertur. *Alc. cap.* 9.

Materiæ primæ nullas formas inesse Aristoteles vult, sed absolutam ad eas excipiendas potestatem, in eóque alios multis locis reprehendit, qui in illa ponunt rerum omnium cõfusas formas, quas in ortu volunt esse distinctas, & in eum ordinem adductas, quem nunc in vniuersitate obtinẽt, quæ Platonis in Timæo non obscura extat sententia. *Iac. Carp. in Alc. præfat.* Materia prima etsi non solùm sit in potestate, sed sit potestas ipsa, assentior tamen Iulio Scaligero philosopho ætate nostrâ acutissimo, eam suâ essentia verè vnum esse naturæ principium, partémque quodammodo compositæ rei naturalis, formarum fundamentum, & subiectũ substantiarum quæ sunt cum materia coniunctæ. *Iac. Carp. in Alc. cap* 7.

Materia prima in sensum cadere non potest, cùm non sit hoc aliquid quia quod hoc aliquid non est, nec vllius qualitatis particeps est. tangitur tamen quodammodo quia rationem habet subiecti, ideò adulterino modo tangitur, vt etiam adulterino intelligitur *idem, ibid.*

Materia prima propter mutuam quatuor elementorum commutationem à naturalibus philosophis fuit adinuenta. *Leo Heb. de Am. dial* 2.

Materia prima à nonnullis meretrix appellata. *Idem, ibi.* Ex Materia prima tanquam ex communi radice rerum omnium inferiorum generatio, & corruptio. *ibid.* Materia prima formas omnes, vt fœmina marem ingenti amore prosequitur. *ibid.*

Materia vt se habet ad formam.

Materia cùm omnibus formis penitus careat, omnésque suscipere debeat, non est corpus, nec incorporea, sed potentiâ corpus. *Alc. cap.* 8.

Materia non habet suapte naturâ vim vllam formarum procreatricem quia formare seipsum non potest informe subiectum, cùm nihil omnino agere queat, si quidem actio à forma prouenit, à qua prouenit esse: ac si materia, quæ subest arti, quamuis forma non careat, non tamen à seipsa, sed ab artis forma ad formam ducitur artificij: certè materia, quæ naturæ subijcitur, cùm sit informis, non à seipsa, sed à natura formæ ad formam ducitur naturalem. *Fic. in Plat. Theo. lib.* 1 *cap.* 3.

Materia longius ab ente distet, quàm forma, quandoquidem, forma materialis ens verum refert velut imago, materia non refert, nisi fortassis vt vmbra, vel potius vt oppositum; si quidem tam informis materia sit, quàm essentia vera formosa. *Fic. in Plat. Parm. cap.* 43.

Materia vt sit vnum aliquid definitum sortitur à forma, per quam subit hanc speciem, vel illam. vt autem sit vnum, & id quidem indefinitum, habet ab ipso simpliciter vno, quoniam ab hoc solo dependet, vt penitus infinito. *idem, ibid.* Materia re ipsâ à forma nunquam separari potest. *ibid. cap.* 60.

Materia æque se habet ad omnes formas, ideò per ipsam nihil tale nominatur, sed per formam. *Fic. in Plat. Phi. lib.* 1. *cap.* 29.

Materiæ naturales conuersio est summum bonum quæ conuersio est quædam actus expletio, id est, vt per actum vnũ ad vnum reflexa, omnis actus fiat, formis omnibus insignita. *idem, ibid. cap.* 31.

Materia non fit ab artifice, sed forma; materiam natura gignit. *Fic. in. Plat. Phi. lib.* 1. *cap.* 31. Materia per hypostasim ad vnam conuersa animam actúsque animæ, perque animam ad mentem. & per mentem ad bonum ipsum, formis omnibus exornatur. *idem, ibid. cap.* 31. Materia diuinæ præstantiæ necessitatẽ necessariò comitatur, bonitatẽ aspectus formæ; quæ materia parum distat à nihilo. *idem. Plat. phi. lib.* 2. *c.* 1.

Materia nusquam totam formæ habet plenitudinem, & cùm vbique ad recipiendum parata sit, adhuc quod superest appetit potestque accipere, & in diuersis accipere partibus; igitur & temporum & locorum interuallis diuersis, diuersis modis suscipit eandem formæ naturam. *Fic. in Plat. Phi. lib.* 2. *cap.* 3. Materiæ & formæ inuicem coniũctarum, non duo sunt esse, sed vnum, vt operatio emicat vna, nam materia ipso esse formæ existit. *Idem, ibid. cap* 4.

Materia cum extensione quadam semper accipit formas, quoniam ad motum formæ super eam diuinitus procedentis, vbique protrahitur, naturâ eius libenter protractioni cedente, parétque vbique cuilibet moli, quoniam nullam sibi proprium possidet molem. *Fic. in Plot. Enn.* 3. *lib.* 6 *cap.* 4. Materia nullam affert formarum propriam varietatem, sed formæ defectum. *Fic in Plot. En.* 5. *lib* 7. *cap.* 2. Materia non tantùm naturâ, verum etiam tempore quamlibet formam sibi aduenientem præcedit. *Leo Heb. de Am. dial.* 3.

Materia vt inferiorum & superiorum.

Materia eorum quæ gignuntur aliam & aliam habet semper speciem; sempiternorum verò materia eadem semper possidet idem: & in sempiternis semper materia simul est cuncta. Hic nihil semper est idem, & sic cùm cuncta possideat non habet in quod valeat permutari: nunquam ergo illic est in formis *Plot En* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. Materia diuinorum intelligibilis vtrum sit sempiterna nec ne, perinde se habet ac si quis percontetur an ideæ sint sempiternæ. *idem, En.* 2

necesse est vtique animam eut à se, aut à mente, aut è se & à mente eas accipere : at si à se duntaxat, quomodo hæ intellectibilium erant formarum imagines? quomodo inter impartibilem & partibilem naturam fuerint mediæ, nullum à primis quo ad esse perfectionem sortitę? quomodo demum ea, quæ in mente sunt, primaria sunt omnium rerum exempla? si verò ab illa tantùm, quo pacto vis illa exercendi, & mouendi sui, quæ in anima est permanere poterit? siquidem quæ in ipsa sunt rationes iuxta eorum, quæ ab alio mouentur, substantiam aliunde in ipsam fluxere? Præterea in quonam anima differt ab ipsa materia, quę potentia solùm omnino est, & nullam prorsus formarum materialium gignit? Restat ergo animam & à se & à mente has producere, & ipsam formarum plenitudinem esse, quæ ab intelligentibus exemplis oriuntur, & ex sese ad esse transitum sortiuntur. *Procl. in Eucl. lib. 1. cap. 6.*

Mathematici finis est, planam, & in tres per rectam naturam dimensionis cognoscere, motúmque ad cœlestium progressus suspicere, atque ita summe quadam mathematici speculatio proponatur. *Alcinous cap. 7.* Mathematicæ cum de forma tantùm quærant, necessarium est si ea quæ tractant in opus redigi debent, indigere aliâ quadam vlteriori notitiâ, quàm quæ ab illis tredita est. *Auerroes, in republica. Plato. tracta. secundo.*

Mathematicarum disciplinarum studiosissimus fuit. *Plato. Bess. Card. in Calum. Plat. lib. 1. cap. 8.* Mathematicis sine disciplinis intelligi non possunt libri Platonis. *idem, ibid.* Mathematica per numeros diuina significant, per mensuras verò naturalia, ideò media sunt inter diuina & naturalia. *Fic. in Plato. Timaeum, cap. 1.*

Mathematica sapientes non facit, qeare veteribus puerorū studium fuit: immo qui ei soli totum se tradit, occasiones errorum in philosophia maximas parit teste Aristot. *Ioannes Pic. Mirandul. in Astrologiam lib. 12. cap. 2.*

Mathematicarum probationes, modi, causa.

Mathematica duplices habet vires, vnas in multitudinem principia deducentes, & diuersas contemplationis semitas gignentes, alteras multos transitus proprias in suppositiones colligendi vim habentes. *Procl. in Euclidem, lib. 1. cap. 7.*

Mathematicæ demostrationes debent problematibus accommodari, triplices enim sunt, vnæ quæ menti sent propriores, alteræ quæ cogitationi magis appropriatæ, tertiæ quæ opinionem non attingunt *idem, ibid.*

Mathematicæ omnes probationes sunt vel à principijs, vel ad principia, & quæ à principijs, vel à communibus notionibus, vel ab ijs, quæ præostensa sunt, quæ ad principia, vel ponendi, vel destruendi vim habent, quæ ponendi, resolutiones appellantur, quę ad destruenda, deductiones ad impossibile. *Procl. in Eucl. lib. 3. commen. 10.*

Mathematicâ industriâ aliter vtitur contemplator aliter practicus; ille quidem numeros & vnitates considerat per se formaliter existentes: itaque apud illum nullum vnu differt ab vno, nec binarius à binario. Hic autem numeros in rebus, & res considerat numeratas. *Fic. in Platon. phil. lib. cap. 54.*

Mathematicæ probationes omnes vel à principijs sunt, vel ad principia: quæ à principijs, duplices sunt, aut à communibus notionibus, à soléque euidentia per se fidem faciente emanarunt, aut ab ijs, quæ præostensa fuere: quæ ad principia, vel ponendorum principiorum, vel destruendorum vim habent: ponendi principij vim habentes resolutiones appellantur, his compositiones opponuntur, nam fieri potest vt à principijs illis ad quæsitum ordine progrediamur, & hoc eil eliud est quàm compositio: destruendi verò vim habentes deductiones ad impossibile nuncupantur. *Iacob. Carpent. in Alcin. 1. digr. ss. de anal. meth.*

Mathematica vt à se & ab alijs differunt

Mathematica essentia medium obtinet locum inter impartibiles substantias, & partibiles, vnde scientiâ inferior est, opinione perfectior. *Proclus in Euclidem, lib. 1. cap. 1.* Mathematice Geometriem, & Arithmeticam continet. *Alcinous, cap. 3.*

Mathematicæ formæ in ordine rerum præcedunt physices, tanquam minùs egenæ, & magis simplices. *Fic. de vita cælitus compa. lib. 3. cap. 17.* Mathematicæ ita se habent ad diuina, vt vmbrę ad corpora. *Idem. in Plato. Theat.* Mathematice media sunt inter diuina, & naturalia. *Plato. in Timæ. cap. 1.*

Mathematicis ad physica congruitas maxima est apud Platonem. *ibid. cap. 23.*

Mathematica primò Alcinous proponit ante physice quia formæ mathematicæ minus absconditæ sunt quàm naturales, & quia cùm mathematicus in abstractionibus versatur, illis indigemus in naturalibus sermonibus generalibus. *Iacob. Carp. in Alcin. cap. 6.*

Mathematica ipsa sunt in naturalibus, & omnia sortiuntur, habent naturalia: eùm autem per imaginationem se[illegible]guntur, non amplius illa sibi conueniunt, quoniam in naturalibus finis est per actum motu acquisitum. *Stephan. Conbeat. de transitu mentis in Deum lib 6 cap. 3.*

Mathematica & à quibus & ad quid inuenta & reiecta.

Mathematica studia duabus de causis neglecta sunt, quia difficilia sunt, languidè quæruntur, præceptore opus habent qui quærunt, aliter non reperire possunt, quem contingere difficile est; & si contingat, alia causa est, non parerent ei qui hæc imago fastu elati quærunt. *Plato de rep. dial. 7.* Mathematicæ circa id quod est somniant, reuera autem id videri impossibile est ipsis *idem, ibid.* Mathematica qui non cognouit, nō facilè se assecuturum sperabit diuinam originem, & eorum quæ ad visum exposita sunt pulcherrimam & diuinissimam naturam, quantum Deus hominibus conspiciēdam dedit *idem, in legum appendice.*

Mathematicæ ad philosophiam vtiles sunt, & Theologiæ apprehensionis intelligentiam præparant; & Plato admirabiles de deis sententias per mathematicas formas nos docet; nec non ad politicum mathematica vtilis est. *Proc. in Euc. lib. 1. cap. 8.* Mathematica scientia propter se expetenda est, non propter vsus humanos, nam finem ad mentem, & ad vniuersam sapientiam referre debemus. *idem, ibid. cap. 9.*

Mathematicarum disciplinarum cognitionem qui contemnūt, voluptatem quæ in ipsis est, non degustarunt *ibid.*

Mathematicæ facultatis pars quæ ad numeros spectat, non mediocrem ad diuina percipienda vim præstat: verum ab errore & ignorantia, quæ circa sensibilia ista versatur, eos liberat, opem ferens ad essentiæ cognitionem, promptúmque ad certamen propter consequentium rerum, ordinisque peritiam hominem reddit. *Alc. cap. 7.*

Mathematicæ circa accidentia versantur, quæ nullam habent ex sese firmitatem; & cùm substantia non accidente intellectio perficiatur mens, ideò si ad intellectum referantur, eius perfectio intellectile non esset, ideò non ad naturam, non ad mores viles, sed puerorum ludus erant. *Ioan. Fr. Pic. Mirand. exam. vanit. doctr. gentium, lib. 3. cap. 6.*

Mathematicas scientias iuuenes discere debent, turpe enim est & hebetis ingenij ea ignorare, quæ singulis quibusque horis necessaria sunt. *Fran. Patric. de republica, lib. 2. cap. 2.* Mathematicarum inuentores fuere, Arithmeticæ, & Geometriæ Thales Milesius; & Pythagoras, famius postea omni cultu absolutas reddidit. Sed Aegyptij Geometriæ inuentione gloriantur, vt Phænices Arithmetices, & Geometriæ. *idem, ibidem.*

Mathematicas ponit Plato inter scientiam & opinionem, quia inter physicam id est corporum notitiam, & metaphysicam id est certam scientiam sint mediæ. *Seba. Fox. in 7. Plato. de rep.*

Mathusala potuit ducentos & quadraginta annos vidisse Adam, & consuetudinem cum Noe plus quingentis annis ante diluuium habuisse. *Aug. Steuch. de perenni philo. lib. 2. cap 1.*

Matrimonia communia posuit Plato. *Apule. de dogm. Plat. lib. 3.*

Matrimonia dum fiunt miscere debent ingenia diuersa, iracunda tranquillis, sedato homini incitatior mulier applicetur. *Idem, ibidem.* Matrimonium procreat vel electio, vel connugenita concursusque ex omnibus, & hæc seqeitur generatio filiorum. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 14.* Matrimonio nihil homini creato prius præceptum fuit à Deo. *Ficin. epist. lib. 4.*

Matrimonia ciues ciuibus diuturnâ necessitudine coniungunt; infensos & inimicos conciliant, bella ad pacem & concordiam redigunt. *Francis. Patric. de republica, lib. 4. cap. 3.* Matrimonij deæ Iunoni cùm sacra aentiqui facerent, ab hostia fel eximere consueuerunt, quasi à re coniugali bilem atque iracundiam auferre oportere significantes. *idem, ibidem. cap. 5.*

Medicamenta, vstiones, sectiones, incantationes, emeleta, & alia huiusce modi quicquam non sunt profutura, nisi priùs ab ebrietate, & repletione, & rebus venereis, & ocio desistantur. *Plato de rep.*

Medendi ars somnijs est comparata diuinis. *Iamblic. de myst.*

Medicamentis frigidis diu adhibitis si æger non conualescat, ritè tandem ad calida transeundum est. *Ficin. in Plato, de repub. dialog. 5.*

Medicina.

Medicina est scientia amorum corporis ad repletionem, & euacuationem; & qui cognoscit in his honestum & turpem amorē, hic pro maximo medico habendus est, & qui transmutare potest vt pro altero amore alterum adipiscatur, & vt quibus amor non inest, cùm tamen inesse oporteat;

illic inducatur,& vt quibus inest eximatur,is profectò bonus fuerit opifex:oportet enim vt quæ inimicissima sunt in corpore,quantum eius fieri potest amica facere,& vt se mutuo ament efficere: inimicissima sunt quæ sunt maximè contraria, frigidum calido,amarum dulci,siccum humido. His cùm amorem inducere nosset Æsculapius, medicam artem instituit *Plat. in Symposio.*

Medicina est sciētia tuendæ sanitatis. *Plat. in Char.* Medicina est ars,quia eius quod curat,& naturam considerat,& causam eorum quæ facit,& singulorum horum rationē reddere potest. *in Gorg.* Medicina est ars,quæ corporibus medicamenta, cibos, & potus tribuit. *de rep. dial.* 1. Medicina inuenta est,quia corpus prauum est,& non sufficit ipsi vt tale sit,ideò commoda suppeditate illi debet. *ibid.* Medicina non considerat commodum medicinæ, sed corporis. *ibid.*

Medicina opus habere non vulnerum gratiâ,aut quorundam morborum per annum circuitum illabentium,sed propter desidiam, & victum luxuriosum dum fluxionibus, & ventis homines, velut paludes,implentur,ita vt elegantes Asclepiadas coegerint noua morbis nomina imponere,& flatus & defluxiones appellare,non turpe videtur. *Plat. de rep. dial.* 3. Medicina & iudiciaria tales in republica instituendæ sunt, quæ ciuium bonâ naturâ præditorum & corpora,& animas curabunt: contra verò affectos,si corpore tales fuerint,mori sinant.si verò animam naturâ malam habuerint, & incurabiles fuerit,ipsi occidant,ciuitati optimum fuerit, & ipsis qui hæc patiuntur,si hæc fiant. *idem, ibid.*

Medicinâ eadem eget & morbus qui ab anima in corpus,& qui à corpore mittitur in animam. *Max. Tyrius, sermo* 18. Medicina illa nobis quærenda est,ex qua corpus ad firmitatem accedat:sin minus,eam ex qua facile quodcunque corpus inuaserit malum,contemnere possimus:nam sani animi vir si aliquo corporis morbo detinetur,eius rei vel nullam habebit rationem, ideo eam partem curare oportet quæ semper eadem ratione constat,animum scilicet. *Idem, ibidem.*

Medicinis exquisitè purgantibus & iuuenes senes fiunt,vt ait Hippocrates,sed vbi diæta non sufficit,clystere,vel materiâ, vel aloe præsertim lotâ securus vteris.si aluus adstrictior,mannâ cum iure caponis, mirabolanique virtute. *Fic. de vita producenda, lib.* 2. *cap.* 17. Medicina omnis exordium à vaticinijs habuit. *idem, de vita cœlitus comparanda lib.* 3. *c.* 21.

Medicina sine cœlesti fauore sæpius est inanis, sæpe noxia. *Fic. in apolo. mundi vita.* Medicina in quolibet morbo cùm mali humoris non superat qualitatem, conuertitur in humorem,minuit vires,turbat corpus,pondus auget. *idem, epist. lib.* 4. Medicinæ origo,siue Hebræos & Arabes sequaris, siue Græcos. Ægyptios Theologos,ab ipsa diuinitate manauit. *ibidem.*

Medici, quæ in decumbente ægro conditiones viderint, quibus dehonestantur cadauera,futuræ mortis indicia prænoscant; contra quæ sani corporis honestamenta sint,ea futuræ salutis indicia fiot,vt oculi concaui,frigidæ aures & contractæ,arida frons,color viridis,plumbeus,niger,ni præsertim aut ventri solutiones, aut vigiliæ, aut ieiunia præasserint,& ex corporis positione quæ mortuis similis sit. *Io. Fran. Pic. Mir. de praen. lib.* 3. *cap.* 7.

Medicinam primus à studio sapientiæ separauit Hippocrates, quæ paulò post in tres diuisa partes est, diæteticam pharmaceuticam.& chirurgicam.& inter medicos alij rationales appellati,qui naturæ cognitionem necessariam esse arbitrabantur, quorum princeps fuit ipse Hippocrates. Alij eam in vsu, & experimentis locarunt, & Empirici vocati sunt, quorum dubium est,qui princeps fuit nam alij Serapium,alij Philippum Coum alij Acronem Agrigentinum, putant.qui etsi emperici erant, non tamen,vt nostri temporis empirici putant, ratione non pollerent,sed quod vsu & experientia comparari posse, nō ratione solum putarūt. Deinde & methodici fuerunt,qui ab vtrisque diuersi erant, auctore Themisone. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam van. doct. gent. lib.* 1. *cap.* 2.

Medicinæ inuentor fuit Apis Ægyptiorum Rex, qui ob hoc saluberrimum inuentum in deorum numerum relatus fuit, & Æsculapius de ea primus scripsit. *Fran. Patri. de rep. lib.* 2. *cap.* 3. Medicina in tres partes diuisa,vna quæ victu,altera medicamentis,tertia quæ manu mederetur. *idem, ibid.*

Medicus in republica Platonis non inutilis erit,vt externas ægritudines curet,& naturæ defectum à non naturali cognoscat. *Auerroes in rep. Plat. tract.* 1.

Medicorum diuinationibus hierobotanno herba confert. *Fic. Plat. Theo. lib.* 4. *cap.* 1.

Medici officium est cogitare, quando ægrotantes adit,agi de vita,& nihil sine ratione audeat attentare; nihil sine consilio. *Fic. epist. lib.* 3.

Medici humani officium est,& si minus sanitatem,semper tamen præstare prognosticon diuini pariter vtrunque complecti. *idem, ibid. lib.* 12.

Medici prudentes duplici vtuntur purgatione,leniente prima deinde soluente,sic moralis philosophus quasi leniēs antecedit,sequitur purgatio speculatrix, imaginationis morbos, idest deceptiones extirpans,quam ante moralem purgationem sumere non est tutum,nequis vitiorum morbis infectus,ipso speculationis acumine abutatur,ad iustitiam,& impietatem defendendam. *Fic. in Phado.* Medicus, vt medicus non exigit mercedem,sed vt miscetur cum mercenaria:eius enim finis est morbi curatio. *idem, in Plat. de Rep. dial.* 1.

Medici peritissimi certos inuicem succos quadam ratione cōmiscent,per quam in vnam nouamque formam plures,& diuersæ materiæ coeunt,vt vltra vim elementalem,virtutem quoque cœlestem mirifice naucisantur, quod in Mitridatis est manifestum. Ita & musici artificiosissimi grauissimas voces quasi materias frigidas,& acutissimas quasi calidas,& mediocriter graues,vt humidas mediocriter,& acutas vt siccas,tanta ratione contemperant,vt vna quædam forma fiat ex pluribus,quæ vltra vocalem virtutem consequatur in super & cœlestem. *Fic. in Plat. Tim. cap.* 30.

Medicis Romani multo tempore caruere, quia austeriorem vitam agebant. *Sebast. Fox. in* 2. *Plat. dial. de rep.* Medici,& iudicis similitudo est,non tantùm professione ipsa,sed etiā munere.medicus morbus corporis, iudex animi vitia curat: illa morborum peritus,& intelligens constitutionis cuiusque esse debet; hic ingeniorum,& morum ciuilium doctus; vterque senex aut saltem experimento peritus. *Idem, ibid. dial.* 3.

Medici boni dant operam vt ægrotantibus prosint,si queant; si nequeant,vlteriorem prohibeant ipsum. *Mar. Anton. Natta de pulch. lib.* 5.

Mediocritas nil aliud est, quàm medium inter excessum,& defectum,& cùm id sit optimum,ideo virtutes hæ mediocritates dictæ sunt,quod nos mediocriter affectos circa perturbationes humanas reddunt. *Alc. cap.* 26.

Meditatio non est amplius producenda,nisi quousque voluptas procedit. *Fic. de san. tuend. lib.* 1. *cap.* 8. Meditationes,& doctrinæ, tanquam collisiones quædam mutuæ luminum, ipsius primi boni gratia factæ, amorem tandem ad ipsum bonum in animo accedarunt, amor confestim traducit,& vnit,mox diuinum in animo sic accenso supernæ lumen effulget *idem, in Dion. Areop. de diu. nom.*

Medium.

Medium est quod æqualiter ab extremis abest. *Plat. in Parm.* Medium vnum sufficit ad duo plana connectenda. *idem, in Tim.* Media duo necesse est vt sint ad connectenda duo solida. *ibid.*

Mediū vnum sufficere inter duo plana intellige inter duas formas medium vnum satisfacere, idest formale :formæ enim cum formis deinceps,vbi per extrema sui sese contingunt, vno quodam formali medio congruunt, vtrinque partim quidem conuenientes, partim differentes. *Fic. in Plat. Timæo. cap.* 23.

Media duo inter solida conuenire, intellige inter composita naturalia duo diuisæ naturæ gemina media interponi,quorum alterum formale sit , alterum materiale. *idem, ibidem.*

Medium inter ens & nihil Platonici ponunt materiam, quæ & non ens dicitur & nonnihil *Fic. in Plot. En.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3.

Medium inter oculum & colorem est aer, non vt aer,sed vt diaphanum. *idem, in Prisc. Theophrast. cap.* 24.

Media quædam, quæ nec pulchra ,nec turpia vocari consueuerunt,duplicia esse comperiuntur. *Leo Hebræus de Amore dial.* 3.

Medulla facta est ex triangulis, quæ prima essent minimè intorta & lænia,& ignem,aquam ,aerem,& terram,maximè exacte exhibere poterant.ea Deus singula à suis generibus seorsum secernens,& congrua inter se miscens ipsam medullam efficit. *Plat. in Tim.*

Medulla est principium ossium. *idem, ibid.*

Medullam irrigat, quod per ossium densitatem percolatur. *ibid.*

Medulla ceruicis ad conseruandum spiritum animalem quam plurimum conferre censetur. *Fic. in Plat. Tim. cap.* 72.

Medulla Platoni videtur,vt elementum carnis,ossis,& nerui, quæ sanguine est,sed per concoctionem albescens,vt in semine experimur,quod Aristoteles & Galenus sanguini tribuerunt. *Ia. Carp. in Alc. cap.* 14.

Melancholia.

Melancholicus extitisse omnes viros in quauis facultate præstantes asserit Aristoteles, & Plato ait in libro de scientia ingeniosos plurimum concitatos & furiosos esse solere, & Democritus ait nullos magnos viros fore, nisi eos qui furore quodam perciti sunt: & Plato in phædro ait frustra poeticas fores absque furore pulsari. *Fic. de stud. san. tuenda lib. 1. cap. 5.*

Melancholia duplex est, altera naturalis, altera adustione contingit. naturalis nil aliud est quàm sanguinis densior & siccior pars. adusta in quatuor partes distribuitur, aut naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris, aut bilis aut salsæ pituitæ cumbustione concipitur. quæcunque adustione nascitur, iudicio & sapientiæ nocet. namque dum humor ille ardet, concitatos, & furentes facere solet: cùm extinguitur, subtilioribus partibus resolutis, restante sola fuligine tetra, stolidos reddit & stupidos at sola melancholia naturalis ad iudicium & sapientiam conducit, nec semper. si sola sit, atra, & densa mole offuscat spiritum. si pituitæ simplici misceatur, ad summum frigiditatis intenditur, quo in statu, nil speratur, sed tædet cœli conuexa tueri. si bilis atra vel simplex, vel mixta putrescit, quartanam gignit. Oportet ergo nec tam paucam esse, vt sanguis, bilis, & spiritus quasi fræno careant, vnde instabile ingenium & labilem memoriam esse contingat: nec tam multam, vt nimio pondere pergrauati dormitare, & egere calcaribus videantur. ideò oportet esse, quoad eius natura patitur, subtilissimam. *Fic. de stud. san. tuen. lib. 1. cap. 5.*

Melãcholia vt studiosis seruiat, ita mixta esse debet, vt sanguinis octo sint partes, bilis duæ atræ bilis duæ, quæ accendatur aliquantum à duabus illis, vt accensa fulgeat, non vratur. *Fic. de stud. san. tuen. lib 1. cap 5.*

Melancholia ingeniosos reddit, cùm mista sanguini, & bili, & atræ bili est. quia spiritus subtiles sunt non aliter ac vitis aqua, calidi & agiles, & solido humore manãtes actioni diutissimè seruiunt. quo obseqio animus fretus indagat vehementer, & perseuerat: inuestigãdo diutius quæ inuestigauit, inuenit, clarè perspicit, sincere iudicat, & diu iudicata retinet, & omnia incentro perspicit, Saturno & Mercurio persimilis altissima penetrat. *idem, ibid. cap. 6.*

Melancholia ex sicco, & atro, ac crasso sanguine efficitur, id est atra bilis, quæ suis caput vaporibus implet, cerebrum siccat, animam atris & horrendis imaginibus noctu diúque sollicitare non cessat *Fic. in Plat. conu. or. 6. cap. 9.*

Melancholicum humorem in pueris non esse ex constitutione scito quæ sanguinea est maximeque aerea, sed ex reliquijs quibusdam materni menstruique sanguinis in puero putrefactis, & adustione quadam in atram bilem conuersis. *idem, in Plato. de legib. dialo. 5.*

Melancholici natura frigidiores rarò ridere solent: et si in risum erumpunt, in hoc solent esse immoderati. *Iac. Capr. in Alcm. de sensione.* Melancholici scientias potius scire possunt absque studio & labore, sed sola vi humoris, quàm linguarum varietatem, in quibus nũquam antea se exercuerint. *idem, in Alc. digres 4.*

Melius quod est honestius est, & quod honestius decentius. *Plato in Alcibiade 1.* Melior quanto quis est, tanto erga cæteros, tum homines, tum superos, benignior & modestior esse debet. *Plotin. En. 2. lib 9. cap 9.* Meliora quia sunt in mundo, sunt quoque deteriora, non enim potest esse melius nisi sit peius: & qui deterius è mundo tolluot, tolluot etiam prouidentiam. *idem, En. 3. lib. 3. cap. 7.* Melius dicitur, quod bonitatis magis est particeps. *Ficin. in Plato. phileb. lib. 2. cap. 5.* Melius se habere gradatim fit per bonum, non per essentiam, quæ non per se ad melius proficit, sed proficit per bonum. *idem, in Platon. Parmenidem, cap. 47.*

Miles, patriæ custos, talis & nasci & educari debet, vt canum instar, & erga notos sit mitis, & aduersus ignotos ferox, semperque vigil, & sagax. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 2.*

Milites à teneris vnguiculis, & secundum, animum, primò per musicam, & secundum corpus, deinde per gymnasticam, reformat Plato: sub musica comprehendens fabulas quoque poeticas *idem, ibid.*

Melodiã in cœlis esse, tum ex graui tono, & motu, tardo, tum ex acuto, & velociori, constat, Item, sub cœlo est leuitas & grauitas, frigus, calor, humor, & siccitas elementorum in generatione rerum forma materiæ, in humanis ingenijs mansuetudo, magnanimitas, temperantia, fortitudo, & vt ex graui & acuta voce, sic ex geminis cunctis supra dictis naturis fit vnum. *Fic. in Tim. Plato. cap. 28.*

Membra.

Membris singulis fouentis & confirmandis nihil salutarius esse potest theriaca, prodest spiritibus, & ingenio sumpta drachma dimidia, vel saltem tertia drach. parte, bis in hebdomada autumno vel hieme, sed æstate vel verè semel si sole placet, frigidis temporibus mero clara & suaui, calidis aquæ roseæ duabus vncijs, vel tribus, stomacho vacuo sex aut septem horis ante cibum. si desit theriaca, dabimus mitridatum, & in die frigidis vtendum, si æstas vel ver sit, alij temporibus à calidis abstinendum. Secundo loco aloe ritè lotæ pillulas. Tertio quibus diebus nec theriaca nec pillulis vteris compositionis, vtere hac videlicet. sume cinnamomi electissimi drachmas quatuor, chebularum myrabolanorum duas, totidem emblicarum, croci, rosarum drachmarum dimidiam, sandalorum rubrorum drachmas duas curallorum similium drachmam vnam, sachari albissimi quantum satis est funde saccharum aqua rosacea, & succo citri, vel limonum æqualibus portionibus: coquas suauiter, deinde adde musci tertiam drachmæ partem, & ambæ tantundem pillulas ex aloe sic conficias. sume myrabolanorum chebularum drachmas duas, rosarum purpurearum, sandali rubei, emblicorum, cinnamomi, croci, pomi citri, been, melissæ, idest citrariæ, singulorum drachmã vnam, aloes electæ ritè abluçe drachmas duodecim, *Fic. stud. san. tuenda. cap. 12.*

Membra corporis reficiuntur quotidie à sanguine ex venarum riuulis emanante. *Fic. in Plat. conu. or. 7. cap. 8.*

Membra septem præcipuè ad humani spermatis confectionem requiruntur; cor cerebrum, iecur, lien, renes, testes, & penis. *Leo. Hrb. de Am. dial 2.*

Memoria.

Memoria & opinio ex sensibus fit. *Plat. in Phædone.*

Memoriæ donum, est matris musarum in sensibus & cogitationibus submissum, vt annulorum signis impressis exprimã ea, quorum meminisse velimus, ex iis quæ videmus, aut audimus, aut ipsi cogitamus; & quod expressum fuerit, meminisse, & scire nos, quandiu simulachrum impressum manserit quum verò deletum fuerit, aut vt exprimatur fieri non poterit, oblitos esse, & non scire. *Idem, in Theat.*

Memoria est ars faciendi simulacra, altera assimilandi, altera spectra faciendi. *Plat in sophist.*

Memoria est sensus conseruatio *in Philebo.*

Memores si iuuenes non sunt, quid senes erunt? *in Gorgia.*

Memoria alia similis est intellectui, alia sensui, & substantiarum intellectio est ratio firma, cogitatio est infirma, nec vnica, sed varia pro rebus cogitatis: est media inter intellectum, & sensum. *Arist. Theo Ægypt. lib. 2. cap 6.*

Memoria est dispositio animæ, inhærentem illi, veritatem custodiens, *Speusip. in Plat definit.*

Memoria est eorum, quæ facta sunt, & quæ præteriunt. *Plot. En. 4. lib. 4 cap. 5.*

Memoria non est quædam formarum impressarum custodia, sed facultas quædam animæ, ita seipsam excitantis, vt & quos non habet habeat. *Idem*, En. 3. *lib. 6 cap. 2.*

Memoria nec circa Deum, vel ens, & intellectum, ponenda est: nihil enim eis accidit, nec tempus circa ens est, sed æouũ nec prius & posterius ibi est, sed semper in eodem permanet, nullam admittens mutationem. *idem, En. 4. lib. 3. cap. 25.*

Memoriæ facultas est aduentij cuiusdam, siue disciplinæ, siue passionis, nec conuenit reminiscentia rebus: quæ passione vacent, nec subijciuntur tempori. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 25.*

Memoria ad animam pertinet. *idem, ibid cap. 26.*

Memoria sæpe non cognoscit, quę vis ipsa concupiscendi participauit, quamuis adhuc in hac ipsa resideant. *ibidem, cap. 28.*

Memoria non æque valent qui sensu valent, immo alij sensibus magis vigent, alij memoria pollent. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 29.*

Memoria est imaginalis virtutis. *Idem, ibid.*

Memoria animæ ex hoc mundo egressæ, si superiorum est, continet animam ne longius prolabatur: si nostrarum rerum est recordatio, ad nostra præcipitat; si cœlestium reminiscentia, gradum sistit in cœlo. *Ibidem. lib. 4. cap. 3.*

Memoriam rerum præteritarum, quæ nullius momenti sunt, & quæ ex contingenti proueniunt nemo habet, nec eas in imaginatione collocat aliquis. & si collocat, non ita collocat vt conseruentur. *Plotin. En. 4. lib. 4. cap. 8.* Memoriam non minuunt formarum multitudines in animo impressæ. *Idem, En. 4. lib. 6. cap. 3.* Memoria & sensus est vigor aliquis, & valor. *ibid.* Memoria nobis suppeditat non solùm illa, quę meditati sumus, sed multa etiam suggerit, siue reddit, indicijs quibusdam assuefacta. vnde ex vnius resumptione multa quoque resumuntur. *ibid.*

Memoria non est imaginationum conseruatio, sed est ipsas propositiones, siue productiones in actum eorum, quæ meditatos est animus nuper, educere. *Porphyrius de occasionibus.* Memoria est conseruatio eius speciei; quæ in anima per organa sensuum impressa est adeo, vt firma, & indelebilis permaneat. *Alc. c. 4.*

Memoria omnis non est bona, sed sola ea, quæ rerum bonarum est. *Philo de agricultura.* Memoria ad sensum pertinet, & rationem. *Ficin. in Plot. En. 4. lib. 3. c. 28.* Memoriam cùm in sensu ponimus, hanc in sensu interiore, id est, imaginatione locamus. *idem, ibid. c. 28.* Meminisse est cogitationes suas conseruare. *idem, in Plat. Phil lib. 1. c. 7.* Meminisse est seruare simpliciter vestigium, vel imaginem quandã motionis, quæ sentiendo facta fuit in sensu, & propriè non includit in se præsentium horum animaduersionem *ibid. c. 28.*

Memoria communiter dicta quamuis in imaginatione versatur, tamen memoria quædam in ratione etiam & intellectu consistit *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. c. 5.* Memoria ad præterita respicit, ea enim retinet, intellectus præsentis contemplator, voluntas ad futura se quodammodo extendit. *Io. Franc. Pic. Mir. de praen. lib. 5. c. 8.*

Memoriam Auicenna statuit in parte sensitiua, & non intellectiua. *Gab. Buratel. de reminisc. lib. 4.* Memoria nulli animali maior est præter hominem, quàm cani. *Francisc. Patric. de regno, lib. 3. c. 6.* Memoria reges ac principes multum commendat. *idem, de regno lib. 6. c. 8.*

Memoriæ quæ coniuncta est cum interiore sensu sedem in corda videtur Plato ponere, & ex eius diuersa temperatione facultatis memorandi differentias repetere: contra Aristotelas in cerebro memoriæ sedem reponit. *Iac. Carpent. in Al. Arg. 6.* Memoriam Plato, Aristoteles, & Galenus, ponunt in parte posteriore capitis. *Seb. Fox. in Plat. Phædonem.*

Mendacium.

Mendacium proprium est malorum dæmonum. *Fic. epist. lib. 8.* Mendacium non est in foperis, qui respondens, sed in his qui responsa suscipiunt propter infirmitatem suam oraculum peruersè suscipientibus, & hæc fallacia non contingit, præter numinum voluntatem, volentium solum dignos votum consequi. *Procl. in rep. Plat. ex Marsi. Ficin. epist. lib. 11.* Mendacium ciuitatis est calamitas, videlicet cùm priuati inter se mentiuntur, maximè verò si magistratibus mentiuntur. *Fic. in Plato. de rep. dial. 3.* Mendacio licet interdum vti gubernatoribus, salutis publicæ gratia, & priuato quandoque erga priuatum, solùm gratia mali cuiusdam grauissimi deuitandi. *idem, ibid.*

Mendacium quod in sermone est, maximè odiosum est, & hoc simulachrum est mendacij, quod est in animo, quod & diis, & hominibus est maximè odiosum. *Ficin. in Plat. de rep. dial. 2.* Mendax est, qui maximè velit vtcunque possit, sciátque mentiri *idem, in Plato. de mendacio.* Mendaces duo præcipui sunt, dæmon malus, & humanæ prosperitatis falsa falicitas, veræ felicitatis impedimentum. *idem, epist. lib. 3.* Mendacij ratio vera non est. *Ioan. Picus Mirand. in Astrolog. lib. 12 cap. 4.*

Mendicus nullus in ciuitate sit, si quis hoc facere tentauerit, vt precibus inefficacibus victum quærat, ex foro ædiles depellant, ex ciuitate vrbis curatorum magistratus, ea reliqua ragione agrorum curatores extra fines aapellant, quo regio ab huiusmodi animali pura fiat. *Plato de legib. dial. 11.*

Mens quid est.

Mens est adiutrix hominum animarum, eas in bonum proprium reuocans. *Mercur. Trismegist. Pimand. cap. 12.* Mens nunquam esse amens potest. *Plot. Enn. 5. lib. 3. cap 6.* Mens est tanquam legislator primus, imò ipsa lex ipsius est. *idem, En 5. lib. 9. cap. 5.*

Mens imparticipabilis dux est omnibus mentem participantibus, & iis quæ vitam vita, & iis quæ ens ens: horum verò ipsorum eis ante vitam est, vitam autem ante mentem. *Proclus el. ment. Theolog. proposit. 108.*

Mens ast reflexio vitæ in esse suum, & vbi vita prima, ibi & esse primum, quoniam vita est primus & intimus ipsius esse motus. *Ficin. Platon. Theolog lib. 12. cap. 4.* Mens nil aliud est quàm oculus spiritalis ad ipsum veritatis lumen, bonitatisque calorem intelligentia & voluntate percipiendum. *idem, epist lib 3.* Mens est Dei speculum. *ibid.* Mentis sapientia nil aliud est, quàm summi ipsius boni lumen per animos verè bonos tanquam specula quædam politissima vbique diffusum. *ibid. lib. 5.*

Mens est prima vis animæ, secunda ratio, tertia phantasia, quæ cognitiuæ dicuntur: aliæ tres, voluntas, irascendi, & concupiscendi vis, appetitiuæ dicuntur. *Ficin. in Plato. de virtute.* Mens est vis animæ, cuius actus est perpetua veritatis contemplatio. *idem, in Plato de virtute.* Mentes affectio, quæ contemplationem perficit sapientia est *ibid.*

Mens pura ita eodem suo actu vergit in obiectum tanquam verum, & fruitur obiecto tanquam bono, vt elementa eodem naturæ nisu & petunt conuenientia & fruuntur. *idem, in Plat. Phileb.*

Mentis, animæ, naturæ, visibilis mundus est imago; corpora enim animarum sunt vmbræ, & vestigia; & vmbra, & vestigium eius refert figuram, cuius est vmbra, & vestigium. *Fic. in Plat conuiuium, ora. 2. cap 3.* Mens est vita beata, id est vita ipsius boni, vigore ad summum suæ naturæ appetitionisque perducta, reflexa in se, conuersa in ipsum bonum atque exuberante illinc bonitate repletâ, ipsum verò bonum ac simpliciter vnum non est essentia, vita, intellectus, secundum formam, sed per modum admodum excellentius, id est per causæ rationem. *idem, in Plot. En. 1 lib. 4. cap. 3.* Mens ipsa est efficiens, & exemplaris causa vniuersi, cum mentis virtute omnia ad finem dirigantur. *ibid.*

Mens ex identitate, & statu solùm constat; ideò semper in eodem statu, semper stabiliter agit imaginatio ex oppositis, idcirco semper varias fingit imagines. rationalis verò facultas ex cunctis componitur, nam in ea idem cum diuerso status cum motu concurrit quapropter & mobiliter, & stabiliter operatur, voluit versat, & rursus recolit eadem. quod verò præstantior est natura identitatis & status, quàm natura diuersitatis & motus, eo diutius animus in æternitate viuit, cum ad ipsam conuersus fuerit, quàm in tempore in tempus quandoque prolapsus. at quoniam in hac vita id non impletur, necessariò compensatur in altera. *Ficin. in Plotin. En. 1. lib. 5. cap. 2.*

Mens prima est forma perfectissima, forma quælibet, ideò per modum formalis actus, éstque omnis actus, quoniam cùm sit actus, & motus primus efficacissimusque, nimirum omnes in se profert actus. itam quia multitudo est vnitissima in qualibet sui sua omnia continet. *Ficin. in Plot. En. 6. lib. 7. cap 13.* Mentem Plato vocat creatricem, imperatricem, reginam, sapientiam, causam mundi, & Aristot. eam mundi causam fuisse ait. *Aug. steuch. de peren. phil lib. 1. cap. 5.* Mentis flos vocatur præcellens mens. *idem. ibid. cap 9.*

Mens ex Plotino est ipsa rerum vniuersalis, spiritualis, formalisque substantia, ast sapientia infinita, est omnia, sed formaliter, virtualiter, originaliter, diuino & ineffabili modo, est imago & speculum bonitatis, est vera substantia, res nostræ sunt vt simulachrum, mens nostra est eius imago. *August. Steuch. de peren. phil. lib. 1. cap. 20.*

Mentem esse immensitatem, & absolutam potestatem nulli rei admistam, sed ipsa sola à seipsa existit, si à seipsa non esset, sed alteri admixta esset, omnes res participaret, si cuiuspiam contagio infecta esset, implicatam tenuissima res commistæ, vt nulli dominari possit æquè vt ipsa à seipsa esset, est enim tenuissima, & purissima omnium rerum, & scientiam de vnaquaque re vniuersam cõtinet, & valet maximè Anaxagoræ hęc est opinio ex Simplicio. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib. 2 cap. 15.*

Mentem secundum Marsilius, & Ioannes Picus senserunt Platonicos sensisse quasi creaturam quandam in tempore conditam, in quo decepti fuere. *August. Steuch. de peren. philosoph. lib. 2. cap. 17.* Mens humana est velut speculum, & exemplum, siue imago quædam ipsarum rerum. *Leo Heb. de Am. dial. 1.*

Mens vt omnia gubernat.

Mentis oculus acutè incipit cernere, cùm corporis oculus in vigore esse desinit. *Plat. in sympos.* Mentem absque anima alicui accidere impossibile est. *idem, in Tim.*

Mentem Deus non dedit omnibus, sed vt certamen in medium proponere voluit, impleuit enim craterem patulum hac, & per præconem hominibus nunciauit, quod vnaquæque anima mergat seipsam in hanc pateram quæcunq. potest, quæ videlicet credit craterem animam ad eum, qui dimiserat, rediturum, quæue finem noscit, cuius gratia nata fuerit. qui præconem audierant, & se miserunt in mentem, ij cognitionis participes effecti sunt, & mentem suscipientes in homines perfectos euasere. at qui neglexerunt, sermonis quidem participes effecti sunt, mentis verò expertes, ignorantes relicti sunt, & cuius gratia, & à quo geniti sunt libidinibus dediti, cupiditatibúsque impliciti. at qui Dei natura fulti sunt, ij secundùm operam comparationem pro mortalibus immortales habentur, intelligentia sua cuncta compleat, quæ in terra, quæ in mari, & quæ supra cœlum, & adeò seipsos erigunt, vt ipsum bonum quoque intueantur. quodcum perspiciunt, vitam hanc despiciunt miseram arbitrantes. *Mercur. Trismegist. Pimand. c. 4.*

Mens ab anima, anima à spiritu separatur, indumentum mentis anima, animæ spiritus. *Mer. Trism. Pim. cap. 10.*

Mens mera in corpore sistere non potest, ideo assumpsit animam vt amictum, vt & anima diuina existens spiritus vehiculo vtitur, spiritus autem totum animal percurrit. *idem, ibidem.*

Mens anima Dei dominatur omnibus, tum legi, ac cæteris vniuersis, nec aliquid illorum quæ ad fatum spectant impossibile menti, ideóque humanus animus fato superior, non tamen, quæ fato subiecta sunt, negligit. *ibid. cap. 12.*

Mentem alit sensus, quo dono cœlesti sola fœlix est humanitas, nec omnes, sed pauci, quorum ita mens est, vt tanti beneficij capax esse possit, vt sole mundus, ita mens humana isto clarescit lumine, & eo amplius: nam sol quicquid illuminat, aliquando terræ & lunæ interiectu interueniente nocte, eius priuatur lumine. sensus autem cum semel fuerit animæ commistus humanæ, fit vna ex bene coalescente commistione natura, ita vt nunquam huiusmodi mentes caliginum impediantur erroribus, vnde iuste sensus, deorum animas esse dixerunt, ergo nec eorum dico omnium, sed magnorum quorumque, & principalium. de sensu loquitur, qui est superiorum mentium in humanas mentes illapsio, ceu radiorum lucis in oculos. *Mercury Trismegisti Asclepius, cap. 7.*

Mens subsidentem actum suum manendo procreat anima vero generat sensum in actu subsidente, & naturam, & ad planta vsque procudit, naturam enim subsidentem habet, dum est in nobis sed vt pars dominatur. *Plot. En. 3. lib. 4. ca. 1.*

Mentis progenies ratio quædam est, cuius substantia in excogitando consistit, id autem est quod circa intellectum sese versat, & intellectus ipsius lumen est, atque vestigium semper inde dependens, inde quidem illi coniunctum, & ita repletum & fruens, compos eius, atque intelligens, inde subdita tangens, imo vero generans, quæ necessarium est anima deteriora contingere. *Idem, En. 5. lib. 1. cap. 7.*

Mentis actiones ita nobis sunt superiora, vt propria sensus inferiora; sensum concedimus semper nostrum esse, semper enim sentimus, de intellectu vero id est ambiguum, & quia semper hoc non vtimur, & quia est separatus, propterea quod ipse non annuit ad nos, sed potius nos ad ipsum, superat suspicientes, sensus denique nobis est nuncius, rex vero noster est ille. *Plotin. Enn. 5. lib. 3. cap. 3.* Mens necessario est super animam. *Idem, 5. lib. 9. cap. 4.*

Mens quod in anima est, id oculus in corpore *Philo de mundi opificio.* Mens quando non herili more animam terrificat, sed paterno imperat, non indulgens ei suauis sed vel inuite obtrudens vtilis, omissis omnibus humilibus rebus, & ad mortalia ducentibus, sublimis immoratur contemplationi mundi, & eius partium, & altius ascendens ipsum numen scrutatur, eiúsque naturam, propter immensum amorem scientiæ non potest manere in decretis pristinis, sed cupit ad meliora migrare. *Idem, in leg. Alleg. lib. 2.*

Mens humana vt a Deo habet omnia, sic ad Deum omnia referre pium esse iudicauit Plato. *Ficin. in Theolog. Plat. proœm.*

Mens humana à particularibus formis ad vniuersales & absolutas se confert, item super naturales formas certis adstrictas materijs per mathematicas, quibus infecta materia suffirit, ad metaphysicas ascendere solet: præterea à dimensionibus, quæ tam situ quàm partibus egent, ad punctum sine partibus, situ quodammodo circumsitum, rursus à punctis ad numeros, qui partibus indigent, situ verò nequaquam, demum à numeris ad vnitatem, cui neque situ, neque partibus vllis opus est, sese attollit, & vltra vnitatem indiuiduam, sed accidentalem, ad substantialem se vnitatem, id est formam transfert, indiuiduámque essentiam accidentium fundamentum simul, atque originem, tanquam ad fixum quendam, & in seipso manentem accidentium per se mutabilium, alterique semper hærentium, cardinem. *Idem, Plat. Theol. lib. 1 cap. 3.*

Mentes coniunctæ corporibus, quatenus tales sunt, speciem animalis solę non complent, sed compositæ speciei sunt partes, atque vt plurimùm, vt intelligant, in ea, quæ sensibilia sunt aspiciunt, quare & imperfectè agunt. Si igitur in quolibet genere ab imperfectis ad perfecta, quæ priora naturâ sunt, est ascendendum, consequens est vt per coniunctas mentes ad separatas ratio nos perducat, quæ & species ipsæ sufficientes suas complent, & intelligendo ad illa quæ per se intelligibilia sunt, aspiciant. Mens ipsa quia per intelligentium & voluntatem non necessariò dependet à corpore, & naturaliter formas separat, & circa separatas versatur, & quiete potius quàm motu proficit, per naturam est à corpore & motu libera: idcirco magis naturæ suæ conuenit, vt viuat seorsum à corpore, mutúque, quàm vt viuat in corpore, & motu: multæ tamen mentes in corporibus mobilem vitam ducunt, quare multò magis, & multò plures immobilem vitam agant absque corporibus. *Fic. Plat. Theol. lib. 1. cap. 5.*

Mentes se inuicem complectuntur, corpora non. *Ficin. Plata. Theol. lib. 8. cap. 9.* Mentis obiecta sublimiora sunt obiectis sensus, quòd illa vniuersalia sunt & æterna, ista particularia & mortalia. *Idem, epist. lib. 1.* Mens interdum dum regit corpus, ita se in se colligit, vt speculetur aliqua per seipsam: ergo a corpore separata multò magis & facilius per seipsam valet speculari, & si per se operari poterit, per se quoque esse & viuere poterit. *ibid.*

Mentem corpori coniungere nil aliud est, quàm eam ab ipsius origine longè seiungere. *Fic. epist. lib. 2.* Mentis voluptas si quando eius contemplans re vera percipitur, interior & vehementior est quàm sensus oblectamenta: quia sensibilia ob crassitiem non penetrant sensum, at intelligibilia suâ tenuitate in intellectus interiora penetrant. *idem, ibid.*

Mens sana in corpore sano, præcipuè optandũ est *Fic. epist. li. 3.*

Mens ita se habet ad lumen veritatis & sapientiæ, vt aer ad Solis lumen. *idem, ibid. lib. 5.* Mens mala acceptâ scientiâ malitiam parit, non sapientiam, vt vas fœtidum quemcunque liquorem infuderis vel suauissimum, reddit contagione suâ fœtidum. *ibid.*

Menti lætitiam & gaudium, voluptatem sensibus tribuit Plato. *Ficin. de volupt. cap. 5.* Mens præteritorum memoriâ, futurorum spe, præsentium contemplatione similiter delectatur, nec solum eorum, quæ carent corpore, verùm etiam ipsorũ corporum cognitione gaudere potest: & cùm mens magis consentanea sit quàm sensus homini, ideò præstantius est gaudium quod ex mente percipitur, quàm quod ex sensibus. *idem. ibid. cap. 13.*

Mens circa Deum tribus agit gradibus, primò verbis quã plurimis vtitur, secundò paucis, tertiò nullis: quã pluribus, cùm omnia de Deo affirmat & negat: paucis, vbi refert omnia ad Deum; nullis, cùm solum silens, amor boni intenditur. *Ficin. Dion. Areop. ag. de trinit.* Mentem si igneam ad opus pietatis intenderis, caducum inde quoque corpus seruabis; dictum Zoroastricum. *Idem, in Dion. Areo. de diu. nom.*

Mens quælibet à corporis commercio separata, adeò intelligit expeditè, vt quatenus intelligit aliquid catenus intelligere se prorsus agnoscat. *Ficin in Plotum En. 1. lib. 9 cap. 1.*

Mens ad Deum eodem modo, quo ad lumen Solis dirigitur oculus. hic enim aspicit primò, videt deinde lumen Solis, tertiò in Solis lumine rerum colores figurásq; comprehendit. Quare oculus obscurus primò, & chaos instar informis, lumẽ amat dum aspicit, irradiatur aspiciendo, radiũ accipiẽdo rerum coloribus figurisq; formatur. Quemadmodũ mens illa in Deum statim nata, & informis, amore conuertitur & formatur, sic mundi anima in mentem Deúmq: illinc genita se reflectit. & cùm primò informis sit, & chaos, amore in mentem directa, acceptis ab ea formis fit mundus. *Fic. in Pla. conuiuium, or. 1 cap. 3.*

Mens vigẽs in anima mundi est causa mundanorum, & est progenies supermundanæ mentis, quę est causa mundi totius; & mens supermundana est progenies ipsius boni, quod est omnium causa. Nulla mẽs est progenies supermundanę mẽtis, & supradictis causis quodãmodo cognata est. *Fic. in Pla. Phil. ca. 20.* Mẽtis vmbra est anima, animæ vmbra corpus. *idẽ, ib. c. 21.*

Menti inest non imaginaria tantùm, verùm etiã naturalis quædam forma, & veritas. propterea ingeniũ philosophũ aptũ, in quo sit intelligendi actus & raro, & in paucis nascitur, & multis conditionibus indigere, & multis obstaculis impediri putat Plato, præcipuè verò deprauari sermone, & opinione vulgi, multoque magis vulgi eiusdem operâ, & à vulgaribus præceptoribus, qui & ipsi vitam, & orationem suam vulgo quasi adulatores accommodant, & similem auditoribus tradunt disciplinam. *Fic. in Plat de rep. dial 6.*

Menti nostræ duplex progressus, alter naturalis, alter supra naturam, qui propriè excessus nominatur: in illo intellectus luce quadam naturaliter insitâ voluntatẽ ducit quasi comitẽ, ac denique ductâ rectè implet, ideóque præfertur. at in hoc excessu noua lex. vtrúsque diuinitas infusa, non priùs intellectum diuino splendore complet, quàm amore mirifico accenderit voluntatẽ, quæ quidem ex accensa per ipsam trãslatoriã caloris, amorisq; efficaciã, mentem traducit in Deũ: vbi amor ipse, cuius in vniuerso est generationis officiũ, regenerat animũ efficitq; diuinũ. *Fic. in epist. ad Paulum Orlandinũ.*

Mens seiuncta à sensibus meliùs viuit, quàm cõiuncta. *Fic. in Pla. de rep. dia. 10.* Mens ipsa dux mentiũ partim intellectus, partim intelligibile nominatur, intellectus qua rationibus rerũ discernendis incumbit; intelligibile, qua rationes huiusmodi in suis continentur ideis. *Idem, in Plat. Timaeum, cap. 10.*

Mens quæ ad ſublimia tollit, quantò potentior eſt, quàm animalis imaginatio, quæ ad oppoſita vergit, tantò longior eſt vita rationalis animæ per mẽtem iam ad ſublimia eleuatæ, quàm vita eiuſdem per imaginationem ad inferiora deflexæ. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 5. cap. 2.*

Mentem ſi ardentem ad pietatis officia prorſus intenderis, labile quoque corpus ſeruabis, ait Zoroaſter. *Idem, Fic. in Plo. En. 2. lib. 3. cap. 8.* Mens, & ratio non adſunt corpori, quia non communicant cum eo in agendo. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 22.*

Mentem noſtram conantur Aſtrologi ſubiicere, etiam vbi à corpore non dependet. *Io. Pic. Mir. in Aſtrol. lib. 4. cap. 8.*

Mens in morboſo ſomno nõ tam abalienatur quàm obruitur, & vincta tenetur: quoniam in alienatione eſt perturbatio mentis vehemens, & commotio inordinata: in carne etiam quædam, vt medici loquuntur, paralyſis facultatis imaginatricis, & mentis multò magis. *Iac. Carp. in Alcin. defenſione.*

Mens ſine anima conſtat in formis à corpore ſeparatis, ſed in corporeis naturis mens ſine animo non exiſtit, vel ſubſiſtit. *idem, ibid.* Mens ab anima iuxta Platonem magis eſt diſtincta, quàm ſola ratione. *Idem, in Al. in cap. 12.*

Mentem agentem in homine Themiſtius cùm dicat vnam eſſe, decipitur: nam primò dixit non eſſe Deum, & ſi diffunditur in omnes animas eſt Deus, ergo per ipſum & erit, & non erit Deus, & ſequeretur animum noſtrum eſſe Deum; vt malè colligit vbi ſimilitudo eſt ibi eſſe vnitatem: ſed mentes diſtinguuntur per ſuas ſubſtantias. *Auguſt. Steuc. de peren. philoſoph. li. 9. cap. 31.* Mens cor cordis, & anima animæ à ſapientibus appellata. *Leo Hebr. de Amore, dialogo. 3.*

Mens vt humana, vt ſe habet ad corpus & animam.

Mens, & intelligentia omnia gubernat, & omnium eſt cauſa, vt ait Anaxagoras. *Plat. in Phædone.* Mentem nulli permiſtam, & per ſe potentem omnes res gubernare, ait Anaxagoras, & per omnia tranſeuntem. *in Cratyl.* Mens ſuprema illa quæ fecit & cogitauit, ea ſunt laudata, quæ non, vituperanda. *ibid.*

Mens ex ipſa Dei eſſentia, ſi aliqua ipſi eſt eſſentia, naſcitur: hæc qualiſcunque ſit ſola ſeipſam ſincera comprehendit; mens ergo ab eſſentia Dei non eſt diuiſa, ſed illi potius eo modo connexa, quo ſolet corpori lumen. Hæc mens Deus eſt; ideò plurimi homines diuinitati quàm proximi ſunt: bonus enim dæmon Deos prædicat immortales, homines autem mortales Deos: in animalibus verò irrationalibus mens illa natura eſt, nam vbi anima ibi mens. *Mer. Triſmeg. Pimand. cap. 12.*

Menti diuinæ cùm omnia inſint, cur homo ratiocinatur, cætera animalia non? quia illic intelligentia in homine & cæteris animantibus differens eſt, ideò & hic ratiocinatio differens: inſunt etiam cæteris animantibus multa cogitationis officia. *Plotin. En. 6. lib. 7. cap. 9.*

Menti diuinæ hic homo, & hæc animalia non inſunt eo modo quo hic ſunt, ſed præſtantiori gradu, nec rationale propriè illic exiſtit, ſed actus ratione ſuperior. *idem, ibid.*

Mens prima viuit non vt anima vna, ſed vt omnes, vimq; poſſidens ampliorem ad ſingulas animas procreandas. Eſt & animal vniuerſum, non hominem in ſe ſolum habens, alioquin & homo hic ſolus eſſet. *Plotin. En. 6. lib. 7. cap. 8.*

Mens prima nec intellectus eſt omnino ſimplex aliquid, nec anima ex ipſo pendens prorſus eſt ſimplex, ſed varia longè ſunt omnia, quatenus & ſimplicia, id eſt quatenus non cõpoſita, quatenus principia ſunt, quatenus actus exiſtunt; illius enim quod illic iudicatur quaſi poſtremum actus iam deſinens eſt ſimplex, & quod primum perpenditur actus ipſe omnes actus exiſtit. *idem, ibid. cap. 13.*

Mens diuina per ideas ſuas deorum cœleſtium animas procreat, atque per eas cœleſtia corpora, & vtraque ſibi coniuncta perpetuò retinet. *Iamb. de myſteriis.*

Mens beata in patria videt diuinam eſſentiam, non per imaginem ab ea creatam prorſus deficientem, ſed per eandem eſſentiam, vt ij qui lumen vident per lumen in lumine. *idem, ibid.*

Mentes communes ſphærarum communia corpora per animas complectuntur, & ducunt, vt particulares hominum mentes particularia ipſarum corpora per animas proprias id eſt per animales vires attingent, & mouent. *Ficin. Plat. Theo. lib. 4. cap. 1.*

Mens priuſquàm agat, quod eſt per actionem paritura concipit in ſeipſa, atque ea ea notione agit, & actio hæc ad illud quod conceptum eſt, inducitur: quare quod conceptum eſt actionis eſt finis; & agit aut intelligendo, aut non intelligendo, ſi non intelligendo, non agit vt mens, nam mentis eſt proprium intelligere, cognoſcit enim mens quod agit, & agere ipſius eſt intelligere, & vult agere quia mens non coacta agit, ſed vult quod intelligit, atque agit: ergo ad finem mens dirigitur. *Ficin. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 1.*

Mens, & intellectus aliquando deus dicitur, aliquando dea; deus ſi ad inferius, dea ſi ad ſuperius referatur. *Fic. in Plat. Phil. cap. 29.*

Mens non diſcurſu, ſed ſimplici ſtabilique intuitu res percipit. *Idem, in Plat. Theætet.*

Mentes ad fœlicitatem præparant humana officia ſub Theologica ciuilique diſciplina gubernata, & per hæc Dei clementiſſima bonitas ſummum bonum largitur. *in Plat. Euthydem.*

Mentis primus inſtinctus ſuapte naturâ à Deo perfectionem ſuam haurire videtur, atque eam menti, quæ inde gignuntur præbere. *in Plat. conuiuium, or. 5. cap. 3.*

Mentem diuinam appellat Plotinus primum boni ipſius actũ, & eſſentiam primam: non enim vult eſſe in Deo actum, per quem aliquid Deus agat, alioqui eiuſmodi actum ab ipſa Dei ſubſtantia ſaltem ratione quadam diſcrepaturum: à prima tamen vnitate omnem prorſus differentiam omnem numerum abeſſe debere; & ipſum actum Dei exiſtimat eſſe extra Deum, vt & lumen extra lucem; & cautæ Deum eſſe vnitatis, vt actus eius non ſit, vel motio vlla, vel accidens, ſed ſubſtantia, & eſſentia prima, idemque ibi ſit & actus, & actum, id eſt ipſa ſit eſſentia rerum omnium fons pleniſſimus, vt dum vnum ab vna diuina vnitate fieri videtur cuncta ſimul in vno efficiantur. *Ficin. in Plot. Enn. 1. lib. 8.*

Mens diuina eſt vniuerſi ratio exemplaris, & efficax per conuerſionem ad ſe cognoſcens omnia ſimul & faciens & mẽs quælibet inde formata rationum formalium eſt plena, aſpicitque formas in rebus, formaléſque rationes, vt quoſdã diuinæ intelligentiæ radios ſuis quoque rationibus congruentes. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. cap. 5.*

Mens diuina ſuarum idearum ſigillo imprimit formas animæ mundi adeò vehementer, vt non ſolum figuret ſupremum animæ, id eſt intelligentiam, ſed etiam medium eius, id eſt imaginationem, & vſque ad infimum eius, id eſt naturam, formatum notas inurat. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 13.*

Mens diuina per ſuas ideas in materiam agit, non extrinſecus more artis humanæ, ſed intrinſecus more artificinæ naturæ, nec eſt à materia ſeiuncta ſecundùm locum, alioquin loco proprio deputabitur, nec miſta materiæ, alioquin minimè dominabitur. *Idem, in Plot. En. 6. lib. 5. cap. 8.*

Mens ſola extrinſecus accedit, & ſola diuina eſt, nihil enim cũ eius actione communicat actio corporalis, ergo ſcire eſt reminiſci. *Gab. Bur. de reminiſcentia. lib. 4.*

Mentem non putat Ariſtoteles ſuâ ſubſtantiâ in corpore non eſſe, vt hi volunt interpretari, qui vnam mentem externam ponunt, & cum ſuis radiis cum noſtro intellectu vniri, ſed ita in corpore eſt vt cum illo non communicet. *Iac. Carpent. in Alcinoi part. poſt. digr. 10.*

Mentem antiqui Philoſophi incipientes à Magis poſuerunt: Ariſtoteles Deum vnum multis in locis agnouit, rerumq. humanarum curam habere voluit, ſed nullo loco quod ſciam mentem vnam communem à Deo rerum omnium moderatore diſtinxit, aut eam ſuâ virtute ſingulorum animos in intelligendo illuſtrare, & in inſtituendis actionibus dirigere dixit, niſi concedamus illius eſſe, quod nomine ſuo profertur, de ſecretiore parte ſapientiæ diuinæ ſecundùm Ægyptios. *Iac. Carp. in Alcinoi par. poſt. digr. 10.*

Mens diuina eſt & ſecundùm ipſam viuere, & bene, & beatè viuere, & ſe ſimilem Deo reddere; eſt enim Deus mens quædam, licet adeò præſtantiſſima, vt intellectus noſtri facultatem intelligendi excedat; contemplatione fruitur ſempiternâ quæ ab ipſo nunquam ſeiungitur, cùm ibi & intellectus, & res intellecta, & intellectio maximè conueniant, & quid vnum veriſſimè conficiant, & eius eſſentia ne tantillum quidem differat à quidditate. *Steph. Comb. de aſcenſu mentis in deum, lib. 4. cap. 1.*

Mentis proprietas & circa eam dubia.

Mens omnes notiones concipit: bonas quidem, quoties à Deo ſemen infunditur: contrarias autem, cum à dæmonibus quibuſdam ſpermata iaciuntur. *Mer. Triſmegiſt. Pimander cap. 9.*

Mens cùm ſtudet per ſenſibilia ad contemplatiuas intelligentias prouocari, illi præ cæteris ſenſuum vſus eligendi ſunt, qui ad intelligenda plantes introducunt, apertioréſque ſermones, & quæ inter viſibilia videntur expreſſiora, niſi enim expreſſa fuerint, quæ ſenſibus occurrunt, nec ipſi quidem

quidem sensus sensibilia menti ritè porrigere poterant. *Dion. Areop. de diuin. nom.*

Mentis quies est sua ipsius actio ab aliis vndique vacans. *Plot. En. 5. lib. 3. cap. 7.* Mens vera, & verè existens nunquam dementitur, sed semper cognoscit, nec vt obliuiosa quicquam vnquam ea latet, & ei cognitio inest non tanquam imaginanti, vel ambigenti, aut ab alio mutuanti, sed huic omnia suâ naturâ sunt perspecta. *Idem, En. 5. lib. 5. cap. 2.*

Menti omnia tribuere debemus, si cognitionem, & veritatem inducere volumus, & entia seruare, & notitiam illam qua quid sit vnumquodque cognoscitur, nec quale tantùm apprehendere, & sic mens cognoscet vera, nec quicquam latebit eam, nec obliuiscetur vnquam, nec passim indagando vagabitur, sed erit in ea veritas, sedes rerum, viuet, & intelliget, quæ omnia beatissimæ naturæ inesse oportet, & sic nec demonstratione, nec fide indigebit; & ipse intellectus est, qui sic se habet, & si quid est ante illum, & si quid post illum est, quod ipse sit hoc ipsum, nullus sibi seipso fide dignior erit. *Plot. En. 5. lib. 5. cap. 2.*

Mens ipsa nobis in altum progredientibus prior occurrit, quàm principium omnium primum, quasi in ipsius boni vestibulo constituta, omnia in seipsa nuntians, & significans, velut quædam ipsius boni figura in multitudinem potius distributa, quam illud prorsus in vnitate consistat. *Plot. En. 5. lib. 9. cap. 2.* Mens quotcunque ducit a primo, omnia sunt optima, in quibus non sunt sordes & huiuscemodi. sed à mente anima multa accipit, & admittit insuper multa à materia in quibus hæc accidunt. *Idem, ibid. cap. 14.*

Mens habet penes se quid vnumquodque sit, per quid autem minimè; aut si id concesserimus, non habet alterum seorsum ab altero. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 2.* Mens penes seipsam habet propter quid potissimùm singula quæ in ea sunt ita se habeant; quæ verò in ea sunt, eadem ipsa mens existit, tum summatim, tum etiam singulatim, adeò vt nibil eorum hoc ipso quod dicitur propter quid factum sic egeat, sed simul & factum est, & habet in se propriæ substantiæ causam: & nihil prætermisit quod ad rationem propter quid pertineat; & his quæ participant naturam ita tradit, vt etiam propter quid sic eam acceperint, nanciscantur. *idem, ibid.* Mens simul habet & quid, & propter quid: ambo enim ibi sunt vnum. *ibid.*

Mens priuationis causa non est, cùm sit forma. *Procl. elemen. Theol. propos. 58.* Mens mouet immobilis existens, & semper eodem modo agens. *Idem, ibid. propos. 20.* Mentis robur non est aliud quàm prudentia. *Synesius de somn.* Mentis naturam illecebræ non attingunt, quod passibile est, illecebris demulcetur & trahitur. *idem, ibid.*

Mentis germen intelligitur per virens agri, & per herbas sensibile, & ipsum germen brutæ partis animæ. *Philo Iud. in legis alleg. lib. 1.* Mentis stabilitate & quiete, quam pietas solet parere, subuertitur omnis ratiocinatio quam struxit impietas. *Idem. de confus. linguarum.* Mentem nihil æquè ad libertatem erigit quàm confugere ad Deum suppliciter. *Idem, de eo, quis diuinarum rerum heres.*

Mentis proprium est nixus quidam ad intelligendum; & post hunc nixum, aut mens se habet deteriùs, aut meliùs, aut æquè: non deteriùs, quia operatio ipsa est perfectio quædam, & ad deterius nihil nisi aut vi aut inscitiâ labitur: quorum neutrum in ipsam cadit mentem puram & liberam: non æquè, nam frustra nititur, quod nihil proficit, & nihil ad id quod habet annititur: ergo vt melius se habeat conatur, non ergo ipsum bonum est, nihil enim bono melius. *Fic. Platonica Theologia lib. 2. c. 6.*

Mens per instinctum essentialem semper attingit Deum, & vbique, nam & ad hoc ipsum nititur, & non habet vel assignatam dimensionem, vel situs alicuius indigentiam naturalem, per quam vbique esse prohibeatur; & quia vbicunque est aliquid agit, sequitur quod viuat, intelligat, & vbique sit in Deo. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. cap. 6.* Mens quælibet aliquo modo æterna est. *Idem, ibid.* Menti nil optabilius est veritate. *Idem, lib. 8. cap. 2.*

Mens non cognoscit puncto simplicia, alia latitudine, quia numerosum cognosceret. *Ficin. Platonica Theologia. lib. 8. cap. 15.*

Mens rerum omnium accipit formas, dum omnes cognoscit, & cognitas in seipsa voluntat, neque illas accipiendo formam propriam amittit, aut debilitat, cùm ex operatione cuiusque formæ habitus designetur, & operatio intellectus intelligentia fit; sequitur vt intellectus forma sit ipsa intellectualitas naturalis, quæ tunc perfecta maximè iudicatur, quando operatio eius intelligentia perfectissima est, quæ tantò perfectior est, quantò plures rerum formas attingit, sublimior enim fit, velocior, & lucidior, ideò accipiens formas rerum, non modò non arsistit suam, sed summopere perficit. *Idem, ibid. c. 7.*

Mentis difficultates duæ sunt; prima est, vtrum intellectus seiungi à corpore possit, ac disposito corpore viuere, & operari: secunda, si quid tunc intelligit, vtrum clarè vel non. *Fic. epist. lib. 1.*

Menti nil naturalius est quàm sui ipsius cognitio. *Idem, ibidem.*

Mens non læditur, nec confunditur ab excellentissimo suo obiecto, sensus offenditur; quod ostendit naturam mentis esse summopere spiritalem, & excellentem. *ibidem, libro 2.*

Mens verissima est illa quæ nihil falsi vnquam admittit, & nihil prorsus ambigui: ideò super nostram mentem aliæ veriores sunt, & super omnes quædam summa & verissima. *Fic. epist. lib. 2.*

Mens tertium attingit cœlum dum considerat Deum in rebus ab eo creatis, deinde res creatas in Deo, tertio Deum ipsum in seipso. *idem, ibid.*

Mens immortalitatem suam metitur in obiecto suo, quod est sine mensura. *ibid.*

Mens quandiu est in ænigmate, id est vmbra corporis, cognoscit per speculum, sed extra vmbram facie videbit ad faciem. *ibid.*

Mentis propriũ est veritatis indagatio, & cognitio. *Fic. de volupt. c. 14.* Mentes tũ demũ Deus lumine suo penitus implet, quando seipsas illi quasi iam cæcas atque silentes exposuerunt, id est tum singula intelligibilia de Deo negantes, tum etiam intellectualem formam suam actionémque consuetam per diuinum amorem mirabiliter transcendentes: sic animus de Deo vera loquitur, cùm non loquitur. *idem, in Dion. Areopag. de trinit.*

Mens omnia in numero, pondere, & mensura, modo, specie & ordine transigit. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 1.* Mens quod intelligit, finis eius est veritas; quod vult, finis eius est bonum, quod peragit, finis est pulchrum. *idem, ibid.* Mens omnibus præest sapiens rerum omnium dux, quæ & principium dat cunctis, finem statuit, motus omnes debita per media ad finem fert, ad principium refert. *ibid.* Mens species est & speciebus agit. *ibid.*

Mens est vultus ad veritatem conuersus; huius duo sunt oculi, dexter, & sinister: ille veritatem eorum quæ in diuina mente sunt, inspicit; hic eorum quæ ab illa: ille intuitus sapientia, hic scientia. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 15.*

Mens optima non mutat consilium, & animæ optimæ id est potentissimæ non reluctantur corpora. *idem, in Plat. legum appendicem.*

Mentis summum bonum non illa multiplicitas est specierum propriè, sed vna vnius summi in speciebus omnibus intellectio, in omnibus actibus actus vnus ad purum actum. *Mar. Fic. in Plat. Phil. lib. 1. cap. 31.*

Mentis optimum obiectum est suum esse, nam primò seipsam intelligit. *Fic. in Plat. Phil. lib. 1. cap. 30.*

Mentis summum bonum est id, quod mixtum est ex duobus quodammodo, sapientia, & voluptate, ergo & hominis, qui mente, & mentis capite supremâ sui parte vtitur. *idem, ibid. cap. 32.*

Mentem omnia non appetunt, nam omnia mentem & sapientiam assequi non possunt. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 33.*

Mens prima animam nostram gignit, quæ prout à mente nascitur mentis habet partem; quia à mente degenerat, & ad materiam vergit, non tota, & pura mens est, sed mens in anima & animæ pars, habentis vltra mentem opinionem, sensum & gignendi naturam. *idem, ibid.*

Mentis actio quæ per formas fit, ideales terminatur ad formas. *Fic. in Plat. Tim. c. 11.*

Mentem qui præcipuè alit, immortalis euadit. ita vt nulla pars immortalitatis illi desit; nam imperfecta immortalitas est, quæ motum agit perpetuum; perfecta verò quæ manet, qualis est in eo qui solâ iam intelligentiâ viuit, euaditque ex homine dæmon. *idem, ibid. cap. 41.*

Mentibus beatis Plotinus animaduersionem essentiæ, actionísque suæ perpetuam ponit, eodémque actu & intelligentiam, & agnitionem intelligentiæ & essentiæ expleri. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 9 cap. 1.*

Mens potest eandem ideam ad diuersa referre per actum intelligentiæ simul & voluntatis, referens inquam foras aliter, & aliter imitabilem, ex qua relatione plura proficiscuntur, ideâ interim non diuisâ. *idem, in Plot. Ennead. 5. lib. 7. cap. 1.*

Mens & anima cum sint separatæ à materia & quantitate, & idcirco indiuiduæ simplicésque sint, difficile inuentu est quomodo ibi vnitas in se distinctam habeat

multitudinem. *Idem, in Plotini En.6 lib.2 cap.4.* Mentis angustæ est cōnari se intra vnam porticum, aut academiam. *Io.Pic.Mir. in Apolog.*

Mentem Porphyrius ergo nouit natam, & quod duo sunt, genitor & genitus, & quod nascens mens per se subsistat, Deus scilicet & ipsa, omnipotens & ipsa, & quod sit omnium rerum domicilium, sedes, origo, fons, principium, rerum vniuersalis essentia, verarum rerum regnum, & idearum, quæ sunt essentiæ veræ, vasta mater, prima pulchritudo, & omnis pulchritudinis origo, pulchritudo primordialis, exemplar omnis pulchritudinis, mundum mente gerens pulchrū pulcherrimus ipse, eòque fuerunt omnia pulchra quæ fecit; quam pulchritudinem habet à seipso, & ab ipso Deo nata est æternaliter, ante secula, ante æuum per se genita; per se pater, eo quòd nata sit veluti sui principium: & sibi pater est, quia genita à patre, ipsa gigni & nasci volens. proinde etsi à patre suo Deo nascitur, tamen nascitur ineffabiliter volens ipsa nasci quasi natiuitatis suæ & ipsa principiū, non seipsam generando, sed nascendo coniunctim, æternaliterque ab illo. *Aug.Steuc.de peren.phi.lib.1.cap.15.*

Mentem qui considerat ad eum qui genuerat, necesse est vt inquirat; vt qui suspicit cœlum, attollitur in considerationem opificis, Plotinus ait. *August.Steuch.de peren.phil.lib.1. cap.29.* Mens dominatur omnibus animabus, & omnem locum, & complexum comprehendit, vnde & ipsum principium cōprehendit, & omnia nouit quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ futura sunt, & omnia exornauit & composuit, & hunc complexum, quem nunc complectitur, astra Sol, Luna, aer, æther, quæ sunt segregata. Is complexus fecit secernere à raro densum, à frigido calidum, à tenebroso lucidum, ab humido siccum. Particulæ multorum multæ sunt, omnino nihil est ab alio segregatum præterquàm mens, mens autem omnis similis est maior minor: nihil autem alterum vlli alij est simile; Anaxagoræ hæc est opinio ex Simplicio. *Idem, ibid.lib.2 cap 15.*

Mens apud Græcos duplex, vna quę intelligit, vna quæ intelligitur, quæ vocatur discursus, cogitatio, quæ est mortalis: prior apud Arist. est incorruptibilis. *Aug. Steuc. de per. phi. lib 9.cap* 10. Mentes duas Porphyrius ponit, vt Theodorus Platonicus ait, alteram archetypam, alteram nostram; quę opinio quasi allata est ex Perside; quod etiam Philo ait, dantes magnæ menti creatrici ideas vniuersales, minori verò quæ nostra est particulares, quod aiunt & Plato in Timæo Mercurius in Pimandro, & Timæus locrensis quamquam fieri possit vt duas mentes potius sentirent, quas in primo oraculo demonstrauimus: omnia, inquit, perfecit, & tradidit secundæ menti. *Aug. Steuc.de per. phi lib. 5. cap* 50.

Mensas duas veteres apponebant, in prima carnium, vel piscium, in secunda pomorum In prima aqua potui opponebatur, in secunda vinum, quo diis libandū modestè vtebantur. *Franc. Patric.de rep.lib.5.cap.9.*

Mensis.

Mensis est postquam Luna circulum suum circumgressa Solem apprehenderit. *Plato in Timæo.* Mensis μεὶς à verbo μειοῦσθαι dicebatur: inde μεὶς ab immutatione videlicet. *Idem, in Cratylo.* Menses sunt cùm Luna circuli sui completo curriculo ad eundem locum à quo discesserit, reuertitur. *Apul. de dog.Platon.lib.1.*

Mensem primum anni fecit Moseaeum, qui in vernum æquinoctium incidit. *Phil.Iud.de vit.Mosis.lib.3.* Mensis medicinalis est dierum 26.& horarum 22. vt qui constat ex diebus 29. dictus est mensis coniunctionis, qui ex 26.horisq; 52. manifestæ visionis, quæ ex 27.& tertia diei parte, peragrationis. *Io.Pic.Mir.in Astrolog.lib.3.cap.16.* Mensis medicinalis Galeni hebdomada quælibet est dierum sex, horarum 17. *Idem, in Apolog lib.3.cap.16.*

Mensis medicinalis Galeni factitius, non naturæ monetā percussus est; ita cauditur quasi Luna semper tres dies à Sole obtegatur, sed & mane quandoque conspicitur, priusquàm Sol oriatur, & vespere eius diei nouaculari facie, & vt Luna non sit aliquando velox aliquando tarda. *Ioannes Pic.Mirandulan in Astrolog.lib.3 cap 16.*

Mensura.

Mensurâ maiora & minora cognoscimus, & pondere leuia & grauia. *Plato de iusto.* Mensura est medium inter excessum & defectum. *Speusip.in Platonis definitionibus.* Mensuratio est actio metientis ad mensuratum *Plot. En.6.lib.1.ca.9.*

Mensurans omne vel secundùm partem mensurat, vel totum adaptatum mensurato: quod secundùm totum mensurat, sempiternitas est, quod verò per partes, tempus: ergo duæ tantùm sunt mensurę, hęc sempiternorum, hæc verò temporalium. *Procl.elem.Theolog.proposi.*55.

Mensuræ tres in nobis ipsis sunt sensus, ratio, mens; de his primitiæ Deo afferendæ sunt. *Philo de congr.quærend. erud. gratia.* Mensura ad id quod metitur proportionem habere debet. *Fic.in Plat.Theol.lib.8.c.16.* Mensurans præstantius est mensurato. *idem, ibid.lib* 11.c.4. Mensuræ alicui quod conuenire dicitur, agnoscis mensuram superiorem cum qua conferatur. *Iacob. Carpent. in Alcinoi defensione.*

Mentiri.

Mentiri nemo magis videtur, quàm qui maxima quęque confidit pusillo corporalis sensus digitulo potius quàm maxima mentis mensura metiri. *Fic.epist.lib.2.*

Mentiens iurando & testificando contra Themidem, id est contra ius & fas humanum, diuinum contra homines contra Deum peccat: contra Iouem, vt sciat diuinæ potentiæ vltionem non esse euitaturum: contra Phœbum, ne confidat delicta sua, præsentia, vel præterita eū latere posse, qui futura omnia suo vaticinio præsagit. *Fic.in Pla.de leg dial.11.*

Mentiens in his, quæ ad intelligentiam pertinent, minus errat si sponte mentitur: in his autem, quæ ad mores spectant, errat magis, at qui contra mentitur volens, contra se habet *Fic.in Pla.de mend.*

Mentiuntur serui, pueri, & mulieres: vir verò semper loqui vera debet, & non vultu, nec oculis, vel nutu mentiri, nedum linguâ: vultus est enim quidam mentis sermo. *Franc. Patr. de regno, lib.4.c.5.* Mentiri est manifestæ turpitudinis, vt mendacium est temerariæ leuitatis; sed alterum perfidiæ, & iniquitatis crimen ostendit, alterum ignauiæ, & crudelitatis. *idem, ibid.*

Mercator.

Mercator est, qui emptionem & venditionem administrat ad ciuitates. *Plat. de repub. dial 2.* Mercaturæ non indulgere volebant Romani eos, qui Reipublicæ præerant, idem Lacedæmonij, & Thebani, per decenniū enim ab omni quæstu & mercatura abesse necesse erat ei, qui ad rempublicam admitti debebat. *Franc.Patr.de repub lib.1.c.8.* Mercaturam qui exercent, sine fœnore, & vsura, & mendacio, & vanitate exerceant. *idem, ibid.lib.9.c.15.*

Mercatoris, & artificis officij est ita pecunias quærere, vt nemini noceant: nam quicquid à malo surgit in malum denique recidit. *Fic in epist. lib.3.* Mercatoris officium est veridicā fide & diligentiā externis alimentis ciuitatem & seipsum alere *idem, ibid.*

Mercenarij fructus est bene recipere, liberalis verò artis finis bene fecisse. *Fic epist lib 5.* Mercede magnâ emit, qui precatur, nec paruum accipit præmium qui rogatur *Franc.Patricius de regno, lib.7.c.8.*

Mercurius.

Mercurius ἑρμῆς dicitur a sermonibus: nam interpres, nuncius, & furax, & fraudulentus in sermonibus est: sermone enim vti est εἴρειν. *Plat in Cratylo.*

Mercurius Trismegistus cupiebat rerum naturam discere, & Deum cognoscere. *Merc. Trismeg. Pimand.c.1.* Mercurius rerum naturam cogniturus, & deum cognoscere cupiens, à Pimandro ductus, vidit primò omnia in lumen conuersa, suaue nimium, & iucundum, quod illum intuentem mirificè oblectabat; paulò post vmbra quædam horrenda obliquā reuolutione subter labebatur, in humidámque naturam migrabat, ineffabili tum vultu exagitatam, inde fumus magnus in sonitum erumpebat, ex sonitu vox egrediebatur, quam ergo luminis vocem existimaui, ex hac luminis voce verbum factum prodijt. *idem, ibid.*

Mercurio Ægyptij scriptores omnes suos libros inscribebant, quia omnia inuenta esse à Mercurio putabant. *Iamblicus de mysterijs.* Mercurius præest sapientiæ & eloquio. *idem, ibidem.* Mercurius principia vniuersalia, vt narrat Seleucus, tradidit viginti millibus voluminibus, vel sicut Manetheus recenset, tradidit voluminibus triginta millibus, item sex millibus & quingentis & vigintiquinque. *ibid.*

Mercurius est auctor nobis inuentionis & disciplinæ. *Proclus in Alcibiad.1.* Mercurius cerebrum, & sensuum instrumenta, & spiritum animalem significat. *Fic.in de vita cœlitus comparanda, lib.3.cap 6.* Mercurius quodammodo aeriua est, & cum Solis sit assiduus Achates, ab ipso solaria quædam sperare possumus. *idem, ibidem.*

Mercurio motum animi tribuunt, at Lunæ motum corporis. *Ficin.epist.lib.8.* Mercurius, & Saturnus colore, id est luce cœlestium omnium simillimi sunt, vt non mirum sit intelligentiæ lumine ita consimiles esse, vt alter ad sapientiam exhortetur, alter Deo altius aspirante perducat. *Idem, epist. lib.12.* Mercurius tetrachordum vnicum inuenit, & Orpheus confirmauit. *Fic.in Plat.Tim.cap.29.* Mercurio vocis quartæ natura accommodatur, accommodans sese consonantijs. *idem, ibid.cap.32.* Mercurij superficies varia in terra, *ib.* Mercurius est author proportionis & cōmixtionis,

Venus

conciliationis & amicitiæ, Sol occulta prodit. *ibid.*

Mercurius medium inter planetas locum tenet, vt quasi sapiẽs debeat in omnes æquè conuerti, & facilè confirmari, vt celerius omnium actiones expediat. *Fic. in Plot. En. 2. li. 7 cap 7.* Mercurium dicunt Astrologi gaudere ortu potius quàm occasu, Venerem potius occasu quàm ortu lætari, gaudere ipsos pariter & mœrere fatebatur. *Idem, in Plot. En. 2. li. 3. ca. 3.*

Mercurius planeta & donum contemplationis habet à mente diuina, & actionis à natura mundi, atque hinc ab eo datur ingenium, vel contemplationibus, vel actionibus & artibus accomodatum, vel quandoque strenuam vtrunque: si Saturnum trino, sextilique aspexerit, vel eius domicilium occupauerit fauet contemplationi: si Martem aspexerit, aspirat potius actioni: si Iouem vtrique feliciter afflat officium; si Venerem intuetur, suauitatem ingenij, eloquijque simul ornatum designat. *Fic. in Plot En. 3 lib. 6. cap. 4.*

Mercurius appellatur Trismegistus id est ter maximus, quia philosophus maximus, sacerdos maximus, & rex maximus extitit. *Fic. in arg. Mer. Trismeg.* Mercurius Trismegistus primus inter philosophos à physicis, & mathematicis ad diuinorum contemplationem se contulit: primus de maiestate Dei, dæmonum ordine, animarum mutationibus sapientissimè disputauit: primus Theologiæ appellatus est author: Orpheus eum secutus secundas partes antiquæ Theologiæ obtinuit. Orphei sacris initiatus est Aglaus, huic successit in Theologia Pythagoras, quem Philolaus sequutus est, diuini Platonis magister. *idem, ibid.*

Mercurius Trismegistus ruinam præuidit priscæ religionis, ortum nouæ fidei, aduentum Christi, futurum iudicium, resurrectionem seculi, beatorum gloriam, supplicia peccatorum, quo factum est, vt Aurelius Augustinus dubitarit, peritiane syderum, an reuelatione dæmonum multa protulerit. Lactantius illum inter sibyllas & prophetas connumerare non dubitat. E multis Mercurij libris duo sunt diuini præcipuè, vnus de voluntate diuina, alter de potestate & sapientia Dei, hic Asclepiades, ille Pimander inscriptus. *Ficin. in arg. Mercurij Trismegist.*

Mercurius quinque fuisse aiunt Cicero, & Lactantius, & quintũ fuisse ab Aegyptiis Theut, à Græcis Trismegistum appellatum, qui occidit Argum, Aegyptiis præfuisse, & leges, & literas tradidisse & literarum characteres in animalium, & arborum figuris instituisse, & in tanta veneratione apud homines fuisse, vt in deorum numerum relatus fuerit. *Fic. in arg. Mer. Trismeg.* Mercurius Trismegistus nepos maioris Mercurij fuit, cuius auus maternus Atlas Astrologus fuit Promethei physici frater, qui florunt tempore quo Moses natus fuit. *Idem, ibid.*

Mercurius Trismegistus videtur in primo capite, saluâ semper pietate religionis, mysteria Mosaica tractare. Moses vidit tenebras super faciem abyssi, & spiritum domini ferri super aquas: hic vmbram horrendam in humidam naturam vergentem, quam humidam naturam verbum domini fouebat: ille potenti verbo domini cũcta creata nunciat: hic verbum illud lucens, quod omnia illuminat, germen mentis filium Dei esse asseuerat, & mentem patrem, & verbum mentis filium, natura non distare; consubstantiale, inquit, erat, vidit & horum esse vnionem, & si planius desideras, & fas est viris aute verbi cum eum velamento tantum diuinæ cognitionis ascribere, vidit filium ex patre nascentem, & spiritum ex patre filioque miro modo procedentem, cum dixit, mẽs Deus vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, vita, & lux cum verbo suo mentem aliam opificem peperit; vidit mentẽ cuncta creantem, & hominem ad ipsius imaginem factum, & de intelligibili sphæra ad corporeorum sphæram prelapsum: hinc malorum originem contraxisse, & morti obnoxium factum. *Fic. in Mer. Trismeg Piman. cap. 1.*

Mercurij Trismegisti Pimandri caput tertium cautè legendũ est: nam gentiles gentilitè exponunt & faciunt ad suos errores fundamentum. nobis autem vnus Deus est, qui fecit cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, qui omnia prout vult in tempore mutat & transfert. *Ficin. in Mer. Trismeg. Pimand. cap. 3.* Mercurij Trismegisti caput nonum vniuersum profanum est, idololatriam probat, miris laudibus effert, prædicat, & casum eius deplorat. *Idem, in Mer. Trismeg. Asclepium, cap. 9.*

Mercurius à Sole nunquam vltra nouem & 20. gradus distat. *Ioannes Picus Mirandul. in Astrologi. sm, lib. 5. cap. 10.*

Mercurius pileatus describitur, quia cùm non distat plus triginta gradus aut circiter à Sole videtur illi ob vicinos ardores opus esse galero. *Io. Franc. Pic. Mirandulan. de prænot. lib. 5. cap. 6.*

Mercurium ter maximum appellatum ait Suidas quia de trinitate edidit oraculum docens in trinitate esse vnam diuinitatem, dicens: Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale & erat mens semper mentis luminosa, & nihil aliud erat quàm horum vnitas & spiritus omnia continens; extra hunc non Deus, non angelus, non substantia vlla alia, omnium enim dominus & pater, & Deus, & omnia sub ipsum & in ipso sunt, nam verbum eius perfectum existens, & fœcundum, & opifex, lapsum in fœcunda natura, & aqua fœcunda prolificam fecit aquam. *August. Steuch. de peren. phil. lib. 1. cap. 17.*

Mercurius Trismegistus in creatione mundi describenda, Mosis dictiones Hebraicas Græcè scriptas, cuius linguæ, cùm ei materna esset, non fuit ignarus, vsurpauit. *August. in Steuch. de peren philosoph lib. 7. cap 5.* Mercurij, prout ipse cum cæteris planetis coniungitur, eisque dissimiliter aspicit, varij ac differentes influxus sunt. *Leo Heb. de Am dial 1.* Mercurij versatile ingenium ait. *Leo Heb de Am. dial. 2.*

Meridies est tempus, in quo vmbræ corporum quambreuissimæ sunt. *Speusip. de definition Pl.* Meridianus circulus est, quem Sol, cùm super hominum verticem fuerit ipsum diem medium efficiendo designat, & omnes non eadem pars cœli designat. *Macrob. in som. scip. lib 1.*

Merita duo duobus præmiis pensantur, discessus à turpibus, accessus ad honesta, migratione, & solitudine. *Philo de pœnis & præmiis.*

Messem frustra sperat, qui negligens est in seminandis. *Ficin. in Plat de rep. dialog 4.*

Messiam venturum quarto mundi millenario ait Helias. Sex mille annos durabit mundus; duo mille inane, duo mille lex, duo mille dies Messiæ, ita vt antequàm secundus exactus sit, sit lex, ante quartum Messiam nam legis principium si à Mose, sunt 2300. anni, si ab Abraham cui datum fœdus circuncisionis, antiquæ legis radix, & firmamentum, 1848. sunt anni. *Ioan. Picus Mirandulan. in Heptaplum, lib. 7. cap. 4.*

Metallum procreat terra cum humore plurimo bene commixta, quod metallum ob humoris copiam sub igne penetrante liquescit, in quo aer cum igne se congerit, quod deserit citius ignis quàm aer; sed ab ambobus destitutum, iterum in seipsum cogitur frigore comprimente. *Ficin. in Plato. Timæum, cap 47.*

Metalla septem planetis Platonici tribuunt, Aurum Soli, argentum Lunæ, plumbum Saturno, electrum Ioui, ferrum & æs Marti, orichalcum Veneri, stannum Mercurio. *Fic. in Plat. Atlantic.* Metallorum pater existimatur sulphur. *Idem, in Plotin. En 2. lib 1. cap. 6.* Metalla ad ignem liquefiunt omnia, quia mater eorum est humor multus oleosus, & viscosus. *Idem, ibid.*

Metallum putat Plotinus aquam esse concretam, physicorum namque sententia est, in componendis mixtis calorem & frigus tanquam agentia potius accedere, quàm vt materia, non enim facilè ob vehementiam suam commisceri posse, siccum verò & humidum sub his esse materiam: vbi siccum humido præualet, concrescere saxum, vbi siccitatem humor excedit, concrescere metallum quod propter humoris exuberantiam ad ignem liquefiat, quam liquefactionem in saxa siccitas prohibet. *Ficin. Enn. 2. lib. 5, cap. 1.* Metallorum formæ in se non lucentium, in planetis suis lucent omnes varietate lucis. *Idem, in Plotin. En. 6. lib. 7 cap. 9.*

Metaphysica.

Metaphysices liber secundus, vel secundùm latinos tertius, totus dubitatiuus est, & scientiam rei non habet, qui vnam ex causis ignorat. *Syrian. in 2. metaphysices, cap 1.* Metaphysicorum librum, & maiorem qui spurium esse aiunt, deridendi sunt, quia hoc in loco ad ea quæ in illo libro tradita sunt nos remittit Aristoteles. *idem, ibid cap. 17.* Metaphysica, quæ res vt sunt contemplatur, omnia entia speculatur, vt etiam omnia mathematicarum principia. *Procl. in Eu. l. lib. 1. cap. 4.*

Metaphysicam iure Plato sciẽtiam appellauit, cùm mathematica noluerit scientias appellare, sed disciplinas, & non opinionem quia clariora sunt quam sensibilia, nec scientiã, quia sunt obscuriora quàm intelligibilia prima, sed opinionem corporum scientiam diuinorum, & cogitationem mathematicorum; & fidem & coniecturam imaginationémq; imaginibus, idolisque attribuit. *Alcinous cap. 7.* Metaphysica quia efficacior est mathematica, ex eo quod circa diuina & æterna versatur, idcirco mathematicis vniuersis præponitur, vt arx quædam & reliquorum custodia. *Idem, ibid.*

Metaphysicæ subiectum apud Platonicos est aut ens atque nõ ens, aut ens saltem solum. *Fi. in. in Plotini En. 1. li. 3. cap. 4.* Metaphysicæ apud plerosq. peripateticos subiectum est ens ipsum, sub ipsa eius apud illos amplissima notione, in qua sani ad entia omnia est, tum à materia separata, tum materiæ coniuncta commune. *idem, ibidem.*

Metaphysicum genus alij & rem, & notionem ex animo tollendam arbitrantur, alij notionem io animis hominum relinquebant, rem ipsam iri sublatam noo contendentes: fuerunt qui hæc omnia statuerunt non concorditer, quando alij diuinitatem in vnam, alij in plures dispartitam deos voluerunt: qui vnum voluerunt, nomine non conuenere, nec defuerunt, non modo qui deos, & eorum curam, & prouidentiam sustulerunt, sed quibus placuerit huiusmodi omnia ficta ad frenandos hominum animos, vt Critias Atheniensis, quique deos nil aliud fuisse, quàm homines egregios, vt Euhemeros arbitratus est. *Io. Franc. Pic. Mirand. in ex. van. doct. gent. lib. 1. cap. 6.*

Metaphysica dicitur scientia, quia ens verum respicit. Naturalis verò opinio dicitur, quia considerat, quæ ortui & interitui sunt obnoxia. *Steph. Comb. de ascensu mentis in Deum, lib. 5. cap. 8.*

Metaphoris vtimur, cùm desunt propria nomina. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de mat. prima, cap. 9.*

Methodus.

Methodi faciendi ratio est, vt fit in Geometria: nam Geometræ vbi supposuerant par impar, & figuras, & angulorum species tres, & alia his cognata, in vnaquaque methodo; & postquam gnari in hac ipsa re exempla fecerunt, nullam deinceps rationem neque his, neque aliis, amplius de ipsis reddendam censent, velut sint hæc omnibus manifesta: ex his autem initium sumentes, vbi iam reliqua exposuerunt ex confesso tandem in hoc desinunt, ad cuius considerationem animum induxerint. *Plat. de rep. dialog. 6.*

Methodus non est alia quæ de quouis, quod sit vnumquodque via apprehendere in vniuersum conatur præter differendi artem, id est metaphysicam: nam aliæ omnes artes aut circa hominum opiniones & cupiditates versantur, aut ad generationes & compositiones, aut ad curam eorum quæ generantur & componentur conuersæ sunt: at mathematicæ circa id quod est somniant, reuera autem id videre impossibile est ipsis, quandiu suppositis exemplis vtentes, hæc ipsa intacta sinunt, vt qui de ipsis rationem reddere non possunt. Cui enim principium est id, quod non nouit, finis autem & media ex eo quod non nouit connexa sunt, qua arte fieri possit vt talis consensio vnquã scientia fiat? *Plat. de republica, dial. 7.*

Methodus exactior circa quamcunque rem non est quàm ea quæ quis ex multis & dissimilibus ad vnam ideam respicere potest. *Plato de legibus dial. 10.* Methodi tres sunt, prima per resolutionem, secunda per diuisionem, tertia per deductionem ad impossibile. *Procl. in Eucl. lib. 3. com. 5.*

Methodus quæ ea multis contendit ad vnum: vel diffinitiua est quæ ex genere & differentiis speciem vnam conficit: vel resolutiua siue à particularibus ad vniuersale consorgens, siue à compositis ad simplicia sese conferens. *Ficin. in Plato. Phædro. ap. 41.*

Methodus est, in multis ad eandem rem siue artem pertinentibus, nec tamen eundem gradum in hoc obtinentibus, vitæ siue ordinis institutio: in qua primum quiddam quasi pro capite, vel reliquorum fonte ponatur, deinde consideretur quid ex illo principio sit secundum, quid tertium, ac deinceps quomodo vnumquodque consequatur. *Iac. Carp. in Alcin. in 1. digress. de analyt. methodo.* Methodi duo sunt in Platone loci, vnus in Phædro, alter in Philebo de descensu ab vno, cuius natura definitione conclusa sit, ad species imas per intermedias. *idem, ibid.*

Metus.

Metus & timor est expectatio quædam mali. *Plat. in Protag.*

Metus est concussio animæ in expectatione mali. *Speusip. in Platonis definitionibus.* Metus vehemens mirabiles facit effectus cùm concurrit cum vehementissima cupiditate, vt in Crœsi filio: qui cùm mutus esset videns quendam Crœsum interficere volentem statim exclamauit: ô vir ne interficias Crœsum, & inde vocalis factus est. *Fic. Plat. Theol. lib. 13. cap. 1.* Metus respicit dolorem in mali præsentia, aut boni absentia. *idem, Platonica Theologia lib. 16. cap. 8.*

Metus ad custodiendi diligentiam plurimùm confert. *Franc. Patricius de rep. lib. 4. cap. 3.*

Metus has habet species, pigritiam, pudorem, terrorem, timorem, pauorem, exanimationem, conturbationem, formidinem. *idem, de regno, lib. 5. cap. 1.* Metus est opinio magni alicuius imminentis mali. *idem, de regno, lib. 4. cap. 8.* Metum si tollimus non erit quem pudeat, pudor enim est pars metus. *M. Ant. Nat. de pulchro, lib. 5.*

Mea sunt, quæ licet vendere, donare, & cuicunque volo deo sacrificare. *Plato, in Euthydemo.* Meum idem esse omnium in ciuitate nostra esse debet, cùm in ipsa omnia sint communia. *idem, de repub. dial. 5.*

Miles, Milites.

Militem eum, qui ordinem deseruerit, aut arma abiecerit, aut tale quiddam admittet ob malitiam, & timiditatem, opificem aliquem constituere oportet, aut agricolam; & si viuus in hostium manus venit, gratis dare oportet, vt volentes vtantur prædâ prout velint. *Plat. de rep. dial. 5.* Milites curare debent, vt nec ipsi, nec alij Græcas ciuitates in seruitutem redigant, & Græco generi parcant, cauentes ne in barbarorum seruitutem deueniant. *Idem, ibid.* Milites Græcum seruum nõ habeant, sic enim magis aduersus barbaros conuertentur, & a se inuicem abstinebunt. *ibid.*

Milites mortuos spoliare præterquàm armis non debent: nam occasionem timidis præbent vt non aduersus pugnantem prodeant, velut qui insigne quiddam faciant cùm mortuorum corporibus incumbunt, & ob id iam multi exercitus perierunt: illiberale enim videtur, & cum auaritia coniunctum, mortuum deprædari, & muliebris & exilis mentis hostem putare corpus mortui; & non secus faciunt ac canes qui in lapides in se iactos sæuiunt, eum qui illos iecit non attingentes. *Plato de repub. dial. 5.* Milites mortuorum deprędationes, & occidendi impedimenta finere debent. *idem, ibidem.*

Milites in terra Græca nec excidenda occupentur, nec domibus exurendis, sed dãnum factum tantùm ab hostibus auferendum curent. *Plato de rep. dial. 5.* Militari viro nulla disciplina magis necessaria est quàm computare & numerare posse. *idem, de repub. dial. 7.*

Militare genus à viris diuinis separatum seorsum ab initio habitabat in Atticâ regione, vt omnia ad educationem, & institutionem conuenientia haberet, & nemo ipsorum quicquam proprium possideret, sed omnia omnibus communia ducerent, & vltra iustum alimentum nihil ab alijs ciuibus accipere cuperent, & omnia studia quæ de præfectis & custodibus in Timæo dicta sunt tractarent. *Pla. in Atlantico.*

Militiam exercere oportet singulis mensibus, non minus vno die, sed pluribus, prout magistratibus visum fuerit, ita vt & ipsi, & mulieres & pueri nihil hyemis, & æstus vereantur, vbi magistratibus vniuersum populum educere visum fuerit. *Plato de legibus, dial. 8.*

Militaris lex maxima hæc est vt nec mas, nec fœmina vlla sine principe qui imperat, sit, neque vllius animũ adsuescat; neque serio, neque per lusum, vt quid ipse à seipso quis singulatim faciat, sed tum in bello tum in pace semper ad principem respiciat, & ipsum semper sequẽs viuat, vt etiam minimis ab illo gubernetur, & in summa vt non sciat quomodo animum suum adsuefaciat, & seorsum ab alijs quid faciat, sed vt gregatim semper, & simul cõmunis vita quàm maximè ab omnibus degatur: nam eo neque est, neque vnquam erit præstabilius, aut melius, aut artificiosius quicquam ad salutem, & victoriam in bello consequendam. Hoc etiam in pace statim à pueris meditandum est, vt alijs imperemus, & alijs subdamur. Rebellio omnis ex omni hominum vita eximenda est, vt ex bestijs, quæ sub hominibus sunt. Omnes choreæ ita ducendæ sunt, vt ad res in bello rectè gerendas respiciant, tolerantiæ ciborum, potuum, & frigorum & his contrariorum & duri cubilis; & quod maximum est capitis & pedum facultas corrumpenda non est, alienorum velaminum integumentis, ita vt propriorum pileorum, & calceamentorum ortum, & naturam amittamus. Hæ extremæ corporis partes sunt, quæ si conseruentur maximam vniuerso corpori vim exhibent, & contra cõtrariam; & altera quidem seruilissima pars vniuerso corpori est, altera principalissima, quæ omnes principales ipsius sensus ex natura habet, & hanc vitæ militaris laudem iuuenis audire se oportere putet. *Plato de legibus, dial. 12.*

Miles delectus, & in parte aliqua constitutus, si ea malitia quadam deficiat belli ducibus non dimetientibus ipsum, desertæ militiæ accusetur apud militares magistratus, cùm ab expeditione redierint, iudicentes qui militarunt singulos seorsum & armatos, & equites, & reliqua in hostili regione singula, & perducantur armati ad armatos, & equites ad equites, contubernales ad suos contubernales, & qui damnatus est ei nunquam ad certamen rei fortiter gerendæ accedere liceat, nec alium desertæ militiæ accusare, nec actionem de his aduersum alium instituere, & ad hæc iudicium æstimationem faciat quid pati & soluere debet. *Plato de legibus, dial. 12.*

Miles qui militauit, sed principibus non abducentibus ante tempus domum venit, deserti ordinis actio contra ipsum instituatur apud militares magistratus, & condemnetur vt qui coniecit suos desertæ militiæ. *Pla. de legibus, dial. 12.*

Miles ab hostibus deprehensus, & armis indutus si se non conuertit,

uerit, & repugnauit, sed vltro dimiserit arma, aut proiecerit, turpem vitam cum velocitate magis arripient, quàm pulchram & felicem mortem cum fortitudine, huius armorum obiectionis actio sit, & condemnatus eo neque in vllum aliquem ordinem constituat aliquis, neque alius belli princeps velet viro militari vtatur, nec in vllum aliquem ordinem constituat; si maximi census est mulctet mille drachmis, quinque minis secundi, tribus tertij, vna quarti. *Plato de legibus, dial.* 12.

Militaris virtus est experientia in bello. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Militis munus est imperanti parere, labores & pericula vltro subire, non nisi ordine pugnare, armis lætari, peritiam rei militaris tenere, honorem & dignitatem cæteris rebus anteferre. *Franc. Patric. de repub. lib. 9. cap. 2.* Milites sunt docendi exemplo M. Catonis, vt feroces aduersus hostes sint humani erga amicos & socios. *idem, ibid.*

Milites noui, qui vltra trigesimum annum scribantur, rarò vtiles sunt. *Franc. Patric. de rep. lib. 9. cap. 4.* Militea robustiores artes duriores reddunt, molliores autem virtutem omnem eneruant. *Idem, ibid.* Milites potiùs punctim quàm cæsim ferire debent, nam hostis interimendus non vulnerandus est. *ibid.*

Militibus est optima exercitatio venatio, quæ à rusticis laboribus non multum abest. *Fran. Patr. de rep. lib. 9. cap. 4.*

Miles prior fugam arripiens in acie & etiam pacis turbator in exemplum aliorum capite puniatur. *idem, de repub. lib. 9. cap. 2.*

Miles ex agris vtilius legitur quàm ex vrbe. *Idem, de rep. lib. 9. cap. 4.*

Mina valebat centum drachmas numismatis. *Plato de leg. dial. 6.*

Minerua texendi artem amore duce inuenit. *Plat. in Symp. sio.*

Minerua de oculis Diomedis caliginem abstersit, quo bene & Deum, & hominem cognosceret: sic ab anima primum caliginem abstergere oportet, & deinde adhibere ea per quæ mala & bona cognoscere possumus. & Deo sacrificium, & preces facere. *idem, in Alcibiade 2.*

Minerua ἀθηνᾶ appellatur, quasi mens, & Intelligentia, & Homerus etiam appellat eam θεονόην, id est Dei notionem peregrino more vsus α prima detractis ι ac ε, sed quia præ aliis res diuinas intelligat, θεονόην ipsam velut ἡ θεία dixit, *in Cratylo.*

Minerua sapientiæ dea è solo Iouis capite nata fingitur, quia nihil veri sine summæ veritatis lumine videri potest. *Ficin. in Platon. Theologia lib. 12. cap. 1.*

Mineruæ templis inscriptum est, vt ait Proclus se in Ægyptiorum historiis legisse. Ego sum quæ sunt, quæ erunt, & quæ fuerunt. Velum meum reuelauit nemo: quem ego fructum peperi Sol est natus. *idem, in Plat. Timæum, cap. 5.*

Ministri mali vitandi sunt, ne dominus malus habeatur. *Ficin. epist. lib 5.*

Minos nouem annis cum Ioue conuersatus fuit, vt erudiretur in eloquentiæ studio. *Plat. in Minoe.*

Minos bellum Atheniensibus intulit, & tributum imperauit, Athenienses Tragœdiam composuerunt, in qua Minoem vituperabant, & sic vlti sunt. *idem, ibid.*

Minos per nouem annos ad Iouis contubernium accessit, & ab illo accepta responsa Cretensibus pro legibus tulit. *in dial. 1. de legibus.*

Minos à Ioue, priusquam promulgaret leges, contemplando petiit leges. *Fic. de rep. dial. 7.*

Mirobolanos variæ insunt virtutes: vna, quæ superfluum exsiccat humorem, vnde caniciem prohibet: secunda, quæ humorem colligit naturalem, & à corruptione, & Inflammatione tuetur, & vitam in longum producit: tertia, quæ Stiptica, & Aromatica potentia, virtutem, & spiritum naturalem & animalem congregat, & fouet & roborat. *Fic. de vita producenda, lib. 2. cap. 9.*

Mirobolani iuuentutem seruant, acuunt senes, & ingenio profunt, & memoriæ. *idem, de vita cœlitus compar. lib. 3. cap. 18.*

Mirabolanos chebulas præcipuè debent senes rite conditas quotidie mandere ad differenda senectutis incommoda. *Fic. de vita producenda, lib 2 cap. 8.*

Mirobalani temperatura frigidã sunt & siccã, plus ad mortem facere videntur, quàm ad vitam, in quo tamen secretioris naturæ priuilegio ad vitam prorogandam, & vegetandam mirabilis esse creditur efficacia, multò magis Saturnus, etsi videatur frigidus & siccus id præstare posuit. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib 10. cap. 4.*

Miracula rem naturæ excedunt vel ex re ipsa quæ fit, vel in faciendi modo, vt ea scilicet fiant quæ aut momento, aut ei intermediis, quibus vel naturæ inferioris virtus, vel quã dæmon tanquam instrumento vtens operari nequeunt. Sane in plerisque gentilitas delusa diuina putauit quæ super vires duntaxat inanimatæ naturæ fiebant, in cote nouaculã cæsa, in aqua gestata cribro. *Ioan. Franciscus Picus Mirandulan. de prænotione, lib 9. cap. 5.*

Mirrhæ odor hominibus gratis scarabeis & apibus intolerabilis. *Ioan. Franciscus Picus Mirand. in exam. van. doct. gentium, lib 9. cap. 21.*

Mirtus Veneri sacra. *Leo Heb. de Am. dial. 2.*

Miserabilis non est, qui esurit, aut tale quid patitur, sed qui temperans est, aut virtutem aliquam, aut eius partem habet, si insuper calamitate aliqua premitur. *Plato de legibus, dialog. 11.*

Misereri expedit eius, qui curabilia mala habet & cohibendo animi impetum mitigare, ne vesanã irã percitus, muliebriter in amarulentia perseueret: at ei qui merè delinquit, ita vt curari non possit, & malus est, iram immittere oportet. *Plato de legibus, dial. 5.*

Misericordiæ & humanitatis speciem arbitrati sunt Pythagorici esse, feras non cædere. *Porphyrius, quòd nefas sit animalia cadere.*

Misericordia apud Deum antiquior est quàm iustitia, quippe qui pœnã dignum noscit non iudicatum sed ante iudicium. *Philo, quòd Deus est immutabilis.*

Misericordia est dolor ex alterius rebus aduersis iniuriã laborantis susceptã. *Franciscus Patricius de regno, libro quinto, cap. 10.*

Miseria est dæmonis deprauatio, beatitudo, bonus dæmonis habitus. *Alcin cap. 30.*

Miseria nil aliud est, quàm appetitus afflictio ex deprauatione iudicij proficiscens. *Ficin. epist. lib. 1.*

Mixta quæ sunt, maiorem simul quàm alterum è duobus occupant locum; & vbi non euadit maior, aer exhalatur. *Plot. En. 2. lib. 3 cap. 1.*

Mixtio reddere debet totum in singulis partibus quamsimillimum adeo vt vel minima quæque particula ex illis quę permixta dicuntur, conficiatur. *Idem, En 2. lib 7. cap. 1.*

Mixtionem materia qua materia est non respuit, sed qua cum tali qualitate, præsertim si nullam habet magnitudinem, videlicet vt neque propriam sibi vendicet, nec venientem vllam natura reiiciat. *Plotin. En. 2. lib. 7. cap. 2.* Mixtionem non conficiunt qualitates, qua qualitates sunt, vt duricies, sed qua quædam sunt qualitates *idem, ibid.*

Mixtio fit in bombace aquã madefacto, vt per totum bombacem sit aqua, quæ ingressa eget magnitudinem, & qualitas iam deleta est; magnitudo verò cùm magnitudine concurrens non deletur, vel obscuratur. *Plotin. En. 2. lib. 7. cap 2.*

Mirum vt quid videatur id ea ignorantia contingit. *Plato. de regno.*

Miscibilia si omnia essent, & motus staret, & status moueretur. *Plato in Sophista.*

Misceri quædam possunt, quædam non; vt in literis, nam aliæ cum alijs copulantur, quædam non, sed mediu vocalium. *idem, ibid.*

Miseris est qui crimina sua nescit occultare. *Francis. Patricius de regno lib 5 cap 6.*

Mixta omnia tam animata, quàm inanimata terram velut cõmunem matrem filiorum more venerantur, & ab ipsa tanquam clarissimi filij materno quodam effectu diliguntur. *Leo Heb de Am. dial. 2.*

Mithridates, duarum & viginti gentium rex, singulis absque interprete ius dicebat. *Fic. Plato. Theologia lib. 13. cap. 3.*

Mobile à se id est, quod primò mouetur. *Proclus element. Theologiæ propositione 14.*

Mobile per se ipsum primò, ita vt ipsum omnino idem sit, & fons, & receptaculum motionis, secundùm se totum per se mobile debet esse, vt in omnibus cæteris apparet, quæcunque per se, & primò talia quædam dicuntur, vel talia. *Fic. Platonica Theologia lib 6 cap. 12.*

Mobilia omnia vt ad vnum tempus, & motum reducuntur, sic stabilia ad vnum statum & æternitatem reducuntur vt ad centrum. Motus & tempus sunt penè idem. *Ficinus epistol. lib 2.*

Mobile per se qua primò mobile est, non habet superiorem causam per quam sit mobile; per quam verò intellectuale sit, aliquam habet. *Idem, in Plotini Enneade tertio, libro primo, cap. 1.*

Mobilia semper à causis stabilibus reguntur, & in suis motibus gubernantur. *Ficin. in Plotini En. 3. lib. 2. cap. 1.*

Mobilia quæ ab alijs mouentur, denique resoluuntur in illa, quæ motum ex se ipsis habent. *Idem, in Plotini En tertio, libro secundo. cap. 4.*

Moderationem seruantes artes omnes, id quod pulchrum &

bonum est efficiunt *Plato in dial. de regno.* Moderata quæ parua sunt, sentimus, & ratiocinatione colligimus, præcipua verò & maxima inconsiderata sinimus. *Plato in Timæo.*

Moderatio nulla ad sanitates, & morbos, virtutes, & vitia maior quàm ea, quæ est animæ ipsius ad ipsum corpus. *Plat. in Timæo.*

Moderatum est medium inter excessum, & defectum secundùm artem sufficiens. *Speusippus in Plato. defin.*

Modestia est voluntaria ad id quod optimum iudicatur, concessio, in gestu corporis compositio. *Speusippus in Platonis definitionib.*

Modestia difficilia diffidenter aggreditur, & quasi inuita, & compulsa. *Ficin. in Platonis de republica dial. 5.*

Modestia est moderatio cupiditatum rationi obediens. *Franc. Pat. de regno lib. 6 cap. 19.*

Modestiæ magistri in Republica esse debent, quàm nil vtilius populo morato. *Idem, de republica lib. 3. cap. 7.*

Modus est non quantitas, sed terminus quantitatis. *Fic. in Plato. commentum, ora. 5. cap. 6.*

Mœnia ciuitatis potius in terra iacentia dormire sinantur, & horum gratiâ, non erigantur: rectè enim poeticum illud de ipsis celebratur, ænea, ac ferrea potius esse oportere mœnia quàm terrea, murum circunducimus, quod non cōfert ad sanitatem ciuitatis, & mollem quendam animum habitantium facit, prouocans vt ad ipsum confugiant, & hostes non propulsent: at si murus esse deberet, ædificationes priuatarum habitationum sic ab initio construere oportet, vt tota ciuitas sit vnus murus, ita vt æqualitate, & similitudine omnes domus ad vias probè munitæ essent: nam & non iniucundum spectaculum esset, si vnius domus figuram tota ciuitas præ se ferrat, & ad custodiæ facilitatem excellenter salutem suam tutaret. *Plato de legib. dialogo 6.*

Mœror qui λύπη appellatur à corporum dissolutione nomen habere videtur, nimirum ἀπὸ τῆς διαλύσεως quam in hac mœroris affectione præfert corpus. *Plato in Cratylo.*

Mœror bonus est quum à maioribus mœroribus, quàm sunt, qui in ipso sunt, liberet, aut quum maiores voluptates quam mœrores inducit. *In Protagora.*

Mœror est ægritudo flebilis. *Francisc. Patric. de regno, lib. 5 cap. 16.*

Moses.

Mose attollente manus præualebat Israel, demittente præualebat Amalech: quibus verbis docemur quòd mens quando attollit seipsam supra mortalia, sublimis fertur, vim concipit vt Deum videat, quod est Israel; cùm verò neruos suos relaxat, & præualent affectus scilicet Amalech, qui interpretatur populus elingens, absumit totam animam. *Philo in legu allegor. lib. 2.*

Moses quorum virtuti testimonium reddidit, eos non inducit vxores suas cognoscere, vt Abraham Isaac, Iacob, Mosem; quia per mulierem significatur sensus, qui à sapientiæ amatoribus improbatur: at quæ cum Abraham, & aliis supra scriptis fuere vxores, verbo vxores fuere, re autem virtutes: nam Sara princeps & dux, Rebecca constantia in honestis, Lia fatigata per continuatam exercitationem, Sephora Mosis coniux à terra sursum in cœlum currens, & diuinas illic naturas considerans. *Philo de Cherubin.*

Moses ab aqua dictus, quæ Ægyptiorum linguâ dicitur mōs. à parentibus ob regium mandatum iuxta flumen expositus; à filia regis, quæ ad fluuium se contulerat, matri assignatus fuit vt eum nutriret, & filiæ regis filius suppositiitius factus. *Philo de vita Mosis, lib. 1.*

Moses in omnibus scientiis doctus fuit *Idem, ibid.*

Mosis oracula alia ad mundi opificia, alia ad historiam, tertia ad leges latas pertinent. *Philo de præmiis & pœnis.*

Moses solus sine auro & argento, ac reliquis opibus regnum administrauit. *Idem, ibid.*

Mosaicum mysterium confirmat hic Plato, vt etiam in Timæo, vidit Deus cuncta valdè bona. *Fic. in Plato. phædonem.*

Moses in tabernaculi constructione tres mundos significauit: sublunarem, in parte imbribus & soli obnoxia, nullo tecto cooperta, in qua & mundi & immundi erant: secundum cœli, quæ pars sancta appellabatur, in qua erant septem candelebra ad similitudinem septem planetarum: tertium intellectualium, quem sancta sanctorum appellauit. *Io. Pic. Mir. in Heptaplum, in præfatione.*

Mosis expositiones septem nascuntur, quia cùm de mundo ageret, de omnibus quatuor mundis sub iisdem verbis egit, id est intellectuali, cœlesti sublunari, & homine. Et vt naturæ quanquam in seipsis promiscuè inuicem continentur, discretas tamen proprias sedes, & peculiaria quædam iura sortitæ sunt, ita etsi in singulis partibus præsentis operis de quadruplici natura eadem serie literæ disseratur, credendum tamen prima in parte de prima agi natura peculiarius, & sic deinceps de reliquis: vnde & quintæ oritur expositionis necessitas. Accedit quod qua ratione hæc sunt distincta, quia tamen nulla est multitudo, quæ non sit vna, discordi quadam concordiâ ligantur: ideò sextam nos interpretationem adoriri vocat: & postremò, vt sex diebus sabbatum succedit id est quies, congruum vt nos post procedentium à Deo rerum ordines distributos & explicatam eorum vnionem, & differentiam & fœdera, & habitudines, septimâ enarratione declaremus, quæ Moses aptissimè occultauit. *Io. Pic. Mir. in Hept. in præfa.*

Moses non solùm legem, sed secretiorem quoque & veram legis enarrationem in mente diuinitus accepit, & vt legem ex Dei præcepto populo publicauit, sic legis enarrationem Iesu Naue, & aliis ille deinceps succedentibus sacerdotum primariis magna silentij religione reuelarit. *Ioan. Picus Mirandulanus in Apologia.*

Mosaicæ legis quinque libris omnium artium, & sapientiæ omnis diuinæ & humanæ integram cognitionem comprehēdi firma est sententia omnium veterum: vt si elementa diuulsa capiamus, & iuxta regulas ab ipsis propositas dictiones consentur, rite coagmentatæ, futurum est, vt ipsi aiunt, vt elucescant nobis, si simus capaces occlusæ sapientiæ, mira de rebus multis secretissima dogmata; & si in tota lege hoc fiat, eruimo lucem omnem doctrinam liberalium disciplinarum. *Ioannes Picus Mirandul. in Heptaplum.*

Mosaica volumina ante Alexandrum, & ante Persarum imperium traducta fuerant. *Iac. Carp. in Alc. pref.*

Moses est omnium scriptorum antiquissimus. *August. Steuch. de peren. philo. li. 7 cap. 8.*

Moises & Aaron diuinitatem acerrimè contemplantes, cum eâque copulari, felicissimè quidem occubuerunt. *Leo Hebr. de Amore dial. 3.*

Moises solus ex omnium prophetarum cœtu intellectu cum ipsamet diuinitate proximè coniuncto, vaticinationem præclarissimè exercebat. Cæteri verò prophetæ vel angelis, vel somniis tanquam mediis quibusdam intercedentibus obscuriori quadā ratione futura vaticinati fuerunt. *Leo Heb. de Amore dialogo 3.*

Moises solus omnium prophetarum Dei faciem frequenter vidisse, & cum Deo familiariter collocutus fuisse narratur. *Idem, ibid.*

Moises quidem peccatum incisionem subsequi, Plato verò illud hanc præcedere voluisse videtur. *ibid.*

Molestia dicitur ἀχθηδὼν à lationis grauitate effecta, oncrosam molestiam à voce ἄχθος significans. *Plato in Cratylo.*

Molestia est animi ægritudo permanens. *Franc. Patrit. de regno, lib 5. cap. 21.*

Moles quę iaciuntur, aerem findunt cum ictu, ac diuellum circumfluens à tergo, quod sponte naturæ suæ locum desolatum sectetur, atque expleat: comitatur emisso motum eius vnà vrgens. *Plutarchus in quæstionibus Platonicis.*

Mollia vocamus, quæ carni cedunt. *Plato in Timæo.*

Mollis tam euadit, qui quotidie in lachrymas risu profusiore resoluitur, quàm qui dolore lachrymare compellitur. *Fic. in Pla. de rep. dial. 3.*

Momentum quodlibet ex Aristotelis sententia, præteriti ac futuri temporis copula quædam communis existit. *Leo Heb. de Amore, dial. 3.*

Momus est diuina cura, prospiciens, quid reprehendi potuisset in singulis, si aliter facta fuissent: ideò singula disponit, vt iure reprehendi non possint. *Ficin. in Plato. de republ. dial. 6.*

Monitio est sermo ex sententiâ castigans, sermo ab erroribus terrens *Speusip. in Plat. defin.*

Monstra imaginatio proferre solet. *Ficin. in Plotini En. 2. libr. 3. cap. 12.*

Monstra, cùm nihil aliud sint, quàm peccata naturæ quomodo ad cœlum referri possunt, cùm omnes philosophi non ad efficientem causam præsertim indeficientem, sed ad materiam redigant? *Ioan. Picus Mirandul. in Astrol. lib. 3. cap. 21.*

Monstra non cœlo, sed materiæ attribuenda sunt. *Ioan. Fr. Pic. Miran. de pranotione, lib. 5. cap. 9.*

Monstruosos partus Democritus refert in duo semina, quorum alterum antea, alterum postea subeat, & confundantur. Empedocles & alij in superabundantiam, & in defectum, & in motus principium vel in diuisionem seminis referunt. Stratoni placuit id fieri vel oppositione, vel ablatione,

vel

vel transpositione, vel inflatione. Medicis tum euersa, tum inflatu matrix. Aristu. In parentes, & auos, cum læsi, aut claudi, & cæci fuerint. *Ioan. Francis. Picus Mirandul. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib. 2. cap. 16.*

Monstre & inusitata, & noua accidunt contre id quod plerunque accidit, non contra ipsius naturæ vim insuperabilem. *Marc. Antonius Natta, de pulchro, lib. 2.*

Morbi.

Morborum genera multa sunt, quę non erant tempore Æsculapij, cuius rei coniecturam sumit Plato, quod filij ipsius in Troia Eurypilo sauciato non reprehenderunt eam quæ bibendum dedit vinum Premnium, multa polenta, & caseo deraso inspersis, quæ inflammationis vim habere videntur: neq; Patroclum medicantem increparunt, & tamen absurda est potio ita affecto. *Plato de republica, dialogo tertio.*

Morbum alere inducit difficultatem ad res domesticas gubernandas, & ad militares expeditiones, & ad vrbanos magistratus, & tandem ad quascunque disciplinas; & cùm semper se ægrotare putet, nunquam corpore dolere cessat. nonne, & Aesculapium hoc cognouisse, & qui natura ac victu corpora sano modo affecta haberent, morbum tamen quendam secretum in seipsis continerent, his, & huic habitui ostendisse medicinam, vt medicamentis & sectionibus morbos ipsorum eiiceret, & consuetam victus rationem imperaret, vt ne in Reipublicæ negotiis obeundis læderentur, at corpora intrinsecus morbis penitus affecta non aggressum esse, vt victus ratione paulatim exhauriret, & perfunderet, atque sic longam, & malam vitam homini induceret, sed putasse non oportere curare eum, qui in constituto circuitu viuere non posset, vt qui neque sibiipsi, neque reipublicæ vtilis esset. quod patet, nam Menelao vulnerato sanguinem exsuxerunt, & mitia medicamenta insperserunt. & cõsuetam victus rationem imperarunt, vt qui moderatus circa victus rationem fuisset. *Plato de Republica, dial. 3.*

Morbosus vt quis viuat, vel naturâ, vel ex intemperantia, neque sibi ipsi, nec aliis conducit, nec ob eum artem medicam esse oportet, nec curandus est etiamsi Mida ditior esset. *Pla. de rep. dial. 3.* Morbum inducere est præter naturam imperare, & aliud alij subditum esse. *Idem, ibid. dial. 4.*

Morborum vltra humorum intemperiem, alia est causa: nam cùm medulla, os, & caro, & neruus ex illis composita sint, insuper & sanguis alio quidem modo, ex iisdem tamen factus sit, maximi morbi fiunt, cùm horum ortus conuerso ordine processerit. *Plato in Timæo.*

Morborum instrumenta sunt, cùm sanguis non ex cibis & potibus secundùm naturam plenus fit, sed ex contrariis præter naturæ leges molem accipit. *Idem, ibid.*

Morborum causæ quæ sint manifestum est: etenim cùm quatuor sint genera, ex quibus compactum est corpus, terra, ignis, aqua, & aer, horum præter naturam redundantia, & defectus, & ea regione propria in alienam discessus; & rursus ignis, & aliorum, quandoquidem plura vno genere sunt, si non singula id quod sibi ipsis conuenit assumunt, & iam omnia huiusmodi, seditiones & morbos faciunt: cùm enim vnumquodque præter naturam contingit & transmutatur, calescunt ea, quæ prius perfrigerabantur, & quæ sicca erant fiunt humida, leuia grauia, & omnes mutationes suscipiunt, ita etiam tantundem sentimus, quod idem ad idem secundùm idem, & eodem modo, & proportione accedens, & decedens sinet id, quod idem cùm ipso est, saluum & sanum permanere: quod verò aberrauit horum vnumquodque aut decedens, aut accedens, alterationes varias & morbos, & corruptiones infinitas inducet. *Plato in Timæo.*

Morborum maximus est, cùm medullæ natura ex defectu, vel excessu quodam ægrotarit, nam tunc maximos, & ad mortem præsentissimam vim habentes morbos efficit, vniuersa corporis naturâ conuerso ordine necessario fluente. *Plat. in Timæo.* Morbi graues fiunt, cùm os ob densitatem carnis iustam respirationem non accipiens, à carie calescens, & putrescens, neque alimentum susceperit, & ipsum rursus ad illud contrario modo frigescens iuerit, illud verò ad carnes, carnes verò in sanguinem illabentes, asperrimos morbos efficiunt. *Idem, ibid.* Morborum speciem trifariam fieri cogitare oportet, ex spiritu, ex bile, ex pituita *ibid.*

Morbi ex spiritu fiunt, cùm pulmo, qui spiritum corpori dat, non puros transitus exhibuerit, à fluxionibus obturatus, & hic spiritus huc non progressus, illuc autem amplior quam conuenit ingressus, quæ refrigerio non potiuntur putrefacit, in venas ingressus, ipsas impellens, & obtorquens, corpus liquans in medium ipsius, quod septum habet includitur, & ex his innumeri morbi cum dolore, & sudoris copia oboriuntur. Sæpe in corpore disparatâ carne spiritus intus origens, & foras progredi non potens, dolores eosdem inducit, velut hi qui insuper ingressi sunt, maximos autem, quum circa neruos, & venas hac parte constitutus intumuit, & ligamenta, & propinquos neruos ita in posteriorem his partem distendit, qui morbi distensionis effectione, Tetani, & Opisthotoni appellati sunt, quorum etiam medicina molesta est. febres verò ouorientes, tales morbos maximè soluunt. *Plato in Timæo.*

Morbos ex ignis excessu corpus sustinet & continuos ardores, & febres, ex aeris quotidianas, ex aquæ tertianas, quia ipsa & aere & igne segnior est, quarta verò terræ species harum omnium tardissima in quadruplis temporis circuitibus purgatur, & febres quartanas inducens, vix amouetur. *Plato in Timæo.*

Morbum caducum incensus gagates lapis explorat, cuius odore etiam in venaliciis morbum, vel sanitatem experiuntur; & orbis à figulo circumactus non difficile eiusdem valetudinis hominem vertigine sui corripit: ita spectaculum rotationis eius animum saucium debilitat, & multò plus ad caducos consternendos valet figulus, quàm magus. *Apule. Apologia prima.*

Morbus est defectus, aut excessus in corporibus compositis ex materia, & ordinem, & mensuram non sustinentibus. *Plot. Enn. 1. lib. 8. cap. 5.* Morbi humani causas habent à mutationibus quibusdam vel intrinsecus, vel extrinsecus orientibus, cùm curantur ex fluxu ventris, misso sanguine, vel ieiunio. *idem, En. 2. lib. 9. cap. 14.*

Morbus nobis molestus est, quia nihil in nobis habet domesticum, sed est penitus alienus; propterea manifestior incidit, quia maximè diuersus nobis occurrit: quæ verò nostra, nósque ipsi sunt vel absque manifesto sensu nobis insunt. *Plot. Enn. 5. lib 8. cap. 11.*

Morborum causas multas Plato docuit esse: primam elementorum excessum, & defectum, mutationes locorum in prouincias naturæ minimè congruas: secundam mutuam cognatorum regenerationem, vt si ex carne sanguis, aut bilis, aut pituita fiat, quæ omnia putrefactiones sunt. Pituitam esse recentis carnis liquefactionem, sudores & lachrymas effluuium quendam & reliquias pituitæ; extra missa pituita albas facit infectiones, intus atræ bili immixta morbum comitialem, qui sacer dictus est, procreat; acuta, & salsa passionum, quæ per fluxum accidunt, causa est: omnes enim qui pituitâ, & bili grauantur, id pati necesse est, nam innumeros & varios morbos bilis cum pituita gignit. Febrem continuam ignis excessu contingere putat, diurnam aeris, tertianam aquæ, quartanam terræ. *Alcin. c. 2.*

Morbus humanus est inexplebilis appetitus, & continua perturbatio: medicus est nobis immensum bonum, & æterna tranquillitas. *Ficin. epist. lib. 4.* Morbi quidam tam corporis, quàm animi certis concentibus mirabiliter curari dicuntur. *idem, in Platon. Timæum, cap. 30.*

Morbos acutos comparatum est naturâ per dies impares moueri, lentiores & diuturniores per pares. *Io. Pic. Miran. in Astrolog. lib. 3. cap. 56.* Morbi crisis non in cœlum, sed in materiam redigi debet, & in particularem aliquam ægrotantis hominis proprietatem. *idem, ibid.*

Morborum causam putat Asclepiades manantia corpuscula, quæ per inuisibilia foramina subsistendo iter claudunt. Alchmæon qualitatum monarchiæ acceptas retulit, cùm calor, vel humor, vel siccitas, vel frigus, vel dulcedo, vel amarities exuperat. Diocles morborum plurimos inæqualitati eorum, quæ in corpore sunt elementorum attribuit Herophilo placuit omne vitium in humidis esse, Hippocrati in spiritu, alij cùm sanguis arterias ingreditur, & inflammationem facit. Antiphani in varietate eduliorum. *Ioan. Franc. Picus Mirand. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib. 1. c 56.*

Morbi sæpe adolescentiæ vitiis enascuntur, necnon ob victus vitiosam rationem. *M. Anton. Natta de pulchro, lib. 5.*

Mores.

Morum imitamenta sunt ea, quæ circa choreas fiunt, in omnis generis actionibus, & fortunis, & moribus, & imitationibus, prout quisque exprimit, quibus ea quæ dicta sunt, aut decantata, aut quomodocunque tripudiis expressa, probantur, aut ex natura, aut ex consuetudine, aut ex ambabus, his quidem, & his gaudere, & ipsa laudare, & honesta appellare necessarium est, quæ præter naturam, aut consuetudinem, non laudare, sed turpia appellare: quibus autem natura quidem recta contingit, consuetudo autem contraria, vel consuetudo recta, natura contraria, hi contrarias voluptatibus laudes proferunt: iucunda enim singula hæc esse dicunt, sed praua, & coram aliis quos saperg

putant verentur corpora eo modo mouere, verentur item canere, vt seriò ea honesta pronunciantes; gaudent tamen apud seipsos. *Plato de legibus, dial.2.*

Mores iustissimi ferè existunt in ea habitatione, in qua neque diuitiæ, nec paupertas cohabitat. *Plato de legibus, dialog.3.*

Mores eorum cum quibus versamur maximam ad virtutem & vitiū vim habent. *Tim. Loc. de ani. mundi & nat.* Mores fallaces ad seruile, non ad liberale commercium pertinent. *Philo de crea. princip.*

Morum ingeniorúmque varietas nascitur & à corporis habitu, & ab educatione assuetudinis fundamento, quæ naturæ viribus proxima est: accedunt leges, quæ plurimum possunt. *Ioan. Pic. Mirandul. in Astrologiam, lib.3. cap.23.* Mores sunt viæ vel ad inferos, vel ad superos. *Ficin. Platonica Theologia lib.8 cap.10.*

Mores boni ita tandem ad felicitatem conducunt, si præcipuè erga Deum felicitatis authorem amore quærantur: mali autem animas in miseriam præcipitant, in quibus amor Dei omnis extinguitur. *Ficin. Plato. Theol. lib.18. cap 10.* Moralem Socrates multò magis ab vxoribus disciplinam, quàm naturalem ab Anaxagora & Archelao, didicisse confitebatur. *Fic. epist lib 4.* Moralis, & Mathematica disciplina animum hominis in corpus mersum in seipsum restituit. *Idem, in Plat. Alcib.1.*

Morum diuersitas non à cœlo, vniuersalis enim causa est, sed interdum ab educatione, ab assuetudine magna ex parte dependet. *Ioan Franc. Pic. Mir. de praenot. lib.5. cap.5.*

Morale genus philosophiæ maximè est ab ipsis philosophis impugnatum, nam boni & mali fines ducunt in controuersiam, si est aliquid à natura bonum vel malum, de felicitate ambigunt. *Ioan. Franc. Pic Mir. in exam. van. doct gent. lib.1. cap 8.*

Mores vsu introducuntur. *Idem, ibid. cap.17.*

Mors quotuplex.

Mors duplex, animæ vna, animalis alia: animal moritur, cùm anima corpus relinquit, solutum lege naturæ; anima, cùm in corpus descendit; & anima non debet à corpore separari iniusto Dom. *Macr. in som. Scip lib.1.*

Mors duplex: corporis vna, quæ est animæ à corpore separatio; animæ altera, quæ est virtutis corruptio, & assumptio vitij, quæ non est naturalis sed pœnalis. *Philo in legu alleger. lib.1.* Mortis species duæ; altera mortuum esse, quæ bona est, aut indifferens; altera ipsum emori, mala omnino, & quo diuturnior, eò grauior. *Idem, de præm & pœn.*

Mortis in humano corpore duplex est causa, vna interna in calore pabulum suum absumente, altera externa, & hæc varia: prior ineuitabilem necessitatem habet, in secunda non est necessitas. *Iac. Carp. in Alcinoi par. post. dial.10.*

Mors quid sit.

Mors est solutio, ac separatio animæ à corpore. *Plato in phædone.* Mors est animam seorsum à corpore per seipsam separatam esse, & corpus per seipsum ab anima separatū esse. *Idem, ibid.* Mors est somnus sine insomnio. *in Apol.* Mors non est malum. *ibid.* Mors duorum alterum est, aut velut nihil est, non enim aliquem sensum mortuus habet, aut secundùm ea quæ dicuntur, mutatio quædam est, & animæ ex hoc loco ad alium transmigratio. *ibidem.*

Mors est iustum certamen, in quo deficere non licet. *Plato in Axioco.* Mors an maximum homini bonum existat, nemo nouit: at formidanti, vt qui probè sciat maximum esse malorum, imperitia hæc quidem probrosa est, cùm quis putet nosse id quod non nouit. *in Apol.* Mors nil aliud est quàm duarum rerum dissolutio corporis, & animæ. *in Gorgia.*

Mors quæ per morbus & vulnera contingit, violenta est, & dolorem inducit: quæ verò per senectam ad finem secundùm naturam accedit, inter omnia mortis genera à dolore alienissima est, & magis cum voluptate fit quàm cum dolore. *Plat. in Tim.* Mors non est vltimum, sed quæ de inferis narrantur illic afflictiones, magis adhuc inter vltima habentur. *Idem, de legibus, dial.9.*

Mors vnionis plurium dissolutio est. *Merc. Trismegisti Pimand. cap.11.* Mors est animæ, & corporis solutio. *Plot. Enn.1. lib.7. cap.3.* Mors nil aliud est quàm animæ à corpore separatio. *Idem, Enn 1. lib.6. cap.6* Mors nil aliud est quàm vitæ priuatio. *Ficin. in Plotini Enn.2. lib.3. cap.6.* Mors est laborum molestiarum finis, & melioris vitæ principium. *Ioannes Franciscus Pic Mir. de imaginatione, cap.10.*

Mors est animi à corpore separatio, vel interitus, quasi discessus & secretio ac diremptus earum partium quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur. *Sebastian. Fox. in Plato. phædone.*

Mortis est duplex genus apud Platonem, vnum animæ in corpus delabentis, quæ quia ex natura intellectuali ad sensibilem migrat, mori dicitur; alterum animalis totius ex anima & corpore constantis, & hoc duplex: alterum naturale, cum à corpore animato verè anima discedit; alterum quod virtutibus acquiritur, cùm eodem animali viuente, animus ipse per contemplationem à corpore separatur, dum eiusdem illecebras fugit corpus moritur sedatis omnibus effectibus. *Idem, ibidem.*

Mors nil aliud est, quàm compositorum dissolutio: et enim ius non est compositus ex partibus separabilibus, & cùm simplex sit dissolui nequit. *M. Antonius Natta de immortalitate anim. lib.2.*

Mors unde prouenit.

Mors efficitur dissolutione corporis labore defessi, & numeri completi, quo corporis membra vnam machinam ad vsus vitales aptantur: moritur enim corpus, quando hominis vitalia ferre posse destiterit. Hæc ergo est mors, dissolutio corporis, & corporalis sensus interitus, de qua solicitudo superuacua est. *Mercur. Trismeg. Asclepius, cap.10.*

Mors animalis prouenit, cùm constitutionis compages dissoluuntur, si non amplius transitus est spiritui, aut alimentum distribuitur; & multæ sunt causæ: vnum genus nominatur morbus, morbi verò principia sunt primarum qualitatum intemperantiæ, si redundauerint aut defecerint simplices facultates, calor, frigus, siccum, humidum: post has sunt sanguinis mutationes, & alterationes ex corruptione, & ex causa carnis liquescentis vitiationes, si secondùm mutationes ad acidum salsum aut acre sanguinis alterationes, aut carnis corruptiones fiant. Hinc bilis & pituitæ origines, humores morbosi, & humorum putrefactiones, leues quidem quæ non lo profundo sunt, graues quarum principio ex ossibus oriuntur, molestæ quæ ex medulla accenduntur: postremi verò morbi sunt spiritus, bilis, pituita, augescentia, & in alienos locos fluentia, aut ad partes principales: *Timæus Locrus de anima mundi & natura.*

Mors efficitur dissolutione corporis labore defessi, & numeri completi, quo corporis membra in vnam machinam ad vsus vitales aptantur. *Apul. Ascl.* Mors in quali aliqua vita versatur, non in priuatione vitæ simul tota. *Porphy. de occasionibus.* Mors nunquam à cœlo, sed à materia cum vitio proprio *Ioan. Pic. Mirand. in Astrol. lib.3. cap.21.*

Mortem putauit Alcmeon euenire, cùm totus in venis sanguis omnino secesserit. Empedoc. cùm sanguis omnino friguerit. Diogenes, cùm aereum omne de venis discesserit. Plato, & Stoici, cùm omnino sensibilis spiritus remissius contigerit. Aristot. cùm omne calidum in corde penitus refrigerit, vel violenta extinctione, vel marcore, ob superabundantiam caloris, vel ob elementi humidi defectum. *Ioan. Franciscus Picus Mirandul. in exam. van. doctr. gentium, lib.3. cap.16.*

Morti obnoxij sumus ob casum Adæ, aliqui in nostra fuisset potestate posse non mori; hic causa diluuij, hic ciuitatis infernæ repletio. *Ioan. Franc. Pic. Mir. epist. lib.3.*

Mortis proprietas.

Mori melius, quàm viuere, at in hoc non est pium vt homines sibi benefaciant, sed exspectare oportet alium benefactorem. *Plato in Phædone.* Morti qui sunt propinqui, maximè vaticinari solent. *in Apol.*

Mortem cogitantem inuadit timor, & cure de his quæ antea non curauit: nam fabulæ de inferis, quod oporteat eum, qui hic iniusta fecit, illic pœnam dare, hactenus derisæ, tunc animam ipsius torquent formidantem, ne veræ sint: ille suspicione, & formidine repletur, & reputat, & considerat an aliquem iniuria affecerit. Qui igitur multa iniusta in vita sua reperit, è somno frequenter velut pueri excitatur, & expauescit, & cum mala spe viuit: at ei, qui nihil iniusti sibi ipsi conscius est, secunda spes semper adest, & bona senectutis nutrix, vt Pindarus ait. *Plato de republica, dial.1.*

Mors nec ad viuos, nec ad mortuos pertinet, quoniam circa viuos non est, mortui verò nulli sunt. *Plato in Axioc.*

Moritur corpus cùm hominis vitalia ferre posse destiterit; mors ergo est corporis dissolutio, & corporalis sensus interitus, de qua sollicitudo superuacua est. *Apul. Asclepius.*

Mortem qui Dei amator est libens amplectitur, & intrepidus excipit. *Max. Tyrius serm.1.*

Mori præstat quàm viuere, cùm deprauata omnino est corporis natura, etiamsi externa nobis abunde suppeditentur. *Fic. in Plato. de rep. dial.4.*

Mori desiderare potius debemus, quàm Deum offendere peccato mortali. *Io. Pic. Mir. in orationem Dominicam*

Mori tunc incipimus, cùm incipimus viuere, & mors cum vita protenditur; & tunc primum mori desinimus cum à corpore mortis huius per carnis mortem absoluimur. *Idem, de ente & vno, cap.5.*

Mors

Mors nostra ostendit nos hic verè esse peregrinos, & facit vt non quæramus gloriam nostram, qui mox erimus cinis, & puluis. *Idem.*

Mors, quæ omnibus molestissima est, filiis orbatis molestior est, qui post mortem ruinam secum sui generis trahunt, malè de republica, & de hominum genere meriti. *Fr. Pat. de repu. lib. 4. cap. 3.* Mortis timore commodis vitæ non frui, angusti animi est. *Idem, de regno lib. 5. cap. 5.* Morientes eduot spiritum, ergo respirationis principium est inspiratio. *Iac. Carp. in Alci. digres. 8.* Mors pro remedio, quasi malorum finis præscripta est. *M. Anto. Natta de immor. anima. lib. 1.*

Mortis accidentia.

Mortem formidare nil aliud est, quàm sapientem esse sibi videri eùm non sit. *Plato, in Apologia.* Mortis formido, & deprecatio viro est turpis. *Idem ibid.* Mortem vt effugias, nihil machinari oportet, nec in iudicio, nec in bello. *ibi.* Mortem non est difficile effugere, sed multò difficilius est effugere improbitatem, nam velocius morte currit. *ibid.*

Mortem sibi ipsi inferre nefas est. *Plato in phædone.* Mori qui ægrè fert, non est philosophus sapientiæ studiosus, sed corporis studiosus; & si qui pecuniarum, & ambitionis stodio tenetur. *idem, ibid.* Mors vbi ad hominem accesserit, mortale ipsius, vt apparet, moritur, immortale verò saluum, & incorruptum abit decedens morti. *ibid.*

Mori in bello pulchrum est, nam & sepulturam pulchram & magnificam consequitur, & si quis pauper moriatur etiam laudem suam habet, & si quis vilis fuerit etiam à sapientibus viris non temerè laudantibus extollitur, qui ex longo tempore paratis orationibus adeò pulchrè laudant, vt & quæ adsunt, & quæ non, de vnoquoque dicentes, & pulcherrime verborum elegentiâ variantes, velut præstigiis animos nostros corripiant; sed & ciuitatem secundùm omnes modos laudibus vehunt, & maiores nostros omnes superiores, qui in bello occubuerunt, & nos ipsos qui adhuc viuimus collaudant. *Plato in Menexeno.* Mortis timor multos excruciat. *Apul. Asclep.*

Mortale.

Mortali viro omnia ex animi sententia in vita sua euenire non procliue est. *Plato in Menexeno.* Mortalibus & diuinis simul intendere impossibile est, nam eùm duo inueniantur, corporeum & incorporeum, & illud mortale, hoc diuinum, electione vnius amittimus alterum quoties vnius cura remittitur, alterius actus intenditur; potioris optio eligenti decora, non modò hominem, qui elegit Deum reddidit, verum pietatem erga Deum cæteris quoque demonstrat: deterioris electio hominem perdit, & aliis impedimento est. *Merc. Trism. Piman. ca. 4.* Mortalia fieri & formari nequeunt, nisi quædam virtus opifex, & specierum participatio per omnia diffundatur. *Iambl. de mysteriis.*

Mortalia omnia necessarias mutationes admittunt. *Philo de mundi opificio.* Mortalia & incorruptibilia genera ea propriis constitisse numeris vult indicare propheta, cùm ait sex diebus factum mundum, & septimo Deum quieuisse, mortalia senario, & beata & felicia septenario. *Idem, in legis allegor. lib. 1.*

Mortalis nemo habet vllius rei stabile ac certum dominium; quos vulgus dominos vocat opinione potius, quam reuera domini sunt: reuera vnus Deus dominus princeps, & imperator omnium est, qui reuera dicere potest, omnes res meæ sunt. *Philo de Cherubim.* Mortalia omnia sunt somniorum ludicra: quid totus mundus? nonne secundis ventis, & aduersis vtitur? & fortuna, quæ ab hominibus vocatur, quæ est verbum Dei, choreas in orbem vertit, variantibus temporibus? *Idem, quòd Deus sit immutabilis.*

Mortalibus rebus sermonis fallaciam tribuit Parmenides. *Bess. Card. in Calumn. Plat. lib. 2. cap. 11.* Mortalis euadit, qui vires irrationales supra modum nutrit. *Fic. in Plato. Timæum. ca. 41.*

Mortalia vsu comparanda, naturali ratione quærenda, diuina à Deo oratione petenda. *Idem, epist. lib. 1.*

Mortalium cuncta dum oriri videntur, siue bona, siue mala occidunt: & animus quæcunque agit hic nil aliud sunt quàm somnia. *Ficin. epist. lib. 3.* Mortalium natura faciliùs cuiusq; rei indigentiam, quàm abundantiam ferre potest. *Francisc. Patric. de republica, libr. 7. cap. 10.*

Mortui.

Mortuis magnum solatium est cùm viris probis conuersatio. *Plato, in Apologia.* Mortui feliciores viuis sunt, cùm iam reliquum tempus immortales sint. *idem, ibid.* Moriens intrepidè & generosè, felix esse videtur. *in Phædone.* Mortuos lauare solebant antiqui. Socrates lauatur antequam assumat cicutam. *ibid.* Mortui alij sepeliebantur, alij comburebantur. *Ibid.*

Mortuos in prælio quotannis laudabant Athenienses, & inferias parabant. *Plato in Menexeno.* Mortuis si sit ipsis viuentium aliquis sensus, grauiter ferrent lamentationes quibus nos affligimus; sed si moderatè se habeant, gratiam maximam inierint: res n. nostræ finem iam habebunt qui hominibus pulcherrimus existit: quare decet ipsas magis ornare quàm lugere. *idem, ibid.*

Mortuorum in bello de filiis & parentibus, lex erat Athenis, quia vt susciperetur, & insigniter præ aliis ciuibus demandatum erat maximo magistratui, vt obseruet, ne parentes horum iniuria afficiantur; & liberos educabant, & vbi ad virilem ætatem deuenerant, armatura ornatos ad suas possessiones mittebant, reuocantes in memoriam patris studia. *Plato in Menexeno.* Mortuis in bello Athenienses anniuersarium semper præstabant: certamen quoque gymnicum & equestria, & musicam. *idem, ibid.*

Mortuum in bello spoliare præterquam armis, illiberalis animi & auari est. *Plato de rep. dial. 5.* Mortuos in bello victos armis solùm expoliare licet. *idem, ibid.* Mortuum corpus expoliare præterquàm armis ipsúmque hostem putari, non diuersum est, ab eo quod canes faciant, qui in lapides iactos sæuiunt. *ibid.*

Mortuis sensum aliquem inesse coniecturâ accipio eorum quę hic geruntur, cùm homines moderatissimi vitam faciant, vt apud posteros bene audiant; optimæ enim æ diuinent hæc ita se habere, pessimæ negant; sed optimarum diuinationes præstantiores sunt quàm peiorum. *Plat. ad Dion. ep. 2.*

Mortui vt fiunt ex viuentibus, sic ex mortuis quandoque viuentes resurgere ait Plato. *Fic. in Plato. Phædonem.* Mortuos pro patria mos erat vetus Atheniensium publicâ oratione singulis annis laudare, eique insuper inferias celebrare. *idem in Pl. Menex.* Mortui suscitantur interdum diuinâ virtute ad hominum doctrinam. *in Plat. de rep. dial. 10.*

Motio.

Motionem si quis vitam quandam corporum appellabit, de qua nunc loquimur, à verò procul esse non videbitur. *Plo. En. 6. lib. 3. cap. 22.* Motiones sunt facere, & pati; & motiones aliæ absolutæ sunt, aliæ partim affectiones, partim passiones. *idem, En. 6. lib. 3. in epilogo.*

Motionum inter omnes species solus localis motus, quia quasi extrinsecus est, subiectis sui substantiam qualitatémque naturalem mutare non cogitur; sic circuitus inter locales motus, quia solus non mutat locum, dici non posse videtur quasi non motus. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 4. cap. 2.* Motionis omnis siue naturalis, siue animalis principium est amor. *idem, epist. lib. 3.* Motionis principium est vita. *idem, in Plotini En. 5. lib. 3. cap. 13.*

Motor.

Motor appropriatus non mouetur per accidens. *Bess. Card. in Calumniatorem Plato. lib. 3. cap. 11.* Motor omnis non componitur ex actu & potentia passiua. *idem, ibid.*

Motor, qui vnà cum moto corpore peruagatur, perpetuum stabilémque tenorem, & ordinem mouendi non seruat, nisi præsit illi motor immobilis: ideò mundanæ reuolutionis perpetuus ordo testatur esse aliquos super animæ motores immobiles. *Fic. in. Platonica Theologia lib. 1. cap. 5.* Motor quatenus est principium motionis non pendet secundum esse suum ex eo quod mouetur. *idem, Plato. Theol. lib. 6. cap. 7.*

Motor omnis si sui ipsius gratiâ mouet, consentaneum est, mentem non ob aliam causam sua quælibet ad fines proprios ducere, nisi vt ad communem mentis finem, bonúmque conducant. *Ficin. epistol. lib. 2.* Motrix virtus, vt & vita inuisibilis est, quod & ex varietate deprehenditur. *idem, in Plo. En. 6. lib. 3. cap. 23.*

Motus diuisio.

Motus duæ sunt species, multitudine vtraque infinita & potentiam habent altera faciendi, altera patiendi. ex horum mutuo affrictu fit soboles multitudine infinita, gemina tamen, altera sensilis, altera sensus, qui semper coincidit & generatur cum sensili. *Plato in Theateto.* Motus duæ sunt species, localis, & alterationis. *idem, ibid.* Motus species sunt decem, circunuolutio, latio de loco ad locum, augmentum, decrementum, condensatio, rarefactio, generatio, & corruptio, mutatio in alio ab alio facta, & mutatio à se in se, & in alio facta. *de legibus, dial. 10.*

Motus duo sunt principia, voluptas prosequendi, dolor fugiendi. *Fic. epist. lib. 10.* Motus duplex, alius in agendo, alius in patiendo, & ex his omnia fieri Thales Milesius, Homerus, Epicharmus, Heraclitus, Empedocles, & Protagoras opinati sunt. *idem, in Plato Theatetum.*

Motus duo sunt genera, alteratio, & latio, cuius duæ sunt species, transitus, & circunuolutio; alteratio verò vel in substantia est, quæ est generatio ad esse, vel corruptio ad

non eſſe, vel in quantitate, quæ eſt ad maius incrementum, & ad minus decrementum, vel in qualitate affectio nominatur, ſi ad calorem calefactio, ſi ad frigus frigefactio, & ſic in aliis. *Ficin. in Plato. Theætet.*

Motus in nobis ſunt alij primi, alij ſecundi: primi ſunt ſubiti quidam impetus in animali noſtro ab externis impulſibus agitati per ſenſum animalis, & naturalem ſuæ imaginationis inſtinctum, priuſquàm anima rationalis de his ratione conſultet, vel imaginatione forſan animaduertat, vtrum proſequendum ſit, an potius fugiendum, ſiue terrores hi ſint, ſiue incitamenta quædam. Secundi verò motus, vel in proſequendo, vel in declinando poſiti, ſequuntur vel ſuperioris imaginationis animaduerſionem, vel etiam conſilium rationis, ſiue ſit temerarium, ſiue maturum: virtus quæ ſecundos amputat motus circa ſenſibilia declinantes, ciuilis cognominatur, ſiue fortitudo, ſiue temperantia, ſiue prudentia huc vſque conſultans, ſiue iuſtitia ita conuerſans; ſatis enim huc vſque factum à ciue putamus: virtutes verò, quæ ſecundos motus non ſolùm amputant, ſed extirpant, purgatoriæ vocantur: denique virtutes quæ ſecundas perturbationes iam domuerunt, ſed inſuper primos motus vel eradicant, ſi modò fieri poteſt in homine, vel ſaltem ratione aliqua & aſſuetudine moderantur, purgati iam animi ſunt; hæ autem virtutes ideò non ſunt, quia in eo non ſunt motus. *Fic. in Plot.* En 1. *lib.* 2. *cap.* 2.

Motus in cœlo ſeptem ſunt, circularis, ante, retro, ſurſum, deorſum, dextrum, & ſiniſtrum. *Ficin. in Plato. Timæum, cap.* 22.

Motus duas ſpecies ſimplices ponit in Parmenide Plato, vnam qua res loco mouentur, alteram qua ſuis affectionibus commutantur: reliquas, ortum ſcilicet & interitum, accretionē, & decretionem, mixtas eſſe, & ſemper habere aliquam cōmutationem admiſtam. Ariſtoteles contra in categoriis ait quadratum circum poſitâ regulâ creſcere, & non commutari. *Iacob. Carp. in Alc. præfatione.*

Motus quid eſt, à quibus, & in quibus.

Motus eſt bonum circa animam & corpus, quies malum *Plato in Theæteto.* Motus animæ fons eſt & principium. *in Phædro.*

Motus in planitie non eſt, vt in ſublimi a planitie ſemper ponimus. *in Timæo.* Motus optimus in animali eſt qui in ſeipſo à ſeipſo fit, maximè enim cognatus eſt motui vniuerſi intelligentiâ prædito, qui verò ab alio deterior: peſſimus autem qui iacente corpore, & quietem agente per alia ipſum ſecundùm partes mouet *ibid.* Motus quicunque naturam excedunt dolorem pariunt, quicunque ad ipſam reſtituuntur voluptates nominantur. *Timæus Locr. de anima mundi, & natura.*

Motum omne à ſtatu mouetur, itaque omnis motus animalis quod ex materia conſtat non fit ab iis, quæ ſunt extra mundum, ſed ab internis ad externa, ſeu ab anima, ſeu a ſpiritu, ſeu ab anima quadam incorporali, corpus enim corpus animatum non mouet, ſi neque totum ſimul corpus, etſi inanimatum exiſtat. *Mercur. Triſmegiſt. Pimand. cap.* 2. Motum omne non in moto, ſed in quodam ſtabili mouetur; & ipſum quod mouet etiam permanet, impoſſibile enim eſt cum eo ſimul agitari. *idem, ibid.*

Motus omnis in orbe ſupremo ſiue intellectus, ſiue anima, ſiue aliud vitale eſt. *Ariſt. Theolog. Ægypt. lib.* 8. *cap.* 5.

Motus eſt ens per accidens, & ipſe eſt eſſentia, quin potius omnia quæ in diuinis ſunt eſſentia ſunt. *Plotin. En.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8.

Motus omnis fit in tempore; & velociſſimus eſt qui breuiori tempore maius ſpacium peragit; & tardior, qui longiori tempore partem eiuſmodi ſpatij conſequitur. *Idem, Enn.* 3. *lib.* 7. *cap.* 7.

Motus omnis à ſurſum veniens ſemper ſalutaris prouenit, modò taliter capiatur qualis venit, ſed vt ſi quis ignem ab igne rapiens læſerit aliud non machinatus ignem illuc vſque procedere. *Plot. En.* 4 *lib.* 4. *cap.* 42.

Motus eſt alicuius potentia motiui ſecundùm quod motiuum. *Idem, En* 6. *lib.* 8. *cap.* 17.

Motus vnum per ſe genus exiſtit vltra quantitatem, quæ in ſubſtantia eſt, & vltra qualitatem, adeò vt motus ſit vnum circa ſubſtantiam, quæ diuidimus alium ad corpus, alium ad animam pertinere, vt alia penes ipſa mouentia ſint. alia ſub aliis aliunde in ipſa peruenient, vel aliæ ex ipſis propriè, aliæ ex alienis, tum quæ ſunt ex ipſis actiones ſint, ſiue in alia tranſeant, ſiue ſint abſolutæ, quæ pendeant ab aliis, paſſiones, quamuis motus etiam in alia tranſeuntes iidem eſſe videntur, atque motus qui ex aliis pendere dicuntur. *Plot. En.* 6 *lib.* 1. *cap.* 19.

Motus nec ſub ente, nec in ente, ſed vnà cum ente ponendus eſt, nec tanquam in ſubiecto in eo iacet, eſt enim ipſius actus, nec alterum eſt abſque altero, niſi fortè cogitatione quadam; & hic ſunt duæ naturæ vna, etenim ens ipſum non in potentia eſt ſed in actu. *Plot. En* 6. *lib.* 2. *cap.* 7.

Motus ſi eſt actus eſſentiæ, atque ens eſt actus, & omnino quæ ſunt prima ſunt actus, meritò motus illic non eſt accidens, ſed cùm ſit actus potius entis reuera exiſtentis in actu, nimirum nec eſſentiam dici debet complere, ſed ipſa prorſus eſſentia, non enim prius eſt ens, deinde mouetur, vel ſtat; nec eſt alterum vel idem, ſed ſimul ibi eſt ens, motus, ſtatus, idem, alterum. *idem, ibid. cap.* 15.

Motus erit genus, ſi in aliud genus reducere non licet, ſi ſuperius nihil de motu in eo quod quid eſt prædicatur, ſi multas accipiens differentias inde ſpecies pariat. *Plotin. En.* 6. *libr.* 3. *cap* 21.

Motus eſt exitus ex potentia in illud quod poſſe dicitur. *idem, ibid. cap.* 22.

Motum ſi quis appellauerit ſpeciem vigilem, excitabundamque cæteris quaſi torpentibus ſpeciebus oppoſitam, quatenus alia quieſcunt, alia non, appellaueritque cauſam cæteris ſpeciebus, cùm poſt ipſam nonnihil efficitur, is minimè aberrabit. *ibid.*

Motibus in omnibus eſt progreſſio quædam ex potentia in actum: quidquid enim mouetur quocunque motu feratur, propterea prodit in motum, quòd potentia quædam in eo præcedit ad faciendum aliquid, vel patiendum. *Plotin. En* 6. *lib* 3. *cap.* 22.

Motus procedens in habitum naturalem ſpecies motus dici poteſt, procedens verò in motum præter naturam caſus ſpeciei vnius ad alterius aduentum, & analogicâ quadam proportione iis ad quæ deducunt accommodari. *idem, ibid.*

Motus maximè proprium eſt alternas, quia nunquam permanet in eodem, alioqui motus protinus diſperderetur, ſi quando deſierit aliud aliudque ſuccedere. & ita eſt in motu alternas, vt perpetua agatur alteritas: ex quo efficitur, vt & tempus ſit alterum, quoniam motus ipſum procreat. *Plotin. Enn.* 6. *lib* 3. *cap* 22.

Motus cùm maneat aliud, & ex infuſa potentia prodit in actum, eſt in mouente, & ſic oportet nec à mouente disiungi, nec in ipſo eſſe, ſed ex ſeipſo quidem, & in aliud emanare, nec in alio eſſe à motore disiunctum, imo ad hoc in illud, vt ſpiritum afflatum, & in illud influentem. *idem, En.* 6. *lib.* 3. *cap.* 23.

Motus qui circa ſenſibilia verſatur, eſt ſtimulus quidam vel impetus ab alio in aliud vergens & excitans & impellens participem motionis, ne torpeat, nec maneat in eodem, vt tali quadam inquietudine, ac velut diſtractâ circa multa ſolicitudine quandam vitæ imaginem conſequatur. *Plotin. En.* 6. *lib.* 3. *cap* 23.

Motus æqualis eſt qui æqualia ſpatia æqualibus curriculis temporum conficit ſine pigritia vel incitatione. *Chalc. in Plato. Timæum.* Motus, & figura, & magnitudo eſt in incorporeis non autem huiuſcemodi quales in ſenſibilibus. *Syr. in* 12. *metaph.* Motum non concedit Plato eſſe alium actiuum, & alium paſſiuum, quod neceſſariò concedendum eſt, cum ſint duæ potentiæ, vna actiua, alia paſſiua, oportet etiam actum duplicem conſtitui. *Georgius Gemiſtus de Plato & Ariſto. phil. diffe. cap.* 19.

Motus cuiuſuis partes ſi fuerint partium continui alicuius, etiā totius tutus erit motus. *Proclus element. philoſophic. propoſitio.* 20.

Motum prius eſt omne quod mouetur. *idem, element. phyſic. propoſitio* 26. Motus vnus eſt qui ſpecie eſt indifferens, & vnius ſubiecti, & in continuo fit tempore *ibid. propoſit.* 27. Motus omnis ſimplex, ſimplicis corporis eſt. *ibid* Motus omnis qui præter naturam fit, violentus eſt. *ibid propoſ.* 30.

Motus omnis abſque fauore diuino damnoſus eſt. *Philo de migratione Abrahami.*

Motus omnis eſt operatio, ſed non omnis operatio motus. *Beſſ. Card. in Calum. Plat lib.* 1. *cap.* 7.

Motus eſt actus per temporis momenta diſcurrens. *Fic. Platonica Theologia lib.* 3. *cap.* 8 Motus ad ſtabile, & circa ſtabile efficitur ſemper & regitur. *idem, ibid lib.* 4. *cap.* 2. Motus perpetuus eſt ibi, vbi primus. *ibid. lib* 5. *cap* 1.

Motus omnes hi ſunt, alteratio, generatio, corruptio, augmentum, decrementum, condenſatio, rarefactio, progreſſio. *Fic. Platonica Theologia lib.* 6. *cap.* 12.

Motus non fit ad indifferentem terminum. *idem, Platonica Theologia lib.* 15 *cap* 10.

Motus alterationis hoc in loco à Platone appellantur omnes ſpecies motus præter localem. *idem, in Plato. Parme. cap* 63

Motus omnis ad bonum ducit, & ad eſſe quodam modo ferri videtur, vel vt eſſe ſpeciei, vel vt eſſe ſingulorum ſeruetur, vel denuo acquiratur At quod eſt eſſe bonum eſt, & omnis motus, & actio ad perfectionem aliquam vergit: ſi actio eſt finis, patet quod ſecunda agentis ipſius perfectio eſt: ſi actio exterioris materiæ tranſmutatio eſt,

patet

petet quod perfectionem aliquam in eo quod mouetur ipsum quod mouet inducere nititur, quod dicimus bonum, quod est esse perfectum. *Fic. in Plato. Phileb. lib. 1. cap. 3.*

Motus omnis discernitur ad stabile aliquid comparatus. *Fic. in Plato. Phileb. lib. 2. cap. 36.* Mentis operatio præstantior est in qua quiescit voluntas quàm voluntatis ipsius quies. *Idem, ibid. cap. 37.* Motus omnis vigor est in prima essentia formaliter, in qua est virtus & idea omnis animæ, & vitæ. *idem, in Plat. Sophist. cap. 3.*

Motus idem & actio est & voluptas, quanquam ratione differunt: actio enim est, vt per eum potentia aliquid agat, voluptas, vt in eo motu circa tale obiectum libenter potentia sic operans quiescit. *Fic. in Plato. Phyleb. lib. 2. cap. 32.*

Motus qui viget in anima cœli est motus primus; qui viget in corpore est secundus; primus est actio, secundus passio; & passio hæc corpori minatur interitum, præsertim quia motus in anima tanquam in re indiuidua non tendit ad dissoluendum, in corpore verò vt diuiduum quodammodo tendit; nec licet alicui more Auerrois in cœlo dimensiones absque materia ponere. *Idem, in Plotini Ennead. 2. lib. 1. cap. 1.*

Motus à superioribus, ac vis in nos descendens semper ad bonum suapte naturâ conducit, nam cœlestes influxus semper ad bonum sunt; nec tu hominum rigidorum tristitiam reiicias in Saturnum, nec temeritatem ac ferocitatem in Martem, vel fraudulentiam & malitiam in Mercurium, vel lasciuos amores in Venerem. Quod si Saturni grauitas in nobis complexionis naturæ, nutritionisque & educationis vitio in simile quid grauitati vitium conuertatur, & Martis magnanimitas in audaciam, & Mercurij industria in malitiam, Venerea charitas in libidinem, nonne sub Solis radijs, qui ad videndum conferunt & vivendum quotidie accidit alios visum, alios vitam amittere, & qui in aere libero salubriter calefaciunt, in concauis vrunt? Quemadmodum sub benefico radiorum influxu ob inferiorem naturam resultat alicui malum, non vniuerso. sic sub stellarum viribus naturâ bonis, atque sub numinum muneribus optimis potest interdum naturæ vel consuetudinis vitio, vitium vel corporis, vel animæ suboriri, nihil verò vniuerso vitium aut malum; vt in concentu secunda vel septima vox, quæ seorsum audita dissonat, interim coniuncta cæteris consonat vniuerso. *Ficin. in Plato de legib. dial. 6.*

Motu in omni ab altero in alterum terminum pertransitur. *Fic. in Plotini En. 2. lib. 6. cap. 1.*

Motus in rebus est actio quædam, & vitæ interioris indicium. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 6. cap. 3.*

Motus metaphoricus est actus tendens ad aliud. *Fic. in Plotini En. 3. lib. 9. cap. 4.*

Motus omnis noster qui incitamentum ex corporea, & humana passione habuit, passio quædam est, & seruitus. *Idem, in Plotini En. 4. lib. 4. cap. 4.*

Motus si disponit formas in mundo per intelligentiam naturalem, eas ipsas formas in se modo quodam naturali complectitur. *Idem, in Plotino En. 5. lib. 9. cap. 9.*

Motus omnes quietis gratiâ fiunt. *Ioan. Franc. Pic. Mirandula de praenotione lib. 1. cap. 8.*

Motus definitio tradita ab Aristotele per actum entis, qui sit in potentia quatenus huiusmodi, plerisque non placuit, & corporibus duntaxat competere si rite competat arbitrati sunt. *idem, in exam. vanitat. doctrinæ gentium, lib. 6. cap. 2.*

Motus in se possibilitatem continet intrinsecè, & formaliter: at cœlum non habet possibilitatem, nisi logicam. *Gab. Bur. de mundo lib. 7.*

Motus definitionem totam Aristoteles ex Platone desumpsit. *Idem, de tempore, lib. 8.*

Motus cœli & localis.

Motus *κίνησις* dicitur quasi *ἴεσις* id est progressio sit, non enim a, sed ɛ quodam vtebatur, initium autem à *κίειν* quæ vox peregrina est, & *ἰέναι* idest ire, significat, si quis verò vetus ipsius inuenerit nomen ad nostram vocem congruum *ἴεσις* idest rectè vocari poterit; nunc autem à peregrino *κίειν* & ɛ permutatione, & inserto *κίνησις* appellatus est. *Plato in Cratylo.*

Motus duos Cœlo, & Soli dedit Deus, alterũ in eodẽ secundùm eadem, circularem scilicet, vt de ijsdem semper eadem sibi ipsi cogitet, alterum in anteriorem partem in quo ab eiusdem, & similis circumuolutione superatur; quinque reliquos motus id est retro, dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, ab hoc genere alienos esse voluit, & his immobile, & stans, vt quammaximè vnumquodque ipsorum fieret optimum. *Plato in Timæo.*

Motus circularis est omnium admirabilium fons, dum magnis & paruis circulis, velocitatibus, & tarditatibus manifestè procedit. *Plato de leg. dial. 10.*

Motus localis in se vnus esse videtur, differentias duntaxat per extrinseca sumens. *Plotin. En. 6. lib. 3. cap. 24.*

Motus localis omnis vel est in circulo vel rectus vel ex his mixtus. *Proclus elemen. phy. prop. 4.* Motui circulari nihil est contrarium. *idem, ibid.*

Motus circularis æternus est *elem. ph. prop. 17.*

Motus locales tres præcipui sunt, nam alia perpetuò circa idem eodem modo reuoluuntur, alia mutant locum, alia partim motum illum circularem partim rectum hunc imitantur. *Fic. ep. lib. 12.*

Motus circularis ad mentem attinet, motus rectus ad corpus, ad animam mixtus; at corpori cœlesti cùm motus sit à natura cœli mente vel anima vel vtraque, ideò circulariter mouetur *idem, in Dion. Areopagi. de diuin. nomini.*

Motus rectus vbicunque est in elementis, non tam naturalis est quàm reditus in naturam. *Marc. Fic. in Plat. Timæo. cap. 25.*

Motum in rectum peracto spatio quod finitum est fieri & motum. *idem, ibid.*

Motum qui est ad locum priorem esse naturâ omni specie mutationis improbatur à multis: nam & hoc Hebræi carpunt vt qui nobiscum creationem mundi tueantur, & Pythagorici & Platonici, qui generatum affirmant, & nos qui simplici emanatione constitisse dicimus: prius enim res est quàm moueatur ad locum, & qui in qualitate & quantitate spectatur prius est eo qui ad locum, prius enim res quantitate fulcitur, & qualitatibus constat, quàm mutet locum. *Ioan. Fr. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 6. cap. 2.*

Motus vt primus.

Motus primus est qui seipsum mouere potest & alia mouet, & si starent, principium motus ab ipso procederet; & qui mutatur ab alio & alia mouet, secundus. *Plato de legib. dialo. 10.*

Motus secundùm substantiam qui generationi tribuitur nemo est qui causam extrinsecus esse negat, nulla enim res secundum se ipsam & generat, & generatur. *Bess. Card. in Cal. lib. 6. cap. 8.*

Motus primus duplex, secundùm se totum, & sic tempore non potest metiri quia infinitum est, & secundùm partes, & sic metiri potest. *Gab. Bur. de tempore, lib. 8.*

Motus vt naturalis.

Motus naturalis est, quando ex venis scaturiens humor concrescit in carnem; contra naturam cùm caro relabitur in humorem, venis influit iam liquefacta, suaque putredine spiritum sanguinémque inficiens generat, vel amaram bilem, vel pituitam acidam, aut salsam, vel ex bile crocea bilem atram. *Fic. in Pla. Tim. cap. 89.*

Motus tantò naturalior & efficacior est quantò motori mobile coniunctius est. *idem, Fic. in Plat. Theo. lib. 4. cap. 1.*

Motus corporales in anima apparent, generationis cùm diuinis hæret, corruptionis cùm mortalibus, augmenti cùm reminiscitur, decrementi cùm obliuiscitur, alterationis cùm variat vices affectionum, condensationis cùm subitò aliquid intuetur, vel in sese colligit, rarefactionis cùm discurrit, vel circa multa distrahitur, progressionis in rectum cùm primùm attingit externa, circuitus cùm vis in rebus effectum resoluit in causam, vel à causa deducit effectum, vel in seipsam considerandam reflectitur. Mouetur rursus in rectum, cùm ad sensum declinat, in obliquum, cùm in se angelumue reflectitur, in circulum quando in Deum principium & finem suum, sursum ad vniuersalia, deorsum ad particularia, ante, retro ad causas & effectus naturales, in dextrum & sinistrum in oppositas generis differentias. *Fic. Plat. Theol. lib. 6. cap. 12.*

Motus ille cuiusque rei est naturalis, qui subtracto impedimento statim fit. *Fic. Plat. Theol. lib. 10. cap. 2.* Motus nostri alij incipientes à corpore non penetrant ad animam, alij penetrant, alij incipientes ab anima non redundant in corpus, alij redundãt: primi sunt, cùm temperatissimus aer corpori circumfusus licet aliquomodo corpus moueat, tamen nec caloris, nec frigoris præbet sensum: secundi, cùm ita mouent vt aliquid sentiamus, tertij, cùm mens tranquillè aliquid speculatur, aut phantasia leue aliquod modicè intuetur, ex his enim cogitationibus corpus non agitatur: quarti, cùm mens vel phantasia vehementiùs sese confert ad aliquid, aut noxium valdè, aut vtile multùm, aut iucundum, tunc corpus aliquid patitur. *Idem, Plato. Theologia. libro. 12. cap. 1.*

Motus aliquis cùm per animi affectum in corpus redondant, non per vim corporis, sed per animi imperium in corpus videntur descendere. corpus namque non habet vim agendi, sed accipit nullâ intercedente morâ motus ab anima, anima si calefacto corpore ægrè fert, perturbatio hæc non prius accidit animo quam passionem anima senserit & iudicauerit; sentire & iudicare actus est animi; itaque pe

suum actum propriè, non per corporis violentiam anima perturbatur, ideò se ipsam mouet, non mouetur à corpore: quod patet, quia ex vehementiore animi cogitatione, & affecta semper agitatur corpus, nec corpus potest illi obsistere, ex passioue verò & cruciatu corporis non necessario, animus de suo statu deijcitur. *Ficinus. Plato.Theologia libro 13. cap.1.*

Motus omnis speciei, cuiusque naturalis quadam ratione procedit. *Fic.epist.lib.2.*

Motus omnis corporis aut eò tēdit vt vitet interitum & quodnem, aut perimat contrarium & similæ gignat, qui est generatio: & sic omnium corporalium motionum finis est conseruatio & generatio. *idem, in Plat. Phi lib.1.cap.2.* Motus & dam sibi conuenlens asciscat, quod faciat ad conseruatiogeneratio vitale aliquid præ se ferunt. *Idem, in Plot. En.1 lib.1.cap.13.*

Motus extrinsecus & eius species & differentia.

Motus qui ab exteriois proficiscuntur, hi qui ad sapientiæ locum referuntur sensui expositi sunt. qui verò sub perceptionem non cadunt sensus effugiunt, aut quod corpora quæ afficiuntur magis terrea fiunt, aut quod motus debiliores fiunt. *Tim. Locr. de mundi anim. & nat.* Motus se mouens differt à motu quo mouet cætera quia ille fine auctore est, hic alij motus auctor est. *Macro. de som Scip lib.2.*

Motus & ad agens, & ad patient refertur: differentia distinguent agere à pati est, vt agere seruet qua agere est passionis expers, pati verò in eo quòd aliquid aliter quàm prius afficiatur, dum ipsa patientis essentia nihil ad essentiam pertinens adipiscitur, sed aliud quid interea patitur, quando aliqua essentia generatur: quamobrem idem in aliqua habitudine est facere, in alia est pati. *Plot En 6 lib.1.cap 21.*

Motus species probabilius distinguuntur per differentias internas, quàm externas, scilicet per vires motrices, aut animatas aut inanimatas; item si sic, vel aliter animatas, rursus per impulsum naturæ, vel artis, vel consilij. *Plot. En.6. lib.3.cap.26.*

Motus imaginarij species nec patibilis tantum est nec impartibilis, sed ex impartibili ad partibile procedit: nam si partibilis esset tantum, non plures formarum custodire in sese posset impressiones, præ existentes obscurantibus, subeuntibus: & si impartibilis, cogitatione, & animâ impartibiliter cuncta spectante non esset inferior, nec per formas uperaretur. *Proc. in Eucl lib 2.cap.11.*

Motum vt rerum principium & quid & contrarium.

Motu & fluxu omnia fieri omnes antiqui sapientes consensere excepto Parmenide. *Plat. in Theæteto.*

Motus est in causa vt quid sit, & fiat, & quies vt non sit, & pereat; nam calidum & ignis qui alia gignit, & gubernat, ex latione, & confricatione generatur, & hæ sunt motus. *idem, ibid.* Motus & status maximè contraria sunt *in Sophista.*

Motus infinitus non est. *Proc. elem. Phy prop.29.* Motus contrarij sunt ij, qui à contrarijs in contraria fiunt *idem, ibid.*

Motus statu indiget, sed non contra. *Fic in epist.lib.1.* Motus ipse nec mouetur nec stat, vt nec status ipse nec stat nec mouetur. *idem, in Plat soph.cap.31.* Motus per efficaciam actionis vehementius opponitur statui, quàm identitas alterationi. *idem, ibidem.cap.15.*

Motus & status nec formaliter nec denominatiuè misceri possunt; idem & alterum relatiuè opposita facilè misceri possunt *ibid.*

Motum præcedit status, ideò stabilis terra, vt vnum aliquod ex primis mundi membris: antiquior videtur etiam stellis, tanquam mobilibus, ac post primas mundi partes adiuncta. *Fic. in Plat. Tim.cap.22.* Motus cùm statui potissimum opponatur, non tamen aduersatur sempiternitati, quæ est æternitate potissimum, non enim idem est æternitas, & status, qui à cæteris illic quodammodo discretus est, æternitas verò cūctis est æque communis. *Fic. in Plotin. En.3. lib 7.cap.1.*

Motus duo habet opposita, scilicet motum qui diuersos petit terminos, & quietem, maximè si quis consideretur in termino à quo motus discedit. *Fic in Plot. En.6 lib 3.cap.24.* Motus fertur circa aliquid quod manet. *Gab. Bur. de tempore, lib 8.*

Motus vt se habet ad tempus & corpus.

Motum & reuolutionem si quis dixerit metiri tempus quodammodo quantum potest, tanquam in suo quæro quantum temporis ostendentem, cum nec accipi, nec intelligi valeat, is à decenti declaratione non aberrabit. *Plot. En 3.lib. 7.cap 11.*

Motus magis ad notitiam, & consequutionem temporis quàm quies conferre videtur. *idem, ibid. cap.12.*

Motus producit tempus iugiter fluendo & ideò currit quasi à motu vehatur. *idem, En.6.lib.3.*

Motus si fuerit ex impartibilibus, etiam tempus ipsius motus ex impartibilibus erit *Procl. elem. Phy. prop.7.*

Motus & tempus habent mirificam cum alteritate coniugium, vt cum identitate status & æuum. *Ficin. in Plato. Parmenidem, c.87.* Motus factus in corpore, per quem sensus excitatur, videtur communis animæ & corpori, quanquam aliter fit in corpore, aliter in anima, nam in corpore est passio, in anima iudicium & actio *idem, in Plat. Phileb. cap. 26.*

Motus omnis varietatem quandam ab hoc in illud, inter hoc & illud necessariò positam habet, sed præter hanc in corpore quidem motus indiget loco & tempore, in anima verò præter varietatem solum insuper habet tempus, in mente solam sine tempore varietatem seruat ob miram virtutis actionisque potestatem. *Ficin. in Plot. En.6.lib.7.c.13.*

Motus velocior debetur nobiliori & potentiori corpori. *Ioan. Francisc. Pic. Mirand. in Apolog. lib. 5. cap 5.* Motus naturæ non est ita naturæ corporis additus, vt necessariò sequatur corpori simplici simplicem conuenire motum. *idem, in exa. van. doct. gent. lib.6.c.9.*

Motus vt subiectum præcedit tempus, ideò possumus eum imaginari sine tempore. *Gab. Buratel. de temp. lib.8.* Motus qui in definitione temporis ponitur, non est motus quicunque, sed ille qui in primo mobili reperitur, in quo animus distinguit hoc moueri prius, & hoc posterius. *idem, ibid.*

Mouentur ea quæ locum ex loco transmutant, aut in eodem vertuntur. *Plato in Theæteto.* Mouendum absque moturo, & motorum absque mouendo esse difficile est, aut impossibile. *idem, in Tim.* Mouens seipsum omnibus agitatis præcedit, & immobile omnibus mouentibus. *Fician in Plat. Phil. lib.1.cap.4.*

Mouetur ab aliquo stante quicquid mouetur. *Mercur. Trism. Pimand. cap.2.* Moueri semper dupliciter accipitur, & de eo ex quo est semper mouetur, & de eo quod semper est, & mouetur, secundus modus est, quo animam dicimus semper moueri. *Macrob. in somn. Scip. lib.2.*

Mouetur quicquid oportet aliquid esse ad quod moueatur. *Plot. Enn.5. lib.1.cap 6.* Mouendi virtus cum progressoria est cogit locum mutare, cum calefactoria est oritur alteratio, cum ædificat materiam in habitum naturalem augmentum appellatur, cùm aufert, decrementum, cùm virtus genitalis agit, generatio, cùm non valet, & quæ perdere potest exuperat corruptio, vbi vis quæ sanitatem facere potest agit, fit sanitas, vbi contraria, contraria facit. *idem, En.6. lib.3.cap.23.*

Mouens æternum motum æternum est. *Procl. elem. Phy. prop.18.*

Mouentia & mota præcedit immobile. *idem, ibid. proposi. 19.*

Mouetur ab aliquo quicquid mouetur. *ibid. proposi.20.*

Mouens non potest edere motum sine eo quod mouetur, nec quod mouetur sine mouente, sed vtriusque opus est potentiâ *Chalcid. in Tim. Plat.* Mouens primum qui in agibilibus ignorat, nec formam, nec finem ipsum rei nouerit. *Syrian. in 2. metaphysic. cap.13.*

Mouens se primò omne in se conuersiuum est. *Procl. elem. Theolog. prop.17.* Mouentium ad quod non mouetur primum est. *idem, elem. Theol. prop.25.* Mouebatur prius omne quod iam motum est *idem, elem. Phy. prop.27.*

Mouens quodcunque non habet finem sibi naturalem ad quē moueat, id est vt motum ipsum moueat alterum. *B. ss. Card. in calumn. Plat. lib. 3. cap. 11.* Mouent magis ad libidinem, quæ rarò videntur. *idem, ibid lib.4.cap 4.*

Mouens primò sibi ipsi præbet motum internum & externum: internus motus est vita, itaque sibi vitam suppeditat: nam vt quod ab alio mouetur semper mouetur quousque adest motor; sic quod à se mouetur, cum nunquam deseratur à motore, semper mouetur. *Ficin. Plat. Theol. lib.3. cap.1.* Mouendi virtus quamuis in infinito principio sit infinita, tamen in sequente causa quæ terminata est, terminatur: & motus mouentis proximi, potiusquàm remoti sequitur qualitatem. *idem, epist lib 2.*

Moueri est ad aliud proficiendo procedere. *Ficin. in Plat Parmen. cap.74.* Moueri est à potētia in actum paulatim progredi. *idem, in Plat. Phileb lib 1.cap.1.* Mouetur ad aliquid vnumquodque ex indigentia, quam passiua præbet potentia, idem fecum est quod nō mouetur, alterum quod digreditur. *ibid. lib.2.cap 3.*

Mouetur quicquid ab alio mouetur, tamdiu quamdiu motori adhæret. *idem, in Plat Phædr c.5.*

Moueri à se duobus modis vsurpat Aristoteles, vno modo quod pertinet ad omnia quæ secundùm naturam mouentur, alio modo propriū animalibus, quæ in motu secundùm locum ab elemento prædominante non regnuntur, sed ab anima motum hunc inchoante eundémque liberè finiente. *Iac. Carp. in Alcin. part. post. dig 10.*

Multis

Mulctæ persolutiones ita fiunt,vt si quis ob iniusta facta pecunijs molctandus videatur,vt si aliquid vltra sortem comparatum sit,eò vsque mulctetur non vlterius;huius & rationē ex præscriptionibus legum custodes colligant,& quod res est semper iudicibus significent,vt nemo vnquam ob pecuniarum inopiam sorte priuetur:quod si quis ampliore mulctā dignus est,& aliqui amici pro illo expendere noluerint & persoluere, vinculis diuturnis & manifestis & illusionibus quibusdam castigetur. *Pla.de leg.dial.9.*

Mulier.

Mulier dicitur γυνὴ à γονὴ id est genitura,vel genitrix. *Plat.in Cratily.*

Mulieres maximè linguam priscam seruant. *idem, ibid.* Mulieribus etiam inutiles sunt lamentationes, quas moderatas esse conuenit. *de rep.dial.3.* Mulieres multæ multis viris ad multa meliores sunt. *idem Dial.5.*

Mulieris,vt mulier,nullum studium est,ex his quæ ad ciuitatis gubernationem pertinent peculiare,nullum etiā viri,vt vir est,sed similiter in ambobus animalibus dispersæ sunt naturæ,& omnium studiorum particeps est mulier secundum naturam, omnium item vir;verùm in omnibus mulier viro est debilior. *Pla.de rep dia.5.* Mulieris & viri eadem natura est ad custodiam ciuitatis, nisi quantum robustior hic,imbecillior illa existit. *idem, ibid.*

Mulieres cum viris in ciuitate manere debent,& ad bellum proficisci,& simul custodes sint,& vnà venentur, velut canes, & omnia vbique quantum fieri potest,communia habeant;& cùm hæc faciunt ,vt & optima faciant,& non præter naturam quæ est fœminæ ad marem,qua inter se communionem habere solent. *Plat.de rep.dial.5.*

Mulieres iuuenum domos ingrediantur,& partim monendo partim minis peccata ac ipsorum imperitiam sedent:si verò hoc nō potuerint,ad legum custodes deferant:hi verò prohibeant; si verò & illi quodammodo non potuerint, in publico conscripta nomina proponant,& iureiurando affirment se non posse hanc , & hunc meliorem facere , & ille ignominiosus habeatur,si non vicerit in iudicio eos qui illā ob causam illum in tabula publice proposuerunt;nec ad nuptias accedes non ad puerorum consecrationes:si accesserit quicunque volet eum plagis liberè impetat:& sic de mulieribus. *Plat de leg dial.6.*

Mulieres in timore ac tenebris viuere solitæ si ad lucem violenter perducantur omni conatu renitentes,legislatorum superabunt. *Plat.de leg dial.6.* Mulieris natura non solum dimidium est,sed quanto fœminea natura ad virtutem virili deterior est,tantò antecellis vt plusquàm duplum sit. *idē, ibid.*

Mulieres ad Lucinæ templum quotidie conueniant ad tertiā vsque diei partem,& inter se congregatæ denuntient si qua siue virum,siue mulierem ex his qui liberos procreare debent,ad alia quædam respicere videt quàm ad ea quæ à sacris,ac sacrificijs in nuptijs factis constituta sunt. *ibid.*

Mulieribus & viris communia olim erant belli studia:sic eo tempore armata dea eius æui nominibus statuâ positâ expressa est,vt indicio esset quòd omnia animalia contubernalia mascula,& fœminina in vnoquoque genere,iuxta conuenientem virtutem quoduis studium in commune ex natura tractare possunt. *Plat.in Atlan.* Mulieres vterum gestantes maximè illo anno obseruari oportere dixerim,vt neque voluptatibus multis simulque ignauis vtantur , nec rursus doloribus vexentur.sed vt leuitatem, & facilitatem, & mansuetudinem colentes eo tempore vitam degant. *idē, de leg.dial 7.*

Mulieres ita turpiter educare magna reipublicæ pernicies est,vt neque velut aues pro filijs aduersos quancunque fortissimā bestiam pugnantes mori,& omnia pericula subire sustineant , sed statim ad templa defugiant,& omnes aras & altaria complectant,& eam de hominum genere opinionem inducant, omnium animalium timidissimum id esse. *Plat.de leg.dial.7.* Mulieres non oportet negligere res bellicas, sed omnes ciues,& viros,& mulieres eius studij curam suscipere. *Idem ,ibid.*

Mulieribus omnibus mos est & debilibus penitus, & periclitantibus , & egentibus,quacunque re egeant , & contra,in prospero aliquo successu dijs consecrare id quod semper adest ,& victimas vouere,& statuas polliceri dijs & dæmonibus , & deorum filiis;nam vbi spectra vigilantibus apparent propter timorem, tum insomnijs,& eodem modo vbi multas visiones in memoriam reuocant , & singulis ipsis medelas adhibere,& altaribus , & templis,per omnes domos & omnes vicos positis , tum puros locum tum prout quisque incidit implere: quorum gratiâ & propter impios eorum sit ne hæc clandestinè facientes templa,& altaria in priuatis ædibus ponentes, & clam deos propitios facere putantes, sacrificijs & supplicationibus iniustitiam in immensum augentes & sibi,& his qui hæc ipsis permittunt deorum indignationem inducant, etiamsi hi ipsis sint meliores,& ita tota ciuitas merito quodammodo impiorum criminis particeps fiat:ideò lex statuatur vt templa in priuatis ædibus nemo habeat. *Plat.da leg.dial.10.*

Mulieri liberæ quadragesimum annum transgressæ & testimonium ferre , & patrocinari liceat , & litem intendere si virum non habuerit , viuente marito testimonium dare solùm liceat. *Plat.de leg.dial.11.*

Mulieribus commune est epistolam de amore confingere. *Apul.Apolo 2.* Mulier non est amanda propter corporis cōmiationē,sed ingeniū,& mores spectare decet ;& amori causam præbet corporis formositas. *M.Ant.Nat.de pulch. lib.1.* Mulieres nudas exerceri non primus instituit Plato, sed etiam Minos & Lycurgus. *Bess.Card.in calumn.Plat.lib.4.cap.5.*

Mulier studeat vt quodāmodo virilis sit,maximè verò pudica, *Fic.Epist.lib.3.* Mulieres prægnantes sæpe vinum quod auidissimè cupiunt , vehementer excogitant , & vehemens excogitatio spiritus mouet interiores,& in his excogitatæ rei pingit imaginem isti sanguinem mouent,& in mollissima fœtus materia viui imaginem exprimunt. *idem,in Plat, conui.or.7 cap 8.*

Mulier Mirandulæ fuit,quæ priusquam viro coniungeretur nec uquam nec vinum bibit vnquam,sana autem & fortis erat,sed viro iuncta cum filium concepisset bibit. *Io.Fran.Pic.Mir.in ex.van.doct.gent.lib.2.cap.23.*

Mulieres communes non posuit Plato carnali complexu,sed honestā quadam conuersatione,& beneuolentia. *Gab.Bur.de rerum commun.lib.9.* Mulier quæ pudicitiam amisit rarò pudorem seruat. *Fran.Patr.de rep.lib.4.cap.4.* Mulierem simul cum tunica pudicitiam exuere dixit Candaulis regis vxor. *Iac.Carp.in Alc.præfatio.* Mulierum formosarum mos atque consuetudo est cruciatus amantium optimè dissimulare. *Leo.Heb.de.Am dial 3.*

Multiplicia prius distinguenda,quàm definienda. *Gab.Bur.de enta & vno.lib.2.*

Multitudo.

Multitudo nunquam ciuitatem perfecta gubernandi scientiā cum intelligentia gubernare potest:verùm circa paucos & vnum recta illa vera respublica quærenda est. *Pla de rego.* Multitudines sunt inter quæ vnum non est. *Idem in Parmen.*

Multitudo non est absque vno,sed vnum absque multitudine. *Dion.Areop de diuin.nomin.* Multitudo necessario est in ipsa entium plenitudine. *Plot.in Enn.5.lib.6.cap.14.* Multitudo in defectu versatur,cùm optimum omnino sit vnum. *Idem, Enn.6.lib.7.cap.8.*

Multitudo omnis quadantenus particeps est vnius alioqui in infinitum abiretur. *Procl elem.Theol.prop.1.* Multitudo omnis secunda est ab vno. *idem. ibid. prop.5.* Multitudo si esset ante vnum, non participaret vnum si est antequam fiat vnū, quod impossibile est. *ibid.* Multitudo omnis vel ex vnitis est vel ex vnitatibus *ibid.prop.6.*

Multitudo omnis vicinior vni existens,quantitate quidem est longinquioribus minor , potentiā autem maior. *Proc.elem.Theo prop.62.* Multitudo omnis infinitarum potentiarum ab vna dependent prima infinitate,quæ nō vt participat potentia est , neque in potentibus subsistit,sed per se,non alicuius existens potentia participantis,sed omnium causa entium. *idem , ibid.prop.92.* Multitudo omnis ab vnitate , & omnis compositio à simplicium puritate descendit. *Fic.Pla.Theo.lib.2.cap.7.*

Multitudo quælibet specialis singularium in vna quadam proprietate naturaque conuenit speciali , vt homines in vna humanitate multi;& id commune vnum est.nec dependet à multis , qua ratione multa sunt & varia,nec à qualibet multorum,qua ratione proprium est quodlibet,atque differens nec per se,& ex se existit,cum in seipso non maneat sed multitudine : nec purum ac perfectum vnum est, cùm sit particeps multitudinis, nec perfecta natura,cùm alienis mixta sit conditionibus,& mutabilis:& hæc tanquam in his multis vna ab vna dependet his multis longè superiore,vt ab idēa hominis humana natura,quæ quod sempiterna sit, non habet nisi à causa immobili,& quod vniuersalis sit ab vniuersali,quæ necessariò est intellectus & intellectualis idea. *Fic.in Pla.Parmenidem cap.4.*

Multitudo si esse debet necessario est vnum,nam cum ex aliquibus constat,quoniam quodlibet in se est aliquid vnum nisi sit vnum nec multitudo erit. *Fic.in Pla Parmen.cap.41.*

Multitudo in ordine rerum totum antecellit & partes *idem, ibid.cap.17.*

Multitudo nil aliud est quàm vnitates quædam ab ipsa simpliciter vnitate secundæ propagatæ passim atque distributæ. *ibid.* Multitudo qua ratione multitudo, est nullum certum sibi decernit finem, imò sua natura occurrere videtur deinceps multiplicabilis infinitè. *ibid.*

Multitudo omnis amplior est quàm numerus. *Ficin. in Pla. Parmenidem, cap.95.* Multitudo esse nequit vnius expers, sed vno posterior est, participans vno, at nullo modo ab vno participata. *Idem, in Pla. Phileb. lib.1. cap.4.* Multitudo omnis ad vnum quod in multitudine est, & vnum quod in multitudine est ad vnum quod supra multitudinem est reducitur. *in Pla. de pulchro.* Multitudo quo longiùs distat ab ipso bono & vno eo deterior est; ergo si fingitur vel infinita, vel vnitatis expers, erit malum. *in Plot. En.6. lib.6. cap.1.*

Multitudo sine litibus esse nequit. *Francis. Patric. de republica, lib. 3. cap.6.*

Multitudini parcendum est etiamsi deliquerit. *idem, ibid. lib.6. cap.5.*

Multitudo nulla vnius expers reperitur, sed omnia in vnum ordine tendunt. *M. Ant. Natta de pulchro lib.2.*

Multa nequeunt vel esse, vel consistere, nisi sit vnum à quo, vel in quo sint. *Plo. En 5. li.6. cap.3.*

Mundanos Deos Socrates in Phædro præcipuè tractat. *Fic. in Pla phædr. cap.12.*

Mundanæ animæ pulchritudo est imago quædam ad miram primæ intelligentiæ pulchritudinem. Hæc tandem est primæ lucis splendor foras exuberans. *Idem, in Plo. En.5. lib.8. cap.13.*

Mundus quid est & quot.

Mundus est animal animatum, mentisque compos: reuera ob Dei prouidentiam factus est. *Pla. in Timæo.* Mundus vnus solus factus est, & non duo, nec infiniti. *Idem, ibid.* Mundos infinitos esse imperiti cuiusdam est sententia, qui ea ignorat quorum peritiam habere oportebat. *ibid.* Mundum vnum esse verisimiliter ratio nostra iudicat, at alius ad alia aespiciens, alia opinabitur; sed hoc dimittamus. *ibid.* Mundus hic est animal visui expositum, quod visui exposita in se continet, & est eius qui intelligitur. Dei imago, sensui expositus, maximus & optimus, pulcherrimus, sic perfectissimus, vnum hoc, & vnicè factum Cœlum. *ibid.*

Mundus congeries est malorum; in mundo bonum esse non potest. *Mer. Trismeg. Pimander, cap.6.*

Mundus est à Deo præparatus receptaculum omnis formium specierum. *Eiusdem. Asclep. cap.2.*

Mundi natura, vel Hyle & spiritus, quamuis nata videantur à principio, tamen in se nascendi procreandique vim possident, atque naturam fœcunditatis: etenim initium in qualitate naturæ est, quæ & conceptus & partus in se vimque & naturam possidet; hæc penè alieno conceptu sola generabilis est *ibid. cap.7.*

Mundus est omnium receptaculum, agitatioque, ac frequentatio, quorum Deus gubernator dispensans omnibus rebus mundanis, quantum vnicuique necessarium est; spiritu verò implet omnia vt cuiusque naturæ qualitas est *ibid.*

Mundus sensibilis est intellectualis imago, quæ intellectuales sunt res absconditæ, quia sunt productæ ab essentia prima, sensibiles verò sunt entia alterabilia earum simulacra. *Aristot. Theol. Aegypt. lib.7. cap.4.*

Mundi spiritualis natura instuit cœlesti, cœlestis sublunari. *Idem, Theol. Aegyp. lib.10. cap 3.*

Mundus triplex, supercœlestis, cœlestis, ac terrestris & posterior à priore seruatur. *ibid. lib.12. cap 3.*

Mundum vitæ appellamus animas proprias & præstantes, & deteriores vnà cum mente regina, & duce anima mundi. *Fic. in Plot. En.6 lib.4. cap.14.*

Mundus infinitus quoniam ab ipsa vnitate processit in multitudinem idearum, non est ipsum bonum; nec tamen est ibi multitudo malum, quoniam superatur ab vno; est enim idearum omnium communis vna, & indiuidua natura, atque idea quælibet est cunctis vnita. *Idem, ead. Enn. lib.6. cap.3.*

Mundus est sensibilium pulcherrimarum rerum Dei vestigium. *Fic. in Mer. Trism. Ascl. cap.4.*

Mundi locum non natum, & natum volt Mercurius, natum si creaturarum opificium respicis, non natum si opificij respicis veritatem. *idem, ibid. cap.7.*

Mundus est ex intellectu & necessitate compositus, id est ex ipso formarum ordine & materia. *Ficin. in Plato. Timæum, cap.39.* Mundus hic vnus est, nec relictus est locus in quo alius, nec elementa superfuns ex quibus alterius mundi esse possit corpus. *Apul. de dogm. Plat. lib.1.*

Mundus vniuersus est non solùm vnum animal, sed & multa conspicitur; quatenus vnumquodque cum vniuerso est vnum ex hoc ipso seruatur; quantum verò multa inter se concurrunt læditur à diuerso: nempe quodlibet sibimet naturaliter consulens, quantum cum altero congruit, accipit in seipsum, quantumque sit alienum perdit beneuolentiâ sui. *Plot. En 4. lib.4. cap.32.* Mundus totus est animal vnum ratione musicâ saltans, & saltanda consequenter vnà secum omnia varians *idem, ibid.*

Mundus est animal vnum, & cùm tale sit compatiens sibimet necessariò est, & secundùm rationem vitæ eius agit discursum sibimet consentientem, & in ipsa vita nihil est fortuitum, sed concentus vnus & ordo, & figurationes secundùm rationes fiunt, & singulæ certis numeris, & animalis partes vtræque sunt quasi choream agentes proculdubio quisdam ipsius mundi actus, tum figuræ, quæ in eo fiunt, & figuratæ ipsius partes, tum quæ hæc ipsa sequuntur; & hac ratione existimandum est vniuersum viuere, & figuras esse quasi rationes & sermones, aut animalis ipsius interualla, modósque numerosos, & habitus & gestus, animalis ratione perfectos. *Plot. En.4. lib 4. cap.35.* Mundus hic pulcher est, quia est exemplar mundi in mente diuina existentis, qui mirificè pulcher est. *Idem, En.5. lib.8. cap.8.*

Mundus hic vniuersus existimandus est Dei templum, cuius sacrarium Cœlum in tota rerum natura præstantissimum est, donaria sidera, sacerdotes & æditui potestates, angelicæ animæ carentes corporibus. *Phil. de monarc. lib.2.*

Mundus primò dicitur ambitus cœli stellati, complexus terram cum stirpibus suis, & animantibus; secundò dicitur cœlum tantummodo, tertiò essentia quædam digesta indigestáque vsque ad exustionem duratura, cuius motus spatia tempus esse definiunt Stoici. *Idem, quòd mund. sit incorrupt.*

Mundi tres apud Platonicos sunt; primus est Deus vniuersorum author, quem ipsum bonum dicimus, hic primò mentem creat angelicam, deinde mundi huius animam, postremò mundi corpus; & ipsum non mundum dicimus, sed mundorum omnium principium & finem asserimus: primus ergo mundus est angelica mens, secundus vniuersi corporis anima, tertius tota hæc machina. *Ficin. in Plat. conuiuium or. 1. cap.3.*

Mundi quatuor sunt: primus corporeus, in quo vniuersitas corporum est; secundus vniuersitas formarum in anima mundana, vniuersóque genere animarum, qui mundus dicitur animalis, super animalem mundum est, tertius intellectualis, mundus in intellectibus supra cœlum puris: quartus est in intellectu primo. *Fic. in Phædrum cap 10.*

Mundi totus in do iam est substantiale quiddam, quàm inuisibilis mundi simulachrum. *Ficin. in Plato. Timæum, cap.9.*

Mundus hic est imago semper fluens exemplaris intellectúsque semper stabilis & æterni. *Idem, ibid.* Mundus est animal vnum sensibile, animalia cuncta sensibilia continens, effectum ad similitudinem animalis vnius intelligibilis viuentia cuncta intelligibilia continentis. *ibid.*

Mundos duos Platonici præcipuè ponunt: vnum intelligibile, scilicet diuinam mentem mundi huius principium & exemplar, in quo anima nostra semper est per intellectum: alium sensibilem hunc scilicet sensibus manifestum diuini exemplaris imaginem, in quo semper anima nostra est per vegetalem virtutem. *Fic. in Plot. En 1. lib.3. cap.1.*

Mundus etsi tempore infinitus est, non tamen numero vel magnitudine infinitus est. *Idem, in Plotino En.2. lib.1 cap.3.*

Mundi forma non est præter agentis intentionem, ergo nec sorte contigit. *Fic. in Plot. En.3. lib.2. cap 2.*

Mundi machina tota circunfusa terris est omni dispositione, motúque semper ordinatissima. *Idem, in Plotin En. 3. lib.3. cap.2.*

Mundos tres figurat antiquitas; supremum omnium vltramundanum, quem Theologi angelicum, Philosophi intellectualem vocant; proximum cœlestem, postremum omnium sublunarem, hic tenebrarum mundus, ille lucis: cœlum ex luce & tenebris temperatur. *Io. Pic. Mir. in Hep. præfat.*

Mundi quatuor sunt, intellectualis, cœlestis, sublunaris, homo quem Christus appellauit omnem creaturam, cùm dixit euangelium prædicari deberi omni creaturæ. *idem, ibid.*

Mundus qui à superiori gubernatur corpore, vt Arist. ait, est ipsa moles quatuor elementorum. *Idem, in Astrol. lib. 3. cap.4.*

Mundum primus Pythagoras ab ordine Cosmum appellauit. *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib.1. cap.11.* Mundum alij vnum, vt Arist. & Plato, alij multos vt Anaximander & Anaximenes, alij innumerabiles ædificarunt vt Diogenes Leucippus. Democritus, & Epicurus: & alios augeri, putant & minui alios, & cùm alius in alium incidit corrumpi, quosdámque esse animalibus & plantis destitutos, & omni humore vacuos, & in nostro terram prius fuisse quam astra: & Metrodorus vnum putat in infinito: Diogenes vniuersum

esse, &

esse, & clausum terminis, & excogitauit distinctionem inter mundum & vniuersum: etiam Empedocles, cùm dixit mundum vnum esse, vniuersi verò portionem exiguam. *idem, ibid.*

Mundum vnicum esse duabus rationibus probat Plato, quarum quæ à forma ducitur acutissimè videtur Aristoteles inuertere, secutus alteram quæ ad materiam pertinet. *Iac. Carp. in Alcinoi præfat.* Mundum vnum esse, quia vna idea, probat Plato, quæ ratio non probatur ab Aristotele. *idem, in Alcin. cap. 10.*

Mundus idealis siue Archetypus teste Philone nil aliud est quàm ipsum Dei verbum, & filius Dei. *August. Steuch. de peren. phil. lib. 3. cap. 7.* Mundus est diuinæ voluntatis organum. *M. Anton. Nat. de pulchro, lib. 2.* Mundus tandem nil aliud est quàm formatum chaos. *Steph. Cumb. de ascensu mentis in Deum, lib. 3. cap. 13.* Mundorum infinitorum sibi inuicem succedentium antiquissimæ opinioni adhærere videtur Leo Hebræus. *Leo Hebr. de Am. dial. 3.*

Mundus è quibus componitur, & eius perfectio.

Mundus ex his quæ facta sunt pulcherrimus est, opifex ex caussis optima. *Plat. in Timæo.* Mundum cùm Deus ex his quæ intelligentiâ percipiuntur, pulcherrimo per omnia perfecto maximè similem efficere vellet, animal vnum visui expositum, quod omnia secundùm naturam cognata animalia intra se haberet, composuit. *idem, ibid.*

Mundus ex materiali quodam & intelligibili compositus est. *Mercur. Trismeg. Pimand. cap. 10.* Mundus formatus est ex quatuor elementis igne, aqua, terra, aere, éstque mundus vnus, anima vna, Deus vnus. *idem, Asclep. cap. 1.*

Mundus constat societate cœli & terræ, & eorum naturis, quæ vtriusque sunt; vel sic: mundus est ornata ordinatio, Dei munere, deorum rectâ custodiâ, cuius cardinem robustum & immobilem genitrix, & altrix animantium omnium habet tellus, superis omnibus, vt videri potest, aeris liquiditate ad modum tegminis septis, & opertis. *Apule. de mundo.* Mundus ipse ordine gestatur, vel totus constat ex ordine. *eiusd. Asclepius.*

Mundus hic vniuersus ex contrariis constat, & non foret non existente materia, mixta est igitur huius mundi natura ex necessitate, & mente. *Plotin. En. 2. lib 8. cap. 7.* Mundum in hunc quæcunque à Deo proueniunt bona sunt, mala verò ex antiqua natura, vt ait Plato, significans subiectam materiam nondum exornatam, si modò eo in gradu perspiceretur. *idem, ibid.* Mundi corpus Timæus ex igne, & terra cōponit, vt per ignem videri, per terram solidum esse, tangiq; possit. *idem, En. 5. lib. 1. c. 6.*

Mundus totus partim compositum quoddam est ex corpore simul, & anima quadam corpori mancipata, partim verò ipsa totius anima, quæ non inest corpori, imprimit autem vestigia quædam in eam quæ iacet in corpore; & Sol & reliqua similiter duplicia sunt, nam altera anima est, quæ pura est, prsui & viris nil afferunt: quæ ab illis fiunt per vniuersum, vt partes sunt vniuersi, tum quia corpus, tum quia animatum corpus sunt, vt partes quædam prudeunt interim electione stellæ, verâ ipsius animâ ad id quod optimum est spectante. *Plot. En. 5 lib 3 cap. 9.*

Mundi compositionem obserua, diuinationem statim habebis, virtutem agnosces, & hic prouidentiam gubernatoris idem esse quod diuinationem futuri, non aberrantem à signo. *Max. Tyrius, serm. 3.* Mundus qui ex cœlo & terra cōstat, est quasi communis deorum & hominum domus; duorum scilicet horum generum duæ sunt domus immortalia vehicula, alterum habent dij & deorum filij, alterum deorum interpretes homines recti in cœlū suspicientes. *idem, ib.*

Mundum constare harmonicâ ratione, Pythagoricum est, & cœlestia congruis & consonis inuicem interuallis impetu nimio & velocitate ruptis edere musicos sonos. *Chalcid. in Platon. Tim.*

Mundum cùm sciret Deus corporeum futurum tacta & visus indigere vt perciperetur præsciebat, absque terræ & ignis præsentia nihil tangendi & videndi sensum mouere potest, ideò ipsum ex terra & igne cōstruxit: & quoniam vtrorumque vinculo vinciendo erant, & vinculum diuinum est quod secundùm proportionem est, ideò geminis medijs opus erat: ideò aer & aqua secundùm consonantiam proportionis interiecta sunt, vt quemadmodum se habet ignis ad aerem, sic aer ad aquam, & vt aer ad aquam, sic aqua ad terram: & rursus vt terra ad aquam, sic aqua ad aerem: & vt aqua ad aerem, sic aer ad ignem. *Alcin. cap. 2.*

Mundus cùm ex duobus constructus sit, corpore, & anima, illud visibile, & corruptioni obnoxium, hæc inuisibilis, & intangibilis est. *Alcin. cap. 13.* Mundi corpus ex igne, terra, aqua, & aere compactum est: & è materia quæ pyramidalē figuram induit ignis emicuit: figura tenuis ad incisionem apta ex paucioribus triangulis constituta ideò leuissima. vt octoedrum aeris subinduit qualitatem: sic icosaedra figura aquæ naturam sortita: cubicam denique figuram Deus terræ largitus est, solidissimæ, ac elementorum omnium stabilissimæ, figurâ verò duodecaedrâ ad vniuersi fabricā vsus est. *idem, ibid.*

Mundus animâ & mente simul ab ipso Deo donatus est, nam cùm optimum opus fore id velit, meritò & animatum, & intellectualem effecit, nam opificium viuens non viuente præstantius est, & mentis compos mentis experte: nec forte mens mundo sine anima existente accedere poterat, & cùm anima à mundi medio ad extrema vsque se funderet, mundi totum corpus circulo complexa est, & sic incolumem conseruat. *Alcin. cap. 14.*

Mundi duæ sunt partes, corpus & anima, corpus non genuit Deus, sed suppeditatam & materia formam compegitque certis finibus, & figuris ligans, & terminans infinitatem: anima verò quæ compos est mentis, rationis & concinentiæ, non est opus modo Dei, verùm pars quoque, nec ab eo, sed de eo, & ex eo est ficta. *Plutar. Plato. quæst.*

Mundus hic confectus est tota terra, ex toto aere, igne, & aqua, ne minima quidem exterius relicta eorum particula. vnde sequitur extra nec vacuum esse nihil, nec aliquid plenum. *Phil. de planta Noe.* Mundus ex omnibus quatuor elementis factus, primo vt hoc animal quàm maximè perfectum esset, deinde vt esset vnum, denique vt nec morbus nec senium eum attingeret. *idem, quòd mundus sit incorruptibilis.*

Mundi machina cùm vna sit, & ordinata mirabiliter, & nec ex seipsa consistere possit, cùm ex diuersis componatur, & moueatur, meritò ab aliquo pendere cognouerunt sapientes, ab alio inquam vno sapientissimo, qui vnum conficiat opus ex multis, & ad vnum vbique ordinet sapienter, & regat potenter, opus scilicet ingens, & multiplex, motu quidem perpetuo ac rapidissimo, non tamen aberrante reuolutum: ducat quoque benignissimè singula ad bonum mirificatum commoditate & facilitate currentia. quamobrem communi quadam conceptione Deum esse pariter consenserunt vnum vniuersi regem potentem, & sapientem, & clementem, quem & terreni Reges, & rerumpublicarum gubernatores pro viribus debeant imitari. *Ficin. de republica, dial. 7.*

Mundum ideo ab alio esse existimat Plato, quia etsi pro natura corporea perfectissimus est, tamen pro absoluta natura non omnino est perfectus, cùm propter materiam patiatur informia: vel deformia, propter dimensionem subeat virtutis defectum, diuisionémque expectet, si diuisor accesserit, propter compositionem dissolutioni est obnoxius, ob partium repugnantiam machinatur malum, ob motum indigentiam præ se ferat, & priuationem patiatur admixtam, denique ob ipsum ex diuersis congressum vno quodam superiore indiget connectente, qui perfectissimè sit, quoniam ex seipso sit, vt mundus, quia non est perfectissimè cognoscitur ex seipso non esse. *Fic. in Plat. Tim. c. 7.*

Mundi materia ob imbecillitatem nequit ita inuicem formas conciliare, vt mundus ille superior in seipso conciliat. ideò Deus materiam dimensione protendit, vt repugnaturas inter se formas hospitijs diuersis exciperet. *Ficin in Plato. Tim. cap. 18.* Mundus compositus est ex intelligentia & necessitate, id est ex ordine formali, & materiali conditione. *idem, ibid. cap. 33.*

Mundus à vita quadam & anima continetur & ducitur. quod contestantur Platonici ex tribus potissimùm argumentis; videlicet ex firma diuersarum mundi partium copula, ex mirabili motu cœli, ex perpetua rerum generatione sub cœlo. & à mente regi ex triplici ordine licet coniectare, ex ordine qui in ipsa mundi copula, & sphærarum motu, & in rerum generatione conspicitur. & coniectari licet animam, & mentem ab ipso bono vnóque dirigi ad regendum, ex eo præcipuè, quod & connexio partium motúsque, & generatio, & omnis horum trium ordo in vnum tendit, bonúmque dirigitur. ideo sub ipso bono regnum geminum continetur, intellectus, id est Saturni, & animæ, id est Iouis. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.*

Mundi fundamentum est materia simul atque dimensio, à materia mutabile, à dimensione diuiduum, ab vtroque inefficax & passiuum, & necessariò aliunde dependens. *Fic. in Plo. En. 2. lib. 3. c. 8.* Mundi in materia multa & propria potius ipsius naturæ conditione, quàm ex ipsa mentis proprietate resultant, in quibus nefas est diuinam mentem quasi proximum artificem incusare. *idem, in Plot. En. 3. lib. 2. c. 12.*

Mundum alij fortuitò factum & concursu atomorum, eundémque interiturum putant, alij Aristotelem sequuti nullū

habuisse principium & nullum finem habiturum cœlum & elementa. *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 7. cap. 11.*

Mundi materiam alij aquam, alij ignem, alij ex elemētis mixtum, alij vnam materiam elementis priorem cogitatione saltem constituerunt, & litem & prælium posuere, & in materiæ dimensionibus variæ fuere opiniones, an interminatæ an terminatæ. *idem, ibid. lib. 1. cap. 11.*

Mundi figura.

Mundi figura decens & conueniens est, nam animal quod omnia in seipso animalia complecti debet, decora erat illa figura, quæ in seipsa omnes figuras comprehendit: ideò globosum, & rotundum vndique à medio æqualiter ad extremitates distans ipsum tornauit, figurâ omniū perfectissimâ, & quæ ipsa sibi ipsi simillima existit, simile dissimili multis modis pulchrius esse ratus. *Plat. in Tim.*

Mundus circulo in modum pilæ factus est, quia sole figurarū pila poterat & quiescens & dum mouetur, in eodem loco congruere, vt nunquam relinquerent, nec acciperet alium locum, quia ex medio omnia sunt æqualia; & cùm sit leuissimus secundùm superficiem externam, non indiget mortalibus instrumentis, quæ ob promptitudinem alijs animalibus appensa, & translata sunt: at anima mundi è medio suspensa ipsum totum circumuolutum ipsi extrinsecus induxit vbi ipsam temperamento ea forma quæ diuidi non potest, & essentia quæ diuidi posset, temperasset, & vnum temperamentum ex his duobus esset, cui immiscuit duas facultates, principia motuum, & eiusdem, & alterius, quæ etiam cùm ægrè admisceri posset, non facilè commiscebatur. Rationes autem hæ omnes sunt secundùm numeros harmonicos contemperatæ; quas rationes secundum decentem sortem diuisit ad scientiam, vt non ignoraretur, ex quibus, & per quæ anima constituta est, quam non posteriorem corporeâ essentiâ Deus construxit. *Timæus Locr. de anima mundi & nat.*

Mundi in genitura Aries medium tenebat Cælum, Cancro gestante Lunam, Sole oriente cum Leone, cum Mercurio Virgine, Libra cum Venere, Marte cum Scorpione, Sagittarium Iupiter obtinebat, & Saturnus Capricornum. *Macrob. in som. Scip. lib. 1.*

Mundi circuitus agit primò differenter sese disponens, deinde etiam quæ intra se continet, & absque controuersia, terrena omnia moderatur, non tantùm corporum constitutiones, sed affectiones etiam animorum, item vnumquodque cœlestium in terrena, & sequentia omnia facere. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 31.*

Mundo Deus dedit figuram sphæricam vt omnium pulcherrimam & capacissimam & ad motum facillimam, & sensuum instrumenta non dedit quia sensibus non indiget, & ab illa cæteras motus species procul esse iussit, solum circuitum concessit illi tanquam mentis & sapientiæ propriu[m]. *Alc. cap. 12.*

Mundi animæ vis quæ extra restitit partes eius infimas antecedit, illa indiuisa permansit, portio verò interior in septem diuisa circulos ab ipso principio duplis ac triplis interuallis distributa est, & illa quæ ab indiuidua sphæra comprehenditur, ei quod ipsum idem est cognata permanet, quæ autem dispersa est ei contra quod ipsum alterum appellatur. motus enim cœli singule comprehen[illegible] maximè peruagetur vnus est, ordinemque præcipuum seruat, at subiectorū progressus varius, ortibusque & occasibus permutatur, vnde peruagatio quædam & aberratio nuncupatur. Extimus circulus ad dextram ab ortu in occasum vsque transcurrit, interior contra in sinistram ab occidente in orientem superiori resistens. *Alc. cap. 14.*

Mundi figura sphærica est, sic enim est maximè vniformis, capax, indissipabilis, agilis, eique ita nec aliter potest moles in mole, & sine vacuo collocari, & sine offensione moueri, id est si non quadrata quadratis, aut circulis, sed orbes inferantur. *Fic. in Plat. Tim. cap. 16.*

Mundi figuræ congruit non solùm quinarius, & senarius, sed etiam quaternarius, quia quaternarius primus implet omnem differentiam numerorum, primum parem, primum imparem in se complectens: implet etiam & simplicem numerorum progressionem, quando terminis quatuor implet denarium. 1. 2. 3. 4. denarium perfectè consummans. implet processum ac dimensionem terminis quatuor assequens signo, longitudine, latitudine, & profundo. implet musicam consonantiam, nempe inter quaternarij limites dupla, quadrupla, sesquialtere, sesquitertia, diapason, disdiapason, diapente, diatessaron coeguntur: implet naturam ad quatuor vsque terminos procedentem, substantiâ, quantitate, qualitate motu: implet denique vniuersum, siue quod in natura, siue quod supra naturam, essentiâ, esse, virtute, & actione. *Ficin. in Plat. Tim. cap. 20.* Mundus qua figurâ sit dubitarunt philosophi: nam alij vt Peripatetici, & Stoici sphæricum volunt; alij pomi figurâ volunt esse, alij in coni figuram extendi, alij in oui figuram, alij modò quasi rotæ in modum volueretur, non curarunt qua figura esset. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. van. doct. gen. lib. 3. cap. 12.*

Mundus vt creatus, eternus, & immutabilis.

Mundum Deus construxit ad nullius similitudinem eorum quæ in partis specie producta sunt, imperfecto enim simile nunquam pulchrum est. *Plat. in Tim.*

Mundus factus est, videri enim & tangi potest, & corpus habet & omnia huiuscemodi sensu percipi possunt: at quæ sensu percipi possunt, opinione cum sensu comprehenduntur, fierique, ac facta esse visa sunt, & quod fit à causa aliqua fieri necesse est. *idem, ibid.*

Mundi opificem, & vniuersi patrem inuenire difficile est, & inuentum ad omnes referre impossibile est. *Plat. in Tim.* Mundi auctor bonus erat, & bono nulla vnquam de vlla re inuidia adest, quum autem ab hac alienus esset, omnia quam maximè ipsi simillima fieri voluit. *idem, ibid.* Mundus sic factus à ratione, & sapientia comprehendi potest, & secundùm eadem se habens fectus est. *ibid.*

Mundum opifex fabricauit ad exemplum, vel ad id quod secūdùm eandem, & eodem modo se habet, aut ad id quod factum est. Si pulcher est hic mundus & opifex bonus, manifestum est, quod ad sempiternum respexerit; si verò nec dicere fas est ad id quod factum est, cuiuis clarum est quod ad sempiternum. *Plat. in Tim.*

Mundi opifex ex causis optima est. *idem, ibid.* Mondi principium secundùm naturam producere maximæ difficultatis est. *ibid.*

Mundum læue totum circumcirca extrinsecus fabricator fecit multis de causis: oculis opus non habebat, nihil enim quod videre posset extrinsecus relinquebatur; nec auribus, neque enim relinquebatur quod audire posset: & spiritus non restabat, qui respiratione opus haberet; nec aliquo instrumento opus habebat quo alimentum in se susciperet, & prius resiccatum rursus ablegaret: nihil enim decebat, neque aliunde quicquam ipsi accedebat: non enim erat, vt ipsum sibi alimentum sui ipsius corruptionem exhiberet, & omnia in seipso & à seipso poteretur, & faceret: existimabat enim opifex ipsius si ipsum sibiipsi sufficere melius fore quàm si alijs opus haberet. *Plat. in Tim.*

Mundi corpus fectum est ex igne, terra, aere, & aqua, per proportionem consentiens, & ex his amicitiam habet, vt in idem cum seipso coalitum ab alijs dissolui non posset, præterquàm ab eo qui ipsum colligauit. *Plat. in Tim.*

Mundi constitutio accepit vnumquodque horum quatuor totum: nam ex omni igne & aqua, & aere, & terræ fabricator ipsum compegit. nullâ vllius parte aut facultate extrinsecus relictâ. *idem, ibidem.*

Mundi fabricator ideò totum ignem, aquam, aerem, & terrā in mundi constitutione accepit, nihil extrinsecus relicto: primò, quia totum quam maximè animal perfectum ac perfectis partibus esset, & ad hæc vnum, vtpote non relictis ex quibus aliud huiusmodi fieri posset: insuper, vt nō senesceret & morborum expers esset, considerans quod quæ corpora constituunt ea soluunt calida & frigida, & omnia quæ extrinsecus imminentia robustas facultates habent, & importunè allabentia & morbos & senectutem inducentia, & ita corrumpunt, ob hanc sanè causam, & rationem vnum totum ex omnibus perfectum & non senescens & morborum exors ipsum constituit. *Plat. in Tim.*

Mundum Deus fecit ex igne & terra; quòd nil videri potest sine igne, nec tangi sine terra. *idem, ibid.*

Mundum fecit Deus ex vniuersa materia terminum constituent naturæ eius quod est, & quod omnia in seipso complecteretur vnum, vnicè factum, perfectum, animatū, & ratione præditum, meliora enim sunt, quam inanimatum, & rationis expers: corpus fecit pilæ figurâ rotundum: hæc enim alijs figuris perfectior est: nunquam ab alia causa corrumpendum præterquàm à Deo qui ipsum construxit: & hoc cùm non sit ad pulcherrimi operis destructionem progrediens permanet talis incorruptus, & interitus exors, & beatus. *Tim. locr. de anima mundi & natura.*

Mundum vniuersum verbo non manibus fabricatus est opifex. *Mer. Tris. Pimand. cap. 4.*

Mundus cùm sit æternus & immortalis, impossibile est immortalis animalis partem aliquam interire. Quæ sunt in mundo, sunt mundi membra, præsertim homo animal rationale: primus omnium immortalis sempiternus ingenitus Deus, omnium auctor: secundus est illius imaginem mu-

dus ab eo genitus & eodem seruatus, nutritus & immortalitate donatus, viuens semper & immortalis, tertium animal homo est ad imaginem mundi genitus, & præter cætera terrena corpora permutatur non interit. *Idem, ibid. cap. 8.*

Mundus factus est non aliquando, sed factus semper ab æuo, & cùm æuum nunquam cessabit, & mundus nunquam cessabit; & cùm mundus sit æternitate compræhensus, nulla pars mundi interit. *Mer. Tris. Piman. cap. 11.* Mundi factor vnus est; nam cùm vnus sit ordo velocitatis, impossibile est duos esse factores, neque enim ordo vnus probaretur in multis: præterea qui inter illos imbecillior esset potentiori omnirû inuideret ex quo seditio exoriretur: & cùm anima sit vna, vna vita, vna materia, quis nam esset præter vnicum Deum? Vnus ergo Deus mundum vnum est confessus, vnum ergo Deum credimus esse: vnus ergo singula facit in multis. *Idē, ibidem.*

Mundum immortalem esse asserit Plato. *Apul. de dog. Plat. lib. 1.* Mundi natura & spiritus quamuis à principio nata videntur, tamen ex se nascendi procreandique vim possident atque naturam fœcunditatis. *Apul. Asclep.* Mundus etsi natus non sit, in se tamen omnium naturam habet, vt qui omnibus ad concipiendum sinus fœcundissimos præstat. *Idem, ibid.* Mundi totius contemptus, & vitiorum medela, nascitur ex intellectu rationis diuinæ, qua constituta sunt omnia. *ibid.*

Mundus quod aliquando desinat, quid esse potest in causa? nō elementa, non enim consumuntur, etsi continuè permutātur, manet tamen vniuersum, cùm mutationis causa perseueret. *Plot. En. 2. lib. 1. cap. 4.* Mundi mutationem futuram aliquando ob quandam animæ pœnitentiam opinari vanū est, præsertim cùm gubernatio mundi procul ab omni labore, & detrimento sit posita. *idem, ibid.*

Mundi tres sunt artifices, primus est intellectus diuinus, secundus intellectus animalis, & anima intellectualis, tertius est animæ huius imago quæ semper in assimilatione versatur, & hoc in materia consistit, ideò tanquam ex accidente fit mobile. *Plot. En. 2. lib. 3. c. 18.*

Mundum anima creans non destruit, nam si iam pœnituit effecisse, quid differt; si nondum pœnituit, nec pœnitentia afficietur vnquam, quæ iam assuefacta est, & temporis diuturnitate indulgentior operi tam effecta: sin aspectat animas singulorum, iam diu oportuit haud vlterius in generationem iterum aduentare animas, videlicet non ignaras malorum, quæ ipsas in priore generatione presserunt, quapropter iam diu descendere desierunt. *Plot. En. 6. lib. 9. c. 4.*

Mundus hic nec incœpit vnquam, nec desinet, sed est tandiu quandiu sunt & diuina. *Plot. En. 2. lib. 9. cap. 7.* Mundus totus simul factus est. *Idem, En. 2. lib. 9. cap. 11.* Mundum hūc quoniam arbitramur esse semper, & nunquam non esse, meritò prouidentiam mundo assignare debemus, hoc ipsū quod secundum mentem sit, mensque sit ante ipsum non tanquam præcedens tempore, sed quoniam hic est à mente & prior naturâ mens est quàm mundus, causáque mens est mundi, ac velut principalis forma, & exemplar, mundi nunquam, huius vt imaginis per exemplar illud existentis, eodemque modo inde perpetuò subsistentis. *Idem, En. 3. lib. 2, cap. 1.*

Mundus totus prouidentiâ quadam imperatoriâ est institutus, cernente actiones & passiones, & quæ adesse oporteat alimenta, arma, machinas, & quodcunque ex his connexis conspirantibusve consequuntur sunt præuisa, vt quod ex his euenit locum bene situm nanciscantur. *Plot. En. 3. lib. 3. cap. 2.* Mundi artifex in hunc mundum cogitauit includere quæ mens in eo quod viuens, siue animal est contemplatur. *Idem, En. 3. lib. 9. cap. 1.*

Mundus factus est tanquam ædificium speciosum, longéque varium non separatum ab effectore; nec rursus se illi commiscuit, sed totus vbique existimatus est cura, & diligentiâ dignos, adeò vt sibi quidem id conducat ad ipsum esse, pulchrumque esse, quoad poterat esse ipsum participare, auctori verò non commisto hoc idem sit innoxium: in excelsis enim permanens præsidet. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 9.*

Mundum hunc à fabro non fuisse factum discursu, sed subitò illius imaginem & similitudinem emicare siue ex seipso dūtaxat, siue per animam ministrantem nihil refert. Ibi omnia sunt pura, hîc permixta, & omnes efficit species absque violentia atque difficultate, quoniam agens est vniuersum essentiáque & species: quamobrem & fabricatio fuit facilis & sine labore cùm nihil esset impedimenti; nec nunc, quāuis alia alijs impedimento sunt, ipsi tamen vniuersi fabricatori, & fabricæ quicquam obstare non potest. *Plot. En. 5. lib. 8. cap. 7.*

Mundum hunc interiturum qui putant manente diuino, non rectè sentiunt, & ingenitum opinantur vt eius auctor quandoque de fabrica consultauit; imago enim omnis constans naturâ tandiu est quandiu manet exemplar, & quatenus lucet mundus ille diuinus, eatenus mundus hic emicat, nec defecturus vnquam, sed ex quo ille est, reliqua insuper sunt. Erat autem mundus ille semper & erit, & his nominibus vti licet nobis significandi nonnihil voluntate compulsi. *Plo. En. 5. lib. 8. cap. 12.*

Mundi machina ab vna fabricæ causa fabricata, & perfecte est, alioqui multi fabricatores essent nisi in vnum totam fabricam referas, imò nisi vnus impartibilis sit totius sphæræ effector, ita vt non auctor in sphæram diffundatur, sed tota hæreat auctori. *Plot. En. 6. lib. 5. cap. 9.*

Mundus ita se habet, quemadmodum si auctor suus quasi deliberando sic elegisset, ac si præcedente consilio, & argumentatione quadam id præaidente, secundùm prouidentiam mundus sic esset effectus. Cum verò sic semper omnia sint, & fiant, ita profectò & semper in his quæ simul existūt constat esse rationes in quodam quasi mentis habitu tranquilliore admodum, atque certiore firmiter permanente. Quapropter super prouidentiam illa sunt, & super electionem, & propositum, omniáque semper intellectuali conditione firma perseuerant, quæcunque in ipso ente consistūt. *Plot. En. 6. lib. 8. cap. 16.*

Mundus, etsi corporeus, cùm à Deo sit institutus, cuius opera nulla temporis lege ligantur; & eius origo non sit temporaria, sed causatiua, ideò est æternus. *Chalcidius in Timæum Platonis.* Mundus omnis à mente essentiam habet, etiamsi æternus sit. *Procl. elem. Theolog. prop. 34.*

Mundum hunc vniuersum, pulcherrimum opificium Dei, necesse est à Deo fuisse fabricatum, vt ad ideam quandam mundi huius exemplar in ipsa fabricatione respexerit; dum mirâ prouidentiâ & optimâ normâ, hoc est propriâ bonitate, ad huius machinæ constructionem sese Deus accingeret. Ex tota ergo materia genuit, quam ante cœli generationem sine vllo ordine tumultuantem Deus ex confusione desormi in pulchrum ordinem reuocauit, numerisque decentibus & figuris eius partes vndique decorauit, vt ea mundus sit proportione contextus, quam nunc ignis & terra ad aerem & aquam seruant, quorum tunc vestigia solùm absque ratione & mensura in ipso elementorum receptaculo confuso iacebant, & materiam quatiebant, & à materia vicissim quatiebantur. Ex integris autem quatuor elementis eum compegit. *Alcin. cap. 11.*

Mundum vnicum fecit Deus quia extra hunc nihil reliquit, & ideæ suæ quæ vnica est parem. *Alcin. cap. 12.* Mundum fecit Deus, in quem nec morbus vnquam, nec senectus incurrēt, cùm nihil extra supersit quod vim inferat, verum seipso sufficiēs nullius indignus & incolumis perseueret. *idem, ibid.* Mundum cùm Plato genitum dicit, non sic eum sensisse credendum est, vt aliquod olim tempus ante mundum præcessisset, verùm quia semper in generatione perdurat, indicátque substantiæ suæ causam præstantiorem. *idem, cap. 14.*

Mundum hunc (ait Heraclitus) nullus vel Deus vel homo cōdidit, quasi timeat si Deus non condidit, ergo aliquem hominem. *Plutarc. de anima genit. ex Tim.*

Mundus creatus est à Deo, ille est rerum pulcherrimus omnium, hic causarum optimus: essentia verò & materia ex qua factus est non procreata, sed semper parata molitori fuit, obsecundáosque vt eam componeret, & digereret, & ad suam quoad fieri posset formaret effigiem, quatenus nō ex nihilo quicquam oriatur, sed ex non eleganter & commodè comparate vt ædificium & vestimentū: cuncta enim ante mundi originē indigesta erant, & nō erāt absque corpore & anima, sed informe erat corpus & inconditū, quod motu inconsulto & temerario ciebatur: ea erat carentis ratione animæ inconcinnitas, nec ex re incorporea Deus corpus, nec ex inanimato animam effecit: sed vt ab harmonico & rhythmico non vocem fieri, non motum, sed concinnam vocem fieri, & motum volumus aptum, sic Deus corporis neque contractationem & soliditatem, nec animæ imaginationem & motionem ipse molitus est, sed vtrunque principium accepit, alterum exile & obscurum, turbulentum alterum & stolidum, vtrunque rudius quàm decuit & indeterminatum, quem digessit concinnauit, composuitque speciosissimúmque, & consummatissimum reddidit ex iis animantem. *Plutarc. de anima genitura ex Tim.*

Mundi opificio duo necessaria cognouit Moses causam agentem, & alterum quod ab agente afficitur, propterea agens illud huius vniuersi mentem sincerissimam ingenuissimámque præstantiorem quàm sit virtus aut scientia, imò quàm summum bonum, summum pulchrum; alterum passioni obnoxium inanime, & suapte naturâ immobile, motum for-

matorii, animarúmque à mente illa redditum est opus absolutissimum. *Phil. de mundo opific.* Mundum qui factum negant, tollunt quod est in vita vtilissimum, & ad pietatem summè necessarium, nempe prouidentiam: nam opificium non negligi ab opifice suo parentéque docet ratio. *idem, ibid.*

Mundum sex diebus factum ait Moses, non quod temporis spatio opus habuerit conditor, Deum enim non iussu solùm, sed & cogitatu operari creditur; sed quia opus erat res creari quodam ordine, ordini autem numerus est proprius, & senarius inter numeros lege naturæ aptissimus generationi est, nam post vnitatem primus occurrit perfectus constans partibus è quibus conficitur, è ternione sui dimidia, è binario parte tertia, & vnione parte sexta, è masculina & fœminina natura præditus. *Philo de mundi opificio.*

Mundum alij nec ortum nec interiturum censent; alij ortum & corruptioni obnoxium; alij ortum non interiturum. *Philo quòd mundus sit incorruptibilis.* Mundus si corrumperetur fieret aut deterior, aut similis, aut melior; quæ singula reprehensibilia, nam si deterior, & opifex deterior, quod non cadit in absolutissima diuinæ artis opera: si similis, incassum laborat artifex; quòd si meliorem, & melior fiet opifex, quod nec cogitare fas est: esset enim imperfectus qui prinium fecit. *idem, quod mundus sit incorr.*

Mundus non exuritur, sed est incorruptibilis. *Philo, quòd mundus sit incorruptibilis.* Mundus si corrumperetur, aut ab externa causa, aut à Deo corrumperetur; non ab externa causa, quia omnia continet; non à Deo, quia Deus non est causa corruptionis. *idem, ibid.*

Mundi architectus per naturam intellectualem, quatenus intellectualis est operatur. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 8. c. 15.* Mundus, iuxta Orphei sententiam à voluntate Dei habuit initium temporis. *idem, ibid. lib. 8. cap. 5.* Mundi machina præscripta erat in mundi architecto, & in voluntate architecti momentum signatum erat, eo momento inchoata est machina nullâ Dei mutatione. *ibid.*

Mundum Deus statuam suam fabricatus est, sed velamentis multis compertam, subtrahe primò materiam, relinque cætera, iam cœlum habes, cui multi materiam ademerunt: deme cœlesti huic mundo dimensionem, serua formas, & omnes formarum motus, nactus eris animam vniuersam: tolle motus, formis omnino seruatis, vniuersum possides intellectum; sed huic auferto diuisos inter se velut in cœlo formarum radios: accipe lumen ipsum in se principium radiorum, nec dispersum per radios, nec certis radiorum speciebus determinatum, sed absolutissimum, & simplicissimum, & immensum, quod bonum ipsum est. *Ficin. in Dionys. Areop. de trinitate.*

Mundus est factus quomodocunque sit factus, & mundus, cœlúmque semper fit, nec vnquam idem prorsus existet. *Fic. in Plato. Phileb. cap. 37.* Mundi materia cùm principio sine formarum ornamento informe chaos iaceret, illico amore sibi ingenito in animam se direxit, séque illi obedientem præbuit: atque hoc amore conciliante ab anima formarum omnium quæ in mundo videntur nacta ornamentum, mundus ex chao effecta est. *idem, in Plato. conuiuium, oratio. 1. cap. 3.*

Mundum Timæus existimat factum, ideò ab alio factum. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 7.* Mundum Platonici interpretes, vt Seuerus Atticus & Plutarchus, & alij, referente Proclo, non fuisse semper aiunt; alij verò vt Crator, Plotinus, Porphyrius Iamblicus, Proclus, & plerique alij semper fuisse, semper à Deo fluxisse, nam Deum semper esse aiunt, mundum verò & fieri semper & fluere; ac si initio temporis carentē considerauéris ingenitum dixeris, sin autem perpetuum à Deo eius effluxum assiduè genitum; nec minus ex Deo pēdere, si dependerit pendeátque semper quàm si aliquando cœperit dependere, vel desinat, quemadmodum lumen nō minus à Sole ducit originem, neque minus seruit Soli, si semper quàm si aliquando fluxerit, effluátque à Sole. *idem, ibid. c. 13.*

Mundus plures quasi pilas alios extra alios non oportet somniare, sic enim diuinum opus dissipatum foret, & inter mundos spatia vacua forēt: probabilius excogitabis, si quot orbes fingis per vacuum sparsos, tot excogites sphæras potius intra sphæras, vt quælibet sphæra sit mundus in mundo, vniuersúmque opus vnum sit atque interim ordinatum, nihilque vel vacuum, vel ordinis vnionísque expers reperiatur. *Ficin in Plat. Timæum, cap. 16.*

Mundus vnus vnius est Dei, *idem, ibid.*

Mundi supprema numina vnà cum mundo ex seipso dissolubilia foret, nisi diuinâ voluntate regantur. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 14.*

Mundo in fabricando vbi dicit Plato Deum consultauisse, & deliberasse, declarat Deum non ambigentem, sed liberè eligentem. *idem, ibid.*

Mundi opus non semel à Deo processit, sed assiduè procedit, & seruatur. *ibid.*

Mundum viuum & intellectualem fecit Deus, vt opus perfectum faceret; atque vt ex ipso spiritu & materia mundi cōmodius animal vnum connecteretur, materiam distinxit in quatuor elementa, quasi animalis huius humores, quia & spiritum eius in quatuor voluerat esse distinctum; quatuor enim ad mundi spiritum pertinent, primò intellectus in se manens immobilis, secundò sphæræ anima, tertiò intelligentia quædam huic animæ à Deo & intellectu superiore diuinitus insita, quartò natura, id est seminaria & vitalis virtus. *Fic. in Plat. Timæum c. 26.*

Mundum à Deo exornatum fuisse persuasâ priùs necessitate vbi ait Plato, ita intellige, vt prima illa materiæ animæque natura, quamuis excogitetur informis, tamen præparationem à Deo ad formas adeò formabilem susceperis ab initio, vt non potuerit esse paratior. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 39.*

Mundus factus est & intus sibi concors, & nihil extra desiderans: atque ad imaginem intelligentiæ semper in eodem similiter se reuoluens. *idem, ibid. c. 12.*

Mundi compositio nunquam dissoluenda videtur, tum quia concordi partium proportione perfectè conflata est, tum quia ex totis perfectísque corporibus est confecta, nihilque corporeum extra relictum est. *Ficin. in Plat. Timæum, c. 12.*

Mundi animam Deus à medio mundi, id est à media specie rerum, & à centro, & à Luna, & à Sole diffudit per vniuersum, priorem corpore tum gradu virtutis, tum originis ordine. *idem, ibid. c. 13.* Mundum post multa sæcula in ignem resolutum iri Orphica, & Mercurialis est opinio. *idem, in Plato. legum appendicem.*

Mundi nascituri si quæras de prima potentia quidnam fuerit, respondebo, neque prorsus aliquid extitisse, iam enim fuisset in actu, nec rursus omnino nihil: non enim aliquid fundatur in nihilo, dicam ergo fuisse nonnihil, ipsam inquam existendi potentiam, atque materiam, non in Deo fundatam, Deo enim nihil accidit, non fundatam rursus in nihilo, sed ipsum potius fundamentum, non quidem in ipsa diuini architecti intentione primum, sed potiùs vltimum, primum enim est ipsa forma mundi, posterius mundi materia sub forma se occultans, at in operis expeditione primum est materia, subsequens forma. Constat igitur vt Plato ait mundum ex materia & mente factum. *Mar. Fic. in Plot. En. 1. lib. 8. cap. 7.*

Mundus non est facultate sui corporis propriè sempiternus, sed tum ab anima, velut causâ immortalitatis intrinsecâ, tum à voluntate diuina velut ab extrinseco principio atque fine. Si in Deo confitemur naturam eius in actu semper eandem existere ac penitus immutabilem, mundus videtur inde fuisse semper & fore. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 5.*

Mundi materia aliter non suscipit animam, quàm per naturam, nec aliter intelligentiam quàm per animam, nec aliter intellectum quàm per intelligentiam, vt per terram accepit aquam, per hanc aerem, per hunc ignem. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 26.*

Mundus sempiternus iudicatur, si in Deo consideratur quod idem sit agere & esse, & vnionem illam statim sequi effectum, at si consideratur libera in Deo voluntas, atque hinc mundi principium iudicatur, quod Mercurius, Plato, Plotinus existimant, videtur, mundus à Deo nouus sine nouitate diuinæ naturæ, sine voluntate noua fieri posse. *Fic. in Plo. En. 2. lib. 1. c. 1.* Mundum generatum fuisse ab anima quadam diuina, & in diuinis perseuerante; dæmones quosdam, vel animas hominum à diuinis degenerando corpus fabricare, ait Porphyrius. *idem, in Plotini En. 2. lib. 9. c. 3.* Mundi perfectio in hoc maximè consistit, vt vniuersum hoc maximè formale sit, & agens, in eoque sit formarum & agentium ordo quamplurimus. *idem, in Plot. En. 3. lib. 2. c. 4.*

Mundum alij Dei prouidentiâ constitutum volunt vt Pythagorici & Platonici; alij mixtum ex prouidentia & casu, vt Atticus, & Plutarchus: alij ipsum putarunt corrumpi defectu nutrimenti, quæ opinio potius exsibilatione digna, quā confutatione: alij ali vaporibus astra & cœlum. Stoici conflagrationem fore mundi huius, sed non consone: alij totius, alij partis dicunt, & ita per partes purgari, & renouari tanquam resurgere, alij fatum, alij non. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exa. van. doct. gent. lib. 1. c. 11.* Mundum qui Dei prouidentia conditum existimant, & eadem regi putant, non conueniunt. nam alij Deo summo, alij menti propinquæ id tribuunt. *idem, ibid.*

Mundum qui constitutum volunt non æternum certant

unde

unde cœpit eius exordium; & qui chaos præcessisse mundum voluerunt, ex illo aliud alio in primis trahunt. Empedocles æthera primum secreuit, inde ignem, terram postea, deinde scaturiuisse aquam voluit, ex qua sit ortus aer, & cœlum ex æthere constitutum, Solem de igne prodiisse; at humiliora, & terrestria de aliis esse conflata. Zareta Chaldæus, quem Pythagoras audiuit, ex luce & tenebris tanquam ex viro & fœmina generauit. nonnulli à centro terræ initium esse sumptum putarunt. Plato visibilem ad exemplum intelligibilis constituit eius quod videtur animam; mox & corpoream induxit molem ex aere igne terra & aqua. Pythagoras ex primis corporibus, quæ mathematico immergens pelago constituit: ex quinque figuris sphæricis piramide ignem, octangulo aerem, vigenangulo aquam, cubo terram, dodecangulo sphæram imaginatur vniuersi. *Idem, in Ex. Pic. Mir. ibid.*

Mundi æternitatem probare volens Aristoteles, supponit vniuersali conditori materiam subesse opportere: quod est falsum. *idem, Picus, ibid. lib. 6. cap. 7.* Mundum nunquam finem habiturum, sed simul factum posuit Anaxagoras. *Gab. Bura. de mundi æterni. lib. 7.* Mundum opinatus est Aristoteles vtrinque æternum. *idem, de mundo, lib. 7.*

Mundum æternum esse credidit Plotinus. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib. 1. cap 1.* Mundum non à diis creatum, sed à Deo omnes homines crediderunt. *idem, ibid.* Mundi creationem fuisse, vt & Deum, mirabilis fuit omnium mortalium, signorum quoque & coniecturarum consensus. *ibidem. lib. 7. cap. 1.* Mundum principium habuisse, Græci, Ægyptii, Phœnices, Chaldæi, totus Oriens, omnes literæ, religiones omnes asseruerunt: cui consensui, quoniam naturalis est, veritas ipsa rectóque prouidentiæ, pietatis, veritatisque ordo mirabiliter assentitur. *ibid.*

Mundum æternum qui dixerunt, tribus rationibus conantur ostendere: tum quia scelus sit, inferre potius sempiternam priuationem quam sempiternum esse; tum quòd nulla est ratio quòd Deus tunc creauit & non antea; tum quòd non est rationi consentaneum, nec videt prudentia cur per tot secula id non effecerit. *Aug. Steuch. de perenni philosoph. lib. 7. cap. 1.*

Mundi æternitas est inexpiabile scelus, quod tollit omnem religionem, virtutem, & iustitiam. *idem, ibid. cap. 2.*

Mundi ex creatione nata est pietas, & vt colamus clementiam & bonitatem eius qui dedit nobis quod ipse est, tùc primam potestatem eius admirantes qui potuerit è nihilo omnia producere, & quis est qui se contemplans non veniat in cognitionem & cultum creatoris sui? *August. Steuch. de perenni phil. lib 7. cap 2.* Mundi æternitas nec hominibus, nec brutis, nec aliis rebus, sed cœlo prodest magis quàm creatio, sic enim cuncta in æternitate mundi corrumpuntur, vt & in creatione. *idem, ibid.*

Mundi æternitas supposita nil aliud est quàm æterna impietas, æterna animorum confusio, mœror sempiternus, & sempiternus animorum interitus. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib. 7. cap. 2.* Mundi æternitate positâ aufertur diei eius veri consideratio, vitiorum agmen inducitur, tollitur virtus. *idem, ibid.* Mundi æternitate positâ nulla præmia statuuntur bonis; nam in hoc non habent præmia, futuri non est consideratio: ergo omnium necessario est euersio. *ibid.*

Mundi æternitate positâ tota claudicat disputatio de prouidentia, & de moribus sermo vanissimus est. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib. 7. cap. 2.*

Mundi æternitate positâ nihil stat eorum quæ de æterna beatitudine scripta sunt, quæ omnia sunt in abolitione præsentis mundi posita. *idem, ibid.*

Mundi æternitatis opinio inde nata, quòd cùm cœlestia lumina Deos putarent, æterna non esse nefas erat, ideò sempiternum mundum esse dixerunt, cùm tamen cœlum propter homines non homines propter cœlum factum sit. *ibid.*

Mundum principium habuisse melius est & aptius quàm semper fuisse, vt seruetur, & maneat soli Deo æternitatis dignitas. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 7 c. 3.* Mundi creationem impugnat Aristot. Antiquorum tres erant opiniones: alii tempus æternum sine cœlo, & mundo statuerunt; alii creatum mundum, sed in posterum incorruptibilem, partim modò nasci modò corrumpi, idque in omni æternitate; & contra hoc Aristoteles argumentatur. At contra nos non faciunt illæ rationes, qui ponimus tempus cum cœlo, & mundo natum, & mundum aliquando creatum non incorruptibilem, sed corruptibilem. *idem, ibid. cap. 4.*

Mundum immensis ignibus conflagraturum etiam Stoici crediderunt, Ouidius, Heraclitus, Empedocles, Lucanus, Seneca. *Aug. Steuc. de mundi exitio.*

Mundum post exitium restituendum senserunt, ac renouandum Stoici. *idem, ibid.* Mundi creationem non modò antiqui philosophi crediderunt, sed & Crator, Plotinus, Iamblichus & Porphyrius qui æternitatem tuentur, sibi ipsis contradicunt. *Idem, de per philo. lib. 7. cap. 15.*

Mundi æternitatem Aristoteles primus omnium philosophorum inuenit. *Augustin. Steuc. de perenni philosophia lib. 7. cap. 15.*

Mundi æternitate positâ destruitur pietas, & elabitur quicquid Aristoteles dixit de parte hominis diuina. *idem, ibid.* Mundi æternitate stante, non stat animorum æternitas, vel fœlicitas, non ascenditur ab hoc statu vitæ in cœlum, animus nunquam contemplabitur. *ibid.*

Mundi creationem in Aristo. siue prudentis, siue imprudentis dictis, qui ea altius penderet, contineri, veritate compellente, inueniet. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 7. cap 15.* Mundi creatio arguitur ex impositione nominum, nam si æternus fuisset nemo nomina indidisset. *Idem, ibidem cap. 16.* Mundi creationem in suis scriptis Plotinus posuit. *ibid. cap. 17.*

Mundi creationem Porphyrius & Iamblichus vel nolentes veritatis impetu asseruere, dicens Porphyrius mentem mũdi natam æternaliter ante omnia tempora: Iamblichus verò ait hominem factum ac creatum. *Aug. Steuch. peren. philos. lib. 7. cap. 18.*

Mundum ortum in Timæo Plato æternum Phædro constituit, ideò inconstans est. *idem, ibid. cap. 21.*

Mundi inferioris corruptio ab vnius quatuor elementorum, ignis præsertim aut aquæ exuperantiâ proficiscitur. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Mundus temporarius simul, atque æternus esse videtur. *Idem, ibi.* Mundi duplex est perfectio, quarum altera in eius procreatione, altera verò ipso iam procreato à diuino artifice inuenta fuisse videtur. *ibidem.* Mundi postrema absolutissimáque perfectio in ipsius ad diuinitatem vnde iam effluxit reditu, atque reuersione cõsistit. *ibid.*

Mundus vt mouetur.

Mundi mobilitas præuenit eius stabilitatem in legem agitationis sempiternæ habendo immobilem firmitatem. *Apul. Asclep.* Mũdi sphæra habens animam est conditione appetentem nimirum qua ratione naturaliter appetere potest, mouetur. Sic autem natura comparatum est qua corpus valeat naturaliter ad ipsum extra quod est appetere, hoc est circũfundere se illi & vndique circumcurrere: quo efficitur vt moueatur in orbem. *Plot. En. 4. lib. 4. cap 16.*

Mundus sublatâ vita nõ moueretur, sed sublato bono esse desineret. *Fic. Plat. Theo li. 3. cap 6.* Mundi motus ordinis perfectione non caret, si singuli quoque motus perfectione nõ carent. *Idem, epist. lib. 2.*

Mundus, quia perpetuo motu, temporéque peragitur, ideò sẽper fieri iudicatur, at quatenus fit nondum est, itaque dicitur nunquam esse; perinde ac si in torrente iugiter fiat, æstuatúrque mentis imago, semper in ipsa fieri ducta, nunquam in esse consistens. *Fic. in Plat. Tim. cap. 7.*

Mundi motionis sphæricæ ratio est tum figura ipsa quæ motum recipit, tum mundanæ ipsius animæ, quæ mouet intime per intellectuales species reuolutio. *idem, ibid. cap. 16.*

Mundus vt gubernatur.

Mundi gubernatio est tanquã animalis vnius; & hæc gubernatio partim ab intrinseco tractat partim ab extrinseco regis principio, at natura cùm ab intrinseco principio ducat, cõsultatione non indiget: & naturæ more gubernator mundĩ procedit. *Plot. En. 4 lib. 4. cap. 11.* Mundi anima non tanquã alligata gubernat, sed tanquam domina præbet exordium, idcirco nec ab ipsis, nec cum ipsis patitur. *idem, En. 2. lib. 9. cap. 7.* Mundus totus à Deo regitur & gubernatur. *Phi. de confusione linguarum.* Mundus intelligentiâ regitur. *Fic. in Plat. Phi. cap 20.* Mundum si summa potestas, & intelligentia gubernat, & totus illi subest, non relinquitur vllus temeritati locus. *idem, in Plot. En 3 lib 3. cap. 2.*

Mundi gubernatores multi sunt qui ea primo cuncta gubernant. & vt multa quæ nobis fortuita sunt gubernatoribus sunt prouisa, sic & nonnulla extra gubernatorũ intentionem veniunt quæ sunt ex primi prouidentia, cui nihil vnquam improuisum accidit, cùm ad consumatissimum & perfectissimum intellectum consumatissima pertineat prouidentia; quæ nihil ignorat, & nihil improuisum esse permittit. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 3. cap. 2.*

Mundi originis causa & quis princeps.

Mundi origo, & principium fuit bonitas Dei. *Plat. in Tim.*

Mundi imaginem alicuius esse necesse est. *Idem, ibid.*

Mundus ad cuius similitudinem hic constructus est, animalia omnia in se ipso complectitur: vt hic mundus nos & quæcunque alia animalia visui exposita sunt. *ibid.*

Mundi origo mixta facta est ex intelligentia, & necessitatis constitutione, id est forma, & materia. *ibid.*

Mundi creationis causa est bonitas antiquissima omnium gratiarum Dei. *Philo. quòd Deus sit immutab.*

Mundi principes tres posuit Zoroaster trium ordinum dominos, Oromasin, Mitrin, Arimanin. Hos Plato Deum, mentem, animam, nuncupat. Tres in diuinis ordinis posuit, ideas rationes, semina. Ideæ circa primum id est Deum, quia à Deo menti tributæ sunt, & in eandem mentem cui sunt datæ reducunt. Secunda circa secunda, id est rationes circa mentem, quia per mentem in animam transeunt, & in mentem animam dirigunt. Tertia circa tertia, id est semina rerum circa animam, nam per animam transeunt in naturam, id est in illam generandi potentiam, rursus naturam animæ copulant. *Ficin. in Plato. commen. in 2. cap. 4.*

Mundi triplicem causam inuestigatur efficientem id est diuinam mentem, exemplarem id est idearum seriem in diuina mente conceptam, & finalem id est bonum. *Fic. in Plato. Tim. cap. 7.*

Mundi in architecto contemplari licet, primò bonitatem naturalem, secundò Geometricum contemplatorem intellectum communes rationes mensurarum habentem: tertiò rationem, vt aiunt, practicam iam per rationes ipsas de artificio consultantem; quartò imaginationem iam figuras, & modos conducẽtes operi effingentem: quintò effectum, sextò mouendi virtutem. *Idem, ibid. cap. 10.*

Mundi causa efficiens est diuina potentia, intelligentia, & voluntas, exemplaris ideæ intelligentia, & voluntas, exemplaris ideę intelligentia diuina conceptæ, finalis est bonum. *Fic. in Plato. de republica, dialog. 8. cap. 2.*

Mundum Deus bonitate fecit, ideo boni gratia fecit ipsum, non vt esset, viueret, & intelligeret fecit ipsum, sed vt bene esset, viueret, & bonum intelligeret atque compararet. *Idem, in Plato. Timaeum, cap. 15.*

Mundi præcipua causa est, quòd sit sphæricæ figuræ, quòd & circularis est diuini mundi natura, quæ in seipsam intelligendo & amando reflectitur. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap. 16.*

Mundi rectores omnes occulta nobis habent corpora cœlestia rotunda lucida. *idem, ibid. cap. 25.* Mundi pater est intellectus diuinus, mater materia, ornatus mundi est diuina proles, materialis in aliud materiali *ibid. cap. 25.*

Mundi autorem nominat Plotinus ipsum bonum à quo prouenit vt rerum congeries quæ in mundo sunt tam diuersarum, & inter se repugnantium, tum vt in vna totius forma communi conueniat, tum ad vnum finem, & commune bonum ritè conducat. *Ficin. in Plotinu En. 1. lib. 8. cap. 2.*

Mundi potissima principia tria sunt, bonum, intellectus, anima. *idem, in Plot. En 2. lib. 3. cap. 2.*

Mũdi artificem putat esse Plotinus intellectum summum, nec animam primam ab opificis munere excludit, sed negat cõsilio mundum facere, & solicitudine ducere, & multo magis quid opificem animam dicant mentis expertem, & perturbationi subiectam, & animabus nostris deteriorem. *Fic. in Plot. En 2. lib. 9. cap. 6.*

Mundi causam efficientem, & exemplarem esse primam essentiam, vitamque, & mentem, finalem verò esse bonum, animaduerte. *Idem, in Plotin. En. 3. lib. 2. cap. 1.*

Mundus cùm sit ab intellectu diuino, profectò totus est in eo, & quoniam ille est ens, vita, intellectus perfectissimus, ideo quidquid mundanum est, in eo perfectum est; & est ens, & vita, & intellectus. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 1. cap. 4.* Mundus etsi apud Platonicos originem habuerit tamen exemplar eius fuit æternum. *Iacob. Carpent. in Alcin. cap. 8.* Mundo Platonem originem attribuisse manifestum est. *Idem, ibidem. cap. 10.*

Mundi parentes præter Deum duo insuper existunt, primus scilicet intellectus, nec non prima quoque materia: qui quidem ambo si cum Deo conferantur, primorum potius instrumentorum quàm primorum parentum partes in mundi ipsius procreatione gessisse videntur. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Mundus Dei optimi maximi quasi partus ac fœtus quidam existit. *idem, ibidem.*

Mundi proprietates, & partes.

Mundus si sibi ipsi sufficit, & alio opus non habet, melius se habet quàm si alijs opus habet. *Plato in Tim.* Mundo fabricator manus non dedit, cùm nec accipere nec depellere quicquam illi opus sit, nec pedes, nec gressionis adminicula. *Idem, ibid.* Mundo fabricator motum attribuit corpori ipsius proprium, ea bis qui septem sunt numero, eum qui circa intelligentiam & sapientiam maximè versatur. quapropter sanè secundum eadem, in eodem & in seipso circumactum & in circulum contingente conuersione moueri fecit, omnes autem sex motus ademit, & ab illorum diuagatione penitus liberauit. *ibid.*

Mundus, cùm sit solidus, tangi & videri potest: terram & ignem sortitus est, media inter hæc aerem & aquam, ex perfectis constitutus est corporibus, quæ tota in ipso sunt, nulla pars extra ipsam relicta est, quo maximè duraret vniuersi corpus ab externis corruptionibus integrum, non enim erant absque his aliæ etiam internæ. *Timæus Locrus de anima mundi, & natura.*

Mundus optimus est ex his, quæ facta sunt, quoniam ab optima causa factus est, respiciendo non ad manufacta exempla, sed ad ideam. & ad intelligentiæ subiectam essentiam, ad quam id quod fit exactè expressum pulcherrimum fit, & quod nemo aggredi possit. perfectus autem semper. iuxta sensui exposita, est, eo quòd etiam exemplar illud ipsius, quod omnia intelligentię subiecta animalia in se ipso complectitur. nihil aliud extra reliquit, estque eorum quæ intelligentiæ subiecta sunt terminus perfectus, velut hic mundus eorum quæ seorsum exposita sunt. *Timæus Locrus de anima mundi & natura.*

Mundum hunc videmus, & partes ipsius, quæ cœlestes sunt, quę sanè, cum æthereæ sint, bifariam diuidi possunt: aut aliæ de eiusdem natura sunt, aliæ de alterius, aliæ quidem harum extrinsecus ducunt omnes in ipsis internas ab oriente in occidentem per omnem motum, aliæ eas quæ de alterius natura sunt intus ab occidente ad auroram ita vt reuertantur, & per seipsas moueantur. Circumuoluuntur autem per accidens vnà cum eiusdem latione, quæ robur præstantius in mundo habet. at alterius latio secundum harmonicas rationes diuisa in septem circulos digeritur. luna quæ proxima terræ est menstruum circuitum absoluit, sol post hanc annuo tempore absoluit, duo æqualem cum sole cursum peragunt, Mercurij & Iunonis, quem Veneris & Luciferi plerique vocant, reliquæ tres Martis Iouis & Saturni habẽt proprias velocitates, & annos inæquales. *Timæus Locr. de anima mundi & nat.*

Mundus tangi potest propter terram, videri propter ignem, quæ duo extrema sunt, per aerem verò & aquam colligauit vinculi robustissimi proportione, qua & ipsum, & quæ per ipsum comprehenduntur contineri potest. nam si planum est quod colligatur vnum medium sufficit, si solidum duobus indiget; ideo duobus, aere & aqua, colligauit. *Tim. Loc. de mundi anim. & natu.*

Mundi pars nulla est dæmonum præsentia destituta; horum lumen ab ipso Deo initium descendit; dæmon transfusus in hominem semina propriæ notionis inspergit; mens seminibus conspersa prægnans parturit inde adulteria, furta, homicidia, & omnia mala dæmonum opera. Dei semina sunt pauca, sed optima, pietas, & virtutes. *Mercury Trismegisti Pimander. cap. 9.*

Mundus sensum & motum possidet non humano sensui & motui consimilem, sed potentiorem & simpliciorem: nam sensus, & intelligentia mundi est cuncta facere, & resoluere, diuinæ voluntatis organum, hac potissimum ratione constructum, vt à Deo semina suscipiens vniuersa ea sinu suo recondens omnia componendo producat & omnia rursus auferat diuidendo, & agricultoris periti imitur quęnimis adulta sunt amputat, vt statutis temporum interuallis reuirescat, nec quicquam est cui vitam mundus non præstet. *M. Trismegisti Pimander, cap. 9.*

Mundus non est bonus, quia mobilis: non malus, quia immortalis. *Mer. Trism. Pimand. cap. 10.*

Mundi organa sunt & ordinis, materiæ necessitas, prouidentia, natura: & totus hic mundus est magnus Deus, imago maioris, vultus illi, patris ordinem & voluntatem seruans, vitæ totius integra plenitudo, nec quicquam est, nec erit, nec fuit vitæ expers. nam vitæ priuatio corruptio est, corruptio pernicies, quo pacto quod incorruptibile est corrumpi, vel Dei quicquam destrui potest. *ibid. cap. 15.*

Mundus malitiam habet, vt quasi eius membrum esse videatur, cui quãtum rationabiliter fieri debebat Deus prouidit, cùm sensu, disciplina, intelligentia, mentes hominum munerare dignatus, est: his enim rebus quibus alios animantes antecellimus soli possumus malitiæ fraudes dolos vitiaque vitare. & qui antequam his implicitus sit vitarit, is est homo diuina intelligentia, prudentiaque munitus. fundamentum enim est disciplinæ in summa bonitate consistens. *Merc. Trismegisti Asclepium, cap. 7.* Mundus nutrit corpus. *idem, ibid.*

Mundus ordine gestatur, vel totus constat ordine: hæc enim tria, fatum, necessitas, ordo, vel maximè Dei nutu sunt effecta, qui mundum gubernat sua lege, & ratione diuina: ab his ergo omne velle & nolle diuinitus auersum est totum, nec ita commouentur, nec flectuntur gratia, sed seruiunt necessitati rationis æternę, quæ ęternitas inauersibilis, immobilis, insolubilis est. *Merc. Tris. Ascle. cap. 14.*

Mundi inferioris dispositiones proueniunt necessariò à superiori

tiori, non necessitate qua infima & bruta: sed que spiritualia perpetuaque. *Arist. Theo. Ægypt lib. 6. cap. 1.*

Mundus, si contra eum vituperantes loqueretur, diceret, me fecit Deus, & idem ego perfectus factus sum ex cunctis animalibus constitutus, mihi ipsi sufficiens, mihi satisfaciens, nullius indigens, quoniam omnia sunt in me animalia simul, atque plantæ cunctorum natura generabilium, Dij quamplurimi, dæmonum populi, bonorum exercitus animorum homines virtute fœlices: nec terra sola ornata est plantis omnibus, & omnigenis animantibus, nec tantùm vsque ad mare potestas animæ se diffundat, aer autem totus, & æther, totumque cœlum anime vitaque caret, sed animæ illic cunque sunt omnes bonæ, vitam stellis suppeditantes, revolutionique cœlesti ordinatissimæ, & sempiternæ, & omnis in me appetunt bonum. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 3*

Mundo in hoc datur animis facultas ad beatitudinem consequendam. *Plot. En 3. lib. 2. cap. 5* Mundus sic est animatus, vt non tam ipsius, quàm ipsi habeat animam, superatus, non superans, habitus quoque, non habens: iacet enim in anima sibi sustinente, neque quicquam in eo animæ ipsius est expers. *idem, En. 4 lib. 3. cap. 9.* Mundus sentit per aliam sui partem vicissim partem aliam, item per totum partes, & sei consensi a totius habitudinem & quasi per oculum intus omnia contuetur, cum oculis non egeat vt ait Plato, vt extrinseca videat, cùm nihil sit extra. *idem, En. 4. lib. 4. cap. 24.*

Mundus mirabiles virtutum varietates habet præsertim cœlestis naturæ. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 36.*

Mundo hoc quæ generantur, non solùm fiunt secundùm rationes seminales, sed secundùm rationes alias ampliores, quæ in se comprehendunt vires rationibus seminarijs longè priores, quæ enim præter rationes seminarias fiunt non sunt in rationibus seminariis, nec quæ censentur conferri mundo ex ipsa materia, nec quæ à rebus genitis inuicem inferuntur. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 39.*

Mundus si adhuc maior esset, nusquam animæ vis deficeret, quo minus per omnia rursus propagaretur, imò vniuersum hoc inuniuersa anima foret. *Idem En. 9. lib. 5. cap. 9.*

Mũdi per diuersas plagas cùm sit numinũ distributio, intellige alias plagas aliter munere deorũ pro sua proprietate suscipere, qualiter et mundi pars accidit aliquid à quolibet Deo. *Iam. de myst.* Mundus cùm nulla ægritudine nec caloris nec frigoris laboret, ideo æternus est, & eius partium detrimentum & interitus non est in fluendo, sed in extra fluendo: amittitur enim quod ex vniuersitate defecerit. *Chal. in Tim. Pla.*

Mundum quid em magis admirati sunt quam eius conditorem cùm contra debuissent huius conditoris & parentis admirari potentiam, illum non supra modum venerari. *Phi. de mundi opificio*

Mundi ordo mirabilis cùm casu ordinis experte constare nõ possit, necesse est in opifice ipsius intelligentia formam esse ad cuius similitudinem sit effectus *Fic. Plat. Theo lib. 2. c. 11.*

Mundi membra omnia inuicem compatiuntur, quia ab vna communi natura, & vna natura ab vna anima est. *idem, Plat. Theo. lib. 4 cap. 1.* Mundus nec per se subsistere potest, nec se continere nec per se cogere, mouereue: ergo necessariò à causa per se existente, & se continente dependet, quæ est Dei voluntas. *idem, ibi lib. 18. cap. 1.*

Mundi partes, vt ex se non sunt, neque per se constant vnã, sed & conducente indigent, quidquid indiguit producente *Fic. in Plat. phi. lib. 2. cap. 4.* Mundus ornamentum significat ex multis compositum. *idem, in Pla. con. or. 5. cap. 3.* Mundi nullũ membrum odit aliud membrum. *ibid. or. 3. cap 4.* Mũdi pictura vniuerse quam cernimus, in angelis expressiores & hæ à Platonicis exemplaria & ideæ nuncupantur, claræ in orbe, clariores in animo, clarissimæ in angeli mente. *ibid or. 5. cap. 4.*

Mundi sphæræ duodecim sunt, octo cœli, quatuor elementorum, inuicem differentes specie, motu, & diuersæ proprietates duodecim ergo illis adesse animas specie, & virtute diuersas necesse est: vna ergo vnius primæ materiæ anima, duodecim circulorum duodecim animæ. at si in terra sunt & animalia bruta & rationalia, in aqua, & aere, & igne, quæ præstantiora corpora sunt, item debent esse rationalia animalia & bruta, nam in octo cœli sphæris rationalia tantùm habitant, quos deos Platonici vocant: at quæ rationalia ignem, aerem, & aquam incolunt, dæmones appellarunt. *Fic. in Plato. conuiu. or. 6. cap 3.*

Mundi partes vt vnius animalis membra inuicem copulantur. *Ficin. in Plato. Conu. or. 6. cap. 10.*

Mundanæ diuisioni non iniuriã accommodantur numeri, in quibus radices primæ sunt circularium numerorum quinarius ex imparibus, senarius ex paribus. *idem, in Plato. Tim. cap. 17.*

Mundus diuiditur primò in partes quinque, ignem cœlestem, ignem æthereum sub luna, aerem, aquam & terram. *ibidem.*

Mundus procedendo à primo degenerat, & in ipso non solùm distinctionem formarum videmus, sed etiam repugnantiam: nam processio distinctionem facit, degeneratio repugnantiam. *Mar. Ficin. in Plato. Timæum. cap 18.*

Mundi diuisionis origo est fœcunditas causæ suas exuberantis, seque propagantis in emplum: procedente verò per multos gradus diuisione in repugnantiam denique peruenitur, præsertim cùm mundi materie ob infœlicitatem nequeat ita inuicem formas conciliare vt mundus ille superior in seipso conciliat. *idem, ibid.* Mundus genera possidet per multa. *ibid.*

Mundus diuiditur in partes sex, in ignem cœlestem erraticum, & non erraticum, in ignem sublunarem, aerem, aquã & terram. *Fic. in Plat. Tim. cap. 18.* Mundus quia in fluxu versatur dependet ab alio principio, quod sit immobilis, & quia pulcherrimus est, fit ab optimo quodam intellectu ad exemplar æternum *idem, ibidem.*

Mundi medium geminum licet excogitare, lunam & Solem, illa ingenerabilium, & generabilium media est vtriusque naturæ quodammodo particeps hic medius inter quinarios duos incedit; super hunc enim Venus, Mercurius, Mars, Iupiter, Saturnus; sub hoc Luna quasi iam elementalis, & quatuor elementa. Superior quinarius pertinet ad perficiendas rerum formas, inferior ad materias, Sol ad vtrasque. *ibidem. cap 19.*

Mundo in diuino tria potissimum cogitantur, species, numerus, atque modus: & animi diuinorum contemplatores si ad speciem reliqua duo, numerum scilicet, & motum referũt philosophicum prouenit ingenium: si ad numerum, musicum, si ad motum, amatorium, & omnes tres ad sublimem pulchritudinem eleuantur. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 3. cap. 1.*

Mundum habere in se membrorum distinctionem ipsa palam formarum differentia, repugnantia qualitatum motionum oppositio manifesta declarat. *idem, in Plo En. 2. lib. 1. cap. 3.*

Mundus ad bonum institutus intellectuali animalique prouidentia ad id ducitur. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 8.* Mundus tres in se habet gradus, in primo sunt stellarũ sphærarũmque motores, in secundo sphæræ, in tertio composita infra Lunam. *idem, in Plot. En. 2. lib. 9. cap. 9.*

Mundi materia cùm & possit & debeat innumerabiles ad perfectionem suam compositorum formas accipere, neç valeat omnes eodem tempore capere, quia neque materia ex qua fiunt innumerabilibus compositis simul suppetat, nec spatium capit, nec iam diuersa concurrunt, factum est vt commutatione perpetua capiat, dum & cœlum similiter innumerabiles motu figuras induit, viresque sortitur nouas, quas nec simul nec manens, vt repugnantes admittere potest, atque interea motu confert ad inferiorem materiam naturaliter transformandam. *Fic in Plot. En. 3 lib. 2. cap. 56.*

Mundi rationi seminariæ inserta diuinitus alteritas & diuersitas eam maximè reddit alteram intra se & diuersissimam diuinorum. *Fic. in Plo. En 3 lib. 2. cap. 16.*

Mundi ratio communis gemina est, alia vt artifex, alia vt forma per quam vt artifici cognatam artifex videtur mundo coniunctus: artifex est præsidens intellectualis ipsa substantia, insidens vt forma est ratio seminalis, qua coire cum materia mundi videtur, & generare. *idem, in Plot En. 3. lib. 3. cap 4.*

Mundus duas habet animas, vnam quodammodo separatam, quæ præsit corpori vt artifex, alteram coniunctam, quæ illinc insit corpori vt forma. *Fic in Plot. En 1. lib. 5. cap. 3.*

Mundi machinam hanc non est probabile habere duntaxat vnicam animam, sed probabilius est plures adesse animas, & animalia plura præter mundanam animam, & animal mundanum. *Idem, in Plot En. 4. lib. 3. cap. 1.*

Mundi partes communionem inter se habere quinque probatur fundamentis primò est vna omnium materia. secundo concordia qualitatum, nam etsi elementa sint discordibus qualitatibus, proximis tamen concordant, & si rerum gradus, vel componantur ex elementis vel non, quamuis inter se differant, tamen terminis concordibus coniunguntur: tertio spiritus vbique est vnus: quartò est vna natura genitalis omnia fouens per spiritum sequentibus colligata: quintò anima mundi vbique vna per naturam spiritui, cœterisque connexa. *Fic. in Plot En 4. lib. 4. cap. 26.*

Mundi partes sunt omnia corporea, huius animalis motus sunt omnes actiones rerum naturalium; eiusdem sunt gestus & quasi sermones omnes reuolutiones mundanæ. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 35.*

Mundi membra ab anima mundi tam interna, quàm externa vires ad actionem, & motum habent, vt ab anima nostra membra nostra vires habent. *idem, ibid. cap. 37.*

Mundi variis sphæris ac partibus earum variæ naturaliter insunt stellarum virtutes, & variæ in differentibus ibi figuris ex stellis inuicem firmiter constitutis, virtutes inquam firmæ. *Ficin. in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 34.* Mundum vnam solam habere animam Plotini sententia est, & animalia omnia suas proprias habere. *idem, in Plot. En. 4. lib. 9. cap. 5.*

Mundo huic quæ insunt omnia, sunt in Deo, & plura & meliora. *Aug. Steuch. de peren. philo. lib. 3. cap. 8.* Mundi pulchritudo & ordo rerum cœlestium coegit paganos confiteri Deū esse. *idem, ibid. lib. 7. cap. 6.*

Mundus vt intelligibilis & sensibilis.

Mundus intelligibilis qui est Deus solo obtutu mentis dignoscitur, esse incorporalem, nec eius naturæ misceri posse aliquid corporale, id est quod possit qualitate, quantitate, numerisque cognosci, in ipso enim nihil tale consistit. Hic verò mundus qui dicitur sensibilis, est receptaculum omnium sensibilium specierum, qualitatum, vel corporum, quæ omnia sine Deo vegetari non possunt: omnia enim Deus, ab eo omnia, & eius voluntate omnia, quod totum est bonum, decens, & prudens, inimitabile, & ipsi soli sensibile atque intelligibile, & sine hoc nec fuit aliquid, nec est, nec erit, omnia ab ipso, in ipso, & per ipsum. *Mer. Trism. Ascl. c. 12.*

Mundus hic sensibilis receptaculum est omnium sensibilium specierum, qualitatum, vel corporum, quæ omnia sine Deo vegetari non possunt, omnia enim Deus, & à Deo omnia, & eius voluntatis omnia. *Apul. Asclepius.* Mundus sensibilis, & quæ in eo sunt, omnia à superiore illo mundo quasi ex vestimento eius contexta. *idem, ibid.*

Mundus superior indiuisibilis est, & quadam ratione diuiduus, at si partes eius inter se dispersæ sunt, sectio ipsa; atque dispersio est quædam materiæ passio, ipsa enim est quæ dicitur passa sectionem: sin autem quæ multa illic sunt, vnum ens impartibile sint, nimirum multa illa in vno existentia, in vno illo sunt, ceu materia, ipsaque ipsius sunt formæ. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 4.* Mundus ille intelligibilis est, & hic noster illius est imitatio, & ex materia componitur, illic quoque necesse est esse materiam, alioqui qua ratione ornatum appellabis, nisi speciem vel species contemplaberis? & quomodo contemplaberis speciem, nisi id in quo species est comprehendas? *idem, ibid.*

Mundo in intelligibili non est id quod dicitur in potentia, vbi entium regnum est non temporalium, sed æternorum: at quod ibi dicitur materia, species fortè est, quando & anima species est in se, ad aliud verò materia. *Plot. En. 2. lib. 5. cap. 3.* Mundus intelligibilis locus est vitæ, principiúmque & fons animæ veræ & mentis, & ibi cuncta actus sunt, in actúque consistunt, & vitæ sunt omnis. *idem, ibid.*

Mundus corporeus ab incorporeo pendet, iam non verè vnus, sed diuisus in multitudinem, in quo aliud ab alio distans alienúmque prouenit: nec amplius hic viget amicitia, sed propter distantiam viget discordia, & in ipso defectu alia necessariò aliis aduersantur, non enim pars vlla sibi ipsi sufficit, sed dum salutem sibi quæritat aliunde, bellum illi infert ex quo seruatur: fabricatúsque est ab intellectu infundente aliquid sui in materia immobili existente, id est ratio ab intellectu profluens. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 2.*

Mundo huic nemo potest quasi non pulchro detrahere, nec causam incusare: primò quia ex necessitate est constructus non consilio, sed à natura præstantiore opus sibi simile generante: deinde neque si consilium in causa fuerit, dedecori mundus est auctori, fuit enim totum pulchrum, & sufficiens, & sibi amicum, & partibus suis & maioribus & minoribus æquè conueniens. *Plo. En. 3. lib. 2. c. 3.* Mundus intelligibilis solùm ratio est, nec fieri potest alter talis, vt ratio sit solùm; & profectò illa in quæ mundus desinit materia est, & ratio, illud verò vnde mundus exorditur & regitur anima est, & mixtio perfecta, quā laborare nō est putandū, quippe cùm ipsa vt præsentia gubernet facillimè totum. *idem, ibid.*

Mundus sensibilis minus vnum est quàm ratio sua, ideóq; magis est multiplex, contrariisque refertus. *Plo. En. 3. lib. 2. c. 17.* Mundo intelligibili quæ insunt omnia sunt ratio, & super rationem, nempe intellectus, & anima pura, quod verò deinceps quatenus inde prouenit prouidentia est, & quatenus est in anima pura, & quantum inde in animalia propagatur. Ratio vtiq; in partes inæquales distributa progreditur idcirco nec facit æqualia, vt & in quolibet animali. *idem, En. 3. lib. 3. cap. 5.*

Mundus intelligibilis est vnusquisque nostrum, & per inferiora nostra huic mundo coniungimur: per superiora verò quæ ad intelligibilem mundum pertinent, intelligibilem mundum attingimus, & permanemus in sublimi, sed quid in nobis est intelligibile: per id quod est vltimum alligamur inferiori. *Plot. En. 3. lib. 4. cap. 3.*

Mundum hunc sensibilem si quis contemplatur animæ excellentiam cognoscere potest intuens magnitudinem eius, pulchritudinem, motus, ordinem sempiterni, deos in ipso partim conspicuos, partim latentes dæmones, & animalia, & omnes plantas: mox ad ipsum mundi huius principium, & exemplar, mundúmque veriorem ascendas, & ibi intelligibilia conspiciat, & sempiterna in propria intelligentia, atque vita, horúmque omnium præsidem intellectū prorsus intemeratum, & inæstimabilem sapientiam, & vitam aurea sub Saturno. *Plot. En. 5. lib. 1. c. 4.*

Mundum intelligibilem contemplaturum primus Iupiter incedit, & hunc sequuntur cæteri dij, dæmones, & animi quicunque hæc cernere possunt, & diuinus ille mūdus desuper illis effulget ex occulto quodam, & ab excelso illis exoriēs, illustrat omnia numina implens singula lumine, tum ad se inferiores animos excitat, qui deinceps conuertuntur ad ipsum, cernere non valentes ceu Solem: sed alij eius intuitū perferentes aspiciunt, alij turbantur, quotcunque longiùs ab ipsius natura distant, & alij dum attenti conspiciunt, splendentem iusti ipsius fontem & naturam cernit aliusque temperantiam, non quam nos habemus, hæc enim illam imitatur, illic enim omnia rutilant, & speculatores splēdore collustrantur, adeò vt ipsi quoque pulchri efficiantur & qui videt non tantùm spectator est, sed nectare impletur, & in seipso qui acutè perspicit habet rem perfectā. *Plot. En. 5. lib. 8. c. 10.*

Mundus sensibilis vno tantum loco determinatur, mundus intelligibilis est vbique. *Plot. En. 5. lib. 9. cap. 13.* Mundi intelligibilis imago similitudines quasdam habet non effectoris illius, sed eorum potiùs quæ in effectore comprehenduntur, ex quorum numero est, & homo, & quodlibet aliud animal. Viuens quidem, & animal est, & hoc, & effector, sed aliter, & aliter, & ambo in intelligibili mundo consistunt. *idem, Enn. 6. lib. 2. cap. 21.* Mundus sensibilis tribus præcipuè modis est dispersus, extensione, diuisioneque locali, successione temporali, & mutuâ contrarietate qualitatum: at intelligibilis mundus, id est prima idearum plenitudo nullam admittit eiusmodi diuisionem, nec mundus vitæ, id est animarum intellectualium cœtus cum prima mente, eiúsque ideis mirabiliter copulatus. *idem, En. 6. lib. 5. cap. 2.*

Mundus intelligibilis si verè ens existit, eodem modo se semper habet, nunquam à seipso discedit, nulla circa ipsum generatio cadit, nullo clauditur loco, necessariò semper secum habitat, nusquam à seipso distat, & vbique est, nec in alio est, pateretur enim si iaceret in alio, sin autem in non patiente natura consistit, non quiescit in alio. *Plot. En. 6. lib. 5. c. 3.* Mundus intelligibilis multò magis quàm hic est vnus, alioquin duo essent sensibiles mundi diuisi similiter, & ipsa sphæra intelligibilis esset sensibilis, si non esset aliter vnum quàm hæc nostra. *idem, ibid. cap. 10.*

Mundus diuinus ideò perfectum animal est, quia vniuersum possidet animalium numerum, & talem numerum animalium habet, quoniam numerum ipsum simpliciter habet; illic enim numerus omnis tum animalia omnia tum perfectionem illius mundi præcedit, cuius vnitatem vniuersum hoc mundanum animal vnitate suā pro viribus imitatur, quoniam sensibilis huius natura ab illo vno discessit, si sensibile esse debuit. *Plotin. En. 6. lib. 6. c. 15.*

Mundus intelligibilis semper est; hic simulachrum eius semper fuit, est, & erit. *Chalcid. in Tim. Plat.* Mundus intelligibilis non est aliud quàm verbum Dei mundum condentis. *Philo de mundi opificio.* Mundum hunc sensibilem Deus antequam conderet, intelligibile prius huius exemplar constituit. *idem, ibid.*

Mundus spiritalis huius mundi exemplar semper fuit cum Deo, mundus corporeus discedit ab opifice ex parte vna, quia non fuit semper, retinet alteram, quia fit semper futurus, & hoc est secundum Dei opus: composita corpora, quæ sunt tertia Dei opera, omnem partem æternitatis amiserūt. *Fic. Plat. Theolog. lib. 18. cap. 5.*

Mundus corporeus tria in se habet, materiā, dimensiones, & corporeas qualitates: materiam cognoscimus mutationis & cōfusionis originē, dimensiones distantiæ, qualitates repugnantiæ causam. *Fic. in Plat. Parm. c. 5.* Mundū intelligibilem hunc tantùm intellectum, sed omnium quoque sublimium mentium cœtum, apud Platonicos nominari intelligentiam. *idem, ibid. c. 8.*

Mundus hic vniuersus qui cernitur oculis, non ex se est, quia esset impartibile & incorporeū: ergo ex alia causa, quę præstantior est, & quæ ipso sui esse omnia facit. *Fic. in Pla. Theol. lib. 1. c. 14.*

Mundus

Mundus hic visibilis ex se esse non potest, nam quod ex se est seipsum agit; & vbi aliquid se ipsum agit, idem est agens & factum; quod autem agit impartibile est, ergo ibi quod agitur impartibile est, at mundus cum partibilis sit ex seipso esse non potest, quare superiorem exigit causam. *idem, ibid. cap.18.*

Mundus hic visibilis cùm ex se esse non possit, ex alia causa præstantiori pendet, quæ aut electione indiget consilioque ad opus, aut ipso esse solo efficere potest: quod si ipsum esse diuinum non tanti est, vt per se possit agere, nulla alia res certè per se operari poterit. *Fic. in Plato philob. lib. 1. ca. 18.* Mundi corpus quantò perfectius est quàm nostrum tantò magis est animatum, neque nostram susciperet intellectualem animam ab intellectu artifice mundi nisi mundus suam inde haberet animam. Vitam quoque irrationalem habemus à vita mundi, per quam præparamur ad intellectualem vitam capiendam. *idem, ibid. cap. 21.*

Mundi huius machinam animâ regi iudicat Plato, est enim corpus quoddam ex totis elementis compositum, cuius particulæ sunt omnium animalium corpora, & perfectius est omnibus animalibus, quantò totum perfectius est partibus: & absurdum esset partes animam habere, totum animâ carere. *Fic. in Plat. conu. or. 6. cap. 3.*

Mundus corporeus per summitatem suam est cum mundi animalis intimo summopere copulatus, & animalis cum intellectuali, & intellectualis cum intelligibili, in quo est summa pulchritudo formaliter. *Fic. in Plato. phæ. cap. 12.* Mundus corporeus sensu & imaginatione percipitur, animalis ratione cum intellectu, intellectualis intellectu cum ratione, intelligibilis verò intellectu solo. *idem, ibid.*

Mundus hic quia compositus est, & si quis alius superior compositus aliquo pacto esset, à superiore simplicitate dependet, quæ super æternitatem extat. *Ficin. in Plato. Timæum, ca. 7.* Mundus hic visibilis ob multiplicem partium distantiam, qualitatum repugnantiam, effectuum diuersitatem, materialium deformitatem, neque maximè vnus est, nec maximè bonus: imo ante hunc existimat ab ipsa bonitate, & vnitate diuina, mundum alterum proximè emanare, & prout natura patitur quamsimillimum, non visibilem quidem, sed intelligibilem intellectualemque, exemplaria omnia, quę in hoc gignuntur, habentem: quem diuinum intellectum nominant non ipsum bonum, sed optimum boni filium: quem si vnius cum primo substantiæ esse intelligamus, Platonem Christianæ Theologiæ magis conciliabimus, sed cæteri Platonici reclamabunt. *idem, ibid. cap. 9.*

Mundus intelligibilis inter visibilem & bonum est medius, imago quidem boni, exemplar verò corporei mundi; ita à bono pendens vt lumen extra Solem à luce intra Solem, & producens ex se proximè mundi animam, vt & lumen fundit ex se splendorem, per que animam singula quotidie generans, sicut splendor per calorem corporea gignit. *Fic. in Plato. Timæ. cap. 10.* Mundus hic corporeus iam rationalis ex intellectuali mundo progenitus est quasi splendor ex lumine, & sicut splendori iam motus permiscetur, sic anima immobilium idearum rationes mobili quodam pacto attingit, & percurrit. *idem, ibid.*

Mundum intelligibilem ex potentia formabili, & forma proximè à Deo volunt esse conflatum, & sensibilem deinde ab intelligibili ex iisdem vel similibus constitutum; ita vt intellectus ille proximus mundi visibilis architectus materiam acceperit ab ipso bono quodammodo spiritalem sed iam iam sub se in dimensionem molis degenerantem informemque, & vacuam; ac si forsan ex se moueatur absque ordine mutaturam, sed per idearum ordinem ab eodem bono susceptum formauerit eam, & redegerit in ordinem antequam extra ordinem vagaretur, præsertim cùm animam rationalem in primis infuderit, motionis ordinatissimæ dominam. *Ficin. in Plato Timæum, cap. 11.*

Mundus superior si ad mētes sequentes spectas nominatur intellectualis mundus; quantum verò ad Ducem intelligibilis, & ipsa mens dux mentium, partim intellectus, partim intelligibile nominatur: intellectus qua rationibus rerum discernendis incumbit, intelligibile qua rationes huiusmodi in suis continentur ideis. *Ficin. in Platon. Timæum, cap 10.*

Mundi diuinum exemplar vnicum esse ostendit Plato: quod Euangelista, sed diuiniore sensu diuinum appellat verbum, quia contineat omnia, & nihil relinquat extra, ideò sit necessario vnicum. *idem, ibid. cap. 16*

Mundi sensibilis distributionem ab ipsa exemplaris distributione facilius more Platonico deducemus. Excogitat Deus in mundo penes ipsum intelligibili, alteram quidem vim formabilem, alteram formatricem; illam infinitudinem, hanc terminum vocant Pythagorici, & Platonici, & ex hac mixtione tertia forma coalescit, quæ nonnihil infinitudinis, nonnihil termini, & nonnihil proprij habet, à termino habet ignem, ab infinitudine terram, à media forma aerē qui per sublime vergat ad ignem, per infimam vergat ad terrā. *Fic. in Plato. Timæum, cap 17.*

Mundo diuino toto fruuntur vnà cum Ioue, id est anima mundi, omnes animæ cœlestes, & dæmonicæ, & humanæ iam purgatæ. *Fic. in Plotin. En. 5. lib. 8. cap. 10.*

Mundus intelligibilis excellentia potestatis per omnes partes mundi vires suas diffundit, & vnicuique parti totus adest, interea supereminens. *Idem, in Plot. En. 6. libro 4. capitulo 3.*

Mundus corporeus totus indiget necessariò vbique mundo vitæ; vbique igitur illa potitur, sed vt ille huic vbique adsit, non cogitur rarefieri, aut diuidi, quæ corporis passiones sunt: adest ergo vnicuique totus fermè, vt vita, vel lumen; nec cogitandus est re vllâ quasi localiter segregatus, iam enim in locum angustum redigeretur. *Fic. in Plotin. En. 6. lib. 5 cap. 3.*

Mundus intelligibilis totus est species constans ex speciebus, quicquid enim in ipso est species est; species autem vnaquęque est aliquid intelligentiâ definitum, vnde & altera ab altera distinguitur, & vniuersa constans ex definitis est definita: & in multitudine specierū vnus illic pulchritudinis splēdor emicat. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 7. cap. 32.*

Mundi diuini formositas omniformis, etsi quam plurimum admiranda, tamen definitum quid est, nec amanda summoperè, sed ipsa bonitas melior omni forma: nam & in mundo diuino quamuis vnumquodque sit forma quædam, est tamen aliquid ibi aliud comparatum quasi materia; vnde & hoc, & illud aliquid definitum: pulchritudo igitur in mundo diuino tanquam ipsius boni splendor animam illic admirabundam per amorem clam reuocat ad ipsum bonum: pulchritudo in anima tanquam splendor intelligentiæ per amorem ad amandum intellectum latenter inuitat, pulchritudo in hoc corpore vt pulchritudinis animalis imago ad desiderandam incorpoream pulchritudinem adhortatur. *Fic. in Plotini En. sexta, lib. 7. cap. 33.*

Mundum super supernum constituunt Iamblichus, Sirianus, & Proclus gradus quatuor, scilicet vnum, terminum, infinitudinem, mixtionem; mixtionem proinde supremum mundum id est primam intelligibilémque mentem; post eam mentem, mundum partim intelligibilem, partim intellectualem: post hanc intellectualem simpliciter mentem atque mundum; quarto loco mentem, mundúmque animalem sensibilis mundi ducem. Item supremam mentem suspicere quatuor illa, vnum, terminum, infinitudinem, & mixtionem: & habere suapte naturâ quatuor, videlicet binę vnitatem, inde essentiam, rursus vnitatem essentialem, & essentiam vniformem, & omnes rerum ideas quadruplicis naturæ participes. Item mentem intellectualem ac mutabilem mundi opificem in fabricando mundo suspicere in mētem intelligibilem, ac supremam velut exemplar, & in bonum velut in finem: & qua ratione in mundo intelligibili, quod ipsum ens & ipsum viuens nominant principia & ideas suscipit quadruplicis naturæ, in quatuor similiter plagas dirigit mundum; prima à primo cœlo vsque ad aeris principium: secunda inde ad aerem vsque medium; tertia vsque ad terram, quarta est terra: & huic participationi respondent exercitus deorum mundanorum, angelorum, dæmonum, & particularium animarum. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 21.*

Mundo in archetypo vt omnia sunt in omnibus iuxta Platonis sententiam, sic in hoc imaginario mundo omnia sunt in omnibus, sed pro natura suscipientium vbique singula suscipiuntur, vt cœlestia in elementis elementalia sint, elementa in cœlo cœlestia, & tanta est cœlestis regionis supra alias excellentia, vt cœlestis ignis præter ignem elementalem, triáque reliqua elementa dici quintum valeat elementum. Hinc mundos quinque appellari posse ait, si quidem omnia rerum genera in quolibet horum quinque sunt pro sua cuiusque natura. *Fic. in Pla. Timæum, cap 24.*

Mundi spiritum quatuor spectant: primò intellectus in se manens immobilis sphæræ motor, siue rector, in regendis sphæris ab authore rerum institutus: secundò sphæræ anima, motor mobilis quidem, sed mobilis per se ipsum: tertiò intelligentia quædam, huic animæ à Deo & intellectu superiori diuinitus insita: quartò Natura, id est seminaria vitalisque virtus ab anima passim infusa materiæ. Intellectus & anima substantiæ sunt, intelligentia verò atque natura sunt qualitates, illa animæ, hæc materiæ; & horum qua-

tuor imagines sunt elementa: ignis intellectum refert, terra naturam, aer intelligentiam, aqua animam. *Ficin. in Plat. Timaeum cap.* 26.

Mundi corpus per vitam paratur ad intellectum, ergo vt se habet ad vitam sic se habet ad intellectum: & vt non habes solum naturalem vitam in materia mundi iacentem, sed vitam animalem, id est animam in se existentem, ita non modò habet intellectualem qualitatem animæ infusam, verùm etiam intellectualem substantiam in seipsa manentem. *Fic. in Plat Tim. cap.* 27.

Mundus hic perpetuâ nouarum generatione formarum æternam superioris & omniformis mundi actionem pro viribus imitari debet. *Fic. in Plat. Tim. cap.* 28.

Mundus superior vt est vniformis & omniformis, sic hic & omniformis est, & vniformis. *idem, ibid.*

Mundi vniuersi intellectualis finis est ipsum simpliciter bonum. *Fic. in Plot. En.* 5. *lib.* 2. *cap.* 4. Mundus sensibilis, qui intelligibilis est imago, hoc in se habet, vt essentia quasi materia per vitam formetur, & vita similiter per intellectum, siue qualemcunque cognitionem quæ intelligentiam repræsentat: sic in mundo intelligibili intellectus quidem est actus quidam vitæ, vita verò est actus essentiæ. *Idem, in Plot. En.* 5. *lib.* 4. *cap.* 3.

Mundus intelligibilis est quidem semper, sed existit semper ex bono fermè vt lux illa coniuncta Soli immobiliter est ex Sole: mundus verò sensibilis non tam est vel existit quàm fit semper ex illo, vt ex Sole mobile, vt aiunt, in aere lumen; quæ autem sunt infra Lunam, aliquando fiunt, & ille mundus totam implet æternitatem, hic totum tempus; quæ verò subiiciuntur Lunæ partem temporis explent. *Fic. in Plot. En.* 2. *lib* 4 *cap.* 5.

Mundo in corporeo aliud est ordo formalis, aliud dimensio, & motus. *Ficin. in Plotini. En* 3. *lib.* 8 *cap.* 8.

Mundo in incorporeo si intelligentiam & essentiam ratione distinxeris, ab essentia videbis materiam huius mundi profluere, & ab intelligentia formam; & vt illic essentia cogitatur ordine quodam intelligentiam antecedere, ita & hic cogitabis præcedere formam. *idem, ibid. cap.* 2.

Mundum intelligibilem vult primâ voluntate ipsa bonitas; animalem verò qui deinceps ex intelligibili sequitur, necessitate quodammodo vult, necessitate, vt ita dixerim, consequentiæ, non enim latas ipsum ex opere primo sequi secundum, nec reprobat, sed non probat vt primum. *Fic. in Plot. En.* 3. *lib.* 2. *cap* 3.

Mundus diuinus mundo huic vndique est prorsus infusus. *Idem, in Plot. En.* 4 *lib.* 3. *cap.* 23.

Mundus corporeus non est reuera magnus, quoniam vbique dependet ex paruis, incorporeus mundus est infinitus, infinitè enim dicere licet, in hac idea sunt omnes, & his omnibus computatis in quolibet rursum omnes, similiterque deinceps. *Fic. in Plo. En* 5. *lib.* 8. *cap.* 8.

Mundi tres, intellectualis, cælestis, & sublunaris; vnus est mundus, non solum propterea quòd ab vno principio, & ad vnū eundémq; finem omnes referuntur, & harmoniâ quadam naturæ cognatione colligantur; sed quoniam quicquid in omnibus simul est mundis, id & in singulis cōtinetur, nec est aliquis vnus in eis, in quo non omnia sint, quæ sunt in singulis, & quæ in inferioribus sunt, in superioribus quoque sunt meliore nota, & quæ in superioribus, in inferioribus sunt degenere conditione, & adulteratâ, vt sic dixerim, naturâ; apud nos est ignis elementum, in cœlo Sol est ignis, in vltra mundana regione ignis est intellectus seraphicus, vide quid differant. elementalis vrit, cœlestis viuificat, super cœlestis amat est aqua apud nos, in cœlo Luna, in super cœlesti mentes cherubicæ, hæc est disparilitas. Humor elementalis calorem vitæ obruit, cœlestis pascit, supercœlestis intelligit. *Io. Pic. Mir. in Heptap. in præfat.*

Mundus intellectualis est exemplar ipsum, & ipsa primitiua idea idearum omnium est Dei Verbum. *Iacob. Carpent. in Alcinoum cap* 10. Mundi cœlestis dissolutio octauæ sphæræ maximam conuersionem, inferioris autem corruptio eiusdem octauæ sphæræ accedentem & recedentem circulationem tanquam propriam causam potissimùm consequi existimatur. *Leo Heb. de Am. dial.* 3.

Mundus spiritalis in tres distinguitur ordines, animam, intellectum, atque diuinitatem. *Leo Heb. de Am. dial.* 2. Mundus inferior, ē priscorum Theologorum sententia, septem millium annorum spacio germinat, corrumpitur, & renouatur. *idem, ibid. dial.* 3. Mundi ad Deum reditus atque reuersio, in eius actibus non quidem corporalibus, sed intellectualibus potius consistit. *ibid.*

Muneribus deuicti promptissimè nauant operam, non conferendo, sed referendo gratiam debitam. *Philo de vita Mosis, lib.* 1. Munera omnia siue naturæ, siue fortunæ si negligenter culta fuerint, in mala, vel malè culta, in pessima tandem euadunt. *Fic. in rep. Plat. dial.* 6. Munera pro rebus gestis in republica fugienda sunt. *Franc. Patric. de repub. lib.* 4. *cap.* 5.

Muneris omnis functio consistit in quadam accommodatione agentis ad ipsum obiectum circa quod functio exercetur. *Iac. Carp. in Alcin. cap.* 4.

Musa, Musica.

Musa à verbo μῶσθαι dicitur, id est ab inquirendo. *Plat. in Cratylo.* Musica imitatur voces, Pictoria colores. *idem, ibid.*

Musicus non adhuc es si vocem grauem & acutam, & æquitonum nosti: sed qui interualla vocis circa acutum, & graue, & qualia sint, & interuallorum terminos, & quot ex his constitutiones fiunt, quas veteres contemplati nobis reliquerunt vt eas harmonias appellaremus; sed & in corporis motionibus alias eiusmodi affectiones esse ac fieri tradiderunt, quas per numeros metiri & rithmos & mensuras nominare oportere dicunt, & simul cogitare quod hoc modo de vno, & multis consideratio habenda sit: & si hæc acceperis, sapiens es. *idem, in Phileb.*

Musica id quod consonum est adaptat, non mensurâ, sed studij coniecturâ; & vniuersa tibicinum ars mensuram vniuscuiusque chordæ, prout fertur, coniectura indagant, ita vt obscuritatem multam immixtam habeat, subtilitatem verò paucam. *Plat. in Philebo.* Musæ musicam amore duce inuenerunt *idem. in Symposio.* Musæ ligeæ id est canoræ appellantur. *in phædro.* Musica in pulchri amore finiri debet. *de rep. dial.* 3.

Musicorum instrumentorum, trigonorum, & pectidum, quæ multas chordas, & harmonias habent artifices in ciuitate non nutriemus; lyra & cythara relinquenda est, in ciuitate enim vtilia sunt; & in agris pastoribus fistula quædam relinquatur. *Plat. de rep. dial* 3. Musica illi qui se exhibet ipsi, infundit, velut infondibulum in aures per animam, adeò vt cātilenis delinitus si quid animosi impetus habet, velut ferrum emollit, & ex inutili, & duro vtile efficit. *idem, ibid.*

Musica est similis Gymnasticæ moribus erudiens custodes, secundúmque harmoniam congruitatem quandam, non scientiam, & secundum rythmum concinnitatem, & in sermonibus alia quædam his cognata habens, siue fabulosi sint illi, siue veriores. *Plato de republ dial* 7. Musici nostri temporis concentus, & sonos, qui audiuntur, inter se dimetientes inanem laborem subeunt, & ridiculè densitates quasdam nominant, & aures admouent velut è vicino vocem venantes: & in his qui audiuntur concentibus numeros quærunt, & nō ad quæstiones transeunt, vt considerent, & expendant qui numeri consoni sint & qui non, & cur vtique ita vtrique: est enim vtilis & ad boni & pulchri inquisitionem musica, si ita tractetur: sin aliter, inutilis. *idem, ibid.*

Musica circa rythmos, & harmoniam versatur. *Plat. de leg. dial.* 2.

Musicam rectitudinem esse eam facultatem quæ animis voluptatem inducit, nec tolerabile est dicere, nec pium. *idem, ibi.*

Musicæ & lusus vsus cur chorea rectus est, & tali quodammodo gaudemus, quum feliciter agere nos putamus, & quum gaudemus rursus, feliciter nos agere putamus; & iuuenes spectantes choreas ducere gaudemus, quandoquidem leuitas nostra nos nunc distulit, eam desiderantes & amplectentes. Sic certamina proponimus iis, qui possunt nos quā maximè ad iuuentutem memoriâ excitare. *ibid.*

Musica pulcherrima est quæ optimos & eruditos delectat, maximè verò si qua vnum virtute & eruditione excellentem. *Plat. de leg. dial.* 2.

Musica non iudicatur voluptate, & hæc minimè vt honesta quærenda est, etiamsi alicubi sit, sed illa quæ similitudinem habet per boni imitationem. *idem, ibid.*

Musicam & optimam Cantilenam qui quærunt, non ea quærenda est, quæ iucunda, sed quæ recta diximus enim eam esse rectitudinis imitationis. *ibid.*

Musica Athenis secundùm quasdam species, & figuras diuisa erat. prima, hymni preces ad Deos; huic contraria, lamentationes; alia pæones: alia Dionysij ortus, qui dithyrambus dicebatur: & alia citharœdica. *Plat. de legib. dial.* 3.

Musicis, & choreæ decretum sit vt præter publicos & sacros cātus & omnem iuuenum choream nemo magis quàm præter quancunque aliam legem sonos edat, neque in saltatione motus faciat; & qui hoc fecerit indemnis abeat; qui verò non paret, eum legum custodes, & vtriusque sexus sacerdotes puniant. *idem, ibid. dial.* 7.

Musica vt non mutetur faciendum est vt Ægyptij faciunt qui singulis constitutis festiuitatibus supputatione factâ per annum, consecrantur omnes concentus, & saltationes, quas singulis temporibus, & singulis diis & eorum filiis, & dæ-

& dæmonibus fieri conuenit, & quam cantilenam cantare in singulis sacrificiis conueniat, & quibus choreis sacrificium honorare, & primò constituere, & quæ constitutæ sunt parcis, & aliis omnibus diis sacrificio facto in communi omnes ciues libando consecrare singula cantilenas singulis diis & aliis: & si quis præter has adducat sacerdotes vtriusque sexus vnà cum legum custodibus sanctè & secundùm legem cohibeant; ei verò qui cohibetur si non vltro cedat, impietatis crimen per omnem vitam quicunque voluerit, impingat. *Plat. de legibus. dial. 7.*

Musices prima lex sit vt cantilenæ vndequaque ea gratissis verbis constent; secundò vt preces fiant ad Deos quibus sacrificamus; tertiò, vt poëtæ, velut qui sciant preces à diis petitiones esse, diligenter animum aduertant ne fallantur vt malum velut bonum petant, ita vt poëta præter ciuitatis leges & iusta, aut honesta, aut bona nil aliud faciat, & vt non liceat ipsi ea, quæ facta sunt, alicui priuato prius ostendere, quàm ipsis ad hæc designatis iudicibus, ac legum custodibus ostensa fuerint, & placuerint; deinde deorum hymni & laudes, quæ societatem cum precibus habent rectissimè canuntur, & post Deos similiter ad dæmones, & heroes cum laudibus preces fiant, prout hos omnes deceat. *Plat. de legibus, dial. 7.*

Musicam à legum custodibus non approbatam nemo canere audeat, etiam si Thamyræ & Orphei hymnis iucundior sit. *Plat. de legibus, dial. 8.* Musicam nosse nil aliud est quàm cunctarum rerum ordinem scire, quæque sit diuina ratio sortita: rerum enim singularum ordo in vnum omnium ars artifici ratione collatus concentum quodammodo diuino dulcissimum, verissimúmque conficiet. *Merc. Trismeg. Asclepius, cap. 6.* Musicæ modi, Æolius simplex, Asius varius, Lydius querulus, Phrygius religiosus, Dorius bellicosus. *Apul. floridor. lib. 1.*

Musicæ sex numeri tantùm sunt apti, epitritus, hemiolius, duplus, triplus, quadruplus, epogdous. *Macrob. in som. Scip. lib. 2.* Musicæ melodiæ tria sunt genera, enharmonicum, diatonum, & chromaticum: primum per suam difficultatem ab vsu recessit: tertium est infame mollitie: vnde medium id est diatonum mundanæ musicæ doctrina Platonis ascribitur. *idem, ibid.*

Musica omnis iucundissima est, eius tamen vtilitas non vbique omnibus est eadem: in bello Orthria in comessationibus Paræneia, apud Lacedæmones Embateria, apud Athenienses Cyclia; in persequendo hostes, quæ hortationis stimulos habet; in fuga, quæ receptum canit. *Max. Tyrius serm. 7.* Musicam hanc humanam quæ animos circuit, quid aliud esse dixerimus quàm pædagogicum quoddam officium quod animæ affectiones moderetur? *Idem, serm. 21.*

Musicam discere nos oportet, & ad eam adhibere auditum; nam vt ad Astronomiam oculi conditi sunt, sic aures ad harmoniam: & vt Astronomiæ incumbentes, ab iis quæ videmus ad inuisibilem essentiam ducimur, sic ab iis quæ audiuntur harmoniæ vocibus ad intelligibilia gradatim accedimus. *Idem, cap. 7.* Musica instrumenta diis antiqui Philosophi in manus dabant, cùm nullum officium perinde arbitrarentur magis diis conuenire quàm harmoniam & concentum. *Plutarc. de anima gener. ex Timæo.*

Musa Terpsichore Iouis est, salutifer enim est choro hominum. *Ficin. in Plat. Ionem.* Musa Polymnia vox est Saturni, propter memoriam rerum antiquarum quam Saturnia exhibet, & siccam & frigidam complexionem. *idem, ibidem.* Musa Vrania vox est cœli stelliferi, per dignitatem sic dicta. *ibid.* Musa Clio est Martis propter Gloriæ cupiditatem. *ibid.*

Musa Calliope vox est ex omnibus resultans sphærarum vocibus. *Ficin. in Plat. Ionem.* Musarum chorus id est anima mundi, & octo animæ sphærarum ab Apolline id est à mente animæ mundi, qui Apollo à Ioue illustratur, ducitur quia mens illa vt à Ioue illustratur sic animas sphærarum mundi illustrat. *idem, ibid.* Musa Erato Veneris est propter amorem. *ibid.* Musa Melpomene vox est Solis, quia totius mundi temperatio est. *ibid.*

Musas cùm dicit Plato, sphærarum animas intellige. *Ficin. in Plat. Ionem.* Musa Thalia Lunæ est propter viriditatem eius humore rebus exhibitam. *idem, ibidem.* Musa Euterpe Mercurij est propter honestam in grauibus rebus delectationem. *ibidem.* Musæ nouem sunt, Calliope, Vrania, Polymnia, Terpsichore, Clio, Melpomene, Erato, Euterpe, Thalia. *ibid.* Musæ quæ poetas afflarunt sunt, Orpheum, Calliope, Musæum Vrania, Homerum Clio, Polymnia Pindarum, Erato Sapphon, Melpomene Thamyram, Terpsichore Hesiodum, Thalia Maronem, Museum Euterpe, Linum Phœbus. *ibid.*

Musæ propter harmoniam ad gratiam conferunt, quarum vna Erato id est amabilis vocatur. *Fic. in Plat. Phædr. c. 6.* Musis tonus obtemperans est. *idem, in Plat. Tim. cap. 32.* Musicam quatuor tantùm planetæ habent, Iupiter, Apollo, Venus, & Mercurius; tres reliqui vocem quidem habent, sed non cantum: sed tardas, graues, raucas, querulas Saturno tribuimus, contrarias Marti, medias Lunæ: concentus graues Ioui, Veneri lasciuos, medios Soli & Mercurio: si cum grauitate, Soli, si cum lasciuia, Mercurio. *idem, de vita cœlitus comparanda, lib. 3. cap. 25.*

Musica diuina apud Platonicos duplex, vna in æterna Dei mente, altera in cœlorum ordine & motibus, qua mirabilem quendam cœlestes globi, orbésque concentum efficiunt. *epist. lib. 1.*

Musica concessa est nobis à Deo ad domandum corpus, temperandum animum, & Deum laudandum. *idem, ibid.*

Musicis sonis Alexandrum regem Timotheus in furorem excitauit, deinde repressit: Empedocles, & Pythagoras lasciuiam, iram, furorem grauiore musica cohibebant, & aliis modulis torpentes animos excitabant. Musica prima in ratione consistit, secunda in phantasia, tertia in sermone, hanc sequitur cantus, cantus digitorum motus in sono, sonum totius motus corporis in gymnastica & tripudio. *Fic. epist. lib. 1.*

Musica diuina est rectus cogitationum, verborum actionúmque concentus. *Fic. epist. lib. 1.* Musici officium est in sono gratiam cantus, in cantu sermonis elegantiam imitari; & animi motus multò magis consonantes esse oportet quàm voces. *Idem, epist. lib. 3.*

Musicus sapiens est qui intelligit quot interualla vocum sunt in acumine & grauitate, & qualia, & terminos interuallorum considerat, & quot compositiones ex istis efficiantur. *Ficin. in Tim. lib. 1. c. 28*

Musicum interuallum significat consonum excessum vocis vnius ad alteram, qui sane excessus pluribus fit modis: nam aut superat vna vox in acumine, & intentione aliam octaua sui parte tonúmque efficit, aut minori parte quàm octaua, & efficit semitonum, aut superat tertia sui parte, quæ proportio epitritus dicitur, & efficit diatessaron harmoniam, aut dimidia parte excedit, quæ proportio hemiolia harmoniam diapente procreat; aut totam se tota his æquat, quæ proportio dupla harmoniam diapason gignit. & sic de aliis. *Fic. in Plat. Tim. lib. 1. cap. 28.*

Musicæ & pulchritudinis illecebris assiduè operam dare possumus, nam reliqui sensus citò replentur. *Fic. in Plat. conuiuium or. 6 cap. 9.* Musici propriè Phthongum vocant vocem harmonicam, id est consonantiæ aptam, quæ neque adeò grauis sit, vt nequeat ab eodem cantore grauior fieri, neque tam acuta, vt edi non possit acutior. *Idem, in Plat. de republica, dial. 3.*

Musici vsque ad proportionem quadruplam procedunt, nam longiori progressione aures offenduntur, & in his rationes perfectæ musicæ continentur. *Ficin. in Plat. Tim. cap. 23.*

Musica consonantia in elemento fit omnium medio, & per motum orbicularem ad aures peruenit, vt non mirum sit eam animæ conuenire tum mediæ rerum, tum motionis principio in circuitu reuolubili. *idem, ibidem. c. 28.*

Musicos concentus si quis tanta arte ac diligentia offeret auditui, quanta oratoriæ artis ve cura, vel sapores gustui, vel mollia tactui offeruntur; procul dubio cognosceremus Apollinem multò magis rapere animum melodia, quàm vel Bacchus vino gustum, vel Venus prurito tactum soleat occupare. *Fic. in Plato Timeum, cap. 28.* Musicum Apollineum cantum originem mundi tam animi, quàm corporis putat Plato, dum fabrum mundi inducit loquentem tum secum ipso ratiocinando, tum ad reliqua imperando; & inde animam natam putat, musica similiter ratione citharam pulsare cœlestem. *idem, ibid.*

Musicus concentus per aeream naturam in motu positam mouet corpus, per purificatum aerem concitat spiritum aereum animæ, corporísque nodum: per affectum afficit sensum simul & animum; per significationem agit in mentem, denique per ipsum subtilis aeris motum penetrat vehementer: per contemplationem lambit suauiter: per conformem qualitatem mira quadam voluptate perfundit: per naturam tam spiritalem quàm materialem totum sibi rapit, & vendicat hominem. *Marsilius Ficinus in Plato. Timeum, capitulo 28.*

Musicæ consonantiæ proportio prima multiplex scilicet accommodatissima est, non enim diuidit, sed & multiplicando restituit, & restituendo multiplicat, nec quærit aliunde mensuram vt superparticularis, sed minor terminus maiorem metitur, nec ab integritate, nec à simplicitate cadit, Superparticularis ab integritate cadit, diuidit

enim, sed seruat simplicitatem, per vnam enim quandam diuidit partem; superpartiens verò non modo amittit integritatem, sed etiam simplicitatem, vbi plures commiscet partes in vnum quiddam restitutioni totius ineptum; ideò consonantiæ inepta est; duæ verò aliæ consonant, magis multiplex maximè dupla. *Fic. in Plat. Tim. cap. 29.*

Musicæ consonantiæ inepta est proportio superpartiens, quia totum diuidit in partem restitutioni totius ineptam. *Ficin. in Plat. Tim. cap. 19.*

Musica optat vel ex ipsa æqualitatis proportione vniuocum, vnisonùmque conficere, vel ex rationali, id est multiplici, & superparticulari inæqualitatis proportione æquiuocum, æquisonúmque conflare. *idem, ibid.*

Musicis concentibus morbi quidam tam corporis quàm animi mirabiliter curari dicuntur. *Ficin. in Plato. Timæum, capitulo 30.*

Musici periti grauissimas voces quasi materias frigidas, acutissimas quasi calidas; mediocriter graues vt humidas, acutas vt siccas, tanta ratione contemperant, vt vna quædam forma fiat ex pluribus, quæ vltra vocalem virtutem consequatur insuper & cœlestem. *idem, ibid.*

Musices & medicinæ principium antiqui Apollini tribuerunt, cùm musicâ harmoniâ & morbi multi curantur, & ambo medicinæ, hæc ex corpore animam curat, illa ex anima corpus. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 30.*

Musica in ciuitate composita ita esse debet, vt omni perturbationum, vitiorúmque incitamento sublato, corpus & spiritum animúmque contemperet. *Idem, in Plat. de legib. dia. 2.*

Musicam magni facit Plato, quia eâ tempestate frequentissimum erat id studium; & quod ab omnibus fit, & continuè, non minorem fermè in animum vim habet quàm aer in corpus. *Idem, in Plato. de legibus, dialog. 3.*

Musicæ exordia non probant multi philosophorum, nam alij illam abiiciunt vt inutilem & noxiam ad adipiscendam felicitatem, alij vt variam & inconstantem. *Io. Fran. Pic. Miran. in examin. vanit. doct. gentium. lib. 1. cap. 7.*

Musica inseruit exercitationi animi, vt Gymnica corporis. *Franc. Patric. de reg. lib. 2. cap. 15.*

Musica ingenium acuit, & aures erudītiores reddit, non modò in fidibus & cantu, sed & in poetarum oratorúmque lectione quamplurimùm adiuuat. *idem, ibid.*

Musicæ inuentorem Macrobius vult Pythagoram, Plinius Amphionem & Cethiona, Lamisus primus librum de musica scripsit. Tubarum inuentores Tyrrheni fuere, & Phrygij Tibiarum. Latini aiunt Apollinem Cytharam solum inuenisse, Mercurium Lyram, Phænicum phistulam. *Francisc. Patric. de republica lib. 2. cap. 2.*

Musicæ magna est vis in mouendis hominum animis, nemo enim adeò hebes est quin ad musicæ concentum moueatur. *Seb. Fox. in Plat. Phædon.*

Musicam sacris adhibebant antiqui Theologi, quòd ea humanos animos concitaret, & ad diuinam contemplationem erigeret. *idem, ibid.* Musica à Socrate in Phædone descripta, non aliud est, quàm meditatio quædam philosophica propter quam animus à corpore segregatur. *ibid.*

Mutabile, Mutatio.

Mutabilem essentiam habet quicquid ab iis quæ mouentur ortum ducit. *Proc. in Eucl. lib. 1 cap. 6.*

Mutabilia ob fabricationem mutantur; Deus non mutatur, non enim fatigabilem habet naturam. *Philo de Cherubim.*

Mutatio est motus. *Plato. in Parmenide.* Mutatio nulla est ita velox, & fortis, quàm quæ fit ex iuuene ambitioso in pecuniarum studiosum. *idem, de republica, dial. 8.*

Mutationes omnes omnium rerum præterquàm malarum longè periculosissimæ sunt, in temporibus omnibus, in ventis, in corporum victu, in moribus animorum, & simpliciter non in aliis quidem, in aliis non item, sed in omnibus præterquàm in malis. *ibid. de repub. dial. 7.*

Mutare ex nonnullis repente incidentibus temerè iudicando nephas est ea quæ multis seculis & operoso labore in sacris comprobata sunt. *Iamb. de myster.*

Mutationes inferiorum cunctæ originem trahunt ex planetarum motu. *Chalcid. in Plat. Tim.*

Mutatum omne quādo primò mutatum est in eo est in quo est mutatum. *Procl. elem. Phy. prop. 21.*

Mutatio nulla initium habet mutationis. *idem, ibid. prop. 23.*

Mutatum omne quod est, in indiuisibili mutatum est primò. *prop. 22.* Mutatio si fuerit secundùm aliquod quantum, primum in ipso accipere non erit. *prop. 24.* Mutationis cuiusuis primum tempus sumatur, in quauis tēporis parte etiam mutationis pars erit. *propos. 25.*

Mutatio omnis temporis spatio agitur. *idem, in Alcib. 1.*

Mutatio quæ fit in animæ creatione, vna videtur esse, & est triplex: quæ fit ex nihilo ad esse per Deum solum, est animæ creatio: mutatio corporis ad vitam ipsam ab anima capienda, formatio quidem corporis, animalis verò generatio nuncupatur. *Fic. Platonica Theologia, lib. 11. cap. 5.*

Mutatio omnis in republica periculosa est, ita vt Socrates & mutationem musices damnet. *Francisc. Patricius de republica, in præfatione.* Mutatio rerum antiquarum plerunque reipublicæ mutationem facit. *idem, de repub. lib. 2. cap. 5.*

Mysteria de Deo, de eius substantia & proprietate, non sunt scribenda, & de his Plato nihil scripsit. *Plato Dionysio, epist. 2.*

N

NARRATIO simplex est cum poeta ex persona sua non imitando alterius personam, carmina profert. *Plat. de republic. dial. 3.* Narratio per imitationem est, cùm poeta non ex persona sua sed alterius carmina componit, vt in tragœdia & comœdia. *idem, ibid.* Narrans aliquid prius apud se repetere debet omnia iustè, postea sic dicere. *in Timæo.*

Natiuitas.

Natiuitatis locus non est spectandus, sed locus in quo quisque moratus est, nec qua ragione, sed qua ratione vitam viuere inierit considerandum est: nam olitori & caponi concessum est olus, & vinum ex nobilitate soli commendare, vinum Thasium, olus Phliasium. *Apul. Apol. 2.*

Natiuitas diurna communiter melior est nocturnâ: illa ex Sole, hæc è Luna speculo Solis iudicatur. *Ficin. de Sole, c. 5.*

Natiuitatis hora æstimata de signo sæpe mentitur, maximè cùm postremis aut primis signi partibus ascēdentibus homo nascitur; tamen aiunt Astrologi mutari non debere signum horæ extimatæ ascendentem. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 9. c. 2.*

Natiuitatis horam per animodar docet reperiri Ptolemæus, cui multi Astrologi repugnant, quæ vita quod sit falsa patet, quia Romæ nascitur Lucius, Florentiæ Fabius, eadem hora, & eodem momento. Liquet Astrologis horoscopum non futurum eundem vtrisque ob diuersam cœli inclinationem; tamen si rationem ex Ptolemæi præceptis inætamus eundem horoscopum faciemus cum vtraque regione plenilunium antecedens, siue nouilunium eadē cœli parte contigerit: quare idē dominator qui thema sit in vtroq. gradum signi possidēs eundem iisdem numeris cardines in vtraque genitura definiet, quod falsū est. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 9. c. 3.*

Natiuitatis horam iuniores ita eliciunt: nam putant Lunæ locū in natiuitate fuisse horoscopum in conceptu, contra Lunæ locum in conceptu esse horoscopum natiuitatis; quo posito methodum tradunt qua putant posse locum Lunæ reperiri cùm semen vterum impleuit, quo reperto similem gradum colligunt horâ natiuitatis ascendere: quod falsum est, & ex mendosa translatione Ptolemæi accidit, qui non de gradu scripsit verum quinquagesimoprimo centum enunciatorum, sed de signo tantum. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 9. cap. 4.*

Natura quot dicitur modis.

Natura sempiterna prima est circa mensuram & moderationem, & opportunitatem; secunda moderatum & pulchrum, & perfectum, & sufficiens; tertia intelligentia, ac sapientia; quarta scientiæ, & artes, & opiniones rectæ; quinta voluptates doloris expertes puras ipsius animæ scientias cognominantes, ac ad sensus sequentes. *Plat. in Philebo.*

Naturâ alius ingeniosus est, alius ineptus, ita vt alter facilè discat, alter difficulter, & alter ex breui disciplina ad multam inuentionem eius quod didicit progrediatur, alter multo studio, ac diligentiâ adhibitis, neque ea quæ didicit, conseruat: & vt alteri ea quæ corporis sunt menti iustè inseruiant, alteri verò aduersentur. *Plato de republica, dialog. 5.*

Natura est summum, medium, infimum; & quia homines nesciunt quid reuera sit summum, medium, & infimum, dum feruntur à summo ad medium, putant se ferri ad infimum, & similiter si ab infimo ad medium feruntur, putant se ferri ad summum. *Plato de repub. dial. 9.*

Natura humana cùm sit duplex, malius est id genus quod posthac viri nomen accepturum esset. Quando itaque corporibus ex necessitate insertæ fuerint, & modò hoc accesserit, modo illud de corporibus ipsarū decesserit, primùm quidē necessa-

necessario futurum esset, vt seorsus vnus omnibus violentarum illic affectionum à natura insitus contingat, deinde amor voluptate, & dolore permixtus, & ad hæc timor, & ira, & quæ hæc sequuntur, & quæ contrario modo natura distant, quibus si dominarentur, fore est vt iustè viuerent, si verò ab ipsis superarentur, iniustè, & quod his qui per conuenient tempus bene vixerit rursus ad commi bernalis syderis habitationem profectus vitam fœlicem habiturus sit; qui verò in his deliquerit, in secundo ortu in muliebrem naturam transiturus sit; qui verò neque sic à malis moribus quiescit quibus inquinatus est iis: iuxta naturæ similitudinem in eiusmodi quandam bestiæ naturam semper mutatur, & dum mutatur non prius ab afflictionibus liberatur, quàm eiusdem, & similis circuitu quem in se habet, multam illam turbam attraxerit, quæ postarius ex igne, aere, aqua, & terra accreuit, & tumultuosa, & bruta existit, eáque per rationem superata ad primam & optimam habitus speciem deuenerit. *Plato in Timæo.*

Naturâ quæ segregata sunt altera existunt; naturâ verò segregatur quod rationem habet & quod rationi subiicitur, si quidem illud circa intelligibilia versatur, hoc circa molesta vel læta. *Alcinous, cap 24*

Natura duplex; altera eorum quæ generant, quæ propriè causa est efficiens eorum quæ generantur, & tempore, naturáque prior est quam res quæ generatur, actúque simpliciter est: altera in ipsis quæ generantur est, quæ aut materia est aut forma, cuius causa agitur, quam etiam compositio priorem fatentur esse ratione atque naturâ. *Bess. Card. in Trapezun lib.6.cap 7.*

Natura tribus modis accipi potest, vt materia, vt forma, aut quæ generatio & ortus vocatur, motio quædam & via tendens ad formam. At Alexander & Themistius & alij efficiens quartum addidere modum, quod ad causam agentem referunt, sed non primam remotioremque sed secundam & propinquiorem vniuscuiusque naturalium rerum demandatam. *Bessarion Card. in Trapezuntium, lib.6.cap.* 8.

Naturæ alia est ratio & orationis, quia natura quo leuior eo est velocior, oratio contra quo velocior eo leuior. *Fic. epist. lib.* 3.

Naturæ gradus sunt, cœlestis, elementalis, simplex composita, rationalis ratione carens. *Idem, in Plato. Timæum, cap.* 2.

Naturæ vniuersæ tria principia posita sunt, opifex Deus à quo mundus saltem eam originem habet, quæ rationis non rei postea appellabitur; materia confusa, & mundi huius exemplar siue idea, ad cuius imitationem materia ab illo in ordinem adducta est, eóque conformata *Iacob. Carpent. in Alcinoo cap.* 10.

Naturę partes primas id est vniuersales alij sustulere, alij reliquere, alij an relinqui tollive debuerint dubitauere. De toto, & de parte varia inter Stoicos, Epicureos, & Peripateticos pugna, de corpore motu loco tempore generatione corruptione varię opiniones *Ioan. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen lib.* 1 *cap.*8.

Natura quid est, & an consultat.

Naturâ sagax est qui facile quæcunque discit, intelligit, & multa valde ac firmiter memoriâ complectitur, & quid quod vnicuique commodum est recordatur prout fieri decet, & hoc citò facit. Hæc omnia alij naturam, alij sapientiam, alij sagacitatem appellabunt, at sapientem reuera neminem ex his appellabit. *Plato in legum appendice.*

Naturæ optimæ difficillimè quidem sunt, sed cum magnâ vtilitate fiunt, & si proueniunt, & educationem & eruditionē conuenientem adeptæ fuerint, facilè est vt dicant de dijs prout & quando oportet; & circa sacrificia item & expiationes erga deos & homines, non habitu, & gestibus simulent; sed reuera virtutem colant, quod sanè omnium maximum est ciuitati. At si quis docuerit & non iusto modo docuerit, melius est vt quis non discat. *idem, ibid.*

Naturæ vitium dicitur quod incidit præter naturam, vel priuatio naturalium. *Dion. Areo. de diu nom.*

Naturâ quòd existit ex definita quadam causa nascitur; at si malum non habet causam definitam non existit secundùm naturam; & quod præter naturam est, non est in natura, nec in arte est id quod accidit præter artem. *idem, ibid.*

Natura nulla eadem est prout in suo fonte est, & prout in alio, vbi à sua origine iam destituta dignitatem speciei actúsque non retinet *Plotin. En.2 lib.6.cap* 3. Natura est sapientiæ imago. *idem, En.4.lib 4 cap.*13 Naturam aliam præter corpora esse necesse est, quæ ex seipsa esse habeat, & tale est quod verè ens iudicatur, quod nec fit nec perit, alioqui omnia alta dilaberentur hæc motus principium est, exhibens alijs motionem, mouens tamen ipsam, & vitam animato corpori præstans ipsa ex se possidens, nunquam amissura, vt quæ à seipsa habeat. *Idem, En 4.lib 7.cap* 9.

Naturæ ordo lex est omnium antiquissima *Philo de Abrahamo.*

Naturam non esse rerum causam primam, ait Plato, sed esse causam aliam naturâ priorem, quæ ratione & consilio omnia agat, & ad finem perducat. *Bess Card in Trapez. lib 6 cap 2.*

Naturam consultare id intelligimus, vt ratio & intelligentia princeps, & naturæ insistens animaduertat ea, quæ certa & explorata sibi meliora habet, celerique intuitu quasi concepta peragat sua negotia longè consultius, quàm humanum agere queat ingenium. *Bess. Card in Trapez. lib 6.cap.*5.

Naturam suâ intimâ facultate nihil cogitare, vel consultare Platonici asserunt, sed hæc menti siue intellectui exteriori tribuunt, qui præsit, insistat, incumbat naturæ, atque officia dirigat. *Bess. Card in Trapezuntium, lib.6.cap.* 5.

Natura est concausa, instrumentalis scilicet *idem, ibidem, capitulo* 8.

Natura vniuersalis dicitur instrumentum animæ mundi. *Ficin. Plato. Theolo lib* 18 *cap.* 3.

Naturam vniuersalem Platonici virtutem quandam vitalem, & viuificam omnibus corporibus insitam arbitrantur, appellántque quoddam animæ mundanæ vestigium. Dionysius vt arbitror appellauit naturam diuinæ prouidentiæ instrumentum *idem, in Dion. Areopagit. de diuinis nominib.*

Natura diuina ab Orpheo infinitus finis cognominatur. *Ficin. Plat. Theol. lib.2.cap* 4.

Natura est ars intrinsecus materiam temperans. *idem. ibid. li.*4 *cap.*1.

Natura vt se habet ad corpus sic anima ad naturam. ergo vt in vniuerso corpore natura vniuersalis est vbique, ita in vniuersa natura vbique vniuersalis est anima. *ibid.*

Natura vel Dei ars est, vel Dei artificiosum organum. *Ficin. in Plato phileb lib.*1. *cap* 2.

Naturæ opera omnia à diuina sapientia mundo infusa sunt. *idem, in Plato. sophista.*

Natura simplex esse debet supra rei compositę multitudinem: ab vno numerus, à simplici compositio omnis conflatur. *idem, in Plato. conuiuium, or.* 6. *cap.*15.

Natura in mundo talis est, qualis in homine est potentia vegetabilis; & vt in homine vegetali præest sensitiua, ita & in mundo naturam similem, sed communissimam, in fontem redige sentiendi quasi similem, sed communissimam. deinde, & in homine sensum in rationem, rationem in intellectum, in mundo similiter sentiendi genus in rationalem naturam, atque hanc in genus intellectuale reducas. *Fic. in Plato. de republica dia.* 10.

Naturam depingit hic Plato sub lumine columnari, quod sit vinculum vniuersi, naturam intellige vitalem, seminariamque virtutem ab ipsa mundi anima infusam materiæ mundi, quæ dicitur lumen, quia penetrans & vitalis est: dicitur columna, quia quasi per longum totam materiam vbique penetrat, & multos formarum gradus producit species & genere deinceps differentes: & dicitur extendi per omnem partem, quia tota vndique adest. *Ficin in Platon. de republica, dial* 10.

Natura in generali, corporeæ machinæ omnium sunt specierum semina, certis non solùm formis & modis, sed temporibus quoque pullulatura; & similis est in qualibet speciei natura seminalis ordo, sed ad speciem propriam propagandam & seruandam. & similis fontes in quolibet indiuiduo ad singula temporibus proprijs, & modis propaganda. Sic fermè se habet fatum & in mundi anima, & in duodecim sphærarum & siderum animabus. *Fic in Plat de rep. dial.* 10.

Natura est diuinitatis instrumentum. *Mar. Ficin. in Platon. Timæum, cap* 1.

Natura rerum ex rationali animæ mundo quasi calor è splendore resultat *idem, ibid. cap* 11.

Natura formabilis formationis corporeæ gratiâ, & corporeâ formatio gratiâ animæ tanquam finis diuinitus instituta est. *ibid. cap* 20. Naturæ nomine, vel vegetationis comprehenditur animæ vis connectendi, & generandi. *ibid cap.* 33. Natura nil aliud est quàm diuinæ prouidentiæ infimum instrumentum. *idem, in Plato, de leg. dial* 1.

Natura & voluntas idem est in diuinitate, neque voluntas naturæ aufert quod proprium est naturæ, nec natura voluntati proprium *Fic in Plotin En* 2. *lib.*9. *cap* 3.

Natura est instrumentum prouidentiæ. *idem, in Plot En.*3. *lib.*2 *cap.*5.

Natura genitalis est quidam intelligentiæ terminus, vt quod in ipso sui summo est intellectuale, sit in eiusdem imo genitale. *idem, in Plotin En.*3. *lib.*4 *cap* 2.

Natura genitalis simul cum animæ essentia est sempiterna, etiamsi eius intermittitur affectus: est & in se indiuidua, quàuis per corpus videatur esse diffusa, vt per aerem indiuis

bile lumen; indiuidua est: quia omnis virtus seminalis est in omni gradu seminis, vbi ea vno seminis iactu multa generantur. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 4. cap. 5.* Natura est forma, quæ eo spectat, vt informet materiam, formisque mirabiliter exornet. *idem, in Plot. En. 5. lib. 5. c. 1.*

Natura vniuersalis est verum generationis vbique principium, forma verò materialis quia formarum est vltima, formale nihil propriè generat. *Fic. in Plot. En. 3 lib. 8. c. 1.* Naturam vniuersalem, & primam vocat Plotinus incorpoream formam non subiectam motibus, sed præsidentem, à qua corporales qualitates, & motus duci vult: formam inquam substantialem & vitalem, quæ nec vlla sit corporum qualitas, vt possit omnes pariter procreare, nec solo impetu motus agat vt disponere possit omnia moderamina certo, sed agat sua quadam ratione formali, & naturali quadam arte: huic parent motus, & qualitates, vt instrumenta. *idem, ibid.*

Natura particularis in quolibet viuente non eget ad motum, & generationem consilio, vel machinis vllis: multò minus vniuersalis natura his eget, sed omnia facit & moues facultate mirabili. *Ficin. in Plot. En. 4. lib. 3. c. 10.* Natura omnis quoniam præter primum infinitum simplicissimum multiplicabilis est, ideò in genere intellectuali multi sunt intellectus, in genere animali multæ animæ, in ordine animarum multæ sunt intellectuales, quales sunt cœlestes, dæmonicæ, nostræ. *idem, in Plo. En. 4. lib. 8. cap. 3.*

Natura corporis genitrix vt non est corpus, sic intellectus pater animæ non est anima, sic bonum intellectus ipsius pater non est intellectus, nec intelligibilis mundus, sed simplicius & sublimius, similiter excelsius ente. *Ficin. in Plot. Enn. 5. lib. 3. cap. 16.* Natura in homine aliud est per quam generat similem, aliud ars & prouidentia, per quam artificiosa facit: at in opifice mundi vita eadem est intelligentia simul & natura. *idem, in Plotini En. 6. lib. 8 cap. 17.*

Natura est velut liber vnus diuinitate plenus, diuinorúmque speculum. *Ficin. in Trismegist. Pimandrum, cap. 3.* Naturam Ægyptij magnam appellarũt, vim ipsam magicam in attractu quodam similium per similia, vel conuenientium per conuenientia collocantes. *idem, in Plato. Apologiam.*

Naturam mediam nullo modo melius indicare possumus quã si extremorum naturam exprimamus, nam media natura ex extremis temperata est. *Ioan. Pic. Miran. in Heptaplum, lib. 5. cap. 2.* Natura si est rudimentum gratiæ, & philosophia est inchoatio religionis, neque est philosophia, quæ hominem à religione remoueat. *idem, in Heptaplum, lib. 7. in proœmio.*

Natura non est tam nouerca, vt quæ nocitura sunt bono odore, & sapore faciat. *Francisc. Patric. de regno, lib. 7. cap. 9.* Naturæ sola illa contemplatio est laudabilis in qua omnia ad Deum referuntur, vt ex variis rebus effectis tanquam vmbris vera cognitio quæratur. *Iacob. Carpent. in Alcinoi præfatione.* Naturam vniuscuiusque rei talem dicimus, qualis res omnis genita & perfecta. *idem, in Alcin. 1. digress. de analytica methodo.*

Natura est Dei inuentum. *August. Steuch. de perenni philosophia lib. 7. cap. 15.* Naturæ definitio malè ab Aristotele tradita est, motum cum quiete tangendo, cùm corpora cœlestia naturalia sint, & nunquam quiescant, & ignis semper moueatur. *Ioan. Franc. Pic. Miran. in exam. vanit. doct. gent. lib. 1. c. 2.* Naturæ solertia miráque prouidentia est. *Leo Heb. de Amo. dial. 1.*

Natura quid facit, quæ fiunt, & in quibus.

Naturâ quæ fiunt arte diuinâ fiunt, quæ ab hominibus componuntur arte humana. *Pla. in sophista.* Naturam gignere quæ fiunt à causa spontanea, & absque mente, vulgi detestanda opinio est. *idem, ibid.* Natura duo in se habet, vt alterum semper alicuius rei gratiâ est, alterum cuius gratiâ id quod alicuius gratia fit semper fit: generatio essentiæ gratiâ fit. *in Philebo.* Naturas præstantiores in generoso genere nasci verisimilius est. *in Alcib. 1.* Naturâ vnusquisque ad id quod sibi simillimum est fertur. *de legib. dial. 6.*

Naturis singulis effici qui animaduerrit, discursu rationis id non apprehendit, semper intellectualis formæ plus habens quàm vel ipse rationis ordo concipiat vel pariat. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 54.* Naturæ necessitate cuncta ex vno fonte manantia in vnum quoque confluunt. *idem, En 3 lib. 7. cap. 1.*

Naturâ quod comparatum est vt sit in alio, illo non existente nunquam fiet. *En. 3. lib. 6. cap. 14.*

Natura per seminales rationes omnia format, & vt prolem alteram generat rationem dum subiecto tradit aliquid, permanens tamen interim in seipsa. Ratio secundum visibilem formam extrinsecus edita, vltima iam est, vitáque caret, ideóque nec potest aliam vlterius facere rationem: at ratio vitam habens penes formæ factorem, & quasi soror & ipsa eandem potentiam habens rationem gignit in effectu postremam. *Plotin. Enn. 3. lib. 8. cap. 1.* Natura nec manus nec pedes habet nec aliud instrumentum vel aduentitium vel cognatum; materiâ verò opus esse in qua faciat quámve ponat in specie, fermè vnicuique constat. *idem, ibid.* Natura vniuersi omnia mirabili quodam artificio fabricas ad illorum imitationem, quorum possidet in se rationes. *Plotin. En. 4 lib. 3. cap. 55.* Natura in materiam agens interim aliunde patitur. *Idem, En 4. lib 4. cap. 13.*

Natura nihil nouit, sed efficit tantùm, tradens absque electione sequenti quod habet, corporeo materialique subiecto largitur, & solum hanc actionem habet, ideò imaginationem non habet. *Ibidem.* Naturæ in ordine aliquid constitutum esse, & nihil posse, absurdum est; nam ens natura vel agit, vel patitur, & quibusdam agit solùm, aliis vtrumque. *ibidem, cap. 35.*

Natura optima si considerari debet, omnia sunt omittenda, nullo enim indiget adiumento; quidquid enim adiunxeris, naturam nullius egenam addendo diminues, nihil enim in se introducit sed sufficit ipsum. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 41.*

Natura quod ligauit, hoc & soluit. *Porph. de occasione.* Natura corpus in anima deuincit, anima verò seipsam in corpore: quamobrem natura corpus ab anima separat, anima seipsam à corpore segregat. *Idem, ibid.*

Natura varietate delectatur. *Max. Tyrius, sermo. 32.* Natura & vno simul tenore, & actione simplici proprium peragit opus. *Iamblic. de mysteriis.* Natura præstantior curare debet deteriorem. *Syn. ſi. de somn.* Natura nihil è terra genitum consistere permittit absque humida essentia. *Phil. de mundi opificio.* Naturæ lex iubet opificem operis sui curam habere debere. *Idem, de præmiis & pœnis.*

Naturæ optimæ hæc est ratio, vt nisi rectè instituatur vitiosior euadat quàm ea quæ à natiuitate vilis est. *Bess. Car. in Calum. Plat. lib 4. cap. 3.* Natura vt ars, vt ait Aristot. 2. physicorum, omnia alicuius gratiâ facit, sed nihil consultò agit. *Idem, in Georgium Trapez. an. lib. 6. cap. 1.* Natura etsi per se ipsa nihil consulat aut deliberet, intellectus tamen vniuersus qui rebus omnibus ex natura nascentibus insistit, & naturâ ipsam in finem dirigit, consilio præditus est. *ibid. cap. 2.*

Natura, & appetitio nunquam opus nouum aliquod aggrediuntur, nisi quando natura variè afficitur, & appetitio variè lacessitur: intellectus verò, ac voluntas etiam in homine nouum opus inchoat sæpe absque propria nouitate. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 8 cap. 1.* Naturæ intentio in generando ad perpetuitatem saltem speciei dirigitur. *idem, ibid. lib. 18 c. 9.*

Naturis ex diuersis inclinationes diuersæ nascuntur: & eo ipso, quod animam videmus tum ad æterna tum ad temporalia vergere, eam ex vtrisque naturis constitutam esse cognoscimus. *Fic. epist. lib. 5.* Naturæ intentio duo hæc in omnibus pariter curat, & commoditatem, & ornatum. *idem, in Dion. Areopag. de diuin. nom.* Natura elementalis multa non potest facere, quæ naturæ cœlestis virtus facere potest, & multa sunt in auctoritate rectoris cœlorum supra vires cœli. *ibidem.*

Natura potest vel per diuersa media, vel ex diuersis materiis diuersa facere; sublata verò mediorum, materiarúmque diuersitate, vel vnicum, vel simillimum operatur, nec potest quando adest materia non operari. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. cap. 11.* Naturæ opus est naturæ mens in materia coniuncta. *Idem, Plato. Theol. lib. 4 cap. 1.* Naturâ quæ fiunt determinatis mediis perducuntur ad finem, vnde semper eodem penè modo proueniunt. *ibid. lib. 9 cap. 4.*

Natura non facit ex quolibet quodlibet, nec ex nihilo aliquid, sed certæ res certis egent seminibus. *Fic. Plat. Theol. lib. 5 5. cap. 3.* Natura terminata naturam interminatam generare non potest. *Idem, ibid. cap. 4.* Natura vna duas habens dissimiles vires, cùm in actum vnius nimis intenditur, ab alterius actu fermè desistit: ideò conuiuæ acutè audire lyram simul, & epulas gustare via possunt. *ibid. lib. 5 5. cap. 8.* Natura in singulis speciebus multa non salutis omnino, sed etiam ornamenti gratiâ facit; & finis omnium non solùm est vt sint, sed vt bene sint. *ibid. cap. 13.*

Natura agit vi superioris essentiæ omnium seminum, quæ in natura sunt; & in ea essentia sunt rationes quas ideas vocamus. *Ficin. in Plat. philob. lib. 5. cap. 18.* Natura id est vis generandi per se mouetur cùm animæ per se motæ vis quædam sit: moueri in alio dicitur, quia in mole corporis est omnis eius operatio: corpus enim nutrit, & auget, & generat. *idem in Plat. conuiu. orat. 2. cap. 3.* Naturas rerum si quis diligenter explanauerit, inquit magnus Theodorus, inueniet non solùm animas & mentes, sed quodammodo omnia, excepto primo, adorare & fouere. *Idem, in Plato. Tim. cap. 6.*

cap.6. Natura inferior per plura facit, superior per vnum fecit. *Fic. in Plot. En.1.lib.4.cap.3.*

Natura humana non esse, & viuere per se appetit, sed vt bene sit, & bene viuat. *Idem, in Plot. En.1.lib.7.in arg.*

Natura vt corpus animæ alligauit, ita permittat naturæ ad soluendum corpus ab anima; quod primum est Pythagoreorum præceptum. Secundum, sicut voluntas nostra ligauit intentionem animæ corpori, ita intentionem hanc voluntas soluit à corpore, & soluat semel, nec permittat vlterius alligari. *Idem, in Plot. En.1.lib.9.cap.1.*

Naturâ quæ gignuntur, atque mouentur, præcipuè fiunt atque ducuntur, tum à seminarijs rationibus vniuersæ naturę, tum à rationibus plurimum seminibúsque proprijs, vniuersę naturæ minimè dissonantibus. *Fic. in Plot. En.2.lib.3.in libri summa.* Natura si absque ministerio aliquo consilij materiam format continuè, multò magis mens naturam sibi coniunctam format absque consilio. *Idem, in Plotini Enn.5.libro.3.cap.17.*

Naturam propriam vniuscuiusque rei absurdum est ex pluribus simul congerere qualitatibus, præsertim vbi quælibet earum seorsum est communis, alioqui ex inferioribus & quæ neque essentia sunt, fieret essentia. *Fic. in Plot., En.2.lib.6.cap.2.* Natura in vnoquoque genere prima vt fœcundissima per se facit in eo genere quæ sequuntur, multo magis essentia, & vita prima nullo præter essentialem vitam adminiculo indiget, quo reliquum essentias generet, atque vitas, sed eo ipso propriè quo ipsa est, viuitque; cætera illinc essentiam sortiuntur & vitam. *Idem, in Plot. Ennead 3.libro 2.cap.2.*

Natura dum agit in materiam, pati dicitur non à materia, sed ab anima, anima verò non tam patitur à mente, quam se agit ad ipsam. *Fic. in Plotin. En.4.lib.4.cap.13.* Natura vniuersalis id est viuifica quædam virtus animæ mundanæ omnium plena seminum adest corporibus omnibus ex se genitis, non tanquam qualitas quædam his permista, factaque horum propria, vt calor aeris, sed tanquam actus animę quodammodo separatus, separabiliterque præsens vt æris lumen. *Idem, ibid.cap.14.*

Natura quoniam non per aliquid additum essentię sicut ars, sed per essentiam agit, ideò in essentialibus rationibus varietatem generandorum meritò continet. Tota igitur singularum rerum dispositio in anno mundi transigenda designata est ab initio in mente opifice mundi, & in mente animę mundanæ eiusdemque natura. *Fic. in Plot. En.5.lib.7.cap.3.* Natura nec aduentitio quodam habitu, nec extrinsecus elaborans, vt ars, sed essentiâ suâ intrinsecúsque dominans facinate mirâ exhibet materiæ pulchritudinem. *Idem, in Plot. En.5.lib.8.cap.2.*

Natura nihil temerè agit, sed boni alicuius consequendi gratiâ. *Io. Fic. Mir. in Heptap.lib.2.cap.1.* Natura deterior quicquid à meliori participat, & quod inde exit, & quod pro captu conditionem suscipientis admittitur, necessariò fit, & quoquomodo aliud, & quàm sit ea origine sua prima deterius; aliud, quia naturę peregrinę & alienę miscetur inferius, quia deteriori & inficit & confundit quod loco meliore susceperat cùm afficiatur colluuione multarum affectionum. *Idem, in Astrol.lib.3.cap.6.*

Naturâ quod fit à suo simili fit. *Gab. Bur. de idea, lib.1.* Natura rerum, vt aiunt Pythagorici, constat ex numeris & ex vnitatibus, qui numeri intelligendi sunt ideæ. *Idem, de ente & uno, lib.2.*

Naturæ opera vt sunt Dei opificis, & in illis diuinæ intelligentiæ quædam imago, sic artificialia quæ vel solâ rerum naturalium imitatione constant, vel ab ingenio naturali, arte tamen exculto laborantur, quamquam propriè ideas non habeant; ratione tamen hominis in his opificem Deum imitantis illas quodammodo habere videntur. *Iacob. Carp. in Alc.2.digr.*

Natura vt materia.

Natura omnia corpora suscipiens, id est materia, ex sua potentia non excedit, nam & semper omnia suscipit, & formam nullam vnquam vllis ingressorum similem vllo modo accipit: effigies enim omnibus à natura posita est, mouetúrque ac figuratur ab ingressis; apparet autem propter illa, alias alia: at ingressa & egressa, eorum quæ semper sunt simulacra sunt, expressa ab ipsis modo quodam mirabili, & qui difficulter enarrari potest. *Plato in Timæo.*

Naturæ elementa ex Dei voluntate manarunt, quæ verbum complexa, pulchrumque intuita, mundum ad eius exemplar, reliqua sui ipsius elementis, & vitalibus seminibus exornauit. *Merc. Trismegisti Pimander, cap.1.* Natura quæ est in seminario mundo, euadit in hoc corporeo mundo, si fingas dimensionem, materia. *Fic. in Plot. En.2.lib.4.cap.12.*

Natura vt compositum.

Natura mansueta & animosa contrariæ sunt. *Plato de republica, dial.2.* Natura philosophica mansuetudinem habet, & si ipsa magis remittatur mollior, quàm decet fuerit, si verò rectè alatur, mansueta & moderata. *dial.3.* Naturæ eidem eadem studia tribuenda sunt, diuersæ diuersa. *dialo.5.* Naturam inconcinnam & indecoram ad immodestiam trahere debemus. *dialo.6.* Natura debilis nunquam magnorum siue bonorum siue malorum causa est. *ibid.* Natura optima in alieniore alimento constituta peius agit, quàm mala. *ibidem.*

Naturam humanam non diuinam accusare debent homines si quid fit ad malum declinare: quæ humana natura eandem vitam non iustè distribuit. *Plato in legum appendice.* Naturâ quidam homines sunt maximè seruiles, nihil de futuro soliciti, at moderatissimè omnia faciunt, vt apud posteros bene audiant: ex quo ego coniecturam accipio esse mortuis aliquem sensum eorum quæ hic geruntur. *Idem, Dion.epist.2.*

Naturam conseruare non est malum, imò malum est naturæ corruptio, & debilitas, & naturalium qualitatum, & actionū, & virium defectus. *Dion. Areop. de diuin.nom.*

Naturâ quæ constituuntur nihil habent dissonum, sed ipsem quoque materiam ad effectus ipsius intentionem esse oportet prorsus accommodatam. *Plotin. En.2.lib.1.cap.2.* Natura in cæteris animalibus pro membris principalibus eligit meliora. *Idem, En.2.lib.1.cap.4.* Natura humana licet non sit aduentitia vniuerso, in eius tamen ordine numeratus est talis quidam aut talis; & sicut homo est dominus ad hæc vel illa potius eligenda, in ipsa tamen electione cum vniuerso ordinatur. *En.3. lib.3.cap.3.* Natura omnis ab vno dependens quodammodo composita est ex positiuo & priuatiuo. *Gab.Bur. de animi natura, lib.3.*

Natura vt ad cognitionem pertinet.

Naturas rerum qui scrutantur, & singulas in disquisitionem vocant magna cum diligentia, similes sunt puteos fodientibus, nam & illi fontes latentes inquirunt, & vt illi aquam sæpe non inueniunt, sic hi quamuis docti suam accusant ignorantiam. *Phil. in plantatione Noe.* Naturæ secreta vel semper vel frequenter mathematicis rebus occultare studuit Plato. *Gab. Bur. de animi natura, lib.3.* Natura semper homines impulit ad cognitionem & cōfessionem vnius Dei. *Aug. Steuc. de per. phi.lib. 3.cap.2.* Natura nos ducit ad cognitionem Dei. *Idem, ibid.lib.6.cap.9.*

Natura vt diuina, & intelligibilis.

Natura intelligibilis continet sua quælibet, vt partes; æternitas verò simul complectitur totum, non vt partem sed quoniam eiusmodi omnia per ipsam dicuntur æterna. *Plot. En.3.lib.7.cap.1.* Natura duplex, intelligibilis & sensibilis. Satius est animæ in intelligibili viuere, & necessarium est cùm eiusmodi naturâ prædita est sensibilem quoque naturam participare, nec grauiter ferre debet, si non sit optimum, cùm medium ordinem tenuerit, & cùm diuinæ sortis sit particeps in vltimo intelligibilium posita sit velut affinis naturæ sensibili, & de suo aliquid illi tribuat & inde aliquid recipiat, nisi propriâ integritate seruatâ gubernet. *Idem, En.4.lib.8.cap.7.*

Naturę incorporea semper subitò vbicunque vult adest, nullo alicubi prohibente. *Iamb. de myster.* Natura diuina cùm propter absolutissimum & infinitum actum sibi proprium nullo modo multiplicabilis sit, adeò maximè vnum vnificúmque est, vt quæcunque sibi tribuantur sub vna sibi vendicet forma, idcirco etsi pater ibi, & filius & spiritus nominetur, non tamen naturalis ibi forma minus est vna. *Fic. in Dion. Areop. de diu.nom.*

Naturam intelligibilem, & essentiam in quolibet intellectu diuino seu primo, seu sequente, eiusdem intellectuali virtuti nos præponimus, multitudinémque partium, vel virium, vel formarum vtrobique locamus. *Fic. in Plat. Parm. cap.95.*

Natura animalis si pro natura intelligibili regnat, cognitio aliqua huic quidem competet, alteritas identitas, similitudo, dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, & cęterę ferè omnes oppositæ passiones. *Idem, in Plat. Parmen. cap.37.*

Natura proprietas, & vt se habet ad legem, & fatum.

Natura & lex non sunt contrariæ. *Plat. in Gorgia.* Naturę vel habitui repugnare arduum est. *Ficin. Platon. Theolog. lib 16. cap.7.* Natura, inferior proprietatē, & formām superioris absq; superioris actione cōsequi nequit. *Idem, ibi.lib.18.cap.8.*

Natura communiter prior est & simplicior quàm persona: at si persona plerunque vnitatem suam seruat in multitudine naturarum, multò magis & cōuenientius natura potest singularem vnitatem suam in personarum numero seruare. *Ficin. in Dion. Areop. de diu.nom.*

Naturâ quod alicui inest, semper cum natura adest. *idem, ibidem.*

Natura superior vbi tangit inferiorem, ibi ex infimo sui gradu supremum inferioris attingit. *Ficin. Plat. Theolog. lib. 2. cap. 5.* Natura in rebus necessariis non deficit, nec abundat in superfluis. *idem, ibid. lib. 3. cap. 3.* Naturam prorsus exuere difficile est. *ibid. lib. 14. c. 10.*

Naturæ suæ in proprietate ipsa cùm res manere appetunt, nec cum aliente temerè commisceri atque confundi volunt, pacem & ad se, & ad alia cupiunt. *Ficin. in Dion. Areopag. de diu. nom.* Natura in rebus vel infimis, vnionis præ cæteris auida, vacuum nusquam patitur, multò minus in ipso rerum superiorum ordine vacuum tolerabit. *idem, in Plato. Parmenidem, cap. 84.*

Naturæ suæ virtutem vnumquodque habet secundùm ea quæ substantiam suam constituunt. *Ficin. in Plat. Phileb. lib. 1. c. 37.* Naturæ vis ad duo simul opera fermè non sufficit. *idem, in Plato. conuiu. or. 6 cap. 9.* Naturâ quod est, penitus extirpari non potest. *ibid.*

Natura generosa absque recta cultura, & semper inutilis fit, & sæpissimè noxia. *Fic. in Platon. de repub. dial. 6.* Naturæ cum fato tanta cognatio est, vt vix inter se à philosophis discernantur. *idem, ibid. dial. 10.* Natura vniuersi, & ipsum vniuersum non ex se consistit, sed ex superiori & diuina causa pendet. *idem, in Plato Timæum, c. 2.*

Natura ex Deo manans si quasdam rebus quibusdam conuenientes proprietates cum superis inseruit, per quas quodammodo ad superos sese vertant, ceu ad Solem solaria, ad Lunam lunaria; multò magis animarum pater sapientes ad se vires eis impressit, quæ in primis in diuina quadam vnitate intellectu superiore, necnon in ipsa intellectuali reflexione sitæ videntur. Ipsam verò nostram in Deum restitutionem adoratio supplex hinc orta absolutè consummat diuinam in nos beneficentiam naturali trahens congruitate, copulans adoratores cum adorato, coaptans superiorum intelligentiæ vouentium preces, mouens voluntatem eorum, qui bona in se omnia complectuntur, ad bona nobis ad votum impartienda diuinæ persuasionis effectrix nostra omnium in superiorum stabiliens firmitate. *Ficin. in Plato Timæum, cap. 6*

Natura vniuersalis, id est vniuersi tota seminaria ratio, vt præest particulari naturæ, id est suæ cuiusque viuentis seminariæ rationi hæc verò perpetuò præsidet, mobilique generationis officio, sic intellectus communis, & agens intellectui proprio rursus agenti, hac ratione quasi iam patienti, vt inter agens commune, patiénsque proprium, sic proprium agens medium sortiatur. *Fic. in Plot. En. 1 lib. 4 c. 9.*

Natura tum speciei tum indiuidui generantis plus valet ad ipsam substantiæ naturalisq; qualitatis proprietatem, quàm cœlestis influxus. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3 c. 12.* Natura in necessariis non deficit. *idem, ibid. cap. 16.* Natura omnibus tributum est, vt sicut mouentur ad bonum, sic & in bono quiescant. *ibid. lib. 9. cap. 1.*

Natura nec superuacua patitur, nec caret necessariis. *Ficin. in Platon. En 3 lib 2. cap. 1.* Naturæ intentio eousque extenditur quousque porrigitur naturalis virtus. *idem, ibid. c. 9.* Naturas proprias non aufert rebus diuina prouidentia. *ibid.*

Natura ipsa vniuersalis tanquam superioris intelligentiæ verbum musicâ ratione prolatum oppositas inter se voces suas virtute proportionum reddit amicas, ac ita tota sic est vnum, vt musica tota, totáque tragœdia ex contrariis in vnū conciliata concentum, atque decorem. *Fic. in Plot. En 3 lib. 2. cap. 16.* Natura plura continet in se rerum semina, quàm mens ideas. *idem, in Plot. En. 3 lib. 2 c. 17.*

Natura, id est vita ab anima dependens in se habet rationes omnes formarum naturalium productrices, ipsaque in ea ratio quælibet non notio quædam est, ex argumento, vel indagine quandoque concepta, sed essentialis actus essentiæ, & proprietas non differens ab esse tali quodam atque tali. *Fic. in Plot. En 3. lib. 8. cap. 1.* Natura se habet ad animam vt lumen ad Solem, forma verò materialis ad naturam vt calor ad lumen, ex lumine genitus in materia. *idem, in Plot. En. 4. lib. 4 c 14.* Naturæ singulæ in quolibet viuente vt dependent ab vna totius natura communi, sic omnes mundanæ naturæ ab vna communi totius mundi natura dependent. *ibid.*

Naturæ proprietate seruatâ vbique conatur Plotinus omnia ad vnum quiddam redigere quantum fieri potest; nec suspiceris Plotinum nolle distingui animarum essentias inter se, quod omnibus suis libris aduersaretur; ad vnum inquam id est ad communionem affectionis, actionis, & passionis, vt concors in vniuerso harmonia conseruetur, & traductio virtutis, & actionis mutuò, faciléque per singula fiat, quod fieri non posset, nisi singulæ animæ quamuis seruatâ essentiæ distinctione contineantur, & regantur ab vna, fermè vt virtutes omnes membrorum à virtute cordis, & à ceruice nerui. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 9 c. 5.*

Naturæ imperfectæ ertogat dignitatem multiplicibus distingui, & insigniri proprietatibus, perfectæ verò derogat; cui proprium est, simul in vno possidere quod diuisim possident inferiora. *Io. Pic. Miran. in Astrolog. lib. 3 c. 24.* Naturæ proprium est ad vnum tendere. *Ioan Francis. Picus Miran. de prænotione, lib. 5. cap 8.* Naturæ proprietates docet Theophrastus tribus modis cognosci, in libro de saporibus, odore, colore, & sapore. *idem, in exam. vanit. doctrinæ gentium, lib. 5 cap. 6*

Natura proprium cuique optimum, & iucundissimum est. *Gab. Barat de homi felic. lib 6.* Naturæ ordine prius est quod genesi posterius est. *Iacob Carpen. in Alc in 1. dig. de analyt. methodo.* Natura paucis & finitis delectatur, non infinitis. *Aug. Steuch de perenni phil. lib. 7. cap 2.*

Natura cunctis gratificata est quid proprium, etsi aduersi aliquid dedit, remedia quoque quibus incommoda lenirent leuarent, non denegauit. *Aug. Steuch. de perenni phi. lib 7. c. 22.*

Naturæ difficultates omnes superat vis diuina. *idem, de perenni phil. lib. 9. cap 26.* Natura voluit solùm quæ optimus ordo & ratio depoposcerint. *M. Ant. Natta de pul. lib. 4.*

Natura modicum efflagitat, libido immensum, vt nemo pauper sit, nisi qui pauperem se esse putat, optima illius vita qui ita se instituit vt paucis egeat, nullo enim egere Dei est. *M. Anton. Natta de pulchro, lib. 4.*

Naturalia.

Naturalium rerum verisimiles rationes de metallorum ortu si quis persequetur, non pœnitendam voluptatem assequetur, & moderatum ac sapientem lusum in vita exercebit. *Plato in Tim.* Naturalia omnia inter se sunt quadam pendentiâ vnius ab altero ordinata; quorum quando corrumpitur posterius reuertitur ad proximum prius, donec perueniat ad cœlos, deinde ad animam vniuersalem, postea ad intellectum agentem, quo omnes aliæ creaturæ existunt, & qui existit in auctore principe, qui est verbum creans, ad quod tandem omnia reuertuntur. *Arist. Theolog. Ægypt. lib. 13. cap 8.*

Naturalis imago quæ pulchra potest habere, nihil in mundo prætermissum est. *Plot. En. 2. lib 9. cap. 8.* Naturalia sic disposita sunt non quia sic oportebat, imò vero quia sic se habent vt existunt propterea ita bene se habent: & de principio, quod est perfectum, & idem & finis, non sunt quærendæ causæ; vniuersum simul enim est, & nulla parte deficiens principium illud. *idem, Enn. 5. lib 8. cap. 7.*

Naturalia non omnia putant Ægyptij, sed vitam & intellectualem, & animalem à natura discernunt, non in mundo solum, sed etiam in hominibus: atque cùm intellectum & rationem secundùm seipsos existẽtes præfecerint, sic quæcunque fiunt fieri arbitrantur, atque eorum quæ in generatione versantur primum præcipuúmve patrem esse opificem asserunt, cognoscunt quoque vitalem potentiam, & quæ in cœlo est, & quæ super cœlum extat: item purum intellectum collocant super mundum, & vnum impartibilem in toto mundo, & alterum per omnes circulos distributum: & tandem docent naturam nostram progredi ad ipsum Deum opificem mundi, quatenus nec materiam ferat secum, nec aliud quicquam præter opportuni temporis obseruantiam, & id sacrorum opera nos consequi docent. Nec omnia Ægyptiorum ad naturales solùm reducere oportet causas, cùm sint apud illos plura, atq; essentiis pluribus sint & potestates supermundanæ, quas & religiosa principia sanctimoniâ coluere. *Iamb. de myster.*

Naturalium operum origo, & initium semina sunt, quæ vel terræ visceribus ad frugis arboreæ cerealisve prouentum, vel genitalium membrorum fœcunditate conceptum animalium germen adolentium, quorum ortus in tempore, nam par est æquúmque natale naturæ & temporis. Ita naturæ opera, quia ortum habent ex eo quod cœperunt in tempore, finem quoque & occasum intra seriem continuationémque eius sortita sunt. *Chalcid. in Plato. Timæum.* Naturalia omnia sunt, vel eadem sibi, vel diuersa; eadem genere, diuersa specie. *idem, ibid.*

Naturalia alia nec virtutis nec vitij participant, vt stirpes & bruta, illæ quia inanimæ hæc quia carent mente & ratione; alia solâ virtute præditæ sunt nihil vitij habentes, vt stellæ; nam hæ animalia esse dicuntur intelligentia, vel potiùs mentes singulares, totæ probæ, nec vllius capaces vitij; alia mixta ex vtraque natura, vt homo, qui contrariorum est capax: ideo conueniebat Deo vt bona solùm faceret ipse, Quæ autẽ & bona & mala, dixit faciamus homi-

nem;

nem: quod indicat assumptos alios tanquam cooperatores vt irreprehensibiles Dei voluntates à Deo acceptas ferās contrarijs alijs ipsi subditis. ô quantum miser allucinatur. *de mundi. opif.*

Naturalium rerum principia Plato ponit ideam materiam, & rerum optimarum opificem Deum: Arist. materiam, formam, priuationem: qua in re non discrepant. *Idem, ibidem.* Naturalia & finito & infinito fruuntur; infinito ob subiectā materiam, finito ob formam. *Proc in Euclid. lib 1. cap 2.*

Naturalia principia cùm Aristoteles doceret, noluit superiorem separatámque causam attingere, quæ ad primum philosophum attinet, ne disciplinarum præcepta præter morem suum misceret & confunderet: itaque rectè tradidit naturam sine consilio agere: neque ei naturæ cogitandi vis inest, quæ immediata est, & proxima rebus, eatenus enim physicum oportet considerare naturalem formam, quatenus à natura non separatur. *Bess. Card. in Trapez. lib. 6. cap. 6.* Naturalis res duobus dicitur modis: aut tanquam principiū quod in re, quæ mutatur, inest, cui res violenta opponitur, & artificiosa: aut quod via naturæ consuetā fiat, cui res diuinitus acta que casus ex aduerso constituuntur: & hoc secundo modo non primo generatio ret naturalis dici potest. *Idem, ibid. cap. 8.*

Naturali ordine quæcunque in anno mundi vno heterogenea generantur, inter se formaliter dissimilia sunt, ideò per differentes rationes efficiuntur, insequente verò eadem omnia per easdem rationes sub eisdem causis recreantur. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 7 cap. 2.* Naturalia sunt, præter ens vnum, & sibi ipsis & inuicem similia, & dissimilia, eadem rursus, & altera, stant, & mouentur, & cæteras oppositas conditiones patiuntur. *idem. in Plat. Parm. cap. 34.*

Naturalis omnis species à Deo habet vt sit, & vna sit, à mente ordinem, ab vtroque perpetuitatem, ab anima & cœlo, vt multiplex per singula sit, & mutabilis. *Fic. in Plat. Theo. lib. 4. cap. 1.* Naturalia sunt simulachra diuinorum, vt artificialia naturalium: sed proprius accedunt artificialia naturalibus: quia conueniunt in materia, quam naturalia diuinis. *idem, Plat. Theo. lib. 11. cap. 6.*

Naturalia omnia virtutes habent quasdam suorum motuum effectrices. *ibid. lib. 15. cap. 11.*

Naturaliter quicquid sine adhæret, non diuellitur inde nisi vi quadam illatā *Fic. Plat. Theo. lib 18. cap 8.* Naturalia ratione quærenda. moralia vsu comparanda, diuina à Deo oratione petenda *idem, epist. lib. 1.* Naturalium entium omnium & agentium appetitio contendit ad bonum, & tanquam ad principium quod appetitum mouet, & tanquam ad finem in quo appetitus conquiescit. *Idem, in Dion. Areop. de diuinis nominibus*

Naturalis quælibet res cùm sit aliud quiddam præter id quod dictum est vnum, merito est non vnum, ergo multiplex, & cùm sit ab illo, particeps est vnius: nam & partes eius quælibet in se vnum quiddam sunt, & cunctæ simul in vna totius forma conspirant. *Fic. in Plat. Parm. cap. 32.* Naturalis rei vis per sensus ad imaginationem, & per hanc ad mentem peruenit, qua concipitur, & nomini includitur, quasi vita, & intelligentia corpori *Idem, in Plat. phi. lib. 1. cap. 12.* Naturales res habent naturales inclinationes in finem, quæ cùm peruenerit ad finem cessant *ibid cap. 37.*

Naturalium effectuum causas qui dumtaxat ad qualitates quasdam elementales curiosius referentes, in eiusmodi principio & fine quiescunt, nec summum vniuersi principium finémque perquirunt, summopere in Phædone Socrates detestatur. *Fic. in Plat. de rep. dial. 7.* Naturalium studium curiosum sæpissime à diuinis animam auertit, quam Salomō occupationem pessimam nuncupauit, & miseros qui nimiū in ea occuparentur. *idem, ibid.* Naturali peritia vtitur Plato potius in descensu, quàm ascensu, vt sæpe docet: in descensu per diuinas naturalium causas naturalia vult principia demonstrari: in ascensu verò per anxiam naturalium curam, tanquam à diuinis valde remotam diuertere ab illis animam putat potius, quàm conuertere *ibid.*

Naturalia corpora non vult intelligi Plato ex figuris & numeris tanquam ex elementis & partibus constare sed tanquàm ea terminis quadam resolutione componi, quòd naturalia in illa quasi prima, & veluti terminos resoluantur. *Fic. in Plat. Tim cap 40.*

Naturales species non solùm subiecto communi, sed etiam proprio indigent. *idem, ibid.*

Naturalis procliuitas ad malum non mediocriter per oppositam consuetudinem cohiberi ab initio potest, sed procliuitas illam diuturnā consuetudine confirmata extirpari omnino non potest, exactā nihilominus doctrinā, exhortationibúsque amputatur. *Fic. in Plat. Tim. cap 41.*

Naturales res in effectibus producendis non sunt propriæ causæ, sed diuinæ prouidentiæ instrumenta. *Idem, ibid.*

Naturalium imagines Platonici non solum radiales & spirituales inuenerunt, sed etiam materiales, quales Democritus & Empedocles, per poros corporum effluentes, ferantésque ad certum spatium non solùm qualitatem corporis sed figuram, & clam agentes in spiritum propinqui hominis, & imaginationem præcipuè debilem, & conformem. Actiones eiusmodi à magis præcipuè deprenduntur & obseruantur. radiales imagines in Timæo Sophista, de Republica Plato tetigit, quæ omnis exilem habent essentiam vt non aliter palam ostentare se oculis possint quam in corporibus specularibus, æqualiter stabilitæ redintegratæ, illustratæ, pristinam vim quandam vndúmque formæ vnde processere recipiunt: opus est densitate ne influens appartio subitò transfluant, lenitate ne ob inæqualitatem deperat imago, nitore vt conspicua sit imago. *Fic. in Plat. Tim. cap. 30.*

Naturalem habitum quod lente relinquere facit manifestum non affert dolorem: vbi subitus, & acer, affert: reditus in naturam vbi subitus & abundans manifesta nos afficit voluptate: vbi contra, nequaquam. *Fic. in Plat. Tim. cap. 59.*

Naturales qualitates non sunt causæ rerum, sed instrumenta quædam efficientis prouidentiæ ad certum finem, bonúmque omnia dirigentis. *idem, in Plat. Tim. cap. 38.* Naturales res, & rationes, cum admiscentur diuinis, non sunt ita prorsus asseuerandæ, nisi auctoritas diuina confirmet. *ibidem. cap. 70.*

Naturalium præcipuas causas vult Plotinus esse seminales rationes earum in vegetali animæ mundanæ natura, quibus semper ordine certo respondeant seminales in speciebus singulis rationes. *Ficin. in Plotini En. 1. lib. 3. cap. 16.* Naturalia omnia philosophi quidam naturales putabant à qualitate quadam elementali motúque oriri, & diuersa prouenire pro diuersitate quæ in agente vigeret, & pro efficacia motus inde in materiam desinentis, nec præesse rationem vllā vi intimæ artis agentem *idem, in Plot. En 3. lib. 8 cap. 1.*

Naturalibus rebus non solum vires animales insunt, sed dotes etiam quædam intellectuales, & diuinæ, & omnia numina huic opificio aliquid ex se conferunt, opificio non tantùm vniuerso sed etiam vnicuique. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 13.* Naturalium rerum virtutes omnes primò sunt in seminalibus rationibus naturæ communis: hinc mox traducuntur in mundi sphæras, earúmque figuras tam volubiles quàm firmas. Hinc in rerum naturalium species in quibus inde latent vires super elementa mirabiles, & ex ipsis cœli figuris in figuras inferiores vires quoque mirifice *idem, in Plot En. 4. lib. 4 cap. 35.*

Naturalis actio est antiquior quàm electio practica, quamuis contemplatiua, & vniuersalis ipsa excelsæ mentis electio antiquior sit, quàm actio naturalis. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 37.* Naturalis virtus quo excellentior est, eo prouinciam obsidet ampliorem, at vnius Dei virtus eminentior est quàm excellentissima naturæ virtus. *idem, in Plot. En. 6. lib. 5. cap. 4.*

Naturalia omnia complectitur Plato in Timæo, vt in Parmenide cuncta diuinorum genera, & vtrobique plurimum Pythagoricus est. *Fic. in Plat. Tim. cap. 1.* Naturalia omnia propriam habent in se naturam & actionem. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 15.*

Naturales effectus si suis causis non substant, virtute propriā destituuntur, quando amittunt influentiam qua à suis causis tutantur, & conseruantur: ita anima, quæ à Deo non solùm in fieri sed etiam in esse dependet, si ipse non subsiet, imò quantum naturæ sinit capacitas assimilari se conetur, opere suo frustratur. *Ioan. Fran. Pic. Mir. de studio. phi. lib. 2. cap 5.*

Naturale desiderium non est frustra. *idem, de mat. prima, cap. 9.* Naturalia Peripatetici quidam sub scientia non claudunt. *idem, in exam. vanit. doct. gent. lib. 4. cap. 6.* Naturaliter quod agit est instrumentum eius quod agit intellectu, etiam si non sit necessarium vt respiciat idem *idem, ibid. cap. 15.*

Naturalis munus est causas corporum omnium nosse: sed methaphysicus non modo corporearum, sed omnium rerū causas noscere debet. *Sebast. Fox. in Plat. phæd.* Naturaliter non omne quod fit fit necessariò, quia potest opus naturæ impedire in his quæ arbitrio fiunt, quia nostrum arbitrium omnino liberum, & libera prorsus est electio. *Ioan. Fran. Pi. Mir. de præ. lib. 5. cap. 8.* Naturalia non definiuntur nisi per materiam sensibilem. *Gab. Bura. de idea, lib. 5.*

Naturalis aliorum hominum ad sese mutuo vel diligendos, vel maximo odio prosequendos propensio, à medicis quidē ad temperamenta, ab astrologis vero ad aspectus, figurásque cœlestes reduci consueuit. *Leo Heb. de Am. dial. 2.*

Naturalis cognitio, appetitus, ac amor in insensibilibus corporibus reperitur. *Leo. Heb. de Am. dial. 2.*

Nati octauo mense cur ferè statim moriuntur? non ob Saturni imperium, nam semper & vbique hoc eueniret: tamen testis est Aristoteles quòd in Ægypto viuunt, & Auicenna in Hispania: sed ratio est, quòd in conatu mensis septimi læditur infans, & in octauo si nascitur, debilior euadit quàm vt viuax esse posset. *Ioan. Francisc. Picus Mir. de prænotione lib. 5. cap. 4.*

Naufragium qui iterum facit, improbè Neptunum accusat. *Fic. in Plato. phileb. lib. 1. c. 29.*

Nauis.

Nauis in qua. Theseus olim in Cretam abijt singulis annis ex voto in Delum mittebatur, & Athenienses nunquam publicè aliquem interficiebant, priusquam nauis in Delum perueniret, & illinc Athenas: ideò multo tempore fuit in carcere. Socrates post iudicium. *Plat. in phædone.* Nauis gubernator semper nauis & nautarum vtilitatem obseruat: nam non scriptis propositis, sed artem lege exhibens, nautas seruat. *idem, de regno.*

Nauis gubernator rationem tenere debet anni, temporum, cœli, astrorum, ventorum, & omnium, quæ ad artem hanc pertinent. *Plato de repub. dial. 6.* Nauium gubernatores si fierent à censibus, pauper etsi gubernandi artis magis peritus diuite sit, eam tamen gubernare non posset, & mala esset gubernatio: sic in reipublicæ gubernatione eueniet, & in alijs gubernationibus. *dial. 8.*

Nauis in mari errans semper custodia opus habet; si ciuitas in fluctibus aliarum ciuitatum degēs, in omnis generis insidijs habitat & in periculo versatur: ne capiatur oportet sane per diem in noctem, & ex nocte in diem nunquam cessare, vt magistratus magistratibus, custodes custodibus connectamus. *Plat. de legib. dial. 6.* Nautas, & gubernatores nemo nobis sapientem virum consulendi gratiā denuntiet neque aliquis ipsorum ventorum iram aut amicitiam nouit, quod tamen vniuersæ gubernatoriæ commodum est. *in legum appendice.* Nauta nec inter viuos nec inter mortuos versatur. *in Axioca.*

Nauem plusquam trecētarum amphorarum nemo senatorum Romanorum ea lege Apij Claudij statutum erat, vt haberet, nam id satis habitum est ad fructus ex agris vectandos: quæstus enim omnis patribus indecorus esse videbatur. *Fr. Patricius de republica. lib. 3. cap. 3.*

Nebula constat aut ex ortu nubeculæ, aut ex eius reliquijs: est autem exhalatio vaporata, humore viduata, aëre crassior, nube subtilior, cui serenitas abolitionem infert. *Apul. de mundo.*

Necessitas. Necessaria.

Necessitati neque dij repugnant. *Plato in Protagora.* Necessaria custodibus à ciuibus dentur, ita vt in annum nihil supersit nihil desit. *de rep. dial. 3.*

Necessitas omnium quæ geruntur, semper sibi catenatis nexibus iuncta, hęc est aut effectrix rerum, aut Deus summus, aut ab ipso Deo, aut omnium cœlestium terrenarúmque rerum formata diuinis legibus disciplina: hæc itaque *εἱμαρμένη* & necessitas ambæ sibi inuicem indiuiduo glutino sunt connexæ: quarum prior *εἱμαρμένη* rerum omnium parit initia, necessitas verò cogit ad effectum, quæ ex illius primordijs pēdent. has ordo sequitur, id est contextus & dispositio temporis rerum perficiendarum. *Merc. Trismegisti Asclepius, cap. 14.*

Necessitas est in mente, persuasio in animo. *Plotin. En. 5. lib. 3. cap. 6.* Necessarium est quod necessitate constrictum est, & quod est possibile, cuius contrarium impossibile est. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

Necessitates duę insunt in virtute differendi. altera secundùm subiectum eius, altera secundùm vsum: prima, quia toti hominum speciei insita est, vt nequeant separari; secunda, quæ in vsu conspicitur, duplex est, absoluta, & relatiua: absoluta in tribus apparet, in disciplinæ principijs, in definitionibus, in proprietatibus: relatiua tres habet partes, alia in positione, alia in conditione, alia in demonstratione. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 12. cap. 6.*

Necessitas breuibus clauditur terminis, opinio nullis. *Ficin. epist. lib. 3.* Necessaria nobis passim parata sunt, ad superflua laboramus. *idem, ibid.* Necessarium quodammodo attinet ad bonum, quatenus tanquam vtile conferénsque ad finem certum eligendum, & hæc conditio necessariò aliena est à malo. *Idem, in Dion. Areopag. de diuinis nominibus.*

Necesse est seipsum aliem examinanti subijcere, cui sæpe rationes anteactæ vitæ reddantur, qua in re Plato confessionē annuam à Christianis institutam valdè cōfirmat. *Fic. in Plat. lachetem.* Necessarium in Deo ita est vt cum voluntate cōpertatur, nam in diuinitatis summa simplicitate nō aliud est necessitas quàm voluntas. *idem, in Plato. de republic. dialog. 10.*

Necessitatis & filiarum sedes fatalis ordinis firmitatem ostendunt, quasi oporteat mobilium progressionem ab ipsa motoris immobilitate regi, & ordinari, & interualla sedium paria, tustam tum inter, fata tum per fata distributionem fieri ostendunt. Vestes albæ tum fatorum naturam inuiolatam, tum innocentem ostendunt. non enim agit vniuersò malū quod ab vniuersi duce optimo dependet. *Ficin. in Platonem de republica, dialog. 10.* Necessitatem appellat Plato mundi animam, non quia vel naturæ vel rationi inferat violētiam, sed quia omnia in suo quodam ordine ab opifice rerum instituto conseruat, neque permittit quicquam leges illius adeò transgredi quin mox regrediatur in leges. *idem, ibidem.*

Necessitatis nomine non solùm materiam intelligere possumus, sed etiam animam in primo processionis suę signo velut informem materiæ instar consideratam: vtraque enim, tum anima tum materia, in primo originis suæ signo informis quidem est, sed facilè est formabilis per intelligentiæ munus: vnde & ipsi animæ rationes semináque formarum naturalium infunduntur, & materiæ qualitates & formæ. *Ficin in Plato. Timæum, cap. 39.*

Necessitas alia est in ipso naturali rerum ordine, ita vt est diuinitus institutum vt res tales sint, tot, & tantæ, sic moueantur, hæ præcedant, hæ comitentur, illæ sequantur, aliæ sint simul, aliæ verò seorsum; atque vt sunt ita quoque sunt iudicandæ. Altera necessitas in casu quodam ab ordine naturali, vbi vel deforme, vel monstruosum, vel dissidens dissolutúmque videtur, & fingitur Deum cum hac pugnare: non enim reuera pugnat, quid enim repugnet, omni potentiæ at videtur vt dixi pugnare. quòd hæc à diuina similitudine prolapsa longius in dissimillimam Deo cadat deformitatem quasi tam rebellantem, sed à Deo interim quasi repugnante ac expugnante miris modis in ordinem quandoque redactam. *Fic. in Plat. de leg. dial. 7.*

Necessitatis oppositum non est putandum esse secundùm formalem rationem ipsum quod dicitur impossibile: in ipso enim formali necessitatis opposito nulla debet includi necessitas, at in impossibili includitur. Impossibile enim est, quod esse non potest, quod esse nequit; necessarium est non esse, & in ipso necessario impossibile videtur includi: quod enim necessarium est existere, impossibile est non esse, verùm autem necessarij oppositum est contingens. *Ficin. de fato, cap. 1.*

Necessarium si datur, datur & eius oppositū, ideò si datur oppositum necessariò ratione formali extare oportet pariter ad vtrunque contingens, & si dandum est oppositum ratione materiæ, dicemus ei quod esse necessarium est opponi, quod impossibile sit existere, & inter hæc medium possibile collocabimus quod est contingens, tum sæpius quod necessario potius appropinquat, tum rarius quod declinare videtur ad impossibile, tum indifferenter esse, vel non esse contingens. *Ficin. de fato, cap. 1.*

Necessariò euenire quæ ex cœlo indicantur, eadem forsan apud nos ex hac materia regionéque contingenter eueniūt: materiā, quia omnium æquè formarum est auida: regione, quoniam innumerabiles hîc & inter se pugnantes confusione qualitates. *idem, ibid.*

Necessitas conditionalis non trahit secum absolutam. *idem, in Plot. de prouidentia, cap. 20.*

Necessitudo est charitas in consanguineos, affines, cognatos, agnatos, gentilésque omnes. *Franc. Patric. de regno, lib. 8. cap. 9.*

Nectar quid aliud est apud Deos, quam quòd Deus aliquis haurit, quod mentis subest, mentis haurit rationem, & mens ipsa iam satura conquiescit. *Plotin. En 3. lib. 5. cap. 9.*

Nectar vocatur luminis diuini consecutio in voluntate. *Ficin. Platon. philebum.*

Negatio.

Negatio nil adiungit, sed non esse dicit. *Plotinus Enn. 2. lib. 4. cap. 24.*

Negatio rerum Deo est tutior & verior quàm affirmatio, quoniam longè plus est quod à Deo separatum est, quàm quod rebus est quasi communicatum; & facilius mentimur affirmando, quam negando. *Ficinus in Dionysij Areopagita de trinitate.*

Negationes circa summum primum Deum semper indefinitum relinquunt illud, & in sua amplitudine liberum, aptius quoque Deo animam præparant, dum hanc ab humanis cōditionibus definitionibúsque segregant, & quasi iam circumscriptam

cunscriptam Deo prorsus incircunscripto committunt. *Fic. in Plato. Parmen. cap. 54.*

Negationes circa primum fiunt, non tam propter imbecillitatem intelligentiæ nostræ non valuntit aliter circu illud agereinam & neque aliter circa idem agit intellectus primus, quàm quia nec alirer illud attiogi potest, aut debet: nec aliter intellectus attiogere, quàm sua multiplici proprietate post habita voitari voitatem simpliciter offerendo. *Ficin. in Plato. Parm. cap. 55.*

Negatiuæ conclusiones debent incipere à magis vniuersalibus ad particularia, vt si non est animal, nec est homo: affirmatiuæ contrà, vt si est homo, est animal. *Idem, ibidem. cap. 57.*

Negationis ordo triplex consideratur à Proclo; primus vt alia negantur ab vno quantum sibi competit ad seipsum, qui est primus apud Parmenidem gradus: secundus, vt alia quantum sibi pariter, & ad alia. & hic est gradus secundus: tertius, vt alia negantur quantum spectat ad alia solùm. *Ficin. in Plat. Parm. cap. 66.*

Negare de primo aliquid, est hoc ab illo secernere: secernere verò hoc ab illo nō possumus, nisi prius hoc in ipso formauerimus, atque illud. *idem, ibid. cap. 79.*

Negatio, vel distributio termini multiplicis non negat, aut distribuit ipsum pro omni supposito cuiuslibet significati. *Ioan. Pic. Mir. in Apol.*

Negationes aliæ sunt affirmationibus meliores, aliæ consortes, aliæ deteriores: primæ, cùm probamus primum nō esse ens, tanquam melius ente, & entis principium: secundæ cùm non ens cum ente probamus admiaitumitterriæ, cùm priuationes, & fluaus, & informen, materium non ens uppellamus, tunquem integro ente longè deteriora. *Fic. in Plat. Parm. cap. 40.* Negationes circa Deum non defectum significant, sed excessum. *idem, ibid. cap. 54.* Negant instantiam afferre debet. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib. 6. cap. 8.*

Negligentiæ paruorum causa duplex: aut quia nihil referre ad totum putatur si parua negliguntur: aut si referre putatur, præ segnitie & delitijs negligit, aut alio quodam modo fit: non enim tunc negligentia erit, quum fieri non potest vt quis omnium, aut paruorum, aut magnorum curum gerat adeoque ob impotentiam curam gerere non possit. *Plat. de leg. dial. 10.*

Nemesis est numem proprium introductum ab antiquis, ad punitionem superborum. *Fic. in Plat. de leg. dial. 4.*

Neptuno sorte contingit insula Atlantidis, & eam inhabitendam dedit filijs suis, quos ea fœmina mortali suscepit in eiusmodi quodam insulæ loco. *Plat. in Atlan.*

Neptuni templum in insula Atlantica erat stadij longitudine amplitudine trium iugerum, altitudine ad horum proportionem congrua, sed speciem quandam barbaricam præferebat. Omne templum extrinsecus argento obleuerant, exceptis summis partibus, quas auro. Intrinsecus forma eburnea, tota auro, argento & orichalco variegata erat. parietes, columnas, pauimentum orichalco intexerant, statuas aureas erexerant. Deum in curru stantem vt sex alatorum equorum auriga esset & præ magnitudine fornicem vertice contingeret, & circa ipsum Nereida centum delphinis insidentes. Circa templum imagines extabant omnium regij generis tum mulierum tum virorum ex auro qui ex decem familijs è filijs neptuni orti erant. *Plat. in Atlan.*

Neptunus prouidentiam naturalem, Pallas prouidentiam intellectualem significat. *Ficin. in Plato Timaeum, cap. 5.*

Neptunus est numen fouens generationem atque gubernans. *Marsil. Ficin. in Plat. Atlantico.*

Neptunum ex muliere filios procreare intellige, vel ea terra genuisse, vel afflatu quodam ex priori viuendi formu in alteram formam regenerasse *ibid.*

Nerui facti sunt, ne si semen in osse esset, & ignitum esset, & rursus, refrigeraretur, carie corrumperetur: ideo effinxit Deus genus neruorum & carnis, vt per illud dum intenditur & remittitur, omnia alia membra colligaret. & corpus circum cardines ad flexionem & extensionem aptum efficeret. *Plat. in Tim.*

Nerui facti sunt ex ossis & carnis non fermentatæ mixtura flauo colore, vt validiorem & visensiorem carnibus, molliorem autem & humidiorem ossibus vim nerui adepti sint. *idem, ibid.*

Neruus est soliditate medius, frigidus, & quodam modo humidus, *Fic. in Plat. Tim. cap. 73.*

Nerui facti sunt ad ossa vincienda iuncturis. *idem, ibid.*

Nescientes sine peccato degunt negotia alijs committentes; & qui nesciunt ii saltem se nescire nouerint non errant: sed qui nescientes putāt se scire, ea maxima est ignorantia. *Plat. in Alcib. 1.*

Nestorem dicendi robore omnes homines superasse dicunt, & temperantiâ excelluisse. *Plat. de leg. dial. 4.*

Niger color dicitur qui visum vrit. *Plat. in Tim.*

Nihil nimis, vetus prouerbium ab omnibus laudatum. *Plat. in Menex.*

Nihilum volentes antiqui exprimere, dicere οὐδὲν id est, ne vnum quidem. *Ficin. in Plato Parmenidem, cap. 92.*

Nihil è nihilo prouenit, omnia ea ijs quæ sunt procreantur, quæ non sunt naturam nullam habent, qua fieri valeant: cōtra quæ sunt naturam non habent per quam aliquando non existant. *Merc. Trismegist. Pimander. cap. 8.*

Nihil ex nihilo fit. *Leo. Hebr. de Am. dial. 3.*

Nimphæ sunt numina quæ generationi præsunt, ideò dicuntur aquas habitare, vel syluas: quoniam generatio per humorem expletur, & descendit ad syluam id est materiam primam Dionysius est præfectus, est enim Deus generationis & regenerationi præsident. *Ficin. in Plato. Phædr. cap. 7.*

Nitens per seipsum ad felicitatem, nihil maius vel perfectius suâ naturâ assequi potest. *Ioan. Pic. Mirandul. in Heptapl. lib. 7. in proæ. 10.*

Nitrum efficitur ex ea terræ specie, quæ aquâ multâ destituitur ob ignem, & tenuioribus terræ partibus constat, & salsuginosa est, & ea dimidio ab aqua compacta, & item sal. *Plat. in Timæo.*

Niues colligi iactatione densarum nubium constat. *Apul. de mundo.*

Nobiles soli dicendi sunt prudentes & iusti, etiamsi è vernis aut emptitijs nati sunt: mali verò etiam ea honestis maioribus nati, non sunt nobiles. *Philo de nobilitate.*

Nobilius aliquid aliquo dicitur aut suâ formâ, aut suo inuicem respectu. *Bess. Card. in calumn. Platon. lib. 3. cap. 10.*

Nobilitas nulla illustrior esse potest quàm eorum quorum maiores præclarum aliquod facinus pro republica gesserunt, de qua optimè meriti extiterunt. *Fran. Patri. de rep. lib. 3. cap. 3.*

Nobiliores cauere debent ne quid per vim in republica agāt néue sibi plus arrogent quàm alijs tribuant. *Idem, de rep. lib. 6. cap. 1.*

Noe biceps depingitur, quia vidit varias mundi dispositiones, tum ante, tum post diluuium. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*

Nomen quid est.

Nomen est minor pars orationis. *Plat. in Crat.* Nomen omnium rerum mensuram esse asserebat Protagoras. vt quales res viderentur mihi, tales essent, quales tibi. *idem, ibid.*

Nomen est instrumentum quo nos docemus quid inter nos mutuo, & res quatenus se habent discriminamus. *ibid.*

Nomen est doctrinæ instrumentum. *ibidem.*

Nomen est quoddam rei imitamentum. *ibid.*

Nomen est signum vocis impositum his qui illas faciunt. *Plat. in sophist.*

Nomen vnumquodque de aliquo dicitur *in Parm.*

Nomen est dictio simplex significatiua eius quod secundum essentiam prædicatur, & omnis quod secundum seipsum minimè dicitur. *Speusip. in Plat. defin.*

Nomen est instrumentum quoddam indicans, & distribuens cuiusque rei substantiam, vt tela textoris pecten. *Alcinous. cap. 6.*

Nomina prima sunt apud superos, quibus mutuo sua cognominant, & nostra secunda apud animas sapientum. qui per conceptus idealis, vel naturaliter sibi notos constituentes nomina, res diuinas primò reuera, deinde ad illorum similitudinem nostras nominant. *Ficin. in Plat. Parmenidem, cap. 27.*

Nomen verum nil aliud est, vt Platoni placet, quàm rei ipsius vis mente primò concepta, voce deinde expresse, & demum literis significata. *Idem, in Plat. Crat.*

Nomen est instrumentum quoddam, quo rem nominatim ab alijs discernimus. *ibid.*

Nomen rei ipsius est vis quædam mente concepta primum, voce deinde expressa, litteris demum significata. *Fic. in Plat. Phil. lib. 1. cap. 21.*

Numen insitum & insidens & incubans dicit Plato, quia intelligere debes numen non solùm adesse, sed assiduè inesse & fauere, præcipuè fauere, & fauendo seruare si gratè colatur ab his qui munere eius vtuntur. *idem, in Plat. de leg. dial. 6.*

Nominis quid est esse, est relatio ipsius nominis ad rem ex ipso significatam: quid rei est ipsam esse essentiam, quæ refertur ad nomen. *Ioannes Francisc. Pic. Mirandul. de præ. lib. 3. cap. 3.*

Nomen vt impositum & in natura.

Nomina formantur ex literis, vt pictura ex coloribus; & qui profert omnes literas, & omnes colores, rectè profert, qui non profert omnes, malè profert. *Plato in Cratylo.*

Nominum artifex & legislator potest esse bonus, & non bonus. *ibid.*

Nomina possunt & rectè, & non rectè distribui; & in verbis idem, & in sermonibus. *ibid.*

Nomen si rectè positum esse debet, conuenientes literas habere debet, & literæ illæ conueniunt, quæ similes sunt rebus. *ibid.*

Nomen si rei similitudo est, necesse est elementa rebus ex natura similia esse, ex quibus prima nomina quis componet; vt nemo composuisset picturam alicui rei similem, si non à natura fuissent pigmenta, quæ similia essent. ex quibus componuntur ea, quæ pinguntur, similia illis quæ imitatur pictura. *Plato in Cratylo.*

Nomina bene posita sunt cùm omnia insunt, cùm pauca, malè. *idem, ibid.*

Nomina quantum fieri potest rebus similia esse debent. *Plat. in Craty.*

Nomina qui imposuit est sciens & cognoscens res. *ibid.*

Nomina non sunt in cognitione rerum, vt sine illis res non cognoscantur, nam absq. nomine res cognosci possunt. *ibid.*

Nomina lege & consuetudine esse existimabat Hermogenes. *ibid.*

Nomina naturâ esse existimabat Cratylus. *ibid.*

Nomen quodcunque quis imponit rei, id ipsum est singulis nomen. *Plato in Cratylo.* Nomina imponere legislatoris est officium. *ibid.* Nomen legislator imponit vnicuique aptum natura *ibid.* Nomina nobis tradidit lex. *ibid.* Nomina si rectè imponi debent, opus est legislatoris, vbi magistrum habet dialecticum virum. *ibid.* Nomen ex natura rectitudinem quandam habet, & non cuiusuis viri est ipsam rei cuique rectè imponere nosse. *ibid.*

Nominum impositio consideranda est earum rerum quæ circa res perpetuas, & à natura productas consistunt; nam fortasse quædam à potentia diuiniore quàm quæ hominum, imposita sunt. *Plat. in Cratyl.* Nominum primi impositores non viles fuerunt, sed sublimium rerum periti & contemplatores. *idem, ibid.* Nomina primum posita iam confusa, & occultata sunt ab iis qui ipsa tragicè tractare volunt, ita vt addant, & eximant literas boni soni gratiâ & pręexornationis studio, & temporis diuturnitate vndique peruertant, ita vt veritatis nullam curam habeant, os autem formant, ita tamen efficiunt, vt nemo hominum intelligat quid nomen ipsum velit. *ibid.*

Nominum etymologiam quærere oportet, quousque peruenerimus ad illa nomina quæ aliorum elementa sunt. *Plat in Cratylo.* Nominum rationem qui reddere nescit, confugiunt ad id quòd Dij nomina posuerunt, aut quod à Barbaris ipsa accepimus. *idem, ibid.* Nominis rectitudo est hęc, quæ qualis res est indicat, nam docendi gratia nomina dicuntur; igitur eius est ars. & sunt ipsius opifices *ibid.*

Nomina diuina effingunt Theologi ad beneficarum summæ diuinitatis progressionum explanandarum & laudandarum expressionem. *Dion. Areopag. de diuin. nominib.*

Nomina ait Socrates in Cratylo circa res sempiternas naturam rei magis attingere, circa verò mutabiles, nomina quoque sæpe mutari, & magis in positione versari. *Procl in Alc.1.*

Nomina docet positione constare in Cratylo, sed id non temerè, sed naturam rerum secutam fuisse, nec aliud nominum rectitudinem esse quàm impositionem rei ipsius naturæ consonam. *Alcin c.6.* Nominum rectus conditor erit, qui per nomen rei naturam significabit. *idem, ibid.*

Nomina hominis ponunt diuersa ab ipsis rebus, vt aliud res sint, aliud significent nomina, apud Mosem verò nominum impositiones manifestissimè res ipsas indicant, vt res necessariò in nomen abeat absque vlla differentia. *Philo Iud. de Cherub.*

Nomina ex placito & arbitrio putat esse Arist. Plato verò natura. *Ia. Carpent. in Alcin. præfat.*

Nomina vt pulchra, & cur seruata.

Nomina præstantissimorum virorum seruata sunt, & facta deleta sunt. nam ignari superstites viri, cùm montani, & ignari essent, nomina filiis imposuerunt, facta verò tandem negligebant. *Plat. in Atlant.* Nomina pulchriora non modò familias, sed etiam ciuitatem honestant. *Franc. Patric. de repub. lib.6. cap.7.*

Nomina quid significant, & vt componuntur.

Nominum significationes consideranti oportet cogitare sæpe nos literas interserere, sæpe eximere, & acutos accentus transponimus. *Plat. in Cratyl.* Nominum omnino vna est rectitudo primi & vltimi, nec in hoc quod nomen vnum ab alio differt. *idem, ibid.*

Nomina componenda sunt ex literarum elementis. *ibid.* Nomen qui nouit quale est (est autem tale quale est res) nouit etiam rem, quandoquidem similis nomini existit. *ibid.* Nomina non significant res quæ progrediuntur, ac feruntur, sed quæ permanent. *ibid.*

Nominum ac verborum cura exquisita plerunque non ingeniosa est. *Plat. in Theæt.* Nomina, quæ consequenter dicuntur & aliquid significant, coaptantur; quæ non significant, non coaptantur *in soph.* Nomen idem qui sæpe dicit, idem dicit. *in Parmen.* Nomina barbara apud græcos trãslata sunt; quia Solon quum in poema suum narrationẽ trãsferre vellet, nominum vim perscrutatus comperit Ægyptios primos illos ipsa scripsisse, & in suam linguam transtulisse; quare & ipse rursus cuiusque nominis vim & significationem excepit, & in nostram linguam translatam conscripsit. *in Atlant.*

Nomina omnia quibus in sacrificiis vtuntur sacerdotes, quamuis in quibusdam significatio nobis sit ignota, significant aliquid apud Deos. *Iambl. de myster.*

Nominum lex disciplinarum est, vt eisdem non eædem vario modo vtantur, & in suo quæque genere, quasi quodam priuilegio rectè ac propriè nominare videatur. *Bess. Cardin. in Trapezunt. lib. 6. cap 2.* Nomina habent aliquam actiuitatem naturalem non vt sunt significatiua ad placitum, sed vt sunt in se res quædam naturales. *Io. Pic. Mir. in apolog.* Nomina naturarum plus significant quàm ab eis deriuata, vt vita quàm vitalis, scelera quàm sceleratus. *August. Steuch de peren. phil. lib.3. cap.7.* Nomen quod in multiplici significatione est prius distinguere oportet. *M. Ant. Nat. de nat. an. lib. 1.*

Nomen vt Dei, & vt diuinum.

Nomen Dei apud omnes quatuor literis scribitur, Hebræi quatuor vocalibus, *Ha, he, ha, i,* Ægyptij *Thento*, Persæ *Syre*, Magi *Orsi*, Græci Θεὸς, Nos *Deus*, Arabes *Alla*, Machometh *Abdi*: Nos item à Gabriele accepimus *Iesu*. Certè non aliter iam diuersæ gentes in vno ignoti Dei nomine conuenissent, nisi diuinitus. *Ficin. in Plat. Cratyl. & in Phileb lib.1. cap.12.* Nominis diuini tanta vis est, vt etiam viri à Deo remotiores, & malefici his nominibus mirabilia operantur. *idem, ibid.*

Nominum verorum scientia, & præcipuè diuinorum, excelsa est. *Fic. in Plat. Cratyl.* Nominibus in quibusdam sacris in lingua Hebręa miranda latet virtus. *idem, ibid.* Nominibus statuis quibusdam ordine certo compositis dæmones quodammodo includuntur. *ibid.* Nominibus quibusdam diuinis tota Zoroastris sapientia constitit. *ibid.*

Nomina deorum masculina significant in diuinis actum efficientẽ, fœminina potentiam capientem. *Ficin in Plat. Craty.* Nomina in diuinis, quæ statum significant, referuntur ad illorum substantiam quæ motum, ad actionem, impropriè ad actionem intellectualem, propriè ad animalem. *idem, ibid.* Nomina omnia, corpus, anima, vita, & intellectus & huiusmodi, particularem dicunt perfectionem, qualis nulla in Deo est. *Io. Pic. Mir. de ente, & vno, cap.5.*

Nomina vt concreta, vt abstracta.

Nomen aliud concretum vt calidum, aliud abstractum vt calor: abstractum notat id quod à se tale est, non ab alio: concretum quod non a se, sed alterius beneficio tale est. *Ioan. Pic. Mir. de vno & ente, cap. 4.* Nomina abstracta magis conueniunt Deo, quàm concreta, namque perfectionem significant absque defectu: concreta verò perfectionem quandam subiecto communicant secundùm varios & inæquales gradus, qualem Deo tribuere impium esset. *Iac. Carpen. in Alcin. cap.9.*

Non ens.

Non ens non potest exprimi per seipsum, sed est à cogitatione, & eloquio, ac sermone alienum. *Plat. in soph.* Non ens visum est nobis vnum quoddam ex aliis generibus per omnia quæ sunt dispersum. *ibid.* Non ens, si dictu fas est, appetit etiam ipsum bonum omnium, quæ sunt excelsius, contenditque quodammodo ipsum quoque in bono esse assentiã prorsus superiore, per negationem quandam omnia inde tollentem. *Dion. Areop. de diuin. nomin.* Non ens aut superius, est ente vt Deus, aut inferius vt materia. *Porph. de occa.*

Non ens Platonici dupliciter accipiunt, aut simpliciter pro nihilo, aut secundùm quod non ens, id est quod nõ sit homo, sed sit aliud, aut quid hac ratione non est, alia sit, potentiâ scilicet ens actu nõ ens, vt materia non ens, quia nihil sit actu formali. *Fic. in Plat. Parmen. c.36.* Non ens absque ente nec considerare, nec loqui possumus, vt priuationem absque habitu cogitare non possumus. *idem in Plat. soph. c.28.*

Non ens dicitur si dici potest ipsa natura, vel essentia, vel vis, vel origo non entis, entibus cunctis inserta. Hæc in mun-

do intelligibili, quasi quædam materia est, ibique defectus alicuius, ac differentiæ causa, sicut in mundo sensibili materia sua simel, cum dimensione causa est defectus, & discrepantiæ passim, & distantiæ: materia hæc initiem est non solum non essendi hoc, vel illud, sed etiam simpliciter non essendi, alteritas aetem solùm causa est non essendi. *Ficin in Plato. sophistam, cap. 37.*

Non ens tribus modis accepit Plotinus: primo non ens omnino vt nihilum, secundo non ens verè materiam mundi primam, tertio non verè ens, id est formam materiæ inhærentem, compositúmque caducum, & huius proprietates, & accidentia. *idem, in Plotin. En. 5 lib. 3. cap. 3.*

Nosce te ipsem qui præcipit, admonere videtur, vt agnoscames animam, qua cognitâ omnia facilè cognituri sumus. *Ficin. in Priscianum super Theophr. ex proœmio.*

Nosse seipsum desumptem est ea Mosis Deuteronomio. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de studio phil. soph lib. 2 cap. 2.*

Nosce teipsum ab oraculo dictum est, quia in nobis â natera omnium rerum & notitiarum semina posita sunt. *Gab. Bur. de anima natur. lib. 3.*

Nothi sunt, qui non sunt ea iustis nuptiis procreati, etsi pater eoram notus sit. *Iac. Carp in Alcin. definitione.*

Notio est, cùm sit omniom phantasmatum in intellectu congregatio, & particularium omoiem in vnum quiddam vniuersale collectio, in qea ad vltimum scientia & ars constituunter. *Ioan. Francis. Picus Mirandul. in exam. vanitat. doctr. gentium, lib. 2. cap. 18.*

Notius dupliciter diciter, nobis, & naturâ. *Io. Carpentar. in 1. digress. de analytica method.*

Notionibus simplicibus explicandis duplex modus est, vnus ea causis essentiæ per definitionem exactissimam, alter ea effectibus per descriptionem *idem, ibid.*

Notio est rei notę similitudo *Aug. Steu. de per. phil. lib. 8, cap. 15.*

Notiora prius tractanda sunt, vt per ea possimus facilè mines nota cognoscere. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 56.*

Notitiâ simplici vniformi intellectuali intellectualia omnia coniugatè cognoscimus: notitiâ scientificâ atque cogitatiuâ specierum volutione & compositione rationes medias rerũ contemplamur; tertiâ rursum â veritate potentiâ sensuali per instrumenta cognoscibilia propria contingente sensibilia iudicamus; imaginali tandem potentiâ imagines sensibilium apprehendimus. *Proclus in Alcibiadem primum.*

Notitia in nobis duplex est, simplex & completa: & quælibet istarum duplex est, quædam adeò nota vt nulla egeat probatione, quædam non omnibus, sed sapientibus. *Gab. Bur. de reminis. lib 5.*

Noeenarius significat munus animæ octo sphæras in vnam formam conciliaturum. *Fic in Plat. Tim. cap. 33.*

Noua sponte nemo capesset, nisi quem pœnituit priorum. *Apul. de deo Socratis.*

Nouitas facilè memoria tenetur. *Plat. in Tim.* Nouitas admirationem parit. *idem, epist lib. 6.*

Nox vna totum tempus apparet post mortem. *Plat. Apolog.*

Nox. & dies sunt vnius & sapientissimi circuitus Solis circumuolutio. *in Timeo.* Nox est vmbra diei contraria Solis priuatio. *Speusip. de definit. Plat.* Noctis inuenta est opacitas, vt quies desiderata proueniret animantibus. *Apul. de dogm. Plat lib. 1.*

Noxium omne imbecillum efficit cui inest. *Sebast. Foxius in 8. Platonis de republ. dialog.*

Negator est qui litigiose contendit ita, vt sua negligat, & in dicendo à plerisque audientibus non cum voluptate audiatur. *Plat. in sophista.*

Numenium Plotinus quasi præceptorem in omni Theologia est imitatus. *Aug Steuch. de per. phil. lib. 2. cap. 13.*

Numerare nil aliud est, quàm considerare quantus numerus existit. *Plato in Theateto.* Numerare didicimus, age, vnum & duo vnde nobis contigerunt, babentibes naturam hanc vt intelligamus ex parte, ad hoc quod intelligere possumus, multis autem aliis animalibes neque ad hoc ipsum natura accessit, vt à patre numerare discerté possint; apud nos autem hoc nunc facit, ea quibus quid pulchrius quis spectare posset, si vnem ad vnum confertur quàm dici genus? Postea si ad noctis partem deuenies oculis præditus, totum aliud ipsi videbitur, si sanè hæc quæ eadem sunt per multas noctes, & multos dies circumuoluere non desinet, quibes cœlum nunquam cessat docere homines vnum & duo, priusquàm etiam tardissimus ad discendum satis numerare didicerit: vt enim etiam tria, & quatuor & multa, quisque nostrum qei hæc videt intelligere posset etiam ex his vnum fecit Lunam Deus qui ipsam fecit, quæ modò maior apparens modò minor, progreditur alium semper ostendens diem vsque ad quindecim dies ac noctes, Hic autem est circuitus si quis vult circulum totum in vnum ponere, vt etiam tardissimem ad discendum animal discere possit ea his quibus Dees naturam tradidit, vt discere possiur. & vsq; ad hæc & in his omnium animal ea facultate præditum valdè numerandi peritum factum est, quod singulatim ipsum per seipsum considerat; at maioris numeri cognoscendi gratiâ menses ad annum constituit, & omnem numerum contueri incœpit. *Idem, de legum append.*

Numerorum diuisio.

Nemerus est veluti terra humore subacta: alies est qui æqualis æqualiter fieri potest, quadrangulo in figera assimilantes, qeadrangularem, & æquilaterum appellauimus; at qui in medio huius est vt ternarius, & quinarius, & omnis, qui nõ æqualis æqualiter fieri potest, sed aut maior paucies, aut minor pluries sit, maius, aut minus latus semper ipsum amplectitur, altera parte longæ figuræ assimilantes, ex altera parte longum numerum vocamus. *Plato in Theat.*

Numeri septem & octo multiplicati, soli ad efficiendam mendi animam iudicati sunt. *Macrob. in som. Scip. lib. 8.* Numerus septenarius geminam vinciẽdi obtinet vim, quia ambæ partes eius vincula prima sortitæ sunt, ternarius cum vna medietate, quaternarius cem deabus. *idem, ibid.*

Numeri apud Pythagoricus triplices sent, lineares, plani, & solidi. *Fic. in Plato. Tim. cap 19.*

Nemerorum gradus sea sunt, primus in primo ente seper ideas, secundus ideis ingenitus, tertius in substantiis incorporeis, quartus in eiesmodi viribus, quintus in corporibus aptè connexis, sextus in corporibus quasi diuulsis. *Idem, in Plotino En 6 lib. 6. cap 14.*

Numeres tripliciter sumi potest, pro nemero nemerante, pro numero quo numerames, & pro numero numerato; numerus oumerans est anima, nomerus quo numerames sunt vnũ deo, tria numerus numeratus sunt res ipsæ *Gabriel Buratellus de eodem, lib. 1.*

Nemerus alius est numerans nostri menti insitus, alius numeratus io rebus numeratis. *Seb. Foxius in Platonem de republica.*

Numeri apud Pythagoricos alij primi & exemplares, alij secundi & sensibilibus rebus accommodati. Omnia quæ natura cõstant facta esse in numero, nil aliud est quàm rebus singulis perfectionem insitam, quæ formæ est cum materia communicantis, deriuatam forma exemplari, quæ consistit in numeris quos ijdem separatos appellant. *Iac. Carp. in Alcin. digress 12.*

Numerus quid est, & vt dicitur, & eius inuentio.

Numeri seursum per se existentes, non quanti, sed substantiæ iudicantur, cùm secundùm seipsos existunt. *Plotin. En. 6. lib. 1. cap. 4.* Numeri discretio fit per imparis & paris proprietatem. *idem, En. 6 lib. 3. cap. 13.*

Numerus vnitus est ens, numerus explicatus entia, intellectus numerus in se agitatus, animal est nemerus comprehensus. *idem, En. 6 lib. 6. cap 9.* Numerus qui est in entibus est essentialis, qui est in quantitate est eius imago. *ibid.*

Numerus est principium, & fons existendi entibus omnibus, primes, & veres. *ibid. cap. 15.*

Nemerus essentialis in anima est. *ibid. cap. 16.*

Nemerus rerum inter se formaliter differentium determinatus est in muodo incorporeo per numerum idealem certum in mundo diuino, qui tamen illic infinitus dicitur, ve quælibet idea, quia totam naturæ suæ virtutisque possidet plenitudinem, nec extrinsecus terminatur: at nos quolibet numero dato maiorem fingimus, & sic infinitem in nomerando contingit. *Plotin. Enn. 6 lib 6. cap 18.*

Numerus dicitur ab arse, quod antiqui aptare seu componere vocant, vnde arithmus dicitur apud Græcos; secundùm Latinos numerus dicitur. *Syrian. in 12 metaphysic cap. 2.*

Numeri apud Pythagoricus erant intellectuales, animales, mathematici, & naturales, non tamen ex vnitatibus constituti erant, nec quanti præter mathematicum. *idem, ibidem, capitulo 5.*

Numeri quadratora prima appellatur decem, quia constat ex vno duobus tribus & quatuor, secunda triginta sea, qeia cõstat ea quatuor imparibus numeris 1. 3. 5. 7. & quatuor paribus 2. 4. 6. 8. tertia quadratura est quinquaginta quatuor, quia continet quatuor limites in duplici latere id est, 1. 2. 4. 8. & qeatuor alios in eo latere quod ex triplicibus compositum est, 1. 3. 9. 27. communi videlicet acceptâ singularitate, quæ est vtriusque lateris caput. *Chalcid. in Plat. Tim.*

Nemerorum initia sunt singularitas, & duitas, & in omnibus rationibus inueniuntur. *idem, ibid.*

Nemerorum cognitio primo inuēta fuit apud Platonicos propter mercaturas. *Proclus in Euclidem lib. 2. cap 4.*

Nemeres, & rithmus idem sunt, nisi quòd hoc græcum,

illud latinum est. *Bessarion. in Calumniatorem Plato. lib. 5. cap. 3.*

Numeri in vnitate, & lineæ in centro, non sunt aliud quidquam quàm vnitas & centrum. *Fic. in Dion. Areopag. de diu. nom.*

Numerus est anima entia. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 82.*

Numerus nil aliud est quàm vnitas repetita. *Idem, in Plato, de republica, dial. 7.* Numeri non sunt corporei. *Idem, ibid.*

Numerus quinarius est origo numeri perfecti circularis, siue in se per planum ducas efficiunt 25. si per solidum 125. vtrque circularis est, incipiens à quinario desinens in quinarium. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 3.* Numerus duodenarius est plusquam perfectus, quia fit ex senario geminato perfecto. *idem, ibid.*

Numerus denarius est quodammodo numerus vniuersus, & numerorum vniuersalium origo, quatenus ea pullulans centum, mille, decem millia, mille mille. *ibid.*

Numerus duodenarius fit ex geminato senario, numero perfecto, scilicet ipse plusquàm perfectus: nec mysterio cares, quòd in eius compositione 7. aligit & 5. nam septem Planetis competit quinarius, quinque mundi plagis scilicet, quatuor elementis & cœlo, item quinque origo prima est numeri perfecti circularis, siue in se per planum ducas efficiunt 25. siue per solidum 125. vterque circularis est, incipiens à quinario, desinens in quinarium. *Fic. in Plato. de rep. dial. 8 cap. 3.*

Numeri & plani, & solidi, vel æquilateri sunt, vel inæquilateri: æquilateri sunt qui ex numero quolibet in se per seipsum multiplicatio creantur, vt bis 2. plani, vel bis duo bis solidi: inæquilateri sunt qui oriuntur ex multiplicatione numeri alterius per alterum, vt in planis bis ter 6. ter quater duodecim. in solidis bis, ter bis. 12 bis ter, ter, 18. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 6.* Numeri altera parte longiores sunt qui ex ductu numeri alicuius in proximum procreantur, vt bis ter sex, in quibus numerus maior in quem minor ducitur hoc ipso minore vnitate duntaxat est maior. *idem, ibid.*

Numeri non solùm multiplicatione conficiuntur, sed etiam quodam compositionis modo, cùm ad eorum constitutionem vnitati deinceps. vel numero numerus additur: æquilateri cùm impares imparibus vnitate duce numeri adhibentur vt, 1.3.5.7. vnitas est primum æquilaterum, cui si addatur 3, fit 4. secundum æquilaterum, addito 5. fit 9 & sic deinceps, inæquilateri verò, cum pares paribus dualitate duce numeri adhibentur, vt 2468. vnitas est primum inæquilaterum, fit enim ex vnitate & dualitate; 6. inæquilaterum fit ex 2. & 4 cuius latera sunt 2. & ternarius, & sic de aliis. *Fic. in Plato. de rep. dial. 8. cap. 6.* Numeri plani sunt qui prima multiplicatione numeri procreantur vt bis 2. 4. *idem, ibid.*

Numeri inæquilateri dicuntur altera parte longiores, vel oblongi, vt bis ter 6 quia vnum latus ter scilicet est longius altero duobus scilicet *Fic. in Plato. de republica dialog. 8. cap. 6.* Numeri oblongi sunt, qui ex ductu numeri in remotiorem numerum procreantur, vt bis 4 8. vel ter 5. 15 nam hic numerus minorem longiori spatio quàm vnitate superat. *idem, ibid.*

Numeri solidi sunt, qui non solùm multiplicatione, sed etiam terna replicatione nascuntur, vt bis 2. bis 8. ter tria ter 27. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 6.*

Numeri inæquilateri omnes sunt pares & fœminæ ex paribus fœminis constituti; oblongi verò & pares, & impares, sed nimium inæquales. *idem, ibid.*

Numerorum substantia, nil aliud est quàm vnitas toties repetita. *Fic. in Plato. de rep. dial. 8. cap 8.* Numerorum mensura est vnitas; nam semel duo est duitas, semel tria est trinitas. *Idem, ibid.* Numeri trigoni nuncupantur, qui ex imparibus, & paribus simul consequenter dispositis componuntur, vt si vnitati addas binarium, fit 3 trigonus, cui si addas ternariú, fit 6. trigonus. *ibid.*

Numeri simplices sunt, qui vnitate simpliciter constant, atque mensurantur, vt 3.5.7. *Fic. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 8.* Numeri radix, ut semen illud propriè appellatur, quod per seipsum multiplicatum, quasi coalescens & germinans, numerum germinat ampliorem. *Idem, ibid. cap 10.* Numeri lineares sunt, quos sola metitur vnitas quasi punctum, vt 2. 3 5. 7 9 & similes *Idem, in Platon. Timæum, cap 19.* Numerus quinarius est perfectum denarij medium. *ibid. cap. 27.*

Numerus denarius dicitur vniuersus. & centenarius, & millenarius vniuersales sunt numeri. *Fic. in Plato. de repub. dial. 10.*

Numerus denarius dicitur vniuersus, nam omnes numeros vel infra se implicat, vel per se suósque explicabit replicando. *idem, ibid.* Numeri oblongi sunt qui ex ductu multùm minoris fiunt in numerum longè maiorem, vt denarius ex ductu duorum in quinque. *idem, in Plato. Tim. cap. 19.*

Numeri plani sunt, qui multiplicantur ex numeris quasi lateribus, vt senarius ex bis tribus. vel ex ter duobus, aut quadrati appellantur qui in seipsos multiplicati fiunt *Fic. in Plato. Timæum. cap 19.* Numeri solidi sunt, qui ex ductione, atque reductione alicuius numeri in seipsum efficiuntur instar molis solidæ in trinam quasi producti dimensionem, vt bis duo bis octo, ter tria, ter vigintiseptem. *idem, ibid.* Numeri quadrati & æquilateri sunt, qui ex numeri alicuius ductu in seipsum conficiuntur, vt 36. inæquilateri, qui ex ductu minoris numeri in maiorem, vt 6. ex 2. & 3. *ibid.* Numeri sunt figurarū termini *ibid. cap. 40.*

Numeri in se incorporei sunt, quando nil aliud sunt quàm repetita vnitas, hæc autem indiuidua est: at cùm primum sensum forsitan putantur, fingi possunt in puncta conuerti: item ex tractu quodam à puncto in punctum nasci lineam, & ex eius ductu superficiem, & ex eius descensu profundum. *Fic. in legum Plat. appendicem.* Numeri quidam lineares sunt, superficiales alij, alij cubi, alij solidi: primi, vt binarius vnitati quam proximus; secundi, sicut quaternarius per binarium ab vnitate producens: tertij, vt octonarius ex binario in se reuerso profectus. *id. in, ibid.*

Numerum ait Philolaus esse imperinsam quandam, & ex se progenitam sempiternæ mundanarum perseuerantiæ continentiam. *Ficin. in Plotin. En. 6 lib. 6 cap. 11.* Numerum esse exemplar fabricæ mundanæ primum ait Ippasus Pythagoricus, & instrumentum mundani fabri iudiciarium. *idem, ibi.* Numerum Pythagoras ait esse extensionem, atque actum seminalium rationum in vnitate regnantium, & esse primum in diuina mente consistens. à quo, & ex quo omnia componuntur, & permanent ordine quodam indissolubili inuicem distributa *ibid.*

Numerus verus non est omnis multitudo, sed discreta. *Ficin. in Plato Parmen. cap. 95.* Numerus suâ naturâ cùm sit multitudo, vnitatis beneficio fit simplex quantum ipse simplicitatis est capax. *Io. Pic. Mir. in Hep. lib. 3. cap. 5.* Numerus quaternarius est numerorum plenitudo, ita dies quartus est plenitudo dierum. *Idem, ibid. lib 7. cap. 4.*

Numerum ait Pythagoras esse extensionem atque actum seminalium rationum in vnitate regnantium. *Gab. Buratel. de ente & vno, lib. 2.* Numerorum proportio quædam est magis temperata, cuius extrema magis accedunt ad naturam vnius quædam minus. *idem, de animarum communitate, lib. 9.*

Numeri proprietas, & vtilitas.

Numerus omnis si essentiâ participat, etiam pars vnaquæque numeri essentiâ participabit. *Plat. in Parme.* Numerorum omnium quod primò factum est, est vnum. *ibid.* Numeris, aut molibus, aut facultatibus tribus quum fit medium, quod sanè est primum ad ipsum, hoc est ipsum ad vltimum, & rursus quod est vltimum ad medium, hoc est medium ad primum. tunc medium & primum & vltimum fieri, vltimum verò & primum rursus ambo media, omnia hæc ita esse contingent. Deum autem eadem inter se fiunt, vnum omnia erunt. *in Timæo.* Numerorum cognitionem pueris cum lusu, & voluptate docere debemus, vtilis enim est & ad causarum ordines, & ad rei familiaris gubernationem. *de legibus dialog. 7.*

Numerus non est infinitus, nec qui numerat infinitatem ipsam numerat: & vt in mundo intelligibili determinatus est numerus entium, sic in mundo corporeo; nec animus & si iungat numeros, auget, sunt enim naturaliter terminati. *Plotin. En. 6. lib. 6. cap. 2.*

Numeros Pythagorici secundùm analogiam, id est proportionem afferre videntur. *Plotin En. 6. lib. 6. cap. 5.*

Numerum esse ante entia patet: nam qui vult tantum auri, non vult numerum facere aurum, sed aurum potius facere numerum; & si entia numerum antecederent, entia & contingentia tot essent entia; & cùm omne ideò est vnius particeps, vt sit vnum, & vt ens ab ente, quando ens ab ipso ente, vnum à seipso vnum, alioqui non foret ipsum simpliciter vnum. *Plotin. En. 6. lib. 6. cap. 10.*

Numerum, & vnum ante prius fatemur, nam quodcunque ens perceperis siue sensibile, siue quomodolibet intelligibile, vel ideam, de hoc singulatim prædicatur vnum; & cùm vnum sit communiter in singulis nullis penitus est additum, imò & super vnum, quod est in alto id est ente, atque in eius opposito, id est multitudine entium, profectò vnum extra aliud & multitudinem per se existit. *Idem, ibid.*

Numeri verissimi sunt in rebus intelligibilibus, non qui in aliis inspiciantur, sed in se ipsis existant. *Plotin. Enn. 6. lib. 6. cap 14.*

Nume-

Numerus nonus fit in homine numerante in genere quantitatis, cùm homo numerat, at cum consideras homines ita dispositos, vt in platea, vel choro, præter denarium tuum, est denarius in eis ordinatus in genere quantitatis: sed numerus partium in re qualibet naturalium essentialis est, & naturaliter in substantiæ genere collocatus. *idem, ibidem. cap.16.*

Numerò infinitum aduersatur, *Plotin. En.6.lib 6.cap.17.* Numerum infinitum, vt & lineam infinitam dicimus, non quòd sit talis, sed quia licet excogitare. *idem, ibidem.* Numerem totum in multiplicationibus mensurat vnum latus, vt nouenarium ternarius. *Syrian 13.metaph.cap.7.* Numero cuncta assimilari Pythagoreorum est prouerbium. *Idem, lib.12.metaph cap.4.*

Numerus septenarius laudatur à Pythagoricis, vt optimus, naturalissimus, & sufficientissimus. *Chalcidius in Platonis Timæum.* Numeri qui finibus decumani numeri continentur, alij alios pariunt, alij ab alijs nascuntur, solus septenarius nec gignit ex se alium numerum infra decumanum, nec à quoquam ille nascitur. *idem, ibidem.* Numerus septenarius Minerua à veteribus est appellatus, ita vt illa sine matre perpetuo virgo. *ibid.*

Numerus septenarius ideò naturalis & optimus habetur, quia multa eorum, quæ naturæ lege proueniunt, iuxta hunc numerum fieri notantur. Primò septimani partus ante cæteros legitimi sunt in generis humani fœtibus, septimo mense dentes aguntur, septimo anno mutantur: idem quoque secundâ habdomadâ pubertatem affert, vtrique sexui gignendi, & patiendi maturitatem; tertiâ hebdomadâ ostendit se flos & lanugo circa genas; quartâ hebdomadâ definiuntur incrementa staturæ: quintâ plena iuuenilis ætatis perfectio; & in ægritudinib. motus fit per septenariũ. *Chal in Tim Plat.*

Numerus septenarius dinumerat sensuum omnium qui sunt in capite septem meatus, oculorum, aurium, narium, & oris: vitalia quoque, lingua, pulmo, cor, lien, hepar, duo renes: vocalium literarum numerus: lunæ crescentis & decrescentis transfiguratio: septem in mundo sunt planetæ. *Chalcidius in Platonis Timæum.* Numerus ternarius optimus habetur: primus enim ante omnes perfectus est habens initium, finem medietatem quibus crescunt corpora, & iuxta quæ corporea incrementa progrediuntur, cùm vnum interuallum lineam, duo superficiem, tria corpus procreant, & omnia tria dicuntur, cum duo dici non possunt: ea hoc fit senarius plenus & perfectus, qui est æqualis his partibus è quibus constat. *idem, ibid.*

Numerus augendo semper fit infinitus. *Procl. in Euclidem lib.1. cap.2.* Numerum diadem appellauit Zaratas Pythagoræ doctor numeri matrem, & vnum patrem. *Plutarch. de animo genitura è Timæo.* Numerum omnia æmulari Pythagoras astruebat. *Idem, ibid.*

Numerus duodenarius nouem continet non solùm amplitudine sed proportione sesquialterâ, & decem sesquitertiâ. *Ficin in Plato. de republica, dial.8. cap.3.* Numerus vbi rebus numeratis contingit extrinsecus, æqualitas vel inæqualitas ritè dicitur, vbi autem numerus est essentialis, & intimus, identitas dici potest. *idem, in Plato. Parmenidem, cap.69.*

Numeri, & figuræ quantitates incorporeæ sunt. tamen quia dimensionem aliquam suscipiunt non pari dignitate, qua impartibiles substantiæ censendæ sunt. *idem, in Plato. Theætet.*

Numerus denarius omnium numerorum integerrimus est, nam continet & numeros intra se numeratos, & replicat ex se innumeros. *Ficin in Plato. dialog. de republica primum.* Numerus duodenarius iuxta Platonis opinionem est vniuersalis formæ mundanæ, vel humanæ: atque ciuilibus gubernator, primùmque rarum propagationi, vel mutationi congruit, primus enim est crescentium ac abundantium numerus. *idem, in Plat. de repub. dial 8. cap 3.*

Numerus fatalis minor est 729 i. nouenario ter aucto procreatum. *Ficin in Plato. de republica, dial.8. cap.3.* Numerus quinarius conuenit quinque mundi plagis, quatuor scilicet elementis & cœlo. *idem, ibidem.* Numerum duodenarium summopere colit Plato, quia est primum inter solida medium, & quia ex quinario, & septenario compositus est. *ibid.*

Numerus deodenarius ideò præcipuus est, quia componitur ex 5. & 7. sed etiam resolue quinarium in 3, & 2, bis 3 faciunt 6, & bis 3 bis 12, resolue, 7 in 4. & 3. ter 4, 12: non solùm ergo quinque & 7. faciunt 12, sed etiam in vtroque partes inuicem mixtæ scilicet multiplicati 12 efficiunt: fit etiam 12 ex primis numeris inuicem multiplicatis 3. & 4. 12. si duo non est determinatus numerus, sed multitudo confusa. primi numeri sunt 3. & 4. elementa duodenarij, ob hoc etiam celebrandi. *Fic. in Plato, de repub. dial.8. cap.3.*

Numerus duodenarius non sine graui causa à Prophetis, sacrisque eloquijs obseruatus est, implet enim geminatus diem. *idem ibidem.*

Numerus septenarius multa metitur, per annos mutationes in vita, per dies mutationes in morbis maiores, per horas verò minores, tum in bonum tum in malum. *Fic. in Plat. de republica, dial.8. cap.2.* Numerus cùm peruenit ad sex, qui perfectus est designat perfectum habitum, quando ad octo, qui deficit partibus sorte deficientem, nisi res soliditate numeri, vel ratione alia compensetur; quandò duodecim qui abundat, fertilitatem, quando ad numeros inæquilateros inæqualitatem, quando ad æquilateros æqualitatem, quando ad solidos firmitatem & plenitudinem; cùm peruenit in diametralibus ad proportionem dupla minorem sterilitatem, cùm in iisdem ad proportionem dupla maiorem fertilitatem. *idem, ibid.*

Numeros in ipso ente primo, tanquam primos destinatores entium illic ideas quinque existere probat Plotinus, & Proclus subtilissimè. *Ficinus in Plato. de republica, dialog. 8. cap.7.* Numerus duodenarius orbi maximè congruit præ cæteris, nam Sol & Venus duodecim percurrit mensibus, Iupiter annis duodecim. Luna quotidie 12. currit gradus motu medio, & suas duodecim gradibus habet mansiones, & cum Sole menses habet duodecim. *idem, ibid cap.3.*

Numeri similes sunt æquilateri æquilateris, cubi cubis: inæquilateri illi sunt consimiles quorum latera sunt proportionalia, vt 6. & 24. latitudo senarij est 2. longitudo 3. nam bis ter faciunt 6; numeri verò 24. latitudo est 4. longitudo 6. nam 4. 6. faciunt 24. & vt se habet 4. ad 2. ita se habet 6 ad 3. itaque vt se habet latitudo numeri 24. ad senarij latitudinem, sic longitudo illius ad senarij longitudinem, & hac ratione similes appellantur: qui his proportionibus nõ conueniunt dissimiles iudicantur. *Ficinus in Plato. de republ. dial 8 cap.4.*

Numerus duodenarius maximè conuenit vniuerso, & fertilitatem incrementùmque significat, quia primus est, & princeps abundantium numerorum. *Fic. in Plato. de repub. dial. 8. cap 4.*

Numeri procedentes ab octo primo solido ad 27. secundum solidum, & in numeris inde productis quot sunt augmentationes superantes, totidem & superatæ. *idem, ibid.* Numerum senarium sponsalem primum Pythagorici appellant, quoniam in eius conceptu mas cum fœmina coit, scilicet impar cum pari: secundus sponsalium est duodecim, quia in eius conceptu 3 cum 4. se miscet. Vbi verò par & impar per media distant, congredi non videntur. *ibid.*

Numeros fatales producit Plato ad solidum velut ad summum, vt hinc ostendat vbi ad summum iam peruentum est paulatim in oppositum omnia relabi, cùm in eodem habitu naturâ mobilis conditio diutius permanere non patiatur. *Fic. in Plat. de repub. dial.8. cap.3.*

Numerus duodenarius si ter augetur, vt 12, duodecies duodecim, efficit 1728. habens latius diatessaron & diapente ipsius diapason elementa, qui numerus maximè conuenit vniuerso: nam mille conuenit firmamento, septies centum planetis septem, 18. verò additi est ad lunarem circuitum exprimendum. *idem, ibidem.*

Numeros diametrales appellat Plato quinitates, quia in primo quadrato latus est 2, in quadrato diametri 3 Solidos nominat numeros trinitatis, quia trina replicatio numeros facit solidos & trina dimensio corpus solidum, sed præcipuè illos solidos vocat trinitatis, quos producit ex nouenario qui resoluitur in ternarium. *Ficin. in Plato. de republica, dial.8 cap.5.* Numeri. vt in figuris duo trianguli quadratum efficiunt, sic duo numeri trigoni quadratum efficiunt, vt 3. & 6, ambo trigoni 9. creant quadratum. *idem, ibid. cap.7.*

Numerus octonarius propter æqualem ad vltimum distributionem à Pythagoricis iustitia appellatur. *Ficin. in Plato. de republica dialog.8. cap.6.* Numeris inferiora distinguntur, atque sicut & rerum, sic & numerorum species omnes suis quibusdam viribus quasi prærogatiuis ac priuilegiis pollent. *idem. ibid. cap.7.*

Numeri similitudinem quandam habent ad Deum, nam quilibet numerus agens secum ipso generat numerum, vt bis 2, 4, ter tria, nouem, & postquam genuit, per genitum generat alium, vt bis 4. 8. ter nouem 27. & potest numerus hic author, sine hoc instrumento eundem per se numerum producere, quem hoc instrumento produxerat, vt bis duo bis octo, ter tria ter, 27. Ex his apparet Deum secum ipso agentem alia procreare, & si creaturâ primâ vtatur vt mediâ ad effectus alios producẽdos, nihilominus potest eosdẽ sine hoc medio procreare agendo secũ ipso. *ibid. cap.8.*

Numeri ita se habent ad vnum, vt post Deum omnia ex quo-

dam ipfies Dei proprietate, vnà cum quadam illinc degeneratione conftaot, etque ex eodem fimul & altero, & vnitate atque moltitudine, ita ternarius tanquam primus numerus non multitudo prima, fed primus numerus, ex vnitate fit, & diuitate tanquam quadam vnitatis degeneratione, & alteritate, confufáque multitudine; & fic cæteri numeri hanc primi cumeri fortem fequuntur. *Ficin. in Plata. de republi a, dial. 8. cap. 8.*

Numerus æquilaterus fi inæquilaterum multiplicat, femper oritur inæquilaterus, vt quater, fex, vigintiquatuor, qui eft inæquilateros. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 18.*

Numerus folidus fi inæquilaterum multiplicabit, vel cootra, nunquam folidus procreabitur, vt bis octu 26. vel octies fex 48. qui non funt folidi. *Idem, ibid.*

Numerus folidus fi folidum multiplicat, fiue fe, fiue alium, folidum quoque creabit vt octies octo 64. octies 27. 216. *ibid.*

Numerus æquilaterus fi æquilaterum multiplicat femper oafcitur æquilaterus, vt 4. 4. 16. at fi inæquilaterus inæquilaterum, oritur inæquilaterus. vt bis fex duodecim. *ibid.*

Numeri æquilateri cùm ea imparibus fiunt filij boni appellantur, & qui inæquilateri, vt qui ea paribus, filij mali appellantur. *Ficin. in Plata de republica dial. 8. cap. 23.*

Numeri, qui nafcuntor ex æquilateris vel per fe vel inuicem multiplicatis, tanquam fponfis bonis bonæ proles oafcuntur, ea inæquilateris malę. *idem, ibid. cap. 24.*

Numeri æquales fphæris magnis competent planetarum & Soli atque ætheri propter motus æqualitatem, Ioci quoque & Veneri aerique medio ob temperaotiam qualitatum. *ibid.*

Numeri æquilateri & æquales per centies centum fignificati præcipuè conueniuot firmamento propter motum eius æqualem, fimplicem, fimpliciter circularem; inæquilateri verò planetis, & elementis propter inæqualem, & multiplicem motum. oblongi Marti, & Mercurio, Lunæ, mutatiooū authoribus plurimarum atque maximarum: inter elementa igni ob eandem caufam potiffimum, atque aquæ. *Fic. in Plato de republica, dial. 8. cap. 14.*

Numerus fenarius in fe ductus circulum facit planum 36, & in fe reductus facit folidum 216; & dicuntur circulares, quia incipientes à 6. defiount in fex. *idem, ibid. cap. 27.*

Numerus Geometricus, id eft proportionalis magnam in fe vim habet ad bonam prolem, & non bonam, & vltra tranflationes, eiufmodi obferuare oportet numerorum fimilitudinem in temporibus mundi & ætatibus humanis nam cū prouenitur ad laudatum numerum, vel oppofitum, aut opportunitas eft ad bonum, aut occafio ad malum, & illinc fœcunditas & propagatio ad bonum, hinc fterilitas vel fucceffio ad mala. *Fic. in Plato de republica, dial. 8. cap. 13.*

Numeri qui fiunt ea folidis procul dubio proles bonæ funt, at ex mixtura inæquilaterorum cum folidis nunquam bonæ *Idem, ibid.*

Numerus quadratus æquilaterus decem millia, propriè ftellis fixis, quæ funt in firmamento, refpondet, vt non immeritò fe iectus principio fuerit. *Ficin. in Platonem de repub. dialog. 8. cap. 14*

Numerum ternarium in nono de Republica maximè colit Plato. item quadratum ab eo factum i. 9, rurfus folidum ab ipfa confectum 27, & denique megnum illum oumerum ac fatalem fcilicet 729 quia primam radicem habet 3, fecundā 9 tertiam 27. nam fit & ea 9 ter aucto, & ex 27, bis aucto, & ille folidus eft, & circularis, cœleftibúfque conueniens fed in hoc octauo amphorâ factâ fignificaturus, numerum accipit ampliorem 1728. ex 12 ter aucto procreatum per millenarium firmamentum fignificans. *idem, ibidem.*

Numero ternario gaudet Plato tanquam primo velut omniū facratiffimo. Gaudet quoque centenario quafi fœto vniuerfi numeri id eft denarij, quum centum in decimo de republica introducit quafi quendam vitæ finem, & iudicij terminū. Gaudet etiam millenario præfertim in Phædro tanquam è denarij corpore. Decies decem decies faciunt mille folidum. Delectatur etiam hic clam & in Phædro decem millibus, quoniam ex decem & mille refultat, fed inæqualem dignitatem interim vtrinque reportat. Item fit ea 100. 10 fe ducto velut æquale, & hic gaudet millies mille tanquam corpore ccntenarij, qui & centefimus cubus exiftit, ea ordine numerorum, & triuitatis cubus dici poteft. *Fic. in Plata. de rep. dial. 10. cap. 15.*

Numerus fenarius in planetis peruenit in bonum & viuificum, fi à firmamento inceperis in Venerem, fi a Saturoo fexto menfe perducceris ad Solem, fi à natiuitate annoa numeres incipiens à Luna, anno fexto coofequetis Iouem, ita vt non abfque myfterio Mufes fenario dierum numero vult mundum fuiffe perfectum. Ordo verò planetarum eft fecundum Platonem Saturous, Iupiter, Mars, Mercurius, Venus, Sol, & Luoa. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. c. 17.*

Numeri plani poffuot vno medio colligari: oam 9. & 16. plaoi funt oumeri, & colligaotur vno medio, 12. fcilicet; nam ita fe habet 12. ad 9. vt 16. ad 12. fefquitertia enim eft proportio, continet enim 12. totum 9. & tertiam partem, & 16. contioet totum 12. & tertiam eius partem. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 19.* Numero quaternario pleoitudioem mundani tum corporis tum animi Pythagorici defigoabant, eámque iureiurando teftabantur naturæ perpetuò fluentis fontem effe quadruplicem. *idem, ibid. cap. 20.*

Numerus quaternarius implet omnem differentiam numerorum, primum parem, primum imparem in fe continet; implet fimplicem numerurum progreffionem, quando terminis quatuor implet denarium 1, 2, 3, 4. implet proceffum ac dimenfionem terminis quatuor effequens, puncto, longitudine, latitudine, & profunditate: implet muficam confonantiam, nempe intra quaternarij limites dupla, quadrupla, fefqualtera, fefquitertia, diapafon, difdiapafon, diapente, diateffaron coercentur: implet naturam ad quatuor vfque terminos procedentem, fubftantiâ, quantitate, qualitate, & motu; implet denique vniuerfum fiue quod in natura fiue quod fupra oaturam. effentiâ, effe, virtute, & actione. *Ficin. in Plat. Timæum, c. 30.*

Numero è quaternario manat quaternarius elementorum oumerus, quadruplicitas in cœlo quadruplex, fub cœlo tempora quatuor, fub tempore quatuor humores, complexiones, & affectus, fuper tempus quatoor virtutes furgent, in æternitate quatuor exempla virtutum. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 10.* Numerum in Apollineum non mirum eft veteres tum medicinæ, tum muficæ originem retuliffe: mirum (inquam) oon eft, cum morbi quidam & corporis & animi certis concentibus mirabiliter cureotur; vtraque enim medicina eft, fed altera ex corpore curat animam, altera a ea anima curat corpus *idem, ibid. c. 30.*

Numero duodenario vtitur hic Plato circa reforrectionem, qui fphærarum mundanarum apud prifcos eft numerus, putantes octo fuper quatuor elementa effe cœlos, quafi dicat opus effe diuina virtute vniuerfi dominâ ad mortuum fufcitandum, idque interdum ad hominum doctrinam diuinâ prouidentiâ fieri. *Ficin. in Platon. de republica, dialog. 10.* Numerus vniuerfus, id eft denarius, opportuoè animis purgandis accommodatur, vt per hunc fignificetur vniuerfam corporis labem deponendam effe priufquam ad vniuerfi peruenias principem, penes quem nihil poteft effe corporeum *idem, ibid.*

Numerum feptenarium attribuent Pythagorici animis è terrena adhuc matre femotis, & vniuerfum fub Palladis fapientia contemplaotibus: at cùm primùm ab eiufmodi vacatione confurgunt, fubeunt octonarium, qui & gignitur & primus eft inter numeros folidus. *Ficin. in Platon. de republ. dialog. 10.* Numerum fenarium Pythagorici ouptiis, & genefi accommodant, & Gamon appellant, proptereáque partes fuæ iuxta pofitæ ipfum gigount, & fimilem reddunt genitum genitori. *idem, in Plat. Timæum, c. 22.*

Numeri folidi non poffunt vnico medio copulari, fed duobus faltem mediis; oam folidus numerus eft 8, & 27 qui copulari poffuot 12, & 18. qui fefquialterâ inuicem proportione funt, nam ita fe habet 8 ad 12, vt 12 ad 18, & ita fe habet 18 ad 27, in fefquialtera proportione: continet enim 27 18, & medietatem, & 18 continet 12, & medietatem, & duodecim continet octo, & quatuor, quæ eft octonarij medietas. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 19.* Numerus nonus à Platone laudatus eft quoniam animæ tres habet vultus, nam & ad feipfam, & ad fuperiora, & ad inferiora conuertitur. *idem ibid. cap. 32.*

Numerorum trinitas prima, principium, & medium, & finem rerum contioere videtur, atque fola inter oumeros ratiooe quadam indiuidua continere, fiquidem fingula hæc fingulis fignificat vnitatibus. Præterea fi caufas rerum percurrere libet triplicem in caufis inuenies proprietatem: fuot enim caufæ in fe ipfis, efficiunt effectus, & factos redacendo perficiunt: fiue ad effectus defcendas confideraodos, deprehendes fimiliter trinitatem, nam & effectus funt in caufis; procedunt ab illis, conuertuntur ad illas: fiue ad animam te contuleris, quæ fublimes caufas cum infimis connectit effectibus, afpicies eam in feipfa maoentem, & declinantem ad effectus, & ad caufas afcendentem. *Ficinus in Platonis Timæum, c. 32.*

Numeri 27. fumma fignificat animæ plenitudinem omnia in omnibus collecturam: nam 27. continet 2, 3, 3, 4, 8, 9, qui fimul iuncti faciunt 27. *Marfi. Ficin. in Platon. Tim. cap. 33.*

Numeri

Numeri animæ generationem intrantes in figura descendunt ad solidum vtrinque numerum, hinc ad octo inter pares, inde inter impares ad 27, vt cogitemus animam vtraque solida, scilicet tam composita, quàm simplicia prorsus implere. *idem, ibid.*

Numerorum Animæ generationem intrantium interualla quid velint adhuc apud Platonicos est ignotum, sed licet in hunc modum vaticinari. Describatur triangulus, in cuius summitate sit essentia, in latere vbi numeri impares designantur, infinitudo, deinceps alteritas, atque motus: at in latere vbi disponebantur pares, fit terminus deinde identitas per ordinem, & status: hic siquidem septem habebimus similiter limites septem, quorum anima sub eadem ad se inuicem ratione forsitan particeps fingi potest, sub qua ab initio descripti limites numerorum inuicem se respiciunt, vt anima eiusmodi proportionem tam quinque rerum genera, quàm duo generum elementa id est terminum & infinitudinem participet. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 33.*

Numerum duodenarium laudat Plato, & vniuersum illum, qui duodenario accommodatur, quia apud eum duodecim sunt mundi sphæræ, & signa duodecim in Zodiaco, & partes duodecim in elementis, nam quodlibet ex quatuor elementis in tres diuiditur regiones, summam infimam, & mediam, non solem sit, sed virtute differentes. Adde elementorum alterum duodenarium, quo & substantiæ elementorum quatuor, & qualitates octo comprehenduntur. Qualitatum quatuor masculæ sunt, calor, frigus, leuitas, & grauitas, quoniam primæ duo alterationis principia sunt, aliæ duo principia motionis ad locum: quatuor fœminæ, quæ passioni magis subiciuntur, scilicet humor, siccitas, rarum, & densum. *Ficin. in Platon. de legibus, dial. 6.*

Numeri cùm referuntur ad ipsum vnum entia superius, & entia ad ipsum vns, meritò numeri entibus priores sunt. *Ficin. in Plotini En. 6. lib. 6. cap. 5.*

Numeris hic & vbique Plato omnia tribuit: quia si diligenter exploraueris, comperies vbique numerorum proprietates in planis, figurisque conseruari, & eadem per plana gradatim peruenire in solida: & ita corpora suis quæque fieri numeris, ac moueri. *Idem, in Plato. de Republica, dial. 8. cap. 7.*

Numerus septenarius quia ex nullo numero gignitur, nec alium numerum infra decem gignit ideò attribuitur à Pythagoricis Palladi, quia nec ex matre genita sit, nec genuerit. *Mar. Fic. in Plato. de republica, dial. 10.*

Numeris Platonicis difficilius adagium. *Gabriel Buratelius de animi natura, lib. 3.*

Numerus septenarius familiaris, & præcipuus est naturæ. *Iaco. Carp. in Alcinoi cap. 25.*

Numerus vt par, impar, perfectus, & superfluus.

Numerus par est qui æqualia latera habet, & non obliqua. *Plato in dialogo de sancto.*

Numerus par est qui in duas partes æquales diuiditur. *Idem, de legibus, dial. 10.*

Numerum imparẽ patrem, parem matrem appellarant arithmetici. *Macrob. in somn. Scip. lib. 1.*

Numerorum imparium vnitas forma est, vt parium dualitas. *Syrian. in 12. metaph. cap. 6.*

Numerus denarius perfectus est, quia à singularitate orsi vsque ad decem numeramus, & residua numeratio est potius præcedentium numerorum replicatio & à Pythagoricis appellatur prima quadratura, quia fit ex primis quatuor numeris, vno, duobus, tribus, quatuor. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

Numerus senarius perfectus & plenus est, cùm sit æqualis his partibus è quibus constat. *idem, ibid.*

Numerus impar quia abundat vno à pari masculus appellatur, par autem ob inopiam, partitionem, & casum ab vno, ideò fœmininus dicitur. *Ficin. in Plato. de Republica dialog 8. capitula 6.*

Numerus aliquis appellatur abundans, quia partes eius compositæ in maiorem crescunt, vt 12, cuius partes sunt 6. 4. 3. 2. quæ 16. conficiunt, nam ab inæquilatero qui est 12, crescunt in æquilaterum qui est 16, proportione seruatâ: quoniam 16 ad 12 est sesquitertia proportio, vt à 12 ad 9. est sesquitertia proportio. *Idem, ibid. cap. 4.*

Numerus perfectus primus est senarius, secundus 28, quia suis partibus constat. *ibid. cap. 3.*

Numerus aliquis appellatur deficiens, quia partes aliquotæ simpliciter ita dispositæ non implent totum vt 8; nam partes eius sunt 4. 2. 1. simul iuncti semper faciunt. *Ficin. in Plato. de Republica dial. 8. cap. 4.*

Numerus impar primus est ternarius, quasi reditus ad vnum, atque principium, & vltra parem abundat vno: ob quam copiam masculus appellatur: par ob inopiam, partitionem, & casum, quasi fœmininus apparet. *Idem, ibidem, cap. 6.*

Numeri pares fœminæ appellantur, impares masculi. *Ficin. in Plato de repub. dial. 8 cap. 8.*

Numerorum parium humana laus est, atque moralis, vt in eorum diuisione vtrinque sit iusta distributio: imparium sacratior est laus, atque diuina: siquidem iustitia in ipso pari quasi dissoluta est, nec vllum habet cardinem quo nitatur, sed in ipso impari semper ipsam vnum inter pares numeri vtrinque pares est medium quasi centrum atque nomen quo æqua distributio regitur, & ad quod referatur quasi finem, *idem, ibid.*

Numeri impares præstant paribus, pares enim rebus corporeis & diuiduis, impares verò rebus incorporeis & indiuiduis similes esse videntur, *Ficin. in Plato. de republica dial. 8. cap. 6.*

Numerus impar, & propter medium sui ipsius vinculum in se possidet, & propter centrum circularis existit, & propter comparationem extremorum ad medium vniuersi ordinis est principium. *idem, ibid.*

Numerus par primus est duitas, diuisio, diuersitásque prima, casusque primus ab vno, ideò fœmininus dicitur. *ibid.*

Numeri impares paribus eminentiores sunt, sed inter impares, 3, 7, 9, eminentiores sunt: nam in 3, circa medium etiam id est vnum vtrinque extat pariter vnum, quasi simplicia & diuina circa diuinum siue Deum: ideò Deus ternario gaudet in 7, circa numen vnum vtrinque ternarius existit numini consecratus: & in 9 ipsum vnum quasi numen iustitiæ id est octonario su medium inserit, nam 8. propter æqualem ad vltimem distantiam à Pythagoricis iustitia nominatur. *Fic. in Plato de republica, dial. 8. cap. 6.*

Numeri æquilateri consequenter procreati ex imparibus ab vnitatis ordine dispositis sunt alternatim pares, & impares, vt 1, 4, 9, 16. inæquilateri omnes pares procreati à paribus à dualitate dispositis ordinatim, vt 6, 12, 20 *idem, ibid.*

Numeri impares non comprehenduntur à paribus, sed comprehendunt, vt ternarius binarium in se continet, siquidem vnitas in ternario media quasi vinculum & caput binarium circa se continet. *Ficin. in Plato. de repub. dial. 8. cap. 9.*

Numerum parem si diuiseris, videtur omnino diuulsus, nec inter partes eius aliquid extat. Cum imparem distribuere studes, inter partes eius existit vnum insolubile vinculum, vt explicatus potius videatur quàm diuisus, vnum enim prorsus est indiuisibile. *idem, ibid. cap. 8.*

Numeri paris proprium est non mutare numerum cui additur, nam si addatur pari parem facit, vt 4, additis 2, fiunt 6, impari verò imparem, si 3. addantur 2. faciunt 5. *Ficin. in Plato. de republica dial. 8. cap. 8.*

Numeri impares pares continent, in nullóq; apparet ordo nisi per terminos impares, in quibus vnus sit medius quasi cardo vtrinque pares termini, & interualla sunt paria. *idem, ibidem, cap. 9.*

Numeri impares maiorem cum vnitate cognationem habent quàm pares, quia & quodammodo sunt indiuidui, nihilominus abundant, & vnum ipsum semper habent in se medium atque centrum, & ab initio in vnum desinunt, & conuertuntur. *Ficin. in Plato. de republica, dial 8 cap 8.*

Numeri pares & impares sic ab vnitate fiunt, vt ab vno rerum principio incorporea & corporea fiunt. *idem, ibid.*

Numerus impar si imparem multiplicat, aut seipsum, aut alium semper imparem procreabit vt ter, 5, 15. *ibidem, cap. 11.*

Numerus aliquis dicitur perfectus, quoniam ex suis partibus aliquotis deinceps ordine positis constat ad vnguem, vt senarius ex vno, duobus, tribus, quæ reuera sunt senarij partes *Fic. in Plato. de republica, dial 8 cap 4.*

Numerus par si parem multiplicet, aut seipsum, aut alium semper parem procreabit, vt bis duo 4, & in alijs item. *idem, ibid. cap. 11.*

Numeri impares sic continent pares, vt æquilateri continent inæquilateros, qui ex paribus procreantur, nam æquilateri ex imparibus fiunt. *ibid. cap. 9.*

Numeri trigoni vt qui fiunt ex paribus & imparibus, putantur proles non pessimæ, nec bonæ. *Fic. in Plato. de republic, dial. 8 cap 13.*

Numeri impares vocandi sunt masculi, sponsi, patres propter robur, quod in nodo sui, vno scilicet medio possident, in genereque boni ponendi sint. *idem, ibid.*

Numeri pares in genere mali ponendi sunt, & fœminæ, & sponsæ, ac matres vocandi, si cum imparibus comparentur. *ibidem.*

Numeri senarij circulus propter perfectionem refert firmamenti circuitum: qui autem ex quinario planetarum periodum, & qui ex 4. elementorum commotationem quodammodo interruptam. *Ficin.in Plato.de repub.dial.8.cap.17.* Numerus perfectes vnus est inter vnitates, id est infra decem,6.infra centum 28,infra mille 496. infra decem millia 8128. & incipientes à 6, secundus desinit in 8, tertius in 6. quartus in 8,& sic deinceps. *Idem, ibid.*

Numerum perfectum assequimur vel per partes suas, vel per totum,vt partes senarij sunt 1,2, 3, per vnum acceditur cum dicimus semel sex,vel sexies vnum,per duo cum bis sex 12, per tria cum dicatur ter sex 18. per totum cum dicimus sexies ses 36.vel sexies sex sextius.216. *Ficin.in Plato.de republ. dialog.8.cap.17.* Numerus perfectus constantiam,æqualitatem, temperantiam significare videtur, ideóque complexionem quandam hominis temperatam, sibique sufficientem, ac firmam. quæ sicut ille numerus earissima est, & Iupiter inter cœlestia maximè talis est: & ipse per senarium designatur, tum quia natura talis est, tum quia ipse Iupiter sextus est. *Idem,ibid.*

Numerus senarius & quisque perfectus ad diuinum genus pertinere videtur cui per sua membra digesto nihil neque deest nec superest, nec deficit nec excedit, nec effluit, nec influit, nec alienis indiget adminiculis, sed æquale temperatúmque est, & suis partibus, viribúsque nititur,atque consistit. *Fic.in Plat.de repub dial.8.cap.17.*

Numerus par appellatur diuiduus, impar indiuisibilis, quia in partes æquas diuidi nequit. *Idem, in Platon. Timaeum, cap 17.* Numeri pares, & impares in figura constitutionis animæ describuntur, quo per pares quidem natura animæ diuisibilis, per impares indiuisibilis excogitetur, & fœminea simul,& masculina virtus. *ibid.cap.33* Numerus omnis eatenus imperfectus est quatenus multitudo,eatenus perfectus quatenus vnus. *Ioan Pic.Mir.in Hept.pl.lib.2.cap.1.*

Numerus inæqualis & diuinus.

Numerus hemiolius est cùm de duobus numeris maior habet totum numerum,& insuper eius medietatem,vt tria ad duo. *Macrob. in somn. Scipio. lib.2.* Numerus duplus est, cùm de duobus minor bis in maiore numeratur, vt quatuor ad duo. *idem,ibid.* Numerus epogdous est qui intra se habet minorem & insuper octauam partem, vt nouem ad octo. *ibid.*

Numeri notio ex ipsa numerorum circa sensibilia varietate non nascitur, in animo autem circa sensibilia numeri notio reuocatur. *Plot.En 6 lib 6 cap.4.* Numeri diuini & intellectuales non constant ex vnitatibus idealis enim numerus non est ex vnitatibus. *Syrianus in 12. metaph. capitulo 4.* Numerus diuinus omnis vnius habet formam. *Proclus elem. Theolog prop 113.* Numerus omnis multitudo est, non autem cuncta amplior enim multitudo est. *Fic.in Plat Parmenidem,cap.95.*

Numerus vt primus, & incompositus.

Numerus primus vbi oritur,ibi oritur motus, & tempus *Fic in Plato.Parmenidem,cap 95.* Numeri primi solidi, 8. & 27.inter se plana duo æquilatera habent 9. & 26. hæc planum quoddam inæquilaterum inter se continebunt 12, nam vt à 22 ad 26 est sesquitertia proportio, quæ totum & tertiam partem continet,sic à 12.ad 9. est sesquitertia item proportio. *Idem,in Plat.de repub.dial. 8.cap.3.* Numeri primi sunt tres & quatuor. *Ibidem.*

Numeri solidi primi, 8 scilicet, & 27 sunt, quorum sunt duo plani medij proportionales 12.s.& 18,& interualla tria.primum ab 8 ad 12, secūdum à 12 ad 18, tertium à 18 ad 27. & inter hos est proportio sesquialtera,vt 12 ad 8 est proportio sesquialtera 12 enim continet 8, & dimidia partem, & sic 27.ad 18. *Fic.in Plat de repub.dial.8.cap.3.* Numerus primus est ternarius,cùm binarius non tam sit numerus quàm primus ab vno casus, & vnitas numerorum principium iuxta Atoltitæ opinionem. *idem, ibid cap.8.* Numeri simplices, & compositi ab vnitate pendent vt ab vno rerum principio simplicia & composita proueniunt. *ibid.* Numeri compositi sunt qui præter vnitatem alio numero mensurantur vt 4.binario, & 6.binario,& ternario. *ibid.*

Numismata multa & impia perpetrauerunt. *Plato. de rep. dial. 3.* Numisma nemo deponat apud eum cui non fidit, nec mutuum det ad vsuram, alioquin licebit vt qui mutuum accepit,nec vsuram,nec summam reddat. *Idem.de legibus,dial, 5.* Numismate vario vtebantur veteres varijs in locis.Carthaginenses corij numismate signati vtūtur, Lacedæmones inutilis ferri, Æthiops lapidibus insculptis. *Idem, de diuitiis.*

Numen.

Numina qui despiciunt, ea non cognoscunt, sed verbis duntaxat apprehendunt. *Plotin. En.2.lib.9. cap.56.* Numina superiora naturâ nihil impassibile habent,nec anima à corporibus pura habet nihil passibilis,imò passiones diuisionis, vel alterationis, vel mutationis alicuius nullas admittit. *Iambl. de mysterijs.* Numina non bona apparent, cùm in Theurgia id est deifica,& sacerdotia facultate delinquitur sub prætextu bonorum. *idem,ibid.*

Numinibus bonis præsentibus vani spiritus euanescunt. *Iamblichus de mysterijs.* Numina inuocata nobis adsunt non coacta, sed volentia contra Porphyrij opinionem. *idem, ibid.*

Numina inferiora semper per superiora in sacrarum operationum ordine vocantur. *ibidem.* Numina nobis superiora harmoniæ cœlitus præcedentis participia sunt. *Proclus in Alcibiad.primo.*

Numen esse & præesse nosse debemus ex mundi opificio, ne nos impij fallant: secundò Deum vnum esse, ne fallamur ab iis qui in cœlum transferre conantur vulgi potentiam: tertiò mundum, factum contra eos qui sempiternum esse volunt: quartò vnum, non plures: quintò præesse mundo Dei prouidentiam.quæ qui crediderit, is beatam & felicem vitam acturus est decretatis pietatis diuinis formatus. *Philo de mundi opificio.*

Nunc idem est in præterito & futuro tempore, *Proclus element. physic.proposit.15.* Nunc partibus caret. *Idem,ibid.propos.16.*

Nuptiæ.

Nuptiarum moderatum vigoris tempus videtur, mulieri viginti anni,viro autem triginta. *Plato de Republica,dial.5.*

Nuptiæ dum fiunt,sortes quædam faciendæ sunt versutæ,vt vilis ille in vnaquaque coitione fortunam, & non ipsos principes culpet. *Idem,ibid.* Nuptiarum tempore festa facienda sunt,in quibus sponsos, & sponsas congregabimus; & sacrificia, & hymni faciendi sunt à nostris poetis nuptiis conuenientes *ibid.*

Nuptiæ sacræ sunt illæ quæ vtilissimæ. *Plato de repul. dialog.5.*

Nuptiarum multitudo ex principum arbitrio facienda est, quo quàm maximè conseruet eundem virorum numerum ad hostes,& morbos, & omnia huiuscemodi respicientes,& neque magna nobis ciuitas quātum fieri potest, neque parua fiat. *idem,ibid.* Nuptiæ plures paratæ sint militibus qui in bello rem optimè gesserunt *ibid.*

Nuptias contrahere debet quis,postquam annos triginta natus fuerit,vsque ad annos quinque & triginta,sin minus.mulctetur pecunijs & ignominia. *Plat.de leg.dial 4.* Nuptias quisque ciuitati commodas,non sibi iniucundas contrahere debet. *idem,ibid dial.6.* Nuptiarum tempus sit cùm quis viginti quinque annos natus, qui spectauit,& spectatus ab alijs,sibi placentem,& ad societatem & liberos generantem conuenientem comperisse se credit infra quintum,& trigesimum annum vxorem ducat. *ibid.*

Nuptiarum ad conuiuium amicos,& amicas non plures quàm quinque vtrorumque vocare oportet,de cognatis autem,& necessarijs similiter tot alios,vtrorumque expensa non sit amplior vllius quàm pro opulentia, vt maximi census vnam minam insumat,secundi dimidiam,sic deinceps prouè cuique census decreuerit: legi obtemperantes omnes laudent,non obtemperantem puniant legum custodes, velut legum circa sponsales musas imperitum, & ineruditum. *Plat.de leg.dial.6.*

Nuptiarum sacra initia,aut alia sacrificia perficere ea conuenit aut futurorum,aut præsentium,aut præteritorum gratiâ ab interpretibus percuntari oportet,& quemque putare si illis pareat omnia sibi ipsi moderatè contingere. *Plat.de leg. dial.6.* Nuptiarum terminus sit puellæ ab anno decimosexto ad vigesimum vsque vt longissimè definitus,masculo à trigesimo ad trigesimum quintum ad magistratus mulieri quadraginta,verò triginta definiti sint. *idem,ibid.*

Nuptiarum temporis aptitudinem in filia patre orbata iudex consideret,& iudicet ita vt masculos nudos inspiciat,fœminas autem vsque ad vmbilicum denudatas.quod si cognatorum penuria fuerit,vsque ad fratrem patris,& eius filios,& vsque ad aui fratrem,& filios eius,ex alijs ciuibus quencunque puella cum tutoribus volens volētem elegerit, defuncti hæres,& sponsus filiæ.Si aliqua non reperiat aliquem inter eos qui in ipsa ciuitate sunt,& videat quendam in coloniam missum quem patris hæredem bonorum facere cupiat:si cognatus fuerit,ad hæreditatis sortem veniat:si verò extra generis cognationem eorum qui in ciuitate sunt, potestatem habeat iusta tutorum,& filiæ eius qui mortuus est electionem,vt ipsam ducat,& domum reuersus sortem eius qui intestatus obijt accipiat. *Plat.de leg.dial.11.*

Nutritur animal quod aerem inspirat,& conseruatur dum alimentum per venas in totam molem distribuitur,& secundùm influxionem velut per canales ducitur,& à spiritu irrigatur,qui ipsum ad extrema ducens diffundit. *Tim. Locrus de anima mundi,& natura.*

Obedien-



O



Obedientia melior est victimis. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in epist. lib. 4.* Obedientia subiectorum à principis prudentia & doctrina proficiscitur. *Franc. Pat. de regno, lib. 8. ca. 20.*
Obiectorum diuersitatem diuersitas potentiarum inducit. *Fic. in Plato. phileb. lib. 1. cap. 19.*
Obiecta omnibus quinque sensibus exterioribus communiter bona esse dicuntur. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*
Oblectatio est inclinatio quædam animi ad voluptatem leniter emollientem: quæ nisi habenis cohibeatur, hominem ignauum & stupidum reddit. *Franc. Pat. de regno, lib. 4. cap. 16.*
Obliuio est scientiæ emissio. *Plato in phædone.*
Obliuio est memoriæ exitus. *in philebo.*
Obliuio est scientiæ exitus, meditari verò est nouam pro ea quæ egressa est, inducens memoriam, & seruat scientiam vt eadem esse videatur. *in symposio.*
Obliuionem literæ inducunt ob memoriæ exercendæ negligentiam. *in phædro.*
Obliuio ipsa est improbitas. *Mer. Trism. Pimand.*
Obolum est sexta drachmæ pars. *Plato de legib. dial. 11.*
Obscurus fit color rubicundo nigro & albo mixtis, & vt his niger magis immixtus fuerit. *Plato in Tim.* Obscura in re naturaliter qui in exponēdo plura quàm necesse est superfundit, addit tenebras non adimit densitatem. *Macrob. in som. scip. lib. 2.* Obscurus esse nequit, qui in eo lucebit qui lucet in omnibus. *Fic. epist. lib. 5.* Obscurissimam rem Tullius breuiter exprimere, volens, ait numero Platonis obscurius. *Idem, in Plato. de republica, dial. 8.*
Obseruationes astrologicæ in omni regione eædem nō sunt valituræ. *Ioan. Pic. Mir. in Astr. lib. 11. cap. 1.*
Obstetrices medicamenta dantes, & incantantes dolores partus & excitare, & molliores facere possunt, vt ægrè parturientes pariant efficere, & vt immaturi fœtus abortum faciant si visum fuerit. *Plato in Theateto.* Obstetrix nulla, dum adhuc concipit ac parit, alijs obstetricatur, sed quæ iam parère cessauit, quia cùm Diana tori expers sit partuum curam sorti accepit: sterilibus non dedit hoc munus, quia debilior sit natura humana, vt artem capere possit earum rerum quarum nunquam periculum fecit: quæ verò ob ætatem non pariunt amplius, his id muneris demandauit suam ipsius similitudinem in hoc venerata. *idem, ibid.*
Obtrectatio est animi dolor vel ægritudo ex eo manans quod adsit alteri quod ipse etiam habeat. *Franc. Pat. in de regno, lib. 5 cap. 13.*
Occasio est flos ipse temporis rebus agendis conferens, tempus bonum quandam ferens opem. *Speusip. de Plat. def.* Occasio est illa, quæ negotia omnia rectè perficit. *Francisc. Patric. de regno, lib 6. cap. 10.*
Occasus est diei finis. *Speusip. in defi. Plato.*
Occidere nemo se debet, Dei enim possessiones sum⁹. *Plato in phædone.* Occidens miserabilior est iniustè occiso. *in Gorgia.*
Ociosis in republica nullus sit locus, nam homines nihil agendo malè agere discunt. *Francisc Patric. de republica, lib. 1. cap. 6.*
Occisi cadauer interdum in eum qui occidit eijcit sanguinem, vt Lucretius affirmat, & iudices obseruarunt. *Fic. Plato. Theol. lib. 16. cap 1.*
Octonarius solidorum primus est, & primus in numeros pariter pares soluitur, id est in bis quaternos, vt nihilo minus in numeros æquè pariter pares diuisio quoque ipsa soluatur, id est in bis binos; rursúsque qua æqualitate resoluitur, eadem quoque contexitur: nam bis bini bis octonarium constituunt æqualitatis iustæ simulachrum. *Fic. in Plato, de republica, dial. 4.* Octonarij radix vt numeri plani est incerta, nam nullus numerus in se multiplicatus facit octo. *idem, in Plato. de republica, dialog. 8. cap. 10.* Octonarius significat virtutem eorum per octauam sphærem planetas gubernaturam. *idem, in Plato. Timæum, cap. 33.*

Oculi.

Oculi si rectè curandi sunt, & caput curandum est & caput curare absque totius corporis curatione maxima amentia est. *Plato in Charmide.* Oculorum hebetudo est oculorum prauitas. *idem, de mendacio.* Oculus non est Sol, nec Sol visus est, sed cùm visus ipsius causa sit, ab hoc ipso esse videtur. *de Republica, dial. 6.*
Oculus vim quam habet ex Sole depromptam, velut influentem possidet. *ibid.*
Oculus ex sensuum instrumentis maximè speciem Solis refert. *Plato de republ. dialog. 6.* Oculi cum vertuntur ad illud ad quod non adest lumen prope cæci apparent, vt non sit purus visus, cùm ad ea quæ Sol illustrat clarè vident: sic de anima cogita, cùm ad veritatem innititur intelligit, cognoscit: at quum ad id quod tenebris permixtum est vertitur, quodque fit & perit, allucinatur, & cæcutit, & opiniones sursum & deorsum versat, & intelligentiam non habenti similis est. *Idem, ibid.*
Oculi si quis non ad illa conuertit, quorum colores diurnum lumen conseruat, sed nocturna lumina, cæcutiunt, & propè cæci apparent, velut non insit purus visus: cùm verò ad ea quæ Sol illustrat, clarè vident, & iisdem his oculis visus inesse videtur. *Plat. de republ. dial. 6.* Oculus non est Sol nec visus, nec id in quo est, at hoc ex sensuum instrumentis maximè speciem Solis refert, & vim quam habet velut ex hoc depromptam influentem possidet, & Sol visus non est sed cùm ipsius causa sit, ab hoc ipso videtur. *Idem, ibidem.* Oculi ex duabus causis, & duobus modis turbari possunt, dum ex luce ad tenebras transeunt, & dum ex tenebris ad lucem. *ibid. dial. 7.*
Oculos dij fecerunt ex igne eo qui non vrit, sed lumen mite exhibet, vt corpus fieret proprium vniuscuiusque diei: nam eum qui intra nos est huic cognatus sincerus ignis per oculos lenem, ac densum fluere fecerunt toto quidem oculo, maximè verò mediâ eius parte compactâ, vt reliquum quidem omnem, qui crassior est, contineret; talem verò solum ipsúmque purum trāsmitteret. Quum verò diurnum lumen circa visus fluxum fuerit, tunc simile ad simile elabens compingitur. & vnum cognatum corpus constituitur secundùm oculorum rectitudinem, vbicunque id quod intrinsecus allabitur renititur ad id quod externum coincidit: quum itaque totum ob similitudinem similibus affectionibus obnoxium sit, quodcunque sane ipsum attigerit, & quodcunque aliud illud, id in illud motum distribuit & in totum corpus vsque ad animam sensum hunc exhibet, quo nos videre nos dicimus vbi verò cognatus ignis in noctem abijt reseratur, nam ad dissimile egressus alteratur ipse, & extinguitur, cum vicino enim aere non amplius cōcrescit, vt qui ignem non habet, videre igitur desinit, & somnum inducit exiguum si exigui motus relicti fuerint, si maiores maius. *Plat. in Tim.*
Oculorum beneficio philosophiam cognoscimus: qua nullum maius bonum mortalium generi deorum munere nec contingit, nec continget. *Plat. in Tim.*
Oculus nunquam videre posset Solem nisi factus Solaris esset. *Plotin. Enn. 1. lib. 6. cap 9.* Oculos ex vna sede progredi, & sectio docet, & quod vterque oculus vno moueatur, nec alter sine altero moueri queat. *Chalcid. in Platonis Tim.*
Oculis dij lumen igneum accendere: quod cùm lene, & quodammodo crassum esset, exteriori lumini diurno germane instituerunt. quod passim per oculos emanant, sed per pupillas vberius & purius transfluerit, quod externo fulgori simile cum mixtum simili & corroboratum vidēdi sensum præstat: ideò nocte obumbrato lumine haud amplius radius hic noster aëri se propinquo permiscet, quo fit vt ad interiora recipiens sese demulceat, & resoluat internos motus, somnóque membra deliniat, vnde & palpebras cùm iam retractū est claudit, & si plurimam quietis induxerit, somnus fermè sine insomnijs surrepit: quod si quædam adhuc cogitationes restiterint, frequentia cōfestim phantasmata nobis occurrunt; & sic phantasiæ vel veræ, vel falsæ recto tramite nascuntur: post hæc sequuntur imagines quæ in speculis, vel alijs corporibus translucētibus leuibúsque videntur, quæ secundùm reuerberationem resultant. quatenus verò vel concauum, vel conuexum, vel oblongum speculum erit, eatenus visa diuersa apparebunt: nam lumina ad partes alteras reflectuntur, à conuexo repulsa & dispersa, in concauum vero conueniencia: ideò in quibusdam dextræ atque sinistræ contrà versæ videntur, in alijs pari modo, in nonnullis supera ad infera, ac vice versa ad superna inferna conuertuntur. *Al. in. cap 18.*
Oculi, excellentissimi inter sensus sunt, à quibus initium sapiētia & philosophie habuit. *Phil. de Abrah.*
Oculi si caligant nec rubent, nec caloris aliud præbent indicium, tunc collyrium ex aqua feniculi, maioranæ, chelidoniæ, rutæ, adhibito croco, & antimonio confert, quæ aqua prius densiori panno est exprimenda, sed prius oculos purgaueris sumptis sæpe pillulis lucis: at si oculi rubeant, purga pillulis è fumo terræ, mox colyrium ex aqua rosacea & saccaro prodest, & nonnunquam albumine, oui tritū, lacte adiectis quam plurimùm opitulatur. Continuus vsus marathri seruat & acuit visum: semen eius ore tenere, & folia commedere; eufrasiæ vsus oculis est singolare præsidium. *Fic. de*

stud. sanit. tuenda. lib. 1. cap. 16.

Oculus rubuos cito intuentem inficit. *Ficin. de vit. comparand. cœlitus, lib. 3. c. 16.* Oculus inter omnia sensuum instrumenta purissimum est. *idem, epist. lib. 2.* Oculo optabilissimum est, vt neque lumen latuat ipsum, neque cùm patet offendat, imò vehementer oblectet. *ibid.* Oculos non solùm à luce patitur, dum suscipit eam, verùm etiam in eam quodammodo nonnihil agere videtur, dum suo modo iudicat eam *ibid.*

Oculus ad cognitionem necessariò pertinet. *Ficin. in Dion. Areop. de diuin. nomin.* Oculi spirituali modo species suscipiunt: nam cùm lumen Solis spirituale & incorporeum sit quicquid suscipit, naturæ suæ suscipit modo, ideò colores & figuras corporum modo suscipit spirituali, & eodem pacto ipsum ab oculis susceptum inspicitur. *idem, in Plato. conuiu. or. 5. c. 4.* Oculorum fulgorem D. Augustum habuisse fertur, vt qui certius intuerentur, quasi ad Solis fulgorem vultum demittere cogebantur: & Tiberius noctu in tenebris ad breue tempus videbat *ibid. or. 7. cap. 4.*

Oculi quòd radij emissi ab ipsis, secum spiritualem vaporem trahant, & vaporis sanguinem, ex eo perspicimus, quod lippi & oculi rubentes spectantis proximè oculos radij sui emissione cogunt morbo simili laborare: vbi apparet & radium vsque ad obuium illum protendi, & cum radio vnà vaporem corrupti sanguinis emanare, cuius contagione oculus spectantis inficitur: quod & ab Aristotele probatur de muliere sanguinem menstruum patiente in speculo sanguinis guttas videri. *Fic. in Plat. conuiu. or. 7. c. 4.*

Oculo vt Sol qui est visibilium lumen, monstrat visibilia; sic ipsum bonum, quod est intelligibilium lumen, intelligenda intellectui patefacit. *Fic. in 1 lat. de repub dial. 7.* Oculo ita vt nihil opus est ab arte fieri nisi purgare ipsum, & conuertere, sic circa intellectum duo solum præstat philosophia, purgando ipsum è perturbationibus, tum à falsis opinionibus, atque conuertendo per rationes exhortationésque à sensibilibus formis ad intellectuales nobis insitas formas, & per has ad formas intelligibiles idest ideas, & per ideas ad diuinam mentem qua comprehenduntur ideæ ab hac ad diuinum bonum idearum principium & lumen. *idem, ibidem.*

Oculi diuinitus dati sunt ob cœlestium cognitionem & imitationem, & ob philosophiam optimum diuinitatis donum. *Fic. in Plat. Tim. cap. 35.* Oculi natura diaphana est id est transluceda sit potissimum à natura solari, & idcirco lumen naturaliter appetit, facileque impletur lumine Solis. *idem, in Plotin. En. 3. lib. 9. cap. 3.* Oculi angulum si digito leuiter presseris, lumen internum sibi ipsi protinus vnicabit. *idem, in Plotin. En. 5. libr. 3. cap 8.*

Oculus secundùm Plat. mentem igneus est non naturâ, sed lumine & splẽdore, aqueus verò naturâ, & quod ex oculis extramittitur lumen est quod potius à tenebris extinguitur quàm ab aqua. *Gab. Buratellus de visu, lib. 5.* Oculi quidam vident in nocte, in quibus radij sunt vehementes, qui radij non sunt corpora: ideò non mouentur loco, nec se impediunt, sed se corroborant. *idem, ibid.*

Oculis viridia omnia prosunt. *Franc. Patr. de repub. lib. 8. cap. 55.* Oculi sunt animi indices, per quos homines clementiam, misericordiam, amorem, odium, iram, lætitiam, tristitiam, & huiusmodi affectus ostendunt, & magis eos augent. *idem, de reg. lib 6 cap. 10.*

Oculis Plato ait inesse naturam igneam, deinde rationem videndi potius consistere in emissione radij in obiectã rem, quàm in receptione imaginis ab illa excitatæ. *Iac. Carpen. in Alcin. dig. 7.* Oculos accipere per neruos lucidum spiritum ab animæ sede ait Galenus lib. 7. de decretis Hippocratis & Platonis. *idem, ibid.*

Oculis videtur inesse flammulam quandam vel fulgorem non adurentem, sed vel suapte natura, vel concurrente medij lumine, tantum splendoris fundentem, quantum ad huius sensus functionem est necessarium: sic huic sensui. quia reliquis diuinior est, lumine opus est, vt qualitate omnium maximè diuina: sed hæc eliquenda est, & in oculo, & in medio, & in obiecto, aliquando medio deest. & in illis duobus inest, non tamen æquabiliter, sed nonnunquam oculo magis, rei spectabili minus, vt in his animalibus, quæ noctu vident ea quæ in tenebris sita sunt, aliàs è contrario, vt his quæ in tenebrosis tantùm flammula videntur, quia splendorem quendam ex se amittunt, vt cornua, fungi, capita piscium, squammæ *Iac. Carpen. in Alcin. digr. 7.*

Oculus dum consideratur, duo spectare debemus, spiritum lucidum ab animæ sede influentem, & ipsius oculi corpus, & huius temperationem ex suis humoribus & tunicis accommodatam ad eam functionem ad quam oculus ipse est comparatus, & cuius primaria causa, vel potius primarium instrumentum in spiritu consistit: & intelligamus Platonem illius spiritus ratione habentem dixisse aspectum igneum non adurentem, sed æthereum & lucidum esse, Aristotelem propter humores qui in oculis variis tunicis sunt dixisse aqueum. *Iac. Carp. in Alcin. dig. 7.* Oculos aspicere aliqua re intro acceptâ opinatur Aristoteles. *idem, ibid.*

Oculus in videndo non excipit rem aspectabilem, sed eius imaginem luminis beneficio excitatam, per quam sensus sic de re iudicat, vt ratio per vniuersam notionem de communi natura quæ est in singulis. *Iac. Carp. in Alcin. dig. 7.* Oculus in videndo partim recipit, partim emittit, & sic fit visio. *idem, ibid.* Oculus apud Aristotelem est similis speculo, sed in hoc differt; quia in speculo nulla vis est animæ, quæ speciem receptam in speculo ad aliud transmittat, tãquam ad iudicium quæ oculo inest *ibid.*

Oculus, nisi & ipse, & obiectum, & medium interiectum solari luce compleatur, res intueri siue discernere minimè potest *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Oculus intellectus ipsius, rerúmque intelligibilium speculator haud immerito nuncupatur. *idem, ibid.*

Odio maiore digni sunt illi, qui aliena curant, sua negligunt. *Fr. Patric. de reg. lib. 9. c. 5.* Odisse nos oportet, ait Mercurius, si verè nos amare decernemus. *August. Steuch. de peren. phil. lib. 10. c. 10.*

Odor.

Odores aquæ & terræ nemo vnquam percepit, sed dum madescunt, aut putrescunt, aut liquantur, aut suffumigantur, fiunt odores. *Plat. in Tim.* Odorum genus omne dimidiatum est, & nulli speciei contingit proportio ad hoc vt aliquem odorem habeat; nam nostræ venæ angustiores sunt ad aquam, & terram, ad ignis verò & aeris genera ampliores. *idem, ibid.* Odorum varietates duæ solum manifestæ dicuntur, iucunda & molesta. hæc exasperans & violans omnem ciuitatem, quæ in nobis inter verticem & vmbilicum sita est, illa verò eandem hanc placans, & rursus ad naturalem statum benignè restituens. *ibid.*

Odores vniuersi fiunt dum aqua in aerem mutatur, & aer in aquam, in medio horum fiunt, & sunt aut fumus, aut caligo: ex aeris in aquam transitu caligo: ex aquæ in aerem fumus: vnde tenuiores aquæ odores fiunt, crassiores autem aeris omnes. *Plato in Timæo.* Odor nullus persentiscitur cùm re aliquâ circa respirationem obturatâ spiritum aliquis violenter trahit in seipsum, tunc enim nullus odor simul percolatur, sed spiritus ipse odoribus destitutus solus sequitur. *ibid.*

Odoris species distinctæ non sunt, per angustos enim meatus percolantur qui solidiores sunt quàm vt contrahantur, & disparentur putrefactionibus, & cõcoctionibus terræ, & rerum terrenarum, suntque aut iucundi, aut ingrati odores. *Tim. Locr. de anima mũd. & nat.* Odores & sapores quid obstat quin destructo corpore odorato resteut in alio quodam corpore, nec tamen sentiuntur? propterea quod participãtia corpora non sint talia, vt qualitates acceptas sensibus referant: quod si admiserimus, concedemus qualitates esse incorruptibiles. *Plot. En. 4 lib 4 c. 29.*

Odoris genus propterea iis accidit, quæ nondũ integrã transmutationẽ acceperunt, sed cõmunione quadam aeris & aquæ constant, eiusmodi sunt quæ ex fumo & caligine conficiuntur, his inuicẽ alternatis odorandi sensus efficitur. *Alcin. c. 19.* Odorũ percipiendorum in naribus vis inest. *idem, ibid.* Odor est passio quædã à narium venis vsq. ad vmbilici regiones transfluens: huius species præter duas cõmuniores nomina non habent, & hæ nominantur quàm bonus, & malus odor, quæ suauitatis & nauseæ nomina sunt, cognominatur. *ib.* Odor omnis aere crassior est, aqua subtilior. *ib.*

Odor absente re odoratã permanet, nõ solũ propter effluxas inde particulas, sed quoniam aer aliquid est perplexius, & quia materialior est, ideò manifestius perspicitur passio tũ in instrumentis, tum in medio. *Prisc. in Theophr. cap. 28.* Odor numini consentaneus vberiorum influxum emittit, vt cælo incensi thuris odor, æther ferueus crocum, stellis Lunæ & naturæ aromata, Soli thus & manna, Saturno & Ioui styracum, Neptuno myrrha, Mercurio thus *Fic. in Plotin. En. 4. lib. 4. c. 38.* Odorari potest aliquando absque aere respirato ab animalibus olfactum habentibus expeditum, & ab hominibus similibus: animantes verò & homines habentes meatus ad olfactum oppletos, respiratione duo præcipuè consequuntur, nam & vberiorum odorem attrahunt, & tractu violenter aere meatus protinus patefaciunt. *idem, in Theophr. c. 35.*

Odoratus sensorium in capite posuit Alcmeon quo scilicet tracto spiritu res odora percipiatur Empedocles respirationibus

nibus quæ à pulmone manant odores diiudicari duxit. Arist. in corde odoratus sensorium posuit. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib. 1. cap 12.*

Odor in humore est siccitatis quædam affectio, quæ priusquàm odoratum reipsa moueat, per aerem diffunditur & per aquam, propter naturæ similitudinem quasi diluitur. *Iac. Carp. in Alc. cap. 15.*

Oeconomi instituendi sunt, si ciuitatem custodes proprij quid habent. *Plat. de rep. dial 3.*

Oedipi precatio prouerbium, de eo qui mala precatur. *Plat. in Alcibiade 2.*

Officium est actio cuiusque propria, decorum honestúmque seruans, prout res, persona, locus, tempúsque postulant. *Fic. epist. lib. 9.*

Oleum omnibus plantis penitus malum est & pilis aliorum animalium omnium infestissimum exceptis humanis. *Plat. in Protagora.*

Oleum dolorum leuamen est. *in Menex.* Oleo vespæ & apes necantur. *Ioan. Fran. Pic. Mirand. in exam. van. doct. gent. lib. 2. cap. 22.*

Olfactus.

Olfactus fit per aerem tanquam commixtum & patientem. *Prisc. in Theophrast. cap 30.* Olfactio & auditio dum fit, patitur magis aer tanquam à speciebus magis ad corpus, materiámque declinantibus. *idem, ibid.* Olfactus absque respiratione fit. *ibid. cap 35.*

Olfactus ex liginoso aeri, vaporibúsque ex aere & aqua mixtis omnino assignatur; quia inter aures & linguam, quasi aerē & aquam positus, vapores eos apprehendit facile, & diligit maximè, qui ex aeris & aquæ mixtione proueniunt, quales sunt herbarum, florum, pomorum odores naribus suauissimi. *Fic. in Plat. conuiu. or. 5. cap. 2.*

Olfactus vt medius sensus, ita ad voluptatem & dolorem medio se habet modo. *Fic. in Plat. Tim. cap. 59.* Olfactus exercetur à vertice vsque ad vmbilicum. *idem, ibid. cap. 6.* Olfactui intimæ venæ quæ seruiunt non habent integram cum elementis vel solidè mixtis proportionē, nam angustiores sunt ad aquam, & terram, & ad omnia in quibus duo hæc dominantur, patentiores autem ad ignem, & aerem, atque illa, quæ fermè similiter sunt tenuia: sed proportionem potius habent ad fugaces exhalationes quasdam, à compositis facile dissolubilibus euolantes, crassiores quidem aere, tenuiores autem aquâ. & has persentit varietate quadam confusa. *ibidem.*

Omnia sunt hominum voces, quas Pythagorei obseruabant. *Ioan. Fran. Pic. Mir. de præno.*

Omne est cùm nihil defuerit. *Plat. in Theat.* Omnia sunt circa omnium regem, id est summum bonum quod est Deus qui ideas per quæ sunt omnia vt causa exemplaris, in se habet, & illius gratia omnia, id est causa est finalis, & illa causa omnium bonorum, id est causa efficiens. Secūda circa secunda id est circa mentem rationes sunt. & tertia circa tertia, id est circa animam mundi formæ. Humana igitur anima circa ipsa appetit cognoscere qualia ea sunt, respiciens ad ea quæ sibi cognata sunt, id est ad sensus, & sensibilia quorum nihil satis iustè se habet. At in rege & his de quibus dixi nihil tale est. *idem, Dion. epist. 2.*

Omnia quodammodo sunt in omnibus pro conditione eorum quibus insunt. *Porph. de occas.* Omnia in omnibus, sunt propriè verò in vnoquoque. *Proc. elem. Theo. prop. 103.* Omnia qui sequitur, nihil assequitur. *Fic. epist lib. 3.* Omne quod mouetur ab alio mouetur, falsa est propositio in rebus incorporeis. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in exam van. doct. gent. lib. 6. cap. 18.*

Operatio, Opus.

Operationes apparentes in corpore proueniunt à virtute quæ agit, non ab ipso corpore, nam corpus omne est quantum, & sine qualitate esse potest, nam nulla qualitas est corpus: ideò anima non potest esse corpus. *Arist. Theo. Ægyp. lib. 3. cap. 2.*

Operatio vehemens cita & subita, pertinet ad incorporalem quandam vim. *Fic. The. Plat lib 1. cap. 2.*

Operatio stabilis perfectior est, quæ vno momento perfectissimè suum opus absoluit, quam quæ indiget tempore *idem, ibid. cap 5.* Operatio naturalis ab agente incipit, sed desinit in id quod patitur: intellectualis verò vtrunque terminum retinet in agente. *idem, lib. 2. cap. 11.*

Opus omne quod constat ex pluribus, tunc est perfectissimum quum ita ex suis membris conglutinatur, vt vnum fiat vndique sibi constet, & consonet, neque facile dissipetur. *lib. 3. cap. 2.*

Operatio duplex, vna fluit extra operantem, vt calefactio, altera manet intus vt cognitio, & voluntas: quæ effluit, absque cōtrouersia distat ab esse quod à seipsa non effluit; quæ manet ob id etiam discrepat, quia esse creaturæ certâ quadam rerum specie clauditur. *Ficin. Platonica Theologia, lib. 5. cap 13.* Operatio vera rei cuiusque formam rei operantis sequitur. *idem, ibidem. lib. 8. cap. 8.* Operatio cuiusque rei esse eius sequitur, ita vt illius sit operatio, cuius & esse, & operandi idem, quod & essendi, & opus ad quod terminatur operatio, fit simile operanti. *ibid. cap. 14.*

Operandi modus modum sequitur existendi. *Ficin. Plat. Theolog lib. 9 cap. 5.* Opus, quod supernaturali virtute peragitur, propter naturarum diuersitatem impediri non potest, cùm immensæ potentiæ Dei nihil alicubi reluctetur. *Idem, Plat. Th. lib. 18. c. 8.* Opera vehementius mouēt quam verba: maximè mouet alios, qui ipse mouetur maximè: omnino autem offendit aures, qui aliter canit ore, aliter pulsat lyrâ. *epist. lib. 1*

Opus aliquod nil efficit, qua ratione simpliciter est aliquid, sed qua bene est, & bene se habet. *Fic. in Dion. Areopag. de diuin. nomini.* Opus cuiusque potentiæ tunc optimè exercetur cùm ad finem suum dirigitur: quod ad finem confert, vtile dicitur. *idem, in Plato. de virtute.*

Operatio rationis consilium sequens aliquem expetit finem: consultare enim est inquirere: at quisquis inquirit, vt inueniat quærit, & quærit vt eo inuento quiescat, quies autem in eo quod inuentum actionis ipsius quod quærebat finis est. *Fic. in Plat. phi. lib. 5 cap 5.* Operatio, & electio aliqua est, quæ à solo esse nulla aliâ electione, & operatione interiectâ procedit: etenim anima hominis licet multa faciat per electionem, corpori tamē sine electione, ipso esse dat vitā, & cùm primum apta materia est, illam mox sine electione sui ipsius vita viuificat. *idem, ibid. cap. 18.* Operantis & operationis felicitas eadem est. si opera & bene & ex voto operantis eueniat. *Io. Pic. Mir. in Astro. lib 7 cap. 2.* Operationis omnis initium à cogitatione sumitur. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib. 9, cap. 5.*

Opes proprias ciuitatis custodes nullas habere debent, nisi summa necessitas exigerat. *Plat. de rep dial. 3.* Opum duo generu, alterum naturâ, alterū consuetudine, & vsu. naturâ, quæ indigentiæ hominum succurrunt, consuetudine sunt numini. *Auer. in rep. Plat. tract 3.* Opibus & virtuti simul indulgere nemo potest, vt ait Crates Thebanus. *Fran. Patr. de rep. lib. 1 cap 8.* Opes partæ à nobis, quia labore constant tenacius seruantur, & amantur, quàm hæreditate acceptæ, *Seb. Fox. in Plat. de rep.*

Opifex, Opifices.

Opificibus an boni sint, fides habenda non est, nisi artis suæ opus ostendere possunt probè elaboratum vnum, & plura. *Plat. in Lache.* Opifex cuius vis instrumenti ad ideam respiciens ea facit quibus nos vtimur. *de rep dial 10.* Opifices ſē ægrotant petunt à medico, vt poto medicamento morbum euomant, aut vt deorsum purgari, aut vstione, aut sectione vsi liberentur; at si longā illis victus rationē imperat medicus, statim dicūt non esse ipsis otiū ad ægrotādum, nec propositū ipsis ita viuere, vt morbo mentem adhibeant, propositū autē opus negligāt, & valere iusso medico ad cōsuetam vitæ rationē progressi, si sani euadūt, viuūt, quæ sua sūt exequētes; si verò corpus ad sustinēdum morbū nō suffecerit, mortuus à molestijs omnibus liberatur *de rep. dial. 3.* Opifex in cuiusque rei opificio ad id quod secūdùm eadē se habet respiciens semper tali quodam exemplo vtens, ideā, & facultatē efficit. quidquid tale ita pulchrū perfici necesse est. *Plat. in Tim.* Opifex si opus ad tēpus cōdictū propter malitiā non absoluerit, Deū victus datorē nihil veritus, sed velut familiarē sibi ignoscere putans, & Deū esse non cōsiderās is quidē primò Deo pœnas dabit, deinde preciū eorum operū persoluat, in quibus absoluēdis ei cui operā suā locauit mētitus est, & rursus ab initio in condicto tēpore opus efficiat gratis, & vt in lege vēdentiū non plus æstimet, sed quàm simplicissimè preciū dignum petat. *Idem, de leg. dial. 11.*

Opifici si quis qui aliquid faciendum locauit, merce edē nō persoluerit rectè secūdùm legitimè factâ conuentionē, sed Iouem ciuitatis seruatorē, & Mineruā reipublicæ ambos participes cōtumeliâ afficiēs, & breue lucrū amplectēs magnas societates soluerit, lex ciuitatis cū dijs cōiunctionis auxilia ferat. *Plat. de leg. dial. 11.* Opifex preciū operis sui nouit, proinde liberis in ciuitatibus nō debet dolos rudibus statuere conari per artē manifestā, & rē naturâ non mēdacē iudiciū dicter iniuriâ affectus ei, qui iniuriâ fecit. *Idem, ibid.*

Opificū genus sacrū est Volcano, & Mineruæ, qui vitā nobis artibus instruūt, Marti verò & Palladi, qui opificū opera alijs artibus tutelaribus seruāt. *Plat. de leg. dial 11.* Opifices qui in bello sūt si publicū opus susceptū siue volēs, siue ex mādato rectè quis eorū perfecerit, honores, qui militariū virorū merces sūt, lex ipsi merito tribuet & ipsū laudare

nunquam cessabit: si verò perpetrato opere aliquo militari ex præclaris illis non retribuerit meritò incusabit. *idem, ibidem.*

Opifici qui pro accepto opere mercedem nõ persoluerit tempore constituto, ab eo duplum exigatur: si verò annus præterijt, etiamsi aliæ pecuniæ quas quis mutuò dedit, vsuram non pariant, hic tamen singulis mensibus ad drachmam insuper obolum id est sextam drachmæ partem deponat. Hęc autem in tribuum iudicijs iudicentur. *Plat. de leg. dial.* 11.

Opifex vanus est qui ab alio quàm ab opere expectat honorem. *Fic. epist. lib* 1. Opificis officium est alimenta à mercatore accepta iustè singulis ciuitatis dirigere membris. *Idem, ibid. lib.* 3.

Opis Saturni & soror & coniux à poetis haud immeritò quidem fingitur extitisse. *Leo Heb. de Am. dial.* 3.

Opinabile appellamus, quod particeps sit, & vt sit, & non sit, & neutrum sincerum sit, & opinione percipi possit. *Plat. de republ. dialog.* 5. Opinabile ita se habet ad id quod cognosci potest vt assimilatum ad id cui assimilatum est. *idem, ibidem. dial.* 6. Opinans, aut opinatur quæ nouit, aut quæ non nouit *in Theat.* Opinantes & voces, & colores pulchros amant, ipsum verò pulchrum non, neque admittere volunt quid sit. *de republ. dial.* 5.

Opinantur falsa, quorum cor animæ sordidum, & non puræ ceræ sit, vel liquidum valdè, vel durum, vel densum, asperum, ac lapidosum, aut terra aut sordibus, immixtis plenum, & penuriã in angustias inciderint. *Plato in Theateto.* Opinari ea quæ sunt vera dicere esse videtur. *de rep. dial.* 3. Opinari dicimus qui multa pulchra spectant & ipsum pulchrum non vident, nec alium ad ipsum ducentem sequi possunt, & multa iusta, iustum autem non, at cognoscere ex his, quæ opinantur, nihil. *de republica, dial.* 5.

Opinio quot dicitur modis.

Opiniones quas homines habent partim multi facere oportet, partim non, & non omnium sed aliquorum quidem, aliquorum nõ; bonas magni facere, malas parui facere, bonę enim sapientium sunt, malæ insipientium. *Plat in Critone.* Opinio alia vera, alia falsa. *in Theatet.*

Opinionis impossibiles modi 14. quod quis nouit monumẽtum ipsius in anima habens, non autem ipsum sentit, eum opinari aliud quid ab eis, quæ nouit, ita vt, & illius typum habeat, non autem sentiat impossibile est, & quod nouit rursus opinari esse id, quod non nouit, cuiusque sigillum non habet, & quod non nouit id, quod non nouit; rursus & quod non nouit id, quod nouit; & quod sentit aliud quid ab ijs, quæ sentit opinari esse; & quod sentit aliquid ab ijs quæ non sentit; & rursus quod nouit & sentit, & habet signũ secũdum sensum, opinari aliud quid ab ijs quæ nouit, & sentit, & cuius rursus habet signũ secundũ sensum, illis adhuc magis impossibile est si sane possibile esset; & quod nouit & quod sentit habẽs monumentũ rectè id quod nouit opinari impossibile est; & quod nouit & quod sentit eodẽ modo habens id quod sentit & quod nõ nouit, & non sentit, id quod nõ nouit, nec sentit, & quod non nouit, neque sentit, id quod non nouit; & quod non nouit, nec sentit, id quod non sentit. Hæc omnia adeò excellenter sunt impossibilia, vt nemo in ipsis falsa opinetur. *Plato in Theateto.*

Opinio & falsa & vera est, item & voluptas, & dolor. *Plat in Phileb.* Opinio in duo diuiditur, in credulitatẽ & æstimationem. *Chalcidius in Pl. s. Time.* Opiniones duas inter se pugnantes constat esse: alteram menti omnia ascribere permittit vt auctori cogitandi, sentiendi, mouendi, sistendi: altera Deum sequitur: prioris est figura Cain, secundæ Abel: has discernere oportet, simul enim habitare impossibile est: at cùm ipsa confessionem summæ illius causæ peperit, mentem quæ sibi sapiens videbatur, non magni amplius faciebat. *Philo de sacrificijs Abel & Cain.*

Opinio quid est & vt fit.

Opinio, & memoria ex sensibus fit. *Plat. in Phadone.* Opinio dicitur δόξα à διώκειν à persequendo nominata, quo videlicet progreditur anima, vt cognoscat quomodo rẽs se habet, aut à τόξου βολῆ id est arcus actu, quod magis verisimile videtur. *in Cratyl.* Opinio est, cùm anima cogitans re decreta, siue tardius, siue citius prosiluerit, & idem asseruerit, & non dubitarit. *in Theateto.* Opinio, & opinari ex memoria, & sensu semper contingit. *in Phil.* Opinio est cogitationis conclusio. *in sophist.* Opinio fit in anima per cogitationem, cum silentio affirmatio vel negatio generatur. *ibid.*

Opinio est in medio scientiæ & ignorantiæ. *Plat. de republ. dial.* 5.

Opinio cognitione obscurior est, ignorantiã clarior, in medio enim ambarum est, nam id quod est cognitioni attribuimus, & id quod non est ignorantiæ. *idem, ibid.* Opinio circa generationem, & circa ea quæ fiunt versatur. *de republic. dial.* 9.

Opinio è mente exit aut voluntariè, aut inuoluntariè, voluntariè falsa in eo, qui dediscit, inuoluntariè quidem omnis vera. *de repub. dial.* 3.

Opinio est perceptio cum fide per ratiocinationẽ rationis discursus, cogitatio incidens in verum, & falsum per ratiocinationem. *Speu. in Plat. defin.* Opinio est animæ virtus qua duce noscimus quæ nascuntur & occidunt. *Chalcid. in Plat. Tim.*

Opinio est memoriæ & sensus complexio, si enim componẽtibus nobis præcedentem memoriam cum recenti sensu: & si inuicem colligantur, vera opinio oritur, si dissonant, falsa. *Alcin. cap.* 4.

Opinatio est sentientis in motu permansio. *Plutarch. in compendio de animæ genitura ex Tim.* Opinio sensum sequitur. *Fic. in Plat. Theat.* Opinio fit ex collatione sensus ad cogitationem: fit etiam aliò modo collatione vnius cogitationis ad aliam. *idem, ibid.* Opinionem concordiam ad amicitiam non pertinere falsum dogma est Aristotelis. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in ex. van. doct. gent. lib.* 6 *cap* 19.

Opinio vt vera, vel falsa.

Opinioni docti vnius standum est, non multorum nihil scientium. *Plato in Critone.*

Opinio falsa non est de his de quibus non nouit quis, neque vnquam sensit. *in Theat.*

Opinio falsa in ijs quæ scimus & sentimus versatur; quæ enim ex aduerso & è directo propria simulacra colligit, & exprimit, vera: quæ in transuersa & obliqua falsa. *ibidem.* Opinari verum pulchrum est, mentiri turpe. *ibid.*

Opinio falsa nec in sensibus inter se, nec in cogitationibus existit, sed in sensus ad cogitationem coniunctione. *ibid.*

Opinionem falsam cognoscere impossibile est, antequam quis scientiam apprehendat *ibidem.*

Opiniones bonæ & malæ non ob aliud sunt, nisi quia falsæ vel veræ sunt. *Plat. in Philebo.* Opinio recta medium est inter sapientiam & ruditatem. *in Symposio.* Opinioni absque intelligentia qui fidẽ habet, longè aberrat. *in Alcibiad.* 2. Opinio recta ad actionis rectitudinem nihilo deterior dux est quàm sapientia, & scientia. *de virtut.* Opiniones veræ quãdiu in anima permanent, pręclarę res sunt & omnia bona operantur, verùm multo tempore permanere nolunt, sed ex hominis anima aufugiunt, quare non multi pretij sunt, donec quis ipsas causæ ratiocinatione alligauerit, quæ recordatio est, & hoc vinculo differt scientia ab opinione. *ibidem.*

Opinione rectâ solâ vtentes ciuiles viri ciuitates & respublicas gubernant. *ibid.*

Opinione vera priuari, furto, præstigijs, & ex violentia id accidere videtur. Furto priuantur, qui ad mutationem persuadentur, & qui obliuiscuntur; ex his enim tempus, ex illis ratio eximens latet. Violentiã coactos dico quos dolor aliquis aut cruciatus opinionem mutare facit. Præstigijs priuari opinor eos, qui aut à voluptate deliniti, aut præ timore, qui formidantes opinionem mutant. *Plat. de repub. dialog.* 3. Opinantes quiddam absque veri intelligentia, videntur nihil differre à cœcis iter facientibus. *ibid. dia* 6. Opinionis veræ quemuis virum participem esse dicendum est, intelligentiæ verò deos, parum autem hominum genus. *in Timæo.* Opinio vera, & intelligentia duo sunt genera. *ibid.* Opinio bona est quæ vera est. *in Minoe.*

Opinio sæpe falsa est, & per ipsam multi aguntur. *Plotin. En.* 1. *lib.* 1. *cap* 9.

Opinio quæq., si eo verior est quo melior, atq; eo melior quo meliores efficit opinantes, opinio immortalitatis omniũ verissima est, quia præ cæteris optimos excellentissimos homines & felicissimos efficit. *Ficin. Plato. Theolog. lib.* 14 *cap.* 8.

Opiniones noxias imbibere periculosius est quàm venenum pessimum bibere. *idem, epist. lib.* 11. Opinio recta exemplis, authoritate, inductione forte aduenit. *in Plat. de virtut.*

Opinio, spes, & formido, ac voluptas partim vera partim falsa esse potest: & si opinio circa boni, vel mali iudiciũ fallitur, voluptatem, & molestiam vanam reddit. *Fic. in Plat. Phileb. cap.* 30. Opiniones falsas vbi Socrates disputans cum sophistis, & eorum sectatoribus redarguit, veras potius significat quàm doceat. *idem, in Plat. Lysidem.* Opinari non rectè possumus, scire non rectè nequimus. *in Plat Tim. cap.* 18.

Opinio in hominum mentibus inueterata, etsi falsitatis labe infectata sit, difficillimè aboletur. *Ioan. Francisc. Picus Mirand. in proœmio exam. vanitat. doctrin. gentium.* Opinio fallax veritatem non immutat. *M. Ant. Natta de pulchro. lib.* 2.

Opinio vt se habet ad scientiam, ad cognitionem, & imaginationem.

Opinionem habere, & scientiã habere differt; quia qui scientiã habet semper assequitur: qui rectam opinionem habet, quãdoque assequitur quandoque non. *Plat. de virtut.*

Opinione quod percipitur & cognitione, idem esse non potest. *Idem, de rep. dial. 5.* Opiniones absque scientia omnes turpes sunt, & ex ipsis optimæ cæcæ sunt. *de rep. dial. 6.* Opinio quæ sine causa reputat, eadem per causam scientiâ comprehendit. *Proc. in Alc. 1.*

Opinio & imaginatio non solùm ad præsentia, sed etiam ad futura & præterita pertinet: voluptates & molestiæ de præteritis futurisue susceptæ ipsius animæ propriæ sunt. *Fic. in Plat. phi. cap. 33.* Opinione quæ comprehenduntur cùm in Analysicis distinguit Aristoteles ab iis quæ in scientiam cadunt, Plato vult suapte naturâ distincta esse, vt scientia idearum sit, opinio autem quæ pertinent ad singula in sensum cadentia. Arist. verò eorundem vniuersalium scientiã esse & opinionem docet cap. 26. lib. Anal. post. sed ita tamen vt pro varietate mediorũ per quæ eiusmodi cognitio duplex comparatur, hanc ab illa velit esse distinctam. *Iac. Carp. Alci. præfatio.*

Opinio vt alicuius propria.

Opinio & oratio diligitur ab earum parẽte plusquam quæcũque alia propria. *Plut. in quæst. Plat.* Opinionem propriam qui non affert, sed ex omnibus optimam accipit, est vt ille, qui filios nõ genuit, optimum adoptat. *Idem, ibid.* Opportunitas est imminentia temporis, in quo agere, vel pati quicquam oportet. *Speusip. de Pla. defi.* Opportunitas est tempus in quo vnumquodque est aptum vel pati vel agere. *idem, ibidem.* Opportunitas alia est à diis determinata, alia dæmoniaca, alia fatalis, alia fortuita. *Proc. in Alc.* Opportunitatem Pythagorici primum casum à quo omnibus bonum adest, nominauerunt. *idem, ibid.*

Opposita posse infirmitatis est omnino nõ potentis in optimo permanere. *Plo. En. 6. lib. 8. cap. 21.* Opposita versantur circa subiectum idem, vt par, & impar circa numerum. *Fic. in Plat. Parm. cap. 56.* Opposita quod suscipit, & idem permanet, substãtia est. *idem, Plat. Theo. lib. 6. cap. 7.* Opposita quæ sunt apud nos, apud Deum sunt coniuncta, nam mens bona per boni formam sæpe auguratur malum. *Idem, in Plat. Parm. cap. 33.*

Opposita idem simul, & secundùm se totum nihil pati potest. *Fic. in Plat. Parm. cap. 62.* Opposita quæ inter se sunt, non se inuicem expetunt. *idem, in Plat. phi. lib. 1. cap. 4.* Oppositorum quod præstãtius est habet rationem habitus, quod deterius est habet rationem priuationis. *idem, ibid. cap. 47.*

Opposita iuxta se posita magis redduntur lucidiora. *Gab. Bar. de rerum scientia. lib. 4.*

Optabilius in vita nihil est quàm sub optimo rege, & principe vitam priuatam sine iniuria, aut ambitione agere. *Fran. Pat. de rep. lib. 1. cap. 1.*

Optimus.

Optimus vir primò sui ipsius, deinde suarum rerum curam habere debet. *Plat. in Apolog.* Optimum euadere oportet, & non impedire, nequis redarguere possit acta nostra. *ibid.*

Optima tria vt canunt poetæ, primum sanum esse, secundum pulchrum, tertium citra dolum diuitem esse. *in Gorg.* Optimum omnes euadere nolle absurdum esset. *in Lachete.*

Optima non alterantur, aut mouentur ab aliis. *Plat. de rep. dial. 2.* Optima aut à natura, aut ab arte, aut ab ambabus, minimam mutationem ab alio admittunt. *ibidem.* Optimum vnicuique est etiam maximè proprium. *ibid. dial. 9.* Optimus est erga ciuitatem, & ciues, qui gloriã ministerii in domesticas leges, velut qui ipsis optimè præ omnibus hominibus in vita inseruierit victor esse maluerit, quàm in olympicis & omnibus certaminibus quæ tum in bello, tum in pace peraguntur. *de leg. dial. 5.* Optima præferenda sunt, nõ longiora vel breuia. *ibid. dial. 4.*

Optimum est vnio partium inuicem & ad totum, & totius ad causam suam, & originem, & naturam, pessimum est omniũ diuisio, & quod ad exitium omnia trahit. *Fic. in Plat. Parm. cap. 48.* Optimum esse necesse est illum qui alios optimos facit. *idem, in Plat. conu. or. 5. cap. 8.* Optimam cum sui deprauatione vertitur in oppositum, & fit pessimum. *in Plat. de leg. dial. 6.*

Opulentia est possessio rerum sic moderata vt ad felicitatem conferat; abundantia rerum ad beatitudinem conferentiũ. *Speusip. de Plat. defin.*

Opera appellantur quæ vtiliter & honestè fiunt, & huiusmodi effectiones tum operationes & actiones. *Plat. in Charm.*

Opus nullum expers mentis, eo quod mentem habet pulchrius est totum toto. *Plat. in Tim.* Opus ipsum vt eum sibi ipsi consentias vbique etiam vilissimi opifex operis efficere debet, si alicuius existimationis esse volet. *idem, de leg. dial. 5.*

Opus vllum non fit in sacris alicuius mirabilis efficaciæ, nisi adsit illic superorum aliquis spectator operis & impletor. *Iamb. de myst.* Opus nullum in sacris efficitur vnquam absq; adorationis supplicationibus: adoratio diutius frequẽtata nostrum nutrit, & perficit intellectum animam efficit ad suscipienda diuina admodum amplam, diuina hominibus patefacit, ad splendores diuini luminis capiendos assuefacit, paulatim perficit quæ nobis insunt ad numina contingenda, quousque ad summum nos vsque perducat, & mores nostræ cogitationis humanos retrahit paulatim moresque diuinas inferi; persuasionem quoque & communionem & amicitiam procreat procul ab intermissione perpetuam, diuinum rursus amorem auget & quod in anima diuinum est accendit, & elicit, expurgat quidquid animo est contrarium & aduersum & ab ipso spiritu æthereo splendidóque, qui est animæ circumfusus, excutit, quantumcunque vergit ad genituram: spem quinetiam præstat bonam, & fidẽ perficit circa lumen. *idem, ibid.*

Opus operæ ipsius operantis proprius finis existit. *Leo. Heb. de am. dial. 3.* Opus vnumquodque ad proprium vsum tanquã ad proprium finem ordinatur. *Idem, ibidem.*

Oraculum est cùm in somnis parens aut alia sancta grauisque persona, seu sacerdos vel deus aperte quid faciendum, vel non faciendum denunciat. *Macro. in som. Scip. lib. 1.* Oracula & hominum ingenia, quamuis audacter dictum existimabitur, cognatione multâ iuncta sunt, ideò caue ne dubites quin mens humana cùm suæ spontis existat diuinatione vtatur, & quum diuinatio vera sit, nihilo minus habeat mens humana aliquid quod in sua sit potestate, constitutũ. *Max. Tyr. ser. 3.* Oraculis confidit Plato, siue per statuas, siue per homines editis qui veridici sunt, siue potius angeli. *Fic. in Plat. Apol.* Oraculorum historiarum Plato antiquiores theologos imitatus, & Platonici omnes vbique vt veram affirmant, & comprobant rationibus. *idem, ibid.*

Oraculorum magna varietas apud veteres, in qua dæmon ante natam religionem Christianam miserè illos delusit, eosdémque à Deo auocans ad sui cultum traduxit, nam in illis numerantur antiquissima duo Dodonæum, & Hammoniũ, quibus postea adiecta sunt Pythium, Trophonium, Amphiarai, Branchidarum in Milesia, Sabæum in Phocide, annis enim singulis sex menses Apollo continuus in Lycia per sacerdotem de rebus futuris respondebat, totidémque mensibus sex in Delo. *Iac. Carp. in Alc. cap. 12.*

Orans, Oratio.

Orantes sub dio occidente Sole ad austrum, oriente ad eurũ faciem vertere debent. *Mer. Tris. Piman cap. 13.* Orans ait, Gratias ago tibi Deus omnium potestas actuum; verbum tuum per me te laudat, per me mundus verborum recipit sacrificium hoc, meæ vires clamant, totum cantat, voluntatem tuam perficiunt, tua voluntas abs te in totum, sacrificiũ verborum ab omnibus excipe: ô vita totum quod est in me salua; ô lux, totum illumina; spiritus Deus, verbum tuum mens regit; spiritifer opifex, tu solus es Deus. *idem, ibid.*

Orationis veræ omnes partes veræ sunt. *Plat. in Cratylo.* Oratio vera est illa quæ dicit quæ sunt, vt sunt, & quæ non sunt, vt sunt falsa. *ibid.* Oratio significat quòd manifestam faciat cogitationem suam voce, cum verbis, & nominibus, ita at qui in fluxionem per os, velut in speculum, vel aquam exprimas opinionem. *in Theæt.* Orationis tres sunt diffinitiones, prima cogitationis in voce, vt simulachrum; secunda processus & vsa alementum ad totum. tertia signans quoddam. *ibid.*

Oratio laudanda est non solùm quòd dicat quæ competunt, sed ad dicendi facultatem animaduertens. *Plat. in Phædon.* Orationem faciens necessaria prætermittere non debet, & in his potius dispositio, quàm inuentio laudanda, eorum verò quæ necessaria non sunt, & inuentu difficilia supra dispositionem etiam inuentionem. *ibid.* Orationes scribere maximè solent viri ciuiles. *ibid.* Oratio omnis vt animal composita esse debet ita vt ipsa corpus suum habeat & neque sine capite sit, nec pedibus careat, sed & media habeat & extrema, ita scripta, vt & inter se, & cum toto decorum referant. *ibid.*

Oratio funebris defunctos rectè laudare debet, viuos beneuolè admonere vt filii, & fratres illorum virtutem imitentur, & patres & matres consolationem accipiant. Mortuos quia boni fuerunt laudare debemus, quia ex bonis originem traxerunt prius generis nobilitatem laudantes, deinde educationem, & institutionem, post hæc res gestas ostendemus, quòd has pulchras & origine & institutione dignas gesserunt. Generis nobilitas ex maiorum origine initium sumpsit, quæ externa nõ est, neque oportet hos successores in hac regione esse inquilinos velut ipsi aliunde venerint, & huc transmigrarunt, sed indigenas reuera in patria habitantes ac viuentes, nutritos non à nouerca, sed à matre regione in qua habitarunt, & nunc iacere ipsos mortuos in propriis lo-

cis eius, quæ & peperit, & educauit, & suscepit: iustissimum primò ornari matrem ipsam, sic enim contingit vt genus horum ornetur & nobilitas *idem, ibid.*

Oratio funebris declarare debet in pulchra republica natos, & educatos, per quam & illi boni sunt, & qui nunc sunt itidem, ex quibus sunt hi, qui vita decesserunt. *Plato in Menex.* Orationem funebrem pro mortuis in bello agens, patres & matres consolari debet, vt facilius dolorem ferant, filios enim immortales nasci non oportebat, sed bonos, & gloria claros. *idem, ibid.* Orationem funebrem qui agit, posteros adhortari ad virtutem debet *ibid.*

Oratio omnis, quæ à fabulatoribus ac poetis dicitur, narratio quædam est aut de præterito, aut præsenti, aut futuro. nonne igitur aut simplices narrationes, aut per imitationem formatæ, aut per ambas, rem perficiunt? *Plat. de rep. dialog. 3.* Orationem sequi harmoniam & rythmum oportet, & cùm in oratione non sint lamentationes & luctus, nec harmoniis luctuosis opus habemus. *ibid.*

Oratio est vox quæ scribi potest, pronunciatiua cuiusque rei, composita ex verbo & nomine, sine harmonia cantus. *Speusip. de Plat. defini.* Orationis partes excellenter tractarunt, Cato grauitatem, Ælius lenitatem, Gracchus impetum, Cæsar calorem, Hortensius distributionem, Caluus argutiam, Sallustius parsimoniam, Cicero opulentiam. *Apul. Apol. 2.*

Oratione exordiendũ est, non vt tradamus potestatem illam vbique præsentem, & nusquam addictam ad nos, verùm vt diuinis commemorationibus, inuocationibusque, nos ipsos illi dedamus & vnione iungamus. *Dion. Areop. de diu. nominib.*

Oratio per accidens est in genere quantitatis, per se in motu. *Plot. En. 6. lib. 3. cap. 12.* Oratio est interpres animi conceptæ rationis. *Chalcid. in Plat. Timæum.* Orationis obscuritas nascitur vel dicentis voluntate, vel audientis vitio, vel natura rei de qua tractatur. Dicentis voluntate, cùm auctor de dita opera obscurus fuit, vt Aristoteles & Heraclitus: vel imbecillitate sermonis vitio audientis, vel cum insolita dicuntur, vel cùm is qui audit pigro est ingenio. naturâ rei, cùm talis est, vt nec sensu contingi nec intellectu comprehendi queat; nempe carens forma, qualitate, & fine. *idem, ibid.*

Orationis partes ex nominibus & verbis constare ait Plato, quia veteres primam orationem enunciationem appellabant, qua verum vel falsum dicitur, quæ ex verbo & nomine constat, & hæc sufficiunt: sed reliqua sunt vt adiectiua quædam, quæ orationem condiunt: reuera enim verbum & nomen sunt orationis pars & elementum. *Plutarch. in quæst. Platon.*

Orationes in primis habere debent argutos sensus, non obscuros, copiam quoque minimè superuacuam, breuitatem etiã, non mancam illam quidem, sed integram, & interea moderatam, proprietatem denique & elegantiam verborum. ut si fieri potest miram pictoris industriam, quæ rem ipsam oculis offerat. *Fic. epist. lib. 9.*

Orationi efficaci tria sunt maximè necessaria. primo, perturbationes sensuum cohibere, quæ ad corporea nos torquent, quæ longissimè sunt à diuinitate distantia. secundò, expellere tanquam nebulas fallacias & machinamenta imaginationis ab intellectu. tertiò, vniuersum voluntatis affectum in diuersa nunc bona distractam in primum bonum tota prorsus amoris intentione conuertere. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nomin.*

Oratio composita ex vi à Deo infusa, & rationibus à philosophis comparatis Plato nominat incantationem magicam, qua Phœbus primò, deinde Pythagorici morbos ab animo & corpore mirabiliter expellebant. *Ficin. in Plat. Charmid.* Oratio aut simplex narratio est, aut imitatio simplex, aut ex vtrisque permixta. *idem, in Plat. de repub. dial. 3.* Oratio tunc efficacissima est, cùm animus ad intellectum suum omnino se reuocans solùm se offert Deo, ad solum illum amore flagrans *idem, in Plot. En. 5. lib. 1. c. 6.*

Orantes duo obseruare debent, primò vt non petamus nisi salutaria, secundo vt fiducialiter cum maxima spe petamus. *Io. Pi. Mir. in or. Dominic.* Orare non est aliud, quàm per eleuationem mentis, & affectus excitationem sua desideria Deo notificare. *idem, ibid.* Orationes nostræ nunquam irritæ erunt, si hæc duo obseruabimus: primò, vt nunquam petamus à Deo nisi quæ sunt nobis salutaria. secundò, vt id quod petimus ardenter petamus cum firma spe quòd Deus nos exaudiat. *idem, de reg. direct.*

Orationis ideam qui mente non gerit, ipsi placere non potest stylus Ciceronis vel alterius cuiuscunque. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. de imitat.* Orationis genera multa Aristoteli esse patet, quæ neque verum nec falsum significant. Plato duo posuit genera, vnum verum, aliud falsum. & alia permulta sunt tum in posterioribus Parmenidis suppositionibus, tum in sophista, quæ si paulò attentius considerentur, ad Aristotelem illustrandum magnum afferent adiumentum. *Iac. Carp. in Alcin. præfatione.*

Orator.

Oratoris virtus est vera dicere. *Plat. Apolog.* Orator separatur à viro ciuili, vtpote quia vir ciuilis illi imperat. *idem, de regno.* Orator qui, nesciens vera, malum vt bonum persuadet, artem spernit, dixerit enim illa, quidnam ô viri, admirandi deliratis? ego neminem veritatis ignarum cogo discere, vt dicat, sed si quis meo consilio illam adeptus ita me assumit, hoc magnum quiddam affirmo, quòd absque me is qui ea quæ sunt nouit, nihilo magis arte persuadere poterit. *in Phædro.* Orator nunquam præstans in dicendo erit de vlla re, quandiu non satis philosophiæ operam dederit. *ibid.*

Oratorem primò via quadam distinguere oportet ambigua, & quendam characterem vtriusque speciei sumere, & eum in quo necesse est multitudinem errare, & in quo non, deinde dum singula aggreditur non ignorare, sed velociter percipere vtrius generis sit id, de quo dicere instituit. *Plato in Phæd.* Orator duo præstare debet: vnum, vt colligat ad vnam ideam quæ multifariam dispersa sunt, qui singula definiens manifestum faciat semper id de quo docere velit, vt clara & consona in dicendo oratio efficiatur: alterum, vt possit rursus in species articulatim, prout natura rei postulat, diuidere, & non aggrediatur mali coci more vllam partem confringere. *idem, ibid.*

Orator, vt medicus, naturam diuidere debet in corpus & animam, si non solùm exercitatione & experimento, sed arte illi medicamenta ac alimenta exhibens, sanitatem ac robur inducere volet: huic verò sermonibus ac institutionibus legitimis persuasæ, quamcunque libeat virtutem tradere. at nec animæ nec corporis virtus cognosci non potest non cognita totius natura. *Plat. in Phædro.* Oratorum omnium perfectissimus Pericles fuit. *idem, ibid.*

Orator, cùm dicendi facultas sit animæ allectatio quædam, scire debet necessariò quot habeat anima species; sunt enim tot & tot, & tales, & tales, vnde alij tales, alij tales fiunt, & his diuisis, & orationes tot sunt, & vnaquæque talis. tales ergo homines à talibus orationibus ob hanc talem causam ad talia facilè persuadentur; & rursus tales ob hæc ægrè persuaderi possunt, & qui hæc cognouit oportet velociter assequi posse. alioqui nil aliud sciet quàm sermones à præceptoribus auditos. & deinde temporis occasionem quando dicendum & tacendum adiunxerit, ac affectus mouendi, ac singularum quas didicit specierum orationum oportunitatem ac importunitatem cognouerit, tunc rectè & perfectè artem absoluerit, alioqui non. *Plat. in Phæd.*

Orator nec dicere, nec scribere rectè poterit, nisi veritatem singulorum nouerit, & secundùm ipsum totum definire poterit, & in species secare vsque ad indiuiduum, & de natura animæ contemplatus, & vnicuique conuenientem speciem venatus, sic exposuerit, & exornauerit orationem, vt variæ animę varias, & simplici simplices orationes accommodet. *Plat. in Phædro.*

Oratoris officium est quæ aliis persuadere vult sibi iam ipsi persuasisse. *Fic. epist. lib. 3.* Oratores non omnes Plato vituperat, qui quicquid libuerit se persuadere absque rerum delectu, siue malum siue bonum, profiteotur. *idem, in Gorgiam.*

Oratorem legitimum oportet rerum rationes intelligere, morum leges, verborum vires, naturas ingeniorum, verbáque certa quadam ratione componere ingeniis audientium quoad fieri potest accommodata, communis boni persuadendi gratia. neq; tam ad id incumbere, vt ea, quæ dicis hominibus grata sint, quàm vt accepta Deo. at eum qui non Tisiæ, Gorgiæq; more non veritatem ac iustitiam, sed coniecturam turbæ duntaxat verisimilem, probabilémque sequitur, tanquam hominem ciuitati ante alios noxium detestatur, quasi eloquentia sine sapientia sit ensis acutus in manu furiosi. *Fic. in Plat. Gorg.*

Oratoria ars vel in genere vel in speciebus potest considerari, atque in genere quidem desiniri industriam ad persuadendum in materia ciuili promptissimam, tum quadã probationis facultate, tum maximè eloquij gratia: & ideò inter artem quandam disserendi poeticámque esse quodam modo constitutam. hactenus oratoria intellectui bonum est, voluntati verò neque bonum, neque malum huius duæ sunt species, philosophica & popularis siue adulatoria; illa bonum, hæc verò malum. illius finis est certis rerum, verborum, morum rationibus audientes ad com-

mune

mune bonum perducere. alterius ficis est per coniecturas turbæ verisimiles, concitatiónésque animorum quodcunq; libuerit impetrare. & hanc detestatur in hoc dialogo, *Fic. in Plat. Gorg.*

Oratori tria necessaria sunt, ingenium, doctrina, exercitatio. *Fic. in Plat. Phæd. cap. 3.* Orator perfectus scire debet animã quamlibet humanam intrinsecus esse multiplicem, habere enim rationem, imaginationem, irascendi, & concupiscendi vires, & alias animas aliis suis viribus vti quam plurimum, & aliter inuerse, alitérque affectas esse, & rursus ex corporum differentia differentias nonnullas reportare, & qualibus sermonibus qualia moueantur ingenia, & suos cuique sermones accommodare, vt musicos alios aliis adhibet concentus. *idem, ibid. cap. 45.*

Orator cùm in forum prodit, sagaciter explorare debet quo plurimum ingenio sint auditores, si suos cuique sit sermones adhibiturus, & in singulis opportunitatem obseruare, pro loco, tempore, persona, loqui sciat, & tacere, & qualibet orationis parte decenter vti. *Fic. in Plato. Phædrum, cap. 46.*

Oratoriam communem in Gorgiam adulationis speciem esse iudicat, in Phædro adulatorem appellat belluam humano generi pestilentem, similémque affirmat impuro Dæmoni: incautos animos sub noxiæ voluptatis esca continuè corporis sordibus inquinari. in hoc autem dialogo præstigiatoribus veneficisque adulatorem tam priuatum quam publicum iudicat esse persimilem, quippe qui tanquam fure & homicida deterior & iniquior est, non pecunias, non ipsam corporis vitam duntaxat nobis auferat, imo verò tanquam sacrilegus rem sacram, iudicium scilicet rationis, sub boni specie subripiat, atque subducat. & non modò in occultis, sed in manifestissimis fallit *idem. in Plat. Menex.*

Oratores quales viderit, tales esse principes à quibus missi sunt expecta. *Franc. Patric. de reg. lib. 1. cap. 6.*

Oratores veteres Romani de pace agenda caduceatores appellabant, & virgam in manu gerebant, de bello feciales dicebantur. *idem, ibid.*

Oratores magnum subeunt onus, viri excellentes esse debent, ætate, & virtute probati, magnoque sæpe acumine ingenij, magnaque calliditate ac versutia ipsis opus est, sancti iure gentium habentur. ideo ab omnibus inuiolati esse debent. *ibid.* Oratores abstinentes esse debent & incorrupti. *ibid.*

Orbis.

Orbium magnorum domini sunt nunc Leo & Luna vsque ad annum 1659. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib. 5. cap. 2.*

Orbem lacteum Pythagorei alij existimarunt esse syderis inflammationem, quod à propria sede ceciderit: alij olim fuisse solaris cursus orbitam, nec defuere qui refractione quadam radiorum solis eum fieri existiment. alij stellarum luminis quæ non sint sub sole comprehensæ refractionem esse. Metrodoro placuit solis esse tramitem, Anaxagoras terrestri vmbræ acceptum retulit, ad rarum & densum Parmenides referendum putauit, quorum mixtura lacteus dissultaret color. Democritus multorum & minorum syderum atque simul positorum ob densitatem, & frequentiam sese collustrantium splendorem esse censuit. quam opinionem vt suam sequutus est Arist. Possidonius putauit esse quandam ignis constipulationem, quæ sit astro splendidior & luce densior *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 5. ca. 12.*

Orbis in tabula descriptus primo fuit ab Anaximandro Milesij Thaletis conciue. *Fran. Patric. de regno, lib. 3. cap. 14.* Orbes cœlestes, & in his stellas moueri diuina prouidentia per mediam intelligentiam, indubitatum est à Peripateticis, Platonicis, & Christianis Philosophis, siue sit diuinus spiritus, siue angelus, sed verum assistens tantùm sit, an hæc aut præter hanc alia insita, & informans, quæ ab illa assistente adiuuetur, & dirigatur: hoc inter omnes nondum satis definitum est. *Iac. Carp. in Alcin. cap. 12.*

Ordo.

Ordinem deserere in re militari turpe est, quia sic à principibus exercitus statutum, deo vero iubente aliquid non obedire quanto magis turpe erit? *Plato Apolog.* Ordo & ornatus in omnibus rebus requiritur. *idem, in Gorg.* Ordinem rebus confusis induxit Deus. *in Tim.*

Ordinis ac legis quum ciuitas particeps est, omnia bene facta sunt: at pleraque quæ ordine carent, aut malè ordinata sunt: ex bene ordinatis alia quædam soluunt. *de legib. dial. 6.* Ordinem quod habet, magnum sapientiæ indicium est. *in leg. append.*

Ordo est concentus operationum ad inuicem, communionis proportio, vicissitudinis in omnibus causa, contemperatio ad percipiendum idonea. *Speusippus de Platonis definition.*

Ordo fieri à deformitate nequit, eget autem deformitas domino, qui ordinem præbeat. *Trismegisti Pimander. cap. 5.*

Ordo & tempus innouationem omnium rerum quæ in mundo sunt per alternationem faciunt. *Eiusd. Asclepius, cap. 10.*

Ordo perpetuus à primis per media ad tertia, atque ita semper vsque ad extrema descendit. *Plot. En. 2. lib. 9. cap. 13.* Ordo non est ob præuaricationem ordinis institutus, nec lex ob legis transgressionem, quapropter deteriora fiant illa, nobísque appareant; imo verò propterea quod ordo hic est adventitius, & quoniam ordo est, transgressio ordinis habet locum: ac propter legem & rationem. & quia existit ratio, accidit legis rationísque transgressio, non ita tamen. vt quæ meliora sunt, deteriora fecerint, sed quia quæ indigent debentque meliora suscipere, sæpe, vel suapte natura, vel fortuna, vel impedimẽto aliunde illato, accipere nequeant. *Plot. En. 3. lib. 2. cap 4.*

Ordo non potest esse sine harmonia, harmonia analogiæ est comes, analogia cum ratione, ratio est comes indiuiduus prouidentiæ, prouidentia non est sine intellectu, intellectus non est sine mente, mens dei modulauit, ordinauit, excoluit omnem corporis continentiam. ergo inuenta est opificis diuina origo, & cum opifex operatur, & exornat omnia iuxta vim rationabilem; & maiestatem operum suorum: opera vero eius sunt intellectus, quo pacto inuenitur tertia exemplaris rerum origo, quæ sunt ideæ. *Chalcidius in Plat. Timæum.*

Ordo omnis diuinus sibi ipsi vnitur tripliciter, à summitate ea quę in ipsa est, à medietate, & à fine. *Proc. ele. Theol. prop. 148.*

Ordo omnis ab vnitate incipiens progreditur in multitudinem aliquam enitati consortem, & omnis ordinis multitudo in vnam reducitur vnitatem. *idem, pr. posi. 21.*

Ordini proprius est numerus *Philo de opificio mundi.* Ordo est consequentia, & series rerum præcedẽtium, & sequentium. *idem, ibid.*

Ordinari rem aliam ad aliam duobus modis; aut vt inferiorẽ, vt materia ad formam, aut vt superiorem, vt princeps qui constituit aliquem, qui sua vice id faciat, quod ipsum facere immediatè non decet, constitui enim quemque ordinari est. & hæc ordinandi ratio non inferiorem, sed superiorem se declarat esse eum, qui ad aliud ordinatur: gerit enim personam ordinantis *Bess. Card. in Calumniat. Platon lib. 3. cap. 10.*

Ordo maximè rationis est proprius. *Ficin. de voluptate, cap. 9.*

Ordo omnium rerum ad vnam causam refertur: ideo prima causa vnius nomine nominatur, presertim quia vnitas simplicitatem significat. *Idem, in Dion. Areop. de diuin. nominib.*

Ordines singuli rerum vt se habent ad propria sui principia, sic vniuersus ordo ad vniuersale principium. At omnes illi ad vnam quandam speciem reducuntur, quare & omnia ordo naturæ ad principium vnum. Vni corpori vna sufficit anima, vni domui vnus dominus, ciuitatum rex vnus, vni mundo Deus non sufficiet vnus? ab vno ignis calore omnes calores, ab vna solis luce omnia lumina, ab vno bono omnia bona. *Ficin. in Plato. phileb. lib. 1. cap. 4.* Ordo nil aliud est, quàm decens partium interuallum. *idem, in Plato. conu. or. 5. cap. 6.*

Ordinem triplicem in rebus Pythagoras & Plato cogitabant, specierum, figurarum, & numerorum. Triplicem similiter inter ideas, adeo vt & in rebus, & in ideis, species in figuras, figuræ resoluantur in numeros, & certæ species figuris certis, certæ figuræ certis numeris quodammodo congruant, rerum ordine omnino sic exigente. Quamobrem vbi aiunt speciem ignis ex pyramidali figura. & pyramidem solidam ex triangulis quatuor, & hoc ex quaternario ternario constitui, significare volunt proprietatem quandam in his cunctis communiter esse persimilem, & comparanda hæc inter se potius, quàm componenda; & hac ratione igni figuram pyramidalem tribuit, aeri octoedram. aquæ icosaedram terræ cubum, vniuerso figuram duodecim facies possidentem. *Fic. in Plato. Timæum, cap 40.*

Ordo imaginalis & sensualis in quodam spirituum temperamento fundatur, cui quoties contemperata similiter admouentur fit voluptas in mutua quadam sensus imaginationísque cum rebus, quæ influunt, congruitate resultans. Post hæc rationis lætitia in reformatione quadam nascitur, per quam ratio quæ perturbatione corporea facta informis fuerat, vel deformis, formatur pro natura sua. atq. reformatur, deinque mentis gaudium reformatione perficitur, per quam intellectuali quodam intuitu reformatur aliquando in idea, à qua ceciderat ob negotiosæ vitæ tumultum. *Ficin. in Platonis de legibus, dial. 7.*

Ordinem rerum dum contemplamur, pulcherrimas rerum formas cognoscimus artificiosissimis rationibus esse compositas: ac si rationibus, ergo ideis, id est exemplaribus, ad quorum similitudinem ipsa ratio formas producit in ordinem, vt in artificialibus à formis ad rationes, ab iis

ad ideas, id est exemplaria proficiscimur. Tres ergo in vniuerso sunt ordines, formarum, rationum, & idearum. Ordo formarum, quæ patent sensibus, ad animam mundi reducitur, quæ velut mutus principium formas in materia generat alias alijs rationibus & seminibus hunc ordinem rationum in anima ad mentem redigimus altiorem, à cuius ideis anima gubernandarum rerum suscipit rationes. Ordo denique idearum in mentem ab immenso & simplici diuini boni splendore descendit, si quidem vna omnium idea bonorum id est Deus, alias aliorum bonorum ideas menti angelicæ infundit. Quare rerum ordines ad tres fontes reducuntur: ordo formarum ad mundi animam, rationum ad angelicam mentem, idearum ad ipsum bonum. *Ficin. in Platon. epistolam secundam.*

Ordinem in præsentia dicimus mutuam inter se rerum actionúmque connexionem, congrua successione dispositam & ad finem certum propria quadam ratione directam, atq; in cunctis quoad fieri potest simile, æquale, idemque seruantem, qui ordo solum ab iis qui mentis compotes sunt seruari potest, atque in ipsa vniuersi progressione prorsus impleri. *Fic. in Plato. de leg. dial. 10.*

Ordo semper nasci consueuit ab intelligentia, & illius nutu simplici prorsúsque immobili machina ex tam diuersis mobilibúsque congesta ordinatissimè conspirat & regitur. *idem, in Plotin. En. 3 lib. 3 cap. 2.*

Organi non est quod fit, sed eius cuius est organum. *Plutarchus de vrbe Thebis & Socratis dæmone.*

Origo omnium fit quando contigerit aliqua affectio, nimirum cum principium accepto incremento ad secundam transitionem venerit, & ab hac ad proximam, & ad tres vsque progressa sentientibus sensum exhibuerit. dum igitur sic transmutatur & transmouetur, fit quidlibet quod fit. *Plato de legibus, dial. 10.*

Origo æternarum rerum & caducarum longè aliter dicitur, si quidem mortalium antiquitas & origo illa est, quæ præcessit ortum cæterorum; at æternorum origo non in anticipatione temporis, sed in dignitatis eminentia consideratur. *Chalcidius in Timæum Platonis.*

Origo rerum simplex est, nec habet qualitatem; & si non æternam, ex aliquo tempore sit necesse est, & si hoc erit, causa quoq; cur sit præcedat ortum necesse est. Ita erit initio aliquid antiquius, sed hoc absurdum est, ergo rerum origo æterna & immortalis. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

Origo, duplex, alia rei, secundum quam aliquid in tempore, aut cum tempore dicitur incœpisse. altera rationis tantùm & cogitationis. dubium est apud Platonicos, quam originé mundi Plato ipse agnouerit. *Iacob. Carpentarius in Alcinoi cap. 10.*

Orizon est circulus, quem cœli finem visus noster sibi circumscribit. *Timæus Locrus de mundi anima, & natura.*

Ornatus quidam in vnoquoque accedens, qui vniuscuiusque proprius est, singulas res bonas facit. *Plato in Gorgia.*

Orpheum Oeagri filium ob amorem erga vxorem viri sui nó perfectè compotem ex orco dij dimisere: spectro vxoris ostenso, propter quam vltro descenderat, ipsa autem non data illi est, quod molliter se gerere videretur, vt qui citharædus esset, & amoris gratia mori non auderet, sed per industriam excogitasset, quomodo viuus ad orcum descenderet, & propterea ipsi pœnam instituerunt, vt ipsi mors à fœminis contingeret. & non velut Achillem ornarunt, vt in beatorum insulas transtulerint, qui potius amici Patrocli necem vlcisci & cito mori, quam illa inulta longam vitam elegit. *Plato in symposio.*

Orpheus tunc Eurydicem id est profunditatem iudicij amisisse dicitur, cùm retro respexit. *Ficin. epistol. lib. 1.*

Orpheus vbicunque diuinam iustitiam obtestari volebat per numina octo iurabat, ignem, aquam, terram, cœlum, lunam, solem, phanetámque, & noctem. *Idem, in Plato. de republica dial. 4.*

Orphei Theologiam sequutus est Plato. *Ficin. in phileb. li. 1. cap. 11.*

Orpheus Odryseus nunquam fuit. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione, lib. 7 cap. 3.*

Orpheus à Mosaicis didicit vnum esse Deum, ideo palinodiam cecinit. *Idem, in exam. vanitatis doctrinæ gentium. lib. 1 cap. 20.*

Orpheus eadem scripsit, quæ Trismegistus, sed obscurius, & sub ambagibus inuoluit, & vanis superstitionibus, ac magicis. *August. Steuch. de perenni philosophia, lib. 7. cap. 10.*

Ortæ rei rationem dicitur habere omne quod ab aliquo fluit & regitur, etiam si cum illo simul sit secundum tempus, aut secundum ipsam æternitatem, quæ tempore antiquior est. quando tamen cum suo principio comparatur, rationé rei ortæ dicitur obtinere. *Iacob. Carpentarius in Alcinoi ca. 10.*

Ortum superam mundi partem, & occasum inferam vocarunt homines. *Leo Hebræus de Amore, dial. 2.*

Ossa.

Ossium principium est medullæ ortus: vincula enim vitæ, quibus anima corpori alligatur, in medulla deligantur, & mortalium generi radices præbent. *Plato in Timæo.*

Os constituit Deus perforando terram puram, & læuem, & medulla imbutam subegit: & postea hoc ipsum in ignem immisit, deinde in aquam mersit, & rursus in ignem, & rursus in aquam. sic autem sæpe in vtrunque transferens effecit vt ambobus liquefieri non possit. *idem, ibid.*

Ossa quæ maximè animata sunt, paucissimis intexta sunt carnibus: quæ vero minimè intus sunt animata, plurimis, & densissimis. *Plato in Timæo.*

Os nutrit id quod à neruis & carnibus viscosum, & pingue decedit. *Idem, ibid.* Ossa medullarum monimenta sunt, & horum tegmen, & cooperimentum est caro. *Timæus Locrus de mundi anima & natura.* Os est medulla calore consolidata. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Ossa non liquefiant, & ex capitis osse tota ossium textura procedit ad medullam & seminalia membra seruanda. *Ficin. in Platonis Timæum, cap. 72.* Ossa non sunt facta per vniuersum continua, vel vniformia, sed per articulos difformia, vt membra flecti facile possint. *idem, ibid.*

Os carni contrarium est, durum, siccum, frigidum. *ibid. cap. 73.*

Oscitantes qui vident, eandem affectionem sustinent. *Plato in Charmide.*

Ostentatio est affectio, quæ sibi vindicat ea bona, quæ non adsunt. *Speusi. in Plat. defini.*

Osyris id est viuifica prouidentia. *Ficin. in Plotini En. 4. lib. 3. cap. 11.*

Ouationis nomen dictum est, vt aliqui aiunt alij à Bacchi nomine, quem Euam veteres dixere, vel vt alij volunt, à clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites, geminata O, litera. *Francisc. Pat. de repub lib. nono, cap. 6.*

Ouium pestilentiam prędicunt venatores vitiato inspecto leporum iecinore. *Ioan. Fran. Picus Mirandul. de præn. lib. 3. cap. 8.*

Ouorum vitellus solus est delicatorum nutrimentum; nam Auicenna probat nutrimentum nullum expedire magis in diminutione sanguinis, & dissolutione spiritus cardiaci, quàm vitellum oui gallinæ, vel perdicis, vel phasianæ. *Fic. de vita producenda, lib. 2. cap. 6.*

P

PACTA quæ quiuis assensus fuerit, exceptis his, quæ leges aut decreta prohibent, vt siquis ab iniusta necessitate coactus promisit & si quis ab inexpectata fortuna inuitus prohibitus fuerit; in alijs non seruari pacti iudicia tribuum fiant, si inter arbitros, aut vicinos antea reconciliari non poterint. *Plato de legib. dial. 11.*

Pacta seruare, recta & firma reddere iurare debent simul, & studio à musis non alieno, & eruditione studij sorore, & Deum omnium ducem tum eorum quæ sunt, tum eorum, quæ summa sunt, ducis, ac causæ patrem dominum, quem reuera philosophamur, cognoscemus omnes manifestè, quantum hominum fœlicium vires possunt. *idem, epist. 6.*

Palamedes non ne dicendi arte effecit, vt audientibus eadem similia, & dissimilia, vnum ac multa, & manentia, & quę feruntur viderentur. *Plato in phadro.*

Pallidus fit culor ex albo ad flauum admisto *Plato in Timæo.*

Palinodiam canere illos, qui in deos errábant, antiquum est. *Plato in phadro.* Palinodiam Stesichori canere prouerbium. *idem, Dionysio epist. 3.*

Pallas à platonicis describitur diuinitas sapienter simul atque potenter tum cœlestia exornans, tum quæ sub cœlo fiunt ædificans, inter astra Arieti præcipuè præsidens, & æquinoctialis circuli dux vbi potissimum vigere putant motricem vniuersi virtutem. *Ficin. in Platonis Timæum, cap. 5.* Pallas intellectualem prouidentiam significat. *idem, ibid.* Pallas fit numen intellectualis vitæ præsidens. *Idem, in Platon. Atlantic.*

Pallas dicitur à saltatione in armis. *Plato in Cratylo.*

Palma est virtutis præmium sui ipsius gratia exoptandum. *Speusippus in Plato. definitio.*

Pan Mercurij filius dicitur à gemina natura, nam λόγος id est sermo, πᾶν, id est totum significat, & geminus est, & verus, & falses:

& falsus: verem enim quod superne est, & habitat inter deos, falsum hircinum, & durum inter homines, est igitur pan ipse sermo, vel sermonis frater, scilicet Mercurij filius, fratrē autē fratri similem esse non est mirum. *Plat. in Crat.*

Pan cùm vt homo pingitur, verum sermonem significat: cùm vt brutum, falsum. vt homo vere, vt brutum, falsa loquitur. *Fic. in Plat. Cratyl.*

Pan est Deus localis sub luna, nominatur vt omne, quoniam in ordine deorum localium tenet amplissimam gradum, & ad Pan omnes dij locales sub luna referuntur. *Idem, in Plato. phadrum cap. 53.*

Pan apud græcos totum significans est vniuersalis natura vniuersum mundum regens & disponens. duo cornua duos polos repræsentans, pellis qua vestitur diuersis coloribus aspersa octauam sphæram innumerabilibus ferè stellis distinctam imitatur. ignea facies septem planetas figurere videtur. Facies enim septem organis præcipuis constat. horridæ comæ. prolixa barba in pectus propensa, solis & syderū referre videtur radios, humilia & fucomposita membra elementa pedes caprini, quia vt capræ nunquam recta incedunt, sic semper inferiora errāt, & ex vna in aliam speciem mutantur. *Leo Heb. de Amore dial* 2.

Papyrius qui de Samnitibus sub iugum missis, & de recepta Luceria triumphauit, cursor dictus. quia omnes ætates sua iuuenes currendo vicit. *Fr. Patr. de regn. lib. 3. cap. 3.*

Par impar homines ludunt, nescientea quid par, & quid impar, quod in manibus habent, sit, assequuntur tamen & vera dicunt. *Plato de consultando.*

Paradisi nomine subindicator principalis vis animæ, quæ est plena, ceu plantis, innumeris opinionibus. per arborem vitæ pietas inter virtutes eminentissima, per quam immortalis redditur anima. *Philo de mundi op. fi.* Paradisus figurate dicitur virtus, locus proprius paradisu Eden dicitur, id est delitiæ: virtuti enim conuenit pax, voluptas, gaudium, in quibus sunt veræ deliciæ. plantatus ad orientem, quia virtus semper animam illustrat, & ab ea tenebras discutit. *Idem, in leg. alleg. lib. 1.*

Paralellis tria insunt per se: vnum recta linea parallelas secante alternos angulos æquales esse, alterum, recta linea parallelas secante internos angulos duobus rectis æquales esse; tertium, recta linea parallelas secante externum angulum interno ex oppositóque iacenti æqualem esse. *Procl. in Euclidem. lib. 4. cap 1.*

Parca.

Parcæ, 3, necessitatis filiæ Lachesis, Cloto, & Atropos, sedent in cœlis circumcirca in singulis sedibus æqualiter distantibus, albis vestibus indutæ, coronas in capite gestantes, & canunt ad sirenum harmoniam, Lachesis præterita, Cloto præsentia, Atropos futura. *Plato de rep dial.* 10. Parcarum Cloto dextra manu attingere & simul vertere externam fusi vertiginem ex quadam temporis intermissione: Atropon sinistra manu internas eodem modo: Lachesim verò vtrasque ex parte vtraque manu attingere, asserit. *Plato de repub. dial.* 10. Parcarum nomina sunt, prima Lachesis, secunda Cloto, tertia Atropos conseruatrix prædictorū. *Plato de legibus, dial.* 12. Parcæ & necessitas fusum in cuiusque generatione torquent & cōuoluunt. *Plot. En. 2. lib. 3. c. 9.*

Parcæ & ad instrumentum fati, & ad materiam pertinent. nam Lachesim nominare possumus firmamentum, in cuius stellis vires sortésque inferiorum omnium continentur: Cloto verò planetarum cœtum in euoluendis rerum sortibus firmamento subministrantem: Atropon Saturnum præcipuè, stabilitate sua euolutas in effectu sortes, ineuitabiliter confirmantem. In materia quoque fati ideo tres parcas connumeramus, quoniam via fatalis per instrumentum cœleste elementis infusa agit in materiam, & formam, & compositū; item in essentiam, & virtutem, & actionem: item in principium, medium, & finem. Mens verò fatum superat, vel fato feliciter vtitur. *Fic. in Plat. de leg. dial.* 12. Parcæ tres ordines temporum, præsens videlicet, præteritum, atque futurum, significare dicuntur. *Leo Heb. de Amore, dial.* 2.

Parentes.

Parentes senes ingens lucrum est, & si iuuenes decesserint valde desiderantur. *Plat. de leg. dial.* 10. Parentum honores sunt pulcher & magnificus filiis thesaurus quo vti, & nō filiis tradere turpe est & ignauum, ob propriarum possessionum & rectæ gloriæ inopiam. *in Menex.* Parentes negligere neq; Deus neq; homo mente præditus vlli vnquam consulet *de leg. dial.* 11. Parentes Deus exaudit contra filios. nec quisquam putet dum parentes à liberis contemnuntur Deum illorum preces secundum naturam exaudire. at dum coluntur, bona liberis tribuunt. *ibid.*

Parentes si quis in hac ciuitate negligentius habuerit, quàm decet, & non filiis & omnibus ipsorū filiis, & sibiipsi prætulerit, vt omnia ipsis permittat, & voluntates ipsorum expleat, is qui ita habetur, siue ipse siue misso aliquo referat ad tres seniores ex legum custodibus, & ad tres ex fœminis ad nuptias curandas designatis. Hi curent, & iniusta facientes puniant: si iuuenes adhuc sunt, plagis & vinculis ad 30 vsque annum; si viri fuerint, mulieres autem ad quadragesimum vsque annum iisdem pœnis puniantur. Si verò hos annos excesserint, & ab eadem circa parentes negligentia non destiterint, sed ipsos malè tractauerint, ad iudicium pertrahant ipsos, in quo singuli ciues ex omnibus senioribus consideant. Si quis damnatus fuerit æstimationem faciat iudicium, quid persoluere. aut pati ipsum oporteat, ita vt nihil prætermittat, quod pati aut soluere homo possit. Et si quis qui malè tractatur referre non potest; quicunque ex liberis hominibus ad magistratum referat, aut improbus habeatur, & à quocunque volente damni dati reus peragatur. si seruus significauerit, liber sit; & si fuerit seruus illius qui malè tractat aut tractatur, à magistratu liber fiat; si verò alterius, respublica pro ipso precium domino persoluat. *Plat. de leg. dial.* 11.

Parētes in generatione electissimi esse debēt, qui instar vnitatis vim habeāt prorsus vnitā & more imparium indissolubiles sint, robusti, ordinati, fecūdi: qui æqualaterorū cōditione æqualē & rectā habeant cōplexionē. vt generosissima proles oriatur. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 8. *c.* 13. Parētes filios genuerūt, nō vt immortales forēt, sed vt boni. *idē, in Plat. Menex.* Parentū in liberos mirificus amor castus. *Leo Hebr. de Am. dial* 3. Pares cū paribus facillimè cōgregātur. *Fic. in Plat. conuiu. ora.* 3. *c.* 16. Parere nihil potest absq; motu, immobilis enim appellatio nihil aliud quàm sterile significat. *Merc. Trismeg. Pimand. c.* 12. Parietē faciunt Essei, qui diuidit homines à mulieribus, cùm sermones faciunt. *Phil. de vi. cont.*

Parmenides poetico stilo librū vnū de vno ente cōposuit, tanquā de secundo principio. *Fic. in Plat. Parmenid.* Parmenides integro libro probauit omne ens vnū quodāmodo esse vtriusq; particeps. *idem, ibid.* Parmenidis materia potissimum Theologica est, forma logica. *ibid.*

Parmenides ponebat ens omne esse vnū, i. particeps vnius. *Zeno* verò eius discipulus hāc positionē alia cōfirmabat, dicēs ens non esse multa, id est solum multa, sed præter multitudinē esse particeps vnius. *Fic. in Plat. Parmenid.* Parmenidis dialogus Theologicus est; quod nō solū Platonici probatissimi affirmarūt, sed Dionysius Areopagita confirmare videtur: nec est contentiosus, sed dogmaticus. *Idem, ibidem.*

Parmenidis opinionē falsò retulit quarto primæ philosophiæ Aristoteles. *Franc. Pic. Mir. in exam. van. doctr. gent. lib* 1. *cap* 8.

Pars, Partes.

Pars & species differunt; quòd species vbi alicuius fuerit, etiā partem esse necesse est ipsam eius rei, cuius species dicitur; partem verò speciem esse nulla necessitas est. *Plato de regn.*

Pars omnis in toto est, & nulla extra totum. *in Parmenide.*

Pars totius gratia fit, non totum partis gratia. *de leg. dial.* 10.

Partes inter se diuersæ diuersas habent & actiones. *Plot. En.* 2. *lib* 3 *cap.* 5. Partibus quæ carent, non se inuicem tangunt. *Proclus element. physic. propos.* 1. Pars à parte subiecto differt. *Bessarion in Calumniatorem Plato lib.* 2. *cap.* 7.

Partis actio tunc toti ascribitur, cum pars illa vel continuatur cum altera in vnam essentiam, vt hominem videre dicimus, quia oculus videt, vel in esse vnum, ceu cum dicimus ignem calefacere per calefactionem, quæ prouenit à calore, & forma, quæ talis est ignis pars, vt materiam alteram ignis partem formando ad vnum esse perducat vel in vnam agitationis effectum, vt cum dicimus animam vnà cum ense brachium vibrare, quia motio talis ab anima in ensem per brachium transeat. *Fic. Platonica Theologia lib* 15. *cap.* 7.

Partes, quæ inter se, & ad totum similes sunt omnino, quando totum aliquod mutuo congressu conficiunt, non aliter perficiunt totum, quam per numeri, vel magnitudinis augmentum, quod in tritici granis, & aquæ guttis aspicimus. *Fic. Platonica Theologia lib.* 8. *cap* 4. Participationis summi boni primus gradus est qui habetur per intellectum, secundus per rationem, tertius per sensum, quartus per vitam, quintus per essentialem perfectionem & formam. *Idem, in Dion. Areop. de diuinis nom.*

Pars omnis toto solet esse minor. *Fic. in Plat. de repub. dialog.* 7.

Partes omnes multitudo sunt, nō omnis multitudo partes, sed cognata. *Idem, in Plato. Parmenidem, cap* 95.

Pars aliquota est illa, ex qua aliquoties replicata fit totum. *in Plato Timæum, cap.* 19

Partes vbicunque finem suum, id est naturalem consequuntur perfectionem, ibidem & totum cui partes seruiunt finem consequitur suum. *Fic. in Plotin En.* 1. *lib.* 8 *cap.* 2.

Partes perfectiores sunt, quæ existentiam propriam, propriúmque habent officium. *in Plotini En.4.lib.3.cap.1.*

Partem fortunæ astrologi alij aliter eliciunt. Ptolemæus semper à Sole ad lunam, alij in nocturna genitura è luna ad solem, Heliodorus, & Maternus à patre dæmonis ad Venerem interdiu, nocte contra, & sic alij aliter. *Ioan. Picus Mirandul. in Astrologiam.lib.6.cap.18.*

Partes quibus astrologi vtuntur, merum figmentum est, res vane, voluntarium dogma; vbi enim nullum est lumen, nec alia qualitas naturalis, quod significari potest. *idem, ibid.li.8.*

Partium quibus vtuntur Astrologi, primus Hermetes fuit author, in libro cui nomen fuit παναρετῶν. *Ioan. Pic. Mir. in Astrolog.lib.6.cap.18.* Pars fortunæ tantum distat ab Horoscopo quantum à sole luna. quod ideo factum fuit, vt cùm & soli & lunæ Horoscopos fecissent, soli verò corporis & animi sortem tribuunt, lunæ eduentuio sortem fortunarum id est rerum quæ extra nos sunt fatum sortirentur. *idem, ibid.*

Partes omnes præter fortunæ partem Ptolemæus abominatur. *idem, ibidem.*

Partes priores sunt toto nascendi ordine, quia totum ex partibus consurgit, totum verò prius est partibus, quia ex toto partium perfectio spectatur, & ad ipsum tanquam ad finem refertur. *Iac. b. Carpent. in Alcinoi cap.12.*

Parthi conuiuia non cum vxoribus, sed cum concubinis ineũt, vt qui arbitrantur vxores pudicas domi seruandas, pellices vero ad lasciuiam & petulantiam foras ducendas in publicum. *Franc. Patritius de republica, lib.4. cap.5.*

Participantia aut tota specie participent, aut parte. *Plato, in Parm.* Participans omne participato inferius est. & participatum imparticipabili. *Proclus element. Theologic. proposit. 14.*

Participatum communicationem largitur participanti ad id cuius particeps est *ibid.prop.28.*

Participans omne inseparabiliter per quandam inseparabilem potentiam quam indit participanti adest. *propositio.81.* Participans aliquatenus debet esse simile participato *proposit.135.*

Participantia omnia diuinas vnitates, incipientia ab ente in corpoream desinunt naturam. *proposit.138.*

Participantium omnium diuinam proprietatem, & deificatorum primissimum est & summum ipsum ens. *proposit. 138.*

Partibile est omne quod mouetur. *idem, elements. physic. proposit.59.*

Participabilem naturam in omni ordine imparticipabilis præcedit. *Ficin. in Platon. Parmenidem, cap.87.*

Particulare in vnoquoq; ordine dupliciter participare potest, eâ vnitate quæ proximè superposita ad ordinationem est, vel per propriam totalitatem vel id quod in ipsa est particulare, & coniungi ad ipsum secundùm analogiam ad vniuersam seriem. *Proclus elements. Theologic. propositio. 108.*

Particularia multa scitu digna, & præclara scripsit Aristoteles, et de communibus nec tot, nec tanta ipsum scripsisse pro vero vnquam reciperem. *Ioan. Francisc. Picus Mirandulan. in exam. vanitatis doctrin. gentium, lib 6.cap.20.*

Partui non præest singulis mensibus planeta aliquis. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol.lib.3.cap. 18.*

Partus octauo mense plerunque non viuit, vt ait Hippocrates, quòd eo mense difficilis sit vteri gestatio: grauius tunc prægnantes se habent, & in matrice nescio quæ patiuntur grauia & incommoda; & si pariant, duplici labore oppressas, & partus, & ægritudinis, infirmissimos fieri, vnde etiam fœtus imbecillior factus raró viuit. At si quæ fœminæ sunt validiores, solent viuere & octauo mense nati, quales sunt in Ægypto, vt scribit Aristoteles, & in Hispania, vt Auicenna tradit. *idem, ibidem.*

Paruum in Deo dicitur quod vniuersam molem, & distantiam supergreditur, & quod nullo impediente per omnia transit. *Dion. Areopag. de diuinis nominibus.*

Paruum penes Deum sic accipiendum est, tanquam in omnia, & per omnia nullo resistente pergens & egens, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & corporis, compagum quoque, & medullarum, discretor intentionum & cogitationum cordis. Imò verò discretor omnium, non enim est creatura inuisibilis in conspectu eius. Hoc paruum sine numerali qualitate est, & sine quantitate nusquam excogitatur, infinitum, interminatum est, comprehendens omnia, incomprehensibile existens. *idem, ibid.*

Parua in magnis contemnere periculosum est, parua enim scintilla contempta, maximum excitat incendium. *Fic. epist. lib.5.*

Paruitas in diuinis significat simplicitatem naturæ, & vnionem virtutis. *idem, in Areop. de diu. nom.*

Passibile quod est, esse oportet tale vt in contrariis sit potentiis, qualitatibúsque eorum quæ accidunt & inferunt passionem. *Plot. En.3.lib.6.cap.8.* Passibile id dicitur circa quod passiones versari videtur: hæ verò sunt quas voluptas & dolor sequitur. *idem, ibid.cap.4.*

Passio.

Passiones vel sensus sunt, vel saltem absque sensu non fiunt. *Plot. En.1.lib.1.cap.1.* Passiones & actiones sunt habentis. *idem, ibid. cap.6.* Passionem communiter quod est in alio, eius in quo est necessariò accipit; hoc autem haud vlterius sui aliquid tradit alij, quod vitam propriam possidet, vt si quid alicui est infestum patiente eo in quo est compatitur, ipsum verò, si quando exaruerit permittit illud suam vitam habere. *En.2.lib.9 c.7.*

Passiones circa corpus sunt non circa animam. *Plot. En.3.lib.6. cap.1.* Passiones aliæ ex opinionibus oriuntur, vt cùm quis opinatus se moriturum metuit, aut bonum adfuturum gaudet, vbi opinio est in alio, perturbatio verò excitatur in alio: aliæ improuiso oriuntur, & in eo quod naturaliter opinari potest gignunt opinionem, & inopinatus metus accedens si ultius repetatur, ab opinione trahit exordium. *idem, ibid. cap.4.* Passiones non sunt in anima, sed circa aliud quiddam quod compositum est. *ibid.cap.3.*

Passibilia sunt magis, quæ magis corpulenta: cum enim diuiditur terreum, semper portiones separatæ manent, alia statim vniuntur. *Plotin. Enn.3.lib 6 cap.6.* Passionum omnium expers est essentia intelligibilis, quæ omnis in species ordine collocatur. *idem, ibid.* Passionum susceptio est via ad interitum, & huius perire est, cuius pati. *ibid. lib. 6. cap. 8.* Passio quæ in patiendo versatur, non est qualitas, sed motio quædam. *En 6 lib.3 c.19.* Passio corporeorũ alia est à passione incorporeorum. *Porph. de occasio.* Passio corporum contingit cum transmutatione. *idem, ibid.* Passio animæ est accommodatio quædam, & affectio ad rem ipsam, & actio quædam nullo modo similis calefactioni, & frigefactioni corporum. *ibid.* Passio corporum si fit cum transmutatione, dicendum est omnia incorporea esse passionis expertia. *ibid.* Passiones circa id sunt omnes, circa quod & interitus; via enim ad interitum est admissio passionum, & huius est interire cuius est pati. *ibid.*

Passio nulla est in anima nec turbatoria nec peremptoria, quam impassibilitatem possidet anima naturâ admodum superiore corporibus. *Iamblich. de myst.* Passiones omnes corporeæ, quæ mentem & deliberationem impediunt, non nisi in capite proueniunt: nam phrenesis, obliuio, lapsus, epilepticus furor, atque atri fellis incendia ex arce capitis trahunt initia, non quòd mens deliberatióque lædatur, sed organa morbo impedita officium suum iuxta naturam implere non possunt, nec animæ iussis occurrere. *Chalc. in Tim. Plato.*

Passio dissolutiua, vel voluptas instauratiua non fit in sensu, & anima, sed in corpore per animæ præsentiam quasi viuaciter iam affecto, in sensu verò & anima fit perceptio passionis illius minimè patiens. *Ficin. in Plotin. Enn.4 lib 4.cap.19.* Passio aliud est, & aliud passionis iudicium, & passio semper ab alio iudicatur, ideò ventendum semper est ad iudicem è passione alienum, quod anima est. *idem, Platonic. Theol. lib.7.cap.6.*

Passio vlla non est admittenda in cælestibus, & si aliqua, non alia saltem quàm quæ perfectio potiùs est dicenda quàm passio, vt Luna non aliter patitur à Sole, quàm vt ille à quo beneficium accipit. *Ioan. Picus Miran. in Astrologiam, lib.6.c.5.*

Pastoris officium est vt ipse sit pastorum medicus, pronubus, & circa partus & ipsorum curationem artis obstetricandi solus peritus, & musicæ quantum armentorum genus capax sit, siue per instrumenta, siue ore operam dare. *Plato de regno.* Pastoris diuini figura maior est, quàm vt Regi conueniat. *idem, ibid.* Pastores canes nó nutriunt. qui sunt gregis custodiendi adiutores ita vt præ petulantia, & fame, aut alio quodam malo more ipsi canes pecora lædere aggrediantur, & pro canibus lupis assimilentur; ita custodes erga ciues se habere debent. *de repub. dial.3.*

Pastor & pecuarius differunt: nam pastor est bonus, & virtutis amans, pecuarius verò gregis præfectus malus. *Philo de agricultu.* Pastor verus virtute tam egregius esse debet, vt subiecto gregi virtutum omniũ sit exemplar. *Fic. epist. lib.1.*

Pater.

Patrem vel matrem cogere non est pium, multò minus pium est cogere patriam. *Plat. in Crat.* Patres aliorum plerunque negotia curant, & maximè qui reipublicæ negotia tractant, filiorum verò educationem aspernantur. *in Lachete* Patris opprobria, & pœnæ nullũ ex filiis sequantur, præterquã si alicui pater, auus, & proauus, capitis cõdẽnati fuerint. Hos autẽ cũ suis opibus, sorte tamẽ penitus exceptã ciuitas in ipsorũ veterum patriã, ac ciuitatem releget. *de legib. dial.9.*

Pater quem animi impetus nequaquam fortunatus concitauerit,

uerit, siue meritò siue secus, vt quem genuit, aut educauit, eum à cognatione sua remouere cupiat, non ita vili modo liceat, nec statim hoc ipsi facere, sed primum cognatos suos conuocet, vsque ad nepotes ex fratre, & sorore, & similiter filij cognatos ex matre, & inter hos accuset illum, & dignum esse doceat qui ab omnibus à genere abdicetur, & det filio æqualem dicendi potestatem vt se asserat indignum esse vt tale quid patiatur: & si illic persuaserit pater & consentientes habuerit ex cognatis plures quàm ipsorum dimidiam partem siue mulieres, siue viri fuerint perfectæ ætatis, excepto patre, matre, & ipso reo. Hoc modo, & secundùm hæc liceat patrem filium abdicare, & nullo alio modo. Quod si quis filium abdicatum in filium adoptare volet, nulla lex prohibeat, iuuenum enim mores multas in vita mutationes faciunt: si verò abdicatum decem annorum nemo cupierit in filium adoptare, curatores eorum qui supra iustum modum geniti sunt & in coloniam mittuntur, etiam horum curam gerant, quo eiusdem coloniæ concinni participes fiant. *Plato de legibus, dial. vndecimo.*

Patrem accipimus à sanctis eloquiis esse fontanam, vt ita dixerim, deitatem, filium verò spiritúmque fœcundæ deitatis, si modo liceat ita loqui, germina diuinitus pullulantia, & quasi flores & supersubstantialia lumina: sed qua ratione hæc sint, nec loqui nec intelligere possumus. *Dion. Areopag. de diuinis nominibus.*

Paternum omne in diis primificum est, & in boni ordine præexistens per omnes diuinos exornatus. *Procl. elem. Theol. propositio. 35c.*

Patri proles serotina delectabilior. *Phil. de Ioseph.*

Patrisfamilias officium est filios colere quasi propriæ vitæ propaginem, & proprio exemplo optimo regere tanquam membra. *Fic. epist. lib. 3.*

Patrem Deum primum Platonici sunt locuti, secundum ipsam eius progeniem vocantes, primum immobilem, secundo dedisse actionem & auctoritatem creandi, quod ineffabile est mysterium. *Aug. Steuch. lib. 8. cap. 18.*

Pati, patiens, patientia.

Patiuntur & quod mouet, & quod mouetur, corporea quæ existunt: at cùm à corpore separantur, à passionibus liberantur. *Merc. Tris. pim. cap. 12.*

Patitur nihil à seipso. *Priscianus in Theophrastum de phantasia & intellectu, cap. 5.* Pati est perfectionem quandam à superiori accipere, dum quod inferius est sua quadam illic actione perficitur, & ita intelligibile ab intelligibili quodammodo patitur, si quidem tanquam intelligibile secundum & efficax loco secundo & vt incipiens & aliquem obtinens principatum, & sua actione ad id quod præstantius definitum. *idem, ibid.*

Patiens ab agente in tempore, patitur in tempore, & patiens ab agente in momento patitur in momento. *Aristot. Theolog. Ægyptia. lib. 8 cap. 7.*

Patientia sola in bene patiendo consistit, cùm cæteræ virtutes in bene agendo versentur. Quid est bene pati quàm velle pati quod etiam si nolueris sis passurus, & libens pati, quod inuitum pati omnino necesse est. *Fic. ep. lib. 5.*

Patientia sola vel maximè expugnat fatum, quæ enim fatum immutabilia & necessaria decreuit, patientia cum diuinæ prouidentiæ voluntate consentiens ita mutat, vt ea necessariis voluntaria faciat. *Idem. epistol. lib. 5.* Patientia bonum ita perfectum est, vt absque ea cætera hominum bona perfici nequeant. *idem, ibid.* Patientia tria præcipuè præcipit, primum, vt mala libenter pati velis, quæ natura iubet, vt pati nolis; secundum vt ipse tibi voluntaria facias quæ fatum necessaria esse decreuit; tertium vt mala quælibet vertas in bona. *ibid.*

Patientia sola malorum est medicina. *ibid.*

Patientia est rerum arduarum & difficilium voluntaria perpessio, honestatis, aut vtilitatis causâ. *Francisc. Patric. de regno, lib. 7. cap. 14.* Patiendi ratio in corporibus duplex est, alia ab externis, alia ab internis. *Iaco. Carp. in Al. cap. 10.*

Patriam magis colere oportet quàm patrem, & matrem, & ei indignanti magis blandiri, quàm patri, vel matri. *Plato in Critone.*

Patriæ qui in aliqua re inseruit, absque donis inseruire debet; & si non obedit, moriatur iudicio condemnatus. *de legibus, dialo. 12.*

Patriæ & sibi ipsi qui optima cupit, si patitur ob id, omne id rectum & honestum est. *epist. 7.*

Patria cùm aliquem philosophum ad rempublicam vocat, absurdum fortassis est non obedire: simul enim contingit vt vilibus hominibus locus relinquatur, qui non ex optima ratione ad rempublicam accedunt. *epist. nona.*

Parricidium qui per insaniam committere audet, si occisus antequam moreretur authorem cædis vltro liberum dimiserit, vt hi qui inuoluntariam cædem perpetrarunt purgatus, & aliis quæ illi facere solent peractis purus sit: si verò non dimiserit, multis legibus obnoxius sit qui hoc scelus perpetrauit: nam & vltimi supplicij reus erit, & impietatis, similiter & sacrilegij vt qui genitorem animâ priuauit. Quare si fieri potest vt idem sæpe moreretur etiam cùm qui patris, aut matris cædem ex ira perpetrauit, iustissimum esset multis mortis generibus perire: nam cui soli etiam si à parentibus occidendus sit nulla lex permittit, vt mortem depellat, & patrem, aut matrem, qui ipsius naturam in lucem produxerunt occidat, sed sancit vt omnia sustineat, & patiatur, priusquàm eiusmodi quid faciat, & quomodo conueniens esset vt hic aliter pœnam ex lege consequeretur? Ei itaque pœna statuta sit mors. *Plato de legibus, dial. 9.*

Parricidarum hæc pœna sit. Ipsum parricidam necatum in constitutum triuium extra ciuitatem nudum eiiciant magistratus omnes pro tota ciuitate, quisque lapidem ferens, in caput mortui mittant, & vniuersam ciuitatem expiens, postea ad terminos regionis deportatum insepultum lege proiiciant. *Plato de legibus, dial 9.*

Pauper non est qui superuacanea non vult, poscit necessaria, quæ natura oppidò pauca sunt. nam is plurimùm habet qui minimum desiderat: nam quantum volet habebit qui minimum vult. *Apul. Apologia prima.*

Pauper habendus est ille, qui etsi diues pecunias omnes habet, & totam occupet terram, aliis iniuriam inferat, quippe cùm sit familiaris inopiæ. *Porphyrius, quod qui paucis contentus viuit, & innocens, est quasi deus.*

Pauper nunquam solus ille, qui mercedem suam non in opere ponit, sed in opera. *Ficin. epist. lib. 3.*

Paupertatis consiliū animæ quæ eligunt felices sunt. *Ioan. Fran. Picus Mirandul. epist. lib. 4.*

Paupertas per se ipsam nihil turpitudinis habet, nisi per vecordiam ignauiam, inertiam, desidiam, intemperantiam, luxuriamve côtracta fuerit, tunc enim turpitudinis est obnoxia. *Fran. Patric. de regno, lib. 9. cap. 10.*

Pauor est subitus motus, quem sequitur stupor mentis, & hæsitatio linguæ, & ab opere cessatio. *Fr. Pat. de regno lib. 5. cap. 6.*

Pax.

Pax & mutua beneuolentia optimum est, non bellum, nec seditio deprecandúmque est ne his opus habeamus. *Plat. dial. 1. de leg.*

Pacem aut bellum qui facit priuatim cum aliquibus absque reipublicæ consensu morte plectatur; & si pars ciuitatis pacem fecerit, aut bellum aduersus aliquos susceperit, authores huius rei exercitus duces ad iudicium pertrahant, & condemnatus morte plectatur. *idem, de legibus dialoge 12.*

Pax est quies qua ab inimicitiis belli cessamus. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Pax diuina est quæ omnia vnit, cunctorúmque concordiam & conspirationem gignit & efficit, & partibilem horum multitudinem ad totam conuertit vnitatem, & vniuersi intestinum bellum fœdere concordi deuincit. *Dion. Areopag. de diuinis nominibus.*

Pacem diuinam sanctus iustus silentium vocat, tum quia de illa non propriè loqui non possumus, tum quia illa de se non ita loquitur, vt in ipsa interim sit motus aliquis. *idem, ibid.*

Pax diuina ipsius per se pacis, & vniuersæ, particularisue pacis est auctor, & omnia inuicem contemperat & commiscet vnione quadam eorum inuicem non confusa, per quam absque diuisione & distantia contincta, simul tamen integra, in sua quæque specie permaneant, per contrariorum admixtionem non conturbata: nec quicquam obtundentia exactæ illius sinceritatis omnia inuicem vnientis. *Dio. Areopag. de diuinis nominibus.*

Pacem per diuinam intellectus diuini suis ipsorum intelligentiis vniti, rebus quoque intellectis se coniungunt, rursúsque ad incognitum scandunt eorum quæ super mentem sunt cōtactum per diuinam pacem animæ multiformes rationes suas cogentes, & ad vnam intellectualem puritatem congregantes, procedunt proprio sibi modo, via, & ordine, per immaterialem impartibilémq; intelligentiam ad superiorem intelligentiæ vnionem, per diuinam pacem vnus indissolubilisq; contextus omnium iuxta diuinam harmoniam suam existit, concentuque harmonico, & integra consonantia, & consensione & cognatione mutua coaptatur, dum & sine cōfusione colligitur, & absque diuisione procul dubio continetur. *Dion. Areopag. de diuinis nominibus.*

Pacis perfectæ integritas, secundum simplicissimam & sincerā virtutis viuificæ præsentiam, omnia penetrat, vniens & con-

nectens per media cum extremis extrema, per vnam cognatam amicitiam coniugata, & vltimis vniuersi determinationibus, vt se fruatur, indulgens, omniaque vnitatibus, identitatibus, vnionibus, congregationibus, cognata prorsus efficiens: dum diuina pax nulli diuisioni præstat obnoxia, & in vno omnia indicat, & per omnia procedens nusquam à propria identitate discedit, pergit per omnia, singula pro sua quæque modo sui muneris participia reddit, & copia pacificæ fœcunditatis exuberat, & permanet interim per vnitatis excessum, tota ad totam, ac per se totâ sibimet excellenter vnita. *Dion. Areopa. de diuin. nom.*

Pacem secum ipsis omnia cupiunt habere, & in ea habitu permanere, vt à se ipsis & suis dimoueri decidereque non possint. *Dion. Areop. de diuin. nom.*

Pacis exilibus imaginibus occupantur qui libibus & motationibus delectantur, sperantes voluptatem assequi dum semper perturbantur. *idem, ibid.*

Pacis diuinæ officium est vniuersi ordinem conseruare. huic duo sunt necessaria, vnio, & distinctio. diuina vnitas dum vnitates singulis proprias seruat, & firmas, distinctionem in ordine seruat, dum interim sibi subiecta custodit, communem cunctorum connnet vnionem, quæ etiam dum proprium singula bonum petentia, inuicem dissidere videntur, in hoc saltem, quod communiter asciscunt bonum, consentire coguntur. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.* Pax in Deo est in ita naturæ simplicitas, actionis immobilitas, voluntatisque quies, in se ipsa velut sine virtus omnium pro cuiusque modo conciliatria dicitur Deus totus toti sibimet vnitus. *Idem, ibid. in.* Pacis artes sunt literarum studia, agricultura, mercatura, res nautica, artificia & ministeria. *Franc. Patric. de regno, lib. 9. cap. 3.*

Peccare, Peccatio, Peccatum.

Peccatorum quinque sunt species. prima doloris, quem iram & timorem nominamus. secũda voluptatis & cupiditatum. tertia spei & opinionis, de eo quod est optimum: quæ bipartitè diuisa quinque efficiunt: alterum quod semper per violentas & apertas actiones peragitur, alterum, quod in tenebris & latenter fit, & aliquando per ambo hæc peragit, cui leges asperrimæ constituendæ sunt. *Plato. de legib. dial. 9.*

Peccatum præter artem ciuilem est turpe, malum, iniustum. *idem, de regno.* Peccata præterita in memoriam reuocata, prouidentiorem reddit in futurum. *in Lachete.*

Peccat minus, qui pauca facit. qui minus peccat, minora mala facit. qui minora mala facit minus miser fuerit. *Plato in Euthydemo* Peccare vltro nemo optat, aut turpia mala operatur vltro, sed omnes, qui mala faciunt, inuiti faciunt. *in Protagora.* Peccata sanabilia qui commiserunt pœnas dãt, & per cruciatus & dolores purgantur hic, & in orco, quousque ab iniustitia liberantur: qui verò extremè iniusti fuerunt, & propter iniusta facta incurabiles, ex ipsis alij vtilitatem capiunt, qui eos vident ob peccata maximas, & dolorosissimas ac horrendas pœnas perpetuo pati in exemplum & spectaculum iniustis. *in Gorgia.*

Peccata in peregrinos à ciuibus omnis ad Deum vltorem magis referuntur: nam quum amicis & cognatis sit destitutus peregrinus, maiorem apud homines & deus misericordiam meretur. *Plato de legibus dial. 5.* Peccata maxima sunt inter peregrina & vernacula ea quæ in supplices admittuntur. Hic enim Deus cum quo teste supplex in supplicando conditiones assequutus est, in signis afflicti custos est. quare non inultus patietur quidquid pertulerit illas assequutus. *idem, ibid.*

Peccatum grauissimum est, cùm quis in deos verbis vel factis peccat, deinde in homines diuinos. *Plato in Minoe.* Peccatum minus est, si quis inuitè homicida fiat, quàm si honestis, bonis, iustis, ac legitimis imposturam faciat. *de repub. dial. 5.* Peccatorum omnium causa est amor sui ipsius; amans enim obcæcatur circa id quod ab ipso amatur, vt iusta, bona, ac mala, malè iudicet, & id quod suum est veritati semper anteponat. *de leg. dial. 5.*

Peccatum nullum impunitũm remaneat, neque in exilium eatorris mittatur, sed aut mortem, aut vincula, aut plagas ferat, aut informi quodam habitu sedeat, aut stet, aut consistat in templis ad vltimos regionis fines, aut pecuniarum mulcta irrogetur ex his quæ vltra sortem comparauit. *Plato de legibus, dial. 9.* Peccatorum triplex causa, ira, voluptas, ignorantia, quæ ignorantia duplex est: nam est & ignorantia quæ sola est ignorantia, & quæ sapientię opinione ignorantia est. *idem, ibid.* Peccatum est actio pręter rectam rationem. *Speusip. in Platon. definitionibus.*

Peccantes per ignorantiam venia digni sunt, vt qui peccata sua parum peosiuant. *Phil. quòd Deus sit immutabilis.* Peccatum duo in se habet, vnum conuersio ad bonum creatum, alterum auersio à bono incommutabili & increato. primo modò peccatum est malum finitum, auersio à bono increato est malum infinitum extrinsecè. *Io. Pic. Miran. in Apologia.*

Peccatorum cùm recordamur, in ore habere debemus, miserere mei Deus: cùm virtutum, conserua me Deus. *idem, de reg. dir.*

Peccare contra Deum periculosissimum est, sed non solùm contra Deum, sed etiam contra Dei nomen. Crimen per pęnitentiam expiatur, sed pœnitẽtia sera periculosa est. *Fic. in Plat. phæd. cap. 12.*

Peccandum non est, sed potius mortem subire. *idem, in Plato. Crit.* Peccata facilè sanabilia sunt, quæ nondum in habitum conuersa sunt, at quæ habitum induxerunt difficilè sanantur, veruntamen vnà cum quadam rationis repugnantia omittuntur, & committentes afficiunt pœnitentia: insanabilia verò prorsus sunt, quorum habitus & repugnantiam & pœnitentiam procul fugat. Prima purgantur in Acherouse. secunda, si ad primam vergant, in Phlegetonte: si ad tertiã, in stige & cocyto: tertia affliguntur in tartaro, ex quo, vt Plato inquit, nunquam egrediuntur. *idem, in Pl. Phædonem.*

Peccandi principium esse in animali, medium in ipsa imaginatione superioris animę, quoniam animalis incitamentis obsequitur, antequam ratio vtrum prosequendum vel fugiendum sit perspicuè iudicet. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 9.* Peccare posse, non est facultatis, sed impotentiæ. *Iacob. Carp. in Alcin. part. poste. dig. 12.* Peccatum à plurimis factum sensim puniendum est: &, vbi aliqua ratio excusationis prætendi potest, ignoscendum. *Fr. Pat. de repub. lib. 6. cap. 5.*

Peccati maxima pœna est in ipso peccato: &, si pręsens non adsit supplicium, adest præsens supplicij metus. *M. Ant. Natta de pulc. lib. 4.*

Peccata non pœnis auferuntur, sed puniuntur. *Idem, ibid.*

Peccare nil aliud est, quam auertentem se ab huius pulchritudinis specie animum inferioribus adiungere. *ibid. lib. 6.*

Peccatum diuisionem, & diuisionem peccatum sabsequi siue concomitari, verum quidem vtrumque existit. *Leo. Heb. da Amore, dialog. 3.*

Pecora si quis in alieno agro pascat, inspecto damno agrorum curatores iudicent & puniant. *Plato. de leg. dial. 8.*

Pecunia.

Pecuniarum, nec corporum maior cura habenda est, quam animæ, quò ea optima fiat. *Plato in Apol.* Pecuniæ non pudet curam habere, opinionis, & honoris; veritatis verò, & animæ, quò ea optima fiat, nullam rationem nec curam habere. *idem, ibid.* Pecunias pluris facere quàm amicos, nulla alia potest esse turpior opinio. *in Critone.* Pecunias propter corpus quærere cogimur. *in Phædone.* Pecunias qui acquisiuerunt, duplo magis, quam alij ipsas amplectuntur. vt poetæ poemata sua, & patres filios suos diligunt, ita & hi, qui ipsi lucrum fecerunt pecuniarum, velut operis sui studio tenentur, non secundum vsum vt alij: morosi igitur sunt, etiam in conuersationibus, vt qui nihil præter diuitias laudare velint. *Plato de republica, dial. 1.*

Pecuniarum possessionem plurimi faciendam esse dicent, non cuiuis viro, sed moderato. Vt enim neque inuitum aliquem quis decipiat, neque rursus aut Deo sacrificia aliqua, aut homini pecunias debeat, & deinde cum timore illuc abeat: ad huc confert pecuniarum possessio, & si multas habeat alias vtilitates, tamen ad hoc diuitias vtilissimas esse censeo. *idem, ibidem.*

Pecuniarum vsus, & opum possessio, non multæ, & magnæ, sed in medio statu laudandæ sunt: nam immodicæ, inimicitias, seditiones, & ciuitatibus, & priuatis faciunt; deficientes autem, plerunque seruitutem. *Plato de leg. dial. 5.*

Pecuniarum studium vltimum in homine esse debet. nam cùm tria sint, circa quæ homo studium ponit, animæ primum est, corporis secundum, tertium pecuniarum. *Idem, ibid.*

Pecunias cùm inæquales esse in republica necesse sit, æqualitatis causa multa fieri debent: & census inæquales, vt magistratus, & tributa, & distributiones, pro cuiusque dignitate, non secundum virtutem solùm, & suorum, & suam, & robur, & pulchritudinem, sed etiam secundum diuitiarum & paupertatis vsum, & honores, & magistratus quàm æqualissimè, inæqualiter quidem, sed iusta recipientes in dissensionem non veniant. *ibid.*

Pecuniæ referendę sunt ad iustitiam, iustitia verò ad vitæ alterius præmium. *Fic. in Plato. de republica, dial. 1.*

Pecunias vir sanæ mentis ad id in primis vtiles esse iudicat, vt quidquid vel Deo vouerit, vel homini promiserit, aliter quo debuerit, impleat, neque ob paupertatem adducatur aut mentiri cuiquam, aut vlla in re defraudare. *idem, ibid.*

Pedagogorum præcipua cura erat, vt non sinerent pueros amatos cum amatoribus colloqui. *Plato in Sympos.*

Pedestriem

Pedestrium copiarum ordinandorum decorum nomen est ordinum præfecti. *Plato de legib. dial. 6.*

Peneus Thessaliæ fluuius auris abundat. *Leo. Heb. de Am. dial. 2.*

Pœnitentia vim habet peculiarem ad supera reducentem. *Synesius de somn.*

Pentaphyllon resistit venenis, eiusque folium bis quotidie vnum vino bibitum curat ephemeram, tria tertianam, quarta quartanam. *Fic. de vita cælitus comp. lib. 3. cap. 12.*

Peonia virtute formali tangens carnem, contra morbum caducum spiritus armat, vapore ad eos intus infuso. *Ficin. de vita cælitus comparanda, lib. 3. cap. 12.* Peonia suspensa collo caducis opitulatur, seminaria ratione quæ in ipsa est. *idem, in Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 13.*

Peperit quidquid alimentum habet ei, quod genitum est. ea quæ etiam mulier manifesta fit si peperit, & quæ non, si habet fontes alimenti genito commodos aut non. *Plato in Menex.*

Per aliud quod est, omne reducitur ad id quod per se est. *Fic. in Plato. phileb. lib. 2. cap. 1.*

Percipiens aliquid vel sensus est vel intellectus. *Plot. En. 5. lib. 1. cap. 9.* Percipere facilè nil aliud est, quàm naturam rei attingere. *Stephan. Comb. de ascensu mentis in Deum, lib. 4. cap. 5.*

Per Deum omnia fiunt, & rursus in ipso, quoniam ipse vbique existit; diuersa rursus ab ipso, quoniam ipse nusquam. *Porph. de occasion.*

Peregrinari non licet iuniori infra quadraginta annos. Insuper priuatim nulli, publicè vero liceat præconibus, aut legatis, aut etiam quibusdam speculatoribus. *Plato de leg. dial. 12.*

Perfectio, perfectum.

Perfectum vt perfectum imitatur ipsum bonum. *Proclus element. Theolog. proposit. 25.*

Perfectionis diuinæ causa est omne perfectum in dijs. *idem, ibid. prop. 153.*

Perfectum omne in proles progreditur, quas ipsum producere potest, imitans vnum vniuersorum principium. *ibidem. prop. 25.*

Perfectiora vbique sunt, & quæ rationem habent exemplaris, actiones prorsus imaginum comprehendunt, adeo vt deteriora nulli vsquam adsint cui perfectiora quoque non multo prius aliquid ea se tradiderint. *Idem, in Alcib. 1.*

Perfectum quod est, necesse est omnes in se habere rationes. *Idem, in Theophrast. cap. 44.*

Perfecta imperfectis anteponenda sunt; quia vt perfecta in aliquo genere sunt illa, quæ per suam naturam sunt talia, sic imperfecta sunt quę per se talia non sunt, alioquin essent integerrimè talia. si itaque imperfecta non sunt per se ipsa, per superiora coguntur esse. *Ficin. Platonica Theologia lib. 1. cap. 5.*

Perfectio à defectu dari non potest. *Ficin. epist. lib. 2.*

Perfectionem absolutam nec Theologia, nec ciuilis doctrina præstat humana via, sed diuina potius inspiratione haberi posse confirmat Plato. *Ficin. in Plato. Euthydemum.*

Perfectio alia est interior, alia exterior. interiorē bonitatem, exteriorem pulchritudinem nuncupamus. *Ficin. in Plat. conuiuium, or. 5. cap. 2.*

Perfectus numerus primus est 6. secundus 28. quia suis partibus constat. *Ficin. in Plato. de republ. dialog. 8. cap. 3.*

Perfectio totius nec in mundo, nec in partibus est requirenda, nec in parte alia proprietas alterius exoptanda, sed potius imitanda naturæ potestas, atque sapientia, quòd tot gradibus adeo disparibus tam ordinatè seipsam adeo propagauerit. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 14.*

Perfectio omnis ab eo quod in vnoquoque genere perfectissimum est deriuat. *Io. Pic. Mir. in Heptapl. lib. 1. cap. 7.*

Perfectus si recognoscere vult statum suum, vnum habet periculum, ne de sua virtute superbiat. *idem, de reg. dei.*

Perfectiones attributales non ex natura rei, vt Scotus opinatur, distinguuntur, sed solùm ratione. *Gab. Bur. de idea lib. 1.*

Perfectio quæcunque pluribus distributa, maior atque potentior redditur. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.*

Perfectiones omnes, quæ Deo rebusq; procreatis cōmuniter solēt accommodari, inter se se comparari minimè possunt. *idem, ibid.*

Perfectionis defectus duplex extitit; vel enim actu tantummodo defraudatur, potestate tamen sibi retenta; vel actu simul & potestate priuatur. *ibid.*

Perfidia nullum grauius est inter mortales crimen, quod semel admissum nūquam aboleri, vel religione aliqua expiari potest. *Franc. Patric. de regno, lib. 8. cap. 20.*

Pericles omnium fuit orator perfectissimus. *Plat. in Phædr.*

Periculi vitandi gratia nihil illiberale faciendum est. *Plat. in apol.*

Peripatetici.

Peripatetici disputant diligentissimè quanta vbique ratione naturalia disposita sunt. Platonici verò præter, hæc, quantum insuper illi, qui hæc numero, pondere, mensura disposuit, debeamus ostēdunt: ideo illi nos doctos efficiunt, hi prę terea sapientes, & beatos. *Fic. epist. lib. 7.* Peripatetica doctrina omnis in duas sectas diuisa est, Alexandrinam, & Auerroicam; illi intellectum nostrum mortalem existimant, hi vnicum esse contēdunt: vtrique religionem omnem funditus æquè tollunt. *Idem, epistol. lib. 8. & in Plat. proœmium.*

Peripateticorum quorundam in Parmenide non sunt accipiendæ calumniæ, vt cùm dicit omne ens vnum esse, omnem penitus multitudinem ex vniuerso auferre: alioqui Plato in Theæteto non reueritus esset Parmenidem, sed insecutus. *Ficin. in Plat. Parmenid. cap. 2.*

Peripateticorum quidam opinari videntur substantias diuinas nec efficere, sensibiliaque non curare sed animo segregatas existere, cœlestia verò appetitum nescio quem ad illa moueri facere. *idem, ibid. cap. 28.*

Peripateticorum iudicium Io. Pici. Est in Scoto vegetū quiddam atque discussum, in Thoma solidum & ęquabile; in Aegidio tersum & exactum, in Franc. acre & acutum, in Alberto priscum amplum & grande, in Henrico semper sublime & venerandum, in Auerroe firmum & inconcussum, in Auempace & Alpharabio graue & meditatum, in Auicenna diuinum & Platonicum. In Gręcis in vniuersum nitida & casta philosophia, apud Simplicium locuples & copiosa, apud Themistium elegans & compendiaria, apud Alexandrū cōstans & docta, apud Theophrastum grauiter elaborata, apud Ammonium enodis & gratiosa. *Ioan. Pic. Mirand. in Apologia.* Peripatetica doctrina nihil certi de formis, nihil de speciebus, differentijs, & proprietatibus nos colligere docet. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. in exam. vanit. doctr. gentium, lib. 5. cap. 12.*

Peripatetici quidam quòd plus inscitiæ habent, eò plus arrogantiæ. *Aug. Steuc. de per. phil. lib. 9. cap. 7.*

Peripatetici nostrorum temporum in Aristotelis philosophia sic quasdam prauas opiniones conceperunt, vt ipse si surgeret ea cum stomacho exploderet. *idem, ibid.*

Peripatetici quinque res in mundum inuectas æternas esse sibi persuaserunt, primam materiam, continuam rerum generationem, vt corruptionem, cœlestem naturam, motum circularem præsertim, & tempus. *Leo. Heb. de Am. dialog. 3.*

Perire est ab essentia discedere. *Plat. in Parmen.*

Periuri apud Ægyptios capite puniebantur. *Fran. Patric. de rep. lib. 5. cap. 5.*

Permutans alter cum altero per aliquam emptionem, vel vēditionem, ita permutet, vt & tradat in loco singulis constituto in foro, & statim pretium accipiat, & nusquam alibi neque emptionem, nec venditionem illius rei ad dilationem faciat, si verò aliter, aut in alijs locis quamcunque rem pro quacunque re alter cum altero permutauerit, ita fidem habeat ei cum quo permutat, hæc faciat, veluti nulla sit secundum legem actio de his, quæ non secundum dictæ legis modum vendita sunt, neque de collationibus collatis, si quis amicus apud amicos corrogare velit. si verò dissensio aliqua de collatione oriatur, ita agant, velut nullæ iudiciariæ actiones vllo modo de his futuræ sint. *Plat. de leg. dial. 11.*

Permutans numisma pro numismate, aut animal, aut non animal, quicquid id est, non adulteratum det, & suscipiat secundum leges. *Idem, ibid.*

Permutatio & transmutatio sunt species motus. *Plotin. Enn. 6. lib. 3. cap. 21.*

Persarum regis filij educantur à quatuor qui præstantissimi eius ætatis sunt, sapientissimi scilicet, iustissimi, temperantissimi, fortissimi. Sapientissimus docet theologiam Zoroastræ filij Oromazæ. hæc autem est cultus deorum, & docet institutiones regias. Iustissimus docet vera loqui per omnem vitam. Temperantissimus docet vt à nulla voluptate superetur, vt liber esse assuescat, & vt verè rex sit imperans primò his, quæ sunt in ipso, deinde alijs, & non inseruiens. Fortissimus impauidum & intrepidum esse instruit, vt qui vbi timet seruus sit. *Plat. in Alcibiade.*

Persæ consilia inter epulas, non secus quam Athenienses in concionibus habent. *Max. Tyr. in sermo. 12.*

Persæ cùm fugam in bello capiunt, eorum matres & coniuges eos hortantur, vt pugnam instaurent cunctantibus illis sublata veste pudenda eis ostendunt, rogant ne iterum in maternum vterum aufugere velint: quare pudore perciti prælium instaurant, & victores euadunt. *Fran. Patric. de reg. lib. 6. cap. 20.*

Perseuerantia est affectio quæ perficit quodcunque elegerit. Seu tolerantia voluntaria, & aduersus labores, inconcussa

habitus. *Speu. de defin. Plat.* Perseuerantia virtus est optima, comes fortitudinis, sine qua nemo prudent, aut perfectè sapiens dici potest. *Fr. Patric. de regno, lib. 7. c. 14.*

Perspectiua diuiditur in tres partes. in perspectiuam, quæ reddit caussas eorum apparentium, quæ aliter quàm sint sese nobis offerre solent, ob eorum quæ sub visum cadunt alios & alios situs & distantias & in speculantiam, quæ circa varias & multiplices versatur refractiones: & in scingraphicā, id est vmbrarum designatricem. *Procl. in Eucl. lib. 1. c. 13.*

Perspicuitas quæ est in corporibus, est in spiritibus perspicacia, quod in corporibus lumen visibile, in spiritibus est perfectio. *Fic. epist. lib.* 2. Perspicuum est quasi quædam paulo clarioris luminis inchoatio. *Fic. de lumine, c. 9.*

Perspicuum corpus lucis vehiculum potius quàm eius subiectum existit. *Leo Heb. de Amo. dial. 3.*

Persuasio.

Persuasoriæ artis duo genera. publicè, & priuatim, & priuata, alia mercede fit alia muneribus, vt amatoria venatio, munera etiam præbent, quæ verò mercede fit, alia per gratiā conseruatur, & omnino per voluptatem inescationem facit, & mercedem sibiipsi per adulationem alimentum solum exigit, quæ delectandi dicitur ars. alia pars virtutis gratia conuersationes habere profitetur mercedem exigens pecunias, quæ sophistica appellatur. *Plato in sophista.* Persuadare, est opinari facere, *in Theæteta.* Persuasoria artē decernimus caussidicorum, concionatorum & colloquentium. *Plat. in sophista.* Persuadere & vni per se, & multis simul, idem est *in Alcib.* 1. Persuasionis duæ sunt species, vna quæ fidem facit absque scientia, alia quæ fidem facit ex scientia. *in Gorgia.*

Persuasio propriè est in animo, necessitas in mente. *Plot. En. 5. lib. 3. c. 6.* Persuasibile tripliciter dicitur. primò quod manifestà verum est, & vari phantasiam efficiens homines ad assentiendum trahit. secundo quod falsum est, & veri phantasiam efficiens ad assensum inducit, tertio quod veri & falsi intermediam & vtrique commune videtur esse. *Io. Fr. Pic. Mir. mex in vap. doct. gent. lib. 3. c. 4.* Persuasio in re bellica magnam vim habet. *Frau. Patric. de repub. lib. 9. c. 2.*

Pertinacia est nimia vicissitudinis contentio, quum opere, vel sermone magis quàm par est pertinaciter concertamus. *Franc. Patric. de reg. lib. 7. c. 14.*

Perturbatio.

Perturbationum quædam agrestes, quædam domesticæ. domesticæ sunt, quæ secundùm naturam hominibus insunt; quæ dum modum tenent necessariæ, & propriæ sunt: at cum supra modum efferuntur, delinquunt, vt voluptas, dolor, ira, misericordia. agrestes quæ præter naturam hominum ex peruersione vitæ ac deterrima consuetudine procreantur, vt risus effusior, in malis contingentibus exultatio. *Alcin. c. 28.* Perturbationes excitari in nobis ab ipsa origine naturaliter, dolorem iis qui præter naturam mouentur accidere, voluptatem iis qui in naturam suam restituuntur, & statu hominis medium inter voluptatem & dolorem existimat Plato. *Alc. cap. 28.*

Perturbatio est de mente Stoicorum auersa à recta ratione contra naturam animi commotio, & ab opinione nasci putant. *Fic. de voluptate, cap.* 10. Perturbationes ad sensibilia pertinentes ex Platonis sententia possunt in anima seiuncta ab hoc corpore remanere, siquidem ex eiusdem sententia remanet & prima quædam sentiendi natura substantialis origo sensuum reliquorum per quam anima, & in hoc corpore, & in hæc instrumenta vires expliat sentiendi, & discedens ab hoc eas quodammodo replicat in seipsam, siue vt magis Platonicè loquar exercet in aereo corpore, quo inuoluta, & hoc ingreditur & ex hoc egreditur. de his Platonici ita distinguunt, vt anima in hoc corpore crasso ad breue habitet, in aëreo per multa secula, in cælesti per omnia. *idem, in Plato. de legib. dial. 9.* Perturbationes Stoici non vocant motus quosuis, sed eos tantùm qui contra rationem longius excurrunt, & huius iudicium impediunt. *Iacob. Carpen. in Alcinoi partem post. cap. 22.*

Pessimum est omnium diuisio, & ad exitium omnia trahit: sic optimum est vnio, & partium inuicem, & ad totum, & totius ad caussam suam, & originem, & naturam. *Ficin. in Plat. Parmen. cap. 48.*

Pestis.

Pestis tempore fuge cito. procul, tardè reuertaris. *Fic. in Epidemiarum antidoto, c. p.* 1. Pestis venenosus est quidam vapor in aere concretus vitali inimicus spiritui, nō quòd propter elementarem aliquam qualitatem sibi contrariatur, sed specifica quadam proprietate. non tamen vt secundum formam sit venenum, nam omnes inficeret, sed vt quæ facile in veneni naturam transeat. *idem, ibid.*

Pestis vapor venenosus ei corpori humano solùm applicatur, in quo apti ad febre extant humores, vt qui ad putredinem & inflammationem sunt dispositi, nam si vitalis spiritus eo est potentior, expellit procul à se, si debilior fugit eundem, suum veluti contrarium opus. ideo est ex vsu acrem humores, & cor corripere, purgare, & roborare. *Fic. in epid. antid. c. 1.* Pestis vapor cùm veneni iam suscipit naturam, calcis vel arsenici qualitatem recipit, cuius effectus est putrefacere rodere, ardere intus, & extra, quibus effectibus potissimum interius omni qua possumus industria resistendum est. *idem, ibid.*

Pestis vapor accenditur vbi maior est naturæ similitudo, & in corpore recrementis pleno, cum fœdis totus & extra vaporibus, & in cibis humoribúsque superfluis, ad inflammationémque, & putredinem aptis, & vbi calida est materia & humida, vel cor coitu debilitatum. & in corpore passionibus animæ defatigato, & vltra modum calido, & quod balneis assuetum est, cuius poris sunt omnes patentes, seu multum opitulatis. *Fic. in epi. antidoto, cap. 3.* Pestis vapor omnē maculare potest humorem, sed potissimum sanguinem, secundò choleram, tertiò phlegma, quartò melancholiam. ideo prius sanguinei huic periculo subiiciuntur, deinde cholerici, postea phlegmatici, postmodum melancholici: quia humor frigidus & siccus ad inflammationem & putredinem ineptus est, & strictos habet meatus. *idem, ibid.*

Pestis vapor creatur in aere, vniuersalioris pestis tempore ex malignis quibusdam constellationibus, præsertim ex Martis cum Saturno in signis humanis coniunctione, ex luminarium eclipsibus & in his locis grassatur quæ ascendentem suum ob prædictos siderum aspectus infortunatum habent in particularibus pestilentiis fit ex ventis, & malignis lacunarum, & cloacarum vaporibus, & pariter ex terræ motibus. sed semper in aere crasso & paludoso, nubiloso, & fœtido regnat. & cùm ad aerem subtilem extenditur, penetrat & velocius interimit. Atcitius, & frequentius in fœtido, crasso, calido & humido aere regnat. *Ficin. in epidem. antidot. cap. 3.* Pestis quæ hominibus est venenum, non ideo est aliis animantibus mortis caussa propter cœlestium, signorum ac animalium specierum diuersitatem. *idem, ibid.*

Pestis signa sunt nonnulla, id est febris continua absque ordinata, & manifesta declinatione, cum magna anhelitus, & pectoris angustia, cum repentina pulsus debilitate, cum vniuersi corporis grauamine, præcipuè capitis, phrenesi, anxietatibus, ardore, siti, sanguineis maculis pluribus in locis, cum vrina turbida crassa, qualis est iumentorum, quæ tamen signa interdum falluot. *Ficin. in epidem. antidoto, cap. 4.* Pestis tempora pueri vermium infirmitate laborantes pestilentia dici possunt infecti, quia est materia ad pestem disposita. *idem, ibid.*

Pestis tempore omnis infirmitas in pestilentiam facilè transire potest, præsertim fabres furiosæ & continuæ. vnde nulla ægritudo prætar pestem apparet: quòd si aliæ apparent, pestis cessat. *Ficin. in epidemiarum antidot. cap. 4.* Pestis vapor cùm multo tempore in aere durat, aquam & terræ fructus inficit. ideo tutius est aquam coquere, vel ferratam aquam conficere, & cum ea vinum lymphare, quia fumosum est, & non conuenit his temporibus purum. *Ficin. in epidemiarum antidota, cap. 4.* Peste laborantes omnes in principio aliquantulum in melius tendere videntur, quia natura in principio omnes in morbum colligit vires. *idem, ibidem.*

Pestis tempore abstinendum est à rebus inflammantibus, & appetitiuis nimis, quia facilius ad venenum suscipiendum disponunt, à facientibus oppilationem, & putrefactionem. *Ficin. in epidemiar. antidoto, cap. 5.* Pestis tempore vitanda sunt quæ extra nos facilè corrumpuntur, vt pisces, lac, fructus omnes, vtendum acetosis, acribus, & asperis. *idem, ibidem.*

Pestis tempore vtile est, nisi calor offendat. primo cibo sumere ficus, rutam, & nuces cum sale, & post cibum semina coriandri præparati, in cibo sumere sandalorum rubeorum vnciam dimidiam, cinnamomi electi drachmas tres & dimidiam, croci drachmam dimidiam, & his puluere omnibus superspersо cibariis vtere: mundare superfluitatibus, ignem mane accendas, odoribus domum suffumigato, & vestimenta, & odora theriacam, citrum, & Zedoariam. *Ficin. in epidem. antid. c. 5.*

Pestis tempore cauendum est à rebus nimium sanguinem generantibus, aut aquosum, grossum, turbidum, & à quacunque re stomacho nocente. *Ficin. in epidemiarum antidoto cap. 5.*

Pestis tempore ab hominū turba te semoueto, præsertim existens

ftens ieiunos,& aerem nimis calidum declinato. *Idem,ibid.*

Pestis tempore ablue sæpe os & manus aceto & aliquando vino potente, & vtere odoribus frigidis cum calidis temperatis ita vt frigidi prædominentur,& super hæc omnia æquali parte permisce acetū rosaceum album,aquā rosarum cum vino albo potente,cum modico zedoariæ,vel croci, & citri, & de hac sæpius aliquid bibe,& manus & faciem ea lauato. *Fic.in epidemiarum antidoto,cap.* 5. Pestis tempore doctores nonnulli dant ieiuno stomacho vrinam pueri recens emissam & lixiuium detur pro remedio rusticis accōmodato. *Idem,ibidem.*

Pestis tempore theriaca vtilissima est: accipiatur bis in hebdomada post cibum horis nouem,& ante horis sex,vel septem prouectis drachmam vnam alijs dimidiam vel vnum scrupulum: calido tempore post sumptam theriacam bibant qui calidæ sunt temperaturæ tertiam partem ciphi aquæ rosarum cum modico aceto rosato, alij alterius complexionis, & alio tempore cum vino albo permixto cum aqua scabiosæ & melissæ: & loco theriacæ sumi potest mitridatum. Alijs diebus sume pilulas contra morbum:& ait Auicenna, & Auerroes, qui vtitur aloe,mirrha,& croco nunquam periclitabitur peste. *Fic.epidemiar. antidot. cap.* 6. Pestis tempore sanguineis extrahendus est sanguis ex basilica dextra non excedendo pondus libræ. *Mar. Fic.in epidemiar. antid. cap.*6.

Pestis tempore ciuitatum gubernatores suffumigationes ex iunipero,myrto,therebentina,& thure mane & sero ante posticas quarumque domuum & ædium faciant, statim enim ex eo loco pestis expelletur, *Fic.in epidem.antid.cap* 6. Pestis vel est in ipso sanguine vel in humoribus sanguini permixtis,ideò extrahendus est sanguis omnibus ab annis quatuordecim vsque ad sexaginta. *Idem,ibid.cap* 8. Peste laborans cum euacuandus ,frequenter recreandus:& refrigeratiua, desiccatiua,& cordis confortatiua quæ veneno resistant permisce *ibid.cap* 11.

Pestem magis curat bolus armenus quàm terra sigillata,cùm in alijs veneni contrario fiat. *Fic.in epidem.anti.cap*,11. Peste laborantem opus est singulis sex horis ex omnibus pannis mutare, alioqui inficiuntur. *Idem,ibid cap* 10. Pestis apostemata duo sunt,vnum appellatur anthrax & carbunculus, aliud bubo & glandula. *ibidem. cap.*13. Peste semel liberatus non est liber,vt iterum non inficiatur hoc morbo. *ibid. cap.*24.

Pestis venenum permanet in personis per bimestre, parietes, fertamenta, per annum vestes per tres annos & vltra , nisi fumigentur & lauentur,& ad solem ponantur & ventum. *Fic.in epidem.anti.cap.*24. Peste laborantem qui curat,quāto propinquior sit cognatione, complexione,naturæque & constellationis symbolo,tanto maiori contagionis subiacet periculo. *Idem,ibid.* Pestis venenum intrat per omnes corporis poros maximè per eos,qui magis aperti sūt. *ibid.* Pestis tempore iucundè viuendum,quia lætitia confortat vitalem spiritum continenter,& sobriè viuas *ibid.*

Pestis venturæ signa sunt, cùm aer extra naturalem suam dispositionem esse videtur,declinando ad calidum& humidū, cùm nebulosus,nubes densæ,puluerulentus,venti grossi & tepidi,aquæ & agri fumant & olent,& pisces sint mali saporis,& odoris,cùm multa super terram appareant animalia,& fungi & putridæ herbæ , terræ fructus,& animalia insipida sunt & parum conseruantur,vina efficiuntur turbida, molta & terrestria,& aer in animalia ab eo loci recedunt,insolitæ oriantur febres,latentes, furiosæ continuæ, fallaces,cum pectoris anxietate,cum pulsus prosternatione phrenesis,vrinarum turbulentia palati & intestinorum excoriationes,oculorum rubedo,vermes,multæ fœminarum conturbationes,iræ,rabies,rixæ,dira bella,monstra naturæ in nisa,& rara. *Fic.in epidem.ant.cap.*25.

Pestis tempore purificantur communiter homines spacio quatuordecim dierum,domus & lignamenta in vigintiuno,vestes & panni spacio dierum vigintiocto,si rectè purificentur. *Fic.in epidem.ant.cap.*15. Pestis tempore fuge hominū conuersationem, maximè cùm es ieiunus,sis semper à socio remotus,in aere aperto ad minus per spatium bicubiti,& ab infecto per sex cubitos:& caue ne ventus ab eo in te spiret,& inter te & ipsum sint Sol, ignis , odores. *Idem, ibid.*

Petere rectè est petere ea,quibus opus habemus. *Plat.in dial. de sancta.*

Petitionibus & pronunciatis commune est non indigere demonstratione ,nec Geometrica fide.sed tanquam manifestas accipi,& cæterorum principia fieri:& eo modo differunt quo Theoremata à problematibus. *Proc. in Eucl.lib.* 3 *capi.* 1.

Petitionibus ea accipere quærimus quæ factu comparatuque facilia sunt.cùm in illis accipiendis cogitatio non defatigatur,& quæ nulla egent varietate,& nulla constructione & è pronuntiatis euidens & indemonstrabilis cognitio & inconstructa sumptio petitiones distinguit. *Idem,ibid.* Petitio est id quod audit quis,nec cognoscit,nec ad addiscente concessum assumitur,vt omnes rectos angulos æquales. *Idem, ibid.lib.* 2.*cap* 8.

Petere nihil debemus,quòd à patre nostro sperari non possit, nec quod sit indignum ipso cui supplicamus. à cœlesti patre cœlestia,à deo diuina petenda sunt *Io.Pic.Mir.in or.Domin.*

Petenda quæ sunt hæc primò consideranda; quo habito à quibus petendo , quo modo,quo tempore. quam ob causam:& nisi omnes hæ circunstantiæ seruentur facile in vitia delabuntur homines. *Io.Fran.Pic.Mir.de prænot.lib.*8 *cap.*2.

Petulantia in anima vituperatur,qua in ipsa multiforme & varium pecus vltra quàm conueniat in ipsa versatur. *Plat.de rep.dial.*9.

Phaeton solis filius iunctis equis patris currum quod conscenderit,eò quod non secundum patris viam illos agitare posses,quæ in terras sunt,combusserit, & ipse ictus perierit,hoc secūdum figuram dicitur. veritas autem est eorum quæ circa terram & in cœlo circunuoluuntur permutatio , & quæ per longa tempora contingit , eorum , quæ in terra sunt per multum ignem corruptio. *Plat.in Tim.* Phaetontem Solis filium fulminatum extitisse, & exussisse terram apud quosdam significat vasum cometam natura solarem tandē dissolutam intolerabiles æstus concitauisse,fortè etiam incendia quæ narrat Moyses missa diuinitus. *Ficin.in Plat.Timæum,cap.*5.

Phœbum duos filios genuisse, Aesculapium, & Platonem,est apud Græcos verissimum de Platone dictum. Aesculapium qui mederetur corporibus , Platonem animis. *Fic.in Plat. Protag.*

Phantasia.

Phantasia solùm circa quæ genita sunt versatur, in qua præter generationem nihil existit. *Mer. Trismegisti Pimander,cap.*5.

Phantasia, quæ & falsorum cogitatio dicitur, sæpe deliberantis iudicium non expectat,sed prosequimur peioribus obsequentes, vt sensui accidit, priusquam considerandi virtute discernas , falso videre per communem videlicet sensum. *Plot En.*1.*lib.*1.*cap.*9.

Phantasia est impulsio quædam viuētis irrationalis ab exteriis illata. *Plot. En.*1.*lib.* 8.*cap.* 15. Phantasia in anima est tum prima,quæ appellatur opinio,tum ea quæ ab hac nascitur, nec vlterius est opinio,sed circa id,quod est inferius,quasi opinio quædam exilis & obscura, & indiscreta quædam imaginatio *idem, En.*3.*lib* 6.*cap.*4.

Phantasia medium est inter mentem & sensum. *Proc.in Euc. lib.*2.*cap.*1. Phantasia percipit infinitum non intelligendo vt visus non videndo tenebras,cognoscit. *Idem,in Eucl.lib.*3*d com.*16.

Phantasia est sensuum sēsus,nam phantasticus spiritus est sēsoriom communissimū , primūmque animæ corpus & hoc quidem latet, &agit intus,principium animalis habet vt ex arce *Synesi de som.* Phantasia perspicacior est sensu exteriori *Idem,ibid.* Phantasticæ essentiæ latitudinem natura per multas rerum sortes extendit,descendit vsque ad animalia in quibus non adest intellectus, nec tunc est vt animæ vehiculum , sed subiectis præsidet viribus,& dæmones ex huiusmodi vita suam sortiuntur essentiam. *ibidem.*

Phantasiam,de qua Theophrastus Aristotelem sequutus agit esse vim alteram præter sensum ex eius libris fatendum est & ab opinione, omnique rationali perceptione differre, & vt sensus à sensibilibus speciebus mouetur vitaliter excitatus,atque secundum propriarum rationum productionem circa illas agit.sic & phantasiam à speciebus sensibilibus agitari,his velut subiectis vtentem proximè,& circa ea agentem & iden hæc quoque corporea vita est,nec absque corporeis instrumentis agit. *Prisc.in Theophrast.de phantasia,& intellectu,cap.*1.

Phantasia,vt ait Iamblicus,omnibus animæ viribus est ad natā omnésque figurat,atque effingit similitudines specierum,& apparitiones,visaque siue impressionis virium aliarum trāsmittit in alias,quæ à sensu micant in opinionem excitat, quæ ab intellectu secundo loco affert opinioni,& in se ipsa ab omnibus Imagines suscipit, atque per suam proprietatē secundum assimilationem propriè designatur,tum in agendo,tum in suscipiendo, quæ assimilantur,atque apparent in intellectualibus,vel genethliacis operationibus,aut medijs vtrarumque hæc omnes animæ operationes fingit,& exprimit,& externas accommodat intimis. *Prisc.in Theophrast.de phantasi.& intellectu,cap.*1.

Phantasia nec passio est, vel motus, sed actio impartibilis, atque definita, neque suscipiendo forinsecus figuratur vt cæra, sed ab intimis atque secundum assimilatiuarum rationum productionem ad phantasmatum iudicium suscitatur. *Priscian. in Theophrastum de phant. & intel. cap. 1.*

Phantasia etsi præstantiores actiones effingit, simul tamen secundum species sensuales imaginatur, & qua ratione à speciebus sensualibus agitatur præstantiores effingit actiones, & mouetur phantasia etiam non præsentibus sensibilibus, ex se ipsa enim postquam semel fuit mota expergisci potest. *idem, ibidem. cap. 2.*

Phantasia qua conditione sua semper in alia refert atque ad differentes animæ rationes assimilatur, ita ad omnes animæ potentias est adnata, & secundum assimilabilem animę proprietatem definitiua censetur. *Priscian. in Theophrastum de phantasia & intellectu, cap. 2.*

Phantasia non est ponenda in sensu, quia etiam quando sensus veridicus est interdum phantasia mentitur, nec in instrumento sensus: passio enim in instrumento facta sensibili tantummodo præsente contingit. Phantasmata verò, siue imaginamenta, nam licet phantasiam imaginationem nominari, etiam absente sensibili fiunt. Est ergo vis alia præter sensum, sed sensui proxima, & propterea quodammodo à sensu mouetur, & sensualibus speciebus vt subiectis vtitur, ex quibus expergiscitur, & ad quas phantasmata refert. *idem, ibidem, cap. 3.*

Phantasia phantasmata multifariam variat ex eo, quod superat sensum, atque ex ipsa postquam semel mota fuerit ad formationem, vtcunque cœperit expergiscitur. *Priscian. in Theophrastum de phantasia & intellectu, cap. 3.*

Phantasiæ indicia, siue impressiones specierum ab instrumento sentiendi arbitror suscipi posse, vt formales & partibiles figurę restantur separatum à corporibus non indicantes. sæpe dum corpus mouetur ad phantasias, atque secundum eas afficitur, apparere arbitror etiam in ipso instrumento phantasmata, sed non tanquam sensitiuo, quoniam non ab externis incidunt, nec vt si nos à corporibus quibusdam agentibus mutaremur, imò in quodam species suscipiente phantastica. nec id mirum videri debet, quoniam rationalis quoque actionis nostræ quædam in corpus indicia & notæ descendunt. quod planè perspicitur; cum & oculi supercilia in acrioribus indagationibus, contrahuntur, & si solida hæc membra corporis secundum animæ motum afficiuntur, multò prius sensuum instrumentum tanquam vitalius necesse est vitæ vestigia suscipere. *Priscian. in Theophrastum de phantasia & intellectu cap. 3.*

Phantasmata in eodem & sensum concurrere nil prohibet, & si opposita sunt, siquidem & opinio & sensus de magnitudine solis inter se opponuntur. *Priscian. in Theophrast. de phantasia & intellectu, cap. 3.*

Phantasia substantiam non cognoscit, imaginatio nec substantiam rei suspicatur, sed rei superficiem & exteriorem figuram, phantasia tamen substantiam auguratur. *Ficin. Platonica Theologia lib. 8. cap. 1.*

Phantasiam quatuor sequūtur affectus appetitus voluptas, metus, & dolor, hi quando vehementissimi sunt, subitò corpus proprium omnino, nonnunquam etiam alienum afficiunt *Ficin. in Plato. Theologia, lib. 13. cap. 1.*

Phantasiam in somno nimio cibo grauati nunquam expeditam habent. *idem, ibid. cap. 2.*

Phantasia apud Platonicos memoriam propriam possidet. *ibid. lib. 15. cap. 16.*

Phantasiæ discursum perficit opinio recta, quam sagacitatem quidam vocant. *Ficin. in Plato. de virtute.* Phantasia est vis animæ, cuius actus est collectio eorū, quæ sensus eius nuncij porrigunt, & per illa discursus. *idem, ibidem.* Phantasia alia est à sensu communi: differt enim sensus communis, phantasia, opinio, & cogitatio. *idem, in Plato Theætet.*

Phantasia acrioribus motibus suis varie afficit spiritum, pérque hoc reliquum corpus, quoniam hæc intuitum suum dirigit intro circa imaginamenta sua, sensus verò ad externa dirigitur, nec percipit passionē instrumenti, vel speciem, quę ad sensum conferunt, sed per hæc duo percipit quæ sunt extra. iam actibus suis non alterat spiritum; non enim terminatur actus eius ad intima, sed externa. *Ficin. in Priscian. super Theophrastum cap. 2.*

Phantasi actiones rationis effingit sub rerum sensibilium conditione, ac potest vltra sensuum actus latius phātasmata promere: conuenit cum sensu quia particularia percipit, superat sensum quia etiam nullo mouente, imagines edit, estque tanquam Protheus vel Chameleon. *idem, ibid.*

Phantasia aliquando nominatur intellectus, hæc enim est vltimum intelligentiæ vestigium. *ibid. cap. 6.*

Phantasiam ita definiūt Stoici, quòd sit impressio in anima vel informatio. *Ioan. Francis. Mirand. in exam. van. doct. gent. lib. 2. cap. 17.*

Phantasiæ diuersæ fiunt non tamùm extrinsecus, sed etiam intrinsecus mutatis quatuor anni partibus, aliæ enim vere, aliæ autumno, aliæ hyeme, aliæ æstate fiunt, quoniam aliter mouentur humores, & temperamentum variè affectum varia præsentat phantasmata. *idem, ibid. cap. 34.*

Phenicum theologia dicebat visibile lumen esse diuinæ, angelicæque intelligentiæ actum quendam perennem per solarem fenestram ad oculos emicantem, atque inde per materias passim perspicuas quasi conuenientes sibi diffusum. *Fic. in rempubl. Platon. dial. 7.*

Philo genere fuit Iudæus, professione. Platonicus, natus sub Tiberio, sub Claudio philosophatus, Apostolorum tempore, ante Plotinum, Aracliun Porphyrium, Proclum, Damascium, æqualis ferè Numenio. *Aug. Steuc. de per. phi. lib. 3. cap. 29.*

Philosophari philosophantes.

Philosophabatur Socrates propositā ratione, quæ ipsi fortissima esse iudicabatur, ea quæ ipsi cum hac consentire videbantur velut quæ vera sint ponebat, & idem & in causis, & in alijs faciebat: at quæ non consentiebant, vt non vera existimabat. *Plat. in Phæd.* Philosophantur nec mali & imperiti, nec omnino sapientes, sed qui nec imperiti omnino, nec sapientes omnino. *in Lyside.* Philosophantium non iudicamus animam obliuiosam, sed memorem ipsam esse oportere censemus *de rep. dial. 6.* Philosophantes à populo vituperantur, & ab ijs priuatis qui cum populo conuersantes placere ipsi cupiunt. *ibid.*

Philosophantes sæpe ægrotant corpore, quia dum anima attentius speculatur ægrè cibos concoquit. *Fic. Plat. Theol. lib. 9. cap 5.* Philosophantibus solitudo non tam remissio mētis quam intentio esse & solet & debet. *Idem, epist. lib. 5.*

Philosophantis officio hæc omnia continentur, sapientia, prudentia, iustitia, moralis, ciuilis, domestica, ac regia disciplina, per sapientiam diuina cognoscit, per prudentiam & iustitiam humana gubernant, dum rem familiarem, rempublicam administrat. *Idem, in Plat. philos.*

Philosophatus nunquam est qui ideò philosophatus est, vt aliquando aut possit aut nolit philosophari. *Ioan. Pic. Miran. in epist.*

Philosophantes imaginatione duce animę tantùm functiones animaduertentes, cùm in corpore vel corpus agit animam, propriam ipsius operationem cognoscere nequeunt. *Step. Com. de transi. ment. in diuin. lib 6 cap. 2.*

Philosophia diuisio & modus.

Philosophiæ veterum modum eras breuiloquentia laconica. *Plat. in protag.* Philosophia nulla animi importunā curiositate violata, est simplici mēte & anima diuinitatem colere eiúsque facta venerari, agere dei voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima. *Apul. Asclep.* Philosophiæ pars est dialectica, non instrumentum, non enim nudas propositiones & respectus continet, sed circa res ipsas versatur, & quasi materiam habet entia. *Plot. En. 1. lib. 3. cap. 5.* Philosophia habet dialecticam, naturalem, mathematicas, facultatem de motibus *Idem, En. 1. lib. 3 cap. 6.*

Philosophiam apud Pythagoricos cùm Hipparchus publicè doceret, habebatur pro mortuo. *Bessar. in calumn. Plat. lib. 1. cap. 2.* Philosophia peripatetica non est contraria philosophiæ platonicæ, est enim ad ipsam via, naturalia enim nos ad diuina perducunt. Hinc effectum est vt nullus vnquam ad secretiora Platonis mysteria sit admissus, nisi peripateticis disciplinis sit initiatus. *Fic. epistol. lib. 11.*

Philosophiæ aditus opportunè trifariam datur, aut Medicinæ percalendæ gratia, aut docendi in scholis ipsam philosophiam, aut Theologię noscendæ & qui ob id ei operam nauant à fine aberrat. *Io. Franc. Pic. Mir. de stud. philos. lib. 1. cap. 5.*

Philosophiæ partes quædam cum theologia affinitatem habent, vt physica dialectica & metaphysica, alię non, vt Geometria, Arithmetica, Poetica. *idem, ibid. cap 6.*

Philosophiæ alij nullam sectionem fecere, alij bimembrem constituere, alij vniuersam diuisere in partes tres; & eorum qui vnicum genus voluerūt esse magna discordia est: nam alij physicum, alij logicu, alij morale, Primæ opinionis fuere Thales, Anaximenes. Anaximander, ea Ionico genere: ex Italico, Empedocles atque Parmenides, quibus cōsensit Heraclitus; sed non eodem modo quoniam Ionici impermixtā esse volebāt, sed Italici Empedocles de rhetorica pręcepit, Parmenides dialecticę nō fuit expers, & de Heraclito dubitatū tātùm ne physicus fuerit, an etiam moralis. Vnico quoq; genere, sed logico fuere Panthodes, Alexin⁹. Eubulides, Brysō, Dionysiodor⁹, Euthydem⁹. Vnicū & morale Socrates

egoouit, &c

agnouit, & Cyrenaici, vt multi asserunt, etsi id satis non cõstet. *Ia. Fran. Pic. Mir. exam. van doct. gent. lib. 1. cap. 3.*

Philosophiam bimembrem plerique fecere: nam Xenophanes Colophonius vniuersum illud supremum philosophiæ genus in physicum & logicum diuisit morali prætermisso. Archelaus Atheniensis in moralem & physicum diuisit logico prætermisso. Aliqui aiunt Cyrenaicos philosophiam in duas diuisisse partes, ethicam & logicam, naturali prætermissa. *Io. Fran. Pic. Mir in exam. van. doct. gent. lib. 1. cap 3*

Philosophiam in tres partes diuidendam Plato auctor fuit, in logicam, physicam, & moralem: quem secuti sunt Xenocrates, Aristoteles, & Stoici: quãquam alij partes alij locos, alij species alij genera; sed Stoicorum aliqui in sex partes diuiserunt, dialecticam, oratoriam, ciuilem, naturalem, theologiam, moralem. *idem, ibid.*

Philosophia quid est.

Philosophia est tanquam maxima musica. *Pla. in Phed.* Philosophia vera ac rerum cognitio pura nobis post mortem est. *ibid.* Philosophia est multarum rerũ scientia. *in dial. de phi.* Philosophia est acquisitio scientiæ. *in Euthy.* Philosophiã veram esse censeo morum constantiam, ac fidelitatem, & sinceritatem; reliquas verò & ad alias tendentes sapientias, & præstantias si versutias appellem, rectè nominare me puto. *epist.* 10.

Philosophia nil aliud est quàm diuinarum & humanarum rerũ exacta scientia, quæ vel virtutes vel ratiocinationes pulchras consentientissimæ vitæ ac studiorum commodorum dispenset. *Max. Tyr. ser.* 16. Philosophia nullà animi importuna curiositate violata, est simplici mente & anima diuinitatem colere, & eius facta venerari agere etiam Dei voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima. *Mer. Tris. Ascl. cap* 6.

Philosophia est appetitus sapientiæ, contemplatio veritatis vt veritas est, cura animæ secundum rectam rationem. *Speus. de Plat. definit.* Philosophia est perfectissimum bonũ, quo nullum aliud perfectius introiuit vitam hominum. *Phil. de mundi opificio.* Philosophia est meditatio sapientiæ. *idem, de cong. quær. erud. gratia.*

Philosophia veritatis sapientiæque amor ac studium ab omnibus definitur. *Fic. epist. lib.* 1. Philosophia cùm sit cœleste munus terrena vitia procul fugat, fortunam fortissimè domat, mitigat mirificè fatum, mortalibus donis certissimè vtitur, immortalia munera largitur ad votum. *Idem, epist. lib.* 4. Philosophiam esse veram vitæ integritatem ait Plato, & literas quasi externum vitæ ornamentum nuncupat, & philosophiam communionem omni alia non solùm beneuolentia, sed etiam necessitudine præstãtiorem, & stabiliorem existere. *Idem, epist. lib.* 11.

Philosophiam esse donum diuinum ait Timęus, & ciuilem peritiam esse diuinum munus. *Fic. in Plat. de rep. dial.* 7. Philosophiæ nomen etsi indagationem quandam præ se ferre videtur, amorem tamen fert propriè amatoriamque indaginem. *idem, in Plat. epist.* 6. Philosophia est scientia qua se quisque atque alios noscit, sint-ne boni, an mali; vel vt Alcinous ait, cupiditas scientiæ solutione animi à corpore, conuersióque ad diuinarum rerum contemplationem: & communi nomine sapientia appellatur à Platone, quòd rerum humanarum & diuinarum sit scientia. *Seb. Fox. in Plat. phæd.*

Philosophia non est aliena à Christianorum doctrina, sed alijs nominibus eam prædicauerunt. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib.* 6. *cap.* 11. Philosophiæ præcipua pars est illa quæ ad mores pertinet. *Idem, ibid. lib.* 7. *cap* 2. Philosophia sola illa vera est, cuius est Deus exemplum & scopus verus. *ibid. lib.* 10. *cap.* 3.

Philosophia vtilitas.

Philosophiæ studium assequi curandum est vt diuinum. *Plat. in Euthy.* Philosophiæ sermones & vtiles sunt & delectantes *in Symp.* Philosophiæ veræ veritas necessaria est, nec temerarius eius particeps esse potest. *de rep. dial.* 6. Philosophiæ si operam non dat orator, nunquam præstans erit in aliqua re. *in phædro.* Philosophia nullum vnquam bonũ maius mortalium generi deorum munere contingit, nec continget: & hoc oculorum beneficio cognoscitur. *Plato in Timæo.*

Philosophiæ totius ac dialogorum Platonicorum præcipuum principium est ac firmissimum naturæ nostræ cognitio: hac enim rectè cognita, bonum quoque nobis consentaneum, malúmve dissidens absolutius nosse poterimus. *Proc. in Alc.*

Philosophorum studium prodest, vt ait Aristippus vt intrepidè & securè cum hominibus fabulari possimus. *Apul. de deo Socrate.*

Philosophiæ mysteria mos est Platonicus sub quodam viliori prætextu grauiora occulere. *Syn. de somnis*

Philosophiæ expertes quodammodo cùm sint humano genere inferiores, delabuntur præcipites in bestias *Fic. epist. lib.* 4. Philosophia nos ducit ad sapientiam, sapientia ad prudentiam. *Idem, in Plat. Alc.* 1. Philosophiæ omnis summa ad beatam vitam refertur, atque eam quærentes homines se ad eius studia contulerunt *in Plat. Phi. lib.* 1 *cap* 1. Philosophia duobus maximè vtitur, auditu disciplinarum, & aspectu cœlestium: auditus ad Calliopem musam pertinet, aspectus ad Vraniam. *in Plat. Phæd. cap* 15

Philosophia duo præstat artibus maximis vtilissima, mentis subtilitatem & vim ad agendum efficacem, ideò necessaria est ad perfectionem omnium artium. *Fic. in Plat. Phæd. cap.* 44. Philosophiæ totum studium vult Plato esse à sensibilibus nos conuertere ad intelligibilia, ad ipsúmque bonum quod intelligibilium lumen est supernum, ascendere. *idem, in Plat. de rep. dial.* 7. Philosophia quædam, non absque diuina prouidentia volente omnes pro singulorum ingenio ad se mirabiliter reuocare, factum est vt apud Persas sub Zoroastre, & apud Ægyptios sub Mercurio, nasceretur vtrobique sibi consona, & nutriretur apud Thraces sub Orphico & Aglaophemo adolesceret mox sub Pythagora apud Græcos & Italos, tandem postea à Diuo Platone consummaretur Athenis. *idem in Plot. proœm*

Philosophia multifariam nocere potest ei qui se totum illius studio addixit, quamuis ex se bona sit, ex accidenti mala fit ob defectum vitiatæ naturæ, superbia enim, vel gloria vana potest esse in causa cur scire aueamus, & ipsâ quispiam abuti potest ad eiusdem gloriæ studium, & si quis sectandu eã id officij quod ei necessariò incumbit negligit, aut prætermittit, cauendum est ne Dei mandata, ob traditiones hominum, imò vanas opiniones deseramus, & ea modo quærendi scientiam aberrare possumus aut curiosè nimis, aut auidius quàm oportet, aut discentes ea quæ ab ecclesia vetita sunt publico edicto, aut ab ijs à quibus non licet, vt à dæmonibus, & in reuelata scientia erramus si supra ingenij proprij facultatẽ rimari abdita, & vbi sola fide opus est demonstrationes desideramus, vel ob nimium studium in valetudinem aduersam incurrimus. *Ia. Pic. Mir. de stud. phi. lib.* 1. *cap.* 1.

Philosophia humana adiuuat contẽplationem cum intellectũ illuminat, & indirectè errores remouet quibus plerũque ob ignorantiam inuoluuntur, & animum videtur inflammare, & ad æternorum memoriam ex fluxis & temporarijs traducere, & sacra eloquia faciliùs, & clariùs apprehendẽtur. At contra plures inani vento superbiæ solâ scientiæ possessione suffulti praua dogmata sparserunt, vnde hæreses vanę, & impietates plurimę. *Ia. Franc. Pic. Mir. de stud. d. phi. lib.* 1. *cap.* 3. Philosophia humana non est adeò extimescenda vt ipsam & gentilium literas abhorreamus nec adeò fidendum vt animum nostrum penitus velo ipsarum, remóque committamus, quando si recta incedemus, possunt prodesse, si deorbitauerimus non possunt non obesse. *Idem, ibid. cap* 4.

Philosophia gentium incerta est, cùm varium sit philosophandi genus, variæ philosophantium sectæ, varia philosophorum dogmata, qui principes habẽtur, inter quos nec philosophia diuidenda, nec ipsa iam diuisa conuenit, & quod maius est decertant ipsi de primis, maximis, & scitu dignioribus altercantur, & pugnent, nec adhuc pugnæ finis inuenitur, quid restat nisi vt ipsa gentium doctrina & vana & incerta iudicetur. *Ia. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib.* 1. *cap.* 20.

Philosophiæ mysteria non est pium communicare ijs, qui ne quidem somniare potuerunt animi purificationem, lysidis dictum. *Iac. Carp. in Alc. par. p. st. cap.* 20. Philosophiæ summum fructum in actione circa corpus existere ridiculum est, & à Platonis philosophia alienum. *idem, in defensione.*

Philosophia vetustissima Hebræorum, Chaldæorum, & Ægyptiorum Theologia superior nunquam dedit cœlo, vt nec creatis rebus diuinitatem. *Aug. Steuch. de peren. phi. lib.* 8 *cap* 1.

Philosophia nulla ita Deum docet & monstrat, vt Christiana. *idem, ibidem, lib.* 10.

Philosophia à quibus originem traxit, & eius finis.

Philosophiæ non est aliud principium quàm admiratio. *Plat. in Theæt.* Philosophiam Pythagoras & Plato didicerunt ex columnis Mercurij in Ægypto. *Iamb. de myst.*

Philosophia rerum constantissima cunctarum in plures populos scindit, scissámq. innumeris legislatoribus assignat, sicque distrahit gregem & distractum in diuersas partes emittit, Pythagoram ad Musicam, Thaletem ad Astronomiam, Heraclitum in solitudinem, Carneadem ad castitatem, Diogenem ad labores, Epicurum ad voluptates. *Max. Tyr. serm.* 19.

Philosophia veritatem quærit, Theologia inuenit, Religio possidet. *Io. Pic. Mirand. in epist.*

Philosophiæ nullus alius est finis, quàm Dei scientia, & quasi contuitus. *August. Steuch. de per. phil. lib. 10. cap. 9.*

Philosophiæ finem Mercurius ait veritatis intuitum, Syrianus causâ boni nos philosophari ait. *idem ibid. lib. 12.*

Philosophia vt moralis.

Philosophiæ moralis caput est vt scias quibus rationibus peruenire possis ad beatam vitam. *Apul. de dogm. Platon. lib. 3.*

Philosophia moralis præcedere debet contemplatiuam, vt medicus primo leniatiuo, deinde solutiuo medicamento purgat corpus, ne si anima purgata non fuerit morali purgatione, sed vitiis infecta, ipso speculationis acumine abutatur ad iniustitiam, & impietatem defendendam. *Fic. in Plat. Phæd.* Philosophia moralis viro rempublicam gubernaturo est summopere necessaria. *idem, in Plat. Menex.*

Philosophia vt contemplatiua, & actiua.

Philosophiæ speculatiuæ membra sunt Theologia, Physica, Mathematica. *Alcin. cap. 7.* Philosophiam actiuam Plato perfectissimè tractauit. *Bessar. Cardin. in calumniat. Plat. lib. 1. cap. 7.*

Philosophiæ substantia virtus moralis est, quod & nomen declarat amore, & cultu definitum, speculationes humanæ sunt vel ornamenta quædam philosophiæ curiosæ, vel vitæ ad ipsam mentis firmam puritatem quæ ad mores pertinet comparandam, qua comparatâ diuina potius quàm humana, & infusa potius quàm acquisita sequitur contemplatio. *Fic. epist. 2.*

Philosophia non agendo, sed contemplando sapientiam gignit, sapientia verò felicitatem, quoniam per illam id consequimur, vt etiam illa quæ vulgo putantur mala, nobis bono sint. *Iac. Carpent. in Alcin. cap. 2.* Philosophiæ contemplatio consistere non potest in perturbationum regno, quæ perturbationes reprimuntur & ad rationis regulam reducuntur per virtutes. *idem, in Alcin. cap. 7.*

Philosophiæ quis aptus, & vt se habet ad alias scientias.

Philosophiæ qui multum temporis contriuerunt, ad iudiciarium forum progressi ridiculi rhetores apparent, & ad eos qui eiusmodi exercitio nutriti sunt collati, ita se habent, vt serui ad liberos. *Plato in Theæteto.* Philosophia vera timidæ & illiberali naturæ non adest. *de repub. dial. 6.* Philosophiæ apti naturâ pauci producuntur, & horum paucorum multi sunt interitus. *ibid.* Philosophiæ apti natura optima si conuenientem disciplinam adepta fuerit, necesse est ad omnem virtutem incrementum facere, ac peruenire. Si verò in non conuenienti, & seminata, & plantata alatur, ad omnia contraria rerfus, nisi quis Deus auxilium ferat. *ibid.*

Philosophiam capessere curãt non qui naturâ illi dediti sunt, sed quemadmodum qui à carcere ad templa vltrò confugiunt, etiam ipsi ex artibus ad philosophiam prosiliunt, & hoc faciunt qui circa suam artem maximè industrij sunt, vt qui ab artibus, & artificiis corpora mutilata habent, sic etiam ob illiberalia studia animis confracti, & comminuti sunt: nec differunt à fabro caluo & paruo argentum adepto, & recens à vinculis soluto, verùm in balneo loto, & nouam vestem induto, & sponsi more ornato, & ob paupertatem, & inopiam domini sui filiam ipsius vxorem ducere volente, nonne spuriam, & vilem prolem generabunt? sic & hi sententias dignas vt sophismata appellentur, & nihil ingenuum & dignum verâ sapientiâ. *Plat. de repub. dial. 6.*

Philosophia in ciuitate administranda est, non vt nunc fit. Nec equidem qui illam attingent adolescentes sunt recens à pueris progressi, qui vbi inter rerum domesticarum administrationem, & lucrandi studium, ad partem illius difficillimam accesserent, discedunt maximos philosophos se esse ducentes. Difficillimam dico eam quæ circa dicendi rationem versatur. At posteriore tempore, si etiam aliis sic facientibus inuitenter, vt auditores esse velint, valdè auersantur, obiter hoc ipsum facere oportere putantes. Ad senectutem autem paucis quibusdam exceptis extinguuntur multò magis quàm Heracliteus Sol, in quantum rursus non accenduntur. At contra debet fieri, Adolescentes, & pueros puerilem disciplinam tractare, & philosophiam, & corporum eo tempore quo germinant, & maturescunt, valde bonam curam gerere, ministerium ad philosophiam comparantes: progrediente verò ætate, in qua anima perfici incipit, illius exercitia augere. Quum autem robur cessat, & à ciuilibus, & bellicis muniis alieni sunt, tunc iam liberos degere, & nihil aliud facere, nisi obiter, si feliciter viuere velint, & vitâ defuncti illic sortem transactæ vitæ conuenientem assequi. *Plat. de rep. dial. 6.*

Philosophiæ ignominia propterea accidit, quia qui eam attingent, non pro dignitate attingunt; non enim spurios, sed genuinos ipsam attingere oportet. *Plato, de republica, dialog. 7.* Philosophiæ & poetices vetus est dissensio, nam & latrans illa ad dominum clamorem attollens canicula, & magnus in dementium conciunculis & sapientum turba dominans & quòd leuibus curis impliciti pauperes sunt, & innumera alia, signa sunt veteris inter has inimicitiæ. *de republica, dialog. 10.*

Philosophiæ si quis reuera operam dare vult, annon cognoscendi hæc est via: ostendere omnem rem fieri posse: sed per quanta negotia, & quantum laborem requirat, qui audierit non terretur si verè philosophus est, & si non est, facilè impossibilem rem arbitratus ad ipsam non adduci se sinit. Hæc experientia ad delicatos clara, & securissima est, vt nunquam culpam in demonstratorem reiiciant, sed quisque in seipsum. *Plat. epist. 7.* Philosophia omnibus particularibus scientiis principia & semina indidit, ex quibus earum speculationes germinant. *Phil. de cong. quær. erud. gratia.*

Philosophiæ bona cum iis communia facere, qui ne somniare quidem animi purificationem potuerunt, nec fas est omnibus porrigere, quæ nos cum tot laboribus adepti sumus, vt nec Eleusiniarum dearum licet profanis hominibus arcana patefacere, æquè isthæc facientes impij habentur. *Bess. Car. in calumniam. Plat. lib. 1. cap. 2.* Philosophiam docere animos non purgatos nil aliud est, quàm in puteum cœno plenũ aquam immittere, cœnum perturbare, & aquam amittere. *idem, ibid.*

Philosophicam animam qui quærit, statim in adolescentia cõsiderare debet, an iusta sit, & mansueta, an morosa, & agrestis, & quæ facilè, vel difficulter discat. *Plat. de republ. dial. 6.*

Philosophicæ naturæ partes, scilicet fortitudo, temperantia, memoria, docilitas, magnificentia, gratiositas, veritas, in malo alimento constitutæ, quodammodo causæ sunt, vt à studio quis excidat, & ea quæ dicuntur bona, & diuitiæ, & omnis huiusmodi apparatus. nam si quis his præditus est in aliqua magna ciuitate, non putas ipsum putare se, & Græcorum, & Barbarorum res posse administrare, & ob hoc se in sublimem extollet, ita vt habitu ac fastu inani, absque mente impleatur. Ad quem si quis placidè accedens, quæ vera sunt dicat, quod mens non insit ipsi, indigeat autem ea, illa verò comparari non possit, nisi quis ad ipsam acquirendam seruierit. an si ob naturæ bonitatem, & sermonum cognationem, vnus fortè sentiet, & trahatur ad philosophiam, quid putas facturos eos, qui vsum & societatem perire putant? nonne & faciendo & dicendo omnia molientur, & circa ipsum ne obsequatur, & circa suadentem ne quid efficere possit insidias struentes, & ad quæstionem publicè postulantes? *Plato de repub. dial. 6.*

Philosophicum genus nisi reipublicæ dominium obtineat, nec ciuitati, nec ciuibus requiem malorum fore si dixerimus, vulgus erga nos exasperabitur, & rempublicam nostram fabuloso sermone conditam esse dicet. *Plat. de repub. dial. 6.*

Philosophicum studium per moralem disciplinam & purificando præparat animam ad diuina, & per contemplatiuam resoluendo admouet mentem diuinis, atque coniungit; nec ipsum diuina veritate format mentem, sed Deus ipse vt ingens mentem quasi materiam philosophiæ beneficio præparatam, & propinquantem veritatis suæ luce perlustrat. *Fic. in Plat. epist. 7.*

Philosophica maiestas paucis cognita est iudicibus, nullámque à suis professoribus in populo iactationem expectat. *Iac. Carp. in oratione.*

Philosophi qui sunt & quid meditantur.

Philosophus si cum viro diuino & temperato conuersetur, temperatus, & diuinus quantum homini contingere potest, euadit; calumnia verò in omnibus est multa. *Plat. de repub. dial. 6.*

Philosophi exactissimi meritò pauci sunt, rarò enim solent partes, quas habere debent, simul coalescere, dociles scilicet, memores, solertes, & acuti, & quæcunque alia ad hæc sequuntur, non enim simul esse solent generosi animis, & magnifici, vt temperatè cum quiete, & constantia viuere velint. Verùm tales ab omni feruore quæcunque contigerint, feruntur, & omnis constantia perit, & constantes mores, & qui non facilè mutantur, quibus quis magis, vt fidis etiam in bello vti possit, vt qui timoribus non moueantur efficiunt, vt idem rursus ægrè ad disciplinas commoueantur, & indocilis sit, velut obstupefactus: & tales somno, & oscitatione implentur, quum huiusmodi quiddam ipsis tractandum est. at nos diximus principem amborum bene, &

egregiè

egregiè participem esse oportere: aut neque exactissimam institutionem, neque honorem, neque principatum ei esse committendum. *Plat. de rep. dial.6.*

Philosophum non sibi solùm natum esse cogitare oportet, sed ortus nostri partem patriam sibi vendicare, partem parentes, partem reliquos amicos. Multa quoque temporum occasionibus dantur, quæ vitam nostram occupant. *Plat. epist.9.*

Philosophorum meditatio est solutio animæ à corpore. *idem, in phæd.* Philosophus non est sapientiæ studiosus qui mori ægrè fert, sed corporis studiosus: & sic qui pecuniarum, & ambitionis studio tenetur. *ibid.* Philosophi omnes diuini appellandi sunt *in sophista.*

Philosophus non est qui cupidus est huius, & illius non, sed totius sapientiæ. *Plat. de rep. dial.5.*

Philosophus est qui facilè vult omnem disciplinam gustare, & vltro ad discendum progreditur, & inexplebili cupiditate tenetur, veritatis spectandæ studio. Non autem eum qui circa disciplinas perturbatur, tum aliàs, tum si iuuenis est, & nondum rationem habet, quid vtile sit, aut non, non dicemus discendi cupidum, nec philosophum; vt eum qui circa cibos morosus est nec esurire, nec concupiscere dicimus, neque ciborum cupidum, sed cibos auersantem. *idem, ibid.*

Philosophos appellabimus eos qui ipsum vnumquodque, quod est complectuntur, & non philodoxos. *Plato de republ. dial.5.* Philosophi sunt, qui semper id quod secundùm eadem eodem modo se habet attingere possunt qui verò hoc non possunt, sed in multis, & penitus vagantur, philosophi non sunt. *de rep. dial.6.* Philosophus qui verè fuerit, & non fictè cum ad disciplinas, & quidquid eiusmodi est cupiditates defluunt, is circa animæ, vt opinor, voluptatem ipsam per seipsum versabitur, & corporis voluptates relinquet *ibid.* Philosophus & discendi studiosus idem est. *de rep. dial.2.*

Philosophus est qui à philosophia nomen accepit, vt à Musica musicus. *Alcinous, cap.6.* Philosophi studium in tribus potissimum Plato versari voluit, in rerum speculatione, in actione virtutum, & in sermonis consideratione. *Idem, cap.3.*

Philosophia est appetitio sapientiæ, vel solutio animæ à corpore, & conuersio quædam ad ea quæ vera sunt, atque diuina. *Idem, cap.1.*

Philosophi nomen accipitur in præcipua eius notione pro eo qui scientias cõtemplatiuas est assecutus, cuius quatuor sunt conditiones: prima, vt possit eas docere, quod duobus modis contingit, vt rationibus demonstratiuis, & aliis communibus. *Auer. in Plat. repub. tract. 2.*

Philosophi officium est diuina nosse, gubernare humana, in illo contemplatiua, in hoc actiua comprehenditur. *Ficin. in dial. de philosoph.* Philosophi quid sit officium & quale, difinitur in hoc dialogo. *idem, ibid.* Philosophus primò diuinam id est absolutam boni naturam per sapientiam contemplatur, deinde ad id bonum velut ad finem humanas operationes dirigens humana gubernat: hæc gubernatio duo requirit: primum, vt quid humana natura sit, & quo pacto ducatur ad bonum, à malo remoueatur cognoscat, quod per prudentiam philosophus agit: alterum, vt sic instituat hominum affectus, & actus sic temperet, atque cohibeat, vt ad bonum, quod sapientia ipsa inuenerat, & ad quod prudentia deinde direxerat facilè tendant: id per virtutes morales efficitur, quas omnes sub vno iustitiæ nomine Plato complectitur. *ibid.*

Philosophus sophista est, vt qui opificem cœlestem imitatur. *Ficin in Plat. sophist.* Philosophi sunt qui veritatem studiosè quærũt veritatis ipsius duntaxat amore. *in Plat. Protag.* Philosophus quisque tria considerat in omni re, quę antecedunt, quæ comitantur, & quæ sequuntur: hæc si bona sint, remipsam laudat; si mala vituperat. *in Plat. conuiu. or. 5. ca. 2.* Philosophum probat Plato non saturnium, sed iouialem, nam saturnius contemplatur segregatus, iouialis, contemplatur & prouidet. *in Plato. Phædr cap 28.*

Philosophus de omnibus diuinis, vt ait Plato in Timæo, eatenus affirmare debet, quatenus ab oraculis confirmatur. *Fic. in Apolog.* Philosophi officium est rerum omnium rationes inuestigare, vt diuinam ipsam, qua factæ sunt inueniat rationem, inuentam colat, culta fruatur. Ideò Epinomidem Plato prætera inscripsit philosophum. *idem, in Plat. leg. appendic.*

Philosophi munus est inferiorum omnium minutissimè quęrere proprietates, ad cœlúmque mentis acie conscendere. *Ioan. Francisc. Pic. Mirandul. de praenot. lib.5. cap. 6.*

Philosophus est sciendi studiosus. *Seb. Fox. in Plat phæd.* Philosophus verus relicta actione contemplationi sese applicabit. *idem, ibid.* Philosophus non modò veritatis iam cognitæ esse debet explicator, sed eiusdem inuestigator, & diligens obseruator. *Iac. Carpent. in Alcinoi 1. dige st de anal methodi.* Philosophi veri illi sunt qui vitam laudatissimã suos degentes, ac veram philosophiam profitentes. quorum studia eò spectant vt Deo perpetuò obsequantur, dicta eius defixis oculis attendentes. *Aug. Steuc de perenni phil lib* 10. ca. 5.

Philosophus veritatis in primis studiosus atque amantissimus existere debet. *Leo Heb de Am. dial. 3.*

Philosophi proprietas.

Philosophus contemnit corporis voluptates, sed ad animam se conuertit exornandam. *Plato in Phædone.* Philosophi nil aliud studio habent quàm mori desiderium *idem, ibid.* Philosophus non est dilectus Tyranno. *Apule. floridor. libr. 2.* Philosophus temperatus, pecuniarum non amans, nec illiberalis, neque petulans, nec timidus esse debet, & sic non poterit in commercijs difficilis aut iniustus esse. *Plato. de rep. dial.6.* Philosopho necessaria sunt fortitudo, temperantia, & alia bona, quæ recensuimus, quæ autem eum corrumpunt, & abstrahunt, sunt diuitiæ, pulchritudo, robur corporis, cognatio valida in ciuitate. *idem, ibid.*

Philosophus non potest esse populus. *Plato de rep. dial 6.* Philosopho qui reuera circa ea quæ sunt mentem habet, ocium non est vt infra ad hominum negocia respiciat, & pugnando cum ipsis inuidia, & inimicitia se grauet, sed vt ad ordinata quædam, & secundùm eadem semper se habentia respiciens & ea quæ neque iniuriam faciunt, neque patiuntur vicissim, & quæ omnia cum ornatu, & secundùm rationem habent contemplans, hæc imitetur, & quam maximè his se assimilet. *idem, ibid.* Philosophus si quæ è studio philosophiæ, ac è conuersatione viri diuini, & temperatis acquisiuit, si ipsi necessitas ingruat vt ea ad humanos mores transferat, & priuatim, ac publicè constituat, & non solum seipsum formet, num ne bonus opifex futurus est, & temperantiæ, & iustitiæ, & vniuersæ popularis virtutis? *ibid.*

Philosophos indigna res videtur stragula concinnare, obsonium condire, adulatorios sermones confingere, sed non quod alicui vilis videtur. *Plato in Theæteto.* Philosophi recti ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent, & tolerant, & non se illis tradunt nec rei familiaris penuriam ac paupertatem formidãt, vt illi, qui pecuniarum sunt studiosi, nec ignominiam, & contemptum improbitatis timent, vt ambitiosi, sed bonorum cupidi ab illis se abstinent, vt post mortem in deorum genus abeant. *in phædone.* Philosophus animam suam, rationem sequens, & semper versans in eo quod verum est, & diuinum & ab opinione alienum contemplans & ex illo alimentum capiens, ita viuere facit dum in hac vita degit: & postquam hinc discesserit ad cognatum deueniens, ab humanis malis liberam esse. Hac educatione, & harum rerum studio nil verendum esse post mortem timet, ne distrahatur anima sua *ibid.*

Philosophi fortes, & temperantes sunt. *Plato in phædone.* Philosophi mortem meditantur, & mori minimè omnium ipsis horrendum est. *idem, ibid.* Philosophum necesse est vt neq; eos qui vnum, aut etiam multas species esse dicunt omne stabile, & rursus eos qui id quod est vndequaque mouent, admittere non debere, nec audire patet, sed & mobilia & immobilia dicere. *in sophista.* Philosophus propter ratiocinationes eius quod est ideæ adiunctur, propter regionis splendorem non facilè conspicitur: nam animæ vulgi hominum oculi ad diuinum intuentes tolerare id non possunt. *ibid.*

Philosopho nihil negligendum. *Plato in parmenide.* Philosophi sola mens alas acquirit. *in phædro.* Philosophi eas disciplinas semper amant quæ illis indicant illam essentiam quæ semper est, & non sub generatione & corruptione vagatur, & hanc totam, non paruam, non magnam neque præstantiorem, neque ignobiliorem partem vltro dimittunt. *de rep. dial.6.*

Philosophi maximè proprius est perpetuus veritatis ipsius circa res æternas amor, ideò amor rerum temporalium, & mendacium a philosopho maximè alienum esse debet. *Fic. in Platon. de republica. dial.6.* Philosophi professio est non aliter agere quàm loquatur, non aliter loqui quàm sentiat, aliter tamen mente sentire quàm sensu. *idem, epist lib 5.* Philosophi officium est diuina quærere diligentius, vt fruatur, & scrutari naturalia, vt vtatur *ibid. lib 3.*

Philosophi sæpe dum discunt curiosiùs disputare, interim consultare dediscunt. *Ficin. epist lib 5.*

Philosophus tria potissimum vitare debet, venerea, auaritiam, ambitionem *idem, lib.7.*

Philosophi nulli Christianam suscepere religionem præter Platonicos. *lib.11.* Philosophi nec diuites sunt, nec diuites philosophi facile fiunt, nam Mineruæ cum Iunone nullum fuit commercium, nec cum sapientia facile, re-

rum domina fortuna consentit, *ibid.* Philosophorum genus si Platoni credendum est, nobilissimum est, aureum enim est & à Ioue mundi totius opifice perfectum. *ibid. lib. 12.*

Philosophus legitimus dum rerum omnium perscrutatur rationes, frequenter ex communibus naturis quas in singulis deprehendit communes in se concipit notiones per quas ad formulas sibi insitas peruenit & per has tandem attingit ideas per ideas excogitat sapientiam bonitatémque, diuinā, quibus meditationibus rectè vtitur si diuinam sapientiam bonitatémque cùm primùm inuenit summopere veneratur & colit, hinc diuinitate prorsus impletur. & quasi sacerdos, est enim theologus, ad summum dicitur expiatus, mysterialíque, dionysiacóque furore correptus: & solus est ad amatorium furorem propensus cum per sensibilia consueuit intelligibilium reminisci, sapientiámque per hæc & bonitatem diuinam colere. *Fic. in Plato. phædr. cap. 26.*

Philosophari oportet sine dolo, id est non humanæ sapientiæ gratiâ sed diuinæ. *idem, ibid. cap. 25.*

Philosophi mens in ipsa indagatione veritatis seiungitur à corpore, atque ex quadam sui cognatione coniungitur diuinæ menti, ac per insitas sibi ab initio formulas idearum ideas ipsas attingit, ab eisque ipso, contactu lumen excutit: quo mox facta fœcundior concipiat, immo facta validior pariat veritatem, id est per suas conceptiones ideis vndique congruat. *Fic. in Platon. de republica, dial. 6.* Philosophorum præstantium multæ scholæ sub Saturno pastore quasi greges congregatæ sunt, sub Saturno inquam tribus præcipuè modis, sub mente diuina, & angelica primùm, deinde sub anima planetæ primi, eiúsque sphæræ, tertiò sub ipsius planetæ corpore, sed mens ipsa facit, anima conficit, planeta portendit. portendit quando in magnis Saturni coniunctionibus cum Ioue. Saturnus ipse vel in exaltatione sua, vel in domicilio gaudet. tanquam coniunctionis dominus fouetur à Ioue, vtitur & Solis Mercurijque, & Veneris beneficio. Sic Magicam Zoroastras, eiúsque sectatorum peperit, seu portendit potius disciplinam. Trismegisti quoque Theologiã, Orphei mysteria, Arcana Pythagoræ, Socratis sanctimoniam Platonis maiestatem. *Idem, in Plato. de leg. dial. 4.*

Philosophi proprium est nihil credere, quod vel euidentiâ, vel ratione demonstrari non potest. *Ioan. Picus Mirandul. in astrol. lib. 1.*

Philosophus solus ex visibilibus inuisibilia speculatur. *Idem, ibi. lib. 2 cap 4.*

Philosophi nomen à Pythagora originem sumpsit nam prius sapientes dicebantur omnes *Ioan. Fran. Pic. Mir. de stud. diu. & hum. Philos. in proæmio.*

Philosopho indignum est non modò falsa sed etiam fabulosa tractare, sed ea poetis quorum est proprium relinquere. *Seb. Fox. in phædo. Plato.*

Philosophi excellentissimi existimati sunt Ægyptij. Græci verò rudes, quod testatur Porphyrius in libro de electis philosophis. *Iacob. Carp. in Alc. præf.*

Philosophi excellentiam in hoc existimant Platonici, vt primum animum suum, & suorum ciuium componat, quod per philosophiam moralem consequitur, deinde expeditam adeptus tranquillitatem diuinorum operum rationes & causas perscrutetur, in iisque auctorem Deum speculetur, & colat; in qua speculatione sapientia, in cultu religio, in ambobus felicitas consistit. *idem, in Alcinoi cap. 1.*

Philosophi lumine naturæ de libertate voluntatis nostræ non modò non peruerterunt religionis fundamenta, quod nonnulli dictitant. sed ad hæc bene ponenda viam quasi præpararunt. *idem, in Alcinoi parte post. d g. 12.*

Philosophis constat Deum mentem genuisse, quam nunc Dei filium, nunc vocem Dei, nunc verbum, nunc mentem, & sapientiam vocarunt. *Aug. Steuch. de perenni philos. libr. 1. cap. 3.*

Philosophorum tanta cum nostris de vera pietate concordia est. vt nisi sciremus sua sponte naturam offerre verum, vita malum esset. *Aug. Steuch. de perenni philos. lib. 10. cap. 14.*

Philosophis nesciis compellente naturâ veros sensus cum venit vsus, meliorem mentem in suis scriptis suggessisse. *idem, ibid. lib. 6 cap. 13.*

Philosophis propemodum omnes & omnes scriptores aliquid in dogmatis suis, si diu vixissent, postea demutassent. *August. Steuc. de perenni philos. lib. 4 cap 4.*

Philosophi antiqui omnes errauerunt in plurimis rebus. *M. Anto. Natta de pulchro, lib. 5.*

Philosophi ab Ægyptiis desumpsere quæcunque de sacris mysteriis dixere, nam maxima Abrahæ posteritas Ægyptum tenuit. *Idem, de pulchro, lib 6.*

Philosophus quis aptus, & qui eum imitantur.

Philosophiæ studens nonquam iustè exerceri poterit, si non ex natura fuerit memor, docilis, magnificus, gratiosus, veritatis, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ amicus, & cognatus. *Plato de republica, dial. 6.*

Philosophus qui futurus est, ab ipsa natura, sic institutus esse debet, vt primò quidem ad omnia disciplinarum genera facilis & promptus exsistat, deinde vt non iis quæ fluxu versantur, sed illis quæ semper eodem modo constitunt mentem adhibeat, tertio loco vt natura sit verax ab omni mendacio penitus aliena; præterea temperatum hunc nasci oportet, eásque animæ partes, quæ affectibus afferri solent, dominas à natura suscipere animo liberali, iustitiam diligens: ingenij acumine, & memoria indiget. *Alc. cap 1.*

Philosophi ambitiosus & fallax imitator est sophista, ad non ens declinans. *Fic. in Plat. sophistam.*

Philosophico ingenio soli patet boni ipsius & iustitiæ exemplar. ad cuius imaginem, benè, iustè, beatè pingenda est ciuitas. *idem, in Plato. de republica, dial. 6.*

Philosopho conuenit natura ingenio acuta, contemplationi apta, veritatis auiditate fragrans, vnà cum natura graui ad agendum strenua, boni publici prouida, quæ rarò in hominibus concurrunt. *ibid.*

Philosophi duplici de causa vitiosi euadunt, tum quia naturâ corruptâ sunt, tum quod prauam institutionem habuerint. *Seb. Fox. in 6. Plato. de rep.*

Philosophi vt fœlices sunt & vt se habent ad ciuium communem.

Philosophi si non honorantur in ciuitate, magis admirandum esset si honorarentur, qui si inutiles sunt in ciuitate, causam ad non vtentes referre oportet, & non ad eos: non enim consentaneum est gubernatorem rogare nautas, vt ipsi se subiiciant, neque sapientes ad diuitum fores accedere: sed veritas naturâ ita se habet, siue diues, siue pauper sit ægrotans necessarium est ipsos ad medicorum fores, & ipsorum ædes accedere, & quemuis, qui vt regatur opus habet, ad fores eius, qui principatum gerere potest, & non principem rogare subditos, vt seipsi subiiciant cuius reuera aliqua vtilitas fuerit. *Plato de rep. dial. 6.*

Philosophi vita quàm suauis sit, & beata possessio pauci sunt, qui cognoscant. & rursus multorum insaniam satis viderũt, & quòd nemo quicquam sani, vt dici solet, circa rempublicam negotia fecit, neque est auxiliarius cùm quo quis ad iustorum defensionem progressus seruari possit: sed quemadmodum homo in feras bestias illapsus cùm neque vnà cum ipsis iniusta facere velit, neque vnus omnibus bestiis resistere possit, prius quàm vllo modo ciuitati, aut amicis vtilis esse possit, depereens, & sibi ipsi & aliis inutilis fuerit. Hęc verò omnia quisquis ratiocinatione expendit, is quietem agit, & quæ sua sunt facit, & velut in tempestate dum puluis, & turbo à vento fertur, sub murum secedens, & alios iniquitate repleri spectans, bene secum agi putat, si ipse ab iniustitia, & impiis factis purus, & præsentem vitam degat, & discessum ex ipsa cum pulchra spe placidus, & hilaris facit. *Plato de rep dial. 6.*

Philosophos vulgus eius quod est, & veritatis amatores esse non credit. *Plato de rep. dial 6.*

Philosophi corpus solum in ciuitate est, mens autem omnia quæ in ciuitate sunt parua ducens vndique fertur, & vt ait Pindarus & quæ sub terra, & quæ supra illam dimetiens, & per Astronomiam cœlos supergrediens, & omnem naturam perscrutans vniuscuiusque totius eorum quæ existunt, ad nihil eorum quæ prope sunt seipsam dimittens. *in Theæteto.*

Philosophus in communi vita ineptus est, & vt ridet alios, sic etiam ipse irridetur. *ibid.*

Philosophi qui reuera sunt, propter aliorum ignorantiam varij, & omnigeni putantur, & per vrbes diuersantur, inferiorum vitam ex alto intuentes, aliis nullius pretij videntur, aliis verò quauis re digni, & nunc quidem ciuiles apparent, nunc verò sophistæ, quandoque verò quibusdam opinionem exhibent, velut qui penitus insaniant. *Plato in sophista.*

Philosophus longè præstat aliis in cognoscendis voluptatibus experientiâ, sapientiâ, & ratione: & quas ille probat maximè probandæ sunt, quas reiicit reiiciendæ. *de rep. dial. 9.*

Philosophi sola vera est voluptas; nec pura, sed adumbrata est voluptas ambitiosi ac lucri cupidi. *ibid.*

Philosophi incogniti sunt, quia diuinæ veritatis splendore vndique circumfusi vulgarem intuitum animorum prorsus exuperant. *Fic. in Plato sophistam.* Philosophi actiuæ vitæ procellas relinquunt, contemplatiuam amplectuntur, excelsa mente mortalia contemnunt, studiis diuinorum incumbunt. *idem, in Plato. de rep. dial. 6.*

Philoso-

Philosophi calumnias passi sunt quasi mali sint & inutiles reipublicæ: primò quia ad philosophiam accesserunt ineptissimi praui ingenio, & iudicio, & non parua ambitione, & auaritia, & ex eius commarciis opiniones procreant adulterinas, & deridendas & malis moribus facultatem didicerũt philosophicam: deinde si qui ad id studium nati sunt, vel statim consuetudine, ac educatione improba deprauantur, vel non disciplinarum gradibus instruuntur, vel instructi ad rempublicam non admittuntur, vel ipsi instructi publicis se fluctibus immergere nolunt certa timentes pericula, desperantes se posse inter homines passim corruptos sanis consiliis ciuitati prodesse. *Fic. in Plat. de rep. dial. 6.*

Philosophiæ mysteria cum his communia facere non est pium qui ne somniare quidam purificationem animi potuerunt, hoc Lysidis Pythagorei dictum ad Hipparchum. *Fic. in Plato. epist. 2.* Philosophorum plerique non modo non laudarum quotidianam vitam, sed deplorarunt etiam eique mortem facilè prætularunt, & ratione duce aliam vitam expetiuerunt. *Aug. Steuch. de mundi exitio.*

Philosophi, vt ciuitatibus præesse debent.

Philosophi si regnabunt in ciuitatibus, aut reges, qui nunc dicuntur, & potentes legitimè, & instè philosophabuntur, & in idem inciderint, & ciuilis potentia, & philosophia, respublica felix & publicè & priuatim erit; alioqui nulla erit felix. *Plato de republica dialog. 5.* Philosophus regnare debens temperatus esse debet, & nequaquam pecuniarum amans. *Idem, de republica, dial. 6.* Philosopho reipublicæ omnis status, qui nunc est indignus est. *ibid.* Philosophi non nascuntur reges, nec regum filij. *ibid.*

Philosophiæ vera vita contemnit magistratus. *Plato de repub. dial. 7.* Philosophi ut regnent, uel dominantes diuina forte philosophentur, nunquam humanum genus à malis cessaturum esse ait Plato. *Alc. cap. 33.* Philosophus postquam Deum contemplatus fuerit cœlestia gubernantem, tunc solum, & solus poterit terrena diuinitus gubernare. *Ficin. in Platon. de republica, dial. 7.* Philosophi omnes sub Domitiano ex Italia, non modò è Roma eiecti fuerunt. *Ioan. Francis. Picus Mirand. in exam. vanitatis doctr. gent. lib. 3. cap. 4.*

Philosophorum secta.

Philosophorum sectæ aliæ putarunt nihil in rebus esse veri, vt Xeniades Corinthius; alij quodpiam, sed maximè pugnacter; alij vera solum intelligibilia, vt Platonici & Democritij; alij sola sensibilia, vt Epicurei: alij tam hæc quam illa; & alij veritatem inueniri posse aiebant, vt dogmatici; alij non posse, vt qui Carneadem & Clytomachum secuti sunt; alij quærunt non inclinantes in hanc vel in aliam partem, vt Sceptici. *Ioan. Fr. Pic. Mir. in exam. van. doctr. gent. lib. 1. c. 4.*

Philosophorum sectæ nomen sumpserunt vel ab earum inuentoribus, & constitutoribus, vt Pythagorici, Socratici; vel ab auctorum patria, vt Cirenaici & Megarici; vel à loco in quo philosophantur, sic Stoici à porticu Academici à villa in qua degebat Plato; & ab actu, vt Peripatetici ab ambulando; vel ab effectu quodam philosophandi, vt qui dubiam haberent veritatem Ephectici & ambigui & quæsitores, & Sceptici ob considerationem perpetuam, & Pyrrhonij, non quòd Pyrrhon fuit auctor, sed amplificator & declarator; vel à fine, vt à voluptate Epicurei; vel à vitæ specie vel similitudine vt Cynici; vel à rebus circa quas vel solas, vel maximè versarentur eorum studia, sic & physici, & dialectici, & morales. *Ioan. Franc. Picus Mirandul. in exam. van. doctr. gent. lib. 1. cap. 2.*

Philosophi Socratici non Platonici vocati sunt quorũ discipuli sectas instituerunt: nam Aristoteles prius Socratis deinde Platonis auditor peripateticam instituit disciplinam, & viuente Platone aperuit scholam Athenis, subobscurè scripsit, non vt Plato post Platonis obitum, cuius auditorium tenuit Speusippus, vel vt alij volunt Xenocrates, deinde in plures sectas diuisa est academia: Cicero & Seneca in duas diuidũt nouam & veterem, ego ni fallor in nouem diuisam fuisse puto, prima quæ discipulorum Platonis fuit, in qua maximè floruit Xenocrates, secunda quæ media dicta est in qua floruit Archesilaus auditor Polemonis, tertia cui & nouæ cognomen est factum, cuius princeps Carneades & Clytomachus, quarta quæ sub Philone floruit & Charmide; quintæ primordia in Antiochũ referunt; sexta est Ægyptia, cuius institutor fuit Ammonius; septima quæ Romana dicta est siue Itala, Plotini auctoritate suffulta; octaua Lycia quæ Proclo dicitur accepta; nona est quæ à Iamblicho instituta est. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib. 1. cap. 2.*

Philosophi qui Thaletem sequuti sunt Ionij nuncupati sunt, qui Pythagoram Italij & tertia prodiit philosophia, quia Eliatica appellata est ea Zenone & Parmenide Eleate; & horum omnium variæ fuerunt sectæ. *Io. Franc. Pic. Mirand. in exam. van. doctrina gentium, lib. 1. cap. 2.* Philosophi qui primi à Thalete fluxere iudicatorij considerationem in medium tulere, & sensum vt plerisque in rebus fallacem abijcientes rationem veritatis quæ in rebus est iudicem constituerunt. *Idem ibid. lib. 2. cap. 7.* Philosophi sceptici patrias leges suscipiunt, patrijs moribus simpliciter, & nullâ disquisitione acquiescunt; quod & Christiani faciunt tad securius. *Idem, ibid. lib. 2. cap. 14.* Philosophi & Platonici, & Peripatetici, quo vetustiores eo meliores, quo recẽtiores eo deteriores. *Aug. Steuch. de perenni philos. lib. 7. cap. 8.*

Physici finis est quæ sit mundi natura perdiscere, quale animal homo, quam sit prouinciam in mundo sortitus, verum Deus prouideat omnibus, num cæteri huic subiecti ministri, atque etiam quomodo ad Deos sese homines habeant. *Alc. c. 7.*

Physiologia est scientia, vt docet Aristoteles capitulo primo libri primi de cœlo, corporum naturalium, affectionum quę iis per se insunt, & principiorum ex quibus illa constant, *Iacob. Carpent. in Alcinoi prim. dogt. de anal. method.*

Phlegeton igni respondet, ac orienti plagæ terrarum, & vim per calorem puniendi obtinet iræ, cupiditatisque feruorem punit. *Fic. in Plat. phæd.*

Pictor, Pictura.

Pictor est formarum idea. *Plato in Theatet.* Pictor non minus bonus est qui depicto exemplo qualis pulcherrimus homo fuerit, & omnibus in pictura satis expressis, dem onstrare non possit etiam fieri posse vt talis vir extet: sic nos de ciuitate non rectè dicere putes, si non possumus demonstrare fieri posse, vt ciuitas ita habitetur, vt à nobis dictum est. *de rep. dial. 5.* Pictor imitator est eius quod opifex facit. *de rep. dial. 10.* Pictura non respicit ad id quod est, sed ad id quod videtur. *ibid.*

Pictor sutorem, ac cæteros artifices imitatur, etiamsi de sutoria arte nihil intelligat: at iis, qui non intelligunt, sutor esse videtur. *Plato de repub. dial. 10.* Pictura, & in totum imitatoria, cùm procul à veritate abest, ipsius opus amat, & amat, & cum quadam in nobis parte procul à sapientia remota conuersatur, ipsique socia ac amica est, ob nihil sanè aut veri. *idem, ibid.* Pictoram ars in singulis animalibus pingendis nullum alium finem habere videtur quàm vt colores inducat, & deducat, aut quomodocunque id pictores appellent, & nunquam ab exornando cessarit donec nullum aliud incrementum supersit, vt pulchriores & lucidiores pictur æ fiant. *de leg. dial. 6.*

Pictura est Poesis tacens, & Poesis est pictura loquens. *Franc. Patricius de repub. lib. 1. cap. 10.* Picturæ certamen fuit inter Zeuxim & Parrhasium: Zeuxis pictas à se vuas protulit, vt ad eas edendas aues aduolarent; Parrhasius pictum linteum super quod pictum leuissimo penicillo tenuissimum velum duxerat adeò simile vt omnibus verum videretur; tum Zeuxis eũ rogauit, vt remoto velo picturã ostẽderet risit Parrhasius, & Zeuxis errore cognito victoriam illi præbuit dicens, heri aues ego decepi, tu hodie me artificem fefellisti. *idem, de regno, lib. 6 cap. 10.*

Pietas.

Pietas est omnis probitatis origo, omniũmque virtutum princeps. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib 10 cap. 5.*

Pietatis scopum rectissimè attingit qui post honores erga olympios, & ciuitatis præsides deus, parta, & secunda & sinistra diis terrestribus tribuit; post hos autem deos etiam dęmonibus sapiens vir sacra faciet, & post hos heroibus. Hinc sequuntur statuæ patriorum deorum priuatæ, secundùm legem sacræ constitutæ, post hæc parentum honores viuentium velut fas est volentem persoluere prima & maxima, & antiquissima alieni æris debita: putare enim debet omnia, quæ possidet, & habet, esse eorum qui genuerunt, & educarunt, ita vt ipsa omnibus viribus in eorum ministerium exhibeant, initio ab externis bonis facto; deinde corporis bona, tertio animæ mutuò accepta rependat, & curas, & veteras pro se iuuene in afflictionibus toleratos dolores velut mutuo datos senibus iam senectute valde indigentibus exoluat, & per omnem vitam in verbis insigniter beneuolè erga parentes exhibere se conuenit; leuium enim, & volatilium verborum grauissimum est damnum, nam omnium huiuscemodi inspectrix præfecta est, Nemesis pœnæ nuntia: proinde irascentibus, & iram explentibus, siue verbis, siue operibus id faciant concedere oportet, & cognoscere patrem qui iniuria affectum se putat, meritò insigniter filio succensere. Mortuis parentibus sepultura moderatissima pulcherrima est, vt neque consuetam molem excedat, nec ab ea deficiat, quam maiores genitoribus suis statuerunt, annuas vitâ defunctorum curas ornamentum afferentes persoluere debemus, & hoc maximè ipsos honorare, vt perpetuam ipsorum memo-

riam exhibere non omittamus, & sumptum à fortuna datum moderatè in languentes faciamus, quæ si singuli fecerimus, & secundùm hæc semper vixerimus digna præmia à Diis, & his qui nobis præstantiores sunt feremus vitam in bona spe transigentes. *Plato de legibus, dialogo quarto.*

Pius constanter nemo esse potest qui hæc duo non suscipit & quod anima antiquissima est omnium, quæ ortu participat, & immortalis omnibus corporibus dominatur, & quòd mēs eorum quæ sunt in astris est, & disciplinas acceperit; & coniuncta his Musæ studia contemplatus ipsis ad morum, & legum studia concinnè vsus fuerit, & horum quæ habent & non habent rationem reddere poterit; & qui hæc ad publicas virtutes sibi comparare non potest, ferè nunquam præstans totius ciuitatis princeps esse poterit, sed aliorum principum minister. *Plato de legib. dial. 1.*

Pietate maiorem virtutem esse mortalium generi nemo nobis persuadeat. *idem, in leg. appendice.*

Piam rem facere non est negandum, piáque res est mortuos consolari. *in Axiocho.*

Pietatis religiosæ certamē est recognoscere Deum, iniuriam inferre nemini. *Mer. Tris. pimam. cap. 10.*

Pietas præcipuè spectari solet in sacerdote. *Phila de vita Mosis, lib. 3.*

Pietas, & humanitas ad eandem naturam pertinet, & in vno vtrunque spectari solet, sanctitas erga Deum, erga homines iustitia. *idem, de Abra.*

Pietatem Plato in tribus maximè contineri docet, in opinando deos esse, prouidendo rebus omnibus & iustè, & sine vlla mutatione prouidendo. *Bess. Card. in Calumniato. Plato. lib. 2. cap. 8.*

Pietas est summa quædam apud Deum sapiētia. *Fic. epist. lib. 11.*

Pietate religiosa nihil brutius. *idem, epist. lib. 12.*

Pietas sanctitatem excitat, sanctitas pietatem confirmat, & sancit, ac religionem mouet, religio religat sanctitatem. *Fic. in Plat. dialo. de sancto.*

Pietatem præcedere volunt, vt cognoscamus, vel instinctu, vel inspiratione, vel admonitione Deum vnum nostrum esse parentem, ac fide indubia, cogitemus. *ibid.*

Pietas est Dei parentis cognitio. *ibid.*

Pietate duce, veritate comite nil timendum. *Io. Franc. Picus Mirandul. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib. 4. cap. 1.*

Pietas est obseruantia quædam primum erga Deum, deinde erga patriam, & eum qui legitimè imperat, tertiò erga parentes, & maiores omnes. *Franc. Patricius de regno, li. 8. ca. 9.*

Pietas decet in primis regem, quæ, vt Cicero ait, est virtus per quam sanguine coniunctis, patriæque beneuolis officium, & diligentem tribuimus cultum. *idem, ibid.*

Pietate, & religione melius nihil esse omnes consentiunt. *Aug. Steuc. de per. phil. lib. 10. cap. 1.*

Pietas est summa in Deum omnium virtutum, quam qui habet omnes virtutes possidet. *M. Anton. Natta de immortali. anim lib. 1.*

Pietatem & fidem profitentes, mundum sub aliquod temporis initium à Deo ex nihilo asserent procreatum fuisse. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Pignoris exhibitionibus non obedientibus, bis quibus ciuitas simúlque & lex exactionem demandarit pignora vendere liceat, vt nomisma ciuitatis fiat; & si maiori pœna opus est, magistratus in iudicium perducant, donec id quod imperatum est faciant. *Plato de legibus, dial. 12.*

Pigritia est fuga laborem qui in gubernando proueniunt. *Speusip. in Platon. definitionib.*

Pigritia est metus consequentis laboris, cui opponitur industria. *Fran. Pat. de regno, lib. 5. cap. 2.*

Pilinteri sunt ea loci natura cuti cognati, sed duriores, & densiores ob frigoris constrictionem, qua vnusquisque capillus de cute secedens, perfrigeratus, & constrictus obrigescit. *Plato in Timæ.*

Pimander est mens diuinæ potentiæ. *Merc. Trismeg. pimand. c. 1.*

Pimander inscribitur dialogus de potestate, & sapientia Dei, quia Pimandro ex quatuor personis quæ in dialogo disputant primæ partes attribuuntur. *Fic. in arg. Merc. Tris.*

Piscatori, exceptis portubus, & sacris fluuiis, & stagnis, & paludibus, in aliis venari liceat, solùm ne liquorum spissorem conturbatione inducta vtatur. *Plato de leg. dial. 7.* Pisces si claudentur in vase aquę pleno oris angusti, diu viuont; at si claudatur os citò moriuntur: quod indicium est non sufficere aquam ad vitam piscium, sed & aerem requiri. *Iac. Carp. in Alc. dig. 8.*

Pituita.

Pituita acida vocatur, cùm bilis nigra, & acida ob caliditatem salsæ potentiæ admixta est. *Plato in Tim.* Pituitæ recens affatæ serosus humor est sudor, lachryma, & quæcunque alię huiuscemodi de corpore, quod quotidie purgatur, effunduntur. *idem, ibid.* Pituita alba fit ex noua, & tenera carne, cùm aliquid cum aere liquescit, & hoc inflatum est, & ab humiditate comprehenditur, ita et ex hac affectione bullæ consistentur, quæ singulæ ob paruitatem visum effugiunt, & simul omnes molem exhibent visui expositam, & colorem habent ob spumæ exortum aspectu album. *ibid.*

Pituita vt euitetur, exercitatione stomacho fermè vacuo his vtendum, nunquam tamen laboriosâ ne acuti spiritus dissoluantur, excrementa ab omnibus partibus corporis expurganda, sordes à totius corporis cute capitis præcipuè tum lotione, tum frictione penitus abstergendę, vitanda alimenta nimium frigida, & nisi obstiterit atra bilis, etiam humida, & omnino pinguia, virulenta, viscosa, vncta, & glutinosa, vel quæ facilè solent putrescere. *Ficin. de studio sanit. lib. 1. c. 9.*

Pituita ne nimia augeatur, si stomachus, vel naturâ, vel ætate sit frigidus, aut omnino dimittendus, aut minuendus aquæ potus, moderatus cibus sit oportet, sed potio moderatior habitatio in alta à graui & nubilo aere remotissima, tum ignis tum calidi odoris vsu humiditas expellenda, prohibendum frigus à capite, maximè verò ceruice & pedibus, multum enim obest ingenio; prodest moderatus vsus aromatum in frigidioribus epulis, nucis muscatæ præsertim, & cinamomi, croci, & zinziberis conditi mane stomacho vacuo, quod sensibus & memoriæ maximè prodest. *Ficin. de studiosorum sanit. tuend. lib. 1. c. 9.*

Pituita si abundantior est, vtendum est pillulis aurora ex Hierapicra Galeni, vel elephanginis, vel in robustiore natura ex hiera & trochiscis agarici, pari portione compositis cum melle rosaceo liquido & oxymelle, & aqua fœniculi, qui syrupus & ante pillulas, & post, in pituita digerenda optimus est. Si cum pituita cæteri humores turbent, vtimur pillulis ex reubarbaro Mesues, & sine quibus, omnem repentinam deiectionem & purgationem detestantur, nam stomachu debilitat & cor, & spiritus exhaurit. *Ficin. de studiosorum san. tuenda, cap. 13.*

Pituitæ distillationibus coercendis thus mandere prodest, nux muscata, & theriaca ore detēta maiorana, vel eius aqua naribus admota, & post cibum coriandro & pomis cydoneis fumos coercemus. *Fic. de stud. san. tuend. cap. 14.* Pituita dicitur aqua, atra bilis terra. *idem, in Plato Tim. cap. 87.* Pituita subtilis nobis necessaria sub sanguine venis illabitur, ad sanguinem temperandum vel recreandum; eodem confluit rubea bilis, quasi tenuis quidam sanguis, ibidem subsidet quasi fex quædam sanguinis atra bilis. *ibid.* Pituitæ crassioris locus est vteri fundū, croceæ bilis felles, ipse vētriculus atræ bilis sanguini dissonæ lien, & hæc habet suos vsus. *ibid.*

Pituita acida distillationem mouet aduersam stomacho, salso inimicam pectori. *Ficin. in Plato. Tim. cap. 95.* Pituitam generari ex colliquatione carnis teneræ negat Galenus, sed ex cibis frigidioribus ægrè coctis, ex carne verò liquefacta potius bilem crassiorem colore inter albam & flauum medium, quam Plato ex carne vera iam liquefacta contingere putat; pituitam verò non ex firma carne, sed adipe vel re simili liquefacta, idque quandoque; nam pituitam, & cæteros humores communiter ex cruditate, vel combustione in venis fieri non negabit. *idem, de expiratione & respiratione.* Pituita naturâ suâ frigida est & humida, eóque dulcis & saporis expers. *Iac. Carp. in Alcin. cap. 16.*

Placere omnibus in maximis rebus, difficillimum factu omnino est. *Franc. Plat. de regno, lib. 4. cap. 4.*

Plana duo qui connectere vult, indiget vno medio. *Plat. in Tim.* Planorum omnibus problematibus & theorematibus vnum subiici planum existimandum est. *Proclus in Euclidem, lib. 3. comm. 6.* Plana solida præcedunt: planæ verò naturæ duæ quædam origines, rectis angulis figuræ fiunt, Scalenus, & Isosceles. *Alc. cap. 13.*

Planetarum numerus & situs.

Planetæ plani alij sunt laterales, diametralésque nominati, vt Luna ad Venerem; nam vt diameter proportionem cum latere cōsummatā non habet, sed lateris duplicat potestatē, sic Venus partū inchoat, & stimulat, Lucina fert opē, & item Mars ad Mercurium eius opus acuit & accendit. *Fic. in Plat. de rep. dial. 8. c. 14.* Planetæ alij plani, alij solidi dicuntur, qui plenitudinem sui generis habent, atque in hoc ad aliud minimè referuntur, vt Sol, & Iupiter, & Saturnus. nam Sol vitæ summam fertilitatē simpliciter habet. Saturnus eandē tenet, sed in vita quadā incorporea separata diuina, & Iupiter eandē, sed in vita, & actione corporea & humana. *idē, ib.*

Planetarum ordo Platonicus est Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius, Venus, Sol, Luna. *Fic. in Plat de rep. dial 8. cap. 17.*

Plane-

Planetæ superiores per solidos numeros à Platone designantur, quamuis aliqui Pythagoreorum aliter sentiant. *idem, in Platonis Timaeum, cap. 24.*

Planetæ quot sint Phauorinus dubitat, & plures septem esse posse putat, & de loco variæ fuere opiniones. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib. 3 cap. 8.*

Planetæ septem cum septem capitis nostri partibus sensui, & cognitioni deseruientibus nonnullam conuenientiam atque similitudinem retinent. *Leo Heb. de amore, dial. 2.*

Planetarum corpora cùm Deus fecisset, posuit in circumuolutione septem numero, quibus alterius circuitus progrediebatur. Lunam in primum circa terram circulum, Solem in secundum super terram, Luciferum & sacram Mercurij stellam in eos orbes qui velocitate quidem æqualem cursu cum Sole circulum progrediuntur, contrariam autem ipsi vim sortiti sunt: vnde & comprehendunt & comprehenduntur etiam secundùm eadem à seipsis vicissim & Sol, & Mercurius & lucifer. *Plato in Timaeo.*

Planetas aiunt Græci nunquam eadem viâ progredi, sed semper vagari; quod non est verum, eandem enim viam vnaquæque stellarum, & non multas, sed vnam semper in circulum pertransit: videtur autem per multas ferri; quæ verò ex ipsis velocissima est, tardissima non rectè nunc putatur, quæ contra, contra. Hæc si à natura ita se habent, nos autem non hoc modo putamus, si quidem de equis in Olympia currentibus, aut de viris longum cursum peragentibus ita sentiremus, & velocissimum appellaremus tardissimum, & tardissimum velocissimum, & encomijs factis victum caneremus victorem, non recta, nec grata vt arbitror encomia cursoribus qui homines sunt adaptauerimus: at cùm de Dijs peccemus, nonne putamus Dijs ingratum facere si falsam sententiam contra Deos proferamus? *Plato de legibus, dial. 7.*

Planetarum motus & influxus.

Planetis cuncta tribuere, quasi non vnus præsideat princeps à quo dependeat vniuersum, hominis est ignorantis vniuersi naturam. *Plotin. En. 2. lib. 3 cap. 6.*

Planetarum euagatio quæ in latum fit in Zodiaco non æqua est omnium: Solis minor, tota enim euagatio sub vnius æstimationem venit Lunæ & Luciferi iuxta opinionem veterum ad 12. ferè portiones. Mercurij ad octo partes, Pyrois & Phaetontis ad quinque, Saturni ad tres. *Chalc. in Plato. Tim.*

Planetarum cursum in longitudinem Zodiaci absoluunt, Luna diebus 27. & tertia parte diurni & nocturni spatij. Lucifer & Stilbon imparibus gressibus, sed iisdem pene temporibus quibus Sol, modò incitato volatu comprehendentes eum, modò pigro tractu ab illo comprehensi, Pyrois pene biennio, annis duodecim Phaeton, Saturnus triginta annis modico minus. *idem, ibid.*

Planetarum motus inæqualis videtur, non quòd sit, quia cùm in globis suis consistentes ferantur, per Zodiacum ferri languente visus nostri acie putantur *ibid.*

Planetarum influxus in iudicijs, & electionibus obseruandos esse monet Plato. *Ficin. in Plato. de republica, dialogo 8. cap. 14.*

Planetæ omnes motus habent; nam & in suo centro voluuntur versus ortum, ante, retro, sursum deorsum, ad dextram, & sinistram vertuntur, sed procedentes ad ortum, tanquam naturalem ante dicuntur moueri. *Idem, in Plato. Timaeum, cap. 22.*

Planetarum multiplices & oppositi motus ad multiplicia & opposita procreanda, commiscenda, regendáque conducunt. *ibid.*

Planetæ maximè inter se distant: nam Saturnus peragit cursum in triginta annis, Iupiter in 12. Mars in duobus. Sol, Venus, & Mercurius anno vno, & isti inter se sunt vicini, Luna in mense. *Fic. in Plotino En. 2. lib. 1. cap. 7*

Planetarum in materia seminalis vis est in fœtu; vt Sol & Luna in vniuersalem calorem & humorem vitalem agunt, Saturni est materiam seminalem colligere penitus, ac firmare, Iouis deinceps mouere, & intus fouere. Martis actio ad externa mouere, Mercurij munus figurare ad sensum spiritus atque membra, Veneris ministerium ad affectum & propagationem omnia conformare. Hæc ad corpus pertinent: ad animas verò Saturnus contemplationem, cautionem, & conseruationem diligentem auget, Iupiter ciuilem & prudentem gubernationem, Mars magnanimitatem malorum iniuriarúmque expultricem, Mercurius inquisitionem quamlibet, & expressionem. Venus charitatem & humanitatem, Sol honestatis curam, pudorem, & gloriæ studium verioris, Luna rerum vitæ necessariarum curam & prouidentiã præstat diligentem. *Ficin. in Plotinus En. 2. lib. 3. cap. 6.*

Planetæ, quia vnus est in vnaquaque sphæra manifestus, ideò vocantur mundi rectores, ideò animæ planetis attributæ aptiores ad principatum videntur quàm stellis fixis. *Ficin. in Plato. phaedr. cap. 30.*

Planetarum motus duplex, vniuersalis, & proprius: vniuersalis est quo quotidie super terram vergunt: quo magis appropinquant eo validiùs nos afficiunt, quo magis discedunt imbecilliùs: motu proprio nunc ad austrum, nunc ad aquilonem feruntur, & maior efficacia est radijs ad nos inclinantibus, quàm secedentibus versus austrum: præter hos reliqui omnes vani aspectus, & effectus *Io. Pic. Mirandul. in astro. lib. 3. cap. 13.*

Planetæ semper ad beneficentiam agunt, vt calor insitus nobis vegetalis animæ manu rectè operatur ad finem certum pro salute viuentis, ita lumina illa vitalia intimæ mentis suę animi organa non ad perniciem vnquam sed ad commodum corporum operantur. *Ioan. Picus Mirand. in astrol. lib. 3. cap. 21.*

Planetæ an sint boni vel mali non ex ipso planeta est, sed ex domo in qua reperitur, vt astrologi asserunt, nam vt de Ioue dicam, si in oriente est differt à seipso in duodecima, nã in oriente semper bona, in duodecima attigua orienti magna sæpe mala decernit; Iupiter opes largitur, tamen tertio & octauo locatus frequenter patrimonium dissipat, sua natura nobiles & sapientes facit, octauum locum si tenuerit facit ignobiles, & quorum furor, vt Maternus ait, ad insaniam euadat: postremo nil Ioue felicius, tamen tertio loco constitutus nec bonus nec malus, & sexto maxima mala decernit. *Io. Fr. Picus Mirand. in Astrologiam, lib. 6. cap. 3.*

Planetarum vires variari ea diuersitate aspectuum sola, nulla ratione defendi potest, cùm absurdum sit ex sola distantiæ & interualli diuersitate duarum ad idem conspirãtium causarum naturam & proprietatem commutari. *Ioan. Pic. Mirandul. in astrologiam lib. 6. cap. 5.* Planetam obsessum aiunt astrologi cùm vtrinque radij malorum eum circumpetunt, quod vanum est, cùm planetæ vno signo distantes per ipsos astrologos se non aspiciant. *idem, ibid. cap. 8.*

Planetæ etsi inæqualiter moueri dicantur, nihil tamen in cœlestibus est inæquale, nihil inordinatum, sed retrogradus fit cùm vicinior est terræ, ergo validior & potentior. *Ioan. Picus Mirandul. in astrologiam, lib. 6. cap. 10.*

Planetæ maiora dant quàm stellæ fixæ, quia vni planetæ multæ sphæræ, stellis fixis omnibus vna tantum sphæra deseruit, & Sol omnibus maior stellis. *Idem in astrol. lib. 7. cap. 9.*

Planetarum status & retrogradatio.

Planetæ, excepto Sole & Luna, stant, aut retrogradantur; statio est in eodem loco stellæ mansio; & retrogradatio ad contrarium prioris itineris prouocatio, quæ nobis ita fieri videntur etsi non fiunt. *Chalc. in Platonis Timaeum.*

Planetæ appellantur retrogradi, quando inferiori sui epicycli parte ad occidentem vergunt: directi eum ad orientem in superiori epicycli parte; ex qua similitudine somniat Astrologi retardari negotia hominum & rursus accelerari, quasi vtrque non sit motus naturalis ipsis planetis. *Fic. in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 3.*

Planetarum fortitudines & vires.

Planetam aliud in angulo aliud in cadente, aliud in alijs locis præbere absurdum est: nam qui vno est angularis, alio erit cadens, eodem tempore & gaudebit & mœret, irascitur & mitigatur. *Fic. in Plot. En. 2 lib. 3. cap 3.*

Planetam huius aspectu congratulari, illum conspectu illius offendi, absurdum est. *idem, ibid. cap. 4.*

Planetæ omnes volunt plerique esse fortes, cùm in vnitate Solis sunt; id est minutis 16 citra, & minutis 16. vltra Solem. *Idem, de vita cœlitus comparanda, lib. 3 cap 6.*

Planetæ superiores ad solem accedentes ascendunt, decedentes descendunt: Venus, & Mercurius, si progredientes coniunguntur Soli excelsi sunt, si regredientes infimi, nec fas est Planetis epicycli sui prius explere circuitum quàm Solem, quasi dominum coniunctione reuiserint: Luna vtrobique in perfectione sublimis est, in quadratura descendit. *Fic. de sole, cap. 4.*

Planetæ Solis cor tangentes, interim cæteris dominantur, aliter propinquantes Soli solito officio vacant. *Idem ibidem.*

Planetæ quando Solis & Lunæ faciem quasi quadam salutatione reuisunt, vim subitò nouam adipiscuntur, quam Arabes Almugeam nominauere; quando vel sequentes Solem ab ipso tanto spacio distant, quanto sua domus à domo Solis remota est, vel præcedentes Lunam eodem interuallo Lunæ propinquant, quo domicilium suum est Lunæ propinquum. *ibid. cap 8.*

Planetæ significatores dicuntur, quia planetæ & cœlestia omnia significant vtcunque possunt, & indicant, quæ vel superi

iam iem facturi sunt, vel nos interdum facturi, sæpe verò passuri. *Fic. in Plato. de legibus, dial. 12.* Planetam ideò dicimus aspicere planetam, quia radios iacit in illud, ideò in quocunque gradu iaciat aspicit. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 4.*

Planetarum domos, altitudines, fines, triangularitates, monomirias, decanos, hydroposopias, & reliqua huiusmodi, si res sunt imaginariæ, & non naturales, non efficacius quoque eruut. *Ioan. Picus Mirand. in Astrolog. lib. 6. cap. 4.* Planetarũ exaltatio orta est, quia tunc planetę a suo centro absidas altissimas habent, vt Saturnus Libræ parte vigesima, Iupiter Cancri decimaquinta, Mars Capricorni vigesimaoctaua, Sol Arietis decimanona, Venus Piscium vigesimasexta, Mercurius Virginis decimaquinta, Luna Tauri quarta, vt ait Plinius secundo naturalis historiæ. *idem, ibid. cap. 14.*

Planetarum faciei nullæ sunt vitam apud Ptolemæum, quas aspernatur, indignas ratus vt de iis mentio fiat. *Ioan. Picus Mir. de Astr. lib. 6. cap. 16.* Planetarum decanos excogitauerunt Ægyptij signa in tres partes diuidentur, & Babylonij dodecathemoria in partes duodecim signa diuidentes; & Ægyptij rursus in singulas partes singula numerauerunt, quas vocauerunt monomirias, & illas planetis assignauerũt per ordinem trigonorum, ita vt cuiuslibet signi pars prima esset monomiria planetæ qui dominus est trigoni, nocturnus si in nocturna natiuitate, diurnus si in diurna, secunda domini secũdi eiusdem trigoni, tertia domini signi sequentis; & sic deinceps; ita vt idẽ planete vno decursu bis monomiriam non sortiatur. *idem, ibid.*

Planetarum gradus fœminei, lucidi, tenebrosi, & alij huiuscemodi ridentur à Ptolemæo, & à posterioribus; de quibus tanta est controuersia inter ipsos vt nihil magis dici possit. *Io. Pic. Mirand. in Astrologiam, lib. 6 cap. 17.* Planetam gaudere volunt Astrologi eo loco, cuius proprietati planetę proprietas similis est; vt Venus quinto loco, quia gaudia, filios, voluptates vt & Venus significat: at cùm apud Astrologos variæ sint opiniones, quæ partes calidæ, quæ frigidæ signorum, incertum est cui planetæ dabentur. *idem, in Astrolog. lib. 10. cap. 8.* Planetarum vires ita tractauit Ptolemæus, quasi ex elementis constent, & ex passionibus elementorũ, non solùm se inuicem calore & frigore permutantes, sed è vaporibus terræ permutentur. *ibid. cap. 13.*

Planetæ singuli proprias domos adamare, aliunde autem odisse videntur. *Leo Heb. de amo. dial. 2.* Planetarum amicitia ex trino atque sextili, eorundem verò inimicitia ex opposito & quadrato ipsorum aspectu ab astrologis potissimùm iudicatur. *idem, ibidem.* Planetarum benefici, & item malefici aspectus ex ipsorum sese intuentium natura differentibus incrementum & decrementum accipere solent. *ibid.* Planetarum, sole tantummodo Lunáque exceptis, in suos terminos studium atque beneuolentiam habent, nec non in suas triplicitates, & facies. *ibid.*

Planetarum qualitates.

Planetarum calor sic se habet, in Saturno calorem valde superat humor, in Marte calor humorem, Iupiter horum medior calorum & humorem contemperat, Mercurius refert Saturni naturam, Venus Iouis mixtionẽ repræsentat. Sol vt Mars calore vincit humorem, Luna plus humoris quàm caloris, Saturni humor semper recurrit ad centrum Mercurij mediocriter, & ad centrum & ad circunferentiam, Luna ad circunferentiam. *Fic. in Plotin. Enn. 3. lib. 3. cap. 6.* Planetæ plani quatuor sunt, vt referuntur ad solidos, Mars, Luna, Mercurius, & Venus: Mars, & Luna Solis soliditati ministrant, Lunę lumini, Mars calori, Mercurius ingeniosum Saturni manus mouet, vel sequitur, vel exequitur, Venus cum Ioue in officio conuenit. *Fic. in Plato. de republ. dial. 8. c. 14.*

Planetarum latitudinem qui non obseruat, maximè errat. *Io. Pic. Miran. in Astro. lib. 2. cap. 8.* Planeta qui per se calet, per accidens humefacit, non exsiccat. *Idem, ibid. lib. 3. cap. 7.* Planeta non comburitur à Sole, nam si hoc accideret, magis succederet quãdo est in eodem minuto cum Sole, quod tamen nec astrologi concedunt: cum tunc efficacissimum esse volunt. *ibidem. lib. 6. cap. 9.* Planetæ etsi concedemus, quod faciant primas qualitates, non plus efficient quàm in permutando aere, nec noxiæ erunt stellæ aliæ, aliæ salutares, nam si terrę naturam Saturnus repręsentat, Mars ignẽ, cur hic, vel ille malus, si nec terra, nec ignis mali sunt. *ibid. lib. 10. cap. 14.*

Planetæ sydera nonnulla amare, aliáque odisse videntur. *Leo Heb. de am. dial. 2.* Planetarum coniunctiones pro ipsorum variis diuersisque naturis iucundæ, aut odiosæ ab astrologis esse dicuntur. *idem, dial. 1.* Planetarum amor & amicitia cum signorum suorum ordine atque collocatione mirificè consentire videtur. *dial. 2.* Planetarum amor est in signa eorum vim atque virtutem excellentia. *ibid.*

Planeta vt Orientalis, & Occidentalis.

Planetæ omnes orientales facti vel occidentales conditionem vtrobique mutant, atque cognomen: omnes verentur Solis viam quam eclipticam nominant; inferioresq; magis, fœminæ maximè, id est Venus & Luna. *Fic. de sole, cap. 4.* Planeta matutinus, qui exoritur ante Solem, & sibi vendicat aerem priusquàm à Sole totus occupetur, habet aliquam prærogatiuam, licet non magni momenti. *Ioan. Pic. Mir. in Astr. lib. 3. cap. 12.*

Plantatio, planta.

Plantatio omnis facilis est, sed postquam id quod plantatum est viuit, eius cultura difficilis est. *Plato in Theage.* Planta omnis terrestris, semen, animal cùm non potiuntur alimento eo, quod vnicuique conuenit neque tempore, nec loco, quantò robustiores fuerit, tantò pluribus conuenientibus indiget. *de rep. dial. 6.* Plantuos si quis mensuram locorum vicini non reliquerit, puniatur prout legislatores alij sanciũt, nam de paruis ad hos referendum est. *de leg. dial. 8.*

Plantæ omnes vitam nutritiuam, & motricem ab ipso bono sortitæ sunt. *Dion. Areopag. de diu. nom.* Plantarum & saxorum augmentum est ab anima terræ, ideò solùm quandiu hærent terræ, crescunt. *Fici. Platonica Theologia lib. 4. cap. 1.*

Plãtæ habent sensus discretionum & prope sitæ coniuges plãtæ fœcundius pullulant, & nescio quo sensu humorem versus vergunt, & calorem, & violentius amputatæ, vel tractatæ siccantur. *Fic. in Plotin. En. 3. lib. 4 cap. 2.*

Planta animal quoddam inuersum repræsentat. *Leo Hebræus de Amor. dialogo secundo.* Plantæ duas tantummodò positionis differentias obtinuisse videntur, superiorem, atque inferiorem, radicem videlicet, ac frondes. *idem, ibid.*

Planum non addendum profundo, magicum dictum à Zoroastre, id est animu quę vt planum est non est aggrauanda applicatione materialium, & corporum. *Fic. in Plat. phædr. cap. 8.* Plana resoluuntur in triangulos. *Idem, in Plato. Timæum, cap. 39.*

Plato.

Plato non interfuit morti Socratis, qua ægrotabat. *Plato in phædone.* Plato militaribus hominibus non est reprobandus, sed colendus, velut qui hominum generi semper optimus sit, corporis enim & animæ coniunctio, nulla re potior est dissolutione, velut ego seria dicens affirmari ausim. *de leg. dial. 8.* Plato in Sicilia fuit, *ad Dion. ep. 2.*

Plato serò natus est in patria, & offendit populum seniorem, & è prioribus assuefactum, vt multa, & illius consilio dissimilia faceret, nam iucundissimo omnium vult patri consuluisset ipse, si non frustra periculo se expositurum esse putaret, & nihil amplius esse effecturum. *Plato. ep. 5.* Plato quadraginta ferè annos natus Syracusas iuit. *epist. 7.*

Platoni habitudo corporis cognomentum dedit, namque Aristocles prius nominabatur. *Apul. de dogmate Plato. lib. 1.*

Plato ad Pythagoræ disciplinam se contulit mortuo Socrate, deinde ad Theodorum Geometram. *Idem, ibidem.*

Plato & Pythagoras prius didicerunt philosophiam ex columnis Mercurij in Ægypto. *Iambl. de myst.* Platonis Timæus solùm ab iis elaborandus est qui in omnibus scientijs vsu & exercitatione versati sunt. *Chalcidius in Platon. Timæum.*

Platonem veteres Romani, & Græci Aristotele meliorè præstantiorum fecerunt, contra recentiores, maximè qui ad occidentem habitant Aristotelem magis quàm Platonem admirantur persuasi ab Auerroe quodam Arabe. *Georgius Gemistus de Plato. & Aristo philoso. differentia cap. 1.*

Platonis reprehensio fidei nostræ magnum affert detrimentum. *Bessarion Cardinalis in Calumniatorem Plato. lib. 1. cap. 1.*

Platoni qui detrahunt, infidelium impietatem adiuuant. *idem, ibidem.*

Platonis pauca opera latina nostrâ ætate extant & rarò leguntur. *ibid.*

Platonem maiores tum exteri tum Ecclesiæ Doctores cæteris omnibus in quouis doctrinæ genere prætulerunt. *ibid.*

Platoni in diuinis, mathematicis, oratoria & moralibus disciplinis omnes absque controuersia palmam tribuunt, cum Platonem diuinum, Aristotelem dæmonium tam peripatetici, quàm platonici vocant. *Bess. Card. in Calum. Plat. lib. 1. cap. 3.*

Platonem deum appellauit Cicero, & si Iupiter lingua humana loqui voluisset, non aliter quàm Plato loqueretur: & Aristotelem laudans, & cunctos superasset ingenio, addidit Platonem excipio. Idem ferè D. August. Quintilianus Plinius, & alij. *Idem, ibid.*

Platonem summum Grammaticum fuisse satis in Cratylo ostendit. Orator eximius fuit, cùm fuerit præceptor, Eschinis, Demosthenis, Lycurgi, & Hyperidis, excellentissimorum oratorum, & in nouissima Phædri parte, quæ præcipua

pua sunt explicat. *Bess. Card. in Calum. Plato. lib. 1. cap. 4.* Platone nemo præstantior in persuadendo. *Idem, ibid.* Plato postquam grammaticæ, poeticæ, & carmini dithyrambico, lyrico, & tragico operam dedit, viginti annos Socratem audiuit; quo mortuo contulit se ad Cratilum disciplinæ Heracliti professorem, & Hermogenem philosophiæ Parmenidis studiosum, tum Megara ad Euclidem accessit: post hæc Cyrenem ad Theodorum mathematicum, inde Italiam petijt vt Philolaum & Eurytum Pythagoricos videret; inde peragrauit Ægyptum, & sacerdotes, & prophetas illius prouinciæ adijt, & Persarum magos quæsiturus fuisset, nisi Asiæ bella eum impediuissent. *ibid.*

Plato assecutus est perfectissimè omnium optimarum artium & disciplinarum rationem. *Bess. Card. in Calumniat. Plato. lib. 1. cap. 5.* Plato in operibus suis omnis syllogismis, & demonstratione probat, & in Euthydemo captiosis vsus est. *idem, ibid.* Platonis supposita tanquam oracula delphica accepta sunt. *ibid.* Plato in disserendi ratione facilè princeps ab omnibus haberi debet, & quasi fons à quo artificium disserendi omne defluxerit. *ibid.*

Plato naturalium rerum scientiam docuit, & ab Aristotele nihil melius reperies quam quod à Platone dictum. *Bess. Card. in Cal. Plato. lib. 1. cap. 6.* Platonis testimonio vsi sunt doctores Ecclesiæ frequenter, Aristotelis vix vnquam fecere mentionem. *idem, lib. 2. cap. 1.* Platonis interpretatio non est perbellè explicata in lingua romana, & omnes non sunt conuersi. *eod. lib. 2. cap. 2.* Plato ob id maximè laudatur quòd proximè ad Christianam religionem accedat. *ibid. cap. 4.*

Platonis verba quædam Aristoteles vir doctus reprehendit, quorum profundiorem sententiam reprobat. *Bess. Card. in Cal. Plato. lib. 2. cap. 7.* Plato & Pythagoras è libris Moysis totam Theologiam sumpserunt; & si nominibus deorum vsi sunt antiquorum, id fecerunt quia aliter absq; periculo facere non poterant. *idem, lib. 3. cap. 8.* Platonis vita continentissima fuit. Multi de virtute scripsere, sed nemo genus humanum tanta beneuolentia & caritate iuuat vt Plato, cùm poetas ex vrbe pellendos putet, ne pueri legant quæ inhonestè scripserint. *lib. 4. cap. 1.*

Plato ab ipsis incunabulis vsque adeo grauis fuit, vt rarò subridere, ridere numquam visus sit; mercedem à nemine vnquã ex his quos docebat exegit, vltro oblatam respuens; iræ tantum continens vt nec in seruos, quod inauditum est, vel fecerit quicquam vel dixerit iratus, virgis inquit te cæderem nisi iratus essem; & in seruum, qui grauiter errauit, conuersus ad Xenocratem ait verberato tu, ne ego per iram concitatus id agam. *Bess. Car. in Calumniato Plato. lib. 4. cap. 1.*

Plato ita continens cibi fuit, vt bis tantùm in die sumens contentus fuerit oliuis academicis, vili pane, & aqua, & tantum somni capiebat quantum sufficeret ad valetudinem. *ibid.*

Plato adeò continens fuit, vt ne legitimis quidem nuptijs se miscere voluerit, sed integerrimè, & castissimè vixerit. *ibid. cap. 2.*

Plato quod in Parmenide ait vnum & multa, & in Timæo partibile impartibile, sic intelligendum est, vt vnum & impartibile sit secundùm Dei terminum, multa & partibile secundùm Dei terminem, multa & partibile secundùm Dei infinitatem. *Fic. Plato. Theo. lib. 17. cap. 2.*

Plato quædam de anima affirmauit, sed multa quæ de circuitu eius ab ipso tractantur tanquam poetica aliter intelligi debent quàm verba sonant, præsertim cùm circuitus istos ipse non inuenerit, sed narrauerit alienos, primum ab Ægyptijs sacerdotibus sub purgandarum animarum figura confictos, deinde ab Orpheo, Empedocle, Heraclito poeticis duntaxat carminibus confictos. *idem, ibid. cap. 4.*

Plato cùm omnes philosophorum opiniones examinasset, Pythagoricam sectam tanquam verisimiliorem præ cæteris elegit. *Ficin. Platon. Theologia lib. 17. cap. 4.* Plato de rebus diuinis ea solùm affirmauit quæ in epistolis, & legibus comprobauit, cætera verò vt à priscis tradita potius probabilis habet quam certa: & si ea affirmauit, longè aliter intelligẽda sunt quàm verba designent. *idem, ibid.*

Plato non prohibet fidem adhiberi Theologiæ Hebræorum, Christianorum, & Arabum cõmuni, id est mundum cœpisse quãdoque, angelos ab initio creatos, animas hominum creari quotidie. *ibid. lib. 18. cap. 1.*

Platonem sequi tantò præstantius est, quantò præstat vigilantibus quàm dormientibus gubernatoribus te committere. *Fic. epist. lib. 1.* Plato cùm cunis esset, apes in labijs eius mel fuderunt, eloquentiæ futuræ præsagium. *idem, epist. lib. 4.*

Plato vetat iuuenes in tenera ætate constitutos suam aliqua in re sententiã afferre, ac quod in tenera ætate probauerunt in producta tandem reuocare suadet. *idem, in pro. in lib. de voluptate.* Plato & Pythagorici idearum semper amici fuerunt. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap.* Platonis fratres ex patre, & matre fuere Adimantus, & Glauco, & Antiphon non ex patre, sed ex matre germanus. *idem, ibid.* Plato per duas vias ad summum ascendit, per comparationem in Republica, per negationẽ in Parmenide. *ibid.* Plato tres habuit magistros, Socratem à quo moralia didicit, Cratilum à quo physica, & Hermogenem à quo metaphysica. *in Plat. Cratylum.*

Plato philosophorum pater annos vnum & octoginta ætatis natus, septimo Nouembris die quo ortus fuerat discumbẽs in conuiuio remotis dapibus expirauit. Hoc conuiuium, quo & natalitia; & anniuersaria Platonis pariter continentur, prisci omnes Platonici vsque ad Plotini, & Porphyrij tempora quotannis instaurabant: post verò Porphyrium mille ac ducentos annos hæ dapes solemnes prætermissę sunt. *Fic. in Plato. conuiu. orat. 1. cap. 1.* Plato componit integram Reipublicæ formam denario numerorum omnium integerrimo, numeros tum intra se numeratos continente, tum ex se innumeros replicante. *Idem, in Plato. dialog. de republica primum.*

Plato in Symposio de amore præcipuè tractat, consequenter de pulchritudine, in Phædro gratiã pulchritudinis disputat de amore. *Ficin. in Plato. phædr. cap. 1.* Plato eo saltem cæteris ciuitatum legùmque conditoribus est excellentior, quo cæteri quidem velut humani ad actionem magis ciuitatem instituerunt; ipse verò quasi diuinus actionem ciuitatis omnem tam publicam, quàm priuatam potissimum perducit ad contemplationem, ciuitatémque constituit sui ipsius antequam orbis dominam, neque tam multis timendam, quam cunctis gentibus venerandum, cœlestem quasi Hierusalem pro viribus in terris expressam, in qua sublatis propriæ possessionis gratiã contentionibus communia sint pro ipso iure naturæ omnibus omnia, communis sit copia, firma concordia, cunctorum vna voluntas, ideóque ad contemplandum semper expetita tranquillitas. *Ficin. in Plato. dialo. de republica. 1.*

Plato in dialogis singula sub quadam allegoria disponit. Cephalus senex id est caput, præbet disputationi caput. Polemarchus id est princeps id est primus, moderatè pugnam aggreditur. Thrasymachus id est pugnator ferox, agit asperius. Socrates id est seruator potens, vbique ab errore omnes & iniustitia seruat. *Ficin. in Plat. de republic. dial. 1.* Plato non temerè ponit multa ad poetas & sacerdotes pertinentia; ostendit enim in his sæpe à poetis, sæpius à malis sacerdotibus peccandi licentiam prouenire. *idem, in Plato. de rep. dial. 2.*

Plato in republica non in formandis legibus, sed in formandis magistratibus, cum ipsi sint leges viuæ, laborat. *Fic. in Plat. de repub. dial. 6.* Plato in mundo inuisibili cogitat imaginem Dei patris primam, verúmque filium: ideò dixit filios boni, vt super visibilem imaginariúmque filium possis inuisibilem & archetypum contemplari. *idem, ibidem.*

Plato ter profectus est Syracusas, semel superioris Dionysij tempore, quadraginta annos natus, bis iuniore Dionysio tyrannidem occupante. *Ficin in Plato. epist. 7.* Plato in Timæo Timæum Locrum Pythagoricum qui librum de vniuersali anima composuit sequitur, ita tamen vt bis non eloquentiam suã adiungat, sed mysteria. *Idem, in Plat. Timæum, cap. 1.* Plato solus, vel certè maximè omnium, à diuina prouidentia rerum causas assignauit, vt ait Theophrastus *ibid. cap. 15.* Plato quid sibi velit in figura animæ per ampliores numeros explicata, nõdum satis videtur à Platonicis explicatum. *Ficin. in Pla. Timæum. cap. 35.* Plato in suis dialogis frequenter est poeta. *idem, ibid. cap. 77.* Platonem apertioribus verbis auditoribus suis tradidisse de mixtis imperfectis, perfectius, de liquoribus, & lapidibus, & metallis putamus. *ibid. cap. 4.*

Platonis doctrina speculatiua, & moralis vbiq; ita diuinum cum humano contemperat, vt & communi hominum consuetudini facilè possit accommodari, & simul homines ad diuina & æterna conuertere, vt doctrina contemplatiua Pythagoræ, & moralis Socratis à communi hominum consuetudine remotior videatur. *Ficin. in Plato. de legib. dial. 1.*

Plato sub nomine Atheniensis hospitis est introductus in dialogis de legibus. *Fic. in Plat. de legib. dial. 1.* Plato mirifica in genus humanum charitate nihil in disputationibus suis intentatum reliquit quod ad humanam salutem quauis ratione conducere videtur. *idem, ibid. dial. 2.* Plato accuratius diuersatur in educandis pueris, & adolescentibus, quia decet medicum animarum statim natos componere, vt quasi vnà cum firma sanitate geniti videantur, vel saltem ætate adolescente sanitas animi vnà coalescat. *ibid. dial. 3.*

Plato nil in Sicilia curauit, nisi vt salua Dionysij prosperitate violenta tyrannis in moderatum regnum conuerteretur.

Ficin in Plat. de legib. dial 4. Platonis scripta quæ in adolescentia & quæ in vltimo composuit senio, poesim redolent; & ob id ait in epistolis mentem suam à nullo, vel à quampaucissimis, & via tandem, & quadam vaticinij sagacitate posse comprehendi *idem, in Plat. de leg. dial. 7.* Plato existimauit verissimam pietatem præcipuè in votius Dei cultu sitam esse. *ibid.* Plato neminem vita priuat, nisi quē insanabilem cognoscit. *ibid. dial 9.*

Plato noster quemadmodum & philosophorum omnium sapientissimus, & oratorum eloquentissimus ita iurisconsultorum omnium prudentissimus, ne in contractibus cogeretur, vt solent cæteri, vastum legum interpretationumque, & id frustra, opus conficere, meritò antequam descenderet ad contractus, forensiáque commercia, studuit discipulos, legibus, iudicijs, religione, ciues bonos efficere, sperans iustos homines, vel absque legibus sponte fidem, & veritatem in omni commercio præstituros. *Fic. in Plat. dial 11.* Platonis thesaurum in Epinomide latere nemo Platonicorum ambigit, sed in lucem penitus eapromere multis opus est machinis. *idem, in Plat. leg. append.*

Platonem scito continuè in diuinorum inuestigatione versari consueuisse, & qui Platonem primò audiebant diuina contemplantem, solitos sub nimio diuinorum splendore pronius caligare, diúque vexari, donec videlicet mentem denique tum ab affectibus sensuum tum à phantasiæ imaginibus segregarent, quo facto diuina quadam sorte, id est luce veritatem non prius inuentam reperiebant. *Fic in Plat. epist. 2.* Platonis dialogi omnes vel in purgando solùm consistunt, vel in conuertendo, vel in vtroque *idem, ibid.*

Plato vbi ponit patrem, filium subintelligit, & potest per ducem spiritum sanctum intelligere, per mentem filium: nec si quis vnam tertiam ponat essentiam, Platonicis quidē multis aduersari videbitur, Platoni tamen manifestè non repugnabit. *Fic in pist 6. Plat.* Platoni quæ inscribitur quinta epistola, potius est Dionis Platonem in seipso totum pro viribos effingentis. *idem, in epist. 5 Plat.* Plato magno & constanti animo erga amicos fuit, & quàm magna pericula pro amici salute subierit, & quàm liberè & benignè tyrannis animum sæpius corripuit, in his epistolis animaduertendum est, ab alienatione maximè alienus, charitate & officio nomini cedens, vt non minus vitâ & moribus quàm disputationibus conducere nobis possit ad bene, beatéque viuendum *in Plat. epist. 12.*

Platonis Parmenides non est dogmaticos, sed solùm exercitatio dialectica *Io. Pic. Mir. de ente & vno, cap 2.* Plato nunquam affirmauit vnum esse prius ente *idem, ibid. cap 2.* Platoni qui se dedunt, cauendum est ne superstitiosi fiant, vt qui Aristoteli, ne impietatem exhauriant. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænot lib. 7. cap 4.* Plato in Timæo partitus est res in intellectilia & sensilia: intellectiliū intellectum compotem statuit, sensibilium opinionem: ideò plerique iudicatoriam rationem instituisse opinati sunt, quæ adsciscerет sibi eam claritatem quæ per sensus habetur: & alij aliter dixerunt. *idem, in exam van. doct gent. lib. 2 cap. 12.*

Platonem & Aristotelem re conuenire, voce autem & ratione docendi differre aiunt Ammonius, Io. Grammaticus, Simplicius, & Eustratius; Alexander verò Aphrodiseus in nullo conuenire asserit. *Gabriel Buratel. de idem, lib. 1.* Plato non audiuit Hieremiam, sed libros Moysis vidit, quos in Punicam linguam vertendo curauit Ptolomæus Ægypti rex. *idem, ibid.* Plato multa è sacris biblijs assumpsit, non quòd ea legerit, sed ab Ægyptiis edoctus, quibus erant nota. *Sebast. Foxius in Plat. Phædonem.*

Plato suauius ad legendum, quàm potentius ad persuadendum scribit, Aristoteles contra in differendo plus virium quàm suauitatis habet, nec in philosophando quicquam recepit quod non sit probatum. *Iac. Carpen. in Alcinoi præfatione.*

Plato ab Hebræis veram Dei doctrinam magna ex parte percepit. *ibid.*

Platonis & Aristotelis comparationem tractatam fuisse à Georgio Trapezontio, & Bessarione Cardinale, Proclus colligit, in quibus contradicit Aristoteles Platoni in Timæo. Ioan. Picus Mirandula in conclusionibus ait Aristotelem & Platonem verbis tantùm dissentire, non re aut sententia. Franciscus Cathaneus auditor Marsilij conatus fuit eos cōcordare. Symphorianus Campeius medicus Symphoniam Platonis cum Aristotele, & Galeni cum Hippocrate scripsit Idem scripsit Paulus Scalichius, & Sebastianus Foxius & Georgius Acanthius tres edidit libros de Platonis doctrina, & Bernardinus Donatus de differentia philosophiæ Platonicæ & Aristotelicæ libellum scripsit. *ibid.*

Platonis ad secreta mysteria contemplanda nemo admissus est, nisi prius Peripateticis disciplinis fuerit imbutus. *Iacob. Carpent in Alcinoi præfatione.*

Plato philosophus fuit optimus longè post homines natos, nec in vniuersa philosophia scriptis Platonis & Aristotelis vlla ætas quicquam vidit perfectius. *idem, ibid.*

Plato Aristotele diuinior est in philosophiæ quæ ad mores pertinet parte. *idem, in Alcin. per. post. cap. 20.*

Plato multa quæ de Deo scripsit à Mercurio Trismegisto hausit, cùm in ipso multa de verbo extent testimonia. *idem, in Alcin. digr. 3.*

Platonis philosophia non à Mose, sed à Mercurio profecta est. *August. Steuch. de peren phi. lib. 5. cap. 25.*

Plato patrem & filium commemorat, & ait esse principem omnium rerum præsentium & futurarum, quæ nihil aliud sunt quàm futurum speculum. *idem, ibid. c. 27.*

Platoni idem est, circa omnium regem sunt omnia ac Paulo, in quo omnia: apud vtrumque significatur imperium & substentatio rerum à Deo. & ipsius omnia sunt, ait Plato, Paulus per quem omnia. *idem, lib. 2. cap. 4.*

Platonis locus in epistola ad Dionysium vbi ait, circa omniū regem omnia sunt, secundum circa secunda, & tertium circa tertia, intelligendus est sic: vt circa omnium regem omnia, sic circa secundum secunda, & circa tertium tertia, innuens quoddam distinctum munus. *August. Steuch. de per. phil. lib 2. cap 4.*

Platoni idem est Deus, Iupiter, mens, auctor, mundanus opifex, vnde quicquid de Ioue loquitur de summo Deo sit dictum, licet indigna multa, vt poetarum fuit error ad suum arbitrium de diuinitate fingentium à Platone repudiata, ab alijs allegoricè interpretata, quibus nisi allegoria subsit, impijssimum omnium confiteri hominum necesse est. sed apud omnes fabulosa mixta veris sunt, & Trismegistum, & Sibyllas, & Orpheum *idem, lib. 5. cap. 6*

Plato sub nomine ideæ non intelligit vniuersale bonitatis, sed Deum. *August. Steuch. de peren. phil. lib. 5. cap. 7.* Plato non cogitauit de æternitate mundi, sed de numero quodam diuturno seculorum *idem, ibid.*

Plato duplicem habuit de diuinis cognitionem vnam viribus naturalibus. aliam dæmoniaca inspiratione. *Steph. Comb. de ascensu mentis in Deum, lib 1 c 3.*

Plato antiquissimorum Hebræorum opinionem secutus, cœlum ex aqua & igne constare existimauit. *Leo Heb. de amo. dial. 2.* Plato cœlestia ex eadem materia, ex qua inferiora quoque corpora constare, & suapte natura corrumpi quandoque posse putauit *idem, ibid.* Plato qui amorem à diuina seclusit natura, & veritati repugnasse, & sibimet quoq; contradixisse videtur. *idem, dial. 3* Plato amorem illum specificum, quem ipse pulchri desiderium existere definiuit, meritò à diuina seiunxisse natura, & vt magnum quendam dæmonem inter diuina humanáque medium collocasse videtur. *ibid.*

Plato mundum temporale principium ex æterna materia à Deo habuisse existimauit. *Leo Heb. de amor dialog. 3.* Plato Mosaicam theologiam philosophicis rationibus munire quammaximè studuisse videtur. *idem, ibid.* Plato vnam eandémque prorsus materiam tum cœlestibus, tum etiam inferioribus corporibus communem esse existimauit. *ibid.*

Plato cœlos suapte natura solubiles esse, propter ingentem tamen infinitámque Dei ipsius potentiam indissolubiles perpetuò permansuros voluisse videtur. *ibid.* Plato amorē non Deū, sed magnum quendā dæmonem esse putauit. *ibid.*

Plato humanas scientias nihil aliud quàm reminiscētias quasdam esse existimauit *Leo Heb de amo. dial. 3.* Platonis sententia, qui amorem à diuina secludens natura eū magnum quendam dæmonem inter deos & homines medium esse pronunciauit. *idem, ibid.* Plato diuinam pulchritudinem summámque Dei sapientiam omnibus modis vnam eandémque esse pronunciauit. *ibid* Plato sapientum Ægyptiorum fuit discipulus. *ibid.* Plato in rerum diuinarum contemplatione Aristoteli præfertur *ibid.* Plato intellectualium virtutū amorem cœlestē diuinúmq; vocauit. *ibid.*

Plato amoris finem partum ad pulchrum esse existimauit. *Leo Heb. de amor. dial. 3*

Plato Deum nec pulchritudinem, nec sapientiam, sed veræ primæque pulchritudinis summæque sapientiæ potius authorem, atque originem appellandū esse iudicauit. *idem, ibi.*

Plato Deum primo intellectu primóque ente superiorem esse statuit. *ibid.*

Plato Dei naturam, atque essentiam exprimendam ipsius vocabulo frequenter vti consueuit *ibid.*

Platonem sacræ historiæ interpretem vocant. *ibid.* Plato androgyni fabulam à Moyse accepit. *ibid.*

Platanus.

Platonici in anima distinguunt subsistentiam actum, & potentiam;

tentiam;

tentiam: Aristotel. immobilem facit, quod si est verum, quo modo vt ait ex non intelligente fieri intelligens. *Gorg. Gemistus de Plat. & Arist. phi. diff. cap. 9.* Platonicus nemo nec Aristotelicus ideò laudandus quia de Trinitate diuina senserit aut eam coluerit, nam vterque huius veræ opinionis exors fuit & nostræ pietatis ignarus. Aristoteles nusquam tale aliquid aut dixit aut cogitauit. Plato verò melius certè de trinitate loquutus est, sed longè aliter quàm religio nostra docet. *Bess. Card. in calum. Pla. lib. 2. cap. 4.* Platonici Aristoteli hoc maximè obijciunt, quòd de prouidentia male sentiat. *Idem, lib. 2. cap. 8.*

Platonica qui legerit diligenter duo consequetur, & pium cogniti Dei cultum, & animorum diuinitatem, in quibus consistit tota felicitas. *Fic. in Theo. Plat. proemio.* Platonicos asserit D. Augustinus paucis immutatis Christianos fore. *Idē, ibidem.* Platonicorum turba in sex Academias se diuisit quarum tres Atticæ fuerunt, reliquæ peregrinæ: veterus Atticarum sub Xenocrate floruit: media sub Chesia sub Carneade noua. Peregrinarum Ægyptia sub Ammonio. Romana sub Plotino. Lycia sub Proculo: tres illæ Atticę & Ægyptia, quæ de animarum circuitu scripta sunt à Platone aliter quàm verba sonarent accipiebant: duæ verò sequentes ipsa verborum faciem curiosius obseruarunt. *Idem. Plat. Theo. lib. 17. cap. 1.*

Platonici Deo, & animæ mundi nihil præter contemplationē sacrificant, animabus autem stellas mouentibus flores sacrificant, & terræ, & arborum fructus. *Fic. epist. lib. 8.* Platonici absoluti tria sunt symbola, quibus sacerdos eiusmodi à cæteris philosophis & sapientibus discernitur: primum mēs sublimis ab inferioribus seipsam semper ad superiora cōuertens, secundum religio, tertium eloquentia, & hæc quidem quasi poetica: primum ad saturnum, secundum ad Iouem, tertium pertinet ad Apollinem. *Idem. epist. lib. 12.*

Platonicis translationibus indulgere non est nouum, imò & necessarium esse Timæus & Phædrus dicent. *Fic. in Plat. de rep. dial. 4. cap. 14.* Platonici Dei summi naturam asserunt simplicissimam, proprietates autem summi Dei personales quę super ingenium nostrum sunt nunquam cogitauerunt, & de simplicitate naturæ diuinæ nulla est inter Christianos & Platonicos controuersia. *Idem in Plat. parm. cap. 57.* Platonici antiquiores nonnulli de Deo affirmabant absolutissima quæque sed non concreta, id est quòd sit ens, viuens, intelligens, nam nec prorsus proxima his abstracta, vt intelligentia, essentia, vita, sed potius essentialitas, vitalitas, intellectualitas, & cætera perfectissima quæque. *ibid. cap. 58*

Platonici scripsere de patre ac filio in epistola ad Hermiam, Platonicus Philo in libro de causis dicens, conandum est ad ipsum ens de quo dicitur. Ego sum qui sum ostendere aut saltem ad ipsius imaginem, sacratissimámque rationem, verbúmque primogenitum. melius Platonicus per eiusmodi rationem asserit atque verbum fieri omnia secundùm Heraclitum, & Platonem, vtens testimonio Io. Euangelistæ nam in Epinomide testatur Plato; Iamblichus Ægyptiorū adducit mysteria, in quibus patris & filij diuersa quidem ratio, sed eadem videtur esse substantia. *Fic. in Plat. de rep. dial. 6.*

Platonicis in rebus vel coniecturā procedemus vel scientiā. coniecturam in tria capita colligere licet. aut putauit materiam aliquando ex nihilo à Deo creatam, & simul tempore formatam, aut non de nouo peperisse, sed ab æterno ornasse, aut materiam semper à Deo fuisse, & continuè ordinatam: quantum ad scientiam affirmamus Platonem affirmasse mundum non ex se existere sed ex causa, non fortuita sed certa: non ex naturali duntaxat, sed intellectuali, non ex intellectu per modum naturæ determinatò, sed potius voluntario, non voluntate ea naturali quodam instinctu compulsa, sed libera. *Fic. in Plat. Tim. cap. 14.*

Platonicorum iudicium Io. Pici, in Porphyrio rerum copia & multiiugā religione delectaberis: in Iamblico secretiorem philosophiam, & Barbarorum mysteria venerabēris; in Plotino vndique se præbet admirandum de diuinis diuinè, de humanis supra hominem, docta sermonis obliquitate loquentem. Proclum asiatica fertilitate luxuriantem: & in omnibus quid diuinum platonicis peculiare inuenies. *Io. Pic. Mir. in Apol.*

Platonicorum dialogorum tanta est varietas vt ipsi dialogi qua de re sint compositi adhuc incertum sit. inter se enim Platonici colluctantur variè. *Io. Fra. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 5. cap. 4.* Platonici aiunt, omnia pendere ab vno per mediam mentem & animam, nam pater cùm sit fons & principium totius deitatis, primò efficit deum filium & animam, alterum gignendo alteram procreando. *Aug. Strach. de per. phi. lib. 1. cap. 14.*

Platonici, vt Proclus, Simplicius, Alcinous, qui deprauare sensa Platonis conati sunt, quòd creationem non aliquo tempore cœpisse, sed fluere, & manere in sempiternum probare conantur, irridendi sunt. *Idem, ibid. lib. 5. cap. 1.*

Platonici post compositionem morum ad mathematicas, & post naturales disciplinas confugiebant, naturalem facultatem nihili vel praui facientes. *Step. Comb. de transi. mentis in deum, lib. 6. cap. 3.* Platonici & Cabalistæ qui infinitorum mūdorum successionem & chaos æternitatem posuerunt cum Aristotele qui mundum vnicum tantùm eumque æternum esse existimauit, longè magis quàm fideles qui mundum ex nihilo à Deo procreatum olim fuisse arbitrantur conuenire videntur. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Platonica opinio de diuina sapientia diuináque pulchritudine cum Moyse potissimum, & Salomone concordat. *Idem, ibid.*

Platonicorum nonnulli angelos quoque ex chaos intellectualique forma constare compositósque esse voluerunt. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Platonicorum & cabalistarum mira quædam conuenientia. *Idem, ibid.* Platonicum figmentum est amorem corporum omnium vniuersitati communissimum sub Veneris inferioris natalī ex Poro & Penia quasi ex parentibus exortum fuisse. *ibid.*

Plautus poetarum comicorum facetissimus, propter annonæ difficultatem ad moles manuarias se pistori locauit. *Franc. Patri. de rep. lib. 3 cap. 1.*

Plebs omnis aut humiliter seruit, aut cum magna crudelitate imperat. *Fra. Pat. de rep. lib. 5. cap. 4.* Plebs si imperare debet vel nobilitas sola, longè tutius est cum nobilitate quàm cum plebe agere. rarò enim turpiter, aut indecorè agit, qui maiorum suorum laudem secum periclitari cernit: at ignotus paruam iacturam facere videtur, si deliquerit. *Idem, ibid.*

Plenitudo propriè non nisi diuinis rebus & supernis conuenit, neque enim corpus propriè plenum dixeris, quod cùm sui sit impatiens effluendo, alienī appetens est hauriendo. *Mar. in som. Scip. lib. 1.*

Plotinus.

Plotinus natus est anno tertiodecimo Seueri imperatoris. *Por. in Plotini vita.* Plotinus philosophus singularis pudore quodam afficiebatur quod anima eius in corpore eius esset. *Idem. ibid.* Plotinus angina moritur, anno 66 ætatis, imperante Claudio, Claudij imperatores anno 2. & draco interea sub lecto in quo iacebat ille pererrans in parietis foramen se prorsus occuluit. *ibid.*

Plotinus primus & solus Theologiam veterem velaminibus enudauit. *Fic. in Plot. proem.* Plotinus omnes amicos proprio ore appellare consueuerat. *Porphy. in Plot. vita.* Plotinus indignabatur effigiem suam tradere pictoribus & plastis exprimendam, quasi dicens, satis non esse hanc imaginē ferre quam natura nobis ab initio circundedit; at curemus posteris præstantiorem imaginem, vt opus spectaculo dignum, relinquere. *Idem, ibid.*

Plotinus cùm iam ætatis annum ageret octauum & iam ad litterarum accederet præceptorum, adhuc solebat ad nutricē accederet sugendi lactis auiditate, quod cum sibi obijceretur, pusiose cohibitus destitit. *Porph. in Plot. vita.* Plotinus multos scripsit libros. *Idem, ibidem.* Plotinus in natalibus Platonis, & Socratis conuiuio excipiebat amicos, & sacris operabatur, & rationem rite conscriptam recitabat. *ibid.* Plotinus audiuit annis vndecim Ammonium: & cùm audiuisset dixit, hunc ipsum quærebam. *ibid.* Plotinus custodē dæmonem ex diuinorum ordine habuit. *ibid.*

Plotinus erat in disputationibus strenuus ad dicendum, ad inueniendum solers: ad opportuna percipienda promptissimus, sed in nonnullis dictionibus proferendis aberrabat. *Porph. in Plot. vita.* Plotinus quod scribebat non perlegebat quia visus non ei sufficiebat ad legendum, non bellè litteras scribebat, nec exactè syllabas distinguebat, nullam orthographiæ diligentiam adhibebat, soli intelligentiæ studens: & id agere vsque ad vitæ finem perseuerauit. *Idem, ibid.* Plotini auditores & multi viri & mulieres erant & filios suos multi viri & mulieres cum omni eorum substātia tanquam viro sacro commendabant. *ibid.*

Plotinus quæ scribere conceperat ita animo disposuerat vt è libro quodam ante oculos posito scribere videretur; & si ita scribens ab aliquo interrumpebatur, peracto negocio particulari non repetebat scripta, sed sequentia connectebat quasi nihil intermisisset. *Porph. in Plot. vita.* Plotinus in cognoscendis moribus sagacissimus erat. *Idem, ibidem.*

Plotinus scripsit contra Christianos hæreticos, & suis iussit contra ipsa scribere. *Ibid.*

Plotini libros in sex Enneades distribuit Porphyrius. *ibid.*

Plotinum qui audit Platonem audire se putet siue in Plotino

Plato reuiuixit, quod Pythagorici facile dabunt; aut si dæmon idem prius Platonem, deinde Plotinum afflauit. *Fic. in Plo. exhortatio. ad lector.* Plotinum qui legendum accedunt, mente sublimiore accedere debent: nam vt platonicè loquar, cæteros homines animum rationalem habere, Plotinum verò non animum, sed intellectum. *idem, ibid.* Plotinus in hoc libro de trinitate potissimum agit conuertente. *idem, in Plotini En. 5. lib. 3. arg.*

Plotinus & Origenes condiscipuli fuerunt sub Ammonio Alexandrino *Ficin. in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 7.* Plotini mentem non fuisse à Christiana lege penitus alienam ex eo conijcere possumus, quod cum Ammonij semper Christiani fuerit discipulus, & Christianissimi Origenis semper amicus conuenisse dicitur vna cum Origene & Heremnio se nunquam ab Ammonij institutis discessurum, & ita vt promiserat seruauisse & gentilitium deorum cultum Amelio exhortante contempsisse. *Idem, in Plot. En. 2. lib. 9. cap. 1.*

Plotinus apostoli Ioannis, & Pauli mysteria sæpe tangit; mysterium tamen trinitatis non tam assecutus videtur, quàm perscrutatus, & pro viribus imitatus. *Idem, in Plot. En. 5. lib. 9. cap. 2.*

Plumbum Saturno tribuunt Alchymici. *Fic. in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 6.*

Plutonis nomen dictum est ex diuitijs, quia ex terra infernè diuitiæ oriuntur. *Plato in Cratylo.*

Plutonis eloquentiâ animæ detinentur. *Idem, ibid.*

Platonem qui timent non intelligunt, nam cùm ille vinculo maximo alligat animas, cupiditate alligat: quia nulla maior est cupiditas quàm ea qua quis melior fieri per ipsum existimatur. *ibid.*

Plutoni meritò mensem vltimum dedicat, Plato; est enim Pluto prouidentia propriè, & separans animal, & iudicans separata. *Fic. in Plato. dial. 8.* Plutonis imperium à circulo lacteo incipere dixit Pythagoras, inde enim animæ lapsæ videntur à superis recessisse, & inde nascentibus ferri ad lactis alimoniam. *Stephanus Cohibentius de ascensu mentis in Deum libro primo, cap. 1.*

Pœnas qui dat ab animæ prauitate liberatur. *Plato. in Gorgia.*

Pœna castigat, & iustiores facit, & medicina improbitatis fit. *idem, ibid.*

Pœna iusta est, si quis inuitus inconcinnè aliquid dixit, vt aberrans concinnus efficiatur. *in Atlantico.*

Pœna nulla quę lege irrogatur in damnum alicuius irrogatur, sed ex duobus alterum ferè efficit, aut meliorem aut minus improbum reddit eum, qui pœnam dedit. *de leg. dialo. 9*

Pœnæ infliguntur non ob malefactum, quod enim factum est, infectum fieri nunquam potest, sed vt in posterum tempus aut omnino iniustitiam odio habeat & iudicat⁹ & qui ipsum iudicari viderint, aut multas huiusmodi calamitatis partes leuiores reddat. *de legibus, dialogo 11.*

Pœnis maioribus digni sunt qui damnati humanis legibus visam violenter amittunt, vt non naturæ animam debitam, sed pœnam pro meritis reddidisse videantur. *Apul. Asclepius.*

Pœnitentia secundo gradu post integritatem consistit, vt post corporis sanitatem reualescentia. *Philo de Abrahamo.*

Pœnæ gradus plures percipiunt animæ è corporibus solutæ, quàm fuerint gradus voluptatis perceptę, quia læsa fuit maiestas diuina, & vt beatitudines peccant gaudia iustitiæ dolores exigere, sic miseriæ cruciatus iniustitię voluptates; denique non tam facilè delentur notæ, quàm facilè imprimuntur, neque qui peccati habitum confirmauit, si vixisset, delinquere desiuisset. *Ficin. in Plato. de republica dial. decimo.* Pœnæ gradus decem ampliauit Plato forsan imitatus Mosaicum decalogum, vt qui aliquod ex decem neglexerit, iure decies sit cruciandus *idem, ibid.*

Pœnæ temporales non solum ponuntur à Platonicis in purgatorio, sed etiam in cęlesti quadam regione temporalia gaudia, vt vtrinque par pari respondeat; nam sic distinguunt: aut sensus in vita omni paruit rationi, aut ratio sensui, aut semper inuicem pugnarunt; atque in ea pugna, vel sensus plurimùm, vel ratio superabat. Animæ in quibus sensus rationi per habitum confirmatum prorsus obtemperauit, sempiternum præmium consequuntur; contra affectæ sempiternis supplicijs condemnantur, mediæ verò, si superauit ratio, ad temporalia præmia, si sensus ad temporalia suplicia transferuntur. Quibus verò nullum consultandi traditum est tempus, limbus apud Platonicos datus, qui est locus hic sub prati nomine designatus *Fic. in. Plat. de rep. dial. 2.*

Pœnitentes expectare est clementiæ Dei, alioqui cum vnusquisque peccat destrueretur genus humanum. *Aug. Steuc. de per. phi. lib. 7. cap. 6.*

Pœnæ peccatorum quos pœnituit peccasse, differunt à pœnis damnatorum; quia illorum pœnæ vt purgatoriæ supplicationibus, ieiunijs, elemosynísque viuentium subleuari possunt, damnatorum verò perpetuæ sunt. *M. Ant. Nat. de immor. anim. lib. 5.*

Poeta, Poetica.

Poetica nil aliud est quàm philosophia tempore Venusta, consonantia metrica, argumento fabulosa; & philosophia est poetica tempore iunior harmonia expeditior, argumento apertior. *Max. Tyr. sermo. 29.* Poetæ quod piè & iustè dixerunt recipit Plato, quæ minus rectè detestatur. *Bessarion. Contra in calumniat. Platon. lib. 3. cap. 8.*

Poesim nemo qui reuera poeta est absque cœlesti afflatu prorsus consecutus est. *Mar. Fic. in Plat. Ionem.* Poeticum furorem cōsequi qui vult, vt homines diuinis moribus instruantur, & misteria diuina canantur, animum futuri poetæ sic affectū esse oportet, vt sit quasi tener & mollis, & vt sit intactus, facillimus enim Deo formatori se exhibere debet, & immaculatus ne sit imbutus malis formis. *idem, in Plat. phædr. cap. 4.*

Poetæ officium est, vt naturam moresque pingere valeat, vtrūque vidisse. *Fic. epist. lib. 3.* Poetam perturbatos animos acrius imitantem, tanquam noxium iuuentuti iubet Plato vel mutato stylo constantem habitum imitari, vel ex vrbe procul abire. *Idem, in Plat de rep. dial. 3.* Poeticas ad fores qui absque musarum instinctu accedit, sperans quasi arte quadam poetam se bonum euasurum, inanem illum quidem atque eius poesim esse videbit. *idem, epist. lib. 1.*

Poetæ non prudentissimi quique, & ab ineunte ætate eruditissimi optimi euasere, sed potius insani, qualem fuisse constat Homerum, & Lucretium, aut rudiores, qualem se fuisse testatur Hesiodum, & quales extitisse Ionem & Lynnicum Chalcidæum scribit Plato. qui præter artem subitò in rebus poeticis mirandi prodierunt. *Fic. Plat. Theol. lib. 13. cap. 2.*

Poetæ obscœni omnino negligendi sunt, bonos enim mores corrumpunt, & animum nequitijs imbuunt. *Franc. Patric. de regno lib. 2. cap. 9.*

Poetæ cum amorem ex Ioue magnáque Venere ortum fuisse dixerunt, amorem honestum eleganter admodum descripsisse significasséque videntur. *Leo. Hebr. de amore dialogo. 3.*

Poetæ varijs diuersísque rationibus præstantissimis viris diuinitatem ipsam attribuerunt. *idem, ibid. dial. 2.*

Poetis multa mentiri licet. *ibid.*

Poetarum commenta plures intentiones & allegoricos sensus inuoluere & comprehendere solent. *ibid.*

Poetæ multiplici deorum appellatione varias quidem diuersásque scientias intendunt pertractare. *ibid.*

Polum Pythagorici Rheę sigillum appellandum censent, quia diuinitas quæ cuncta producit animalia, eisque vitam largitur inexplicabilem efficacémque vim per hûc in vniuersum effundit. *Proc. in Eucl. lib. 1. cap. 11.*

Polycletus Argiuus, & Phidias Atheniēsis statuarij erant. *Plat. in prot.*

Polypodium atram bilem purgat seminaria ratione quæ in ipso est *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 13.*

Pondus omnia in suo loco habent præter ignem. *Iacob. Carpent. in Alcinoi cap. 15*

Poni non debet esse prædicamentum, cùm significet in quodam figura esse vel loco: atque figura & locus in alio est prædicamento: & sedet significat actionem, & in genere actionum ponendum est. *Plotin. En. 6. lib. 1. cap. 24.*

Populus, popularis.

Populares viri videntur qui liberi sunt, dicendi fiduciâ, & licētiâ faciendi quid quisque velit. *Plat. de rep. dial. 8.*

Popularis vir est, qui ex teneris à parco patre enutritus, qui lucrosas cupiditates solas coleret, non necessarias autem, & lusus, ac lasciuiæ gratiâ repertas reprobaret. Ex conuersatione cum elegantioribus viris, & plenis supradictarum voluptatum, progressus ad omnem petulantiam, & ad illorum speciem, ob paternæ parsimoniæ odium, sed meliore quàm corruptores naturâ præditus, dum in vtrumque partem duceretur constitit in medio amborū morum, vt moderatè velut putabat singulis frueretur, & neque illiberalem, neque iniquam vitam degeret, popularis ex paucorum principatu factus. *Idem, de rep. dial. 9.*

Populus ingratus est, leuiter alicuius rei fatur, mutabilis, crudelis, inuidus, ineruditus, vtpote ex plebis colluuie, & violentius nugatoribus collectus; & qui in huius societatem se adiungit, multò miserior est. *Plat. in Axiocho.*

Populo famelico nil periculosius. *Franc. Patric. de rep. lib. 3. cap. 11.*

Popularis status differt à plebeio, nam popularis ab omnibus probatur, at plebeius ab omnibus reijcitur: differt enim plebs à populo quo species à genere; nam populus ciues vniuersos, patricios, & senatores quoque significat plebs

vero solum plebem, patricijs, & senatoribes remotis. *Idem, de reg. lib. 1, cap 3.*

Populi videntes principem pietatis studiosum, & ic omni religione liberalem cultu, arripiũt de maiestate eius sanctitatéque perspectiorem sententiam. *Aug. Steuch. de per phi. lib. 6. cap. 8.*

Porphyrius.

Porphyrium Iamblichos carpit, deus per habitudinem ad corpora distinguentem, quia priora non debent pur posteriora, & causæ per effectus distingui. *Iam. de myst.* Porphyrius suspicatur dæmones mundi rectorus passibiles esse, quod negat Iamblicbus, quia vbi est ordo perpetuus non est passio, quam essentia incorporea per sempiterna nequit accipere: sed forte concedet malos dæmones, gubernatione priuatos taogi passionibus affectius non in anima, sed in corpore tali per animæ præsentiam constituto. *idem, ibid.*

Porphyrius & multi philosophi dicunt deos esse intellectus puros, & dæmones intellectus, vel participationes intellectus aliquos animales sed Iamblichus, non ita poni rectè dæmonum proprietatem obijcit, nam intellectus ipsius participationes quædam, nec deorum proprietatum rectè poni, nam Dij præsunt puris intellectibus *Iam. de myst.* Porphyrius distinguit dæmones ex eo quòd illi sint incorporei hi corporei: Iamblichus ait per hæc substantias, & eorum proprietates discerni non posse. *idem, ibid.*

Porphyrius ait in supplicationibus adhiberi quædã materialia; ideò tantũ dixit, qui sunt animalia adhiberi: respõdet Iãblichus in his materialibus vltra corporeas qualitates latere rationes, & species, & mensuras incorporeas, & diuinas, per quas quæ adhibentur sunt dijs grata Parua enegi ... as rerum nostrarum ad deos nobis sufficit vt aliud ab illis hauriamus propter unicam eorum bonitatem ad hoc sunt promptissimi. *Iamb. de myst.*

Porphyrius suspicatur intellectus puros & separatus habitudinem ad sensibilia non habere, nec preces audire; tamen principalis cultus separatis substantijs est adhibendus, & ipsæ orantium intentioni prorsus intersunt, & supplicationes conuenire Iamblichus putat propter sensum intimum qui supplicationibus inest præsertim quæ sunt datæ diuinitus. *Iam. de myst.*

Porphyrius opinatur, cùm dij, angeli, dæmonesque omnes superi sese ostendunt, iactare se mirificè, & imaginariam similitudinem præferre. Iamblichus vtrumque confutat: nam Deus & dæmon bonus docent hominem, nec circa veritatem loquuntur, vt lumen Solem sequitur, sic veritas Deum. *idem, ibid.*

Porphyrius teste Cyrillo ex Platonis sententia asseruit diuinitatem ad tres personas processisse. *Bess. Card. in Calumniat. Plat. lib. 2 cap. 4.* Porphyrius Plotini libros in sex Enneades diuisit, nouem tractatus in vnaquaque ponens *Porphyr. in Plot. vita.* Porphyrius inter Platonicos ob excellentiam philosophus appellatur. *Fic. in arg. Iamblici.* Porphyrius nimiam in cultu dæmonum operam, & curam superstitiosam præceptos Plotinus, & discipulus Iamblicbus damnarunt. *Io. Pic. Mir. in Astro. lib. 12. cap. 7.*

Portionem vniuersi formanda anima superfit opifex non patrem incorporeæ rei ad Infita puncti in geometria *Chal. in Plat. Tim.*

Porus ubrius significat rationem à superiori principio defluẽtum ad inferius. *Plot. En. 3. lib. 5 cap. 4.* Porus & Pænia affluentiam, & egestatem significant. *Fic. in Plat. conuiu. orat. 6. cap. 7.*

Possessio.

Possessionum ciuilium species septem sunt; quæcunque aut paruum aut magnum instrumentum in ciuitate faciunt con causæ appellantur; prima quæ textoriæ, & artibus exhibet instrumenta, secunda est salutis gratiã eius quod fictum est & dicitur vas omnigenæ speciei; tertia eius quod sessionis cuisdam gratia est quæ vehiculum dicitur, quarta vestitus vniuersus, & pars multa armorum hic propugnandi hic appellari potest; quinta quæ circa ornatum, & picturam, & circa musicam, vno nomine ludicrum dicitur; sexta quæ aurum, argentum, omnia metalla, & vniuersa, quæ ars cædẽdi & incidendi syluas resecta exhibet arti fabrili, lignariæ, & ei quæ contexit, & insuper quæ corticibus vtitur, & quæ corporibus pelles detrahit coriaria, & quæ circa talia artes versantur, & quæ fabriles, ac papyri iuncos, & ligamenta præparant, ac exhibent, vt ea non compositis generibus cõpositæ species fiant, vnum appellamus omnem primigenitam hominibus & incompositam possessionem; septima alimenti possessionem, quæ suis partibus in corpus immixta vitam quandam habet corporis partes curandi, quam altricem dicimus. *Plat. in dia. reg.*

Possessio habeat tempus, vltra quod si quis possidet contra eũ lis intentari amplius non possit: de domibus nec agris non est controuersia, de alijs si pur annum possidet manifestè, nulli liceat præterito anno inuadere: sed si non in foro, nec in vrbe, sed in agro manifestè vtatur, cum quinque annis nemo illam offendat quinquennio exacto non liceat aliquẽ inuadere: at si in domo, & vrbe quis illa vtatur, triennium illi præfinitum sit; si verò in agris in occulto illam possideat decum annis præscripti sint, si in alia regione nullum tempus illi præfinitum sit. *Pl. de leg. dial. 12.*

Possessio sola sine vsu nihil affert ad felicitatem. *Fic. epist. lib. 1.*

Possessio omni absque morali virtute non solùm inutilis est, sed noxia. *Idem, in Plat. Menex.*

Possibilis natura inter falsum & verum posita media est, ei-quæ suapte natura indefinito libera animæ potestas vndique superfertur: quod verò eligentibus nobis efficitur, confestim aut verum est, aut falsum: ab eo autem quod in potentia, id est quod habitu quandoque actuque erit admodum discrepat: quod enim potentia facultatem quandam & aptitudinem ad aliqua quæ nondum ordinem suum sortita sũt significat, vt puer potentiã grammaticus, in actu erit, cum habitum acquisitum habuerit: at possibile neutrum horum est. *Alcinous. cap. 29.*

Possibile dici non potest, quod non reducitur ad actum. *Aur. in rep. Plat. tract. 1.* Possibilitas in rebus aliter se habendi, solùm prouenit ex indeterminata natura materiæ ad aliud semper & aliud dilabente, non autem ex natura formæ sẽper ad aliud certum determinantis. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap 1.* Possibilia facile credimus, quæ fieri posse cupimus. *Io. Pic. Mir. in Astr. lib 12 cap. 3.* Possibile duplex, physicũ & logicum: primum reperitur in his quæ materia potiuntur quæ est generationis principium, & non caret contrarietate: secundum est in rebus æternis, vt in cœlo ac intelligentijs. *Gab. Bur. de mundo, lib. 7.*

Possidet quamplurima quem nihil possidet. *Fic. epist. lib. 4.*

Potens Potentia.

Potens est vnusquisque, qui facit quod vult, tunc cùm vult, non dico cùm ab aliquo probibeatur *Plat. de mend.* Potentiam maiorem si quis minoribus dat, omisso eo quod moderatũ est, & nauibus vela, & corporibus alimentum, & animis principatus, euertuntur omnia, & ad insolentiam elata partim morbos excurrunt, partim ad iniuriam insolentiæ filiam, *idem. de leg. dial 3.*

Potentia nil aliud est quàm possibilitas actus. *Arist. Theo. Ægy. lib 3. ca . 3.* Potentia recipiendo actum non corrumpitur, sed actuatur & perficitur. *idem, ibid. lib. 9. cap 3.* Potentia est quod est per seipsem efficax. *Speusip. de Plat. definitio.* Potentiam nullam prorsus quod habet, nec est, nec aliquid est, nec vius est prorsus, vlla positò. *Diony. Areopag. de diui. nominibus.*

Potentia aliquid esse in genere sensibili perspicuum est. *Plot. En 2. lib 5.*

Potentia quod est, eiusmodi est subiectum quoddam passionibus, atque formis, & speciebus, quas susceptarum est suapte natura, vel etiam ad consequendas properat, & partim ad melius partim ad deteriora, peremptoriáque eorum quorũ quodlibet aliud quoque est actus *idem, ibid.* Potentia aliquid quod est, & iam aliquid actu. ex eo in potentia oportet dici, quòd aliquid præterea aliud fieri posset, siue quodammodo ipso priori manente, siue præbente seipsum ei quod inde fieri potest, adeò vt quod prius fuerat pereat *ibid.*

Potentiã quod dicitur est subiectum, quod actu est coniunctũ; species autem est actus, non autem simpliciter actus, sed potius huius actus, id est actus oppositus illi potentiæ quæ educitur in actum. *Plot. En. 2. lib. 5. cap. 2.* Potentiã quod est, vt reducatur ad actum, exigit alterum quo accedente perducatur ad actum: at quod à seipso semper ita se habet, est actus. *idem, ibid. cap. 3.*

Potentiæ maioris est plura producere, æqualis verò æqualia, & minoris minora. *Proc. elem. Theo. prop 58.* Potentia omnis impartibilis existens maior est. partita verò minor. *idem. ibi. prop. 61.* Potentiã quod est, seipsum in actum perducere nequit. *prop. 77.* Potentia omnis vel perfecta est, vel imperfecta. *prop. 78.* Potentiã duplici fit omne quod fit. *prop. 79.* Potentiam infinitam fiendi habet quod semper fit. *prop. 85.*

Potẽtia omnis quæ magis vna existit, infinitior est quàm multiplicata. *Proc. elem. Theo. prop. 95.*

Potentia omnis vel terminata est, vel infinita, terminata ea infinita potentia subsistit, infinita verò potentia ex prima infinitate. *idem, ibid. prop 91.*

Potentiæ omnes diuinorum desuper incipientes, & per proprias progredientes medietates, vsque ad vltima

perueniunt & loca circa terram. *prop.* 140.

Potentia terminata terminatas habet actiones. *idem, elem. phil. propos.* 21.

Potentia media est inter actionem & essentiam, producta quidem ab essentia, actionem verò producens. *Procl. in Alc.*

Potentia duplex, altera agentis, altera patientis, illa mater est actionis, hæc perfectionis susceptaculum. *idem, ibid.*

Potentiæ cuiusque operatio est pro sua natura, & talis est qualis eius perfectio recipitur. *Biss. Cardin. in calumniat. Platon. lib.* 3. *cap.* 22. Potentia finita tempore infinito, imò etiam longo quamuis finito, fatigatur, & claudicat. *Fic. Plat. Theolog. lib.* 2. *cap.* 4. Potentia Dei infinita omnibus dat vt semper firmiterque intelligant, animis vt sine fine discurrere possint, materiæ vt interminatam habeat potentiam capiendi, motui & tempori vt absque termino fluere possint, generationi rerum vt alterna & innumerabili successione queant continuari. *idem, ibid.*

Potentia mera in natura non potest esse nisi vna, vt vnus merus actus. *Ficin. Platon. Theologiæ lib.* 15. *cap.* 11. Potentia sine sapientia in terris nunquam diu regnare potest, ideò apud Solem in cœlo Mercurium posuit Iupiter. *idem, epist. lib.* 7. Potentia est medium inter vnum & ens. *in Plat. Parmenid. cap.* 95. Potentia est mutua quædam vnius ad ens habitudo, per quam & vnum est entis, & ens vnius: per quam superessentialis hæc vnitas, quæ etiam dicitur existentia, producit essentiam sibi coniunctam, per quam hæc inde producitur, conuertiturque ad vnitatem, & cum illa connectitur, & est hæc potentia quasi motus efficax, processusque vnitatis in essentiam, siquidem ex ipso simpliciter vno nullo medio procedit hoc vnum, mox essentiam coniugem habiturum. *ibid.*

Potentiæ non solùm sunt in rebus quę sequuntur essentias, sed etiam in diis, vt Platonicè loquar, occultæ quædam mirificæ potentiæ, quæ eorum essentias antecedunt continuatæ penitus cum vnitatibus, deitatibúsque suis, per has dij facere posse putantur essentias, quæ per vires vllas posteriores effectus fieri nunquam possunt. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap.* 95. Potentia talis est inter vnum & essentiam, qualis est vita inter essentiam & intellectum. *idem, ibid.* Potentiarum diuersitas diuersitatem indicat obiectorum. *in Plat. Phileb.* 1. *cap.* 19.

Potentia & sapientia omnis in eo consistit, vt animam à peccatis erga Deum, & homines conseruet immaculatam; nam huius vitæ iactura leuissima est, æternæ verò salutis grauissima. *Fic. in Plat. Gorg.*

Potentia melior deteriorem potest reducere in meliorem, vt Solis virtus humorem sursum attollit, alioqui naturaliter descendentem. *in Plat. Phæd. cap.* 9.

Potentiam formabilem quasi ex se nondum definitam, nec perfectam vocat Plato infinitudinem, formam verò huic adhibitam nominat terminum, quòd indefinitam potẽtiam definiat, & in specie iam optata perficiat. *in Platon. Tim. cap.* 11.

Potentia quædam ad mutationem formæ semper, vt sub Luna, sic & in cœlo semper in materia latet, cùm eadem sit vbique materia. *Fic. in Plotin. En.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1.

Potentia non est in mundo intelligibili ad nouum actum vel edendum, vel comparandum: alioqui si non perueniet ad actum frustra erit illa potentia, si deueniet, erit in æternis mutatio temporalis: ergo ibi omnis potentia ad totum suum omnino actum est ab æterno redacta. *idem, in Plot. En.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1.

Potentiæ omnes cum actus primos appetunt, id est formas tanquam bonum aliquid, & actus primi secundos, id est actiones, similiter tanquam bonum, merito principium rerum summopere exoptatum actus cognominatur, forma qualibet & actione superior. *Fic. in Plat. En* 5. *lib.* 6. *cap.* 6.

Potentiâ nihil est in æternis. *idem, in Plotin. En.* 2. *lib.* 9. *c.* 1.

Potentia vbi tota formabilis translata est in naturam formæ, adeò vt forma illa nullo modo ad naturam potentiæ retrahatur, res est sempiterna, præsertim quia illic potentia totum habet actum, quantumcunque potest, cupitque habere vt sunt intellectuales essentiæ, ignísque cœlestis. *Fic. in Plat. En.* 3. *lib.* 9. *cap.* 4. Potentia formalis accipit actum, actus verò qua ratione actus est potentiam non accipit: vbi verò actus solus est vt in primo, sempiterna res est, quoniam ad nullam aliam formam potentia ibi latet. *idem, ibid.*

Potentia alia essentialis, alia accidentalis. *Gab. Burat. de reminisc. lib.* 4.

Potentia duplex logica, & priuatiua, physica, & positiua. *idem, de mundo, lib.* 7.

Poeta.

Poetæ non sapientia faciunt ea quæ faciunt poemata, sed natura quadam & numine perciti, vt vates diuini, & qui dant responsa. *Plat. Apol.*

Poeta si poeta esse vult, fabulas facere debet, postquàm ad Deum poemata fecit. *idem, in Phæd.*

Poeticas musas qui sine insania acquirere credit persuasus velut ex arte poeta excellens futurus euilescit. *ibid.*

Poetica vniuersa est ex natura enigmatis obscurata. *in Alcib.* 2.

Poetæ nobis sunt velut patres, & duces sapientiæ. *in Lyside.*

Poetarum bonorum poemata legenda pueris, vt æmuli imitentur facta bonorum virorum veterum. *in Protag.*

Poetæ omnes boni non ex arte, sed numine afflati, ac correpti omnia hæc pulchra poemata dicant. *Plato in Ione.* Poetæ ita ad nos dicunt, quod de fontibus mella fluentibus ex quibusdam musarum hortis ac saltibus carmina decerpentes ad nos afferunt velut apes, etiam ipsi ita volantes, & vera dicunt, leuis enim res poeta est & volatilis, & sacra, & non prius quid facere potest, nisi numine corripiatur, & mente moueatur, ita vt non sit amplius mens in ipso. *idem, ibid.* Poetarum ars nulla, non enim arte, sed vi diuina dicunt: nam si ex arte dicerent, omnes versuum species facere scirent æquè benè, vt aliis musa concitat dithyrambos, aliis laudes, aliis carmina, aliis tripudia, aliis versus, aliis iambos, in reliquis autem quisque ipsorum vilis est. *ibid.*

Poetæ nil aliud sunt quàm interpretes deorum, dum numine corripiuntur, ex quocunq. tandem quisque corripitur. Hæc ostendens Deus ex industria per vilissimum poetam pulcherrimum carmen cecinit. *Plato in Ione.*

Poetis mẽs non adest, sed Deus ipse est qui dicit, cuius rei maximum argumentum hinc sumi potest. Tynnichus Chalcidensis nullum aliud poema fecit, quo quis dignaretur, Pæonem autem quem omnes canunt ferè omnium carminum pulcherrimum sine arte quod ipse dicit Musarum inuentum, in quo maximè relucet non humana esse hæc pulchra poemata, sed diuina, & deorum. *idem, ibid.*

Poetæ si dicunt quod sit qui affligit, non est permittendum, sed si dicant miseros esse malos, & proinde pœna opus habere, quum autem pœnas dent vtilitatem à Deo percipere, hoc permittendum est. *Plato de republica, dial.* 2.

Poetæ scribendo impia de diis & heroibus nocent audientibus: nam mali sibi ipsis ignoscunt, persuasi, quod talia faciunt & fecerunt etiam deorum affines. ideò hæ fabulæ supprimendæ sunt, ne adolescentibus nostris multam ad prauitatem facilitatem pariant. *idem, ibid. dial.* 3.

Poetæ cogandi sunt, vt aut non asserant deorum facta esse quę de diis impiè dicunt, aut ipsos non esse deorum filios fateantur, ambo verò ne dicant. & adolescentibus nostris persuadere conentur quòd dij malos gignant, & Heroes nihilo sint hominibus meliores: hæc enim nec pia sunt, nec vera quæ de ipsis scripta sunt, nam ostendimus ex diis mala non posse oriri. *Plat. de repub. dial.* 3.

Poetis nostris instabimus, & insuper ipsos cogemus, vt solùm bonorum morum imaginem poematis inducant, aut non apud nos poemata faciant. *idem, ibid.*

Poeta non imitatur in dolore animam sapientem, sed animam querulam, & variis moribus præditam: ideò ipsum reprehendemus, quia vt pictor humilia sequitur. ideò ipsum in ciuitatem non admittimus. *Plato de republica, dial.* 10.

Poetæ magici à Republica exclusi, vt qui tyrannidem laudãt, ait enim Euripides, Sapiunt tyranni, dum sapientes audiunt. *idem, de repub. dial.* 8. Poesis pars imitatoria non admittenda est in ciuitate. *ibid. dial.* 10. Poetæ imitatores, mentis auditorum pernicies esse videntur. *ibid.*

Poetæ omnes ab Homero initiò sumpto simulachrorum virtutis imitatores sunt, virtutem autem non attingunt. *ibid.*

Poetæ qui tragœdiam in iambis, aut versibus heroicis attingũt, omnes imitatores sunt: & hæc imitatio est tertium à veritate. *Plat. de repub. dial.* 8.

Poeta colores quosdam singularum artium nominibus ac verbis inducit, cùm ipse nihil intelligat, sed imitetur. *idem, de repub. dial.* 10.

Poesis, vt & pictura, vt imitatoria procul à veritate abest, & à sapientia remota, ideò nihil sani in se habet. *ibid.*

Poetæ iudicium optimi viri corrumpunt. *ibid.*

Poesim solam hymnos, & laudes deorum continentem in ciuitatem admittimus. *ibid.*

Poetarum maximum damnum quod nobis inferunt est, quod dum imitantur Heroas faciunt eos in luctu esse, & longas lamentationes facientes, aut cantantes. quibus nos delectamur & consentientes sequimur, cùm nos contra facere debeamus, nam tolerare & quietem agere viri est, at lamentari mulieris est. *Plat. de rep. dial.* 10. Poetæ multum possunt ad comparandam opinionem vel laudando, vel vituperando

perando

perando in suo poemate homines, ideò infensos eos nemo habere debet *idem, in Minoe.* Poeticum hominem nunquam sibi infensum quis faciat. *ibid.*

Poetæ, & pictores, & alij qui gestus & quascunque alias figuras exprimunt, debent cauere ne in poesi vel figuris sit aliquid quod ad improbitatem spectet & ad eam iuuenes afficiat: quod ab Ægyptiis cautum est, apud quos iamdudum decretus est hic sermo, quòd & honestos gestus, & concentus honestos in consuetudine habere oporteat iuuenes in ciuitate, & post hæc constituerunt quæ & qualia in templis essent, & præter hæc non licebat alicui quicquam nouare, nec alia quædam excogitare quàm patria, nec nunc licet, nec in his, nec in vniuersa musica. *Plat. de leg. dial. 2.* Poemata homines qui ea audiunt meliores facere debent, nunc totum contrarium accidit. *idem, ibid.* Poetæ cogendi sunt vt dicant non esse homines aliquos malos qui iucundè viuant, aut vtilia alia esse & lucrosa, alia iustiora. *ibid.*

Poetæ in singulis poematis cognoscere debent quid nam sit, si quis in ipsis non errare velet, qui enim non cognoscet essentiam, quid nam velis, & cuius tandem reuera sit imago, is nullatenus voluntatis rectitudinem aut etiam errorem ipsius dignoscet: & qui quod rectè fit non cognoscit, non poterit quod bene & malè fit cognoscere. *Plat. de leg. dial. 2.* Poemata omnia imitationes, & assimilationes sunt. *idem, ibid.* Poetam cognoscere an bona vel mala sit imitatio nulla necessitas est, vt harmoniam & rithmum cognoscat ferè necesse est. *ibid.*

Poetæ deteriores sunt musis, non enim illæ ab intentione aberrarunt, vt dum verba virorum effingunt, gestum & concentum muliebrem ipsis attribuant. & dum rursus concentum & gestus liberorum componunt, rythmos seruorum & illiberales adaptent, & dum rythmos & gestus liberos constituunt, concentum aut sermonem rythmis contrarium adhibeant. Insuper bestiarum voces, & hominum, & instrumentorum, & omnes strepitus nequaquam in idem cōposuerunt, velut vnum quiddam imitentur: ut humanis generis poetæ talia vehementer implicantes, & temerè confundētes risum hominibus excitant, quos dicit Orpheus pulchritudinem delectationis sequi. *Plat. de leg. dial. 2.*

Poeticum genus diuinum profectò est & numine afflatum. *Plato de legibus, dialogo 3.*

Poemata ad faciendas cantilenas eligantur ex poematibus veteribus & ex saltationibus veteribus, & si quæ sunt non idonea reiiciantur, & quod maxime id repetatur & concinnetur, poeticis, & musicis viris adhibitis; & hi qui hæc approbare debent, non sint minores quinquaginta annis, vt voluptatibus & cupiditatibus nihil permittant, præterquàm in paucis quibusdam. *idem, ibid. dial. 2.*

Poetæ nec comico, nec alicuius iamborum, aut musarum melodiæ non liceat verbis, nec imagine, aut ex ira, nec sine ira vllo modo ciuem vllum sugillare si non paruerit, præmiorum certaminum præfecti ex vrbe eadem die expellant, aut minis tribus mulctetur consecrandis deo cuius fuerit certamen. *Plat. de leg. dial. 11.*

Potentia passiua in eo cuius est imperfectionem quandam significat, cuius perfectio in actu consistit: actiua potentia nullam in agente imperfectionem indicat, sed potius consistit in eiusdem perfectione, quæ virtutis est & energiæ non otiosæ. *Iacob. Carpent. in Alcinoi cap. 3.* Potentia ad materiam pertinens necessariò cum quadam imperfectione est coniuncta, quia in quo cernitur est aptum ad aliquam nouam perfectionem suscipiendam; non esset eiusmodi, nisi idem aliqua ex parte imperfectum esset. *idem, ibid.*

Potentiæ ex Proclo cognoscuntur ex actionibus quarum ipsæ matres sunt, medium enim inter essentiam & actionem est potentium quæ producta est ab essentia, actionem verò producit; ideóque diuina numina quæ inter nos, & deos media sunt, potentiæ nomine à Platone solent exprimi, quoniam verum esse & vera essentia penes deos existit, potentia ministrans ritè in dæmonibus habet locum, actus & effectio per eorum potentiam foras egressa, versatur in nobis. *Iacob. Carpent. in Alcinoi cap. 11.*

Potentia sæpe animos procliues in libidinem, & iniuriam rapit. *Franc. Patr. de reg. lib. 2. cap. 1.*

Potestas est excellentia in agendis, seu dicendis, habitus quo potentes efficiuntur. *Speusip. in Plat. defin.* Potestati proprium est non pati aliquid, sed valere & opus sibi proprium exequi. *Plot. En. 4. lib. 6 cap. 2.*

Potentes tantummodo leges euertere, & perfringere solent. *Leo Hebr. de amor. dialogo 2.*

Potentia & sapientia ex Platonis sententia simul sunt coniungendæ & copulandæ. *idem, ibid.*

Potestas inter actualem perfectámque essentiam, & inter puram ac meram priuationem media collocatur. *ibid. dial. 3.*

Potus est humidum corporis alimentum. *Plat. in Hipparcho.*

Præcepta multa Plato pro sua authoritate ponit quæ nulla ratione comprobat, & plura in quibus rationem afferre conatur; plumbeus est si cum Aristotelis acumine conferatur. *Iac. Carp. in Alcin. præfat.*

Præceptoris verba non possunt causare speciem intelligibilem in intellectu possibili, sed intellectus agens & phantasma non simpliciter, sed respectu huius vel illius, neque quo ad actum primum cum species in intellectu possibili sint æternæ, sed quo ad actum secundum, nec possunt causare primorum principiorum notitiam, cùm à natura insita nobis sint, sed possunt causare conceptus minus vniuersales, & aliquam notitiam conclusionum *Gab. Bur. de reminiscentia.*

Prædicaméta decem Plato tum in Parmenide tum in aliis dialogis tradidit. *Alcinous, cap. 6.* Prædicamenta decem ab Archita Poeta Pythagorico distributa & à Peripateticis celebrata, à Melisso in amplissima quinque genera solis nota Platonicis colliguntur, essentiam scilicet, motum, statum, idem, alterum. *Fic. in Plat. soph. cap. 34.*

Prædicamenta quatuor plerique Stoici & Cynicorum posuerunt, subiectum primo, deinde quale, tertiò quodammodo se habens, quartò quodammodo se ad aliquid habens. *idem, in Plotini En. 6. lib. 1. cap. 29.* Prædicatur quidquid de alio vel est actus eius, vel ab alio venit in illud. *Plot. En. 6. lib. 6. ca. 10.*

Prædicendi modi quinque sunt, arte, casu, natura, dæmone, deo. *Fic. in Plot. En. 2. lib 3. cap. 7.* Prædicendo si agricolæ, & medici in re certiore sæpius falluntur, cæteri prædictores sæpissime falluntur. *idem, ibid.*

Prædictio est rationabilis existimatio sortis futuræ, quæ non in rebus certis, & necessitate constrictis, sed incertis & ambiguis præualet. *Chalcid. in Plat. Tim.* Prædicentes reuelationes in temporis conditione falluntur multi. *Io. Fran. Pic. Mir. de praeno. lib. 9. cap. 5.*

Præfationes sunt omnium sermonum cum quibus vox communionem habet, & ferè velut quædam commotiones, quæ artificiosam quandam aggressionem habent vtilem ad hoc quod perfici debet; sic in musica præfationes mirificè elaboratæ præponuntur. *Plat. de legib. dial. 4.*

Præfectus in populo, qui acceptâ turbâ vehementer obedientè non abstinuerit à cognato sanguine, sed iniustè confictis criminibus, qualia confingi solent, ad iudicium pertractos occiderit, & viri vitam deleuerit, ita vt lingua, & ore impio cædem cognati gustet, & quosdam fugauerit, alios mactauerit, & nouas tabulas, & agrorum diuisiones proposuerit; huic aut destinatum est vt pereat ab inimicis, aut tyrannus fiat, & lupus ex homine reddatur. *Plat. de repub. dial. 8.*

Præmia temporaria non sunt digna Deo, & supplicia debent esse sempiterna. *Aug. Steuc. de per. phi. lib. 7. cap. 8.*

Præmia quæ nobis largitur Deus, non nostræ, sed suæ ascribere debemus bonitati, qui dum vtitur liberalitate facit quod se dignum est, dum punit quod peccatis nostris dignum est: finis liberalitatis est summa illius bonitas, finis iustitiæ hominum sunt delicta. *M. Ant. Nat. de immor. anim. lib. 5.*

Prænotio.

Prænotio etsi propriè de futuro esse videtur, est tamen & de præsenti quod alius nondum innotuerit, & de præterito etiā quod ordine suo natura non potest ostendere. *Ioan. Franc. Pic. Mirandulan. de prænotione lib. 1. cap. 1.* Prænotio est, si prouidentia est. *idem, ibid. cap 2.*

Prænotionis nomen ad quodcunq; cognitionis genus refertur. *ibid. cap. 3.* Prænotio nisi sit, non potest esse prophetia. *ibid.*

Prænoscuntur præsentia & præterita, modò ignota apud nos fuerint. *ibid.*

Prænotio earum rerum est cognitio, quā quis animo concipit, priusquā ipsæ res sua præsentia, & ordinaria cōmunique vi naturæ cognosci possunt. *Io. Frā. Pic. Mir. de præno. li. 1. ca. 3.*

Prænotio homini non ob aliud datur, nisi vt ad finē suum id est felicitatem perpetuā feratur; & in Dei bonitaté referenda est. *idem, ibid. ca. 4.* Prænosse solùm dicuntur illi, qui aut diuino numine præsciunt, aut naturali cōiectantur reliqui quocunque nomine appellentur potius diuinare quàm præscire dicendum. *ibid.* Prænotionē ad verā diuini luminis radiationē primariè, & per se referimus, dein ad cōgenitū rationis fulgorē propagamus, mox ad obumbratū, & adulterinū superstitionis crepusculo extendi quanquā illegitimè posse putamus. *Io. Fran. Pic. Mir. de præno. li. 1. ca. 6.* Prænotio tantō æstimata fuit ab antiquis, vt qui prophetas nō haberent, dæmonū oracula consulerent. *idē, ibid. ca. 7.* Prænotio astrorū è Caria initium sumpsisse legitur. *ibid.* Prænotio ex auium volatu à Phrygibus initium sumpsit; Arabes à cygnis & cæteris animalibus, vti ex oraculis diuinationem colligebant. *ibid.*

Prænotionis desiderium ex voluntate cupiente consurgit. *ibid.*

Prænotionis desiderium in homine prouenit ex imitatione diuinæ naturæ. *ibid.*

Prænotiones omnes à fidei notione fulciuntur, ergo à fide & religiones & leges veræ pendent, à superstitione falsæ. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione, lib. 5. cap. 11.*

Prænotionis quatuor subalternæ species deducuntur: aut enim obiectum naturale est, à quo petitur, aut supernaturale: si naturale, aut inditum à natura solum, quo genere & bruta pollent, aut arte rationéque naturam adiuuante comparatum est, quod diuiditur in rude genus & eruditum: si supernaturale, aut bonum, aut malum, si bonum à Deo & angelis bonis fertur, si malum à dæmone & sub his multæ species sunt. *idem, ibid. cap. 12.*

Prænotio in diuinam, naturalem, superstitiosam, & curiosam speciem diuiditur. *Ioan. Franciscus Picus Mirandulanus de prænotione lib. 2. cap. 1.* Prænotio diuina continet prophetarum diuinationes apparitiones & visiones: naturalis, quæ est aut agricolatio, aut pastoralis, aut nautica, aut medica, & quicquid hominum prudentia de futuris arbitratur: superstitiosa complectitur dæmonum reuelationes, falsas & noxias, idololatriam, auguria, diuinatricem, astrologiam, magica nugamenta, & quæcunque pietati & religioni aduersantur. *Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus de prænotione libr. 2. cap. 1.*

Prænotio naturalis id tantùm præstare potest quod natura suis septa limitibus coniectare potest. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione, lib. 2. cap. 1.* Prænotio naturalis quinq; modis comparatur, aut ex notitia causæ, aut experimentis, aut vtroque simul: causa verò bifariam cognosci potest, aut eius natura, & qualitate perspecta, de qua talem effectum naturæ ordine deriuari cognoscimus, aut quanquam occulta sit & latens, eiusmodi tamen est, vt eam rei illius productricem effectricémque deprehendamus, quanquam euentus aliqui de sua causa penè semper ducuntur, alij carò & incertè admodum visantur, pronuncientúrque. *Idem, de prænotione, libr. 3. cap. 5.*

Prænotio nulla aut brutorum animantium est, aut vulgi quæ non fallat. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prænotione li. 3. ca. 4.*

Prænotiones curiosæ sunt, cùm ea scire cupimus, quæ vel sine ipsa inania sunt, vel superflua, vel prohibita, & quæ indigna quæsitu. *idem, ibid. lib. 8. cap. 2.* Prænoscere rectè optare licet quibus in hac vita nobis sit bene, & in futura fœliciter ac beatè: ea omnia sunt quæ ventura nobis indicauit Deus per Iesum Christum, per apostolos, per prophetas de mundi fine, de iustorum æternis præmiis, de pœnis impiorum sempiternis, quæ formidanda in posterum quæ speranda diuinis literis præcipiuntur. & studentur, & quæ ad hanc vitam commodè, & honestè transigendam conducunt. *ibid. cap. 3.*

Prænotio à Deo, & bonis angelis si qua petenda est, peti debet, quæ aut natura non insit, vt prudentiæ prænotio, aut liberali, vel honesta arte comparari possit. *Ioan. Fran. Picus Mirandul. de prænotione lib. octauo cap. 4.* Prænotiones debitis modis à Deo & angelis postulare non est nephas. *idem, ibid.* Prænotio non est desideranda & postulanda de inanibus friuolis, & passim & frequentissimè. *ibid. cap. 5.*

Prænotiones vt quales sint innotescat, primò reuelantis hominis conditio pensitanda, si verus Dei cultor, & catholicæ ecclesiæ alumnus, nulla hæresis tabe maculatus; deinde si cũ fide quam profitetur vita concordat, corporis temperatura, sanitas, & studium, & videndum qua de causa prænotionas inuulgat, & conditio reuelantis conuersatióque attendenda si communis, si priuata, si secreta, si publica, si in vita actiua si in contemplatrice degit, si vestimentis affectatis, & deuotionem prætendentibus nimium vtitur, si mas, si fœmina si vaga, si quieta, si garrula. *Ioan. Franciscus Pic. Mir. de prænotione, lib. 9. cap. 2.* Prænotiones qui affert introsacus, si facultas conceditur quærendum est, veteranus ne, an tyro in hac militia est, si aliquando deceptus, aut vt deciperetur tentatus à dæmone in angelum lucis se transfigurante, & si sua obseruatione deprehenderit, eius præsensa præuisaque euentum sortita. *idem, ibid.*

Præscientia Dei non affert rerum contingentium futurarum necessitatem, nisi respectu causæ primæ, quæ necessitas consequentiæ est, non consequentis, & conditionalis, non absoluta. *Bell. Cardinalis in Caluinonisterem, lib. 3. cap. 30.*

Præscientiæ Dei non sunt causa res futuræ, nec ideo scit quia futuræ, cum temporale non sit causa scientiæ Dei æternæ; ideò res ideò futura, quia Deus præuides, non à contrario. *idem, ibid. cap. 31.*

Præsentia non decet semper spectare, sed præteritos quoque circuitus atque futuros. *Plotin. Enn. 3. lib. 2. cap. 13*

Præsentia siue agenda, siue dicenda nunquam aggrediaris nisi pro viribus futura prospexeris; nec quicquam agas vel dicas, cuius nequeas rationem probabilem reddere. *Fic. epist. lib. 3.*

Præstantiora ea suis dominantur, inferiora & deteriora seruiunt. *Plato de legib. dial. 5.*

Præstantiores euadebant qui cum Socrate conuersabantur. *Idem, in Theage.*

Præstans vnusquisque est in eo quod sapiens est, in quibus autem imperitus est in eo ineptus est. *in Lachete.*

Præstantiores sunt meliores deterioribus, senes vt in summa dicam iunioribus, parentes filiis, viri mulieribus & pueris, principes subditis: quos omnes reuereri oportet, & maximè in ciuilibus magistratibus. *de leg. dial. 11.*

Præstantiora quæ sunt vniformiter, vbique anticipant deteriora, at deteriora potentiæ superiorum non æquantur. *Proclus in Alcibiadem prim.*

Præstantia quæ sunt, rara sunt, præstantiora maiora, nihil est mediocre & præstans. *Petrus Bembus de imitatione ad Picum.*

Præterita præuideri ab astrologis, vel in genitura filij genituram patris, vel in fratris genitura fratris genituram non est possibile. *Ioannes Picus Mirandulanus in Astrologiam, libr. 4. cap. 5.*

Præuisio confert, quoniam penes eum qui præuidet non erat facultas per quam non ageret præuisione, huc enim tendit præuisio, vt non hoc, sed illud eueniat, vbi timetur ne quid incidat alienum; vbi non hoc, vel illud imminet, sed hoc tantùm adest, non est vlla præuisio. *Plotin. En. 6. lib. 7 cap. 1.*

Præuidere quæ fieri debent, solo diuino lumine afflati certissimè possunt. *Ioan. Picus Mirandul. in Astrologiam, lib 4. cap. 4.*

Prasinus color producitur fuluo cum nigro mixto. *Plato in Tim.*

Praui, & iniusti idem faciunt ac cursores qui ab infernis bene currunt, à supernis non item, primò enim celeriter desiliunt, tandem ridiculi fiunt, aures ad humeros demissas habentes, & sine corona discedentes; at qui cursores sunt ad finem delati, præmia accipiunt, & coronantur. *Plato de Republica, dial. 10.* Prauitatem vt quisque quantum fieri potest fugiat conandum est per educationem, & per studia, & disciplinas, alioqui culpa magis referenda est ad eos qui generant quàm qui generantur, & eos qui educant, quàm qui educantur. *idem, in Tim.* Prauitas est quasi priuatio, nec se, nec virtutem cognoscit; virtus verò quasi habitus & se, & per se addito rerum vsu de vitiis iudicare valens. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 3.*

Praxiteles in quodam Indorum templo Venerem marmore adeò venustam expressit, vt vix à libidinosis transeuntium, conspectibus tuta & pudica seruaretur. *Ficinus in Platonica Theologia lib. 13. cap. 3.*

Precando videndum est ne quis se ipsum fallat, mala loco bonorum precando. *Plato in Alc.* Precari Deos debemus vniuersaliter, & hæc sit oratio. ô Rex magne Deûm bona nobis, siue precamur, siue non precamur, das, & contra mala cuncta precantibus aufer. *idem, ibid.* Precatio Lacedæmoniorum est, vt priuatim, & publicè semper consimilem precationem faciant, honesta cum bonis deos ipsis dare, & nil aliud precantur. *ibid.* Precandum diis quid sit maximè aduertendum est. *ibid.*

Precatio vniuersalis qua bonum solummodò petitur semper fieri potest, particularis verò qua certum aliquod quod bonum videtur optatur tunc facienda, cùm quid poscendum est quis nouerit: tunc quis noscit, cùm quid bonum, quid malum est intellexerit, id intelliget cùm à mente didicerit, discet cùm se ad illam conuertet, conuertet cùm purgauerit animam, tenebrásque expulerit, purgabit cùm seipsum legitimæ philosophiæ dediderit, tradet cùm suam ignorantiam recognouerit; Nosce ergo te ipsum templo Apollinis est inscriptum, ne quis temere Deum oraturus accederet. *Ficin. in Alcibiadem 2.*

Preciosum est id quod rarum est. *Plato in Euthydemo.*

Precones alienas sententias demandatas suscipiunt & ipsas rursus aliis demandant. *Plato de regno.*

Primum.

Primo falso, vel inconuenienti dato, reliqua iam multa inconuenientia sequuntur. *Plato in Cratylo.*

Primæ in ordine rerum sempiternarum ob id quod primæ sunt in alias causas referri non possunt, quæ pendent ex primis esse ab illis accipiunt. *Plotin. En. 3. libro 1. cap. 1.*

Primum ipsum circa aliud nõ versatur, sed cætera circa ipsum quiescentia permanent & mouentur: motio enim est appetitiua, illud autem nihil appetit. *Idem, Enn. 3. lib. 9. cap. 3.*

Primum

Primum in vnoquoque ordine superioris ordinis formam præfert. *Proclus in Alc. primum.* Primum hæc habet munera, vt & vnicè perfectiones omnium complectatur, & nihil vltra petat, & omnibus suum impertiat proprium, & cùm solum id munus ipsum bonum, & vnum possideat, meritò præcipua hæc est appellatio primi. *Fic. in Platon. Parmenid. cap. 45.* Primo conuenit propriè incomparabilis ipsa simplicitas, quam ipsam dicimus vnitatem, & communicabilitas per omnia se diffundens, quam bonitatem ipsam cognominamus. *Idem, ibid. cap. 49.*

Primum in intentione principium est quod mouet appetitum, & subtracto principio appetitus à nullo mouebitur, & est finis vltimus. *Fic. in Plat. phileb. lib. 1. cap. 2.* Primum in quolibet genere id simplicissimum. *idem, ibid. cap. 22.* Primum quod est in aliquo genere in eo genere nullam habet causam. *idem, in Plotini Enn. 3. lib. 1. cap. 1.* Primum simpliciter quod est, simpliciter quoque non habet causam. *ibid.*

Primum in quolibet genere, & simplicissimum ibi est, & ibidem continet omnia. *Fic. in Plotini Enn. 4. lib. 3. cap. 5.* Primum in quouis genere est simplicissimum omnium, itaque primum ita simplicissimum est, vt non sit quædam certa res simplex, sed ipsa simplicitas. *Idem, in Plot. En. 5. lib. 3. cap. 16.* Primum penitus quod est, & vltimum, non tendit in aliud. *Idem in Plotini En. 3. lib. 9. cap. 4.*

Primum in vnoquoque genere est perfectissimum in illo genere. *Ioan. Pic. Mirand. in apologia.* Primum in vnoquoque genere causa est reliquorum sub ea serie contentorum licet omnia eandem causæ rationem non habeant. *Idem, in Astrol. lib. 3. cap. 4.*

Princeps.

Princeps omnis imperio vtitur, vt aliquid fiat; & quæ fiunt alia animata sunt, alia inanimata. *Plato de regno.* Principes sapientes in omnibus quæ faciunt carent peccato, quandiu vnum hoc magnum obseruarint, vt id quod iustissimum est cum intelligentia, & arte semper ciuibus distribuentes, & seruare ipsos possint, & è deterioribus meliores reddere quantum fieri potest. *Idem, ibid.* Principibus tyrannis non conducit vt subditi magna prudentia sint præditi, & amicitias, ac societates validas contrahant. quas res [illegible] ent tum alia omnia, cum amor inducere. *in sym. oso.* Princeps, vt princeps, sibi ipsi commodum non considerat neque præcipit, sed subdito, & cui ipse præest. *de rep. dial. 1.*

Princeps, & custos reipublicæ is est eligendus, qui semper, & dum puer est, & dum adolescens, itémque vir, examinatur, & integer, & incorruptus euadit; & honores ipsi & viuo, & mortuo contribuendi, ita vt sepulchrorum, & aliorum monumentorum maximos honores consequatur: qui verò talis est, non est is reprobandus, & explodendus. *Plato de republica, dial. 3.* Principibus ciuitatis, & custodibus filij succedere debent si virtute præditi erunt; sin autem, nō ipsorum filij, sed qui musicæ, & gymnasticæ operam dedere, & experti boni ciues vtilitatis ciuitatis studiosi sunt; quod pro natis ex auro, argento, ære, & ferro intelligendū est. *idē, ibid.*

Principes multo mendacio, & deceptione vti debent ad subditorum vtilitatem. *Plato de rep. dial. 5.* Principibus causæ in ciuitate iudicandæ sunt demandandæ, & nihil magis cupidè iudicabunt quàm vt singuli neque aliena habeant, neque suis priuentur. *Idem, ibid dial. 4.* Principes ciuitatis amantes, dum voluptatibus & doloribus tentantur, neque in laboribus neque in timoribus neque in vlla alia rerum mutatione discedant, aut si quis hoc præstare non poterit, reprobetur: qui autem vbique integer euadit, velut aurum, quod in igne probatur, is princeps constituatur, & ei munera dentur, & viuenti, & mortuo. *dial. 6.*

Principes vitam principatu potiorem si habebunt ciuitas bene se habebit. *Plato de rep. dial. 7.* Principes in bona ciuitate reuera diuites esse debent, non auri, sed cuius felicem diuitem esse oportet, bonæ, & sapientis vitæ: at si inopes & egeni propriorum bonorum ad publica accesserint, hoc bonum capere oportere putantes, fieri non potest. *idem, ibidem.*

Princeps ebriorum sobrius esse debet, alioqui ebrius omnia subuertet, quæcunque sint quorum curam habeat, siue naues sint, siue currus, siue exercitus, siue quid aliud gubernet. *Plato dial. 2. de leg.* Principes, & subditos in ciuitatibus esse necessarium est. *idem ibid. dial. 3.* Principes ministri legum appellandi sunt, non nouationis nominis studio, sed quod circa hoc præ omnibus salutem & contrarium ciuitati esse puto; in qua enim ciuitate subdita est lex, & non dominatur, ei paratum interitum video. *ibid. dial. 4.*

Principum electionis omnes participes sint, qui equestria, aut pedestria arma gestare possunt, & virium ætatis suæ tempore bello interfuerunt, & electio fiat in templo; vnusquisque nomen patris, & tribus, & populi ex quo est, ad aram Dei in tabula scriptum ferat & suum n[illegible]men eodem modo adscribat; liceat vnicuique pro arbitrio, vt quæcunque tabula non è sententia sua sibi scripta videtur, eam tollat, & in forum non minus quàm per dies triginta ponat. Tabulæ vsque ad trecentas iudicatæ ostendant principes vniuersæ ciuitati conspiciendæ. Ciuitas autem ex his accipiat quas quisque voluerit, ex his verò delectos centum. Rursus secundò omnibus ostendant, tertiò autem ex centenis his accipiat quisque quamcunque voluerit per eosdem procedens: triginta verò & septem, quibus plura suffragia obtigerūt, suo iudicio magistratus declarēt. *Plato de legib. dial. 6.*

Principes non auri inopiâ, sed amicorum defectu pereunt. *Plato ad Dion. epist. 1.* Principes tales debent præstare seipsos quales videri volunt. *idem, ibid. epist. 4.* Princeps subditum vbi timet neque bonum, neque diuitem, nec robustum, nec fortem, nec bellicosum vnquam fieri permittet. *de leg. dial. 8.* Principes veritate, iustitiâ, magnificentiâ, præstare debent, & prudentiâ tantum alios superare quantum viri pueros. *Plato Dion. epist. 4.*

Princeps legitimus non minus quàm pater curat subditos. *Philo de vita Mosis lib. 3.* Principes non sunt creandi sorte, vt nec medici sorte capiuntur, sed peritissimi. *idem, de creatione princip.* Principes super mundum vt Magi putant, præcipui tres sunt. Oramasis, Mitris, & Arimanis. i. Deus, Mēs, Anima Dei propriū est vnitas, mentis ordo, animæ motus. *Fic. Plat. Theolog. lib. 4. cap. 1.*

Principis officium est circumspecta prouidentia, iustitia clemens, sublimitas humilis, humilitas sublimis. *Fic. epist. lib. 3.*

Principi nil periculosius est quàm si quamplurimi eum contemnant, vel oderint, vel nimis inuideant. contemptus vitatur scientiâ, grauitate, integritate; odium, innocentia & humanitate lenitur, inuidia munificentia, magnificentiáque sedatur. *idem, epist. lib. 5.* Principis domus esse debet Dei templum. prudentiæ oculus, libra iustitiæ, fortitudinis sedes. regula temperantiæ, honestatis exemplar, charitatis splendor, fons gratiarum, musarum chorus, oratorum poetarúmque gymnasium, philosophorum theologorúmque sacrarium, prudentum senatus, ingeniorum fomentum, præmium literatorum, pauperum mensa, bonorum spes, refugium innocentum, præsidium miserorum. *ibid.*

Principes in republica nunquam boni futuri sunt, nisi viri sint probatissimi, statim à tenera ætate diligenter exculti. *Fic. in Plato Iachetem.* Principes sapientes honorent, sapientes libenter principibus cōsulant, morale præceptum est apud Platonem: nam sapientia sine potentia paucis prodest, & potentia remotâ sapientiâ obest multis, & quo maior eo perniciosior. *idem, in Plat. epist. 2.*

Princeps nec sibi, nec vni seipsum credere debet, sed plures consultores habere, & admodum senes, quos experientia rerum diuturna docuerit, quorum mores constantissima fama commendet, ac res ipsa manifestissima probet. *Ficin. epist. lib. 5.* Principium quales sunt mores, tales sunt ciuium facillius, & citius quam ea hac mutari possunt. *idem, in Plato de legibus dial. 4.*

Principis magna est laus, & gloria, nec non reipublicæ vtilitas esse ei adiunctum aliquem velut Nestorem, cuius consiliis cuncta gerat & administret. *Sebast. Fox prof. in Plato. phædon.*

Principis, & cuiusuis rei præsidentis proprium est eius vtilitatem, non propriam quærere, quando propterea præficiatur, vt illi tantum consulat. *idem, in Plato de republica dialog.*

Princeps rarò eo animo regnat quo imperium accipit. *Franc. Patr. de republ. lib. 1. tit. 2.*

Principes grauius peccant exemplo quàm culpa. *idem, de regn. lib. 1. cap. 7.*

Principibus nihil infelicius est quàm velle agere quæcunque possunt. *idem, de reg. lib. 2. cap. 1.*

Principis solertia sit solùm videre cui rem pecuniariam credat. *ibid. cap. 13.*

Princeps pius, & Deo, numinibúsque optimè conciliatus, bene ab omnibus audit, cuncta eius dicto obtemperant, & eius fidei liberè se credūnt. *Franc. Patric. de regno, lib. 2. cap. 18.*

Principes in re bellica excellentes facit exercitatio à teneris annis. *Franciscus Patricius, de regno, in proœmio libri tertij.*

Principes quales sunt, tales sunt eius populi. *ibid.*

Princeps ociosus aut molestè degit, aut minus digna meditatur. *de regn. lib. 3. cap. 9.*

Principis optimi munus est veritatem omnibus in rebus diligenter indagare, & eam inuentam defendere. *Franc. Patric. de regno, lib. 4. cap. 5.*

Princeps optimus maledicta in se potius inbibet, quàm vlciscatur. *idem, ibid. cap.* 6. Principis aures delectationem accipere debent rerum honestarum, nam qui turpia libenti animo audiunt se turpem esse arguunt manifestè. *ibid. c.* 15.

Principis boni est ærumnas tolerare. & nullum honestum laborem detrectare, nec per ignauiam summittere vt nimis delicatus esse videatur. *Francis. Patric. de regno, lib.* 5. *cap.* 18. Principis personam sustinere magnum onus est inter mortales, nam non solùm hominum auribus, sed etiam oculis inseruire debet: etenim serenum & pacatum cœlum maria omnia tranquilla & pacata reddit, & omnis tempestas & fluctuatio ex illius serenitate quiescit, sic ex principis vultu, ac serenitate omnium ciuium animi placantur, & in communi spe omnium concordia augetur. *idem, de regno, lib.* 7. *cap.* 10.

Princeps qui facile audit, multorum iniurias cohibet. *Francisc. Patr. de regno, lib* 8. *cap.* 18. Principes desinunt esse principes, cùm qui obedire debent non obedientiam præstant. *idem, de regno, lib.* 9. *cap.* 4. Princeps optimus omnia intelligere debet ne à paucis illis qui chariores ipsi sunt, decipiatur, sed ignoscendo sit clementior. *ibid. cap.* 22. Principes sapientes in rebus arduis populi sententiam sciscitari solét, quo minus fortunæ, & multitudinis inuidiæ obnoxij sint, & vt cum multis onus maximarum rerum sustineant. *ibid. c.* 16.

Principatus.

Principatuum tres sunt formæ, vnius, paucorum, multitudinis, ex quibus quinque fiunt ad violentum. & voluntarium respicientes, & ad paupertatem, & diuitias, & ad legem, & iniquitatem; quæ in ipsa fiunt ex duobus vtrunque bifariam diuidentes, vnius principatum appellant, velut duas species exhibentem tyrannide, & regno; at in qua ciuitate pauci dominantur, in optimatum dominium, & paucorum potentiam diuidunt, at popularis nullo modo mutat nomen. *Plato in dial. de regno.*

Principatum gerentem virum virtuti adæquatum, & quantum fieri potest perfectè assimilitatum, & verbis, & factis nunquam viderunt homines. *Plato de repub. dial.* 6. Principatum illi qui principes futuri sunt si non ambiunt, citra seditionem maximè habitari potest ciuitas. *dial.* 7. Principatus in ciuitate si eo deuenerit, vt de ipso pugnetur, domesticum iam, & intestinum est tale bellum, & ipsos perdet, & reliquā ciuitatem. *ibid.*

Principatum si quis sumit volens, & nō coactus turpe est. *Plat. de republica, dial.* 1.

Principatum si quis gerere nolit maxima pœna est vt deteriori subiectus sit. quàm formidantes moderati viri principatum gerunt *idem, ibid.* Principatum gerunt boni, non vt ad bonum, nec vt voluptatem in ipso percipiant, sed vt ad rem necessariam. *ibid.*

Principatum his qui gerere velle debent mercedem constituere oportet, aut pecuniam, aut honorem, aut pœnam si non volunt, cùm non sibi optimum curant, sed subdito. *Pla. de repub. dial.* 1. Principatum boni, nec mercedis causā nec honoris gerere volunt, nam apertè principatus gratiā mercedem exigere nolunt, mercenarij nolunt vocari, neque si clam ex principatu accipiant fures, nec honoris causa, non enim sunt ambitiosi; necessariò ergo pœna illis adesse oportet si principatum gerere velle deberent *idem, ibid.*

Principatus est prouidentia vniuersi. *Speusip. in Plat. definitionib.*

Principatus extero non est dandus: primò, ne spoliatis subditis sibi magnam auri & argenti, & pecorum vim colligat: secundò, ne propter sua priuata commoda gentem traducat in regionem aliam. *Philo de creat. princ.*

Principatum petere, & magistratus ambire nemini licet *Fic. in Plat. de repub. dial.* 1.

Principatus vnius excellentior est multis. *Francisc. Patric. de regno, lib.* 1. *c.* 13.

Principia quot dicuntur modis & quot sunt.

Principia rerum alij tria quæ sunt posuerunt, pugnántque aliquando inter se, aliquando amicitiā factā nuptias contrahunt, & partus edunt, & alimenta editis præbent. alius duo dixit, calidum frigidum, humidum siccum, ipsáque collocat, & elocat. Quod verò est apud nos Eleaticum genus, à Xenophane & superioribus adhuc originem ducens velut ea quæ omnia appellantur vnum sunt, ita rem fabulis exequitur: Ionicæ verò & Siculæ Musę tutissimum esse excogitarunt ambo complicare, & dicere, quod id quod est, & multa, & vnum est, verùm & amicitia, & inimicitia cohæret. dissidens enim semper consentit, dicunt rigidiores musæ, verùm molliores hæc quidem ita semper se habere laxarunt: ex parte verò aliquando omne dicunt vnum, & amicum ex Venere, aliquando multa, & ipsum sibi inimicum, ob quoddam dissidium. *Plato in sophista.*

Principium vnum qui ponunt multa ponunt, nam totum aut vnum est, aut aliud ab vno; si aliud, non vnum: si vnum, habet medium & extrema, ergo non vnum, sed etiam sic duo ponunt. *Plato in sophista.* Principiorum numerum minorem esse quinque id est essentiæ, motus, status, eiusdem, alterius, impossibile est. *idem, ibid.* Principia rerum tria, vnum vt exemplaris species, quæ intelligentiā percipi potest, alterum exemplaris imitatio, quæ originem habet, & videri potest, tertium quod fit vt omnis originis receptaculum, & nutrix. *in Timæo.*

Principia duo rerum esse impossibile est, & inuicem, & in vniuerso contraria, & repugnantia, nam sic & Deus à detrimento procul non aberit, & cuncta erunt inordinata, sempérque pugnantia; at bonum pacis auctor & pax à Theologis appellatur, ideò bono omnia amica, & malum nec in Deo est, neque commercij diuini quicquam habet. *Dion. Areop. de diu. nomin.*

Principia rerum tria ponit Aristoteles, materiam formam, priuationem; materia cultum & ornatum formam scilicet desiderat: propriè & principaliter est species, ex accidenti materia, quod non est propriè, & principaliter priuatio. *Chalc. in Tim.*

Principia interminata sunt numero dicimus, quæ veræ causæ, & principia omnium. & vnum. & interminata dualitas, vtraque hæc supergrediuntur, quæ in diuisione assumantur; vnum numero, & indiuiduum materialibus solis formis conuenire quoniam vnum quod immateriale est non minus est omnia quàm vnum, & quod in formis est terminatum. *Syrianus in 2. metaphysices.*

Principium rerum vnum est: vocatur vnitas, quia per excellentissimam simplicitatem supereminet omnia, per veritatem producendo dat esse omnibus, per bonitatem producta ad se reuocando præstat & bene esse; vel vt Ioannes Apostolus ait, vnitas esse principium, veritas principij ratio, bonitas principij rationalis amor, quam libenter amplectitur Amelius. *Fic. Plato. Theol. lib.* 1. *cap.* 3. Principium vel voluntatis est, vel fortis, perseuerantia virtutis. *idem, epist. lib.* 1.

Principij rerum omnium consideratio duplex, vna qua omnia inde profluunt. & semper dependent; altera, vt ab omnibus est eminentissimè segregatum. *Fic. in Dion. Areop. de trinitate.*

Principia tria Platonici ponunt, Diuinitatem, naturam, artem; tria quoque opera, diuinum, naturale, artificiosum: tres sunt horum operum rationes, idealis in Deo, seminalis in natura, artificiosa in arte; quidquid agitur secundùm naturam, vel diuinitatem, vel artem, ex quadam causa determinata, & propria ratione agitur, & id bonum est: malum verò, quod contra diuinitatem, vel naturam, vel artem fit, non habet definitam alicubi causam, nec rationem propriam, vel efficientem, vel exemplarem, sed ex causis temerè confluentibus accidit. *idem in Dion. Areopag. de diu. nom.*

Principia rerum quinque sunt, de quibus in quinque suppositionibus agitur, prima de primo Deo, secunda de intellectu primo & ordine intellectuali, tertia de anima & suo ordine quarta de materiali specie, quinta de informi materia. *Fic. in Plato. parmenidem. cap.* 51.

Principium vnum sufficit, & plura fingere vanum est. *idem, ibi. cap.* 57.

Principia rerum quinque nominat Plato, esse etiam, motum, statum, idem, alterum, sed si esse addas erunt sex, qui numerus perfectus est; & si addas Deum supra sex, septem erunt, naturæ termini quibus si addas infinitum & terminū 9 erūt, in quo numero omnia finiuntur *idem, in Plato phileb. li.* 2. *ca.* 2.

Principium rerum omnium vnum & immobile ponit Parmenides, & Melissus, & Eleates Zeno quorum dogma in libro de vno Plato exponit, & approbat. *Fic. in Plato Theatet.*

Principium cuiusuis operis maximum quoddam est in tenera præsertim ætate facile vtrinque formabili. *idem, in Plato de rep. dial.* 2.

Principium ternam nominasse Platonem non est mirum, id est Deum, mentem, & mundi animam; nam Deus per se vnus bonúsque existit; cumque vnitas & bonitas amplissima sint, sequitur vt Deus per se sit omnino, Mentem verò summam Deo proximam per Deum esse, quatenus vnum quiddam est & bonum, & per se, quatenus mens est & ordo naturæ secundæ · mundi denique animam productam quidem & ipsam à primo Deo qua vnum atque bonum, productam quoque ab ipsa mente, quà mens, sed quà per se mobile est, à seipsa productum. *idem, in Plat. epist.* 2.

Principia tria rerum præcipua sunt, bonum, prima mens, anima mun-

ma mundi. Sicut in anima mundi hæc ipsa mundi membra illinc genitæ collocari non debent, ita nec mobiles animæ discursiones, affectionésque pendentes ab intellectu sunt in intellectu ponendæ; ita denique nec intelligentiæ speciésque rerum intellectui propriæ pendentésque e a bono attribuendæ sunt ipsi bono. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 7. cap. 42.*

Principium est Dei filius, per quem facta sunt omnia. *Io. Pic. Mir. in Heptap. in exposi. dictio in prin.*

Principia rerum naturalium qui admisere, alij corporea simul, & incorporea, spatalia, & materialia, miscuere. Deum videlicet ideas, & materiem, quam plerique Platoni tribuunt. Arist. materiam, formam, & priuationem. Pythagoras ex numeris composuit principia: Mathematici nonnulli fines corporum posuere; Straton physicus qualitatibus naturalibus solùm contentus fuit; Democritus indiuisibilia corpora, Epicurus atomos; alij varij in numero principiorum fuere, nam vnum, duo, tria quatuor, & quinque posita fuere: nec ita minor difficultas fuit in rei natura, & qualitate: nam qui vnum, alius terram, alius aquam, aerem alius, ignem alius, & sic de cæteris, ita vt quidam infinita principia opinati sunt. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib 1. cap. 50.*

Principium potius vnum quam multa asseruit Plato, cùm magis ad rationem finiti quam infiniti se habeat. *Gab. Buat. de ideis lib. 1.*

Principia Aristoteles in natura tria ponit vt Plato sed maximè differunt, quia Plato non distinguit priuationem à materia, in qua Aristoteles inuentum suum multis verbis commendat lib. primo physicorum. *Iacob. Carpen. in Alcinoi præfatione.*

Principium vnum rerum omnium vt est, sic vnam & eãdem de eo scientiam semper apud omnes fuisse ratio multarum gẽtium ac litterarum monimenta testantur. *August. Steuch. de perenni philosophia lib. primo, cap. 1.*

Principia rerum duo veteres statuerunt, mentem Deúmq; agens, naturam vel materiam quam necessitatem Plato appellat. *idem, ibid. cap. 9.* Principia Platonicorum tria, Deus, mens, anima. *ibid. cap. 14.*

Principia duo rerum ex Orpheo, Deus, & chaos. *lib. 7. cap. 10.*

Principia omnium quæ generantur duo esse dicuntur, forma, atque materie. *Leo Heb. de am. dial. 2.*

Principia quid sunt & quæ.

Principium rerum est à quo existit & ipsum esse, & omnia quomodolibet existentia, omne principium, omnis terminus, omnis vita, immortalitas omnis, omnis sapientia, totus ordo, omnis potestas, omnis harmonia, omnis custodia & conseruatio, firmitas omnis, vniuersa distributio, omnis intelligẽtia, ratio, sensus, habitus, totus status, vniuersus motus, vnio, temperies, amicitia, quæuis conuenientia, cuncta discretio, quilibet terminus, vnaquæque definitio, & reliqua quotcunque eo ipso quo ipsa sunt entia, omnia essentiæ suis quæque characteribus imprimunt. *Dion. Areopagita de diu. nom.*

Principia qui ponunt figuras naturales, non mathematicas, nõ oppositiones Aristotelis destruunt. *Bess. Card. in Cal. Plato. lib. 2. cap. 10.*

Principia Parmenides, & Melissus non naturalia, sed theologice ponunt. *idem, ibid. cap. 11.*

Principium est ipsa simplicitas infinite. *Fic. in Dion. Areopag. de trinitate.*

Principium omnium illud est, cuius omnia participia quodammodo sunt, ac propter participationem quandam appetitu quodam ad ipsum omnia conuertuntur, habentia videlicet ad ipsum habitudinem quandam inde tributam, illuc sua omnia referentem, vt vnde primò facta sunt inde præcipuè perficiantur, & seruentur. *Fi. in Platon. parmenidem, cap. 42.*

Principium omnium esse oportet imparticipatum & sitiuens, & in se ipso natum, id est non in aliquo, ne cogatur aliunde pendere, & non debet habere duplicem in se naturam, sed vnum esse penitus absolutum. *idem, ibid.*

Principium in vnoquoque genere id est quod sibi est maximè omnium vniforme, & ante omnia simplicissimum. *Ficin. in Plat. parmen. cap 48.*

Principia prima omnium æquè summa esse non possunt. *idem, in Plot. En 2. lib 4. cap. 2.*

Principium non est factum, ex ipso enim omnia fieri necesse est, nec vnquam perire potest *Gabriel Buratellus de anima naturalib lib 3.*

Principia vt prima & generationis, & ingenitarum rerum.

Principia eorum quæ generantur sunt velut subiectum materia, velut ratio formarum, species siue idea; opificia eorum sunt corpora, terra, aqua, aer, & ignis. *Tim. Loc. de mundi an. & nat.* Principia incorruptibilium quouis modo entiũ omnino sunt principia, quæ verò sunt corruptibilium, non omnia & incorruptibilium sunt. *Syrianus in 2. metaphysica.*

Principium omnium non est omnia, sed illo modo est vniuersa quod ibi quasi cuncta concurrunt, imò nondum sunt sed erunt, ipsum verò vnum est omnia, & quia nihil erat in ipso, ideò ex ipso sunt omnia, & vt ens fiat, ob hoc ipsum vnum non est ens, sed ens progenies eius est, & prima genitura: quod verò inde factum in ipsum conuersum est, & impletum, & tale euasit vt respiceret in se ipsum, & intellectus prodiret; at status ipsius erga illud ens efficit, aspectus autem ad se ipsum fecit mentem cùm incumbit erga seipsum vt cognoscat, simul intellectus atque ens euadit; sic itaque ens vt & ille similia facit secundùm potentiam profusionis quamplurimam, species autem ipsius hæc quoque est, vt ipsum ex ipso ente profudit; atque hic ex essentia actus est anima, id ex illo manente facta, etenim intellectus superiore manente est effectus. Hæc non permanendo facit, sed simulachrum commota producit suspiciens illuc vnde manauit impletur, progresse verò in motum alium & oppositum, suum efficit simulachrum, id est in animalibus statum, in plantis naturam. nihil à suo superiore segregatur, atque diuiditur, quamobrem hominis animæ progredi ad plantas vsque videtur, quia ipsius est quod est in plantis, non tamen vniuersa est in plantis, sed illis insinuata sic inest, quoniam eatenus ad inferiora processit. *Plot. En. 5. lib. 2. cap. 2.*

Principium primum esse non potest, si nihil ab illo procedat, & præstantissimum esse debet. *Plotinus En. 5. libr. 4. cap. 1.*

Principium non potest esse corpus, si quidem nullum corpus simplex, & omne corpus fit, ideò non potest esse principium, quod ingenitum esse debet. *idem, ibid.*

Principium primum omnia imitantur ad perpetuitatem, & bonitatem complendam. *ibid.*

Principium primum cùm non sit in alio, & cætera superioribus infinit ipsum cuncta complectitur, non adest vt non cõprehenditur, vt est à quolibet liberum nusquam prohibetur adesse. *Plotinus En. 5. lib. 5. cap 9.*

Principium primum est essentiâ præstantius. *idem, ibid. cap. 11.*

Principium primum supremum est quod non intelligit, secundum quod intelligit primò, tertium quod secundum quandam intelligentiam habet. *idem, En. 5. lib. 6. cap. 2.*

Principium primum rerum optimum est & ipsum bonũ, quod anima sequitur, quod lumen menti infundit, cuius vestigium hæc passim concitat, mentem & animam ad se trahit, & ab errore reuocat, vt penes ipsum denique conquiescant, ab ipso omnia sunt, nihil melius ipso, per se sufficientissimum, *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 23.*

Principio primo non accidit contingens vel fortuitum, nec necessitate operari, nondum enim necessitas erat, sed quod oportuit esse, nec agere secundum bonum, sed ipsum existere bonum, & cùm inueneris infinitum, omnia quæ sunt post illud dicere poteris, illud verò nullum eorum esse dices, sed tanquam vniuersam potestatem reuera sui ipsius dominam, quod vt vult existentem, imò quod vult in res proiiciẽtem, dum excellentior ipse est omni voluntatis actu, & eiusmodi actum sibi subdit. *Idem, En 6. lib. 8 cap 9.*

Principium primum non debemus aliqua affirmatione appellare, sed potius ab illo omnia sunt neganda. *Plotin. En. 6. lib. 8. cap. 11.*

Principium primum quid existet oportet nos incerta mente silentes hinc abire, nec quicquam vlterius indagare, nam omnis quæstio quæris, vel vtrum sit vel ne, vel quale, vel quid, vel propter quid: non propter quid, quia non est supra illud principium. non quale, quia nihil illi accidit quid declerat potius de illo non esse inquirendum, nec de eo dubitandum est. *idem, ibid.*

Principia prima sunt intellectus, ens, alteritas, identitas intellectus quatenus intelligit, ens vt intelligitur, & actus intelligendi esse non posset nisi esset alteritas, & identitas. & his quatuor oportet coniungere motum & statum, & ex his, vt principiis reliqua proficiscuntur. *Plotin. En 5 lib. 1. cap 4.*

Principio rerum primo maximè conuenit, & ad eum spectat tum simplicitas, & supereminens singularitas, tum virtutis propagatio vsquequaque diffusa: meritò inde vnum, hinc bonum nominetur. *Idem, in Dion. Areop. de trinitate.*

Principium primum non est multiplex in natura, vel in actione, quia quamplurima facit, sed potius contra, quia est infinitè simplex, ideò est primum, & idcirco illinc omnia proficiscuntur, & quoniam propter miram simplicitatem est ipsa vnitas virtutem habet infinitam cuncta creantem, si quidẽ in singulis quatenus vnaquæq; virtus magis vnita est, eo potentior est, efficitq; plura. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Principij primi prærogatiua est, vt circa ipsum pro virtute & actione sit substantia, & substantialis actio mox post ipsum in medium afferenda. *Idem, in Plat. Parmenidem, cap. 64.*

Principium primum est quod omnia facit. *in Plato. phileb. lib. 1. cap. 1.*

Principium primum præstantiore quadam ratione quàm cognoscendo seipso fruitur, & anima eo fruitur excellentiori forsan cognitione quàm intellectuali, vel potius eminentiori quodam pacto quam cognoscendo. *Ficin. in Plot. Enn. 3. lib. 8. cap. 3.* Principium vniuersi primum solum propter summam primi simplicitatem numerum non admittit, reliqua rerum genera, scilicet mentis, animæ, naturę, corporis, & recipiunt numerum specialem, & iam habent tanquam ad commune totius bonum maximè pertinentem. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 3.*

Principium rerum non habens cum intellectu proportionem, supereminet genus intelligibile, igitur est ente superius. *Fic. in Plotum Enn. 5. lib. 5. cap. 6.* Principium omnium, quod propter inæstimabilem eminētiam & simplicitatem vnum ipsum cognominatur, nec in se vllum habet æstimabilem numerum, nec cum rebus in aliquo conuenit, alioqui si cum rebus conueniret duo sequerentur absurda, primò quod hoc erit ex communi conditione, & sua quadam proprietate compositum, secundò quod hæc ipsa natura communis tanquam simplicissima vniuersaliórque erit ipso superior, nec in se numerum habet essentialem, qualem Plotinus excogitat in essentia prima, videlicet multitudinem rationum formalium absolutè inter se distinctarum etiam absque intelligentiæ actu, nec numeru habet in se in quantitatis genere compræhensum, numerum ad quantitatem pertinentem qui constat ex vnitatibus, reducit ad vnum ipsum proprium principium quantitatis, numero quouis excelsius. Numerum quoque formarum essentialium ad vnum similiter reducit essentiale; hoc demum simpliciter ad ipsum vnum. *Idem ibid. cap. 4.*

Principium primum non aliter Plotinus, atque Dionysius Areopagita, putat esse super intelligētiam, vitam, essentiam. *Ficin. Plotini En. 6. lib. 9. cap. 6.* Principium rerum primum aliqui philosophi fatebantur, sed de numero non conueniebant, nec de essentia siue natura, nec de sede; nam stellas deos esse cœlestes Anaximandro placuit, Democrito visum est Deum esse mentem igneam, animam mundi, corporeos deos putauit Epicurus hominum figura, sed ab hominibus longè discretos: Stoici diuinam substantiam intelligibilem & igneam esse decreuere carentem forma, transmutari autem in ea, quæ vult, & omnibus similem fieri, nec id confonè; nam antiqui aliter, recentiores aliter decreuere, alij ignem Deum esse dixerunt. Cleantes Solem, Pythagoras vnitatem principium, & Deum esse opinatus est, Lysis, & Philolaus, alter numerum ineffabilem, alter maximi intimíque numeri summitatem. Plato principium rerum omnium Deum magna voce testatur in ignea substantia, Arist. Deum supremum in æthereo supremo corpore collocauit, sed aliud alij dixere Platonici. *Ioan. Franciscus Picus Mirandulanus in examen vanitatis doctrinæ gentium, lib 1. cap. 9.*

Principia prima propter eorum simplicitatem si ab aliis differunt, hoc non est ratione differentiæ, sed seipsis, vt homo differt ab asino rationalitate. *Gab. Burat. de ente & vno lib 2.* Principiorum primorum in contrarietate Plato ab Aristotele notatur quòd solus inter veteres philosophos eam materiæ tribuat, magnóque & paruo exprimat. *Iac. Carpent. in Alcinoi præfatione.*

Principia vt ad cognitionem pertinent, & motum.

Principiorum cognitio ex sensu prouenit. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. in examen vanitatis doctrinæ gent. lib. 5. cap 2.* Principium motus quod est, Plato vult semper moueri, & immortale esse. *Iac. Carp. in Alcin. præfatione.*

Principiorum proprietas, & ordo.

Principia maximè cōsideranda sunt, quia dato vno falso multa sequuntur. *Plato in Cratylo.* Principium factum non est, ex principio enim necesse est fieri quidquid fit, & ipsum ex nullo. *in phædro.* Principium cuiusuis operis maximum est, tum alias, tum cuiuis iuueni & tenero. *de repub. dial 2.*

Principium dimidium totius operis in prouerbiis dicitur, & bene incœpisse omnes semper laudant, at mihi plusquam dimidium esse videtur, & nemo ipsum si rectè fiat vnquam satis laudabit. *de leg. dial. 6.*

Principia rerum omnia per communium ipsius esse participationem & sunt, & principia sunt, & primò sunt, deinde principia sunt. *Dion. Areop. de diu. nom.* Principia rerum nec ex aliis originem trahere debent, sed omnia ex iisdem substantiam mutuari. *Chalcidius in Plato. Timæum.* Principia numero quidem minima esse, potentiā verò vniuersorum generatiua incompræhensiua. *Syrian. in 2. metaph.*

Principium in seipso permanet, nec in vniuersum diuiditur, alioquin si diuidatur perditur statim vniuersum. *Plot. Enn. 3. lib 8. cap. 9.* Principium non est omnia, sed omnia potius à principio sunt. *idem, ibidem. cap. 8.* Principiis negatiuæ orationes conueniunt. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 51.*

Principium ad vnum omnia quæ in cœlo sunt, & sub cœlo, & super cœlum, referuntur similiter. *Fic. de sole. cap. 13.*

Principij virtus tanquam immēsa fortiter attingit omnia, nec vsquam cohiberi potest. *idem, epist. lib. 12.* Principium aggredi non debemus, nisi finem ipsum & optimū, & certum ante perspexerimus. *idem, epist. lib. 5.*

Principium omne supereminens alicuius multitudinis, & maximè vnum, procreat prius multitudinem sibi similem, id est vnitates quasdam eminentes sibique similiores, quàm multitudinem sibi longè distantem, & vniones singulorum in multitudine proprias. *Fic. in Platon. Parm. cap. 52.*

Principiorum ordinibus nullo connumerari debere existimāt Platonici ipsum bonum, ipsum intellectum, mundi animum; Bonum sępe patrem nominant, intellectum filium, animam mundi spiritum, si trinitatis huius eandem volunt esse substantiam, sunt quasi Christiani catholici. *idem, ibid. cap. 94.*

Principium quodcunque in eo quod principium ab alio effici nequit. *in Plat. phædrum, cap. 6.*

Principium simplicissimum esse debet, & optimum, at nihil vnitate simplicius, vel bonitate melius, nec vnitas bonitate melior, nec bonitas vnitate simplicior: vnum ergo sunt ambo summúsque Deus, & id totum super essentiam est & super mentem. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 8.*

Principia vniuersi superiora producunt quæ sequuntur, producta reducunt, reducta perficiunt. Dum producunt largiuntur esse, dum conuertunt esse conseruant, vbi perficiunt in melius esse reformant. Ab iis affectibus quasi concretis ternario numeratis ad absolutam, & trinitatem, scilicet productoriam, conuersoriam, & perfectoriam. In productoria trinitate primum est ipsum bonum, secundum intellecti boni filius, tertium anima & vita mundi, quasi diuinæ intelligentiæ spiritus. *Fic. in Plat. En. 2. lib. 3. arg.*

Principiorum ordinem hunc in modum distribuit Plotin⁹: primò absolutissima Dei vnitas, vel simplicitas, cum adeò supereminea omnia, vt neque similitudinem, nec respectum prorsus vllum ad aliquid habeat, ideoq; nec prius hoc quàm illud aspicit, certè aut nihil efficit, aut omnia simul, sed summa bonitas super omnia meritò mox efficit omnia, summa vnitas statim vnum, quod inde proximè manat ab vnitate quæ super omnia est, est vnum omnia, vnum scilicet ens, entia cuncta: hoc ipsum intelligibile est, quod est intelligibilia cuncta. Hic primus est intellectus. Sequitur mundus ex intellectu per animam non tam vnum & omnia, quàm ex omnibus vnum; nempe, & in mēte, & in anima præcedit ipsa sua vnitas multitudinem, & in corporeo mundo formarum vnitas quodammodo multitudinem sequitur. *Fic. in Plot. En. 2. lib 9. cap 6.*

Principio nulla est origo, nam ex principio omnia oriuntur, ipsum nulla ex re nasci potest. *Iacob. Carpent. in Alcinoi defensione.* Principia rerum omnium in verbo latent. *Augustin. Steuch. de peren. phil. lib 1. cap. 24.*

Priscianus Lydus fuit, Platonicus, & sedulus Iamblici sectator. *Fic. in Prisc. Theoph. cap. 13.*

Priuata nisi in ciuitatibus rectè administrētur, frustra quis putauerit publica in ferendis legibus firmitatem habitura esse. *Plato de leg. dial. 4.*

Priuatio est natura contraria vniuersæ speciei. *Plotin. 2. lib. 8. cap. 15.* Priuatio non est qualitas, vel qualis, imò qualitatis orbitas, vt silentium vocis vel alterius cuiuscunque vacatio; nam priuatio est negatio, quale in affirmatione consistit. *Idem, En. 2. lib. 4. cap. 13.* Priuationes, si illa quorum dicuntur priuationes, sunt qualitates, ipsæ quoque qualitatis erunt. *Idem, Enn. 6. lib 3. cap. 19.*

Priuatio nec ipsa vim propriam bono aduersatur, vniuersalis enim priuatio vim nullam habet; particularis non vt priuatio, sed qua ratione non est priuatio, vniuersam vim aliquam habet, quatenus enim particularis est defectus boni, nondum est malum, quæ si non fit vltra particularis, simul & ipsa natura mali discessit. *Dionysius Areopagita de diuinis nominib.* Priuationes in effectis etiā quodammodo sunt species tamen non sunt, ad vnitiuam enim entis potentiam etiam ipsæ susceperant debilem quādam essendi imaginem. *Procl. el. Theol. propo. 74.*

Priuati officium est tam libenter magistratuum parere mandatis, vt non legis necessitate compulsus, sed propria voluntate videa-

tate videatur adductus. *Ficin. epistol. lib. 3.*

Priuationes quandoque eligimus magis quam habitus ratione boni. *Fic. in Plato. parmen. cap. 46.* Priuationem absque habitu cōsiderare non possumus. *Idem, in Plato. sophistam, cap. 18.*

Priuatio ex habitu cognoscitur, & rectum & sui & obliqui est index. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænotione lib. 2. cap. 1.*

Priuationem vocat Moises tenebras. *Ioan. Pic. Mir. in Heptap. lib. 1. cap. 2.* Priuationes sunt de genere non entium, cùm de se sint alterum contradictionis extremum. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. in ep. ad Anton. Fauentin.* Priuatio in simplicis rei ortu, mutationis in materia causa est efficiens. *Iacob. Carpent. in Alcin. cap. 7.*

Prius quod non erat, posterius hoc vt sit impossibile est absque hoc vt factum sit, aut fiat. *Plato in Theat.* Priora ritè censentur illa ex quibus vnumquodque componitur. *Plot. En. 6. lib. 9. cap. 2.* Prius & posterius non est in Deo, sed in his quæ bona ordinis nuncupantur. *Gab. Bur. de ideis, lib. 2.*

Probabile propter veritatis similitudinem vulgo contingit. *Plato in phædro.* Probari aliquid per effectum dupliciter intelligitur, aut ita vt ab effectu ad causam cognoscendam deueniatur, vt ex primo motu motor & Deus, aut vt posita causa conuenire effectum causæ positæ ostendatur, vt siderali scientia eccentricos esse probamus, quòd rationes apparentium circa motum seruari possunt conuenienter illis positis. *Bess. Card. in Cal. Plato. lib. 3. cap. 15.*

Probatio certa est quæ congruis, & accommodatis rationibus quæstiones reuelat. *Chal. in Plato. Tim.*

Probitas per summum bonum confirmata, indelebile bonum est. *Ficin. Platonica Theologia lib. 14. cap. 10.* Probus est qui perfectè bonus, qui propriam sui virtutem habet. *Speusip. in Plato. defini.* Probus iniuriam pati non potest propter virtutem, nec facit quia non occultò. *Max. Tyr. ser. 2.*

Prolem felicius qui propagari vult, Lunam eligere debet lumine crescentem. *Fic. in Platon. de republica dial. 8. cap. 17.*

Problemata figurarum ortus, sectiones, ablationes, & additiones, & omnes affectiones considerant. *Pro. in Eucl. lib. 2. c. 8.*

Problematibus ipsis aliquid comparare, & facere iubemur. *Idem, lib. 3. cap. 1.*

Problema omne, & omne theorema quod perfectis suis constet partibus, hæc omnia in se habere debet, propositionem, expositionem, determinationem, constructionem, demonstrationem & conclusionem, maximè verò necessariæ propositio, demonstratio, conclusio. *ibid.* Problema propriè in Mathematicis disciplinis vocatur quod ad contemplantem operationem proponitur. *ibid.* Problemata, & Theoremata alia determinata sunt alia interminata. *ibid.*

Procedere cùm dicimus cuncta à Deo, non intelligimus actum rerum se ipsas mouentium, sed rerum passionem, actionem verò Dei. Similiter cum dicimus, omnia conuerti tantum in Deum, non tam res mouere seipsas erga Deum, quàm ab ipso moueri, trahi, allici cogitamus. *Ficin. in Dion. Areop. de diu. nom.*

Procellas vaticinam*, si circa Lunam orbicularem aeream intuemur, & euanescens portendit tranquillitatem: duo circuli tempestatem præcedunt: circulus triplicatus vehementiorem procellam, magis etiam si niger occurrerit, magis insuper si frangatur. *Synesius de somnijs.*

Processio à Deo nisi fiat, nec Deus habebit à quo distinguatur, nec vlla rerum erit inter se distinctio, nam cuncta in Deo sunt vnum. *Fic. in Dion. Areop. gita de diuin. nomin.*

Proclus à Dionysio Theologiam suam sumpsit. *Aug. Steuch. de perenni phil. lib. 2. cap. 9.* Proclus eruditus fuit, & si plus maiores sequeretur auctor valde bonus, vbi autem seipso contentus natare cœpit sine cortice, cunctis cæteris ferme posterior fuit, mirificis omne commentariorum allegoriarum figmentis libros occupauit. *Idem, peren. phil. lib. 7. cap. 5.*

Procli doctrina est plena fabulosis pro veri traditionibus & vt veritati detraheret. *ibid. lib. 8. cap. 13.* Proclus non à Platone, sed è libris Dionysij mutuatus est angelorum ordinem. *ibid. cap. 14.*

Prodigia in obitu principum contingentia nec fortuitò contingunt, habent enim ordinem, nec à natura procedunt, diuersa enim inter se sunt, valde si nec à fortuna nec à natura, procedunt, ab intelligentia ergò sublimi proficiscuntur naturæ vires omnino exuperante; & ad tria potissimum numina referenda sunt, est enim personæ genius dæmon familiaris homini, quem angelum custodem Theologi nominant: est & loci custos, & genius domus, ciuitatis, & regni, quem cognominant principatum; est insuper ordo sublimis cuiusque numinum, vel dæmonum, vel angelorum, in quorum numerum, & sortem, per officij similitudinem excellens animus quasi ad stellam suam migraturus, est in eodem illic officio quasi collega futurus: & veteres prodigiorum auctores, sic tria genera portentorum sublimis chorus crinitus accendit, tonitrus ciet, fulgura iaculatur, flammas, & stellas cadentes, præfectum prouinciæ numen quatit, & diruit machinas, oracula fundit, auguria, & auspicia mouet, æstus designat, custos familiaris somnia excitat, caninique latratus quasi malum dæmonium illinc arcentes; prima illa significant excellentissimos animos non extingui, non negligi, sed post obitum regnare cum superis; secunda calamitatem populi tanto viro destituti prænunciant, & cauere imminentia subinde pericula monent; tertia & virum admonent moribundum, & suis indicant cœlestem fauorem, illo quidem moriente non mori, sed familiæ suæ post illum aspiraturum. *Fic. ep. lib. 11.*

Proditori, sacrilego, & ei qui ciuitatis leges per vim subuertit communis sit lex. *Plat. de leg. dial. 9.*

Producta omnia in Deo sunt, & ab illo producta sunt. *Arist. Theolog. Aegypt. lib. 5. cap. 4.*

Productiuum omne alterius præstantius est natura producti. *Procl. elem. Theolog. prop. 7.*

Productiuum non est æquale nec deterius natura producti. *Idem, ibid.*

Producens omne necessariò præstantius est producto. *prop. 28.*

Productiua omnis aliorum causa manens ipsa in seipsa producit ea quæ post se & quæ deinceps. *proposit. 26.*

Producens omne ob perfectionem & potentiæ abundantiam productiuum est secundorum. *Proc. elem. Theol. prop. 27.*

Producens omne similia sibi, ante dissimilia procreat. *prop. 28.*

Productum omne ab aliquo immediatè, & manet in producente, & progreditur ab ipso. *prop. 30.* Producitur tantum ab alio omne quod in alio est, omne autem in se existens per sese existens est. *prop. 42.* Productiuum sui ipsius est quod in se ipso manet. *ibid.* Productum à pluribus causis compositius est eo quod à paucioribus producitur. *prop. 58.*

Productum omne à secundis, etiam à prioribus & causalioribus magis producitur à quibus & secunda sunt producta. *prop. 57.*

Præmium est virtus adulta. *Ficin. Platon. Theolog. lib. 18. cap. 10.*

Præmium & pœna sunt quasi duo numina in republica. *Franc. Patric. de republ. lib. 9. cap. 6.*

Profani sermones de Deo audiri non debent, & eos sic appello qui occupati solùm in his quæ sunt & entia nominantur, nihil entibus excelsius superessentialiter esse putant, sed arbitrantur cognitione sibi propria illum apprehendere qui posuit tenebras latibulum suum. *Dion. Areop. g. de triunit.*

Profaniores sunt qui supremam illam omnium causam ex infimis rebus effingunt, nihilque hanc antecellere putant impia simulacra, vel imaginamenta varijs formis à se conficta. *Idem, ibidem.*

Profanos nominat Dionysi* Philosophos omnes exceptis Platonicis, quia nihil altius de Deo cogitauerunt quàm quod sit mens & essentia prima; & profanissimos Epicureos, qui nihil esse putant nisi quod pugno stringere possint. *Ficin. in Dion. Areop. de trinitate.* Profani sunt qui Deum super essentiam & intellectum esse non putant; profanissimi qui Deum ea essentia deteriore confingunt, & imaginatione quærunt. *idem, ibid.*

Profugi suspecti omnibus sunt. *Plat. in Criton.*

Profugum qui suscipit, morte plectatur. *Idem, de leg. dial. 12.*

Progressum nunquam à tempore præsenti præterire potest, nam ita se habet vt progressio attingat & præsens & futurum, illud quidem dimittens, futurum verò apprehendens, ita vt in medio amborum futuri, & præsentis sit. *Plat. in parmen.*

Progrediens omne ab aliquo secundùm essentiam conuertitur ad illud quo progreditur. *Procl. elem. Theol. prop. 31.*

Progressus omnis per similitudinem secundorum ad prima efficitur. *prop. 29.* Progrediens omne ab aliquo, conuersum, circularem habet actionem. *prop. 33.* Progressu omnia quæ multiplicantur prima secundis sunt perfectiora, & secunda ijs quæ sunt post ipsa, & similiter deinceps. *prop. 36.*

Progredientia ab alia causa præcedunt ea quæ à seipsis substant, & essentiam per se subsistentem habent. *proposit. 40.*

Proles ingenua ex stirpe generosa proficiscitur, & si educatio diligens accesserit, optima. *Fic. epist. lib. 10.*

Proles ex Pythagorica sententia, & Platonica, ex duobus bonis omnino bona est, ex duobus malis prorsus mala, ex malo & bono non omnino mala, nunquam verò bona. *Idem, in Plato. de repub. dial. 8. cap. 13.* Prolem filios propagare qui vult, debet obseruare Iouem ascendentem aut Venerem quasi minorem Iouem, & dies vel horas Iouis vel Veneris. *ibidem, cap. 17.*

Prometheus magis placuit Socrati quàm Epimetheus. *Plat. in Prot.* Promethei prouidentiam admonet nos Plato potius quàm Epimethei properantiam in omni vita pro viribus

imitetur. *Ficin. in Pla. Protag.* Prometheus rationali naturæ fauens, & in his quæ ad animum spectant hominibus consulens, cùm artes tribuit, rationem artificiorum omniũ quæ natura bestiis dederat exhibuit fabrum, accepit autem artem ipsam vnà cum igne ab officina Mineruæ, atque Vulcani. Minerua quidem in arte ingenium, Vulcanus efficaciam continet. ignis instrumentum, & primò in arte cùm ideis Minerua & Vulcanus excogitantur deinde in Mercurij & Martis virtutibus, postremò in dæmonibus gubernatoribus artium; ab his omnibus Prometheus rationalis animæ gubernator in hominem traiecit artis industriã. *idem, ib.*

Prometheus ob artis munus dolore affectus, significat dæmonicum ipsum curatorem nostrum in quo & affectus esse possunt misericordiã quadam erga nos affici. considerans nos ob rationis munus ab eo vel datum, vel potius excitatum tantò miserabiliorem vitam in terras, quàm bestias agere, quantò magis solicitam, & inexplicabilem *Fic. in Plat. Protag.* Prometheus dæmonum sublimium ordinem significat *idem, ibid.* Prometheus appellata est prouidentia animæ vniuersalis. *August. Steuch. de per. phil. lib. 2. cap 4.*

Promissa minimè omnium seruat, qui plurima polliceri soleat *Ficin. in Plat. Euclyd.* mum.

Promptitudo est patens expeditio propositi ad res agendas. *Speusip. in Plat. definitionib.*

Pronubæ sunt potentissimæ vt quæ sapientissimæ sunt ad cognoscendum qualem quali virō coniungere oporteat, vt optimos liberos pariat. *Plat. in Theæteto.*

Pronunciatum est cùm assumuntur in principiũ ordinem id quod descendenti est cognitum, & per se credibile, vt quæ eidem æqualia inter se æqualia. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 8.* Pronunciatis ea accipiuntur quæ per sese cognitu manifesta sunt, & nostris indoctis notionibus sunt in promptu. *idem, in Eucl. lib. 3. cap. 1.*

Propheta, Prophetia.

Prophetam videntem vocant prisci, quia per videntem sapiẽs intelligitur, cùm insipientes cæci sint. *Philo de migratione Abrahami.* Prophetæ, vt ait Auicenna, angelorum species cernunt, & ipsorum audiunt voces. *Fic. in apolog.*

Prophetiam falsam trifariam diuidere possumus cùm dæmonem spsi, aut quæ reuelãt norunt, aut à superioribus discunt dæmonibus, aut à bonis erudiuntur spiritibus. *Ioan. Francisc. Picus Mirand. de prænotione, lib. 4. cap. 6.* Prophetæ falsi aut a bonis erudiũtur spiritibus, aut à malis qui ea quæ falsò prophetæ reuelant à bonis hauserunt, & id bifariam: aut solùm manifestant quæ spiritali eorum naturæ sunt cognita, aut quæ à superioribus edocti sunt: primi generis fuit Balaam & Sybillæ *idem, ibid.*

Prophetæ falsi ex dæmonũ inspiratione vera prædicere possunt, nam ipsi ex oraculis interdum vera respondebant, possunt enim multa scire ex naturæ quæ reuelare possunt hominibus incognita, naturã enim hominibus superiores sunt. *Io. Franc. Pic. Mir. de prænot. lib. 4. cap. 6.* Prophetæ veri differunt à falsis in hoc, quia veri semper vera effantur, falsi non semper falsa: nam interdum vtitur Deus etiam malis, vt inde vtilitas veniat, & propriè falsus est qui sciẽs & volẽs falsa profatur. *idem, ibid.* Prophetia falsa differt à diuinatione: quia semper in falsa prophetia dæmones reuelant, in diuinatione non semper dæmones reuelant: hæc expresso & suppresso pacto malè freta suas peragit superstitiones, illa expresso duntaxat pacto polluitur *ibid.*

Prophetia est passio transiens, non enim semper prophetæ prophetantur, *Ioan. Francisc. Pic. Mirand. de prænotione, lib. 7. cap. 10.* Prophetæ ex fructibus probandi sunt, & præcipuũ est veritas non fucata, non adulterata, sed pura, & nuda, quàm altissima gignat humilitas, quæ non ineretur illudi, non elata, non pertinax, non inquieta, non garrula, non auari, aut honorum sitibunda, nec vani nominis cupida, nec sapiens in oculis suis, ratione, auctoritate bonorum, doctorúmque verorum vtens: porrò si tribulationibus vexatur, aut libenter patitur, aut certè desperata non fuerit; si aliis prophetis conformes sunt, quorum alij odio habiti, & vexati, alij iniuriis affecti, alij inani regum vel populorum rabie trucidati, & demum si veraq cognoscatur *idem, ibid. lib. 9. cap. 1.*

Prophetæ veri semper cum falsis bellarunt. *Ioan. Fr. Pic. Mirand. de prænotione, lib. 9. cap. 4.* Prophetis veris habere fidem munus est Dei, falsisque abrogare crudelitatem *idem, ibid. cap. 5.* Propheta animum nuduum à Deo ab omni cupiditate habere oportet *ibid.*

Prophetia & spirituum discretio differunt *ibid. cap. 6.*

Prophetia ab eo dicta est quia siderum, & maximè futura à se visa prædicaret. Idem apud Græcos prædicatio. *Ioan. Francisc. Picus Mirand. de prænotione, lib. 2. cap. 1.* Prophetæ à prædicendo dicti, nec quisquis qui prædicit propriè propheta habetur, nec omnes prophetæ veri sunt, sed aliqui falsi; & qui veri, semper numeris omnibus non intelligunt, quæ explicant, sed ambiguè alij, alij sub enigmate, alij clarè, & apertè. *idem, ibid. cap. 2.*

Prophetæ fuere multi, qui significationes illarum rerũ quas videbant non intellexerunt. *ibid.*

Prophetam constituit illustratio mentis, & occultorum superna reuelatio, etiamsi exteriores notas non viderit, & qui profert futura, etiamsi nescit quæ proferat. *Ioan. Franc. Picus Mir. de prænot. lib. 2. cap. 2.*

Propheta verè intelligitur qui visionum, apparitionúmve, ac notarum menti inspiratarum significationem ex reuelatione percepit, ea proferens cùm tempus expostulat duo enim requiruntur acceptio seu appræsentatio, & iudicium: at cùm naturale lumen ad futura contingentia per se propriè extendi non possit, supernaturale illabi necesse est, ex quo iudicium, & futurorum clara cognitio profluit, quæ reuelatio dicitur. *idem, ibid.*

Prophetia interdum est etsi non sint species; infunduntur enim quandoque intelligentiæ rerum ex lumine absque specie vlla sensibili, qui nobilissimus & altissimus est modus. *Ioan. Francisc. Picus Mirandulan. de prænotione, lib. 2. cap. 3.* Prophetiam supernaturali lumine exactam haberi dicimus, quo illustratur prophetæ mens ad ea noscenda quæ postmodum aliis inuulgant, & si quandoque quæ vident non proferant, semper enim non expedit, quanquam semper beneficentissimus Deus per reuelationes ipsas, aut in vniuersum, aut in particulari hominum saluti consulat, non futura modò, sed & præsentia, & præterita patefaciens. *idem, ibid. cap. 3.*

Prophetiæ lumen ad diuinam essentiam intuendam non peruadit, id enim luminis gloriæ, quod perfectius est, & fidei lumini succedit, officium est quod exuberanter Deus beatis largitur. *Ioan. Franciscus Picus Mirandulan. de prænotione, lib. 2. cap. 3.*

Prophetica vera reuelatio lumen est prophetæ intellectui diuinitus instar passionis transeuntis infusum, saluti consulens, & maxima cum certitudine earum notas rerum ostendens quæ humanæ potissimum cognitioni naturaliter occultantur. *idem, ibid.*

Prophetiam aut naturã aut studio acquiri posse falsum est, sed à solo Deo magnâ erga homines beneuolentiâ proficiscitur. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de prænotione, lib. 2. cap 4.* Prophetia ex astris habita est. *idem, ibid. cap 5.* Prophetia ex astris pendere non potest, aut ex syderum configurationibus præberi sopitis hominibus, vt accidit ex diuina reuelatione eius luminis beneficio, quod futura monstrat, distinguit, & indicat *ibid.*

Propheticæ reuelationis triplex est modus, aut enim per auditum & visum exteriorem offeruntur obiecta, quæ rerum futurarum signa notæve sint, aut menti collucent, aut mediæ inter mentem & sensum exteriorem imaginariæ potestati se insinuant *Ioan. Francisc. Picus Mirand. de prænotione, lib. 2. cap 8.* Propheticæ reuelationis quæ imaginaria sunt modo, aut per quietem, aut per vigiliam ostenduntur rerum imagines, aut per verba, aut per exteriora signa, quorum omnium aut videtur author, aut non: præstat autem somno quæ fit in vigilia. *idem, ibid.*

Prophetiæ verba quæ diuinitus efformantur intelligibilem veritatem exprimunt magis quàm muta signa, sed & altior gradus ille habetur si cum mutis signis, quæ plus tamen, minúsve, id est, exquisitiùs, & exactiùs portendere sui naturã magis explicabit possint, aut cum verbis haustis monstrãtem aliquem signa ipsa colloquentémque propheta perspiciat: supremus verò, si Dei speciem personámque gererẽ qui apparet videatur. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de prænot. lib. 2. c. 8.*

Prophetiæ proferri possunt multis modis, nec verbis duntaxat, aut scriptis, nec vnis tantùm aut pluribus, sed factis ipsis, quæ signa sunt futurorum exprimi & doceri, & de sanctis & diuinis libris exempla capere possumus. *Ioan. Francisc. Picus Miran. de prænotione, lib. 2. c. 9.* Prophetæ mens aut expressa & certa reuelatione illustratur, aut instinctu quodam occulto ducitur, & tamen dum dispositione prophetæ varia variè interdum in eis lumen recipitur; & quandoque instinctu certo & quandoque ambiguo ducitur propheta. *idem, ibidem.*

Prophetarum ore quæ dixit oraculum, idem dixit natura ore philosophorum. *Aug. Steuch. de per. phil. lib. 6. cap. 10.*

Propinquitas est communio in eodem genere. *Speusip. in Plat. definitionibus.*

Proportio.

Proportio maximè vnum facit. *Plat. in Tim.* Proportiona optima quæ cõposita sunt in æquali potestate, ea neq; superãt nec su-

nec superantur inter se ea parte, aut alia incrementum vel diminutionem accipiunt, sed manent in coarctatione indissolubili iuxta optimam rationem. *Tim. Locrus de ani mundi & natura.*

Proportionum ratio e denario numero quasi quodam fonte oritur, ex his enim epitriti, sesusculares, duplices, triplices & quadruplices numeri sonique nascuntur, epitrites qui idem est ac diatessaron est vt quatuor ad tres, habent enim totum & tertiam partem, sesuscularis est diapente, vt tres ad duos habent totum & partem dimidiam. Duplices, qui sunt vt diapason, vt ad vnum: quadruplices vt disdiapason vt quatuor ad vnum. *Chal. in Tim. Plat.*

Proportio quædam esse debet inter potentiam cognitiuam, & obiectum cognoscibile. *Fic. in Plat. parm. cap. 34.*

Proportio prima dupla est inter duo & vnum, in qua proportione binarius numerus dum superare videtur, vnum recreat, & geminat vnum, binarius dum mouetur, & reuoluitur, seipsum octo producit numerum solidum, bis enim duo bis octo conficit; dicitur autem diapason, id est per omnia nam consonantia eiusmodi omnes inter se continet, & replicatur in omnibus *idem, in Plat. de rep. dial. 4.*

Proportio sesquialtera continet totum & dimidiam partem, sesquitertia verò totum & tertiam partem. *Fic. in Plat. de rep. dial. 3. cap. 3.* Proportiones multiplices sine fine augēt quasi numerum, partientes verò minuunt quasi continuum. *idem, in Plat. de rep. dial. 8. cap. 4.* Proportiones in cœlestibus ac elementis reperire decet, quorum viribus motibúsque singula infra Lunam composita ad melius, deteriúsque feruntur. *in Plat. de rep. dial. 8. cap. 10.*

Proportionem vsque quadruplam duntaxat procedere apud musicos est concessum: nam longiori progressione aures offenduntur, & in his rationes perfectæ musicæ continentur. *Fic. in Plat. Tim. cap. 23.* Proportiones omnes ad duplā tanquam ad principium atque finē omnes reducuntur, eámque diuidunt, vel multiplicant. *idem, in Plat. Tim. cap. 29.*

Proportionalitas definitur mutua esse duarum proportionum comparatio, vt cùm dicimus vt se habet duo ad quatuor, sic quatuor ad octo, vtrobique scilicet ratio duplata; quæ si inter tres terminos est continua est, si inter quatuor discreta. *ibid.*

Proportio harmonica in quadam similitudinem est per quam tribus terminis in ordine positis, vt se habet maximus terminus ad minimum, sic differentia inter terminos maior minorem respicit differentiam, vt 3 4. 6. differentia inter 6. & 4. est binarius: differentia inter 4. & tria est vnitas. Sicut autem inter 6 & tria dupla est ratio, sic inter duo & vnum dupla est ratio, & hic simili modo medius terminus excedit & exceditur, nam quaternarius superatur à senario per tertiam senarij partem, superat quoque ternarium per tertiam ternarij partem. *Fic. in Plat. Tim. cap. 29.*

Proportio geometrica in rationis æqualitate sita est, in qua fit multiplex & superparticularis, quando ita comparamus vt se habet 3. ad 9. ita 9 ad 27. nam vtrobique tripla est & vt se habet 9. ad 6. ad 4. vndique sesquialtera. *idem, ibid.*

Proportio superparticularis est in qua maior numerus præter id quod minorem comprehendit semel totum, diuidit ipsum deinde, partémque diuisam superponit toti, sed partē quam vocamus aliquotam, id est ex qua aliquoties replicata fit totum. Harum prima est sesquialtera inter binarium & ternarium, nam ternarius binarium comprehendit & addit insuper vnitatem quæ bis resumpta binarium efficit, secunda sesquitertia inter quatuor & tria, & sic in infinitum. *Fic. in Plat. Tim. cap. 29.*

Proportio dupla maximè apta est consonantiæ quia in hac nō videtur propriè aliud superare, sed quodlibet à seipso superari, nam binarius superat vnum vno, quaternarius binarium binario, & sic deinceps: & prima est inter primos numerorum terminos, vnitatem scilicet & binarium progenita sola absque aliarum commercio, quasi libera, & ab omnibus absoluta, tripla inter vnum oritur & tria, & sociā habet sesquialteram inter duo & tria nascentem, quadrupla videtur sesquitertiæ misceri, & sic de alijs & dupla oritur proximè ab ipsa æqualitatis proportione. *Mar. Fic. in Plat. Tim. cap. 29.*

Proportio alia est arithmetica alia geometrica alia harmonica. *Fic. in Pla. Tim. cap. 29.* Proportio est inter duos terminos & quādo rite fit cōducens ad melodias, definitur mutua duarum quantitatum inter se commensurabilium habitudo vt dupla inter duo & vnum, sesquialtera inter duo & tria, & sic deinceps. *idem, ibid.*

Proportio multiplex est quæ per maiorem numerum non diuidit minorem, sed resumit & multiplicata totum siue bis, siue ter, & sic in infinitum procedit. *ibid.*

Proportio æqualitatis est quæ est inter terminos pares & æquales, vt inter vnum hoc & vnum illud, inæqualitatis, quę est inter terminos impares & inæquales, vt inter vnum & duo. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap. 29.* Proportio Arithmetica in numeri paritate consistit, sic inter tria & septem medius est quinarius binario numero superans alium & ab alio superans per proportionem vtrinque bipartientem. *idem, ibid.* Proportio superpartiens est quę toti superaddit partem, quæ aliquoties accepta totum propriè creare non valeat, qualis est inter quinarium & ternarium, nam quinarius vltra ternarium adiungit binarium, qui & semel sumptus non implet ternarium, & bis acceptus excedit. *ibid.*

Proportio superpartiens quia totum diuidit in partem restitutionis totius ineptam, inepta videtur ad consonantiam, in qua omnis diuisio in totum, & multiplicatio in vnum prorsus restituitur: super particularis verò apta est proportio ad consonantiam *Fic. in Plat. Tim. cap 29.* Proportio sesquialtera est inter binarium & ternarium, nam ternarius binarium comprehendit, & addit insuper vnitatem, quæ bis sumpta binarium efficit. *idem, ibid.*

Proportionem inæqualitatis in hoc loco triplicē considerare debemus, prima multiplex; secunda superparticularis, tertia superpartiens. *idem, ibid.*

Proportio multiplex primo gradu est, quia per eas numeri omnes respiciunt vnitatem dum aspiciunt numeros; secundo gradu superparticulari, quia etsi vnitatem ipsam non spectant, semper tamen vnam quandam spectant partem ad integrum vnum accommodatam; tertio superpartiens, quia horum neutrum videntur aspicere. *Ficin. in Plat. Timaeum, cap. 29.*

Proportio dupla hoc proprium habet, vt tantum valeat medium in se multiplicatum quantum extrema inuicem multiplicata, vt 2 4 8. tantum facit bis octo 16. quantum quatuor quater sexdecim, & sic si quatuor sunt termini, vt 24 48. 16. faciunt 32, & quater octo 32, & idem in superparticularibus & multiplicibus: at in super partientibus non item. *idem, ibidem.*

Proportiones sesquialteras duas non libenter geminare debemus, nam duplam superant sesquioctaua; quod si quatuor, sex, & nouem descripseris, deprehendere poteris, à quatuor enim ad nouem duæ sunt sesquialteræ 9. autem octonariū qui duplus est ad quatuor sesquioctauā superat portione, ex hoc apparet potentiam sesquialteræ duplæ dimidio esse maiorem & potentiam sesquitertiæ dimidio minorem, quādoquidem ex ambabus dupla creatur, superatur enim sesquitertia à sesquialtera per octauam vnicam portionem, ab octo enim ad sex habes sesquitertiam à nouem ad sex sesquialteram; à nouem ad octo sesquioctauam, & hac ipsa sesquioctaua parte comprehendis sesquitertiam à sesquialterā superari *Fic. in Plat. Tim. cap. 31.*

Proportio dupla vt conducit ad substantialem speciem generandam, ita sesquialtera ad familiarem speciei effectionem & figuram, sesquitertia ad accidentia quædam communia. *Fic. in Plat. leg. appendicem.* Proportio dupla perfecta putatur, primò quia prima est inter vnum scilicet atque duo progenita, secundò quia dum videtur discessisse ab vno geminando restituit vnum, tertiò quoniam omnes proportiones intra se continet, nam & sesquialtera, & sesquitertia, similésque veluti partes sunt infra duplicem. Hanc natura seruat in cœlo, seruat etiam huius gratiā sesquialteram & sesquitertiam, ex quibus dupla componitur. *idem, ibid.*

Proportio in auditu requiritur, vt aeris quatuor sint gradus, ignis tres, aquæ duo, terræ vnus. *Fic. in Plat. leg. appendicem.* Proportio seruatur in humoribus, duplum enim volunt esse sanguinem ad pituitam, & hanc duplam ad bilem, & hanc similiter ad atram bilem: quod si duplam habent, consequēter sesquialtera, & sesquitertias quæ in dupla sunt continent. *idem, ibid.* Proportionum sesquialteræ, & sesquitertię prima fundamenta sunt quinque & septem quia prima sesquialtera est inter tria & duo, vnde nascitur quinarius, & prima sesquitertia inter quatuor & tria, è quibus proueniūt septem. *idem, in Plat. de rep. dial. 8. cap. 3.*

Propositiones aliæ sunt prædicatione vt omne iustum bonum; aliæ ex suppositione quæ consequentiam, vel repugnantiā inferunt. *Alc. cap. 6.* Propositionum duæ species affirmatio, & negatio. *idem, ibid.* Propositionum copia plurimum valet, & hæc facultas omnem scientiam amplectitur, cùm nulla ratiocinandi complexio sine propositione fieri possit & propositiones capi sine artificio non possint. *Bess. Card. in calum. Plat. lib. 1. cap. 5.*

Propositionum copiam tractauit Aristoteles, sed eius præceptor Plato primus exposuit idem in Parmenide. *idem, ibid.*

Propositio nulla verè & simpliciter est vniuersalis quę non dicatur de omni, i. cùm nihil sit sumere sub subiecto, de quo non dicatur prædicatum; vel de nullo, id est cum nihil detur sumere sub subiecto, à quo non remoueatur prędicatum. *Ioan. Francisc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 5. cap. 12.*

Propositio vniuersalis negatiua facilius confici potest quàm vniuersalis affirmatiua. *idem, ibid. cap. 23.*

Prosperitates inuenere insidiatores præsides vulgares prouinciæ inferioris tanquam animalibus insidiaturas. *Syn. de somn.*

Prosperitas vberiori afflatu animos inflat, rerum copia immoderatos facit, & negligentes, licentia deteriores reddit, id est ad scelera cuncta procliuiores. *Ficin. epist. lib. 5.*

Prosperitas primò ęmulationem parit deinde inuidiam, demũ dissensiones, & prælia. *Idem, in Plato. Menex.*

Propositum est in Philebi dialogo ostendere aliquem esse finem, ad quem actiones hominum tendunt, & quis sit, & qualis, & falsas de bono opiniones reijcere, & veras astruere, & qua via ad ipsum deueniamus ostendere. *Fic. in Plato. phileb. lib. 1. cap. 1.*

Protheum appellat Orphica Theologia essentiam tertiam animarum rationalium sedem *Fic. Plat. Theol. lib. 12. cap. 3.*

Prouidentia.

Prouidentia est præparatio ad futura. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Prouidentia diuina est conseruatrix prosperitatis eius cuius causa tale suscipit officium. *Apule. de dogma. Platon. lib. 1.*

Prouidentiæ non est naturam peruertere, sed quæ est prouidentia est vnusquisque naturæ seruatrix: quapropter his quę per se mouentur, tanquam libero motu mobilibus, prouidet, totisque & singulis, vt his & illis propriè conuenit, quatenus eorum natura quibus prouidetur capere potest totius vniuersalisque prouidentia benefica munera prouidenter pro modo suo vnicuique distribuit. *Dion. Areopag. de diu. nomin.*

Prouidentiam probabile est se per cuncta porrigere, idque eius esse officium vt nihil prorsus alicubi negligat. *En 3. lib. 2. cap. 6.*

Prouidentia non ita esse debet vt nos omnino nihil simus, eutas enim esset prouidentia! sed accedēs ad hominem seruat quod est esse hominem; id autem est seruare prouidentiæ lege viuentem, quod est agentem quæcunque lex ei prę scribit; præscribit autem bonos bonam vitam post obitum manare quoque, malos autem contrariam, nam nefas est eos qui mali euasere à seruatoribus custodiri, dum ipsi desides permansere, & neque fas est deos vitâ propriâ intermissa malis negotia singula dispensare, nec decet probos viros aliam agentes vitam humano principio meliorem, deterioribus gubernandis incumbere, cùm nec hi aliquando curauerint, qua via boni aliorum principes fierent, mediantes qua ratione id ipsis adsit, sed iouitent etiam si quis sponte bonus exoriantur, quoniam plures iam facti essent boni, si hos præsides statuissent. *idem, ibid. cap. 9.*

Prouidentia duplex est in vniuerso, communis, & propria cõmunis iussu quodam à solicitudine libero, & regio imperio cuncta componit; propria singulatim iam operâ quadam manouariâ opificium attrectando opificem ipsum opificij cõditione implet atque contaminat. *Plotin. Enn. 4. lib. 8. cap. 2.*

Prouidentię munus abundantius est, & culpa omnis in effectus reijcienda est. *Idem, En. 3. lib. 3 cap. 3.*

Prouidentiæ ratio Deo amica est. *ibid. cap. 5.*

Prudentia est præcipua ratio quædam, & circa magis vniuersale versatur, considerat quoquid in præsentia cohibendum sit, abstinendúmque, aut in posterum vt omnino melius sit aliud, & quæ vicissim consequantur, & quæ non, animaduertit. *Plotin En. 5 lib. 3.*

Prudentia intelligentia est inferiura, declinans, animúmque erigens ad superiora. *Idem. En. 5 lib. 6. cap 6.*

Prouidentiæ tanta est exuberantia ad ostendenda nobis signa, vt etiam in calculis, virgis, lignis, lapidibus, frumento, farina indicia præbeat futurorum, vbi mirabiliter inanimatis animam, immobilibus motum, ratione carentibus intelligentiam quandam præstare videtur. *Iamb. de myst.*

Prouidentiâ omnia fieri non placet Platoni, neque omnium vniformem naturam esse rerum quæ dispensantur, ita quędam ex prouidentia tantùm, quędam ex decreto, nonnulla ex voluntate nostra, nonnulla ex varietate fortunæ, pleraque casu, quæ vt libet accidunt. Diuina prouidentia, naturalia fato, nostræ voluntates sponte nostrâ, quæ extra nos inordinatè accidant *Chal. in Plat. Tim.*

Prouidentia per omnia ad vltimum vsque procedit, ac ne minimum quidem sui expers alicubi prætermittit, & nihil eu gubernatis accipit, nec eorum natura miscetur aut repletur imò omnia decenter exornet, & à dispensatis absoluitur. *Proc. in Alcibiadem primum.*

Prouidentiam nullam ad nos pertinẽtem nemo inueniet præter dæmoniacam, intellectus enim ab anima rationali participator, non à corpore, natura participatur à corpore, non ob intelligentia, anima rationalis iracundiæ & concupiscentiæ dominatur, fortuitis non imperat, dæmon solus omnia mouet, cuncta gubernat, nostra omnia excolit, atque disponit, rationem perficit, perturbationes temperas, naturam inspirat, corpus continet, fortuita subministrat, fatalia complet prouidentiæ dona largitur, vnúsque hic existit vniuersorum quæ in nobis, & circa nos sunt, rector totius vitæ gubernacula tenens. *idem, ibid.*

Prouidentia propria est Dei. *Philo de proph.*

Prouidentiam nullam rerum intelligibilium, & immaterialium vel actiuam, vel passiuam ponit Alexander Aphrodiseus. Mundus hic æternus nullâ nec vt sit, nec vt bene sit eget prouidentiâ, nullámque causam efficientem aliunde habet, & tantùm generabilium & corruptibilium quo ad speciem attinet prouidentia habetur, & hæc consequenter, & per accidens. *Bess. Cardinal. in calumniat. Platonis. lib. 2. cap. 8.*

Prouidentiam ponit Plato duobus modis: primo pro ordine rerum, ac dispositione, aut ordinis ipsius & dispositione causa, quæ princeps causa omnium est entium: altero pro actus secundi executione, & quasi perfecto absolutóque officio, proficiscente à causis secundis, & medijs, & etiam singularibus. *idem, ibid. cap. 9.*

Prouidet minima qui bene agere vult, & Deus omnis mundi partes prouidet *ibid. cap. 8.*

Prouidere omnibus maximè ad deum pertinet qui ab omnibus segregatus existens, ob segregatam singularitatem vnum ipsum cognominatur, & ob vniuersalem prouidentiam bonum. *Marsi. Ficin. in Dion. Areopag. de diuin. nominib.*

Prouidere nil aliud est quàm subdita benè disponere, & ad bonum perducere. *idem, ibid.* Prouidentiæ diuinæ tria sunt officia. primum, quando composuit vniuersum. suis quæque gradibus singula disponere. secundum, res singulas quo ordine naturaliter sunt dispositæ conseruare, & si præuaricarentur, in ordinem denuo redigere: tertium, ita regere, mouere singula, sua cuique dispensare, prout naturæ cuique conuenit. *ibid.*

Prouidentia Dei per medios spiritus hominibus sæpe agendorum oracula pãdit, quos spiritus Dionysius Areopagita principatus nominat. *Fic. in Plat. Theag.* Prouidentia vniuersalis ad Iouem pertinet. dæmonum verò prouidentia particularis est, & angusta, ideóque in Iouis arcem nequit ascendere, cum angustior humiliórque prouidentia amplissimam eminentissimámque æquare non valeat. *idem, in Plat. protag.*

Prouidentia sola vniuersalis prorsus dat omnibus omnia, nam Iupiter omnibus dat aliquid iouiale, & Saturnus sibi proprium: at vniuersalis omnia tribuit omnibus. *in Plat. phædr. cap. 8.*

Prouidentiam antiqui Theologi triplicem putant, vniuersalem in Deo, per quam omnibus omnia perspiciat ac præbeat, & minus vniuersalem in dijs, per quam omnibus consulant, non omnia tamẽ munera, sed quædam omnibus exhibentes, particularem deniq; in dæmonibus, qua quædam quibusdam iam largiantur. *Fic. in apolog.* Prouidentiæ diuitiæ quam Adastiam appellat Plato, nihil vel oculos subterfugere potest, vel manus effugere. *Idem, in Plat. de rep. dial. 5.*

Prouidentia vniuersalis in Deo est, nam & in omnibus, & omnia prouidet, & largitur. vniuersalis etiam in mente diuina, & anima mundi. In dijs sequentibus, siue inuisibiles sunt, siue visibiles prouidentia quodammodo vniuersalis est, sed conditione quadam particulari, aut rebus omnibus munera dant, sed quædam munera, aut dant quidem omnia, sed quibusdam. In dæmonibus particularis est prouidentia, & conditione particulari *Fic. in Plot. En. 5. lib. 6. cap. 7.*

Prouidentiâ omnia inferiora reguntur. *Ficin. in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 7.*

Prouidentia non tollit vsum, ne interea longum perdat ordinem causarum; non tollit malum, ne interim bonorum auferat amplitudinem, imò ne variarum tollat ordinem specierum. *idem, in Plot. En. 3. lib 2. cap. 9.*

Prouidentia non vegetalis solùm more plantæ, sed etiam intellectualis artis & prouidentiæ more, sed naturalis, vsque ad minima se diffundit. *in Plot. En. 3. lib 2. cap. 18.*

Prouidere ex abundanti prouidẽtis bonitate si procedit, & ad bonum gubernata perducit, meritò ad causam optimã causarum spectas exactissimè singulis prouidere. *Fic. in Plot. de proud. cap. 19.* Prouidẽtia non gaudet arithmeticâ, sed geometricâ æqualitate, hæc enim est iustitiæ propria. *idem, in Plotini En. 3. lib. 3. cap. 5.*

Prouidentiæ ordinem quod nos præuaricemur, vel solùm ex ignorantia nostra contingit propter negligentiam contingentem, dū negligentius consultamus, vel etiā ex procliuitate sensus, atque naturæ oblectamentis externis nimium concedentes. ibid. Fic. in Plat. En. 3. lib. 3. cap. 5. Prouidentia summa totius ad summum vniuersi decorem in ordine consistentem varia rerum genera fore constituit, & innumerabilia indiuidua, & diuersas in qualibet genere species. & sic in anima fecit. idem, in Plat. En. 4. lib. 3. cap. 3.

Prouidentia triplex, prima in Deo; secunda quæ consulitur singulis animalibus, plantis, horum ortui interitui & cæteris mutationibus; tertia rebus humanis propria. Primæ vis immutari non potest, nec vllo modo impediri: secundæ & tertiæ facilè immutari possunt quia motu causæ ad vnum effectum non determinatæ interueniunt. Iac. Car. in Alc. pat. pos. dig. 11. Prouidentiæ non est naturam peruertere, vnò qua ratione est prouidentia est vniuscuiusque naturę seruatrix. idem, in Alc. par. pos. dig. 12.

Prouidentia est vis quædam animi per quam futurum aliquod antequam factum sit præuidemus. Fran. Patric. de reg. lib. 6. cap. 12.

Prouidentiæ diuinę ordo sic habet, vt omnibus hominibus iusta facienda sint vel patienda: qui voluntate non sequitur illud primum, ad secundum necessitate labitur. M. Ant. Nat. de pulch. lib. 5.

Proximum suum si quis conatus fuerit dolo perdere & ad altare confugerit, abstractum afficies supplicio licet conatus tantum, non interemit: nam par est maleficium, patrasse cædem, & decreuisse. Phil. de confus. ling.

Prudens, Prudentia.

Prudentia dicitur φρόνησις quasi lationis, & fluxus intelligentia, Plat. in Craty. Prudens quoties libentius ex alio vtilitatem capere voluerit, vt scilicet princeps alios bonus sit qui imperet, quàm ipse quidem alij prodesse studet sibi ipsi negotia exhibet, princeps enim non suum, sed subditi commodū quærit. Idē, de rep. dia. 2. Prudentia est vis quæ per se ipsam ad beatitudinem humanam ducit. scientia bonorum & malorum, dispositionem felicem præstans, qua quid agendum sit & quid non iudicamus. Speus. in Plat. defint.

Prudentia, quę & scientia est, propria vnicuique virtuti tribuit vt gubernator nautis quædam ab illis minimè inspecta interdum indicat, illi verò sequuntur. Alc. cap. 26. Prudentia bonorum, & malorum, indifferentium scientia est. Idem, cap. 31. Prudentia rem propriam rem familiarem, & rempublicam administrat, & vt rempublicam gubernat ciuilis scientia nuncupatur. ibid. Prudens vir nemo cum intemperantia commercium habet. ibid.

Prudentia inter animæ virtutes probatissima est, vt inter metalla probatissimum est aurum. Phi. de leg. alleg. lib. 1. Prudentem vulgus existimat eum qui more sophistarum inuentione & elocutione pollet plurimum, sed hunc Moses cognoscit pro studioso eloquentiæ Idem, ibid. Prudentia alia vniuersalis alia particularis. ibid. Prudentia & fortitudo contraria vitia circumuallare potest, at temperantia non valet concupiscentiam & voluptatem circumuallare, graues enim sunt aduersariæ, nec facile expugnantur, iustitia verò non habet aduersariam. ibid.

Prudentia summa est præsenti momento semper vti quam optime. Fic. epist. lib. 1. Prudentia aut nunquam, aut coacta init cum fallacissima fortuna certamen. Idem, epist. lib. 9. Prudentia doctrinā simul, & longo rerum vsu udoenit. in Plat. virtut.

Prudentia nuncupatur sui ipsius notitia, & sui suorúmque boni vtilis inuentio, ex diuinæ mentis instinctu manans. in Plat. Alc. 1. Prudentia magistra vitæ, disciplinam sui cuiusque rei familiaris & reipublicæ tribuit. Homo per prudentiam gubernat, domus autem, & ciuitas per amicitiam publicam iustitiamque seruatur, quæ publica amicitia est cōsensio qua omnes secundùm legem sub ea & principe libenter conueniunt, & ad eundem finem respiciunt. ibid.

Prudentia, vt bonum intelligit, humanas actiones tā publicas quàm priuatas ad finem optimum refert: Vt vtile per commoda media, propriásque vias quibus ad finem perueniat dirigit: vt pulchrum quis ordo, quis modus in hoc progressu, quasi in quodam itinere sit seruandus instituit, vt ostium quæ distinctio singulorum operum, quæ obseruantia impositi ordinis, quod supplicium transgredientis, quod præmium legem huius itineris obseruantis præscribit. Fic. in Pla. Alc. 1. Prudentia est scientia bonorum, malorúmque secundorum. idem, in Plat. phi. lib. 1. cap. 8.

Prudentia, in qua & finis vitæ, cognitio, & viarum ad hunc cōferentium consistit electio, moralium virtutū est princeps & dux, idque vsque adeò asseritur, vt virtutes quasi scientiæ id est prudentiæ quædam esse videantur, vitia verò inscitiæ id est imprudentiæ quædam. Fic. in Plat. prol. Prudentia est scientia eligendi boni & cauendi mali. idem, ibid. Prudentia est scientia bonorum & malorum propriè ad hominem pertinentium. in Plat. Euth.

Prudentia requiritur in principibus, id est rectè custodiēdi, & consulendi scientia. Fic. in Plat. de rep. dial. 4. Prudentiæ tanta est perfectio, & vt optanda doceat exoptare, atque comparare, & comparatis ea potissimum vti ratione qua prosint. Idem, in Plat. de leg. dial. 3. Prudentia est aliarum virtutum regula. in Plot. En. 1 lib. 2. cap. 7. Prudentiores imperare debent, imprudentiores obtemperare; vt oculorū est officium ducere, & pedum ministerium peragere. in Pla. de leg. dial. 9.

Prudentiæ munus est omnia ad rationis normam dirigere, nihil agere pœnitendum, fortunæ aditus quasi diuinâ quadam ratione præoccupare, nihil præter rectum agere Franc. Patr. de rep. lib 5. cap. 2. Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & vtrarúmque scientia. Socrates ait omnes virtutes prudentias esse, Arist. nullam virtutem absque prudentia esse idem, de reg. lib 6 cap 8. Prudentis viri officium est, quæcunque cogitat vel agit recta quadam ratione metiri, nihil præter rectum agere, aut vlla ex parte optare, humanas actiones putare semper diuinis arbitrijs agi, & gubernari; nihil horrendum aut formidabile illi videri potest. Idem ibid.

Prudens qui ex se non est, prudentis alicuius consilio pareat Fran. Pat. de reg lib. 6 cap. 25.

Prudentia est virtus quæ ab omnium libidinum iniuria, ac turpitudine nos auocat. idem, ibid. cap. 27.

Prudentia in actione, sapientia in contemplatione versatur. Iac. Carp. in Alc. defen.

Prudentia est rerum expetendarum, & fugiendarum scientia, idem, ibi.

Prudentiæ definitio est habitus rerum ex ratione agendarum quæ circa bonos mores versantur. Leo Heb. de Am dial. 1.

Psalmum, Exaltabo te Deus meus rex, qui mane, meridie, & vespere canunt, vt extra controuersiam Doctores Hæbræorum conueniunt, æternæ felicitatis hæres futuri sunt. Fic. epist. lib. 10.

Psalmi & hymni diuini non solùm ab Hebræis decantati, Aug. Steuch. de per. phi. lib. 3. cap 3.

Psaphon Lybicus aues complures ea vocalium numero cepit & edocuit hæc verba, magnus deus psaphon, atque edoctas dimisit in montes, quarum vocibus aliæ permultæ edoctæ Psaphonis diuinitatem celebrabant: quam vocem cum Lybici audissent, crediderunt diuinam hanc vocē esse, & propterea Psaphoni velut Deo sacrificabant. sicque Psaphon comitijs autem Lybicus Deus creatus est. Max. Tyr. sermo. 19.

Ptolemęo Philadelpho imperante missi sunt qui in Pharo insula in Græcum sermonem transferrent legem Hebræam. Phi. de vita Mo. sis lib. 2.

Ptolemæo meritò Albumasar & Albaius vbique repugnant quòd in cœlo qualitates elementales & inter se pugnantes stellis posuerit, & probant non esse in cœlo tales naturas. Fic. in Plat. En. 2 lib. 3. cap 4.

Ptolemæus etsi vir ingeniosissimus fuit quantùm spectat ad mathematica, parum tamē peritus fuit philosophiæ. Io. Pic. Mir. in Astro. lib. 1. Ptolemæus qui scripsit Astrologiam, eā scripsit sub Adriano & Antonino imperatoribus. Idem, ibidem. Ptolemæus nullo in loco egit de Alchochoden, tamen Astrologi de mente Ptolemæi omnes eum requirunt. idem, lib. 2. cap. 3. Ptolemæus & Galenus fuerunt contemporanei. lib. 11. cap. 2. Ptolemæus qui scripsit quadripartitū viguit tēpore Hadriani & Antonini, & non fuit, vt falsò aliqui asserunt, de regibus Alexandri successoribus. Io. Franc. Pic. Mir. de pra. lib. 5 cap. 6.

Publicas res curare, & suas negligere non est res humana. Plat. in Apol.

Pudor.

Pudor est pars timoris, vt impar pars numeri. Plat. in dial. de sanct. Pudor vbi est ibi timor, non contra, nam multi morbos & paupertates timent, & ob id non eos pudet: at vbi pudor ibi timor, nā nemo est qui res alicuius erubescat, & non timeat improbitatis opinionē. Idem, ibid. Pudor iuuenibus conuenit. in Charmide. Pudor & bonum & non bonū est. ibi.

Pudor non est bonus si virum vexat egentem, Homeri dictū. Plat. in Lachet. Pudor est maximo honore colendus: at cōfidentia, quæ imprudentia appellatur, maximū est malū. de leg. dial. 1. Pudor est timor ne mali putemur si quid minus honestū facimus, aut dicimus. Idem, ibi. Pudori seruire debent illi qui boni futuri sūt. de leg. dial. 9. Pudor est trepiditas in expectatione mala. Speusip. in Plat. defin.

Pudor est audaciæ remissio eius quod optimum apparet spontanea, & libera acceptio, formido vituperationis veræ. *ibidem.*

Pudor ad coercenda peccata plus valet quàm timor. *Apul. floridorum, lib. 2.* Pudor est dimidiata virtus absque fiducia. *Philo de profug.* Pudor est ingenitum temperantiæ fundamentum. *Ficin. in Plat. Protag.* Pudor est dedecoris, & infamiæ timor, & iuuenes facit turpia metuere, & honesta quamuis ardua audacter aggredi. *idem, in Plat. de legib. dial. 1.*

Pudorem & magnanimitatem nobis genuisse diuinam prouidentiam, ait Plato, vt quod nos à turpibus reuocaret, & ad honesta prouocaret, vt ratio quæ auriga est pudore quodam, quasi freno, affectus nostros velut equos à turpibus licet suauibus cohiberet, magnanimitatis verò calcaribus ad honesta licet ardua stimularet; siquidem malus quispiam dæmon ad turpia lenocinijs allicit voluptate, ab honestis amaritudine doloris absterret; quapropter & temperantia pudoris vsa frenis efficit vt à turpibus inuita voluptate semper abstineamus, & fortitudo magnanimitatis frena calcaribus dat operam vt ad honesta viriliter contendamus, spretâ difficultatis, & doloris formidine. *Ficin. in Plato. Lachetem.*

Pudor est ignominiæ metus, vel iustæ reprehensionis timor. *Franc. Patr. de reg. lib. 3. cap. 3.* Pudor est verborum moderator optimus, vt neque dicamus quæ turpia sunt dictu, nec si ab alio dicta sint libenter audiamus. *idem, ibid. lib 6. cap. 20.* Pudor est moderator omnium cupiditatum. *de regno lib. 5. cap 7.* Pudor est pars metus. *Al. .... Nat. de ..... lib 5.*

Puella & conditionem seruilem & ætatis nouerimam significat. *Phil. de cong. quær. erud. grat.*

Pueri.

Pueros fabulas audire oportet, sed eas quas si conceperint mente, similes conceptus illis imprimit, quos cùm ad perfectam ætatem deuenerint habere cupimus. *Plat. de repub. dialog. 2.* Puerorum finis incertus est, quonam euasuri sint tum in virtute, tum in vitijs, & animæ & corporis. *in Sympos.* Pueros matres vt terreant, non debent fabulas malas narrare, quod Dei noctu vagantur varijs formis sumptis, nam de dijs mala dicunt, & simul pueros efficiunt timidiores. *de repub. dial. 2.*

Pueri nostri statim magis legitimi lusus participes fieri debent, tanquam si præter legem ille fiat, fieri non possit, vt tales pueri in legitimos & integros viros augescant. Quum ergo pueri rectè ludere exorsi, iustam legem per musicam susceperint, rursus contrario quàm illis modo ad omnia sequitur & augescit, erigens si quid etiam prius in ciuitate iacebat. *Plat. de rep. dial. 5.*

Pueri equitare discant, vt ad spectacula ob eorum securitatem duci possint. *idem, ibid.*

Pueris comparationum, & Geometriæ studia, & omnem priorem eruditionem, in qua ante dialecticam institui oportet, dum pueri adhuc sunt, proponere oportet, non velut necesse sit discere docendi modo instituto, quia nullam disciplinam cum seruitute liberum hominem discere conuenit. *Plato de repub. dial. 7.*

Pueros non violenter, sed ludendo in disciplinis nutrias, quo magis intueri possis ad quam quisque à natura aptus sit. *idem, ibid.*

Pueri ad bellum ducendi sunt in equis spectatores, & si securitas est, prope adducendi, & gustare debent sanguinem, vt catuli solent. *Plat. de rep. dial. 7.* Pueri in omnibus exercitijs, & laboribus, & disciplinis qui maximè industrius est, is in numerum aliquem eligendus est *idem, ibid.* Pueri tunc laboribus & disciplinis applicati debent, cùm à necessarijs exercitijs dimittuntur, siue duo siue tres anni fuerint: lassitudines enim & somni disciplinis inimici sunt, & ex hoc experimento maximè elicere potest quis vnusquisque & qualis in exercitijs apparebit *ibid.*

Pueri sub imperio sint, nec sinamus eos liberos, donec in ipsis velut in ciuitate rempublicam constituerimus, & optima in ipsis curato, donec per id quod in nobis huiusmodi est custodem & principem in ipsis, & in nostrum locum sufficiamus, & tunc ipsos sui iuris esse permittemus. *Plato de rep. dial. 9.* Pueri quod discunt admirandum quoddam monumentum habet, & magis quàm ea quę de recenti audiuntur. *in Timæo.*

Pueris, & bestiis à natura insitum est, vt alij incontinenter ad voluptates se habeant, alij continenter. *Plato de legib dial. 7.*

Pueri dormiunt non adhibitâ quiete, sed motu, quia ob vitiosum animi habitum quendam illis insunt pauores, & timores, & externus motus adhibitus internum motum superat, & superatus tranquillitatem & quietem molesti circa singulorum corda saltusin anima effecisse videtur, & ita somnum inducit, & vigilantes & saltantes, & ad tibiam choreas ducentes cum dijs, quibus singuli litantes fecerint sacra, à furiosis affectionibus ad sanæ mentis habitum reducit. *idem, ibid.*

Pueri iudicium dant eorum quæ amant tacendo, & quæ odio habent flendo. *Plat. de leg. dial 7.*

Pueri nec voluptates sequi debent, nec fugere dolores. *idem, ibid.*

Pueros docere debemus Astrologiam, Arithmeticam, Geometriam, & Musicam, Philosophiam, & Metaphysicam, *in legum appendice.*

Puerorum nutrices vsque ad ætatem sex annorum modestiæ, & temperantiæ curam gerant; ipsarum verò nutricum & totius gregis vnam ex duodecim mulieribus præfectam esse oportet, quæ per annum singulos greges gubernet ex supradictis, quas legum custodes constituerint. Has eligant hæ quæ nuptias curant, ex vnaquaque tribu vnam sibi æqualem ætate, & imperium gerat vt quotidie ad templum accedat, & iniusta facientem seruum & seruam, peregrinum & peregrinam puniat per quosdã ciuitatis ministros. *Plat. de leg. dial. 7.*

Pueri & puellæ separentur post ætatem sex annorum, & pueri cum pueris, & virgines cum virginibus inter se conuersationem habeant. *Plat. de leg. dial. 7.*

Pueris ludi sunt quidam naturales, quos vbi conueniunt ipsi ferè excogitant: conuenire oportet ad templa in vicis omnes qui sunt eius ætatis, à triennio vsque ad sexennium, singuli qui colonorum sunt in idem in commune. *idem, ibidem.*

Pueri post sextum annum se conuertant ad doctores equitandi, & arcuum, & iaculorum & fundæ, si verò consenserint, etiam puellas incitent, vt discant saltem, maximè verò etiam ad armorum vsum. *Plat. de leg. dial. 7.* Pueri castigandi sunt, ita tamen vt ad iram non concitentur, nec vt non castigati molliter se gerant. *idem, ibid.*

Pueris & statim, & quo tempore nondum ad bellum proficiscuntur, decorum fuerit, vt armis semper & equis ornati, ad omnes deos accedant, & pompas ipsi ducant, & celeriores, & tardiores, in saltatione, & in itinere, ad deos, & deorum filios, supplicationes faciant: sed & certamina, & certaminum præludia, si quorum, non aliorum quàm horum gratia exercenda sunt. Hæc & in pace & in bello vtilia sunt tum ad rempublicam tum ad priuatas domos, alij labores & ludi non sunt liberorum. *Plat. de legib. dial. 7.*

Pueri vt vti possint eodem modo & dextra manu & sinistra curam habeant magistratus, fœminæ quæ ad ludos & educationes obseruandas præfectæ sunt, viri qui ad disciplinas, ita vt natura quoad fieri potest non lædant: disciplinæ sint circa corpus gymnastica ad animum musica. *Plat. de legib. dial. 7.*

Pueri exerceantur gymnasticâ, cuius duę species sunt, saltatio, & lucta; saltationis altera species musę dictionem imitatur, & magnificentiam simúlque libertatem obseruat, altera bonæ habitudinis, & leuitatis, & pulchritudinis corporis membrorum, & partium gratiâ instituta est, vt congrua flexio, & extensio singulis ipsis attribuatur; & concinnus motus ad omnem saltationem iustè dispergatur, ac sequatur. At circa luctam, quæ quidem Antæus aut Cercyon in suis artibus constituerunt, inutilis contentionis gratia, aut quæ Epeus, aut Amycus circa Cæstuum pugnam, quam ad belli vsum inutilia sunt, indigna sunt, vt verbis exornentur; quæ verò ex recta lucta à ceruicum, & manuum, ac laterum motu cum contentione, & cum decora distentione elaborantur, roboris, & sanitatis gratiâ, ea velut ad omnia vtilia, omittenda non sunt, sed discipulis, & doctoribus præcipiendum vt beneuolo animo hi præstent, illi grato animo suscipiant, nec quæ in choris sunt conuenientes imitationes omittendæ sunt, tum vt deæ donum colant, tum ad belli vsum, tum festiuitatis gratia. *Plato de legib. dial. 7.*

Pueros & puellas saltare discere oportet, pueris saltatores, puellis saltatrices harum rerum curator assumere possit ex ciuibus tum viris, tum mulieribus quascunque voluerit. *Plat. de leg. dial. 7.* Pueri die reuertente ad magistros accedant, nam sine pastore nec pecora, nec aliud quicquam degere debet, neque pueri absque pædagogis, nec serui absque dominis. *idem, ibid.*

Puer omnibus bestijs magis intractabilis est, quum sapientiæ fontem nondum absolutè cõpositum habeat: insidiosa, acris, & procacissima bestia est: quapropter multis velut frenis quibusdam ipsum vincire oportet, primò vbi à nutricibus ac matribus discessit, pædagogis infantiæ, & pueritiæ gratiâ, deinde his qui docent quæcunque tandem & di-

& disciplinas, vt liberum. verum vt seruum quicunque ex liberis hominibus castiget & puerum ipsum, & pædagogũ, & præceptorum, si quis horum quid deliquerit: ut si non iustè castiget, vel non pro more, legum custos qui ad magistratum puerorum electus est in hunc animaduertat. *Plat. de leg. dial. 7.*

Puer decem annorum per triennium ad literas adhibẽdus est, ad lyram post tredecim annos, ita vt tres annos in ea perseueret, nec plures, nec pauciores liceat in his exerceri præter legis ordinem. *Plat. de leg. dial. 7.* Pueri in literis elaborare debent donec quis scribere & legere possit, ut vt pulchritudinem & velocitatem in his exprimant, valere sinantur in his, quibus natura in constitutis annis ad hoc non festinauit. *idem, ibid.*

Puerorum patre orbatorum legum custodes sint patres non deteriores, & singulis annis velut suorum curam gerent. *Plat. de leg. dialog. 11.* Pueris bene educatis omnia nobis recta nauigatione procedunt; at si contra, neo dicere dignum est, nec nos dicemus quid sequatur ob nouam ciuitatem. *idem, ibid. dial. 7.*

Pueri quandiu sumus operamur quidem quæ in composito sunt, pauca verò à superioribus ad ipsum vsque refulgent; quando verò oriantur quo ad nos, ad superiora interim operantur, in nos sanè agunt, quando ad medium vsque procedunt, ijdem & pueri sumus, sed quæ ha[illegible]mus his assiduè non vtimur, sed quando medium, vel ad superiora, vel ad contraria vertimus, vel quodcunque à potentia in actum producimus. *Plot. En. 1. lib. 1. cap. 11.* Pueri magis memores sunt quia non citò desistunt, sed rem ipsam diu ante oculos habent, cùm nondum in multa distrahantur, sed paucis vehementer incumbant, quorum cogitatio visque circa multa versatur, hi quasi percurrunt & nusquam insistunt. *Idem, En. 4. lib. 6. cap. 3.*

Pueri anima mobilior est & inquieta maximè ob irrationalis mentis à rationali nondum firmatæ imbecillitatem, deinde ob nimium calorem & humorem in illa ætate abundantem. *Chalcid. in Tim. Plat.* Pueri & fœminæ plurimum ad pestẽ sunt apti, quia mollis materia ad transmutationem est facilior, & pleni sunt humoribus ad putredinem aptis, & vita illorum est præter ordinem, & modum. *Fic. de epidem. antidoto. cap. 3.* Pueri senibus, & insani prudentibus crudeliores sunt, quia minus homines quàm cæteri sunt. *Idem, epist. lib. 1.* Pueri nec senum consilia, nec rustici sapientum cogitationes attingant. *ibid.*

Pueri, & bestiæ quocunque voluptas trahit prorumpunt, & à quo dolor retrahit aufugiunt. *Ficin. in Plato. de legibus, dial. 2.*

Puer natus octauo mense non viuit, si modo ita semper accidat, accidit enim aliter inter Ægyptios, & alicubi apud Græcos: causa est non frigiditas, siccitas siue Saturni, sed violentia quædam aliunde tunc illata, quæ nasci eo tempore tunc compellit eum quo ad hue Saturnus in visceribus detinebat; non enim dum hic retinet nascitur aliquis, nisi violenta nimium causa expulsus ex aluo. *Idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 6.*

Puer regis filius qui teste Aly eo die quo natus est locutus est, non formauit verba ob coniunctionem quatuor planetarum in horoscopo: nec infantis verba fuerunt, qui vaticinatus est patris calamitatem paulò post secutam, sed dæmon illic locutus fuit, dæmon inquam Mercurialis, nam in octauo Libræ gradu qui terminus est Mercurij erat horoscopus, & Mercurius cum Venere, Ioue, & Marte coniunctus. *Ficin. in Plotin. En. 4. lib. 3. cap. 23.*

Pueri non valent intellectu, sed imaginatione quæ est causa vt ait Porphyrius vt pueri magis reminiscantur. *Ioan. Fran. Pic. Mirandul. in exam. vanit. doctr. gentium. lib. 3. cap. 6.* Pueri discere non possunt propter superabundantiam humorum & perturbationem in sensibus factam, senes verò vel quia pertranseunt nec manent diu in aliqua consideratione, vel quia sunt siccioris naturæ, quæ peregrinas phantasmatum imagines recipere nequit, & sic non valent ideas in animo residentes excitare. *Gab. Bur. de reminisc. lib. 4.*

Pueri naturâ tenacissimi sunt eorum quæ à teneris annis accipiunt. *Fran. Patric. de reg. lib. 2. cap. 5.* Pueri nunquam audiãt quid obscœni, nam turpiter dicta sequuntur turpiter facta. *idem, ibid. cap. 7.* Pueris duo præcipuè præcepta danda, pudorem in primis vt seruent, & laudis studium. *cap. 8.* Pueri Persarum ita instituuntur ad cultum iustitiæ vt nihil inhonestum, nihil turpe, aut iniustum appetant, quæ persuasio omnium optima esse videtur. *Idem, de repub. lib. 1. cap. 3.* Pueros Grammaticam, & Musicam eodem tempore docere possumus. *de rep. lib. 4. cap. 6.* Puerili ingenio nihil magis conuenit quàm poesis. *Seb. Foxus in 2. Plat. de rep.*

Pugna armis fiat vnius aduersus vnum, duorum aduersus duos, & ad decem vsque aduersus decem depugnent: & vocare oportet consummatos in pugna qui leg. [illegible] quid fecisse oporteat, & sic de pelsistica & Pancratij pugna. *Pla. de leg. dial. 8.* Pugnare aduersus duo, eàque contraria difficile est, paupertatem, & diuitias, quorum hæ animas hominum delicijs corrumpunt, illa doloribus eandem ad impudentiam conuertit. *idem, ibid. dial. 11.*

Pugnæ spiritualis arma duodecim. voluptas breuis & exigua: comites, fastidium, anxietas, iactura maioris boni, vita somnus & vmbra, mors imminens improuisa, suspicio impœnitentiæ, æternum præmium, æterna pœna, hominis dignitas & natura, pax bonæ vitæ, Dei beneficia, Crux Christi, testimonia martyrum, exempla sanctorum. *Io. Pic. Mir. de reg. dir.*

Pulchritudinis diuisio.

Pulchritudo triplex, animorum, corporum, & vocum: animorum mente cognoscitur, corporum oculis, vocum auribus solis percipitur. *Fic. in Plat. conuiu. or. 1. cap. 4.* Pulchritudo duplex, corporea & incorporea: corporea duplex, in his quę videntur, & in his quæ audiuntur: incorporea duplex, altera in intellectu, altera in anima. *idem, in Plot. En. 1. lib. 3. cap. 4.*

Pulchritudines duæ corporales siue sensibiles, quæ scilicet & visui & auditui exponuntur, duabus illis spiritalibus formis primi videlicet intellectus, & animæ mundi quam simillimæ esse videntur. *Leo Heb. de amo. dial. 3.* Pulchritudo duplex, vel producens, vel producta, vel sese communicans, vel iam communicata, vel vnita, vel diffusa. *idem, ibid.* Pulchritudo triplex existit, artificiosa, naturalis, atq; idealis. *ibi.*

Pulchritudo quid est.

Pulchritudo est in aspectu plurimum, & in auditu: præterea si à sensu ad id quod supra sensum est ascendamus, inueniemus studia quoque & officia pulchra, & actiones & habitus, atque scientias virtutũmque pulchritudines. *Plot. En. 1. lib. 6. cap. 1.* Pulchritudo prima nil aliud est, quàm splendor gloriæ penes patrem luminum, & figura substantiæ eius. *Fic. de lumine. cap. 14.* Pulchritudo nil aliud est quàm summi boni splendor, fulgens præcipuè in his rebus, quæ oculis, auribus, mente percipiuntur, & per illas ad ipsum bonum visum, auditum, mentemque conuertens, quo fit vt pulchritudo circulus quidam diuinæ mentis existat, à bono manans, in bono residens, per bonum, & ad bonum sempiternè reflexus. *Ficin. in Plat. p[illegible] lib. 1. cap. 5.*

Pulchritudo nil aliud est quàm summi boni splendor, fulgens in his, quæ oculis, auribus, mente percipiuntur per illãq. ad ipsum bonum visum, auditum, mentémq; conuertens. *Ficin. in Platonem de pulcis.* Pulchritudo gratia quædam est, quæ vt plurimum in concinnitate plurium maximè nascitur. Ea triplex est: si quidem ex plurium virtutum concinnitate in animis est gratia, ex plurium colorum linearũmque concordia in corporibus gratia nascitur: gratia etiam in sonis maxima ex plurium vocũ consonãtia. *Idem, in Plato. conuiuiũ, ora. 1. ca. 4.*

Pulchritudo est quidam splendor humanum ad se rapiens animum. *Ficin. in Plato. conuiuium ora. 5. cap. 4.* Pulchritudo est bonitatis quidam flos, cuius floris illecebris, quasi esca quadam latente interius bonitas allicit intuentes. *Idem, in Plato. conuiuium. or. 5. cap. 1.* Pulchritudo non est corporea, sed incorporea *ibid. cap. 3.* Pulchritudo spirituale quoddam potius rei simulachrum est quàm species corporea *ibid.* Pulchritudo, & figura non idem sunt; nam nil tardius senescit quàm figura, nil citius quàm gratia *ibid.*

Pulchritudo est gratia quædam viuacis & spiritualis Dei radio illustrãte, angelo prius infusa, inde & animis hominum corporũmque figuris, & vocibus, quæ per rationem, visum, auditum, animos nostros mouet & delectat, oblectando rapit, rapiẽdo ardenti inflammat amore. *Ficin. in Plato. conuiuium, or. quinta. cap. 6.* Pulchritudo quantum in rebus quæ audiuntur, videntur, & cogitantur est, pulchritudo vocatur, & tres nobis gratias repræsentat, quantum in visu, auditu, & ratione consistit, delectatio nominatur atque voluptas. *Idem, in Platum En. 1. lib. 6. cap. 1.* Pulchritudo est facies blanda boni. *ibid. cap. 2.*

Pulchritudo nil aliud est, quàm indoles formæ in natura genitæ, expressius exprimens intellectus diuini effigiem. *Fic. in Plotin. En. 1. lib. 6. cap. 5.* Pulchritudo in mente & forma præstantior est, quàm in vllo artis opere; adde potentiorem, quia in opere distracta est, in mente vnita. *Idem, in Plotin. En. 5. lib. 8. cap. 1.* Pulchritudo in opere naturali est forma quædam non quomodolibet impressa materiæ, sed tunc impressa ab ipsa natura, quando natura excellenter materiæ dominatur. *ibid. cap. 2.*

Pulchritudo prima est prima intelligentiæ pulchritudo. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 8. cap. 4.* Pulchritudo quid sit frustra quærit animus, qui se per eiusmodi conuersionem pulcherrimum non reddiderit: si verò reddiderit, quandoq; suam inspiciẽs pul-

chritudinem, suspiciet inde superiorem, ac per suum intellectum iam purgatum, velut per aurum quoddam, quod erat in mole, diuinum intellectum velut aurem vniuersum, sincerúmque contemplabitur, aliter non quærendum. *idem, ibid.*

Pulchritudo apparens in materia est imago quædam pulchritudinis, quæ præstantior in natura viget. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 8. cap. 3.*

Pulchritudo mundi corporei vmbra est quædã ad ipsam mundi incorporei pulchritudinem. *idem, ibid. cap. 13.*

Pulchritudo ipsa in mundo diuino est vniuersus ille splendor, ex cuncta idearum quasi stellarum serie micans. *ibid. ca. 10.*

Pulchritudo, & essentia prima idem sunt, ideò quatenus aliquid capax est pulchritudinis, eatenus capax est essentiæ, atque vicissim: item cùm prima essentia sit, ipsa simpliciter species, nimirum speciei participatione essentiam habent omnia. *Ficin. in Plot. En. 5. lib. 8. cap. 9.* Pulchritudo primæ intelligentiæ est primæ lucis splendor foris exuberans. *idem, ibid. cap. 13.*

Pulchritudo prima non est in corpore, non enim per se totũ, sed per formam pulchrum est, & mutabiliter: nec in anima, nam hæc intellectuali participatione, mutabilitérque fit pulchra: sed prima in intellectu primo pulchritudo est splendor quidam, & figura boni. *Idem, in Plotin. En. 5. lib. 9. c. 2.*

Pulchritudo ipsius boni specie vniuersa superior est; pulchritudo mundi intelligibilis est species vniuersis, & pura, quoniam nihil ibi est informe, nihil ita formatum, quin ipsum sit & forma: pulchritudo mundi corporei inferior est vera specie, quia ex forma simul, & informi, ac etiam deformitate componitur. *Fic. in Plotin. En. 6. lib. 7. cap. 33.*

Pulchritudo spiritalis est quædam gratia cum bonitate coniuncta, & spiritalibus tantummodò animi nostri facultatibus exposita. *Leo Hebræus de Amore dialog. 3.*

Pulchritudinis defectus priuationem quidem simpliciter inducens imperfectionem, amorem verò & desiderium tantummodò accendens perfectionem potius significare videtur. *idem, ibid.*

Pulchritudines rationis, ac mentis quam maximè spiritales sunt. *ibid.*

Pulchritudo idealis est ipsamet diuini intellectus pulchritudo, & cum diuina sapientia vna eademque omnino esse videtur. *Leo Heb. de amo. dial. 3.* Pulchritudo naturalis artificiosę pulchritudini est præponenda. *idem, ibid.*

Pulchritudinis communissima definitio est, gratia quædam formalis, quæ eam cognoscenti maximam affert iucunditatem, ipsúmque ad sui allicit amorem. *ibid.* Pulchritudo cuiuscunque amoris & principium, & medium, & finis esse videtur. *ibid.* Pulchritudo quæcunque summi ipsius pulchri quasi radius quidam existit. *ibid.*

Pulchritudo vt corporis, animæ, & vt ipsa pulchritudo.

Pulchritudinem vnam eandémque putare oportet quæ in omnibus corporibus est; & pulchritudo in animis præstantior est eã quæ in corpore est. *Plato in Sympos.*

Pulchritudo in corporibus principio est quiddam primo intuitu se sensui patefaciens, idque animus apprehendens familiaritérque agnoscens suscipit, & complectitur. *Plotin. En. 1. lib. 6. cap. 2.*

Pulchritudinem agnoscit animæ vis quædam ad eam instituta, qua nihil validius ad propria iudicanda, quando & alia anima in iudicando concurrit, speciei quæ in ipsa est accommodans, eaque freta ad iudicandum, vt ad recti iudicium regula vti solent. *Plot. En. 1. lib. 6. cap. 3.* Pulchritudo in animo est virtutum splendor, non figura, non color, non magnitudo. *Idem, ibid. cap. 5.*

Pulchritudinem ipsam qui intuetur, nihil penitus corporeæ pulchritudinis intueri oportet, sed cognoscere corpora hæc esse imagines, vestigiaque & vmbras, ad illud omnino confugere cuius hæc simulachra sunt, & visu corporis clauso, alterum pro hoc visum assumere, quem habent quidem omnes, perpauci verò vtuntur. *Plotin. En. 1. lib. 6. cap. 8.*

Pulchritudinem ipsam vt videamus, primò assuefaciendus est animus vt pulchra studia consideret deinde opera pulchra, quæ à viris probis aguntur, post hæc eorum animam qui talia agunt, debes inspicere, reuocare in te ipsum; & si contemplando non te cognoscis pulchrum, statuarium imitabere, qui vbi statuam optat pulchram partim abscondit, partim detegit, & expoliturus abradit, partim leuigat, & abstergit, donec faciat in statua erigat speciosam; ita tu tolle superuacua, obliqua dirige, obscura purgando collustra, nec desinas circa statuam tuam elaborare quousque diuinus virtutis fulgor tibi subrutilet, quoad temperantiam cernas firmiter in maiestate pura, sanctáque sedentem, & vbi hoc ipsum euaseris fige intuitum, solus namque hic oculus ingentem inspicit pulchritudinem. *Plotin. En. 1. lib. 6. cap. 9.*

Pulchritudinis ratio in natura est exemplar pulchritudinis huius quæ apparet in corpore, exemplar autem pulchritudinis naturalis est ratio quædam in anima pulchrior à qua profluit naturæ pulchritudo. *Plot. En. 5. lib. 8. cap. 3.* Pulchritudo animæ per sapientiam contingit, & animæ sapientiam tribuit intellectus verus. *Idem, En. 5. lib. 9. cap. 22.* Pulchritudinis cur in defuncti facie adhuc nõdum manifestè permutata via restat vestigium etsi in viuo erat splendor pulchritudinis? quoniam habet animam. *En. 6. lib. 7. cap. 22.*

Pulchritudo tunc est in corporibus cum forma superat materiam. *Proclus in Alcibiad. 1.* Pulchritudo corporis non in vmbra materiæ, sed in luce & gratia formæ; non in tenebrosa mole, sed in lucida quadam proportione; non in pigro & inepto pondere, sed in conuenienti numero & mensura consistit. *Fic. ep. lib. 1.*

Pulchritudinam circa corpora in duobus versari putamus, in proportione membrorũ, & linearum [illegible] coloribus perlucidis. sic in animo in virium proportione motuúmq; animi, & in cogitationis, & intelligentiæ claritate consistit. In angelis etiam pulchritudo desuper micans in proportione intelligentiæ voluntatisq; & actionis, & in veritatis lumine collocatur: at Dei simplicitas facit, vt in Deo nullam proportionem habeat à luce distinctam, & pulchritudo & pulchrum, quę duo sunt in rebus, vnum quòd sint efficit. *Ficin. in Dion. Areop. de diu. nomin.*

Pulchritudinẽ animi ordare iubet Plato. & post habitã corporis formã decorem animi tum naturalẽ inspicere, tum studio comparandum diligentius adhibere. *Fic. in Plat. Charmidem.* Pulchritudo corporis non oportet se amanda, sed tãquã diuinæ pulchritudinis imago existimanda. *idem, ibidem.*

Pulchritudo corporis est temperantia quædam linearum, & colorum. *ibid.*

Pulchritudo cùm solũ à mente, visu, & audim frui possit, & amor sit fruẽdæ pulchritudinis desideriũ, amor semper mẽte, oculis, & auribus cõtentus est: ergo olfactu, gustu, & tactu nil opus habet. *Ficin. in Plato. conuiuium, orat. 1. cap. 4.* Pulchritudo corporis est actus, viuacitatis, & gratia quædã ideæ sita influxu, in ipso refulgens, & fulgor huiusmodi in materiã nõ prius quã aptissimè sit præparata descẽdit. *sef. ibid. in 5. cap. 6.*

Pulchritudo prima, & vera in corporibus non est cum corpus nullũ vndiq; pulchrũ est, nec semper, & communis omnium corporũ pulchritudo ab vno depẽdere debet, nõ à materia, quia per se non est pulchra, ergo à Deo, qui per angelos & animã reddit quotidie pulchrã omnem materiã. *Fic. in Plato. conuiuium, or. 6 cap. 18.* Pulchritudo vna multorum corporum ab vno aliquo incorporeli pendet artifice. *idem. ibid.*

Pulchritudo & ad mentẽ, & ad visum, & ad auditũ pertinet, ideò cùm de animorũ pulchritudine agitur & de corporũ pulchritudine, tũ de orationis pulchritudine disputatur. *Fic. in Plato. phædr. cap. 1.* Pulchritudinis natura est amabilis, vt bonitas appetibilis. *idem, ibid. cap. 31.* Pulchritudo splendor est bonitatis. *in Plato. Timæum, cap. 15.*

Pulchritudinis in ipso rerum ordine vbi plurimum est, ibi plurimum est mentis, siue naturæ quædam mentis adsit, siue artificiũ eius propriũ siue vestigium, aut Indiciũ. *Fic. in Plotin. En. 1. lib. 6. in arg.* Pulchritudinis ipsius vera forma est ipsa vita per actũ mentis penitus absoluta, & eius proprium est allicere, & rapere. *idem, ibid.* Pulchritudinem corporeã nemo cognoscere potest nisi sensu cognouerit, & ipsam qui cognoscere vult extra se fertur, incorporeã verò animo percipere debet, & qui cognoscere vult intra se referatur oportet. *ibid. cap. 4.*

Pulchritudinem potentia rationalis parturit in animo, naturalis verò in materia, & vtraq; pulchrũ pro viribus in quo generat subiecto naturaliter optat. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 5. cap. 1.*

Pulchritudo corporis bonum quidem est, sed leue & volatilius & simul ac deuenerint in conspectũ virtutis omnia corporis bona concidunt vt vix appareãt. *M. Ant. Natta de pulch. lib. 1.*

Pulchritudo corporis breui absumitur, ideò reiicienda. *Idẽ, de pulchro lib. 5.* Pulchritudines corporeles incorporaliũ formarum vmbræ quędã existunt. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Pulchritudinis vulgus non secus ac magnitudinis quoq; laudẽ solis corporibus verè propriéq; incorporeis verò per similitudinẽ quandã tantummodò quam incorporea cum corporibus habent accommodare consueuit. *idem, ibid.* Pulchritudinis ratione habitã, & omnis amans amat, & omne amatũ adamatur. *ibi.* Pulchritudo cùm sit spiritale quiddã, & amatoria fœditate, corporeáq; labe aliena prorsus existat, à spiritalib. tãtummodò atq; purgatis, minimè autẽ à corporelibus siue ab impuris animi nostri facultatibus cognosci comprehendíque

dique potest. *Leo Heb. de Amo. dialog. 3.* Pulchritudo corporum, & ipsorũ venustas ab excessu formæ super materiam, eorundem verò deformitas, ac turpido, ab excessu materiæ super formam proficisci videtur. *idem, ibid.* Pulchritudinum corporalium cognitio, voluptas, & amor ad animorum nostrorum interiorem vim potius, & facultatem, quam ad oculos, vel ad aures spectare creduntur. *ibid.*

Pulchritudo corporum spiritalis pulchritudinis vmbra, ac tenuissima quædam imago debet existimari. *Leo Heb. de amore, dial. 3.* Pulchritudo in corporibus perspecta splendor quidam idearum ad ipsa illustranda pertigens existit. *idem, ibid.* Pulchritudo animæ intelligentis in eius ad sapientiam dispositione profectò consistit. *ibid.*

Pulchritudo, vt cognoscitur, in quo consistit, & vt mouet ad amandum.

Pulchritudinis principia sunt symmetria, & congruentia, & ad ipsas partes, & ad animam. *Timæus Locrus de anima mundi, & natura.* Pulchritudinem quæ ad oculos pertinet, tradunt omnes commensurationem quandam partium, & inuicem, & ad totum vnà cum coloris gratia esse, & in eo sitam esse, vt commensurata & moderata sint, sed apud hos nihil simplex, sed compositum solum erit pulchrum. *Plot. Enn. 1. lib. 6. cap. 1.* Pulchritudo coloris simplex peruenit vbi formatur, superatúrque quod est in materia tenebrosum, præsentia luminis, quod quidem incorporeum, & ratio quædam est & species: at cùm subiectum non superatur, non prouenit pulchrum. *idem, ibid. cap. 3.*

Pulchritudinem omnes æquè vident, non tamen incitantur æquè, sed maximè omnium amatores. *Plot. Enn. 1. lib. 6 cap. 4.* Pulchritudinem in mixto cùm quærimus, nos latere non debet non esse omnia exigenda quæ pulchritudo continet in natura non mixta, nec in sequentibus primas esse quærendas, sed eas quas mixtum suscipere potest, quasi satis fuerit factum si nihil ex his quæ potest capere desit. *idem, En. 3. lib. 2. cap. 7.*

Pulchritudinem non consistere in magnitudine testimonio nobis est pulchritudo, quæ existit in disciplinis, & officiis prorsus in animo, vbi certè reuera magis viget pulchritudo, cùm in animo quondam sapientiam contemplaris, & contemplatus delectaris & amas, faciem corporis nõ aspiciens, intimam sequens pulchritudinem. *Plotin. Enn. 5. lib 8. cap. 2.* Pulchritudinem veram mirari potest qui naturâ philosophus est, qui velut amator circa pulchrum ipsum quodam quasi partus labore vertatur, nec pulchritudine corporis est contentus, sed ab hac confugit ad animi pulchritudinem, & inde ad animæ pulchritudinem, & si quid superius extat, quousque ad primum vsque peruenerit, quod à seipso sit pulchrum, quo perueniens vexari iam desinit, prius verò nequaquam. *idem, En. 5. lib 9. cap. 2.* Pulchritudo naturaliter consequitur quod mensuratum est, & deformitas inmensuratum. *Proc. in Alc 1.*

Pulchritudinem nonnulli in certa membrorum omnium positione, siue commensuratione, & proportione cum quadam colorum suauitate sitam esse aiunt; quod nos non admittimus. nam simplicia, quæ ex dispositione partium constant speciosa non essent, & per se singula membra pulchra non essent. *Ficin. in Plato. conuiuium, orat. 5. cap 3.* Pulchritudo summa formaliter est in mundo intelligibili. *Idem, in Plat. phedr. cap. 21.*

Pulchritudo formalis oritur cùm essentia prima adolescit dum essentia prodit in vitam; adulta denique iudicatur dum vita completur in mentem, nam per ipsum mentis actum essentialis vitæ perfectè formatur, ac omniformis forma euadit. *Fic. in Plotin. En. 1. lib. 6. in proæ.* Pulchritudinem omnia non appetunt, bonum omnia, sed pulchrum appetunt solùm, qui iudicium quoddam de pulchro habent, & hi non semper pulchrum, bonum verò semper *idem, ibid.*

Pulchritudo animæ in harmonia quodammodo constitutæ, ab illa quæ auditur harmonia tanquam imagine ritè refertur. *Fic. in Plotin. Enn. 1. lib. 6. cap. 4.* Pulchritudo intellectualis lucis præcipuè ab ea, quæ videtur in lumine, velut imagine repræsentatur. *idem, ibid.* Pulchritudo operis non consistit in materia, vel quantitate, sed in forma, quasi iam materialis effecta, & tunc maximè cum vehementius cogitatur, & species in moribus, & disciplinis non caret amore cùm immaterialis sit omnino. *idem, in Plotin. En 5 lib. 8 cap. 2.*

Pulchritudinem esse naturalem in intellectu etiam humano apparet, quia materiam rudem reddit pulchram. *Ficin. in Plotin. En. 5. lib. 8. cap. 2.* Pulchritudinis splendor fulget ex intellectum animæ caput, vt lumen à sole semper in stellam, subinde in virtute animæ rationalem sicut in Lunam quatenus ad superiora conuertitur. *idem, ibid. cap 3.*

Pulchritudo à quocunque ametur, semper sub ratione boni appetitur. *in Plotin. En. 6. lib. 7. cap. 34.*

Pulchritudinem oculis tantùm & auribus nuntiis accipit animus, quod reliquum eaquiritur fœdissimum est. *M. Anton. Natta de pulchro, lib. 1.*

Pulchritudo vix ab ipsa vtilitate disiungi potest, & in bonorum numero pulchrum ponendum est. *idem, ibid. lib. 2.*

Pulchritudo idealis tanquam ad summam quandam vnitatem redacta tam naturalibus quàm artificiosis pulchritudinibus in corpora distributis ac dissipatis longè præstat. *Leo Hebræus de Amore, dial. 3.*

Pulchritudo nequaquam, sicut hominum vulgus existimat, in partium tum inter sese tum ad totum ipsum conuenienti proportione consistit. *idem, ibid.*

Pulchritudines ideales & in primo intellectu, & in anima mundi longè tamen nobiliori atque excellentiore ratione in illo quam in hac, residere existimantur. *ibid.*

Pulchritudines auditui expositæ sunt. *ibid.*

Pulchritudinis ipsius cognitio difficilis quidem existit. *Leo Heb. de Amor. dial. 3.*

Pulchritudinis aliquam cognitionem ex quinque exterioribus sensibus visus tantummodò atque auditus sibi vendicant. *Idem, ibid.*

Pulchritudinis non solùm defectus, verum etiam ipsius antecedens cognitio, amorem ac desiderium eius inducit. *ibid.*

Pulchritudinis cognitio est duplex, habitualis, ac priuatiua. *ibidem.*

Pulchritudinis cognitio priuatiua amorem ac desiderium ipsius inducit, cognitio verò eiusdem habitualis hoc efficere minimè valet. *Leo Heb. de amore, dial. 3.* Pulchritudinis diuinæ cognitio, & amor à prima procreatarum omnium intelligentiarum incipiens longissima quadam serie adhibitâ in humanum postremò desinit intellectum. *idem, ibid.* Pulchritudo gratia seu venustas quædam animo nostro cognita & perspecta, quæ eum ad amandum impellit, existere definitur. *ibid.*

Pulchritudo, præter visum atque auditum à phantasia quoque primò, deinde ab intellectu, à separatáque mente postremò, magis magisque semper velut per gradus quosdam cognosci discernique videtur. *Leo Hebr. de amore, dialog 3.*

Pulchritudinis defectus propter vberiorem ipsius cognitionem maiorem in angelico, quàm in corruptibili mundo, insuper existit. *idem, ibidem.* Pulchritudo rerum naturalium ad naturales formas, itémque rerum artificiosarum elegantia ad formas artificiosas semper est referenda. *ibid.* Pulchritudo mundi inferioris à mundo spiritali formarum quæ in corpora distribuuntur beneficio descendit. *ibid.*

Pulchritudo adamata naturæ ordine diligenter perspecto atque considerato, & amantem, & amorem ipsum semper præcedit. *Leo Heb. de amor. dial 3.* Pulchritudo naturalium formarum maior minórve ex earum cum corporibus minori maiorive permixtione, atque societate originem ducit. *idem, ibidem.* Pulchritudo astrorum ad lucem potius, quàm ad circularem eorum figuram referenda videtur. *ibidem.* Pulchritudo maxima astrorum in luce potissimum consistit. *ibid.*

Pulchritudo vt diuina.

Pulchritudo Dei, cuius proprium est allicere, inter bonitatem & iustitiam collocatur: ã bonitate effluit, & persluit in iustitiam. *Ficin. in Platon. conuiuium, or 2. cap. 2.* Pulchritudo in mũdo diuino tanquã ipsius boni splendor animã illic admirabundam per amorem clam reuocat ad ipsum bonum: pulchritudo in anima tãquam splendor intelligentię per amorem ad amandum intellectum latenter inuitat; pulchritudo in hoc corpore vt pulchritudinis animalis imago ad desiderãdam incorpoream pulchritudinem adhortatur. *idem, in Plotin. En. 6 lib. 7. cap. 33.*

Pulchritudo diuina non admittit oculos mortales, sed solâ mente percipitur. *Marc. Antonius Natta de pulchro, lib. 6.*

Pulchritudo vera est in Deo. *idem, ibid.* Pulchritudinis diuinæ qua ratione æquales quaque ratione inæquales defectus in angelico, & corruptibili mundo conspecti esse dicuntur. *Leo Hebr. de amore, dial. 3.*

Pulchritudo diuina est omnium reliquarum pulchritudinum communis mensura. *ibidem.*

Pulchritudo diuina immensa infinitáque existit. *ibid.*

Pulchritudinis diuinæ defectus in angelico inferiorique mundo primùm æqualis fuit. *Leo Hebræus de Amore, dial. 3.*

Pulchritudinis diuinæ cognitio à mortalibus habita, nec perspicua, nec lucida sicut ea quæ ab angelis habetur existit. *idem, ibid.*

Pulchritudo diuina quamuis suapte naturâ infinita, tamen finita quadam ratione rebus procreatis, nonnullis quidem largius, nonnullis verè parcius fuit distributa. *ibid.*

Pulchritudo immensa Dei non pro suæ infinitatis ratione, sed pro intellectus eam cognoscentis captu finitáque natura, in angelicam aut beatissimam imprimitur mentem. *ibid.*

Pulchritudo summa in diuina sapientia est statuenda, ac reponenda. *ibid.*

Pulchrum quid est.

Pulchra sunt quæ celeriter fiunt, quæ lentè, & tardè, & cum difficultate, turpia. *Plato in Charm.*

Pulchrius est quod sapientissimum est. *idem, in protag.*

Pulchra omnia difficilia, & magna periculosa sunt. *de republ. dial. 6.*

Pulchrum nunquam est quod imperfecto simile est. *in Timæo.*

Pulchrum non est primum genus: si accipitur pulchritudo ipsa supereminens non est genus: si intelligitur Deus posterius est, at si non aliud quàm ipsa essentia, in ipsa essentia est computatum. *Plotin. En. 6. libr. 2. cap. 18.*

Pulchrum est quod bonum. *Speusip. in Pla. defin.*

Pulchrum nominamus quod pulchritudinis particeps est; pulchritudinem vel participationem quandam causæ primæ pulchra omnia facientis: ipsum verò superessentiale pulchrum pulchritudo dicitur propter illam quam rebus omnibus pro suo cuique modo pulchritudinem tradit, & ad se omnia vocans, omnia passim pulchra reddens; & ipsum omne pulchrum vniformiter secundùm causam præexistit. *Dionys. Areopagit. de diuinis nominibus.*

Pulchrum amabile est suapte natura, quandoquidem & extrema pulchritudo est diuinæ pulchritudinis imago. *Procl. in Alcibiad. 1.*

Pulchrum est gratia quanta, quæ animam per mentem visum & auditum mouet, & allicit, quod partim ex hoc dialogo, partim ex Phædra, & symposio elicitur. *Fic. in Plato. de pulch.*

Pulchrum quid non sit ostendit Plato in Hippia. *idem, ibid.*

Pulchrum alij dicunt esse diuersarum partium quandam dimensionem; sed alij aiunt pulchritudinem esse venustatem quandam de forma venientem, quæ excitat amorem illi nostrum tradimus. *Marc. Antonius Natta de pulc. lib. 2.*

Pulchrum absolutè nihil aliud existit simpliciter præter Deũ. *Leo Heb. de amore, dial. 3.*

Pulchrum summum, summáque pulchritudo, ipsius mundi primi antiquissimique parentes existunt. *idem, ibid. dial. 3.*

Pulchrum vt ipsum.

Pulchrum ipsum si alicui contingat tandem videre sincerum, purum, impermixtum, non carnibus & coloribus humanis, & aliis multis mortalibus nugis non refertum, non putas veram virtutem hunc parere, & Dei amicum fieri, & immortalem reddi? *Plato in symposio.*

Pulchrorum omnium auctor nec forma quædam est nec potentia quædam, sed super omnes formas & potentias est; ergo est principium ipsum specie vacans, non ita vt indigeat forma, sed vt à quo omnis forma intellectualis exoritur: hoc nullum entium est, & cuncta entia, nullum quia entia posteriora sunt, cuncta quia sunt ab ipso nascuntur: immensum est, & cum magnitudinis sit effector non est particeps magnitudinis; eius magnitudo est nihil æquari posse cum illo; nihil eo potentius, & in Deo non est mensura, nec vasta immensitas; nec vllam figuram in eo fingere decet, sed vt res desiderabilis summopere est desideranda, & amanda, & illius amor immensus est, & infinitus, & eius pulchritudo est supra pulchritudinem flos ipse pulchram efficiens pulchritudinem. *Plotin. En 6. lib. 7. cap. 32.*

Pulchrum ipsum est viuificus actus è primo fonte bonorum effluens, mentem primò diuinam idearum ordine decorans, numina deinde sequentia, mentésque rationum serie complens, animas tertiò numerosis discursibus ornans, naturas quartò seminibus, formis quintò materiam. *Fic. in Plato. phileb. lib. 1. cap 5.*

Pulcherrima sub ipso bono tria sunt, mens diuina, anima mundi, corpus mundi. *Idem, in Plotin. En. 1. lib. 5. cap. 8.*

Pulchri proprietas.

Pulchro pulchra omnia pulchra sunt, & magnitudine magna omnia magna sunt, & sic de reliquis. *Plato in Phædone.*

Pulchra omnia sunt, quia ipsius pulchri participant, & sic de bonis, & reliquis omnibus. *idem, ibid.*

Pulchra quomodo se habeant difficile cognitu est. *in Cratylo.*

Pulchrum bis ac ter sermone repetere oportet. *in philebo.*

Pulchra quædam non sunt ex ipsa subiectorum natura, vt corpora, sed participationes quædam pulchritudinis sunt ipsæ vt virtutes. *Plotin. En. 1. lib. 6. cap. 1.*

Pulchrum non constat ex turpibus, ideò non solùm totum, sed & partes pulchræ esse debent. *idem, ibid.* Pulchra hæc nostra esse dicimus participatione speciei diuinæ. *ibidem, cap. 2.*

Pulchra quæ incorporea sunt, & oculis non patent, sed animus absque instrumentis cernit atque pronunciat, ascensu quodam contemplari debemus, sensum in infimo relinquentes. *Plot. En. 1. lib. 6. cap. 4.* Pulchra quæ sensibus offeruntur, vt explicare verbis non potuissemus, nisi vidissemus aliquando, & tanquam pulchra percepissemus, quo munere orbati sunt, qui cæci nascuntur; sic neque de scientia rum cæterorúmque huiuscemodi pulchritudine possumus eloqui, nisi hæc ipsa possideamus: similiter de fulgore virtutis, nisi quodammodo excogitauerimus, quàm pulcher sit iustitiæ, & temperantiæ vultus, quáve ratione neque hesperus, nec lucifer speciosior, & ipsam veram pulchritudinem magis quàm corpoream admirati sumus. *idem, ibid.*

Pulchrum & bonum idem, similique via & pulchrum & bonum quærendum est, simili quoque & turpe & malũ. *Plotin. En. 1. lib. 6. cap. 6.*

Pulchrum quod reuera est extrinsecus, intrinsecus deforme esse non potest. *idem, En. 2. lib. 9. cap. 17.*

Pulchrum primum & esse idem est, & vicissim pulchrum est amabile, quoniam est esse, vna est vtriusque natura. *Enn. 5. lib. 8. cap. 9.*

Pulchrum qui videt tanquam alterum nondum est in pulchro, verum si pulchrum ipsum sit effectus, ita erit in pulchro potissimum. *ibid. cap. 11.*

Pulchris omnibus placet assimilari. *Plato de virtute.* Pulchrum cuicunque accedit, facit vt id pulchrum sit. *Idem, in dial. de pulchro.*

Pulchra non videri pulchra esse præsente eo quod videri facit impossibile est. *ibid.*

Pulchra considerare bis & ter pulchrum esse dicunt. *in Gorgia.*

Pulchra quæ à multis esse putantur, voluntantur inter id quod est, & id quod non est. *de Republica, dial. 5.*

Pulchrum ponitur in prædicamento qualitatis. *Plot. En. 6. lib. 3 cap. 11.*

Pulchrum turpi obtegere, ad vtilitatem ostendendam vti nocentium rerum instrumento, non est opus eius qui vult se beneficium præbere. *Maximus Tyrius. serm. 8.*

Pulchri participia sunt quæ aliquam habent speciem. *Proclus in Alcibiadem 1.* Pulchri ad pulchrum non discernere differentiam, vbi Plato ait, intelligẽdum est non in vnius corporis forma sistendum esse, sed ad ipsam totius pulchritudinem ascendendum. *Fic. in Plato. Charm.*

Pulchrum compositis rebus exactè solùm tribuitur, & consistit in eximia & eleganti partium diuersarum compositione, ex quibus pulchritudo conflatur. *Io. Franc. Pic. Mirand. de materia, cap. 2.*

Pulchrum cum minus sit naturale quàm bonum extrinsecus rapit & quasi violentiâ quadam, & semper mouet cum voluptate, & suapte natura semper ducit ad bonum. *Ficin. in Plot. En. 1. lib. 6 in arg.* Pulchris in rebus materiam posthabere debemus formas seligentes & ordinem, ideas in his auspicari, & artem & mentem commentari diuinam. *idem, in Plot. En 1 lib 6 cap 3.*

Pulchri copulatio atque fruitio ab amante acquisita, ab ipsomet pulchro nonnihil differre videtur. *Leo Heb. de amore, dial 3.* Pulchrum amantis proprium existit. *idem, ibidem.* Pulchrum haud vnum, & idem apud omnes indicio & ingenio valentes esse perspicitur. *ibid.* Pulchrum ad speciem significandam aptius quàm bonum esse videtur. *ibid.* Pulchrum haud bonum simpliciter, sed bonum pulchritudine præditum esse definitur. *ibid.* Pulchrum inter ac turpe media quædam, quæ nec pulchra nec turpia existunt, profectò reperiuntur. *ibid.*

Pulchrum vt se habet ad corpus & animam.

Pulchriora apparent omnia, quæ circa animam, & circa corpus celeriter, & velociter fiunt, quàm ea quæ cum tarditate & lentitudine fiunt. *Plato in Charm.* Pulchrum si commensurationis animæ causa est, & ob hoc ipsum dicitur pulchrum, efficitque vt melius deteriori dominetur, & perficit nos, & animæ deformitatem purgat, hac ratione est bonum non per accidens, sed qua ratione pulchrum: si enim qua pulchrum est commensuratum est, & bonum. *Procl. in Alcib. 1.*

Pulchri omnes homines per formam quandam singulis communem pulchri redduntur, forma verò communis pluribus à diuina specie, velut à sigillo character imprimitur; quoniam omnis multitudo ad vnum quod in multitudine est, &

vnum

vnum quod in multitudine est ad vnum quod supra multitudinem est, reducitur. *Ficin. in Platon. de pulchro.*

Pulcher necesse est vt sit & intellectu & anima priusquàm de incorporea pulchritudine audeat disputare. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 6. cap. 4.*

Pulcher corpore est qui membrorum figuram vnà cum coloris venustate sortit. *M. Antonius Natta de pulchro, lib. 1.*

Pulmo.

Pulmo, vt saluti cordis in malorum expectatione & iræ concitatione factus est præscientes quod igneum eiusmodi omne irâ percitorum domicilium futurum erat, auxilium machinati pulmonem primò mollem fecerunt, & exanguem, deinde cauernas intus habentem ad spongiæ similitudinem perforatas, vt & spiritum & potum suscipiens respirationem perfrigerans etiam requiem, & lenitatem in ardore exhiberet: quapropter, arterias canales in pulmonem secuerunt, & ipsum circa cor locauerunt, velut saltum mollem, qui cum ira in seipso corde vigeat, in id quod cedit exiliat, & refrigeratam minus laboret, & magis rationi cum iræ impetu inseruire possit. *Plato in Tim.*

Pulmones dij machinati sunt gratiâ cordis molles & ventosos, & instar fistulæ cauos, & spongiæ similes, vt cur iræ ardore nonnunquam æstuans aliqua saltem refrigeratione mitigaretur. *Alcin. cap. 23.*

Pulmones motu suo & efflant fumum feruentiorem, & hauriunt aerem frigidiorem ad intestinorum incendium refrigerandum; emissus ex ore halitus expellit externum sibi proximum aerem, & trahit secum aerem intimum. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap. 81.*

Pulmo quasi spongia humorem sugit, & aerem haurit ad incendium cordis refrigerandum. *Ficin. in Platon. Timaeum, cap. 46.*

Pulmo est receptaculum ministri spiritus. i. halitus, in hoc sunt fistulæ, quæ cum obstruuntur, nec incendium emittitur intestinum, nec externum admittitur refrigerium: hinc suspiria sequuntur, & febres. *Idem, ibid. cap. 93.*

Pulmones manifesta dilatatione & contractatione expirationi & inspirationi seruiunt, quorum loco alia brãchias, alia fistulas, alia foramina, alia valuulas habent. *Iacob. Carpent. in Alcinoi degr. § 8.*

Pulmones duo in humano corpore, cum septem planetis in cœlesti optimè conuenire videntur. *Leo Hebraeus de Amore, dial. 2.*

Palsus & pustula, vt in arte medica, quamuis res sit modica, non tamen rem modicam significat, & gubernatori pelagi fremitus, vel auis conspectus, vel paruæ nubeculæ traiectio ventum denuociat, & fluctum maris asperiorem: ita animo fatidico sternutamentum vel vox non est magni per se ponderis, sed casus nota magni, cuius nulla in arte contemnitur ex paruis magna ex paucis multa præsagire: sed vt videns literas easdes non posset rudis percipere vnde literæ illas posse magnas res perpetratas, & calamitates regum: sic qui fatiloqui ignorat vim quatenus ad prouidenda consigrat consequentia, stulte stomachatur quòd homo intelligens aliquid ex his prædicat de obscuris, eásque ferat sibi non sternutamentum, non vocem, sed dæmonium ad res instituendas subiicere. *Plutarchus de vrbe Thebis, & Socratis dæmone.*

Punctum.

Punctum dixerunt Geometræ quod ob incomprehensibilem breuitatem sui in partes diuidi non potest, nec aliqua pars est, sed tantummodo signum esse dicitur. *Macrob. in Som. Scip. lib. 1.*

Punctum est quod nullas partes habet, propterea sub nullis sensibus venit. *Chal. in Timaeum Plato.*

Punctum prorsus impartibile est, habétque vim infinitam latentem, qua omnia producit interualla. *Procl. in Eucl. lib. 2. cap. 13.*

Punctum solum in Geometria, & vnitas in Arithmetica expers partitionis est. *idem, ibid.*

Punctum partim est magnitudinum parens & auctor, partim principium. *ibid.*

Punctum duplex, vel per se se, vel vt terminus. *ibid.*

Punctum puncto additum non auget longitudinem. *Fic. Plato Theol. lib. 8. cap. 4.*

Punctum non existere potest per se ipsum, sed est mensuræ corporis sic affixum, vt semper eius sit terminus. *idem ibid.*

Puncti ratio sicut alia est, & prior quàm continui ratio, sic vnius ratio est alia & prior quàm essentiæ ratio, ideò & rationem vnius diuersam ab essentia contemplari licet, & rationem essentiæ seorsum ab vnius ratione saltem fingere: ideò alterum est essentia, alterum est vnum. *Idem, in Plato. Parmenidem cap. 33.*

Punctum est vbique in lineâ. *Idem, in Plato. commentarium, ar. 2. cap. 3.*

Punctum continui principium non est continuum. *Idem, in Plotin. En. 5. lib. 2. cap. 1.*

Punienda meditari ad pœnam sufficit, vt ad laudem satis est conari prædicanda. *Apul. flor. lib. 4.*

Pupillum qui patre orbatum iniuria afficit duplum reddat damnum, quod sibi persoluendum esset si in aliquem vtroque parente florentem improbè se gessisset. *Plato de leg. dial. 11.*

Pupillos iniuriâ nemo afficiat, timere enim debent supernos Deos, qui pupillorum orbitatis sensu tanguntur, deinde defunctorum animas, quarum natura est vt sobolis suæ præcipuè curam habeant, & his qui illam colunt beneuoli sunt & qui ignominiâ afficiunt infensi, insuper & viuentium animas in senectute, & maximis honoribus constitutorum, vbi ciuitas legibus vtens feliciter degit, qui maximè indignantur contra eos, qui filios patre orbatos iniuria afficiunt. *idem, ibid.*

Pupillo si aliquis ex magistratibus per negligentiam damnum intulisse videtur, iudicium æstimet quid pupillo rependere oportet; si verò per iniustitiam, vltra mulctam, à magistratu legum custodum amoueatur, & respublica alium legum custodem pro ipso regioni, & ciuitati constituat. *ibid.*

Purgatio est deteriorum à melioribus segregatio. *Speusip. in Plat. defin.*

Purpureus color fit rubicundo, nigro, & albo permixto. *Plato in Timaeo.*

Puritas, & abstinentia, à malis dæmonibus nos tuetur, quibus contemplatores sacrificare nihil debent. *Fic. epist. lib. 8.* Purum à non puro non est fas contingi, & dum anima cum corpore est, non est omnino pura. *Plato in phædone.*

Pusillanimis est multifacere quòd tenui sumptu ignobiliorique sepeliatur, altiori monumento dignus minimè iudicatus. *Plotin. En. 1. lib. 4. cap. 7.*

Putrefactione quæ fiunt, ex quadam animæ sorte contingunt, tunc forsan aliud non potentis & idem de his opinantur Platonici, ac Aristotelici de monstris. *Iacob. Carpent. in Alcinoi digress. 8.*

Pyramis secundùm rectam, & verisimilem rationem est ignis elementum, & semen. *Plato in Tim.*

Pyramis constituitur ex triangulis quatuor æquilateribus, quorum quilibet in sex triangulos scalenos diuiditur. *Ficin. in Plato. Timaeum. cap. 40.*

Pyramidis quilibet solidus angulos conficitur ex angulis tribus planis, qui tres duobus rectis æquantur. *idem, ibid. cap. 41.*

Pyramidem vocat Mercurius Trismegistus elementa rerum naturæ subiacentia. *Augu. Steuch. de perenni philosophia lib. 1. cap. 34.*

Pythagoras, Pythagorei.

Pythagoras nihil prius discipulos suos docuit quàm tacere. *Apul. floridorum lib. 2.*

Pythagorei putarunt Deum bonorum causam, materiam malorum, quod ex forma & materia indifferens; in hoc differunt à Stoicis de materia, quòd materiam nec bonam nec malam illi arbitrati sunt. *Chalcid. in Platon. Timaeum.*

Pythagoras & Plato didicerunt philosophiam ex columnis Mercurij in Ægypto. *Iamb. de myst.*

Pythagoreorum doctrinam transgredi ostendit Aristoteles & in deterius excipere tentare. *Syrianus in 12. metaphysi. arum cap. 6.*

Pythagoreis mos erat per signa in corpore constituta venientes ad eos iudicare vtrum ad meliorem vitam apti forent vel ne, nam natura ipsa, quæ animis confingit corpora, instrumenta eis congrua submunistrat, & animarum imagines in corporibus indicat, per quas & animarum ingenia in hac arte periti deprehendere possunt. *Proclus in Alc. 1.*

Pythagoricos seditione in exilium acti sunt, & qui erant adhuc consociati in concilium in domo quadam Metaponti agitantes Cylonij flammis circumuentos ibi omnes necauerunt extra Philolaum & Lysiam, qui iuuenes agilitate, & robore ignẽ repulerunt. *Plut. de vrbe Thebar. & Socr. dæmone.*

Pythagorei pias in sepultura ceremonias habebant quæ nisi fiebant, putabant non habere finem conuenientem, neu beatum. *Idem, ibid.*

Pythagoricum præceptum erat, ne quod in scholis dicebatur in vulgus emitterent, & auditoribus quinquennio integro nihil vel interrogare præceptorem, vel de ijs quæ dicebantur percontari licere licebat, audiebant tantum quæ à præceptoribus legebantur, & taciti secum voluebant; peracto quinquennio qui digni iudicabantur, admittebantur in socios, indigni à consortio reijciebantur. Secreta diuinarum rerum per omnem vitam occultam tenebant, ne quid ad exteros, vel homines indignos exiret, & hæc non literis sed linea tantum præceptores discipulis tradere, nec inter se communicare fas erat. *Bessa. Card. in Calumniatorẽ Plat. li. 1. ca. 2.*

Pythagoras nihil scripsit, & si quid pusillũ filiæ moriens commendauit, & monuit, vt secretum custodiret, quod illa seruauit, nec voluit quamuis potuit pergrandi pecunia vendere libellum. *idem, ibid.*

Pythagoras mandauit discipulis vt se in speculo non ad lucernæ, sed ad solis lumen specularentur. Quid Solis lumen nisi mens eruditissima, quid lucernæ scintilla nisi parum eruditus animus? ideò qui animum speculari volt, non cum indoctis, sed cum doctis se conferre debet. *Ficin. epist. lib. 1.*

Pythagoreorum, & Platonis consuetudo fuit materias inuicem plures, partim more naturæ, partim ratione gratię opportunè miscere. In Phædro cum Theologia oratoriam miscet, in Timæo physicis inserit Mathematica, differendi artem cum diuinis, ac sæpe cum moralibus coniungit; diuisiuam & diffinitiuam in Philebo, & Politico, & Sophista; demonstratiuam similiter copulat in Parmenide cum diuinis, ne fortè si sola logica tradiderit rudimenta, tanquam pædagogus pueros erudire videatur. Quemadmodum verò demonstratiua diuisiuam & diffinitiuam antecellit tanquam finis, sic eam in materia quadam diuiniore traditam arbitratur. *Fic. in Plat. & eandem ex proœm.*

Pythagoræ, Socratis, & Platonis mos erat, vbique diuina mysteria figuris, & inuolucris obtegere, ac sapientiam suam contra sophistarum iactantiam modestè dissimulare, iocari serio, & studiosissimè ludere. *Fic. in Plato: parmenid. ex proœm.*

Pythagoras rerum omnium mensuram hominem esse censet, existentium vt sunt, non existentium vt non sunt, & quælibet cuique talia qualia cuique videntur, & quales res sunt tales sentiuntur & quales sentiuntur tales phantasiæ videntur, ideò sententia sunt est, in quem Thales Milesius, Homerus, Epicharmus, Empedocles, Heraclytus, & Protagoras consenserunt. *idem, in Plato. Theæt.*

Pythagorici de ipso ente vero id est æterna substantia omnes ratione vera, & quidam poetica figura tractabant. Alij philosophi de non ente vero id est de re generabili tractauerunt. Pythagorici quidem non falsa dixere sed eorum nonnulli pauca quædã & obscura dixere: quapropter magnum Parmenidem hic explicatum, & quemlibet pythagoricum intellige non confutatum physicos confutandos, qui solam corpoream molem esse entiam putauerunt, rem nullam incorpoream cogitantes: quibus aduersantur Pythagorici vetamẽns incorporeum intellectus obiectam existimãtes, rem verò corpoream, cum in perpetuo sit fluxu, non essentiam, sed generationem vocant. *Fic. in Plat. sophistam, cap. 27.*
Pythagoras audiuisse fertur, concentus cœlestes. *Idem, in Plat. Phædr. cap. 35.*

Pythagoram ferunt, quum apud ærarios fabros animaduertisset ex malleorum ictibus consonantiam legum ponderum prouenire, collegisse numeros, quibus sibi consentiens diuersitas ponderum continebatur, & deinde tetendisse neruos tam variis ponderibus alligatis, quam varia in malleis fuisse didicerat, atque hinc manifestè considerasse ex neruo, qui supra alium sesquioctaua ratione protẽdebatur, aduersus alium discerni plenum & integrum tonum, qualis erat nouem ad octo proportio. *Fic. in Plato. Timæum, cap. 31.*
Pythagoras vetat sæpe infra sesquitertiam descendere, & sæpe sesquitertias duas continuare, tum quia alioquin displicent, tum quia non implent duplam atque diapason. Si disponas. 9. 12. 16. sesquitertias habes duas, duplas verò non. deest enim sesquioctaua scilicet 18. ad 16, vt dupla 18. ad nouem. *idem, ibid.*

Pythagoras prohibuit vltra duplam id est diapason consonantiam repente cõtinuare per sesquitertiam diatessaron, quia sesquitertia duplę addita fit superpartiens, vt octo ad tria, est enim hic habitudo dupla superbipartiens per bissesquitertiam, quamuis Ptolemæus alicubi subinuentionem hanc admittat. *in Plat. Tim. cap. 31.*

Pythagorici vbi sphærarum interualla dimetiuntur, Terram ad firmamentum comparant, item ad Lunam, & Solem, & Solem quoque ad firmamẽtum in quibus comparationibus interuallum a Terra ad Solem comparatum ad interuallum ab eodem ad firmamentum efficit, inter Terram & Solem sesquialteram, inter hunc verò & firmamentum sesquitertiam: in illa quidem proportione diapente consonantia nascitur, ex his autem diatessaron, ex quibus ambobus conficitur proportio dupla, consonantiaque diapason. Volunt & à Terra ad Lunam fieri diatessaron sicut ad Solem fit diapente. A à Sole ad firmamentum iterum diatessaron, & venatura huiuscemodi proportiones obseruat in sphæris, ita in actionibus ac passionibus elementorum: vt enim perfecta actione proueniat, oportet agens duplò esse potentius subiecto quia cum intẽdas seipsum geminare proportione indiget geminante: alioquin reluctans subiectum perfectam impedit actionem, & sicut dupla cõducit ad substantialem speciem generandam, ita sesquialtera ad familiarem speciei effectionem, & figuram, & sesquitertia ad accidentia quædam commoda, *Fic. in Plat. legum. app.*

Pythagoras, quem Plato noster in omnibus veneratur, sacra doctrinarum mysteria ab excellentissima expiratione mentis exordiebatur. *Ficin. in Platon. epistol. 12.*

Pythagoræ aurea verba quæ proferunt, non sunt Pythagoræ, sed Philolai. *Ioan. Pic. Mir. in Heptapl. præfatione.*

Pythagorici non contenti in veritate diiudicandi ratione sola, numeros & similitudines accersiuere, nam putauit Philolaos qui speculari vellet naturam vniuersi habere ad ipsam naturam quasi cognatam oportere, quoniam simile simili cognosceretur: quod & videtur sensisse Plato in Timæo. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gentium, lib. 2 cap. 9.*

Pythagoras magicam tetigisse dicitur, vt qui eodem die in Italia pluribus in locis, & in Tauromino Siciliæ disputauerit, & cum Abar hyperboreo, qui aerem transisset fretus Apollinea sagitta, familiaritate iunctus fuerit: sic & Empedocles Siculus ex Pythagorica secta per aerem vt auis ambulabat. *Ioan. Franc. Picus Mirandul. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib. 1. cap. 2.*

Pythagoreorum opinio erat animas non interire, sed transire ad alios; & eos magos fuisse multorum opinio fuit. *idem, ibid.*

Pytagoras mathematicis numeris, & magnitudinibus omnia metiri voluit, & primus vt plerique volunt miscuit Astronomiam, Geometriam & Musicam. *ibid.*

Pythagoras Samius Græcorum primus ausus fuit dicere corpus suum quandoque morti cessurum, animum quasi & ipsius corporis funere euolaturum à morte pariter, ac senectute immunem qui etiam antequã corpus induisset habuerit vitam. *Gab. Bar. de reminiscentia, lib. 4.*

Pythagoras concitatos iuuenes ad vim pudicę domui inferendam mutatis in spondeum tibiæ modulis compressit, & Empedocles furentem iuuenem hospitem gladio aggredientem cantu reuocauit, & mansuetum reddidit; & Timotheus musicus Alexandrum nil tale cogitantem ad arma compulit, & victoriæ occasionem præbuit. *Franc. Patric. de republica lib. 2. cap. 2.*

Pythagorici animas omnium animalium easdem esse atque immortales ęquè, iteratáque generatione varia sortiri corpora putauere. *Seb. Fox in Plata. phædonem.*

Pythagorei nefas existimauerũt non modò de Deo, sed de ipsa philosophia, cum omnibus eodem modo agere. *Iac. Carp. in Alc. part. post. cap. 20.*

Pythagoras per annos 20. in Ægypto peregrinatus est. *Aug. Steuch. de peren. philo. lib. 9. cap. 3.* Pythagoræ Theologia ab Orpheo omnis descendit. *Idem, ibidem. cap. 8.* Pythagorei si ad conuitia ab iracundia impulsi fuissent, priusquam Sol occumberet, dextras amplexi, & exosculati reconciliabantur. *ibid. lib. 10 cap. 13.*

Pythagoras duas tantummodò perfecti animatis differentias dextram videlicet, atque sinistram cœlo attribuere solebat, *Leo Heb. de amo. dial. 2.*

Pythagoras sapiẽtes philosophos quasi sapiẽtiæ studiosos percupidósque appellare solebat. *idem, ibid. dial. 3.*

Q

QVADRANGVLVM est spatium quod habet omnes lineas quatuor æquales. *Plat. de virtute.*
Quæcunque sunt, vel possibilia, vel necessaria, vel ambigua sunt: possibile est genus, necessarium & dubium vt species. *Chalcid. in Platon. Tim.*

Quærere non licet an sint quæ non sunt, iuxta Parmenidis opinionem. *Plato in Sophista.* Quærens aliquem, cùm domum ipsius vbi habitarat inquisiuerit, magnum quid ad inueniendum eum quem quærit habuerit. *idem, in philebo.*

Quærere oportet quæ nos non scimus. *de virtute.*

Quærere aliter à consultare: nam quærimus quæ nescimus, consultamus ea quæ scimus. *de consultatione.*

Quæsita quid sunt, & propter quid, à sensu non quæruntur, à ratione quæruntur ambo seorsum, ab intellectu possidentur ambo simul. *Ficin. Plotin. Enn. 6. lib. 7 cap. 3.*

Quæsita duo principaliter sunt, quid sit, & propter quid: illud definitione explicatur, hoc assignatione causæ efficientis, atque fina-

atque finalis, & inuicem coniuncta sunt ambo. *idem, ibid.*

Quæstio instituitur, vt cognoscatur quid sit, non quid non sit. *Plato in Theæteto.* Quæstionum ordo est vt prius quid sit cognoscatur, quàm qualis sit: qui enim nō scit quid sit quo modo cognoscet quale sit? *idem, de virtute.* Quæstio omnis vel quid aliquid sit inquirit, vel quale, vel propter quid, vel vtrum sit vel ne. *Plotin. 6. lib. 8. cap. 11.* Quæstio de rebus immaterialibus duplex, vna cur sint, altera quid sint. *Bess. Car. in Calumniatorem Plato. lib. 2. cap 7.*

Quæstio an sit, ad existentiam pertinet: quid sit, ad essentiam. *Io. Pic. Mirandul. in c. resp.*

Quidditas apud Scotum non significat materiam, quæ est pars compositi, sed quæ sit differentia indiuidualis, quæ singularitas dici potest, & materia non recipiens. *Bessario Cardinalis in Calumniatorem Plato. lib. 3. cap. 13.*

Quidditas à iunioribus dicitur essentia, quia ex essentiæ notione scimus quid nam res sit. *Ioan. Pic. Mirandul. in responsione 2.*

Quæstores sacrarum pecuniarum singulis templis, & locorum sacrorum, & ex his fructuum & mercedis locationum dominos eligere oportet ex maximis censibus tres ad maxima templa, duos ad minora, vnum, ad concinnissima: & horum electio & probatio fiat ex exercituum ducis. *Pla. de leg. dial. 6.*

Quæstus nulli liceat facere, & inquantum probrosæ appellatæ mechanicarum artium sordes liberales mores auertunt, nec cupere ex talibus pecunias colligere. *Plato de legibus, dial. 5.*

Quæstus honestus est ex his quæ agricultura dat & profert, & his quæ sectantem non cogunt negligere ea quorum gratia opes quæruntur, hæc sunt anima, & corpus, quæ absque gymnastica, & eruditione, reliqua nunquam alicuius existimationis erunt, ideò pecuniarum studium vltimo loco habendum est. *idem, ibid.*

Quadrata ex latere, & quadrata ex diametro se habent in dupla proportione, vnitate, vel deficiente, vel excedente vicissim: ideò ait Plato huiusmodi numeros indigere vno scilicet æquatore, & incommensurabiles singulatim, commensurabiles verò summatim. *Ficin. in Pla. de rep. dialog. 8. cap. 5.*

Quadrata æquilatera similiora sunt vni, quam inæquilatera, quia semen æquilateri est vnum, ac dum in sua permanet, vel germinat vnitate, pullulat inde quadratum: inæquilateri verò semē diuisum est in duo, neque permanet, sed alterum migrat in alterum. *idem, ibid. cap. 8.*

Quale accidens est, & iacet in alio, materia verò non est in alio, sed est subiectum circa quod accidens omne versatur. *Plot. En. 1. lib 8. cap. 10.*

Qualia subiecta faciunt quotcunque accidunt, & nec actus nec essentiarum species sunt, sed præbent formas duntaxat quasdam, per quas vt dixi qualia subiecta faciunt. *idem, Enn. 6. lib. lib. 6. cap. 3.*

Quale sit cognosci nequit nisi cognoscemus prius quid sit. *Fic. in Plato. phædonem, cap. 6.*

Qualitas quot dicatur modis.

Qualitas alia essentialis id est proprietas quædam essentiæ, alia solùm qualis, vt essentia qualis denominatur, vbi ipsum quale diuersitatem, permutationémque essentiæ non inducat, nec dimoueat ab essentia, sed cum essentia iam sit & plena sit, dispositionem quandam extrinsecus afferat, & post ipsam essentiam nōnihil additamenti adhibeat siue circa animam, siue circa corpus id efficiatur. *Plot. En. 2 lib 6. cap 1.*

Qualitates aliæ essentiarum sunt differentiæ, vt bipes & quadrupes, aliæ nequaquam sunt differentiæ, & ob hoc ipsum solum qualitates esse dicuntur: quamquam idem tum differētia videri potest, vbi complet essentiam, tum minimè differentia in alio essentiam ibi non complēs, vt albedo in cygno naturam complet, in homine duntaxat est accidens. *idem, ibid.*

Qualitas non est quando proprietatem habet essentiæ, quando verò ratio quod in his proprium est secernit non inde auferens, vel decerpens, sed magis accipiens, generánsque aliud procreat quale, quasi partem essentiæ capiens sibi in superficie apparentem. *Plot En. 2. lib. 6. cap. 3.* Qualitates aliæ corporis, aliæ animæ sunt; deinde corporis qualitates per sensū debent diuidi, vt aliæ ad auditum, aliæ ad visum, aliæ ad gustum, aliæ ad olfactum, aliæ ad tactum, Animæ verò diuidemus ne, per concupiscendi, irascendi, consultendi virtutes? aut per differentias actionum, quæ secundùm eas aguntur, quoniam hæ harum sunt effectrices? an secundùm vtile, noxium, & vtilitates & damna? & corporis qualitates rursus diuidemus per damna & vtilia? *idem, En. 6. lib. 1. cap. 12.*

Qualitas quid est.

Qualitas est dispositio quædā in essentijs quæ iam sunt, siue aduentitia hæc sit, siue ab initio comitans, quæ etsi non comitata fuisset nihil minus fuisset essentia. & hęc alia difficile, alia facile mobilis. *Plot. En. 2. lib. 6. cap. 2.*

Qualitas audit quod ab essentia desertum est. *idem, ibid. cap. 3.*

Qualitas purè iam est, quod nullius aliquando species est, sed semper accidens. *ibid.*

Qualitates nō sunt negationes quæ rem ipsam negant, vel sunt enumeratio quædam, sed sunt vox, aut nomen, vel oratio, quæ etiam res quædam esse videtur, ipsumque similiter: si vox, est motus; si nomen & oratio, relatio vt significandi vim habent. *Plotin. En. 6. lib. 3. cap. 19.*

Qualitas non est principium actionis, quod enim non est per se, per se non egit. *Fic. in Plat. phil. lib 1. cap. 4.*

Qualitas & forma in subiecto nil aliud est quàm mensura, & determinatio subiecti, & expressio quędā ab ipso bono per formam primam id est per mētem, quasi per sigillum suum impresse referens ipsum bonum. *Ficin. in Plotini Enn. 1. lib. 8. cap. 10.*

Qualitates mortiferæ frigus & siccum, nil aliud sunt quàm caloris & humoris priuationes. *idem, in Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 6.*

Qualitates elementorum, & vt primæ.

Qualitates elementorum primas non est admittendum omnia facere. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 31.*

Qualitas non est inter prima genera, quia posterior est, & post essentiam nascitur; oportet autem essentiam primam hæc ipse genera sibi consequentia possidere, nec ex his constitui, nec per hæc compleri, alioquin foret qualitate, & quantitate posterior. *Idem. En. 6. lib. 1. cap. 14.*

Qualitas nō est vera prima forma, tum quia mera non est, tum quia non vera, & quia non perfecta. *Ficin. Plat. Theol. lib. 8. cap. 3.*

Qualitates primæ quòd sint à cœlo concedi potest non tamen horum delictu, trāsgressiones, tumultúsque à cœlo sunt, sed à materiæ moribus inordinatis, cœlestis disciplinæ legibus vsquequaque obedientibus. *Ioan. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 3.*

Qualitatum proprietas & differentia.

Qualitatis differentia non est in manendo vel non manendo, sed sufficit affectio quædam quomodocunque se habeat ad quale reddendum, nisi quis dixerit dispositiones quasi formas imperfectas, perfectiones perfectas existere, at si imperfectæ sunt nondum sunt qualitates, si sunt qualitate permanendi monas est quædam extrinsecus altera conditio. *Plot. En. 6. lib. 1. cap. 11.*

Qualitates in virtute animæ seminaria in genere coniuncto numerantur, quamuis non sint in materia, sed in animæ separabili. *idem, En. 6. lib. 3. cap. 16.*

Qualitates discernuntur inter se, non per alias qualitates, sed vel penitus per se ipsas, vel per quosdam suos existendi modos. *Plot. En 6. lib. 3. cap 18.* Qualitates illas non debemus dūtaxat contrarias definire quę plurimo inter se qualitatū mediarum spatio distent, sed illas simpliciter quæ cùm in eodem qualitatis genere sunt, in eo nullam in specie similitudinem mutuam habent, effectúsque nobis oppositos afferūt. Hac ratione sanitas & morbus inter quæ nihil est medium contraria sunt. *Idem. ibid. cap. 20.*

Qualitas vbi media ex extremis componitur, non potest extremis esse contraria. *Plot En. 6. lib. 3. cap. 20.* Qualitas admittit magis & minus. *idem, ibidem.*

Qualitatis generi insunt qualitas ipsa, vt pulchritudo, deinde qui qualitate præditus est, qua scilicet ratione sic est affectus, vt pulcher: tertio qualitatis eiusmodi motus, vt quod aduerbio pulchrè dicitur. *Idem, ibid. cap. 19.*

Qualitatum duarum subita, facilis, & integrè commutatio nūquam fit, nisi communis illis materia subsit. *Fic. Plat Theol. lib. 15. cap. 9.* Qualitates omnes tam è termino, quàm à conseruante externo absolutæ, quæ sunt vnum specie si in idem concurrunt subiectum, fiunt etiam numero vnum, nam quæ specie conueniunt, conueniunt & forma, quod si materiā insuper conueniant, propter subiectum omnino sunt vnum. *idem, ibid. cap. 18.*

Qualitate eadem quæ communicant, inter se mutuam similitudinem habere solent. *Fic in Plat. Parmen. cap. 27.*

Qualitatis quæ inest materię proprium est posse intendi, & remitti. *idem, in Plat. Phi. lib. 2. cap. 3.* Qualitati materiali non repugnat intendi & remitti per gradus absque fine, nec id repugnat motui, & actioni ipsius. *ibid. cap. 15.*

Qualitas omnis si ab extraneo additamento est secreta, infinita dicitur à physicis. *Ficin. in Plato. conuiuium, or. 6. cap. 18.*

Qualitates certæ vbique ad certas substantias reducuntur, vt quemadmodum vitalis qualitas ad vitalem substantiam, ita intellectualis qualitas ad intellectualem substantiam referatur. *idem, in Plat. Tim. cap. 27.*

Qualitates nullæ in rebus diuinis poni debent, nam quæ ibi videntur qualitates, sunt & differentiæ speciales quibus necessariò species ipsæ constituuntur, atque discernuntur, & intimi perpetuique actus essentiæ. *Fic. in Plot. En. 2. li. 6. cap. 1.*

Qualitas non est calor in natura ignis, sed qualitatis productrix. *idem, ibid.*

Qualitas suâ naturâ non extenditur, ideò qualitas per se quodammodo indiuidua in corporis diuisione diuiditur, nam & in corpore seruat quandam indiuisibilis naturæ proprietatem. *Fic. Plat. Theol. lib. 1. cap. 2.* Qualitas cùm ab alio oriatur, & nihil oriri nisi ab aliquo superiori valeat, non potest esse naturæ principium. *idem, ibid. cap. 5.* Qualitas ita inhæret materiæ vt quoniam cum ea dilatetur & diuidatur materialis prorsus, vt ita dicerim, euadit, & si à materia separatur, corrumpitur; quocirca seipsam non sustinet, sed à materia tanquam subiecto sustinetur. *ibid.*

Qualitas quia esse nequit absque fomento materiæ, ideò materiæ suæ non dominatur, multò minus dominabitur alienæ: non ergo potest corporis alicuius qualitas corpus aliquod aliud solâ suâ potestate formare. *Ficin. Theol. Plat. lib. 5. cap. 3.* Qualitates omnes quia formæ in alio sunt, quoties generant formas in alio generant, cùm non possint liberiorem prolem quàm ipsæ sint gignere. *idem, ibid. cap. 5.* Qualitas ad materiam specie determinandam confert, & est per se quodammodo indiuidua, sed per admistionem corporis fit diuisibilis. *idem. lib. 3. cap. 5.*

Qualitas nulla nequit è subiecto veteri in nouum transire. *Fic. Plat. Theol. lib. 6. cap. 13.* Qualitas proprio subiecto repugnare non potest. *idem, ibid. lib. 8. cap. 3.* Qualitas quæ alicui subiecto inhæret inseparabilis, subiecto sublato disperditur. *ibid. lib. 11. cap. 6.* Qualitatis proprium est agere, & mouere non quantitatis merito, nec quantitas qualitatem, sed contra qualitas quantitatem agit, & mouet, & secum trahit. *idem, in Plot. En. 2. lib. 4. cap. 11.*

Qualitates materiales, vt calor, frigus, & similes, nequeunt vnionem habere mutuam sine confusione, aut seiunctæ manent, aut si commiscentur, vel vna confundit alias, vel cunctæ à se inuicem confunduntur, adeò vt alia quædam ex cunctis resultet. Qualitates materiales minus vt sapores vniri possunt, vt illæ cum confusione quidem, sed non tanta, odores vt minus materiales vniuntur in eodem medio differentes, & aliquanto minus alter confundit alterum, confundit tamen; voces diuersæ magis adhuc vniuntur in medio, minúsque confunduntur in medio, quia materiales minus: species verò colorum etiam contrariorum quia immateriales sunt in eodem puncto vniuntur, & sine vlla confusione distinctissimè illic extant: vnde concluditur formarum sine confusione, id est coniunctarum quidem, & interea disiunctarum esse in anima posse tanquam essentia quadam immateriali, & multò magis in mente adhuc magis à materia separata; quum enim per discessum à materia gradatim crescat vnio formarum, pariterque distinctio, consequens est in mente vnitissimas esse simul atque pariter distinctissimas. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 9. cap. 6.*

Qualitas rei naturalis maiorem sentiendi passionem affert quàm quantitas, quoniam est efficacior. *Ficin. in Prisc. Theophrast. cap. 46.* Qualitates materiæ accidentes vocat Moyses aquas quæ suo fluxu tractabilique natura aquarum speciem gerunt quibus, vt ita dicerim, humectata materia parturit formam, quam eatenus temporis momento edit in lucem. *Io. Pic. Mir. in Hepta. lib. 1. cap. 2.*

Qualitates vt corporales & incorporeæ.

Qualitates si incorporeæ sunt, & earum opifex incorporeus erit. *Alcin. cap. 11.* Qualitas non est corpus: quia omne corpus subiectum est, qualitas non est subiectum, sed accidens. *idem, ibid.* Qualitas non est corpus, quia in subiecto est, & corpus non est in subiecto. *ibid.* Qualitas non est corpus, quia contraria qualitati, at nullum corpus qua corpus qualitati contrarium est, & cùm materia qualitatis sit expers rationi consentaneum & qualitatem materiæ expertem esse, & si materia careat, non erit corpus. *ibidem.* Qualitates si essent corpora, duo & tria corpora in eundem locum concurrerent, quod à ratione alienum est. *ibid.*

Qualitas ideò corpus esse non potest: quia duo corpora eodem in loco sine mutua offensione omnino constari non possunt, qualitates verò plures in eodem pariter confunduntur. *Fic. Plat. Theologia, lib. 1. cap. 2.* Qualitatem Platonici omnem formam diuisam in corpore appellant. *idem, ibid. cap. 3.* Qualitas quia per se quodammodo incorporalis est aliquam agendi vim habet, vnde & actus cognominatur, quia in materia suscipitur, & diuiditur, fit quodammodo corporalis, hinc non merus est actus, sed corporis passione inquinatur. *ibid. lib. 3. cap. 1.*

Qualitas, quæ in aliquod corpus aduenient ab eo propriè capitur, formáque fit ipsius, sex conditiones habet. primam, quòd accedit per partes corporis paulatim: secundam, quòd passionem infert subiecto, & in eo mutat dispositionem eius naturalem, primò accidentalem, secundò substantialem: tertiam, quia vsque ad certum spatium propagatur: quartam, quoniam abeunte formatore aliquando permanet in subiecto, vt calor in aqua, igne remoto: quintam, quòd & ipsa mouetur moto corpore: sextam, quòd eo ipso inquinamento infici potest, atque ibi confundi, & cum cæteris qualitatibus commisceri vnum, atque componi. *Fic. in Theophrastum, cap. 19.*

Qualitas nulla simplex manat è corpore non omnino simplici. *Io. Fr. Pic. Mir. de elem. cap. 3.*

Qualitas spiritualis & incorporea à corpore fluere nequit. *idem, de praenot. lib. 2. cap. 5.*

Qualitas incorporea duobus dicitur modis, vel quia suapte natura corpus non est, vel quia corpori, vt primo propriòque subiecto non inest. *Iac. Carpen. in Alcin. cap. 9.* Qualitas quæ formæ physicæ est instrumentum, e materia & quantitate non constat, materiæ tamen inest, & pro varia huius varietate extenditur & contrahitur, nec non intenditur & remittitur, & in eadem est tantum actionis instrumentum. *idem, ibid.*

Qualitates quæ tactu percipiuntur, aliæ sunt primæ, vt calor, frigus, humor, siccitas, aliæ ex his natæ. *idem, in Alcin. c. 15.*

Qualitas, vt forma, & figura, & vt æquiuocè dicitur.

Qualitates æquiuocè nuncupantur differentiæ per quas inter se essentiæ discrepant. *Plot. En. 6. lib. 1. cap. 10.*

Qualitas necessariò est tanta quantum est corpus. *idem, En. 6. lib. 4. cap. 1.*

Quadrilaterum figurarum septem sunt species, quadrangulum, altera parte longius, rhombus, Rhomboides, equierus, Trapezium, Scalenum Trapezium, Trapezoides. *Procl. in Eucl. lib. 2.*

Quando quæ sunt in prædicamento, cur non sunt in eodem in quo & tempus cur nouo opus est prædicamento? si tempus est in quanto, & hæc in quanto erunt. *Plot. En. 6. cap. 13.*

Quantitas.

Quantitas accedens in materiam magnitudinem quæ prius non erat affert, vt & qualitatem quæ prius non erat adducit. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 9.* Quantum omne per quantam partium detractionem ea priori essentia permutatur. *idem, En. 4. lib. 7. cap. 5.* Quanti quæcunque participia sunt, si sunt quanta propriè, & substantia erit quanta. *idem. En. 6. lib. 1. c. 5.* Quanti propium æquale & inæquale accipiendum est vt in verè quantis, non in iis quæ quanto participant. *ibid.*

Quantitas non est primum genus vnà cum cæteris, quoniam illa simul vnà sint cum ente. *Plot. En. 6. lib. 2. cap. 13.* Quantitatis species est magnum & paruum, etsi maius & minus, vt & pulchrius sint in relatione. *idem, ibid. lib. 3. c. 11.* Quantitatis generi proprio inest numerus, & magnitudo, quatenus vnumquodque est tantum; de sensibili quantitate hic agitur; locus & tempus non est in quantitate. *ibid. cap. 11.*

Quantitas oriri videtur cùm vnum & signum progreditur, sed si citò sistant gradum, hoc fit paruum; sin autem progressio in progrediendo non citò desinat, fit multum: loco verò non inest contrarietas, nam sursum & deorsum sunt habitudines, vt dextrum & sinistrum, nisi esset id quod in vniuerso est. *Plot. En. 6. lib. 3. c. 12.* Quantitati conuenit contrarietas, cogitatio enim contrarietatem hic admittit, quãdo magnum dicimus, quando paruum, imaginationes contrarias afferentes. *idem, ibid.* Quantitatis proprium est æquale & inæquale, simile & dissimile qualitatis. *ibid. cap. 15.*

Quantitatis extensio quæ in mundo corporeo dicitur, in mundo vitæ est potestatis decessus; & cùm dicitur hic, ibi non debemus suspicari localem conditionem. *Plot. En. 6. lib. 4. cap. 13.* Quantitas continua vtitur discreta vt mensura. *idem, En. 6. lib. 6. cap. 14.*

Quantitas aut nihil est aliud quàm extensio ipsa materiæ, aut si est aliud, est res quædam talis vt & diuisioni subiecta sit semper, & materiam subijciat sequentibus omnibus passionibus, & nihil effundat in materiam alienam. *Fic. Pla. Theol. lib. 1. cap. 1.* Quantitatis extensio vbicunque reperitur, talem vim & præsentiam perhibet vt res per quantitatem extensa nequeat tota esse in pluribus, & licet indiuidua sit vt punctum, nequit tota esse simul per partes quaslibet corporis. *idem, ibid. lib. 3. cap. 2.*

Quantitate quod aliquid continet, maius est illo quod continetur. *ibid. lib. 8. cap. 9.*

Quanti-

Quantitas non modo ad agendum non iuuat, sed impedit actionem, actio enim tunc maximè prouenit, cum & agentis virtus vnita est maximè, & agens patienti proximum: quantitas autem efficit, vt diuersas per partes dispersa virtus sit; & vnionem rerum inuicem impetit, cùm cogat propter extensionem distantiam in rebus esse locorum. *Fic. in Plat. Phi. lib. 1. cap. 18.*

Quantitas ex infinito habet vt diuidi possit, & augeri, nam eius proprium est quæ est in materia diuidi & extendi, cùm quælibet quantitatis pars quantitas est; igitur quæque pars diuidi, & extendi potest, nec ex non quantis quantitates constant, sed ex suis partibus, & nisi habeant partes non est quantitas. *idem, in Plat. Phi. lib. 2. cap. 3.*

Quantitas est forma quædam. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. cap. 8.* Quantitas, cùm sit formale aliquid, ex agente potius quàm ex materia pendet. *idem, ibidem.* Quantitas est postrema formarum, & in formalibus rationibus specierum in mente & anima existentibus, inclusa est, atque definita, & certa quantitas & figura, quæ vnamquamque speciem comitatur. *in Plot. En. 3. lib. 6. cap. 4.*

Quantitas in rebus homogeneis facit diuisione sua alicubi numerum, nusquam verò varietatem. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 7. cap 2.* Quantitas ipsa est per quam non per aliud quanta sit, sed per quam cætera sint quanta, sermo motus & tempus cum id muneris non habeant non sunt quantitas, nec in sua formali ratione quantitatem includunt, quamuis participia fiant quantitatis. *idem, in Plot. Enn. 6. lib. 3. cap. 5.* Quãtitas significat progressionem animæ à se in materiam quatuor elementorum gradibus digerendam *idem, in Plat. Tim. cap 33.*

Quid sit aliquid interroganti non licet respondere quot sint. *Plat. in Theat.* Quid sit res vnaquæque qui nescit, qualis sit nescire potest. *in dial. de phi.* Quid & propter quid in spiritualibus idem est. *Abiss. Theo. Ægyp. lib. 5. cap 6.*

Quies ἄστις quasi progressionis abnegatio dicitur, hoc est ἀπόφασις τοῦ εἶναι: verum ornatus gratia στάσις nominatur. *Plat. in Craty.* Quies est in causa quod res pereant, & non sint, & motus quod sint & fiant. *idem in Theat.* Quies reuera ex laboribus est, ex quiete verò vt arbitror turpi, & labores & socordia oriri solent. *de leg. dial. 6.*

Quies est circa rem stantem, natam verò ad motum etiam quando minimè moueatur. *Plot. Enn 6. lib. 3 cap. 27.*

Quies cùm sit priuatio quædam non est aliquod per se genus motus autem non est priuatio simpliciter quietis, sed est actus efficax auferens aliquid atque afferens. *idem, ibid.* Quies in rebus temporalibus est: status in externis. *ibid.*

Quiescens est quod prius & posterius in eodem loco est & ipsum, & eius partes. *Proc. elem. Phi.* Quiescens omne tempore quiescit. *idem, ibid.* Quiescit nihil in alio quod non moueatur ad aliud, nec propriè quiescit in se quod est ipsa implicitas. *Fic. in Plot. En 3. lib. 9. cap. 4.* Quietem inter duos contrarios motus esse falsum est: alioqui sequeretur vt pô duingent, vt mons altissimus super re leuissima ascendere procumbens, sisteret motum & quietis interponeret moralem, & in ipso aere quiesceret. *Io. Fran. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 6 cap. 2.*

Quinarius numeros competit quinque mundi plagis, scilicet quatuor elementis, & cœlo. *Fic. in Plat. de rep. dial. 8. cap. 3.* Quinarius est prima radia proportionis sesquialteræ quia componitur ex duobus & tribus inter quæ est prima proportio sesquialtera. *idem, ibid.* Quinarius numerus est origo numeri perfecti circularis; siue in se per planum ducas efficit 25 siue per solidum 125. vterque circularis est, incipiens à quinario, desinens in quinarium. *ibid.*



R

RANAE detenti aquam abhorrent. *Apul. metam. fer. 9.*

Radius, lumen, & lua sæpe à Platone vsurpantur in Theologia, Radius est singulis mentibus veluti oculis proprius & naturaliter insitus, lumen cunctis oculis commune, lux diuina præest lumini mentium omnium communi, quemadmodum in Sole præest lumini oculorum æque communi. *Fic. in Plat. dial. 7.* Radiorum mixtio in aere est aliquid quod dici potest quasi substantiale, aliquid quasi accidentale: substantiale est esse vnum lumen ex omnibus cæli luminibus vel congregatum, vel resultans & hoc perpetuum, & immutabile: at quod hic sit radius intentior alius remissior, accidentale est, & mutatur pro cœlestium corporum mutatione. *Io. Pic. Mir. in Astra. lib. 3. cap. 12.*

Radij cœlitus defluentes non possunt ita inuicem commisceri, vt noua virtus aut forma proueniat cùm non sint corpora, aut liquores aut affixæ corporibus qualitates, quarum more nec in corporibus suscipiant, vt vel inde inficiantur, vel pro substantiæ conditione ea habitu suo aliquo modo permutentur. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib 9.*

Radiorum directio & obliquitas non diuersitatem specierum vt Alchindus ait, parere potest, sed solùm intentionem, & remissionem caloris, & luminis, fortius enim ex directo, debilius ex obliquo inclinant. *Io. Fran. Pic. de pra. lib. 7. cap. 6.*

Ratio quot dicatur modis.

Ratio duplex, vna est incomprehensibilis vera altera secundùm rerum cognitionem infallibilis: prior Deo conuenit, non homini; secunda homini; & hæc duplex, alia ad intelligibilia, alia ad sensibilia spectat: prima scientia est, secunda opinio; illa stabilitatem habent, hæc verisimilitudinem, & imaginationem vt quæ ad mutabilia tendat. *Alc. cap. 4.*

Ratio duplex ex Plotini sententia ponenda est inter intellectum & imaginationem, altera speculatiua surgens ad intellectum, altera actiua ad imaginationem potius declinãs. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. cap. 9.*

Ratio duplex in homine, vna ordinaria, alia extraordinaria. *Leo. Heb. de Am. dial 1.*

Ratio extraordinaria longè dignior, & eminentior ordinaria existit. *idem, ibid.*

Ratio quid est.

Ratio est quod ab intellectu defluit, effluitque semper quandiu intellectus ipse in ordine permanet. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 6.* Ratio est duorum finium iuxta semetipsos habitus & quasi quædam conuentio. *Chal. in Plat. Tim.* Ratio est in intimis mentis penetralibus sine voce ac sono, & in hoc differt ab oratione, quæ cum voce & sono, fit quæ cum se caerit ijs quæ nascuntur & occidunt, vel manu fiunt, & prorsus omnibus quæ sentiuntur, & rectè tamen mouetur idem hic motus, intimæ mentis nascuntur veræ opiniones, & credulitate dignę. *idem, ibid.*

Ratio est vis animæ, cuius actus veritatis est Indagatio. *Fic. in Plat. de vert.* Ratio est intelligentiæ imago distincta. *idem, in Plot. En. 1. lib. 7. cap. 2.* Ratio motus quidam est ab intellectuali substantia quasi luce in se ipsa concursus in semetipsam, quasi ea luce micans. *idem, in Plot En. 3. lib. 2. cap. 15.* Ratio & mens impartibilis est, quia corporeo instrumento non vtitur, & prætereà separata est. *in Plot. En 4. lib. 3. cap. 20.*

Ratio dicitur à Mose cœlum. *Io. Pic. Mirandul in Hepta. lib. 4. cap. 2.*

Ratio est auriga, dominàque omnium humanarum actionũ, sine qua nil agi, dici, aut cogitari potest, vel est regendorum ordo ex causa venientium, vt quid quo loco facias aut dicas intelligas causam. *Fran. Patri. de reg. lib. 1. cap. 9.*

Ratio vt animæ pars.

Rationi, & nulli alij suorum parendum est. *Plat. in Crit.* Ratio in vnoquoque prospiciens id quod inferius est quasi sub lumine obscurum esse coniectat materiámque inuenit, vt oculus cùm sit luminosus in lumen aspiciens simúlque in colores qui lumina quædam sunt, adducit vt dicas ea quæ sub coloribus latent, obscura materialia quæ restare, coloribus adoperta: sed longè discrepat quod tenebrosum rebus intelligibilibus, & rebus sensibilibus subesse coniciamus. & tanto differt ab hac materia illa, quantò species inhærens illi à specie quæ huic inhæret, est differens. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 5.*

Ratio animalis quamuis sit animata, per aliam tamen animam dicitur animata, non per illam à qua ratio manat, quia & vniuersa hæc ratio iam quasi decrescit, dum in materiam inclinatur, & quod ex ipsa gignitur prouenit imperfectius. *Plot. En. 3. lib. 3. cap. 3.*

Rationi obtemperare est quasi videri ratiocinandi facultas, & se habet ad intellectum, & videt: & potentia intelligendi tale quiddam est, non quòd intus impressionet vt à sigillo suscipiat sed habet quod videt, rursúsque non habet, habet ex eo quod cognoscit, non habet quod nihil à spectaculo illatum illi imprimitur, vt forma fieri solet in cera. *idem, En. 3 lib. 6. cap. 2.*

Ratio assistens actioni non est actio, sed contemplatio quædam. *idem, En. 3 lib. 8. cap. 1.* Ratio nullo modo cum corpore communicat. *idem, En. 4. lib. 3. cap. 23.*

Ratio & nobis, & animalibus eſt communis, ſed per magis & minus. *Porphyrius, quòd animæ ſenſuales ſint rationales & immortales.* Ratio quædam naturaliter ineſt, recta perfectaque ex meditatione fit & doctrina, & ideò omnibus animalibus competit participatio quædam rationalis facultatis. *idem, quòd ratio quædam inſit animalib.*

Ratio veram mẽte cognitionem diuini generis creat, cùm cõſtiteris ſe ſpectatricem rerum immutabilium quæ ſunt eædem ſemper, intelligibilémque naturam ſuſpexerit, & in iiſdem ſpectaculis perſpicacem mentis contemplationem cõgregauerit, motus ſimilis eius globi qui aplanes vocatur ſine errore circumactus. *Chalc. in Plat. Tim.*

Ratio & conſilium motus eſt intimus eius, quod eſt in anima principale, hoc verò ex ſe mouetur, motúſque eius eſt appetitus, qui non mouetur abſque phantaſia: ex quo fit vt persæpe fallente imagine motus ille principalis animæ poteſtatis vel conſenſus deprauetur, & aligat vitioſa pro optimis; cuius variæ ſunt cauſæ, vel agreſtis in conſultando inelegantia, vel ignoratio, vel omnium dedita mens importunè fauori, vel falſæ opinionis anticipatio, vel conſuetudo praua, vel alicuius vitij tyrannica dominatio, proptereáque vi, aut violentis delinimentis potius quàm voluntate peccare dicimur. *Chalcid. in Plat. Tim.*

Ratio in vniuerſa anima cùm habeat ordinem ſpeciei, meritò prauitas rationis eſt animæ turpitudo, vt rationis virtus eſt animæ pulchritudo. *Proclus in Alcibiadem 1.*

Ratio ſciens & intelligens cùm ſit & intellectio & ſenſus, neceſſe eſt & his ſubiecta eſſe intelligibilia & ſenſibilia. *Alcin. cap. 4.*

Ratio hominibus duntaxat, pars autem perturbationibus obſequens cæteris quoque viuentibus competit. *idem, cap. 24.*

Ratio & irrationalis animæ portio cùm naturâ diſtinctæ ſint, locis diſiunctæ quoque eſſe debent, inter ſe enim ſæpe pugnant; at nihil circa idem ſecundùm idem contrariè pugnat eodem tempore. *ibid.*

Ratio & irrationalis vis alia eſt: quod patet, quia diuerſa vtrorumque ratio eſt, illa diſciplinâ, hæc conſuetudine, & exercitatione curatur. *ibid.*

Rationi vt cæteræ vires ſeruiunt, ita capiti corpus totum ſeruit. *Fic. in Plat. Tim. cap. 102.*

Ratio ipſa diuinitatem ſuam declarat, quando nos reuocat ad diuina, maximè verò immortalis apparet, quando coniuncta menti, tanquam ſuo dæmoni diuina præ cæteris meditatur. *idem, ibid.*

Rationis vbi plus eſt, ibi fortis eſt minus: quapropter qui ſumma eſt ratio, vel fons rationis, nihil poteſt cogitari fortuitum. *idem, Platon. Theolo. lib. 5. cap. 18*

Ratio humana verſatur in ordine rerum conſiderãdo ſemper circa diuinam rationem rerum omnium ordinatricem, non minus quàm mundi ſphæræ circa medium mundi punctum. *Ficin. Plat. Theol. cap. 12. cap. 8.*

Ratio hominibus propria eſt, non beſtiis, alioqui & ſermonem haberent tanquam rationis interpretem. *Idem, epiſtol. lib. 2.*

Ratio ſenſu admodum excellentior eſt, nam ſola ad ſummam veritatem tam diſcurſu, quàm affectu ſe confert; & cùm de ipſa veritate ſenſus & bonitate, qualiſcunque illa ſit, agitur, hoc ipſum non ſenſus vllo pacto, ſed ratio perficit. *ibid.*

Ratio ſola in hominibus eſt, quę rerum rationes aſſignat, & ratiocinando communibus regulis ad communem formam ſingula comparat. *Fic. epiſt. lib. 2.*

Ratio quantò melior eſt quàm ſenſus, tantò rationis obiecta meliora & perfectiora ſunt quàm ſenſus obiecta. *idem, ibid.*

Ratio inter imaginationẽ, & intellectum media eſt, & in eam hinc ab imaginatione confluunt imagines naturalium, inde ab intellectu influunt diuinorum ſpecies. *Idem, epiſt. lib. 11.*

Ratio non ſequitur conditiones particulares corporum, ſed ad abſoluta ſe confert, mobilis tamen eſt & neceſſariò multiplex. *Fic. in Dion. Areop. de trinit.*

Ratio vna quadam vniuerſali ſpecie ſæpe complectitur plurima, quę per imaginationem formis pluribus ſingulatim percipiuntur. *Idem, ibid.*

Rationis indaginem quæ perficit, eſt ſcientia & prudẽtia: ſciẽtia eorum quæ natura facit, prudentia eorum quæ in conſultationem veniunt. *Idem, in Plat. de virtut.*

Ratio humana frequenter imaginibus alitur, his enim fretа de rebus humanis, & naturalibus diſceptat. *Fic. in Dion. Areo. de diu. nom.* Ratio motum, & tempus in ſe habet; ſtatus, & ęternitas in mente eſt. *idem, in Pla. Thea.*

Ratio inter intellectum & opinionem eſt media; ſi ad inferiora porrigitur, opinionis repletur erroribus, & diuina cogitare deſiſtit, ſi ad ſuperiora conuertitur, & ad mentem ſui ducem, diuinorum cognitionem haurit, quam in mente ſapiẽtiam, in ratione reminiſcentiam Plato nominat. *ibid.*

Ratio cœleſtia indagat, nec propriam in membro corporis aliquo ſedem habet, vt & diuinitas in mundo nullam ſedem habet certam. *Fic. in Platon. commin. or. 5. cap. 2.*

Ratio appellatur medium, nam eſt animæ medium: imaginatio quoq; dicitur medium, eſt enim medium aggregati, cùm aliquid ex homine & animali fingimus aggregatum. *idem, in Plo. lib. 5. cap. 11.* Ratio cùm verſetur in motu, non propriè ad eam pertinet finis vltimus, qui tanquam ſumma quies diuerſus admodum eſt à motu. *in Plot. cap. 1. lib. 4.*

Ratio fieri poteſt, vt hac in vita præ cæteris ſi à materia, imaginationéque ſegregans infima, & reuocans ſe ad mentem, quodammodo illam alterius vitæ felicitatem guſtet, & quaſi nona ea potitur, vt quæ iam in intellectu formata eſt, æterno quodã pacto id eſt ſtabili, totóq; ſimul actu ſua ac felicitate perfruitur. *Fic. in Plo. En. 1. lib. 5. cap. 3.* Rationis nulla diſcurſio humana nunquam quamuis ſumma poteſt abſolutum naturalium artificium, vel opera, vel ex cogitatione penitus aſſequi, huc ſignũ habemus id opus nõ cogitationis diſcurſu tentari, ſed intellectu prorſus abſolui, qui rationis diſcurſu ſuperior eſt, non quærente, ſed agente, ſtabili & denique naturalibus intelligentiis omnia ſimul facilius fœliciúſque intelligente, & intelligendo faciente. *idem, in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 14.*

Ratio ſenſu, & imaginatione referẽte iudicat. *Fic. in Plotini En. 5. lib. 3. cap. 4.* Rationem Peripatetici intellectum poſſibilem, mentem intellectum agentem nominarunt. *idem, ibid.*

Rationi conuenit ſeipſam inueſtigare. *ibid.* Ratio in cognoſcendo vt plurimum eſt obliqua. *in Plotini En. 5. lib. 3. cap. 6.*

Ratio in ſe argumentatur, in intellectu animaduertit argumẽtari *in Plotini En. 6. lib. 2. cap 2.*

Ratio argumentatrix ita ſe habet ad intellectum, vt generationis motus ad naturam genitalem. *Ficin. in Plo. En. 6. lib. 2. cap. 21.*

Ratio quando non vagatur per imaginationem, & ſenſus, conuerſa ad ſe inuenit rationes rerum innatas. *Fic. in Priſcian. Theophr. de phan. & intellectu cap. 13.*

Ratio ab intellectu accipit temporaliter notionem *idem, ibid. cap. 18.* Ratio per formas innatas velut per cauſas cognoſcit materialia, vt effectus: immaterialia verò per eaſdem tãquam eiſdem rationibus coniugata. *ibid. cap. 19.*

Rationis proprium eſt in motu agere; & cum motus in aliud tendat, meritò communiter circa alia ratio ſe volutat, ideò non eſt eius proprium ſe cognoſcere. *in Plotini En. 5. lib. 3. cap. 3.*

Ratio in diſcurſu ſæpe habetur, & vera pro falſis hallucinantes danumus. *Io. Fr. Pic. Mir. epiſt. lib. 4.* Rationi obtemperare velimus, vt rationis compotes, & in omni diſputatione accuratiſſima argumenta licet pauca ſeligamus, quæ ſi deſunt probabilitate ſimus contenti, & noſtram ſententiam pertinaciter ſophiſtarum more tueri nolimus dedita opere veritati contradicentes, hoc in loco docet Plato. *Seb. Foxius in Platonis Phædonem.*

Ratio duobus modis in iudicando ſe habet: vno modo ſine vllo diſcurſu, ſed ſolo præſentium intuitu, quæ exemplaris ratio in Deo ſolo eſt non in homine: altero cum diſcurſu ex præcognito ad incognitum; qui modus pertinet ad eam rationem, quæ illius ſummæ, & exemplaris imago quędam eſt in homine expreſſa, & hæc duplex eſt: vna aſpirat ad ideas; altera quæ errat circa earum ſimulachra, quæ eſt rerum ſenſibilium: qui error duobus modis accidere poteſt, vno ex parte iudicantis, altero ex parte rei iudicandæ, quibus poſitis primum rationis iudicium quod in Deo eſt exemplare eſt, & omni ex parte verum nobis prorſus incomprehenſibile: in homine verò quod ad ideas refertur ratione rerum iudicandarum falſitatis expars, etiam ſi in hoc varius error contingere poſſit, non ab inconſtantia idearum, ſed ab hominis iudicantis, & circa ideas cæcutientis imbecillitate: alterum iudicium humanę rationis circa ſimulachra rerũ ſenſibilium vtrinque falſitatis, & erroris eſſe particeps poteſt, tum propter hominem, in cuius ſenſu & imaginatione varij eſſe poſſunt errores, tum propter inconſtantiam rerum iudicandarum. *Iac. Carp. in Alc. defenſione.*

Ratio vt ad argumentum, & definitionem pertinet.

Rationes potiores ſunt ad cognitionem, quàm opera. *Plato in Phædone.* Ratione quod prius eſt, non eſt & ſubſtãtiâ prius. *Syrianus in 12. metaph.* Ratione cùm aliquid fit, id non materię, ſed finis ratione, & contemplatione fieri intelligimus. *Beſ. Card. in TrapeZuntium, lib. 6. cap. 4.*

Ratio abſolutè & ſimpliciter eſt, quæ formam ſignificat. *idem, ibidem*

Rationibus nullis abſque longa examinatione eſt credendum, & vbi crediderimus facilè nõ oportet inde ob quaſlibet obiectione

lectiones amoueri. *Fic. in Plat. phæd.* Rationes innatæ sunt germanæ substantiarũ separatarum, & sunt vel causæ materialium, vel consimiles causis. *idem, in Prisc. Theo. de phant. & intel. cap. 13.*

Ratio vt se habet ad opinionem.

Ratio & cogitatio secundùm animum sensualem est, quæ iudicat, atque ipsa in vnum impartibile collectio in substantia à corporibus separata. *Prisc. super Theo. cap. 4.*

Ratio vt seminalis.

Rationes seminales in vegetali natura, & artificiosæ rationes in arte, atque in ipsa scientia rationes, simillimæ sunt idearum, seruantes videlicet vna cum indiuidua quadam communione distantiam quoque mirificam. *Fic. in Plat. Parm. cap. 3.*

Rationes seminales in qualibet anima non sunt notiones quędam alioquin cognoscendo continuè generarent, & generando cognoscerent, nec in anima vniuersi, cùm vita est vita quælibet efficacior, ideoque simplici vitæ virtute potest absque notionis auxilio generare. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 7.*

Ratio vt ad computata pertinet.

Rationum exactor si post electionem malus fiat quicunque velit ipsum accuset: primò legis custodes adsint in hoc iudicio, deinde ex exactoribus qui adhuc viui supersunt, & ad hos electorum iudicium: qui verò accusat eum, quem accusat, hac actione impetat indignum esse hunc & hunc, tum rei optimè gestæ præmiis, tum magistrata: & si reus damnatus fuerit priuetur magistratu, & sepultura, & alijs attributis ipsi honoribus: si verò accusator non habuerit quintã suffragiorum partem, persoluat qui maximi census est minas duodecim, qui secundi octo, qui tertij sex, qui quarti duas. *Plat. de leg. dial. 12.*

Ratiocinatio.

Ratiocinationum aliæ prædicatiuæ aliæ suppositiuæ, aliæ mixtæ ex his vtrisque. prædicatiuæ quarum tum propositiones tum conclusiones simplices sunt; suppositiuæ quę suppositiuis propositionibus fiunt; mixtæ ex vtrisque. *Alc. cap. 6.*

Ratiocinationum figuræ prædicatiuæ tres sunt, prima est in qua communis terminus ad hoc prædicatum ad illud subiectum est, secunda in qua communis terminus de vtrisque prædicatur, tertia in qua communis terminus vtrisque subijcitur. *idem, ibid.* Ratiocinatio est oratio in qua quibusdam positis ex necessitate sequitur conclusio. *ibid.*

Ratiocinatio est collectio quædam. *Mar. Fic. in Plot. En. 2. lib. 4. cap. 10.*

Ratiocinationis quatuor species, quas facit Alcinous in Apodicticam, Epicherematicam, Enthymematicam, & Sophisticam. Platonicum dici non potest, quasi vllo loco à Platone in præceptis positum sit, sed frequentia apud illum argumentationum harum exempla notari possunt quæ ad horum quatuor formarum varietatem referenda sunt. *Iac. Carp. in Alc. cap. 3.*

Ratiocinatione recta Plato vti solet in docendo, deducente ad incommodum in redarguendo, quæ duo temperat pro varietate eorum cum quibus loquitur. nam cum amicis id agit via recta veritatem docens: in sophistis & eorum discipulis opiniones falsas redarguit, veras significat potius quã doceat, præsertim in ipsis magistris, arrogantiam quorum omni ratione reprimere conabatur: nam horum discipulos vbi redarguit nonnunquam in rectam viam docendo reducit: ex quo tria dialogorum genera extiterunt, vnum dogmaticum quod in persona Socratis sententiam suam explicat, alterum ad eos redarguendos, qui contra disputant, tertium ex illis duobus mixtum, quorum distinctio diligenter obseruanda est cùm in illis veram Platonis sententiã quærimus, non enim quæcunque ex ore Socratis proferuntur, Socratica, vel Platonica sunt quoniam plura ironia proferuntur. *Iac. Carp. cap. 5.*

Rationalia, Rationalis, Rationalitas.

Rationalia quæ maiora sunt graduque præstantiora, cœlestia scilicet, ad ipsam totius vitam vndique conferunt ordinem agendi potius quam patiendi sortita: mala verò id est bruta in patiendo versantur exiguam vim habentia ad agendum horum verò media id est homines patiuntur quidem ab alijs, agunt autem frequenter in alia, vt quæ agendi & faciendi principium habent in seipsis; quamobrem totus mundus vita fit vniuersa, & perfecta dum quæ optima sunt agunt, & optima, quatenus est in quolibet optimum. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 13.* Rationalis vis non patitur laqueari magis, sed pars irrationalis incantationem subit. *idem, En. 4. lib. 4. cap. 43.*

Rationalitas nihil aliud est in homine quam animalitas ipsa in actum rationis educta. *Fic. Plat. Theo. lib. 8. cap. 4.*

Rationalis vis duos præcipuè habet actus, intuitum scilicet, & argumentum: intuitu formas à materiæ conditionibus abstrahit, & à singulis imaginationis formis se ad vniuersales recipit formas, & rursus ad vniuersales magis, donec ad communissimas perueniat formas, ipsius iam intelligentiæ proprias, vbi finem facere videtur in mente, à qua etiam argumenti virtutem ducit dum principales scientiarum artiumque regulas intellectui naturaliter insitas sibi ipsi præscribit tanquam argumentandi principia, sic & intuendo finem sistit in mente, & argumentando trahit à mente principium, & meritò, quoniam posterior naturaliter inde dependet. finis itaque rationis est pro viribus mente potiri, & cùm hæc potentia non sit inanis, mentem assequi potest. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 4. cap. 4.*

Rationalis natura cùm rebus corpori consentaneis impleri nunquam possit, nec vnquam in talium possessione quiescat, constat ipsam in alio, atque præstantiore ordine collocari, & aliunde, ex alio scilicet perfici, & fieri beatam. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 4. cap. 2.*

Rationales naturæ quoniam sequenti potiuntur gradu, ideò æternitate, beatitudineque eiusmodi potiuntur, sed vt Platonicè, vel potius Plotinicè loquar, non æternè fruuntur, alias beatæ sunt alias non beatæ, sed dum beatæ sunt, non mobiliter amplius, sed stabiliter agunt, cùm prima æternitas, & beatitudo sint vnum reipsa, rationales naturæ quatenus beatitudinem, eatenus æternitatem similiter consequuntur. & cùm æternitatis proprium sit ipse status, nimirum tanquam felices potiuntur æternitate, immobiliter agunt, cunctasque simul actionis dotes vnico velut intuitu complectuntur: at vt propria loquar sententia non potest animus æternitate frui nisi æternè fruatur: itaque cùm primũ attingit æternitatis statum, illic positus extra tempus, & motum, adeò stabiliter agit, vt nulla ex parte inde amplius dimoueri queat. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 5. cap. 1.*

Rationali naturæ quod fit propriè, non fit ex prouidentia propriè, quamuis quodam influxu communi, quod si consilium ad finem optimum electissima procedit via, id sane dum fit ab anima secundùm ordinem proficiscitur quem & ipsa prouidentia seruat. alioqui nec à prouidentia fit, nec secũdùm primas prouidentiæ regulas, quomodocunque res nostræ fiant, nec prouidentiam latent, nec ab ea negliguntur, sed ordini prouidentiæ inferuntur, perque ipsas prouidentiæ regulas in habitu semper atque loco per meritis congruo disponuntur. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 3. cap. 5.*

Rationalis facultas intellectui pro viribus se conformare debet. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 9. cap. 2.*

Rationalis facultas nostra tanquam mobilis, & ab otio migrãs in actum, & vicissim, dependet ab intellectu nostro stabiliter, & semper agente, atque hic tanquam proprius animæ particularisque dependet ab intellectu communi in seipso simpliciter consistente. *Idem, En. 5. lib. 1. cap. 3.* Rationalis potentia secundùm quam nos sumus dupliciter vtitur intellectu, per participationem, & per formans, & vtrnque cognoscit seipsam. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 3. cap. 4.*

Rationalis potentia dicitur à potentia in actũ procedere, non quia nouas formas accipiat, habet enim semper omnes, sed quia exercet nunc quas non exercebat. *Fic. in Prisc. Theo. de phan. & intellectu. cap. 8.* Rationalis potentia quæ semper in discurrendo versatur, media est inter imaginationem, & intellectum, & vtrinque formas quasdam se admittit, easque componit, & diuidit, formasque nuper ab imaginatione venientes accommodat formis antiquis in mente, vel à mente existentibus, & in hac accommodatione intellectualis efficitur. *idem, in Plot. En. 5. lib. 3. cap. 2.*

Rationalis cogitatio non fallitur ascendendo. *idem, Plat. Theo. lib. 6. cap. 2.* Rationalis cognitio humano tantùm generi inest. *Leo. Heb. de Am. dial. 1.*

Recentius est quàm prius erat, quod minus distat ab aliquo quàm prius si ad illa conferatur quibus prius antiquius erat. *Plat. in Parm.*

Receptum recipitur secundùm modum recipientis. *Gab. Bar. de reminiscent. lib. 4.*

Recipitur vnumquodque pro natura suscipientis. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 6.*

Recordatio.

Recordatio partim fit à simili partim à dissimili & cum à similibus recordatur, cogitat an hoc deficiat secundùm similitudinem aut non ab eo cuius recordatus est. *Plat. in phæd.*

Recordatio est maximè cum alicui visa aliquo alterius quis meminit, cuius per tempus, & eo quod diu non conspexit oblitus est. *idem, ibid.*

Recordatio fit cum quis aliud quid viderit, vel audierit, aut aliquo sensu perceperit, & non solum illud cognouerit, sed etiam de alio cogitauerit, cuius non eadem est scientia, sed alia. *ibid.* Recordatio non fit nisi quis prius hoc aliquando sciuit. *ibid.*

Recordatio est cùm anima ipsa in selpsam resumit absque corpore quod cum corpore anima pertulit, & cum deperdita memoria seu sensu rei quam didicit anima in scipsa vertat. *Plat. in Phil.* Recordatio est sapientiæ deficientis influxio. *idem, de leg. dial. 5.* Recordari est repetere ipsum in seipsum scientiam. *de vut.* Recordatio accommodatur rebus deliberatiuis, hoc est iis quæ præceptis artificialibus, & theorematibus percipiuntur. *Chalc. in Tim. Plat.*

Recordatio vt ait Plato est sapientiæ deficientis influxio, quæ influxio tum à corpore seu à rebus corporeis tum à virtute separata emergit. *Gabriel Baratellus de reminiscentia, lib. 4.* Recordatio est eorum quæ in memoria existebant, quæ quasi collapsa, ac pene obliterata erant, resumptio, & instauratio. *idem, ibid.*

Recordatio est notio rei alicuius à natura nobis ingenita, qua facilè quiduis percipimus, cùm veris assentimur & rerum diuersarum formas ingenij dexteritate magna percipimus, earundem recordari videmur: quæ mentis dexteritas nosio dicitur: & est quasi lux quædam mentis ad res percipiendas accommoda, qua illustratus animus solùm naturâ duce, vel sine doctore multa cognoscit vt Deum esse, vel res à magistris traditas facilè percipit. *Sebastian. Foxius in Platonis Phædonem.* Recordationem ponit Plato, Aristoteles præexistentem cognitionem in intelligendo, in qua re nulla est dissensio. *idem, ibid.* Recordatio etsi existat, tamen nihil in lucem educi potest nisi sensuum perceptio. *ibid.*

Rectè quod dicitur, bis dici nihil nocet. *Plat. de legib. dialog. 6.* Rectè agere tantò difficilius est quàm delinquere, & bonum esse quàm malum, quantò difficilius est recta ratione incedere quàm casu vagari, ascendere quàm descendere; aggredi noua quàm consueta tractare, attingere solum punctum circuli medium, quàm in reliqua eius puncta quæ innumerabilia sunt incurrere; scopum ipsum sagitta percutere quàm quæ circunstant, tramitem, & sulcum seruare quàm hinc & inde prævaricare, rectum ad amussim tenere quàm dilabi in obliquum. *Fic. epist. lib. 3.* Rectum est, cuius medium inter ambo extrema è directo est. *Plat. in Parmen.*

Redarguere, & redargui maximum bonum est quantum si quis à maximo malo liberetur, aut ipse alium liberet, nam nullum maius malum homini est quàm falsa opinio. *Plat. in Gorgia.*

Reflexio est affectio corporis, aut dimensionis, quæ non est nisi in corpore. *Iac. Carp. in Al. in cap. 15.*

Regenerationis mysterium non docetur, Regenerationis auctor est Dei filius homo; vnius volūtate Dei, nec sensu percipi potest: qui verò potest, oret vt generationem quæ in Deo est intelligat; & sileto, Deum silentio laudato; eo pacto diuina clementia à nobis non aberit. *Merc. Trismeg. Pimand. cap. 13.* Regenerationis mysterium nemini communicandum. *idem, ibid.*

Regendi omnis vis in fortitudine animi ponenda est, absit ergo formido, ignauia, & similia. *Franc. Patricius de regno, lib. 5 cap. 1.*

Reges, Regendi potestas.

Regum scientiam qui possidet, etsi priuatus fuerit, regius tamen secundùm ipsum artem rectè nominabitur. *Plat. de regno.* Regius vir in scientia imperatoria, vt qui dominetur, ponendus est. *idem, ibid.* Regiæ scientiæ nunquam est inanimatis præfectum esse, vt architectum, sed generosius inter animalia, & circa hæc ipsa semper potestatem habet. *ibid.*

Regiæ artis scientia dicitur imperatoria, huius assimilata pars per se imperans dicta est, cuius non minimum genus est animalium educatio, & horum gregaria pastio, huius pedestris pastio, à pedestri pastione resecatur ars, quæ non cornutam naturam pascit: huius partem non minorem quàm triplicem complicare necesse est, si quis ipsam vno nomine complecti velit, quæ cum diuerso genere non miscetur, pascendi scientiam appellet, quæ verò ab hac fit sectio in grege bipedum pars pascendi homines adhuc sola reliqua hæc ipsa iam est, quæ regia & ciuilis scientia appellata est. *Plato in dialog. de regno.* Regia cura est principatus ars in omnes homines. *idem, ibid.*

Regium principatum scientiam quandam, & non omnem esse diximus, sed iudiciariam & imperatoriam. *Plat. de regn.* Regiam artem diuinam multitudo & vniuersus populus sapere non poterit. *idem, ibid.* Regia ars est domina potentis, & magnæ artis militaris. *ibid.*

Reges potestas non debet facere, sed his qui facere possunt imperare, ita vt, & principium & progressum maximarum rerum in ciuitate cognoscat, quo ad opportunitatem, & importunitatem attinet, reliquæ autem imperata facere. *ibid.*

Regia scientia omnibus qui secundùm legem erudiunt & educant imperatoriâ facultate prædita præsidet, & nō permittit vt quis exerceat quod ad sui commistionem operans bonos mores efficiat, sed iubet vt sola hæc doceantur, & eos qui cum virtutis moribus coniunctionem habere non possunt, sed ad impietatem, iniuriam, & iniustitiam à mala natura per vim detruduntur, morte, & exilio mulctat, & maximis ignominiis affectos punit; & eos qui in multa imperitia, & humilitate inuoluuntur, in seruile genus subiugat; reliquos quorum naturæ ad generosam eruditionem peruenire possunt, & mutuam commistionem cum arte suscipere, tali quodam modo inter se colligare conatur, vt eorum qui ad fortitudinem tendunt solidos mores staminis naturam referre putet, qui molli ad temperantiam tendunt iuxta similitudinem subtegminis tramā vti censet. *Plat. de regn.*

Regiæ texturæ opus est vt temperatores mores nunquam à virilibus discedere sinat, sed per connubiorum contractus inter se congreget, ac illis semper magistratus tribuat, ita vt vbi vnus in vno est magistratu, & temperatus & fortis sit, eligatur; & sic multi misceantur. *Plat. de regn.* Regij principis imagines sunt generosus nauium gubernator, & excellens medicus. *idem, ibid.* Regius vir, & qui in seipso regnū gerit, optimus iustus, & felicissimus est. *de repub. dial. 9.*

Regia potestas cùm à suo officio discedit in tyrannidem labitur, sic optimatum imperium in paucorum statum mutatur, & reipublicæ status in popularem statum mutatur. *Bessarion Card. in calumniatorem Plat. lib. 4. cap. 10.* Regia authoritas trahi debet à senioribus, & probatissimis, quorum senatus deinde sit collega regis quasi quædam respublica optimatum. *Fic. in Plat. de reg.* Regium optimatum vitam tanquā beatissimam comprobare debemus. *idem, in Plat. de republ. dial. 9.*

Regiâ dignitate nulla ex omnibus fortunis inter mortales præstantior inueniri potest. *Francisc. Patr. in proœm. de regn.* Regium est bene agere, & malè audire, prouerbium est. *idem, de reg. lib. 3. cap. 11.* Regiæ dignitati non astutiam, sed bonitatis excellētiam conuenire aiebat Agesilaus. *ibid. c. 13.*

Regio.

Regio omnis absque eo quod ciuibus sorte obtigit in propatulo scripta sit apud custodes magistratus, quibus lex hoc demandauerit. *Plat. de leg. dial. 5.* Regionis custodia sic fiat: diuidatur tota regio quantum fieri potest in duodecim partes æquales, & vna vnicuique tribui pars per sortem oblata, per annum exhibeat quinque velut agrorum curatores, & tribunos. His liceat ex sua tribu duodecim iuuenes eligere, non pauciores quàm 25. annos natos, & non plures quàm triginta; his per sortem obtingant regionis partes singulæ singulis per mensem quo totius regionis experimentum, & cognitionem omnes capiant, per duos autem annos, & magistratus hic, & custodia duret, & custodibus & principibus: cùm verò primùm partes sortiti fuerint, regionis locos singulis mensibus cum sequentibus deinceps permutantes, ducant custodiæ principes circum circa ad dexteram versus orientem, & anno secundo ad sinistram: tertio anno alios agrorum curatores quinque principes eligant qui duodecim illis præsint. *idem, de leg. dial. 6.*

Regionis custodes curent primo quo regio aduersus hostes sit maximè munita, fossas, & scrobes vbicunque opus fuerit effodiant, & de extructionibus quantum possunt prohibeant eos qui quocunque modo regionem, & possessiones affligere conantur; ad hæc vtantur iumentis & seruis qui sunt in quocunque loco, vt per illos faciant, & illis præsint, electis his quibus à suis domesticis operibus maximè otium est. Inuia omnia inimicis facere oportet, amicis contra maximè peruia, & hominibus, & pecoribus & iumentis. *Plat. de legibus, dial. 6.* Regionis custodes vbique in locis commodis gymnasia construere debent sibi ipsis, & senibus senilia lauacra calida exhibere materiā siccā, & aridā luculentā apposita, ad vtilitatem eorum qui ex morbis laborant, & eorum qui agriculturæ laboribus afflicta corpora habent, vt qui si hoc expeditè præstiterint, multò potiores habendi sunt medico non admodum sapienti habitu prædito. *idem, ibid.*

Regionis custodes viarum curam gerant, quo singulæ quàm minimùm asperæ sint; aquarum item pluuialium vt regionem non lædant, sed magis ipsi prosint, delabentes ex altis in cauas montium conualles, ita vt ipsarum effluxiones structuris, & fossis prohibeant, quo illæ pluuiales aquas suscipiant

scipiant & imbibant, & subiectis agris, ac locis omnibus latices, & fontes faciant, & squalidissimos locos aquosos, & multâ aquâ plenos efficiant: fontanas etiam aquas, siue fluuius, siue fons sit, stirpium plantationibus & structuris exornent, & laticibus per cuniculos, ac canales deductis omnia singulis anni temporibus luculenta aquationibus faciant, & si fortè lucus, aut delubrum in propinquo situm sit, dimissis ad ipsa fluxionibus deorum templa exornent. *Plat. de leg. dial. 6.*

Regionis custodum serium studium sit, hoc sexaginta singuli suum locum custodiant, non solùm hostium gratia, sed etiã eorum qui se amicos asserunt. *Plat. de leg. dial. 6.* Regionum custodes, quando aliquis ciuium alter alterum iniuriâ affecerit seruus, aut liber, in paucis iudicent, si iniuria affectus conqueritur, ipsi quinque principes; in maioribus autem vnâ cum duodecim, ita vt septem & decem iudicent vsque ad minas tres, de quacunque re alter alterum accusauerit. *idem, ibid.*

Regionum custodes si quid iniuriæ intulerint his quorum curam gerunt, velut si iussa inæqualiter imperent, & accipere, & auferre quid ab agricolis non persuasis conentur & si accipiunt quid ab his qui adulationis gratiâ largiuntur, aut etiã iudicia iniustè distribuant adulationibus concedentes, opprobria ferant in tota ciuitate: reliquarum verò iniuriarum quacunque affecerint eos qui in isto loco degunt, ex his quæ ad minam vsque se extendunt, inter vicinos ac colonos mulctam vltro dent, si verò maiorum iniuriarum, aut etiam minorum mulctam dare nolint confisi in eo quòd singulis mensibus ad alium locum transeunt, se reos euasuros esse: his iudicium in communi dicter is qui iniuriâ affectus est; & si reum peregerit, mulctam duplam ab eo qui fugit exigat, & vltro pœnam dare noluit. *Plato de leg. dial 6.*

Regionis fatum prædiuinari verè non potest, nisi prius constiterit cui signo, cui planetæ regio ea subiicitur: at hæc apud Astrologos sunt incerta, ergo incertissimæ hæ sunt prædictiones, alia enim Ptolemæus, alia idem Ptolemæus in alio loco, alia Albumasar, & sic alij aliter. *Ioan. Picus Mirandul. in Astrolo. lib. 7. cap. 5.* Regionem beatam eodem modo Plato & Ioannes describunt. *Aug. Steuch. de per. phi. lib. 10 ca. 25.*

Regnante viro diuinâ mente prædito genus humanum beatũ fore certum est. *Fum. de regno.* Regnandi munus diuinitus mortalibus tributum est. *Franciscus Patritius de regno, lib. 1. cap. 7.*

Regna multa euertit dissensio quam nos ignorantiam nominamus, sapientia tamen videtur, nam reges tunc habuerunt, vt plus latis legibus possent, & quæ sermone & iure iurando approbarunt, in his secum ipsi non consenserunt. *Plato de leg. dial. 3.* Regnum est omnis termini, ornatúsque, & iuris, & ordinis distributio. *Dion. Areop. de diui. nom.* Regnum præcipuè seruatur si nil agitur, quod iniustum & indecens sit: ideò primò princeps debet videre quid cauendum, deinde quid agendum. *Franc. Pat. de regno lib. 4 cap. 3.*

Regula omnis quæ humano excogitatur ingenio in particulari aliquo casu fallere potest: at quæ Dei dono supernè demittitur, non fallit. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de prano. lib. 9 cap. 6.* Regula nulla est in rebus humanis a qua quicquam non posset excipi. *Idem, in exam. van. doct. gen lib 1. cap. 19.*

Relatiua.

Relatiua dupliciter possunt considerari, vel ratione fundamẽti, vel ratione quidditatis: primo sunt in eodem genere in quo fundamentum est: si secundùm quidditatem, non est loquendum indistinctè. *Gab. Bur. de idem. lib. primo.* Relatiua illa reuera dicenda sunt, quibus existentia sua aliunde quàm ex habitudine non nascitur, existentia verò non quæ subiectorum sit, sed quæ ad aliquid propriè dicitur, vt duplum ad dimidium. *Plotin. En. 6. lib. 1. cap. 7.*

Relatiuorum habitudinem ipsam si quis velut formam quandam ratione generica tanquam vnum quiddam ponat, haud ab re in his vnum genus erit, & vbique subsistentia erit velut ratio quædam: sin autem rationes appositæ sint, & differentias habent, fortè genus vnum esse non poterit, sed ad quãdam similitudinem, & vnum prædicamentum redigentur. *Plot. En. 6. lib. 1. cap. 9.* Relatio locus, vbi, quando, tempus, positio, habitus, actio, & passio sunt prima genera; nec pecoes illa, aduentitia cùm sunt, compositionem & defectum significant. *Idem, En. 6. lib. 1 cap 16.*

Relatio est alterius ad alterum habitudo, & in relatione quãdo habitudo ipsa substantiam efficit, illud ipsum quod refertur non qua ratione substantia est relatiuum est, sed qua pars aliqua, vt manus, caput, vel causa, vel principium, vel elementum. *Plot. En 6 lib. 3. in epilogo.*

Relatiua licet more antiquorum diuidere, vt alia effectiua sint alia vt mensuræ quædam, alia in excessu & defectu versentur, alia per similitudines & differentias distinguantur *id. in, ibid.* Relatiua duobus modis sumunt Sceptici, primò ad iudicantem referunt id quod iudicatur secundò ea referunt quæ simul contemplamur, vt dextrum in sinistrum. *Io. Fr. Pic. Mir. in ex. vani. doctr. gent. lib. 1. cap. 28.*

Relicta in via aut vltro aut inuitè, qui accesserit iacere sinat putans talia custodire viarum deam Hecatem à lege ipsi consacrata: at si quis legi non parens sublatum domi deportauerit, si parui precij res est, isque fuerit seruus, à quocunque accedente triginta annos nato multis plagis flagelletur: si liber, ad hoc quod illiberalis & legum præuaricator habendus sit, decuplum precij rei motæ rependat ei qui illam reliquit. *Plato de leg. dial. 11.*

Religio Religiosi.

Religiosi in mundo sunt admodum pauci, vt dinumerari possint. *Mer. Trism. Ascl cap. 8.* Religionis imperitiã vitia omnia conualescunt & homines vulnerant animam insanabilibus vitiis, quæ infecta quasi venenis intumescit. *idem, ibid.* Religiosi in mundo sunt non multi, imò pauci, ita vt numerari possint. *Apul. Asclep.*

Religiosa operatio intelligentiæ præferenda est, tanquam sola sit efficax ad acquirendam animæ cum Deo deificam vnitatem, tanta est virtus sacrorum rite Deo factorum, vt etiamsi hæc ignores, pietatem obserues, non minorem habeant efficaciam: non enim intelligentia coniungit sacrificatores Deo, alioquin philosophi vnionem deificam reportarent. *Iamblichus de myst.* Religiosa obseruantia in nobis, & circa nos agit varia, aut quasi propagando perficit, aut amputat aut emendat, aut expertia ordinis ordinat, aut segregat longius ab errore mortali, cuncta denique totis supernis familiaritate conciliat. *idem, ibid.*

Religione nostra æquè alieni fuit Arist. & Plato. *Bess. Card. in Calumniatorem Plato. lib. 2 cap. 4.*

Religiosæ multum sunt duæ ætates, pueritia, & senectus. *Ficin. in Platonica Theologia, lib. 14 cap. 10.* Religio ante ciuitates, & domos viguit in orbe, & homines sparsi, & syluestres Deum coluerunt. *idem, ibid.* Religionis finis est frui Deo, eius votum est perpetuò frui *ibid.*

Religio vera non est nisi amore suscepta. *Ficin in epist. lib. 5.*

Religionem à motu, & dispositione cœlesti nunquam fieri existimauit aliquis astrologus. *Idem, ep. lib. 7.*

Religio est eius quod Deo redditum est assidua meditatione, iustisque operibus cum Deo ipso indissolubilis religatio. *Idem, in Plato. de sanct.* Religiosi dumtaxat illi seculis nostris ad virtutem, felicitatémque accedunt, inter quos nihil est proprium. *in Plato de rep. dial. 5.*

Religiones tam bonæ, quàm malæ è cœlo non pendent, vt ex astris instituantur. *Ioan Picus Mirandul. in astrologiam. libr. 4. cap. 10.*

Religio si ex magnis coniunctionibus oriretur, abolitâ virtute coniunctionis aboleretur & religio, at nulla coniunctionis vis durare nec fingitur ab astrologis quot annis, & cultus idolorum, & Mosaica religio, & Christiana perdurarunt. *idem, ibid.*

Religiones & leges à prænotione pendent. *Ioan. Franc. Picus Mirandulanus de præn. lib 1. cap. 9.* Religio ad verum Dei cultum pertinet. *Idem, ibidem.* Religio à religando, vel religẽdo dicitur. *ibid.* Religio vera vnica est quæ vnum Deum habet auctorem, reliquæ superstitiones sunt. *ibid. cap 10.*

Religiones à coniunctionibus magnis non pendent, quia abolitâ coniunctione aboleretur etiam religio nec per tot annos durare coniunctionis vis fingitur, quot annis idolorum cultus, Mosaici ritus, & religio christiana durarunt. *ibid. lib. 5. cap. 9.*

Religioni miscere superstitiones periculosum est. *Aug. Steuch. de peren. philosophia, lib. 8. cap. 22.* Religione ablatâ nihil homine miserius. *Idem, ibid. li. 10 cap 1.* Religionis primus gradus est quod agnoscendus & colendus est Deus, ex cuius amore & cultu perueniendum est ad meliorem vitam, quam si hæc caduca & corporea. *ibid. cap. 2.* Religionem veram ait Plato esse vitæ diuinæ, & exemplorum eius imitationẽ, cum iustum & sanctum sit assimilari Deo. *ibid. cap. 3.* Religio duabus partibus constat, pietate, & religione. *ibid. cap. 12.*

Remedia nulla tam sunt salutaria quàm quæ tacent dolorem. *Iaco. Carpen. in Epistola.*

Reminiscentiâ non indigeremus, si formæ residerent, & figuræ manerent. *Plotin. En. 4. lib. 6. cap. 3.*

Reminiscentiæ mora obliuio est. *Philo de migr. Abrahami.*

Reminiscentia animaduersionem habet præsentem, & fit in anima sine corporis passione, & est duplex, vna in parte sensuali, quando recolimus præteritas sensuum passiones, alia in parte rationali, quando post obliuionem quandam, resu-

mit quæ senserat, vel quæ didicerat: egere verò potest nō solùm sine passione corporis, sed etiam sine communione cum corpore. *Ficin. in Platon. phileb. cap. 27.*

Renes aridi pinguedinem sugētes intimam, spiritum reddunt sincerum intelligentiæ aptum. *Fic. in Plato. Timæum, cap. 69.*

Repentina natura admiranda quædam inter motum & quietē insidet, quæ in corpore nihil est & in hanc, & ex hac, & hoc quod mouetur transmutatur ad statum, & quietem, & quod stat ad motum. *Plato in Parmenide.*

Repletio vera fit cùm anima omnium virtutum speciebus repletur, nam qui sapientiæ & virtutis imperiti in conuiuiis versantur, ad medium feruntur, & hac parte per vitam errent, nec eo quod est repleti sunt, nec voluptatem veram gustarunt, sed pecudum more infra semper spectantes, & ad terram inclinati ad mensa pascuntur, & coeunt, & harum rerum vbertatis gratiâ calcitrantes, & cornibus & vnguibus mutuò se impetentes occidunt, eoque inexplebiles sunt, vt qui nec his quæ sunt, neque id quod est & quod retinet in se ipsis repleuerunt. *Plato de repub. dial. 9.* Repletio minor est eius quod magis. *idem, ibid.*

Reprehensio ita vtilis est, vt qui non redarguitur, etiamsi magnus rex sit in maximis, impurus, & ineruditus, & turpis in his sit, in quibus potissimum, & pulcherrimum esse decebet eum qui reuera felix futurus est. *Plato in sophista.*

Reprehensio semper vtilis est, quæ si iusta ad cognitionem, si iniusta ad defensionem nos excitat veritatis. *Io. Pic. Mirand. in respon. prima.*

Repugnat quidquid ex quadrangolis basibus consistit, & quæ in plurimam densitatem compacta est. *Plato in Timæo.* Repugnare origini suæ sua sponte nihil potest. *Fic. in Platonica Theologia lib. 2. cap.*

¶ *Rerum diuisio.*

Res aut videri possunt, aut non; & quæ videri non possent semper secundùm eadem se habent, & quæ possunt nunquam eadem. *Plato in phædone.* Res alias faciliter declaramus, alias difficiliter cum non sit vllum simulachrum ad homines euidenter elaboratum, quo ostenso interroganti animam iustè explere possit, qui ad sensum aliquem adaptaos solam explere velit. *Idem, in dialogo de regno.* Rerum genera tria esse videntur, bonum, malum, nec bonum, nec malum. *in lyside.* Res aliæ bonæ, aliæ malæ, aliæ mediæ inter hæc, & media facimus bonorum causâ *in Gorgia.*

Rerum generi in duo regnant, in eo quod intelligi potest, & in eo quod videri potest: in eo quod videri potest duo sunt imagines, dico autem imagines primùm quidem vmbras deinde spectra in aquis, & quæ in his quæ densa, & leuia, & lucida sunt consistunt; alterum cui hæc similis est, animalia, quæ apud nos sunt, & quidquid plantatur, & totum genus eorum quæ manu parantur, in eo quod intelligi potest, vt anima his diuisis velut imaginibus vtens quærere cogitur ex propositis velut exemplis, non ad principium, sed ad finem procedens, alterum ex supposito exemplo ad non suppositum principium progrediens, & absque his quæ circa partem illam sunt imaginibus ipsis speciebus per se methodum faciens. *Plato de republica, dialog. 6.*

Rerum aliæ mouentur, aliæ manent. *Plat. de leg. dial. 10.* Rei cuiusque tria consideranda sunt, substantia, finitio, nomen. *idem, ibid.* Res omnes vel factæ sunt, vel fiunt, vel fient, partim naturâ, partim arte, partim fortunâ. *ibid.*

Rei vnicuique tria ad sunt, nomen, definitio, simulachrum, quartum scientia, quintum id quod cognosci potest & verum est, vt exempli gratiâ circulus est quid de quo dicitur, cui hoc ipsum est nomen quod modò protulimus; finitio ipsius ex nominibus & verbis composita, quod ab extremis ad medium æqualiter vndique distat, finitio illius est cui rotundum & globosum circulus nomen est: tertium est quod pingitur, & deletur, & tornatur, & perditur, quorum nil patitur ipse circulus, circa quem omnia hæc sunt velut qui aliud quid est: quartum verò scientia, & intelligentia, veráque opinio circa hæc est: verùm velut vnum rursus hoc totum ponendum est quod non in vocibus neque in corporum figuris, sed in animis inest, ex quo patet aliud esse à circuli natura, & ab ante relatis: ex his intelligentia, cognatione, & similitudine, ad quintum proximè accedit, reliqua verò amplius absunt. *Plato epist. 7.*

Res sunt duæ, altera anima altera corpus, & vtriusque multæ, omnes autem inter se diuersæ, & vtræque ab vtrisque, & tertia alia nulla vlli communis. Differre verò animam à corpore ponemus, vt hoc sit demens, illa sapiens, hoc subditum, illa princeps, hoc nullam vllius affectionis causam præbeat, illa omnium causa sit: quare ea quæ in cœlo sunt, dicere ab alio quopiā facta esse, & nō animę, & corporis re'ue ra sobolē esse magna stultitia & temeritas est. *Pl. de leg. app.*

Rerum aliæ primo sunt diuisibiles, & suapte naturâ dissipationi subiectæ, & hæ sunt quarum pars nulla idem est vel alteri parti, vel toti, & in quibus pars minor est omni & toto, tales sunt sensibiles magnitudines, & moles quæ proprium occupant locum, nec possibile est idem simul pluribus in locis existere: alia quædam est essentia suprascriptæ opposita, non subiecta partitioni, partium expers, & impartibilis, interuallum nec cogitatione accipiens, non indigens loco, rebus nullis inhærens, vel secundùm partes, vel secundùm tota, vt omnibus incumbat simul rebus, vt quæ seorsum ab illa nec esse valeant, nec velint, & huiusmodi essentię semper eodem se habet modo. Præter hanc naturam indiuisibilem alia est essentia proxima inde nascens, habens ab illa indiuiduum munus; sed progressione iam factâ ad naturam aliam properans media euasit earum, & hæc est anima, nam sic vna est quasi quoddam continens aliam partem, & aliam habens, sed partibilis quidem est, quia partibus omnibus communicat, in quo est, impartibilis autem, quoniam tota est in omnibus & in qualibet portione ipsius tota. *Plotin. En. 4. lib. 2. cap. 1.*

Rerum quædam inanimæ, vt lapides & ligna, animatæ aliæ, plantæ, & animelia; sed animatum longè præstat inanimo, sed vegetale distinguitur à sensibili, & sensibile aliud est rationale, aliud irrationale, & vt sensibile præstat vegetabili, sic rationale sensibili. *Max. Tyr. in ser. 1.*

Res aliæ sensu aliæ intellectu comprehenduntur; & quod intellectu percipitur est principium eius quod sensui est subiectum. *Auerroes in Plato Rempublicam tractat. 2.*

Re in quacunque tria considerare debemus, substantiam, substantiæ rationem, tertium nomen. *Bess. Card. in Calumniatorem Plato. lib. 2. cap. 7.*

Rerum series his gradibus distinctæ sunt, vt quod in superiori ordine infimum sit, in inferiori sit primum, vt vnum sit Dei opus; supremus angelus Deo propinquus, infimus dæmon igneo proximus: dæmon infimus id est aqueus homini præstantissimo est cognatus, homo stupidus sagaci bruto persimilis, brutum iners arbori pulcherrimæ proximum, planta vilissima cum inanimato corpore fermè est idem. *Ficin. in Plato. phileb. lib. 1. cap. 33.* Res omnis in eo quod ipsa est, partim cum rebus aliis conuenit, partim differt, & id per quod conuenit nominatur genus, id per quod differt differentia; hinc fit quod definitio, quæ id ipsum quod res est comprehendit, per genus eiusmodi, differentiámque debeat assignari. *Idem, in Plat. Gorg.*

Rerum omnium possessio inutilis est absque boni possessione, sic & rerum omnium cognitio absque boni intelligentia inutilis est, nec potest ciuis vel priuata, vel publica ad bonum ritè redigere, nisi quid sit bonum ratione cognouerit. *Ficin. in Plato. Rempublicam dialo. 6.* Res vnaquæque prius cogitatur secundum id, quod est, quàm secundum id quod accipit. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 14.* Rerum ordo duplex est ad Deum, alter quo ab eo procedunt, alter quo procedentes conuertuntur ad ipsum *ibid. cap. 20.*

Res aliæ sunt solùm, aliæ insuper fiunt: quæ solùm sunt, aut principia sunt, aut ex principiis: quæ fiunt, aut semper fiunt, aut aliquando: res primæ in alias causas referri non possunt. *Fic. in Plotini En. 3. lib. 1. cap. 1.* Rerum gradus quinque sic se habent: ipsum bonum vnum in se tantum est, diuina mens vnum, multa; anima tum mundi, tum nostra vnum in se est atque multa; qualitas formáque corporea quælibet multa in se, & vnum; corporis ipsa moles non vnum iam secundùm se, sed multa censetur. *Idem. in Plot. En. 4. lib. 1. cap. 1.*

Rerum duo genera, intelligibile, & sensibile. *Aug. Steuch. de perenni philosophia, lib. 5. cap. 7.* Rerum genus duplex est, naturale & humanum: naturales sunt corporeæ, quibus viuitur corporaliter: humanæ spirituales magis fortasse quàm naturales: quia naturales propter humanas, quarum omniū Deus est principium. *Idem, ibid. lib. 4 cap. 7.* Res tam amandæ quàm expetendæ tres conditiones requirunt, essentiam, veritatem, & bonitatem. *Leo Heb. de amore, dial. 1.*

Rerum essentia, causa, & vt ordinem habent.

Rerum essentiæ firmitatem omnia omnibus similiter esse simul & semper, existimauit Euthydemus. *Plato in Cratylo.*

Res omnes essentiam suam propriam habent, nec à nostra imaginatione trahunt, sed per se suam essentiam è natura habent. *Idem, ibid.* Res omnes ordinem & ornatum in se requirunt. *in Gorgia.*

Res omnes etsi Platonici omnes referant in suas causas differentes, proximè tamen omnes effectus & causas redigunt in primam causam causarum, vnde causæ omnes habent vt sint & vt causæ sint. *Ficin. in Dionys. Areopag. de diuinis nominibus.*

Res omnes ex infinito componuntur, & termino id est ex potentia

tentia quadam passiua per se informi, vel deformi, aliorsum vergente, vlterius progressura, aliunde formabili, atque insuper ex forma vel actu potentiam eiusmodi inclinationémque terminante. Hoc infinitum, hic terminus elementa sunt rerum creatarum inter se opposita, conciliabilia desuper ab ipso simpliciter vno, quod nec quædam infinitudo est, alioqui foret desuper terminandum, nec sequentibus infinitis terminum vllum tanquam sibi oppositum adhibet, nec super est quidam eiusmodi terminus, alioquin & cohibitum esset in rebus, & infinita tanquam sibi opposita procreare non posset. Est igitur super hæc & omnia quomodolibet inter se opposita, vt possit omnia regere pariter, atque conficere: est itaque infinitum, quia nec terminos habet intus, vel subit exteriores, per quos vel à causa vel fine, vel subiecto, vel comprehendente, vel conditione quauis definiatur. Gradus virtutis eius, & eius actionis nullum numerum subeunt, vel mensuram, éstque terminus non aliquis, vel alicuius, vel in aliquo, sed tanquam terminorum quorumlibet auctor. *Fic. in Plat. parmenidem cap. 60.*

Res vt cognoscuntur, & aliquid.

Res per se ipsas quærendæ sunt & cognoscendæ, non per nomina. *Plato in Cratylo.* Rem quamcunque magis per rationes, quàm nomen solum absque ratione concedere oportet. *Idem, in sophista.*

Res, quas construimus, & acquirimus, sunt partim eâ gratiâ, vt quid faciamus, partim, vt non patiamur tutelaria, & tutelaria partim medicamenta auxiliaria, & diuina, & humana, partim propugnacula; & propugnacula alia sunt ad bellum armaturæ, partim munimenta, & munimentorum partim velamenta, partim aduersus hyemis, & æstus adiutoria: adiutoria partim arcent partim tegunt; & quæ tegunt partim substernuntur, partim circundantur; quæ circundantur partim in totum integra sunt, partim composita; & composita partim perforata, partim absque perforatione, colligata, non perforata, partim terrea ex plantis terræ sunt, partim ex pilis constant; quæ ex pilis, partim ea terra & aqua conglutinata sunt, partim ipsa inter se ligata, quibus vestium nomen indidimus; & ars dicitur vestium effectrix, & textoria quantum in vestium præparatione maxima pars erat, nulla re nisi nomine ab hac vestium effectrice differt, vt & tunc regia à ciuili. *Plato in dialog. de regno.*

Res non potest doceri, cuius neque doctores, neque magistri sunt. *Plato de virtute.* Rei quæ intelligitur pars ea clarior est quæ à differendi scientia consideratur, quàm illa quæ ab appellatis artibus, quibus supposita exempla sunt principia; & qui ipsa considerant, cogitatione, & non sensibus considerare, & videre coguntur, cùm ad principium non ascendunt, sed ex suppositis exemplis considerant, intelligentiam non habere videntur, etiamsi cum principio intelligi possunt; cogitatio esse videtur geometricus habitus, vt medium quoddam inter opinionem, & intelligentiam. *Idem, de repub. dial. 6.*

Res aduersæ vitium curabile purgant, incurabile puniunt. *Fic. epist. lib. 12.* Res quantò superiores sunt, tantò gradibus numero paucioribus, virtute amplioribus cognoscuntur. *Idem, in Dion. Areopag. de trinitate.* Rei cuiusque primò est confusa descriptio, deinde diuisio, in qua syllogismi oriuntur ad definitionem conducentes, tertiò definitio distincta, quartò diuisio distincta, post quam sequuntur syllogismi magis demonstratiui, quàm primi. *Idem, in Plato. phileb. lib. 1. cap. 24.* Rei cuiusque quamquam ex pluribus constitutæ vna pars est præcipua, & vnum esse, ita vis vna præcipua, vnéque præcipua appetitio, vnum opus præcipuum, vnus ergo finis præcipuus quo vnius esse vna quædam perfectio est, vnum igitur appetit finem. *ibid. cap. 34.*

Res humanæ, præsertim publicæ, non possunt absque diuino quodam auxilio & patrocinio rectè componi: ideò à Deo legum principio & fine est exordium faciendum. *Ficin. in Plato. de legib. dial. 5.* Rerum omnium est vnum principiũ, idque ipsummet omnium est finis, quod nil aliud est quàm ipsum bonum. *Idem, in Plotim Enn. 1. lib. 7. cap. 1.* Res in vniuerso inter se diuersæ concordiam, ordinem, vnionem inuicem non haberent, nisi omnes ab vno proficiscerentur. *idem, in Plotim En. 5. lib. 4. cap. 1.*

Res in suis contrariis optimè cognoscuntur. *Leo Hebræus de Amore, dial. 2.* Res cognita pro cognoscentis duntaxat viribus, haud pro rei cognitæ dignitate, in ipso imprimitur cognoscente, ab eoque recipi solet. *idem, ibidem. dialog. 3.*

Rerum omnium circulus à Deo incipiens, & per cũctas essentias proficiscens in Deum tandem reuertitur. *ibid.*

Res vt sua cuiusque, & vt fiunt, & earum euentus.

Res suas si quis apud aliquem, aut magnas, aut paruas inuenit & accusat, & ille habere quidem se confitetur, sed non illius, si quidem præscripta fuerit ea res apud magistratus secundum legẽ, hic habentem ad magistratũ vocet, ille verò se sistat, re autem patefacta vtriusin literis præscripta apparuerit, in illam habens abeat: si verò alicuius alterius non præsentis fuerit, vter ex illis non exhibuerit fideiussorem fide dignum, quod traditurus sit illi absenti, ab eo auferatur pro æstimatione eius quod illi ablatum est: si verò res de qua ambigitur apud magistratus perscripta non fuerit, deponatur vsque ad iudicium apud tres magistratus antiquissimos: quòd si animal fuerit id quod depositum est, is qui iudicio victus fuerit alimentum eius magistratibus persoluat, & iudicium intra triduum faciant magistratus. *Plato de legibus dial. 12.*

Rerum similitudo est vnitas quædam in rebus proueniens ex ipsa simpliciter vnitate vniuersi principio, quæ totum volens sibi simillimum reddere, neque tamen simpliciter, vnam saltem maximè fecit, ad quam vnionem confert maximè ipsa principij bonitas. *Proclus in rempublicam Platon.* Res egregias qui agere vult, nihil accommodatius illi contingere potest quàm prudentium, ac doctorum hominum beneuolentia, ac nullum certius, argumentum esse vel iustitiæ, vel prudentiæ, quàm si huiuscemodi amici adsint, & nullum iniustitiæ & imprudentiæ signum, quàm si desint. *Fic. epist. lib. 1.*

Res vnaquæque hoc ipsum quod est intrinsecus habet à forma speciali naturaliter, qui definit hominem ex anima & corpore cõiunctum, nondum assignat rationem formalem qua est homo. *Ficin. in Plot. En. 6. lib. 7. cap. 4.* Rerum euentus nunquam minus respondent quàm in bello. *Franc. Patr. de repu. lib. 9 cap. 5.*

Res vt desint, & earum proprietas.

Rerum proprietates particulares etiam corporeæ, siue quæ speciem, siue quæ rem particularem consequantur à stellis originem non habent, præterquàm principij vniuersalis; sed à propria natura ipsarum rerum, & causis earum proximis, & cognatis. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol. lib. 3. cap. 1.*

Res singulæ participant apud Aristotelem vniuersis, & apud Platonem ideis, sed modo dissimili, si quidem vniuersalitoma & perfecta apud Aristotelem sunt in singulis, per seque omnino talia, quales suapte natura res singulæ; at hominis idea per se immortalis est, etsi homo mortalis est, & Aristoteli omnia quæ eadem specie essentiæ participant, in hac ex æquo conueniunt, quoniam ratio speciei in indiuiduo tanquam in puncto est sita; Platoni verò variis gradibus distinctæ sunt ideæ imagines, neque in harum vllam tota ipsius ideæ natura siue perfectio cadere potest. *Iac. Carp. in Alci. a. digr.*

Rex in Francisco Petrarcha desiderantur, verba in Dante. *Io. Pic. Mir. in epist.*

Rem qui non habet, & habere cupit aut roget habentem, aut importunè flagitet, aut violenter rapiat; scintias violentis rapere oportet. *M. Ant. Nat. de pulch. lib. 5.*

Resolutionis tres sunt species, vna est à sensibilibus ascensio ad intelligibilia prima; altera ascensus per demonstrata & subdemonstrata ad indemonstrabiles, & sine medio propositiones; postrema ex suppositione ad principia, quæ minimè supponuntur. *Alcinous cap. 5.* Resolutio dicitur quasi repentina solutio, nam formæ rerum prius in ideas sunt solutæ, deinde in materia ligatæ, tertiò resoluuntur virtute Apollinis, & Saturni. *Fic. Plat. phileb lib. 1. cap 24.*

Respublica diuisio.

Reipublicæ species sunt, prima optimatum, cum viri optimi præsunt, secunda ambitiosa in qua fastu inflati homines dominantur, tertia popularis, quarta paucorum potentia, postrema tyrannica cunctarum deterrima. *Alcin. c. 33.* Respublica in tria membra diuisa est, in custodes, adiutores, artifices; primis principatum tradit, secũdis propugnationem postremis artes, & cætera ministeria: principes existimat philosophos contemplationi deditos esse debere. *idem, ibid.*

Respublica alia popularis, alia optimatum, alia paucorum; popularis est in qua agitur ad multitudinis imperium, cuius ius nutu leges describuntur, & omnes magistratus eligũtur; & quod pluribus videtur id cõmune omnium esse videtur. *Fran. Patr. de rep. lib. 1. tit. 4.* Reipublicæ tres ordines à Romulo instituti, Senatores, Patres, Patricij. *idem, ibidem. lib. 6. cap. 1.*

Rerumpublicarum Plato formas quinque, Aristoteles sex facit: ille regnum, tyrannidem, democratiam, oligarchiam, mixtam verò ab Aristotele positam negligit, sed in hoc differt, quòd ille confundit oligarchiam cum multorum administratione, hic distinxit. *Sebastianus Foxius in 4. Platonis de Republica.*

Reſpublica quid eſt.

Reſpublica eſt cœtus multorum hominum ad felicitatem per ſe ſufficiens, legitima multitudinis conſpiratio. *Speuſip. de Plato.defin.*

Reſpublica eſt diuturnum animal, quod nunquam occidit, niſi ſibi ipſi vim inferat, mortémque ſibi conciſcat. *Fran. Patricius de rep.lib.5.cap.5.*

Reipublica finis & inſtitutio.

Rempublicam inſtituit Plato, Cicero retulit, ille qualis eſſe deberet, hic qualis à maioribus inſtituta fuit. *Macrob. in ſom. Scip.lib.1.*

Reipublicæ Platonicæ exemplar in cœlo ſuſcipe, id eſt ordine cœleſtium motionum, altius in mente diuina, vt inde tandem ad ipſius imaginem te ipſum primò, deinde familiam, tertiò ciuitatem feliciter iuſtéque componas. *Fic.de Plat.de rep.dial.9.*

Reſpublica à Platone deſcripta reuera fuit apud antiquos Athenienſes, & Græcos, & Ægyptios ante diluuium. *Idem, in Plato.Timæum.cap.5.*

Reipublicæ munus Ariſtoteles in actione potius quàm in contemplatione poſuit. *Gabr. Buratellus de rerum communitato, lib.9.*

Rerum publicarum conſtituendarum cauſæ duæ communionis ſtudium à natura humano generi inſitum, & rerum ad vitam neceſſarium indigentia: alterum homines diſſociatos inter ſe conueniendi cupiditate copulauit, alterum ne diſſipati diu vellent ferarum ritu vagari cognito ſocietatis beneficio effecit: vtrumque eos conſeruat. *Sebaſt. Foxius præfatione in rempublicam Platonis.*

Rempublicam cùm Plato inſtituit, potius ſupponit quod optabat quàm explicat, quod in nobiliſſimis ciuitatibus rectè fieri arbitraretur; at in libris de legibus ſe demittit ad ea quæ magis popularia ſunt, & ex illa prima forma deriuata. *Iacob. Carpentarius in Alc.par.poſt.cap.26.*

Reſpublica vt bona, mala, quæ præſidentibus reipublicæ conueniunt.

Rempublicam conſiſtere poſſe negat Plato, niſi is qui imperitet habeat ſapientiæ ſtudium, aut is ad imperandum eligatur, quem eſſe inter omnes ſapientiſſimum conſtet. *Apule. de dogmate Platonis. lib.3.*

Reſpublica tunc rectè adminiſtratur, cùm vnaquæq; eius portio munere ſuo fungitur. *Alcin.cap.33.*

Reipublicæ gubernatori non eſt inutile, vt ſuperſtitione tanquam freno retrahat, & traducat plebem. *Plutar. de vrbe Thebis & Soc. Damone.*

Reipublicæ moderator multiplex eſſe debet, & multiformis, alius in pace, alius in bello, aliter ſe paucis, aliter ſe multis opponens aduerſariis, contra paucos conſtanter agens, multos flectens perſuaſionibus; idem vbi periculum publicum poſtulat ipſe rem agat, miniſteria verò quæ labore tantum indigent cedet aliis. *Philo de Ioſeph.*

Reipublicæ gubernacula ſenioribus debentur, qui & ſcientias ſpeculatiuas & experimentum adepti ſunt. *Auer. in remp.Pla. tract.1.* Reipublicæ corruptæ iudicium eſt medicis, & iudicibus opus eſſe, quibus non eſt opus niſi ob neceſſitatem, & ob aliud in nullo ſunt honore. *idem, ibid*

Reipublicæ prima cura in curanda iuuentute conſiſtit. *Fic. in Plato. Lachetem.*

Reipublicæ præcipuus finis eſt Dei contemplatio & cultus. *idem, in Plato.de rep dial.1.* Reſpublica bona & optimè inſtituta, nec multis ab initio legibus indiget, nec quotidianis inſtitutionibus ei opus eſt; malæ verò in quotidiana per nouas leges curatione verſantur, nunquam verò benè valent. *in Pl.de republica dial. 4.*

Reipublicæ ditioribus gubernacula tradere, perinde eſt ac ſi nauis non peritiori in nauigando, ſed locupletiori gubernanda tradatur. *Fic. in Plato.de rep.dialog.8.* Reſpublica felix eſſe nequit, nec leges bonæ, priuſquàm in gubernature potētia vnà cum ſapientia temperantiáque concurrat. *Idem, in Plato de leg.dial.4.* Reſpublica optima ea erit, cùm in idem cum ſapientia & temperantia in homine inciderit maxima potentia. *Gab.Buratellus de rerum commu lib.9.*

Reipublicæ bene moratæ felicior eſt vita, & tutior quàm principis cuiuſcunque. *Franciſc. Patricius de republica, lib.1.*

Reſpublica optima eſt, quæ ex omni genere hominum commixta eſt. *idem, ibid.*

Reſpublica optima eſt in qua non plures aut ſinguli, ſed lex dominatur, æqualitas enim inter ciues ſocietatem eiuſdem ſtabilem reddit. *ibid.cap. 5.*

Reipublicæ qui præſunt fidem ſeruare debēt: nil enim turpius quàm fidem fallere. *Franc.Patr.de republica, lib.3.cap.1.*

Reipublicæ qui præeſt, longè magis peccat exemplo, quàm culpa. *Idem, de rep.lib.7.cap.5.*

Reſpublica ſe malè habet, in qua ciues liberè loqui non poſſunt. *idem, de rep.lib.6.cap.5.* Reſpublica optima inſtitueretur, ſi ex Platonis republica auferretur communitas vxorū, & bonorum, ac munera publica paria viris cum fœminis, & Ariſtoteli religionis cura addatur. *Sebaſt. Fox. præfatione in rempub.Platonis.*

Reſpublica vt popularis.

Reſpublica popularis plerunque ex ſortibus principatus diſtribuit. *Plat.de repub.dial.8.* Reſpublica popularis videtur pulcherrima omnium rerumpublicarum eſſe, vt pallium varium omnibus floribus variegatum, ita ipſa omnibus moribus variata pulcherrima videtur. *idem, ibid.*

Reſpublica popularis hoc habet, vt qui ciuitatem condere vult in popularis dominij ciuitates proficiſcatur, & quicunque ipſi placuerint mores eligat, velut ad nundinas rerumpublicarum profectus, atque vt elegit ciuitatem condat; in hac nulla neceſſitas eſt vt principatum geras etiamſi idoneus ſis, nec ſubditus ſis, ſi non velis, nec vt bellum geras aliis gerentibus, nec pacem agas aliis agentibus ſi pacem nō cupis; & ſi qua lex prohibeat te principatum gerere, aut iudicem eſſe, nihilominus & principatum geras, & iudex ſis, ſi tibi ita videtur; & eſt manſuetudo quædam homines ſcilicet mortis, aut exilij damnatos, manere nihilominus, & in medio verſari. *Plato de repub.dial.8.*

Republica in populari, nec leges ſcriptæ, nec non ſcriptæ curantur, quo nullus vſquam ipſis dominus ſit. *Plato de repub. dial.8.* Rempublicam popularem morbus idem vexat qui in paucorum principatu ortus perdidit ipſum, etiam in hoc amplior, & fortior ea licentia ortus populare dominium in ſeruitutem redigit; & reuera nimium facere, mutationem in contrarium viciſſim inducere ſolet, in temporibus, in ſtirpibus, & in corporibus, & ſanè etiam non minimè in rebuſpublicis. *idem, ibid.*

Rempublicam popularem quod decernit bonum inexplebilis cupiditas, & hoc diſſoluit, nam libertas decernit, & libertatis inexplebilis cupiditas, & aliorum negligentia hanc rempublicam tranſmutat, & efficit vt tyrannide opus habeat. *Plato de republica, dial.8.* Republica in populari pater aſſueſcit vt filio ſimilis fiat, & filios timeat, filius, vt patri par ſit, neque reuereatur, nec timeat parentes, quo liber ſit, inquilinus vrbano, vrbanus inquilino adæquetur, & hoſpes eodem modo, & doctor diſcipulos timet, & eis blanditur, & diſcipuli doctores contemnunt. *idem, ibid.*

Reſpublica popularis eſt prima quæ vrgenti neceſſitate orta eſt, nam mortales vbi neceſſarium nacti ſunt, tum voluptates quærunt, & hic neceſſitatis profectus eſt. *Auerroes in rempublicam Plato.ſerm 3.*

Reſpublica vt paucorum.

Reipublicæ tertia ſpecies eſt paucorum principatus. *Plato de republica, dial.8.* Reſpublica paucorum eſt illa in qua diuites imperant, pauperes principatum non participant. *idem, ibid.*

Reſpublica paucorum hæc peccata habet, vt duæ ſint ciuitates, altera pauperum, altera diuitum, & quod inuicem ſemper inſidias ſtruant, & ad bellum impotentes ſunt, nam ſi vtuntur multitudine armata ipſam magis formidant, quàm hoſtes; aut ſi non vtantur, reuera paucorum principes in ipſa pugna videri, & ſimul pecunias conferre nollent, cùm pecunias ament, & multis negotiis ſe implicant, & agriculturam exercent & lucro ſtudent, & bella gerunt, & licet, cuiuis ſua omnia vendere, & alij quæ illius fuere poſſidere, & illum qui vendidit in ciuitate habitare, vt nulla ciuitatis pars ſit. & vt in examine apum fucus eſt apum morbus, ſic in domo fucum eſſe morbum ciuitatis, & in ciuitatibus in quibus ſunt pauperes ſunt etiam fures, crumeniſecæ, ſacrilegi, & omnium malorum authores. Exputandum eſt etiam ex his eſſe multos maleficos, qui ad rempublicam admittuntur, quos diligentiā violenter cohibent principatus, & fortè plura mala ſunt. *Plat.de repub.dial.8.*

Rempublicam paucorum conſtituebat collectio diuitiarum ingentium; & hunc ſtatum inexplebilis cupiditas, & aliorum ſtudiorum negligentia ob quæſtus ſtudium ipſum perdit. *Plato de repub dial.8.*

Reſpublica quæ ex optimatibus conſtat, plena eſt amicitiā, vt popularis ſtatus plenus adulatione. *Max.Tyr.ſer.4.*

Reſpublica optimatum eſt in qua optimates rerum potiuntur ſoli, qui in ciuitate cum virtute degunt, & qui optimi ſunt rempublicam adminiſtrant, nec multitudinis fauor, nec diuitiæ, aut nobilitatis gloria opitulatur, ſed ſola honeſtas illos ad magiſtratus ac dignitatem prouehit, *Franciſc. Patricius de repub.lib.1.cap.4.*

Respublica vt ambitiosa.

Respublica ambitiosa est media inter optimatum, & paucorum principatum: imitatur optimatum rempublicam in eo quòd honorat principes, & quod in bello propugnatores ab agricultura, & manuum opificiis, & reliquo quæstu abstinent, & quòd comessationes parat, & gymnasticæ & bellicorum certaminum curam gerit. At in eo quod formidat sapientes ad principatus vehere, vt quæ non simplices, & attentos & huiuscemodi viros habet, sed mixtos, & quod ad animosos, & simpliciores declinat, qui ad bellum magis quàm ad pacem à natura idonei sint, & quod circa hæc dolos, & fraudes in honore habet, & perpetuo bellum gerit, pleraque huiuscemodi sibi propria habebit, cupidi tales erunt pecuniarum, vt illi qui sunt in paucorum statu: & præ tenebris thesauros honorabunt vt qui thesauros domesticos, & ærarja habent, quo reposita illa occultent, & ambitus, & cancellus circum domos, verè nidos proprios in quibus in mulieres, & alios quos volunt magnos sumptus faciunt: parci in expendendis pecuniis erunt, vt qui illas honorent, & non apertè possideant, & aliena cupidè consumeant, & voluptatibus occultè fruentur, legem, vt pueri patrem fugientes, non à persuasione, sed à violentia eruditi, quia veram musam cum dicendi facultate, & philosophia coniunctam neglexerint, & Gymnasticem solemnius honorarunt: & in ipsa vnum lucidissimum est ab animi impetu concitati imperia, contentiones, & ambitiones: in summa respublica hæc est mixta ex bono, & malo. *Plato de rep. dial. 8.*

Respublica ambitiosa mutatur in paucorum principatum, nam ærarium quod vnicuique auro plenum est, talem rempublicam perdit, nam primò sumptus ipsius sibi ipsis exquirunt, & ad hoc leges trahunt, quibus nec ipsi, nec ipsorum vxores obediunt, & dum alius ad alium respicit, & æmulatur, multitudo ipsorum talis efficitur; & hinc ad quæstum faciendum progressi quantò hoc honoratius, tantò virtutem magis ignominiosam ducunt. & ita virtus a diuitiis in diuersas partes abit, vt si in libræ trutina vtrisque positis semper in contrarium repant, & dum diuitiæ, & diuites honorantur, virtus, & boni contemnuntur. quod in honore est id exercetur, quod ignominiosum ducitur, negligitur: proinde ex contentiosis, & ambitiosis viris lucri studiosi & pecuniarum amatores fiunt, diuitem laudant, & admirantur, & ad principatus euehunt, & pauperem contemnunt, & ignominia afficiunt, & leges statuunt vt ad principatum non perueniat cuius bona non ad statutum censum se extendunt & hæc vel armis vel metu transigunt, & rempublicam constituunt. *Plato de repu. dial. 8.*

Respublica vt mutatur, & quæ magis durabilis.

Rerumpublicarum transmutationes de quibus agit Plato non sunt necessariæ, sed vt frequentius accidunt. *Auerroes in rempublicam Platonis, tractat. 3.*

Reipublicæ beatæ permutandæ non debuit Aristoteles propriam exigere causam, cùm nulla sit propria, sed communi debuit esse contentus. *Ficin. in Plato de repu. dial. 8.*

Rempublicam nil magis conseruat quàm ciuium æqualitas *Franc. Pat. de repub. lib 6 cap. 3.*

Respublicæ ferè omnes viuunt, crescunt, incolumes sunt, quãdiu à seipsis manus abstinent. *idem, ibid. lib. 5. tit. 5.*

Respublica omnis ex mutatione imperij mutatur quando mutatã forma cuiusuis rei ipsam mutari necesse est, & id quod reipublicæ formam facit est reipublicæ ratio, qua mutatã mutatur & respublica. *Seb. Foxius in 8. Plat. de repub.*

Respublicæ mutantur, quia homines aliqui sic à natura sunt affecti, vt nulla institutione emendari possint, qui si in eam vt fieri potest rempublicam incidant, ipsam sine dubio corrũpunt. *idem, ibid.*

Respublica vt Atheniensis, & Arabum, & vt se habet ad res familiaras.

Respublica Atheniensis optimatum erat cum multitudinis approbatione. *Plato in Menex.*

Respublica Atheniensis æqualitatem secundùm legem quærebat, & nulla alia de causa quàm ob virtutis, & sapientiæ opinionem inuicem concedebant. Vnde in omni libertate pulchra facta & publicè & priuatim perpetrarunt. *idem, ibid.*

Respublica Arabum antiqua in administratione rempublicã Platonis imitabatur, sed secuta est Mahameti temporibus ambitiosa commutatio. *Auer. in Plat. Remp. tract. 3.*

Respublica, & res familiaris in plerisque conuenit. *Franc. Patricius de republica, lib. 4. cap. 2.*

Rerumpublicarum mutatio.

Respublica illa manere nequit, & subuerti oportet, in qua facta iudicia nihil virium habent, sed à priuatis irrita fiunt, & corrumpuntur. *Plato in Critone.*

Respublica omnis mutatur ex ipso quòd principatum gerit, cum in hoc ipso seditio orta fuerit, vbi verò consenserit, etiamsi exiguum valde fuerit, fieri nõ potest vt mutetur. *idem, de Republica, dial. 8.*

Respublicæ mutatur ex paucorum principatu in populare dominium, quia proposito bono expleri non possunt, eo videlicet, vt ditissimi fiant eo quòd principes in ipsa qui dominantur, quia multa possident, lege prohibere nolunt iuuenes prodigos, vt non liceat ipsis consumere ac perdere bona sua, quo ea quæ illorum sunt emant, & ad vsuram mutuò tradant, & honoratiores fiant & ditiores; & dum negligunt hæc, prodigè viuere sinunt, & non in generosos homines pauperes fieri cogunt, qui postea victoria potiti diuites aut occidunt, aut eiiciunt. *Plato de Republica dial. 8.*

Rempublicam priusquam mutari sinat vir bonus, debet omnia prius sustinere, & prius pro ciuitate mori. *Plato de legibus, dial. 6.*

Rerumpublicarum gubernatio.

Reipublicæ gubernatores adolescentes primò curare debent, vt agricola plantas nouellas. *Plato in dial. de sancto.*

Rempublicam videtur ferè ab ipsis laribus affligere incepisse qui virum probum iniuriã afficere aggreditur. *idem, ibid.*

Rempublicam qui administrant paucis exceptis inerudit videntur. *in Alcib. prima.*

Reipublicæ non est prius accedendum quam homo didicerit. *ibid.*

Reipublicæ, si felix esse debes, non potentia sed virtus paranda est. *Plato in Alcibiade primo.*

Reipublicæ consiliarium optimum & sibi ipsi, & sapientem dicimus illum cui optimi, scientia affuerit, qui verò hoc non præstat, vice versa. *idem, in Alc. 2.*

Rempublicam, aut domum rectè gubernare nemo potest, nisi temperanter & iuste gubernet. *de virtute.*

Reipublicæ princeps, & custos is eligendus qui semper, & dum puer est, & dum adolescens, itémque vir, examinatur, & integer, & incorruptus euadit, & honores ipsi & viuo & mortuo contribuendi, ita vt & sepulchrorum, & aliorum monumentorum maximos honores consequatur: qui verò talis non est, is reprobandus & explodendus est. *Plato de republica, dial. 3.*

Rerumpublicarum mores prius considerandi sunt quàm hominum, quia euidentiores sunt. *idem, ibid. dial. 8.*

Respublica secunda post distributionem domorum, & agrorum debet conseruare numerum, vt quot sunt foci tot semper sint, nec plures nec pauciores, quod hoc modo fieri potest, vt cui sors obtigit vnum solum semper ex filiis suis hæredem domus suæ relinquat, quem maximè ipse relinquẽdum censuerit successorem, & deorum cultorem, & generis & ciuitatis, tum viuentium, tum eorum qui iam eo tempore ad finem peruenerũt, reliquos aliis sic curabunt. Fœminas secundum legem constituendam locabunt, masculos his ciuibus, qui filios non habent in filios adoptandos dabunt, & hoc maximè quidem ex gratia; at quibus gratiã defuerit, aut plures successores nascuntur singulis, siue fœminæ siue mares, aut contra pauciores si sterilitas adsit, de in magistratus quem maximum, & colendissimum constituerimus diligenti habitã consideratione quid cum redundantibus, aut his quibus desunt facere oporteat, artem exquirat, vt quàm maximè quinque millia, & quadraginta domus solum maneant: nam sunt multæ artes ad hoc, potest enim & generandi facultas cohiberi in his in quibus ea ampla est, & contra studio & cura multitudo sobolis prouocari potest honoribus, ignominiis, & admonitionibus senum prouocari iuuenes, sin non potest est emissio coloniarum, at si incidunt mala vt diluuium morborum, & bellorum pernicies vt multò pauciores fiant; vltro quidem admittere non oportet in ciues spuria institutione educatos: at necessitatem neque Deus cogere posse dicitur. *Plato de leg. dial. 5.*

Rempublicam omnia in communi habere maius est quàm præsentis sæculi educatio, & institutio sustinere possit *Plato de leg. dialog. 5.*

Respublica quæcunque suas voces id est leges edit & ad Deos, & ad homines, & actiones ad vocem sequentes addit, ea semper floret, & conseruatur: vbi aliam imitatur corrumpitur, *idem, ad Perdic. ep. 5.*

Rempublicam maximè quando necessitas postulat gubernarẽ optare à bono viro alienum non est. *idem, epist. 7.*

Respublica omnes malè gubernabantur, nam leges in ipsis ferè incurabili modo affectæ sunt, & absque admirabili quadam constructione vnà cum fortuna, & dicere coactus sum, dum rectam philosophiam laudarem, quod ex hac, &

publica, & priuata omnis iustitia consideranda est, & humanum genus non fore liberum prius à malis, quàm aut eorum qui rectè, & verè philosophantur genus ad ciuiles magistratus perueniat, aut potentium in ciuitate genus ex diuina quadam sorte reuera philosophetur. *Plat. epist. 7.*

Rempublicam rectè administrare non est facilè, neque enim absque amicis viris, & fidis sodalibus administratio fieri potest, quos neque præsentes reperire facile est. *Plat. epist. 7.* Rerumpublicarum formę à formis proueniunt animorum. *Ficin. in Platon. de republica, dial. 8.* Rebuspublicis magnæ clades acciderunt ab iis qui magno ingenio, & naturæ dotibus instructo erant prædici, præsertim qui his naturæ dotibus literarum cognitionem addiderunt. *Iacob. Carpentar. in Alcin. cap. 1.*

Respublica quot dicatur modis.

Reipublicæ formæ septem: ex vnius principatu regium, & tyrannicum, ex paucorum optimatum dominium, & paucorum imperium: ex multorum, & secundùm leges, & præter leges; quæ diuisio inseruit vt causas interitus rerumpublicarum cognoscamus, & præterea optima illa. *Plato de regno.* Reipublicæ forma ex vno magistratu, qui bonis præscriptis quas leges appellamus est coniunctus, optima est ex omnibus aliis; sine lege autem grauis, & sub eo, vt quis vas onerosissimos; & paucorum principatus medius inter vnum & multitudinem. *idem, ibid.*

Rerumpublicarum quinque sunt modi, vt & animæ sunt quinque. *Plato de repub. dial. 4.* Respublicas à nobis institutas bifariam cognominari licet: si vnus vir excellēs inter principes fuerit, regnum, si plures, optimatum imperium appellari conuenit. *idem, ibid.* Reipublicæ prauæ quatuor sunt species prima ambitiosa, secunda paucorum, tertia popularis, quarta tyrannis extremus ciuitatis morbus. *ibid. dial. 8.*

Rerumpublicarum duæ sunt velut matres, ex quibus alias natas esse si quis dicat, rectè dixerit, & alteram vnius principatum appellare, alteram populare dominium rectum est. Ambarum harum oportet, & necessarium est vt particeps sit ciuitas, siquidem libertas, & amicitia cum prudentia in ea esse debent. *Plato de leg. dial 3.* Respublica semper debet esse in medio inter eam in qua vnus dominatur, & in qua populus dominatur. *idem, ibid. dial. 6.* Reipublicæ species sunt, aliæ popularis dominij, aliæ paucorum, aliæ vnius imperantis. *idem, epist. 5.* Reipublicæ negotiis temerè se implicare non est prudentis, præsertim vbi spes nulla salutis est. *epist. 7.*

Respublica quid est.

Respublica est educatio hominum, pulchra bonorum, contraria malorum. *Plat. in Menexem.* Reipublicæ Platonicæ in terris non est exemplar, sed fortassis in cœlo. *idem, de repub. dial. 9.* Respublica secunda est, in qua non omnia communia fiunt, sed distributio agrorum & domorum fiat tali quodam consilio, vt cui hæc portio sorte obtigerit, communem vniuersæ ciuitati putet, & quum patria sit regio, colat ipsam maiorem in modum quàm filij matrem. *de leg. dial. 5.*

Respublica prima est illa in qua omnia, vt in prouerbio est, amicorum communia sunt, hoc si alicubi est, aut erit, vt communes sint vxores, liberi, pecuniæ, & opes omnes, & omni studio id quod proprium dicitur ex omni vita vndique exemptum est, & curandum vt etiam communia quodammodo sint ea quæ naturâ propria sunt, vt scilicet oculi, manus, & aures communia videre, facere, & audire se putent, vt eadem omnes vno ore laudent, & vituperent, de iisdem gaudentes, & dolentes, & his præsertim legibus quæ possint, quantum fieri possit, vnam facere ciuitatem; horum ad virtutem excellentiâ nemo vnquam rectiorem, aut meliorem terminum statuet, si alium statuet. Talis itaque ciuitas est, siue dij siue deorum filij plures vno in ipsa habitant, sic degentes in delitiis viuunt: & hinc reipublicæ exemplum sumere debemus. *Plat. de legib dial. 5.*

Respublica omnis nostra pulcherrimæ, & optimæ vitæ imitatio est, quam nos reuera verissimam tragœdiam esse asserimus: ideò tragœdiæ non sunt admittendæ nisi à magistratibus meliores sint iis quæ nos facimus. *Plato de leg. dial. 7.*

Respublica vt recta, bona.

Respublica sola insigniter recta est in qua quia inueniat principes reuera scientes, & qui non solum sibi scire videantur, siue secundùm leges, siue sine legibus imperent, & volentibus, aut inuitis, aut pauperes, aut diuites, quandiu scientiâ, & iustitiâ vtentes, ac seruantes, ex deteriore meliorem ipsam pro viribus efficiunt, siue occisis aliquibus, siue eiectis, siue in coloniam eductis, vt apum examina emissis meliorem illam fecerint, siue superinductis auxerint; alias autem nec dicuntur, nec reuera sunt legitimæ respublicæ. *Plato de regno.*

Respublica recta circa vnum & paucos quærenda est, reliquæ imitatrices sunt. *Plato de regno.*

Respublica id facere debet, vt nemo quicquam in ciuitate contra leges facere audeat, & si quis audeat is morte mulctetur, & omnibus externis supplicijs affligatur. *idem, ibid.*

Respublicæ si rectam rempublicam imitari velint cùm leges præscriptæ sint, nunquam quicquam facere debent præter præscripta & patrios mores. *ibid.*

Respublica diuitum si veram artem reipublicæ imitantur optimatum dominium appellatur, cum leges non curat paucorum potentia, & cùm vnus princeps secundùm leges regens sciens & rex appellatur. *Plato de regno.*

Rerumpublicarum optima est quæ ex omnibus alijs rebuspublicis eligenda, vt Deus ex hominibus quæ ab vno regitur sapiente, & probo: in alijs si legibus viuunt, pessima est multorum; si præter leges optima multorum. *idem, ibid.*

Respublica optimè ab vno regitur sapiente & probo: sed cùm hic inueniri non possit vt in apum examine qui statim, & corpore, & anima vnus præ alijs insignis sit, oportet in congregatione congregatos præscripta facere, & sancire verissimæ reipublicæ vestigiâ persequentes. *Plato de regno.*

Respublicæ multæ vt nauigia ob gubernatorum, & nautarum improbitatem pereunt & peribunt. *idem, ibid.*

Rerumpublicarum participes, excepta quæ recta, & cum scientia est, ab hac recta separandi sunt, vt qui non sint viri ciuiles, sed seditiosi, & maximorum simulachrorum præsides, & ipsi tales simulachra, vt qui maximi sint imitatores, & maximi præstigiatores, & sophistarum sophistæ. *Plato de regno.*

Rempublicam, & animam rectè viuere volentem optimi scientiam acquirere oportet, non aliter quam æger medicum, & qui nauigare vult gubernatorem, & tātò magis si anima impetu fertur, nam absque hac scientia, aut circa pecunias acquirendas, aut corporis robur, aut quid huiusmodi, tāto maiora ab ipsis committi peccata necesse est: qui verò multarum rerum cognitionem, & multarum artium scientiam adeptus est, & huius scientiæ expers est, ita se habet, vt qui absque gubernatore in pelago est. *Plat. in Alc. 2.*

Respublica felix erit, si philosophi regnabunt, aut reges philosophentur, & in idem ciuilis potentia, & philosophia incident, alioqui nulla respublica erit felix. *Idem, de rep. dialog. 5.*

Reipublicæ perfectam formam difficile est è suo statu mouere: verùm cùm omne, quod genitum est corruptioni sit obnoxium, talis etiam constitutio semper manere non poterit, sed soluetur, & hæc solutio non solùm est circa plantas, sed terrena etiam animalia, in quibus fertilitas, & sterilitas animæ, corporúmque contingit, cum conuersiones vniuscuiusque circulorum circumuolutiones concluderint, his qui breuis sunt vitæ breues ambitus contrarijs contrarij. *Plato de rep. dialog. 8.*

Reipublicæ status optimus vbi in deteriorem mutatur ob seditionem, vtraque genera & ferreum & æneum, ad quæstum faciendū, & ad agros, & domum, aurum, & argentum sequirendum trahunt: at aurum, & argentum cum paupertate non premantur, sed naturâ sint opulenta, ad virtutem, & pristinum statum animas ducunt: dum autem violenter agunt, & inter se depugnant, tandem in medium consentiunt, & agros, & domos in priuatam possessionem distribuunt eos verò qui prius custodiebātur ab ipsis velut liberi, amicique, ac alumni, tunc in seruitutem redactos velut vicinos, & famulos habent, vt belli, & custodiæ illorum curam gerant: & hoc in medio optimatum, & paucorum imperij erit; partímque priorem rempublicam imitabitur, partim paucorum principatum, vt quæ in medio consistit, partim etiam propriū quid habebit. *Plato de repub. dial 8.*

Respublica optima, & optimarum legum ortum cōtingit, quādo cum sapientia & temperantia in homine inciderit maxima potentia, aliter nunquam fieri poterit. *Plato de leg. dia. 4.*

Respiratio fit; cùm nihil vacui in natura sit dum influit, & attrahitur aer pro eo qui per oscula visui non parentia diffluit, per quæ etiam mador, & sudor apparet, sed & aliquid de ipso à naturali calore consumitur. *Tim. Locr. de anima mundi, & nat.*

Respiramus hoc pacto: aer amplus circonstans vndique per os, & nares cæterósque latentes meatus corporis influit, calefactus inde ad externum cognatúmque aerem resilire nititur, qua verò parte effluxit, externum aerem ad interna repercutit, & hoc circulo nunquam cessante inspiratio & expiratio sequitur. *Alcinous cap. 21.*

Responsio securissima ad absurda euitanda, quod quidquid maius est magnitudine maius, & quidquid minus est paruitate minus, & sic de omnibus. *Plato. in phædone.* Responsio prompta potius esse debet quàm nimis cunctari. *in Theæteto.*

Resurgent

Resurgent mortui,& viuentes fient,& bonis melius erit, malis deterius. *in phæd.*

Resurgere mortuos Plato ait, *Ficin. in Platonis Phædonem.*

Resurrectio Heri Pamphilij, pro salute patriæ in prælio mortui, historia fuit, vt vult Iustinus Platonicus, matyrque Christianus. *idem, in Plato. de republica. dial.* 10.

Reges.

Reges omnes manibus,& vniuerso corpore parum ad conseruandum principatum possunt, si ad animi prudétiam ac robur collatio fiat. *Plato de regno.*

Rex solus est pastor gregis humani. *idem, ibid.*

Rex, & ciuilis vir reuera est qui habet artem voluntariam, & voluntariorum bipedum animantium gregariam nutricem. *ibidem.*

Regi in Ægypto non licet imperare absque sacerdotio, sed si quis ex alio genere regnum susceperit, necesse est cum sacerdotum genere initiari, *ibid.*

Regibus liberi homines, qui sese vltro in ministerium offerũt, sunt qui agriculturæ ac aliarum artium opera transuehunt, & inter se commutant partim in foro, partim de ciuitate in ciuitatem transeuntes, per mare, per terras,& alia pecunijs, alia rerum permutatione distrahentes, quos argenti permutatores,& mercatores,& naucleros, & caupones cognominauimus, præconum genus, & qui litterarum sapientiã præditi inseruiunt, & alij quidam præstantes in eo vt multa alia circa principatus elaborent, & qui interpretentur, & circa vaticinationem scientiæ alicuius ministrę partem habent,& sacerdotum genus, vt nostra dona per sacrificia dijs prout illis placet offerant, & ab illis bonorum adeptionem precibus nobis impetrent. *Plato in dialogo de regno.*

Rex dicitur si quis sciens vnus imperat. *Plato de regno.*

Rex minimum abit à vera voluptate, ideò iocundissimè viuit. *idem, de republica, dialo.* 9.

Regi ò viro diuino & sapiente melius est vnicuique. *ibid.*

Reges constitui debent ita vt leges dominentur tum alijs ciuibus, tum ipsis regibus, si quid iniquè fecerint. *idem, epistola octaua.* Rex est imperans secundum leges, nulli subiectus, irreprehensibilis, ciuilis ordinis institutor. *Speusip. de Plat. definitionib.*

Regis officium est iubere quę oportet fieri, vetare à quibus abstineri decet, quæ ad legem pertinent: vnde sequitur, vt rex animata sit lex, & lex sit Rex iustissimus: ideò qui rex & legislator est, debet non solùm humani, sed etiam diuini iuris peritus esse, non enim sine diuina prouidentia regnum bene administratur, ex subditorum vtilitate. *Philo de vita Moysis libr.* 2.

Regem ciuilem vocat Plato, significans adeò humanum & mitem esse debere, vt inter ciues videatur concivis esse, prudẽtia, iustitia, cura, potiusquam alio quouis excessu superior. *Fic. in Plat. de reg.* Rex vnà cum senatu leges cõdere debet, quas cuiquam non liceat priuato transgrẽdi, vel vulgo mutare, sed regi senatuique pro temporum opportunitate quatenus expediat simul diligẽti cum ęquitate & rebus ipsis accommodare, & temporibus, & si oportuerit permutare. *idem, ibid.*

Rex sacer esse debet, sacerdos constitui sacrorum ministeriorum antistes, nec iudicijs, vbi de cæde, exilio,& carcere agitur, interesse. *Fic. in Plat. de reg.* Rege Saturno contemplatio significatur, Ioue actio. *idem, ibid.* Regem in terris non esse docet Plato nisi vel in cœlo, vel in terris eum quem velut pastorem cœli ex nobis ipse præfecerit, pastorem inquã non nomine solùm, sed vitæ similitudine ipsum cœli regem pro viribus referentem. *ibid.*

Rex vniuersalem apud homines prouidentiam gerit, sed philosophus ampliora etiam contemplatur. *Ficin. in Plat. Phædr. cap.* 24. Rex apud Platonem sæpe significat ipsum bonum, causa mentem, dux animam. *idem, epist.* 6.

Rex cosmographiam & geographiam discere debet. *Franc. Patric. de regno lib.* 3. *cap.* 14.

Regum, & principum comites primos esse doctos ac sapientes viros, qui & consilio & authoritate adiuuant, & regiam dignitatem illustrant. *idem, de regno, lib.* 1. *cap.* 5. Reges à Deo sunt petendi precibus,& sacrificijs. *ibid cap.* 11.

Rex fortis esse debet, non tamen audax & ferox, & quasi vitæ suę prodigus & contemptor. *Franc Patric. de regno, lib.* 2. *cap.* 1.

Regis proprium munus est iustitia. *idem, ibid.*

Rex omnibus communis lex esse debet, singulos ciues summa pietate complecti debet, & humanum cunctis se facilem præstare,& illorum consuetudine delectari. *ibid.*

Rex est custos boni,& ęqui,& quasi ius animatum. *Franc. Patric. de regno, lib.* 2. *cap.* 3.

Rex prudens maiorum suorum vestigia qui rectè ambulauerunt,& eorum iudicia sibi imitanda proponit. *idem, ibid.*

Reges nihil magis populis suspectos reddit, quàm durũ imperium eorum qui per vim ac iniuriam dominantur. *ibid.*

Rex non per solam virtutem, quæ omnia animi bona abundãter suppeditat, felix planè esse potest, sed & corporis & fortunę bonis eget, vt perfecto maiestatis munere fungi possit. *ibid. cap.* 4.

Rex legere debet summa diligentia bonos oratores,& cùm ad exteros, vel alios principes loqui oportet non ex temporanea, sed meditata oratione loqui debet, ne cogatur cùm rem diligentius cogitauerit, aut verba sua redarguere, aut sententiam mutare, quorum alterum imprudentiæ, alterum leuitatis esse videtur. *Franc. Patric. de regno. lib.* 2. *cap.* 10. Regis oratio breuis, lucida, iucunda esse debet, cum verborum põdere & sententiarum grauitate. *idem, ibid. cap.* 11.

Regis exercitationum omnium præcipua est equitandi ratio. *Franc. Patr. de reg. lib* 2. *cap* 2.

Regem ita à teneris annis instituere debemus, vt sciat se ad animi fortitudinem, corporisque robur parari, non autem ad delicias, illecebras, & voluptates, quibus animus effœminatur & torpet, corpus lãguescit,& omni ex parte eneruatur. *idem, ibid. lib.* 3. *cap.* 3.

Rex nandi vsum discere debet. *ibid. cap.* 4.

Rex agrorum,& hortorum exercitationem habere debet. *ibidem. cap.* 8.

Rex in otio nullam honestiorem exercitationem habere potest, quàm eam quæ crebris sermonibus cum optimis & eruditis viris agitur. *Franc. Patric. de reg. lib* 3. *cap* 13.

Reges legere debent libros illos in quibus præcepta regibus, ac ducibus traduntur, nam doctissimi illi viri ea scripserunt, quæ nemo vnquam regibus dicere auderet. *idem, de reg. lib.* 4. *cap.* 2.

Rex ciuibus placere studeat, sed videat ne nimia facilitate mollis, leuis, ac inconstans esse videatur *ibid cap* 6.

Rex continens sit, nihil corporeis voluptatibus illectus præter rationem agat, legitimo connubio contentus sit. *Franc. Pat. de reg. lib.* 4. *cap.* 11 Regis animus metuere non debet, sed omni perturbatione carere debet. *idem, lib.* 5. *cap.* 1.

Rex ille beatus est qui præsenti fortuna contentus nil vlterius immoderatè appetit, & potius regnum suum seruare vult quàm alienum inuadere. *de reg. lib.* 7. *cap* 6.

Rex videre debet cui se credat,& ei quem læserit nunquam se permittat. Reconciliatæ amicitiæ fides semper est lubrica. Libata pocula à fidissimis ministris hauriat,& cibum exploratum diligenter, & à pluribus prægustatum accipiat, nihil satis tutum à veneno patet, nunquam enim nisi à familiaribus miscetur toxicum. *Franc. Patric. de regno, lib.* 6. *cap.* 9. Rex nemini se tam familiarem præbeat quin possit ei sine periculo succensere, & sine rerum mutatione, deterrimi enim consilij est amicos ad parem vsque potentiam efferre. *idem, lib.* 7. *cap.* 9.

Rex optimos mores & artes probet, exagitet verò deterrimos, curet ne ciues iniuria afficiantur, propulset eis ab alijs illatas,& vlciscatur. *Franc. Patric de reg. lib* 8. *cap.* 4.

Rex videat ne corruptela malę consuetudinis in vrbes irrepat, quæ inducit vitia,& virtutes omnes abigit. *idem, ibid.*

Rex cum his ab ineunte ætate conuersari debet qui conseruãdi & augendi imperij rationem habent. *ibid. cap.* 11.

Rex est quasi theatrum, in quo omnium virtutes probentur, vitia verò explodantur. *Franc. Patric. de reg. lib.* 9. *cap* 6.

Regum consultoribus non est inuidendum, fit enim plerunque vt principes secunda quæque felicitati suæ tribuant, aduersa consilijs, vnde totius est dicto aliorum parere, quàm consilium afferre. *idem, ibid. cap.* 8.

Regum ac principum magnas res sępe numinibus ac cœlo teste præsagiri certum est. Sed Cæsaris statua ante pharsalicam pugnam palma enata est, victorię signum. Octauio Romam intrante post Cęsaris mortem tota die stella cum Sole visa est, quæ iudicauit felicissimum eum fore. Philippo macędone Græciam inuadente cœlum sanguinea specie horrendum apparuit. *Franc. Patric. de reg. lib.* 9. *cap.* 9. Regibus in rebus arduis ac aduersis ciues omnes certatim adesse debent, & suum studium, & operam polliceri. *idem, ibidem. cap.* 16.

Regibus in rebus prosperis ciuium præsentia iucunda est. *Fr. Patr. de reg. lib.* 9. *cap.* 17. Rex post vitæ cursum de successore cogitare debet,& ea se sobolem similem facere, vt non decessisse videatur, sed factus iunior, quod si minus idoneum ex se genitum cognouerit, Alexandri Magni exemplum imitetur, qui ab amicis interrogatus, quum iam deficeret, quem imperij hæredem institueret, dignissimum respõdit. *Franc. Patric. de reg. lib.* 9. *cap.* 22.

Reuelatio est quoties ignorantibus sortem futuram imminentis exitus secreta panduntur. *Chalcid. in Plat. Tim.*

Reuelatio, & visio differunt, quia visio omnis reuelatio nuncupatur, non è contra; & reuelatio de ambiguis sæpe dicitur, vt ait Syrus Isaac; at ipse reuelationem bifariam partitus fuerim, vt aliud sit quid apparitiones, visiones, aut futuræ notæ significent intelligere, aliud nosse vtrum vera sit, & à Deo, an falsa, & à dæmone suggesta, *Io. Franc. Pic. Miran. de prænotion. lib. 1. cap. 1.*

Reuelatio probanda est si constans, si sacris consona libris, si ad honorem Dei, & hominum salutem pertinet, si non abhorret ab eis visis, & ab eo scribendi loquendique modo, quæ sanctis hominibus ab ecclesia probatis attribuuntur, si similitudinem gerat cum iis de quibus dubitamus, sed neque prorsus insolitæ visioni assentiendem, sed in tempus differendum examen. *Ioan. Francisc. Pic. Mirand. de prænot. lib. 9. cap. 3.*

Reuelationes præbentur vtilitatis generalis caussa, deinde propriæ adhortationis & consolationis atque doctrinæ, & Deus vel simplicioribus largitur, quibus nulla malitia dominatur, vel iis qui ad summum sanctitatis peruenerunt, vel qui zelo Dei incensi, & inflammati sunt, & qui seculo huic, & humanæ conuersationi, & omnibus quæ videntur nuncium remiserunt, & quandoque qui minus operantur, & laborant, magis eas percipiunt. *Ioan. Francisc. Pic. Mirand. de prænot. lib. 9. cap. 5.*

Reuerberationes & refractiones ait Theophrastus fieri in aere per expressionem quandam obiectæ formæ. Fortè & ipse Plato idem sentit, ait enim apparitionem quandam corporalium specierum idolarem siue imaginalem fieri in lumine, leui cuidam corpori circunfuso, nos igitur fractiones, seu reuerberationes non debemus corporeas hic admittere, nam tale quiddam passio est ab ea, quæ naturaliter est actio, dissidens, præsertim vbi de Solis lumine agitur, sed reuerberationes actiuae, & efficaces debemus accipere, dum & ipsum quod illuminat, & ille qui videt circa corpus densum, tersum, lene, lucidem, efficacius agit, adeò vt & ipsum illuminans per hoc insuper illuminet & alia, & ipse videns per idem respiciat aliud, huius enim secundus est actus, cum subiectum huiusmodi lene & subrutilans simul in actione conducat, qua ratione cum lumine cognationem habet; & quia quod illuminat, vtrobique agit, meritò secundus actus fit primo continuus, & quia corpus lene, tersumque in actu secundo, siue actione secunda simul ad agendum confert, ideò diuisio quædam vtrorumque contingit siue concurrit, quod reuerberatio, vel fractio nominatur. *Prisc. in Theophrast. cap. 33.*

Reuolutionibus omnibus absolutis numerus & tempus complebitur, cùm ad idem punctum omnes planetæ percurrentes eiusmodi accipient ordinem, vt linea quædam recta à supremo circulo vsque ad terram secundum perpendiculum considerata, omnium centra in ipsa conspiciantur. *Alcinous, cap. 14.* Reuolutiones sunt circuitus quos planetæ agunt ab ortu ad occasum, & rursus ad ortum vel vicissim: item à meridie ad septentrionem atque è contra, rursus ante, & retro, sursum & deorsum, siue vicissim. *Ficin. in Plat. de republ. dial. 8. cap. 2.* Reuolutiones à conuersionibus reguntur, ac rebus terrenis accommodantur, & ipsæ reuolutiones terrenis conuersiones accommodant, & coaptant. *idem, ibid. cap. dial. 7. cap. 5.*

Rhadamanthus bonus quidem vir erat eruditus à Minoe, non tamen in tota regia arte eruditus erat, sed in ministerio regio, vt in iudiciis præses esse posset. *Plato in Minoe.*

Rhapsodus est qui poetarum scripta recitat, & sententiæ ipsius potius poetæ interpres est apud auditores. *Plato in Ione.* Rhapsodi non arte quæ à poetis dicuntur recitant, sed diuino afflatu. *idem, ibid.* Rhapsodi cùm miserabile quid dicunt, lachrymis implentur oculi, cùm terribile cor horrendum recti capilli insurgunt præ timore, & cor salit. *ibid.*

Rhapsodi si auditores plorantes faciunt ipsi rident accepto argento, at si illos ridentes reddiderit ipsi argento amisso plorant. *Plat. in Ione.* Rhapsodi non arte nec scientia de poetis dicunt, quæ dicunt, sed diuina sorte & correptione. *idem, ibid.* Rhapsodum non decet esse obliuiosum. *ibidem.* Rhapsodus in hoc dialogo significat recitatorem, interpretem, & cantorem carminum. *Ficin. in Plat. Ion.*

Rhetores, Rhetorica.

Rhetores qui in foro causas dicebant ad aquam fluentem dicebant, id est dum dicebant, clepsidra posita erat, ad cuius mensuram temporis in foro causam dicebãt. *Plato in Theæteta.* Rhetores, & oratores persuadendo, sed opinari faciendo. *idem, ibid.*

Rhetor cùm animam persuadere debeat primum omni diligentia cognoscendum exhibebit num anima vnum & similis sit à natura, aut secundum corpus formam multarum specierum; secundò quid facere cuicumque, aut ab aliquo pati à natura soleat, tertiò digestis iam in ordinem & sermonem, & animæ generibus, & horum affectionibus, recensebit omnes causas, ita vt singulas singulis accommodet, & doceat, qualis sit anima, quales sermones, ob quam causam necessariò aut admittat, aut respuat; aliter qui dicunt & scribunt non arte scribunt vel dicunt. *Plato in Phædra.* Rhetor qui præclarus esse velit, è natura habere oportet facultatem, accedente scientia, & exercitatione: & si quid horum deest, hac parte imperfectus est. *idem, ibid.*

Rhetor nulla in alia re differt is qui ad populum concionatur, ab eo qui in eiusmodi conuentu consilium dat, quod ille pluribus aceruatim persuadet, hic singulis seorsum. *Plat. in Alcib. 2.* Rhetores nihil in ciuitate possunt, si posse bonum ducitur. *in Gorgia.* Rhetores, & sophistæ circa eadẽ versantur. *idem, ibid.* Rhetores huius temporis boni nulli. *ibid.* Rhetor dicit respiciens ad iustum & legem, quæ sunt animæ ornamenta. *ibid.*

Rhetorica est ars quædam, animæ allectatio per sermones, non solùm in iudiciis, & aliis publicis conuentibus, sed etiam in priuatis, de paruis, & magnis rebus, & quod rectè sic nihilo maiorem honorem circa seria, quàm vilia meretur. *Plato in Phædro.* Rhetoricæ est exordium texere quomodo in orationis principio dicere oporteat, secundò narrationem quandam, & ad ipsam testimonia, tertiò argumenta, quartò verisimilia, & confirmationem, vt arbitror confirmationis amplificationem, & refutationem, & refutationis ampliationem quomodo facere oporteat, & subdeclarationem, quam primus inuenit Euenus Parius, & fictas laudationes, & fictas vituperationes, & de fine omnes consentiunt quem alij redditionem, alij alio nomine vocant: & nec longæ nec breues, sed moderatæ esse debẽt orationes. *idem, ibid.*

Rhetorica persuasionem in animis audientium infert. *Plato in Gorgia.* Rhetoricæ facultatis est non esse quicquam de quo non probabilius rhetor dicat quàm quiuis alius artifex; sed ea iustè vtendum est. *idem, ibid.* Rhetorica est ciuilis partis simulachrum. *ibid.* Rhetorica est experientia gratiam quandam & voluptatem efficiendi. *ibid.* Rhetorica est adulationis pars, & huius aliæ sunt partes, vna est obsoniorum structura, quæ videtur esse ars, sed meo iudicio est experientia & exercitatio, & comptoria, & sophistica. *ibid.*

Rhetorices vtilitas non magna est ei qui iniusta facere non vult. *Plat. in Gorgia.* Rhetorica duplex, alia adulatrix & turpis, quæ adulari ciuibus solet, & sui commodi gratia publico bono neglecto nil curat si ciues meliores, vel peiores euadant, alia pulchra vt quæ præparare animos ciuium vt quàm optima fiant semper contendit, & semper optima dicat siue iucundiora siue molestiora sint. *idem, ibid.*

Rhetoricam multi abiecerunt; alij dixerunt scientiam esse, vt Stoici, alij artem, vt Xenocrates, Aristoteles artem sermonum definiuit, Plato persuasionis artificem sermone intermedio, alij malam artem verius quàm artem dixerunt rhetoricam. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de ex. van. doct. gen. lib. 2. cap. 6.* Rhetoricam Plato dixit esse effectricem persuasionis per sermones siue orationes in quibus vis collocaretur in fide. Xenocrates & Stoici scientiam esse benedicendi definiuerunt, sed differunt, quòd Xenocrates scientiam pro arte posuit, Stoici pro certa comprehensione soli adnata sapienti. Zenon eam palma extensa à dialectica quam pugno concluso ostendit distinxit. Aristoteles eam artem sermonum dixit. *idem, ibid. lib. 3. cap. 4.*

Rhetorica à Cretensibus & Lacedæmoniis expulsa est. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 4.* Rhetoricæ finem alij dixere persuadere, alij probabiles inuenire sermones, alij opinionem quam volunt iudicibus indere. Qui persuadere voluerunt, diuersis nominibus vsi sunt, Plato persuadere sermonibus; Xenocrates persuasionis effectricem; Aristot. potestatem speculandi quod possit persuaderi; Aristot. Critolai familiaris eius dixit intentionem esse persuadendi, finem verò persuadere; Hermagores quæstionem disponere ciuilem ad persuasibiliter capiendum: Athenæus coniectantem persuasionem audientium. Isocrates scientiam. *idem, ibid.* Rhetoricis generibus vtitur homo in his quæ non nisi per similitudinem intelliguntur. *Gab. Buræt. de idea, lib. 2.*

Ridicule, Ridere.

Ridiculi sunt qui cùm ignorantes sint, putantes esse quod non sunt, cum debilitate, & impotentia sunt ad vltionem. *Plato in Phileb.* Ridiculum in anima, est improbitas quædam, quæ habitus cuiusdam cognomen habet. *idem, ibid.* Ridiculi sunt qui aliquid in manibus habentes quærunt ad quod habent *de rep. dial. 4.*

Ridiculum illud est quod malum est:& qui risum mouere conatur, ad aliud qoid velut ridicolum respiciens, quàm quod insipiens & malum est, vanus est. *ibid.*

Ridicula discere oportet, vt nunquam per ignorantiam faciamus, aut dicamus quæ ridicula sunt, quum omnino deceat. at seruis & externis mercede conductis talia imitari demandemus. *Plat. de leg. dial. 7.* Ridicula liceat ludendo alicui de aliquo dicere absque ira, at cum ira nulli licet. *idem, de leg. dial. 11.* Ridere immodicè non debent summæ auctoritatis viri. *Auer. in remp. Plat. tract. 2.*

Ridendo eludere quod refutare non possunt, sophistarum, nō philosophorū mos est. *Iac. Carp. in Alc. in 1. lib. de analyt. meth.*

Risu digni existimantur, qui turpiter conantur. *Plat. de rep. dial. 6.* Risus est signum qoo sese profert occultum mẽtis gaudium. *Plu. de pra. & paro.* Risus est magnum leuitatis argumentum. *Sebast. Fox. in 3. Plat. de rep.*

Rigor in corporibus nascitur, dum tenuia expelluntur, & in illorum Sedes crassiora penetrare coguntur. *Alc. cap. 19.*

Ritus non scripti à lege aliqua obseruandi sunt, silentia iuniorum apud seniores velut decet, consessiones, ac loci cessiones, & parentum cultus, tonsuras, vestitus, calceatus, & totū corporis habitum, & alia huiuscemodi, quæ sancire lege stolidum est. *Plat de rep. dial. 4.*

Robur est vis vnumquodque in natura sua seruans eo quod detrimenta vitat. *Speusip. in Pla. defini.*

Rogatianus senator Romanus Plotini auditor cùm iam prætor proditurus esset lictoribus astantibus, non habuit vllam poblici muneris rationem, sed & domum propriam contẽdebat & sua aspernabatur, semel in die manducabat, qua vitæ negligentia & extrema incuria factum est vt cùm prius ambulare non posset robur assumpsit, & cùm manus extendere non posset adeo conualuerit vt expeditissimè ipsis vteretur. *Porphy. in Ploti. vita.*

Ros est nocturnus humor, quem serenitas tenuiter spargit. *Apul. de mundo.*

Rosa Veneri sacra est. *Leo Heb. de Am. dial. 2.*

Rotundum est, cuius extrema vndique à medio æqualiter distant. *Plat. in Parm.*

Rubicundus color applicatur splendori ignis per humiditatẽ miato & cruentum colorem exibenti. *Plat. in Tim.*

Ruditati hoc malum inest, vt is qui nõn est pulcher, nec bonus, nec sapiens, sibi præstans esse videatur. *Plat. in Sym.*

Rudentem omnem mouentes, & vocem omnem emittentes, prouerbium est. *Plat. de consol.*

Rythmi boni & harmoniæ bonæ melos, & gestum dicere licet. *Plat. de leg. dial. 2.* Rythmus est ea dextaritas, gratáque à spectantibus promptitudo, quæ in saltantium ludentiumque membris ex arithmis, id est numeris & mansuris musicæ consimilibus passim apparet. *Fic. in Plat. Phi. lib. 1. cap. 28.*

Rythmus est ordo quidam motionis, & temporis: nam postquã voces harmonica quadam excessus ac defectus mẽsura per intentionem & remissionem conciliasti opus est rhythmo, per quem vocum acutarum, & grauium, mediarumque motus, ac tempora metiaris & in singulis, & inter singulas, motus dico blandiores, seueriores, & medios, tempora dico lõgiora, breuiora, æqualia, per accẽtus longos, breues, & medios. *Fic. in Plat. de rep. dial. 3.* Rythmus est ordo in tempore & motu. *Idem, ibid. dial. 2.*



S



Inter literas mutas strepitum habet velut sibilanta lingua. at litera b, neque vox neque strepitus est, ita vt neque plurimorū elementorum. *Plat. in Theat.*

Sacerdos.

Sacerdotes eam scientiam habent, vt nostra dona per sacrificia alijs, prout illis placet offerant & ob illis bonorum adeptionem precibus nobis impetrent. *Plat. in dial. de regno.*

Sacerdotum & vatum species valde præclarè de se sentit, & in reuerenda existimatione est propter factorum & officij magnitudinem, quare in Ægypto neque imperate lices regi absque sacerdotio, sed si quis ex alio genere regnum susceperit necesse est eum hoc genere initiari, & in multis locis apud Græcos maximis magistratibus summa sacrificia demandata sunt. *idem, ibidem.*

Sacerdotes, & vniuersa ciuitas in nuptiis precantur, vt ex bonis meliores, & ex vtilioribus vtiliores semper filij nascantur. *Plat. de rep. dial. 5.* Sacerdutia patria quibus sunt, siue viris, siue, mulieribus, non moueantur. *de leg. dial. 6.* Sacerdotes sorte eligantur, oportet enim Deo committere electionem: at antequam ad sortem admittatur, probetur, an integer, aut incolomis, & ingenuus sit, deinde ea pura domo & à cæde, purus, & ab omnibus huiuscemodi quæ aduersus res diuinas committuntur, & vt ipse & pater & mater ipsius similiter vixerint. *ibid.*

Sacerdos nõn fit diutius quàm per annum, nec pauciores quàm sexaginta annos natus qui secundùm sacras leges res diuinas iustè, ac purè tractare volet, eadem etiam de fœminis genere sacerdotibus constituta sint. *ibid.*

Sacerdotes si aliquando permittunt dæmonibus improbis vitandorum gratiã malorum, quæ illaturi sunt, animalia mactare, vetant simul talia sacrificia degustare, & priusquam sacrifices animum purgare iubent ieiunio, & præcipuè animalium abstinentiã. *Porph. de sacrif.*

Sacerdos seruiens Deo omnibus dominanti, animalibus omnibus abstinet, solus videlicet per seipsum soli Deo studens appropinquare, dum nulla comitantium inde turba diuersat, quo commercio ipse & naturas rerum intelligit, & diuinat, Deúmque habet in semetipso, vnde æternæ vitæ fiduciam & pignus possidet, totus translatus ad Deum, atque vatis loco iam suis familiaris euadit, proinde si qua necessitas instat non desunt bute familiari diuinitatis passim boni dæmones occurrentes ei, & per somnia signa voces, futura prænunciantes, vnde discatur quid sit necessarium deuitare. *Idem, ibid.*

Sacerdos multa operatur, per quæ purificet animam & mala nobis auertat. *Iam. de myst.* Sacerdos duplicem habet prætextam, vnam humanam, alteram diuinam, quam ex sacramentis induit, in quibus latet diuina potestas, sursum ad diuinitatem animam eleuans, Deòque coniungens, ideòque figuram diuinam adhibens animo, quam indutus potest sub prætextu Dei, tanquam superior spiritibus eiusmodi imperare: tametsi tanquam homo rogare solet inuocans eos vt superiores, quatenus ab vniuerso inuocat potestates. *idem, ibid.*

Sacerdos sæpe non humana virtute, sed diuinã sacramentorum ineffabilium potestate mundanis numinibus imperat & minitatur, ipse tunc in superiorum deorum ordine constitutus, & ideò grandioribus propria natura mandatis vtitur, & minis, nec tanquam facturus, quæ tunc asseuerat, sed declarans quantam nactus fuerit potestatem propter ipsã ad Deos vnionem compatatam, videlicet ob notitiam & possessionem ineffabilium symbulorum, siue signaculorum quæ dicimus sacramenta. *Iam. de myst.*

Sacerdotes Chaldæi, apud quos diiudicatus & decretus est purus ipsa ad solos Deos sermo, nunquam vtũtur minis. Ægyptij verò qui cum diuinis sacramentis dæmonicos sermones admiscent, ad minas eiusmodi aliquando se conuertũt. *idem, ibid.*

Sa[illegible]otes antiqui cùm considerarent in rebus naturalibus co[illegible]ationem quandam, & compassionem aliorum ad alia, & [illegible]anifestorum ad vires occultas & omnia in omnibus i[illegible]rent, sacram eorum scientiam condiderunt. *Proc. de s[illegible] & mag.*

Sac[illegible]rdotes alia miscebant, alia purificabant: miscebant plura inuicem, quia singulatim videbant non habere sufficientem ad numinis illius aduocationem: quamobrem multorũ commixtione attrahebant supernos influxus, & quod ipsi componendo vnum ex multis conficiebant, assimilabant ipsi vni, quod est super multa, & statuas ex multis materijs permistis conficiebant, & odores compositos colligentes arte in vnum diuina symbola, reddẽtésque vnum tale, quale diuinum extitit secundùm essentiam, comprehendens videlicet vires quamplurimas: quorum diuisio debilitauit, mixtio restituit in exemplaris ideam. *idem, ibid.*

Sacerdotes solent in sanctissimis sacrificijs, vel per verba, vel per ea quæ oculis ostenduntur, in admirationem & stuporem præsentes adducare, stupor enim Deo animam exponere consueuit. *Proc. in Alc. 1.*

Sacerdotis nomen lingua Arabica interpretatur pro eo cuius operationibus fides est adhibenda propter eius actiones. *Auer. in Plat. rep. dial. 2.*

Sacerdotes antiqui & medici & Astrologi erant. *Fic. in Apol. de mundi vita.*

Sacerdotes Ægyptij qui & sapientes erant, quum non possent populis persuadere rationibus esse Deos, id est spiritus ali-

quos sæpe homines, ea cogitarunt magicum hoc illicium, quo dæmones allicientes in statuas esse numina declararent. *Idem, de vit. cæl. compar. lib. 3. cap. 26.*

Sacerdos legimus nil aliud est quàm animus Deo dicatus, angelus vicem Dei gerens apud homines, viuens Dei templum, ipse est temporalis quidam Deus, Deus est sacerdos æternus. *Fic. epist. lib. 1.*

Sacerdotis virtus & officium est sapientia quædam pietate feruens, & pietas sapientia lucens. *Idem. epist. lib. 3.* Sacerdotis officium est nil loqui, nisi quod ad pietatem cõducere videtur. *epist. lib. 5.*

Sacerdotes soli apud Barbaros à quibus sapientia omnis descendit, tractabant physicam mathematicam & metaphysicam scientiam. *Idem, ibid.*

Sacerdotes antiqui ter libare solebant pateram Ioui conseruatori, declarantes nos egere Deo conseruatore in principio, medio, & fine. *Fic. in Plat. Phi. cap. 65.* Sacerdotes priscis Ioui seruatori tertiam libationis partem consecrare consueuerunt, vt declararent principia media & finis sub Iouis prouidentia disponi, & denique seruari. *Idem, in Plat. Charmid.*

Sacramentis Deus vim & efficaciam imprimit; sacerdos adhibet materialia quædam, quo ordine decus instituit. *Iamb. de myst.*

Sacrificia.

Sacrificare est donare Dijs, precari est petere à Dijs. *Plat. de sanct.* Sacrificia maxima summis magistratibus in nonnullis Græciæ ciuitatibus demandata erant, quod etiam Athenis obseruabatur. *de r. gno.*

Sacrificia sint non minus quàm trecenta sexaginta quinque, quo vnus semper quidam principatus siue magistratus alicui deorum, siue dæmonum sacrificet pro ciuitate, & se ipsis & opibus suis. Hæc interpretes, & vtriusque sexus sacerdotes, & vatea cum legum custodibus constituant simul congregati. *de legib. dialog 8.*

Sacrificia antiqua, & Dei cultum legislator innouare non debet, gnarus mortalem naturam nil de talibus cognoscere posse. *Plat. in leg. appen.* Sacrificium est hostiæ donum Deo exhibitum. *Speusip. in Plat. definit.* Sacrificãdum dijs tribus de causis est, vt veneremur, vt gratias agemus, vt necessaria ab his petamus & mala propellamus: ad hæc impetranda votum in animis satis est, cui addi possunt ex frugibus munuscula quædam: animalia verò mactare nefas est. *Porph. de sac.*

Sacrificantes Deo ipsi qui in omnibus regnat nihil materiale offeremus, nec conuenit sermo vocalis, nec sermo intimus, sed silentio puro purisque de ipso intelligentijs ipsum rite colemus. Dei filijs laudem ex sermone afferre debemus, nam vnicuique numini primitiarum fit oblatio ex his quæ largitur, & per quæ nos nutrit, & in esse conseruat ad sacrificij facultatem. *Porph. de sacrific.* Sacrificatores primi non animalia, sed herbas primum ac flores, deinde arbores sacrificabant, atque aromata subfumigabant. *id. in, ibid.*

Sacrificia Heraclitus medicamẽtum nominat, quia purgent animum à morbis in hac generatione conceptis. *Iamb. de my.*

Sacrificia fiunt, quia sine ipsis non liberamur à peste, fame, penuria, nec impetramus opportunos imbres, imò per quam purificationem & perfectionem animorum consequimur, & ab hac generationis prouincia libertatem: at secundariò quia eos veneramur, & pro acceptis donis gratias agimus. *Idem, ibid.* Sacrificiorum mirifici effectus tanquam à causa procedunt ab amicitia quadam & accommodatione, & habitudine conciliante ad opificia opifices, & genitores ad genita. *ibid.*

Sacrificantes nos cùm mundi partes sumus, non debemus mũdanos Deos prætermittere: & quilibet peritus in sacerdotio confitebitur oportere cultum superis non ex parte, nec imperfectum sed conuenitẽtem, & integrum adhibere; ideò qui numina sibi propitia reddere vult, vnicuique dona similima offerre debet & grata, nam cùm mouentur omnes præsubiacentes illis potentiæ mouentur, & vt præcursores pompæque præcedunt: qui omnibus non distribuit, quod cuique conuenit, nec vnumquemque quodam honore prosequitur, ipsam deorum præsentiam non assequitur; ideò religionis ritum simplicem esse nõ oportet; & ex paucis cõpositu, sed multiformem, ex omni harmonia constantem, ex cunctis vbique mundanis constitutum: & cùm sacerdotes soli qui id experti iam fuerint, sciant quanta multitudo suscitari solet, soli hi sciunt quæ perfecta est plenitudo colendi, & quàm paucis prætermissis quantum nos frustretur euentus; & vna chorda sufficit ad dissonantiam faciendam, sic vno prætermisso, numine siue ritu cõmuni, ipsa religio finem optatum non habet. *Iamb. de myster.*

Sacrificans non omnem materiem detestari debes sed solùm eam quæ à dijs fuerit aliena. *Iamb. de myster.*

Sacrificia facienda sunt dijs, deorum filijs, & dæmonibus, dæmonibus in quam puris vt deorum filijs nos concilient, deorum filijs vt Deos nobis propitios reddant, dijs denique quo summi Dei muneribus reddant nos paratiores. *Ficin. in Plat. de legib. dial. 7.*

Sacrilegium.

Sacrilegij legis præmiem fit, quem aliquod huiusmodi propositum sibi allabitur, sylius quidam est qui ex veteribus & nõ expiatis flagitijs te impellit, abi ad expiationes, abi ad deorum qui mala auertunt templa supplex, abi ad bonorum virorum consuetudines, & partim audi, partim ipse dicere conare honesta, & iusta à quouis viro colẽda esse, at malorum consuetudinem ita fugias vt nunquam retro te conuertas; & si hæc facienti morbus cessat, bene se habet, sin minus mortem pulchriorem arbitratus è vita decede. *Plat. leg. dial. 9.*

Sacrilegium si quis committere audeat: si seruus aut externus fuerit, clade in facie & manibus inscriptâ & flagellatus tot plagis quot iudices decreuerint, extra regionis terminos nudus eijciatur: at si ciuis, de eo velut incurabili iam iudex statuat, hoc secum reputans qualem institutionem à puero adeptus à maximis malis nõ abstinuit. Huic pœna fit mors minimum malorum; liberis & generi, si patrios mores fugerint, gloria fit, & oratione honorifica prædicentur velut qui bene, & fortiter ad bonum ex malo confugerint; sacrilegus verò inglorius fit, dum extra regionis terminos extinctus est. *Plat. de leg. dialog. 9.*

Sacrilegi sunt habendi, qui iuniorem, immo quemlibet verbis & moribus inficiunt. *Fic. epist. lib. 1.* Sacrilegij remedia tria affert Plato primò, vt inhumanis impetus comprimatur, ad sacras mittit expiationes, quas christiano more pœnitentiæ, confessionis, eleemosynæ, ieiunij nomine nuncupare possumus secundo, vt diabolicis resistat suggestionibus, ad orationes & supplicationes mittit, per quas à superis, liberatoribusque spiritibus, contra inferos præsidium impetret: tertio postremò, quò imbecillitatem humanam continere possit, mãdat vt malorum familiaritatem deuitans, bonorum amet consuetudinem. *Idem, in Plat. Timæum, & de legibus, dial. 9.*

Sacrilegium rapinam nominat Plato, siue res siue persona cõsecrata superis rapiatur, quæ sub impietatis genere continetur. *Idem, in Plat. de leg. dial. 10.*

Sacra.

Sacris qui initiati non sunt, in cœno iacebunt post mortem: qui initiati sunt cum dijs habitabunt; initiati sacris sunt qui rectè philosophiæ operam dedere. *Plat. in Phæd.*

Sacra non sunt tacenda, eam pessimi essent qui manifestos nobis Deos dicere, & manifestos nobis facere non audent. *in legum append.*

Sacra doctrinarum mysteria videndum est ne ad homines ineruditos dilabantur, nam vt mihi videtur non sunt aliæ ferè magis ridiculæ apud vulgus narrationes quàm istæ, sicut apud præstentes naturas non aliæ magis in admiratione sunt & diuinitus afflant. Si verò sæpe dicuntur ac per multos annos & semper audiuntur, vix tandem velut aurum cum multo labore expurgantur. Quod vero in hac re admiratione dignum contingit, audi: sunt enim homines qui hæc audiuerunt, & plures qui & intelligere, & memoriâ retinere possunt, & vndiq; examineta penitus iudicere, senes iam illi, & qui non infra triginta annos audiuerunt. Hi nunc ea quæ tunc ipsis maximè incredibilia esse visa fuerunt, nunc videri dicunt & credibilia & maximè euidentissima: quæ vero tunc maxime credibilia, nunc omninò contra. *Plat. Dionysio. epist. 2.*

Sacris & priscis sermonibus semper credendum est, qui animum immortalem esse nobis significant, & iudices habere, & maximè pœnas pẽdere vbi à corpore fuerit liberata. quapropter minus malum censeo iniurias & magna delicta pati quàm facere. *Plato in epist. 7.* Sacra cum profani contra ritus tractant, frustratur euentus. nam & pro dijs alij celebrantur, & pro bonis spiritibus insinuantur mali. *Iamblic. de myster*

Sacris notis non credere nefas est. *Syn. de somn.* Sacra mysteria, & ordines diuini non à temeritate fortunæ, sed ab æterna Dei sapientia proficiscuntur. *Ficin. epistol. lib. 5.*

Sacra volumina humani intellectus cum intellectu diuino copulationem quam maximè celebrant, eúmque tanquam postremam felicitatem mortalibus pollicentur. *Leo Heb. de am. dial. 1.*

Sæpe aliquid bonum audire non est malum. *Plat. in Phædon.*

Sagacitas est innata ratiocinandi virtus. *Speusip. in Plat. definit.*

Salis laus à poetis descripta erat, ob admirandam illius vtilitatem. *Plat. in Symp.*

Sal iuxta legis sententiam est dijs gratum corpus. *in Tim.*

Sal efficitur

Sal efficitur ex ea terræ specie, quæ aqua tuelta ab igne destituitur, & tenuioribus terræ partibus constat, & salsuginosa est, & rursus ab aqua ex dimidio compacta *ibid.* Salsus sapor fit, cùm eæ quæ extersione moderatè vtuntur, & nitri habitu inferiora sunt, citra amaritudinem asperam, & magis grata apparent. *ibid.*

Saltationis duæ sunt species, altera pulchrorum corporum, quæ ad grauitatem imitationem facit, altera turpiorum quæ ad leuitatem: & leuitatis, & grauitatis duæ sunt species, motus grauitatis, altera est dum in bello, & laboribus violentis corpora pulchra & animus fortis implicatur, altera dum animus temperatus in prospero rerum successu, & concinnis voluptatibus versatur, quam si quis pacificam dicat secundùm naturam hanc saltationem appellaret illam verò bellicam Pyrrhichen rectè quis dixerit, quæ euitationes omnium plagarum, & ictuum, mutando & cedendo & exiliendo in altum, & deprimendo imitatur: & rursus alias his motiones contrarias exprimit, quæ ad agendum feruntur, & gestus in arcuum, & iaculorum ictibus, & omnium plagarum imitationes exprimere conatur; & recta imitatio est, cùm bonorum corporum & animorum fit, cùm contra, mala, & eodem modo de pacifica saltatione. *Plat. de leg. dial. 7.*

Saltatio ambigua, & non ciuilis est, quæ fit à Bacchis, & sileois & satyris. *idem, ibid.* Saltationis artem produxit imitatio eorum quæ dicuntur gestibus exprimens. *ibid.*

Saluus nemo ante regenerationem fieri potest. *Mer. Tris. Pim. cap. 13.* Salus est munitio ab omni damno secura. *Speusip. in Plat. defin.* Saluamus nos non per merita nostra, sed per solam Dei misericordiam. *Io. Pic. Mir. in or. dominic.* Salutem, iustitiam diuinam, & redemptionem appellant theologi, quoniam non permittit quæ verè sunt ad id cadere vt vlta non sint, & quod imbecillitate passum est redimit. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Salui sumus salute & corpore, sed prius salute quam corpus incolume est. *Chal. in Tim.* Salutem à Deo vt auctore, nó per Deum vt instrumentum acquirimus & consequimur. *Phi. de Cherub.*

Samanei nominabantur inter indos, qui in studio religionis, & sapientiæ erectione tantùm profitebantur. *Por. de sapient. antiquis, qui vitam præ. spe futu. contemneb.* Samanei inter Indos leuius vitæ tempus tanquam necessariam seruitutem naturæ ministrantem inuiti ferebant, studebantque animas è corpore soluere, & cùm prospere se corpus habere sentirent, nihilo ad hoc vrgente egrediebantur è vita, hos ergo domestici obitu beatos existimabant, atque eos qui illis superessent deflebant vt infelices. *idem, ibidem.*

Sanctimonia, Sancti, Sactitas.

Sanctimonia est cautio declinans à peccatis quæ aduersus Deû committuntur, diligens obseruatio diuini cultus secundùm naturam. *Speusip. in Plat. definit.* Sanctum est pars iusti. *Pla. in dial. de sanct.* Sanctum omne iustum est, non contra *idem, ibid.* Sanctum ideò amatur à dijs quia sanctum est, & non eo quòd amatur sanctum est. *ibid.*

Sancta sunt ea quæ dijs grata, & dicere, & facere nouimus tum precando tû sacrificando: & hæc conseruant & priuatas domos & respublicas; contraria impia sunt, quæ etiam omnia subuertunt & perdunt. *Pla. de sanct.* Sanctum est pars iusti, quæ ad deorum curam respicit *idem, ibid.*

Sanctum & dijs gratum diuersa sunt. *ibid.* Sanctum est Dei cultus, quod Deo gratum est. *Speusip. de Plat definit.*

Sancti non sunt qui terrena diligunt quibus homines terreni student, sed à diuino amore penitus exciderunt. diuina enim & amabilia iniurijs afficiunt, quatenus his quæ reuera amanda non sunt, neque digna studio indignè comparant, & si amant quæ verè sunt gratulari oportet cùm assequuntur quod cupiunt. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Sanctitas est puritas quædam ab omni scelere libera & perfecta, & prorsus incontaminata munditia. *Dion. Areop. de diu. nom.* Sanctitas est diuinorum cultus *Fic. in Plat. Phi. lib. 1. cap. 10.* Sanctitatem præcedit pietas, sequitur religio. *idem, in Plat. dial. de sanct.* Sanctitas nuncupatur conuersio animæ cùm per primum instinctum pietatis, quam inspirãdo Deus ipsam conuertere incipit, ipsa assentitur, & sese libenter in conuertentem Deum animus ipse restituit. *ibid.*

Sanctitatem Mercurius definit esse frequentem intuitum in cognoscenda, & amanda veritate. *Fic. in Plat. de sanct.*

Sanctum est quod amatur à Deo, sed quia sanctum amatur à Deo, non quia amatur sanctum est *idem, ibid.*

Sanctitatis ratio non est in eo quod amatum est à Deo, sed potios in retributione, & deuotione consistit. *ibid.*

Sanctitas est ministra Dei ad conuersionem animæ. *ibid.*

Sanctitatem in libro de sancte, & in Gorgia, appellat Plato eam iustitiæ partem, quæ suum tribuit Deo, id est animam. *ibid.*

Sanctitas est eius quod Dei est, Deo agnita retributio. *ibid.*

Sanguis.

Sanguinis humor sensus mitis est. *Plat. in Tim.* Sanguinem perdunt omnia quæ conuerso ordine facta sunt, & per venas feruntur nullum amplius alimentum corpori exhibentia. *Idem, ibid.*

Sanguis primum in nobis est coalescens videlicet ex prima digestione quæ fit in pectore calore, & humore, præ cæteris amicus vitæ est, & plurimus, & reliquos in se habet humores. Ex hoc cæteræ corporis partes aluntur, & spiritus prosilit, sed aliter ex elementis, quàm membra fieri dicitur, in hoc enim fermè quatuor adhuc elementa cernuntur, in membris verò minimè, absolutius enim sunt in his commixta. *Fic. in Plat Tim. cap. 87.*

Sanguis bonus est non frigidus, non siccus, non turbulentus, sed calidus, & humidus, & clarus: calidus calore non acri, humidus humore non aqueo, clarus sed non tenuissimus: sed ad vitam expedit diuturnam sanguinem vnà cum substantia aerea valde nec admodum crassa, habere glutinosum aliquem in se humorem atque tenacem qualem fermè cum subtilitate habet oleum oliuarum, & humor anguillæ pinguis & tenuis, & oleum ex terebinthina quadam sublimatione tractum. *Fic. de vita prod. lib. 2. cap. 5.*

Sanguis spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus rationi, & fit sanguis à virtute naturali quæ in iecinore & stomacho viget. *idem, de stud san. tuend. lib. 1. cap. 2.*

Sanguis purus extrahitur oriente Sole, Cholericus in meridie melancholicus in occasum, phlegmaticus in medio noctis, prius posito clystere, & sumptâ die præcedenti aliqua medicina non solutiua: & Galenus & Auicenna quantò magis exercuere medicinam, tantò semper timidior esse circa phlebotomiam sunt facti, quia plus trahit phlebotomia ex naturali & bono, & ex spiritibus quàm ipsa medicina, & minus temporis concedit ad discernendum malum sanguinem à bono. *Fic. in epidem. antida. cap 6.*

Sanguis in adolescentia est subtilis, clarus, calidus & dulcis; procedente ætate subtilioribus partibus resolutis fit crassior & obscurior. *Fic. in Plat. conui. or. 7. cap 4.* Sanguis calidus in adolescentia est & dulcis, quia generatio in calore & humore consistit, & semen viuentium genitura calidum & humidum est *Idem, ibidem.* Sanguinis subtilissimi aptioris ad spiritum procreandum, arteriarum per quas manat spiritus principium est cor ipsum, sed per pulmonem arteriæ latius deriuantur. *Idem, in Plat. Tim. cap. 66.*

Sanguinis si pars crassior, quæ naturalis dicitur atra bilis, putrefactione liquescit, asperior est, acidámque pituitam generat; si incalescit, salsam generat. *Fic. in Plat. Tim. cap 91.*

Sanguinis pars ad generandam carnem necessaria, humidior tamen quàm caro instauranda requirit, putrescit in venis tepido quodam calore humiditatem plurimam agitante, & vento, ampullísque replente, vnde alba, viscosa, dulcis pituita nascitur: subtilis pituita quotidie nascens, neque dû permista sanguini per sudorem extillat, & lachrymas. salis verò nonnihil habet, vel amari facile enim ob tenuitatem patitur à calore. *Idem, ibid.*

Sanguis in se necessariò habere debet pituitam, bilem, & atrã bilem. tum ad ipsius temperamentum, tum ad membrorum his similium nutrimentum. *Fic. in Plat. Tim. cap. 87.* Sanguinis quod neruis & carni superest glutinosius simul & pingue, efficit cartilaginem; quando iterum hic superest glutinosum simul, & aridum nutrit ossa: quod denique cunctis inest quasi oleum subtilissimum, atque lenissimum semini primo simillimum, triangulare id est elementale vocatur atque per angustissimos ossium poros illabitur, intúsque cogitur in medullam. quæ duritiem ossium lenit, quãdoque genitale semen instaurat, non nunquam membra principalia recreat siue per ossa media profluat, siue per foramina ossium cursus extillet. *Idem, ibi. cap 88.*

Sanguinis si pars subtilis putrefacta delabitur, neque sapor est neque morbus asper. *Fic. in Plat. Tim. cap. 91.*

Sanguinis crassioris venæ sunt locus, arteriæ subtilioris. *idem, ibidem. cap 87.*

Sanguinis officinam arteriarum, venarum, & neruorum originem Galenus, damnata Aristotele, confirmare conatur Platonis cum Hippocrate opinionem. *Iac. Carp. in Ale. præfat.*

Sanguis quamdiu in animali calore viuo conseruatur calidus potius est quàm frigidus; at quia idem vt reliqui tres humores secundùm speciem suæ consistentiæ aqueus est, minimè calidus esse videtur, sed frigidus. *idem, in Ale. cap. 14.*

Sanitas.

Sanitas hominibus maximum bonum est. *Plat. in Gorgia.* Sanitatem inducere est ea quæ in corpore sunt, secundùm naturam constituere, ita vt alia aliis dominentur, & subdita sint. *idem, de rep. dial. 4.* Sana & salubria iis in corpore sanitatem, & morbosa morbum inducunt, vt iusta iustitiam, iniusta iniustitiam. *ibid.* Sanitatem iucundissimã esse aiunt ægroti, sed antequàm ægrotarent hanc iucundissimam esse ipsos latuerat. *ibid. dial. 9.*

Sanitas est animæ habitus affectibus non succumbens. *Speusippus in Platonis definitionib.* Sanitas & iustitia, si suam latitudinem quandam habent, habent magis & minus, si non, nec magis nec minus. *Plotin. En. 6. lib. 3. cap. 20.*

Sanitas conseruatur eodem medio quo recuperatur, recuperatur autem victo tenuissimo, & à carnibus abstinentia, eodem ergo seruatur. *Porphyr. de abstinentia animalium.* Sanitatem maximè conseruat imperturbatus animi status, & cogitationis ipsius dispositio ad ipsum quo verè est disposita, & victus tenuis, & parcus. *idem, ibid.* Sanitati nihil melius prodest quàm superflua non congregare, ideò nutrimentum natura valentius sumere non debemus, sed quo natura sit valentior. *ibid.*

Sanitatem meram quam nullus morbus præcessit in corpore Deus solus per semet solùm largitur, liberationem autem à morbo & per artem, & per medicinam; ita bona alimenta animæ largitur Deus per se ipsum, per angelos verò & sermones & quicquid ad sanandos morbos pertinet. *Philo in legum allegorias, lib. 2.* Sanitas corporis est temperantia quædam humorum, & membrorum. *Ficin. in Plat. Charmidem.* Sanitas corporis, & animi simul haberi non potest, nisi hæc duo proportione respondeant, siue hanc naturaliter habeat, siue consuetudine consequatur. *idem, in Plat. Timæum, cap. 99.* Sanitas est sita in quadam temperatura æquali quatuor humorum siue quatuor qualitatum. *M. Ant. Natta de pulchro, lib. 5.*

Sapientes.

Sapientes multi sibi ipsis videntur, non tamen sunt. *Plato in Apologia.* Sapiens re vere Deus est, & sapientia humana parui pretij est, & nullius. *idem, ibid.* Sapiens reuere est qui se nouit nullius pretij in sapientia esse. *ibid.*

Sapientes pauci cùm sint auditores, ab homine mente prædito magis verendi sunt quàm insipientes multi. *Pla. in Sympos.* Sapientes non philosophantur, nec rudes, illi sciunt hi nec scire appetunt. *idem, ibid.* Sapientem nominari soli Deo conuenit. *in Phædra.* Sapientes sunt qui quæ facere & dicere oportet, sciunt. *in Alcibiade.* Sapientes, & iusti non alij sunt, quàm qui sciunt, quæ facere & dicere, & ad deos & ad homines oportet. *ibid.*

Sapientes faciunt quicquid volunt, & nemo vltro impedit, at in his in quibus insipientes sumus nemo permittit, vt quæ nobis videntur faciamus sed omnes prohibebunt in quantum poterunt & alieni, & pater, & alij ex coniunctis, & in his erimus aliis subditi. *Pla. in Lysidr.* Sapiens si filius est omnes amici & familiares ipsi erunt, vtilis enim & bonus erit, sin minus, nec ipsi pater, nec mater, nec cognati, nec quispiam alius. *idem, ibid.*

Sapientes Græciæ, Thales scilicet Milesius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienensis, Solon noster, Cleobulus Lindius, Myson Chenensis, & Chilo Lacedæmonius, omnes fuerunt imitatores, & amatores, & discipuli doctrinæ Lacedæmoniorum, quod ex dictis breuibus cognosci facile potest. Hi communi habito conuentu primitias Apollini dedicarunt in templo in Delphis scriptis his quæ omnes celebrant, nosce te ipsum, & nihil minus. *Plato, in Protag.* Sapientes Græciæ aut omnes, aut plerique à ciuilibus actionibus se abstinuerunt. *idem, in dial. de pulchra.*

Sapientissimus homo ad Deum collatus simie apparebit. *Plato in dial. de pulchra.* Sapientem nominat Plato illum, optimum, ac bonum, & prudentem arbitratur, cuius consilia cũ factis rectissimis congruunt, & cui principia profecta sunt à iusti ratione; & sapientem, & fortissimum dicit eum, qui vigore mentis ad omnia percipienda paratus est. *Apule. de dogm. Plato. lib. 3.*

Sapientes si indecorè se gerunt, & ridiculi apparent, quid mirum est si à speculationibus diuinis ad humana mala delati, si dum adhuc cæcutiunt. & priusquam ad præsentes tenebras assuescant cogatur in iudiciis, aut alibi decertare de iusti vmbris, aut statuis, quarum sunt vmbræ, & contendere de hoc quomodo tandem hæc accipiantur ab his, qui ipsam iustitiam nunquam viderunt. *Plato de repub. dial. 7.* Sapientis est sua agere, & seipsum cognoscere. *idem, in Tim.* Sapientes nũquam euaderemus, si numerum à natura eximeremus. *in leg. append.* Sapientem putare oportet, qui semper eundem eadem, & eodem modo, & eadem semper facit. *ibidem.*

Sapiens bono potitur etiam agens, non quia aget, neque ex his quæ accidunt, sed ex eo quod possidet. *Plotin. En. 1. lib. 5. quæst. 10.* Sapiens Deo similis est, quia menti propius esse censetur, nam se circa intelligentiam exercet, qua diuina constat essentia. *Synesius de somniis.* Sapiens est qui mundanarum partium cognationem tenet. *idem, ibid.*

Sapiens quæ in mundo sunt legit, nam res in hoc magno animali mundo sunt vt omniformes literæ: magis legit, quã minus. *Syn. de somn.* Sapientes futura prospiciunt, alij astra suspicientes, alij flammas, siue manentes siue currentes alij in visceribus fatum rimantes, alij in garritibus auium obseruantes interim qua volent vbiue insideant; sunt & qui perspicua futurorum signa coniectant ex vocibus & concursibus, siue casibus accidentibus alteri. *idem, ibid.*

Sapiens omnis anima cœlum habet patriam, in terra peregrinetur, & sapientiæ domum existimat suam, corporis verò alienam. *Phil. de agricult.* Sapientis proprium est pœnitere, Dei non peccare. *idem, de profug.* Sapienti sufficit ea quæ post Deum sequuntur cognoscere, principalem enim essentiam si quis velit intueri, nimia radiorum fulgore priusquam eam videat cæcabitur. *ibid.*

Sapiens vt ait Ptolomæus adiuuabit opus astrorum, vt agricola terræ naturam. *Fic. epist. lib. 10.* Sapientis virt est paucis multa complecti. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nomin.* Sapienti Deus & vigilanti, & dormienti semper adest. *idem, in Plat. Criton.* Sapiens vbicunque nominat Plato, fermè semper addit pulchrum, quia anima quæ plura vidit descendendo, Ingenium attulit Philosophi ad omnia perscrutanda apti. quod cùm sit veritatis, & sapientiæ studiosum, & in his sit prima pulchritudo, meritò secum studium pulchritudinis attulit. *in Plat. Phæd. cap. 24.*

Sapientes diuino ingenio prædìti omne mentis studium à terrenis ad cœlestia, à mobilibus ad immobilia, ab his quæ sentiuntur ad illa quæ superant sensum pro viribus conuerterunt, considerantes mundi machinam & vnam esse, & mirabiliter ordinatam, nec ea seipsa posse consistere: cùm ex diuersis componatur, & mutetur, meritò cognouerunt ab alio pendere, ab alio inquam vno, & sapientissimo, qui vnum conficiat opus ex multis, & id vnum ordinet sapienter, regat potenter, & omnia benignissimè ducat ad bonum: quare communi consensu Deum esse consenserunt potentem, sapientem & clementem, quem reges mortales imitari debent. *Fic. in Plat. de rep. dial. 7.*

Sapientes apud diuersas gentes variis nominibus vocabantur Druides apud Gallos; Prophetæ apud Hebræos, vel Senedrim, vel Pharisæi, vel Cabalistæ; apud Indos Gymnosophistæ, apud Ægyptios sacerdotes, apud Græcos philosophi, apud Persas Magi. *Io. Pic. Mirand. in apologia.* Sapientes solos Chaldæus & Hebræos fuisse testatus est Apollo. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib. 1. cap. 22.* Sapientissimi veterum fuere Orpheus, Hesiodus, Empedocles, Plato. *idem, ibid. lib. 3. cap. 15.* Sapientem similem esse Deo, excepta morte, ait Seneca. *ibid. lib. 9. cap. 12.*

Sapientes pauperes plerunque sunt, diuinis impediti; quia scientiæ intellectu speculatiuo, diuitiæ actiuo acquiruntur. & anima humana, quæ vna existit, cùm vitam actiuam exercet, speculatiuam relinquit. *Leo Heb. de amore, dial. 2.*

Sapiens non expectat vt dolori medeatur dies: sed quod allatura est dies ratione sibi repræsentat, quum doloribus calamitates mutari nequeant. *M. Ant. Nat. de imm. anim. lib. 2.*

Sapientia quotupliciter dicitur.

Sapientia alia est quæ omnibus artibus imperat, alia vnicuique arti. *Plat. in Theage.* Sapientia alia absoluta, conditionalis alia; prima absoluta absque additione sapientia appellatur, secunda quædam sapientia: prima sic definitur cognitio earum rerum de quibus haberi scientia potest. Habetur autem scientia de iis, quæ semper eadem, & eodem modo sunt. huiusmodi sunt summæ rerum principia, & æternæ rerum omnium rationes: hæc diuina dicuntur, quo fit vt diuinarum rerum scientia sit sapientia, quæ absolutè est sapientia: conditionalis omnibus artibus & facultatibus communis est, nam summitas cuiusque artis quædam sapientia vocatur: ex omnibus autem ciuilis sapientia præcipua est, & cæteris vt ministris vtitur. *Fic. in Plat. Theag.*

Sapientia quid est.

Sapientia est affectio animæ. *Plat. in Phæd.* σοφία lationem contingere significat, sed obscurius: nam Lacedæmonij σοῦς celerem concitationem, ac impetum appellant. *in Cratyl.* Sapientia est vera cognitio, stultitia falsa opinio. *in Theæt.* Sapientia est seipsum nosse. *in Alcib. 1.*

Sapientia esse debet scientia custodum ciuitatis, & in his principibus

cipibus quos perfectè custodes appellamur. & per hanc vocamus ciuitatem bono consilio præditam, & reuera sapientem. *Plato de republica, dial. 4.* Sapientia est scientia quæ iustæ actioni præsidet. *Idem, ibid.* Sapientia est plurimi pretij res. *de diuin.* Sapientia est scientia quæ nihil penitus præsupponit, scientia eorum quæ semper sunt, scientia quæ rerum omnium causam contemplatur. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Sapientiæ denominatio per omnia intellectualia, rationaliáq;, & sensualia propagatur, & hæc omnia superat. *Dion. Areop. de diuin. nominib.* Sapientia Dei est causa omnis intellectus, rationis, sapientiæ omnis, & intelligentiæ, & ipsa est omne consilium. & ab ipsa omnis cognitio & intelligentia existit, & in ea omnes thesauri cognitionis & sapientiæ absconditi sunt, & omnia procreat, & angelicas mentes. *Idem, ibidem.*

Sapientia est inspectio eorum quæ possidet intellectus, intellectus autem scilicet diuinus tactu quodam habet; duplex autem est vtraque, altera in intellectu existens, altera in anima, in anima est virtus, in intellectu non est virtus, sed velut exemplar; & quod ab ipso in anima fit iam virtus est. *Plotin. En. 1. lib. 2. cap. 6.* Sapientia prima est non ex speculationibus congregata, sed tota vnum quiddam, nec composita ex multis in vnum, sed ab vno potius in multa se resoluens. *Idem, En. 5. lib. 8, cap. 5.* Sapientia vera est essentia, & vicissim essentia est sapientia, & ipsa essentiæ dignitas á sapientia vendicatur, & quæ sapientiam non habent, non sunt essentiæ veræ, *ibid.*

Sapientia est diuinarum, & humanarum rerum scientia. *Alcinous, cap. 1.* Sapientia est rerum humanarum, & diuinarum, & causarum scientia. *Phil. de cong. quær. erud. gratia.* Sapientia vocatur in sacris literis Bæthuel, id est filia Dei. *Idem, de profugis.*

Sapientia est patulus diuinæ mentis Crater, in quem quæcunque anima se immergit, cognitionis particeps effecta, mentem suspicit, at vt ad eam se attollat cælos transcendere opus est, & astrorum ambitum, & eorum progressus superare, & beatorum choros longè relinquere, tuncque ad vnum & solum Deum tendet insuperabile, & sine termino infinitum bonum. quod cùm intuetur omnia corpora despicit, & vitam qua hic vescimur miseram reputat, solius incorporei boni desiderio incensa. *Ficin. in Mercurij Trismeg. Pimandr. cap. 4.*

Sapientia est rerum diuinarum cognitio. *Ficin. in Alcinoi & Speusip. præfatione.* Sapientia per se sola est bonum, malum insipientia. *Idem, epistol. lib. 1.* Sapientia absoluti boni scientia est. *in Plato. Phileb. lib. 1. cap. 8.* Sapientia est certa rei comprehensio, quare vt certè percipiatur res ratione distincta esse debet, & vt comprehendatur, numero definita. *ibidem, cap. 28.*

Sapientia omnis, cuius proprium est consilium, menti data est, quia amore in Deum conuersa ipsius fulgore refulsit. *Fic. in Plat. conuiu. or. 2. cap. 3.* Sapientia ciuilis definitur facultas commune ciuitatis & gentium bonum coniectans. *Idem, in Plat. Theagem.*

Sapientia est mentis diuinæ idearúmque cognitio. *in Plat. Alcibiad. 1.* Sapientia est absoluti, diuinique boni scientia. *in Plat. Euthyd.* Sapientia, scientia, & prudentia, vbi Plato obseruantius loquitur vtitur; ita vt sapientia sit diuinorum cognitio, scientia naturalium, prudentia humanorum; vbi minus obseruanter, scientiæ nomine ad huiuscemodi omnia vtitur. *ibid.*

Sapientiam esse in Theæteto dicit Plato perfectam coniunctionem iustitiæ, & sanctitatis cum prudentia. per quam Deo homines simillimi efficiantur. *Iacob. Carpent. in Alcinoi cap. 1.* Sapientiæ inscriptio in Ægypto in templo mineruæ fuit, Ego sum omne quod fuit, quod est, quod futurum est: velum meum nemo mortalium hactenus reuelauit: quem ego fructum peperi est Sol: quæ eadem est ac ea quæ est apud Mosem, ego sum qui sum, & idem quod dixit Moses fiat lux. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 2. cap. 6.*

Sapientia vna & eadem est, & quam natura, & quam oraculum cæleste reuelauit, ita vt ea sit lux, quæ postremis seculis allata terris est, & quæ fuit semper, & in alio non differt nisi quòd obscuritate priorum sæculorum fulgore magnæ lucis illustrata iter quod obscurum & ambiguum erat ad veram sapientiam apertum est. *Aug. Steuch. de perenni philosophia, lib. 6. cap. 1.* Sapientiam Plato sæpe appellat prudentiã, quia vt in quoque genere supremæ causæ notitia sapientia dici potest, sic prudentia in rebus agendis, quòd ratio suprema sit, sapientia nominatur. *Sebast. Foxius in 1. Plato. de repub.*

Sapientia est habitus ex intellectu, ac scientiis simul constans, & omnia principia, & omnes conclusiones, quæ res extra animã existẽtes significant, cõplectitur. *Leo. Heb. de Amo. dia. 1.*

Sapientia a Græcis Theologia, & ab antiquis prima philosophia nuncupatur. *Idem, ibid.*

Sapientia est caput omnium scientiarum. *ibid.*

Sapientia est proprium felicitatis subiectum, ac domiciliũ. *ibi.*

Sapientia omnium scientiarum nobilissima est. *ibid.*

Sapientia oceano persimilis. *Dial. 3.*

Sapientia vt doceatur, eius effectus, & in quo est.

Sapientiam docere solebant Athenienses, illi enim infesti erant. *Plato in dial. de sancto.* Sapientia Socrati & nomen & calumniam peperit. *in Apologia.* Sapientiam qui reuera amat, & hanc spem vehementer souet, fieri non potest vt ipse vsquam alibi pro dignitate assequatur, quàm apud inferos *in phædone.* Sapientia & intelligentia opus habet voluptatibus veris, & puris, quæ cum sanitate, & temperantia, ac vniuersa virtute contingunt, quæ velut deæ huius pedisequæ ipsam vndequaq; sequuntur, cæterum illas semper cum desipientia admixtas, & ad reliquam malitiam sequente, cum intelligentia miscere maxima absurditas est, quibus virtutibus veritas miscenda est. *in philebo.*

Sapientia in ciuitate in paucis existit, quia hoc genus naturã paucissimum gignitur, cui huius scientiæ, sapientiæ scilicet, participatio conueniat: si in principe, ac præside est, tota ciuitas secundum naturam condita sapiens fuerit. *Plato de Republica, dial. 4.* Sapientiæ nil familiarius est veritate. *idem, ibi. dial. 6.* Sapientia & potentia magna à natura simul congredi solent, & hæc semper mutuò se persequuntur, & quærunt, & conueniunt, deinde & homines admodum delectantur dum de his loquuntur, & alios audiunt, & in priuatis conuersationibus, & in poematis & vt mihi videtur primi homines etiam hoc modo promethea id est prouidentiam Ioui id est potẽtiæ adiunxerunt. *Idem, epist. 2.* Sapientiã opus est ad improbos, ac iniustos cauendos, potentiã autem ad vlciscẽdos, *epist. 6.*

Sapientia facit quæcunque arte vel natura fiunt. *Plotin. En. 5. lib. 8. cap. 5.* Sapientiæ mysteria ostendere volentes sacerdotes Ægypti non figuris literarum discursiones, & propositiones describebant, sed imagines rerum significantes, quod scientia, & sapientia sit vnaquæque imago siue exemplar, & subiectum illud spectaculum totum vnà collectum, nec excogitatio quædam aut consilium. *idem, ibid. cap. 6.*

Sapientiæ in operibus qui se exercent, plerunque verba negligunt, qui verò dicendi artes callent nullam bonam disciplinam habent reconditam. *Philo, de eo quod det potiorib. insidi.*

Sapientiam æthercam reuera Deus supernè instillat generosis mentibus. *Idem, de profug.*

Sapientiæ & potentiæ progressus concomitari inuicem, vt ait Plato, & in diuinis, & in naturalibus, & arte compertum habemus: nam diuinæ intelligentiæ fontem atque speculum eiusdem potentiam esse putat, nam quia potest intelligere, idcirco intelligit, & potentia eadem contemplatur intelligendo, & horum vestigia in natura apparent, in quibus id naturã compertum est, vt ex intima naturæ potentia naturalique vigore procedat ordo quidam tum in ipsis horum formis, tum in actionibus & effectibus: ordo verò eiusmodi extrinsecus euidens, interiorémque vigorem potentiæ comitans sapientiam quandam præ se ferre videtur similisque in natura est sapientiæ, & potentiæ progressus; in arte quoque humana siue priuata, siue publica similis videtur sapientiæ, & potentiæ progressus naturalis quidem ingenij. memoriæ voluntatis: virtus ad potentiam pertinet, ea hac acquisita oritur sapientia, & in actionibus ipse ad sapientiam pertinens ordo seruatur. *Fic. in Plato. epist. 2.*

Sapientiæ studio neminem Plato profuturum esse probat, qui amore sapientiæ non fuerit accensus, & omnes eius gratia labores substineat, & oblectamenta contemnat. *Fic. in Plato. epist. 7.* Sapientia per industriam comparata, quæ est ars humana, dependet à sapientia nobis innata; & natura sapientiã imitatur. *Idem, in Plotini En. 5. lib. 8. cap. 5.* Sapientia artis humanæ coaceruata est ex multis actibus meditationum & sermonum: sapientia verò naturaliter nobis insita, & sapientia naturæ & Dei est vna quædam forma se præferens omniformem, vt vultus vnus. non sicut oratio, vel disputatio vnas nam ante vnum ex multis coaceruatum est vnum, quod se ipsum euoluit in multa, & ante hoc ipsum simpliciter vnum. *ibid.*

Sapientiæ vbi est plurimum, ibi minima opus est sorte. *Ficin. epist lib. 3.*

Sapientia nisi docente Deo disci non potest: hinc Orpheus dicebat ipsam è solo Iouis capite natam. *idem, ibid. lib. 7.*

Sapientia sine potentia manca est, paucis prodest, potentia remotã sapientiã obest multis, & quantò maior tantò perniciosior. *Idem, in Platonis epistolam 2.*

Sapientiæ totius semina in omnibus eius dialogis sparsit Plato, in libro de Republica totam moralem, in Timæo naturalẽ, in Parmenide Theologalem. *in Plato Parmen.*

Sapientiæ vel scientiæ nomine in Philebo intrinsecam omnẽ cognitionem Plato comprahendit. *Fic. in Plato. phileb. lib. 1. cap 7.* Sapientia melior est voluptate, quia conditionibus vitæ perfectæ est propinquior: veritati enim procul dubio magis consonat mens & sapientia quàm voluptas, illa veritatis capax & perceptio, hæc impedimentum *Idem, ibid cap. 37* Sapientia propinquior est veritati, mensuræ, pulchritudini, quàm voluptas, imo voluptas quo vehementior, eò remotior *ibid. cap. 63.*

Sapientiam semper innuit Plato non tam humano studio comparari, quàm purgatis mentibus diuinitus infundi solere. *Ficin in Platonis Euthydemum.* Sapientiam humanam Plato in Phædro nihili pendet præ illa quæ ab oraculis, & furoribus diuinis habetur. *Idem, in Plato. Apologiam.* Sapientiæ meditatione nil aliud assequimur quam puritatem quandam, quã mox illuminatio diuina sequitur, quæ propriæ sapientia est. *in Platonis phædonem.*

Sapientia omnis à Barbaris ad Græcos, à Græcis ad nos manauit. *Ioan. Pic. Mir in Apologia.* Sapientiam summam in religione consistere apud omnes bonos philosophos, apud omnes gentes persuasum semper fuit. *Idem, in Astrologiam, lib. 12. cap. 2.* Sapientia creata est increatæ sapientiæ ienus imago *Io. Fr. Pic. Mir de studio phil. lib. 1. cap. 3* Sapientia vt scribit Seneca à tempore quo inita est ad sua tempora mille annorum spatium non intercessit, at reuelata sapientia Hebræorum multò ante fuit. *Idem, in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib. 1. cap 1.*

Sapientia aliquando temeritati cedere debet. *Francisc. Patric. de republica, lib. 6. cap. 5.* Sapientia perficit mentis contemplationem, vt rationis discursum scientia & prudentia, illa in his quæ natura continentur, hæc in illis quæ ad mores pertinent. *Iac. Carp. in Alc. cap 7.* Sapientiæ magnitudo facit excellentem virtutem ac bonitatem. *Aug. Steuc. de peren. philo. lib 6. cap. 5.*

Sapientiam Græci non meliorem fecerunt, dilatarunt quidẽ eloquentiúsque rescripserunt ea, sed plerisque praué intellectis, non pauca superstitionibus suis contaminarunt. *August. Steuch. de perenni philosophia, lib. 7. cap. 9* Sapientia, cùm primi homines inhabitarent ante diluuium solam Armenia, in qua generis humani fuit primordium, Mesopotamiam, Chaldeam, & Assyriam: post diluuium Assyria, Media, & Armenia habitata fuit à nepotibus Noe, postea in omnes terras diffusis, à Chaldæis ad Hebræos peruenit, exceptis quæ scripsit Moses, ab Hebræis ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcus, à Græcis ad Romanos. *Idem, de per. phi. libr. 1. cap 1.*

Sapientia apud Græcos, & Romanos tribus de causis periclitata est, prima linguæ diuersitas, & locorum distantia fecit vt Græcos multa effugerint, quæ apud veteres, & exterat nationes Græcis antiquiores & cum cœlo, & terra penẽ satas haberentur: tum quòd primis temporibus Græci cùm artes adhuc inuentæ non essent alia sequerentur, & litteris vacare non possent: tertiò, quia multa, quæ à nonnullis meliore ingenio perscripta fuere, interiere, vt non peruenire ad posteros potuerint. *Aug. Steuch. de peren. phil. lib. 1 cap. 1.* Sapientia primis annis tradente Deo perfecta fuit, postea ad posteros tanquam fabula perueniis à philosophis sumpta ab ipsis habuit ortum plurimum recedens à primo, iudiciis humanis sæpe labentibus, & quam quærunt veritatem non inuenientibus: tertia est Christianorum philosophia solo nomine sapientiæ digna. *Idem, ibid. cap. 2.*

Sapientiam veram cùm nullus veterum docuerit necesse fuit eam doceri postremò à Deo vero IESV CHRISTO. *Ibid A. Steuc. de per. phil. lib. 10 c. 6.* Sapientiæ primæque philosophię studium ad humanam beatitudinem quàm maximẽ cõfert. *Leo Hebræus de Amore, dial. 1.*

Sapientiæ est entia omnia vt entia sunt scire, nihil tamen vetat & alias esse, quibus partes entis sint distributæ, etsi diuersimodẽ ipsas, & communius considerent. *Syr. in 2. meta.* Sapientia & substantias, & quæ hoc pacto insunt, per resolutiuam principia entis accipiens, & per diuisiuam, & finitiuam omnium substantias considerans, per demonstratiuam quæ per se substantiæ insunt concludens considerat. *Idem, ibidem.*

Sapientia vt expetenda, & quid ei contrarium.

Sapientiæ vita absq; voluptate non est expetenda. *Plat. in Phile.*

Sapientia, & intelligentia nominatur causa illa quæ gubernat, & ordinat annos, & menses, & horas. *Idem, ibid.*

Sapiẽtia potius quàm voluptas portionis boni particeps est. *ibi.*

Sapientia optanda est, vt ex pleniore in magis vacuum flueret. *in Sympos.*

Sapientiæ insipientia est contraria, & furor: at cum duo nõ sint vni contraria, restat, vt insipientia & furor idem sint. *in Alcibiad. 2.*

Sapientiæ maximæ participem esse decet eum qui maximis rebus præfectus est. *Plato in Lachete.* Sapientia multò magis expetenda est, quàm pecuniæ & illum ab amicis, à parentibus, à tutoribus ab externis, à ciuibus, rogare & supplicare, vt illi impertiant, huius gratia non est turpe ministrare, seruire honestis ministeriis, & obsequiis, quo quis sapiens euadat, & etiam moriendum est vt eam adipiscamur *in Euthyd.* Sapientia, & scientia omnium humanarum rerum præstantissimum est. *in Protagora.*

Sapientia præ omnibus animæ virtutibus diuinior existit, vt quæ vim nunquam amittat, à circum actione verò commodum & vtile, & rursus incommodum & damnum accipit: quare quanto acutius anima viderit improbi, tãto plura mala operatur. *Plato de republica dial 7.* Sapientiam veram qui discendi amore ductus acquirere studet, & in his velut maxime ad se pertinentibus se exercet, necesse est eum diuina & immortalia sapere, si veritatem attigerit, in quantum humanæ naturæ possibile est, immortalitatis participem fieri, & nullam huius partem relinquere, velut qui diuinem speciem semper colit, & ipsum valde probẽ exornatum dæmonem in seipso habitantem habet, insigniter felicem esse. *in Tim.*

Sapientia post naturales prouenit, deinde mores perficit, vel potius existentibus naturalibus concrescunt iam ambo, simúlque perficiuntur, aut forsan anticipans altera, alteram perficit, omnino enim naturalis virtus imperfectum habet oculum, atque morem, & principia plurimùm ab iis quæ habemus vtrisque contingunt. *Plotin. Ennea. 1. lib. 3. cap. 6.* Sapientiâ & virtute verâ qui præditi sunt exiguo a supernis secundùm animum distare videntur, in hoc solùm cedentes, quòd sint in corpore. *Idem, En. 2. lib. 7. cap. 10.*

Sapientia per meditationem veritatis cum vtilibus cogitationibus adfert rectæ rationis scientiam. *Philo Iud. de Cherubin.*

Sapientia habetur natura, est enim æterna rationum omnium in mente complexio, & perpetuus veritatis intuitus. *Ficin. in Plato. de virtute.*

Sapientiâ diuinâ dignus est qui lumen eius ferre paratus est; quis paratus? qui per continentiam primò, deinde per temperantiam, postremò per sanctimoniam, id est ciuilem purgatoriam purgatisque virtutem animi, sic animum expiauerit vt pulcher, id est purus omnino mundúsq; euaserit, & virtutem iam exemplarem id est diuinam sapientiam solam vt pote thesaurum omnium diuitiarum optauerit. *Ficin. in Plato Alcibiad. 2.* Sapientia hominibus data, vt se à malis cupiditatibus tuerentur, & in optima vitæ actione continerent. *Aug. Steuch. de per. phil lib 7. cap 20.*

Sapientia qui maxime præditi sunt & vt à stellis significatur.

Sapientiæ lumina tria potissimum habuit seculum ferẽ idem, Pythagoram, Socratem, & Platonem. *Fic. in Plato. de leg. dial. 1.* Sapientia Pythagoræ magis in contemplando fuit, Socratis in agendo, Platonis pariter & in contemplando & in agendo. *Idem, in Platonis de legibus, dial. 2.* Sapientia hominibus significatur à Mercurij stella minima omnium, quia minima est in hominibus sapientia. *Idem, epist. lib. 10* Sapiunt Tyranni dum sapientes audiunt Euripides ait. *Plato. in Theage.* Sapit frustra, qui non sibi ipsi sapit. *Ficin. epist. lib. 1.*

Sapor.

Sapor acerbus est, cùm quæcunque ingressa sunt venas, quæ circa linguam sunt, ad rariores, & teneras partes illabentia, dum terrestris quædam illorum pars colliquescit, venæ cõtrahuntur, & exsiccantur; si sunt asperiora, fit, vt dixi, sapor acerbus: si minus aspera, austerus. *Plato in Tim.* Sapor amarus fit cùm ea quæ extergunt, & circa linguam, quidquid est eluunt, si vltra mediocritatem id faciunt, & insuper quid assumunt, & corripiunt, adeò vt etiam de natura ipsius aliquid eliquent, qualia est nitrorum facultas, & si cum moderatione vtuntur, & nitri habitu inferiore sunt citra amaritudinẽ asperam, & magis grata apparent, fit salsus sapor. *idem, ibid.*

Sapor acris fit, cùm quæ oris caliditate participant, & ab ipso læuigata efferuescunt, & rursus vicissim id quod calefecit accendunt & vrunt, & præ leuitate sursum ad capitis sensum feruntur, & siccant omnia, quæ ipsi occurrunt. *Plato in Timæo.*

Sapor acidus fit, cùm aeria præattenuata sunt à putredine, & in angustas venas, & partes, quæ isthic insunt terrestres, & eas quæ moderatum aerem habent ingrediuntur ita vt motu suo efficiant, vt illæ inter se misceantur, dum autem miscentur inter se obuoluantur, & in alias ingrediẽtes alias

alias cauas efficiant his quæ ingressa sunt circuntensas, nimirum humectantes circa aerem cīua circuntensa aliquando pura, quo humida vasa aeris, aquæ cauæ ac rotundæ fiant, & quę quidem ex pura humiditate sunt pellucida consistant, bullarum nomine appellata, quæ verò ex terrestri quæ simul mouetur & eleuatur bullitionis, & fermentationis nomine nominantur; quæ affectionum causa, vt dictum est, aciditas appellatur. *Plato in Timæo.*

Sapor dulcis fit cùm ingressorum compages humida linguæ habitui ex natura cognata existens læuigat oliniens exasperata, quæ verò præter naturam comparata sunt, laxat, & quę diffusa sunt contrahit, & omnia quàm maximè secundùm naturam firmat, ita vt quidquid eiusmodi est, iucūdum fit, ac gratum, & omnium violentorum medela. *Plato in Timæo.* Saporum differentiæ sunt septem, dulcis, acer, ponticus, austerus, salsus, acutus, amarus. *Alc. cap. 19.* Saporis dulcis natura omnium reliquorum saporum naturæ contraria est: nam dulcis humorem linguæ inbibitum perfundit & delinit, acer turbat & dispergit, acutus inflammat & ad supera eleuat, amarus vehementer abstergit & liquefacit, salsus lenius purgat & permollit, ponticus obstruit meatus linguæ & contrahit asperius, austeros idem facit sed lenius. *Idem, ibid.*

Sapor acer, & austerus linguam arefacit & contrahit, ille magis, iste minus; amarus, & salsus abstergit, ille magis, iste minus; acutus calefacit & diuidit & accendit; acidus lubricā subtilitate penetrans commisces humores, crassioresque subtilioribus circunfundens facit ampullas, dulcis calidos & humidus tanquam naturæ consentaneus linguæ blanditur. *Ficin. in Plato Tim. cap. 60.* Saporum suauium pars subtilis recreat vitalem cordis spiritum, crassior per digestionem in ventre & iecore ipsum recreat spiritū vitalem. *idem, ibid.*

Saporem acidum qui maximi frigoris penè gustui stuporem inducentis perpetuò comes est, eum salso coniungere, & in carnis generatione pro fermento ponere absurdum est in philosophia. *Iac. Carpent. in Alcin. defensione.* Sapores Plato non voluit explicare per figuras, vt Pythagorici, & Democritus, sed ex sensuum affectionibus. *idem, in Alc. cap. 15.*

Saturnus.

Saturnus κρόνος appellatur κόρος enim non puerum, sed ipsius puritatem, & mentis incorruptibilitatem significat. *Plato in Cratylo*

Saturnus est ipse intellectus prorsus immaculatus. *Plot. 5. lib. 1. cap. 4.*

Saturnum sapientissimum Deum ante Iouem genitum aiunt quæ generat iterum cohibere, quatenus sic & plenus sit, & purus cum plenitudine intellectus; post hæc tradunt generare Iouem puerum iam existentem, purum scilicet ac vegetum & quasi iam Saturnum, nam animam generat intellectus perfectus existens; & cùm perfectus est oportet generare, potentiámque tantam non esse sterilem; sed id quod gignitur genitore melius esse non poterat, cùm verò foret minus, fore & illius imaginem indefinitam similiter, sed à generante definiri, & formari oportebat. *Plot. En. 5. lib. 1. cap. 7.*

Saturnus qui ligatus fingitur, quia penes se ipsum semper eodem habitu perseuerat, qui & traditur mundi huiusimperium Ioui filio concessisse, his omissis patrem suum Cælium in se ipso firmauit, & illuc vsque se erexit in altum: firmauit rursum quæ deinceps indè sequuntur, à filio exordiū nacta post ipsum. sic inter vtruoque medium tenet, tum quia alteritate quadam à patre secat, tum quia ab inferioribus abstinet, in sublime consurgens. *Plotin. Enn. 5. lib. 8. cap. 14.*

Saturnus omnium planetarum est potentissimus cuius malignitatem fugiunt, qui se tori ad contemplationem conferunt. *Fic. de vita cœlitus comparanda, lib. 3. cap. 22.* Saturnum castrasse Cœlium, & testiculos in mare iecisse, ex quibus, & spuma agitata nata est venus, intelligendum est de fœcunditate rerum omnium procreandarum, quæ in primo rerū latet principio, quam diuina mens haurit, explicátque in se ipsa primum, deinde in animam materiámque effundit, quod mare dicitur propter motum ac tempus, & generationis humorem. *idem, in Plat. phileb. lib. 1. cap. 11.*

Saturnus cronos dictus, puritatem, integritatémque mentis inuiolabilem comprehendit. *Fic. in Plat. de regn.*

Saturnum vult Plato esse supremum inter angelos intellectū, cuius radiis illustrantur inter angelos animæ accenduntúrque, & ad intellectualem vitam pro viribus continuè eriguntur, quæ quoties ad vitam eiusmodi conuertuntur, eatenus sub Saturni regno dicuntur viuere, quatenus intelligentia viuunt, ideo in ea vita dicuntur regenerari sponte, quia electione propria in melius reformantur, & in dies reiuuenescere, si modò ibi dies dinumerantur, hinc illud Pauli Apostoli, homo interior renouatur in dies; denique illis alimenta sponte suppeditari, quia non per sensus operosámque disciplinam, sed per lumen intimum summa cū vitę tranquillitate, & voluptate miris veritatis ipsius spectaculis perfruuntur. *idem, ibid.*

Saturnus apud Platonem intelligitur superna intelligentia in qua sit vniuersalis omnium lex, & prouidentia circa omnium lex, & prouidentia circa omnium essentias, & vitas, & ordines formarum; huic subesse ordines tres præcipuos numinum in quibus saturnina prouidentia in tria potissimum officia distribuit: ex his quæ numina ad distribuendas essentias propriè subministrant, communi quodam Iouis nomine nuncupatur; quæ ad vitas suggerendas conferunt appellatione Neptuni; quæ ad ordines formarum disponendos Plutonis appellat. Prometheum vero numinum gradum his aliquanto inferiorem, qui formalem ordinem naturæ duntaxat rationali præsertim in hac vita distribuit. denique tres Iouis filios Asiæ, Europæ, & Aphricæ iudices tria vult intelligi numina ad ist maxima ministra Iouis atque Plutonis, vt formalis ordo iustitiæ in separatis à corpore animis expleatur. *Fic. in Plat. Gorg.* Saturnus apud Platonem significat supernam intelligentiam, in qua sit vniuersalis omnium lex atque prouidentia circa omnium essentias, & vitas, ordinésque formarum. *Idem, ibid.*

Saturno mundi moles tota, & cunctorum continuatio permanens dedicatur. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 32.* Saturnus terræ dominus non permiscetur in cœlo, saturnini, & melancolici in terra similiter. *idem, ibid. cap. 40.* Saturnum homines in greges custodiæ dæmonum commendasse pluribus modis exponitur, vel vt ait Timæus diuinam mentem animas hominum in varios ordines ab initio diuisisse stellarum animarum numerum comitantes; alio modo ab omnibus initio, vel statim post diluuium rudiores homines diuina prouidentia angelorum, siue dæmonum meliorum ministerio rexisse donec paulatim facti peritiores ipsi se regerent, vel vt quotidie quicunque vitæ rationem eligunt ab aliis quodammodo segregatam, ritéque educati fuerint, statim in contemplatiuum beatúmque Saturni regnum commigrare dicantur, sed quatenus sub contemplationis officio in ritus varios discernuntur, eatenus & in multos greges secerni videantur, & aliis atque aliis pro vitæ similitudine inspirari numinibus, atque regi. *Idem, in Platon. de legib. dial. 4.*

Saturnum in duodecima cœli domo collocant, & Martem in sexta. *Ficin. in Plotin. En. 6. lib. 3. cap. 3.* Saturnus non frigiditate conglutinat, alioqui semen ab initio redderet generationi, & vitæ ineptum, sed virtute potius à circunferentia ad centrum omnia redigente. *idem, ibid. cap. 6.* Saturni radius si in frigida & sicca materia capitur ex accidenti tunc est frigidus & siccus, sed & humore suo temperat caloris excessum, & conglutinandi virtute cohibet humoris effluxum. *ibid.*

Saturni reuolutiones solus sibi finxit Albumasar. *Ioann. Pic. Mirandul. in Astrolog. lib. 5. cap. 3.* Saturni natura propria corrumpendi esse videtur. *Leo Hebræus de Amor. dialog. 2.*

Saturnus ex Opi tres liberos cæteris insigniores fertur habuisse, Plutonem, Neptunum, ac Iouem. *idem, ibidem.* Saturni ortus à poetis decantatus est, vt qui ex terra ac cœlo procreatur. *ibid.* Saturnum Ioui infensum asserunt, quia qui in suis natalibus Saturnum Ioue potentiorem sortiti sunt, maxima incommoda huius maleuoli planetæ dominio sortiuntur. *ibid.* Saturnus cęlestem naturam animo, naturámque terrestrem corpore optimè repræsentat. *ibid.*

Satyrici vtiles sunt, quia insectantur vitia, laudant virtutem, & adolescentes ad speciem virtutis & vitæ melioris dirigunt. *Franc. Patr. de Repub. lib. 2. cap. 6.*

Saxorum augmentum est ab anima terræ, ideò solùm quandiu hærent terræ, crescunt. *Ficin. Platonica Theologia lib. 4. cap. 1.*

Saxa non liquescunt, quia terræ plurimum habent, & humorem non adeò pinguem habent, nec instar olei glutinosum. *idem, in Plotin. En. 2. lib. 1. cap. 6.*

Scalenus est triangulus vnum rectum angulum habens, alterum duarum tertiarum, alterum vnius tertiæ, ergo est pyramidis, octaedri, & icosaedri elementum, cùm pyramis ex triangulis quatuor æquilateris constituatur, quorum quilibet in sex triangulos scalenos diuiditur: icosaedra figura ex viginti similiter. Isoceles autem triangulus figuræ cubicæ elementum est. *Alc. cap. 13.*

Scelus quoddam esse timebimus arma in bello prædata à domesticis ad templum deferre, nisi Deus aliud dicat. *Plat. de repub. dial. 5.*

Sceptici Philosophi à Pyrrho Eliensi fluxerunt; voluptatem

nullam esse simpliciter asserunt, sed pro diuersitate hominum, quod huic voluptas, illi inuoluptuosum esse. *Fic. de vo. cap.16.* Scepticorum philosophorum mos erat nihil in alterutram partem, aut affirmãdo, aut negãdo passis vt aiunt, velis tendere, sed omnia considerare diligentissimè, & omnibus qui quicquam dogmatum afferent contradicere. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. in exam. vanitate doctrinæ gentium, libr. 1. cap. 2.*

Scepticorum loci decem custodiebantur ad cohibendum assensum: primus pertinebat ad animalium differentias, secundus ab hominum diuersa natura, siue habitudine varia sumebatur, tertius excipiebatur à differentibus affectibus siue præparationibus, quæ in sensoriis inueniebantur, quartus à circumstantiis, & dispositionibus manabat, quintus à positu rei vario, à loco, & locorum intercapedine pendebat, sextus à mistione trahebatur, septimum quantitas, & subiecti præparatio constituebat, octauus ex his quæ sunt ad aliquid siue relatione sumebatur, nonū frequentes vel rara aggressiones fecere vocabulum, decimum variæ disciplinæ, diuersi mores, differentes leges, fabulosæ narrationes, opiniones, & coniecturæ philosophorum dissidentes constituerunt. *Io. Francisc. Picus Mirandul. in exam. vanitatis doctrinæ gentium, lib.2. cap. 21.*

Scitum Dei est lex, quam inexcusabilem esse asserimus ob ineuitabilem causam, quam sanxit Deus animæ mundi ad perpetuam rerum omnium gubernationem. *Chalc. in Plato. Timæum.* Sciendi cupidi in vrbibus, & non ruri manere debẽt, nam arbores non docent sed homines in vrbe. *Plato in Phædro.* Sciens, scitum, scientia in mente prima sunt idem, nec ibi est accidens, & numerus ibi est cum quo entia generat, & sic entia numerus antecedit. *Plotin. En. 6. lib. 6. cap. 55.*

Scientes aliquid circa illud concordes sunt, cuius concordiæ causa prima est ipsa rerum determinata natura, secunda quòd ipsa cognitionis iudicaria eadem sunt apud omnes, tertia quod in primis principiis intellectus est ad ipsum vnitus. *Proclus in Alcibiadem, 1.* Sciens omnis qui scit essentiã suam, est rediens ad essentiam suam reditione completa, quia scientia non est nisi actio intelligẽtis quia sciens, & scitum sunt res vna, quoniam scientia scientis essentiam suam est ex eo, & ad eum quia est scitum. *Aristot. de causis cap. 3. propo. 15.*

Scientia quæ in vniuersali accidunt.

Scientia omnis tria habet, subiectum, accidẽtia, & principium. *Proclus in Euclidem, lib. 2. cap. 2.*

Scientia nulla sua demonstrat principia. *Idem, ibid.*

Scientiæ tribus extremis continentur, subiecto, affectionibus, & causis, & in singulis est aliquid generale, aliquid speciale. *Iacob. Carpent. in prima digressione de analytica methodo.*

Scientię singulæ quæ particulares nominantur, demonstrant per causas in suo genere primas; sola verò Theologia per causas omnino primas. *Idem, in Alcinoo cap. 6.*

Scientiarum diuisio.

Scientiæ duplex modus, alius rùm audit vt discat, alius rursus cum quæ scit addiscit, ita vt repetat, & habeat vniuscuiusque scientiam, quam dudum possidet, sed promptam non habuit cognitionem. *Plato in Theæteto.*

Scientiæ alię in actu rerum, alię in cognitione versantur. *idem, ibid.*

Scientia siue regia, siue ciuilis, siue œconomica, quoad principatum attinet vna est. *ibid.*

Scientiæ vniuersæ cognitionis diuisio duplex est alia præparatoria alia iudicatoria. *ibid.*

Scientia alia purior alia, vt voluptas voluptate. *in Philebo.*

Scientias Plato in Theæteto columbis comparat quarum aliæ gregatim volant, aliæ seorsum, cùm magis communes magis capaces sunt. *Proc. in Eucl. lib. 1. cap. 4.*

Scientia omnis duplex, alia circa immediatas propositiones versatur, alia circa ea quæ ex illis ostenduntur. *Idem, in Eucl. lib 3. cap. 1. com. 5.*

Scientia ciuilis in duas partes diuiditur, prior cõmunibus quibusdam rationibus habitus & rationes voluntarias, nec non reipublicæ gubernationem describit, & quænam sit vnius ad alteram partem ratio, & quid ex his alterius gratia sit tuendum: altera quo pacto habitus eiusmodi firmetur in animo, & qualis habitus sub quali collocatur: prior continetur in libris scriptis ab Aristotele ad Nicomachum, altera in Politicis & in hoc Platonis libro. *Auer. in temp. Pla. trac. 1.*

Scientia quid est.

Scientia quòd ἐπιστήμη indicat, quòd præstans animus rebus quæ feruntur instet, eásque sequatur, neque relinquat, neque præcurrat, & abiiciat ἐπιστήμη. i. fidam, & constantem ipsam nominare oportet. *Plato in Cratylo.*

Scientiam sensum esse dixit Protagoras, nam dicebat hominem rerum omnium mensurã esse earum, quæ sunt, vt sunt, & earum quæ non sunt, vt non sunt *in Theæteto.* Scientiam & sensum idem esse impossibile est. *ibid.* Sciens aliquid an potest non scire hoc quod nouit, grauissima quęstio est. *ibid.* Scientia non est opinio, cùm opinio sit & vera, & falsa, at scientia vera est opinio. *ibid.*

Scientia vnaquæque veritatis est scientia. *Plat. in Parmenide.* Scientia vnaquæque singulorum quæ apud nos sunt, scientia est. *idem, ibid.* Scientia circa ea quæ discimus, partim est opificiaria, partim circa disciplinam ac educationẽ versatur. *in Philebo.* Scientia quæ est eorum quæ nec fiunt nec pereunt, sed secundùm eadem, & similiter semper existunt, verior est scientia; & voluptas alia est alia sincerior, permixta ergo verissimis vtrisque partibus, vitam maximè expetendam an faciant videndum. *ibid.*

Scientia non est dux in ciuili actione, cùm ex ipsa virtus non contingat, sola igitur rectã opinione ciuiles viri vtentes ciuitates, & respublicas gubernant. *Plato de virtutib.* Scientia omnis si à iustitia & reliqua virtute separatur, vafricia, non sapientia apparet. *idem, in Menone.* Scientia disciplinæ ipsius est scientia, aut eius cuius scientiam censere oportet. scientia quædam & qualis quædam cuiusdam, & qualis cuiusdam scientia est. *de republica, dial 4.* Scientia est omniũ facultatum robustissima. *de republ. dial. 5.* Scientiæ de eo quod est, à natura est cognoscere quòd est id quod est. *ibid.*

Scientia est comprehensio animæ immutabilis ratione, vis comprehensiua alicuius, vel quorundam ratione immutabilis, ratio vera in cogitatione immutabilis. *Speusippus de Platonis definitionibus.* Scientia est medicamentum perfectissimum. *Plat. in Atlantico.* Scientia est donum Dei. *Mercur. Trismegisti Pimander, cap. 10.* Scientia eorum quæ sunt absque materia idem est atque res ipsæ. *Plot. En. 5. lib. 9. cap 5.*

Scientiam, si ratio imperat, habere est principium beatè & bene viuendi. *Max. Tyrius, serm. 17.* Scientia nil aliud est, quàm stabilitas rationis iisdem semper vestigiis hærentis, captantia primò congeras quodammodo res, post distinguẽtia quicquid in eis videret dissimile. *idem, serm. 40.* Sciẽtia accommodatur altis, & sapientiã solã perceptibilibus rebus, cuiusmodi sunt Deus, & intellectus, quas ideas vocamus. *Chalcid. in Timæum Platonis.*

Scientiæ propriè scientiæ appellantur quæ de æternis, & per se existentibus, & semper eodem modo affectis pertractãt. *Syrian. in 12. metaphys.*

Scientia est illustratio quædam ex intellectu dependens. *Proclus in Alcib. 1.*

Scientiæ eiusdem est vei, & multis persuadere. *idem, ibid.*

Scientia nulla reperitur scientiæ contraria. *ibid.*

Scientia non est summus cognitionis apex, sed super eam est intellectus. Non intellectum duntaxat ab animis separatum, sed ipsam quoque illustrationem animæ illius infusam, de qua Aristoteles ait intellectum esse quo terminos cognoscimus, & post intellectum, ipsam quoque animæ existentiam, per quam vnum sumus, & sub qua vnitur multitudo nostra, suscitare fas est. *ibid.*

Scientia Plato plerisque in locis vniuersalium appellat cognitionem, ipsam opponens sensus cognitioni, siue hic modus arte siue experientia fiat, & vniuersalium cognitionem diuidit in eam quæ causas, & eam quæ sine causa cognoscit, alteram scientiam appellat, alteram experientiam, & sic alicubi artibus scientiæ nomen attribuit, experientiis nequaquam: & hanc scientiam quam ab artibus distinguimus diuidens vnam suppositionis expertem vult esse, alteram ex suppositione scaturire, & quæ suppositionis est expers vniuersorum cognoscendorum vim habere, ad bonum vsque scandere; hæc verò quæ definita sibi principia præstruit, ad finem tendere; & sic ait Mathematicam à scientia deficere, ideò non expellit Plato à scientiis Mathematicam, sed ab vnica scientia quæ supremam tenet sedem. *Procl. in Eucl. lib 1. cap. 10.*

Scientiæ est opus causarum notitia, tunc enim scimus cum causas cognoscimus. *Proclus ele. Theolog. prop. 113.*

Scientia & ars in animæ parte rationali solùm consistunt. *Alcinous cap. 26.*

Scientia & scibile in rebus abstractis idem est, ideò multò magis intelligens & intellectum vniuntur, & idem sunt in rebus à materia separatis. *Priscian. in Theophrastum de phantasia & intellectu, cap 19.*

Sciẽtia est ex multis intellectis facultas, meditatione acquisita

ad finem

ad finem aliquem bonum ac vtilem, *Philo de cong. quær. erud. gratia.* Scientiæ sunt puteus fundo & fine carens, nam semper viget anima ad scientias, cùm corporis vires marescāt, & longa ætate langueant: at in contemplationib. aliæ post alias oriuntur, vt nunquam earum sit finis. *Idem, de somnus*

Scientia in rationibus rerum vniuersalibus reuera versatur. *Ficin. Plat. Theologia lib. 8. cap. 2.*

Scientia est actus vnicus, siue habitus, tactus inquam simplex simplicis formæ, indiuiduus indiuiduæ veritatis intuitus, subitum intelligentiæ lumen. *idem, ibid. cap. 4.*

Scientiam esse seorsum Pythagoras cēset, cui Thales Milesius, Homerus, Epicharmus, Empedocles, Heraclitus, & Protagoras consentiunt *idem, in Plato Theæte.*

Scientia naturalis est de rebus non indiuiduis, sed de speciebus. *Ficin. in Plato. Phileb. lib. 1. cap. 20.*

Scientiæ, quæ vtuntur manibus, dicuntur artes *idem, ibid. cap. 53.*

Scientia non est eorum, quæ in motu sunt, ac aliter se habere possunt. *Idem, in Pla. Thea.*

Scientiæ definitiones à sophistis septem adducebantur: prima scientiam esse singulas facultates quę discuntur, secunda esse sensum, tertia opinionem veram, quarta opinionem veram cum sermonis prolatione, quinta opinionem veram cum discursu per elementa, sexta opinionem veram cum differentiæ imaginatione, septima opinionem veram cum scientia differentiæ. *ibid.*

Scientia est diuinorum certa ratione comprehensio in mente residens, in rationem profluens, à Deo menti inserta, à dialectico præceptore in rationem Deo inspirante reducta, rationem in mentem dirigens, mentem cum diuinitate coniungens. *Fic. in Pla. Theætet.*

Scientia non est circa vmbras corporum, nec circa corpora, vel mathematica, sed in solo intellectu diuinorum. *idem, ibidem.*

Scientiæ obiectum est ens. *Idem, in Plato sophistam.*

Scientiam superioribus, nobis opinionem veram, & paucissimis scientiam conuenire, sententia est Pythagoreorum, & Platonicorum. *ibid.*

Scientia in speciali rerum distinctione consistit. *Fic. in Pla. Charmidem.*

Scientia est custos contra omnia vitia. *Idem, in Pla. de rep. dial. 8.*

Scientia est acquisita cognitio per discursum, ratio enim scitura aliquid discursum reuocat ad insitas rationes, per quas dum res cognoscit, habere res scitas dicitur in se ipsa, imò Plotinus ait rationem per rationes innatas secundùm potentiam esse omnia, & cùm aliquam in actum exerit rationem, tunc animam ipsam euadere rationem, & hoc ipsum esse scire. *idem, in Priscian. Theophrastum de phantasia & intellectu, cap. 59.*

Scientiarum omnium vniuersalibus voluit Aristoteles descriptiones accommodari, & omnem contemplationem in rebus singulis abstractam ad hæc ipsa referri. *Iacob. Carp. in Alcinoo 2. digre.*

Scientia omnis bona & expetenda. *Io. Franc. Pic. Mir. de studio philosophia. lib. 1 cap. 1.*

Scientia præstantior est illa quæ rerum initia maximè efficientia tradit, qualis est prima philosophia. *Seb. Foxius in Plat. phædonem.*

Scientia est habitus cognoscendi conclusiones, quæ ex iam dictis principiis deducuntur. *Leo Heb. de Amore, dial. 5.*

Scientia vt diuina, & speculatiua.

Scientia diuina non est vt scientia intelligibilis, nec vt scientia animalis, vel animæ, imò est supra scientiam intelligentiæ, & scientiam animæ, quia est causans ipsas. *Aristot. de causis cap. 3 prop. 9.* Scientia penes Deum, & potestas idem sunt, & quemadmodum quod ab initio cognoscebat, & facere poterat, ita quod cognoscit adhuc æquè reficere potest. *Athenago. de resurr. cap. 5.*

Scientiam firmam cui Deus dat, ei dat & operari virtutes indesinenter, & asseruare eas tanquam in promptuario. *Philo in leg. allega. lib. 5.* Scientiæ contemplatiuæ quæ mores non corrigunt similes sunt arboribus non facientibus fructus. *idem, de agr.*

Scientiæ speculatrices ad agendum præparant, & iuuant, nec in alio differunt, quam quòd actiuæ superioribus inseruiunt, speculatiuæ illis artibus auctoritatem ac dominium præstant. *Auer. in Plato rempublicam tracta. 2.* Scientia Dei, qua Deus intus ideas contuetur, non ita ad nostram scientiam refertur, vt intuitu quodam recto hæc velut obiecta prima intueatur. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 27.*

Scientia diuinorum intellectualis dici solet, Mathematicorum verò scientia rationalis potius appellatur. *idem, in Plat. phileb. cap. 57.*

Scientia in anima diuina non est ex notionibus genita vt quæ est in anima, nec vt aliud in alio vt formalis ratio in intellectu, nec entium; sed est ingenita, simplex, & essentialis virtus, ipsaque essentia, essentiamq. suam aspicit vt obiectū, atque est in primo ente scientia vera, scientiarum omnium exemplar & causa. *Ficin. in Platonis Phædr. cap. 22.* Scientia per affirmatiuum modum Dei propria est, qui & naturas ipsas, & naturarum causas comprehendit. *Idem in Plat. apologiam.* Scientiam Plato Deo tribuit, nobis opinionem. *Marsi. Fic. in Plotini Enn. secunda. lib. 3. cap. 7.*

Scientia prima à Deo Adamo tradita fuit, à quo ad posteros transmissa medio filiorum; & Mathusala, qui per annos 240 vidit Adam ab ipso eam capere potuit, & Noë, cū quo plus quingentis annis ante diluuium vixit communicatā, qui posteris eam communicauit, & maximè Abrahamo, qui vixit ante Noe obitum plus quinquaginta annis. *August. Steuch. de per. phil. lib. 1. cap. 1.* Scientiæ monimenta retinuerunt Chaldæi, Armeni, Babylonij, Assyrij, Ægyptij, in quorum terris res gestæ antiquorum sunt. *idem, ibid.*

Scientia prima partim nata à prima hominum origine per omnes ætates deuoluta est ad posteros partim ex multiplici rerum consideratione parta philosophiæ nomine semper celebris fuit. *ibid.* Scientiam rerum verisimile est ab Adamo hominibus traditam fuisse *ibid.*

Scientia vt se habet ad opinionem & vt actiua.

Scientiam habere & habere opinionem hoc differt, quòd qui scientiam habet semper assequitur, qui rectam opinionem, quandoque assequitur, quandoque non. *Plato de virtute.* Scientia & opinio recta non insunt naturā. *idem, ibid.* Scientia est absque errore, opinio esse non potest absque errore. *de republica dial. 5.* Scientia, & opinio, ambæ facultates sunt. *ibid.* Scientia versatur in eo quod est, ignorantia in eo quod non est, in medio est opinio. *ibid.*

Scientiæ circa intelligibilia, & opinionis circa sensibilia, intellectus ac sensus principia sunt. *Alc. cap. 4.* Scientiā, & voluptate carnali nihil est magis contrarium. *Philo quòd deus sit immut.* Scientia practica à contemplatiua differt, subiecto, & principiis, & fine. nam sunt practicæ subiectum res voluntariæ, quarum principium est voluntas, & electio, vt naturalis scientiæ natura principium, & res naturales subiectum, diuinæ scientiæ principium Deus, subiectum res diuinæ: practicæ quoque finis est praxis, illarum autem scientia. *Auer. in Remp. Plato. tracta. 2.*

Scientiæ nullæ sunt contrariæ. *Ficin. Plato. phil. b. lib. 1. cap. 54.*

Scientia non est scientiæ contraria, quia mens à qua procedit, ad maxima & minima æquè se habet, & dum causam quærit non sistit se in aliquo, dum causam eius indagare potest, in solo eo quod sine causa est vt infinitum quiescit; infinita ergo est capacitas quæ loco infinito repletur. non sic sensus, maximum enim obiectum vim eius superat, minimum non percipitur, & maximum impedit minimum. *idem, ibid. cap. 25.* Scientia moralis, & ipsum bonum differunt, nam scientia moralis sufficit plerunque, vt habere eam appareant, bonum verò habere reuera omnes volunt. *ib. d. ca. 8.* Scientiam à sapientia ita discernit Bernardus, vt illa ad intellectum, hæc ad affectum pertineat. *Ioan. Fran. Picus Mirand. in exam. vanitatis doctrinæ gent. lib. 1. cap. 1.*

Scientia vt in nobis.

Scientia in nobis est ante natiuitatem. *Plato in phædone.* Scientiam adeptæ sunt animæ nostræ antequam corpori vnirentur. *Idem, ibid.* Scientia fit ex memoria, & opinione quietem adepta *ibid.* Scientiam inuenire summum quid est. *in Theæteto.* Scientiam qui adeptus est ac in animæ columbario conclusit, dicendum est ipsum didicisse aut inuenisse rē, cuius est hæc scientia, & ipsum scire hoc esse. *ibid.* Scientiā qui tradit docet, qui accipit discit, qui habet scit. *ibid.*

Scientia non est sensus, nec vera opinio, neque cum vera opinione λόγοι accedens. *ibid.*

Scientia est commixtio rerum. *Plato in sophista.*

Scientia præditus esse debet vir ciuilis. *Idem, de regno.*

Scientiam consequi, maximum & grauissimum est. *ibide.*

Scientiæ bonum signum est alios docere posse. *in Alcibiad. 1.*

Scientiæ possessio, si quis absque optimi cognitione adeptus est, rarò prodesse potest, sæpe autem obesse ei qui possidet. *in Alc. 2.* Scientia eadem de iisdem & futuris, & præteritis, & præsentibus scit. *in laches.*

Scientia non à multitudine iudicari debet, sed à perito illius scientiæ *ibid.*

Scientia consensio nunquam fieri potest ex his cuius principiū est id quod non nouit, finis autem & media ex eo quod non nouit connexa sunt vt in mathematicis. *Plato de rep. diala. 3.* Scientias ita discere debent alumni nostri, vt nihil imperfectum discant, & quod non illuc semper tendat, quò omnia peruenire oportet. *Ibid. dial. 7.*

Scientiam nullã, nec disciplinam cum seruitute liberum hominem discere conuenit. *ibid.* Scientia nulla potentioris commodum considerat, neque ipsi præcipit, sed inferioris, & subditi sub seipsa. *de repub. lib. 1.* Scientia vacuus esit, qui obliuione plenus est. *ibid. dial. 6.*

Scientia præditi ab vno quodam superiore principio cognitionem suscipiunt vniuersam, intellectus enim eis principia tradit: at ignorantes à sensibus ab imaginatione, ab opinione, ab ira, & concupiscentia principia sumunt, ideò ad seipsos discordes sunt. *Procl. in Alc. 1.* Scientia per doctrinã philosophiæ, quæ reminiscentiam præstat, acquiritur, dum ratio quæ pennas olim ebiecit, ad mentem conuersa reminiscendo iterum alas recuperat. *Ficin. in Platon. de virtute.* Scientiæ modus debet sequi rerum modum. *idem, in Plato. Phileb. lib. 1. cap. 23.*

Scientia, vel ars dari non potest, qua facta sit, nec ne res particularis quæpiam, cognoscatur. *Io. Pic. Miran. in Astrologiam, lib. 9. cap. 2.* Scientifica omnis notitia oritur è substantia illius, cuius est scientia. *Gab. Bur. de ideis lib. 1.* Scientia non erguit vnitatem vniuocam generis, sed analogam. *idem, de ente & vno, lib. 2.*

Scientiarum adeptio non solùm consistit in sedando passiones animi, & corporis, sed requiruntur sensationes tum externæ, tum internæ, & phantasmata species illas mouentia. *Gab. Burat. de reminiscentia, lib. 4.* Scientiæ omnes licet nobis deseruiant ad felicitatem consequendam, ac in absolutissimi boni notitiam famulentur, nihil adeò nos in eius notitiam ducit vt sapientia. *idem, de hom. felic. lib. 6.*

Scientiæ vacuus est homo obliuiosus. *Iacob. Carpen. in Alcinoo cap. 1.* Scientiarum omnium cognitio difficillimè quidem ab vno tantommodò viro potest acquiri. *Leo Hebr. de amore, dial. 1.*

Scientiæ proprietates.

Scientiæ omnes mala abiiciunt, & bona assumunt. *Plato de regno.*

Scientiæ neminem lædunt vbi quis iam primas habet. *idem, in Philebo.*

Scientiâ nihil præstantius est, sed hæc semper vbicunque est, dominator. & voluptati, & reliquis omnibus *in Prot.*

Scientiæ inopiâ peccant illi qui circa voluptatum, & mœrorum electionem peccant *ibid.*

Scientiæ finis est agnoscere suam ignorantiam, solus enim Deus sapiens est. *Philo de mig. Abraham.* Scientię arbor, etsi radices aliquantulum amaras habere videtur, tamen fructus profert suauissimos *idem, epist. lib. 1.*

Scire est acceptam alicuius scientiam habere, & non amittere: *Plato in Phadone.* Scire prius oportet illum ea quæ docere vult, & inter se consentire, alioqui nesciunt. *idem, in Alc. primo.* Scire nihil semper Socrates profitebatur præterquàm exiguam quandam disciplinam rerum amatoriam, in hac se præstantem esse supra quoscunque & superioris & pręsentis æui profitebatur. *in Theage.* Scire quodammodo non potest quæ quis nullo modo nouit, nam quod nouit se scire assensio nostra asserit. *in Charmide.* Scientia boni & mali si deficit, omnes scientiæ inutiles sunt. *ibid.*

Scire est rem per causam cognoscere, ipsum vnum cùm nullam habeat causam cognosci nequit. *Ficin. in Plato. Parmenidem. cap. 78.* Scire vno modo, & ignorare alio non est inconueniens, vt habitu scire, actu ignorare. *idem, in Plato. The.* Scire non rectè nequimus, opinari non rectè possumus. *in Plato Timæum, cap. 28.* Scire nostrum est quoddam reminisci. *Gabr. Buratel de reminiscentia, lib. 4.* Scita, & cognita alia per se sciuntur, alia per accidens, & eorum quæ cognoscuntur per se sunt ideæ, aliorum non. *idem, de ideis lib. 1.*

Scire nil aliud est quàm causam rei tenere. *Iacob. Carpen. in Alcino. 1.* Scire alij volunt vt sciant, & curiositas turpis est, alij vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est; alij vt scientiam habeant venalem ad pecuniam, vel honores respicientes, & turpis quæstus est: alij vt alios doceant, & charitas est; vel vt habeant quo dirigere mentem habeant, & prudentia est. *M. Anto. Natta de immort. animi, lib. 1.* Scire omnia Dei est, & cui ille dederit. *idem de pulchro, lib. 5.*

Scipio bone magistro ad rempublicam accedebat. *Fic. in Plat. de rep. dial. 7.* Scipio Aphricanus anno 24 procósul in Hispaniam missus est, Hannibal 26. anno imperator exercitus fuit, Alexander Macedo 16. anno primam militiã exercuit, Megarenses vicit, captâ vrbe ciues omnes expulit, nouos colonos induxit *Fran. Pat. de reg. lib 3 cap. 3.*

Scopum cuiusuis rei qui ignorat, mentem, & intelligentiam circa illam rem habere non videtur. *Plat. de leg. dial. 12.*

Scorpionem appellans, quia tunc frigore aer primo pungit. *Fic. in Plo. En. 2. lib. 3. cap. 3.*

Scribendi orationes studio maximè tenentur viri ciuiles, & hoc non est turpe, sed malè scribere turpe est. *Plato in Phædr.*

Scribere in aqua, prouerbium est. *ibid.*

Scriptorum omnium præstantissima sunt ea, quæ de legibus composita sunt ad hoc vt is qui discit, melior fiat, si sanè rectè posita fuerint, alioqui frustra diuina & admiranda lex menti, ac intelligentiæ nomen cognatum haberes, vt νόμος velut νοῦς appelletur. *de leg. dial 12.*

Scribendo, & loquendo legitimum terminum solus ille seruabit, qui prius in cogitando seruauerit; seruabit autem in cogitando, qui quæ vera pulchritudo est, & quę non vera, cognouerit. *Ficin. epist. lib. 1.*

Scribere non est turpe, omnes enim id optant, vt ex scriptis apud posteros celebrentur, sed scribere malè turpe est. *idem, in Plato, Phædr. cap. 34.*

Scriptorum discordia testimonium est falsitatis. *Ioan. Pic. Mir. in Apologia.*

Scriptores veteres gentium nulli extiterunt, qui non biberint errorem alij plus, alij minus; nostri autem qui instinctu diuino sacras literas tradidere, soli emaculati fuerũt mendacijs. *idem, de studio philo. lib. 2. cap. 3.*

Scriptor nemo tam est malus, ex quo non possit aliquam vtilitatem referre, is qui legit animo beneuolo. *Iacob. Carpent. in Alci præfatione.*

Seipsum qui non cognoscit, ridiculum est aliena considerare. *Plato in Phedro.* Seipsum et res suas cognoscere difficile est, vt Pythiæ scriptum monet. *de leg. dial. 11.*

Seipsum cognoscere simplicis est. *Plotin. Enn. 5. lib. 3. cap. 1.*

Seipsum vnumquodque expetit, & sui est cùm solum sibimet annuit, ad se vergere est intus permanere, at quod magnum fit magis sui petit. *Idem, En. 6. lib. 6. cap. 1.*

Seipsum qui valde cognoscit, valde contemnit, reputans quam nihil sit quidquid creatum est: qui autem seipsum spernit eum qui est cognoscit. *Phil. de somn.*

Secula quatuor, ferrea, plumbea, argentea, & aurea, à Poetis decantata Plato traduxit in hominum ingenia, & quod ingenia producit secundùm illud ita nominandum est, si aurea aureum, si ferrea ferreum *Fic. epist. lib. 11.*

Secundùm se ipsum, & qua seipsum, differunt etiam apud Aristotelem; nam quod secundùm seipsum alicui competit, potest ei non competere primò; quod qua ipsum conuenit, præter id quod conuenit secundùm seipsum, etiam primò competit ei, & adæquatur. *Procl. in Alc. prim.*

Seueritatem iucunditate condire, & grauitatem comitati coniungere, magnum & perdifficile videri potest. *Franc. Patric. de Regno, lib. 4. cap. 3.*

Securitas est virtus animi excelsi, qui postquam præuidit, quæ per prudentiam præuidere possunt, liber est ab omni cura, & omni solicitudine, & paratus labores omnes subire, ac dolores decori gratia perpeti, & mortem etiam appetere. *Fr. Patr. de reg. lib. 7. cap. 10.*

Sedendo homines sapientiores fiunt: hinc sella attribuitur doctoribus in gymnasijs, & in foro iudicibus. *Mar. Ant. Natta de pul. lib. 6.*

Seditio.

Seditione in ciuitate orta non est optandum vt perditis alteris, alteris victoribus pax fiat, sed vt amicitia, & pax ex reconciliatione fiat, & sic necessariò contingat, vt in externos hostes animum intendant. *Plato dial. 1. de legib.*

Seditio est bellum quod in ciuitate oritur. *idem, ibid.*

Seditio omnium bellorum grauissima est, & multò mitius est bellum, quo aduersos alienigenas vtimur. *ibidem.*

Seditione in graui vir fidus potior habendus est auro, & argento. *ibid.*

Seditione qui agitantur nullam requiem malorum habent. *Idem, epist. 7.*

Seditionibus maligna sunt conuiuia, & exercitationes, etsi ad multa alia prosunt ciuitatibus. *dial. 1. de leg.*

Seditiones nunquam in ciuitate sedantur, nisi illi qui superiores euaserunt leges condãt non magis ad voluptatem suam quàm eorum, qui succubuerunt spectantes, & illis legibus vti cogant & timore, & pudore, timore, quia eo quòd ipsis superiores sunt, vim suam ostendant, pudore, eo quòd voluptatibus superiores apparent, & qui velint, ac possint magis legibus seruire, & ij qui superiores euaserunt inter ipsos eligere, & præferre debent viros optimos, & meliores primùm senes, & qui liberos & vxores domi habent, & qui omnes possessionem satis iustam obtinent, vt autem sint in ciuitate quæ decem millia virorum continet, quinquaginta satis est. Hi precibus, & honoribus maximè accersendi sunt e domo, & vocati iusiurandum præstent iudicandi, & reddendi ius vniuersæ ciuitati, non plus victis, quàm victoribus tribuendo. His peractis, si victores magis obediant legibus quam victi,

quam victi, omnia bene se habent, sin secus, nihil spei erit. *Plat. epist. 7.*

Seditionem mouet incuria, & desidia eorum qui ciuili societati præsunt. *Franc. Patric. de republica, lib. 6. cap. 5.*

Selenites lapis id est lunaris, lunæ figura corniculari similis, quadam sui mutatione lunarem sequitur motum. *Procl. de sacr. & magia.*

Semen.

Semen in cornu proiectum, prouerbium de hominibus duris: nam vt semina in cornu proiecta non molliuntur igne, sic hi homines persuasionibus molliri non possunt. *Plato de legib. dial. 9.*

Semen ex quo fit homo, an ex mare solo, an etiam ex fœmina procedat, adhuc est lis inter philosophos, & ex quo fiat, alij ex quatuor elementis, alij ex quatuor qualitatibus ea consequentibus, & humoribus ex illis constitutis componunt, alij ex sicca humida & spiritu, qui spiritus diuidebatur in naturalem & animalem. Stoici introducebãt habitualem, Alchmeon cerebri partem esse semen putauit, Pythagoras optimi spumam sanguinis esse voluit, & id quod ex alimẽto superfluit generationi seruatum; Plato & ante Hippon defluxum cuiusdam medullæ, alij ex carne, & adipe deriuatum. Arist. semen esse statuit quòd in se ipso commouere posset ad perficiendum tale quiddam, quale id est à quo excernitur, & genituram spumam procedente opere vocat, semen excrementum id est reliquias elementi, & partem vtilis excremẽti, & in decima particula problematum in Alchmeonis sententiam prolixius labi videtur, Epicurus à corpore & ab anima simul euelli ait. *Io. Fr. Pic. Mir. in exam. van. doctr. gentium, lib. 1. cap. 16.*

Semen iuxta Platonis opinionem oritur ex medulla & idem videtur Hippocrates sensisse ad maris pudendum descẽdere semen à medulla dorsali. *Iac. Carp. in Aly. cap. 10.*

Semina quæ terra à cœlesti coniuge recipit, sunt rores, & pluuiæ. *Leo Heb. de amor dial. 2.*

Semidei omnes geniti sunt, aut ex amore Dei erga fœminam, aut ex amore hominis erga deam, *Semi ab ἔρωτος. Plato in Cratylo.*

Semen infusum matrici ex primis diebus lac euadit, nouem sequentibus sanguis, duodecim alijs caro, decem & octo reliquis figuratum, tunc anima creatur & infunditur *Fic. Plat. Theol. lib. 18. cap. 6.*

Seminales rationes quæ animæ insunt, non sunt ratiocinationes, at si rationali discursu id egerit iam referetur: nunquid ergo in aliud quiddam, an potius in ea, quæ sunt in ipsa? verùm si in ea quæ insunt, nihil opus est rationis discursione, non enim hæc mouendo formabit, sed quod in ipsa continet rationes, id namque potentius est, atque ad agendum in anima efficacius; quamobrẽ secundùm species efficit: oportet igitur & animam ipsam ab intellectu accipientem species tradere, intellectus enim eas animæ vniuersi largitur, anima verò intellectui proxima ea se tradit animæ quę post ipsam sequitur illustrans eam, atque formans. Hæc autem tanquam superioris ordine ducta, species facit. *Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 17.*

Seminales rationes quæ animæ insunt, non sunt intelligentiæ, quonam enim modo per intelligentias faciet? ratio enim in materia facit, & quod naturaliter efficit, nec intellectio est, nec visio, sed vis quædam materię agitatrix non cognoscens, sed tantùm agens vt formam figurámque in aqua. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 17.* Seminales rationes tandiu in animæ intellectualis simulachrum effluent, quandiu intellectus est & anima; vt dum Sol viget, omnia lumina ab eo profluunt. *idem, ibid.*

Seminaria vis est tota in qualibet particula seminis, in quot enim particulas semen diuiditur, totidem oriuntur animalia, quod maximè in piscium ouis apparet. *Fic. Plat. Theologia. lib. 6. cap. 10.* Semen genitale communiter ex quarta digestione superfluum, quasi medulla quædam membris omnibus est infusum: iniquitas complexionis, & humoris, & corporis lædere potest, vel virtutem spiritúmque animalem ingenio seruientem, vel vitalem cordis animositati conuenientem, vel naturalem iecoris naturali concupiscentiæ obsequentem: in primo quidem deliramenta, vel obliuionem, vel hebetudinem procreat: in secundo ferocitatem, vel timiditatem in tertio affectionem, vel morosam, difficilem, & tristem, vel dissolutam & mollem. *idem, in Plat. Timæum, cap. 98.*

Seminali ratione sublata res casu potius quàm natura contingerent. *idem, in Pla. En. 2. lib. 3. cap. 13.*

Semitonum appellant sonum tono minorem, quem diasim vocant Pythagorici, & distat quantum inter se distant 243. 256. *Macrob. in Som. Scip. lib. 2.*

Sempiternum.

Sempiternum & semper viuens differunt, quia sempiternum ab altero factum non est, at mundus à patre semper viuens factus est immortalis. *Mer. Trismegisti Pimander, cap. 8.*

Sempiternum est quod per omne tempus & prius extitit & nunc est, nulli corruptioni obnoxium. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Sempiternum quoque est pulchro cognatum, & natura sempiterna primum pulchrum est, & quæ ab ipsa fiunt omnia pulchra fiunt. *Plotin. En. 3. lib. 5. cap. 1.* Sempiternum est quod ita se habet æternum, & semper ens, quod in naturam alteram non labitur, vitam quam habet totam iam possidens nec accipit quicquam, nec accepit, nec est accepturum; & sempiternitas est talis subiecti constitutio, ex eo & in eo simul existens, & æuum id est æternitas, subiectum vnà cum eiusmodi constitutione ibi micante. *idem, ibid. lib. 7 cap. 4.* Sempiternum esse non potest, nisi quoq; natura ei insit vt semper talis inueniatur, qualis nunc est. *ibid.*

Sempiterni exempli quod ad similitudinem instituitur, habet perpetuitatis similitudinem, & in æuo perpetuitas est. *Chalcidius in Timæum Plat.*

Sempiternum omne totum simul est. *Procl. Elem. Theologic. proposit. 52.*

Sempiternum omnem, vel secundùm essentiam, vel secundùm actionem totam simul essentiam, vel actionem habet præsentem sibi. *idem, ibid.*

Sempiternitas pręexistit omnibus sempiternis, & omnibus temporalibus tempus præexistit. *ibid. propos. 53.*

Sempiternitas omnis mensura est sempiternorum, & omne tempus eorum quę in tempore, & duæ hæ mensuræ tantum sunt vitæ & motus in entibus. *Proc. Elem. Theol prop. 55.*

Sempiternis coniungere temporalia impossibile est. *idem, ibid. proposi. 56.* Sempiternum omne ens est, non autem omne ens sempiternum *ibidem, proposi. 87.*

Sempiterni penitus omnis, & secundùm essentiam, & secundum actionem, & eius quod essentiam habet in tempore, medium est id quod quadantenus est sempiternum, quadantenus autem tempore mensuratur. *Procl. Element. Theologic. prop. 106.* Sempiternum quadantenus omne, quadam etiam tenus temporarium, ens est simul & generatio. *idem, ibidem. prop. 107.* Sempiternum omne primò, & essentiam habet, & actionem sempiternam. *ibid. prop. 104.*

Sempiternum est quidquid proximè fit à Deo, & quidquid vlla ratione componitur, vt compositum dissolubile est, sed quatenus per diuinam voluntatem composita quædam constãtur vt in eis vnitas superet multitudinem indissoluta seruãt. *Ficin. in Plato. Timæum. cap. 37.*

Sempiterna Deus ipse solus fecit, caduca per causas cœlestes exequutus est *idem, ibidem. cap 65.*

Sempiternitas simpliciter est quasi genus aliquod perseuerantiam seu vitam significans, principio, finéque carens, sub qua duæ sunt species, quarum prima est æuum siue æternitas, quæ est vita, vel perseuerantia infinita permanens simul tota. secunda perpetuitas siue ipsum tempus, scilicet perseuerantia infinita per partes successione progrediens, vnde, vt ait Proclus, vtrunque mensura est, temporalium & mobilium tempus, æternitas æternorum, sed tempus crebra repetitione, & quasi numerando metitur, æternitas verò semel adhibita, & coaptata mensurat. *idem, in Plot. En. 3. lib. 7. cap. 1.*

Senarius inter numeros lege naturæ aptissimus generationi est, nam post vnitatẽ primus occurrit perfectus, constãs partibus è quibus conficitur, è ternario, binario, & vnitate: mas & fœmina est compositus ex vtrisque viribus, nam masculus censetur numerus impar, par fœmina. *Philo de mundi opificio.*

Senarius numerus perfectissimus est, & qui propriè ex partibus suis constat, vno, duobus, tribus. *Ficin. in Plat. Phileb. lib. 2. cap. 2.*

Senarium numerum Pythagorici sponsalem vocauerunt, quoniam in eius conceptu mas cum fœmina coit, scilicet impar cum pari; secundus sponsalium ita est, eò quod in eius conceptu ternarius cum quaternario se miscet: vbi verò par & impar per media distant, congredi non videntur. *Ficin. in Plato de republ. dialog. 8. cap. 4.* Senarij perfectio velut dimidij refertur ad ea. tanquam ad totum. *idem, ibidem* Senarius ideò est perfectus, quia eius partes ordine positę totum constituunt, & etiam quia consta ad vnguem proportione dupla, quam intra se proximè continet, hæc est quaternarij ad binarium scilicet, 4. simulque a sex, *ibid.*

Senatus eligatur ex triginta duodenarijs, qui efficiunt 360 idoneus ad distributiones: distributis enim quatuor partibus secundùm nonagenarium ex singulis censibus proferant senatores nonaginta & qui primi secundi & tertij census fue-

rint, prima, secunda, & tertia die, proferat quicunque velit, aliter mulctetur mulcta prout visum fuerit; quartus quarta proferat & liber sit à mulcta qui non voluerit proferre; deinde qui ex secundo ac primo censu non profert mulctetur, ità vt qui ex secondo censu est triplum primæ mulctæ persolnat. qui ex primo quadruplum. qui ea tertio & quarto impunis sit si proferre nolit. Quinta die conscripta, & obsignata nomina ferant magistratus omnibus ciuibus conspicienda, ex his quiuis vir rursus proferat, aut prima mulcta mulctetur, centum verò & oonaginta viris ea vnoquoque censu delectis dimidium borum sorte probent, vt per annum sint hi senatores. *Plata de legibus, dial. 6.*

Senatores, vt propriis in rebus versentur, & res domesticas bene componant, proinde duodecimam ipsorum partem in duodecim menses distributam, vt vna vni mensi distribuatur, ad custodiam constituemus. *Plat. de legib. dial. 6.*

Senatores curam babeant, vt si quis aliunde veniat, siue ea ipsa ciuitate accadat, promptè ipsum adimittant, & siue quis nũciare aliquid velit, siue pereunctari ex his quæ ciuitatem aliis ciuitatibus respondere conuenit, & ea his quæ pro responsione afferuntur, si ipsa ex aliis quid percunctata sit: sed & nouationum gratia, quæ omnis generis semper oriri solent, in ciuitate pariat iidem sint, vt maximè quidem non fiant: si verò fiant, vt celerrimè ciuitas sentiat, & curetur id quod factum est. Quapropter hanc præsidentem ciuitatis partem semper tum in conuentibus dominam esse oportet, tum in dissoluendis his facultatibus quæ & secundùm leges & de repente accidunt ciuitati. *Plata de legib. dial. 6.*

Senator in senatu auctor esse debet sententiarum reipublicæ conducibilium, etiamsi parum iucundæ auditu fuerint, & aliis in concione adulationes relinquendo, contentus rebus vtilibus, increpans, admonens, castigans, non arrogantem insanámque, sed sobriam libertatem proferens. *Phil. Iud. de Ioseph.*

Srneca duo millia versuum recitata eodem ordine reddidit. *Ficin. in Plat. Theol. lib. 13. cap 3.*

Senes.

Senem non decet coram iudicibus confictis adolescentulorũ more sermonibus apparere. *Plat. in Apologia.* Senes succensere non oporter quòd moriantur. *idem, in Crit.* Senes natura odio habentur ab amore, iuuenes amantur *in Sympo.* Seniores consulere decet, res enim magnas diiudicare possunt *in Prot. g.*

Senes plurimi iuueniles voluptates desiderant, in memoriam reuocantes res venereas, & potationes ac conuiuia, & alia quædam quæ his hærent, & indignantur velut magnis quibusdam rebus priuati, & qui tunc bene vixerint, nunc verò ne viuant quidem; quidam etiam familiarium in senectutem contumelias deplorant, & hanc senectutem celebrant quantorum malorum sis causa, at omnes hi causam in senectutem referunt, quod non est verum, nam si hoc esset, omnibus senibus hæc eadem acciderent. *Plat. de repub. dial. 1.*

Senes, iuxta Sophoclis dictum, à re venerea fugere debent, velutà rabioso quodam ac feroci domino profugi. *Plato de repub. dial. 1.* Senes postquam à venereis cupiditatibus infestari cessauerint, liberantur vt à dominis furentibos. *idem, ibid.* Senectutem & iuuentutem mores mali, non senectus grauant: nam si moderati & faciles fuerint etiam senectus moderatè grauis est, sin minus & senectus & iuuentus grauis tali contingit. *ibid.*

Senibus quantum aliæ corporis voluptates euanescunt, tantum augescunt sermonum cupiditates, & voluptates. *Plat de rep. dial. 1.* Senex qui non est moderatus facilè senectutem cum paupertate non tulit, nec qui non est moderatus cum diuitiis facilis sibi ipsi vnquam est. *idem, ibid.* Senes minus discere possunt quàm currere, contra illud Solonis, qui dicebat quod senescens quis multa discere possit. *ibid. dial. 7.*

Senes magis fide digni quàm iuuenes. *Plat. in Tim.* Senectus appellatur, & corrumpitur omne animal quum radia triangulorum laxatur, eo quòd multa certamina per multũ tempus aduersus multa ab ipsa decertata sunt, ea quidem, quæ de alimento ingressa sunt, non amplius in similitudinem sui ipsius secare potest, sed ipsa ab his quæ extrinsecus ingressa sunt, facilè diuiditur. *idem, ibid.*

Senum affectus quæ iuuenum affectibus in omnibus ciuitatibus & vbique longè optimi videntur. *de legib dial. 2.*

Senes canteut cantilenam, quam decet diuinos viros canere. *ibid.*

Senes erubescunt canere. *ibid.*

Senes à legislatore suis admonendi ne iuuenes videant ipsos, aut audiant facientes aut dicentes, aliquid turpe, nam vbi impudenter se gerunt senes, ibi necesse est etiam iuuenes impudentissimos esse, excellens enim, & iuuenum simúlque ipsorum eruditio, non in admonendo sita est, sed vt quis ea ipse per vitam facere videatur quæ alius alium admonendo diceret. *Plat de leg. dial 5.*

Seniorem seipso quiuis & factis, & verbis reuereatur, eum verò qui viginti annorum ætate præcedit siue virum, siue fœminam velut patrem, vel matrem vereatur, & ab omni ætate quæ ipsum parere potuit semper abstineat, in deorum natalitiorum gratiam. *Plat. de legib. dial. 9.* Senioribus à iunioribus verbera infligi turpe est, & à diis odio babetur, decet enim iuuenem à sene verberatum patienter ita ferre, & honorem hunc sibi in senectutem duceres *idem, ibid.* Seniores non paulò præferendi sunt iunioribus inter deos & homines qui seruari ac fœliciter viuere volunt. *ibid.* Senectus est decrementum vitæ tempore factum. *Speusip. de Pl. t. defin.*

Senes vti debent ouorum vitellis, & vino aliquantulum dulci, & plurimum odorifico: nam vitellus propriè cordis sanguinem, vinum præcipuè spiritum recreat; aerem nocturnum lethiferum sibi putent; & cum victum seruent, ex quo plurimum sanguinis sperent: carnibus noctu facillimis, & diæta vtantur; spiritum odoribus præsertim vini recreent, vigiliam, sitim inediam vitent, laborem corporis, & animi, solitudinem, & mœrorem. *Fic. de vit. p. odor. lib. 2. cap. 8.* Senes sæpè vti debent medulla recentis adhuc calentis panis infuso maluatico vino cum puluere menthæ apposito stomacho & sæpe ad odoratum adbibito, nam Democrito medulla hæc iam iam expiraturo retinuit spiritum. *idem, ibid.*

Senes vti debent nucleis pinus, aptissimum enim est illorum nutrimentum, calidum enim & pingue & humidum est, & omnem lenit asperitatem, & quod mirum est, dum naturalem humorem auget, superfluum deficcat, & putridum expurgat. *Fic. de vit. produc. lib. 2. c. 8.* Senes venerem rem fugere debent vbi ad septimum septenarium peruenerint, nam iuuenibus etiam plurimum vitæ detrahit, Saturnus enim veneri inimicissimus est. nam Venus non natis, sed nascituris consulit, nam & herbas producto semine siccat. *idem, ibid.* Senibus lac humanum prodest statim bibito comedat maxaibit dulcis modicum puluerem saccaro ritè confectum. & etiam prodest sanguis iuuenis sani *ibid. c. 11.*

Senes minus expositi sunt pesti, quia melancholici sunt, & melancholia minus apta est inflammationi, & putredini, & strictiores habent meatus *Fic. in epid. antidoto, cap 3.* Senex ne puerilis sit recordetur se iuuenem fuisse. *idem, epistol. lib. 3.* Senescit nil citius gratiâ. *idem, epist. lib. 6.* Senis animus, sedatis perturbationibus quas secum afferr iuuentus, segregatus à corpore diuina propius & apertius inspicit. *idem, in Pla. de rep. dial. 1.*

Senes maximè deces babere rempublicam. *Sebast. Foxius arg. in remp. Plat. lib. 1.* Senes dulcius loquuntur, cùm deposito iuuenili calore, & inanit gloriæ quam sæpe ex sermonis obscuritate captamus, cupiditate veriora & clariora loquuntur. *Aug. Steuch. de per. phi. lib 4 cap. 4.*

Sensibilia.

Sensationi tria necessaria sunt, potentia, obiectum medium, *Seb. Fox. in 6. Platonis de repub.* Sensilia sunt colores, voces, & similia. *Plat. in Theat.* Sensibilia omnia sunt in anima per modum causæ suę, propterea quòd anima est sicut causa exemplaris, & intellige per animam virtutem agentem res sensibiles. *Arist. de causis, c. 3. prop 14.*

Sensibile omne si per totũ sentiri debet diuisibile circa corpora fieri debet, & sic vis vegetalis & actrix: ratio verò & intellectus corpori seipsa non tradunt, horum enim opus per instrumentum corporis non perficitur, & ideò separata. *Plot. En. 4. lib. 3. c. 9.* Sensibile oculis impositum non efficit visionem, sed illuminari medium necessarium est, forsan quoniam aer est tenebrosus, & res admota proximè visui non videtur, quia affert quandam tum sui ipsius tum aeris vmbram. *idem, En. 4. lib. 5. c. 2.*

Sensibilium & sensuum intentiones nisi in vnum æquè confluerent, non posset animus differentias horum inter se iudicare: & hoc vt centrum esse oportet, & sensus vt lineæ à circunferentia ad centrum vsque protensæ. *Plot. En. 4. lib. 7. cap. 6.* Sensibilia omnia non sunt existimanda exemplarium simulacra, nec animam ipsius animæ simulacrum, sed alteram alteri dignitate præstare, atque hic quoque esse, forsan verò non vt hic est, animam ipsam esse. *idem, Enn. 1. lib. 9 c. 13.* Sensibile omne hoc mundo comprehenditur. *idem, En. 6. lib. 3. cap. 1.*

Sensibilia in mundo quæ propriè sunt probabiliter reducuntur ad prima quinque: primum genus sit substantia, secundum accidens quod in substantia, tertium accidens in quo substan-

substantia, quartum motus, quintum relatio. In primo quodammodo colliguntur materia, formæ, compositum: in secundo quantitas, qualitas, figura, in tertio locus, tempus, in quarto actio passio: in quinto quam plurima relationem significantia. *Plot. En. 6. lib. 3 cap. 3.*

Sensibile ens, quod putemus paruum est magnum, & quod putemus magnum est paruum. *idem, En. 6. lib. 4 cap. 5.*

Sensibilia duplicia, alia quædam prima, vt color, qualitates, alia secundùm accidens, vt album, coloratum: sic sensus primorum primus, secundorum secundus. *Alc. cap. 4.*

Sensibilia fuge omnia: congesta enim sunt, & diuidua, & penitus mutabilia, ideoque sinceræ notitia teneri possunt: ab his ad essentiam incorpoream te transferto. *Proc. in Alc. 1.* Sensibilia omne habet aduentitiam vnitatem, & per seipsum est dispersum & infinitate plenum, ideò bonum eius partibile est, & aduentitium, & à semetipso distans & dissidens, & in aliena sede residens. *idem, ibid.*

Sensibile sensu prius esse vt ait Arist. falsum est cùm quæ ad aliquid sunt mutuam habeant cohærentiam, & simul sint necesse. *Geor. Gemist. de Plat. & arist. phi. diff. cap. 6.* Sensibilium ratio cognitiua in anima ipsa consistens est, & non in censio corpore, est quidem vna, sed non vt singularia, imò habens vnum ipsum in se multa complectens, & vnicuique eorum accommodatum. *Pris. super Theophrast. cap. 4.*

Sensibilia propria vniuscuiusque sensus vehementiorem inferunt actionem, communia verò remissiorem illa tanquam proxima & familiaria, hæc tanquam remotiora, ac forsan communia tanquam præstantiora sensui non sunt eodem modo commensurate. *Pris. in Theoph. c. 9.* Sensibilia omnia sunt vel passiones, vel corporum differentiæ, qualitates enim sunt, atque quantitates; per quæ autem vnumquodque cognoscibile est, in ijsdem quoque consistit, videri potest aliquid in passionibus, & differentijs corpus vniuersum consistere, sed reuera non solo sensu, imò ratione quoque opinatrice corpus cognosci solet. *idem, ibid. cap. 41.*

Sensibile quodlibet est non ens, quia propter fluxum & diuisibilitatem & confusionem non verè est. *Fic. in Plat. Parm. cap. 3.*

Sensibile nobis quoddam cum primo nobis occurrit, & fit sensus, ac memoria, ac reminiscentia, ac memoriam præcedentem consensu sequente componimus: si consonat vera est opinio, si dissonant falsa. *idem, in Plat. Thea.* Sensibile aliquid extra mundum poni non potest, cum mundus sit vniuersum corpus & sensibile. *idem, in Plot. En. 4 lib. 5. cap. 8.*

Sensibilium formæ non imprimuntur in anima. Plotinus existimat formam animæ sic impressam sortiri iam obiecti sensibilis rationem; itaque si in visu impressa fuerit forma cœli quinque absurda sequi: primò non oportebit oculum ad cœlum vltra dirigere, secundò non metiemur quantum distat cœlum ab oculo, imò nec distare putabimus, tertiò non apparebit cœlum oculo latius quartò non cœlum videbimus, sed bene forsan in nobis cœli formam, quintò non discernemus rem sensui sit impositã. *Fic. in Plo. En. 4. lib. 6. ca. 1.* Sensibilium notiones in anima nuper acquisitæ, vel editæ, non sunt ipsa sensibilia. *Fic. in Plat. En. 5. lib. 9 cap. 7.*

Sensibilis rei forma quæ extensa est, non sufficit ad sensum, quoniam actus sentiendi fit subito simul totus circa totum, quod tunc comprehendi potest. *Fic. in Pris. Theophr. ß. cap. 1.* Sensibilis actus per formam aliquam indiuiduam & quia est actus intus permanens fit per formam intimam, quæ appellatur ratio exemplaris ad sensibilia repræsentanda, atque est essentialis animæ, & vnà cum anima etiam per se viuit, nec solum est compositi, id est quamuis quodammodo cõmuniceat cum corpore, potest tamen à corpore separare, imò separata est, aliter non posset indiuiduè agere. *idem, ibid. cap. 4.*

Sensibilia communia non solum cogitatione, sed sensu percipiuntur, & id quidem consequenter. at prima & magis propria cognoscuntur, quia propter maiorem cognationem efficacius mouent. *Fic. in Pris. Theophrast. cap. 11.* Sensibilia omnia agunt aliquid in instrumentum sensus: sed calor, frigus, & similes qualitates, item sapores, & similes, quæ valdè materiales sunt passionem inferunt acriorem, forma verò, figura, & numerus, & motus, tanquam magis formales, leniorem afferunt passionem. *idem, ibidem. cap. 9.*

Sensibile omne efficit medium, & instrumentum per suam naturam, naturali quadam, & materiali quodammodo passione. *Fic. in Pris. Theophra. ca. 28.* Sensibile confert ad sensum non effluxu, sed actione. *idem, ibid. cap. 29.* Sensibile magis peruenit ad sensum, & magis sentitur quatuor ob causas primò quando obiectum ad hoc est efficacius, secundo quãdo sensus est purior, tertiò quando medij qualitas est vtrique conformior, adeò vt aptius ab obiecto in sensum traijcat actum, quarto si accesserit distantia minor. *ibid. cap. 31.*

Sensibile proprium est, quod vno sensu cognoscitur, commune verò quod pluribus, vt magnitudo visu & tactu: propterea id propter maiorem cum sensu congruitatem primò sentitur, commune secundo. *Fic. in Pris. Theophra. cap. 45.* Sensibilium ratio iudex semper permanet in anima, nec vnquam disperditur, sed aliquando propter instrumentorum ineptitudinem vacat ab actu. *idem, ibid.* Sensibilium rationes assimilatrices sunt innatæ in sensu & imaginatione, hæ in sensu prouocantur ad actum ex passionibus instrumenti, in imaginatione verò ex actionibus sensuum: phantasia verò inter sensum & rationem media in sensu est actio quædam. *ibid. cap. 2.*

Sensitiue potentia aliud est quàm concupiscendi & irascendi, & à sensu excitatur, & ex frequenti excitamento inclinationem propensiorem acquirit, quæ tamen non est memoria. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 28.* Sensibili de re vnicuique ferè diuersum est arbitrium ob proprietatem indiuidui, & humorum diuersam temperiem, & sensibilis naturæ miram inconstantiam. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. van. doct. gent. lib. 5. cap. 2.*

Sensibilia quæ ideas participãt, vt quædam numero solo, quædam specie, quædam genere, & quædam plusquàm genere differunt, sic diuersimodè ideas participant. *Gab. Bu. de idea. lib. 1.* Sensibilia facta sunt propter hominem, homo propter creatorem suum mentem opificem, mens propter genitorem & ipsum primum, & rursus cœlum factum fuit propter res sensibiles. *Aug. Steuch. de pere. phi. lib. 2. cap. 4.*

Sensibilis cognitio, appetitus, ac amor bestiarum vniuerso generi inesse videtur. *Leo Heb. de Am. dial. 2.* Sensibilis cognitio nec rationalis, nec sensibilis appetitus, aut amor voluntarius, vlla ratione est nuncupandus. *idem, ibid.*

Sensitiua vnica virtus vnit omnia sentiendi organa; & vt omnes lineæ ad centrum terminantur in circulo, sic omnes virtutes sensitiuæ terminantur ad imaginatiuam, quæ refert ad memoriam seruandam ad vsum opportunum, quæ cogitatiua ad intellectum perducit. *Arist. Theo. Ægyptia. lib. 2 cap. 9.*

Sensitiuum primum secundum propriam perficitur actionem & motum suscipit à sensibilibus non passiuè, sed actiuè. *in Theophrast. de phant. & intellectu, cap. 5.*

Sensitiuæ omnes virtutes ad sensum communem reducuntur: ideò ait Moyses, aquæ quæ sunt sub cœlo ad locum vnum congregantur. *Io. Pic. Mir. in Hepta. lib. 4. cap. 3.*

Sensus quot sunt, & quæ habent.

Sensus omnes mortuus amisit. *Plat. in Axiocho.* Sensus partes corporis habent, quæ cùm breuis affectio in ipsas inciderit alijs partibus circum circa distribuunt, idem facientes donec ad sapientem partem delatæ vim eius quod illã induxit, denuncient, vt quæ circa visus & auditus partem est. quia in ipsis ignis & aeris maxime vis est; at cum cõtrarium firmum sit secundum nullum circulum progrediens, afficitur solùm, & aliam partem non mouet ex vicinis: quapropter quum partes aliæ alijs non distribuant, prima affectio in ipsis immobilis in totum animal contingens efficit, vt id quod effectum est sẽsus sit exors, vt ossa & pili, & quæcunque partes in nobis plurimum terræ habent. *idem, in Tim.*

Sensus mãsueti sunt, cum obsequuntur rationi, vel immansueti cùm rationi obtemperare nolunt. *Phi. de sacri. Abelis & Caini.* Sensu comprehẽsorum, nihil est mundo absolutius. *Idem, quòd mund. sit incor.* Sensus externi sensibilibus nutriuntur, internus imaginibus sensibilium. *Fic. in Dion. Areo. de diu. nom.*

Sensus quatuor in vniuerso connumerantur: primus in anima mundi, communis inquam sensus & vous, id est, imaginaria quædam virtus sic intelligentiam eius comitans & formas particulares attingens, vt ille vniuersales extrinsecus, ideòque nullis indiget instrumentis, nec extra procedit vsquam nec patitur: secũdus sensus est in animalibus sphærarum & stellarum communis certè, impassibilisque similiter, sed extra procedens: tertius in particularibus animalibus vltra vim communem iam per instrumenta singula distributus, & extra se porrigens, atque à passione exoriens sed desinẽs in iudicium: quartum sensum Pythagorici plãtis cõcedunt, imò sensus simulachrum, & id quidem stupidum, nullum iã habens iudicium qualitatis, sed solum positum in passione voluptatis cuiusdam ac doloris. Primus sensus intellectum repræsentat secundus intelligentiam, tertius vim animalẽ, quartus naturalem. *Fic. in Plat. Tim. cap. 26.*

Sensus duplex, inferior, quo non natura rei, vel qualitas vlla discernitur, sed affectio quædam tãtùm inde sentitur, qui & stupidus sensus est in dormientibus, & plantis conueniens

superiori verò, qui & naturam, qualitatémque persentit animalium solummodò proprius. *Fi.m. in Plotin Enn.1.lib.4. cap.2.*

Sensus ratio id est habitudo, respectus, vel proportio triplex: vna in commixtione elementorum inter se, è quibus componitur instrumentum, alia in ipsa instrumenti forma suum spectante sensibile, alia his eminentior in anima spectante naturaliter ita sensibile hoc, ita illud sâ quâ ratione duę prę cedente in instrumento rationes fiunt: omnes tres necessariæ sunt in sentiendo, prima vt anima remanet insolubilis, reliquæ duæ duobus dissoluuntur modis, morbo & acerbiore rei sensibilis impetu. *Fic. in Prisc.in Theop.cap.45.*

Sensus veros omnes esse Stoici putant, sed phantasias non omnes veras, sed pleraique falsas, contra Epicurus omnes sensus & omnes phantasias veras sanxit, sed opinionum alias veras alias falsas: at si sensus deciperentur quoad spectat ad intellectilia duntaxat, phantasiam & quo ad hæc & quo ad sensum pertinet decipi posse existimatum est. Empedocles, & Heraclites à commensurationibus meatuum particulares fieri sensus maluerunt tum cùm vnumquodque proprio sensui aptatum fuerit. Arist. decipi sensum putauit, si circa commune obiectum & quod ex accidenti apponatur, non autem proprium sit, aut si maiori quàm opus sit interstitio distet. *Io. Franc. Pic. Mirand. in ex van. doct. gent. lib.5. cap.55.*

Sensus quid sunt, vt fiunt, ad quid, & quid sensus est causa.

Sensus sunt visus, auditus, gustus, olfactus, tactus, perfricationes, ardores, voluptates, dolores, cupiditates, timores, & alij infiniti partim nominati, partim innominati. *Plat. in Theat.*

Sensuum consideratio fit per corpus. *idem, in Phad.*

Sensus non absurdè dicitur affectio illa quæ communiter contingit in anima, & corpore vt communiter moueantur. *in Philebo.*

Sensus appellatæ sunt commotiones quæ extrinsecus per corpus ad animam transirent. *in Tim.*

Sensu quę perficiuntur fiunt, & quotidie genita sunt non à seipsis, sed ab altero; est ergo quis horum factor qui ingenitus est, vt genitus antiquior sit, ab alio enim genita fiunt. *Mer. Tris. Pimand. cap.14.*

Sensus est animæ progressus, mentis motus, nunciatio animæ per corpus informas hominum, è qua fit irrationalis vis per corpus nascens. *Speu. de Plat. defin.*

Sensus mundanus receptaculum est omnium sensibilium, & specierum, & disciplinarum, humanus verò ex memoria retinuitate, quòd memor fit omnium quas gesserit rerum, vsque ad humanum tamen animal diuinitus descẽdendo peruenit. *Apul. Asclep.*

Sensuum gratia vtimur elementis, syllabisque, dictionibus, & scripturis, & sermonibus. *Dion. Areop. de diu. nom.* Sensus ipsos si quis dixerit sapientiæ diuinæ vestigium, non aberrabit. *Idem, ibid.*

Sensus intelligentiæ, & rationis diuina sapientia est causa. *ibi.*

Sensus vel speciei impassibilis corporis perceptio est. *Plot. En. 1. lib.1. cap.2.* Sensum dolorem esse non est dicendum, sed doloris perceptionem. *Idem, En.4. lib.4 cap.19.* Sensus est circa sensibilia perceptio in anima, vel animali perceptio inquam in virtute adhærens corporibus qualitatem percipiente, speciémque illorum sibi quodammodo figurante. *ibid. cap 23.* Sensus per corporea instrumenta fiunt, & si anima est extra corpus, nullum sensibile perceptura est. *ibid.*

Sensus datus est solum propter corporis societatem, ideò vsus gratiâ dati sunt sensus. *Plot. ibid.* Sensus est perceptio animæ per instrumenta similia rebus percipiendis. *ibid. lib.5. cap 8.*

Sensus si dicamus non tanquam formationes quasdam fieri in anima vel impressiones, consequẽter dicemus nec memoriã esse disciplinarum sensuúmque conseruationem, quasi figura quædam seruetur in animo, cùm nec prius extrinsecus sit accepta: aut dicendum est formas fieri in animo easdémque seruari, si modo memineris aut si alterutrum negaueris, neque alterum admittere debeat nos neutrum concedimus, nam nec sensibilis rei figuram in animo fieri dicimus & animum figurare, nec memoriam esse fatemur impressæ aliquando permanentisque figuræ custodiam: constat enim cùm cernimus aliquid illic nos aspicere & visu attingere, vbi est ipsum visibile positum è conspectu, quasi illic perceptio fiat, & anima extra prospiciat, quod indicat nullam in anima formam fieri, nec animam ex eo videre, quòd faciat impressionem vt in cera. *Plot. Enn. 4. lib. 6. cap.1.*

Sensus rerum veritatem non habent, sed opinionem, quoniam conditio sensus in recipiendo versatur: vnde opinio dicta ab accipiendo nomen accepit. *Plot. En.5. lib.5 cap.1.* Sensus est passio corporis quibusdam extra positis, & pulsantibus variè eadem passione vsque ad animæ sedem commeante: quæ passio cùm est lenis appellatur voluptas, cùm aspera dolor. *Chalcid. in Tim. Plat.* Sensus non sunt extra imaginationem, nec intelligentiæ quatenus animali competunt; nec absque instrumentorum sensualium passione sunt sensus, sic & intelligentiæ non sunt absque imaginatione, nisi analoga conditio sit. *Porphyr. de occasionib.* Sensus est passiu animæ per corpus primò nunciãs potentiam patiẽtem. *Alcin. cap 4.*

Sensuum instrumenta à sensibilibus mota assimilari sensibilibus passione quadam existimat Aristoteles. Meritò Theophrastus, quæ natura similitudo fiat inquirit: absurdum enim esse videtur in sensuum instrumentis, & multò magis in ipsa anima vllam coloribus liquoribus, siue saporibus, sonis, formis, siue figuris assimilationem fieri; ait igitur ipse quoque secundùm species, rationésque absque materia eiusmodi similitudinem comparari. *Prisc. in Theoph. cap.1.* Sensum sentiendi necesse est præcedere passionem quæ fit in instrumento sentiendi, namque potestas non est omnino separata à corporibus, sed in ipsa animæ inclinatione, siue nutu ad sensuum instrumenta, suam sortitur essentiam, atque ad animalis exigitur complementum, nec absque instrumentis agere potest. *Idem, ibid. cap.2.*

Sensuum instrumenta patiuntur è sensibilibus, non tanquam inanimata, sed corporis viuentis est passio: quapropter nec totum est ibi passio, nec extrinsecus contingunt omnia, sed etiam secundùm propriam actionem, nec mouetur prius, agit autem postea, imò neque mouetur omnino, quin simul & agat neque tamen agit, nisi & moueatur. Talis in instrumentis motio similis est speciebus quæ sentiuntur. vt quæ simul & ab illis, secundùm quandam ad illa excitationem, visibilis apparitionis, siue impressionis instrumento insitæ illata fuit, sed nondum hæc est sensus, cum potius ipsa similitudo ad sentienda in sensuum instrumentum sit passio quàm actio. *Prisc. in Theoph. cap.3.* Sensus principium, finem, & media sentiendæ rei indiuiduæ comprehendit, & actionem, & iudicium perfectum, & in præsenti momento simul tota existit, ac secundùm speciem sensibilia iam constituisse videtur: quamobrem non absque passione aliqua instrumenti sensus efficitur; nec tamen hæc passio est sensus, quo fit vt aliquãdo patiamur & vigilantes, & dormientes, neque tamen persentiamus. *idem, ibid.*

Sensus secundùm actionem, & iudicium est, non autem secundum passionem; nam secundùm rationem efficitur, passio in instrumẽto locatur. *Prisc. in Theoph. cap 6.* Sensus instrumẽtum cùm sit corpus & partibile nil prohibet ipsum per differentes eius partes plura simul contrariaque habere, ratio autem eorum, diuersitatem impartibilia diiudicat. *idem, ibid. cap.7.* Sensus fit similis sentiendis secundùm species & rationes absque materia, cùm ait Theophrastus nos admittimus, vt non ab externis species inferatur, sed à rationibus intimis in vita secundum actum sensualem constituantur. *ibid.*

Sensus quoniam ad externa porrigitur illisque est similis, meritò potentia quædam cognominatur tanquam actus, & actiones ferens, in anima quidem secundùm rationis actum assimilatio fit, sed in instrumento tum secundùm passionem illatam è re sensibili, tum simul secũdum vitalem actum siue viuificam actionem. *Prisc. in Theo. cap.7.* Sẽsus vnus est in seipso, & ex se in quinque diuiditur ad sensibilia singula discernenda; & singulis quinque accomodata sunt instrumenta: nam materialem & instrumentalem partitionem præcedit formalis ipsa, & specialis partitio, & diuersitas in viuentibus tanquam auctoritate freta maiore. *idem, ibidem. cap.52.*

Sensus non fit in passione instrumenti, sed etiam in actione; agit ergo id quod videt circa illud quod ab eo videtur, nõ illud alterans vel aliquam afferens passionem, sed iudiciariè circa illud agens, non enim tanquam corpus, sed tanquam aliquid vitale visiuum agit. quæ commensuratio etiam interuallo coaptante indiget. *Prisc. in Theophr. cap.13.* Sensus instrumentum in quibusdam sentiendis cum rebus sentiendis est cognatus: lingua per humorem quendam gustat saporia humorem, auditus aeream audit vocem per motum aeris intus inclusi; non ita simile à simili patitur, sed quod est in potentia ab eo quod est in actu, & in audita aer non vt aer ab aere patitur, sed vt resonabile in potentia à resonabili quod est in acto. *Prisc. idem, ibid. cap.34.*

Sensus in nobis nullus vnquam mouebitur, nisi ob ipso sensibili in nos perueniat aliquid, & nos sentimus non ipsam actionem à sensibili venientem, sed ipsum sensibile secundùm actionem ab eo perfectam; quamobrem non medium persentimus, sed per quandam speciem actionis in

medio e-

medio editam, ipsum quod hanc edit obiectum. *Prisc. Theo. cap. 37.*

Sensus instrumentum in medio contrarietatum consistere debet, alioquin fuisset passum, sed oportet esse iudex passionum. *idem, ibid. cap. 4.*

Sensus medium in duo elementa constituitur: nam terra propter solidam proprietatem inepta est, & ignis propter efficaciam sui terminos exterminat alienos, aer verò & aqua facile terminantur, & quodlibet intromittunt, leuique cum causa patiuntur, & facile formantur, ideò ad instrumenta sensuum apta suos. *Prisc. in Theophrast. cap. 44.* Sensus non secundùm seipsum agere solet, sed in extensione quadam ad externa, & in habitudine quadam ad sentienda constat, quando vacat non habiturum secundùm seipsum commensurationem actiuam, vel efficacem, commensurationem tantum secundùm potentiam habiturum, præexistit enim ipsa potentia, atque secundùm seipsam consideratur. *idem, ibid. cap. 49.*

Sensus non propriè, sed translatione quadam materia esse, vel sicut materia dicitur. *Prisc. in Theophrast. de phant. & intel. c. 4.* Sensus dicitur & secundùm essentiam sensibilium continet rationes, & alia ratione dicitur sensus sensibilia in potentia esse quatenus ab illis incitatur ad partum, & illis indiget, iũ præsentibus tum agentibus in eius instrumentum ad propriam actionem. *idem, ibid. cap. 4.* Sensus vnusquisque magis est corporeus quatenus est diuisus. *ibid.*

Sensus quod subiectum est generationi, & mutationi obnoxiũ nunquam eodem statu manet. *Phi. Iud. de mund. opificio.* Sensus idea figuratè vocatur pluuia. *in leg. alleg. lib. 1.* Sensus sunt arbores à Deo plantatæ in homine inferiori scilicet mundo, cuius fructus sunt cogitatio, perceptio, coniectura, meditatio, memoria, habitus, dispositio, artium species multifariæ, scientiæ confirmatæ virtutis totius contemplationũ conceptus indelebilis. *idem, de planta. Noe.* Sensus intellectum alit, *ibid.* sensus sunt vs bases, intellectus vt caput sensuum, ideò mens aure, sensus æri comparatur in structione tabernaculo à Mose. *idem, de vit. Mosis. lib. 3.*

Sensus impartibilis est. *Fic. in Plat. Theol. lib. 7. cap. 4.* Sensus est aut animaduersio operationis illius attentioris, aut iudicium corporeæ passionis, & qualitatis, excitatum ab attentiore illa animæ actione. *idem, ibid. cap. 6.* Sensus oblectamenta sunt vmbræ diuini gaudij. *ibid. lib. 18. cap. 8.* Sensus puri natura est esse cum corpore. *idem epist. lib.* Sensus non magis viuit quàm vita per quam viuit ipse, sed melius, atque deinceps. *Idem, in Plat. Parm. cap. 47.*

Sensus primi affectus videntur nonnihil interdum vel ad fortitudinem per iram & audaciam conferre, vel ad prudentiã per timorem, vel ad patientiam per dolorem, vel ad iustitiam, liberalitatémque per amorem, temperantiæ, verò semper impetus omnis opponitur & cùm in summa tranquillitate solùm collocari possit, à quouis affectu vndique impeditur. *Fic. in Plat. Charm. cap. 44.* Sensus sunt in causa nostræ cognitionis, ideo per ea quæ in corporibus præstantiora videmus, diuina iudicare sæpe consueuimus; per corporalium vires Dei potentiam, per ordinem, sapientiam per vtilitatem, Dei bonitatem inuestigamus. *idem, in Plat. conui. or. 2. cap. 4.*

Sensus est perceptio corporeæ passionis in anima. *Fic. in Plat. Phi. cap. 26.* Sensuum instrumentum spiritus animalis naturâ solaris est, & præcipuè radiosus, præsertim in oculo vbi per pupillam radius eius purior euolans cum externo lumine simili commiscetur in ea præsertim aeris parte in quam intenditur per aspectum: ibi igitur in vnam speciem coalescens cum hoc lumine, si quid attigerit, quod quodam modo resistat, quasi resilit prorsus in spiritum, atque ea hoc ad animam, suámque visui renouat passionem. Hic nocte compressus spiritus sui motus lenit, & mulcet, somniaque inde sequuntur: exiguo motu exigua, multo, vel acriore multa, vehementiáque nascuntur. *idem, in Plat. Tim. cap. 30.*

Sensus est intelligentiæ vestigium. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 7. ca. 2.* Sensus qui est cognitio infima, tantum prospicit extima; intellectus, qui est cognitio summa, inspicit tãtùm intima. *idẽ, in Plot. En. 5. lib. 5. cap. 1.* Sensus vt fiat oportet instrumentũ eius euadere simile sentiendis, non in forma materiali, & naturali, sed in specie quadam, & ratione immateriali, ac solùm repræsentatiua. *idem, in Prisc. Theop. cap. 1.*

Sensus instrumentum fit simile sentiendis, quatenus & vt corpus ab eis afficitur, & vt viuum agit aliquid eis congruum. *ibid. cap. 7.*

Sensus instrumentum quoniam est extensum potest alia parte pati contrarium istud, alia illud, sed hæc inter se conferre nequit, anima verò tanquam indiuidua, si simul à contrarijs patiatur patietur omnino per idem, quod est impossibile: cum autem contraria simul percipit, non patitur ab eis, sed agit potius circa illa. *Fic. in Prisc. Theoph. cap. 8.*

Sensus instrumentorum res externæ afficiũt suo modo materiali quadam affectione, sed vita præsens affectionem hanc in speciem immaterialem transfert, per quam excitatur anima ad rationem proferendam congruam speciei. *idem, ibid.*

Sensus vnus intimus vnitatis suæ fœcunditatem in sensus quinque deriuat, quibus in corpore quinque accommodata sunt instrumenta. *Fic. in Prisc. Theop. cap. 12.* Sensus est spiritualis, res sensibilis materialis, ideo medio opus est quodam modo spirituali, quod inuicem illa conciliet; circa visum opus est diaphano, & lumine. *idem, ibid. cap. 16.* Sensus vt fiat, nõ requiritur materiale quicquam, sed specialis potius actus quidam, siue species actionis admodum spiritalis è re sentienda, ad instrumentum sensus perueniens mouetur enim sensus non à medio, sed per medium à sensibili. *idem, ca. 37.*

Sensus instrumentum nemo dixerit esse simplicem aerem, nã instrumentum ex eo conducit ad sensum quòd sit ratione quadam harmonica temperatum, qua proportione dissoluta sensus quoque disperditur; hæc autem in compositione consistit. *Fic. in Prisc. Theoph. cap. 45.* Sensus non est in potentibus aggregatis ab elementis, quia nec simplicitatem habet, nec harmoniam. *Idem, ibidem.* Sensus est in corpore simplici, non quia corpus, sed quia vitæ vicinum, & immixtum, non quia mixtum, sed quoniam ad harmoniam vitæ vicinam est redactum. *ibid.*

Sensum Epicure placuit esse potestatem: sensitiuũ autem esse, quod ipse vocat *αἰσθητήριον*. Plato corporis & animæ cõmunionẽ quoad pertinet ad extranea sensum esse putauit, potestatem animæ, instrumentum corporis, ita vt ambo inter mediã phantasiã eorum quæ sunt extra capatricia fierent. Speusippus & Democritus sensum intellectionem incidentibus quæ extrinsecus iacent, verum spectris simulachrisve fieri putauerunt. *Io. Fra. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 1. cap. 13.*

Sensus incertus est, quia homines de proprijs sensibus sæpe ambigunt, & dubitant an propriè senserint, an verè viderint, an verè audierint, quæ sibi videntur vel visa, vel audita, nam ea si actus hic reflexus dicatur, actus tamen sensus est vel ipsiusmet, vel alterius, vnde si dubitat de ipsa sensione, certus idcirco esse non possit. *Io. Fra. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 5. cap. 2.*

Sensus incertus est, auctoritate Theophrasti. *Idem, ibid. cap. 9.*

Sensus est quædam cognitio. *Iac. Carp. in Alc. defen.* Sensus externi, quorum instrumenta apparent in corpore, dati sũt partim ad quærendum alimentum, partim ad præuidendas externas iniurias, atque propulsandas. *idem, in Alc. cap. 10.* Sensibus omnibus quinque exterioribus quæ exponuntur sæpenumero, & bona reipsa esse, & bona verè propriòque appellari consueuerunt. *Leo. H. b. de Am. dial. 3.*

Sensus in quo est.

Sensus consistit in quadam commensuratione, & ea obiecta dicimus esse blanda, quæ contemperata sunt sensibus. *Prisc. in Theoph. cap. 49.*

Sensus nec inter bona nec inter mala censetur; nam stulto malus, sapienti bonus est. *Phi. in leg. alleg. lib. 2.* Sensum in dæmonibus, & dijs mundanis posuerunt veteres. *Fic. in Plat. Parm. cap. 78.*

Sensus ex voluptate constat idem, in quo cùm vna forma fit ex multis, oblectatio prouenit plena ex vna similiter forma quæ congruè conficitur ex multis: hinc fit vt audire diutius vnisonum tædeat, in quo sine vlla inæqualitate sentiatur æqualitatas: fit insuper vt dissonus offendat sonus, in quo in vnum differentia non conspirant: ideò melia perspicuè discernuntur à sensu, & ab ipso quasi gustantur, vt multas gustantur inquam, quia sic fermè ad vocum vt gustus ad saporum afficitur mixtionem: hinc propheticum illud, dulciora melle ori meo eloquia tua domine. *Fic. in Plat. Tim. c. 30.*

Sensus vt differt ab alijs potentijs.

Sensus, & motus in hoc potissimùm differunt, quia hic secundùm materiam, ille secundùm essentiam est; mihi autem vterque conuenire videtur, neque distingui in hominibus ratione, intus animantibus sensus nunc vnitus est: in hominibus autem intelligentia. *Mer. Tris. Pim. cap. 9.*

Sensus considerat primo singularia, postea species & generas intellectus primò vniuersalia, postea particularia. *Arist. Theol. Ægyp. lib. 8. cap. 9.*

Sensus exteriorum cognitionem habet, & cogitatio, & opinio. *Plot. En. 5. lib. 3. cap. 1.*

Sensus non est officium adducere rationem, sed indicia nobis differentia solùm afferre. *idem, En. 6. lib. 3. cap. 18.*

Sensus circa corpora versatur, imaginatio circa corporum simulachra, phantasia circa singulas simulachrorum intentiones, intellectus circa singularum intentionum naturas

communes, ac rationes penitus incorporeas. *Ficin. in Platon. Theol. lib. 8. cap. 5.*

Sensum nullum natura longius ab intelligentia segregauit quàm tactum *idem, de stud. san. tuend. lib. 1. cap. 7.*

Sensus nec seipsum nec intellectum, nec intellectus obiecta cognoscit. *idem, epist. lib. 2.*

Sensus præstantior est in phantasia, quàm externus, longè præstantior in mente quàm in phantasia *ibid.*

Sensus nos trahunt ad corporum diuersam multitudinem cogitandam, mens ad incorporalium rerum simplicitatem. *Fic. in Plat. Phileb lib. 2. cap. 56.*

Sensus vt diuertitur ad exteriora, sic intellectus ad intima se conuertit. *idem, in Plat. Parmen. c. 34.*

Sensu vt nihil supra sensibile intelligimus, sic intellectu nihil supra intelligibile quicquam. *in Plot. En. 1. lib. 3. cap. 1.*

Sensus ab intellectu differt. ergo sensibile differt ab intelligibili, nam obiectorum diuersitas indicat diuersitatem potentiarum, & vt præstat intellectus sensui, & intelligibile præstat sensibili. est autem sensibile per se aliquid, quare per se intelligibile aliquid, illud verò est vniuersalis cuiqua species, semper enim vniuersalis ratio intelligitur, erant ergo intelligibiles, & communes rerum species, quæ ideæ sunt. *in Plat. Phil. lib. 2. cap. 19.*

Sensus toties mutatur iudicium, & sæpe iudicium quoties corporis dispositio mutatur. *Ioan. Fr. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 5. cap. 5.*

Sensu simplices colores deprehendi non possunt, cùm elementorum simplicium colores non cognoscat sensus. *idem, ibid.*

Sensus ab imaginatione differt; nam si sensus per instrumenta quæ affecta aut læsa non sint, interstitio iusto in se suscipit, verus est, imaginario verò vana plurimum, & oberrans: ille præsentibus sensibilibus tantum est, hæc abdicatâ etiam, & remotâ re sensibili munus obit suum, & non modò quæ fuere, sed quę futura aut suspicetur aut credit, & quæ à parente natura gigni non possunt. *Ioan. Franc. Pic. Mirand. de imaginat. cap. 2.*

Sensus vt communis, & vt humanus differt à cæterorum animalium sensibus.

Sensus ipsi nobis communes sunt cum cæteris animantibus. *Apul. de dogm. Plat. lib 1.*

Sensibilia communia ait Aristoteles motu nos sentire, Theophrastus hoc dicit videri absurdum si motu in notionem formæ deueniamus, oportet nos non ita motu dicere communia nosse, & principaliter motum, reliqua contingēter, consequenterésque sentiamus, sed communia similiter non omnia sentire motu quodam, id est in eo quod aliquo modo permutemur sentire. *Priscian. in Theoph. .46.*

Sensus communis sensuum omnium iudex est, qui sensus vniuscuiusque negotium, & otium persentiscit. *Priscian. in Theophrast. c. 47.*

Sensus communis actionem sensuum particularium non particulares animaduertit, cuius officium est omnium sensuum sensibilia comprehendere in eodem sine diuisione, dum per rationes agit inter se differentes: quamobrem ipse iudex numero quidem vnus indiuiduúsque consistit, censetur autem & diuisibilis esse, quatenus rationes differentes exercet. *idem, ibid. c. 42.*

Sensus maximè necessarij sunt animalibus tactus & gustus tū ad conseruationem sui, tum ad aliorum generationem. *Fic. in Plat. Phil lib. 1. c. 32.*

Sensibus magis valent bruta quàm homo. *idem, in Plat. Theat.*

Sensus communis formaliter aliud est quàm quinque sensus, ideò sæpe sentimus & videmus aliqua, quæ non percipimus audiuisse vel vidisse, quia communis sensus & imaginatio interea aliorsum vertitur. *in Prisc. Theophr. cap 47.*

Sensui interiori duo insunt, receptio imaginis, & iudicium de obiecta re per imaginem; dum recipit patitur, dum iudicat agit. *Iac. Carp. in Alc. c 4.*

Sensus vt tactus, olfactus, visus, & auditus.

Sensus olfaciendi videndi, & audiendi cerebrum exhibet. *Pla. in Phadone.*

Sensus non sunt auditus & visus; sed instrumenta sensus communi sensui ministrantia, quasi quidam animalis ianitores & hostiarij, nunciatores domino sensibilia forinsecus occurrentia, quibus pulsantur externa sensoria. *Synes. de som.*

Sensibus vti oportet non quomodocunque, sed ad optima quæque: visus omnes colores & formas videre potest, sed videat, quæ luce, non tenebris digna sunt: auris potest omnes voces recipere, sed non eas quæ cum turpitudine cōiunctæ sunt. *Phil. de eo quod det. potiorib. insid.* Sensuum visa cum mentis iudicio vt plurimum commiscemus, vnde ad vnitatis ipsius, & diuinæ naturæ potentiam diffidentius quē decet conuertimur. *Fic. in Plat. Phil. lib. 1. c. 16.*

De sensu tactus fuit Aristot. ambiguus, vt & ipse satis non innuat, nec declarent ipsum interpretes. *Ia. Franc. Pic. Mirand. in ex. van. doct. gent. lib. 5. cap 2.*

Sensuum omnium certissimus tactus habetur, visus autem acerrimus, in quo magna animi vis cernitur. *Franc. Patr. de reg. lib. 6. cap. 10.*

Sensus visus, atque auditus in homine non tantùm ad corporis salutem, & incolumitatem, sed etiam ad mentis cognitionem insuper ordinantur. *Leo Heb. de amo. dial. 3.*

Sensus obiectum & vt sentit, & decipitur.

Sensum semper esse oportet his quæ fiunt. *Plat. in Tim.* Sensus quæcunque mouent, sunt idola, & variæ quædam admirationes: quæ verò sensuum organa subterfugiunt, ad pulchrum, & bonum pertinent. *Mercur. Trismeg. Pimand. cap. 6.*

Sensus & cognitio differunt. *idem, ibid c. 10.*

Sensus tanquam in vestibulo animæ excubantes rerum principium excipiunt, atque intro ad mentem transmittunt, quibus acceptis incensa mens reliqua prospicit, & vsque ad consequentiam vel temporis, vel naturæ, vel legis, vel loci, vel dignitatis, vel potentiæ prosequitur. *Max. Tyr. serm. 18.*

Sensus quæ materiali conditione cognoscit, eadem imaginatio immaterialius percipit. *Procl. in Alcibiad. 1.*

Sensus qui per instrumentu fit palàm proposita, maximè est animalis, etsi non prius est sensus, quam recurrat in primum; sensus autem sine medio factus animæ propinquior est & diuinior. *Syn. de somn.*

Sensus numerum & tempus minimè percipit, hæc cogitatio rationalis agnoscit à sensibilibus rebus admonita. *Priscianus in Theophr. c. 9.*

Sensus instrumentum magis pulsatur à propriis sensibilibus, à communibus verò remissius, ideò quilibet sensus sua percipere solet. *idem, ibid. cap 51.*

Sensus cognoscit communia quasi per accidens ab anima verò agnoscuntur, sed certè commune hoc sensibile consequenter fit notum sensui, nec sola cogitatione comprehenditur. *ibid.*

Sensus non tam sentit quàm consentit, vt oculus tenebrosum, aures auditum, ex eo quod in his actio inhibetur in ipso conatu sensum ipsum iudicare, ipsis quod deficit, & deprehēdere, quod distum & alienum est, quòd ratio sibi innata huic minimè cōgruat, interea sensus peruersè mouetur propter passionem a sensibili quodam illatam. *Prisc. in Theophr. c. 11.*

Sensus perditur vbi ratio tollitur. *idem ibid. c. 43.*

Sensus non absque corpore; intellectus verò à corpore separatus ad perfectionem suam iis quæ extra procedunt non indiget *Prisc. in Theoph. de phant. & intell. c. 9.*

Sensu nihil sincerum percipitur. *Phil. de mun. opif.*

Sensus proprium est dare, voluptatis verò serpentinæ fraudare ac decipere. *idem, in legu alleg. lib. 2.*

Sensus præ senectute in operatione deficiunt; mentis oculus tunc cernit clarius fugatis nebulis iuuentilium vitiorum. *Fic. Plat. Theol. lib. 9. c. 5.*

Sensuum instrumenta nunquam actu eas qualitates habere debent quas sensus est percepturus *idem ibid. lib. 10. c. 2.*

Sensus non habent formas veras, sed imagines, intellectus formas veras obtinet. *ibid. lib 13. c. 16.*

Sensus solis corporeis & particularibus terminatur obiectis. *Fic. epist lib. 2.*

Sensus præsentium duntaxat suauitate rerum mouentur, nec ea alijs rebus vllis nisi corporeis voluptatem suscipiunt. *idem. de volupt. c. 13.* Sensus exteriores corporis mutationes percipiunt suas verò perceptiones non percipiunt, neq; referunt, id enim interioris est cogitationis officium, quæ non solùm ad imagines corporum, sed ad corporales conceptus se confert. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 32.*

Sensibus qui seruit, est animal brutum, & ferum, atque multiplex. *Fic. in Plat. Phad. cap. 2.*

Sensus vel speciem, vel corpus impetibile percipit: nam alij sensum accipere volunt incorporeas solùm imagines, alij res quasdam corporeas quidem, tales tamen, vt vbi suscipiuntur à sensu, modò sit rectè iudicaturus, nec ipsæ interim patiātur, id est ea eo quod sunt transmutentur à sensu, nec sensus ab illis similiter patiatur. *idem, in Plo. En. 1. lib. 1. c. 2.*

Sensus in rebus percipiendis exteriora rerum tantùm videtur attingere, intellectus autem intima penetrat; ideò magis cum intelligibili ac diuino quàm sensus cum sensibili & caduco congruit. *idem, in Plat. En. 1. lib 8. cap. 1.*

Sensibus plurimis percipitur magnitudo, & ea est non tam ipse rei sensibilis efficacia, quam eiusdem diffusio quædam per multitudinem atque locum & hæc non primò quidem, sed per ipsam nobis qualitatem, & efficaciam innotescit; quo fit vt ibi minus patet, qualitas, ibi quantitas delitescat. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 1.*

Sensus

Sensus solùm cognoscit quæ extra animam sunt. *Idem, in Plotin. En.5.lib.3.cap.1.* Sensus infimum gradum cognitionis tenet, intellectus summum. *ibid.cap.6.* Sensus in cognoscendo rectam tenet lineam. *ibid.*

Sensum quodammodo spectat numerus, & motus, & non solùm cogitationem. *Ficin. in Priscian. Theophrastum, cap. 9.* Sensum sibi similem non teddunt res externæ, & multò minus rationalem cogitationem, sed potentia sentiendi se facit similem per rationem suarum productionum. multóque magis id ita cogitatio facit. *Idem, ibid. cap. 10.* Sensus in se sentit tantùm, in imaginatione verò persentit se sentire. *in Plot. En 6.lib.2.cap.22.*

Sensus rem congruam, ac amicam & suauem iudicat, quando non innata eum aliquo congruit, alienam verò cùm dissidet, dum interea instrumentum peruersè mouetur. *Ficin. in Priscian. in Theophrastum, cap.11.* Sensus accidētia cognoscit, substantiam opinio. *Idem, ibid. cap 41.* Sensus instrumentum oportet facillimè moueri & formari. *ibid. cap. 44.*

Sensus instrumento proportio duplex est, tum in actu sentiendi facta per congruentiam obiecti aduenientis, tum antiquior aliqua, id est affectio quædam huic instrumento naturaliter insita, ad hoc sensibile potius quàm ad illud conformis, vt ita dixerim, & propensa. *Ficin. in Priscian in Theophrastum. cap. 49.* Sensus in instrumento consideramus efficaciam, & qualitatem. cùm res sentienda efficaciæ se adæquat vt nec superet, nec deficiat, expeditè sentimus; quando congruit qualitate, tunc sensus sentiendo voluptate perfunditur. *Idem, ibid.* Sensus profert rationes suas consequenter, quatenus ab externis passiones incidunt in instrumento. *Idem, in Priscian. in Theophrastum, de phantasia & intel. cap. 17.*

Sensus ibi varius, vbi repræsentat res aliter quàm sunt. *In Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib.5. cap.8.* Sensus quandoque decipitur, ita vt tu nunquam possis esse certus: nam si certus esse debes, ex omnibus certus esse debes; vniuersalis enim affirmatiua ex omnibus certis esse debet. *Idem, ibi.* Sensus incertus est, quia cùm propriè sentiunt, adhuc tamen quomodo sentiant, & quinam, & quot sensus habeantur sub dubio versatur, qui tamen sensu ipso vestigentur: in secundo enim de anima cùm Arist. de sensu præcipit hæret frequenter, vt sibi videatur aduersus, & magnæ difficultates circumstant omnes eius interpretes, vt ipsum à contradictione vendicent. *Ibid.*

Sensus incertus est, quia posito sensu & consentiendi modo conformiter & amabiliter statuto, quantum attinet ad experimenta eorum, qui ex ipsis sensionibus sensum indicāt, adhuc tamen ratione sumpta ex varia particularium sensuum natura, qui decursu etiam temporis variantur, æquè varia rei sensibilis natura, variáque permutatione, & vario etiam vtriusque concursu ipsum sensus & indicium & iudicium redditur incertum & sæpe fallax. *Ioan. Fran. Pic. Mirand. in ex. van. doct. gentium, lib 5 cap.2.*

Sensus si aberrant, & imaginatio siue phantasia errabit. *Idem, ibid. cap 5.*

Sensus omnes cùm interni tum externi in suis functionibus per lineam rectam proficiscuntur, eo quòd sint supra se reflexiui. *Gab. Bur. de anim. natur lib 3.* Sensus ex se falluntur nisi mens adsit. *Seb. Fox. in Plat. Phed.* Sensibus errorem nullum Plato tribuit circa obiecta propria, sed circa illa quæ multis sensibus communia sunt. *Idem in 7. Plat. de rep.*

Sensus noster primò ex se. & per se obseruat ea, quæ prima & secunda sunt obiecta, quorum perceptio est illi cum belluis communis: deinde accedente rationis & cogitationis discursu ex secundorum & primorum sensibilium comparatione, excitat notionem vniuersam, cuius comprehensio hominis est propria. In concretis substantiis quæ qualitatibus illis affectæ sunt contra accidit: nam in illis ratio dominatur, sed non sine sensu. quoniam rerum substantias sensus propriè non percipit, sed hic ad eas excitat per sensibiles qualitates, quibus sunt affectæ. *Iacob. Carpent. in Alcin. cap 4.*

Sensus vt rerum obiectarum essentiam non mutat, sed ab illa potius immutatur, sic nec intellectus intelligēdo facit quod vniuersale dicimus, sed hoc in communione naturæ rerum singularium semper existit, etiamsi à nemine adhuc reipsa intelligatur. *Iacob. Carp in Alcinoi 2. digress.*

Sensus haud nouam quidem animis nostris cognitionem afferre, sed eos potius ad antiquam scientiam sibi recuperandam excitare videntur. *Leo Hebræus de Amore, dial.3.*

Sensus vt se habet ad sensile, scientiam, & vt tractatur de sensu.

Sensus semper coincidit, & generatur cum sensili, *Pla. in Theæteto.* Sensus prouocat intelligentiam, dum ea quæ ad sensum vnà cum contrariis suis incidunt, quæ verò hoc non faciunt, intelligentiam excitare negarem. *Idem, de republica, dial.7.* Sensibus quæ exposita sunt, partim non prouocant intelligentiam ad considerationem, vt quæ satis à sensu iudicentur: partim illam considerare iubent velut sensus nihil sani faciat, nam non prouocant, quæ ad contrarium sensum non simul egrediuntur: quæ verò egrediuntur velut prouocantia pono, postquàm sensus nihilo magis hoc quàm contrarium indicat siue ex propinquo allabatur siue eminus *Ibid.*

Sensu quæ percipiuntur, opinione cum sensu comprehenduntur, ac fieri, & facta esse visa sunt. *in Timæo.*

Sensus comparari solet lineæ, & quod reliquum est in cognoscendo circulo. *Plo. En.5.lib.2.cap.7.*

Sensus non apprehendit res, sed imagines rerum, nam res foris manent. *Idem, En.5.lib.5.cap.1.*

Sensus contemplationem à Iamblico sumere debemus vbi de anima philosophatur, à quo Priscianus compendiosè hæc conscripsit, desiderans formulam quandam præscribere, circa singulos sensus contemplationis exactę. *Priscian. in Theophrastum, cap 15.*

Sensuum rationem determinat Theophrastus non esse in habitudine elementorum mutua, sed in proportione sensualium instrumentorum ad sentienda: ego verò probabilius arbitror Theophrastum non in habitudine, vel proportione quapiam rationem sensualem principaliter collocare, sed in essentia vitali & iudice sensibilium. *Idem, ibidem. capitula 45.*

Sensuum ora dilatari, vt sensibilia fluminis exundantis more infundantur, graue est, nullo repellente violentum impetum, nam tunc mens tantis vndis obruta in profundum mergitur. *Philo de eo quòd deter. potioribus. insid.*

Sensus & sensile ita se habent inuicem, vt propter eorum consuetudinem & debilitatem sese prorsus penetrare non possint. *Fic. ep. lib. 2.*

Sensus Plato organa sensuum appellat, nihilque sentire, sed per hæc quasi per meatus ab vna quadam animæ vi sentiri singula putat, quem sensum communem vocat, in quem vndique è singulis corporis organis, vt ad centrum circuli è circunferentia variæ lineæ passiones influunt colores per oculos, soni per aures, per nares odores, sapores per linguam, & per totum corpus calor, frigus, humidum, siccum, graue, leue, molle, densum, lene, asperum, rarum, densum, acutum, & obtusum. *Fic. in Pla. Theæt. tum.*

Sensus communis omnibus animantibus statim natis inest, præter quem est alia vis quam phantasiam, opinionem, cogitationemque nominant, cuius officium est de iis quæ communis sensus per quinque organa sensit, iudicare non quale solùm, sed quid sint. quod eorum vnumquodque idem est secum, ab alio aliud, vnum seorsum, iuncta, verò simul duo vel tria, similia, & dissimilia, bona, & mala ab vno in aliud ratiocinando percurrere, aliud cum alio applicare. & præterita & futura cum præsentibus comparare; qua vi essentiam, vnitatem, numerum, idem alterum, similitudinem, dissimilitudinem, pulchrum, turpe, bonum, malum, vtile, inutile, iudicamus, quod iudicium cum non omnibus statim natis animantibus insit, sed longo post tempore, & non omnibus, sed quibusdam, separatam esse à communi sensu constat, hanc phantasiam perfectam. & opinionem nuncupat. At cùm hæc non sufficiat ad nectendas vniuersales rationes, accedit cogitatio vniuersalis cui accedit mens. *Fic. in Pla. Theæt.*

Sensus antiqui Peripatetici originem habere dixerunt, visum & auditum in summo capite, olfactum in medio. gustum & tactum in corde. Posteriores in corde vires sensuum posuerunt. Galenus cum Platonicis in capite sensum omnem radicem habere posuerunt, & apud Platonem visus in capite solo editur, auditus motionem, & affectionem ad iecur vsque protendit, gustus ad cor, olfactus ad vmbilicum, tactus per vniuersum editur. *Ficin. in Pla. Timæum capitulo 63.*

Sensum Piotinus cum passione tribuit animali, sensum expertem passionis animæ, & animæ rationis discursiones assignat, siue declinent ad sensum, siue surgant ad intellectum. *Idem, in Plotin. En.1.lib.1.cap 7.*

Sensus nec est, nec habet sensibile: sed vertit se foras ad illud. *Idem, in Plot. Enn.1.lib 4.cap 9.*

Sensus ac imaginationis actus, cùm mouet res sensibilis instrumentum sensus, impartibilis est; & ideò substantia animæ in qua est, est indiuisibilis & ideò à corpore separata, vel separabilis. *Ficin. in Priscian. in Theophrastum. cap.4.*

Sensus similitudo ad sensibile in instrumento fit imperfecta, perfecta verò in vita, sensus autem per rationis productionem. *Idem, ibid. cap.5.*

Sensui innata ratio, vt excitatur ad præsentiam sensualium specierum, sic ipsa excitat potentiam cogitandi ad producendam rationem essentiæ sensibilium propter cognitionem qualitatum ad eam, cùm qualitates eiusmodi percipiũtur à sensu. *ibid. cap.* 10.

Sensus eiusdem est de oppositis iudicare, vt auditus de voce & silentio: si purum silentium sit, non sensus exterior indicat, sed interior per memoriam vocis, aduertens se in oppositum vocis incidisse: vt plurimum verò silentium non est purum, & tum conatur auditus circa obiectum debilissimum, & vix percipiens quicquam, silentium dicitur deprehendere, quasi deprehendens quod ibi de voce reliquum deest. *Fic. in Priscian. in Theophrastum, cap.* 15.

Sensu in omni tres præcipuæ regulæ sunt à Iamblicho traditę firmiter tenendæ: prima; aliquid fieri in instrumentum sensus quod necesse est quodammodo illinc affici, quæ affectio sum passio est ab externis illa tamen, quia instrumentum hoc est corpus, tum actio in instrumento resultat, quia viuũ, eiusmodi quidem affectio quodammodo rei sentiendæ fit similis: secunda; post hanc affectionem instrumenti quoquomodo viuentis fit species quædam ad modum spiritualior in ipsa animalis vita, accommodatior iam ad sensum, etiam sensibili similis: tertia; ad speciei huius præsentiam expergiscitur ratio quædam rei sentiendæ prius in anima iacens, quæ experrecta congruit speciei, & per hanc affectioni, & per affectionem sensibili foris posito: hæc expergefactio, & congruitas communiter est sentire. *Fic. in Priscian. in Theophrastum, cap.* 25. Sensui, & sensibili omni interiacet medium aliquod, & id à principali sensibili mouetur & patitur, priusquàm sensibile ad sensum vsque perueniat. *ibid. cap.* 24.

Sensus à re sensibili mouetur: à motione quæ de sensus claritate prodit in eorum animis quæ ex se moueri queant, animantium, motio quædam suboritur, quæ & memoria & phantasia vocari solet, memoria eius qui circa sensum est affectus, phantasia eius rei sensibilis qua sensus afficitur, & patitur, & qua tanquam vestigium quoddam inuritur in animis, & relinquitur, quaque ab Aristotele definitur motus à sensu factus secundum actum: è qua motione oritur alia motio in animis nostris quæ & cogitatio, & intellectus vocatur diuersis considerationibus, nam qua cogit & affingit imagines cogitatio, qua quædam splendescit claritas, intellectus, à quibus notio, scientia, & ars construitur: ideò sensum & mentem iudicatoria statuunt sensum vice instrumenti, rationem vice artificis. *Io. Franc. Pic. Mir. in exa. van. doct. gen. lib.* 2 *cap.* 18.

Sensum vt fundamentum demonstrationis præstitit Aristoteles, vult enim ne procedatur in infinitum dari propositionẽ suapte natura claram quæ ea inductione paratur, & singularia sensu corroganda præcipit. at si hæc via labefactetur, tota vno ictu machina corruet. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. van. doct. gen. lib.* 5 *cap.* 1. Sensuum principium ponit Galenus in cerebro, Aristoteles in corde: ad Galeni sententiam accedit Plato in Timæo, sed sentiendi vim ad iecur vsque permeare putat. *Seb. Foxius in Pla. phædonem.*

Sensuale iudicium non fit secundùm passionem nec rationalis excogitatio, sed secundùm actionem, & rationem. ratio sensibilium promitur, quando instrumenti passio in speciem iam perficitur, siue definit sensibili similem, atque ita rationalis sensibili coaptatur Quod si ad conueniens aliquid proportione aliqua excitatur, nimirum ratio iudex sensibilium qualitatum vim animæ suscitat sensibilium essentiæ cognitricem, familiariter sanè propter familiaritatem quandam eiusmodi qualitatum ad essentiam ipsam à qua procedunt. *Priscian. in Theophrastum. cap.* 10.

Sensualis ratio vna est in anima pro qualibet specie sensibiliũ, omnium indiuiduorum repræsentatiua; repræsentat autem nobis tum hoc, tum illud, quatenus excitatur per speciem, hanc vel illam effectam in vita propria corpori, & animali. *Fic. in Priscian. sup. Theophr. cap.* 4. Sensualis species quæ fit in prima animalis vita, fit à ratione innata animæ tanquam à causa principali, fit & à vita, in qua est, tanquam instrumento; ad huius verò effectum occasionem præbet passio quædam à sensibili in instrumentum sensus illata. *idem, ibid. cap.* 7.

Sentiendi vis vbi est, ibi est sentiendi actus, modò non desit spiritus, in quo siue passiones corporis exprimantur, siue imagines qualitatum effulgeant. *Ficin. Plato. Theologia, libr.* 15. *cap.* 7.

Sentiendæ rei similitudo perficitur in vita quæ cõplet animal, à rationibúsque dependet essentialibus, secundùm extensionem verò quandam ad corpus ipsa subsistit, & est quoque sensualis, & perfectio ac terminus animalis, in instrumento verò est imperfecta, & cum à passione, miscetur & actione, & passio quidẽ incidit ab externis, actio verò procedit à vita, & species est in animalis vita, iudicium & cogitatio in ipso rationis actu. *Priscian. in Theophrastum, cap.* 5. Sentiendi iudiciũ, & cogitatio in ipso rationis actu est, species autem in animalis vita *Idem, ibid.*

Sentiendi instrumentum diuisibile est, cùm corpus sit, altera parte amarum, altera dulce, persentiscere potest, quod in tactu manifestè patet; at ratio indiuidua contraria simul agere non prohibetur, pati verò secundùm idem contraria est impossibile. *Prisc. in Theop. cap.* 8. Sentiendum peruenit ad sensum non æquè, sed prout vim habet ad agendũm maiorem, vel minorem, & quatenus sensus instrumentum puritatem habet magis & minus sinceram, & quatenus mediũ magis & minus est aptum ad actum inter obiectum, & sensum traiiciendum & secundum longius interuallum, aut breuius. *Idem, ibi. cap.* 31. Sentiendæ rei nimius excessus soluit aut perdit sensuum actionem. *ibid. cap.* 49.

Sentiendæ rei motio similis est obiectis tum, quia ab illis est illata, tum quia actio huic motui continua, quando adhibetur à vita spiritus, ipse spiritus erga obiecta iam est excitatus, motio talis quia est passio magis quàm actio, & tempore, & loco diuisibilis non habet naturam speciei, sed motionis; ideò non est sensus, quia indiuiduè, & subitò & per speciem agens totum comprehendit obiectum, & hanc motionem non esse sensum apparet, quoniam alioquin quoties moueremur sentiremus, & vehementior motio non offenderet sensum. *Fic. in Prisc. ian super Theophrastum, cap.* 3.

Sentiens iam habet materialem speciem rei quam sentit repræsentatiuam, sed antequam habeat eam, oportet instrumentum sensus à sensibili moueri & pati. *Fi. in Pris. Theoph, cap.* 3. Sentienda res mouet quodammodo instrumentum sensus, id est spiritum quodammodo viuum; hæc motio cũ passio dicitur, quia spiritus corpus est, tum actio, quia spiritus est viuens, & efficacia vitę illatæ passioni continuam ex se adhibet actionem *Idem, ibid.* Sentiendi vis non est in potentia formabili ad externa, sed ad suos actus circa externa edendos. *ibid. cap.* 7. Sentiendo quod confert, non est materiale, sed spirituale *ibid. cap.* 27.

Sentiens omne semper intercedit nescio quid quodammodo spiritale, quod per tam longum spatium agit in sensum, id est actus quidam specialis, atque specificus à specie rei sentiendæ proueniens, siue hic intra nos fiat, vt in tactu, & gustu, siue extra nos, vt in visu, auditu, & olfactu, qui & virtute fit vitæ communis, cuius beneficio cuncta ligante tam facilè à rebus distantibus, & mouetur sensus, & corpus conformè patitur à conformi, quod per magicem est compertum. *Fic. in Pris. in Theop. cap.* 32. Sentiendi actus in omnibus sensibus peragitur speciali quodam actu, & ea specie sensuali per vitam intrinsecus resultante, quod est verum non modo in visu, auditu, & olfactu, sed etiam in gustu & tactu. *idem, ibi. cap.* 40.

Sentire per corpus aliquod oportet; & cùm sentire sit percipere non intelligibilia, sed sensibilia tantùm oportet animam factam quodammodo contiguam sensibilibus per quædam iam sibi familiaria communionem quandam ad hæc cognitionis, vel passionis inire, ideò per instrumenta corporea cognitio hæc fit. *Pla. En.* 4. *lib.* 5. *cap.* 1. Sentiendi vis consistit in compassione quadam, consensioneq; mutua rerum, tanquam in eodem viuente manentium *idem, ibidem, cap.* 5. Sentire est animam viuentem corpore percipere sensibilia. *Idem, En.* 4. *lib.* 7. *cap.* 8.

Sentire non cupimus solum, sed cum suauitate sentire, & intelligere cum gaudio. *Ficin. in Plato Phileb. lib.* 1. *cap.* 32. Sentire non est hominis officium, sed quæ sentit considerare. *Idem, in Pla. Cratylum.* Sentire est in anima adhibere se ipsam, & expedire vim suam circa illa ad quæ habet essentiã consentaneam & naturaliter aptam. *in Plotini En.* 3. *li.* 6. *ca.* 1. Sentire non est simpliciter cognoscere sensibilia, sed per passiones siue impressiones quasdam factas vel à rebus sentiendis propè animam, vel ab anima circa eas. *in Pla. En.* 4. *lib.* 4. *cap.* 23.

Sentire propriè est proferre in actum ipsam rei sensibilis rationem ad præsentiam speciei factæ in vita, quando res mouet sensibilis suum sensus instrumentum. *Fic. in Prisc. super Theophra. cap* 4.

Sentimus in via cognitionis non per notitiam motus formam, sed è conuerso. *Idem, in Theo. Platon. cap.* 46.

Sentire debemus vt pauci, loqui vt plures, nam nobis sentimus, loquimur aliis. *Io. Pic. Mirandul. de vno & ente, cap* 3.

Sentiendi primus actus est ipsa anima sentiens, sic & intelligendi primus actus erit animæ in nobis intelligentis substantia. *Iacob. Carpent. in Alcinoi partem poster. digres.*

Sentien

Sentiendi prima facultas ab Aristotele in corde ponitur, nec quicquam re ipsa sentiri priusquam eius imago ad cor peruenerit? instrumenta verò quinque sensuum, qui externi appellantur, in quibus obiectarum rerum imagines primùm recipiuntur, indéque ad animam quæ sola iudicandi vim habet deferuntur, in nonnullis sita esse in capite, vt in aspectu, & auditu, in aliis, vt in gustu & tactu in corde; vel potius in aspectu & auditu vias per quas rerum sensibilium imagines deferuntur primum ad cerebrum tendere, & hinc ad cor transcendere, in gustu, & tactu vias quoque eiusmodi esse aliquas, sed has ab instrumentis ad cor rectè ferri. *idem, in Alc. dig. 6.* Sentiens enim aliquid patitur, eam passionem cognoscit: idem sensui inest aliqua cognitio. *M. Anton. Natta de pulchro, cap 5.*

Separabilibus quicquid est in formis, est esse, & essentiale præcipua quadam, & æquali forte, nec aliquid ibi accidens reperitur. *Iamb. de myst.* Separabiles substantiæ non conueniunt quodam genere in quo per differentias distinguuntur, sed se ipsis, & ordine graduum distinguuntur, quatenus per alios perfectioris gradus referuntur ad primum atque vltimum. *idem, ibid.*

Separata à materia alia prorsus separata sunt, alia per intelligentiam. *Priscianus in Theophrastum de phantasia & intellect. cap. 16.* Separatarum rerum aliæ sunt penitus indiuiduæ, aliæ cum explicatione quadam, aliæ inter hæc mediæ: sic & intellectus primo gradu separatus est, qui secundum actum dicitur intellectus, secundò intellectus secundùm potentiam designatus, & participatus ab anima atque ipsa rationalis anima. *idem, ibidem.*

Sepeliatur nemo cum illis qui se ipsos occiderunt, sed seorsum sepeliantur, & non imponantur sepulchris columnæ, nec nomina inscribantur, ne ipsorum sepulchra indicentur, *Plat. de leg. dial. 9.*

Septenarius.

Septenarium numerum religionibus aptissimum diuinus Pythagoras prodidit. *Apul. met. lib. 11.* Septenarius virgini tribuitur, ideò Pallas vocatur, quia vt ab vno patre nata perhibetur, ita septenarius ab vnitate tantùm procedit. *Macrob. in somn. scip. lib. 1.* Septenarius multiplicatus in seipsum facit ætatem propriè perfectam. *idem ibid.*

Septimo numero natura dedit nec gigni nec gignere, ideò victoriæ virgini tribuunt, & Pythagorici vniuersitatis huius imperatori. *Philo, de mundi opificio.* Septenario ætates metimur. *idem, ibid.*

Septenario natura gaudet; septem sunt erraticæ stellæ, vrsa septem stellis completur, singulis septimanis Lunæ mutationes fiunt, & quascunque in aere mutationes operatur: humana omnia, quæ diuinius principium cœlitus sibi contrahunt iuxta septenarium salubriter mouentur, infantum septimus mensis salutaris partus: septimo anno homo rationem perfectam habet, secundo ad potentiam progignendi sui similem peruenit, tertio finis est augendi, animæ bruta pars septifariam diuiditur in quinque sensus, vocis instrumentum, & genitalem vim; corporis motus septenarius est, sex pro ratione membrorum, septimus in orbem: septem interiora viscera, stomachus, cor, lien, iecur, pulmo, renes gemini, septem membra corporis, caput, ceruix, pectus, manus, venter, inguen, pedes: septem foramina habet principalis pars hominis, oculos duos, duas aures, naresque, & os; septem sunt excrementa, lachryma, mucus, saliua, genitura, & quæ per duas cloacas corporis fluunt, & sudor totius corporis: in morbis septimus dies maximè indicat: menstrua in fœminis protenduntur vsque ad septem dies: in Grammatica vocales septem; in Musica perfectissimum instrumētorum lyra septem chordis constat: tonorum septem sunt discrimina, acutus, grauis, circumflexus, asper, tenuis, longus, breuis: septenarius nec gignit nec gignitur: ideò virgini in suis fabulis Pythagorici sine matre natæ assignauerunt, ideò septimo die deos à suo opere quiescere fecit, quod intelligendum, quod tunc Deus fecit, mortalia cessat fingere, cùm incipit diuina. *Philo in legis alleg. lib. 1.*

Septenarius est prima radix proportionis sesquitertiæ, quia componitur ex quatuor & tribus inter quæ est prima proportio sesquitertia. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8 cap 3.* Septenarius significat virtutem summæ per septem Planetarum sphæras elementa recturam. *idem, in Plat. Timæum, cap. 23.*

Sepulchris columnæ imponebantur & nomina inscribebantur. *Plato de legibus, dialog. 9.* Sepulchra fiant in locis nulla parte cultis; quos enim locos terra, quæ hominibus alimēti mater est ea natura fertiles esse vult, his neque viuens neque mortuus quisquam aliquem ex nobis viuentibus priuare debet, ager non effodiatur altior aggestus quàm vt sit quinque virorum opus, quod in quinque diebus perficitur; lapideæ verò columnæ imponantur non maiores, quàm vt mortui encomia vitæ suscipiant, quæ quatuor heroicis versibus sint comprehensa: propositiones non longiori tempore ritus fiant, quàm vt mortuus, & reuera mortuus declaretur: fiat tertia die ad monimentum elatio ferè moderata. *idem, ibid. dialog. 12.* Sepulturæ sumptus non sit maior in iis qui maximi census sunt, quàm quinque minis, in secundi census tres minæ, in tertij duæ, in quarti vna. *ibid.* Sepulturæ modus à Socrate pro amicorum voluntate relinquitur. *in Phædone.*

Serenitas est aer purgatus caligine, & perspicuè sincerus. *Apul. de mundo.*

Series omnis vniuersorum in imparticipabilem causam, & principium refertur, omnia verò participabilia ab vno dependent omnium principio. *Procl. el. Theol. propos. 100.*

Sermo.

Sermones qui odio habent, non possunt maius malum perpeti. *Plato in Phædone.* Sermo ipse est Pan, nam vt verus est & falsus, sic Pan est & homo & hircus. *in Cratylo.* Sermonis essentia est nominum complicatio. *in Theæt.*

Sermo nunquam efficitur ex nominibus solis, nec ex verbis absque nominibus dum continenter dicuntur, vt currit, ambulat, amat, vel leo, homo, ceruus, nam nullam actionem, nec actionis impeditionem significat, nec eius quod est, nec eius quod non est essentiam, sed si quis verbis nomina admisceat fit sermo. *Plat. in Soph.* Sermo ex nomine & verbo constat. *ibid.* Sermo necessario est alicuius sermo. *ibid.* Sermo alius verus alius falsus. *ibid.* Sermo verus dicit ea quæ sunt vt sunt. *ibid.* Sermo falsus dicit ea quæ non sunt alia ab iis, quæ sunt. *ibid.*

Sermo si animum auditoris ad inuentionem paratiorem fecerit, etiam prolixus laudandus, & prolixitas non est ægrè ferenda, si breuior, eodem modo. *Plat. de regno.* Sermonum in nobis affectio quædam immortalis & non senescens est, & qui primum ipsum adolescens gustauit gaudens, vt sapientiæ quendam thesaurum adeptus in voluptate velut numine correptus fuerit, & omnem sermonem libens mouet, nunc in alteram partem deuoluens, & in vnum commiscens, nunc rursus in vnum reuoluens, & diuidens, & in multam difficultatem primùm quidem & maximè seipsum deiiciens, deinde proximum quemque, nec patri parcens, nec matri, nec alij cuipiam audienti, & ferè, nec aliis animantibus nedum hominibus, nam nulli barbarorum parcit, si interpretem habere potest. *idem, in Phileb.*

Sermo qui scribitur non potest se tueri, sed qui in anima discentis scribitur cum scientia potens est defendere seipsum, nouitque & dicere, & tacere apud quos oportet. *Plat. in Phædr.* Sermo de bonis potius habendus est quàm de malis. *in Timæo.* Sermones de hominibus etiam mortuis non conquiescunt, ideò ipsorum cura habenda est, cùm futuri temporis curam gerere debeamus. *epistol. 2.* Sermonibus sacris, & priscis semper credēdum est, qui animam immortalem esse nobis significant. *epist. 7.* Sermones ex comparatione inter se, velut purpura & aurum, melius discernuntur. *idem, de consilio danda.*

Sermo religiosissimus multorum interuentu venientium, præsentiáque violatur, tractatúmque tota numinis maiestate plenissimum irreligiosæ mentis est multorum conscientiæ publicare. *Merc. Trismegistis Asclepium, cap. 1.* Sermo religiosus multorum interuentu, & præsentia violatur, nec licet tractatus religiosos multorum conscientiæ publicare. *Apul. Asclepius.*

Sermo qui est in prolatione, ad sermonem animæ comparatus, & diuisus est, ita qui in anima ad superiorem diuisus est ipsius interpres: nam qui in voce est, imitatio est eius, qui est in anima, & qui in anima eius qui in superiori manet. *Plotin. Enn. 5. lib. 2. cap. 3.* Sermo quidem existens tantus est, sed qua ratione sermo est non est quantum, vim enim significandi habet, vt nomen, & verbum, materia verò eius est aer, vt nominis & verbi ex quibus sermo componitur: at verberatio ipsa potius est sermo, nec simpliciter verberatio, sed figuratio quædam facta sicut formans, actióque potius significatiua: motionem vtique & verberationem huiusmodi rectius aliquis actionem asseuerabit. *Idem, Enn. 6. lib. 1. cap. 5.*

Sermones tantò magis oblectant quàm concentus, quantum cibi magis quàm odoris non cibi naturâ fœcundissimè nutriunt: odor verò vt odor adulterinum est negotium, & exiguam vim gerit nutriendi. *Max. Tyr. sermo. 12.* Sermo si vtilitate vacuus est non est laudandus. *Idem, serm. 15.* Sermoni talem voluptatem concedo quam virtus non repellat, sed potius secum, vt pedissequam ducat. *ibid.*

Sermo est effluxus à cogitatione per os vnà cum literata voce. *Alcinous cap.4.* Sermonibus qui præfecturus est rectè, is oō debet ipse victoriam captare, neque certare cum iis de quibus iudicium futurum est; & Elios, sophista quidam ait, arbitros ludorum Olympiorum meliores esse si Eliorum nemo certaret. *Plutarchus in quæstion. Platonic.*

Sermonis probati duæ sunt partes, doctrina, & veritas. *Philo in legis allegor lib. 2.* Sermoni Dei hoc est proprium, vt quando animam ad se aduocat, gelu excitat in omnibus rebus terrenis corporeis & sensibilibus; ideò dicitur tanquam pruina super terram. *Idem, ibid.* Sermo sacer est pater virtutis studentium. *Idem, de migratione Abrahami.* Sermo homini datus est munus pulcherrimum, primò datus pro telo, secundò ad tegenda probra, tertiò ad vitam ornandam, estq; proprius hominis, est munimentum, indumentum, armatura, & ars. *Idem, de somniis.*

Sermo fœtens putridæ mentis est signum. *Ficin, epist. lib. 1.*

Sermonis rectus vsus tam optimus est quàm necessarius vsus alimentorum. *Idem, in Pla. Timæum, cap. 75.*

Sermo omnis reprobatur, qui vilissima, & absque delectu refert, & agit hominem perturbatum. *in Plat. de republica, dial. 3.*

Sermo humanus quo homo cæteris animantibus præstat, ante eiusdem societatem non fuis distinctus. *Francisc. Patricius de republica, lib. 1. cap. 3.*

Sermonis breuitas pro laude habetur in regibus principibus & omnibus hominibus, qui aliis præsunt, & maximis rebus occupati sunt. *Idem, de regno lib. 2. cap. 12.*

Sermo omnis ab hominibus institutus est, & nihil in eius significatione naturale est, nisi quatenus in ipsa vocabulorum significatione instituenda, naturæ rerum quibus illa imponūtur, ratio quoad fieri potest habenda est. *Iac. Carpent. in Alcinoi digressionem 4.*

Serpentes erant duo in duobus montibus, qui dum alter in alterum emittebat vaporem omnes equites qui illac transirēt, cadebant mortui, cuius causa cum Philippus Rex nesciret à Socrate edoctus fuit, qui turrim altam edificari iussit, & super eam speculum de calibe posuit, & in eo inspiciens vidit supradictos serpentes, qui cùm interempti fuissent, libere illac transitus factus est. *Arist. de causis proprietatum elementor.*

Seruari non potest qui alicui multitudini aduersatur, & multa iniusta, & præter leges prohibet, sed qui reuera pro iusto pugnat, si vel modico tempore seruari velit, oportet vt priuatas res curet, non publicas. *Plato in Apologia.*

Seruatorem esse in omnibus operibus conuenientem cogitare oportet, velut in animali anima, & caput maximè suus. *Idem, de legibus, dial. 12.*

Seruatur vnumquodque ab origine sua & perficitur. *Fic. Plat. Theologia, lib. 9. cap. 2.*

Seruire, Seruitus, Seruus.

Seruire qui debent, non sint ex eadem patria, & inter se quoad fieri potest maximè sint dissentientes. *Plato de legibus, dial. 6.*

Seruitus improbatur, non cùm quis habet accedēdi ad malum licentiam, sed vbi ad ipsum sui bonum accedere nequit, tractus ad bonum alterius. *Platon. En 6. lib 8. cap. 4.*

Seruiens seruo seruus est miserrimus, at qui seruit domino omnium, quodammodo fit omnium dominus *Ficin. epist. lib. 4.*

Serui & domini nunquam fiēt amici, nec viles & graues æqualibus in honoribus constituti. *Plato de legibus, dial. 6.*

Seruos vnius linguæ multos ciuitates quę habuerunt, multa mala ab ipsis contigerunt. *idem, ibid.*

Seruis non colludendum est, siue fœminæ, siue mares sint: nam multi dum admodum stolidè cum seruis colludunt, & illis vt subditi sint, & sibi ipsis ad imperandum difficiliorem vitam efficere solent. *ibid.*

Seruos alere debemus rectè nō solum illorum gratiā, sed plus nostri ipsorum rationem habentes. *ibid.*

Seruos ita educare debemus, vt neque contumelia seruos afficiamus, & vt minus ipsis si fieri potest quàm æqualibus iniuriam inferamus. *Plato de legibus, dial. 6.*

Seruili in animo nihil sani est, neque vnquam quicquam virum mente præditum huic generi credere oportet, & vt ait Poeta, Dimidium mentis nunquam aufert Iupiter illis, quos hic sorte grauat humili seruire coactos. *Idem, ibid.*

Seruorum circa mores & actiones qui se impollutè gerit, quoad impietatem, & iniustitiam attinet, is ad seminandum vt virtus producatur præstantissimus fuerit. *ibid.*

Seruos punire meritò debemus, & non admonendo efficere vt velut liberi molliter se gerant. *Pla. de leg. dial. 6.* Serui beneuolentissimi, ac optimè cōparandi sunt, multi etiā serui iam fratribus, ac filiis quibusdam in omni virtutis genere præstantiores fuerunt, & dominos & opes & totas ipsorum domos seruarunt. *idem, ibid.* Seruum suum qui volet ducat si sapiens fuerit, vt vtatur eo prout voluerit ad ea quæ sancta sunt, ducat etiam pro cognato, & amico eum qui aufugit, aut ipsum seruet. *ibid. dial. 11.*

Serua si commixta fuerit cum seruo, aut libero, aut liberto, omnino seruæ domino id quod natum est detur: at si quis ex serua sua, aut aliqua ex seruo suo sobolem susceperit, & manifestum hoc fuerit, eam quæ ex hera nata est vnà cum patre in aliam regionem ablegent legum custodes; quæ verò ex domino, vnà cum matre. *Plato de legib. dial. 11.* Seruæ, & seruo & puero in cædis crimine solum testimonium dare & patrocinari liceat, si fideiussorem fide dignum constituerint, se vsque ad iudicatam causam permansuros esse; si falsa testimonia misisse accusentur, aduersarius & totum testimonium, & partem falsi accuset, si aliquem falsum testimonium dedisse afferat priusquam causa fuerit iudicata. *idem, ibid.*

Serui laus maxima est nihil ex iussis dominicis contemnere, sed impigrè, industriéque, vel supra vires conari cūcta exequi ex illius animi sententia. *Philo de eo, quis rerum diuinarum hæres sit.* Seruus est omnis qui peccat, liber qui probus est, *idem, quòd omnis probus sit liber.* Seruitus alia animi, quibus denominantur affectus & vitia; alia corporis, quibus dominantur homines. *ibid.* Seruus verè est qui humili seruilique animo humilibus seruilibúsque negotiis inuitus dat operam. *ibid.* Seruo quid grauius euenire potest quàm infensus dominus! *idem, de legatione ad Caium.*

Seruos ineptos malo, quàm pigros, pigros quoque quàm nullos. *Fic. epist. lib. 1.*

Serui officium est existimare vitam suam esse domini, & domini rationem esse suam. *idem, ibid. lib 3.* Seruitus nulla iucundior & felicior, quàm voluntaria. *ibid. lib. 4.* Seruile nihil magis est eo qui sensibus tanquam dominis suis *ibid. lib. 5.* Seruientes corporis voluptatibus anxij viuunt. *ibid.*

Seruit turpissimè qui seruo seruit; miserrimè cui merces seruitutis est pœna. *Ficin. epist. lib. 5.* Seruit nemo verè nisi qui seruit volens, & nemo verè dominatur nisi qui volentibus dominatur *idem, ibid.* Serui sunt qui tenere humeros suos ponderi omnium sustinendo subiecerunt; & dominatio vera est quæ nulli seruit seruo, & si quando seruit, tunc soli illi seruiat qui solus nullius est seruus. *ibid. lib. 6.* Seruitutis extremæ principium est extrema licentia libertatis. *idem, in Plato. de republica, dial. 8.*

Seruorum proprium est, vt per eos omnia dominis commoda parentur, & ipsi omnia sustineant incommoda. *Ioan. Picus Mirand. in or. Dominicam.*

Seruis imperans cogitare debet homines esse, non belluas, nec verberibus aut cathenis in eos sæuire, obdurant enimque plagis, & nihil agunt nisi inuiti; mitius agendum est cū eis exigendo quotidiana opera, non inclementer, laudanda eorum industria, quo alacrius laboribus incumbant, cibaria eis impertienda sunt quæ robur firment sine elegantia, & sumptu: vestis sit quæ æstate tegat, hyeme à frigore, & pluuia defendat. Maiores potius patroni, quàm domini seruorum nuncupari voluerunt. *Francisc. Patricius de republica, lib. 4 cap 2.* Serui dominis in primis fidem, & taciturnitatem præstare debent *idem, de regno, lib. 9. cap 7.*

Seruus ille est qui sui iuris non est, quippe in omnibus actionibus non à se, sed domini impetio, & voluntate mouetur. *Iacob. Carp. in Alcinoi partem post. digress. 12.* Seruorum errata acerbius quàm cæterorum à dominari consueuerunt. *Leo Hebræus de amore, dial. 3.*

Seueritas in ciuitate nonnunquam salutaris est, sæuitia vero semper pestifera. *Francisc. Patric. de republ. lib. 6. cap. 5.* Seueritas regem decet, maiestatem præstat, & dignitatem auget *idem, de regno, lib 8. cap. 6.* Seueri in puniendo, in gratiis postea concedendis, & beneficiis conferendis liberales plerunque existere solent. *Leo Heb. de amore, dial. 2.*

Sesquialtera consonantia generat diapente. *Fic. in Plato. de repub. dial. 8. c. 3.* Sesquialtera proportio continet totū & dimidiam partem. *idem, ibid.* Sesquitertia proportio cōtinet totum, & tertiā partem. *ibid.* Sesquitertia cōsonantia generat diatessarum. *ibid.*

Sibylla Sambethe fertur de genere Noe fuisse in Perside vel Chaldæa nata. *August. Steuch. de per phi. lib. 2. c. 20.* Sibylla Erythrea Chaldaica fuit filia Berosi Chaldæi dicta à sinu Persico & mari rubro, quod vsq; in Persas & Indiā pertinēs Erythreum siue rubrum vocatur, siue ab Erythro Rege, cuius sepulchrum in illo littore spectatur. *idem, ibid.* Sibylla Erythrea Chaldæa prædixit stellam quæ apparere debebat Christo nascente, ideò stellā videntes ipsum adorare venerunt. *ibid. c. 22.* Sibyllę Erythreæ carmina in primis literis cuiusq; versus colligebant *ἰησοῦς χριστὸς, σωτὴρ θεοῦ υἱὸς, σταυρὸς,* Iesus, Christus, seruator, Dei filius, Crux. *ibid.*

Sibylla

Sibylla Erythrea sacerdos epullinis eret tripoda custodiens,& responsum dabat sciscitantibus. *ibid.*

Siecum est in primo gradu Iouis, in secundo Mercurij cum Sole, in tertio Solis cum Marte, in quarto Martis cum Saturno. *Ficin. de Vita cælitus comparanda, lib. 3. cap. 12.*

Sidera

Sidera sensus habent, vt Plotinus, Hermiásque disputant, visum propriè & auditum, sed in alio quodam genere longè præstantiore quàm sensus animalium terrenorum. *Ficin. in Plato. de legibus, dial. 10.*

Sidera si suoa signa non causæ, extra controuersiam tollitur pars Astrologiæ, quæ est de electionibus, cùm in illa fauor cælestis ad efficiendum, non signorum indicia ad curiositatem inuestigentur. *Picus Mirandul. in Astrologiam lib. 4. cap. 12.*

Sidera siue sint per Astrologos signa, siue causæ, pars de quæstionibus Astrologiæ funditus tollitur. *Idem, ibidem, cap. 13.*

Sidera non faciunt particulares rerum inferiorum mutationes, quæ etsi proueniunt de cœlo, aliter tamen proueniunt, quàm vt cœlestium aliqua obseruatione deprehendi, & significari possint. *Ioan. Picus Mirand. in Astrologiam. libr. 6. cap. 2.*

Siderum motus differunt in triplici ratione, primùm velocitate, secundò quòd hæc pluribus illa motibus paucioribus, tertiò pro situ regionis in qua mouentur. *Idem, ibid. libr. 3. cap. 9.*

Sidere quamuis à terra sint longius, vt tamen sua terram fœcundant, terra autem vaporem exhalans alimentum vicissim suppeditat illis igneis formis, quæ humido pabulo saturantur. *M. Antonius Natta de pulchro, lib. 2.*

Signa.

Signis congruè vnimur in hac vita ad diuina, & ex his ad simplicem, & vnitam intelligibilium spectaculorum varietatem modo quodam proportionis assurgimus, & post nostram omnem intelligentiam diuinorum sistentet intellectuales actiones nostras ad sublimiorem essentiam radium quantum fas est contendimus. *Dionysius Areopagita de diuinis nominibus.*

Signis, & figuris melioribus apud Platonem meliora rectè significantur. *Ficin. in Plato. de republica, dial. 8. cap. 16.*

Signa sex à Cancro exordientia, quia recta procedunt, horas duas vel paulo plus occupant ascendendo: sex reliqua quæ è Capricorno incipiunt quoniam exoriuntur obliquè, citra duas horas ascendunt *Idem, in Plotini En. 2. lib 3. cap 7.*

Signa cœlestia in corpus, numina quæ illis præsunt in animam vires suas ad singulas artes infundunt. *Ficin. in Plato conuiuium. or. 5. cap. 3.*

Signorum mutatio vt quæ in firmamento sunt non subsint iis quæ sunt in nona sphæra maximam rerum mutationem affert: idem faciunt mutationes per accessum imaginum ad meridiem, & per recessum multis secula restituuntur: nec prius pristinam recuperabunt felicitatem quàm ad pristinum reuertantur. *Idem, in Plotini En. 2. lib. 3. cap. 16.*

Signa cœlestia quadrata, vel opposita contrarias habent qualitates, quadrata vtrasque, vel agentes saltem, opposita altera tantùm qualitate saltem. *Io. Picus Mirandul. in Astrol. lib. 3. cap. 16.* Signa ita iuncta sunt & diuisa vt non quærant naturæ proprietates, sed numeros ad supputandum opportuniores. *idem, ibid. lib. 6 cap. 4.* Signa, & finea alij apud alios fuere, & nihil decretum, Abraham in libro de natiuitatibus duplex fieri thema præcipiebat, alterum ad mobilia signa, alterum ad immobilia; qua thematis varietate tota prædictionum ratio variatur. *ibid.*

Signa cœlestia reuera nulla sunt, & si aliqua sunt qualitatum, aut sexuum notis insignita non sunt, vt hæc mascula, illa fœminea, alia aerea, alia ignea dici possint: & quæcunque sint, ab ipsis planetæ demutari non possunt. *Io. Pic. Mirand. in Astrol. lib. 6. cap. 6.* Signorum radiatio si aliquid valeret bonis radiationibus annumeranda esset, cùm nò alibi, quàm in signis eiusdem generis eueniat; sunt Aries & Libra eiusdem generis, Cancer & Capricornus & reliqua *idem, ibidem.* Signorum oppositio Planetarum illorum quibus huiuscemodi signa tanquam propriæ ædes assignata fuerunt, diuersis contrariisque naturis optimè quidem consentiunt, atque respondent. *Leo Habr. de Amore, dial. 2.*

Silentium vtile est, nam qui narrat quæ non debet, non eloquentiam ostendit, sed silendi impotentiam *Philo de eo quod det. potentioribus insid.* Silentium ornat mulieres, sed multò magis viros magnum quid gerentes. *M. Ant. Natta de pulchro, lib. 2.*

Simile, Similitudo.

Similium inter se vna & eadem est ars. *Pla. in Cratylo.*

Similitudines maximè sunt obseruandæ ei qui tutus esse vult, lubricissimum enim est hoc genus. *in Sophista.*

Similia sunt quæ sunt similia in quantum participant eo cui sunt similia, quæ verò dissimilitudine dissimilia, quæ ambobus ambo. *in Parmenide.*

Similitudinis species est quædam per seipsam, & huic species contraria quæ dissimilis est. *ibid.* Simile est quod idem patitur. *ibid.*

Simile semper ad simile accedit. *Pla. in Symposio.*

Similitudines & dissimilitudines eorum quæ sunt maximè cognoscere debet, qui decipi nec se nec alium vult, nec ab alio decipi. *in Phædro.*

Similes sibi inuicem non possunt mutuum auxilium ferre. *in Lyside.*

Similia inimicitiâ implentur, vt figulus figulum odit, & inde poeta poetam. *ibid.*

Simile simili natura cognatum est. *in Protagora.* Simile dissimili multis modis pulchrius est *in Timæo.*

Similitudo vultus in omnibus arte facta minus similis apparet, quàm in speculo. *Apule. Apologia 1.* Similitudo gemina est, quarum vna quidem natura eandem in rebus similibus exigit, quæcunque æqua mutuáque ratione ab eodem similes fiunt, in quibus verè hoc assimilatur ad alterum, alterum verò est primum, nec ad ipsum conuertitur, nec simile ad ipsum dicitur: hic similitudinem alio modo accipere oportet non eandem speciem, sed alteram potius requirentes; nam secundum alteram rationem fit similitudo. *Plotin. En. 1. lib. 2. cap. 2.*

Similitudinis diuinæ virtus est cuncta producta diuinitus conuertere ad causam, hæc dicenda sunt similia Deo, & ad diuinam imaginem & similitudinem expressa *Dion. Areopagita de diuin. nomin.* Similia dici possunt quæ in eodem ordine congruunt *Idem, ibid.*

Similitudo non solùm quæri debet in formis, & figuris, sed etiam in potentiis, & qualitatibus. *Chalcidius in Platonis Timæum.*

Similia à similibus solùm comprehenduntur, Pythagoricum est dogma *idem, ibid.*

Simile simili vbicunque comprehendi potest scientiâ scibilia, intellectu intelligibilia, vnitissimæ earum mensuræ animæ vnitate. *Proclus in Alcibiadem prim.*

Similitudo ipsa sufficiens causa est ad res singulas inuicem vinciendas *Proclus de sacrificio & magia.*

Simile semper gaudet simili. *Synesius de somniis.*

Similitudo in homine Dei est iuxta mentem rectricem animæ. *Philo de mundi opificio.*

Similitudo in quadam vnione consistit. *Ficin. in Parmenidem. cap. 3.*

Similitudinis modus duplex est, nam hoc est illi simile, aut quoniam ambo sunt ab eodem, aut quia hoc fit ab illo *idem, ibid. cap. 27.*

Similia inter se mutuum consortium habere solent, quæ in eadem qualitate communicant ab eodem videlicet authore percepta. *ibid.*

Similitudo identitatem sequitur, dissimilitudo alteritatem, suntque minora *ibid. cap. 7.*

Similia non dictum est à Platone nullo modo amica fieri, sed omnem similitudinem simpliciter non sufficere ad amicitiam. *Idem, in Platonis Lysidem.*

Simplex, Simplicia, Simplicitas.

Simplex perpetuò non facit ad ea quæ nunquam simplicia sunt. *Plato de regno.*

Simplex primum, ad quod resoluuntur omnia, nunquam caret omni forma propria per quam res existunt, alioquin non subsisteret cùm esset vacuum formis: sed cùm aufertur vna forma succedit altera, quare recipiendo formam subinde à suo primo motore efficitur etiam ipsum. *Aristoteles Theologia Ægyptia, lib. 4. cap. 2.*

Simplex bifariam: dicitur vnum quale subiectum primum primordium omnium corporum, susceptiuum formarum, mensionum trium, & quatuor qualitatum, & ex aliquibus non compositum, & ideò est simplex absolute: alterum est simplex comparatu rerum ex eo compositarum vt elementa. *idem, ibid. lib. 12 cap 6.*

Simplex omne secundùm essentiam, vel præstantius est compositis, vel deterius. *Proclus element. Theolog. propositione 59.*

Simplicia quæ reuera sunt, habent potissimum seorsum, verè autem simplicia sunt quæ in ipsis, & propriis totis permanent siue vt ita dixerim vniuersitatibus suis, ne totalitatibus dicere cogar. *Priscian. in Theophrastum, cap. 44.*

Simplex res nulla nobis occurrit, sed omnes mixtæ: nam nec colores à nobis percipiuntur, sed temperatura constans ex

subiectis & lumine;nec odores,sed exhalationes ex corpore & aere:nec sapores,sed id quod conficitur è re gustabili, & humore saliuaceo. *Philo de temulentia.*

Simplicitate nihil potest superius cogitari, hæc autem ipsa vnitas,vnitas igitur non solùm est prima omnium, sed etiam est ipsa primitas, cuius ratione cætera sunt vbique priora: per hanc & ipsam eos prius est sequentibus, per vnitatem coniugatam sibi, & ipso superiorem. *Ficin. in Plot. En.9.lib.9 cap.1.* Simplex natura esse debet supra rei compositæ multitudinem: ab vno numerus,à simplici cópositio omnis conflatur. *idem.in Plat.comm.or.6.cap 15.*

Simplicitas suprema super æternitatem extat, à qua in diuinis mentibus integra fit æternitas, & in animalibus rationalibus æternitas tempori mixta, & in mundi sphæris sempiternitas temporalis,in his autem quæ sphærarum motu virtutéque fiunt quædam portio temporis. *Ficin. in Platonis Timæum,cap.7.* Simplex quod non est, non est primum, & quod primum non est,non est simplex. *idem, in Plotini En.2. lib.9.cap.1.* Simplicia & indiuidua compositis, & diuiduis sunt priora *idem,Theol.Plat.lib.2.c.3.*

Simplicia cognoscuntur vel definitione,vel descriptione:non definitione Deus cognoscitur, quia nec genus, nec species, nec differentia est: non descriptione, quia nec affectiones, nec propriæ,nec communes sunt. *Iacob Carpent.in Alcin.c.9.*

Simulachrum nil aliud est, quàm aliud huiusmodi ad verum assimilatum. *Plat. in sophista.* Simulachrum nullum apud deos habere pretiosius possumus,quàm patrum,& auorum ætate confectorum, & similiter matrum eandem vim habentium,quos vbi quis honoribus colit,Deus lætatur. *idem, de legib.dial.11.*

Singularia Deus cognoscit, nam cùm alia sciat à se per essentiam suam in quantum est similitudo rerum,vel principium actiuum earum, necesse est quod essentia sit principium sufficiens cognoscendi omnia, quæ per ipsam fiunt non solùm in vniuersali,sed in singulari. *Iac.Carp.in Alcin 2.digress.* Singulare nobis notius est,ideò nobis prius,hoc autem nullam in rebus differentiam facit. *Plot.En.6 lib.3.c.9.*

Singula ex terminis ipsius conditione, vt inquit Philon Platonicus,in pondere,mensura,& numero sunt constituta. Pondus dicit certam rei substantiam, atque naturam. Mensura quantitatis proportionem determinatam,Numerus finitos, & consonantes qualitatis gradus significat. *Ficin.in Platon. Phileb lib.2.cap.3.* Singulare omne habet tria in se, naturam speciei, accidentia, quæ non sunt necessaria speciei,& ipsum ex vtrisque compositum. *idem, Plat.Theol.lib.11.cap 3.* Singularia, etsi non sui proprium exemplar habent, fiunt tamen secundum causam. *idem,in Plat.Parmenidem,c.8.*

Singultus sistitur vel detinendo spiritum ad multum tempus, vel aquam gargarizando, & si validus est accipiendum est aliquod quod sternutare faciat, & facto hoc semel, vel iterum etiamsi vehemens sit sedabitur. *Plat.in Symposio.*

Sinistrâ & dextrâ æqualiter vti debet, qui vtitur armis ad bellum arcubus & iaculis, & maximè armis ad arma: multum differt qui didicit ab eo qui non didicit,& exercitatus à non exercitato, vt qui exercitatus est pancratio, aut cæstu, aut luctâ,non à sinistris inualidus est ad pugnam,& claudicat,& attrahitur delinquens, vbi quis ipsum ad alteram partem transfert, & laborem subire cogit: ita in omnibus spectare oportet, vt qui duo habet quibus se defendere, & alios adoriri potest,neutrum horum otiosum, & à scientia alienum esse sinat quantum fieri potest. Quod si quis Geryonis aut etiam Briarei naturam habeat, centum manibus centum tela mittere posse oportat. *Plat.de legib dial.7.*

Sinistra dextris imbecilliora facere præter naturam est, vt in aurigis, vt in Scythis, qui non solùm sinistra arcum, & dextera sagittam tenent,sed contra etiam. *idem,ibid.*

Sitis calidi potus,aut frigidi,aut multi, aut pauci est, aut etiam in summa qualis cuiusdam potionis. *Plato de repub. dialog.4.* Siti si caliditas quædam adfuerit, frigidi cupiditatem insuper induxerit;si verò frigiditas calidi;si ob multitudinis præsentiam multa sitis fuerit,multi cupiditatem inducet; si verò pauca,pauci. *idem,ibid.* Sitis est amplioris cuiusdam cupiditas in anima. *ibid.*

Sitire nunquam alterius est cupiditas,quàm eius cuius à natura est,ipsius potus, & ipsum esurire cibi. *Plato de repub.dial.4.*

Sitis non est nec multi, nec pauci, nec boni, nec mali, neque in summa qualis cuiusdam est, sed ipsius potus solùm natura sitis est. *idem.ibid.*

Sitientis anima in quantum sitit, non aliud quid vult quàm bibere.& hoc appetit,& ad hoc festinat. *ibid.*

Sitis naturalis liquorem appetit priusquàm sensu sentire non agnoscimus,sed post quam agnouimus rursus appetimus,appetitus,qui sensum sequitur, imaginarius est,& à substantia nostra remotior,antecedens verò substantiæ intimus: ideò cum liquorem gustu consequimur, non sequentis propriè, sed antecedentis appetitus virtute complectitur, & in substantiam nostram perfectè transferimus. *Ficin.Plat.Theolog. lib.10.cap.3.*

Soboles ex generosis in vigore constitutis in omnibus animalibus procuranda est. *Plato de republica,dial.5.*

Sobrietas & animabus vtilissima est, ac etiam corporibus. *Philo.de Verbis,resipuit Noe.* Sobrietas est cibi, & vini optima moderatrix, qua qui caret, omnes aliæ virtutes obscurantur. *Franc.Patric.de regno.lib.6.cap.26.*

Societatem aiunt sapientes continere & cœlum, & terram,& deos,& homines, amicitiam, & mundiciem,& temperantiam,& iustitiam,& vniuersum quod vocant mundum. *Plat. in Gorg.*

Societas est amicitia ex diuturna æqualium consuetudine conflata. *Speusip.in Plat.defin.*

Societas omnis instabilis est, vbi non omnes pari iure censetur: ideò curandum est ne alij perpetuò imperent,alij perpetuò famulentur. *Franc. Patric.de repub.lib.1.cap.5.* Societatum omnium nulla magis secundùm naturam est quàm maris,& fœminæ. *idem,ibid.cap.3.* Societas nulla sine iustitia stabilis esse potest. *ibid.* Societas prima est maris,& fœminæ,prolis gratiâ. *ibidem.*

Socrates.

Socrates accusabatur, vt qui corrumperet adolescentes à Pittheo Melito. *Plat.in dialog.de sancto.* Socrates accusabatur quòd faceret deos nouos,& veteres negaret. *in dial. de sanct.*

Socrates tunc primum in iudicium prodijt annos natus plures quàm septuaginta *in Apologia.* Socrates accusabatur primò quod sit vir sapiens quidem,qui & sublimia aurat,& quæ sub terra sunt omnia perscrutatur, & qui faciat inferiorum causam superiorem. *ibi.* Socrate nemo sapientior Apollinis Pythij oraculo. *ibid.*

Socrates alijs sapientior, quia cùm nec ille nec illi aliquid scirent, illi putabant se scire cùm nihil scirent, ipse quæ non sciebat,ea neque scire putabat. *Plato in Apologia.* Socratis accusatores fuerunt Melitus, Anytus, & Lycon: Melitus poetarum nomine,Anytus artificum, & eorum qui in republica versantur,Lycon rhetorum nomine. *idem,ibid.* Socrates secundò accusabatur,quod iniustè agebat, quòd adolescentes corrumpebat; & deos quos respublica reueratur ipse non recepit,sed alia dæmonia noua. *ibid.*

Socrates Athenis consiliarius fuit. *Plat.in Apologia.* Socrates doctor nullius fuit,nec ab aliquo pecuniam accepit *ibid.*

Socrates potius mori vult quàm non philosophari. *ibid.*

Socratem in aliqua re vulgi hominibus præstare iam hominũ opinione confirmatum est. *ibid.* Socrates se dignum existimat ali in Prytaneo. *ibid.* Socratis opes erant mina argenti; at se triginta minis cõdamnauit fide iubentibus Platone Critone,Critobulo,& Apollodoro. *ibidem.* Socrates non indignatur admodum ijs qui ipsum condemnarent, & accusarent. *ibid.*

Socrates post mortem sperat deuenire ad viros bonos meliores ijs qui hic sunt,& ad Deos dominos valde bonos. *Plato in Phædone.* Socrati morienti vndecim viri ipso soluto denũciant mortem. *ibid.* Socrates postquam bibisset venenum, nec ante,lachrymatus est. *ibidem.* Socratis facies erat naso simo, oculis prominentibus. *in Theat.* Socratis ars id tantùm efficit vt homines non putent scire quod non sciunt. *ibid.* Socratis scientia est, vt nil plus sciat præter exiguum quiddam, vt sermonem ab alio sapiente accipiat, & moderatè assequatur. *ibidem.*

Socrates valde adolescens conuenit Parmenidem valde iam senem, & sibi visus est profunditatem habere quandam penitus generosam. *Plat. in Theat.* Socrates erat dignus admiratione ob eum impetum quem in dicendo habet. *in Parmen.* Socratis timor erga nomina deorum non est humani moris,sed omnem maximum timorem superat *in Philebo.*

Socrates ad bibendum potens erat. *Plat.in Symposio.* Socrates nihil aliud scire se asserebat,quàm amatoria. *ibid.*

Socrates amatoria à Diotima muliere didicit. *ibid.*

Socrates bibere multum valebat, & non reddebatur ebrius. *ibid.* Socrates similis est silenis qui in statuariorum officina inter reliquas statuas habentur,ita effecti ab opificibus, vt fistulas,aut tibias teneant; vbi verò sunt in duas partes diducti,& aperti,intra se imaginem deorum habere conspiciuntur. *ibid.*

Socrates similis est satyro Marsyæ: quòd in speciem sit similis nemo ambigere potest, at moribus similis est quoque: contumeliosus tibicen, Ille tibia demulcebat, tu sermone, nam alias orationes contemnimus,tuis obstupescimus, Qui cum Socrate conuersabatur cúscius erat vt ea facere oportebat, quæ

quæ Socrates iubebat. Socrates amore affectus est erga pulchros, & circa hos semper versatur, & obstupescit, & rursus ignoret omnia, & nihil nouit, est silenis similis, hac enim extrinsecus est amictus, at si apertus sit temperantia plenus, nó curat pulchritudinem, aspernatur diuitias, & omnes dignitates nullius pensi facit, & omnium contemptissimus. *Plat. in Symp.*

Socrates pecunijs innumerebilis erat magis quàm Aiax ferro. *Plat. in Symp.* Socrates inediæ tolerans, & nunquam ebrius visus est, & semper discalceatus progrediebatur, & per glaciem, & cogitabundus totam diem, & noctem in eodem loco perstitit; Alcibiadem in prælio seruauit, & præmia Alcibiadi dari curauit, & in exercitus fuga secure progrediebatur Socrates. *idem, ibid.* Socratis sermones primò ridiculi apparent; at si intro aspicias, primò mente præditos, deinde diuinissimos & plurimas virtutis imagines in se ipsos habẽtes inspicias, & ad omnia per quæ quis bonus & honestus euadere velit promptos. *ibid.*

Socratis oratio: ô chare Pen, & vos alij, qui hic habitatis dij, date mihi, vt pulcher intrinsecus fiam, & vt ea quæ extrinsecus habeo, interius sint amica, & vt diuitem putem sapientem, tantùm vero mihi sit auri, quantum nec ferre nec ducere alius possit quàm vir tẽperatus. *Pla. in Phæd.* Socrates militauit in Delio, & fuit in illa fuga, & si alij tales fuissent erecte respublica. Atheniensis esset, & non tunc tali lapsu corruisset. *in Lach.* Socrates in reliquis ait se inutilem esse, hoc autem ipsi quodammodo ex Deo datum esse, vt & amatum & amantium citò cognoscet *in Lysi.*

Socrates scit multe parua. *Plat. in Euthydem.*

Socrates dæmonium familiare habebat, qui interdum resistebat ijs quæ Socrates facere volebat. *ibid.*

Socratem sui temporis iustissimum fuisse non vereor, qui iniustè impietatis damnatus fuit. *epist. 7.*

Socrates iuuenis æstimabatur à Platone præstans. & tẽperatus; ideò nihil miri, est si progressu ætatis circa dicendi artem in qua nunc versatur, supra scribentes orationes attigerat. *in phæd.*

Socrates homines tacentes non videbat, nam arbitrabatur homines, non oculorum, sed mentis & acie, & animi obtutu considerandos. *Apul. floridor. lib. 1.* Socrates suasit discipulis suis, vt cerebro se in speculo cõtemplarentur, vbi si quis formosus esset, curaret ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret; si quis deformis, sedulo operam daret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret. *Idem, Apologia prima.*

Socretis accusatores nunquam ipsum amoris accusarent. *Max. Tyrius serme 8.*

Socratis dæmon erat sternutatio tam sua quàm aliorum, si alio præsente à dextra vel à tergo accidisset siue à fronte, contendit ad actionem, sin à sinistra deterritus fuit: ex ipsius sternutationibus illa constantis confirmauit hæc iam agentis inhibuit & repressit impetum. *Plat. de vrbe Theb & Socrat. dæmon.*

Socratis fuit refellens oratio vt medicamentum purgans: magna auctoritate coarguebat sophistas, quod ipse affirmeret nihil; & grauius pungebat dum putabant in communi quærere eum verum, non suæ opinioni seruire. *idem, in quæst. Plat.*

Socrati Deus præcepit vt alijs obstetricaretur, ipsum verò vetuit filios procreare; quia qui nullam affert opinionem, facilius ex alijs optimam eligit: & ideò iuuenibus ingressionem aperiens dubitationum, vt puerperij iuuenibus excitabat, suscitabat, & eliciebat genitiuas intelligentias, quod obstetricandi artem dixit, non quæ estrinsecus infunderet, vt alij ostentabant mentem illis qui cum ipsis agebant, verùm demonstraret habere eos domi propriam, quæ aleret rudem tamen, & inconditam. *Plat. in quæst. Plat.*

Socrates fuit animi ægri, & labascentis, purgatio. *idem, ibidem.*

Socrates incedens cum socijs obuiam factus est dæmon & illa via ne contenderet prohibuit, cùm aliqui pergerent, inciderunt in porcos qui alios impressione facta strauerunt, alios consporcauerunt. *Plut. de vrbe Theb & Socr. dæmo.* Socrates cladem exercitus Atheniensis in Sicilia nõnullis amicis denunciauit, & in Delo insectatione in Delium facta aliqui cóciderunt, quia noluerunt eo deflectere quo Socratis dæmon præcipiebat. *idem, ibid.*

Socratis impulsus vim ad omnia videtur habuisse vt ex firmo & recto profecti iudicio & principio, nam & quòd in paupertate perstiterit tota vita spõtanea, cum beneficio largè & cupidè dantium valeret diues esse, nec inter tot obstacula repudiauerit philosophiam, & cùm ad salutem & fugam studium amicorum & ratio suppeteret, neque flexus fuerit ab obtestantibus, neque cessarit in morte ludens, sed mentem adhibuerit in periculis immotam, non est viri ex vocibus ominosis & sternutamentis opinionem mutantis, sed præsidè à maiore, & auctore ad honestum rapti. *Plut. de vrbe & Socr. dæmon.* Socratis patri oraculum præcinit vt sineret Socratem quicquid ei in mentem venirei facere, nec cogeret, vel ab instituto abduceret, sed impulsui indulgeret pueri, ac vota faceret Ioui Agoreo & musis, cæterum ne laboraret magnopere de Socrate, vt qui haberet excellẽtiorem in se sexcentis magistris & pædagogis. *idem, ibid.*

Socratis dæmonium fuit non visio, sed vocis alicuius perceptio, vel sermonis conceptio qui novo & prodigioso quodam modo ad eum deferebatur, vt in somnis qui sermonem aliquorum opiniones, & informationes accipiunt, arbitrantur loquentes se audire quod facile Socrates audiebat, quia mens illi pure fuit & immota parum commercij cum corpore habens, & quod occursabat non sonum, sed sermonem genij esse puta, qui attingeret ipse se significata intelligentem. Imitatur enim vox pulsum, animo per aures vi orationem quando inter nos colloquimur recipiente. *Plut. de vrb. Theb. & Socr. dæm.* Socrates indigebat freno potius quàm calcaribus in adiouandis hominibus, ideò à dæmone reuocabatur cùm ineptos ad disciplinam suam aggrederetur. *Proclus in Alcibiadem 1.*

Socrates pulchritudine tam parti, optat vt sapientiam solam, id est Dei cognitionem esse opulentiam omnem, sufficientiámque existimet, & solam sitiat; postremò quasi per ante dicta paratus, fulgidum hoc aurum diuinæ sapientiæ postular. *Fic. in Plat. Alcib 2.* Socrates à Parmenide in dialecticis diligenter exercetur, vt in diuinis mysterijs sit admodum obseruantior, incedat cautius, totiúsque perueniat. *idem, in Plat. Parmen. cap. 56.*

Socrates à Diotima fatidica artem amatoriam didicit, per quã sciebat per corporum pulchritudinẽ, quasi per vestigia quędem sagaciter venari tum animi, tum mentis angelicę, Deique pulchritudinem; eandemque artem vbique docebat; & de hac etie Plato & in Symposio & in Phædro & sæpe alibĩ bi præcipuè tractauit, ideò in principio ait amare non minus virum, quàm adolescentes, & seniores ardentius amare, modò sapientiores appareant. *Fic. in Plat. Protag.*

Socratis ironiam non intelligere, nec animaduertere sophistas, duo nos docet. alterum, his nebulonibus nihil verius: alterum, eos qui ad alios fallendos impensius student, sua ipsorum fallacia facillimè falli. *Fic. in Plat. Euthyd.* Socratica ad sapientiam exhortatio, nõ tam ad speculationem pertinet, quàm ad mores quibus purgatus animus sapientiam à Deo, & scientiam, prudentiámque consequitur. *Idem, ibi.*

Socratem nihil scire, indicat eum, etsi speciales non habet, generales tamen rerum descriptiones habere, alioqui ignorantiam, suam agnoscere non posset: ideò cum nihil sciebat, cuncta quodammodo sciebat. *Fic. in Plat. Charmidem.*

Socrates semper adducebat in disputatione disputantem socium eò perducere, vt totius vitæ suæ redderet rationem; quasi aliena frustra cognoscas, si teipsum non noueris. *idem, in Plat. Laches.*

Socrates Apollinis oraculo sapiẽtissimus omnium Græcorum iudicatus amandi artem præ cęteris profiteri solebat, quam à Diotima fatidica muliere diuino afflata spiritu se accepisse dicebat, vt ostenderet sole diuinitatis inspiratione, quid vera pulchritudo, quid legitimus sit amor, & qua ratione amandum sit homines intelligere posse. *Fic. in Plat. comm. or. 6. cap. 1.*

Socrates iuuenes iucundæ consuetudinis captabat suauitate, ita illaqueatos monet securius, postremò cẽsura rigidiori castigat. Hoc pacto Phædonem adolescentulum lupanari publico prostitutum ex ea calamitate redemit, fecitque philosophum: Platonem poesi deditum coegit tragædias igni tradere, & studia pretiosiora capessere. Xenophontem à vulgari luxu ad sepẽtum reduxit sobrietatem: Aeschinem, & Aristippum ex pauperibus diuites, Phædrum ex oratore philosophum, Alcibiadem ex ignorante doctissimum reddidit, Charmidem grauem & verecũdum, Theagem iustum fortemque in republica ciuem: Euthydemum, ac Menonem à sophistarum capitunculis ad veram transtulit sapientiam. *Fic. in Plat. comm. or. 7. cap. 16.*

Socrates erat macilentus, aridus, squallidus, melancolicus. hirsutus, extenuatus inedia, incurte sordidus, simplici & veteri opertus palliolo, sine calceis, incedens, humilis, semper enim humi Socratis erat defixus aspectus, loca vilia frequentabat, aut in Simonis coriarij, aut in sculptorum officinis obuersabatur, rusticis, & incomptis vocabulis vtebatur; mitis, & multis lacessitus iniurijs, sæpe etiam pulsatus, ne commotus quidem animo fuisse traditur: sine domicilio, nam interrogatus cuias esset respondit mundanus, ubi bonum; ibi patria, non proprij lares, non mollis lectus, nec delica-

tus victus, nec speciosa suppellex: ad fores in via sub dio dormiens, semper egenus, & in scalpendis lapidibus, vt qui sculptoris & obstetricis fuit filius, manu propria victū quæsiuit, nec vnquam habuit vnde se satis & filios aleret, nihil scire profitebatur, virilis erat, animi constantis, inuictæque sapientiæ, pecunias oblatas contempsit, audax & ferox, vehemens & concitatissimus, sæpe inter se quadam agente id orationis vehementia iactare digitos solebat, & crines vellere, fauendus, pulchris & bonis insidiabatur. & ad philosophiæ studia capiebat, audientium animos, licet incomptis verbis vteretur, maximè commouebat, callidus, & sagax venator, machinator, prudentiæ studiosus, & tantæ prudentiæ fuit vt quisquis contra suum consilium quidquam auderet, perderetur, per omnem vitam philosophatus, incantator, fascinator, veneficus, & sophista. Dæmon illi fuit familiaris. *Ficin. in Plato conuiuium, or. 7. cap. 2.*

Socratem afflarunt Dionysius, Musæ, Pan, Nimphæ. Dionysius instinct mentis excessum, Musæ poesim, Pan facundiam, Nimphæ varietatem. *Fic. in Plat. Phædrum, cap. 3.* Socratis vita Christianæ imago vitæ quædam est vel saltem vmbra. *idem, in Plat. Phædo.* Socrates idem significat, quod servator potens *idem, in primum de rep. Plat. dial.* Socrates quærere solitus potius quàm docere, multis de causis: prima vt arrogantes admoneret, in omni ætate discendum esse potius quàm docendum; secunda vt significaret veritatē mentibus per opportunam inquisitionem segregatis à corpore atque erroribus statim infundi diuinitus; tertia vt ostenderet rerum formas esse animis nostris ingenitas, per quas ipsa rerum veritas animis per interrogationem ad eas conuersis quandoque subrutiler; quarta quo declararet humanam scientiam in negatione quadam falsi potiùs quàm in veri affirmatione consistere *ibid.*

Socrates naturâ à virtute alienus fuit quod prædixit Zopycus, sed naturam philosophia superauit. *Fic. de fato, cap. 2.* Socratis dictum illud, hoc vnum scio quod nihil scio, sic intelligendum est, ego abstractus à corpore, raptus à dæmone, illustratus à Deo, scio in diuino numine hoc vnum, quod alioqui coniunctus corpori nihil scio, nescio enim res ipsas per affirmationem, sed per negatiuum modum aliqua. *idem, in Plat. apolog.* Socratem Socratici omnes attestantur à Deo missum fuisse, vt animi purgarentur à morbo, qui animi morbus nil aliud est quam malæ opiniones, & mali mores. *idem, in Plat. Protag.*

Socrati inimici erant ob frequentem vitiorum correctionem Anitus, Melitus, Lycon, ciues in republica potentissimi, Thrasymachus, Polus, & Callias oratores, Aristophanes Comicos: qui tamen nunquam Socrati inhonestos amores inscripserunt. *Fic. in Plat. conuiu. or. 7. cap. 2.* Socrates absque vlla simulatione per omnem vitam in certis cupidinis militauit, sed à nullo vnquam notatus est, quasi minus honestè quenquam dilexerit. *idem, ibid.*

Socrates philosophiam de cœlo euocauit, & eam in vrbibus & domibus collocauit, quia prius philosophi naturalia quærebant, ipse verò solis componendis moribus, & animi affectibus sedandis operam dedit; vnde & Aristoteles primo de partibus animalium scribit definiendi vim temporibus Socratis increuisse, sed indagatione rerum naturalium desiisse, & omne philosophandi studium ad vtilem virtutem, & eiusdem vsum fuisse translatum. *Ioan. Fran. Pic. Mir. in exam. vanitatis doct. gent. lib. 1. c. 2.*

Socratis clarissimi omnium consensu discipuli fuere Xenophon & Plato, qui quantum pertinet ad rerum cognitionem, ille morum, hic totius indagandæ naturæ curam suscepit, & ipsam miscuit philosophiam, nam in naturali Heraclitum, in diuina Pythagoram, in morali & rationali Socratem, in mathematica Theodorum Cyreneum, in Astrologia Ægyptios secutum fuisse traditum est. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib. 1. cap. 2.* Socrates morte mulctatus fuit Olympiadis anno 905. ab vrbe condita 347. anno ætatis Socratis 71. *Seb. Fox. in Phædonem Plat.*

Sol quid est.

Solem dorico sermone vocant ἄγειν quasi homines in vnum congregat, cùm exoritur, & quod circa terram semper se voluat quasi ἀεὶ εἱλεῖν. *Plat. in Cratyl.* Solis descriptio per signum est quid splendidissimum ex omnibus quæ in cœlo circa terram peruoluuntur. *idem, in Theæt.* Solis ἐνυπαρχὸς, id est princeps substantialis, est lumen, bonum enim luminis per Solis orbem nobis infunditur. *Mer. Trismeg. Asclep. cap. 8.* Sol est ignis cœlestis, qui solum ab ortu ad occasum ab iisdem aspici potest, animal sempiternum, animatum astrum, diurnum, & maximum. *Speusippus de Platonis defini.*

Solis ἐνυπαρχὸς est lumen, bonum enim luminis per orbem Solis nobis infunditur. *Apul. Asclep.*

Sol partus est Mineruæ, id est diuinæ intelligentiæ: vnde apud Ægyptios in templis Mineruæ aureum hoc inscribebatur, Ego sum, quæ sunt, quæ erunt, & quæ fuerunt, velum meum reuelauit nemo, quem ego fructum peperi Sol est natus. *Fic. de Sole, cap. 6.* Sol elementalium virtutum dominus. *idem, ibid.* Sol est conspicua boni ipsius imago. *idem, in Dion. Areop. de trinit.*

Sol est luminis omnis mundani principium. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 48.* Sol visibilis est quædam Dei imago in hoc mundo visibili, vires suas per omnia diffundens. *idem, de rep. dial. 6.* Sol est præcipuus temporum declarator. *idem, in Plat. Timæum, c. 30.* Solem arbitratus est Plato esse perspicuam Dei statuam in mundo à Deo positam, intuentibus omnibus mirandam. *idem, de Sole, c. 9.*

Sol vt ad generationem & vitam pertinet.

Sol à quo omnia mutuantur vitam, septimo signo vices suas variat, nam à solstitio hyemali ad æstiuum septimo peruenit signo. *Macr. in som. Scip. lib. 1.* Sol spiritum vitalem præcipuè, & cor significat: & habet nonnihil, immo non parum in capite propter sensum, & motum, cuius est ipse dominus, neque vim deserit naturalem. *Fic. de vita cœlit. compa. lib. 3. c. 6.* Solis sphæra præstantiorem cæteris animam habet. *idem, epist. lib. 6.*

Sol corpora visibilia & oculos videntes procreat. oculis vt videant lucidum infundit spiritum, corpora vt videantur coloribus pingit: neque tamen proprius oculis radius propriiue corporibus colores ad visionem perficiendam sufficiunt, nisi lumen ipsum vnum supra multa a quo multa, & propria lumina oculis, & corporibus distributa sunt, adueniat, illustret, excitet, atque roboret: sic primus omnium actus, qui Deus dicitur, speciem actúmque rebus singulis producendo largitus est, qui actus cùm in re creata, & in subiecto patiente susceptus fuerit, debilis est, & ad operis executionem impotens; sed diuini Solis perpetua & inuisibilis lux vna semper omnibus adstat, souet, viuificat, complet, & roborat: vt est actus omnium & roborat, bonum dicitur, vt viuificat, mulcet, & excitat, pulchrum: vt in obiectis quæ cognoscenda sunt tres illas cognoscentes animæ vires mentem, visum, auditum allicit, pulchritudo; vt in cognoscente potentiam illam applicat cognitio, veritas: denique vt bonum procreat, regit & complet, vt pulchrum illuminat & gratiam infundit. *Ficin. in Plat. conuiu. ora. 2. cap. 2.*

Sol & Luna simpliciter vitam præstant, Iupiter, & Venus prosperitatem, & incrementum vitæ, & bonorum affluentiam largiuntur. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. cap. 12.* Sol vitę summam felicitatem habet simpliciter, Saturnus eandem in vita incorporea separata diuina, Iupiter eandem in actione corporea, & humana. *idem, ibid. cap. 14.* Soli viuificum lumen subiicitur. *idem, in Plat. Tim. cap. 32.* Sol cum his inferioribus non habet proportionem, interiecta Luna conciliator: meritò hic generationis pater est generationis matri propinquus, primus calor humori primo, illuminator illuminato. *ibid. cap. 20.*

Sol per Lunarem humorem generationes inchoat, per Venerem generabilium formas absoluit, & opportunè tantus calor inter tantos humores est medius: per Mercurium mox præfectum Veneri tanquam proportionis commixtionisque fabrum formas mutuò formis, résque rebus citè commiscet, per Martem triatis ad motus efficaciam exhibet, superuacuósque humores expellit, per Iouem motus vitales adhibens quæcunque mouentur iustè dirigit, & distribuit; per Saturnum, & motibus perseuerantiam, & motis firmitatem præstat, per firmamentum hæc omnia complere per se largitur sensum intimum pariter, & externum: ad versatilem intimi sensus motum Mercurium adhibet adiutorem, sed ad intelligentiam confirmandam Saturnum habet comitem. *Fic. in Plat. Tim. cap. 20.*

Sol mundi cor plus admodum vitæ naturalis habet & affert, quàm cæteræ mundi partes. *Ficin. in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 35.*

Sol ad medium ascendens cœlum, vitalem & animalem spiritum in nobis mirificè souet. *idem, de Sole, c. 5.*

Solem physici veteres cor cœli nominauerunt, Heraclitus luminis cœlestis fontem, Platonici plerique in Sole animam mundi collocauerunt. *ibid. cap. 6.*

Solem & Lunam vitæ auctores existimat Ptolomæus, & hanc quod ad augmentum & vegetationem pertinet, exhibere, illum quod spectat ad sensum: Iouem, & Venerem salutares vitæ existere, quia proportione quadam harmonica cum Sole consonant & Luna; Saturnus & Mars ideò

sunt ad-

sunt aduersi, quia cum Sole & Luna dissonant. *Fic. de Sole cap.* 8.

Sol ex eo gignit, quod prope accedit, & interitum affert ex ipsa quod recedit. *Iac. Carp in Alc. cap.* 3.

Solis magnitudo, & motus.

Sol per diem suum absoluit ab oriente in occidentem cursum nocte verò ab occidente in orientem per aliam partem facit dum ab eiusdem latione ducitur; per annum verò secundum suum per seipsum motum. Ex his autem duobus motibus circumuolutionem euoluit, dum secundùm vnum partē in diurno tempore proserpit, secundùm verò vnumquemque circuitum die ac nocte, à non vagantium sphæra circumuoluitur. *Tim. Loc de mund. anima & nat.*

Solis mensura est ducentesima sexta pars circuli per quem Sol ipse discurrit, & cùm sit circuli pars, & terra ad circulū se habet vt punctum restat vt Sol maior sit terra. *Mac. in som. Scip. lib.* 1.

Solis circulus ambitum stadiorum habet trecenties centena millia, & insuper centum septuaginta millia *idem, ibidem.* Sol octies maior est terra. *ibid.*

Solis ad reuolutionem alia correuoluuntur vt plantæ, id est lotus & solisequia, aliæ alium figuram solarium radiorum imitantur vt palma, & dactylus, alia igneam Solis naturam vt laurus, alia aliud quiddam. *Proc. de sacrif. & magia.* Sol est anni mensura; transcurrens namque Zodiacum circulū anni tempora complet. *Alc. cap.* 14 Solem non naturæ caliditate, sed motu calorem impartire terris affirmat Arist. Lunam verò negat motu calefacere, quod absurdum est; nouissimum enim est sidus, & terris familiarissimum. *Georg. Gem. de Plat. & Arist. phi. diff. cap* 16.

Solem diuina prouidentia non permisit euagari per Zodiacū ne aliorum planetarum vires confunderet; sed Venus & Luna, in quorum medio est, latè vagari permisit vsque ad duodecim ferè portiones, Mercurius tanquam à Sole remotior ferè ad octo. Mars & Iupiter ad quinque. Saturnus ad tres. *Fic. in Plot. En.* 6 *lib.* 3. *cap.* 6.

Sol tanquam cœli dominus manifestus omnia cœlestia regit, & moderatur magnitudinem ingentem, qua centies sexagesiésque & sexies terram excedere iudicatur. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.* Solis summa participatio habetur per visum, secunda in virtute vitali, tertia in motu quodam ad Solē cōuerso qui in herbis, lapillis, solisequijs euidenter apparet, quātus in fomento caloris, quintus in lumine. *idem, ibi.*

Sol non tantum stellas magnitudine superat quantum lumine nam Iouis magnitudinem minus quam duplo, lucem vero fortè centuplo superat. *Fic. de sole cap.* 11. Sol est terra maior centies sexagies sexies. *Io. Pic. Mirandul in Astro. lib.* 3. *cap.* 10. Solis motus in ambiguo apud astrologos est cum præcedunt Solis defectus tempus in tabulis annotatum plus dimidia parte horæ. *idem, in Astro. lib.* 9. *cap.* 6.

Sol vt varios facit effectus.

Sol dicitur cor cœli, quia veris clementem temperiem, torridum Cancri & Leonis æstum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris inter vtramque temperiem dispensat, & dicitur ignis ætherei fons, quia idem est in cœlo quod cor in animali. *Mac. in som. Scip. lib.* 1.

Solem facere omnia calore, & alium quendam cœlestium frigore non est putandum, quid enim frigidum est in cœlo & igneo corpore, & igne nullo modo humido. *En.* 4. *lib.* 4. *cap.* 31.

Sol Græcè dicitur helios quod congregabilia reddat omnia, & conciliet dispersa; nam omnia sensibilia concupiscunt Solem, videlicet videre, moueri, illuminari, calefieri, & omnia ab ipso lumine contineri desiderantia. Neque dico antiquorum sequens opinionem Solem esse Deum & opificem vniuersi, & idcirco patentem hunc oculis mundum ratione propria gubernare sed quia inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Sol hic noster essentias qualitatésque sensibilium quamuis per multas ac differentes, ipse tamen vnus cum sit, lumenque vnicum superlustrat, renouat, nutrit, seruat, perficit, distinguit, colligit, refouet, fœcundat, auget, permutat, format, producit, excitat, viuificat omnia & vnumquodque natura Solis est particeps. & ipse Sol causas omnium ante hæc vniformiter in ipsa comprehendit: multo magis rerum omnium exemplaria existunt in ipsa Solis omnium causa secundùm singularem, superinremque essentiæ vnitatem, cū producat essentias per excessum essentias eminentem. *Dio. Areop. de diu. nom.* Solem cordis rationem obtinere, & vitalia, mundi totius in hoc igne posita esse dicunt. *Chal. in Plat. Tim.* Solis coniunctionem planetæ verentur, gaudent aspectu trino vel sextili. *Fic. de vita cœlit. compar. lib.* 3. *cap* 10.

Sol inter cœlestia dominus in hoc maximè cæteras rerum naturalium causas antecellit quod calore omnia facit, lumine verò demonstrat *idem, epist. lib* 11.

Sol imago Dei, est quia Deo potentiam, bonitatem & sapientiam tribuimus; Sol efficit apud nos omnia tanquam potens, distinguit quotidie & demonstrat singula, vt sapiens iuuat nos, & delectat vt bonus, Deus solus miracula facit, Sol triā miranda efficit, quam plurima in hyeme quasi mortua in vere suscitat & æstate, in cælo cœlestia omnia illuminat, & moderatur, & regit, & quæ super cœlum inuisibilia non oculis tantùm, sed etiam mentibus visibilia reddit dum admirandis cœlestium spectaculis nos admonet super cœlestia contemplari. *Fic. epist. lib.* 12.

Sol tanquam manifestus cœli dominus omnia prorsus cœlestiā regit & moderatur, magnitudine centies sexagies terram continens, omnibus stellis lumen infert, è signis illud viuum est. quod Sol eo tempore vegetat, imò duo vtrique signo Sol tanta virtute complet, vt apud Arabes spatium hoc ductoria Solis, vel regium solium appelletur, in quo planetæ dum sunt incendium tamen interea deuitantes, virtute mirificè pollent, præsertim si superiores oriuntur ante Solem, inferiores post solem Præterea signum in quo Sol regnat, Aries scilicet, caput sit signorum, & caput in quolibet viuente significat, & Leo Solis domicilium est cor signorum, & cor in quolibet viuente obtinet; ad Leonem accedens in multis regionibus epidimiam extinguit. Annua fortuna ab ingressu Solis in Ariete dependet, & per quatuor signa mobilia anni quatuor tempora distinguit, & eius motus simplicissimus est. *Fic. de Sole cap.* 3.

Sol si à regione nimis remotus est, illam vitâ priuat. *Fic. de Sole cap* 5. Sol motu suo distinguit noctes, dies, horas, menses, & annos, & lumine, & calore generat, vegetat, mouet, & regenerat omnia, exhilarat, & fouet, quæ occulta erant primò aduentu efficit manifesta, & accessu, & recessu quatuor efficit anni partes. *idem, ibid. cap.* 5. Sol omnium est moderator; unum vt ait Proclus Theologi antiqui reginam omnium iustitiam è medio Solis throno per cuncta procedere cuncta dirigentem dicebant. *ibid. cap.* 6.

Sol vt corpus illuminat, & calefacit, sic Deus animis veritatis claritatem præbet, & charitatis ardorem. *Fic. in Plat. conu. or.* 2. *cap.* 1. Solis radius vt vnus corpora quatuor, ignem, aerem, aquam, terram, illustrat; sic vnus Dei radius mentē, animum, naturam, & materiam illuminat, & per ipsum ad supernam Solis lucem intuendam conuertitur. *idem, ibidem. cap.* 5. Solis radij videntur per accidens exsiccare. *in Plot. En.* 2. *lib.* 3 *cap.* 6.

Solem siccitatem facere, Lunam humiditatem, hinc nata est opinio; quia Solis calor ardentior, Lunæ tepidior, quod ob materiæ peregrinæ infectionem fit vt Sol exsiccet, Luna humectet, cum sol propinquus calefacit, Luna non infert humiditatem, sed quam inuenit in aquoso & frigido corpore, suo ipsa calore dissoluit & eliciat diffundens. *Io. Pic. Mir. in Astro. lib.* 3. *cap.* 6. Sol non solùm deserendo nos frigefacit per accidens sed etiam afficiendo, dum aut nimia exsiccatione mortificat, aut vitalem calorem prouocat foras, aut pluuias generat ex marinis vaporosis halitibus, quos plures suscitat quàm dissoluat, aut ventos commouens, aut etiam alijs de causis *idem, ibid.*

Solem exaltari in Ariete astrologorum est commentum, quā si non idem faciat in Libra ad alios populos quod facit apud eos in Ariete, dum hinc recedens accedit ad illos; sed totius varietatis causa est Solis ad terras, quas habitamus, maior & minor distantia, vnde plus & minus caloris participamus. *Io. Pic. Mir in Astra. lib.* 3. *cap.* 13. Sol diuinum intellectum, Lunáque animam mundi tanquam artificiosissima quædā simulachra repræsentare videntur. *Leo. Heb. de Am. dial.* 3. Sol eadem ratione diuinū, qua oculus humanū intellectū refert, ac repræsentat. *idem, ibid.* Solis & Lunæ coniugalis amor est. *ibid.*

Sol vt genitus & ingenitus.

Solis bis in Timæo constitutionem Plato repetit, primò in numero planetarum quasi consortem, secundò diuinitus mirabili præ cæteris luce, regiáque auctoritate donatum. *Fic. de sole. cap.* 10. Solem plerique astrologorum in exordio mundi ad horizontem primò habitabilem tradunt in Ariete regno suo medium cœlum velut arcem atque caput, tanquam regem cœlestium tenuisse *idem, ibid.* Solem Xenophanes ex igniculis collectis esse dixit; Stoici accensionem intelligentem ex mari, Plato ex igne plurimo; Anaxagoras petram igneam: Philolaus ex igne mūdano vitreū; Anaximander plenum ignis esse putauit. *Aug. Steuc. de per. philos. lib.* 7. *cap.* 4.

Solis locus & vis.

Solem non solum his, quæ videntur, vt videantur, vim exhibere dices: sed etiam generationem, & incrementum, & alitum, cùm tamen ipse generatio non sit: sic & his quæ cognoscuntur, non solùm vt cognoscantur, ab ipso bono adesse dices. sed etiam vt sint, & essentiam ipsis ab illo adesse, quum bonum ipsum essentia non sit, sed adhuc vltra essentiam dignitate, & potestate præmineat. *Plat. de rep. dialog.* 6. Sol non solùm his quæ videntur præstat vim vt videantur, sed & generationem, & alimentum & incrementum, cùm tamen ipse generatio non sit; sic bonum his quæ cognoscuntur non solùm vt cognoscantur adesse dices, sed etiam vt sint, & essentiam ipsis ab illo adesse, cùm bonum ipsum essentia non sit, sed adhuc vltra essentiam dignitate, & potestate præmineat. *idem, ibid.*

Solem secundam sphæram à Luna obtinere asserit Plato sequens Ægyptios, Cicero quartam Archimedem & Chaldæos sequens. *Macrob. in som. Scip. lib.* 1. Soli tribuunt principatum semper elementa, & super omnem naturam, quæ in generatione versatur Lunæ. *Iambli. de myst.*

Solem omnes in mũdo medium quamuis diuerse ratione collocauerunt, Chaldæi medium planetarum; Ægyptij inter duos mundi quinarios, id est super hunc quinque planetas, sub hoc Lunam & quatuor elementa. *Fic. de fato, cap.* 6. Sol terræ propinquior est quàm firmamento, quoniam terrena solari fauore magis quàm cœlestia indigent. *Idem, in Plat. Tim. cap.* 13. Solarem regionem antiqui nominãt super Lunam, sequentem verò lunarem. *idem, in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *cap* 5.

Sol & Luna proximè esse debent, nam & domos proximas habent, Cancrum Luna, Leonem Solis exaltationes contiguas, Luna Taurum, Sol Arietem, ideò & sphæras contiguas habere debent. *Fic. in Plot. En* 2 *lib.* 1. *cap.* 7. Solis corpus super Lunam proximè collocat Plotinus, quod & Plato, & Aristoteles, & Ægyptij & multi & antiqui & posteriores philosophi existimarunt. *Idem, ibid.*

Solis vis magis apparet in Ariete, non quod ex signi natura id fiat, sed quia tunc nobis magis propinquat. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib.* 3. *cap.* 14. Solis domus est Leo. & Lunæ Cãcer, quia, vt aiunt Astrologi, proxima signa nobis sunt, quod falsum, quia propinquiora Gemini, & Cancer & in alio climate proximior fortè Libra. *Idem, in Astrol. lib.* 10 *cap.* 9. Solis reditum in Arietem ait Abraam Auenazra nunquam nec vllo generé instrumenti ac supputatione posse deprehendi. *Io. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib.* 3. *cap* 8

Solis eclipsis & vt stellæ cum eo socientur.

Solem deficientem qui spectant, ac considerant quidam perdũt oculos, nisi in aqua, vel in simili re imaginem ipsius spectant. *Plat. in phæd.* Sol in defectu nil patitur, sed noster si audatur aspectus: Luna circa proprium defectum laborat. *Macrob. in som. Scip. lib.* 1. Solem semper comitantur Lucifer & Stilbon, Stilbon quidem nonnunquam 20 gradibus vel ad aquilonem vel ad austrum distans, lucifer quinquaginta. *Chalcidius in Plat. Timæum.*

Solem comitentur Venus & Mercurius, non descendens Mercurius nisi per 28 gradus, Venus per 49. & Luna in quouis Solis aspectu figuram mutat, & naturam, & à gradu coniunctionis mensis futuri naturam declarat. *Fic. de sole, cap* 4. Solis cor planetæ tangentes cæteris dominantur. *idem, ibidem.*

Sol & Luna proximè coniunguntur, quod probatur physica ratione: quia fons caloris & fons humoris vitalis, id est Sol & Luna, proximè coniungi debent. *idem, in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *cap.* 7.

Solaris eclipsis ad nos potius quàm ad Solem ipsum referri debet. *Leo. Hebr. de am. dialog.* 3.

Sol vt oriens, & ob antiquis venerabatur.

Solem salutare solebant orientem Indi saltando. *Bess. Card in calum. Plat. lib.* 4. *cap.* 9. Sole occidente cuncta mœrere, oriente lætari videntur. *Fic. epistol. lib.* 5. Solem solum Platonici & id genus philosophorum inter cœlestia lumina adorabant, cæteri quoq; alias stellas. Orationem ad Solem cõposuit Iunianus & Iamblichus. *idem, in Plot. En.* 4. *lib.* 4. *cap.* 30.

Solem Socrates orientem salutans extasim sæpe patiebatur; & Soli orienti Pythagorici hymnos lyra canebant. *ibid.*

Sole oriẽte pallido hybernam rustici, nautæ, & pastores pronunciant grandinem; ratio est, quia ea multitudine terrestrium halituum palliditas illa prouenit regionem illam orientalem occupantium, nam palliditas crudæ & minus concoctæ materiæ habetur iudicium. *Io. Fran. Pic. Mir. de praenot. lib.* 3. *cap.* 6. Sole oriente si circa occasum rubescunt nubes, serenitatem pollicentur, si Sol cingitur circulo vẽtum prædicunt. *idem, ibid.*

Sol vt calidus, & lucis fons.

Solis corporis substantia est alia à substantijs corporum stellarum, & Lunæ, quia Sol habet lumen; & lumen Lunæ, & stellarum est à Sole. *Arist. de causis propr. element.* Sol cum viget, omnia lumina ab eo profluunt. *Plotin. En.* 2. *lib.* 3. *cap.* 18.

Solis calor naturaliter non exsiccat, alioquin non esset Sol vitæ, generationisque dominus, & augumenti auctor: siccare verò contingit radijs eius in concauis materiæ siccæ conclusis. *Fic. de vita cælitus comparan. lib.* 3. *cap.* 4.

Solem Orpheus viuificum cœli oculum appellauit, dicẽs quoque, vt ex eius carminibus elicitur, quod Sol est oculus æternus omnia videns, supereminens cœleste lumen, cœlestia temperãs & mundana, harmonicum mundi cursum ducens, seu trahens, mundi dominus, Iupiter immortalis, mundi incolus circum currens habens sigillum, omnia mundana figurans, Luna stellis grauida, stellarum Luna regina. *Idem, de Sole. cap.* 6.

Solis in substantia tria sunt pariter vnita; primum naturalis fœcunditas sensibus nostris prorsus occulta; secundum manifesta lux eiusdem ex fœcunditate manens, ipsi semper æqualis; tertium ab vtroque calefactoria virtus, penitus par vtrisque, quæ trinitatem significant. Fœcunditas patrem refert; lux intelligentiæ similis filium intelligentiæ modo conceptum; calor amatorium spiritum repræsẽtat. *Fic. de sole, cap* 12.

Solis lumen per 9 gradus præcipuè distribuitur primò in Sole, secundò in firmamento, tertiò in stellis; sed hæc trina sunt candida, rubea, mixta, & sic quinque: sextò in diaphanis sub Luna simplicibus, septimò in diaphanis sub Luna compositis seu vitris, & cristallis, lumen non conseruantibus, octauò in diaphanis compositis conseruantibus quales sunt oculi multi, & noctilucæ, & carbunculi, nonò in coloribus & colorum imaginibus. *Idem, de lumine, cap.* 12.

Sol per septem rerum gradus lumen diffundit, per stellas fixas, per planetas quinque eodem semper fulgentes tenore, per Lunam lumine variam, per ignem, per aerem, per aquam, & per terram. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.*

Sole nihil diuersius est quàm terra, vt nihil alicuius est à luce diuina quàm materia. *idem, ibid.*

Soli nihil alienius est terra, ideò corpora terrea tanquam lucẽ ineptissime, nullum lumen intutus accipiunt. *idem, de sole, cap.* 9.

Solaris radius vt efficit non tam vt omnia vbique luceãt, quàm vt omnia quodammodo caleant viuántque multa calendo potius quam lucendo, sic ad bonum vbique præsens non consequitur vt singula cognitionis eius sint capacia, sed amoris, omnia enim bonum ipsum amant cognoscent verò vix tandem paucissima, ergo amor ad consequẽdum bonum & hauriendum inde vitam magis amandus est quam cognitio. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.*

Solis lumen per actum lucis præ se fert diuinæ, & angelicæ intelligentiæ claritatem, per caloris vim vtrisque voluntatis, & charitatis affectum *Fic. in Plat. de republ. dialog.* 7.

Solem agentes causæ sequuntur. *idem, in Plat Tim. cap.* 32.

Solis radij calefaciunt salubriter pro ignea, & viuifica natura. *ibid. cap.* 25.

Sol toti cœlo, & stellis infundit lumen scilicet oculis manifestum. *ibid. cap.* 10.

Sol etsi sufficit ad lumen, stellæ reliquæ ornatæ cœlesti conueniebant, & perfectio vniuersi sic postulabat. *Io. Pic. Mir. in Astrol. lib.* 3 *cap.* 10. Sol in Leone flagrat, non quod Leo sit calidus vt aiunt Astrologi, sed quia obliquitas Zodiaci facit vt proximius sit ad acrem nostrum: & per sesquimensem proximior ante calefecerat. nã & in Cancro feruentissimus est. cum apud eos sit aquaticum signũ. *Idem, ibid. cap.* 13. Sol in Leone nos calefacit non ex natura signi, alioqui faceret idem apud omnes gentes, sed eo situ ad nos contingit, quod eo loco rectius terram ferit in nostris regionibus. *ibid. lib.* 6. *cap.* 4.

Solem calidam naturam non habere affirmauit Democritus, igneas nubes esse putauit Xenophanes, Solem ex paruis igniculis & vnoquoque die illuminat fieri non negauit, Thales terrestres censuit, & ex terra quoque illos fabricauit Anaximenes. *Io. Franc. Pic. Mir. exa. van. doc. gen. lib.* 1. *cap.* 12.

Sol si non mouetur definit tempus. *August. Steuch. de peren. philosop. lib.* 7. *cap.* 5. Sol res sibi expositas haud tãtùm illuminat, sed etiã intuetur acutissiméq; discernit. *Leo. Heb. de am. dial.* 3.

Solertia est artificiosa quædam deceptio, quæ fit maioris vtilitatis gratia. *Franc. Pat. de reg. lib.* 6. *cap.* 16.

Solicitudo est cum animus secum inquirit possit ne facile aliquid adipisci, & si consequi nequit oritur diffidentia, quam sequitur desperatio. *Fic. de volup. cap.* 10.

Solicitudo est ægritudo animæ ex magna quadam penitusque infixa cogitatione manans. *Franc. Pat. lib.* 5. *cap.* 10.

Solida duo qui connectere vult, opus habet duobus medijs. *Plato in Timæo.*

Solidum nihil esse potest absque terra. *Idem, ibid.*

Solidorum

Solidorum prima species fit vbi duæ lineæ simul secundùm diametrum componuntur, & hoc ter contingit, vt diametros, & breuia latera in idem velut centrum firmarint vnū æqualium laterum triangulum ex his quæ sex numero sunt efficitur: at si triangula æqualium laterum quatuor componantur secundum tres simul planna vnum solidum angulū vt diximus faciunt, qui deinceps post obtusissimum planum angulum fit: & talibus quatuor angulis effectis prima species solida, quæ totum circuitum in æquales, & similes partes distribuit, constituitur. *ibid.*

Solidorum secunda species fit ex ijsdem angolis, verùm secundum æqualium laterum triangula octo consistentibus, vnū angulum solidum efficientibus ex quatuor planis; & dum sex huiusmodi fiunt, secundum corpus ita finem habet. *Pla. in Tim.*

Solidorum tertia species fit ex bis sexaginta elementis compactis, & solidis angulis duodecim, quorum quisque à quinque triangulis planis æqualium laterum continetur, viginti bases habens æqualium laterum triangulaa facta est. *Idem, ibid.*

Solidorum quarta species fit cùm triangulum æqualia crura habens secundùm quatuor consistens, & ad centrum sectos angulos congregens, vno æqualium laterum quadrangulo effecto, sex autem talia compacta anguloa octo solidos efficiunt vnoquoq; secundùm tres planos rectos coaptato, quę figura facta est cobica sex planas quadrangulares æqualiū laterum bases habens. *Pla. in Tim.* Solidorum quota est figura, qua Deus ad vniuersum vsus est. *idem, ibid.*

Solida duo si coniungi debent duobus medijs indigent, quod in naturalibus an sit verum vt in mathematicis quis ambigit. *Plot. En. 2. lib. 1. cap 6.* Solidum nihil est absque terra. *idem, ibid.* Solidorum numerorum primus octonarius est. *idem, in Plat. de rep. dial. 4.* Solida in plana resoluuntur. *in Plat. Tim. cap. 39.*

Solida in plana soluis primò mathematicus, deinde planum in triangulos æquilateros rectum angulum non habensea tertiò in rectangulos qui prima sunt figuralia elementa. *Fic. in Plat. Tim. cap. 85.* Solida duo vt difficiliter consensur in vnum causa est vel dimensiones vtrinque nimium solidæ vel dimensiones qualescunque, vel repugnantes formæ. *idem, in Plot. En. 1. lib. 5 cap. 3.*

Solubile omne cùm ex compositione susceperit esse, hac conditione naturaliter solui potest quod est compositum. *Plot. En. 4. lib. 7. cap. 12.*

Somnia.

Somnium, vt ait Plato, suum siue per cornua, siue per ebur processit. *Plat. in Char.* Somniat ille, qui pulchras res putat esse, ipsam verò pulcritudinem non esse putat. *de rep. dial 5.* Somnus multus nec corporibus, nec animis nostris, nec actionibus circa hæc omnia adhibendis ex natura competit. *de leg. dial. 7.* Somnus ad sanitatem non multus est, si rectè in consuetudinem assumptus fuerit. *ibid.*

Somniorum genera quinque, somnium, visio, oraculum, insōnium, visum: & duo vltima nihil interpretatione dignum admittunt. *Mac. in som. scip. lib 1.* Somnium propriè vocatur, quod tegit figuris, & velut ambagibus, non nisi interpretatione intelligendum, significationem rei quæ demonstratur. *idem, ibid.* Somnij quinque sunt species, aut proprium est, aut alienum aut commune, aut publicum aut generale; proprium est cùm quis se facientem, aut patientem aliquid somniat; alienum cù a alium, commune, cùm se vnà cum alio; publicum cùm ciuitati, foro, theatro, seu publicis mœnibus actibúsve triste vel lætum quid existimat accidisse; generale cùm quis circa Solis orbem, lunarémve globum, seu alia sidera vel cœlum omnésque terras aliquid somniat innouatum. *ibid.* Somnia non sunt habenda pro veris de statu ciuitatis, nisi quæ rector eius aut magistratus vidisset. *ibid.*

Somnia quæ humanis proueniunt causis, siue per naturam nostram, siue per affectus, & cogitationes, & actus, rarò admodum, & obscurè nimium, & sæpius casu quodam attingunt verum. *Iam. de myst.* Somnia incitantur in nobis ab innatis intelligentijs, & rationibus, vel ab imaginibus curisque diurnis, quæ aliquando verum assequuntur, plurimum verò falluntur; atque hæc humanis principijs oriuntur, dormientibúsque contingunt vigiliæ nihil habentibus. *Idem, ibidem.*

Somnia missa diuinitus non contingunt dormientibus nobis, sed veniunt vel inter vigiliam & somnum, vel inter somnum & vigiliam, vel in ipsa vigilia; tunc breues audiuntur voces, admonentes quid agendum, & aliquando spiritus quidam non corpulentus, non tractabilis se iacentibus circunfundit, qui tamen non perspicitur, sed alio quodam sensu, & animaduersione quæ in cōsensu percipitur, impetu quodam ingrediens & se circunfundens vndique absque cōtactu, & mirificè passiones animi, & corporis expellit, aliquando lumen sincerum, quietumque fulget, sub quo visus clauditur anima patens, sed alij sensus peruigiles sunt, persentiúntque quando dij in lumine se ostendunt, & quæ illi loquuntur argúuntque continuata animaduersione percipiunt, perfectius verò id totum discernitur, quando visus perspicit & intellectus corroboratus, quæ fiunt assequitur, & quia spectant similiter commouentur: tanta & tam differentia non sunt humana. *Iam. de myst.*

Somnia humanis causis procedentia duoa patiuntur defectus: nam & in ipso somno dormientibus accidunt, & nos tunc non distinctè, aut plene animaduertimus, aut quæ occurrūt aut statum ibi nostrum. *Iam. de myst.* Somnia accipiuntur in Æsculapij templo quibus morbi curantur, ipsáque ars medendi somnijs est comparata diuinis. *idem, ibid.* Somniorum præsagia extrinsecus aduenire ait Iamblichus contra Porphyrij opinionem; quia sæpe studemus, & agimus nonnulla ad hoc præsagium aucupandum, neque tamen datur, & sæpe id non quærentibus datur: quod si ex nostra natura & arbitrio esset, nobis prouidentibus hoc eueniret. *ibid.*

Somnia ex Deo prouenire omnia sunt qui putant, quod falsū est, cùm non modo religiosa, sed etiam impia somniemus. *Chal. in Plat. Tim.* Somniorum Plato non vnam genituram, at: gigni putat ex reliquijs cogitationum, & accidentis alicuius stimulo, alia à diuina prouidentia. *idem, ibid.* Somnium est quod ex reliquiis commotionum animæ diximus oriri. *ibid.*

Somniorum causa est id quod agimus vigilantes, aut cogitamus in memoria residens per quietē mouet & interpellat gestarum & deliberatarum rerum conscias animas; sed non est sola causa, multa enim non inopinata somniamus; hæc Arist. *Chal. in Plat. Tim.* Somniorum causam esse ait Heraclitus consentientibus Stoici, rationémque nostram ipse connectit cum diuina ratione regente, & moderante diuina propter inseparabilem comitatum, consciam decretti rationabilis factam quiescentibus animis, opera sensuum futura denunciare ex eo fieri vt appareant imagines ignotorum locorum, & hominum tum viuentium, tum mortuorum simulachra; & diuinationis vsum præmoneri meritos instruentibus diuinis potestatibus. *idem, ibid.*

Somniorum spiritus phantasticus est speculum clarissimum, aliter enim circum entia & à statu labentia tum ob indefinitam essendi, tum quia à nullo entium cognoscuntur, cùm primum irretiuntur in spiritus animales, qui & ipsi sunt idola, sed in natura habentia sedem, his protinus innituntur & tanquam in domicilijs conquiescunt: eorum quæ facta sunt, vt quæ in essendi actum iam processerunt, perspicua passim idola demittuntur, donec temporis diuturnitate debilia euadant: eorum verò quæ in præsentia sunt, vt quæ adhuc in se consistunt validiora simulachra perueniunt, sed futurorū indefinita sunt, & indiscreta; sunt enim præuolomina quædam rerum nondum præsentium & efflorescentiæ quædā adhuc imperfectæ naturæ quasi prosilientis & foras saltantis, & tanquam delitescentium seminum obscura signacula ideò ad res futuras opus est aere, ad eis imagines obscuræ procedunt, non vt à præsentibus manifestæ. *Syn. de som.*

Somnia operæpretium est & visa & sigillatim accidentia tum vigiliæ tum somnij literis commendare, nisi consuetudo ciuilis nouitatem huius cogitationis horreret, ex qua obseruatione ars paulatim accumulabitur, dum nihil delabitur è memoria, quæ etiam erit ad eloquentiam vtilis. *Syn. in som.* Somniorum nihil est magis proprium quàm intercipere medium, nec agere tempore. *idem, ibid.*

Somnia matutina sæpe nonnihil vaticinij continent. *Fic. epist. lib. 1.*

Somnia multis de causis pendere possunt, naturali, diuina, dæmoniaca. *Io. Fra. Pic. Mir. de præ. lib. 6. cap. 7.* Somniorum variæ interpretationes apud gentes ortæ sunt, quia imagines à dæmone monstratæ in somnium alijs bellum alijs pacem significabant. *idem, ibid.* Somniorum causæ possunt esse exteriores & interiores, interiores bifariam diuiduntur quæ ab anima, & quæ à corpore; & exterior alia corporalis alia spiritalis. *ibid.*

Somnia sunt tanquam Cleon Daulcut, & Tramedes Eræi. *idē, in ex. van. doct. gen. lib. 2. cap. 25.*

Somno non vis animæ minuitur, sed potius vita corporis minui potest. *Fic. in Plat. Theol. lib cap 15.*

Somnus nocturnus semper est necessarius, semper bonus, diurnus, nisi admodum necessarius, nunquam bonus. *idem, de vita produc. lib. 2. cap. 6.* Somnus ad duos fines à natura insti-

deinde quasi venales diuitibus tradunt adolescentibus diuitiarum, & inanis gloriæ gratia, & nihil habent pensi an bona, verave, an contra fint, aut ipsi discant, aut alios doceãt. sed & confundunt, & alios passim errores fundunt, quotidie plurimos, nulla habita recta ratione, modò diuitias cumulent, & vulgarem gloriam consequantur. *ibid.*

Sophistarum immeritam auctoritatem Plato adimere conatur non inuectiuis manifestis, ne ipse perturbatione vlla, odióque in illos videatur adductus, vel ipsi ipsorúmque sectatores venenosa in eum impudentissima linguæ tela retorqueant, sed ironia partim, risu partim, sæpe ioco & ludo quod in sophista acutissimè perfecit, idem in Gorgia elegantissimè, facetè admodum & vrbanè in Hippia, scitè & argutè in Euthydemo, artificiosè etiam in Protagora. *Fic. in Plat. Protag.* Sophistas Plato vbique iactabundos, omnia profitentes inducit, gloriosos, temerarios insuper & auaros, in principio disputationis sansapios, paulatim verò ineptiores, postremò omnium ineptissimos, qui nulla de re præcipuè grauiori vel quid sit, vel quanta, vel qualis intelligant, cum profiteantur omnia nihil omnino scire conuincit. *idem, ibid.*

Sophista ad non ens declinat, & philosophi ambitiosus & fallax imitator est. *Fic. in Plat. sophist.* Sophista dialogus à Platone ideò descriptus est, vt de sublunari opifice tractet: nam est idolorum perfector, purificator animarum, à contrariis rationibus semper separans transmutator, & iuuenum diuitum venator. *idem, ibid.* Sophista, & philosophus ambo incogniti sunt, quia sophista in falsis tenebris inuolutus est, philosophus quia diuinæ veritatis splendore vndique circũfusus vulgarium intuitum animorum prorsus exuperat. *ibid.*

Sophistam Plato appellat non hominem, sed etiam Amorem, Plutonem Iouem. *ibid.*

Sophistas ostendit in Euthydemo Plato insignis charitate vir vbi de rebus grauissimis agitur, ipsem audientium deludere, & abeit animos audientium ad seria natos auertere studet. *Fic. in Plat. Euthyd.*

Sophistas auaros ostendit, cùm artem militarem pecunia docere profitentur, quã nemo vnquam vendidit: sunt deinde ambitiosi, cum iudicialem peritiam cum militari, & sophistica profiteantur, quæ longissimè inter se distant: vani præterea, cùm iam senes à rebus ad verba, à veritate ad falsitatem se conuertant: quartò quam contemnendi, cùm breui ad summum biennio cauillatoriam hanc quilibet assequatur: quintò quam periculosi, nam facilè adolescentum animos ad sua studia conuertere possunt. quando fingitur Socratem non admirabundum ad sophistarum gymnasia properare, & dæmon ille Socraticus, qui à nullo decipi posse videtur, à sophisticis horum nebulonum præstigiis fingitur esse deceptus. *idem, ibid.* Sophista & Rhetor vterque falso virtutem profitetur, sophista philosophi speculationem, Rhetor moralem philosophi disciplinam simulat procul à vero. *ibid.*

Sobrietas & continentia est Dei cultus. *Aug. Steuch. de pere. philoso. lib. 10. cap. 79.*

Sors, Sortes.

Sortes quędam faciendæ erant in nuptiis, vt viles non principes sed fortunam culpent. *Plato de rep. dial. 5.* Sortis æqualitate in republica vti necesse est ad multorum offensas vitãdas, ita vt deum, & bonam fortunam etiam tunc in precationibus inuocemus, vt ipsi sortem ad id quod iustissimum est dirigant. *Idem, de legibus, dial 6.*

Sortes appellat Plato dispositionem vniuersi, qualis tunc erat cum animæ aggressæ sunt ingredi corpus, & significatur in hoc & eiusmodi corpus ingredi, & talibus parentibus, in tali regione nasci; cuncta verò facta, & conuoluta per vnam parcam Cloto tam in cunctis quàm singulis demonstrantur; Lachesis ipsas adducit in medium; postrema Atropos efficit necessariò vt concurrentia hæc omnia peragantur. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 15.* Sors ad felicitatem non ad virtutem attinet. *Philo de creatione Principis.*

Sortis cuiusdam potius, quàm scientiæ est vere iudicare de sorte, cùm iudicium per signa ita confunditur, quod ex diuersis sortis nostræ primordiis, & causis inter se oppositis, rebúsque contrariis complurima inter se discrepantia trahuntur iudicia, imò ex aliis quasi vestigiis confunduntur. *Fi. in Plotinus En. 2. lib. 3. cap. 15.*

Sortium multa sunt genera vt in talorum iactu, in tesseris proiiciendis, in figuris charteceo ludo pictis, & quæcunque prior venerit expectandis, in eruendis longiuribus palcis, in oculorum iactu super paginis: & aliquando quæ per voces fiebant responsa sortes appellatæ sunt, & aliquando non voces, sed quæ per voces significantur, sortes appellatæ sunt; ad tria tamen rediguntur, nam qui sortibus vtitur, aut diuidendæ rei cuiuspiam causa id agit, aut sui alterius siue consulendi gratia, aut diuinandi: eius euentus expectatur aut ex fortuna & casu, aut ex spirituali causa: qui fortunæ & casui confidunt, vani sunt, quia confidunt ei quæ consilio & rationi aduersatur: qui spirituali causæ, cùm vel à bono vel malo spiritu euentus dependeri possit, si vltimum des, detestandum est, vt & alia omnia vel occulta vel expressa cum dæmonibus inita fœdera; si à bono spiritu, plurifariã aberrare poterit, si nulla necessitate, ad curiositatem exsertur, si sine Dei reuerentia precibúsque porrectis, si ad vitæ vanitates, seculique negotia perpetranda, si ad ecclesiasticas electiones perficiendas ad ipsum parat, à recta via flectit. *Ioan. Francisc. Picus Mirandul. de praen. lib. 6. cap 6.*

Spatium inter terram & aquam à physicis dicitur necessitas, inter aquam & aerem apta consonantia, inter aerem & ignem obedientia ideò ex quatuor elementis, & tribus interstitiis omnia constant. *Macrob. in som. Scip. lib. 1.*

Spatium omne est cum corporibus, mundo, & tempore, & mutatio exigit aliquod temporis spatium. *August. Steuch. de pere. philosoph. lib. 7. cap 5.*

Species.

Species contrariæ non solùm non sustinent, vt altera ad alteram insuper accedat, sed etiam alia quædam contrariorum accessionem non sustinent. *Plato in phædone.*

Species vbi alicuius fuerit, etiam pars est eius cuius species, pars autem nulla necessitate est species, & in hoc sunt diuersæ. *in dial. de regno.*

Species vnaquæque vna simúlque eadem omnibus est, vt si dies vnus, & idem sit, & multis locis simul est, & nihilo magis seorsum ipse à seipso est. *Plato in Parmenide.*

Species quædam sunt, quibus si alia participent cognomina ipsarum habent, velut quæ similitudine participant similia, quæ magnitudine magna, quæ pulchritudine pulchra. *idem, ibidem.*

Species seorsum sunt per se ipsas, seorsum etiam ab iis quæ species participant. *ibid.*

Speciei moderatæ maximum signum est venustas. *Plat. in Symposio.*

Speciem vnam ponere consueuimus circa singula mala, quibus idem nomen tribuimus *de rep. dial. 10.* Species quæ secundùm eadem se habet, & ortus, & interitus expers est, neque in se ipsam aliud aliunde suscipit, neque ipsa in aliud aliquò progreditur, sed nec visui, nec aliis sensibus exposita est, hæc sane cuius considerationem intelligentia adepta est. *in Timæo.*

Species sunt pars generis. *Mer. Trism. Asclep. cap 2.* Species rerum inter se continuatæ subiectæ, & ordinatæ secundum gradus, differunt per formas. *Aristot. Theologia Aegypt. lib. 13. cap 4.* Species omnes sub genere ordinatæ, ex ipso, & differentiis subsistent. *Syrianus, in 2. metaphysic.*

Species est generis pars, ideò necesse est sequi qualitatem sui generis; vnde efficitur vt quamuis omnia genera sint immortalia species tamen non omnes immortales fiot, diuinitatis enim genus & ipsum & species immortales sunt reliquorum genera, quorum æternitas est genus, quamuis per species occidat, nascendi tamen fœcunditate seruantur, atque species mortales sunt, vt homo mortalis sit, immortalis humanitas. *Apul. Asclep.*

Species omnes quæ fiunt aut à diis, aut à dæmonibus, aut ab hominibus fiunt, omnes simillimæ suis generibus. *Idem, ibid.*

Species plures in intelligibili mundo si sunt, necesse est esse in ipsis quiddam commune, & proprium quiddam quoad aliud ab alio distinguatur, quæ differentia separans, & hoc proprium forma certè propria est, & si est forma est & formatum circa quod est differentia, subest itaque materia, quæ formam illam accipiat. *Plo. En. 2. lib. 4. cap. 4.*

Species omnis continet magnitudinem, & quantitatis modum vna cum ratione, & sub ratione. *Idem, ibid. cap. 9.*

Species corporum in dimensionibus fiunt; non tamen circa ipsam magnitudinem quasi subiectum efficiuntur, imò vero circa ipsum quod fit quantum, si enim circa magnitudinem ipsam potius quàm circa materiam orirentur, similiter vtique magnitudine, substantiaque carerent, vel rationes tantum essent; Hæ verò circa animam versantur, ideò non essent corpora *Plotin. En. 2. lib 4 cap 19.* Species non est qualitas, sed ratio *Idem, En. 2 lib 6 cap 2.*

Species sola fœcunda est natura verò altera sterilis. *Plotin. En. 3 lib 6 cap 19.*

Species naturâ prior est indiuiduo, quia generalior est. *Idem, En. 6 lib. 3 cap 9.*

Speciem quamlibet si penes se ipsam euoluas, statim propter quid in ea inuenies. at quod variam essentiam & vitam sortitur, non omnino habet in seipso propter quid. *Idem, En. 6 lib. 7. cap. 2.*

Species rerum non ſic prodeunt ad exiſtendum vt intelligens ipſum primò intellexerit, deinde ipſa intelligentia illorum ſubſtantiam exhibuerit; nam non quia cogoouit iuſtitiam exorta eſt iuſtitia, nec qoia cogitauerit quid motus, ex ortus eſt motus, ſic & intelligentia poſterior eſſet re, & rationem eius rei acciperet quę oon eſt; ſed res ipſa in mundo intelligibili coofiſtens nil eliud eſt præter iotelle-ctum, & ſcieotiam, & ſic non intelligentia facit motionẽ, ſed ratio intelligentiam, & ſic ipſa motio ſeipſam concipit: motio illic eotis illius intelligentia eſt, atque ipſe motus, quoniam eſt primus. *Plot. En.6.lib.6.cap.6.*

Species omnis totum qoid eſt. *Proc. ele. The. prop.74.* Species circa materiam ſunt coofuſæ, & meliora deterioribus ſuot commixta. *Idem, in Alc.1.* Specie ipſa ſecundùm actum ſe habente, nec ſeparata, ſed in animali vita aoimal complẽte, & iouitali ipſius applicamento, quod circa corpora eſt diuiſum ooo eſt ſufficiens ad ſenſum, qoia eſt circa corpus diuiſa, oec io vnum impartibile conuerſa eſt, ideò non eſt cognitioa. *Priſcian. in Theophraſtum, cap. 4.*

Species nec à corporibus, nec ab elemeotis efficiuotur, ſed ipſa corpora ſpecies participant, atque ſecundùm eas charactères proprios ſortiuntur, quapropter quæ non ſecundum eſſentiam ſpeciem ſibi vendicaot luminoſam, hæc lumine indigeot; quo vidnaotur, ignis & lucentia non iodigent cùm ad hoc ſufficientia ſint per eſſeotiam ſpeciei luminoſæ. *Priſcian. in Theophraſtum, cap.17.* Species aliæ materiales, aliæ immateriales, & in immaterialibus idem eſt eſſe ipſum vnumquodque & eius eſſe; in materialib. aliud eſt eſſe ipſum vnumquodque, aliud ipſum eius eſſe, horum oamque primum ſecundùm vtruoque concretumqoe accipitur, alterũ ſecundum ſpeciem intelligitur. *Idem, in Theophraſt. de phant. & intellectu, cap.13.*

Speciem vnam non cõficiunt quæ nec in vnum eſſe, nec in vnã eſſentiam coogrediuntur. *Ficin. Plato Theologia, lib. 15. cap.7.* Speciei perfectionem optat quicquid in illa ſpecie imperfectum eſt. *idem, ibid. lib.28. cap.8.* Species nulla rerum ad id quod impoſſibile eſt mouetur: ſi quidem moueri eſt à potentia io actum paulatim progredi. *Idem, in Plato. Phileb lib. 1 cap.20.* Species de indiuiduis prædicatione recta. *ibidem.* Species in rerum ordine finitæ ſunt, ſiogula infinita, à Theologis antiquis traditum eſt. *Marſi. ibid. cap.2.*

Species in luminum, vmbrarum, linearom iucunda concordia, noo in materia ſita eſt. *Ficin. in Plat. conu. or.5. cap 6.* Species rerum qua ratione ſunt formæ formarum imagines diuinarum, formaliter, & quaſi ſpiritualiter aguot in rem formalem potiſſimum, atque ſpiritualem, id eſt ſenſus inſtrumentum id eſt in ipſum viueotem: & hæc actio propriè, & proximè conducit ad ſeoſum additâ huic actione animæ: at actio compoſiti propriè, & materialis atque naturalis, vel impedit, vel non conducit, vel non ſufficit ad ſenſus effectionem. *Idem, in Priſcian ſup. Theophraſt. cap 13.*

Species eſt quædam determioatio, ſiue diſtinctio ſiue actus eſſentiæ. *Fi. in Plo. En.1. lib.7. cap.2.* Species nulla ad id quod penitus impoſſibile eſt mouetur, ſiquidem naturaliter moueri eſt à naturali poteutia io actum progredi paulatim, quæ progreſſio naturalis qua facultate gradatim proficit, eadem quaodoque perficitur finem vltimum aſſecota, alioquin natora fruſtra contenderet, & author naturæ temerè illum fruſtráqoe moueret. *Idem, in Plo. En.1. lib.8. cap 2.*

Species plurimæ rerum ad genera quædam, & hæc ad vnum genus referuntur, vt agentia multa gradatim ad vnum vbique agens neceſſariò rediguntur, ſiue vt inſtrumenta, vt corpora inferiora ad ſuperiora, illa fortaſſis ad Solem beneficio luminis vbique præſentem, ſiue vt agentia principalia, vt animæ retionales inferioris ordinis ad rationales ſuperioris ordiois animas, & illæ tandem ad vnam vbique pariter dominantem. *Ficin. in Plo. En.2. lib.3. cap.13.*

Specierum diſtinctio inter ſe quæ formalis omnino eſt, fortunâ contigiſſe non poteſt. *Fic. in Plotin. En.3 lib.2. cap.8.* Specierum diſtinctio oec caſu oec materia conſtat. *Idem, ibidem.*

Species vnaquæque ab æterno certis eſt intrinſecus terminis præfinita. *Idem, in Plot. En.3. lib.3. cap.3.* Specierum diſpoſitio in natura eſt ipſa oatura. *ibid.*

Species rerum io prima eſſentia ordine quodam earum intelligentiam anteceduot, vt obiecta præcedunt actus circa obiecta verſaotes. *Ficin in Plotin. En.6. lib.6. cap.6.* Species vnaquæque eſt aliquid intelligentiâ definitum, vnde & altera ab altera diſtinguitur: vniuerſa ſpecies conſtaos ea definitis, eſt definita. *Idem, in Plotinũ En.6. li.7. cap.35.* Species omnis quæ in materia eſt, ad accideotis ferè potius quàm ad veræ ſubſtantiæ conditiooem eſt refereoda. *Io. Pic. Mir. in hept. lib.2. cap. 3.*

Spectaculum quod in ſomnio apparet, eſt cùm vigilantibus offert ſe videodam cœleſtis poteſtas clarè iubens quid, aut prohibens formâ & voce mirabili. *Chalcidius in Timæum.*

Speculatiuas ſcientias qui putant non eſſe æternas, ſed cenſent eas eſſe ſummam & vltimam hominis perfectionem, putant ipſammet hominis voluntatem præſtare perfectionem: at qui putant quidem ſcientias ſpeculatiuas non eſſe æternas, ſed humanam perfectionem eſſe cognitionem ſubſtantiarum abſtractarum à materia iis duplex genus perfectionis ſtatuendum eſt, vt prima & vltima ſit, prima ſeipſam adipiſcatur, ſecunda adiumento quodam atque aliena ope comparetur. *Auer. in Pla. rep. tract.2.*

Speculator qui mores aliorum ſpeculatum mittitur, non minor ſit natu quinquaginta annis, & vſque ad ſexageſimum ſpeculetur, & reuerſus in conuentum eorum accedat quâ leges capendoot, & enarret quæ vidit, & quæ excogitauit, & melior euaſerit, & non peior, laudetur & honoretur; ſi peior priuatus viuat, ſi noo obedierit moriatur. *Plato de legibus, dial.12.*

Speculum.

Speculi opificium eſt repræſentare quæ ei obuiam ſiunt. *Plato de republica, dial.10.* Speculum imagines repræſentat, & eadem circa omnia illuſtria, & læuia aſpectu apparent, quia ea interna, & externa ignis vtriuſque inter ſe communione, rurſus vno circa læuitatem ſubinde oriente, & multis modis adaptato, talia omoia neceſſariò apparent, dum qui circum faciem eſt ignis, cum eo qui circa viſum eſt igne circa læue, vel illuſtre compingitur: dextera verò conſpiciuntur ſiniſtra, eóque contrariis viſus partibus contrarias partes attingimus præter ſolitum occurſus morem: contra verò dextera dextra, & ſiniſtra ſiniſtra videntur, cùm lumen cõpactum traoſierit ab eo, cum quo compingitur: hoc contingit cum ſpeculorum læuitas hinc atque illinc altitudines adepta dextram viſus partem io ſiniſtram detruſerit, & alteram io alteram. At verò ſecundùm longitudinem faciei cõuerſum ſpeculum idem hoc totum vt ſupinũ efficit, vt quod infernam ſplendoris partem ad ſupernam, & ſupernam ad iofernam detruſit; & hæc omnia ſunt cauſæ adiuuantes quibus Deus miniſtris vtitur ad optimi ideam quantum fieri poteſt abſoluendam. *Idem, in Timæo.*

Speculum io modum ſectæ concauæ ſphæræ formatum facit vt maiores veris vultus appareaot, vndique ſe fundente radij lumine. *Chalcid. in Plat. Timæum.* Speculorum duorum, ſi alterum ante vultum, alterum à tergo ponatur ita obliquatum vt à corpore non impediatur viſus tunc io ambobus nos inſpicimus quod fieri nequit, niſi radius viſualis io anteriori ſpeculo facto angulo recurrat io poſterius. *idem, ibid.*

Speculi figura ſi erit cõcaua & rotuata in modum ſcaphij quadrati, vel imbricis, dehinc iotueamur ſpeculum ita conuerſum vt recta ac cernatur imbrex, margines verò eius, ſeu ſupercilia hinc, & hinc prolatoribus aſſiſtant, tunc opinor radius iocidens & infractus ob leuem ſpeculi, & rigidam ſoliditatem in proximum eius latus delabitur in decumani apicis effigiem, ita dextri lateris imagine in ſiniſtrum, ſiniſtri in dextrum ob eminentiam marginis vtriuſq; directæ dextræ partis noſtræ etiam io ſpeculo dextræ, ſiniſtræ item ſiniſtræ videbuntur: & erit imaginis falſæ falſa imago remedium. & hoc ſpeculum ſi erit ita diuerſum nos locatum vt eminentium marginum alter ſuperior, alter ioferior ſit, oec rectus, ſed obliquus cernatur imbrex, reſupinas oſteodit imagines, & ſimulachra præpoſtera, ob ſimilem lapſum fracti radij per accliuia, directus quippe viſus ad ſpeculi ſupercilia, cum ſuperiorem conſpexerit emineotiam deiicitur ſimulachrum ad ima reſupinum, cùm inferiorem, facit ſaltũ vultus ad imaginẽ ſuperiorem. *Chalcidius in Platonis Timæũ.*

Speculorum diuerſitas apparet, quia lumina ad partes alteras reflectuntur à conuexo repulſa & diſperſa, & in concauum cooiuncta iuxta diuerſitatem ſpeculorum, vel concauorum, vel conuexorum, vel oblongorum: quapropter in quibuſdam dextra & ſiniſtra cootrouerſa videotur, io aliis pari modo, in oonnullis ſupera ad inſera, ac vice verſa ad ſupera inſera conuertuntur. *Alcinous cap.18.*

Specula imagines quaſdam reſultari facere ex ipſis, etſi nonnulli negant, Theophraſtus tamen io libris de anima, vt Iamblicus, & Priſcianus exponunt, cum Platone conſentit, & Proclus in ſexto de republica probat. *Fic. in Pla. Timæum, cap. 30.*

Speculum vt quinque modis præcipuè præparatur ad imagines à vultu ſuſcipiendas, natura vitrea, perſpicuitate, lenitate, reſiſtentia, & poſitione, ſic animæ noſtræ ad influxus numinum præparantur, primò qund intellectuales naturæ ſunt vt illa, ſecundò quando per intellectum ſide illis hærent indubia, tertiò per voluntatem amore io illa ſeſe ardẽtiſſimo trãſferuntur, quartò tota io illis firmiter memorie

memoria sperant, quintò si corpus habeant, & naturã illis accommodatum, & diligenter præparatum, tunc in mentes nostras à superis ita labuntur instinctus, vt à fidibus lyræ in fides similiter temperatas: tunc prodigia, somnia, vaticinia, oracula veniunt. *Fic. in Plat. de leg. dial. 5.*

Speculis nullas imagines inesse, vt nec in iride colores alij putant, sed ipsa aspici corpora, oculorum acie retortã & in se rursus reflexã, illi in his simulachra cerni putant, id est corporum nostrorum figuras à nostris corporibus per aerem sparsas & in illis exceptas. *Iac. Carp. in Al. in. cap. 10.*

Speluncam appellat Plato mundum istum si ad mundum inuisibilem comparetur, vinculum corpus humanũ, siue perturbationem animam corpori alligantem, vmbras omnes quæ sensum mouent. *Fic. in Plat. de rep. dial. 7.*

Spes.

Spe semper nos per omnem vitam pleni sumus. *Plat. in Phileb.*

Spe in bona semper viuere oportet. *de leg. dial. 5.* Spes facilè abducitur ab homine. *in Timæo.* Spes est expectatio boni. *Speusippus in Platon. definition.* Spes fruendi voluptatem creat, dilatio tristitiam & dolorem. *Chalc. in Tim.*

Spes est principium parandorum bonorum, ideò spe carentes non homines, sed bestiæ humana forma prǽditæ sunt, quæ spes est humanæ animæ ornamentum. *Philo de Abraha.*

Spem natura quasi ianitorem in foribus collocauit, intus cæterat virtutes regias, quas adire nemo potest, nisi prius hanc demeruit. *idem, ibid.*

Spes sequitur confidentiam, id est futuri boni firma ac facilis expectatio. *Fic. de voluptate, cap. 10.* Spes bona, quæ ab animi magnitudine proficiscitur, sępe in maximis rebus magnos viros decipit. *Franc. Patricius de regno, lib. 3. cap. 10.*

Spes amorem, ac desiderium excitare videtur. *Leo Hebræus de Amore, dial. 3.*

Sphæra.

Sphærarum erraticarum non est motus, sed resistentia, non enim eodem, sed contrario modo gradiuntur, oppositio verò reuerberationem motionis stabilem continet, repercussio enim stationis est agitatio: ideóque erranteæ sphæræ contrario, ac planè sub alterno inuicem discurrendo obuiatione contraria circa oppositionem huiusmodi ab eo quæ perstat agitãtur, nam arctos ipsa nec exoriri nec mergi patet, circa idem perpetuò recurrentes, circa idem ergo manentis agitatio firma est, & ab ipsa oppositione perpetuò stabilita. *Mer. Tris. Pimander, cap. 2.*

Sphæræ septem, quæ vocantur erraticæ, habent ἀπαρχὰς. id est principes substantiales, fortunam & εἱμαρμένην quibus immutantur omnia, lege naturæ, stabilitate firmissima, & sempiterna agitatione variata; aer verò est organum, vel machina omnium, per quam omnia fiunt; est autem ἀπαρχὴ huius secundus, mortalibus mortalia & his similia: omnia domino parent. *Merc. Trismeg. Asclepius cap. 8.* Sphæræ septem habent fortunam. *Apul. Asil.* Sphæræ solum centrum non mouetur. *Mar. in somn. scip. lib. 1.*

Sphæræ mundi & vota nostra, velut secundùm quendam contactum cunctorum habitudinem vbique contemperatam cognoscunt. *Plotin. Enn. 4. lib. 4 cap. 26.* Sphæris septem in orbe circumuago constructis corpora septem conspicua mundi conditor magna ea parte ignea fabricauit, eáque sphæris ex altero, & vago circulo constitutis adnexit, Lunam primo circulo supra terram dicauit, Solem secundo, Luciferum tertio, & sacrum Mercurij sidus in circulo pari ac Sol velocitate currente disposuit; supra reliqua secundùm propriam sphæram gradatim disposita tardiorem omnibus Saturni stellam in proxima sub non errante circulo sede locauit, quem Iupiter sequitur, & huic Mars successit; octaua demum potestas hęc omnia circumplexa est: horum singula viuentia sunt, vt intelligentia, & dij cognominantur, & eorum figuræ rotundæ sunt. *Alc. cap. 14.*

Sphæræ in circulum maximè rotantur, primò quia Deus circulus est vnus, cum à se & in ipsum instar circuli definit; Angelus duplex est circulus, tum quia illuc redit vnde manauit, dum suum intelligit & diligit auctorem, tum quia cõsiderat semet-ipsum: anima est triplex circulus, quia respicit Deum, quia se ipsam considerat, quia à causis rerum ad effectus descendit, & rursus ab effectibus ad causas ascendit: & sic cœlum vna parte motã mouetur & alia, nec stare potest, cùm eius anima stare nequit. & cùm suum locum naturalem relinquere nolit, ideò circa idem reuoluitur. *Ficin. Plat. Theologia lib. 4 cap. 2.*

Sphærarum animas ita partitur Orpheus, vt habeat quælibet vim geminam, vnam in cognoscendo positam, alteram in sphæræ corpore viuificando, & regendo: in terræ elemento illam vim Plutonem, hanc Proserpinam nominant: in aqua Oceanum illam hanc Thetim; in aere fulminatorem Iouem, & Iunonem, in igne phanetem & auroram, in anima sphæræ Lunæ illam Bacchum Lienium, hanc aliam musam, in anima sphæræ Mercurij, illam Bacchum Silenum, hanc Euterpen, Veneris Lysium, & Erato: Solis Trietericum, & Melpomenem, Martis Bassareum, & Clio; Iouis Sabasium Terpsichorem, Saturni Amphietum, & Polyhymniam; octauæ sphæræ Pericionium, & Vraniam: in anima mundi primam vim vocat Bacchum Eribromum, secundãm Musam Calliopem: ideò singulis musis præest Bacchus aliquis, vt vires illarum diuinæ cognitionis nectare ebriæ designentur. *Fic. Plat. Theologia, lib. 4. cap. 1.*

Sphæræ octo instrumenta sunt fati. *Fic. in Plat. de rep. dial. 10.*

Sphæræ melodiam suauissimam faciunt, sed elementalis auditus ad cœlestem melodiam caret proportione, ideò sonus eiusmodi non auditur. *idem. ibid.* Sphæræ medij natura, & circumferentiæ natura longissimè inter se distant & proprietate & situ. *idem, in Plat. Timæum, cap. 23.* Sphæra omnis mobilis tam elementalis quàm cœlestis pro figura sua naturaliter mouetur in orbem, sic loco suo plenius fruitur motu, motus autem rectus vbicunque est non tam naturalis est, quàm reditus in naturam, & sicut conuenit corpori motus circularis igni conuenit, cùm à terra maximè distat, & est semper mobilis. *ibid. cap. 25.*

Sphæra diurna agitatione se reuoluens primum locum in motu tenet, secundum Chorus Planetarum super polos signiferi currens in aduersum, nec in eo sunt plures gradus distinguendi, quoniam inuicem nec mouentur nec mouent, quare quasi mobile vnum sicut à primo mobili rapitur, ita suo mouet quoque motu, qui diuersitatis dicitur à Platone, æthera, & aerem supremum, vnde quarto quoque gradu motus ad nos & inferiora corpora prouenit, dum vegetantur inde rerum naturalium particulares omnes motus. *Io. Pic. Mir. in Astro. lib. 3 cap. 10.*

Sphæræ si sunt super octauam duæ, falsa est omnis veterum Astrologia qui potentissimis cœli partibus ignoratis inutilibus, & imperfectis obseruationibus sunt innixi, quoniam sphæræ illæ inefficaces esse non possunt, quarum suprema motus rapiditate, vtraque loci sublimitate, & vastitate molis reliquas antecellit, Si nulla præter octauam sphæra, iuniorum Astrologia nulla, cum duodecim signa non sint in nona. *Ioannes Picus Mirandulanus in Astrologiam, lib. 8. cap. 1.*

Sphæra nona nec est apud Platonem, Aristotelem, Hipparchum, & Ptolemæum, quod iuniores non credunt, nam cùm ponat Ptolemæus motum octauæ ab ortu in occasum necessariò, & nonam putant ponere, & cùm loquatur de signis mobilibus, & immobilibus, putant immobilia in nona esse sphæra, quod non concludit: in octaua enim sphæra Ptolemæus ponit signa immobilia, quod non faceret si superiorem excogitasset. *Io. Pic. Mir. in Astro lib. 8 c. 5.*

Sphæræ mouentur solùm motu circulari. *Ficin. in Platonis Timæum, cap. 25.* Stellæ in firmamento circuitum quidem habent circa suum centrum, sed imitantes firmamentum occasum versus, ita fixo centro voluuntur. *idem, ibid.*

Sphærus putant Platonici esse Planetarum visus vnde videmus visum nostrum non esse aliud quàm radium, & oculorum figuras, & qualitates esse cœlo simillimas, sed stellæ, & Planetæ oculi sunt non visuales tantùm, sed etiam visibiles, quibus & animalia videant atque inde regantur. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 1. cap. 7.* Sphæræ mundi, stellæque sensus habent, preces nostras exaudiunt, & cœlestia visum habent, etsi differentem à nostro visu, generali tamen natura conuenientem, naturã scilicet vnã perspicuã, lucidiã, & auditum habent. *idem, in Plotino En. 4. lib. 4 cap. 26.*

Sphæræ decem figuratæ sunt à Zacharia per candelabrum aureum distinctum septem lucernis, & lampadem super caput eius, tum super lampadem oliuas duas, cùm septem lucernæ sint septem Planetæ, lampas circulum octauum tot luminibus fulgentem, & per duas oliuas indicat nonam, & decimam sphæram, quia ex oliuis oleum destuli ad lampadem & lucernas ad luminis nutrimentum quæ interpretatio est Isaac Philosophi Hebræi. *Io. Pic. Mir. in Heptap. lib. 2. cap. 2.*

Sphæram primus inuenit Archimedes, quamuis dictum sit ab Halycarnaseo Atlantem eam inuenisse, sed erat rudis, & inchoata tantùm, eam verò Archimedes expoliuit, & perfectam reddidit. *Franc. Patr. de regn. lib. 2. cap. 14.* Sphæra octaua recentiorum Astrologorum sententia 49 millium annorum spatio propriam conuersionem absoluit. *Leo Heb. de Am. dial. 3.*

Spiritus.

Spiritus nutrit animas. *Mer. Tris. Asclep. c. 7.*

Spiritu in mundo ministrantur omnia, & vegetantur, & quasi organum, vel machina est summi Dei voluntati subiectus, omnes enim species in mūdo gubernantur spiritu, vnaquæque secundum naturam suam à Deo distributam sibi. *Idem, ibid. cap. 7.*

Spiritus est in aere vehemēs coacti aeris flumen. *Apu. de mundo.*

Spiritus est in mundo quasi organum, & machina, summi Dei voluntati subiectus, per ipsum omnia ministrantur, & vegetantur, implet omnia, cuiuscunque naturæ qualitas sit. *Idem, in Asclep.*

Spiritus mali in similitudinem bonorum se sępe transformant, iactabundique veniant, & sibi supra quàm possunt arrogant, nempe vbi initium primum adulteratum suboritur, mendacium plurimum ex peruersitate procedit. *Iambli. de myst.*

Spiritus mali apparent phantastico & fallaci modo. *Idem, ibid.*

Spiritus alij alias habent potestates, & illud tantùm singuli ad quod ordinati sunt peragunt. *ibid.*

Spiritus phantasticus inter æterna & temporalia medius est, quo & plurimum viuimus. *Synesius de som.*

Spiritus animalis fit Deus & dæmon omniformis, & idolum, in hoc enim anima pœnas dat, de hoc & oracula consentiunt, vitam in hoc animæ comparantes imaginationibus somniātium, & tractibus naturalibus aut attollitur in sublime ob caliditatem atq; siccitatem, & id est quod ait Plato de assumptione alarum *Idem, ibid.*

Spiritus phantasticus an sit lucidus nec ne venari possumus ex imaginibus, quæ nobis promit, & in quibus se versat, cùm à nullo pulsatur extrinsecus. *Synesius de somniis.*

Spiritus phantastici educatio optima est secundum intuentem, & percipientem potentiam semper agere, & omnino vt intellectualis sit semper actus pręcipuus animę, & quoad fieri potest absurdos & temerarios impetus concepius phantasiæ semper anticipemus; hoc est, vt in primis ad optimum conuertamus, nec cum deteriore commercium ineamus nisi vrgente necessitate. *Idem, ibid.*

Spiritum ita præparasse optimum est, vt dignus euadat eo intellectus, & Deus innotescat, & præsideat, imaginum indefinitarum non sit amplius susceptaculum. *Syn. de somniis.*

Spiritus educatio optima est tum per philosophiæ studiū perturbatos sedare animi motus, quibus excitatis spiritus ipse quasi regio quædam penitus occupatur, tum per moderatum & temperatum victum, & animal sic afficere, vt non inestabundum sit, & ita componere vltimum corpus, vt fluctus minimè moueat; nam vsque ad primum vnda redundat, oportet semper primum incōcussum, & imperturbatum seruare. *Idem, ibid.*

Spiritus differt à flatu, quia in spiritu intelligimus robur, vim in flatu tanquam auram quandam & exhalationem lenem, & sedatam. *Philo in legu allegor. lib. 2.*

Spiritus Dei dicitur vno modo aer tertium elementum, alio modo immortalis illa scientia, cuius omnis sapiens meritò fit particeps. *Idem, de gigantib.*

Spiritus superiores in nostros, vt pote consortes imaginum duntaxat suarum influxibus operantur, vt vultus in speculum, atque agendo in eos formant, simillimósque efficiunt, vsque ad eo, vt animæ sæpe tam fermè mirabiliter, quam cœlestes soleant operentur. *Ficin. in Platon. de legibus, dial. 5.*

Spirituum superiorum vires nostris, quomodocunque ita fiat, spiritibus quòd influant, negare non possumus, quando manifestè videmus corpora nostra corporibus superioribus agitari, assiduéque ab aere aliter permutari: quod si spiritus illi in nostros agant spiritus, agunt insuper & in corpora; passio verò corporum humanorum siue à spiritibus illis, siue à corporibus superioribus inferatur, eatenus redundat in anima quatenus tam comparato, quàm naturali affectu animus sese mergit in corpus: sed hoc interest, quòd corpora per corpora nostra mouent, spiritus tum per corpora, tum per animas mouent, tum per illum spiritum, quem physici animæ nodum nominant. *Ficin. in Plato. de legibus, dialo. 6.*

Spiritus animalis semper ab anima mundi, quasi interioris vitæ propago pullulat; & hic est ignis, & quasi animale lumē ipsum in dimensiones iam porrectum, spiritus actu lucidus, potentiā calidus, generationis omnium vbique fomes: cœlum inquam non circunfusum solùm, sed etiam cunctis infusum, cœlúmque cœlorum. *Fic. in Plot. En. 2 lib. 2. ca. 3.* Spiritus sanguinis nostri vapor subtilissimus est quasi anima quædam, ita vt Epicurei, & alij quidam vicinitate decepti hunc esse animam iudicarint. *Idem, ibid.* Spiritus differebant inter se per formalia & essentialia quædam, quatenus aliquid erat in aliquo, quod non erat in alio. *Idem, in Plot. En. 2. lib. 9. cap. 5.*

Spiritalis actus, fit ab ipsa specie rei prouenientis in sensum, siue intra nos siue in instrumento sensus, vt in tactu, & gustu, siue extra nos in aere, vt circa visum, auditum, olfactum; sicà visu in obiectum, qui actus in omnibus sentiendis fit vbique inter passionem etiam materialem in aere ab obiecto factam circa sensus inferiores: fit tunc opportunè virtute quadam vitæ communis, cuius beneficio cuncto ligante tam facilè à rebus distantibus, & mouetur sensus, & corpus conforme procul patitur à conformi: denique vita mundi communis ita sensum hunc cum hoc sensibili temperat, vt agente sensibili moueatur sensus, & agat, vt & in lyra dum mouetur hæc chorda, statim & contemperata mouetur, & te clamante paries conclamat sic expositus. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 5. cap. 3.*

Spiritus animalis in cerebro, igne & aqua est quasi pariter temperatus, sensibus sic expositus. *Fic. in Prisc. Theophr. c. 44.* Spiritus vitalis in corde igneus est, ex perpetuo cordis motu, & efficacia, & ita talis apparens *idem, ibid.* Spiritus si est vapor quidam sanguinis vt sanguis, & ipse componitur ex quatuor elementis quanquam longè subtilioribus. *ibidem.* Spiritus naturalis in iecore plurimum est aerius concoctioni & generationi prorsus accommodatus. *ibid.*

Spiritus in corde ex subtilissima sanguinis parte creantur. *Fic. in Plat. conuiu. or. 6. cap. 9.* Spiritus vapor vt à corde creatus ex sanguine, ita & ipse per oculos quasi vitreas fenestras similes sibi radios emittit. *idem, ibid. or. 7. c. 4.* Spiritus in adolescentia subtiles & clari sunt, calidi, & dulces, generantur enim è corde ex puriori sanguine, & tales sunt qualis sanguis. *ibid.* Spiritus cùm sit leuissimus, ad altissimas corporis partes euolat, & eius lumē per oculos, cū ipsi perspicui sint, atq; omnium partium nitidissimi, vberius emicat. *ibid.*

Spiritus omnis qui ex sanguine est, cōponēdus est, vt aer ignē sesquitertiā superet, ignis aquam sesquialterā, aqua terram duplā. *Fic. de rep. dial. 8. c. 22.* Spiritum intelligentiæ aptum reddunt renes aridi pinguedinem intimam sugentes. *idem, in Pla. Tim. c. 69.* Spiritus principalibus mēbris insidēt, vitalis in corde, naturalis in iecore, animalis in cerebro. *ibid. cap. 71.*

Spiritus vitalis, & motu cordis dilatante & contrahente est creatus; ideò perpetuo quodam motu reuoluitur, pérque meatus omnes prosilit, atque resilit, & suo motu calorem semper excitat, secúmque per omnia transfert, coquit in stomacho nutrimentum, extenuat, digerit, traducit ad iecur, vbi coquit rursus in sanguinē, deinde coquit rursus sanguinem in venis, coctum transmittit ad membra, ibíque nutrit singula digerendo. *Fic. in Plat. Tim. cap. 80.* Spiritus in venis est naturalis, & in illis est plurimus sanguis, spiritus verò minus. *idem, ibid.* Spiritus vitalis in arteriis est multus, & sanguis paucus. *ibid.* Spiritus transit cum calore per arterias & venas in totum, venas implet sanguine crassiore, arterias subtiliore. *ibid.*

Spirituales circuli in nobis semper duo fiunt, vniuersalis, & particularis: aer enim feruens vnà cum sanguine venis inclusus locum appetit ampliorem, itaque cognatum sibi petens aereum elementum, simúlque versus sphæram ignis sibi conformem vergens, foras semper per totum corpus exhalat. ne igitur corpus vacuum relinquatur, circumfusus aer vicissim vndique nobis illabitur, statimque calefactus iterum rursus exteriora petit, externus vicissim frigidus intima repetit. Particularem verò circulum vicissitudine quadam simili facit anhelitus capiens calidum, frigidum verò respirans, natura interim vbique vacuum declinante. *Fic. in Platonis Timæum, cap. 82.*

Spiritus supremus est qui semper est, fuit, & erit, is est Deus; spiritus sunt infimi bestiarum, qui nec semper fuere, nec erunt, medij duo esse debent qui partem supremi habeant, partem infimorum, hi sunt angeli, & animæ hominum. *Fic. Plat. Theologia lib. 18. cap. 2.* Spiritus talis est qualis est sanguis. *idem, de stud. sanit. tuend. lib. 1. cap. 2.* Spiritus est vapor quidam sanguinis purus, subtilis, calidus, lucidus; & ab ipso cordis calore ex subtiliori sanguine procreatus volat ad cerebrum, ibique animus ipso ad sensus tā interiores quàm exteriores exercendos assiduè vtitur. *ibid.*

Spiritus odore nutriuntur; & Galenus non solùm odore, sed aere opportunè permixto spiritum nutriri putat. *Fic. de vita produc. end. lib. 2. c. 18.* Spiritibus aer nocturnus inimicus est. *idem, de vita cælitus comparanda, lib. 3. cap. 11.* Spiritus naturalis saporibus, vitalis & animalis odoribus, coloribus, figuris, & vocibus mouetur; & animi motus vel lætus, vel mœstus, vel constans spiritum ad suam similitudinem agitat vehementer, animalem primo, per hunc vitalem, per hunc insuper naturalem; & qualis euadit spiritus, talis & affectus animi, & corporis qualitas euadit. *ibid.*

Spiritus

Spiritus noster non solùm cœlestibus per notas rerum qualitates sensibus præparatur, sed etiam per quasdam rebus cœlitus insitas proprietates & sensibus nostris occultas, & vix rationi notas. *Ficin. de vita cælitus comparanda, libr. 3. cap.12.*

Spiritus qui aerius est sanguinis vapor & quasi quidam animæ, corporisque nodus, aeris quoque odoribus, & sonis, & cantibus temperatur & alitur. *Idem, epist. lib. 1.*

Spiritus omnes ad vnum summum spiritum omnia complectentem, & per spiritus sibi subditos corpora viuificantem reducuntur. *ibid. epist. lib. 2.*

Spiritus secundùm diuersas qualitates est instrumentum imaginationis & sensus, & in eo ex actionibus imaginationis & sensus imprimuntur notæ quædam eas repræsentantes. *Fi. in Prif. in Theo de ph. & int cap. 3.*

Spiritu qui viuunt, hi filij Dei sunt, hæredes Dei, cohæredes Christi. *Io. Pic. Mir in Hepta lib.7.cap.7.* Spirituum discretio vera, nonnisi verà humilitate acquiritur. *Io. Fran. Pic. Mir. de prænotione, lib 9. cap.6.*

Spiritus motu cordis perpetuo in sanguinem agitato diffunditur per corpus, & ad altissimas corporis partes vt lucissimas euolat, cuius lumen per oculos, cum ipsi perspicui sint, & omnium partium nitidissimi, vberius emicat *Iacob. Carp. in Alcinoi digress. 7.*

Spiritus omnisqui per nares & per os attrahitur non est necesse ad pulmones deferri, sed huius quandam portionem ad anteriores ventriculos excitari, sicut in fumida odorum exhalatione experimur. *idem, ibid. digr 8.*

Spiritalia ex effectibus ipsorum, qui videntur aut sentiuntur primò, & ex naturalitatque intellectuali affinitate, quam intellectus humanus cum ipsis obtinet, postremò à nobis cognoscuntur. *Leo. Heb. de Amo dial. 1.*

In Spirituum ordine, ac sicte inferior superiorem, cunctique inferiores supremum omnium quam maximè diligere haud immerito existimantur. *ibid dial 2.* Spirituum contractio, etsi tam somno quàm ecstasi amatoriæ communis existit, ad diuersos tamen fines refertur *ibid. dial. 3.*

Splen hepatis gratia factum est, vt eius sordes purgans. *Plato in Timæo.* Splenem machinati sunt dij iecoris gratia vt purget ipsum, & splendidum reddat, vtque putredines, corrodentes, quæ quibusdam morbis circa iecur affluunt, in splenem continuè delabentur. *Alcinous cap.23.*

Splen inter partes principes corporis numerari non potest, sed tantùm destinatur ad recipiendum à iecore melancholicum sanguinem, & excrementum. *Iacob. Carpent. in Alcinoi defensione.*

Splendidus color cum albo congressus, & in abundè nigrum illapsus, cæruleum colorem efficit. *Pla in Timæo.*

Splendorem appellamus motum velociorem, & alterius generis ignis, allabentem, & disparantem visum ad oculos vsque, ipsosque oculorum transitus impellentem, & liquantem, & ignem quidem, & aquam, quam lachrymam appellamus, illinc aceruatim effundentem, quum ipse sit ignis è contrario occurrens, & alio quidem igne exiliente velut à fulgure, alio vero ingresso, & circa humiditatem extincto, dum omnis generis colores in hac mixtura oboriuntur, & quod hanc efficit, clarum & lucidum nominamus; medium verò inter hæc ignis genus est, quod ad oculorum humorem peruenit, & ipsi miscetur, & non resplendes. *Idem, ibi.* Splendorem vocas Orpheus gratiam illam & pulchritudinem animi quæ in veritatis charitate consistit. *Ficin. in Pla. conui. or. 5. cap. 2.*

Sponsalia rata fiunt primùm à patre, deinde ab auo, tertiò à fratribus ex eodem patre; si verò horum nullus supersit, à matre similiter rata habeantur: si verò insolita quædam fortuna acciderit proximi genere vnà cum tutoribus rata illa habeant. *Plato de legibus, dial.6.* Sponsum & sponsam cogitare oportet vt quam pulcherrimos & optimos quoad fieri potest liberos ciuitati exhibeant *Idem, ibid.*

Spurij sunt quorum pater ignoratur. *Iacob. Carpent. in Alcinoi defensione.*

Squalor aliunde non venit, quam sanguinei caloris defectu. *Fi. in Plat. conuiuium, or. 6. cap. 9.*

Stabile quicquam nobis nunquam contingere potest, quod stabilitatem non habet. *Pla. in Ph.*

Stannum Ioui tribuunt alchymici. *Ficin. in Plotini En.2. libr.3. cap.6.*

Stans est cùm aliquid in eodem semper est. *Pla. in Par.*

Status in rebus intelligibilibus est determinatio, atque forma, quibus suam substantiam sortiuntur. *Plotin. En 5 lib.1. cap.7.*

Status diuinis concedendus est, hic de quiete perquirendum est. *idem, En.6 lib.3. cap.27.*

Status est circa rem omnino immobilem. *ibid.*

Status in æternis non est priuatio motus, nam nec ibi fit status cessante motu, vel illa nata sunt ad motum. *ibid.*

Status vsque adeò in rebus necessarius est, vt etiam motus ipse statu non careat. *Fi. Pl. tomo in Theologia, lib. 1 cap 5.*

Stans vt stat per vnitatem & vnitur in statu, ita quod mouetur mouetur propter statum, & stat in motu; mouetur inquam propter statum, id est propter quandam motricis virtutis stabilitatem, quæ nisi in suo vigore maneret non seruaretur ordo vllus in motu, imme nec motus, vel parumper continuaretur & rursus stat in motu, id est in norma perseuerat eadem, vel æquali, vel simili motionis. *idem, ibid.*

Stabili rei succedit proximè res quæ sit per se ipsam mobilis, & huic succedit res per aliud mobilis. *idem, ibid. lib. 4. cap. 1.*

Status motu longè perfectior iudicatur. *Fi. epi. lib.2.* Status & æternitas sunt idem. *idem, ibid.* Stare nil aliud est quàm in eodem permanere *idem, in Pla Par cap.25.* Status ipse nec stat nec mouetur; nec motus ipse mouetur nec stat, *idem, in Pla. soph. cap. 31.* Status ante motum necessarius est, est enim status motu ratione perfectior. *idem, in Pla conui. or. 6 cap.15.*

Status præcedit motum; ideò terra tanquam stabilis, vt vnum aliquod ex primis mundi membris, antiquior videtur etiam stellis, tanquam mobilibus, ac post primas mundi partes adiunctis. *idem, in Pla. Timæum. cap.12.*

Stare nil aliud est quàm vnitatem propriam seruare. *idem, in Plotini En.3. lib 9 cap 4.*

Statua iuxta Trismegisti opinionem ex proprijs mundi materijs certo quodam dæmoni congruentibus ritè composita, statim per dæmonem cõgruum animatur, vel per angelum intellige, vel per impuriorem spiritum afflari solere. *Fic. in Apo.*

Stella.

Stellæ non operantur per voluntatem; ideò solum bonum agunt: nam agentes bonum & malum, agunt per voluntatem. *Arist. Theol. Ægypt lib 6. cap 1.*

Stellam Saturni, vel Iouis, vel Martis esse, non naturę constitutio, sed humana persuasio est. *Macr in som. Scip. lib. 1.*

Stellæ quæ per spatia grandiora discurrunt, ambitum suum tempore prolixiore conficiunt, quæ per angusta breuiores cõstat enim nullam inter ea celerius cæteris tardiusve procedere *idem, ibid.*

Stellæ si sunt animatæ, & consilio agunt, quid à nobis acceperunt vt quotidie nobis noceant? præsertim cùm in sede diuinæ collocatæ sint & ipsa diuina: non enim illis hæc accidunt, quorum causa homines mali fiunt, nec ea humana prosperitate, vel aduersitate boni quicquam, vel mali illis accidit. *Plo. En.2. lib. 3. cap. 2.*

Stellæ si animâ careant, nil aliud præter caliditatem, & frigiditatem, atque similia quædam adducere poterunt, si modò stellas alias esse frigidas concesserimus, & usque ad nostrorum corporum naturam tantùm actiones suas, & munere propagabunt, cùm corporeus impulsus in nos inde proueniat, adeò vt etiam neque multa inde corporum vniuersitas accidat, quandoquidem defluxus idem sit singulorum, & in terra simul in vnum commisceantur, vbi solùm pro locorum varietate diuersitas orietur, diuersitatem nacta ex eo quod aut propinquius, aut remotius exponatur ad influxum capiendum. *Plo. En.2. lib 3. cap.2.*

Stellæ futura protendunt, quia omnia certo quodam ordine procedunt. *Plo. En 2. lib.3 cap. 7.*

Stellæ quæ inferioribus insunt sphæris, & quæ in suprema micant, cur dij non sint, excogitari non potest, quippe cùm mirabili ordine perferantur, & præcipuo ornatu circumcursant. *idem, En.2. lib 3. cap. 8.*

Stellæ nunquam nec locorum, nec temporum memoriam retinent cùm semper circa eundem locum perpetuò reuoluuntur, adeò vt earum motio non tam localis quàm vitalis esse videatur. *Plo. En.4 lib.4. cap. 8.*

Stellis memoriam diximus esse superuacuam, dedimus sensus & non solum visum, sed & auditum, & preces exaudire concessimus, quas ad solem dirigimus, alij verò quidam ad alias quoque stellas. *idem, ibid. cap 30.*

Stellarum electioni, & consilio, & vniuersæ sententiæ non sunt attribuenda singula, quæ singulis inferioribus accidunt; nefas enim est dicere superos machinari erga homines, & quo pacto alij fures fiant alij è liberis serui, muros suffodiant, sacrilegia patrent, alij illiberales, & timidi, & in actionibus, & passionibus muliebres, morbisque turpibus deditissimi: talia committere, & machinari, non solùm non est Deorum, sed nec hominum mediocriter modestorum. *Plo. En. 4. lib. 4. cap. 31.*

Stellis non opus est memoria, nec sensibus, nec voto anaununta

vt deliberando, sed & vna cum voto & sine voto ab ipsis aliquid efficitur. *idem, ibid. cap. 42.*

Stellæ quòd alios poetas, alios citharœdos, alios diuites, alios pauperes faciant, non video, & vt talem fratrem, patrem, filium, aut vxorem habeas, & quòd prosperæ res succedant, sis exercitus dux, & princeps euadas. *Plot. En. 2. lib. 3. cap. 2.* Stellam fieri alterius naturæ eo quòd sub alia cœli portiuncula transit, ridiculum est. *idem, ibid.*

Stellarum ortum variè appellant: primò propriè prima stellarum & Solis effusio, & vltra finalem circulum, quam poetæ appellant auroram: secunda cùm stella oritur in Solis radijs, tertia cum Sole occidente astrum diametro distans in parte orientis videtur. Similiter & occasus primò descensus intra circulum limitantem, secundò & prima abeuntis stellæ obscuratio Sole obumbrante, tertia cum Sole occidente diametro distans mergitur stella. *Chalc. in Plat. Tim.*

Stellarum ortus & occasus alij matutini alij vespertini dicuntur: matutinus ortus, cùm ante Solem stella oritur, vespertinus cùm post occasum Solis astrum exoritur: & sic occasus matutinus cum stella quæ pridie ante Solem orta erat obscurata splendore Solis latet; vespertinus verò in occasu positam stellam Sol consequutus eam corusco splendore condit. *Chalcidius in Platonis Tim.* Stellam quam vocant Aac prophetæ Ægyptiorum aliquot annis non visam verentur, quæ exoticos morbos populorum multorúmque optimatum mortem denunciat. *idem, ibid.*

Stellarum coniugatio duplex, altera per catæcum, altera per diametrum; quæ per catæcum fit significat quales stellæ qualibus coeant, quæue sit earum cœtus significatio: quæ per diametrum, contra distantium à se stellarum positionem intelligi vult, cùm ex medietate stellæ ad alterius contrapositæ stellæ medietatem directa linea connectit, & continuat vtramque. *Chalcidius in Plat. Tim.*

Stellæ non faciunt quæ proueniunt, sed futura prænunciant. *idem, ibid.*

Stellas Deus ipse & astra molitus est, quæ non vagantur ad cœli & noctis ornatum, quarum multitudo innumerata est: quæ vagantur, septem numero sunt ad numeri & temporis originem, & ad rerum omnium illustrationem. *Alcin. c. 14.* Stellarum vagantium non est omnium eadem vis; Sol est dux omnium reliquorum, illuminans, & oculis patefaciens vniuersa; Luna potestatis gratia secundum obtinet ordinē, reliqui Planetæ secundum proportionem pro sorte propria singulis. *idem, ibid.*

Stellæ non solùm factæ sunt ad lucem, sed etiam vt futura præsignificent: aut enim exortu, occasu, deliquióve, aut emersione, occultationéve, aut alia motuum differentia homines præsagiunt. *Philo de mundi opificio.* Stella nulla naturales in nobis vires, imò & omnes magis quàm Iupiter fouet & corroborat, & nulla maiora pollicetur, & plura. *Ficin. de vita cœlit. comparanda, lib. 3. cap. 6.*

Stellæ fixæ si solæ spectent humanam proportionem, id est vnius hominis, nimis exuperant, sed cum ciuitatibus moderatiorem proportionem habent. *Fic. de vita cœlit. comparand. lib. 3. c. 7.* Stellæ virtutem docet Thebit capere, si lapidem & eius herbam acceperis, & annulum aureum, vel argenteum feceris in quo lapidem inferas, herbáque subiecta geras tangentem. *idem, ibid. cap. 8.*

Stellas omnia necessariò facere qui affirmant, tribus potissimùm perniciosis erroribus & ipsi inuoluuntur & vulgus inuoluunt: nam & summo, & omnipotenti Deo quantum in eis est propriam rerum auferunt prouidentiam, & absolutum mundi totius imperium: angelis, qui ita apud illos mouent cœlestia, vt omnia inde hominum scelera, omnia mala bonis, omnia bona malis proueniant, iustitiam adimunt: hominibus, qui non minus quàm bestiæ, vt illis videtur, huc & illuc impelluntur, auferunt libertatem, omnique priuant tranquillitate. *Fic. epist. lib. 4.*

Stellæ & hominum mentes iis tantùm aduersæ sunt qui hæc peruersa mente interpretantur. *Ficinus epistolar. lib. 3.* Stellarum effectus ex diuersa materiæ mobilis dispositione sæpius apud nos permutantur. *idem, epist. lib. 7.* Stellæ omnes ab initio exiguum lumen attulerunt vel nobis occultum: Sol similiter: sed præter proprium illud natiuúmque lumen, vt ita loquar, obscurum statim aliud hoc oculis patentissimum lumen diuinitus est adhibitum, tanquam expressior quædam intelligentiæ diuinæ & largissimæ bonitatis imago. *idem, de Sole, cap. 11.* Stellæ superiores vt immutabiliter illuminantur à Sole, & Luna mutabiliter inde lumen accipit, ita & angeli à Deo immobiliter, animæ mobiliter illustrantur. *ibid.*

Stella vnaquæque aliarū in se nōnihil possidet, & superior in inferiorem radios abundè proiicit, & quæ inuicem cognatæ coniectis radijs mutuantur virtutes, & interim vnaquæque conseruat sub Solem proprietatem suam, & superiores inferiores quodammodo purgant, illuminant, & perficiunt: purgant, dum à defectu luminis arcent, illuminãt dum proprio lumine complēt, perficiunt denique quatenus sui quoque muneris largiuntur effectum, & cunctæ in Solem affectus coniiciunt. *Fic. in Dion. Areopag. de diuin. nom.*

Stellę omnes habent à Sole tum naturam stellarem, tum etiam ordinem inuicem & ad Solem, illinc enim & mutuam inter se communionem habent in eodem lumine Solis, & distinctionem illam, qua variæ stellæ sub radijs varij Solis varias sunt nactæ virtutes. *idem, ibidem.*

Stellæ appellantur Dij sequentes. *Fic. in Protagoram.* Stellis singulis singulos ordines animarum Deus accommodat & adhibet vehicula, id est ętherea corpora, & docet fatales leges, dum animabus infundit formulas idearum, per quas animæ in se quandoque conuersæ rationes rerum agnoscere possint. *idem, in Plat. Tim. cap. 18.* Stellæ fixæ dum mouentur ad occasum quasi motum naturalem, dicuntur ante procedere, planetæ contra cum feruntur ad ortum, ante mouentur. *idem, ibid. cap. 22.*

Stellæ dicuntur trahi ad anteriora, quia trahuntur à Sphæra, reliquos quinque motus non habent. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 22.* Stellæ sunt dij cœlestes ex igne cœlesti plurimum constituti, ex aere quoque, & aqua, terráque cœlesti. *idem, ibid. cap. 21.*

Stellæ quæ dicuntur fixæ positæ sunt in firmamento, eiúsque vniformi circuitu, quo refertur intelligentia: hæ simul, ac planetæ, & horum pedissequa cœlestia numina cœlestes dij vocantur. *ibid.*

Stella quælibet per ipsum in suo centro circuitum imitatur actionem animæ suæ circa mentem suam, per tractum verò sphæræ actionem eiusdem circa mentem superiorem, & vt de eisdem semper eadem cogitant, sic eodem semper tenore voluuntur. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 22.* Stellæ multa significant, quæ ipsæ non efficiunt prorsus. *Idem, ibid.* Stellam, nomine Ach, Ægyptij aliquot annis non visam verentur similiter Selechim caniculam Orionis interpositis temporibus apparentem *ibid.*

Stellæ aliter & aliter quòd fulgeant, non alia & alia mixtione contingit, vt in coloribus nostris accidere solet, sed proprijs quibusdam raritatis, densitatis, & dilatationis gradibus. *Ficin. in Plotin. En. 2. lib. 1. cap. 7.* Stellarum influxus naturæ duntaxat tanquam nimis vniuersales, neque cœlestium inter se habitudines, vt mobilissimæ, & communes singula hæc propriè faciunt, sed interdum fortè significant, & id ita vt ex iudicijs valdè communibus, atque confusis coniectura sit fallax & iudicium contingat incertum. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. in lib. summ.*

Stellarum radij nec corpora sunt vt liquores, nec qualitates in corporibus, vt naturę liquorum, sed actus quidam stellarum vitales, & sensuales, ceu visibiles quidam radij ex stellis, vt ex Argi cœlestis oculis emicantes, & conspicientes mirabiliter omnia, qui in nullo foris subiecto qualitatum more suscipiuntur, ideóque nec inficiuntur, neç è priori habitu permutantur. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 1.* Stellarum radij passim diffusi qualitates proprias procreant, vt ex lumine calor, easque in vnam in subiecto redigunt formam. *Idem, ibidem.*

Stellæ omnes & rebus infimis longè segregatæ sunt, & inter se valde diuersæ, & quidquid inde huc usque diffunditur, accidens esse videtur: & quoniam ad generandam apud nos substantiam substantiali opus est causa, & ad perfectè generandam causa proxima, & ad vnam viuente & ad cōciliandam in vnum agentia inter se diuersa duce communi, nimirum existimamus vitam vnam vbique regnare, præcipuè facientem omnia, atque ad id cœlestibus, & terrenis instrumentis vtentem. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 2.*

Stellæ omnes communi conditione calefaciunt, & ratione propria quæ humefacit, & quæ rarefacit, humefacit semper, vel rarefacit, quamuis quidquid inde vel communi, vel propria sit ratione magis minúsque alibi fiat, & alibi: non alia igitur varietas prouenit, quàm in quibusdam materiæ qualitatibus accidentalibúsque duntaxat, & gradibus accidentium: varietas autem figurarum, & specialium formarum, atque virtutum non erit præcipuè ex naturali intentione cœlestium, sed quantum ad illa pertinet casu continget, aut saltem dabitur aliunde. *Ficin. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 2.*

Stellæ omnes vbique calefaciunt non solùm motu, sed etiam naturâ, & præcipuè luminis naturâ. *Ficin in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 6.* Stellæ nec consilio terrenis minima quæque disponunt, alioqui tantâ forent solicitudine miseriæ, neque naturali conditione ad distinctissima quæque descendunt,

Idem, ibid. Stellas nemo audeat confiteri, vel solas omnia, vel facere mala. *ibid.*

Stellæ omnes, quæ nobis innomerabiles sunt, ad affectū quemlibet conferunt nonnihil, & ex eorum confluxu commune aliquid, & id quidem per naturalia & materiam conficitur: at Astrologi stellas tantum 1025. & duas & ad summum super 1476 duntaxat obseruant, ideò causas non perfectè callent. *Ficin. in Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 7.* Stellæ diuinæ prouidentiæ legi ad tria seruire videntur, primò vniuersum hoc pulchrum efficiunt, secundò defectus conferunt naturales, quos stellarum radijs manifestè souari videmus, tertiò dæmonibus, hominibúsque dæmonicis signa futurorum latentiúmque indicia præstant *idem, ibidem cap. 8.*

Stellę non omnia facere possunt, sed solùm quæ mundani corporis sunt passiones, & motus, & quæ ex his necessariò generantur. *Ficin. in Plot. En. 2 lib. 3 cap. 10.*

Stellis Iamblichos, & Porphyrius vnà cū Plotino voluntatem, electionémque collocant, electionem inquam non ab inferioribus persuasam, sed ex se ipsa ab æuo constituentem imitari quidem summum Deum, & sequentibus omnibus prouidere, exaudire supplicum preces intellectuali vita imitantium intellectuales mundi rectores, & vltra intellectualia corporelia bona referunt, & mala imminentia deuitant *idem, in Plot. En 4. lib. 4. cap. 42.*

Stellarum actio in nos per motum differt ab ea quæ fit per lumen, illius virtus à mouente magis fit anima quam à moto corpore, huius ab ipso corpore Planetæ, illa sphærarum potius quàm astrorum, hæc astrorum potius quam sphærarum; in illa dependent à superioribus inferiora, de lumine contra putatur, nam à Sole illuminantur. Plus item nos mouent altiora, quando in illorum virtute cætera mouentur, sed luminis ut reliqua sint peria propinquior potentior est influentia: vnde patet quod à philosophis dicitur esse ordinem causarum quasi cathenam. *Ia. Pic. Mirandul. in Astralog. lib. 3. cap. 10.*

Stellæ omnes aliquid in nos fluent. *Ia. Pic. Mir. in Astro. lib. 3. cap. 11.* Stelles non mutare qualitatem, sed locum præter Lonam, quæ lumine fulgens mutuatitio pro suis ad Solem conuersionibus plus minus itidem illuminatur, Peripateticorum est opinio. *idem, ibid.*

Stellarum opera tardi motus quo tardiora sunt, eo diuturniora, decratū est Astrologorum: ergo sequeretur bilem quæ per Astrologos è Marte prouenit diuturniorem pituitā quę à Luna, cum Mars tardior in motu sit Lunâ, quod falsum est. *ibid. cap. 17.*

Stellæ erraticæ per Zodiacum cùm non deferontur æquali cursu, Astrologi fictum motum medium imaginati sunt, nec vnquam Planeta est ibi, vbi per medium motum esse deprehenditur vt verum locum inde inueniant; at Astrologi cùm in coniunctionibus magnis medio vtantur motu, nihil veri inde elicere possunt, & diuersum ab eo quod per verum attingimus, vt signum sit aliud coniunctionis, vt verbi gratiâ in Piscibus si assignetur, erit in Aquario. *Ia. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 5. cap. 6.*

Stellam à stella lædi vel obsideri, vel infici, vel debiliorem deterioremve reddi, ex benefica noxiam, ex potente infimam fieri, tam est remotum ab omni veritate, quàm ab omni malo remota est omnis natura cœlestium: & si pati interiam sidera possunt, à debilioribus fortiora, ab ignobilioribus nobiliora pati non deberent. *Io. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 6. cap. 5.*

Stellæ cum innumerabiles in octaua sphæra sint Astrologi solum vtūtur 1022 cui difficultati respondentes erunt cæteras inefficaces esse: at si non obseruauerunt, quomodo sciunt inefficaces sint, vel ne? *Idem, ibid. lib. 7. cap. 8.*

Stellæ de quibus imagines fabricantur, etsi veræ, & naturales sunt, ipse tamen de stellis imaginum constitutio nec vera, nec naturalis est, sed falsa, & pro libidine fabricantium penitus imaginaria, & sine aliqua specie probabilitatis *Ia. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 8. cap. 5.* Stellarum motus an sciri possit nescio, nōdum esse scitum certissimè teneo, ait in principio sui libri Andreas Summarius grauis mathematicus. *idem, ibid. lib. 9. cap. 8.*

Stellarum fixarum motus quis fideliter reddet, quibus inesse magnam vim omnis Astrologia fatetur? sed diuerse sentiūt Astrologi: nam Ægyptij & Chaldæi, denique vetus omnis sententia stellas errantes vno tantùm moueri moto putant, diurno vocato; Hypparchus vnum introduxit quo raperentur ab occidente in orientem; contra Proclus ait non moueri nisi vno motu, diurno scilicet; Thebit ait moueri versus austrum & aquilonem, & de tempore variè varia digladiantur inuicem: super quibus etsi nihil ego definio, hoc vnum tamen elicio nihil certi definiri posse. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol. lib. 9. cap. 11.*

Stellarum naturam ratio nobis non demonstrat, igitur nec signorum cum sideribus affinitatem. *Io. Pic. Mir. in Astrolog. lib. 10. cap. 9.* Stellis malis solēt astrologi associare ea quæ naturæ eorum dissentiant, vt contrarij natura temperetur planeta malus. *idem, ibid.* Stellam nullam frigoris & siccitatis esse productricem philosophi multi testantur. *ibidem, cap. 13.*

Stili nullam in meo animo formam, nullum dicendi simulachrum antea inspexi, quam mihi ipse mente, & cogitatione legendis veterum libris, multorum annorum spacio multis laboribus, ac longuo vsu exercitationeque confecerim, ad quod nunc, cum aliquid scribendum est, me conuerto, videoque quasi oculis, sic cogitatione, quæ conficiendo scripto opus sunt vnde sumam. *Petr. Bemb. de imitatio. ad Picum.*

Stellarum defluentia ad intraneum non perueniunt sensorium, ni exteriores sensus, quasi fores quæpiam, reserati per vigiliam fuerint, & oculi potissimum ad quos lucis pertinet haustus. *Io. Fran. Pic. Mir. in pranot. lib. 1. cap. 5.*

Stella quod promisit firmus consensus est Hebræorum & Arabum posse non euenire, & ob materiæ contumaciam, & ob humanum arbitrium, & ob vniuersalis fati vim particularis fati promissa frustrantis, & ob diuinam prouidentiam, quæ scilicet fato præponderet. *idem, de pranot. lib. 5. cap. 11.*

Stellas figura sphærica esse Arist. voluit, naturam quinti corporis habere; Heraclitus in scaphæ speciem formatum Solem maluit & Lunam; nec defuere qui curruli rotæ similes fecerint, Anaximenes latum esse Solem veluti aulea quædam, alij Lunam cylindri formâ conditam statuunt: maluit Diogenes esse hederaceæ frondis specie: Philolaus Pythagoricus crystallinam esse, ex igne tamen qui in vniuerso est sumere splēdorem: Solem & Lunam existimauit Plato plurimum ignis habere, nec esse aliorum elementorum expertia. *Io. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 1. cap. 12.*

Stellarum obseruationes rectè fieri non posse non modò in causa sunt instrumenta, sed etiam lux stellarum. *idem, ibidem, lib. 3. cap. 8.*

Stellæ omnes intelligentia non solùm assistente, vt placet Peripateticis, præditæ sunt, sed etiam informante, & cuiusque stellæ essentiam constituente, & perficiente, eo modo quo nos perficit nostra anima, quæ intelligendi, & ratiocinandi facultate prædita est *Iac. Carp. in Alcin. cap. 12.*

Stellæ octaui orbis non secus ac membra homogenea, septem autem planetæ haud aliter quàm membra eterogenea ad rores & pluuias conficiendas, quasi ad mundani seminis procreationem concurrunt. *Leo. Heb. de am. dial. 2.*

Stellæ ex Aristotelis sententia est pars densior sui orbis. *idem, ibidem.*

Stereometria, quæ solidorum est dimensio, quammaximè vtilis est ad bonum ipsum percipiendum, nam post secundam augmentationem sequitur eius consideratio, tertiò suscipiens augmentum. *Alcin. cap. 7.*

Stesichorus propterea quod in cupidinis iram incurrisset, oculorum lumine amisso mox cum Deo recōciliatus visum iterum recepit. *Leo Heb. de am. dial. 3.*

Studiorum finem qui posuerant aut lucri cupidinem, aut gloriam, miserè falluntur. *Ioan. Pic. Mirandul. de stud. philosoph. lib. 1. cap. 8.*

Styx, Cocytusque respondet terræ, ac occasui, odiumque per luctum, ac fletum ponunt; & in hoc differunt, quod Styx exoriens dicitur, cocitúsque progrediens. *Ficin. in Phadone.*

Stoici.

Stoici animum spiritum esse aiunt, nam eodem respiramus, & viuimus. *Chalc. in Tim. Platon.*

Stoici impiè nullam diuinam virtutem corpore carentem intelligere potuerunt cunctis corporibus vel seminibus efficaciorem, Deum putantes primam materiam esse, vel primæ materiæ qualitatem inseparabilem, & omnium quæ nascuntur tam originem quàm etiam causam, tum malorum, tum turpitudinis, tum obscœnitatis, & omnia agere & pati pudenda *idem, ibid.*

Stoici diuinitatem eminentiâ, & sinceritate priuauerunt, prouidere enim illam & agere putauerunt, per mūdum vsquequaque diffusam; & instar spiritus ignei discurrentem. *Fic. in Plato. Parmenidem, cap. 28.*

Stoici circa virtutem versati, non delectati sunt impensius logica facultate; sed inter ipsos varij fuere: nam alij in omni verbo ambiguitatem esse putarunt, alij nullo etiam in verbo ambiguitatem inueniri putarunt. Eorum proprietas erat breuiter argumenta perstringere contortiúsque concludere. *Ioan. Francisc. Pic. Mirandul. in exam. van. doct. gen. lib. 1. cap. 6.*

Stoici in multis partibus Platonis doctrinam sequuti sunt. *Iac. Carp. in Alci. par. poster. cap. 20.*

Stoici asserebant animam in varia migrantem corpora, tan-

dem cum aliquo corpore interire. *Ficinus in Plat. Phad.*

Stomachum curare debemus bis in die sumendo cibum, ita vt famem cibus, sitim potus expectet; auiditas vtriusque supersit mensæ; fastidium & saturitas procul absint: abstinendum ab his quæ ob nimiam humiditatem, vel virulentam & vnctam, & viscosam materiam stomachum relaxando debilitant, vel frigida, vel calidissima sunt, aut propter duritiem ægrè coquuntur, & quæ diu post mensam palato saporem reddant molestiorem, & ab omnibus quæ vel extra aluum, vel in aluo facilè putrescunt. Stomacho amicissima sunt mastix, mētha sicca, saluia recens, vuæ passulæ, cidonia poma cocta condita saccaro, cicorea, rosa, corallus, lotus capparis aceto conditus, mala punica sapore medio inter acidum & dulcem, & omnino quæ moderatè acida sunt, & modicum austera, vinum rubeum potiùs quàm album. Liquidiores epulæ prius sumendæ quàm duriores. Post cibum confer coriandrum, pomum cidonium saccaro conditum, mala punica, pira austera, mespila persica sicca. Fouendus stomachus extrinsecus mastice, rose, mentha, & corallo. Quatuor horis post cibum nec legendum, nec difficilibus cogitationibus scribendum est. *Ficin. de studiof. sanit. tuend. lib 1. cap. 18.*

Stomacho laborantibus meridie non est dormiendum nisi maxima rogat necessitas, & id non prius nisi postquam duas hores vigilauerimus, nocte, sumptâ cœnâ hora vna vigiliæ sat est. Coitus stomacho pessimus, præsertim si vel saturo statim, vel esuriente concumbas. Sumpto cibo modicè deambulandum, mox sedendum. *Fic. de stud. san. tuenda, lib. 1. c. 11.* Stomachi nauseam tollit diacytonites, & vsus capparis cum aceto, & potus modicus ieiuno stomacho albi aceti rosacei si duplo saccari pondere misceatur, & syrupus menthæ & absinthij, & mentha vel aceto condite, vel acido mali punici succo dilute, & rigete. *idem, ibid. c. 17.*

Studio in omni multi viles sunt, præstantes pauci. *Plat. in Euthyd.* Studium omne non propter hæc adhibetur, quæ alicuius gratiâ parantur, sed propter illud cuius gratia omnia huiusremodi parantur. *in Lyside.* Studium vile & vulgare esset si ob aliquo redargueretur. *de Pulchre.*

Studiis contrariis qui tenentur, non hebent in pretio studia optima. *Plat. de repub. dial. 6.* Studia in nobis duo sunt, alia de iustis & pulchris in quibus nutriti sumus à parentibus, vt ipsis obediamus, ipsáque honoremus: & alia contraria his voluptates afferentia quæ animæ nostræ adulantur & ad seipse trahunt. *de repub. dial. 7.* Studio aliquarum rerum qui tenentur, non debent contentiosè decertare, sed placidè interrogare. *de legibus, dial. 1.*

Studiorum honestorum neglectio duabus fit causis: primò quia præ diuitiarum amore nihil temporis ad alia curanda impendimus, sed in priuetis opibus augendis toti occupati sumus, ex quibus dependens totus ciuis animus aliarum rerum curam gerere nequit: alia causa est, quòd respublicæ omnes populare dominium, paucorum principatus & tyrannis non respublicæ, sed seditiones appellari rectissimè possunt: nulla enim volentibus volens, sed inuitis volens vi quadam dominatur: at vbi princeps subditum timet, neque bonum, neque diuitem, neque robustum, neque fortem, neque omnino bellicosum vnquam fieri permittet: quas ambas causas respublica nostra facilè excitabit, nam & in otio maximo degent, & liberi sunt, & ex his legibus pecuniarum non cuedent studiosi. *Plat. de legib. dial. 8.*

Studiosi maximam curam habere debent cerebri, cordis, iecinoris, & stomachi, necnon & instrumenti, id est spiritus *Fic. de studiof. san. tuen. lib. 1. c. 2.* Studiosorum nouem sunt duces, tres in cœlo, tres in animo, tres in terre; in cœlo Mercurius, Phœbus, & Venus; in animo voluntas ardens, & stabilis, acumen ingenij, memoria tenax; in terra prudentissimus paterfamilias, præceptor probatissimus, medicus peritissimus: sine quibus nemo nec potest, nec poterit ad ipsum nouem muserum templum peruenire. *idem, ibid.* Studiosis non solùm cerebrum, cor, iecur, & stomachus, & spiritus curæ esse debent, sed etiam vitare debent pituitam, & atram bilem: nam illa ingenium sæpe obtundit, & suffocat; hæc si nimium abundauerit assiduâ curâ & deliramentis crebris vexat, & animum & iudicium perturbat. *ibid. c. 3.*

Studiosi vt fiat melancholici tres potissimùm causarum species faciunt; prima cœlestis, secunda naturalis, tertia est humana: prima, quoniam Mercurius, qui vt doctrinas inuestigemus inuitat, & Saturnus qui efficit vt in doctrinis inuestigandis perseueremus, & inuentas seruemus, frigidi quodammodo sunt & sicci, & si Mercurius non sit frigidus, fit tamen sæpe Solis propinquitate siccissimus, qualis est nature apud medicos melancholica: eandem naturem Saturnus & Mercurius literarum studiosis eorum sectatoribus impertiunt ab initio, & quotidie seruant & augent. Secunda est quod ad scientias præsertim difficiles consequēdas necesse est animum ab externis ad interna se recipere tanquam in centru, & figi lo centro terræ est proprium, cui atra bilis persimilis est. Humana verò causa ea nobis est, quia frequens agitatio cerebri vehementer exsiccat, vnde cerebri natura sicca fit, & melancholica: nec non ob frequentissimum inquisitionis motum spiritus resoluuntur, qui resoluti cùm ex sanguine subtiliori recreentur, necessariò reliquus sanguis redditur siccus densus & ater; & accedit quod natura cerebro & cordi intenta destituit iecur & stomachus, ideò alimentis non probè concoctis sanguis fit frigidus, & crassus, & niger, & nimio membrorum otio superflua non secernuntur, nec fusci & tenaces vapores exhalant. *Fic. de stud. sanit. tuen. lib. 1. c. 4.*

Studiosorum maximè omnium hi atra bile premuntur, qui philosophiæ operam dant. *Ficin. de studiof. sanit. tuenda, lib. 1. cap. 4.*

Studiosi studere debent ante Solis ortum, quia mouetur sanguis, & regnat, motúque tenuatur, & calescit, & claret; spiritus sanguinem sequi & imitari solet: sed accedente nocte humores crassiores redduntur, qui spiritus ineptissimos ad speculandum reddunt. *idem, ibid. cap. 7.*

Studiosi studere debent ante Solis ortum, quia oriente Sole aer tenuatur & claret, occidente contra; & spiritus & sanguis aeris naturam sequuntur. *ibid.*

Studiosi studere debent ante Solis ortum: quia cùm Sol, Venus, & Mercurius contemplationi faueant, paribúsque passibus quasi concurrant, aduentante nocte nos fugiunt, die vel propinquante, vel surgente resurgunt, & post Solis ortum in plagam duodecimam, quæ tenebris assignatur, domum intrant: sed qui propemodum petentibus ortum, vel iam surgentibus ad contemplationem & scribendum surgunt, ij soli accuratissimè speculantur, & eloquentissimè inuenta sua scribunt & componunt. *Fic. de stud. san. tuen. lib. 1. cap. 7*

Studiosis secundum monstrum est vini, cibique satietas: nam vinum si nimium vel nimis calidum & vehemens fuerit, caput humoribus pessimis & fumis implet: mitto quod insanos facit ebrietas, cibus nimius omnem naturæ vim in coquendo reuocat, quo fit vt capiti & speculationi intendere nequeat, & ineptè coctus multis & crassis vaporibus humoribúsque aciem mentis obtundit: & si satis coquatur, vt Galenus ait, animus adipe, & sanguine suffocatus cœleste aliquid prouidere nequit. *Ficinus, de studiof. sanitat. tuenda, lib. 1. cap. 7.*

Studiosis primum monstrum est Venereus coitus, præsertim si vel paululum vires excesserit: subitò exhaurit spiritus, præsertim subtiliores, cerebrum debilitat, labefactet stomachum, & præcordia, quo malo nihil ingenio aduersius esse potest. *Fic. de stud. san. tuen. lib. 1. cap. 7.*

Studiosi studere debent ante Solis ortum; quia die spiritus attenuati resoluuntur, nocte pauci, & crassi supersunt studiis ineptissimi: contra, post somnum spiritibus recreatis cerebro seruire possunt. *idem, ibid.*

Studiosi summo mane surgere debent: & vt eruditatem vitent cœnâ modica & citâ vtendum est. *ibid.*

Studiosi studere debent ante Solis ortum quia phantasie molitie, longis, contrariis imaginibus in vigilando, cogitationibus, & curis distrahitur & turbatur, & sola nocturna quiete agitatio illa sedatur & pacatur: ergo accedente nocte semper turbatâ mente, recedente, mente tranquilla ad studia nos conferimus. *Ficin. de studiof. san. tuenda, lib. 1. c. 7.*

Studiosi studere debent ante Solis ortum, quia dies vigiliæ, nox somno tributa est: Sol enim super hemisphærium nostrum ascendens, vel cùm ad illud accedit, radiis suis meatus corporis aperit. *idem, ibid.*

Studiosi studere debent ante Solis ortum, quia stomachus diurna diurni aeris actione apertis poris adhuc dum dilatetur, & euolantibus spiritibus tandem valde debilitatur: igitur veniente nocte nouam spirituum copiam exigit, qua foueatur, & si eo tempore longas lucubrationes quis inchoet, spiritus distrahit, qui nec satis sunt stomacho, nec capiti sufficiunt, & maximè nocet si post cœnam lucubrantes diu attentius studiis incumbimus, tunc enim pluribus ad concoquendum spiritibus indiget stomachus, qui nec sufficiunt stomacho, nec cerebro. *Ficinus de studiof. sanitat. tuenda, lib. 1. c. 7.*

Studiosi si sua componere debent, id Sole nona domo peragrante facere debent, præcipuè si musæ quærendæ sunt. *ibid. cap. 8.*

Studiosi studere incipere debent vel statim oriente Sole, vel hora vna saltem vel duabus ad summum ante Solis exortum, sed

tum ſed antequam è lecto ſurgas, perfriga parum per totũ corpus primò palmis, deinde caput vnguibus, ſed id paulò leuius: & horæ dimidiam poſtquam è lecto ſurrexeris incũbas eapurgationibus, deinde accingitur meditatiem, quam ad horam vnam pro viribus protogabis: deinde remittes parum per intentionem mentis, & eburnen pectine diligẽter & moderate caput pectes, à frante ceruicem verſos quadragies pectine ducto, tum ceruicem panno aſperieri perfriça, deiode vnam boram ad minus, vel duas ſtudin dedica & produci ſtudia poſſunt vſque ad horam meridianam aliquania interdum intermiſſione, & interdum niſi cibum aſſumere cogamur vſque ad duas horas poſt meridiem, ſed qualibet hora pauliſper remittenda eſt mentis intentio. *Fic. de ſtud ſan. tuen. lib. 1. cap. 8.*

Studia quærenda ſunt, quæ Dei amorem in noſtris viſceribus inſerunt. *Io. Fran. Pic. Mir. hep. lib. 2.*

Stultitiæ notam incurrunt, qui maiora quàm pro ingenio ſuo cupiunt, quia omnis eorum conatus euaneſcit. *Phi. de profug.*

Stultitia nil aliud eſt quàm indicij deprauatio. Quis negabit ſtultos homines qui aliena curant & ſua negligant? *Fic. epiſt. lib. 1.*

Sua agere iucundiſſimum eſt. *Plat. epiſt. 9.* Sua cuique maximè placent, ſua magis ſunt quæ antiquiſſima. *Fic. in Syn. de ſomnus.*

Suauitatem ſuauiorem reddit diuturnior expectatio. *Fic. in epiſt lib. 1.*

Subditorum querelæ non ſunt contemnendæ. *Fra. Pat. de rep. lib. 6. cap. 5.*

Subiectum ad aliquid pertinet, non ad illud quod ſit in ipſo, ſed potius ad illud quod in ipſum agas expoſitum. ſane ſubiectum exponiter ad illud quod non eſt ſubiectum, igitur ad externum. *Plot. En. 6. lib. 1. cap. 27.*

Subiecto quod indiget, & in alio eſt ſui ipſius progenerans nũquam eſt. *Proc. elem. Theo. prop. 41.*

In Subiecti participantibus quæcunque habent rationem, ex perfectioribus procedunt & vniuerſalioribus cauſis. *idem, ibid. prop. 72.*

Sub Luna ſunt corpora, naturæ, animæ, intellectus, Saturnus regit intelligentias, Rhea animas, Iupiter naturas, Phorcys corpora, Iuno motus corporum. *Fic. in Plat. Tim. cap. 23.*

Sublunaria non ſunt omni ex parte beata, cùm natura non vni tantùm, ſed multis ſua munera diſtribuat, & ſuas virtutes elargiatur. *Io. Fra. Pic. Mir. de vnitat.*

Subſiſtens per ſe omne ad ſeipſum eſt conuerſiuum. *Proc. elem. Theol. prop. 42.*

Subſiſtens omne per ſe ingenitum eſt. *idem, ibid. prop. 45.* Subſiſtens per ſe omne impartibile eſt & ſimplex. *idem, ibid. prop. 47.*

Subſiſtens omne per ſe æternum eſt. *ibid. prop. 49.* Subſiſtẽtibus omnibus ex termino & infinito præexiſtunt per ſe primus terminus & prima infinitas. *ibid. prop. 90.*

Subſtans per ſe omne exemplum eſt alius, quæ tempore mẽſurantur ſecundùm eſſentiam. *Proc. elem. Theol. prop. 51.*

Subſtans omne per tempus vel æterno tempore eſt, vel aliquando in parte temporis ſubſiſtentiam habens. *idem, ibid. prop. 56.* Subſtans quomodocunque omne. vel ſecundùm cauſam eſt primariò, vel ſecundùm exiſtentiam, vel ſecundùm paticipationem vt imago. *idem, ibid. prop. 65.*

Subſtantia.

Subſtantiæ vnitæ intellectuales non ſunt generatæ ex re alia alioqui eſſent diminutæ. *Ariſt. de cauſis. prop. 25. cap. 3.*

Subſtantia omnis ſtans per ſeipſam eſt non cadens ſub corruptione, alioqui eſſet ſine eſſentia ſua. *Idem, ibi.* Subſtantia omnis deſtructibilis non ſempiterna, aut eſt compoſita aut delata ſuper aliam rem, quia ſubſtantia aut eſt indigens rebus ex quibus eſt & eſt compoſita ex eis, aut eſt indigens fixione ſua, & eſſentia ſua deferente. *ibid. prop. 27.* Subſtãtia omnis ſtans per eſſentiam ſuam eſt ſimplex, & non diuiditur. *prop. 28.*

Subſtantia omnis ſimplex eſt ſtans per ſeipſam, id eſt per eſſẽtiam ſuam, quia eſt creata ſine tempore; & eſt in ſubſtantia ſua ſuperior ſubſtantijs temporalibus, quia non eſt generata ex alio. *Ariſt. de cauſis. prop. 29. cap 3.* Subſtantia omnis creata in tempore aut eſt ſemper in tempore, & tempus nõ ſuperfluit ab ea quia eſt creata, & tempus æqualiter; aut ſuperfluit ſuper tempus, & tempus ſuperfluit ab ea, quia eſt creata in quibuſdam horis temporis. *idem, ibid. prop. 30 ca. 3.*

Subſtantiæ ex eſæ in quibuſdam horis temporis non eſt poſſibile vt continuẽtur cum ſubſtantijs ſempiternis quoniam non aſſimilantur eis omnino. *ibid.*

Subſtantia, & actio illius rei quæ eſt in momento temporis, & illius quæ eſt in momento æternitatis, habent medium, & eſt illud cuius ſubſtantia eſt ex momento æternitatis, & operatio ex momento temporis. *Ariſt. de cauſis prop. 31 cap 3.*

Subſtantia omnis cadens in quibuſdam diſpoſitionibus ſuis ſub æternitate, & in quibuſdam ſub tempore eſt ens, & generatio ſimul; quia omnis res cadens ſub æternitate, eſt ens verè, & cadens ſub tempore eſt generatio vera. *idem, ibidem.*

Subſtantia nulla intellectiua, & naturalis exiſtit, quæ non operatur, præter ſubſtantiam infimam & debiliſſimam, cuius actionem aliquam parere impoſſibile eſt, quod in ſeminibus patet quæ quoniam ſpiritualia ſunt, niſi comprimantur neceſſariò operantur. *Ariſt. Theol. Ægyp. lib. 7. cap. 4.*

Subſtantia nulla eſt quam intellectus primus non contineat. *idem, ibid. cap. 12.*

Subſtantiæ perpetuæ productæ ſunt ſine conſultatione, quia auctor perfectus ſupremus eſt. *Ariſt. Theol. Ægyp. lib. 14. c. 2.*

Subſtantiæ orbis ſuperni virtus quoque ſenſitiua ineſt, ſi quidẽ in eo exiſtunt quæcunque hic ſunt in materia, ſed ibi depurata ſuper materiam: vnde ſi quis dicat, per quod efficiens factum ſit hoc membrum, puta manus aut oculus: reſpondemus per formam illam intellectualis mundi in quo ſunt omnia. *idem, ibid. cap. 3.*

Subſtantiæ genus vnum commune eſſe non poteſt intelligibili, & ſenſibili naturæ, nam vel corpus, vel incorporeum erit, & vt corporea ſub incorporeo eſſe non debent, ſic incorporea ſub corporeo, & materia, forma, & compoſitum nihil habent commune, & quid commune habent primæ ſubſtantiæ cum ſecundis, nec forſan proprium ſubſtantiæ aſſignatam quod vnum & idem numero contraria viciſſim ſuſcipere poſſit ſubſtantijs omnibus conuenit. *Plot. En. 6 lib. 3. cap. 2.* Subſtantiæ corporeæ proprium eſt, vt ſit fundamentum quoddam & ſuſceptaculum aliorum; & ſubſtantia idcirco eſt hoc ipſum, quia hoc ipſum quod dicitur non eſt alterius. *idem ibid. cap. 4.*

Subſtantiæ omni corporeæ conuenit non eſſe in ſubiecto, ſi modo hoc ipſum quod eſt in ſubiecto oportet non eſſe partem eius in quo eſt, nec oportet vnà cum eo concurrere ad aliquid vnum conficiendum, & non ſolùm non eſt in ſubiecto, ſed nec dicitur de ſubiecto tanquam de alio quodam. *Plot. En. 6. lib. 3 cap. 5.* Subſtantia corporea comparata ac accidentia ita ſe habet, quod illa primò ens exiſtit, accidentia ſecundùm participationem gradu ſecundo, nam album enti adiunctum ens reddit album. *idem, ibid cap. 6.*

Subſtantia ſenſibilis componitur ex non ſubſtantijs, cùm non ſit vera ſubſtantia & eſſentia, ſed veram potius imitatur, quę abſque reliquis circa eam poſitis ens in ſe poſſidet, atque ita vt alia ex ipſa fiant, propterea que ipſa reuera exiſtat; hic autem etiam quod pro fundamento ſubiicitur ſterile eſt, neque ſufficiens ad hoc ſaltem vt ſit ens, nedum ex eo reliqua eſſe reportent, ſed vmbra quædam eſt, atque in ipſa velut vmbra, pictura quædam ſit, nec verum ens, ſed profuſus apparens. *Plot. En. 6. lib. 3. cap. 8.*

Subſtantiarum compoſitarum omnium cõmune eſt vt ſubiecta ſint, & non ſint in ſubiecto. *Plot. En. 6. lib. 3. cap 8.* Subſtantiam ſenſibilem dum contemplamur, præſtat de compoſito loqui relictis elementis ex quibus componitur, forma ſcilicet, & materia. *Idem, ibid.*

Subſtantiæ ſpecies eſt corpus, in quo alia magis materialia ſũt alia organica id eſt varijs prædita inſtrumentis: materialia vt ignis, terra, aqua, aer: organica plantarum & animalium corpora per formas diſtincta, & hæc iterum diuidere oportet. *ibid. cap 9.*

Subſtantiam diuidere non debemus per primam vt individua, & ſecundam vt ſpecies: at res aliter ſe habet, cùm indiuiduis ſpecies ſit vniuerſalior, ergo prior, ſed hoc non admittit vllã ſubſtantiæ differentiam. *Plot. En. 6 lib 3. ca 9.* Subſtantiæ ſenſibilis genus diuidere poſſumus per illa quæ ad ſenſum pertinent, ſcilicet per qualitates, ſiue ſimplices, ſiue mixtas & per formas, figuras, & loca. *Idem, ibid. cap. 10.* Subſtantia non eſſet genus, ſi alia ſecũda, nam non eadem & primæ, & ſecundæ ratio eſt *ibid. cap. 9.* Subſtantia incorporea reuera hoc aliquid appellatur, corporea tale aliquid accident tale quale eiuſmodi. *ibid, cap. 16.*

Subſtantiæ incorporeæ deſcendentes in ſingula ob potentiæ defectum multiplicantur, aſcendentes voluntur, & ſimul in vnum recurrunt copia poteſtatis. *Porph. de occaſi* Subſtantiarum nulla quæ vniuerſæ ſunt, atque perfectæ, ad ſuam cõuertitur genituram, omnes enim perfectæ ſubſtantiæ ad generantia rediguntur, & id quidem ad corpus vſque mundanum, quod cùm ſit perfectum ad animam eſt redactum; animam inquam intellectualem, ideoque circulo voluitur, anima mundi ad intellectum attollitur, intellectus erigitur ad principium. *idem, ibid.*

Subſtantiæ particulares ad multa labi potentes habent procliuitatem ad genituras deflectentes, adeò in his dicitur de-

lictum accidisse, & in his infidelitas damnata: haec contaminat materia, quia ad hanc deflecti possunt, cùm tamen ad diuinum se valeant conuertisse. *ibid.*

Substantiam vnam omnium intelligibilem dicere possibile est, cùm sensibilem ab ipso solam separemus quid est, quod semper est, generationem verò non habés, & quid est, quod fit quidem, nunquam verò est secundùm diuisionem in duo quouis modo entium, & possibile est diuidere occultam, & ratiocinatione speculabilem in propriè intelligibilem, & in cogitabilem, quas etiam subdiuidere licet. *Syrian. in 2. metaphysic.* Substantiæ simplicissimæ, & propriè intelligibiles hoc in se habent, quòd omne quod sunt, hoc sunt; ideo neque definibiles nec demonstrabiles fiunt, sed sola apprehensione considerantur. *idem, ibid.*

Substantiæ per definitionem cognoscuntur, ideò prima scientia est definitiua; quæ verò per se insunt per demonstrationem cognoscuntur; ideò secunda scientia est demonstratiua: quæ verò ipsam formam considerat omnia hæc cognoscens, definitiua, & demonstratiua est; definitiua per se, quia hoc erat rei substantiam scire; demonstratiua, quoniam in assignationibus causarum nō prius cessat demōstrans quàm ad ipsum quod quid est occurrerit. *Syrianus in 2. metaphysicor. cap 6.*

Substantiæ separabiles si tanquam simplices non differunt inter se per differentias speciales sub eodem genere, ergo neque per indiuiduales sub eadem specie discrepant: quælibet ergo est quasi vnum genus, vel species per se existés; differunt verò seipsis, & ordine graduum, & quoniam ad primum aliter referuntur. *Iambl. de myst.*

Substantiæ incorporeæ non sunt in corporibus, sed extrinsecus ea ducunt, dantque eis aliquid; non accipiunt igitur, nec vnà ad eorum distributionem distribuuntur; non enim sunt habitus corporum, vel materiales formæ, sed sustinentes, separabilésque, immo iam separatæ & ante corpore viuunt. *idem, ibid.*

Substantię treа cùm sint in dijs intelligibilibus, prima obsignata est bono, ipsum videlicet bonum ex se intelligens, vnitas paterna! secunda per sapiens designatur, vbi prima viget intelligentia, tertia per pulchrum definitur, vbi intelligibilium est pulcherrimum: ideò & tres existunt vnitates, fides, veritas, amor; fides omnia firmat in bono, veritas omnium in entibus cognitionem explicat, amor conuertit omnia, & congregat in ipsius pulchri naturam: amor ergo supernè ab intelligibilibus vsque ad mundana descendit, ad diuinam pulchritudinem omnia conuocans; procedit & per omnia veritas, illustrans cognitionibus omnia; procedit fides per vniuersum in bono singulatim sistens: hinc diuina eloquia, omnia tradunt tribus his gubernari, & in eis consistere. *Proc. in Alcib prim.*

Substantia omnis & potentiam consequentem habet, & actionem simul. *Bess. Card. in calu. Plat. lib. 2. cap. 9.*

Substantiarum cœlestium vt nullus est sermo, sic nulla vocabulorum haberi proprietas potest, sed si nos loqui de illis aliqua conamur, à nostris rebus verba mutuari oportet, purioribus tamen quoad fieri potest, quales mathematicæ sont, quæ à materia sunt abstractæ. *idem, ibidem.*

Substantia tandem vna quædam sit oportet, ne detur progressus in infinitum, quæ sit necessario per seipsam, & hæc simplex est omnino: talis est Deus substantia simplex necessariò per se subsistens. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. cap. 7.*

Substantiam à phantasia cognosci negant Platonici, quoniam rationem substantiæ non cognoscunt. *idem, Plat. Theol. lib 8. cap. 5.*

Substantia rei definitione maximè comprehenditur. *Fic. Plat. Theol. lib. 8. cap. 4.*

Substantiale vnum non constituitur ex duabus essentijs quæ actu sunt: nam duo sunt existēdi actus, & duo esse, non vnum. *Idem, ibid. lib. 13. cap. 55.*

Substantia in qualibet re est præstantior, quàm duratio. *ibid. lib 18. cap. 1.*

Substantię si absque accidente corporeo consistat tum ob puritatem verior erit, quàm ob ipsam indiuiduæ naturæ simplicitatem, & vnitatem potentior. *Fic. epist. lib 2.*

Substantia est quædam actu absque accidente seorsum à quātitatis diuisione, & qualitatis corporalis permistione, ne vana sit semper in vniuerso potētia illa tam rationabilis, tamque bona, vel falsa prorsus, vel imbecillis omnino natura illa, quæ verior potentiorque quàm substantia qualibet corporalis existimatur. *idem, ibid.*

Substantia quoniam accidentis est fundamentum, naturæ ordine quodam prior est accidente, & potest cum sit prior, & formæ virtute non careat, alicobi sine accidente consistere, accidente inquam corporali, quod ad communem accidens substantiæ rationem non tam profectum affert quàm defectum. *Fic. epist. lib. 2.*

Sustantiæ incorporalis primus gradus est vita quædam, id est anima; incorporalis autem illa substantia idem atque vita quædam esse videtur. *idem, ibid.*

Substantiam propriam quod est habiturum, proprie quædam oportet habere principia, & proprios fines. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.*

Substantia nulla vel qualitas est, quæ vnionem omnem perseuerantiámque refugiat, alioquin salutem propriam fugeret. *idem, ibid.*

Substantiæ omnes intelligentiâ præditæ duas habent virtutes, alia est generatiua, alia conuersiua: per generatiuam explicant in seipsis vlteriorem formam, & vitam, atque actum, vnde vidétur generare, & quasi regenerare seipsas per conuersiuam virtutem ad se, & ad causam reflectuntur, vbi se formare, & conformare videntur. *Fic. in Plat. Parme. cap. 62.*

Substantia intelligibilis, & intellectualis pura, sola & simpliciter est. *Idem, ibid.*

Substantijs separatis non inest potentia quædam procliuis ad actum vlteriorem temporaliter acquirédum, sed actu semper existunt; ideò definitionem illam, quæ per potentiam agendi, & patiendi dabatur, in illis suscipere non debemus. *Fic. in Plat. soph. cap. 29.* Substantia omnis intelligibilis, & intellectualis, quæ sola dicitur essentia vera, excellentem quendam motum habet & statum, & præcipuè in anima. *Idem, ibidem. cap. 30.*

Substantia non est quod ex pluribus qualitatibus congregatur, vel essentiæ ratio. *Fic. in Plotin. En. 2. lib 6. cap. 1.* Substantiæ æternæ quie non habent aduētitiam formam, meritò idem in ipsis est agere & esse. *Idem, in Plot. En. 3. lib. 5. cap. 1.*

Substantiæ intellectuali inest actus vnus cognoscere & amare, in potentia verò rationali diuersa sunt, vt in igne lucere & calere duo, in sole vnum. *Idem, in Plotini Enn. 3. lib. 5. cap. 1.*

Substantiarum separatarum de veritate diffidimus ob nimium commercium cum materia. *Ficin. in Plotini En. 5. lib. 5. cap. 11.*

Substantiale aliquid in nihilum resolui potest, ideò nec forma, nec materia simplex, perire potest aliquando, nec pati. *idem, in Plot. En 3. lib. 6. cap. 3.*

Substātia corporea comparata ad incorpoream non habet esse ex se, sed ex illa. *idem, in Plot. En. 6. lib. 3. cap 6.*

Substantiam percipit ratio vtens imaginatione, accidentia sensus. *idem, in Prisc. Idem, Theophr. cap. 41.*

Substantiæ cuique separatæ non competit moueri localiter, nisi ratione operationis. *Io. Pic. Mir. in apol.*

Substantiæ separatæ cùm dicuntur hic vel ibi esse abusiuè dicitur, nam id significat hic vel ibi operari, ex mente Gregorij Niceni. *Idem, ibid.* Substantia separata, vt angelus, & anima à corpore separata, est verè in loco, & ita definitiuè est præsens localiter, vt res corporea est commēsuratiuè præsens localiter, quæ est via Scoti, & omnium Scotistarum sed in hoc discrepant, quòd Scotistæ dicunt, quod finitio, & limitatio essentiæ, & finaliter intrinseca determinatio suæ essentiæ, est ratio substantiæ separatæ essendi in loco. *ibid.*

Substantia corporea licet sit in loco commensuratiuè; in loco tamen ratio ei essendi taliter in loco, non est sua substantialitas, sed quantitas quæ est extrinseca, & extranea à ratione suæ substantiæ, ita etsi substantia incorporea verè sit diffinitiuè in loco, & præsens localiter, tamen ratio ei essendi in loco non est sua substantia, sed operatio eius ab ea transiens ad extra. *ibidem.*

Substantiæ, nec substantiæ specie, nec accidentis propriè & exactè cognitio fit, sed & discurrēdo & abnegando; vnde cōgenitum habemus principium cognoscendę per abnegationem primæ substantiæ quæ omnis substantiæ est fons & origo, imò causa primaria & eminentissima. *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 3. cap. 10.* Substantiarum à materia seiunctarū numerum esse pro numero cœlestium sphærarum non modo nostra religio falsum esse credit, sed & Pythagoricorum & Platonicorum disciplina, & debilis est Arist. probatio otiosas esse si non mouerent; nam proprium magis illis est intelligere quàm mouere. *Idem, ibid. lib. 6. cap. 16.*

Substantiæ corporeæ potiusquàm eius quæ intelligentiâ percipitur rationem habuit Aristoteles in assignanda vltima proprietate substantiæ, quum Plato in philosophando omnia intelligentiæ tribuat, sensui nihil. *Iac. Carp. in Alcin. in præfatione.*

Substantiæ singulæ existunt à se inuicem separatæ, & omne quod hoc modo existit, singulum quoque esse oportet: sed in hac rerum singularum existentia duo in sunt, nempe proprietas naturæ siue quendam huius circumscriptio ab alijs separata; per quam vnumquodque vt ait Aristoteles

ristoteles est hoc aliquid, & numerabile; & in hac proprietate ita circunscripta eiusdem naturæ quædam communio inest, quæ apud eundem in categoria substantiæ quale quiddam est, vt in hominibus singuli à se inuicem separati existunt, nec ita existunt nisi singuli, sed in illis sic existentibus naturæ quædam communio verè inest, quæ speciei definitione explicatur. In animo verò duobus illis alia duo respondent, singulo circunscripto, & ab alijs separato, imago singula in interiore sensu recepta naturæ verò communioni notio vniuersalis, ex comparatione singularum imaginum, quæ sunt in interiore sensu vel in ipsa imaginatione, excitata; & semper addidi priora duo substantias esse, posteriora animo accidere. *Iac. Carp. in Alc. 2. digr.*

Sudor fit ex pituita recenter conflata seroso humore. *Plat. in Tim.*

Sudor est excrementum tertiæ concoctionis, & pars quædam serosi humoris, qui cum sanguine in venis erat permiatus excitatur, à calore meatus corporis aperiente, & interiore quodam spiritu pellente. *Iac. Carp. in Alc. cap. 26.*

Sufficientia est perfecta bonorum possessio, habitus quo vnusquisque sui ipsius dominus fit. *Speusip. in Plat. defin.* Sufficiens omne, secundùm essentiam vel secundùm actionem præstantius est insufficiente ab alia causa dependentem habente perfectionis causam. *Proc. in elem. Theol. prop. 9.* Sufficiens omne simpliciter bono deterius. *idem, ibid. pro. 10.*

Suffocatio humoris cuiuslibet exundantia, vel putrefactione contingit, præsertim pituita val excrescante, vel quomodolibet putrefacta, vt non immeritò pituita petens vitam fuerit nominata. *Mar. Fic. de vita pro. lib. 2. cap. 2.*

Suffragium manifestum fit, quod per calculos fertur. *Plat. de leg. dial. 9.* Suffragia qui reddunt, primum locum dare debent honestati, & virtuti, secundum liberalibus disciplinis, tertium nobilitati, non enim negligendi sunt quorum maiores illustri aliqua gloria floruere, quartum mercatoribus. *Franc. Pat. de rep. lib. 1. cap. 8.*

Sulfur atque aqua marina sufficit ad purificationem. *Proc. de sacrif. & magia.* Sulfur existimatur metallorum pater. *Mar. Fic. in Plot. En. 3. lib. 2. cap. 6.*

Superbiam vbique Plato aduersus sophistas & eorum discipulos execratur, & eos non philosophos, sed philodoxos id est opinionis & gloriæ maximè cupidos nominat. *idem, in Plat. Phil. lib. 1. cap. 24.* Superbia maximè nos à Deo separat, & coniungit. *Io. Pic. Mir. in or. Domin.* Superbia est radix omnium malorum. *idem, de reg. dir.*

Superficies est longitudo & latitudo sine profunditate. *Chal. in Plat. Tim.*

Superficies vt duplici distat interuallo terminatur à lineis, quod si sphæricam inspexerimus superficiem vt eam, quæ iam aliam suscepit qualitatem & finem principio coniunxit, & ex duobus extremis vnum fecit, à sese terminatur. *Proc. in Eucl. lib. 2. cap. 21.*

Superi appellantur homines, quia vt dij nobis ita nos defunctis superi habemur: ideò hæc viuorum regio appellatur etiam cœlum. *Mac. in som. Scip. lib. 1.* Superi omnes inuocati veniunt in conspectum, sed alijs formis, & viribus occurrũt. *Iam. de myst.*

Superioribus generibus attribuendum est quidquid purum & firmum est in imagine nobis occurrente, quod mobile vel vagabundum est & alienis plenum naturis, inferioribus ordinibus attributo. *idem, ibid.*

Superi dant dona paratis non solùm naturaliter, sed per intellectum, & liberam voluntatem ipsorum deorum, dant dij futurorum ostenta in extis, auibúsque, & stellarum nouis prodigijs, ex quibus humana sagacitas conijcit euentus, per proportionem signorum aduentus vt ex causa auis casum viri, ex defectu membrorum in extis defectionem, ex igne cadente deiectionem eorum. Dij imprimunt futurorum signa in rebus ministerio naturæ vniuersalis, & naturarũ, vel obsequio dæmonum seruientium dijs, & dominantium elementis, & animalibus, similibúsque cunctis. quæ agent facile pro voluntate deorum. *idem, ibid.*

Superiora ab inferioribus nil accipiunt, nec æterna quicquam temporaliter in se ipsis admittunt. *Proc. in Alc. 1.* Superiora inferiorum cognitiones vnicè complectuntur, & præstantius. *idem, ibid.*

Superi harmonicâ ratione cuncta mundana continent, & perficiunt, & inuicem accommodant, & ad mundum intellectui corpus per mediam animam harmonica ratione concinnant. *Idem, ibid.*

Superi, vt & artifices opera per voluntatem potius quàm per intelligentiam agunt, ideò visibilis hic radius ex inuisibili illorum radio profluens per calorem agit singula quæ gignuntur, potius quàm per lucem, imò verò per lucem agit, sed rerum imagines spiritales, per calorem verò corporeas qualitates. *Mar. Fic. in Plat. de rep. dial. 7.*

Superiora accipiunt influxum ab inferioribus & non contrà. *Arist. Theol. Aegyp. lib. 14. cap. 6.*

Superius inferiori sibi adiuncto, non solum inferius quam maximè perficit, sed etiam suimet perfectionem explet atque confirmat. *Leo. Heb. de Am. dial. 2.*

Superlatiuo nihil addunt grammatici; poetæ & oratores aliquid super hoc addunt: hinc vergilianum illud: ô terque quaterque beati, ter beati sunt beatissimi, quater quam beatissimi. *Mar. Fic. epist. lib. 11.*

Supernè & infernè dicitur, quia cùm nos in terra consistentes & terrea genera secernentes etiam ipsam aliquando terram ad dissimilem aerem violenter, & præter naturam trahimus, quum ambo cognatum genus amplectantur, meritò minor pars facilius, & prius maiore sequitur eos qui ipsam ad dissimilem cogunt, leuem igitur ipsam appellamus, & locum ad quem cogimus supernè: contrariam autem his affectionem grauem & infernè, hæc igitur diuerso modo ipsa ad seipsa habere necesse est, eo quòd generum multitudines contrarium inter se locum obtinent, quod enim in altero loco leue est, ei quod in contrario leue est, & quod graue est graui, & quod infernè ei quod infernè, & quod supernè ei quod supernè, omnia contraria, & obliqua, & penitus diuersa inter se fieri, & esse comperiuntur: attamen de omnibus ipsis vnum quoddam statuendum est, quod via quæ singulis ad cognatũ est, graue quidem id quod fertur facit, locum autem ad quem tale fertur infernũ; quæ verò aliter se habent, altera sunt. *Plat. in Tim.*

Supernum omne est omnia, inferiora verò singula non sunt omnia. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 15.*

Superna quamuis lumen habeant plurimum, præstantiore quodam opus est lumine, vt & à seipsis, & à quouis alio discernantur, sicut in corporibus etsi mixtum sit naturaliter intus lumen, alio tamen opus est lumine, vt palam appareat color eis infusus, id est lumen naturaliter insitum. *idem. En. 6. lib. 7. cap. 21.*

Superstitiones omnes ab Astrologia pendent. *Io. Fra. Pic. Mir. in Arist. lib. 2. cap. 5.* Superstitio omnis dæmonem habet auctorem. *idem, de præ. lib. 4. cap. 1.*

Superstitio est vitium oppositum religioni nec natura quæ religioni famulatur consentaneum, exhibet enim Dei cultum, aut cui non debetur, aut alio modo quàm oportet. *idem, ibid.* Superstitio alio Deo exhibet cultum, sed modo damnato, alia creaturam Dei loco colit, & hæc in multas diuiditur species. Si reuerentiam Deo debitam spectamus, ad quam primo diuinus instituitur cultus, idololatria oritur, quę creaturæ tribuit eum cultum qui debetur Deo: si Dei erga homines consilium, instructio, doctrina perspicitur diuinatrix fallaciæ, & prænotio superstitiosa prodibit, quæ in multas funditur, falsa Prophetia Astrologia, Auguria, & mille insaniæ. *idem, ibid. cap. 2.*

Superstitiosi sæpe ementiuntur sua deliria. *idem, de præ. lib. 7. cap. 7.*

Superstitio nulla, nulli errores, nulla tam sæua fraus efficere potuit, vt verus Deus, vera eius philosophia qua senserunt homines eum patrem generis humani, cœli & terræ artificem, moderatorémque omnium, caligarat, & ex hoc mundo aboleret. *Aug. Steuc. de peren. phil. lib. 6. cap. 4.*

Superuacuis qui dant, in necessarijs facilè abundant. *Bess. Card. in Plat. calum. lib. 3. cap. 10.*

Supplicia quæ iustè inferuntur iniquis, attribuenda sunt ordini prout decet omnia producũt. at quæ bonis accidunt præter iustum, forsan ob prioris vitæ delicta contingunt, & si aliquid alicui iniustum est vniuerso coordinatum, non est iniustum, sed ita decebat. *Plot. En. 4. lib. 3. cap. 16.*

Supplicium precas non ascenderent ad Deum, nisi Ipse eas euocaret. *Phi. Iud. in leg. alleg. lib. 2.*

Supplicium est vitium consumatum. *Mar. Fic. in Plat. Theol. lib. 18. cap. 10.*

Supplicio in sempiterno propter pœnarum variarum diuersitatem vicissitudinémque temporalem, nimirum stabilitas non adest vera. *idem, in Dion. Areop. de diu. nom.*

Suppositio est principium indemonstrabile, sermonis summula. *Speu. de Plat. def.* Suppositio est cùm audiens dicenti aliquo eius quæ dicitur notionem non habuerit, quæ per se fidem faciat, verum tamen ponit & concedit id assumenti, vt quod circulus sit huiusmodi figura. *Proc. Euc. lib. 2. cap. 8.*

Surdi nati, muti quoque sunt, quia omnis ratio loquendi ex auditu est, & imitatione constat: quamuis contra Alexander Aphrodiseus ait duo esse paria neruorum, quorum vnum ad linguam, aliud ad aures porrigitur, & ita committę

nis accidit affectio. *Probl. 33. lib. 1. Iac. Carp. in Alc. cap. 5.*

Sursum ac deorsum semper omnia fluunt. *Plat. in Phileb.*

Sursum & deorsum in mundo tanquam sphærico non est ratione mundi, sed comparatione quadam particularum inuicem, quando vi mouentur: si quis compellat descendere flammas minores coget facilius si vrgeat glebas ascendere, minor facilius compelletur: debilius enim vtrobique vim inferenti resistit minus. *Marsi. Fic. in Plat. Timaeum, c. 57.*

Suscipitur quicquid suscipitur ex subiecti dispositione. *idem, in Plat. Theol. lib. 15. c. 19.*

Sustentari quod in se non potest, multò minus à seipso dependet. *idem, in Plat. conuiu. or. 46. cap. 18.*

Sumtes malos habere nolumus, & sophistas corrumpentes iuuentutem habere volumus. *Pla. de virtute.*

Sydera sunt temporis instrumenta. *idem, in Tim.* Sydera defixa in eodem loco semper sunt 36. quorum vocabulum est Horoscopij ἀνοχὲς, id est princeps substantialis quem Pantomorphon, vel omniformem vocant, qui diuersis speciebus diuersas formas facit. *Merc. Trism. Asclep. c. 8.* Syderum vires, quas & Thomas & Scotus eis impartitur, nec ego, nec patruus, id est Ioan. Picus à cœlo auferendas censemus, nec sua in nos profluuia, sed ostendimus id nos certa nulla ratione extorqueri. At etiamsi concedamus, artem nihilominus inefficacem, & nullam defendimus non solùm Augustini, & aliorum Theologorum auctoritate, sed naturalibus & theologicis rationibus. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de praenot. lib. 5. cap. 8.* Sydera si sunt causæ, eorum actio impediri potest vel à natura, vel alia particulari causa, si signa, cùm ex natura instituta sunt, tam vera est eorum significatio, quàm vera natura; & cùm à Deo instituta & ad hoc condita sint vt Astrologi fatentur, mentiri non poterunt; ergo euenient semper quæ portendunt, quod negant astrologi. *idem, ibid. cap. 10.* Syderum ordo & in omni æternitate constantia, nec naturam significat, est enim plena rationis, neque fortunam, quæ amica est varietatis, & constantiam respuit; ergo sua sponte, suo sensu; ac diuinitate mouentur; ex Cicerone libro secundo de natura deorum. *Iacob. Carpen. in Alcin. c. 10.*

Syllaba est vna idea ex singulis congruentibus elementis constans. *Plato in Theaeteto.* Syllaba est vna quædam idea quæ in partes diuidi nequit. *idem, ibid.* Syllaba est articulus humanæ vocis qui scribi potest. *Speusip. de Plat. definitionib.*

Syllogismi triplex genus, demonstratiuum, dialecticum, & quod sophisticum dicitur: primum ex veris, necessariis, primis, immediatis, notioribus, causis conclusionis consistit, & suo primo, ac præcipuo modo, atque etiam secundo ea, quæ insunt per se prædicato recipit; secundùm ex probabilibus, quæ aut omnibus placent, aut pluribus, aut clarioribus, aut nobilioribus; tertium ex iis quæ non probabilia sunt, sed videntur. *Bess. Card. in calumn. Plat. lib. 1. c. 5.*

Symphonia dicitur ex accentibus & succentibus variata musicæ cantilena. Prima symphonia in primis quatuor modulis inuenitur, quæ diatessaron dicitur, secunda ex quinque primis diapente cognominata est, quibus in ordinem compositis nascitur epogdous & diapason, epogdous quia veteres solis octo chordis vtebantur, prima hypate grauissimum sonum edens, vltima nete acutum; postea assumpsit in medio multis fidibus adiuncta est musica. *Chalcid. in Platonis Timaeum.*



T

TACERE & tenere animi motam in sua potestate', etsi non est perfectæ sapientiæ, est tamen non mediocris ingenij. *Franc. Patr. de regn. lib. 4. c. 10.*

Tactui affectiones omnes corporum tribuūt secundùm inclinationem autem ad locum, vitales enim facultates iudicat, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem, lenitatem, asperitatem, cedentia, renitentia, mollia, dura, graue, & leue tactus præiudicat, ratio verò decernit, per mutationem à medio, & ad medium. *Tim. Loc. de anim. mund. & nat.*

Tactu quæ percipiuntur, vt percipiantur necessarium est contactum. *Plat. En. 4. lib. 4. c. 1.* Tactus non solùm nuntiat, atque tangit, quod aliquid sit propinquum, sed etiam quasi passus tangibilis ipsius nunciat differentias, ac nisi quid obstiterit id etiam sentiat è longinquo. *idem, ibid. c. 4.*

Tactus vbi acutissimus est, declarat optimam inesse corporis complexionem. *Mar. Fic. in Plat. Theol. lib. 10. c. 2.* Tactus terræ ascribitur, cùm per omnes terreni corporis partes fiat, in neruis qui terreni maximè sunt expleatur, facillimè tangat, quæ soliditatem habent, & pondus quod terra corporibus tribuit. *idem, in Plat. conuiu. or. 5.* Tactus & gustus non tam facilè mouenti cedunt vt visus & auditus, sed motorem fortius sunt vehementem, ideò obtusius sentiunt, sed sæpe dolorem vel voluptatem vehementiorem habent quæ passionis vehementiā iudicium sensus impedit. *idem, in Plat. Timaeum, c. 59.*

Tactus & gustus quatuor gradus connumerant medici; primum qui vix sensu percipiatur, secundùm qui manifestè percipiatur, sed non offendat, tertium iam offendentem & iam lædentem, quartum breui interimentem. *idem, in Plat. leg.*

Tagem aruspicinæ inuentorem Hetrusci faciunt. *Io. Fran. Pic. Mirand. de praenot. lib. 6. c. 6.*

Talpæ cor sufficit ad præsagium. *Proc. de sacrific. & mag.*

Talus æneus appellatus est, quia ter in anno per viuos circumibat custodiens leges, quas in ipsis vicis æneis tabulis circumscriptas habebat. *Plat. in Min.*

Tangere quod aliquid debet, deinceps ad illo quod tangere debet situm esse oportet, ita vt contiguum locum teneat illi in quo ipsum est. *idem, in Parmen.*

Tangi non potest quod non habet aliquid solidi. *idem, in Tim.*

Tangentia inuicem non sunt quæ partibus carent. *Procl. elem. phy. prop. 1.*

Tangendi sensus à diis genitus est, vt calida, frigida, mollia, dura, leuia grauia, leuia, & aspera dignoscat. *Alcin. c. 19.*

Tartarum infimum inferni locum tenere vult Plato, in quo scelestissimi non medicinæ, sed exempli gratiā affliguntur. *Mar. Fic. in Plat. Phaed.*

Taurum antiqui in cœlo locauerunt in Iouis honorem, quia in Taurum sit fabulosè conuersus. *idem, in Plotin. En. 2. lib. 3. cap. 3.*

Taurum antiqui post Arietem affixisse ferunt, quia tunc terra arabilis esset aptàque culturæ. *idem, ibid.*

Teipsum nosce est scriptum apud Delphos, cui credendum est. *Plato in Alc. 1.*

Temerè quæ dantur non tutum est suscipere, aut quenquam vt ea contingant precari, si quis propter hæc damnum passurus sis, aut omnino de vita discessurus. *idem in Alcibiad. 2.*

Temerarius veræ philosophiæ particeps non fieri potest. *idē, de rep. dial. 6.*

Temeritas non est in lege naturæ. *Marsi. Fic. in Plat. Theol. lib. 14. cap. 5.*

Temeritas est cum inconsiderata laborum perpessione gladiatoria quædam periculorum susceptio. *Franc. Patr. de regno. lib. 7. cap. 3.*

Temperamentum est ornamentum animi. *Speusip. in Plat. definitionib.*

Temperantiæ est non rapi cupiditatis admiratione, & circa ipsum negligenter, & temperatè se habere, quod solis hic maximè conuenit, qui corpus maximè negligunt, & verè in philosophia viuunt. *Plat. in Phaed.*

Temperantia est prudentiæ conseruatrix, quia & φρόνησιν, id est scientia indicat quòd præstans animus rebus quæ feruntur instet, eásque sequatur, neque relinquat neque præcurrat. *idem, in Cratylo.* Temperantia cui adest, eius aliquam habere opinionem necesse est, & sic omnium aliarum rerum. *idem, in Charm.* Temperantia semper bonos facit eos quibus adest. *idem, ibid.* Temperantia magnum bonum est, & qui eam habet beatus est. *idem, ibid.* Temperantiæ, & continentiæ operam dare debent iuuenes, nec munera spectare, & pecuniarum studio teneri. *idem, in dialog. de rep.*

Temperantia in ciuitate per totam extenta est per omnes harmonias efficiens, non vt fortitudo, & sapientia in parte quadam vtraque inest, & hæc sapientem, illa fortem ciuitatem efficit, at temperantia cauſit, vt in eodem & debilissimi, & fortissimi, & medij consonent, & concordent sapientia, aut robore, aut multitudine, aut pecuniis, aut quacunque alia eiusmodi re. *idem, de Rep. dial. 4.*

Temperantia est modestia quædam, & à voluptatibus quibusdam, & cupiditatibus continentia. *idem, ibid.* Temperantia est consensio & deterioris, & melioris secundùm naturam concordia, vtrum & in ciuitate, & in vnaquaque re imperare oportet. *idem, ibid.* Temperantia consistit in amicitia & concordia partium animæ rationalis & irascibilis, quum ea quæ imperat, & quæ subditæ sunt, simul consenserint: quod rationalem imperare oportet. *idem, ibid.*

Tempe-

Temperatus perfectè erit, qui multis voluptatibus, & cupiditatibus impellentibus ad iniustitiam & impudentiam regnauit, & cum ratione, & opere, & arte, tum in lusibus, tam in seriis rebus. *Idem, de legibus. dialogo* 1. Temperatus maximè Deo similis est; intemperatus dissimilis, & diuersus, & iniustus. *idem, ibid. dial.* 4.

Temperantia est moderatio animæ circa naturales concupiscentias & voluptates, compositio ordóque animæ ad naturales voluptates & dolores, consonantia animæ ad imperandum; & obediendum, voluntaria eorum, quæ secundùm naturam sunt, actio, rationalis animæ conuersatio quo ad honesta & turpia, habitus quo decentia elegimus & seruamus. *Speusip. de Plat. definit.* Temperans est qui mediocres concupiscentias habet. *idem, ibid.*

Temperantia est intima ad intellectum conuersio. *Plot. En.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. Temperantia nil aliud est quàm corporeis voluptatibus non indulgere, sed eas tanquam non puras effugere. *idem, ibid. lib.* 6. *cap.* 6.

Temperantia est ordo circa voluptates, & libidines, eas obedientes rationi efficiens. *Alcinous cap* 31.

Temperans peccata fugere, omnia debet maiora, minora, & in nullo prorsus deprehendi. *Phil. Iud. in leg. alleg. lib.* 2. Temperantia non parum confert ad tractandam rempublicam, in omni enim vita salutaris est tum maximè in negotiis publicis. *Idem, de Ioseph.*

Temperantia vt Platoni visum est, est cum continentia & abstinentia illecebrarum sensualium coniuncta, cuius operum præstantissimum est superioribus suis fideliter obtemperare, & voluptatibus dominari, non parere. *Auct. in rem. Plat. tract.* 1.

Temperantiæ mira virtus declaratur, vt possit animum infeliciter in deteriora prolapsum feliciter sibi ipsi restituere. *Mar. Fic. in Plat. Charmid.* Temperantia difficulter definitur, quia vix à cæteris virtutibus, quarum est consonantia quædam, agnosci potest, & tantò difficilius agnoscitur verbisque exprimitur, quantò difficilius intrinsecus possidetur. *Idem, ibid.* Temperantia nisi re ipsa possideatur, perfectè cognosci nequit, impuro enim sem omnium purissimam non licet attingere. *Idem, ibid.*

Temperantia appellatur à Platone Diapason harmonia, intelligendum Diapason consonantiam resultantem ex dupla sensionis velocitatis, vehementiæ proportione ad id quod duplo remissius est, tardiúsque & lentius ex qua quidem proportione dupla consurgit acutæ, id est octauæ vocis excessus ad grauem. *Idem, in Plato. de republica, dial.* 4. Temperantiæ grauitas cum iustitiæ robore in ciuitate bene disposita ita aptè congruunt, vt duæ hæ virtutes vix inuicem discernantur quemadmodum in diapason consonantia vox octaua cum graui adeò consonas, vt quæ vox gemina est appareas vna. *Idem, ibid.* Temperantiam quasi diapason extendi per omnes ciues summos, infimos, & medios non ab re ait Plato; namque in octaua & grauis vox, & acutissima est, & media. *idem, ibid.* Temperantia requiritur in principibus simul, & militibus, atque artificibus, id est consensio quædam qua libenter cuncti conueniunt, vt alij imperent, alij pareant, alij in bello, alij in opificio, neque ob voluptates vllas consensio talis impediatur, imò cupiditates inferiorum superiorum imperio ac consilio obtemperent. *Idem, ibidem.*

Temperantia est consonantia in affectibus, iustitia in actibus, illa animæ sanitas, hæc pulchritudo prudentia oculus, fortitudo manus. *Idem, in Plat. de leg. dial.* 5. Temperans maximè in republica honorandus est, & absque temperantia fortitudo periculosa est. *Idem, ibid. dial.* 3. Temperantiam mediocrem distinguit Plato à prudentia, & mediocrem prudentiam à sapientia, & consummatam temperantiam sæpe appellat prudentiam, absolutam prudentiam nonnunquam sapientiam nominat. *idem, ibid. dial.* 4.

Temperantia in ciuibus proprius cuiusq; moderatur affectus, & gestus componit. *Idem, Plat. Prot.*

Temperatum qualitate, & virtute potens, potest reliqua temperare. *idem, de vita producenda. libro* 2. *cap.* 7.

Temperantiæ ingenuum fundamentum est pudor. *Idem, in Plat. Protag.* Temperantia est scientia circa bona & mala asciscendi & fugiendi. *idem, in Pla. Euthy.* Temperantia tribus præcipuè persuadenda est adolescentibus, nobilibus, & pulchris: adolescentibus, quia citò morbis adhibenda est medicina; nobilibus, tum vt ostendat veram nobilitatem in virtute esse ponendam, tum quia plerunque nobiles cæteris in exemplo sunt, & quotidie ad rempublicam admittuntur grauissimo si mali sunt detrimento: formosis autem nã hi potissimum flagitiosorum consuetudine deprauãtur, quo fit vt magis egeant medicina. *Idem, in Plat. Charmidem.*

Temperantiæ nomen græcum in Cratylo exponit sophrosynim, id est salutem quandam, & conseruatricem prudentiæ. *idem, ibid.*

Temperantia etsi propriè circa cohibendas vehementes libidines voluptatésque versatur, tamen similitudine quadam transfertur & ad cupiditates omnes amputandas, & ad actum quemlibet moderatum, vt etiam fortitudinis officium in audaciæ timorísque moderatione versetur, similiter iustitiæ in præmiorum & pœnæ modo, & liberalitatis in erogandi modo, & denique totius vitæ salus vt nequid nimis. Hinc Pythagoricum illud, Mensura omnium optima. *idem, ibidem.* Temperantiam Pythagoras ait virtutum omnium esse saluberrimam, tam publicæ quàm priuatæ humanæ societatis conseruatricem, præsertim cùm & iustitia temperantia quædam sit, id est conueniens in commutando, & distribuẽdo moderatio. *idem, ibid.* Temperantiæ officium est in se ipsam conuerti; & qui in se ipsum conuersus fuerit, tum per ipsam temperantiæ ideam innatam menti, humanam intelligit temperantiam, tum moderationem ipsam agnoscens, qua Deus animæ partes ab initio inuicem temperauit, cognoscit qua ratione sit animi affectus temperandus *idem, ibi.* Temperatus solus de temperantia loqui debet & potest. *idem, ibid.* Temperantiam prudentia & sapientia comitatur *idem, ibid.*

Temperamenta corporum plura sunt quàm quatuor, vel octo, vt medici posuere; non enim satis constat quot sint humores, ergo nec quot sint temperamenta. *Io. Fran. Pic. Mir. de elem. cap.* 6.

Temperantiæ est non modò nimias voluptates vitare, sed iis etiam mediocriter vti. *Sebast. Foxius in argum.* 3. *Pla. de republica dialogi.*

Temperantiam Peripatetici conseruatricem prudentiæ esse dicunt, Academici verò eam cernì aiunt in prætermittendis voluptatib. Cicero verò esse ait virtutem qua monemur in rebus aut expetendis aut fugiendis, vt rationem sequamur. *Franciscus Patricius de regno, lib.* 6. *ca.* 18. Temperans est quem turpitudinem & flagitiorum pœnitet, quique à voluptate recedit, & in electione eiusdem non persistit, excessu non lætatur, sed ad mediocritatem & virtutem quamprimùm redit. *idem, ibid.* Temperantiam curent reges, quorum exemplo & ciues moderatiores erunt. Eam comitantur modestia, verecundia, pudor, abstinẽtia, castitas, honestas, moderatio, parcitas, sobrietas, pudicitia. *idem, ibid.*

Temperantia à quibusdam fortitudo haud immeritò appellatur. *Leo Heb. de Amo. dial.* 3.

Templis arma in bello prædata è domesticis domibus deferre timendum est ne sit scelus, ni Deus aliud dicat. *Pla. de repub. dialogo* 5. Templis æditoos, & sacerdotes vtriusque sexus constitui oportet. *Idem, ibid. dial.* 6. Templa in ciuitate circa totum forum construere oportet, & ciuitatem totam in circulum ad altos locos & munitiones, & munditiæ gratia. ad ipsa templa domos magistratum, & iudiciorum, in quibus velut sanctissimis ius & accipient & dicent, partim velut de rebus sanctis, partim velut eiusmodi deorum sedes, & in his iudicia sunt, in quibus de cæde & de iniuriis morte dignis debita iudicia peragi possunt. *idem, ibid.* Templis Dei simulachra dedicet quiuis de ligno vnico integro, & lapide quodcunque voluerit, de textura non plusquam menstruum vnius mulieris opus. Diuinissima dona sunt volucres, & picturæ, quas in vna die pictor absoluerit; & reliqua sint ad talium imitationem. *idem, ibid.* Templa in priuatis ædibus nemo habeat. *idem, ibid.*

Templa apud veteres alia dorica, alia corinthia, alia ionica erant: dorica sine delitiis securitatem habebant, Mineruę, Marti, & Herculi faciebant: corinthia delitiis & foliis ornabant, Veneri, floræ, & proserpinæ. ionicæ Iunoni Dianæ, & libero. *Fran. Patricius de repub. lib.* 8. *cap.* 16.

Temporis diuisio, & in quo est.

Tempus omne in infinitum diuiditur, & omnis magnitudo, & omnis motus. *Proc. ele. Ph. propo.* 50.

Tempus duplex, vnum vnà cum naturali vita, corporeóque vniuersi motu natum; alterum verò per incorpoream vitam procedens, quo animarum diuinarum circuitus dimetitur. *Idem, in Alc.* 1.

Tempus propriè est in anima mundi in ipsa eius vegetali natura, & imaginatione naturali, assiduè comitante naturam. *Marsi. Fic. in Plo. En.* 3. *lib.* 7. *cap.* 3.

Tempus non est propriè in mente diuina, sed idea quædam temporis, vt exemplar conceptum illic ad quandam æui similitudinem imitantem æuum, sed diuersitate degenerantem. *idem, ibid.*

Tempus quid est, & eius vtilitas.

Tempora atticè veteri more ὥρας quia terminant hyemes, & æstates, appellantur. *Plato in Cratyllo.*

Tempus est Solis motus progressionis mensura. *Speusippus de Platonis definitionibus.*

Tempus est æui imago, siquidem tempus mouetur, & perennitas fixa & immota est natura, & ire in eam tempus & in eius magnitudinem finiri, & dissolui potest, si quando hoc decreuerit fabricator mundi Deus. *L. Apul. de dog. Plat. lib. 1.*

Tempus est numerus magnitudinis comitantis motum, non autem magnitudo ipsa simul cum motu currens. *Platin. En. 3. lib. 7. cap. 8.* Tempus est numerus motum metiens per prius, & posterius connexum tempori, & illud attingens quo metiri queat. *idem, ibid.*

Tempus non oportet accipere extra animam, vt nec æuum extra ens, nec consecutionem esse nec posterius quicquam, vt nec ibi, sed intus inspectum aliquid quod & insit, simúlque sit vt illic & æuum. *Idem, ibid. cap. 10.*

Tempus dixerunt esse motus mensuram, pro eo quod forsan dicere vellent motu mensuratum & non non intelligimus quid sibi velint, quia non explicant siue mensurans siue mensuratum denominetur, ac si auditoribus suis cognoscentibúsque scripsissent. *Idem, ibid. cap. 12.* Tempus si accipiatur vt mensuratum est quantum, si autem quia tempus natura quædam est diuersa. *Idem, En. sexta lib. 2. cap. 5.*

Tempus est imago æui manentis in suo statu, ipsum semper progrediens & replicabile. *Chal. in Pla. Timæum.*

Tempus est numerus motionis cœlestium corporum. *Procl. elemen. Physic.*

Tempus continuum est & æternum. *Idem, ibid. prop. 26.*

Temporis beneficio plura sciuntur. *Syne. de som.*

Tempus est aliquid ad motum pertinens, & ipsum generat anima mundi naturali quodam suo intimóque motu, nulla ad hoc vtens electione. *Marsilius Ficinus in Plotinum En. 3. li. 7. ca. 2.* Tempus infinitum appellat Plato non quod sine principio & fine sit, sed potius nostris computationibus infinitum, ideò dicit sæpe tempus inexistimabile potius quàm immensum. *Idem, in Plato. de legibus dial. 3.* Tempus suum omnia habent non pro temporis constellatione, sed pro natura eius rei quæ fit, & pro opportunitate faciendi: sic decuit mitti filium Dei eo tempore quo missus est, ante non licuit. causa in cœlo non est, sed in proposito Dei; & sic de hora sua, quia tunc expediebat. *Ioan. Pic. Mir. in Astrologiam. lib. 4. ca. 15.*

Tempus Pythagorici existimarunt esse sphæram vltimam ceteras ambientem. *Gab. Bur. de temp. lib. 8.*

Tempus est numerus non numerans, quia esset anima, non quo numeramus, quia esset vnum duo, & huiusmodi, sed numerus numeratus, id est res numerata. *idem, ibid.* Tempus est numerus motus primi, secundùm quod in eo animus concipit prius & posterius, & secundùm hanc considerationem mensurat omnem motum, & quia primi mobilis motus vnus est, ideò erit tempus vnum omnes motus mensurans. *idem, ibid.* Tempus est mensura discreta. *idem, ibid.* Tempus esse prius quàm animus dimetiatur secundùm suum esse materiale, sed non secundùm esse formale. *idem, ibid.*

Tempus nihil aliud quàm numerus, seu mensura duarum partium motus, antecedentis videlicet ac subsequentis, esse definitur. *Leo Heb. de Am. dial. 3.* Tempus è philosophorum sententia infinitum existit. *Idem, ibid.*

Tempus vt contrarium, vt se habet ad situm, motum, locum, & magnitudinem.

Tempus nullum est in quo quid simul neque moueri, neque quiescere possit. *Pl. in Par.* Tempore quæ sunt, necesse est ipsis aliquid antiquius fieri. *Idem, ibid.* Tempore paruo magnum fieri nequit. *Idem, de republica dialogo decimo.*

Tempus esse motum impossibile est, motus enim omnis fit tempore, & motus potest desinere, tempus non. *Plot. En. 3. lib. 7. cap. 7.* Tempus non congruit cum statu. *idem, ibid. ca. 6.*

Tempus id est, in quo factus est motus. *Idem, ibid.* Tempus reuolutio patefacit, in quo reuolutio ipsa peragitur. *idem, ibid. cap. 12.* Tempus vbique est, quoniam anima, vitaque illa, motúsque vitalis à nulla vsquam mundi parte abest, vt & talis in nobis vita partem nostri deserit nullam. *idem, ibidem.* Tempus producitur à motu non quiescendo, sed iugiter fluendo, quod ideò cum motu currit quasi ab ipso currente vehatur. *idem, En. 6. lib. 3. cap. 22.*

Tempus primum motionis est, quod neque maius neque minus est ipsa motione. *Proc. el. Phy.* Tempore interminato moueri in infinitum non est. *idem, ibid. prop. 32.*

Tempore mouetur omne quod mouetur. *idem, ibid. prop. 27.*

Tempus vnà cum naturali vita porrectum vitam nostram vnà cùm corpore actam metitur, vitam verò ipsam animæ secum ipsa viuentis nullo modo: est tamen in nobis aliqua scientia ante omne tempus, & aliqua fit in tempore. *idem, in Alc. 1.*

Tempus mundani motus interuallum facit, vt quandam æternitatis imaginem. *Alcin. cap. 14.*

Tempus non est, vt putat Aristoteles, numerus motus proprius & positiuus, nec quantitas est in motu, vt Speusippus, vel motus interuallum præterea nihil, vt nonnulli Stoici, illum enim ab accidente non à substantia definiunt. Pythagoras rogatus quid tempus, ait mundum anima, est enim tempus non affectio vel accidens motus sed causa, potestas, & principium continentis omnia, quæ fiunt, competentiæ & ordinis, quo animata natura vniuersitatis mouetur: imò hæc, quæ motus ordo & competentia est, tempus nominatur: omnia via plana incedens iustè regit mortalia. *Plutar. in Plat. quæst.* Tempus non est nudus motus, sed motus in ordine modum obtinente, terminósque & ambitus, quorum est Sol rector, & præses, qui determinat dispensat, designat, & demonstrat rerum vicissitudines, & temporum articulos, qui cuncta efferunt, & in maximis & præcipuis rebus rectori & principi Deo est adiutor. *idem, ibid.*

Temporis celeritas linguę celeritatem superat. *Mar. Ficin. in Plat. Theologia. lib. 12. cap. 6.* Temporis & motus particeps aliquid esse tribus modis considerare licet; aut actione simul ac substantia mutatur, temporaliterve fluit, vt corpus; aut actione tantùm, vt anima; aut quasi processu quodam & origine, vt intellectus. *idem, in Plato. Parmenide. cap. 73.* Tempus, & motus necessariò est in ipso ente primo & in quolibet ente. *idem, ibid. cap. 92.* Tempus & motus ibi oriuntur, vbi primus numerus oritur. *idem, ibid.* Tempus & motus intellecta intelligibilique sub forma quadam æternitatis implicitus prorsus & inuolutus atque subitus, mox in animam emicat, ibique per curricula quædam iam explicatur latius & reuoluitur; & motus hic in anima actio est, in corpore verò iam euadit passio. *idem, ibid.* Tempus sequitur mobilis primi motum. *idem, in Pla. Timæum, cap. 19.* Tempus distinguitur ad motum planetarum, qui à firmamento mouentur ab ortu ad occasum, ipsi interim ab occasu ad ortum natura propria reuoluti, sinuosa quadam obliquitate, dum sub obliquo Zodiaco variè peruagantes nunc ad meridiem, nunc ad septentrionem vergunt, modò progredientes modò regredientes, aliàs item distantiores à terra, aliàs autem propinquiores. *idem, ibid.*

Tempus non est motus, quia omnis motus tempore peragitur. *idem, in Plo. En. 3. lib. 7. cap. 2.*

Tempus & motum Plotinus in libro de tempore etsi non ponit in anima mundi superiore, ponit tamen in anima eiusdẽ inferiore, id est in vestigio superioris, atque natura, nõ quia formas acquirat vllas, vel amittat, sed quia formæ in ea quædam quasi è somno statutis temporibus prodeunt in vigiliam. *idem, En. 4. lib. 4. cap. 16.* Tempus idem est, quod motus primi mobilis. *Gabriel Buratelius de tempore lib. 8.*

Tempus vt primum mensura vt partes.

Temporis participationem significare videntur hæc verba, erat, factum est, & fieri. *Plato in Parmenide.*

Temporis partes sunt dies, noctes, anni, & menses; & hæc non erant antequam cœlum fieret: at cum ipsum productum est, hæc constituta sunt. *idem, in Tim.* Temporis partes Solis circuitus dicunt, quos vnà cum mundo Deus construxit, nõdum enim erant ante mundum astra, quare nec annus, nec mensis, nec temporum circuitus, quibus factus hic mundus mensuratur. *Tim. Locr. de mundi anima & nat.*

Temporis proprium est progredi, partes sunt dies, noctes, mẽses, anni; species præteritum, præsens, futurum. *Chalc. in Timæum Plat.*

Tempore quod mensuratur, omne vel secundùm essentiam, vel secundùm actionem generatio est eatenus quatenus mensuratur. *Procl. ele. Theol. prop. 50.* Tempore quod mensuratur, nihil sua natura substans est. *idem, ibid. prop. 191.* Tẽporis omne quod est particeps, & semper mouetur, & periodis mensuratur. *idem, ibid. prop. 198.* Tempus primum Platonici ponunt in anima prima, deinde in cæteris animabus, tertiò in corporibus, quatenus in his reperitur motus. *Marsilius Ficinus in Plot. En. 3. lib. 7. cap. 1.* Temporis partes ad mundana pertinentes referuntur ad totum tempus, quod passiuè est in mundo, atque hoc ad tempus quod in anima est actiuè, & illud ad ipsam æternitatem mentis diuinæ; in ipsa tamen mente differunt inter se quadam ratione formali intelligere & intelligi, item quod intelligit & intelligitur substantiâ tamen conueniunt. *idem, in Plotini En. 5. lib. 1. cap. 4.*

Tempus vt nunc, & vt factum est.

Tempus cum cœlo factum est, cùm simul facta simul etiam soluan-

soluantur, siquendo solutio eliqua ipsorum contingeret; & secundùm exemplum æternæ naturæ factum est, vt quam simillimum ipsi pro viribus sit, nam exemplar per omne æuum est id quod est. Hoc autem cursus perpetuò per omne tempus factum, & existens, & futurum est solum: ea qua ratione, & huiusmodi Dei ad temporis productionem cogitatione quo tempus fieret, Sol, & Luna, & quinque aliæ stellæ planetæ appellatæ ad numerorum temporis distinctionem, ac conseruationem factæ sunt. *Plato in Timæum.*

Tempus quod definiri non potest vel numero, vel alternatione, vel per alterius ambitudinem reditus, æternum est. *L. Apul. Asclepius.*

Tempus ante mundum esse non potuit, cùm nihil aliud tempora nisi cursus Solis efficiat. *Macr. in som. Scip.*

Tempus cùm connumeramus præsens, præteritum, & futurum, cur quantum tempus est non dicimus tantam esse felicitatem? quia tempus præsens solum est, & præteritum, & futurum non est: at felicitas si in vita bona consistit, certè in ente collocanda est, hæc optima est, nõ ergo tempore connumeranda sed æternitate, quæ in vniuerso sæculo consistit. *Plot. En. 1. lib. 5. cap. 7.* Tempus prius quàm ipsum prius oriretur, posteriorique indigeret, simul cum ipso in ipso ente conquiescebat nondum existens, sed in illo ipsum quoque quietem agebat. Natura verò quædam in multas pronior actiones, & sui iuris esse, sibique met imperare percupiens, atque eo quod præsens est plus aliquid habere semper eligens, iam & ipsa quidem agitata est, & simul effecit tempus deinceps semper atque in posterum, neque per idem, sed in alterum rursum atque alterum, nósque ex hoc motu longitudinem quandam processionis effectam excogitãte, tempus iam fingimus æternitatis imaginem: & cùm esset potentia animæ quædam inquieta, volens quod illic inspectum est in aliud transferre, mundum fabricata sensibilem superioris illius imitatione, agitatum motu, non qui ibi sit, sed illi potius similis, primò seipsam reddidit temporalem pro æuo id iam reportans, deinde operi facto dedit vt tempori seruiret, & generans actionem vnam aliam post aliam, & ipsum consequens: ideò si quis dicat tempus esse actum animæ in transitu in quodam motu ex alia vita in aliam perpetuò procedentem, forsan non nihil afferre videtur. *Plotinus Enn. 3. lib. 7. cap. 10.* Tempus anima vnà cum hoc vniuerso progenuit. *idem, Enn. 3. lib. 7. cap. 11.*

Tempus Plato volens explicare natum vnà cum cœlo inquit: quoniam eiusmodi vita cœlum facit, & vnà vita cœlum operatur & tempus, esséque ad æuum imaginem mobilem exemplaris æterni. *idem, ibid.*

Tempus non erat ante mundum, sed aut vnà factum est, aut post eum: est enim tempus spatium motus cœli, & affirmare esse antiquius est alienum à philosophia. *Philo Iud. de mundi opificio.*

Tempus nullum ante mundi inchoationem erat: sed stabile æternitatis punctum. *Marsilius Fic. in Platonica Theologia, lib. 18. cap. 1.* Temporalia omnia parua sunt, quorum quod est præteritum non est amplius, quod est futurum nondum est, quod est præsens est indiuisibile. *idem, epist. lib. 1.* Tempus præsens nil aliud est quàm momentum fugae inter præteritum & futuram, & pertinet ad tempus ferme, vt punctum medium ad lineam. *idem, in Plat. Parmenide, cap. 76.*

Tempus vt breue, longum, & æternum.

Tempus quo dormimus, æquale est ei quo vigilamus. *Plato in Theæteto.* Tempus à pueris ad senectam modicum quoddam est ad vniuersum comparatum *idem, de Rep. dial. 10.*

Tempus circa animam se versans imitatur æternitatem. *Plot. En. 5. lib. 1. cap. 4.*

Temporis proprietas, & vt in republica considerandum.

Tempus medicis noxium est, quotidie fallit ægrotum expectatione futuri, & antequam veteres expellat dolores nouos adiungit veteribus. & ita adiungit mala quotidie, vt fallaci spe vitæ deducat ad mortem. *Marsilius Ficinus in epistolis. lib. 1.* Temporalia iudicare facilius est admodum quàm amare *idem, ibid.* Temporis conditio corporis cuiusque conditione respondet, tempus semper fluit, semper in corpore alia qualitas aliam momentis singulis subsequitur. *Idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 19.* Tempus opportunum ad aliquem effectum nobis incognitum est, quo scilicet conuersiones ad hunc necessariò concurrunt cum reuolutionibus necessariis ad eundem, ac denique cum ipsa terrenorum præparatione conueniunt, ac præparantur, nam tunc fatum congruens cum natura effectum peragit. *Idem, in Plat. de Rep. dial. 8. cap. 1.* Tempora duo in republica consideranda, pacis & belli; & vt in bello pacis studia non sunt omittenda, sic in pace quæ bello necessaria sunt præuidenda. *Fran. Patr. lib. 2. cap. 5.*

Tenebræ non sunt luminis priuatio, sed lux minima, & opacissima. *Marsi. Fic. de lumine. cap. 9.* Tenebræ non sunt priuatio luminis, sed ipsæ quoque sunt actus. *Prisc. in Theophr. cap. 17.* Tenebræ non sunt visibiles, nullo enim intuitu videmus, sed priuatione cernendi, & eo quia non videmus. *idem, ibid. cap. 20.*

Tentationibus in principio est occurrendum. *Ioan. Picus Mirandul. de regulis dirigent.* Tentationem vincere dulcius est quàm ire ad peccatum *idem, ibid.*

Theophrastus copiosius & ornatius quàm eius præceptor Aristoteles scripsit, & pleraque suo ingenio memorat. digna addidit. *B. ff. Car. in calum. Plat. lib. 5. cap. 5.*

Terminatum nullum ab infinito potest pati. *Procl. elem. phy. pro. 13.*

Termini susceptaculum non est terminatum nec terminus, sed infinitum quatenus infinitum; nec destruit terminus infinitum, cùm non sit hoc infinitum quantitate, sed contra in esse cõseruat, producit enim eum in actum & perfectionem ad quam natura fuerat institutum. *Plotin. Enn. 2. lib. 4. cap. 16.*

Terminum & finem affert omne proximum eorum quæ sunt simplicius, vt anima naturæ operationem perficit, natura corporum motionem, & ante hæc mens animæ conuolutiones metitur, & ipsius mentis vitam vnam, illud enim mensura omnium est. *Procl. in Eucl. lib. 2 cap. 11.*

Terminus est pars propositionis. *Alcin. cap. 6.*

Termino quod sua natura caret, ab alio perfectiore terminandum est. *Mar. Fic. in Platon. Theol. lib. 1. cap. 5.* Terminus est magis vniuersalis quàm figuratum, nam quidquid figura præditum est, finibus est inclusum, at non contra. *idem, in Plato. Parmenide. cap. 61.* Terminum non habere duobus modis contingit, aut quia tam simplex natura, & supereminens est, & absolutum, vt neque interiorem partium habeat terminum, cùm impartibile sit, nec supra se nihil habeat, cuius limitibus circumscribatur, nec in aliquo iaceat, cuius coerceatur capacitate; aut quia informe, vagum, & errans ex se est, & termini indigum, & suapte natura præstare sibi optatum terminum impotens. Primum est omnium terminus, omnia limitans omnia formans, omnia sistens, omnia circunscribens; talis Deus est, qui extrinsecus omnia limitat: secundum cùm nullius sit terminus ab omnibus terminatur. *idem, in Plat. Phil. lib. 2. cap. 1.* Termini superficies sunt linea, & punctus, quæ cum profunditatis crassitudine careant corpora non sunt. *idem, in Platon. conuiu. or. 5. cap. 6.*

Ternarium hic Plato commendat, quia in tria vniuersum distribuit, in æterna, temporalia, & media: æterna sub trinitatis proprietate possident in essentia simplicitatem, in virtute stabilitatem, in actione reflexionem: temporalia in trina diuersione compositionem habent essentiæ, virtutis mobilitatem, & actionis transitum: inter has trinitates æternorũ, & temporalium anima habens medium septimum obtinet gradum *idem, in Plat. Tim. cap. 32.* Ternarius hic numerus bonum, pulchrum, iustum, tribus modis exponitur: primò bonum est Deus, Pulchrum mens angelica multiformis, iustum cœlestis anima mundana iustè distribuens: secundò bonum est forma ipsa, actúsque diuinæ naturæ, pulchrum eiusdem intelligentia, iustum voluntas eiusdem: tertiò bonum inter ideas est exemplar formæ, actúsque cuiusque atque naturæ: pulchrum exemplar ordinis, qui ex qualibet forma in se ipsa resultat: iustum exemplar ordinis, qui à qualibet forma atque in se refertur ad alias. *idem, in Plato. de republica, dialogo quinto.*

Terpander dicitur effecisse gemina tetrachorda per chordas septem vnà coniuncta. *idem, in Plato Timæum cap. 29.* Terpandri septicordium septem sonos habet: primum vocauit hypatem, secundum parypatem, tertium lichanum, quartũ mesen, quintum paramesen, aut triten, sextum paranetem, septimum, neten: & si eum motu diurno & eius qualitate comparatio fiat, hypatem cum Saturno, sequentes cum sequentibus planetis ordine conferemus: si autem cum motu diurno, eiúsque celeritate, & tarditate, hypatem cum Luna, & sequentes cum reliquis planetis superioribus comparabimus, inueniemúsque graues in cœlo sonos mixtos cum acutis, & eosdem orbes altero modo acutũ edere tonum altero grauem, ex ingentibus globis ingentes, ea diuinis diuinos, ex multiplicibus reuolutionibus pari ratione multiplices. *idem, ibid. cap. 31.*

Terra quid est, & vt rerum principalium.

Terra dicitur γῆ, sed melius significat quod vult, si γαῖαν no-

mines γαῖα enim genitrix rectè vocatur. *Plat. in Crat.*

Terram Democritus, vt Epicurus eſſe continuationem quandam corpuſculorum quæ intelligantur potius quàm ſentiantur connexis ſibi inuicem aſſignant in aliquo modo poſitis, & aliquatenus figuratis. Alij qualitatem addunt vt Anaxagoras, qui omnium materiarum naturam & proprietatem in ſingulis materiis congeſtam eſſe cenſet. Alij propter exiguitatem indiuiduorum corporum, quorum numerus in nullo fine ſit, ſubtilitatem materiæ contexi putant, vt Diodorus & nonnulli Stoicorum, quorum ſit fortuitus tam cœtus, quàm ſegregatio. *Chalcidius in Platonis Timaeum.*

Terra eſt organum temporis, non quod conuertatur modo ſtellarum aliarum, ſed quia loco ſuo hærens præbeat illis currentibus exortus & obitus, quibus modi temporum primi dies & noctes finiuntur, & ideò eam etiam appellauit Plato cuſtodem, & opificem noctis, & diei. *Plutar. in Platon. quæſtion.*

Terram vocat ſenſum Moſes, quia conſtitutionem corpori ſimilem & fermè terrenam ſenſus ſortitus eſt. *Philo Iudæus in legis Alleg. lib. 1.*

Terram nullum philoſophum principium poſuiſſe aſſerit Ariſtoteles, cùm tamen Pherecides Syrus terram dixerit eſſe rerum vnicum principium, & Theodoritus ait Colophonium & Xenophanem ita ſenſiſſe: non ſecus Parmenides exiſtimaſſe cenſetur, qui Xenophanis opinionem confirmauit. *Ioan. Franciſc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 1. cap. 5.*

Terra vt elementum, & vt cubus.

Terra vera in æthere eſt, & nos in cauitatibus ipſius habitamus. *Plato in Phædone.*

Terra quia æquilibrium eſt, ideò plus ad vnam partem, quam ad aliam non inclinatur. *Idem, ibid.*

Terram quod in ſe non habet, ſolidum eſſe nequit. *Idem, in Tim.*

Terra nutrix noſtra, circa polum per vniuerſum concluſa eſt: cuſtodem, & opificem noctis & diei Deus eam conſtruxit, primam & antiquiſſimam, ex corporibus quæ intra cœlum facta ſunt. *Idem, ibid.*

Terra in medio firmata, ſedes deorum, terminus, & dux noctis eſt, occaſus, & orientia generat, ſecundùm defectiones finium cœli, prout viſu, & terræ defectione circumſcribuntur: & antiquiſſima eſt omnium quæ intra cœlum ſunt corporum, neque enim aqua facta eſt abſque terra, nec aer abſque humido, & ignis humore, & materia deſtitutus, ex qua dependet, permanere poteſt. Quare radix, & fundamentum omnium terra firmata eſt in eodem momento. *Timæus Locrus de mundi anima & nat.*

Terra in medio collocata eſt fundamentum omnibus per eam incidentibus ſtabiliſſimum; & quod continua ſit ex ſe, ſa poſſidet; illuſtratur igne, & ad euitandam nimiam ariditatem aquæ eſt particeps; & vt non prohibeantur partes eius cum partibus conſpirare, habet aerem, qui terræ molem quadam leuitate ſuffulcit. *Plotin. En. ſecunda, libro primo, cap. 6.* Terram nullo modo in cœlo eſſe oportet nitori & ſplendori cœleſtis ignis impedimento futura eſt. *Idem, ibid.*

Terra omnis puncti vice in medio poſita eſt, quod ex horologiis patet, quæ hoc ſupponentia non errant, in quauis parte ponantur. *Chal. in Pla. Tim.*

Terra omnium antiquiſſima dicitur, vel quia locus eſt animalium capax, & regio & locus neceſſariò præcogitatur iis quæ in loco ſunt, vel quia vt punctum ſe habet, quod omnibus magnitudinibus antiquius eſt. *Idem, ibid.*

Terram & cœlum fecit Deus, vt atteſtatur ſapientiſſimus Moyſes non humana facundiâ, ſed diuinâ fœcundâ inſpiratione vegetana. *Idem, ibid.*

Terræ congruam vniuerſitatis ſedem non aſſignaſſe vmbilicum pœnituit Platonem teſte Theophraſto. *Plutarchus in Plato. quæſt.* Terræ ſoliditas, atque ſtabilitas in cœlo abſq; craſſitie in vaporea quaſi forma regnat. *Ficin. in Platonis Tim. cap. 22.*

Terra nunquam naturaliter à medio mundi diſcedit, quia ſolum hoc naturaliter appetit. *Idem, ibid. cap. 26.*

Terra in vniuerſitate media eſt Platoni; Epicuro verò nihil eſt natura medium, terra verò eſt deorſum. *Iacob. Carp. in Alci. defenſione.*

Terra omnium media poſita eſt circa diſcordiam agitationémque quæ per totum porrigitur coarctata diei noctíſque cuſtos, deorum omnium qui intra cœlum ſunt antiquiſſima, ac poſt ipſam mundi totius anima dulcia nobit alimenta miniſtrat, circa quam cœlum voluitur & ipſa aſtrum quoddam eſt, ideò immota permanet, quia æquilibrata eſt in medio ſimilis continentium. *Idem in Alcin. cap. 15.*

Terra figura.

Terræ cubica figura danda eſt, ex quatuor enim generibus terra maximè immobilis eſt, & ea corporeis maximè compacta; neceſſe eſt tale maximè factum eſſe, quod ſecuriſſimas habet baſes, vt in triangulis ſecurior ſecundùm naturam eſt baſis eorum, quæ æqualia latera habent, quàm inæqualia, & quod ex vtroque compoſitum eſt planum æqualium laterum triangulum, tum ſecundùm partes, tum ſecundùm totum, neceſſariò ſtabilius conſiſtit, quàm æqualium laterum triangulum. *Plato in Timæo.*

Terram ſphæricam eſſe comprehenditur, quia non iiſdem momentis dies vbique illuceſcit, & nox ſuccedens vmbras facit, ſed in oriente citius, in occiduis regionibus tardius fit dies & nox, vt neceſſe ſit eſſe aliquam eminentiam inter vtramque cœli plagam, quæ obiecta teneat noctis vmbras. *Chalci. in Plat. Timæum.*

Terram rotundam eſſe patet ex Lunæ defectibus, qui non eodem tempore, ſed diuerſo & orientalibus, & occidentalibus apparent. *idem, ibid.*

Terra montium ratione non globum dicimus, ſed globoſum, non pilam, ſed pilæ ſimulachrum. *ibid.*

Terræ conuenit cubus ſex præditus faciebus. *Ficin. in Plat. Timæum, cap. 41.* Terræ figuram cubicam tribuit Plato, quia ſolidiſſima eſt, & ſtabiliſſima. *idem, ibid. c. 40.*

Terræ quantitas & color.

Terræ vmbra, quæ nox vocatur, ſexagies in altum multiplicatur ab ea menſura quam terræ diametros habet. *Macra. in ſom. Scip. lib. 2.* Terræ ambitus habet ſtadiorum millia ducenta & quinquaginta duo, cùm tantum ambitus teneat ſine dubio octoginta millia ſtadiorum. *idem, ibid.* Terra alba eſt ex ſe, quamuis ex aliarum rerum mixtione nigra videatur. *Ioan. Fr. Pic. Mirand. de elementis, c. 5.*

Terra vt mobilis, immobilis, & ſe habet ad alia elementa.

Terræ moles ignis & aer non liquat, cùm enim minores partes à natura habeant quàm ſint vacua conſtitutionis ipſius per multam amplitudinem progredientia, non vim inferentia, ſed indiſſolutam ipſam ſinentia, illiquatam exhibet. *Plat. in Tim.* Terram non compactam per violentiam ſola aqua ſoluit, compactam autem præter ignem nihil, nulli enim præterquam igni ingreſſus datus eſt. *idem, ibid.* Terra compulſa ab aere vt ab aqua diſſolui non poſſit conflatur in petram, quæ pulchrior eſt ſi pellucida fuerit, & æqualium ac planarum partium, turpior ſi contrario. *ibid.*

Terra humiditate relicta ab igne fuſilis facta, & poſtea frigefacta, fit lapis niger. *Pla. in Tim.* Terra ſi ab igne compacta fuerit, ſiccior illa, & humiditate omni abreptâ efficitur creta. *idem, ibid.* Terra occurrens igni, & ab acumine ipſius diſſoluta, ſiue in ipſo igne ſoluta fuerit, ſiue in aere, ſiue in aquæ mole, fertur donec ipſius partes alicubi conuenerint, & rurſus ipſæ ſibi ipſis coaptatæ terra factæ fuerint, non enim in aliam ſpeciem vnquam tranſierint. *ibid.*

Terræ circumfuſus eſt humor quaſi quoddam ad combuſtionem obſtaculum. *Mercur. Triſmeg. Pim. cap. 7.* Terra quodammodo ſola ſtabilis, tamen multis motibus agitata eſt, parturire enim non poſſunt quæ non mouentur. *idem, ib. c. 12.*

Terra etſi ad motum eſt inepta, tamen non eſt immobilis & ſentit non minima quæque, ſed magna, quia præſente hic animâ neceſſe eſt maximos motus non latere, & ſenſus habere non obſtat, vt quæ ad homines pertinent bene diſponat, vt ad ipſa humana officia pertinent: & fortè ad animalium prouidentiam & culturam expedit vti olfactu liquorum, & ad proprij corporis cultum: ſed non talia inſtrumenta exigenda ſunt, qualia in nobis ſunt, nec in omnibus animalibus eadem ſunt, vt aures non in omnibus, nec lumen deſit cùm ſuſpiritus eſſe perſpicuum neceſſe eſt: ideò non eſt abſurdum putare animam terræ videre. & hæc dea eſt. *Plot. En. 4 lib. 4. c. 26.*

Terram Deus ſeparauit ab aquis ſalſis ne fructificationi nocerent, reliquit dulces vt quaſi pro glutine iungendis partibus diſtantibus ſeruiant. *Philo de mundi opif.*

Terram ſtare Plato ſenſit nec audiendi ſunt, qui aliter dicunt. *Seb. Fox in Plat. Phædro.*

Terra tanquam ſtabilis, & vnum aliquid ex primis mundi membris, antiquior videtur etiam ſtellis, tanquam mobilibus, & poſt primas mundi partes adiunctis. *Marſi. Fic. in Plat. Tim. c. 22.* Terra quaſi totus eſt mundus, in cuius viſceribus aquea, aeria, ignea flumina comprehendantur: atque ita dominator infra Lunam, vt in cœleſtibus ignis. *idem, ibidem.* Terra fermè inconuertibilis eſt, & cùm in alia elementa videtur excoriata, tandem vt ſub igne cinis, vel arenula ſub aqua reſidet in ſeipſa. *idem, ibid. c. 453.*

Terram alij non moueri dixerunt; Philolaus in gyrum motari exiſtimauit circum ignem in obliquo circulo inſtar Solis, & Lunæ

Lunæ. Ponticus Heraclides & Pythagoreus Ecphaotus minimè illam traospoount rotæ instar cinctam, sed mouent ab occidente in uriontem circa ipsius eiusdem centrum, Nicoas Syracusius omnia immobilia esse, terram autem circum aaem summa celeritate moueri, quam & aliqui upinati sunt fuisse Platonis in Timæo opinionem, sed obscurius dictum. *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. va doct. gen. lib. 1. cap. 12.*

Terra inter omoia elementa à cœlo maximè remota existit, quia omnibus elementis grauior & crassior est. *Leo Heb. de Amo. dial. 2.*

Terra cùm omnium elemeotorum sit ignobilissima, tamen in ipsa tot oobilissimorum mixtorum genera geoerantur, quia cùm semper hæreat ceotro, omoium corporum cœlestium radios suscipit, & influxus in vnum conuenientes, quod io aliis elementis fieri nequit. *Idem, ibid.*

Terra vt generationi apta.

Terræ species quæ per aquam colatur lapideum sit genus. *Plato in Timæum.*

Terrâ genitum nihil olympiis præstaotius est. *Idem, de legib. dial. 5.*

Terra sola in seipsa consistens, omnium est receptrix, omniùmque generum, quæ accipit, restitutrix. *Mer. Trismegisti Asclepius cap. 2.*

Terra hæc infima est vitæ particeps cùm opera vitæ exerceat, & si hæc sensibilis terra viuit, quantò magis illa superna, hæc enim est secundaria & ab illa exorta. *Arist. Theo. Ægyp. li. 14. cap. 10.*

Terra si plantis tribuit vim genitalem, vel vim ipsam eis præstat, vel in se eam seruat, eius verò vestigium plaotis tribuit atque ita affecta iam erit planta, vt caro iam animata, & hac conditione plantæ si genitalem qualitatem habent inde traxerunt: & lapides quum à terra extrahantur non amplius crescunt: quocirca putandum est quamcunque partem quoddam in se habere vestigium, deinde sensualis ipsius naturam non vltra commixtam corpori, sed incubantem, & præterea aliam mentem ac animam, quam Vestam, & Cererem nominant homines illi, qui oraculo & ingenio diuino freti, hæc vaticinantur. *Pla. En. 4. lib. 4. cap. 2.* Terra animam vegetalem habet, quod coniectare quis potest per ea quæ ex ipsa nascuntur, & si animalia multa ex ipsa nascuntur, quid prohibet iudicare ipsam esse animal? & cùm sit tam ingens animal, nec exigua mundi portio, cur non habere mentem & ita Deum esse existimamus? & si quamlibet stellam esse dicimus animal, quid prohibet terram quoque fieri animal, cùm sit tonus animalis pars? nec putandum eam extrinsecus ab aliena anima contineri, intrinsecus verò animam non habere, quasi ipsa sola animam habere nequeat, cùm ignes animam habeant. *Idem, ibid.*

Terra in se diuinam quandam proportionem, fortémve suscepit ad capiendos Deos sufficientem. *Iamb. de myst.*

Terræ anima rationalis est; quandoquidem animalia quędam terræ ratione non carent, præsertim cùm opera terræ pulchriora sunt quàm hominum opera, si anima huius infimi globi ratione capta non est, neque superiorum globorum animæ rationes sunt expertes. *Mar. Fic. in Plato. Theol. lib. 4. cap. 1.* Terræ vt puncto vniuersi existenti ab ipsa mola molis immensæ conclusæ mirabiliter ordinatæ, nihil nòn ordinatum euenire potest, vt etiam quæ interdùm casu quodã fluitare videntur certò scias penes ordinẽ vniuersi suo quodam ordine non carere, penes ordioatorem in quam mundi totius intellectum. *idem, in Plat. En. 3. lib. 3. cap. 2.*

Terra cùm animalia generet, etsi mundani animalis membrum, & necessarium, & minimè contemnendum, est animal intellectuale, & diuinum, & seosum habet, nam in anima vis iudiciaria viget, quæ coniuncta corpori suo percipit & iudicat sui corporis passiones; id autem est sentire. *Idem, in Plo. En 4. lib. 4. cap. 22.*

Terræ motus causam esse Nicolaus Cusa dixit quod terra tremit intus quo motu & tremore corruant ædificia, cuius caosam Thales, & Democritus in aquam referunt, Anaximenes siccitatem, & raritatem terræ causam esse putauit, Anaxagoras aerem, alij ignem, Stoici humorem qui in aerem secedit & excidit, Peripateticis pugnam caloris & frigoris; nam cùm calidum ad superiora contendat, eius aduersa exhalatio obsistat, excitas commotionem. Metrodorus non potas moueri naturaliter, sed aliquos locos ab aliis impelli. Democritus, & Parmenides non moueri terram, cùm æqualiter ab omnibus partibus distet, sed solùm quassari. Anaximenes ob latitudinem incubare, alij malunt eam super aquam moueri non secus ac quæ latitudine polleus. *Ioan. Franc. Picus Mirand. in exam. vanitat. doct. gentium. libr. 1. cap. 12.*

Terrena omnia sunt mortalia. *L. Apul. Ascla.*

Terrena quæ sunt magis cadunt, & se ipsa attollere non possunt, quæ sibi ipsis sufficiunt, minus alia turbant: ideò corpora quæ vita carent in proximum quemque molestius incidunt: at animata, quæ magis èns participant, quo magis esse possident, eo magis innoxia proximis o tingere solent: ideò motio magis adest iis quæ minus corpulenta sunt. *Plot. En. 3. lib. 6. cap. 6.*

Terrena natura cùm lumen cœleste non recipiat, terrenos à nobis affectus longè expellere debemus, vt diuino lumine impleamur. *Marsilius Ficin. in Plat. de republica dialoga septimo.*

Terreni Numinis authoritatem declarant cœlestia dum circa hunc cardinem reuoluuntur. *idem, in Plato. Timæum. cap. 22.*

Terrenæ partes in nobis ab externis vix mutantur, ipsámque alterationem sensui minimè nunciant, igneæ verò aeræque facillimè patiuntur, nunciant, aqueæ mediocriter. *idem, ibid. cap 58.*

Terrena omnium plurimum ordinatissimè nascuntur atque procedunt, & terra ad reliquum mundum est, vt punctum. *idem, in Plo En 3. lib. 3. cap. 2.*

Testamentum quicunque fecerit in quo bona sua legat, si filiorum pater est, primum ex filiis quemcunque voluerit hæredem instituat, quem verò ex aliis filiis adoptandum dederit, itidem conscribat. Si verò supersit aliquis filius non ad aliquam sortem adoptatus, quem secundùm legem in coloniam emittendum esse sperat, huic ex aliis opibus dare liceat quæcunque pater voluerit, paternâ sorte exceptâ, & instrumento omni ad sortem pertinente. & si plures fuerint, ea parte distribuat pater quomodo voluerit ea quæ supersunt vltra sortem. Cuicunque verò de filiis domus fuerit ei de opibus non tribuat, & similiter filiæ cui desponsus velut maritus futurus fuerit non tribuat; cui verò non fuerit quis disponsus, ei tribuet. Si verò alicui filio, aut filiæ sors obuenerit intra regionem vernaculam post factum testamentum, hæredi eius, qui testamentum condidit, relinquatur. *Pla. de legibus dial 11.*

Testamentum qui condidit, si masculos non reliquit filios, sed filias fœminas, maritum cuiuscunque filiæ voluerit relinquat hæredem conscriptum & si filius alicui moriatur puer adhuc, priusquam in virum euasit, siue naturalis sit, siue adoptatus, etiam de tali fortuna scribat, qui testamentum condit, quem eius loco meliore fortuna succedere velit. *idem, ibid.*

Testamentum qui condit omnino existens sine liberis, decimam partem vltra sortem acquisitam eximat, & cuicunque voluerit donet, reliqua verò omnia adoptato tradat, & sine reprębensione adoptatum filium placidum faciat. *idem, ibidem.*

Testamento non liceat cuique quæcunque voluerit relinquere, cùm opes non sint propriæ suæ sed vniuersi generis, & superioris, & in posterum futuri, & adhuc magis ciuitatis, & totum genus, & opes; atque his ita se habentibus siquis vos in morbis ac senectute fluctuantes blanditiis adortus suaserit vobis vt præter eius quod optimum est rationẽ testamentum condatis legislator non permittet, sed quod omni ciuitati optimum est. *idem, ibid.*

Testamentum qui condit, & eius liberi tutoribus opus habent, si tutores scribit quos & quot voluerit, electio rata habeatur; at si nòn condiderit testamentum, aut tutorum electionem non absoluerit, proximi genere à patre, & matre, tutores rati sint duo à patre, duo à matre, vnus ex mortui amicis quos constituant legum custodes. *idem, ibidem.*

Testamento non facto, qui mortuus fuerit, & filios tutelã egentes reliquerit, eorum egestas earundem harum legum particeps fiat. Si filias quis inexpectata fortuna vsus reliquerit, veniam feremi legem dabit; si de tribus ad ipsum pertinentibus ad duo tantum respiciens filiam ipsius in matrimonium locabit, & ad generis propinquitatem, & ad sortis conseruationem. Tertium, quod pater considerare potuisset, vt ex omnibus ciuibus habitus, & mores intuitus idoneum sibi filium, & filiæ sponsum elegisset, hoc relinquet, cùm hæc consideratio ex his sit, quæ fieri non possunt. *idem, ibid.*

Testamento non condito si quis moritur non relictis filiis nec masculis, nec fœminis, reliqua fiant vt in lege de iis qui filias reliquerint; verum fœminæ & mares, velut contubernales ex genere subinde eant in desertam domum, quorum sors propriè fiat, prima soror, secunda fratris filia, tertia sororis filia, quarta patris soror, quinta patris fratris filia sexta patris sororis filia; hæ verò cum illis cohabitent

iuxta fas & propinquitatem, velut antea sanciuimus. *idem, ibid.*

Testamentorum de legibus si quis, & de quacunque re alia, & de nuptiis conqueratur, si præsens esset & viueret legislator, nunquam ita facere cogeret, nec nubere, nec vxores ducere, eos qui nunc vtreque facere coguntur, & sit aliquis ex cognatis, & tutoribus, qui asserat & dicat legislatorem, arbitros & patres quindecim ex legũ custodibus reliquisse pupillis vtriusque sexus; ad hos defugiant, & ab his iudicentur, qui de huiusmodi aliqua re dubitant, & horum decreta rata habeant. Si verò cui maior vis inferri videatur à legum custodibus, is ad selectorum iudicium iudicem ipsos perducat, & de controuersia iudicium ferat; victo autem vituperium, & opprobrium à legislatore sanciatur; quæ pœna multò grauior est apud eum qui mente præditus est, quàm vlla pecuniaria mulcta. *idem, ibid.*

Testamento non condito si quis filias reliquerit demortui frater ex eodem patre, aut qui sine sorte est ex eadem matre, habeat filiam & sortem defuncti: si verò frater non extiterit, sed fratris filius, eodem modo, si in ætate inter se idonea fuerint: si verò nullus horum, sed sororis filius extiterit, eodem modo, quartus patris frater, quintus huius filius, sextus sororis patris filius, eodem modo semper genus procedat iuxta propinquitatem, si quis filias reliquerit per fratres, & nepotibus ex fratribus, ac sororibus procedens primum masculos, deinde fœminas in vno genere. *idem, ibidem.*

Testimonium falsum si quis bis didicisse compertus fuerit, eum nulla lex amplius testimonium dare cogat: si ter, non amplius testimonium dare liceat: & si qui ter deprehensus fuerit falsum dedisse testimonium, ausus fuerit dare testimonium, quicunque ad magistratum deferat, si condemnatus fuerit morte plectatur. *idem, ibid.* Testimonium qui ferre non vult in iudicium trahatur, si fert testimonium ferat, si non voluerit & nescire dicat, tres deos Iouem, Apollinem, & Themidem iuret reuera se nescire, & sic de iudicio discedat, at qui non comparet, reus sit damni secundùm legem ei qui ipsum vocauit: si verò quis aliquem iudicem excitet testem, is dato testimonio de hac causa iudicium non ferat. *idem, ibid.*

Testimonium vetustatis grauissimum est. *Aug. Steuch. de peren. philos. lib.* 10 *c.*19.

Testes multos & claros in iudicio qui producunt se conuincere aduersarium putant. *Plat. in Gorg.* Testibus condemnatis maior pars dimidii qui vicit, irritum sit iudicium. *idem, de leg. dial.* 11.

Tetrachorda sunt quinque, hypate, mese, synemmena, diazeugmena, hyperbolæa: in quinque interuallis collocatæ sunt vagæ stellæ, quarum vnum est à Luna ad Solem æquantesque Solis cursum Mercurium & Luciferum, alterum huic proximum ad Martis stellam, tertium inter hanc & Iouis, quartum inter hanc & Saturni stellam, quintum inter Saturnum & globum fixum. *Plutar. de anima gen. in Tim.*

Tetrachordij vnicum inuenit Mercurius, geminum per chordas septem vnà coniunctum Terpander, geminum per chordas octo dispositum & disiunctum Lycaon Samius. *Marsi. Fic. in Plat. Tim. c.* 29.

Textura in aliqua, ac etiam in alia plicatura fieri non potest vt ex iisdem & tramam quis & stamen efficiat, sed necesse est vt virtute præstet staminum genus, robustum enim est & ex tortura firmitatem accepit, trama verò mollior est, & iusta quadam moderatione prædita. *Plat. de legib. dial.* 5.

Textoria est ars, quæ coagmentat in lanificio cum directa subteminis & staminis complicatione texturam effecerit. *idem, in dial. de regno.*

Texturæ opus complicatio est. *idem, ibid.*

Thaletem Astronomiæ intentum increpauit ancilla in puteum delapsum, quòd ea quæ in cœlo essent scire studebat, & quæ ante pedes sita essent ipsum laterent. *idem, in Theat.* Thales sapientissimus quæsitus à Mandraito Prieneuse quã mercedem vellet pro his quæ docuerat ipsum, respondit tantum velle, vt quòd ab ipso didicit cùm proferre apud quospiã cœperit ipsi non asciscerer, sed eius inuenti Thaletem repertorem prædicaret. *L. Apul. Flor. lib. 4. Metamorph.* Thales primus inuenit quòd omnes anguli, trianguli æquicruri qui ad basim sunt æquales sunt. *Proclus in Euclid. lib. 3. comm. 9.* Thaletem qui secuti sunt, res naturales in eis ipsis, vt sensui obiiciebantur, considerabant, & ab obseruãdo syderum cursu non abhorrebant: primus enim eorum rationem Thales docuit, & primus Geometriam inuenit apud Græcos. *Io. Fr. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 1. cap. 2.*

Themistius ait de anima candẽ esse Arist. Platonis, & Theophrasti sententiã, sed tantũ verbis dissidere. *Mar. Fic. in Pref. super Theo. ex pro.*

Themistoclis dictum præclarum, qui Seriphio cuidam conuicianti, ac dicenti, quod non ob seipsum, sed propter patriam ciuitatem in existimatione esset, respondit, quod neque ipse si Seriphius esset ad eam nominis claritatem peruenisset, neque ille si Atheniensis. *Plat. de rep. dial.* 1.

Theodorus Bisantius Rhetor optimus erat orationum artifex. *idem, in Phadro.*

Theologia alia nobis vnitè, alia discretè nobis tradit; & quæ vnitè diuidere non est fas, neque discreta confundere, sed ipsam sequendo quantum vires suppetunt ad diuinos splendores conferre nos expedit. *Dion. Areop. de diuinis nom.*

Theologiæ inter omnia mysteria apparet euidẽtissimum quod Iesus formatus est in natura nostra diuinitus, ineffabile prorsus est omni sermoni, omni ignotum intelligentiæ, ipsi quoque antiquorum angelorum primo. Iam verò quod essentiam virilem assumpserit accepimus in mysterijs, ignoramus quo pacto ex virgineis sanguinibus lege quadam non naturali formatus fuerit, & quomodo siccis pedibus corporale pondus, & materiæ grauamen habentibus liquidam & instabilem substantiam perambulauerit, & alia perfecerit, quæ supernaturalem Iesum, naturam, & rationem declarant. *idem, ibid.*

Theologi finis est supernarum causarum cognitio. *Alci. cap.* 7.

Theologiæ rationes nemo subtilius Platone attigit. *B ss. Card. in calum. Plat. lib. 1. cap.* 7.

Theologorum omnium veterum sapientia omnis manaeit à Zoroastre. *Marsi. Ficin in Plat. Theolog. lib. 4. cap.* 2.

Theologiam Platonis qui lecturus accedit, prius sobrietate animi, mentisque libertate se præparet, quàm attractare mysteria cœlestis operis audeat. *idem, in Plat. Parmenid.*

Theologi statum metiuntur æternitate, motum philosophi tempore, amantes tempus affectu. *idem, in epist. lib.* 1.

Theologi antiqui fuerunt sex, primus Zoroaster Magorum caput, secundus Mercurius Trismegistus princeps sacerdotum Ægyptiorum, postea Orpheus, deinde Aglaophemus, quintus Pythagoras, sextus Plato. *idem, in Plat. Theol. lib.* 17. *cap.* 1.

Theologorum veterum mos erat sacra ipsorum puráque arcana, ne à profanis & impuris polluerentur, figurarum vmbraculis tegere. *Idem, in Plat. conuiuium or. 4. cap.* 2.

Theologorum nonnulla mysteria circa Deum sunt, quæ non vulgum modò, sed etiam elegantes plerunque fatigant, è quibus id vnum est nihil ex his quę intelliguntur absolutè de Deo affirmari debere. Quidquid intelligentia definitum est, infra infinitum Deum extare compellitur. Ad hæc mysteria secretiora ita plerique docti adbuc sunt inepti, vt vulgus ad leniora, vsque adeò vt etiam nonnulli quamuis acumine, memoria, iudicio valeant, diuque hęc audierint, nondum tamen perfectè comprehendant, quia etsi ad alia, ad theologica nati non sunt, vel si nati, non tamen congruè eruditi & educati, vel si eruditi & educati, nondum ætatis maturioris beneficio à perterbationibus segregati: perturbatio autem quia distrahit, & ad materiam trahit, idcirco alienam reddit mentem à Deo, quo nihil à motu à diuersitate, à materia potest remotius cogitari. *Idem, in Plat. epist.* 2.

Theologia animum hominis in corpus mersum supra se rapit, & extra se ipsum attollit in Deum. *idem, in Plat. Alcib.*

Theologia Parisiensis nil aliud mihi videtur esse quàm mixtio quædam ex diuinis scientijs, & naturalibus rationibus resultant. *Io. Fran. Pic. Mir. de studio philoso. lib. 1. cap.* 3.

Theologia nihil habet altius mysterium, quàm patris ac filij diuinitatem & notionem; quod propter magnitudinem, & necessitatem omnibus seculis fuit obscurum. *Aug. Steuch. de pere. philoso. lib* 1. *cap.* 3.

Theologiæ Chaldaicæ de filio Dei, & ab æterno genita mente testimonia Magi, & Sibyllæ literis græcis fidissimè comprehenderunt. *idem, ibid.*

Theologia vetus non alia fuit quàm hæc nostrorum seculorum. *idem, ibid.* Theologiam Græci à Barbaris didicerunt, ergo eadem est Theologia. *idem, ibid. lib. 2. cap.* 2.

Theologia antiqua, & quæ cum Theologia finitima est poesis ab hominibus Barbaris ad Græcos peruenit, tum quia homines prisci primi terrarum coloni ab vna stirpe orti, in qua copiosissima viguit rerum diuinarum, magnarumque scientia, eam secum in omnem terram detulerunt, tum quia sciẽdi cupidi terris suis relictis ad cæteras nationes vbi nomẽ sapientiæ celebrius ferretur accedebant, cum quia lumen naturæ cum prioribus rationibus iunctum deduxit quosdam ad naturalem quandam verissimámque de Deo scientiam. *idem, ibid. lib. 3. cap.* 7.

Theologiæ Græcæ & Hebraicæ mirabilis est cum Romana concordia de animorum conditione, siue eorum sit designandus ortus & origo, siue natura & proprietas, siue futurus

eorum

eorum post à corpore discessum status. *Idem, ibi. lib. 9. cap. 15.*

Theologia profana cœlestii ita se deuouit, vt nullam aliam sibi metam studiorum præfixisse videatur quàm eam quam ei doctrina cœlestis ostendit. *Idem, ibid. lib. 10. cap. 18.*

Theologia nostra nil aliud est, quàm priscorum seculorum caligantis & obscuræ iam, quam animis hominum impresserat Deus, & voce sua in creatione, post in secuto tempore per nuntios tradiderat, scientiæ reuelatio. *Idem, ibid. cap. 23.*

Theologia nostra, & veterum tota est concatenata, & mutuis nexibus implicita. *Idem ibid. lib. 2. cap. 5.*

Theologiæ Ægyptiæ librum composuit Aristot. *Steph. comb. de ass. mundum Deum lib. 3. cap. 2.*

Theologi nonnulli recentiores duobus rationibus potissimum adducti propriam quandam atque ingenitam differentiam inter amorem, ac desiderium posuerunt. *Leo Heb. de Am. dialog. 3.*

Theon summus mathematicus cōposuit compendium mathematicarum disciplinarum ad libros Platonis. *Bess. Cardina. in calumn. Platon. lib. 1. cap. 8.*

Theon Smyrneus mathematicæ Platonicę professor fuit. *Mar. Fic. in Plat. de rep. dial. 8.*

Theophrastus longè plura, nec deteriora quàm Aristoteles scripsit. *Bessa. Card in Calum. Plat. lib. 2. cap 3.*

Theorematum alia elementa, alia elementaria, alia extra horum vim determinantur. *Proc. in Euc. lib 2. cap. 7.*

Theoremata elementa vocantur illa quorum consideratio ad aliorum pertransit scientiam, & ea quibus dubiorum, quæ in ipsis cooriuntur, succurrit nobis solutio. *Idem, ibid.*

Theoremata elementaria sunt quæ ad plura se extendunt, & simplicitatem & suauitatem habent, non tamen eiusdem sunt dignitatis vt elementa. *idem, ibid.* Theoremata considerant, quę per se se accidunt singulis figuris. *idem, ibid. cap. 8.*

Theorematibus ipsis quæ subiecta consequuntur perspicere, ac cognoscere proponimus. *idem, in Eucl. lib 3. cap. 1.*

Theorema aliud præcedens aliud conuersum: præcedens est, cùm aliquod genus supponentes, aliquod de ipso symptoma demonstrauerint: cum è contrario suppositionem symptoma fecerint conclusionem verò genus cui hoc accipit, conuersum tale nuncupauerunt. *Idem, ibid. cap. 10.*

Theoremata alia localia sunt quibus idem symptoma in toto quodam loco accidit, alia non localia. *Idem, in Eucl. lib. 4. com. 9.*

Theriaca mirabilem virtutem habet contra properantem senectutem, & venenum: & magis iuuaret si opportunum ad faciēdam obseruatione cœlestium tempus eligeretur. *Mar. Ficin. de vita cœlitus comparanda lib 3. cap. 12.*

Thesaurum quem quis sibi & suis reposuit, vt non sit meorum parentum, nec vt inueniam à dijs precabor, neque inuentum mouebo, nec cum his, qui diuini vocantur, communicabo, qui quomodocunque mihi consulant, depositum tollam, nunquam enim sublato eo, tanta ex opum possessione vtilitas mihi accedet, quanta ad virtutem animi moles, & ad iustitiam incrementum accedet, si non tollam, & pro vili possessione meliorem in meliori parte acquiram, vt qui iustitiæ possessionem in anima, diuitiarum in re familiari possessioni præferam. Quod enim de multis dicitur, non mouere oportere non mouenda, etiam de hoc velut vno ex illis dici potest, sed & narrationibus, quæ de his feruntur, credere oportet. Quod ad successionem liberorum talia nō sunt cōmoda. *Plat. de leg. dial. 11.*

Theseus instituit Athenis festum vt nauis qua Athenis, in Cretam vectus erat vt Minotauro offerretur, & incolumis redierat cum socijs, quot annis Delum mitteretur, quo Apollini ciuitatis nomine sacra fierent quo tempore non licebat aliquem capite punire: & festum hoc ramorū appellabatur, & nauis hæc durauit vsque ad Demetrij Phalerei tempora, solita semper refici tabulis nouis. *Sebast. Foxius in phæd. Plat.*

Thessali ante hoc tempus fuerunt clari inter Græcos, & in admiratione constituti, & ob equitandi artem, & ob diuitias, nunc etiam ob sapientiam, cuius rei author fuit Gorgias, qui eas docuit, vt & ipse profitetur de quacunque re interrogatus respondere. *Plat. de vir.*

Thetis compositum est ex διαττώμενον & ἠθούμενον, namque quod prosilit & percolatur, id fontis similitudinem habet. *idem, in Crat.*

Thus mandere distillationibus, & sensibus omnibus & memoriæ succurrit. Muscata nux & theriaca detenta prodest. Maioranā vel eius aquā naribus admotā, & post cibū coriandro, & pomis cydoneis fumos coercebimus. *Mar. Fic. de studio. san. tuen. cap. 14.*

Tiberius Cæsar inter nocturnas tenebras videbat, re visibili præsentatā sensus eius non fallebatur in nocte. *Ioan. Francisc. Pic. Mirand. in exa. va. doct. gen. lib. 2. cap. 23.*

Tigris sonum tympanorum formidat. *idem, ibid cap. 22.*

Timæi siue de natura dialogi subiectum est vniuersa natura: idest, seminaria quædam & viuifica virtus toti infusa mundo, animæ quidem mundanæ subdita, materiæ verò præsidens, eodemque ordine singula pariens, quo & animus concipit, tam diuinam suscipiens mentem, quàm appetens bonum. *Mar. Ficin. in Plat. Tim. cap. 1*

Timiditas quæ δειλία dicitur validum animæ vinculum significat. *Plat. in Crat.* Timor est expectatio futuri mali. *idem, in Lachet.* Timiditas est extremum malum, ita vt morti sit conferenda. *Idem, in Alcib. 1.* Timidi ex imperitia & ignorantia audent turpia & mala, & propter horrendorum imperitiam timidi sunt, & propter non horrendorum. *Idem, in Protag.*

Timor & pudor sufficiūt ad prohibendum, ne violare aliquem tentent homines in ciuitate nostra; pudor prohibens velut parentes non attingere, timor ne læso alij opem ferant, alij vt filij, alij vt fratres, alij vt patres. *Idem, de Rep. dial. 5.*

Timoris species duæ. timemus mala & futura expectantes, timemus opinionem ne mali putemur, si quid minus honestum facimus, aut dicamus, quem timorem pudorem vocamus. *Idem, de leg. dial. 1.*

Timiditatis proles in nobis est otium, otij & delitiarum proles est segnities. *Idem, de leg. dial. 10.*

Timiditas est prima causa succurrentis impetus. *Speusip. in Plat. definitionib.*

Times illud quod pati potest. *Plot. En 1. lib. 1. cap. 2.*

Timoris principium est in anima, pallor in corpore dum ad interiora relabitur, & in voluptate sensibilis ipsa manifestáque diffusio & dilatatio fit in corpore. *Idem, Enn. 3. lib. 6. cap. 3.*

Tinctores vbi lanas tingere volunt, vt sint purpureæ, primum ex tot coloribus eligunt vnam naturam ipsarum: albarum deinde præparant non modico apparatu curatas, quo quàm facile florem suscipiant, atque sic tandem tingunt, & quæ sic tincta fuerit prorsus imbuta euadit ex loturis neque sine repugnantibus, neque cum ipsis, florem ipsarum auferre potest: quæ verò non ita tinctæ sunt, ridiculæ fiunt. *Plat. de Rep.*

Tolerantia est perpessio molestiæ honesti gratiā, perpessio laborum honesti gratiā. *Speusip in Plat d finit.* Tolerantia est pretiosissimum bonum. *Mar. Fic. epist. lib 1.* Tolerantia est virtus, qua quæ difficilia, aut laboriosa sunt, decori aut honesti gratia toleramus. *Franciscus Patricius de regn, lib. 7. cap. 13.*

Tonitrua fiunt dum spiritus circa nubem, quasi solidum aliquid, frangitur. *Pris. in Theop cap. 36.* Tonitrus veris tempore generatur dissoluta hyemali humiditate, ob calorem aeris affecti à Sole, vnde plurima sursum tollitur euaporatio, quæ quia Sol non ad perpendiculum radios iaculatur, minus intensus redditur calor, quàm vt ipsum possit consumere & inde tonitrua, & fulmina proueniunt. *Io. Fr. Pic. Mir. de prænot lib. 5. cap. 4.*

Tonitrui, fulguris, & fulminis variæ opiniones fuere. Anaximander de spiritu hæc originem trahere existimauit, quoties enim crassa nube comprehensus it & violenter excussus fuerit ob subtilitatem & leuitatem, tunc eruptio strepitum, distinctio vero ex nubis nigredine splendorem perficit. Metrodori sententia est cùm in nubem ex densitate crassam spiritus inciderit fractura quidem perficere strepitum, percussu autem & scissione splendescere, velocitate verò delationis ex Sole caliditatem assumere, & fulmen emitti cuius debilitas desinit in fulgetrum. Anaxagoræ opinio est, cùm calor in frigus id est cùm pars ætherea in aerem inciderit sonitu tonitruum fieri, fulgura nebulosi nigroris aspectu fieri, magnitudine autem, & multitudine luminis ita fulmen oriri, vt corpulentiori typhonem igne, & nebuloso fulgetrum: at stoicis placuit ita finire tonitruum, nubium collisio: fulgur ita, ex collisu accensio: fulmen sic, violentioris collisionis coruscatio. Aristoteles omnia hæc putauit in euaporationem siccam esse referenda, quæ cùm occurrit humidæ, vi exitum parat, atque collisu, & tractu tonitrui sonitum faciat, incensu verò & inflammatione caliditatis fulgura. *Idem, in exam. van doct. gent. lib. 1. cap. 12.*

Toni integram latitudinem animaduertit Pythagoras duobus sonis, & vno interuallo constare, quarum prima diapason exitit consonantia ex dupla proportione resoltans. *Mar. Fic. in Plat. Tim cap. 32.*

Tonus musis nouem obtemperans est. *idem, ibidem.*

Tonus in duo æqualia inter se hemitonia distribui non potest, cùm nec nouem in duas partes æquales secatur, sed inuenit Pythagoras ipse hemitonium paulo maius dimidio vnum, & alterum paulò minus, quod ille diesim Plato lim-

ma vocat. *Mar. Fic. in Plat. Tim. c. 32.*

Topica & elenchi liber anus completus est, vt ex primo topicorum & fine elenchorum elicitur, item priora & posteriora vnum esse patet ex principio primi priorum & vltimó cap. x. posteriorum. *Iac. Carpen. in t. dig. analyt.*

Tormentorum genus apud Græcos erat rota, ael aculeus. *L. Apuleo metamor. lib. 10.*

Torpedo marina cuiuis appropinquanti torporem inducit. *Plato de virtute.* Torpedo piscis stupefacit manum hominis etiam virgâ tangentem, seminariâ ratione quæ in ipsa est. *Marsi. Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. c. 13.*

Totalitas est res quædam & forma noua ex cunctis ritè conspirantibus postremò resultans; ritè res conspirant si pars alia cum alia consonet, & cunctæ sint cum forma conficienda concordes. *idem, in Dionys. Areopag. de diuin. nomin.*

Totum necesse est omnes partes esse. *Plat. in Theæt.* Totum est à quo nihil penitus discessit. *idem, ibid.* Totum est cuius nulla pars abest. *idem, in Parmen.* Totum esse non potest sine principio, medio, & fine. *idem, ibid.* Totum non est in partibus, nec in omnibus, nec in aliqua: si in omnibus, necessariò esset in vna, & cùm in aliqua vna non sit, non amplius in omnibus esse poterit: si verò hoc vnum omnium est, totum verò in hoc non ano, quomodo adhuc in omnibus vnum erit? & si esset in aliquibus partibus, maius in minore esset, quod est impossibile: ergo vt non sit nusquam, quatenus vnum totam est in alio est, quatenus omnes partes est in seipso est, & sic vnum in seipso, & in alio esse necesse est. *idem, ibid.* Totum ex multis est, cuius partes erunt partes, vnamquamque enim partem non multorum esse partem necesse est, sed totius. *idem, ibid.* Totum qui vituperat in partibus, stultus est. *Plot. En. 3. lib. 2. cap. 3.*

Totalitas omnis ael ante partes est, ael ex partibus vel in parte. *Procl. elem. Theolog. prop. 67.* Totum omne in parte pars est totius quod ex partibus. *idem, ibid. prop. 68.* Totum omne ex partibus particeps est eius totalitatis, quæ est ante partes. *idem, ibid. prop. 69.* Totum omne simul ens aliquod est, & particeps est entis, non omne autem totum est ens. *idem, ibid. prop. 63.* Totum medium habet ordinem entis & specierum, cui consequitur etiam ante species existere ent, & species entia esse, non tamen ens omne species est. *idem, ibid. prop. 74.*

Totum est præstantius partibus. *Marsi. Ficin. in Plot. En 4. lib. 3. cap. 1.* Totum est perfectius, abi partes sunt perfectiores. *idem, ibid.* Totum est magis formale, vbi partes sunt magis formales. *idem, ibid.* Totum quoduis naturale ex diuersis ael contrariis constitutum, cuius ipsa forma totalis ab efficiente idealique causa potius quàm ab essentiis suis necessariò pendet. *idem, in Plat. Parm. cap. 85.* Totum necessariò refertur ad partem, & similiter pars ad totum, nec sine parte totum est reuera totum, nec pars seorsum à toto vlterius pars existit; itaque si inuicem vtrunque comparetur, neque idem, neque alterum reuera dici potest: non idem, quia totum maius est parte sua: non alterum, quia nec totum, nec pars seorsum per se subsistit: at quæ altera nominare solemus, seorsum subsistere iudicamus. *idem, ibid. c. 87.* Totum est omne quod factum est, ideò sublato toto non potest fieri aliquid aut esse factum, ideò cessat æterna essentia & temporalis quæ dicitur generatio. *idem, in Plat. soph. c. 16.* Totum dupliciter dicitur, quod integrum est, & quod vniuersum. *Iac. Carp. in Alcin. in t. dig. de analyt. meth.*

Tractare de asini vmbra prouerbium est. *Marsi. Ficinus in Pla. Phædro, c. 36.*

Tragœdia ex omni poesi talis est, vt maximè populum delectet, & animos alliciat. *Plat. in Min.* Tragœdia est imaginaria quædam hominum aita, vita hominum tragœdia aidetur esse verissima. *Mars. Ficin. in epist. lib. 5.* Tragœdia omnis excludenda est ab optima ciuitate. *Franc. Patric. de repub. lib. 2. c. 6.*

Trahit vnumquodque illud per eam quam habet potentiam. *Plot. En. 3. lib. 6. c. 17.*

Trahens per appetitum potentius trahit, & firmius retinet, quàm qui per aliam vim trahere conatur, quia non solùm ab extrinseco rapit, sed etiam ab intrinseco, & quod trahitur, non solùm non contendit, sed magis innititur. *Mar. Fic. in Plat. Crat.*

Tranquillitas vera est, quæ ita instituta est, vt perturbationes ael nullæ contingant, ael si fortè contigerint, tantùm ipsi seruiant, quantum cæteris dominantur. *idem, in epist. lib. 6.*

Transmigrationes fieri in bestias fabulosum est, & allegoricum, cum debiles adducantur rationes: & Timæus in libro suo de natura mundi transmigrationes eiusmodi prorsus negat. *idem, in Plat. Tim. c. 103.*

Tremor & rigor in corpore oritur, cùm humores qui in corpore sunt grandiores, minores expellunt, & in eorum sedes subire nequeuntes humiditatem nostram impellentes ex inæquali & mobili, immobilem propter planitiem, & æqualitatem, & protrusionem efficientes congelant. hoc dum prætes naturam congelatur, repugnat, secundum naturam ipsos in contrariam sibi partem depellens; qua pugna & concussione fit tremor, & rigor. *Plat. in Tim.* Tremor & rigor contingit vbi spiritus dum in angustum à frigore cogitur, iterum se dilatare nititur. *Mar. Ficin. in Plat. Timæum, c. 54.*

Tremorem & rigorem idem esse Plato affirmat, & malè, non enim vnius membri est tremor & rigor; nec trementibus, vt his qui rigent, est sensus frigoris, est & rigentium motus penitus inuoluntarius, trementibus autem sine voluntate nunquam. *Iac. Carp. in Alc. cap. 15.*

Triangula omnia ex duobus incipiunt, vtroque habente vnum rectum angulum, & acutos duos; horum alterum atrinque habet partem anguli recti æqualibus lateribus diuisi, alterum inæqualibus in inæquales partes distributi. *Plat. in Tim.*

Triangula duo eliguntur, ex quibus & ignis, & alia corpora constructa sunt, alterum quòd æqualia crura habet, alterum quòd secundùm potentiam maius latus semper habet triplò longius breuiore, ex quibus genera quatuor fiunt, tria quidem ex vno, quod inæqualia latera habet, quartum aeris vnum solum ex triangulo æqualia crura habente coaptatum. *idem, ibid.*

Triangulum principium generationis ponunt Pythagorici. *Procl. in Eucl. lib. 2. c. 12.*

Triangulorũ septem sunt species, æquilaterum, æquicrurus, & hic triplex, rectangulus, obtusus, & acutus, & sic scalenus. *idem, ibid.*

Triangolarem angulum quatuor, quadrangularem tribus distribuit Philolaus, alterum ipsorum transitum ostendens, & omnium in omnibus communitatem. *idem, ibid.* Trianguli æquales sunt cùm area eorum est æqualis. *idem, in Euclid. lib. 3. c. 8.*

Triangulus Isosceles figuræ cubicæ est elementum. *Mar. Fic. in Plat. Timæum, c. 4[illegible].* Trianguli alij sunt scalenus inæqualia omnia latera possidens, alius isosceles duo habens æqualia latera, alius æquilaterus, in quo neque rectus angulus, neque linea in perpendiculum recta fit, ideò minus existimatur aptus ad componenda plana. *idem, ibid.* Triangulus æquilaterus est minus aptus in componendis planis, quia in ipso non est nec rectus angolus, nec linea perpendicularis recta. *idem, ibid.* Triangulus æquicrurus ob maiorẽ æqualitatem spectat ad terram stabiliorem. *idem, ibidem.* Trianguli aptiores compositioni sunt æquicrurus, scalenus. *idem, ibid.* Trianguli scaleni sex triangulum vnum efficiunt æquilaterum, qui scilicet ex quolibet latere ter bini fiunt. *idem, ibid.* Triangulus scalenus propter inæqulaitatem pertinet ad ignem aerem, & aquam, quæ propter mutabilitatem inæqualia nuncupantur. *idem, ibid.* Triangulus ast prima figurarum lineas plures habentium. *idem, ibidem.* Triangulum scalenum cum in triangulo æquilatero per diuisionem à summo designaueris secto latus huius scaleni longius esse, id est erectum super angulum rectum, secundùm potentiam triplo maiorem latere minore iacente, eundémque rectum angulum continente. *idem, ibid. c. 41.* Trianguli à Platone appellantur propria corporis nostri principia, id est humores quatuor, & partes, & qualitates propriæ vniuscuiusque membri seminales. *idem, ibid. c. 101.*

Tribuens aliquid non est necessarium in se habere, sed oportet in rebus eiusmodi illud quod tradit maius existimare, quod traditur minus esse tradente; talis in rerum ordine generatio est, primum oportet esse quod existit in actu, posteriora in potentia esse superiora, iam aerò quod prius est sequentibus est superius, & quod tradit maiore tradito, præstantius enim est, & si quid actu prius est, id actu superius; quapropter & alta superius, & qui vitam tribuit vitâ melius censetur. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 17.*

Tributa dicuntur priuatorum pecuniæ, quæ per tribus singulas tribunorum sanctione in publicum deferebantur. *Fran. Patric. de repub. lib. 3. c. 7.*

Trinitas essentia, deitate, bonitate superior, diuinæ Christianorum sapientiæ dux, dirigit nos in ipsum superignotum & præfulgens, excelsum mysteriorum eloquiorum culmen, abi simplicia & absoluta, immutabiliáque Theologiæ mysteria latent ad operta præfulgente quadam silentij clam sacra docentis caligine, quæ vbi maximè videtur obscura, ibi supra modum lucem profert exuberantem: illic quod tangi & videri nõ potest, splendoribus plusquam pulchris ad exuberantiam implet omnes quasi captos

oculis

oculis intellectus. *Dion. Areop. de Trinit.* Trinitatem sanctissimam ratione naturali cognoscere impossibile est, sed sacris auctoritatibus probari potest. *Bess. Card. in calum. Plat. lib. 3. cap. 15.* Trinitatis Christianæ secretum in ipsis Platonis libris nunquam esse assero. *Mar. Fic. in epist. lib. 12.* Trinitas diuina non est numerus aliquis in quantitatis genere collocatus, nec in substantiæ genere collocatus, nec in essentiæ ordine computatus. *idem, Dion. Areop. de Trinit.*

Trinitatem Pythagorici philosophi rerum omnium mensurã esse voluerunt, quia Deus ternario numero res gubernat, & res ipsæ ternario numero terminantur, primò enim Deus singula creat, secundò rapit, tertiò perficit: singula item ab ille perenni fonte effluunt dum nascuntur, deinde in eundẽ refluunt, dum suam illam originem repetunt, tertiò perficiuntur dum in suum principium redierũt. Hoc vaticinatus Orpheus Iouem principium, medium, & finem vniuersi vocauit, principium vt producit, medium vt producta retrahit ad seipsum, finem prout redeuntia perficit. Hinc regem vniuersorum bonum pulchrum iustum bonum vbi creat, vbi allicit pulchrum: vbi pro cuiusque merito perficit iustũ: pulchritudo igitur cuius allicere proprium est inter bonitatem & iustitiam locatur, à bonitate effluit, & profluit ad iustitiam. *idem, in Plat. con. or. 2. cap. 1.*

Trinitas significat regressum animæ ad vnitatem tam propriã quàm diuinam. *idem, in Plat. Tim. cap. 33.*

Triptolemus primus aratro boues subegit. *Fran. Pat. de reg. lib. 1. cap. 6.*

Tristia dicitur *alia διὰ τοῦ ἰέναι* quia impedit progressum. *Plat. in Crat.* Tristitiæ & pudoris qui particeps non est, vt pestis ciuitatis occidatur. *idem, in Protag.* Tristitia est ægritudo permanens altius animo insita, & inhærens. *Franc. Pat. de reg. lib. 5. cap. 15.*

Triumphus bis solùm ex senatus consulto decernebatur, qui vrbes expugnassent, aut magnos exercitus profligassent. *idem, de rep. lib. 9. cap. 6.*

Turpe quod *αἰσχρὸν* dicitur quia id quod impedit rea & à fluxu prohibet ille qui nomina imposuit semper reprehendere videtur, ideo *ἀεισχόρουν* quod semper fluxum prohibet appellauit quod per contractionem *αἰσχρὸν* proferunt. *Plat. in Crat.* Turpia sunt quæ tardè, & lentè, & cum difficultate fiunt. *idem, in Charm.*

Turpe est aliquem prodesse volentem non sustinere. *idem, in Clito.* Turpe non est aliquid nosse ex his, quæ non honesta sunt, sed medela ex hoc contingit et quæ ea quæ dicuntur, non ex inuidia, sed beneuolentia suscipit. *idem, de leg. dial. 1.* Turpe est cursim naues instare, & citò rursus aufugere, sub vano prætextu, quòd non turpi fuga euaserint. *Idem, ibid. dial. 4.*

Turpitudo in corporibus est quiddam primo intuitu sensui accidens, idque animus velut abhorrens ob discordiam respicit vt alienum. *Plot. En. 1. lib. 6. cap. 2.* Turpe est omne informe aptum natura ad formam ac speciem capiendam quatenus formarum ac specierum expers est, atque à diuina ratione remotum, & quod à forma & ratione minimè superatur, materiã scilicet formationem integram non sustinente. *idem, ibid.* Turpes qui sunt intrinsecus, & aspectu pulchri, falsam habent extrinsecam pulchritudinem. *idem, En. 2. lib. 9. cap. 17.* Turpe contrarium est & naturæ, & Deo cùm natura spectans pulchrum agit, & spectans determinatum, indeterminatum enim turpe est. *idem, En 3. lib. 5. cap. 1.*

Turpitudo insignis est in rebus inhonestis excellere. *Phi. Iud. de muta. Abraha.* Turpia, & mala apud nos non sunt simpliciter, sed huic, vel illi, alijs autem & vniuerso & bona & pulchra sunt. *Mar. Fic. in Plat. v. cap. 33.* Turpitudo est tetra quædam mali facies, pulchritudo est facies blanda boni. *idem in Plot. En. 1. lib. 6. cap. 2.*

Turpi ex pulchritudinis absentia cognoscitur, & est eius carẽtia & priuatio. *Io. Fra. Pic. Mir. de mate. prima, cap. 3.* Turpitudo lucem, & testem fugit, honestas lumen & arbitros amat. *Fra. Pat. de reg. lib. 3. cap. 11.*

Turpitudo, ac corporum deformitas ad materiam eorũmque elegantia ac pulchritudo ad formam, tanquam ad primam originem propriámque causam est referenda. *Leo. Heb. de Am. dial. 3.* Turpitudo materiæ ad corpora tantùm informata, minimè autem ad formas huiuscemodi corpora informantes pertingit. *idem, ibid.*

Tuscia vestalis vt honestatem suam ostenderet à Tiberi aquã in cribro vsque ad Vestæ templum extulit. *Fran. Pat. de rep. dial. 4. cap. 5.*

Tutor pupillorum si aliquis mortuus fuerit, cognati, & populares à patre & matre, vsque ad patrueles & consobrinos pueros, alium constituant intra decem dies, aut mulctentur drachma quisque in diem, donec cõstituerint tutorem. *Plat. de leg. dial. 6.* Tutor quicunque est non minus diligat eum qui in pupillari ætate constitutus est quàm suos proprios filios, immo res pupilli quantum ad promptitudinem attinet melius curet quàm suas, sed si negligens est, à magistratu in iudicium pertrahatur, & duplã mulctã puniatur: & si quis è cognatis aut quiuis ciuis negligentem tutorem, aut malignum viderit, ad idem iudicium trahat, & quadruplam mulctam condemnatus soluat dimidium pupillo, & reliquũ ei qui iudicio vicit. *idem, ibid. dial. 11.*

Tutelam sui gestam si pupillus postquam ad pubertatem deuenerit malè gestam esse putauerit, ad quintum vsque ab exacta tutela annum liceat ei iudicium dictare malè administratæ tutelæ, si verò quis tutor condemnatus fuerit, à iudicio æstimatio fiat, quid petere aut persoluere ipsum oportet. *idem, ibid.*

Typhon id est dæmon est veneficorum dux. *Mar. Fic. in Plot. En. 4. lib. 3. cap. 11.*

Tyrannus est qui non secundùm leges, nec secundùm mores vnus est princeps, fingat autem velut qui sciat, quod inter præscripta id quod optimum est sit faciendum sit autem cupiditas, & ignorantia huius imitationis dux. *Plat. de reg.* Tyrannis non conducit, vt subditi magna prudentia sint præditi, & amicitias, & societates magnas, & validas contrahant, quas res tum alia, tũ amor inducere solet. *idem, in Sym.* Tyranni sapiunt dum sapientes audiunt. *idem, in Theag.*

Tyrannis est, quæ non paulatim, sed aceruatim, & clam & violenter aliena, tum sacra, tum sancta, tum priuata, tum publica, aufert. Nam & sacrilegi, & plagiarij, raptores, & latrones, & fures vocantur, qui in singulis eiusmodi maleficijs iniusta faciunt. postquam verò quis supra ciuium pecunias, etiam ipsos in seruitutem redegerit, pro turpibus his nominibus felix & beatus appellatur non à ciuibus solùm, sed etiam ab alijs, qui ipsum totam iniustitiam perpetrasse audiunt. *idem, de rep. dial. 1.*

Tyrannis fit ex populari statu. *idem, ibid. dial. 8.* Tyrannis non ex alia republica oritur, quam è dominio populari ex summa, vt arbitror, libertate, plurima, & asperrima seruitus. *idem, ibid.*

Tyrannus primis diebus, & tempore arridet omnibus, omnes salutat, prout in quemque incidit, neque tyrannum esse dicit, & multa priuatim & publicè promittit, & ab ære alieno liberos facit, & agros populo distribuit, ac his qui circa ipsum sunt, & erga omnes propitium, & paternum animum simulat. at cum exteris inimicis conciliatur partim, partim illos perdidit, & quietus fuerit, primum quidem bella semper mouet, quo populus principe ac duce opus habeat, & quo pecunias conferentes pauperes fiant, & in quotidianis operibus versari cogantur, & minus ipsi insidias struant, & si quos suspectos habet, quòd liberis animis præditi non permissuri sint ipsi principatum, quo hos occasionis prætextu hostibus obiectos perdat, horum omnium gratia necesse est tyranno vt bellum gerat semper, & tandem necesse est vt rem publicam purget contra, quam faciunt medici, illi purgando quod pessimum est tollunt, hic quod melius. *idem, ibidem.*

Tyranno necesse est vt semper bellum gerat. *idem, ibid.* Tyrannus ciuitatem purgare debet contra quàm medici, nam medici purgant corpus quod pessimum est auferentes, relinquunt optimum: tyranni contra. *idem, ibid.* Tyrannus est qui seditionem mouet aduersus opulentos, & expulsus & violenter reuersus contra inimicos, qui si expellere non possunt, nec occidere per calumnias publicas, violenta iam morte occultè ipsum occidere moliuntur, & hinc custodiã corporis à populo petent, qui dant timentes illi, de seipsis autem securi. *idem, ibid.* Tyranni, si in ciuitate pecuniæ sacræ fuerint, eas consumunt. *idem, ibid.*

Tyrannicus vir fit cùm filius viri popularis est nutritus à patre, qui cupiditatibus non necessarijs vtitur, & à ductoribus per omnem iniquitatem ductus, quæ tamen ab ipsis summa libertas nominatur, & amorem quendam quasi machinentur, ut inducant cupiditatem, & cum eijs cupiditatibus assuetus, tene & satellitibus vtitur præ insania, & si quas adhuc opiniones comprehendit frugales, & adhuc verecundas eas occidit, & foras ab ipso expellit, donec temperantiam expurgauerit, & ascititia insania se repleuerit. *idem, ibidem. dial. 9.* Tyrannicus vir exactè fit, cùm à natura, aut studijs, aut ambobus ebrius, & amore captus, & atra bile percitus est. *idem, ibidem.*

Tyrannica natura libertatem, & veram amicitiam nunquam gustat. *idem, ibid.* Tyrannus vir longè est miserrimus omnium aliorum. *idem, ibid.* Tyrannus plurimum abit à vera voluptate, rex autem minimum, ideò iniucundissimè, viuit. *idem, ibidem.*

Tyrannus ita constitutus sit, vt vndique habeat ciues qui eum odio habeant, ac veluti hostes circum circa eum concludũt, ideò in continuo timore esse debet, & cùm animo auido sit, soli ipsi non licet peregrinari, nec alia facere, vel spectare quæ alij liberi homines cupiunt facere, sed abditus in domo plerunque vt mulier viuit inuidens alijs ciuibus si foris peregrinantur, vel aliud spectent. *idem, ibid.*

Tyrannus est necessariò ob imperium inuidus, infidus, iniustus, ab amicitia alienus, impius, & omnia improbitatis hospes, & ex omnibus his maximè infelix, ac postea familiares tales efficit. *idem, ibid.*

Tyrannus quantum absit à voluptate difficile dictu est, nisi hoc modo: à paucorum principatus viro tertius abfuit tyrannus, nam in medio popularis erat, ideò cum tertio simulacbro, quoad veritatem attinet, ab illo habitat; at paucorum principatus vir à rege tertius est, si in eũdem locum optimatem, & regem ponimus: ideò triplici numero à vera voluptate tyrannus abest: ideò rex à tyranno voluptatis veritate distat distantiâ gradeum 729. *Plat. de rep. dial. 9.*

Tyrannus, qui in seipsum, & in ciuitatem tyrannidem exercet, pessimus, iniustissimus, & miserrimus est. *idem, ibid.*

Tyranni vita talis est vt feriæ fiant, commessationes, & conuiuia, amicæ, & huiuscemodi omnia in quibus amor tyrannus intus habitans, omnia quę animę sunt, gubernauit: & multę, & vehementes cupiditates singulis diebus & noctibus pullulant, quæ multis opus habent, ergo breui consumantur, si qui reditus fuerint, & postea vsuræ, & bonorum distractiones: quæ omnia cùm defecerint, cupiditates augentur, & maximè ubi ipso amore aliarum veluti satellitum duce, furere, & considerare quis aliquid habeat necesse est, & considerare à quo vel fraude, vel vi auferre possit, & à parentibus omnia diripiet ipsos contemnendo, & in alios aliquid tyrannicum faciens, & cum hęc consumpta fuerint alicuius domum perfodiet, & cuidam sero pallium detrahet, & postea res sacras templi attractabit, & eius satellites furantur, parietes perfodiunt, crumenas resecant, prædantur, sacrilegi sunt, plagiarij fiunt, & si dicendo præstant sycophantæ sunt, & falsa testimonia præstant, & largitiones spectant, & cùm multi in ciuitate sint hi tyrannum gignunt. *Idem, ibid.*

Tyrannus Aridæus & alij tyranni à viris ferocibus & ignei aspectus colligatis manibus, & pedibus, & capite prostrati trahebantur post mortem in inferis, & excoriati iuxta viam foras & laniabantur fruticis aspalathi spinis, & causam prætereuntibus significabant. *idem, ibid. dial. 10.*

Tyrãnus si sit iuuenis, temperatus, docilis, fortis, memor, magnificus, fortunatus, & eius tempore sit legislator laude dignus, & vt fortuna aliqua ambos ipsos in idem ducat, omnia ferè à Deo effecta sunt, quæ facere solet, vbi ciuitatem aliquam insigniter felicem esse vult: vel si quando duo huiuscemodi principes fuerint, tertiò secũdum eandem rationem similiter quantò plures, tantò difficilius, quantò contra, cõtra. *idem, de leg. dial. 4.*

Tyrannorum preces necessitatibus mixtas esse scimus. *idem, epist. 7.*

Tyranno etiam optima persuadere non est satis tutum, sed insinuatione vtendum. *idem, ibid.*

Tyrannidis & nomen, & rem vnusquisque fugiat, & si fieri potest in regnum mutet. *idem, epist. 8.*

Tyrannus est imperans ciuitati secundùm propriam sententiam. *Speu. de Plat. defunt.*

Tyrannica mens mandat mandata infesta tum animæ, tum corpori noxia, & magnas molestias inferẽtia, vitiosas actiones & voluptates quæ nascuntur ex affectibus. *Phil. Iud. in leg. alleg. lib. 2.*

Tyranni nomen apud Platonem non solùm significat qui iniustè imperat, sed qui sibi tantum omnia tribuit, & in sua potestate rerum omnium arbitrium constituit. *Bess. Card. in calum. Plat. lib. 4. cap. 10.*

Tyrannidis vitam tanquam miserrimam reprobare debemus. *Mar. Ficin. in Plat. de rep. dial. 9.* Tyrannis pessima est, quæ nec lege, nec legitima mente imperat, sed potius impetu, & libidine. *idem, in Plat. de rep.*

Tyrannus hic vocatur qui vult pro domino haberi, & ciues pro seruis. *Seb. Fox. in 9. Plat. de rep.*

Tyrtæus tibicen peregregius mutatis tibiæ modulis adeo militum animos in pugnam concitauit, & acriores reddidit, vt Messenios iam pene victores Lacedæmonijs subegerit. *Franc. Patr. de rep. lib. 5. cap. 2.*

V



VACVVM in nullo loco est. *Plat. in Tim.* Vacuum nihil est in quod aliquid ex his quæ feruntur, ingredi possit, spiritus extra fertur, & non in vacuum fertur, sed propinquum è sede sua depellit, & quod depellitur semper propinquum extrudit, velut si rota circum agatur. *idem, ibid.* Vacuum nullibi in mundo est, omnia sunt plena. *Timæus Locrus de mundi anima & natura.*

Vacuum nihil est in rerum ordine, solum quod non est, quod existentiâ priuatur, vacuum nuncupandum, nihil enim reperiri potest; quod cum existat vacuum sit, aere enim plena nõ sunt vacua, cùm aer corpus sit non ex corpusculibus compositum. *Mer. Trism. Piman. cap. 7.* Vacuum & inane nec est aliquid, nec esse potuit, nec futurum vnquam, omnia enim mundi membra sunt plenissima. *idem, Asclep. cap. 12.* Vacuum vocauit abyssum, Moyses profundissimum enim est, & dehiscit patentissime. *Phil. de mun. opific.*

Vacuum ne sequatur, in cucurbitulis ignitis aerem qui rapidissimè fugit, sequitur aer intimus in cucurbitulam, & secum rapit humorem & cutem. *Ficin. in Plat. Timaeum, cap. 83.* Vacuum ne sequatur, lapillum quem proiecisti non solum propellit tua vis illata, sed etiam aer deinceps repente subsequens. *idem, ibidem.* Vacuum ne sequatur, vbi per fistulam semel tracta fuerit sursum aqua, reliqua sequitur. *ibidem. cap. 84.*

Vacuum ne sequatur, postquam semel cantando vocalem aerem protulisti, quatenus ille propellit anteriorem, eatenus posterior illum repente subsequitur ad vacuum declinandum. *Ficin. in Plato. Timaeum, cap. 83.* Vacuum ne sequatur, si orificium fistulæ in aquam demiseris, & alterum orificium labijs comprehenderis, quatenus aerem hauries è fistula, eatenus suges & aquam consequentem. *idem, ibid.*

Vacuum ne sequatur, postquam in nubibus inclusus cum acuto vapore ventus deorsum est excussus, consequitur deinceps miro fulminis impetu. *ibid. cap. 84.*

Valere cùm dicuntur cæteri, salui esse intelliguntur: amantes cùm vale audiunt, malè audiunt imò malùm. *Ficin. epist. lib. 1.*

Valetudinem prosperam retinere omnibus optabilibus est ne pereat, quàm recipere peremptam: ideò & legislator & medicus seruant in quantum possunt & animæ & corporis sanitatem. *idem, in Plat. de leg. dial. 3.*

Valetudo ad iucundum quidem pręcipuè refertur, vtilis tamen quoque, nec non honesta esse videtur. *Leo. Hebr. de amore, dial 1.*

Vapores terrenorum vix ad quinque stadia progressi residunt. *Iamb. de myst.*

Variarum rerum varia principia sunt statuenda. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol. lib. 7. cap. 1.* Varietas semper delectat, quia appetitus facilè satiatur. *Sebast. Fox. in 3. Plat. de rep.*

Vates, Vaticinia

Vates tantùm futura sciunt. *Plat. in dial. de sanct.*

Vates multa, & pulchra dicunt, sed nihil eorum quæ dicunt intelligunt. *idem, in Apolog.*

Vates, deteriora prædicunt, & Astrologi vaticinantur quoque hæc, ex eo quod contraria omnia simul contexta sunt, vt forma & materia, vt in animali composito quale est mundus. Itaque qui formam, & rationem contemplatur compositum quoque contemplatur, non enim intelligibile animal & compositum animal intuetur, sed rationem animalis in composito deteriora formantem: & cùm vniuersum hoc sit animal, qui ea quæ fiunt in ipso videt, videt etiam ex quibus fiunt, prouidentiámque in ipso regnantem, quæ ordine per cuncta procedit & quæ sunt, & quæ fiunt. *Plotin. En. 3. lib. 3. cap. 6.*

Vatis non est quam ob causam aliquid fiat cognoscere, sed sic fore tantùm pronunciare. *Idem, ibid.*

Vates omnes confitentur per Deos, vel dæmones vaticinium nancisci, quia nequeant futura videre, nisi quæ sint causæ, & domini futurorum per quos & alij videant. *Iambl. de myst.*

Vates iubent diuinorum spectatorem exanime corpus quod sacratum non fuerit non attingere, permittunt verò quod consecratum attingere, & humana corpora, quæ iam anima deseruit, ne intuitu quidem tangere. *idem, ibidem.*

Vates gentium id videntur habere vt Balaam & Sibyllæ, vt lucem patiantur & tenebras, lucida & opaca vaticiniorum

interualla, pura interdum & impura nonnunquam. *Fic. in Mer. Tris. Asclep. cap. 9.*

Vaticinium in vili parte concupiscibili scilicet positum est, cuius rei signum est, quod vaticinium dederit Deus humanæ insipientiæ, quod nemo sapiens vaticinationem diuinam & veram attingit, sed aut per somnum sapientiæ facultate impedita, aut per morbum, aut aliquam numinis afflationem mente motus. *Plat. in Tim.* Vaticinia intelligere sapientis est, & quæ dicta, et in memoriam reuocata sunt, siue per somnium, siue per vigilias à vaticinatrice, & numine afflata natura, & quæ spectra visa sunt omnia vaticinatione distinguere, quatenus quid, & cui significet, futuri, aut præteriti, aut præsentis mali, aut boni, insani, & adhuc in furore manentis non est iudicare, quæ visa, aut dicta sunt à seipso. *idem, ibid.*

Vaticinationum iudices constituere prophetarum genus in numine afflatis lex est, quos aliqui vates nominant, totius rei ignari, quod hi responsorum, & spectatorum sunt iudices, & non vates: iustissimè verò prophetæ eorum, qui vaticinantur nominari possunt. *Plat. in Tim.*

Vaticinationis ars est inuentio earum rerum quas deorum mens nouit. *idem, in Minoe.* Vaticinium est scientia, qua dignoscitur quid adsit, quidve futurum sit mortali viuenti. *Speus. de Plat. def.*

Vaticinium ipsum nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus, vel animalibus rationibus, motibusve efficitur, nec vllo sit modo, sed vtrinque sempiternum est missum ad nos vsque diuinitus, totaque potestas præsaga refertur ad Deos, & omnis huius auctoritas consistit in eis, atque inde traditur, diuinisque operibus & signis perficitur, spectacula habet diuina & contemplationes vera scientia præditas: cætera cuncta velut instrumenta subijciuntur misso diuinitus præsagij dono, quæcunque ad animam pertinent, aut corpus, vel in totius natura sunt, vel in naturis, locus talis exigitur ad vaticinandum vice materiæ. *Iam. de myst.* Vaticinantur parum, vel obscure sacerdotes Sibyllæ, prophetæ quandiu prudentes sunt, sed cum rapiuntur à Deo vere vaticinantur. *idem, ibid.*

Vaticinium ait esse Plato in Phædro maniam, id est furorem quoniam soli diuino furore correpti verè vaticinantur; posteriores adiuncto vocant mantiam. *Iam. de myst.*

Vaticinium non est in mente, vel anima, siue vt qualitas in subiecto, siue vt actio in agente, sed totum est actus ipsius Dei, ex Deo simpliciter dependens: actum dico à Deo per actum in mente, vel anima simpliciter, vt instrumentis ab omni proprio motu vacantibus, & ita vera dat præsagia. & si quis motus ex corpore, vel anima, vel qualitas talis præcedat, vel inferatur, confunduntur visa, nec vera vaticinia futura sunt nec legitima ibi esse diuina afflatio vbi aliquid miscetur humanum. *idem, ibid.*

Vaticinij causa sola est ipsa diuinitas, cùm descendunt in nos à dijs lumina, & spiritus traduntur ab eis, & adest nobis dominatio, & potestas illinc absoluta comprehendens omnia quæ sunt in nobis, quæ cedunt toto numini. *Iam. de myst.*

Vaticinia tribus fiebant modis, vt ait Porphyrius, vnum erat Colophonium, vbi aquâ bibitâ vaticiniũ veniebat: alterũ Delphicum, vbi sedens ad os antri vaticinabatur; tertium Branchidicum, vbi haurientes vaporem ex aqua prophetabant. *idem, ibidem.*

Vaticinantes per Colophonium, id est aqua bibita, duobus modis ad Deum præparabantur, vno per purgatoriam aquam à Deo factam talem, quæ purificat spiritum, altero per sobrietatem, solitudinem, separationem mentis à corpore, intentionemque ad Deum. *ibid.*

Vaticinabatur Sibylla in Delphis duobus modis suscipiens Deum, vel per spiritum quendam tenuem, igneumque, qui erumpebat alicubi ex ore antri cuiusdam, vel sedens in adyto super sedem æneam, habentem tres, aut quatuor pedes, & Deo dicatam, & vtrobique se exponebat spiritui diuino, vnde radio diuini ignis illustrebatur; itaque aliquando ignis plurimus simul totus ex antro eundem vndique circũfunditur ei, repletque splendore diuino, aliquando dum inhæret sedi sacratæ Deo, per quam accommodatur Deo, coaptatur stabili vaticinio Dei; vtrobiq; per hæc Sibylla fit tota Dei, vnde subitò Deus adest, sed interim separatus existens alter præter ignem, & spiritum, sedémque propriam, & omnem eius loci apparatum, vel artificiosum, vel naturalem. *Iam. de myst.*

Vaticinabatur fœmina in Brancis fatidica, vel sedebat in axe, vel manu tenet virgam ab aliquo Deo datam, vel pedes, vel limbum tingit in aquam, vel ea aqua quadam vaporem haurit, & his modis impletur splẽdore diuino, Deúmque nacta vaticinatur; nam & his omnibus fit accommodata Deo, quem excipit extrinsecus. *Iam. de myst.* Vaticiniũ & virtus quæ inspirat; est absoluta à locis & temporibus, alioqui non posset omnia simul loca, & tempora exprimere. *Idem, ibid.*

Vaticinij origo est vis diuina, vbique tota, & semper tota; ea vis non est à corpore, nec ab animo corpori addicto, sed absoluto, id est angelis, Deoq;, qui sunt vbique, vel saltẽ vis ipsa est vbicunq; est aliquis angelorũ, qui sunt vbique, ipsáque ab omnibus separata corporeis, præsens omnibus, non cõprehẽsa loco, vel corpore, vel anima, quæ in aliqua specie particulariũ sit addicta, sed hæc ipsa fatidica Deorũ potestas, & separata est ab omnibus, & ideò tota simul vbique adest subitò participare potentibus, illustrans forinsecus, & omnia replens, pérque omnia elementa discurrens, nec relinquens animal aliquod vel naturam, cui pro capacitate sua non imprimat aliquid ea se conferens ad præsagiũ: ipsa verò præterea implere se omnibus æquè potest, quod omnibus pariter est absoluta. *Iam. de myst.*

Vaticinia qui per characteres se attribuendo spiritus reddere profitentur falluntur, quia cum sanctimoniam veram negligent, veniunt sub malorum dæmonem potestatem, qui mentiuntur & falluot. *Iam. de myst.* Vaticinia dij hominibus non præstant obsequio suo, sed excessu potestatis, & bonitatis. *idem, ibid.*

Vaticinium verum non est naturæ passibilis, & aliquo corpore, loco, tempore clausæ, sed ab his omnibus absolutæ, vt queat quocunque in loco vel tempore facta pariter simpliciterque prospicere. *ibidem.*

Vaticinium esse ait Porphyrius quandam animæ passionem, Iamblichus vero negat dicẽs passionem esse suapte natura instabilem, inordinatam, & perturbatam, vaticinium verò debere esse causam stabilem & ordinatam, ideóque non posse passione versari. *Iam. de myst.* Vaticinationem habere aliquid commune, vt ait Porphyrius, cum melancholicis, ebrij, rabieque plenis negat Iamblichus, nam facta diuinitus est salus summæ contingens ea plenitudine potestatis. *Idem, ibid.*

Vaticinia quod est supra naturam nulla data sunt præparamẽta, ac semina, & quod præsagium à nostra natura peragitur est admodum obscurum, at vaticinium diuinum amplissimũ est. *ibid.*

Vaticinales non scientia præditi sunt, sed opinione feruntur, at vates scientiâ potiuntur, & potiorem humanâ scientiâ habent. *Proc. in Alc. 1.* Vaticinantur apud Assyrios in pelui aquâ plena, apparet enim & spirare propter sonitum ab alijs aquis non differt, sed virtute carminibus infusa valdè præcellit, & ita facta est aptior ad suscipiendum spiritum fatidicum. *Mich. Psel. de dæm.*

Vaticinium eorum quibus homines student optimum est. *Syn. de somnijs.* Vaticinium est maximum bonorum, nam ipsa notitiæ, & cognitionis facultate tum Deus homini, tum homo bestiæ præstat. *idem, ibid.* Vaticinium recipere tutum est, nam & ipsius tutum per ea quæ intus sunt est comprobatum *ibid.* Vaticinium somniorum ideò non est respuendum quia obscurum est, siquidem cum reliquis oraculis obscuritatem habet. *ibid.*

Vaticinium comparamus dantes se somni lætis mentibus, & diuinis laudibus celebratis, & si sic paratus fueris, dicitur procul esse è vestigio Deus. *Synesius de somnijs.* Vaticinium è somnio quod popularis sit est humanissimum, quod simplex & separatissimum est admodum philosophicum, quod non violentum pium, quod adest vbique, quod non cogimur adhibere aquam, aut petram, aut hiatum terræ, diuinissimum meritò iudicatur. *idem, ibid.*

Vaticinium somnij vitæ negotia non distrahit, nec tempus nos vllum conterere facit, nec ob id in aliquo laboramus, vnusquisque est sibi instrumentum, vt neque volentibus oraculum istud dimittere, cum manentibus permanet cum peregrinantibus commigrat, commilitat, simulque ciuilia tractat, corrusticatur, & commercatur, nec inuidæ ciuitatis leges vetant, nec vetare possunt si velint, non enim habent quo vaticinantem hunc reprobent, nisi somnum è mundo expellant. *Synesius de som.*

Vaticinium ad cognitionem pertinet, mysterium ad affectum, poesis ad auditum, amatorius furor ad visum. *Fic. in Pla. Phæ. cap. 4.* Vaticinium quadruplex, diuinum, dæmoniacum, lunare, naturale. *idem, ibid.*

Vaticinio confert lienis spongosa natura sugens sanguinem crassum, purgat iecur. *Idem, in Plat. Tim. cap. 69.*

Vaticinia discernere quid significant, non est arreptitij, sed prudentis, & sapientis officium. *ibid. cap. 68.*

Vaticinij Deus solus auctor est cessante solite ratione nostræ discursione, quæ alioquin diuinam in nobis confunderet ex-

pressionem; in iecore diuinitus exprimuntur imagines, hinc resilientes in animum opportunè vacantem. *ibid.*

Vbi cùm locum significat non est ponendum in nouo prædicamento, & si relationem significat in relatione ponendũ. *Plot. En.6.lib.1.c.4.*

Vectigal nullum quisquam persoluat, neque de rebus quæ exportantur, nec de illis quæ importantur. *Plato de legibus, dial.3.*

Vehere fruges liceat vnicuique per quemuis locum vbi nullum damnum alicui infert, vel triplum ipse lucrum facit eius damni quod vicino infert. *Plat. de leg. dial.8.*

Vegetalis natura humana ad humanam, rationalémque dunsaxat speciem figurámque tendit, nec ex morum mutationibus permutatur figura in terris seruiens animæ rationali per naturam propriam, suáque est, quæ temperata, & erecta linguam, manúmque habet rationis interpretem, & ministram. ad alienam in terris figuram inclinatio nulla imaginationi, vel naturæ succurrit, alioquin sibi frustra viueret rationalis anima, nec officij, nec potentiæ locum haberet. *Ficin. in Plato. Tim. c.25.*

Vegetalis, & genitalis natura animæ in complexione humorum imprimit quoddam vitale vestigium, ex quo corpus vitaliter euadit affectum, in quo sic affectu sunt passiones animales corporeæ, & perturbationum principia: in toto quidem voluptas corporalis, & dolor, in iecore potissimum concupiscendi principium, in præcordiis irascendi principium, ibi viget nutritio & generatio, hic vigor igneus. *Fic. in Plot. En.4 lib.4.c.26.* Vegetalis vis toti corpori præsens imprimit corpori toti vestigium, itaque dolere, & oblectari toti contingit, & principium appetendæ sanitatis versatur in toto. *Plot. En.4 lib.4.c.28.*

Vehementia, ac furor haud vitiosi duntaxat amoris. verùm cuiuscunque amoris intensi atque efficacis, vel honestus, vel turpis is esse dicatur, proprietas quædam existit. *Leo Heb. de am. dial.2.*

Velle & posse apud superos idem est. *Fic. epist. lib.3.*

Velocitate inæquali quæ mouentur, quod velocius est, in æquali tempore per maius spatium mouetur. *Procl. elemen. Physic. prop.8.* Velocitatis inæqualis quæ sunt si moueantur quædam tempora sumantur, maius tardioris, minus velocioris, in quibus quod velocius est maius spatium mouebitur, tardius autem spatium minus. *idem, ibid. prop.7.* Velocitate inæquali quæ mouentur, velocius in minori tempore transit spatium æquale. *ibid. prop.11.* Velociore dato in sesquialtera ratione ad tardius, demonstratur quòd lineæ indiuisibiles non sunt. *ibid. prop.14.* Velocia habent rationem mutuam eandem quam habent spatia per quæ mota mouentur. *ibid.*

Velocitate inæquali quæ mouentur, potentie inæqualiter respondent motuum temporibus. *ibid. prop.9.*

Venatio, Venator.

Venationem violentam decernimus, latrocinium plagiariam, tyrannidem, & omnem bellicam violentiam. *Plato in sophist.* Venationis pedestris duæ sunt partes, altera animalium mansuetorum, altera agrestium. *idem, ibid.* Venatoria ars nulla se extendit amplius, nisi vt venetur & capiat. *in Euthydemo.* Venatio omnis, & quæ cum canibus fit, non minus studiosè ab adolescentibus fieri debet propter vtilitatem quam affert in cognoscendo suam regionem. *de legibus, dialog.6.*

Venatio pedestris sola laudanda est nostris athletis: et quæ nocte fit, non est laude digna, nec quæ laborum remissiones habet, quæ retibus, & laqueis, sed quæ canibus & equis & corporis nostri viribus peragitur probanda est: omnia enim illa superant cursibus & plagis & iaculationibus, sua manu venatores, qui diuinæ virtutis studio tenentur. *Plat. de legib. dial.7.* Venationem legislator & laudare, & vituperare debet, ad iuuenum labores & studia respectu habito, eámque quæ animos iuuenum meliores reddit, laudet, quę contra, vituperet *idem, ibid.*

Venatio multiplex est, nam & aquatilium, & volatilium, & bestiarum, & hominum; & furta, & rapinæ, latronum, & exercituum venationes sunt. *Plato de legibus, dial.7.*

Venatorem equis & canibus & corporis viribus nemo vbicunque voluerit venari prohibeat, nocturnum verò venatorem canibus & retibus confidentem nemo vsquam venari sinat; aucupem in agris & montibus nemo prohibeat, in cultis & locis sacris prohibeat quisquis in eum inciderit. *idem, ibid.*

Venæ diuisæ circum caput inter se contrario modo plicatæ sunt, partim ex dexteris in sinistræ, partim ex sinistris in dextra, vt simul vinculum capiti ad corpus cum cute essent. *Plat. in Timæo.* Venarum principium cor est adhuc angustissimarum quæ in iecore dilatantur. *Fic. in Pla. Timæum, cap.66.* Venæ & arteriæ cunctæ contextæ sunt inuicem, quasi rotundum rete, vel trica *idem, ibid. cap.80.*

Venæ à capite à dextra parte in sinistram corporis partem tendunt, & quæ in sinistra in dexteram corporis partem transeunt, vt capitis ad vniuersum arctior sit connexio, & vis sentiendi vigens in capite ex vtraque capitis parte ad corpus totum facile se diffundat; et nerui non simili complicatione descendunt. *Fic. in Plat. Tim. cap.79.*

Venarum nomine vsi sunt antiqui pro venis & arteriis. *Iacob. Carp. in Alc. cap.14.*

Venditor, Venditio.

Venditor alicuius rei, & qui alterius nomine vendit, eodem modo sit reus. *Plat. de leg. dial.12.*

Venditæ alicuius rei qui pretium acceperit non infra quinquaginta drachmas, is in ciuitate ad dies decem necessariò expectet; qui verò emit domum vbi diuertit ille sciat, & hoc propter querelas, quæ circa talia fieri solent, & propter restitutionem secundùm leges. *Plat. de legib. dial.11.*

Venditionis restitutio secundùm leges sic fiat. Si quis seruum vendiderit tabe laborantem, aut calculo, aut vrinæ stillicidio, aut morbo quem sacrum appellant, aut alio aliquo multis ignoto, longo & ægrè curabili, corporis, aut mentis morbo, si medico, aut gymnastæ vendiderit, his restitutionem consequi non detur, neque si quis veritate prædictâ alicui vendiderit. si verò artifex quispiam talium quid inscio alicui vendiderit, qui emit intra semestre tempus reducat ac restituat excepto sacro morbo, cuius intra annum restitutionem facere liceat; iudicium fiat inter medicos quosdam, quos in communi propositos delegerint: qui condemnatus fuerit duplum pretij eius quo vendidit persoluat: si verò insciens inscio vendiderit, restitutio quidem fiat, sed condemnatus simplex pretium persoluat: quod si homicidam vendiderit quis sciens scienti, non contingit in tali venditione restitutio. si verò inscio vendiderit restitutio non fiet, quum emptor perceipiet: sitque iudicium coram quinque legum custodibus iunioribus, & si ille nouisse cognitus fuerit, tum ædes emptoris purgentur iuxta legem interpretum legum, & pretij triplum emptori reddat. *Plat. de leg. dial.11.*

Vendens in foro quodcunque, nunquam duo pretia eorum dicat, sed simplici prolato si non hoc inuenerit rectè rursus quod suum est auferat, & hac die nec maioris, nec minoris æstimabit. Laus & iusiurandum ab eo quod venditur absit; si verò quis his non paret, quisquis è ciuibus non pauciores quàm triginta annos natus interuenerit, iurantum castiget & impunè verberet: si verò neglexerit & non paruerit, legum proditionis reus sit, & vituperetur: qui verò adulteratum quid vendit & præsentibus legibus obedire non potest. qui accesserit, & cognoscentibus, & redarguere poterit, coram magistratibus redarguat, & seruus, & inquilinus, id quod adulteratum comperit auferat: ciuis non redarguens velut deos eo priuans, malus dicatur: si verò redarguit, deis forum tenentibus dedicet, ille verò tale quid vendere compertus, ad hoc quod adulterato priuatus est, quanto pretio existimauit id quod venum proposuit pro singulis drachmis singulis plagis cædatur à præcone denunciante in foro qua de causa verberari debet. Hæc cognoscant ædiles, & legum custodes ea periti harum rerum, & quæ facere & non facere vendentem oporteat præscribant, & ante ædilis sedem in columna ponant vt leges fori sint manifestæ, & si quid desit inito consilio cum legum custodibus suppleant. *Plat. de l.g. dial.12.*

Venditionis lex sit, vt prima mensis die eorum quæ vendi debent duodecimam partem, & primam tritici proponant, externi in omnem mensem emant frumentum, & quæ eius generis sunt in primo foro exposita; duodecima mensis die liquidorum ab aliis venditio, ab aliis emptio fiat, quæ ad totum mensem sufficiat; tertia & vigesima die animalium venditio fiat, vasorum, & instrumentorum, & rerum quas agricolæ vendunt. In cauponis aut triticum aut ordeum in polentam comminutum aut aliud omne elimentum ipsis & ipsorum seruis, neque quis vendat, neque quisquam à tali quicquam emat. In externorum foro externus vendat opificibus & eorum seruis vini, & frumenti venditionem permutans, frustra animalium concessorum disponant, & vendant coci externis, & opificibus & eorum seruis. Omnium materiam ad comburendum externus vbi volet aceruatim è procuratoribus in illis locis coemat & vendat: ex aliis rebus venalibus & instrumentis vendant

quibus

quibus singulis opus est ad publicum forum deportata in locis à legum custodibus & ædilibus deputatis. *Plat. de legibus, dialog.* 8.

Veneficia in humano genere de quibus nunc traditur, duplicia sunt, aliud quod corpore corpora secundùm naturam deprauat, alterum quod præstigiis quibusdam, & incantationibus, & deligationibus persuadet aliis qui ipsi lædere audent, quod hoc possit, aliis quod læduntur ab his præ omnibus qui præstigias exercere possunt. *Plato de legibus dialogo* 11.

Veneficiis qui vtitur ad detrimentum non lethale, neque ipsius neque hominum, sed pecorum, aut examinum, siue lethale, siue aliud detrimentum: si medicus fuerit, & veneficij condemnatus, morte plectatur: si idiota, iudicium iudicet quid persoluere debet, ut si deligationibus, aut illecebris, aut quibusdam incantationibus, aut eiusmodi veneficiorum vsu ad lædendum paratus esse videtur, si vates est, aut prodigiorum interpres, occidatur; at si absque diuinationis peritia quis veneficij condemnatus fuerit, idem etiam circa hunc fiat, nam & hoc iudicium faciat æstimationem quid ipsum pati, aut soluere oportet. *Plat. de leg. dial.* 11.

Veneficium est ars quædam circa materiales dæmones & terrestres, simulachra dæmonum producens in aspectum, & alios velut ab inferis excitat, alios ex alio deducit. *Mich. Psel. de dæm.*

Veneratio ad Deum geminis peruolat alis, fide, & amore, quibus Deo coniungimur vnione quadam intelligentiam superante. *Fic. in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Venerea rabies ad intemperantiam trahit, ideóque ad inconcinnitatem, quare ad deformitatem similiter videmr allicere, amor autem ad pulchritudinem. *Fic. in Pla. conui. or.* 1. *cap.* 4.

Venerea voluptas est totius corporis delectatio, & manifestissima præ cæteris voluptatibus maximè concitat. *Idem in Pla. Phædr. cap.* 17.

Venter inferior est adiunctus, ne alimenta superflua à nobis sumpta in superioribus residerent, ingeniúmque vel perderent, vel confunderent. *Ficin. in Platon. Timæum, cap.* 70.

Venter noster cibus & potus quum in ipsum inciderint continere potest, spiritum & ignem, quum constitutione ipsius tenuiora sint, continere nequit. *Pla. in Tim.* Ventrem si ab iecoris fomento destitui dubitas, trahe ad ventrem iecoris facultatem tum frictionibus, tum fomentis, per ea quæ iecori congruunt, per cicoream, endiuiam, spodium, eupatoriũ, hepaticum, & hepata. *Ficin. de vita cælitus comparan. lib.* 3. *ca.* 1.

Ventus.

Ventus est agitatio aeris circa terram. *Speusippus de Platonicis definitionibus.* Venti alij è tellure habitu constant, terrigenæque nuncupantur, alij excutiuntur è sinibus encolpiæ de recessu nominati; siturales his sunt qui de fluminibus, lacubus, & stagnis exeunt, qui ruptis nubibus per aperta cœli manare solent, & in crassam nubium speciem conglobantur, vel cùm imber effusus conciet flabra, quæ ex hydriæ Atticorum lingua vocitantur, eurus oriens, boreas septentrio, occidens zephyros, austros medius dies mittit; hos quatuor alij plures interfluunt. *Apuleius de mundo.*

Ventus, qui aerem infrigidat, siccat, & serenat, sua natura est salubris, si eum cum temperamento receperis. & est principalis medicus contra pestis venenum. *Fic. in Epid. antid. ca.* 5.

Ventos omnes philosophi siccos faciunt, genituram omnem humidam. *Io. Fran. Pic. Mir. in Astrol. lib.* 10. *cap.* 9.

Ventos esse placuit Anaximandro fluxum aeris de subtilissimis & humidissimis in eo partibus à Sole vel motis, vel liquefactis conflatum. Aristoteles siccam euaporationem censet esse. Stoici fluxum aeris simpliciter nuncupant diuersas nominationes diuersis è regionibus è quibus flare cõsueuit sortitum. Metrodorus existimauit fieri ventum ex aquosa vaporatione ob Solis adustionem impetu diuinorum spirituum. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. va. doc. gen. lib.* 1. *cap.* 1x.

Venus.

Venus ἀφροδίτη dicta propter originem, quia spuma ἀφρὸς dicitur. *Plato in Cratylo.* Veneres duæ sunt: altera antiquior & matre carens, cœli filia, quam etiam cœlestem cognominamus: altera iunior Iouis & Dionis filia, quam vulgarem vocamus; quare amorem alteri cooperantem cœlestem, alterum vulgarem necesse est appellare. *Idem, in Symposio.*

Venus non est sine amore, & si vna esset, vnus esset amor, cùm verò duæ sint Veneres, duo quoque amores sunt. *ibid.* Venereum iusiurandum solum non valere aiunt, amatoribus enim solis si iusiurandum transgressi fuerint, venia datur, vt vulgus ait. *ibid.*

Venereu qui peragere valt ita peragere debet, vt à nemine videatur, velut res visu turpissimas. *Pla. de pulchro.*

Venus rara debiliorem ipsam dominam facit. *Idem, de legibus dial.* 8.

Venere abstinuerunt Icen Tarentinus propter Olympicum, & alia certamina per totum exercitationis vigorem: idem Cri\sson Astilus. & Diopompus. *ibid.*

Veneris stella fit Hesperus occidentalis scilicet sequẽs Solem in tantum vt à splendore ipsius non obscuretur, aliquando orientalis vbi Solem præcedit, & ad auroram prius currit. & fit Lucifer, quia cum Sole currit. *Tim. Locr. de an. mundi, & nat.*

Venerem cœlestem vt è Saturno, id est intellectu genitam dicam, necesse est esse animam diuinissimam, proximè ab ipso intellectu inuiolabili inuiolabilem natam, supernéque permanentem, vt quæ ad hæc mundana descendere nec vult, nec valet, quia eã naturã prædita est, quæ ad inferiora non inclinatur, & necesse est esse substantiam separatam, & essentiam materiæ non participem; & ideò sine matre dixerunt esse, id est sine materia, quæ potius est Deus, quàm dæmon, vt quæ pura & sincera, & in seipsa consistens sit. *Plotin. En.* 3 *lib.* 5. *cap.* 2.

Veneres in mundo diuersas esse putandum est, quasi dæmones vnà cum amore nascẽtes, ex vniuersa quadam Venere profluentes, quæ vnà cum amoribus proprijs ab illa dependeãt, siquidem anima est mater amoris, Venus est anima, amor verò est actus animæ bonum desiderantis. *Plotin. En.* 3. *lib.* 5. *cap.* 4. Venerem & Iunonem pro eodem accipiunt antiqui sacerdotes, ac Theologi. *Idem, ibid. cap* 8. Venus anima est, Porus est omnium ratio, Iupiter est secundus intellectus. *ibid.*

Venus senibus fugienda, nam & iuuenibus detrahit vitæ plurimum, & non consulit natis, sed nascituris, & etiam herbas statim producto semine siccat *Fic. de vita produc. lib.* 2. *cap.* 8.

Venus duplex est: vna est intelligentia illa, quam in mente angelica posuimus. altera est vis generandi animæ mundi tributa: vtraque sui similem comitem habet amorem, illa amore ingenito ad intelligendam Dei pulchritudinem rapitur, hæc amore suo ad procreandam eandem pulchritudinem in corporibus: illa diuinitatis fulgorem ipse primum complectitur, deinde hunc in Venerem secundam traducit; hæc fulgoris illius scintillas in materiam mundi transfundit *Fic. in Pla. conui. or.* 2. *cap.* 7.

Venus duplex, cœlestis, & vulgaris: cœlestis, quæ in mente est, cœlo nata sine matre dicitur, quoniam mater apud physicos materia est, mens autem illa à materiæ consortio aliena est. Secunda Venus, quæ in anima mundi ponitur, ex Ioue & Dione genita, ex Ioue, id est ex ea virtute quę cœlos mouet, & istam creauit potentiam, quæ inferiora hæc generat, & matrem illi tribuunt, quia materiæ mundi infusa cum materia commercium habere putatur. *Ficin. in Plat. conuiuium, or* 2 *cap.* 7.

Veneres duæ in nobis sunt; hæ vires intelligendi, & procreandi. quas gemini comitantur amores, cùm primum humani corporis species nostris oculis offertur, mens nostra quæ prima Venus est veneratur, & diligit, & per hanc ad illum sæpenumero incitatur. Secunda Venus id est vis generandi, & formam huic similem generare concupiscit. *Ficin. in Platonis conuiuium, or* 2. *cap.* 7.

Venus est soror Iouis, quia vt Ille cœli fortuna est, sed quoniam est inferior, & valde capax dicitur coniux quoque. Hæc Iuno est & quasi Iupiter alter, vt Luna Sol alter. & per munus Iouiale susceptum dicitur Iuno, per proprium naturam Venus. *Fic. in Pla. phæ. r cap.* 30.

Veneri Diapente vocis quintæ gratiã inseruit. *Idem, in Plat. Timæum, cap.* 32.

Veneri obedit humor mixtus ex aereo, & aqueo, & fœcunditas materierum *ibid.*

Veneris & Mercurij ait Plato potentiam contrariam esse Soli, quia opposito ad illum motu quandoque mouentur progredientes, & vicissim regredientes. Sol occulta prodit, illi contra: præterea Solis potentia cum rebus incomparabilis est, ipsi comparabiles moderantur, comparabiléque efficiunt, Venus conciliationis & amicitiæ, Mercurius proportionis & commixtionis est author. *Fic. in Plat. Tim. cap.* 29.

Venus, & Sol proximi nobis sunt, maiores enim videntur. *Idem, in Plot. En.* 2. *lib.* 1. *cap* 7. Veneri columbæ consecratæ sunt. *Leo Heb. de am. dial* 2.

Veneris natura propria generandi esse existimatur. *Idem, ibidem.*

Veneris & Martis adulterij allegoria est, quòd Venus quæ significat humanam concupiscentiam Vulcano ignis numini nupsit, qui est hominis calor naturalis concupiscentiæ tanquam vir vxori adhærens, Marti iuncta Venus, quia Venerea concupiscentia martialem amare

solet ardorem. Sol verò humanæ rationis claritatem repræsentans eos apud Vulcanum grauissimè accusat, &, illi ostendit, quòd propter immodicum luxum paolatim calor naturalis debilitatur: vnde Vulcanus ambos retibus visionem oculorum fugientibus capit & colligat, nam calore naturali succumbente vires deficiunt, & ipsos Vulcanus diis omnibus ostendit, nam calor naturalis sui defectum, & imbecillitatem omnibus corporis facultatibus communicat. *idem, ibid.*

Venustas est maximum signum moderatæ & liquidæ speciei, quam præ omnibus excellenter & ex confesso amor habet. *Pla. in Symposio.*

Ver est temporum optimum, quoniam ab ariete regno Solis incipit. *Mar. Fic. de Sole, cap. 5.*

Veracitas est habitus in affirmando, & negando rectus, scientia veri. *Speusip. in Pla. definitio.*

Verberans.

Verberans æqualis æqualem, & liberis carentes ætate præminentem, & senex senem, & iuuenis iuuenem absque telo nudis manibus, qui quadragesimum annum egressus cum aliquo depugnare audet, siue lacessens, siue vim propulsans, is si agrestis, & illiberalis dicatur, & seruilis, & probrosum iudicium consequatur, quòd decens est habebit, & si talibus monitis obsequetur, obediens habeatur, si verò non paret, neque præfationem curat, talem legem promptè suscipiet. *Plato de legib. dial. 9.*

Verberans se seniorem viginti, aut pluribus annis, primò qui accesserit prohibeat, aut improbus secundùm legem sit, si non æqualis, aut iunior depugnantibus sit: si verò in verberati ætate sit, aut adhuc iunior, auxilium ipsi feret velut fratri, vel patri, aut adhuc superiori; & præterea verberum dica ipsi impingatur, qui seniorem verberauerit, & in vinculis detineatur infra annum, & si iudices longiore tempore condemnarint, ratum sit: at si externus se seniorem viginti annis vulnerauit, duobus annis pœnas det; si inquilinus, tribus annis vinctus detineatur: qui affuerit, & non auxilium tulerit, si ex maximo censu est mulctetur minis sex, secundo quinquaginta drachmis, si ex tertio triginta, si ex quarto viginti: & iudices sint exercitus duces, ordinum præfecti, & tribuni, & equitum magistri. *Pla. de legib. dial. 8.*

Verberationis genus omne violentum est. *Plat. de legib. dial. 9*

Verberantes patrem, vel matrem vltima auersione opus est, quæ non mors, sed quæ afflictione apud inferos narrantur, quæ cum verissimæ sint, in talibus animis auertendis nihil efficiunt, alioqui nunquam patrem, aut matrem verberarent, eorum pœnas quæ hic dum viuunt infliguntur nihilo minores esse oportet his, quæ apud inferos sunt quoad fieri potest. *idem, ibid.*

Verberans patrem, aut matrem, aut horum patres aut matres non insaniâ correptus, qui inciderit auxilium præstet si inquilinus aut externus est, qui opem fert in primas sedes vocetur in certaminibus: si verò opem non tulerit perpetuò à regione exulet: qui inquilinus non est auxilium tulerit laudem ferat, si non tulerit vituperationem: si seruus auxilium tulerit liber fiat, si non tulerit plagas centenas flagello accipiat; si in foro res facta fuerit, ædiles; si extra forum, verbis curatores puniant; si in agris, ex agrorum curatoribus principes; at si indigena fuerit, qui accesserit siue puer, siue vir, siue mulier, quiuis auxilium ferat inopium illum cognominans: qui non auxiliatur, qui Iouis cõgeneris, & paterni execrationi obnoxius sit. Si quis ob parentum verberationem condemnatus fuerit exulet ex vrbe perpetuò in aliam regionem & templis arceatur; si non sinit se prohiberi, agrorum curatores plagis puniant & omnino prout voluerint; reuersus morte puniatur. Quicunque liber cum ipse cibum sumpserit aut volens tetigerit, is nec in vllum templum veniat, nec in forum nec in ciuitatem priusquam purgatus fuerit, ita vt cum scelerata fortuna communicationem se habuisse putet: si non paruerit, maximarum culparum reus sit. *Plato de legibus, dial 9.*

Verberans seruus liberum magistratibus non iubentibus, dominus ipsius à verberato ligatum acceptum ipsum non soluat, priusquam seruus verberato persuaserit se iam dignum esse qui solutus viuat. *Plato de legibus dial. 9.*

Verbum.

Verbum est declaratio quæ de actionibus est. *Pla. in soph.*

Verba sunt rerum imitamenta. *in Ati.* Verborum leuium, & volatilium grauissimum est damnum. *de legib. dial. 4.* Verborum nimium curiosi homines res bonas nunquam proferre vel assequi possunt. *Ficin. in Platon. Euthydem.*

Verbum naturæ humidæ astans eam fouebat; ex humidæ naturæ viscerib. sincerus ac leuis ignis protinus euolans petit; aer quoque leuis spiritu patens mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur, terra verò & aqua sic inuicem commixtæ iacebant vt terræ facies aquis obruta nusquam pateret: hæc duo deinde commota sunt à spiritali verbo quod eis superferebatur, aures eorum circumsonans. *Merc. Trismegisti Pimander, cap. 1.*

Verbum est imago, & mens Dei. *Idem, ibid. cap. 12.* Verbum expressum appellatur causa causarum, quia ab eo producuntur entia. *Aristot. Theologia Aegyptia, lib. 10. cap. 17.*

Verbis extrema supremis esse prolixiora debent, nam oportet Theologicas institutiones explicationémque nominum diuinorum breuiore, quam Theologiam significatiuam sermone tractari: nam quatenus ad sublimiora contendimus eatenus sermones ipsi intelligibilium conspectibus contrahuntur, vt in caliginem illam subeuntes, quæ superat intellectum, non solùm in sermonis breuitatem, sed etiam in silentium, & intelligentiæ vacationem incidemus: sed in descendendo oratio pro quantitate descensus extenditur, & post omnem ascensum omnino motus obmutescet & ineffabiliter coniungetur. *Dionysius Areopagita, de trinita.*

Verbum Dei superius est vniuerso mundo, antiquius omnibus creaturis. *Philo in leg. alleg.*

Verbum Dei æternum assumpsit corpus humanum non ex cælo, vt opinatus est Cœlestinus, & Valerianus, sed ex nobis; item totam naturam nostram non subtracta anima vel intellectu, vt Arrius Apollinarisque suspicantur: denique naturam veram, non imaginariam qualem Manichæi somniarunt: tres enim hos errores ipsa Dionysii verba procul dubio confutant. *Mar. Fic. in Dion. Areop. de diuinis nominibus.*

Verbum, de quo Plato loquitur, teste Amelio, & ante eum Heraclitus est verbum per quod omnia sunt creata, & de quo scripsit in Euãgelio suo Ioannes. *Aug. Steuch. de per. phil. lib. 1. cap. 32.*

Verba, lineamenta, figuræ, characteres, & descripta verba, nec præter, nec supra naturam operari quicquam possunt per se, quia & ea ipsa quorum parens est natura efficere nõ possunt, nisi alterius ope virtutis adiuta fuerit. *Io. Fran. Pic. Mir. de prænotionibus, lib. 7. cap. 6.* Verbum quod à Platone traditur non est creator, sed creatura. *Gab. Burate. de ideis, lib. 2.*

Verborum Ciceronianorum religio mihi inter philosophandum vana superstitio videtur. *Iac. Carp. Defensio.*

Verecundia est formido in expectatione infamiæ. *Speusippus de Platonis definitione.*

Verecundia in anima in quadam turpitudinis opinione consistit, & est in anima continente, *Plo. En 3. lib. 6. cap 3.*

Veritas quæ dicitur modis.

Veritatis iudicatorium tripliciter sumitur, communiter, propriè, magis propriè: primò res quælibet qua vtimur ad quicquam deprehendendum, vt visio & cæteri sensus naturales: secundò omnis res quæ arte quicquam, apprehendit, & metitur, sic regula omnis & amussis, & perpendicula: tertiò res omnis cuius ope in rei latentis cognitionem deuenimus: quare quæ rationalia sunt iudicatorij nomen obtineere, quod & tribus ipsum modis accipi consueuit, à quo, per quod, & secundùm quod; à quo homo est, per quod sensus siue mens, secundùm quod phantasia vel imaginatio. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exa. van. doct. gentium, lib. 2. cap. 1.*

Veritatem & verum nostri trifariam acceperunt, & definierunt: primò id in quo verum fundatur, & ita dixit Augustinus, verum est id quod est: secundò id quod propriè ipsam veri rationem perficit, quo pacto dicitur veritas conformitas rei & intellectus: tertiò veri effectus verum appellari solet, vt Hilarius verò censuit ipsum esse manifestari, & Augustinus id quod est ostendi veritate. *Io. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct gen. lib. 1. cap 2.*

Veritas quod est, vt sectanda, & defendenda est.

Veritati qui progrediuntur serius quàm conueniebat, damnandi sunt. *Plato in Cratylo.*

Veritatem assequi ex falsa opinione ferè nunquam possumus. *Idem dialogo de regno.*

Veritati in contentionibus auxiliari oportet. *in Phi.*

Veris aneum non miscetur, id rectè fieri nequit. *ibid.*

Veritatem solam Socrates dicit *in Ione.*

Veritas multi facienda est. *de rep. dial. 3.*

Veritati succensere nefas est. *ibid. dial. 5.*

Veritas concinnitatis cognata est. *ibid. dial. 6.*

Veritas maximè familiaris est sapientiæ *ibid.*

Veritas & cognitio pulchra sunt, sed ipsum bonum pulchrius est: nam vt Solis speciem referre putare lumen & visum possumus, Solem verò non, sic & boni speciem referre scientiam & veritatem rectè dicitur, bonum verò putare alterutrum horum non rectè. *Pla. de rep. dia. 6.*

Veritati

Veritati nemo vir præferendus est. *idem, ibid. dial.* 10. Veritas ita se habet ad id quod creditur, vt essentia ad id quod fit. *idem, in Timæo.* Veritas omnium bonorum & diis & hominibus dux est, cuius qui beatus & felix esse volet statim ab initio particeps esse debet, vt quam plurimo tempore in veritate vitam degat, & hic fidus est. *de legibus, dial.* 5.

Veritas rei est ipsa res. *Arist. Theo. Ægyp. lib.* 8. *c.* 6.

Veritas Christianorum est sola vera, & vnica, & simplex diuinorum cognitio. *Dion. Areopag. de diuinis nom.* Veritas est ens ipsum, à veritate casus est ab ipso ente ruina; ideò ab ente Deus cadere nequit. *idem, ibid.* Veritate nihil verius inueniri potest. *Plot. Enn.* 5. *lib.* 5. *c.* 2. Veritatis conscius coarguit, ignarus coarguitur. *Max. Tyr. serm.* 2.

Veritatis indagationem oportet philosophum nūquam omittere, sed eam nutrire semper & augere, & humanas actiones tanquam inferiora quædam nonnunquam attingere. *Alcinous cap.* 1. Veritatis qui auidus est, ad diuinorum contemplationem mentem conuertit, & voluptates corporis paruipendit. *idem, ibid.* Veritatem contemplanti rerum vilium existimatio aduersa est. *ibid.*

Veritatem simplicissimam vt consequamur iubet Pythagoras & Plato fugere, nos enim multifariam distrahit, & interioris populi meliò magis quam exterioris. Primò ergo fugito variam affectuum multitudinem, secundò sensuum, tertiò imaginationum, quartò opinionum inde pendentium. *Procl. in Alcibiadem* 1. Veritatis indagatio proprium munus est philosophi. *Bess. Card. in calum. Plat. lib.* 1. *cap.* 4.

Veritatis defensione nihil honestius. *Idem, lib.* 4. *cap.* 1.

Veritas est non solùm alta quam mens, sed superius; nam mens eget veritate, veritas non indiget mente, & latius se fundit veritatis quàm mentis imperium; & si quod superius est, non caret bonis interioribus, non deest mentis perspicacia veritati *Fic. Plat. Theol. lib.* 2. *c.* 8.

Veritas ipsa nec incipere nec finiri potest. *idem, ibid. lib.* 2. *c.* 5.

Veritas est humanæ mentis esca. *Ficin. Plat. Theol. lib.* 8. *cap.* 2.

Veritas non est corporea, alioqui rebus incorporeis non inesset. *Idem, ibidem.* Veritatis indagatio non corpori, sed animo prodest. *ibid.* Veritas quid sit ratio sola iudicat, non sensus. *ibid.*

Veritate nil optabilius est menti. *ibid.*

Veritas est rerum cum mentibus adæquatio. *Ficin. Platonica Theologia, lib.* 8. *cap.* 4. Veritas est naturæ cuiusque pura integritas, & integra puritas. *idem, ibid. lib.* 11. *cap.* 6.

Veritas rerum mentem nostram familiariter inhabitat. *ibid. cap.* 8.

Veritas, & bonitas idem sunt. *Mar. Ficin. epist. lib.* 1. Veritatis lumen ad mentem idem est quod Solis lumen ad visum. Mens, & veritas aliud sunt; alioqui mens omnis esset veridica. *idem, ibid.* Veritas nūquam clarius intelligitur quàm cùm rectè quo pacto super intelligentiam sit, intelligitur. *ibid.* Veritas absoluta est lux Dei in se ipsa, rerum veritas est Dei splendor in ipsis. *ibid. lib.* 3. Veritate nihil latius, clariúsque patere potest. *ibid. lib.* 5.

Veritas est lumen intimum, lumen veritas se ad extima fundens. *Ficin. de lumine cap.* 5. Veritas solidum est bonum, & ipsâ sanis auribus nil dulcius est, & ipsâ nec apud deos nec apud homines venerabilius quicquam vnquam aut fuit, aut erit. *idem, in Plat. Phil. lib.* 1. *cap.* 14. Veritas ipsa æterna est, & immobilis: at corporalia omnia permutantur, in illis ergo non est veritas. *ibid. cap.* 19.

Veritatem assequi qui cupiunt, in primis puritatem animi sese comparent ad diuini splendoris influxum, quo ducente recto calle, certísque vestigiis veritatem rerum inuestigabūt, & singulares latebras rerum discutient, cùm scilicet non sensuum opinionibus, sed rationis ac mentis examen per vnum, ac multa diuidendo, & vniendo procedent. *Ficin. Plat. Phil. lib.* 1. *cap.* 26. Veritas est cuiusque mera & integra natura. *idem, ibid. cap.* 35. Veritas est boni lumen, in mente ita menti cognatum, vt Solis lumen stellis, Luna superioribus: animæ vero rationali ita congruum, vt lumen Solis Lunæ. *ibid. cap.* 63.

Veritas vna est nobis à Deo tributa, quę in variis affectibus variarum virtutum cognomen sortitur, aliæ morales, intellectuales aliæ: intellectuales moralibus præstantiores sunt, videlicet sapientia, scientia, prudentia. Morales, iustitia, fortitudo, temperātia. Morales propter operationes earū ciuiliáq; officia nobis notiores sunt: intellectiuę propter recōditam veritatem occultiores. *Fic. in Plat. conuiu. or.* 6. *cap.* 18.

Veritas est lumen ex ipso bono per intellectus & intelligibilia diffusum. *idem, in Plato. Phædr. cap.* 21.

Veritatis cribrum est disputatio. *Io. Franc. Picus Mirandul. epistolarum lib.* 3.

Veritas est filia temporis, quod notat mendacium diu celari non posse. *Fran Patr. de regno, lib.* 4. *cap* 1. Veritatis oratio simplex esse debet. *Iacob. Carp. in Alcinoo* 1. *digressio. de analy. methodo.*

Veritas est nomen patris, nomen coæternæ prolis ab eo, substantia, mens, inter quæ est amor vtriusque processor ab vtroque, appellatus anima, potentia; quæ tria ineffabilia principia à Platonicis dicuntur, bonum, mens, anima, dicuntur vnitas ens, potentia, dicuntur tres operantes, tria numina, tria principia. *Aug. Steuc. de per. phi. lib.* 1. *cap.* 10.

Veritas vna, vt vnus creator est. *idem, ibid. lib.* 6. *cap.* 15.

Veritas filia temporis. *Marc. Ant. Nat. de pulchro lib.* 5. Veritas est animi cibus, ratione percepta, ad quam inuestigandam oculi, ad addiscendam aures maximè conferunt. *Steph. comb. de asc. men. in deum, lib.* 5. *cap.* 12.

Veritas in quo consistit, & vnde dicitur.

Veritas ἀλήθεια, contractum nomen est; diuina enim rerum latio comprehendi in hoc nomine videtur, velut θεία sit ἄλη, id est diuina vagatio. *Plat. Crat.* Veritas tantùm spectanda est, non qui illam dicit. *idem, in phæ.* Veritatem circa stellas per diuinum vaticinium sciri posse affirmo, nec indigere artificiosis prædictionibus, vel regulis, & diuinum vaticinium posse nos docere naturam, & effectum astrorum etiam sine arte. *Iamblichus de myst.* Veritas penes Deos secundùm essentiam vnà cum illis existit. *idem, ibid.*

Veritatis ratio & oratio est simplex, nec fieri potest vt dum variè quis de eadem re opinatur, & dicit, non falsa etiam, & sibi inuicem repugnantia sentiat; sed Plato veram vbique rerum rationem, & genus modúmque dicendi aptum sequutus, nihil sibi diuersum aut dissimile contingere passus est. *Bess. Card. in calum. Plat. lib.* 1. *cap.* 4.

Veritas ibi maximè consistit vbi scientia, hæc in rationibus rerum vniuersalibus reuera versatur. *Fic. Plat. Theol. lib.* 8. *cap.* 2. Veritatis iudicium non est in sensu constitutum, sed in ratione. *Idem, ibidem. lib.* 11. *cap.* 6. Veritas rerum à diuinâ intelligentia prouenit. *lib.* 18. *cap.* 1. Veritas ad id quod esse dicitur spectat, ideóque falsum ad non esse declinat, & ideò mendax quatenus in falsum labitur eatenus in nihilum quoque prolabitur. *in Plat. de repub. dial.* 2.

Veritatis iudicem esse alij mentem putarunt, alij sensum, alij cum mente numerum, alij mentem & sensum prætulerunt, vt Aristoteles qui ait, nihil in intellectu esse, quod non fuerit in sensu: alij sensui mentem prætulere, & fuere, qui affectibus de phantasia ortis tribuêre multum, vt Carneades, & Clytomachus, & Stoici, quamquam inter eos magna sit pugna. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gent. lib.* 1. *cap.* 5. Veritatem in antro Heraclitus, in puteo Democritus iacere affirmarent, quasi enigmate insinuantes vellent haberi posse, sed magno cum labore. *idem, ibid. lib.* 2. *cap.* 11.

Veritas non apud multitudinem, sed apud paucos reperitur. *August. Steuch. de peren. phi. lib.* 1. *cap.* 3.

Veritas, vt Heraclitus ait, in profundo demersa est, quam tempus elicit in lucem. *idem, ibid. lib.* 4. *cap.* 4.

Veritatem adeò latere voluit Deus, vt non nisi post multas cōflictationes, & argumentorum collationes, nec ab omnibus, sed à doctis, & non initio vitæ, sed nisi sero reperiatur. *M. Ant. Nata de pulchro, lib* 2. Veritas rerum vbi exquiritur, non decet ad personam respicere. *idem, lib.* 3. Veritatis iudicium natura dedit rationi, non sensibus. *ibid. lib.* 8.

Veritas vt se habet ad falsum, & an sensibus cognoscatur.

Veritatis imperiti multas non sanas opiniones habent, tum ad voluptatem, tum ad dolorem, & ad medium horum, & ita affecti, vt cùm ad dolorem feruntur, verè putent, & reuera doleant, & cùm à dolore ad medium, vehementer opinentur se in perfectione, & voluptate versari, vt qui fuscum ad nigrum conferunt, eo quòd album non nouerunt; sic hi dolorem ad doloris summotionem conferentes, ob imperitiam voluptatis decipiuntur. *Plato, de republica, dialogo* 9.

Veritate inuentâ nil pretiosius, & assuetudo mendacij est in causa multorum peccatorum. *Plu. de educ.*

Veritas ex redargutione falsitatis relucet. *Ficinus in Plat. de virtute.*

Veritas est adæquatio rei, ac mentis; & mentis veritas est eius adæquatio ad res, veritas rerum est rerum adæquatio menti: duæ sunt mentes, humana, & diuina: duæ res, opera diuinę mentis, opera humanę mentis: veritas humani operis est adæquatio eius ad hominis mentem, id est vt tale sit, vt respondeat ideæ artifici: veritas operis naturæ, quod est diuinæ mentis opus, adæquatio ad diuinam mentem, vt in ea puritate & integritate sit, qua ipsum fore idea sui in mente conatur; veritas mentis humanæ adæquatio re-

bus, non operibus suis, sed diuinæ mentis operibus, vt ita de his sentias, vt sunt in seipsis per scientiam, & vt sunt in mente diuina per sapientiam: mentis autem diuinæ veritas est adæquatio rebus, non his, quæ in se sunt, sed his quæ intra, id est seminibus rerum in sua essentia existentium, illis enim semper mens cohæret. Est autem lumen à bono per mentes & species omnes, & res penetrens, quod omnis adæquationis causa est, & ideò veritatis omnis quod est veritatis lumē. *Fic. in Pla. phi. lib. 1. cap. 15.*

Veritas nulla mendaciis est confirmanda. *Ioan. Pic. Mirand. in Astrolo. lib. 2. cap. 5.* Veritatem per sensum haberi posse non negamus. *Io. Fran. Pic. Mir. in ex. van. doc. gen. li. 5. cap. 2.*

Veritas sincera à sensibus expectanda non est, sensu tamen Aristotelica doctrina nititur. *idem, eod. op. lib. 4. cap. 9.*

Veritas vt homini propria.

Veritati qui non placet, non potest verè placere. *Ficin. epistol. lib. 3.*

Veritatem obscurissimam esse tradunt homines, et ego hominum voluntatem obscuriorem esse arbitror. *idem, ibidem, lib. 6.*

Veritatis minimam cognitionem intemperati homines sortiuntur, summam & infinitam in seipso Deus amplectitur, magnam & amplam vir temperans adipiscitur. *Idem, in Pla. Alci. 1.*

Veritatem rerum à Deo dependentium negat Plato posse haberi, nisi veritas ipsa de eo habeatur. *Fic. in epistolam secun.*

Veritatis expers à scientia alienus est. *idem, in Plato. Theætetum.*

Veritatem defendere, & pro ipsa pugnare tantò magis debemus quantò magis videtur habere plures oppugnatores. *Io. Pic. Mir. proœ. in Astro.*

Veritatis percipiendæ tanta hominibus est innata cupiditas, vt à primis vsque seculis, qui præstare ingenio videbatur, is & eius inueniendæ & aliis patefaciendæ negotium libenter susceperit. *Io. Fran. Pic. Mir. in exa. van. doct. gen. proœm.*

Veritatis est tanta vis vt repugnātium assensum ad se cohibeat. *Seb. Foxius in Pla. de rep.*

Veritas in nostra mente tantummodo quasi forma insculpta est, cognitio verò vt illius comprehensio, vtrunque tendit in ipsum boni principium. *idem, in 6. Plato. de republ.*

Veritatis vestigia per omnes gentes sparsa intuemur, quam Moses olim libris suis quasi procul è remotissima specula inspiciendam ostendit, idem enim omnes gentes crediderunt quod nunc omnes credunt. *August. Steuch. de peren. philosophia, lib. 1. cap. 1.*

Veritas non potest sic aboleri quin mens humana illam nonnunquam profundat. *idem, ibid. lib. 7. cap. 21.*

Veritas magis fidem facit, si cum falsitate contendit. *Marc. Ant. Nat. de pulchro, lib. 5.*

Vera dicens in dicendo excellens est. *Pla. in Apolog.*

Vera aliquem dicere signum est odio haberi. *idem ibid.*

Virum meliorem à deteriore lædi non posse arbitratur Socrates, occidi, aut fugari, aut ignominia affici posse. *ibid.*

Verum & falsum in sermone, cogitatione, imaginatione, & in opinione est. *ibid.*

Vera si dicimus, dicimus ea quæ sunt. *Pla. in Parmen.*

Verè vel ne considerandum est quod dicitur, non à quo dicitur. *idem, ibidem.*

Vera dicere bonum est, à veritate aberrare malum. *de republica, dial. 3.* Vera dicere inter prudentes & amicos de maximis & clarissimis rebus tutum est, & audendum; at non credentem, & simul quærentem quomodo verba faciat, verendum est, & non tutum, vt ne ridiculus sis. *Idem, ibidem, dial. 5.*

Verum quod est impium est prodere. *Plato de republica, dial. 10.*

Vera dicere vir probus nec cunctatur, nec veretur. *idem, epist. 1.*

Verum cum ente, & falsum cum non ente conuertitur. *Fic. in Pla. sophist. cap. 19.* Verus est qui maximè velit vt cuoque possis, & sciat vera loqui. *idem, in Pla. Hipp. mino.*

Verum omne vnum, quia sibi constans, & consonans. *Ioann. Pic. Mir. in responsione 1.*

Verum omne à Deo est, non vno modo, sed multis. *Io. Franc. Pic. Mir. de prenotione, lib. 8. cap. 5.*

Verum in intellectilibus esse voluere Democritus & Plato. Ænesidemus inter sensibilia & apparentia excogitauit differentiam, vt hæc communiter omnibus apparerent, & quæ particulariter alicui, hæc falsa illa vera. Epicurus omnia sensibilia vera, Stoici aliqua sensibilia vera aliqua intellectilia vera; & alia fuit dissensio, nam Stoici verum circa significata ponebant, volentes tria hæc inuicem coniungi, quod significat, quod significatur, & quod occurrit: primum esse vocem dicebant, secundum res ipsas per vocem declaratas, tertium res extrinsecus in sese & sua natura constitutas: quorum trium primum & tertium corpora decernebant, medium incorporeum, id est res significata, quæ vere esset, & falsa, & hoc non communiter omnino, sed alia deficiens, alia perfecta, quæ vocatur dignitas siue pronunciatum. Alij vt Epicurus, & Straton Physicus in vocem solum verum collocabant. Aristoteles verum in intellectu, cuius signa sunt verba, vt verborum signa sint notæ extrinsecus positæ & characteres. *Io. Fran Pic. Mirand. in ex. vanit. doct. gen. lib. 2. c. 36.*

Verum nulli homini notum esse existimauit Colophonius Xenophanes, ideò iudicatorium veritatis sublatum voluit. *Io. Fr. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 2. c. 3.* Verum non esse, sed omnia falsa esse putauit Xenophanes, & quamlibet phātasiam, & quamlibet fallere opinionem, & ex eo quod non est omne quod est fieri putauit, & in eo quod non est deficere, & corrumpi: cuius opinionis causam retulit in sensum, quia sensus sunt fallaces omnium rerum. *idem, ibidem. cap. 14.*

Verum in incorporeis solum est, in corporeis verò natura solùm veri est imitatrix. *Ant. Nat. de pulchro, lib. 1.* Vera quæcunque alieni extra Ecclesiam positi dixerunt, non modo reiicienda sunt, imò vt ab iniustis possessoribus rapienda, in nostrum vsum vendicanda. *idem, ibid.* Verum vero repugnare minimè potest. *Leo Hebræus de amore, dialog. 6.*

Vestæ primò sacrificare oportet. qui omnium essentiam ἐσσίαν quasi οὐσίαν, id est essentiam vocant, & qui secundùm Heracliti opinionem omnia in motu esse existimarunt, ὠσίαν ab ὠθεῖν, id est impellere, nec casu cùm omnia in motu sint ῥέα & χρόνον fluminum nomine appellarunt Rheam & Saturnum. *Plat. in Craty.* Vesta Dea significat essentiam formarum separatarum, diuinarùmque stabile fundamentum: ideò Vestæ ante alios deos antiqui sacrificabant. *Fic. in Plat. Craty.* Vesta procul dubio est anima terræ. *idem, in Plat. Phæd. cap. 11.*

Vestium figura & specimen pro tempore mutantur. *Io. Fr. Pic. Mir. epist. lib. 2.* Vestis pellicea Adamo diuino opere comparata est. *idem ibid.* Vestis à vellere dicta, ait Varro, alij à velando dictam volunt. *ibid.* Vestium consuetudo probatur, vt quæ olim damnatæ fuerunt, progressu temporum laudarentur. *ibid.*

Vestis talaris fœminea, & mollis etiam apud mollissimos Persas habebatur, diuturna tamen obtinuit consuetudo, vt postea grauissimum & virile haberetur, & penè religiosum. *Ioan. Fran. Pic. Mir. epist. lib. 1.* Vestes non modò, sed peregrina omnia libenter suscepit Italia. *idem, ibid.* Vestis sagi nomen ab Hispania venit. *ibid.* Vestis vsus necessitate, vtilitate, honestate introductus est, abusus vanitate, dispendio, turpitudine culpandus est. *ibid.*

Vestis trifariam vituperari potest. si vana, non modò vestis, sed qui ea vtitur leuitatis nomine damnatur, frequentiores & affectati limbi, crebræ fenestræ quæ vulnera vestium, intempestiuæ, & peregrinæ fimbriæ, & earum dispendia condemnanda sanè. *Io. Fr. Pic. Mir. epist. lib. 2.* Vestium dispendia duplici modo contingere possunt, vel si plebeius nobilium sibi ornamenta quærit, vel si nobiles luxui habenas permittant, caudatis admodum tunicis, vt fœminæ consueuerunt. hiantibus, manicis, & patulis, adeò vt mediocres inde vestes confici quirent. *idem, ibid.*

Vestigium rei potentiam, non rem significat. *Chalcid. in Platonis Timæum.*

Vetustas quæ prodidit, colenda sint. *August. Steuch. de per. phil. lib. 2. cap. 1.*

Via ad inferos non est vna, & simplex, non enim duce dæmone opus haberet, & nec aberraret. *Plat. in Phæd.* Via cum facilitate perficitur, cum sermonibus alius alium consolatur. *idem, in dia. de legib.*

Viarum dea erat Hecate. *ibid. dial. 11.*

Via longissima est, quæ ad veritatem & sapientiam nos perducit, grauibus terræ marisque laboribus plenas. *Fic. de studios. sanit. tuen. lib 1. c. 5.* Via ad bonum nulla breuior, nulla commodior, quàm odisse malum. *idem, epist. lib. 6.* Viæ duæ potissimùm sunt ad bonum, inquisitio disputans, & oratio supplicans: illa ad cognoscendum bonum, hæc ad consequendum ducit. *Ficin. in Dionys. Areop. de diuin. nom.* Via ad inferos, vt ait Bion, facilis est, clausis enim oculis illuc peruenitur. *Franc. Patric. de regno, lib. 6. c. 6.*

Vicinus cauere debet, vt nihil vicino contrarium faciat, & hoc tum in aliis, tum vniuersa agrorum cultura semper vehementer cauerat, & qui terminos agri vicini coluerit damnū rependat. & pœna aliud duplum damni læso repēdat; cognitores horū fiant curatores agrorum. *Pla. de legib. dial. 8.*

Victo-

Victores in olympicis faciunt, vt felices videantur: qui admonet eos felices reddit. *Pla. in Apol.*

Victoriam duo parant, confidentia aduersus hostes, timor amicorum ne turpitudinem aliquam incurramus. *Idem, de legibus, dial. 1.*

Victoria est vis in certamine superans. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Victoriæ summa confessio apud antiquos erat, vt victi herbam victori porrigerent. *Francisc. Patricius de regno, libr. 2. cap. 13.*

Videre.

Videri nihil potest ab igne separatum, nec tangi absque aliquo solido, & solidum non est absque terra; ideò ex igne & terra mundum Deus fecit. *Pla. in Tim.*

Videre reuera, & nosse, est per visus cognitionis videre, & nosse, quod visione & notitia superius est, ex hoc quod nec vidimus nec aliquid cognoscimus, & cùm qui essentia eminentior est modo quodam super essentiam ex omnium ablatione laudare: vt statuarius statuam fabricat, auferens omnia quæ circum posita impediunt: & sola ablatione intueri pulcbritudinem ipsam in se occultam, at in auferendo à postremas adoptare ascendimus, in positionibus à primis inchoantes, & per media, ad vltima descendentes adhibemus. *Dionysius Areopagita de trinitate.*

Videndi vis, & quod videtur, non sufficit, vt aliquid videatur, nam etsi sit visus, & qui habent hoc vti velint, & adsit etiam color, nisi sit tertium ad hoc priuatim à natura destinatum, & visus nihil videbit, & colores videri non possunt, & hoc lumen est. *Plato de republica, dial. 6.* Videre est oculis vti. *Plotin. Enn. 1. lib. 1. cap. 3.*

Videntur minora quæ procul à nobis sunt, quia quanta sit magnitudo sentimus in quadam secundùm quamlibet partem gradatim facta discursione, adesse prope oportet, vt quanta sit cognoscatur: nam secundùm accidens videtur magnitudo, cùm primò color cernatur. Cominus igitur quantum coloratum est discernitur, eminus autem duntaxat coloratum esse; partes verò secundùm quantitatem distributæ non exactam quantitatis notitiam afferunt, cùm & colores ipsi debiles veniant, quid mirum si magnitudines, vt & voces minores appareant, quatenus earum species exilis aduenit? *Plotin En. 2. lib. 8. cap. 1.*

Videri minora quæ procul distant propter minores visionis angulos falsum est, profectò qui ait per minorem angulum obiectum videri, minus relinquit visum, siue angulum aliquid extra videntem, videlicet, vel aliud quiddam visibile, vel saltem nonnihil extrinsecus velut aerem Cum igitur nihil relinquit, ex eo quòd mons sit ingens, sed vel adæquat, vel aliud quicquam visu percipi potest, cum ipsius spatium accommodatur obiecto, vel etiam super excedat obiectum vtrinque visionis intuitum, vt si an cœlum suscipiat. Si igitur omnis visus comprehendet totum, est autem in cœlo magnitudo longissimè amplior apparente, quanam ratione quis causam assignabit, ob quam adeò minùs appareat, per illos minores angulos quos in causa esse, vt remotiora minora nobis videantur affirmare consueuerunt? *Plotin. En. 2. lib. 8. cap. 2.*

Videre duobus modis contingit secundum actum, vt accidit circa oculum, sanè aliud oculo spectaculum est, ipsius scilicet rei sentiendæ species, aliud est per quod speciem illius videt, quod quidem ipsum quoque ei sensibile est, diuersum ab ipsa specie. *Plotin En. 5. lib 9. cap. 7.* Videndi trina est ratio, lumen coloris intimi per oculos means, quæ principalis causa est; lumen extra positum consanguineum lumini nostro, quod simul operatur, & adiuuat; lumen quoq; quod ex corporibus visibilium specierum fluit flamma, seu color. *Chalcid. in Plato Time.*

Videndi causam Stoici in natiui spiritus intentione constituunt, cuius effigiem coni similem volunt, hoc cuique progresso ex oculorum penetrali, quod appellatur pupula, & ab exordio tenui, quo magis porrigitur in soliditatem opinato exordio penes id quod videtur locata fundi omnifariam, dilatarique visus illustratione. & cùm omnis natura modo mensuráque moueatur, spatij magnitudinisque commodam esse, eaque quæ neque valde applicata visui, nec nimium distantia visibilia clare videri, & conum pro modo & mensura intentionis augeri, & prout basis eius ad directa, vel inflexa erit, incidetque in contemplabilem speciem, ita apparebunt quæ videntur. *Chalcidius in Plato. Timæum.*

Videndi vis in radio est, qui in speculo refractus si angulus est acutus, imaginem vultuum nostrorum facit in speculo videri remeante ad vultum acie, & inde occultè præcipitante simulachrum in speculi sinum: ex quo fit vt vultus noster transisse ad speculum putetur, quoque simulachrum è speculo resultans ex aduerso videtur consistere proinde ac si duæ contra stantes dexteras partes sinistris, sinistras dextris obuias habeant, sic aduersum nos imagines nostræ dextras & sinistras partes cum immutatione demonstrant. si angulus acutus ex aliqua conuersione vel immutata qualitate positionis erit acutior & procerior factus, longius euagatus, cuncta quæ post tergum sunt nobis in speculo videri facit: quod si rectus, tunc ea quæ ad directum rigorem supra nos erunt videbuntur: si hebes & latus, quæ contra nos excelsiora sunt apparebunt at nullo angulo facto nec fracto radio nulla in speculis duntaxat imago prouenit, vt in globosis. & sphæræ similibus vasis. *Chal. in Pla. Tim.*

Videre in Deo nil aliud est, quàm prouidere. *M. Ficin. epistol. lib. 6.*

Videnda res non imprimit aeri formam aliquam vel figuram, sed ab ea tam illuminata procedit ab eius specie lucidus quidam actus, & specialis non permixtus aeri, & ideò aerem non figurans, sed cùm primum attingit lucidum in nobis spiritum, rursus euadit in speciem, speciei vnde venerat congruentem. *Idem, in Prisc. sup. Theophr. cap. 50.*

Videndi facultas, obiectum, & medium in visu considerantur, vt in aliis sensibus; quæ videndi facultas in oculo residet, qui si accommodatus, & planè dispositus est, videndi vis in actum egreditur, modò dispositum sit medium, ac lumine actuatum, & obiectum potentiæ proportionatum, ne nimia sua claritate oculus offendatur, nec sua exilitate ipsum mouere possit: & quod extra mittitur non est corpus, vt falsò putat Alexander, nam citò virtus visiua dissolueretur, sed lux quædam, cùm sensorium visus fulgore igneum sit, licet naturâ aqueum sit sensorium. *Gab. Boras. de visu, lib. 5.*

Vigilandum & non dormiendum in meridie. *Pla. in Phed.*

Vigilat plurimo tempore qui vitæ, & sapientiæ curam gerit. *Idem, de legibus, dial. 7.*

Vigilia vera est à corpore, non vnà cum corpore resurrectio. *Plo. En. 3. lib. 6. cap. 6.*

Vigiliæ maximè melancholiam augent, ideò succorrendum lactucis, quæ edant post cœnam vnà cum pane modico, pauco croco. vinum purum sorbeant post lactucam, nec vltra horam lucubrent. *Idem, de studiosorum san. tuenda libr. 1. cap. 2.*

Vincere se ipsum omnium victoriarum optima, & prima est; vinci verò omnium turpissimum, ac pessimum est. *Plat. dial. 1. de legib.*

Vincere est aduersarium superare. *Speusippus in Platonis definitionibus.* Vinci in amore turpissimum est. *Ioan. Francis. Pic. Miran. episto. lib. 2.*

Vinculum maximum est cupiditas. *Pla. in Cratyl.*

Vinculum pulcherrimum est, quod seipsum, & ea quæ connectit quàm maximè vnum facit. *Idem, in Tim.*

Vinum.

Vinum sanis iucundum, & dulce, ægrotis amarum est. *Plato in Theæteto.*

Vinum & cum pueris, & sine pueris verum est. *in Symp.*

Vinum nunquam redargui potest. *in Gorg.*

Vini potus voluptates, dolores, iras, & amores excitat, & vehementiores sensus, memorias, opiniones, & intelligentias penitus relinquit, & ad habitum inducit in quo erat cum erat puer, & sui ipsius minimè fuerit potens: & si senex non solùm bis puer, sed etiam ebrius. *de legib. dial. 1.*

Vini potio statim virum seipso magis quàm prius placidum efficit, & quantò plus de ipso gustauerit, tantò ampliore bona spe impletur, & maiorem de se opinionem concipit, & tandem talis, velut qui sapiens sit, omni dicendi fiducia & libertate plenus fit, ab omni item timore alienus est, vt quiduis intrepidè dicat, & faciat. *Plat. de legibus dia. 1.*

Vini potu animi affectus facilè percipiuntur, vt facilè postea possint curari. *Idem, ibid.*

Vinum pueri vsque ad decimum octauum annum non gustent, nam non oportet ignem ad ignem deriuare, tum ad corpus, tum ad animam priusquam ad labores progredi incipiant. *Plato de legibus, dial. 2.*

Vinum iuuenes gustent moderatè ab anno decimo octauo ad trigesimum, sed ab ebrietate, & multi vini potu penitus abstineant. *Idem, ibid.*

Vinum qui quadragesimum addit annum in conuiuiis lautè exceptum tum alios deos inuocare oportet, & etiam Bacchum ad seniorum festum simulque ludum inuitare, qui vinum aliis hominibus velut auxiliare medicamentum aduersus senectutis austeritatem largitus est, quo nos repubescamus, & tristitiæ obliuio nobis contingat, dum animæ affectiones, vt ferrum in ignem impositum ex durioribus

molliores fiunt,& sic tractabiliores redduntur; & hic modus non est indecorus ad prouocandum senes,vt cantilenæ participes fiant. *Plat. de legib. dial. 2.*

Vinum nunquam quisquam in castris gustet, sed per omne id tempus aquæ potu se contineat; in ciuitate nec seruus, nec serua vnquam gustet, nec principes eo anno quo imperium obtineant, nec gubernatores, nec iudices, dum in officio sunt constituti; nec daturus consilium ad memorabilem consultationem, nec quisquam omnium interdiu nisi corporis exercendi aut morborum gratia; nec noctu cùm aut vir, aut fœmina prolis procreandæ gratia conuenerint. *Plato de legib. dial. 2.*

Vino ægris opitulari reperit Asclepiades, inter præcipuos medicorum vno excepto Hippocrate primus, sed dando in tempore. *Apul. Florid. lib. 4.* Vinum bibendum est, quod durare possit ad triennium, sit siue album, siue rubrum clarum, suaue, styptieum, odoriferum, quod indigeat aqua, nisi simul inueneris leue, & durabile, quod rarissimum est, & aqua fontis temperandum est aliquandiu antequam bibamus vt perfectius misceatur. Aquosum vinum, vel debile, vel acerbum fugiendum, vt quod cito inter venas putrefiat. *Fic. de vita prod. lib. 2. c. 7.*

Vini vsu mores hominum deteguntur, solet enim impudentiores, & audaces reddere. *Fic. in Plat. de leg. dial. 1.* Vini imago tantum alit sitim quantum vinum ipsum alit hominem sitibundum. *idem, epist. lib 3.* Vinum Arcadium homines ad insaniam, mulieres ad sterilitatem deducebat, & vitis Arcadica vinum faciebat, quo epoto abortus fiebat. *Io. Franc. Pic. Mir. in exam. van. doct. gen. lib. 5. cap. 13.*

Violentia quod euellit aliquid secum seu partem, seu vestigium euulsionis ipsius, & eius ex quo eradicatur trahere solet. *Porphy. de abstinen. animal.* Violentum nihil est vbi idem est necessitas, & voluntas. *Fic. in Plat. Timæum, cap. 14.*

Viperâ morsis hic est affectus, vt nemini dicere velint se morsos esse, nisi his qui commorsi sunt. *Plat. in Sympos.* Vipera si ramo fagi tangatur, manet attonita. *Io. Fran. Pic. Mirand. in exa. van. doct. gen. lib. 2. c. 21.*

Vir, Viri.

Viri in ciuitate, si de toto genere accipias, sapientiores sunt mulieribus. *Plat. in Cratylo.* Virum probum qui iniuria afficit, videtur ferè rempublicam ab ipsis laribus affligere incœpisse. *idem, in dial. de sancto.* Vir bonus iustum respicit, mortem contemnit. *in Apolog.* Viro bono, nec viuenti, nec mortuo nihil mali contingit, & eius res à dijs non negliguntur. *ibid.* Virum meliorem à deteriore lædi non posse, occidi, aut fugari, aut ignominia affici posse arbitratur Socrates. *idem, ibid.* Vir vnusquisque prudens, qui bonus fuerit, dæmonium est, & viuens, & vita functus, & rectè dæmon appellatur. *in Cratylo.*

Viri vera præstantia consistit vt sit iustissimus, contra vtilitas, & ignauia. *Plat. in Theæt.* Virum malum non datur esse, quem immensa calamitas euertat. *in Protag.* Vir bonus fieri aliquando malus potest, tempore, aut labore, aut morbo, aut alia calamitate, hic enim solus malus successus est, sciẽtia priuatum esse: at malus vir nunquam fit malus, est enim semper malus. *ibid.*

Vir fortis, prudens, & temperatus est, cui ex se ipso pendent omnia, quæ ad felicitatem tendunt, aut propè ita, & non ex aliis, ex quibus prout boni, aut mali degerint, etiã ipsius res in errore versari coguntur. *Plat. in Menex.* Vir bonus cùm cognoscit qua parte deterior est, & qua melior, hanc prosequi debet, illam fugere pro viribus. *in Clitophonte.* Vir moderatus non graue putat si moritur, nec ob amici mortem velut graue quid passi deplorabit, nec graue ipsi erit priuari filio, fratre, aut pecuniis, & vbi talis calamitas ipsum corripuerit, minimè lamentabitur, sed lenissimè feret; ideò lachrymas à claris viris auferemus, & mulieribus tribuemus. *de repub. dial. 3.*

Viri, & mulieres domos, & comessationes in communi habentes, & nullo priuatim tale quicquam habente, à necessitate cogentur à natura insita inter se meteò misceri. *Plat. de repub. dial. 5.*

Viros optimos cum optimis fœminis frequentissimè coire oportet, & contra vilissimos cum vilissimis, & illorum fœtus educare, horum verò non, si grex consummatissimus esse debet, & hæc dum fiunt, omnia omnes latere debent, præterquam ipsos principes, si rursus grex custodum quàm maximè à seditione alienus esse debet. *idem, ibidem.*

Viri cùm excesserint statutam gignendi ætatem liberi erunt, ac coire poterunt cum quacunque velint, excepta filia, & matre, & filiarum liberis, & superioribus matris cognatis. Et mulieres coeant cum quibus velint excepto filio, & patre, & superioribus, ac inferioribus talium cognatis. Filij autem erunt omnes masculi, qui nascẽtur à die qua quis sponses fuerit, & fœminæ filię, at illi illum patrem, & sic filiorum filius, & hi rursus illos auos & auias: eos verò qui in illo tempore nati sunt, in quo matres, & patres illorum gignebant fratres & sorores, quos lex simul habitare concedit. *Plat. de repub. dial. 5.*

Viri qui insigniter præstantes in vite iudicati sunt senectute, vel quouis alio modo moriuntur, percũtabimur Deum quomodo oportet deponere, & qua diuersitate, & ipsorum loculos curabimus, ac adorabimus. *Plat. de rep. dial. 5.*

Vir ambitiosus in cupidum mutatur, cùm ambitiosi filius primò imitatur patrem, & illius vestigia persequitur, deinde videt ipsum ad ciuitatem, velut ad obicem impegisse tum sua, tum seipsum effudisse, vbi aut exercitus dux fuit, aut alium magnum principatum gessit, postea in iudicium illapsum lædi à calumniatoribus, aut morte, aut exilio mulctatum, aut ignominia affectum omni bonorum possessione amissâ, statim ambitionem è throno animæ præcipitat, & humilis à paupertate factus ad quæstum se conuertit, & pecunias cumulat, & in seipsum magnum regem constituit, & rationali parte conculcatâ, nil aliud quærit quàm quomodo ditior fiat, & nil aliud admiratur, & honorat quàm diuitias & diuites. *Plat. de rep. dial. 8.*

Vir qui est ex paucorum principatu fit popularis dominij, cùm iuuenis parcè, & inerudite educatus fucorum mel gustauerit, & cum ardentibus & horrendis ferit, quæ omnigenas, & varias, ac omnibus modis instructas voluptates parare possunt, consuetudinem habuerint, hinc fit principium mutationis. *Plat. de rep. dial. 8.*

Vir moderatus, si aliquod graue infortunium ei acciderit, moderabitur aliquo modo dolorem & multum differt si à similibus videtur, an cum in solitudine solus ipse per se versatur, nam solus multa loqui audebit, quæ si quis ex ipso audiet erubesceret, & multa faciet ad quorum aspectum neminem admitteret; nam id quod reluctari iubet, ratio & lex sunt; quod ad dolorem trahit, affectio. *Plat. de rep. dial. 10.*

Vir prudens risum mouere non audet, ne scurrilitatis opinionem incurrat. *idem, ibid.* Viri sapientissimi generantur in loco temperato. *in Timæo.*

Vir qui præstans in aliqua re euadere volet, hanc ipsam statim à pueris tum per lusum, tum seriò meditari oportet in singulis, quæ ad rem attinent, vt si præstans ædificator, puériles domos per lusum construere oportet, & instrumenta parua verorum imitamenta præparare oportet eum qui ipsum educat. *Plat. dial. 1 de leg.*

Vir bonus, qui temperatus & iustus est, felix est & beatus, & si sit robustus, siue paruus, siue debilis, siue diues, siue secus, & si diues magis quam Cinyras, & Midas, si autem iniustus, miseram & tristem vitam ducet. *idem, de leg. dial. 2.*

Vir vnusquisque cogitare debet, vt ex eorum numero sit, qui Deum sequuntur. *Plat. de leg. dial. 4.* Vir vnusquisque hoc maximè studio habere debet, vt neque ipse impostor esse alicui videatur, sed semper simplex, & verus, neque alius, qui talis est ipsum decipiat. *de legib. dial. 5.*

Vir si aliquis cum muliere aliqua coeat, siue empta, siue quocunque alio modo acquisita, exceptis his quæ cum dijs, & sacris nuptijs in domum venerunt, & hæc res tum & viros & mulieres omnes lateat, sit ignominiosus, & laudum in ciuitate exors, velut qui reuerasit externus. *de leg. dial. 8.*

Viri boni non est officium & sapientis, vel ignorantia, vel falsò contra animi conscientiam aliquem laudare. *Bessa. Card. in calum. Plat. lib. 1. cap. 1.* Virum quantum decet magnanimitas, tantum mulieres pudicitia. *Ficin. epi. lib. 3.* Vir caueat ne muliebris sit. *idem, ibidem.* Virum in matrimonio ineundo potius eligere debemus pecunia egentem, quàm pecuniam viro. *idem, epi. lib. 6.*

Virum ciuilem, philosophum, & regium eandem esse asserit Plato. *Ficin. in Plat. de repub dial. 6.* Vir magnus, probatissimúsque, si aliquando in republica malè disposita, quamuis rarò appareat, id non arti, non naturæ, sed diuinitati duntaxat attribuendum est *idem, ibid.* Viri virtute præditi tam in orientibus, id est in secundis rebus, quàm in occidentibus, id est aduersis, rectè feliciterque se gerere debent *idem, in Plato. Atlanticum.*

Viro vni iustè & legitimè imperanti parere æquius est, quàm compluribus, ac pœnè infinitis & imperitis rerum gerendarum. *Fr. Patric. de rep. lib. 1. cap. 1.* Viri ciuilis officium est liberalitate vti in referenda gratia, & accepti beneficij nunquam obliuisci. *idem, ibid lib. 5. cap. 4.*

Vir fortis paratus semper esse debet ad tolerandum grauia & aspera quæque. *Idem, de regno lib. 5. cap. 4.*

Vires omnibus sufficientes tribuit ipsum bonum. *Dion. Areopa. de diuin.*

de diuin. nomin. Vires omnes cum sensu, & corpore agentes, tunc primum pullulant ad effectum, cùm animus in ipso intelligibili non perseuerat, similis terræ tam deprauatæ, quæ cum triticum sæpe susceperint reddunt lolium. *Porph. de abst. anim.*

Virginitate exceptâ quicquid aliud in dotem acceperis, potes eum libuerit nunc vxori retribuere. *Apule. Apologia* 2.

Virginem appellant Signum zodiaci mense Augusto, quia solis ardoribus terra tunc exusta nihil pariat. *Fic. in Plat. En. 2. lib. 3. cap. 3.* Virgines Spartanæ ante nuptias luctabantur in palæstra, viduæ mercede conductæ in scena prodibant. *Fr. Patric. de rep. in præfa.*

Viriditatem vocat Orpheus figuræ, colorisque suauitatem, quę in iuuentutis viriditate summopere florescit. *Ficin. in Plat. conuiuium or. 5. cap. 2.*

Virtutis diuisio.

Virtutes perfectæ quædam sunt, imperfectæ aliæ: imperfectæ, quæ in omnibus beneficio solùm naturæ proueniunt, vel quæ solis disciplinis tradũtur, & magis ratione discuntur: at quæ omnibus his constant, perfectæ sunt. *Apu. de legib. Plat. lib. 3.*

Virtutes Plato non vno nominat nomine, sed alias ciuiles, alias purificatorias appellat fortè quia mala est anima corpori cõmixta, & simul cũ ipso patiatur, & per omnia cũ illo opinione consentiat: & bona erit, & virtute prædita si neque cũ ipso cõsenserit, & sola egerit, quod intelligere est & sapere nec cõpatiens fuerit, quòd est tẽperatum esse, nec secessum à corpore metuat, quod est fortem esse; ducat ratio & mens, cætera verò minimè reluctentur, quod quidem erit esse iustum: hunc autem animæ statum, in quo intelligit, & à perturbatione procul viuit, si similitudinem ad Deum dixerit nõ aberrabit, purum enim est diuinum, & actio talis, vt quod ipsum imitatur, sapientiam habeat. *Plotin. En 1. lib. 2 cap. 3.*

Virtutes alias in qualitate inferiori collocare debemus, alias in superiori: nam quatenus versantur circa materiam & affectandam & tractandam collocantur in genere qualitatum corporearum, eminentiores in qualitate separata. *Plot. En. 6. lib. 3. cap. 16.*

Virtutes aliæ circa partem rationalem sunt, aliæ circa partem irrationalem; nam cùm alia sit natura rationalis, alia irascendi, alia concupiscendi potentia, diuersæ quoque harum sunt perfectiones, ad primam prudentia, ad alteram fortitudo, ad postremam temperantia pertinet. *Alcinous cap. 31.*

Virtutum genera quatuor, contemplandi, excogitandi in artibus, & in eisdem quod excogitatum est opere exequendi, & morum. *Auer. in rempub. Plat. tract. secun.*

Virtutum duo genera, aliæ in intellectu, aliæ in appetitu siue rationali, siue irrationali; illæ speculatiuæ, hæ morales; illæ speculatiuæ, quia speculando comparantur, & comparatæ versantur in speculando; istæ morales, quia more & consuetudine acquiruntur, & acquisitæ in moribus & operum vsu consistunt. *Fic. Plat. Thea. lib. 8. cap. 3.*

Virtutum duo sunt genera, aliæ in intellectu, in appetitu siue rationali siue irrationali aliæ, illæ speculatiuæ, hæ morales. *idem, epist. lib. 1.*

Virtutes tres, fortitudo, iustitia, temperantia tria hominum genera, masculinum, fœmininum, & promiscuum significant: nam fortitudinem hominum masculum robur nuncupamus, temperantiam fœminam propter remissum quendam, & frigidiorem desiderij habitum: iustitiam promiscuam; fœminam vt innocentia sua nulli infert iniuriam, masculam prout alij inferri non sinit, & seueriori censura in homines iniquos animaduertit: & quia maris dare, fœminæ accipere proprium est; idcirco Solem, qui lumen à nullo accipiens exhibet omnibus, marem vocamus; Lunam, quæ accipiens à Sole dat elementis, promiscuam; Terram, cùm accipiat ab omnibus & nulli det, fœminam nuncupamus. *Fic. in Plat. conuiuium, or. 4. cap. 5.*

Virtutum exemplarium genera tria: primum, vbi animus imaginationem suam conuertit ad rationem suam meliua ibi, vel inde formandam, secundum, cum rationis formulas traducit ad formas intellectui proprio insitas, vt melius ibi cognoscat; tertium, vbi intellectum proprium diuinæ menti prorsus accommodat, idcirco que diuinæ mentis propriam conformat intelligentiam: hoc autem contactu quodam afficit sempiterno: ex quo fit vt possint in tempore & rationem intellectui suo, & imaginationem rationi propriè conformare. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 2. cap. 4.*

Virtutes aliæ intellectiuæ, vt sapientia, solertia, & prudentia, quæ naturâ emanant, doctrinâ tamen excoluntur; aliæ morales, vt liberalitas & modestia, quæ à consuetudine & moribus proficiscuntur. *Fr. Patr. de reg. lib 6. cap. 7.*

Virtutes Platonici diuidunt in virtutes politicas, purgantes, animi purgati, & exemplares, in quibus homini politicæ propriæ sunt datæ ad retinendam vitæ societatem. Deo exemplares. Homo verò per medias purgantes, & animi purgati aspirat ab humana societate ad Deum, vt huic quàm potest simillimus efficiatur. *Iacob. Carp. in Alcinoi partem posteriorem, cap. 20.* Virtus duobus modis in nobis est, vno modo quia eius parandæ potestas in nostra est libertate; alio modo quia bonum est in nobis constantissimum in quod nihil omnino potest æterna vis, aut fortunæ temeritas. *idem, ibidem, cap. 23.*

Virtus quid est, in quo, & an doceri possit.

Virtutes sunt purificatio omnium affectuum. *Plato in Phædone.*

Virtus non fit ex pecunijs, sed pecuniæ ex virtute contingunt & alia bona omnia, & priuatis hominibus, & reipublicæ. *Idem, in Apolo.*

Virtutis via recta est, voluptates voluptatibus, dolores doloribus, & timor timore permutatur, & maiora minoribus, velut numisma; sed illud solum numisma rectum est, pro quo hæc omnia permutare oportet, sapientia nimirum, & omnia quæ hoc emuntur, & cum hoc venduntur, reuera sunt fortitudo, temperantia, iustitia, & in summa vera virtus & sapientia, siue accedant, siue discedant, & voluptates, & timores, & alia huiuscemodi; at si hæc à sapientia separantur, vmbrata est virtus, quæ nihil sani in se habet. *Plato in Phædone.*

Virtus, etiam *ἀρετὴ* dicitur, quasi *αἱρετὴ*, vt hic habitus sit maximè eligendus, sed per contractionem *ἀρετή*. *Plato in Craty.*

Virtus, quæ *ἀρετὴ* dicitur, facilitatem significat, & animæ bonæ esse semper solutum fluxum, vt ex eo quod liberè, & non impeditè, semper fluat: *ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ῥεῖν* quasi *ἀειρείτην* appellata. *Idem, ibid.*

Virtutis omnes partes amicæ inter se sunt. *Plat. de reg.*

Virtus doceri potest *in Euthydemo.*

Virtutem doceri non posse putabat Plato. *in protag.*

Virtutis velut priuatæ rei nemo possessionem habere debet, si ciuitatis esse debet, ideò filij à patre virtutum non sunt hæredes. *ibid.*

Virtus doceri non potest. *ibid.*

Virtus eadem & hominibus, & mulieribus, & senibus, & iuuenibus est. *Plato de virtute.*

Virtus si scientia est, doceri potest. *idem, ibid.*

Virtutis non sunt doctores, non ergo ipsius est scientia. *ibidem.*

Virtus non potest doceri, cùm non sint magistri. *ibid.*

Virtus neque natura contingit, nec doceri potest, sed diuinâ sorte accidit absque intelligentia, his quibus accesserit. *ibid.*

Virtutis propria rectè suum opus omnia operantur, vitio malè. *Plato de repub. dial. 1.*

Virtus dum natura temporis progressione eruditur, & sui ipsius, & improbitatis scientiam accipiet, & hic sapiens, & non malus euadit *de rep. dial. 3.*

Virtutis species vna est, vitij verò infinitæ. *dial. 4.*

Virtus est sanitas quædam, pulchritudo, & bonus habitus animæ *ibidem.*

Virtutes qui alijs impertit, velut consummatissimus honorandus est: at qui non potest, vult tamen, secundo loco sinendus est. *Plat. de legib. dial. 2.* Virtus nec doceri potest, nec naturâ contingit, sed ex diuina sorte acquirentibus accedit. *Idem, de virtute an doceri possit.*

Virtus efficiens in animam non est materialis, & virtus in anima est spiritualis, & virtus imprimens in rebus habentibus dimensiones est sine dimensione corporea. *Arist. de causis, prop. 14 cap. 3.* Virtus est dispositio, vel habitus optimus mortalis animantis probè laudabilis. *Speu. defini.*

Virtus est habitus, secundùm quem quod habet bonum vocatur. *idem, ibid.*

Virtutes Plato ait esse habitum mentis optimæ, & nobiliter figuratæ, quę cõcordem sibi quietem constantem etiam eum faciunt, cui fuerint fideliter intimatæ, non solùm verbis, sed factis, & secum & cum cæteris. *Apul. de dogm. Plat. lib. 3.*

Virtutes liberæ, & in nobis sitæ sunt, & à nobis volũtate appetendę, peccata autem non minus libera sunt, & in nobis sita; non tamen ea suscipiuntur voluntate. *Idem, ibid.*

Virtus est quædam simplex seipsam mouens ad vnificam quãdam commixtionem ex ipso bono, vsque ad extremum vniuersi, ab eoque rursum deinceps per omnia ad bonum ipsum ex seipsa per se & in se ipsam et in circulum se reflectẽs vsque in seipsam semper eodem modo se glomerans. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Virtus consistit in purificatione iam consummata, nam imperfectius est virtus dum adhuc in purgãdo laborat, nam huius finis est illa quę iam purgauit, purificatum enim esse est omnis alieni ablatio, bonum autem præter hoc ipsum aliud esse videtur. *Plot. En. 1. lib. 2. cap. 4.*

Virtutes in anima consequuntur se inuicem, vt & in intellectu exemplaria virtutum, etenim intellectio ibi scientia est, & sapientia, ad seipsum conuerti temperantia, & proprium o-

pus & propriorum actio iustitia, fortitudinisque loco ipsa à materia separatio, puráque in ipso permansio, in anima verò intuitus in intellectum sapientia, & prudentia est eius virtutes, & cæteræ virtutes similiter consequuntur. *Plot. En.* 1. *lib.* 2. c. 7. Virtus omnis est purificatio quædam, vt oraculum tradit antiquum. *idem, En.* 1. *lib.* 6. *cap.* 6. Virtus non est ipsum bonum, sed quoddam bonum, quod efficit vt materiæ dominetur. *idem, En.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6.

Virtutes omnes purificationes quædam sunt, in purificatione quadam completa consistentes, & qui maiores habet, minores quoque habere necesse est, at contra qui minores, non necessariò & maiores. *Plotin. En.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. Virtus non est bonum, sed velut conferens. *idem, En.* 5. *lib* 8. *cap.* 13. Virtutes contingunt ex eo quod in anima est antiquius atque præstantius, vitia verò ex commercio quodam animæ ad externa. *idem, En.* 2. *lib.* 3 *cap.* 8. Virtus est consonantia quædam, vitium dissonantia *idem. En.* 3. *lib.* 6. c. 2.

Virtus optima est in rebus humanis, tamen in periculosa materia versatur & ambiguitate referta, quam fortunam homines vocant: hæc cùm sit penitus cæca, cum virtute init certamen, eique resistere non dubitat, & sæpe virtutem conturbat, quæ etsi pulchritudinem non amittit, sed quasi sol à nubibus absconditur: & tunc maximè opus est Deo adiutore. *Max. Tyr. serm.* 26.

Virtutes absolutæ inuicem inseparabiles sunt. *Alc.* c. 26. Virtutes dicuntur & naturæ dotes, & inclinationes bonæ ob quandam similitudinem idémque & perfectæ virtutis nomen adeptę. *idem, c.* 26. Virtutem infinitam nihil habet, nec futurum est vt finitam virtutem habeat. *Syrian. in* 12. *metaph.* c. 7. Virtutes ipsæ summitates quædam sunt, quia perfectę sunt, & raró comparantur; alio modo mediocritates, quia circa duo vitia singulæ vel saltem plurimæ habent, quorum vnum defectu, alterum excessu prouenit. *Alc. c.* 26.

Virtutes quamplurimæ circa affectus & perturbationes versantur. *Alcin. c.* 28.

Virtus cùm sit quidam diuinus thesaurus, ipsa quidem est affectio quædam animæ perfecta, & optima, ornatum, & concordem, & stabilem efficiens hominem tum ad agendum, tum ad loquendum, & ad se ipsum pariter, & ad alios. *idem, cap.* 31.

Virtus est ars totius vitæ, actiones omnes in se continens. *Phil. Iud. in legis alleger. lib.* 2.

Virtus à summa illa causa concipit semina, in vsum accipientium. *idem, de cherub.*

Virtutis amatores baiulant sibi sarcinas maximas affectuum erga corpus & voluptates corporis, & certamen aduersus externa bona, & delectationes quæ inde proueniunt. *idem, de eo quod deterius potiori insidietur.*

Virtus est causa coniunctionis & societatis, dissolutionis verò & separationis affectus contrarius. *idem, de plantatione Noe.*

Virtus & honestas in qualitate, non in quantitate consistit. *idem, de præmiis & pœna.*

Virtutes instrumentorum corporeorum actus sunt. *Bessar. Cardin. in calumniat. Plat. lib.* 2. c. 9. Virtus efficax vt virtus est certum graduum numerum non includit, & non aliunde accipit terminum, nisi aut à passiua potentia cui miscetur, aut à causa terminante. *Fic. Platon. Theolog. lib.* 2. c. 4.

Virtus diuina pura est & summa. *idem, ibid.*

Virtus speculatiua nil aliud est nisi claritas intellectus; moralis verò feruor stabilis appetitus ab intellectus claritate succensus. *Fic. Platon. Theol. lib.* 8. *cap.* 3.

Virtus est animæ qualitas. *idem, ibid.*

Virtus animi est æqualitas quædam, vt magi tradunt, per quam & animus sibimet, & ipsi vero, bonóque consonat. *ibid.* 1. 2.

Virtus est exoriens præmium. *Fic. Plat. Theol. lib* 18. c. 10.

Virtus cùm nulla sit alia apud inferos, non deest lex, & iustitia. *idem, epist. lib.* 3. Virtus est habitus animi electione ad beatitudinem conferens. *ibid.* Virtus speculatiua nihil aliud est quàm acquisita claritas intellectus, moralis nil aliud quàm feruor stabilis appetitus ab intellectus claritate accensus *ibid.* Virtutis vis in vnione magis quàm in diuisione consistit. *ibid.*

Virtutis solius infinitæ est opus ex nihilo, quod infinitè ab ipso esse distare videtur, agere aliquid. *Fic. epist. lib.* 2. Virtutes purgatoriæ faciunt vt nescias vtrum in corpore sis, an extra corpus; exemplares verò, quæ nihil aliud sunt, quàm Deus. *idem, ibid.* Virtutem à Deo petere debemus, homínésque virtute præditos pro diuinis habere. *idem, in Plat. Euthyd.* Virtutis humanæ finis & principium est meminisse non esse humanam virtutem absque diuinæ virtutis gratia & amore. *idem, epist. lib.* 6.

Virtus hominis est affectio, siue habitus animæ quo potentia naturalis eius quàm optimè suum opus exercet. *Fic, in Plat. de virtute.* Virtutis commune officium id esse meritò Platone traditur, vt & actiones, & ea quibus agendo vtimur, vtilia reddat. *idem, ibid.*

Virtus quid sit, & quomodo nobis adsit, inquirere vult Plato. *ibidem.*

Virtutem aurum ignitum esse arbitror, quod emendum Ioan. in Apocalypsi præcipit. *Fic. in Plat. Alcib.* 2.

Veritatis diuinæ cognitionem solus Deus dare potest, quàm accipere solus animus pulcher, id est temperatus, purus, & candidus potest. *idem, ibid.*

Virtutem sophista tradere non potest, cùm ipse sit virtutis expers, & rectum disputandi ordinem non obseruat. *idem, in Plat. Protag.*

Virtutem quærere non debemus à sophistis, sed à philosophis, qui cùm verum intelligant, & colant bonum, recto tramite Deo duce ad illam perducere non possunt. *Fic. in Plat. Prot.* Virtus vniuersa sub legum prouidentia instituta est iustitia legalis & communis. *idem, Fic. in Plat. de rep. dial.* 9. Virtus plena sola sanctimonia est. *idem, in Plat. Tim. c.* 6.

Virtutes in Deo viuæ sunt, imò vitæ, quarum scintillis quibusdam in anima succensis, anima ad sublimia eleuatur *Ficin. in Plat. de legi. dial.* 10. Virtutis principium, exemplar, & ipsa virtus est Deus, mens scilicet diuina, mundi artifex, ipsique mundo, & animæ præsidens. *idem, in Plotin. En.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. Virtus quælibet cognoscendi formam, & actionem qua cognoscit habet à materia separatam. *idem, in Plot. En.* 2. *lib.* 3. c. 17.

Virtutes actiuæ figuris, literis, & characteribus inesse non possunt, cùm sint ordo & compositio excogitata ab artifice. *Io. Fr. Pic. Mir. de præno. lib.* 7. c. 4. Virtutis infinitas ex finito effectu monstrari nó potest *idem, in exa. va. doct. gen lib.* 2. c. 18.

Virtus est perfecta & absoluta ratio, quàm sapientis animus semper sequitur. *Fran. Patri. de regn. lib.* 4 *cap.* 7. Virtus solâ conscientiâ rectè factorum contenta est. *idem, ibid. cap.* 18. Virtutem plurimi Stoicorum sentiunt esse notionem, aut scientiam earum rerum, quæ secundùm naturam sunt. Pythagoras ait esse quandam naturalem harmoniam, cui recta omnia consonant. Cleanthes esse affectionem electionémque animi naturæ consentientem, quæ per se beatam efficiat vitam. Cicero esse habitum naturæ modo, ac rationi consentaneum. *ibid. lib.* 2. c. 6. Virtus est voluntaria, vt & vitia. *ibidem.*

Virtutem vnam esse sentiunt Megarici philosophi quæ pluribus nominibus appellatur ex diuersitate moralium officiorum. Panętius duas contemplatiuam, & actiuam, Stoici plerique tres, rationalem, naturalem, moralem. Plato quatuor principales, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam. *Fr. Patr. de regno lib* 9. c. 7. Virtutem Stoici quidam existimarunt nil aliud esse quàm perfectam naturam. *idem, de regno, lib* 8. c. 3.

Virtus semper colenda est tam publicè quàm priuatim, & apud omnes. *Sebast. Fox in Pla de rep.* Virtutes sunt habitus rectè agendi. *Leo Heb. de amo dial.* 1. Virtus moralis est via quædam ad sapientiam necessariò requisita. *idem, ibid.*

Virtus vt ad felicitatem se habet.

Virtute omnia quæ fiunt facienda sunt, omnia enim quæ hac destituuntur, turpia & mala sunt. neque enim diuitiæ cum ignauia acquisitæ pulchritudinem afferunt possidentibus, nec alia fortunæ, & corporis bona. *Plat. in Menex.* Virtus nulla generi humano esse potest maior quàm pietas. *idem, in legum appendice.* Virtus sola honestas, stabiles, nec vnquam solubiles amicitias efficere valet, vtilitas verò & voluptas minimè. *Leo Heb de Amo dial* 1.

Virtus vt naturalis.

Virtutes omnes quibus non est finis, pendentes sunt per infinitum primum, quod est virtus virtutum, non quia ipsæ sint acquisitæ stantes in rebus entibus, imò sunt virtus rebus entibus habentibus fixionem. *Arist. de causis, prop.* 15. c. 3. Virtus cùm incipit multiplicari, destruitur vnitas eius, & eius infinitas. *idem, ibid prop.* 16. Virtus omnis vnita plus est infinita quàm virtus multiplicata, quia infinitum primum, quod intelligentia est, est propinquum vni puro. *ibid.*

Virtus nec laude digna existimaretur, si naturâ, vel diuina sorte consisteret. sed cùm sit in nostra potestate, nec aliquid sit coactum, ideò laude digna existimatur, & id per affectionem quandam flagrantem generosam, & perpetuam, & ideò cùm virtus voluntaria sit, prauitas inuoluntaria concluditur: & si quis in vitium labitur, non vt in malum, sed vt in bonum inclinatur. & vt nec maius malum minus eligat. *Alcin. cap* 27.

Virtutes in rebus & perfectiones ascendendo crescunt, descendendo decrescunt, quo fit vt virtus naturalis rerum descẽdẽdo sensim debilitetur, vnde cogitur alicubi deficere post-

re postquam minuitur paulatim. *Fic. Plat. Theol. lib. 1. cap. 3.*

Virtus nulla obiectum suum excedere valet. *Idem, ibid. cap. 9.*

Virtuti infinitæ, & puritati infinitæ nihil resistit. *ibid. cap. 6.*

Virtus quantò potentior est, per quam vnumquodque permanet, & seruatur, tantò res illa diuturnior est: ergo Deus per infinitam virtutem suam in infinitum & ipse permanet, & cætera seruat. *Fic. Plat. Theol. lib. 2. cap. 5.* Virtus tum speculatiua, tum actiua momento indiuisibili fit, alioqui partim quis virtute præditus esset, partim non, ideò virtus indiuisibilis est. *idem, Plat. Theol. lib. 8. cap. 3.*

Virtutem attractiuam ignea iuuant, retentiuam terrea, digestiuam aërea, expulsiuam aquea. *idem, de vita cœlitus compa. lib. 3. cap. 6.*

Virtus quæ superior est eo minus multitudine indiget, & magis in virtute multa complectitur. *Fic. in Dion. Areop. de diu. nom.* Virtus materialis vt agat multum multam desiderat materiam, formalis etiam cum minima materia valet plurimum. *Idem, de vita cœlitus compa. lib. 13. cap. 12.*

Virtutem ciuilem Prometheum dare non potuisse, quia penes Iouem est, quò ascendere non licet Promethen, significat quod non solum virtus ciuilis humanis rebus imperat, sed etiam artibus, & singulas ordinat & in communem formam dirigit, quod Iouis in vniuerso officium est, ideò ad ipsum spectat hanc nobis largiri, vniuersalis enim virtus ad vniuersalem Iouis pertinet prouidentiam. *Fic. in Plat. Prot.*

Virtus generandi & intelligendi, quæ diuersæ sunt in anima eadem sunt, in mente, intelligendo generat, imò & naturaliter existendo; denique rationes rerum, quæ sunt in anima naturaliter mobili, non sunt per se ab omni motatione tutæ, nisi reducantur ad firmas intellectus ideas. *Fic. in Plot. En. 5. lib. 9. cap. 5.*

Virtutes à natura profectæ nec laudandæ nec vituperandæ sunt. *Io. Fra. Pic. Mir. in ex. van. doct. gen. lib. 1. cap. 17.*

Virtus, vt moralis, ciuilis, & quàm rara.

Virtutum generatio potior est generatione filiorum. *Plat. in Symposio.*

Virtuti maximè apti euadunt, qui bono genere nati, rectè educantur. *in Alc. 1.* Virtutem possidentem beatum prædicat Socrates magisquàm magnum regem ob principatum. *in Euthy.* Virtute quadam accedente boni sumus, & alia bona sunt. *in Gorg.* Virtus omnis & corporis & animæ ordinata est & ornata. *ibid.*

Virtutem qui nouisset, in neminem vnquam incidisse Socrates ait. *Plat. de virt.* Virtus in maximo honore est in ciuitatibus bonis legibus institutis. *idem, de pul. hro.* Virtuti omnis multitudo, & diuitiæ cedunt. vt in victoria ad Marathonem ab Atheniensibus contra Persas clarè apparet. *in Me.*

Virtutis ac vitij veritatem ad summum non didicerit qui cum iustis & alijs pulchris naturæ coniunctionem, & cognationē non habent etiam si alia facilè discant & memoria teneāt: qui item cognationem habent, sed difficulter discūt, & memoria non præstant. *idem, epist. 7.*

Virtus sola fortunatissimos potest facere, cum absque hac non possit ex alijs prosperis felicitas inueniri. *Apul. de dog. Plat. lib. 3.* Virtus sola beatos facit. *Mac. in som. scip. lib. 1.* Virtus fructus sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria, quæ optari debet vt quam latissimè vagetur, & quam diutissimè perseueret. *idem, ibid. lib. 2.*

Virtutes quæ consuetudine acquiruntur in animali sunt, at quę ratione acquiruntur in anima rationali. *Plot. En. 1. lib. 1. ca. 10.*

Virtutes ciuiles exornat verè, & nos meliores efficiunt, cupiditates, & omnino perturbationes cæteras moderantes, opinionésque falsas meliori modo auferentes, propterea quod definiūt, atque extra immoderata, & indefinita animū collocant. & modum ipsæ suscipiunt. forte verò mensuræ in anima, quasi materia mensuræ, quæ illic est, similes sunt, vestigiúmque optimi quod illic est obseruant, & materia quæ immoderata omnino est omnino dissimilis, & quatenus accipit speciem eatenus ei speciem non habenti fit similis; at quæ magis propinqua sunt, magis participant, anima verò propinquior est & cognatior quàm corpus, ideóque magis particeps illius euadit. adeò vt fallat, Deus apparens, suspicionémque inducens ne totum Dei hoc sit. *Plot. En. 1. lib. 2. cap. 2.*

Virtus animæ est, mentis verò nequaquam, nec eius quod est mente superius. *Plo. En. 1. lib. 1. c. 3.* Virtutū similitudo proposita ad deos non ad homines nobis est; similitudo verò nostra ad homines bonos est perinde ac si imago assimilatur imagini, cùm ab eodem vtraque producatur, sed illa ad aliud velut exemplar similitudo perficitur. *idem, En. 1. lib. 2. cap. 7.*

Virtutis officium est, communem naturæ conditionem ad id quod melius est perducere, atque ad honestius aliquid præter vulgi sententiam. *Plot. En. 1. lib. 4. cap. 8.* Virtus quæ apud nos est, in Deo est exemplar, nec est virtus. *idem, En. 1. lib. 2. cap. 2.*

Virtus per prudentiam acquisita, ad summúmque progressa Deum nobis ostendit: si quis autem absque vera virtute virtute Deum pronunciat, nihil habet aliud præter nomen. *idem, En. 2. lib. 9. cap. 15.*

Virtutem Deus hominibus tribuit, & omnia bonorum generà à Deo ad homines permeant. *Max. Tyr. ser. 13.* Virtutem non sustinet improbitas, nisi eā viderit superinducto aliquo fuco adumbratam. *idem, ser. 19.*

Virtutes inæstimabiles compertæ sunt tum in animabus cœlestibus tum in earum corporibus insitæ, tam per defectus in omnia sine impedimento vsque ad infima descendentes, communicatæ tam diuiduis, quàm in speciebus, immutabiles vbique, quamuis in materia mutabili regentes generationem perpetuo quodam ordine, sempérque beneficæ, perinde fluxum cœli in materiam discordibus plenam resultat aliquid dissonum, temporalia temporaliter æterna capiunt, corpora incorporea corporaliter, materialia hæc immaterialia cælorum vires mutabiliter, & inordinatè suscipiunt. *Iam. de myst.*

Virtutes quædam principes sunt, quædam pedisseque, principes in parte orationis, pedisseque circa partem rationis expertem versantur. *Alc. 1. cap. 16.*

Virtutes, quæ circa partes irrationales versantur doceri non possunt, cùm nec scientia, nec ars in alia animæ parte quàm in rationali consistat. *idem, ibid.* Virtutes absolutæ nec crescunt, nec decrescunt, vitia intenduntur, & remittuntur, vnus enim alio impudentior & iniustior est. *ibid.* Virtutes per se ipsas existimandæ sunt. *idem, cap. 30.*

Virtutes quadam coniugatione se consequi inuicem putandū est. *idem, cap. 31.*

Virtutis contemplatio pulcherrima est, vsus verò, & actio sectanda omni conatu. *Phi. Iud. in leg. alleg. lib. 5.* Virtutū fons perennis est recta ratio. *idem, de plant. Noe.*

Virtutes illustrium virorum publicatæ sunt in sacris literis non tam ad illorum laudem quam ad lectores in æmulationem prouocandos, illi enim fuerunt rationales & animatæ leges duabus de causis venerabiles, altera, quoniam ostendunt præcepta legis à natura non discrepare altera quòd hinc liquet non esse opus magno labore ad exigendam vitam iuxta legum regulam, quando illi prisci ante leges singillatim proditas non scripto iure vsi pari facilitate, ac felicitate vixerunt, vt merito quis dicere possit leges scriptas nil aliud esse quàm vitarum patrum commentarios, in quibus eorum dicta ac facta narrantur. *idem, de Abraham.* Virtute nil æquè principes & magistratus decet. *ibid.*

Virtus quo ad res malas sterilis est, quo ad bonas fœcunda. *Ph. de cong. quær. erud. grad.*

Virtutem præcedunt artes liberales. *Idem, ibid.* Virtutes omnes habent appellationes fœmininas, actiones verò virorū perfectissimorum, quia quicquid post Deum est, quantumuis antiquum sit, cùm secundo loco censeatur, collatum ad omnipotentem illam non tam masculinum videtur, quàm fœmininum. *idem, de profug.*

Virtutem vt tractes, opus est Solum ratione: artes autem ratione & corpore. *idem, in Alleg. lib. 1.* Veritatis studiosi, & Deo adiuti, Deum quærunt: nam per creaturas vertunt ad creatoris cognitionem. *idem, de præ. ep. paru.*

Virtutes morales sunt assuefactiones animales corporisque nostri. *Athe. de resur. cap. 8.* Virtutes ait Arist esse mediocritates, vitia extremitates, vbi passionum intelligit mediocritates. de quà mediocritate loquatur, an de illa quæ est in qualitate, vel quæ in quantitate, non aperte explicat; at Platonici omnem turpitudinem timendam docent siue magnā siue paruam. *Georg. Gem. de Plat. & Arist. phi. diff. cap. 2.*

Virtutes omnes, id est contemplatiuam actiuam, mechanicam & operarias, nemo adipisci potest: & si quis potest difficillimum est, & perfectè nemo aliquam harum acquiret nisi aliquorū hominum operā & auxilio. *Auct. in temp. Plot. tract. 1.* Virtus à virtute differt actionis, siue operationis diuersitate. *Bess. Card. in calum. Plat. lib. 1. cap. 7.*

Virtutes exercere satius est quàm, nosse. *Fic. epist. lib. 1.* Virtus constantissima vbi dominatur, ibi actio editur omnium velocissima. *idem, epist. lib. 2.* Virtutes ita inter se connectuntur, vt qui vnam consequitur consequatur omnes: vitia contra ita inter se repugnant, vt nequeant cuncta eidem simul inesse. *epist. lib. 3.*

Virtutes plures sunt pro virium animæ & actuum diuersitate; in quibus tamen vna virtutis ratio inspicitur. *Fic. in Plat. de virtute.* Virtutum moralium principia duo hæc posuit Plato, prudentiam, & rectam opinionem. *Idem, ibid.* Virtute

qui ornati non sunt, ipsam nunquam docere possunt nec ratione, nec exemplo. *Idem, in Plat. Euthyd.*

Virtute præditum hominem sui ipsius, deinde regum regem esse ostendit Plato. *ibid.*

Virtutis vis tota in prudentia collocatur, vitij in imprudentia; quæ tritissima est Platonis sententia. *Ficin. in Plat. Cratylum.*

Virtuti omnia parent. *idem, in Plat. Menex.* Virtutes à prudentia tanquam inferiora membra à capite ducuntur. *in Plat. de leg. dial.* 3. Virtute præstans nemo euadere potest ex luxurioso victu, sed æger, fragilis, & instatus, & cæcus *ibid.*

Virtutes, quæ ab animo ortos motus secundos amputant qui circa sensibilia fiunt ciuiles nuncupantur, vt fortitudo, temperantia, prudentia iustitia: quæ non solùm amputant, sed extirpant purgatoriæ vocantur: at quæ non modo secundas perturbationes domuerunt, sed insuper primos motus si fieri potest in homine eradicant, vel saltem ratione aliqua, & assuetudine moderantur, purgati iam animi sunt: hæ autem virtutes non sunt in Deo, quia in Deo non sunt motus. *Fic. in Plot. En. 1. lib. 2. cap. 2.* Virtutes superiores non sunt inferioribus gradibus nisi per imaginem, in superioribus verò inferiores per exemplar. *idem, ibid. cap* 7.

Virtutum aliarum regula est prudentia. *ibid.*

Virtutes speciales quæ in rebus in sunt, quæ ad causas elementales referri non possunt, non eueniunt simpliciter ex confluxu multorum, alioqui vel casu contingerent, vel firmæ non forent, sed ex seminaria proueniunt animali ratione. Sic Pæonia suspensa collo caducis opitulatur, Polipodium atram bilem purgat, corallus timorem pellit, laurus pellit fulgur, Torpedo piscis stupefacit hominem etiam virgâ tãgentem, Echinus pisciculus sistit nauem. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 13.*

Virtutum qualitatem in agentibus coniectare solemus ex operum, & actionum qualitatibus. *idem, in Plotin. Enn. 3. lib. 2. cap. 10.*

Virtutis via si homini dura videtur, quia continuè oportet non pugnare aduersus carnem, mundum, & diabolum, recordetur quod quancunque elegerit vitam, etiam secundùm mũdum, multa illi aduersa, tristitia, incommoda, laboriosa patienda sunt, & in mundi rebus diutius, laboriosius, & infructuosius pugnatur, in quibus labor finis est laboris, & tãdem pœna æterna. *Io. Pic. Mir. de reg. dig.* Virtutes putant Aristoteles esse medias inter duo extrema, Stoici contra non admittunt hanc mediocritatem. *Io. Franc. Pic. Mir. in ex. van. doct. gent. lib. 1. cap.* 19.

Virtute ambire oportet, non fautoribus. *Fr. Patr. de repub. lib* 3. *cap.* 12. Virtute qui præstat in republica præferendus est. *Idem, de rep. lib.* 5 *cap.* 3 Virtus puerorum indoles, quæ spem futuræ probitatis prætendit, adolescentium disciplina bonarum artiũ in reliquis expectatur fructus operum. *ibi cap.* 6.

Virtutis præmium est honor, indigentiæ lucrum. *Francisc. Patr. de r. g. lib.* 8 *cap.* 1. Virtutes omnes sine fide obtenebrantur, sic enim à fide lumen sumunt, vt à sole stellę omnes *idem, ibi. cap.* 20.

Virtutes morũ prudentiæ particula arbitratur Socrates, quod reprobat Arist. cap. vltimo. lib. 6. ethicorũ. *Iac. Car. in Alc. pra.*

Virtutes quæ ad partem superiorem pertinent, doctrina apud Aristotelem comparantur, quæ ad partem inferiorem spectant, doctrina indigent vt intelligatur quid in officijs rectum quid non rectum, sed perficiuntur agendi consuetudine per quam habitus conformatur. *Iac. Carp. in Alcin. par. post. cap.* 21. Virtutes Peripatetici quia vt habitus agẽdi consuetudine partos à naturę seminarijs, & igniculis semper distinguunt, ingenitas esse negant: Stoici, quoniam igniculos naturæ non deprauatæ, quibus ad omnes honesti partes excitamur, dicere solent has nobiscum natas esse. *idem, ibid. cap.* 22.

Virtutes, iustitia, temperantia, fortitudo, vocantur purificationes, quia harum ope anima mala fit bona. *Steph. Comb. de ascen. men. in deum, lib.* 5. *cap.* 5.

Virtutes bonarum & laudabilium actionum diutina exercitatione tandem acquiruntur. *Leo Hebræus de Amore, dial.* 1.

Virtutes morales sunt media quædam necessaria ad felicitatem consequendam. *idem, ibid.*

Virtutes morales haud puram honestatem, sed vel cum sensibilibus voluptatibus implicitam, vel cum vtilibus bonis cõiũctam, vel huiuscemodi rebus ad materiam corpúsque accedentibus inuolutam complectuntur. *Leo Heb de am dial.* 3.

Virtutes morales vtilia bona, sensibilésque voluptates, cæteraque consimilia quasi materiam pertractantes, ab honestate quasi forma tandem perficiuntur, conspicuéque redduntur. *idem, ibid.*

Virtutes morales circa iucundum & vtile versantes in mediocritate refulgent, intellectuales verò honestum ipsum pertractantes in excessu refulgent. *idem, dial.* 1.

Virtutis principia quæ sunt, & vt acquiritur.

Virtutis qui curam habere se asserit, maxima absurditas est, nihil aliud facere, quàm in sermonibus iniustus esse perseueret. Iniustitia verò in hoc consistit, cùm quis non diuersa ratione velut decertans studium adhibet, & rursus alia, velut disputans & in decertando ludat, & fallat quantum poterit, in disputando verò seriè agat, & eum cum quo disputat corrigat, illos solos ipsi ostendens errores, in quibus ipse à seipso ac prioribus cõuersationibus deceptus est. *Plat. in Theæt.*

Virtutem nullo alio instrumento comprehendere possumus quam verissima ratione, à qua acuitur animus & accenditur. *Max. Tyr. ser.* 6.

Virtutem & vitium mortalibus dij veluti pugnantibus in stadio constituerũt, aliam improbitatis mercedem quam flagitiosa mens accipere deberet, alteram coronam quæ optimæ naturæ ob honestas rationes proposita est. Quos viros protegit deus, vaticinijs seruat, augurijs & somnijs admonet, nec non vocibus & sacrificijs, imbecillis enim est humanus animus. & in hac vita facilè tenebris occupatur. *idem, ser.* 26.

Virtutes & cætera præclara apud homines sudore quæruntur. *Syn. de som.*

Virtutes omnes si singuli adipisci possent, natura aliquid superuacaneum fecisset, & difficillimum est in vno vnum, & portento simile. *Auer in Plat. rep. tract.* 2.

Virtutes ad consequendas actiuas via est consuetudo, contemplatiuas verò doctrina. *Idem, ibid. tract.* 3. Virtutes intellectuales solam purámque honestatem, & à materię sordibus, & à corporea labe quàm maximè alienam, quasi diuino quodam amore correptæ prosequuntur. *Leo. Heb. de am. dial.* 3

Virtus vt ad vitia se habet.

Virtutes secundùm Platonicos quatuor sunt politicæ, purgatoriæ, animi iam purgati, exemplares. *Macr. in som. scip. lib.* 1.

Virtus statuara rectitudinem, vitium circa obtusum & acutum. *Proc. in Eucl. lib.* 2. *cap.* 1. Virtutes & vitia medium habent, nam homines non est necesse omnes probos vel improbos esse, longo enim interuallo extrema distant. *Alcin. cap.* 26.

Virtutis exul statim se abscondit à Deo. *Phil. Iud. in leg. alleg. lib.* 2. Virtus à vitio antiquitate superatur, ideò Abel præcedit Cain, etsi minor natu. *idem, de sacrificijs Abelis & Cain.*

Virtute exceptâ quicquid non absoluitur, nullam affert vtilitatem. *idem, ibidem.*

Virtutum præmia, & supplicia vitiorum ad alteram vitam pertinere ait Plato. *Ficin. in Plat. phæd.*

Virtus quid faciat, & vitium in animo seclusis externis affectibus, propensius contemplatus est Socrates in omni eius vita. *idem, in Plat. de repub. dial.* 1.

Virtus in vita communi atque morali in mediocritate, vitio verò in excessu ac defectu, vtilia atque iucunda tum expetendi tum diligendi consistunt. *Leo. Heb. de am. dial.* 1.

Vim maiorem habet quod meliores concedunt quàm quod peiores. *Plato sophista.*

Vis quæ nunquam prodit in actum inanis est. *Fic. in Plat. Theol. lib.* 6. *cap.* 5. Vis nulla durior & intolerabilior est, quàm quæ contemptu quodam infertur. *Idem, in Plat. de leg. dial.* 10.

Vim suam omnia propagare nituntur. *Idem, Plat. Phileb. lib.* 1. *cap.* 20.

Vim maximam quod habet ad bonum maximam quoque habere potest ad malum. *idem, in Plat. de leg. dial.* 6.

Viscera in ostentis transmutantur contra naturam in animalibus ab anima eorum, & à dæmone eis præsidente, & à motu aeris motúque cæli præter naturam, & pro voluntate deorum ad homines admonendos: quod patet, quia sæpe non inueniãtur principalia membra in animalibus ad vitam necessaria, quæ repente in miraculo auferuntur cùm necesse sit ea paulo ante non defuisse. *Iamblic. de myst.*

Visibile. Visio.

Visibile summum vbi est ibi esse existimant Platonici visum summum. *Ficin. epistol. lib.* 2.

Visibilium radiales species quoniam à materia longius distant quàm voces, odores, & sapores, nullo modo se confundunt, minus voces, potius minus odores, cætera minimè. *Idem, in Plat. Parm. cap.* 5.

Visibilium species spiritales sub lumine prouenientes ad oculum absque aeris passione proueniunt. *Fic. in Plot. En.* 4. *lib.* 5. *cap.* 2.

Visibile per primum lumen visibile fit, ideò & visus omnes per primum visum. *Idem, in Prif in Theop. cap.* 11.

Visibilis res nulla apud nos est cui non præsit angelica potestas. *Io. Pic. Mir. in remp. Plat. lib.* 3. *cap.* 4.

Visio est cùm id quis videt quod eodem modo apparuerat euenit. *Mac. in som. scip. lib.* 1.

Visio vt fiat non opus est corpore medio: nam si densum, vt terrenum

terrenum impeditiſ tenue, minus impedit. *Plot. En. 4. lib. 5. cap*

Viſio vel fit qui e radius eb oculo viſualis proficiſcitur ad viſibile: & qui ſic aiunt niſi moueant radium decidere non indigent medio, ſed radius naturam habet luminis, & lumen rectè diffunditur, vel à viſibili iam luminoſo non nihil procedet ad viſum, nec ſic medio indigent, nec qui ab vtroque minus enim videbunt, ſi aliquid medium intercıderit. *Idem, ibid.*

Viſio requirit medium neceſſariò lumen, nec corpus mediũ neceſſarium eſt. *Plot. En. 4. lib. 5. cap. 1.* Viſio dum fit mediũ non patitur; at quod naturaliter paſſioni expoſitum eſt patitur, tamen ſi medium naturaliter obnoxium eſt paſſioni, & ipſum aliquid patitur. *idem, ibid.*

Viſio dum fit, non eſt neceſſarium medium inter viſum & viſibile: nam quando nocte ſub obſcura igniculum longiſſimè diſtantem cernimus, non imprimitur forma ex igniculo continuis aeris partibus, alioqui multa & minima quæque interim in aere cernentur. & non duntaxat ignis. *ibid. cap. 3.*

Viſio non propterea fit quia patitur medium: nam ſi patitur aër, corporea patitur conditione, id enim eſt vt in cere imprimi figura, ſi viſibilis obiecti pars certe in certa parte aëris figurabitur, & ſic tanta pars quanta pupillaris quantitate prope oculum accipiet figuram, & tradet: at nũc & ex directo, & ex obliquo videtur: ex quo patet quamlibet aëris particulam totum velut vultum in ſe inſpectum habere, nec id fit corporeæ conditione paſſionis, imò ſecundùm maiores, & animales, & animalis vniut vbique ſibi net compatientis neceſſitares. *Plot. En. 4. lib. 5. cap 3.* Viſio in appetitu quodã viſus ipſius conſiſtit ad videndum alliciente. *Idem, En 5. lib. 6. cap. 5.*

Viſio quæ in ſomnio apparet eſt quod ex diuina virtute legatur. *Chal. in Plot. Tim.*

Viſio cùm non fiat contactu, neceſſe eſt aliquod medium eſſe & hoc eſſe debet diaphanum, ne ſi fortè ſolidum ſit, & reſiſtens, impediat opaca proprietate, & tenebrifica mutuam inter ſe rerum luminalium actionem, ignis inquam, ac ſenſuum inſtrumenti. *Prif. in Theophraſt. cap 20.*

Viſio non perficitur per ſuſceptionem aliquam ab externis, quaſi formetur à ſentiendis per quendam ab eis effluxum, nec ſecundùm emiſſionem ab oculis aliquam factam, quaſi corpus aliquod emittetur, & tangat ſentienda; nec colores mouent diaphanum, quaſi formetur ipſum diaphanum verò mouet viſum ſimiliter, ſed ſpecies ipſæ efficacem habẽt potentiam per quam vnaquæque agit in illud potiſſimum quod paſſioni eiuſmodi eſt expoſitum, non in agendo duntaxat, ſed in illa quoque quæ diſtant, quatenus commenſurata quædam diſtantia ſit, his quidem ad faciendum, illis viciſſim ad patiendum. Agit viſibile in inſtrumentum viſus ab interuallo quodam, quod & commenſuratum eſt tum videnti tum viſibili, illi quidem ad agendum, huic autem ad patiendum. Quoniam verò non ſimpliciter viſualis naturæ ab obiecto viſibili paſſio facit ſenſum, vehementior enim paſſio impedit, quia incommenſurabilis eſt ad menſuram paſſionis ſecundùm quam fit ſenſus, ideò opus eſt interuallo: ideò valde lucentia, ſi propinquiore ſint quàm exigat menſura, impediunt viſionem, & denique omnino prohibent, & id quod videt agere circa illud quod videtur iudicialiè agens circa illud *Prif. in Theoph. cap. 13.*

Viſionem alij Platonici putant vt ſupra in præcedenti propoſitione ſiue extra, ſiue intus iudicium ita perficiatur; alij vltra vibrationem eiuſmodi hinc excitari ſenſibus obiecti formulam, ſenſui; naturaliter inſitam, eacuatinuémque talem in ſe ſentire: nonnulli præter hæc vibratum radium ad oculos vſque prouenire, alij aliter. *Fic. in Plat. Tim. cap. 30.*

Viſionis affectus fit probabilius, dum viſualis oculi radius protenditur per pyramidalem occurrentis luminis latitudinẽ eiuſdem luminis adminiculo verſus rei videndæ latitudinẽ quatenus progredi vales, & cùm ſic terminator fit viſionis effectes. Vtriuſque ſcilicet radij viſualis, & luminis vberioris commercio quodam confici viſionem Plato in Timæo, Galenus, & Chalcidius ibidem docent, & perſpectiui confirmant: lumen verò dictum, vel radio viſuali eſt ingenitum vel foris adhibitum. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 8. cap. 2.*

Viſio velut actio quædam ad ipſum modum viſualis formæ peragitur. Si igitur obiectum ad pupillæ anguſtiam ſe conformaret, non grandius vnquam quàm ſit pupilla iudicaretur, nunc verò longè grandius iudicatur, quoniam radius viſualis extra porrectus per ipſam rei magnitudinem ſe diffundit: ſed profectò negare non poſſumus radios à corporibus luminoſis pyramidali quadam figure ad oculos peruenire, & cum hac figura ſpiritalem ſaltem qualitatem rei, vel virtutem, aut actum ad nos vſque perferre. Viciſſim quoque ab oculis emitti radios teſtatur radialis natura viſus præcipuè in animalibus nocte videntibus. *Fic. in Plot. En. 2. lib 8 cap 2.*

Viſio eſt actio ſic in videnre manes, vt calere, & lucere manẽt in igne. *Fic. in Prif. Sup Theoph. cap. 15.*

Viſio cum ſit, ſi quid medium eſt inter viſum, & viſibile, id quidem non corpus eſt, ſed lumen, vel natiuum oculo, ſiue viſibili, vel alienum, confert autem ad videndum non paſſio medij oculíque, ſed actio quædam atque lumen. *idem, in Plo. En 4. lib. 5 cap. 4.*

Viſionem fieri putat Plotinus, ita vt tanta ſit conformitas inter viſum & viſibile, vt ſatis circa ſe viciſſim agant, & moueantur, etiamſi nulla paſſio contingat in medio, vt nec patitur medium, vel ſaltem non tale quiddam patitur, vt tremente hac chorda altera contremiſcit, oſcitante hoc oſcitet ille. *Fic. in Plot. En. 4. lib. 5. cap. 4.*

Viſu quæ percipiuntur, etſi plura quodammodo ſunt, tamen abſque motionis efficacia, & per imaginem ſulam abſque rei natura ſæpius apprehenduntur, ideò reſpectu muſicæ conſonantiæ mouere parum animos ſolent. *idem, in Plat. Tim. cap. 28.*

Viſio oblata ſi à Deo eſt, etiamſi renuas cum humilitate, non recedet, ſed tum perfunderis lumine quo certior fies, vel sedierit cumulatius tibi profuturus, qui humilitatis virtute ſupra te ſapere poſthabueris, nec ambitioſa curioſitate fluctuaueris, at ſaltem te deludi poſſe cogita priuſquàm admittas aut refellas quod nuncietur. *Io. Fran. Pic. Mir. de praenot. lib. 9. cap 5.*

Viſio an extra mittendo fiat, aut intus ſuſcipiendo dubium eſt; illud Platoni aſcribitur, hoc Ariſtoteli. *idem, in ex. van. doct. gen. lib. 1. cap. 15.* Viſio fit, partim dum oculus à re viſe recipit, partim dum emittit. *Iac. Carp. in Ale. dig. 7.*

Viſionem fieri per viſui luminis emiſſionem, reflexionemque, & retro vnde exierat recurſum, poſt quam res viſibiles offendiſſet, vt pila in parietem à manu magno impetu iniecta magno impetu ad manum à pariete repercuſſa reuertitur docuit Pythagoras. *Gab. Bur. de viſu, lib. 5.* Viſionem fieri per intromiſſionem dixerunt Democritus, & Leucippus, & Athenienſis Epicurus, à rebus enim ipſis quibuſque per tenues corporum poros quaſdam imagines fluere, quæ ad certum interſtantis ſpacij terminum peruenientes non ſolum corporis qualitates conſeruant, ſed & formas, & figuras integras cuſtodiunt, & retinent, quæ poſtmodem per occultos ingreſſæ videntis meatus non ſolum viſum, ſed & phantaſiam ipſam ad ſe dignoſcendas percipiendáſve efficaciter excitarent & mouerent. *idem, ibid.*

Viſionem fieri per extramiſſionem ait Empedocles, cui & Hipparchus aſtipulatus eſt, ita vt radij caeuntes quaſi manu comprehendant imagines rerum quæ viſionis ſint effectrices *Gab. Bur. de viſu lib. 5.* Viſionem fieri opinati ſunt Chryſippus & vniuerſa Stoicorum ſecta à corde, & igneũ ad oculos vſque percurrere ſpiritum, qui turbinis cuiuſdam modo quem conum vocant, inde poſtmodum proſiliens circumfuſum percurrit aerem, & ad rem vſque viſibilem tendere nititur: & ſi cognatum, & ſimilem offenderit clarũ & pellucidum, rem vt eſt percipere, & videre poſſe diaceruntiſin minus aliud quidem non cernere viſile ipſum ſcilicet, ſed tenebras ſui quadam claritate reſperſas & affectas tunc conſpicere aſſeuerarunt, tenebras enim per ſe videri opinati ſunt cùm alij philoſophi per accidens videri voluere. *Idem, ibid.*

Viſionem Plato fieri ſentit vt oculi ex ſe naturam quandam lucidam habeant, ex qua viſiui radij effluentes in externam aeris lucem obiectæ rei imaginem adducant, & in animo repræſentent, ex quo repræſentatione fit viſus. *Gab. Bur. de viſu. lib. 5.* Viſio cùm fiat iuxta Platonis mentẽ, videndũ eſt an fiat in medio, vel in obiecto, vt multi falsò opinati ſent, vel in viſu ex illa radiorum repercuſſione ab obiecto facta, vt meo iudicio ſenſit Plato & Ariſt. *idem, ibid.*

Viſio haud tantùm ſpecie ab obiectu per medium ad oculum pertingente recepta, ſed etiam in radijs ea oculo per medium ad obiectum illuſtrandum emiſſis ſite eſſe videtur. *Leo Heb de Am dial. 3.*

Viſuale quod in nobis eſt, quodammodo naturaliter luminalé eſt, quod declarant animalia quædam quæ res ſibi videndas prius illuminant, ideò poſſunt etiam nocte videre, & colores ſunt luminales quodammodo, vt qui circa terminos diaphani corporum terminatorum conſiderantur. *Prif. in Theoph. cap 14.*

Viſualit inſtrumenti ſpecies naturalis non eſt materialis, at ſimilis ſpecies auditus, ideò in minima paſſione materiali facillimè reſultat ſpecies ſpiritalis, quæ neceſſaria eſt ad ſenſum, in tribus reliquis ſpecies tum inſtrumenti tum ob-

iecti materialiter iudicatur. *Fic. in Priscianum sup. Theophr. cap. 28.*

Visualem radium vnum confici ex hoc patet, quod si quando certa quadam oculorum contentione, vel compressione radiorum coniugium dirimatur, quicquid offertur geminum nobis apparet, quæ fallacia ex humore insuper pupillam nonnunquam diuidente contingit. *Fic. in Plat. Tim. cap. 30.*

Visiui radij vna quædam fuit in vno neruo intus origo per duos mox neruiculos ad geminos oculos deriuata, qui neruiculi per humores oculorum pingues sub tunicis situati denique perueniunt ad pupillas. *idem, ibid.* Visiuorum radiorum lux neruiculis conseruata, si ocer ibique per angustas pupillas erumpens cùm primùm in radios huc & illuc emicuit, sicut ab vno cœperat, sic statim redit in vnum, radiis scilicet inuicem in vnum communem radium naturaliter coeuntibus. *ibid.*

Visualis radius non potest pergere foras, eminúsque cernere, nisi cum externo lumine copuletur per conum ad oculos veniente, cui se radius noster insinuans ibi præcipuè qua in ipsum dirigitur per aspectum per hoc ipsum quasi vehiculum lumi corroboramentum longè procedit quousque offendat aliquid quoquomodo resistens, cui & ipse renititur, pérque eius superficiem vel se diffundit, vel mirabili celeritate quasi momento discurrit atque eius qualitate prorsus afficitur: In huiusmodi resistentia, discursione, affe- statim visionis effectus, vibratu videlicet illinc radio, vi- ctione fit; bratonéque; eiusmodi gradatim ad prouisualem spiritum vsque porrecta. quemadmodum si neruus in longum extensus ex vna parte pulsetur, mox ad totum pulsatio pertinet: quatenus radius validius perseuerat, hic tantum aliquantò solidiora resistunt, & qui tunc vsque ad substantiam obiecti processerit certius inde discernit: facto verò per longius iter infirmiori non solùm crassa nebula, sed etiam tenuis, imò & aer ipse renititur, ibique inhærens, vtcunque potest remotiora prospicit, sub eorum videlicet imagine per lumen illuc vsque porrecta, ideóque iam fallitur. *Fic. in Plat. Tim. cap. 30.*

Visus quid est, vt fit, & obiectum.

Visui quæ occurrunt ab aliis partibus, partim minora, partim maiora, partim æqualia ipsius visus partibus sunt; quæ æqualia sunt visum effugiunt, quæ sane etiam pellucida dicimus, maiora & minora, hæc disparantia illa coagmentantia visum ipsum, & nigræ & albæ hæ affectiones dicuntur. *Plat. in Timæo.*

Visus est habitus quo corpora discernuntur. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Visum fieri putant Peripatetici & Geometræ radij effusione, cùm per fulgidam, & lucidam pupulæ stolam in directum emicans radius serenam porrigit lineam, quæ giris oculorum circum vecta motibus dispergat vndique lucem contemplationis. *Chalcid. in Plat. Timæum.* Visum & auditum Plato appellat sensus diuinos non solùm quia ad sapientiam præcipuè nos perducunt, sed quia cœlestibus insunt. *Ficin. in Plato. Phileb. cap. 47.* Visum fieri eminus ex oculis emicante spiritu, vel radio quodam putant Democritus, Heraclitus, Stoici, plerique Peripatetici, Geometræ, Platonici & Marsilius cum Plotino. *idem, in Plat. Tim. c. 30.*

Visus obiectum proprium est color. *Fic. in Plot. En. 2. lib. 8 c. 2.* Visum fieri indicium hinc colligere possumus Plotinum existimasse, non vt forma obiecti ad oculos perueniat, sed vt oculi radius ad obiectum perueniat. *idem, ibid. cap. 2.* Visus cùm momento fiat, & ad incorpoream lucem tendat, quandam intellectus incorporei habet imaginem. *idem, in Plat. Phil. lib. 2 cap. 32.*

Visus dum fit non emittit aliquid ex se naturale, & quasi corporeum, quo colorem tangat, neque ex colore effluit aliquid naturale, quod imprimatur in visu. nec color reipsa colorat aerem, aer visum, & species à materia separatæ, quia à loco penitus absolutæ sunt, & à materiæ limitibus exclusæ; ideò aliquid in omnis possunt agere, sed quantumlibet spatium æqualiter agere; at species in materia non possunt agere, nisi ad aliquod certum spatium. *Fic. in Prisc. in Theoph. cap. 25.*

Visum esse sensuum præstantissimum apparet, quoniam citius, longius, amplius, distinctius quàm cæteri sentit; cæteri sensus interuallo solum conuenienti indigent, visus verò nō solùm hoc interuallo, sed lumine indiget. *idem, ibid.*

Visus est facultas quædam animalis ad rerum coloratarum imagines percipiendas. *Gab. Baratell. de visu. lib. 5.*

Visus vt est in parte anteriori.

Visus in sublimi parte corporis velut ignis in suprema mundi regione locatur, & lumen natura sua percipit, quod ignis est proprium. *Fic. in Plat. Timæum, c. 5, c. 2.*

Visus vt se habet ad alios sensus.

Visus & auditus cæteris sensibus exactiores sunt, & tamen nihil certi nobis afferunt. *Plat. in Phæd.*

Visus cæteris sensibus excellentior est, quia excellentius operatur. *Prisc. in Theoph. c. 31.*

Visus & auditus contemplationis & disciplinæ gratia nobis tributi sunt, & vt per sensibilem harmoniam animi quoque motus harmonicè componamus; cæteros sensus præter auditum & visum quasi minus condecant ad speculandū Plato nihili pendit. *Fic. in Plat. Tim. cap. 39.*

Visus & tactus diuersissimi sunt, ad visum declinat auditus, ad tactum gustus, olfactus est medius. *idem, ibid.*

Visus & auditus facilè mouenti cedunt, motorémque nacti sunt subitum atque lenem, ideò acutè quidem sentiunt, sed voluptatem vel molestiam paruam habent. *ibid.*

Visus & lumen similiore sunt intelligentiæ quàm auditus & sonus. *Fic. in Plot. En. 3. lib. 6. c. 5.*

Visus, & visibile propter naturam spiritalem longius inter se agunt, cæteri nec tam procul, sed propius & pigrius agunt. *idem, in Prisc. sup. Theoph. c. 31.*

Visus sensuū omniū præcipuus est. *Io. Fr. Pic. Mir. de imag. c. 3.*

Visus dignior, & præ cæteris sensibus certior, altior, & spiritualior est, qua de re ipsa visio non de corporali solùm, sed de imaginaria, & intellectuali dicta est, futurorum itaque supernaturali visio ad exteriores, interioréque sensus, & ad intellectum quoque referri potest, séque vidisse future quis potest asserere, cui per exteriore signa, vel per visibiles, & sensibiles species in imaginatione formatas, vel ex inditis in intellectu notis reuelatum fuerit: reuelatio autem eorum, quæ videntur, cognitionem infundit, eorum enim quæ velata erant & abscondita notitiam affert, additque ipsi visioni intelligentiam apprimè necessariam. *idem, de praenotione, lib. 2. c. 3.*

Visus dignitate & muneris præstantia, tactus ad vitam necessitate præfertur aliis sensibus. *Iac. Carp. in Alcin. cap. 10.*

Visus & in instrumento, & in obiecto, & in medio, & in actu ipso reliquos sensus excellit. *Leo Heb. de am. dial. 3.*

Visus solus longè vberiorum pluriúmque rerum, quàm cæteri sensus simul collecti, cognitionem nobis præstare videtur. *idem, ibid.* Visus ex omnibus quinque sensibus maius quàm quilibet alius, ad rerum cognitionem atque intelligentiam assequendam adiumentum nobis præstare existimatur. *ibid.* Visus solus ex omnibus sensibus hominem ad rerum incorporearum atque intellectualium cognitionem perducere valet. *ibid.*

Visus vtilitas & proprietas.

Visus nobis existit maximæ vtilitatis causa, nam si Solem, sydera, & cœlum non vidissemus, nullus de ipsis nobis sermo esset, & in summa ex ipsis philosophiæ genus comparauimus ex oculis, quo philosophiæ genere nullum vnquam maius bonum mortalium generi deorum munere contigit, nec continget, & hoc est maximum oculorum beneficium. Dicamus etiam Deum ob hanc causam oculos inuenisse, nobisque visum largitum esse, quo intelligentiæ, quæ in cœlo est circuitus conspicati, vtamur ipsis ad circuitus nostræ cogitationis, qui cum illis cognationem habent, ex illis non perturbatis, nostras perturbatas cognoscentes, & ratiocinationis secundùm rectitudinis naturam participes facti, Dei circuitus qui penitus non vagi sunt imitantes, eos qui in nobis sunt componamus. *Plat. in Tim.*

Visum ea sensibus Deus nobis accendit ad cœlestium speculationem, & sapientiæ assumptionem. *Tim. Locr. de anima mundi & nat.* Visus iudicium maximè fallunt magnitudines, quæ sunt ex vno colore vniformes, cùm visus non possit facilè per partes discretè metiri, sed in metiendo secūdùm partem vltra repente labatur, non habens qua differentiæ via in singulis partibus progressum sistere possit, ideò propositum esse videtur quod longe remotum est. *Plot. En. 2. lib. 4. cap. 8.*

Visum fieri putat Plato, cùm ex oculis lumen profunditur purum & liquidum, quod fit velut fons quidam ignis intimi nostri, habens cum solstitiali lumine cognationem, & Solis lumen instrumentum animæ ad visibilium specierum contemplationem, siquidem ad oculos feratur quorum leuigata soliditas, & tersa rotunditas, vt munita tunicis textis tenui neruorum subtegmine fert facilè obuiam lucem; medietas verò in qua constituitur videndi vis delicati corporis & sinceræ propemodum incorporeæ puritatis, admittit contemplationis ingressum. Causa principalis videndi lumen est internum, nec tamen vsquequaque perfecta, & sufficiens, ad muneris contemplantis perfunctionem; opus est enim adiumento cognati externi luminis, maximè quidem solstitialis, & aliàs eorum quæ Solis lumen imitantur,

Igitur

Igitur lumen extimum incorporatum lumini quod ex oculis fluit confirmat illud, & idoneum facit obtutui fluere, propterea ducit ex corporibus colores qui videntur. *Chalcid. in Plat. Timaeum.*

Visus videtur fieri extra in visu aliquid prodeunte, quia sensibile agit extra locatum, & videtur aliquid à re videnda suscipere, quia illinc aliquid patiatur, & diaphanum videtur traiicere vtrinque tanquam perficiens lumine, & commensurationem exhibens interuallo. *Prisc. in Theop. cap. 15.* Visus non consistit in passione, sed in speciali, siue specifica vitæ perfectione, atque in parte quadam rationis innatæ *idem, ibid. cap. 27.*

Visus longius prospicit, & momento facit, quod aures tempore, prius enim corruscatio cernitur quàm tonitrus audiatur. *Fic. in Plat. conuiuium, or. 5. cap. 2.* Visu naturaliter vtimur post auditum. *Idem, in Plat. Phaed. cap. 4.* Visus obiectum est luminosum. *Idem, in Plato. Timaeum, cap. 63.* Visus natura diaphana non mouetur à diaphano prorsus consimili, nisi quodammodo iam colorato. *ibid.* Visus haud vitæ quidem corporali, siue sensibili, sed spiritali potius, atque intelligibili quàm maximè conducit. *Leo Heb. de amor. dial. 3.*

Vita quot dicatur modis.

Vitæ tres, voluptaria absque sapientia, sapientia absque voluptate, & tertia ex voluptate & sapientia mixta; & duæ primæ nec hominibus nec vlli animanti expetendæ. *Plato. in Philebo.*

Vitæ permixtæ ex voluptate & sapientia quidquid boni accidit, ei non est cognata voluptas, sed similior existit. *idem, ibid.*

Vitæ tres sunt, iucunda, tristis, & neutra. *ibid.* Vitæ genera octo sunt, temperata, sapiens, fortis, & sana; & bis quatuor contrarię insipientem dico, timidam, intemperatam, & morbosam. *de leg. dial. 5.*

Vitam duplam homines haberent si caput carnosum, & osseum, & robustum haberent, & magis sanam, & minus doloribus obnoxiam. *in Tim.*

Vita vbicunque vnà cum intellectu viget, dupliciter adest bonum. *Plot. En. 1. lib. 7. cap. 8.*

Vita in mundo duplex, intellectualis & animalis, est & ab omni mole penitus expedita, & vigore vitali, efficaciáque infinita; ideò cunctas machinæ mundanæ partes ipsa tota impartibilis pariter obtinet & vegetat. *Idem, En. 6. lib. 5. cap. 88.*

Vita æquiuocè de viuentibus prædicatur. *Porph. de occasio.*

Vitæ duæ sunt, contemplatiua, & actiua; contemplatiuæ officium in veritatis contemplatione consistit; actiua in actione eorum quæ ratio dictat; honoranda est contemplatiua, pedissequa est actiua. *Alcinous cap. 2.* Vitæ tria sunt genera, vna apud Deum, altera apud creaturam. tertia media ex vtraque mixta, quæ apud Deum est, non descendit ad nos, quæ apud creaturam non ascendit: mixta verò sæpe trahitur ad meliorem, interdum retracta ad deteriorem se retro recipit. *Phil. Iud. de eo quis rer. diuin.* Vitæ tria genera numerantur apud philosophos, prima contemplationi, secunda actioni, tertia voluptati tribuitur. *Mar. Fic. in epist. lib. 5.*

Vita animæ triplex: prima diuina, qua diis coniungitur, & agit vitam superis cognatissimam: secunda humana, in quo gradu animus à vita diuina deuenit in seipsum, & statuit mentem, & scientiam principem actionis, vbi euoluit multitudinem rationum, conformes specierum differētias contuetur, & in idem & quod intelligit & quod intelligitur in se colligit & repræsentat, & quasi per imaginem exprimit intellectualem essentiam in vno quodam videlicet naturam intelligibilem comprehendens: tertia vita est quæ cum potentiis deterioribus commercium iam init, agitque cum illis, imaginationibus & sensibus ratione carentibus vtitur, & deterioribus prorsus impletur. *Proclus in repub. Plat. ex Marsi. Fic. in epist. lib. 11.*

Vita prima concupiscibilis est, secunda irascibilis, tertia actiua, quarta contemplatiua propria animę, quinta contemplatiua propria mentis. *Marsilius Ficin. in Pla. Philebo, lib. 2. cap. 4.*

Vitæ quatuor: Saturnia in intellectu suspiciente patrem suum cœlum, id est Deum cœli fabrum: Iouialis in intelligentia ad actionem iam mobilem declinante: Venerea in animali virtute iam amante materiam: Dionysiace in natura iam ebria, id est immersa materiæ. *Idem, in Pla. Tim. cap. 26.* Vita diuinitus data per animam rationalem infusa vehiculo, irrationalis quidem est, sed immortalis. vita verò à ministris Dei per hanc diffusa in corpus elementale tum subtile, tum crassum, irrationalis iam est, atque mortalis. *idem, ibidem.*

Vita prima quædam est animalis, secunda forma corporis naturalis instrumentis præditi ad animalis vsum accommodatis. *Idem, in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 7.*

Vitæ duæ in nobis sunt, quarum secunda est à prima, & eius imago: sed prima in se subsistens, secunda inhærens corpori: prima est totum in se quiddam: secunda est pars compositi, id est animalis huius, quod primæ subest vitæ. *idem, ibid.*

Vitæ duo hæc conducunt propriè, calefacere, & humectare: frigefacere verò & exsiccare suapte natura sunt vitæ contraria. *Mar. Fic. in Plo. En. 2. lib. 3. cap. 6.*

Vita duplex: vna peculiaris animo ipsi, qui se contemplationi diuinorum dediderit, à corpore quantum fieri potest extricatus: altera toti animanti, quæ quasi prioris imago est, quæque in rerum sensibilium duntaxat cognitione versatur. *Sebast. Fox. in Platonis Phaedonem.*

Vita quid est, & eius principia.

Vita recta est, vt nihil nec in homines, nec in Deos iniustè dicatur, aut fiat. *Pla. in Gorgia.*

Vitæ totius principium est singulis primus annus, quem scriptum esse oportet in sacris paternis, velut puero & puellæ initium vitæ, & sit inscriptus in pariete, dealbato in omni tribuum conuentu, vt secundùm annorum numerum magistratus qui secundùm ætatis annos eliguntur numerentur, & qui è vita decedunt deleantur. *idem, de legib. dial. 6.*

Vita hæc peregrinatio est, & moderatè vita transacta æquo animo tantùm non pæana canentes fati necessitatem sequi oportet. *Idem, in Axioco dial. spurio.*

Vitæ miseriam puer circa primum ortum ploret, & à dolore vitam auspicatur, sed semper dolet ob famem, frigus, calorem, & plagam, cùm loqui non potest, sed hanc vnam habet vocem quod eiulatur, qua afflictionem declarat. Cùm multis exhaustis laboribus, ad septennium deuenerit, pædagogi, & alij similes tyrannidem in ipsum exercent. Vbi auxerit, grammatistæ, critici, geometræ, rei militaris doctores, ingens dominorum multitudo: post ad ephebos adscriptus maior iam metus incumbit Lyceum, Academia, & gymnasij principatus, virgæ, & innumera mala: ab his liberatus statim accedunt curæ, solicitudines, quam vitæ viam ingredi oporteat, nam & militares expeditiones, vulnera, & assidua certamina obuersantur: deinde latenter subrepit senectus, in quam quicquid natura fragile, & ægrè curabile habet totum confluit, & si quis non citius velut debitum vitam reddiderit, natura velut fœnerator instans, ab alio visum, ab alio auditum, sæpe vtrumque vsuræ loco exigit, & si quis diutius cunctetur, eum membrorum resolutione infestat, mutilat, & laxat: alij ad multam senectutem proueniūt, & bis pueri senes fiunt, Ideò dij humanarum rerum gnari, quos plurimi faciunt, citius è vita summouent. *idem, ibid.*

Vita est vnio mentis & animæ. *Mer. Trismeg. Pimand. cap. 11.*

Vita ipsa datur vt super omnem vitam vitæ auctor & excelsior vita, siue quomodocunque ineffabilis illa vita humano quodam more laudetur. *Dionys. Areop. de diui. nom.*

Vita non est bonum cuilibet viuenti, praua enim vita claudicat, non aliter quàm oculo non purè videnti, cùm opus proprium non peragat. *Plotinus En. 1. lib. 7. cap. 3.* Vita illis quibus viuere datum est bonum est iudicanda, & similiter intellectus quibus intelligentia conuenit; itaque vbicunque cum intellectu vita viget dupliciter adest bonum. *idem, ibid.* Vita bonum est quibus adest bonum, non ratione copulæ, sed quoniam malum virtute propulsat, mors verò magis bonū. *idem, ibid.* Vita est animæ & corporis copula, mors est horum solutio. *idem, ibi.* Vita omnis est intelligentia quædam, intelligentia prima est vita prima, secunda quoque vita intelligentia secunda, vita quoque vltima vltima intelligentia est. *idem, En. 3. lib. 8. cap. 7.* Vitæ actus qui omnia est, non est ipsum primum, sed ex primo velut fonte profunditur. *idem, ibidem, cap. 9.* Vita in prima sunt omnia viua, & cùm sit prima forma, ob efficaciam sunt omnia viuentia, & ibi distinguuntur. *idem, En. 6. lib. 7. cap. 12.* Vita bona est non simpliciter, sed quoniam vera vita ab ipso bono. *idem, ibidem, cap. 18.*

Vita quæ distrahi non potest, est immortale ipsum. *Proclus element. Theolog. proposi. 105.*

Vita anima omnis & vita est & viuens. *idem, ibidem, proposit. 188.*

Vita integrior est quæ tota simul est vnita secum à seipsa non distans, quam quæ per diuersa temporum momenta porrecta, secundùm actus, & affectus intrinsecos quodam modo à semetipsa distrahitur. *Marsi. Fic. in Plat. Theol. libr. 1. cap. 5.*

Vita est primus existentiæ actus. *idem, ibid. lib. 8. cap. 15.*

Vita est, forma in se perfecta, perficiens corpus, & motionis principium exhibens. *idem, de vita cœlitus compa. libr. 3. cap. 19.* Vitæ proprium est vis quædam ad penetrandum,

vniendum, mouendum corpus valdè mirabilis, quam maximè habet substantia incorporalis. *Idem, in epistolis lib. 2.*

Vita hominum est tragœdia verissima. *Idem. ibid. lib. 5.*

Vita est ad essentiam vt perfectio quædam, & eius bonum, & ita sensus ad vitam, & intellectus ad sensum. Vita non est magis ens quàm essentia, per quam est ipsa, sed melius. *Idem, in Plato. Parmenide, capite 47.* Vita est quidam motus essentiæ. *Idem, ibid.* Vitæ finem rectè vel non rectè quid sit sentire confert multum ad rectè, vel malè viuendum. *Idem, in Plato. Phileb lib. 1. cap. 7.* Vitæ intelligentia, id est cognitio, est prima perfectio: vita enim naturaliter ad intelligentiam proficiscitur. *Idem, in sophist. cap. 30.* Vita est prima essentiæ perfectio, intelligentia secunda perfectio. *idem, ibid.*

Vita sobria sana atque sufficiens est, vita delicata & luxuriosa insana, & indigens plurimorum est *Idem, in Pla. de repub. dia. 2.*

Vita, & sterilitas, & opposita in rebus terrenis per cœlestia mensurantur, sed ea lege vt aliæ species plantarum, vel animalium aliis subiiciantur mensuris, atque ducantur: aliis enim pro suæ naturæ, vel specialis, vel singularis proprietate conuenit vna Saturni reuolutio, vel insuper dimidia, duæ, tres, vel quatuor: aliis vna Iouis, vel plures: similiter Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Lunæ: aliis vel dies vna, vel horæ sunt, & quæ mensurantur conuersione alicuius stellæ circa centrum vna vel pluribus, sed nobis incognitis. *idem, ibid. dial. 8 cap. 1.*

Vita sola beata est, quæ sola mente viuens totus iam est intellectus, nullâ alia ex re pendens quam ex intellectu diuino, ipsoque bono rerum omnium principio, atque fine. *idem, in Plot. En. 1 lib. quarto in argumento.* Vita perfecta est actus essentiæ primæ directus naturaliter in ipsum bonum, atq; ita perfectum. *idem, ibid. cap. 3.* Vitam communi notione describimus primum quendam essentiæ, esseque ipsius exitum in actum eius, atque primum ipsum eius actum, & quasi motum intimum, & perennem, omnium principium motionũ, quo efficitur, vt actus motusque vbique sit vitæ vestigium, ac perfectior motus & actus sit expressius vitæ perfectionis indicium. *idem, ibid.* Vita summa intelligentia est summa, & ipsa mens est efficiens & exemplaris vniuersi causa, cùm mẽtis virtute omnia ad finem vnum dirigantur. *idem, ibid.* Vitæ summus gradus cùm sit ille in quem velut finem motus omnis vniuersi contendit, intellectum ipsum esse summam vitam ex eo conijcimus, quod vniuersus mundi motus in formam intellectualem denique desinit, exordiens generationem à formis elementorum, deinde ad mixtorum formas, subinde plantarum dehinc animalium, denique procedens ad ipsam hominis formam intelligentiæ iam participem. *idem, ibid.* Vita sola intellectus est, reliquæ omnes sunt solum imagines *idem, ibid.* Vita est primus, intimus, perpetuus actus essentiæ; & quatenus actus eiusmodi essentiæ suæ simul totus assignatur, & essentiæ ipsi simul vni semper innititur, æterna vita imò æternitas ipsa vocatur, at quatenus nusquam à suo fonte huiusmodi actus digrediens ad interiora reflectitur, ipsa mens appellatur, quæ sic protinus coniuncta bonũ. vita beata nuncupatur. *idem, ibid lib. 5. cap. 1.*

Vitæ forma vna virtute multiplex in corpore resultat vna ex vna mundi vita, virtute multiplex ea multarum animarum ad spirandam vitam communione. vt ex pluribus vocalibus instrumentis ab imaginatione vna vox vna prodit significatione distincta, & vt ea vno sole lumen vnum per vitra variis infecta coloribus penetrans, non in multa lumina desinit, sed in vnum. *idem, in Plotini En 2. lib. 3. cap 9.* Vita vt est primus intimus perpetuus essentiæ motus, sic est principium cuiuslibet motionis, sic est & naturalis actionis origo. *idem, ibid cap. 13.* Vita est principium motus; quibus autem origo propria vita deest, & motio abest, & actio propria, vbi ergo videntur agere aguntur; sic grauia, leuia, calefacientia & similia trahuntur ad motiones, & actiones ab ipsa mundi vita, non aliter quàm à magnete ferrum, & calor vel humor in animali à vitali virtute trahitur & ducitur. *idem, ibid.*

Vitam immobilem appellat Plotinus omnem intellectualem vitam siue mentis primæ, siue sequentium, vitam verò mobilem communiter animales effectas, siue in discursione rationali, imaginariâque, siue in geniali ministerio positos. *idem, in Plo. En. 3. lib. 2. cap. 4.* Vita quædam vbique infusa rebus, certis omnia rationibus naturaliter fabricans est præter causas corporales. *idem, ibid. cap. 11.* Vita sempiterna vbi semel sempiternum corpus animauit nunquam desinit animare. *idem, ibid. lib. 5. cap. 5.* Vita prima, nihil aliud est quam intimus perpetuúsque vigor, & actus essentiæ, formæq; primæ efficacissimæ omnium ad agendum. *idem, ibid. lib. 9. cap. 2.* Vita & mens prima, quoniam est omnium formarum prima, ideò simplicissima omnium vniformisque maximè, tum quia omnium principium verè est, ideóque est vniformis. *Idem, in Plotini En. 6. libr. 7. cap. 12.*

Vita est recta & beata, quæ secundum motum agitur. *Franciscus Patricius de regno lib. 1. cap. 12.* Vita humana nil aliud est, quàm nefariorum scelerum spectaculum, fortunę sæuę, nisi sit alia ratio, ludibriũ, viuorũ acerba colluctatio, vexatio perennis, iustitiæ, & pietatis violatio. *Aug. Steuc. de peren. phi. lib. 7. cap. 2.*

Vita quo est, & vt actiua, & contemplatiua.

Vita in igne, & spiritu posita est. *Pla. in Timæ.*

Vitæ cognomentum per viuentia cuncta diffunditur, & super viuentia viget. *Dionysius Areopagita de diuinis nominibus.*

Vitâ contemplatiuâ nulla præstantior, ac ratione prædito cõuenientior. *Phi. Iud. de migratione Abrah.*

Vita omnis ad vltimum quiddam respicit commune bonũ quo perficiatur. *Marsilius Fic. in Plato Philebo. lib. 1. cap. 2.* Vita in diuinis prior est quàm splendor, quoniam vita eorũ est tum reflexio tum effusio vitæ. *idem, in Plat. Theolog. lib. 5. cap. 15.* Vita vt lumen in calore naturali consistit. *idem, de vita producenda libr. 2. cap. 2.* Vita si est actus quidam, & vbi magis actus ibi magis est vita, certè contemplationis actus tanquam cæterorum omnium tam dignitate quàm perseuerantia excellentissimus, maxima quædam est, & eminentissima vita, & suauissima. *idem, in epist. lib. 1.* Vita immensa & perennis actus vbi est, ibi absolutissimum est lumen intelligentiæ. *idem, ibid. lib. 2.* Vita beata in summo bono consistit. *idem, in Plato. Phil. bo. lib. 1. cap. 1.* Vita beata hominis consistit in fruitione absoluti boni, & eius summa felicitas *idem, ibid. cap. 6.*

Vita omnium animalium, & plantarum in humore, & calore consistit. *idem, in Plato. conuiuium or. 6. cap. 9.* Vita contemplatiua tantò præstantior est actiua, quantò oculus præstat manibus, caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis iis quæ ad finem diriguntur, status motui, æternitas tempori. *idem, in Plat. dial. 1. de rep.* Vitæ actiuæ multæ sunt procellæ, contemplatiuæ vitæ tranquillitas. *idem, ibidem dial. 6.* Vitæ thesaurum in ossium fistulis quasi munitissimo quodam receptaculo seruari, antiquum secretum est, id est medullam, quæ partim constat ex primo semine, quasi fermento, partim ea purissima quotidianorum ciborum parte, quæ sit semini primo simillima, hinc & gutta quædam stillat ad fermentum seminis testiculos petitura: & quando nutrimenta longè desunt, hinc ros quidam exudat ad membra principalia recreanda. *idem, in Pla. Tim. cap. 98.*

Vita in ipso rerum ordine ad cognitionem annititur, quatenus quod viuit in se formas generat, qua in re cognoscentem imitatur naturam, quæ in se formas concipit cognoscendo: hinc patet vitam esse essentiæ perfectionem, cognitionem verò vitæ perfectionem. *idem, in Plotini En. 1. lib. 4. cap. 3.* Vita sensualis conflata est ex proprietate indiuidua & diuidua: dicitur diuidua, quæ singulis partibus eius se accommodat: dicitur etiam indiuidua, quia singulis adest tota. *idem, in Plot. En. 4. lib. 3. cap 19.* Vita omnis non ab animato, sed ab anima pendet tanquam proprius actus, & regitur etiamsi omne defuerit foris substentaculum. *idem, ibid lib 5. cap. 6.*

Vita vniuersalis, vt à Sole diffunditur, absque vel ipsius vitę resolutione, vel rarefactione, vel mixtione, sic inde lumen diffunditur ex omnium vita, omniúmque fit viuificum; & hic est mirificus ordo in ipso visualium genere, vt à multitudine redigantur in vnum, à quo, & ante processerant: est & mirabilis copia ipsius visibilis, vt eius virtute omnia videantur: & est singulis efficacia visus, vt per vnũ innumerabilia sentiat & cæteri sensus & cętera visibilia in virtute primi visus & primi visibilis contineantur. *idem, in Priscia. in Theophrastum. cap. 22.*

Vita vna in illis hominibus solùm est, qui opere vno ad vnum finem tanquam eodem calle, ad eundem itineris terminum gradiuntur *idem, in Alc. in Speusippi opuscula præfatione.*

Vita tuta contemplans veritatem pro fine habet. *Iacobus Carpenta. in Alcinoi defensionem.*

Vita vt se habet ad corpus & animam.

Vita in corpore ex se est malum, sed anima per virtutem in bono constituitur, non vt seruat, viuificátque compositum, sed iam seipsam à corporis commercio segregat. *Plo. En. 2. lib. 7. cap 3.*

Vita siue sensu esse nequit. *Chalc. in Tim. Pla.*

Vitia intenduntur & remittuntur, est enim alius alio impudentior, & iniustior; nec tamen se vitia cuncta sequuntur, sunt enim contraria quædam quæ in idem congredi nequeunt; nec quisquam inueniri potest omnium viciorum maculis inquinatus, vt nec corpus cunctis morborum corruptionibus simul afflictum. *Alc. cap. 1957.*

Vita corporalis nil aliud est, quàm actus cõtinuus animæ trãsfusus in huius corporis complexionem, ab anima non recedens. *Mar. Fic. in Platon. Theologia. lib. 12. cap. 4.*

Vita corporalis est animæ rationalis simulachrum *idem, ibidem.*

Vitæ

Vitæ desiderium est naturalius quàm scientiæ, quia vita est prior, interior, & magis continua, & substantialis quàm scientia. *Idem, ibid. lib. 14. cap. 5.* Vita humana inter diuinam, & ferinam media est. *Idem, ibid. lib. 16 cap. 5.* Vita cuius non probatur, illius oratio reprobatur. *idem, in epistolis, libro primo.* Vitæ diuturnæ maximè conferunt nutrimenta salubria, quæ bonum afferunt nutrimentum, id est bonum sanguinem, quæ euchima vocantur. *idem, de vita producenda. lib. 2. cap. 5.* Vitæ voluptuosæ dæmones aqueos, actiuæ aereos contemplatiuæ igneos dominari, existimarunt antiqui. *idem, in Plat. Apolog.* Vitæ laboriosæ oblectamenta quædam honesta sunt adhibenda. *idem, in Plat. de leg. dial. 2.* Vita honesta, & iusta, etsi interdum laboriosa videtur, nunquam tamen id pueris dicendum est, imò iustissimam vitam fore omnium iucundissimã. *idem, ibid.* Vita corpori iam viuenti permixta, non tam vita quàm viuificatio quædam est in eo per modum passionis accepta, at per modum actionis ad vitam pertinet separabilem, vt formæ quælibet in materia formatio quædam est, passióque materiæ ex efficacia quadam formæ separatæ actione dependens; & lumen in actu potius illuminatio est, quàm lumen. *idem, in Plot. En. 1. lib. 1. cap. 4.* Vitam quandam esse inhærentem corpori nemo dubitat, præesse verò alteram huic subsistentem ratio probat, vitam asserens in alio iacentem, velut imperfectam à perfecta vita pendere; sic & intellectum in anima situm ab intellectu ab ipso bono in se consistente manare. *idem, ibid. cap. 7.* Vita siue anima corpori mancipata producitur, seruatúrque à vita, id est anima semper in se manente, eique contigua permanet, atque velut Solis radius inde suo Soli continuatur, & hinc contingit subiectum, & format. *Idem, ibidem.*

Vita corporea hominibus datur à stellis, ea qua perturbationes exoriuntur: sic ab intellectu diuino intellectualis animus procreatur huius vitæ rector, qui sicut dum nimium vitam hanc amat in hoc mundo, seipsum vnà cum hac perdit in fato, sic eandem quamminimè amãdo interim super fatum in æternitatem se recipit. *in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 9.* Vitam corpori dedicatam, quam sępe Plotinus animam secundam nominat, inseparabilem esse vult à corpore, id est inseparabiliter agere, id est singula simul cum hoc corpore dum est in eo, sed posse tandem vnà cum superiori anima hinc abire, nam & ab ea pendẽt, vt actus assiduus, quamuis hic actus per actum animæ mundanæ corpori coniungatur, vt radius actualis per radij solaris actum se insinuet; & vt neuter radius euanescit apud Plotinum, sed vterque in fontem proprium replicatur, ita & actus vitalis vterque, tum communis ab anima mundi, tum proprius à nostra redit in suum. *idem, ibidem. lib. 9. cap. 16.* Vita cùm non sit in anima forma aduentitia, ideò viuere est esse animæ. *idem, in Plotin. En. 3. lib. 2. c. 1.* Vita nostra non pendet ex astris. *Marcus Anton. Natta de pulchro, lib. 5.*

Vita vt melior, longa breuis.

Vita beata contingit hominibus si sapiunt. *Plat. in Phil.* Vita in hominis duo præclara sunt, virum prudẽtem omnia nosse, & seipsum non latere. *idem, ibid.* Vitæ salus in recta voluptatis, & mœroris electione consistit. *idem, in Prot.*

Vitam omnem absque dolore transigere iucundissimum est. *idem, in Philebo.*

Vita recta ita instituenda est, vt disciplinas colat deinde corporis habitum, vt temperatus ex robore, & pulchritudine fiat: & semper corporis harmoniam animæ concinnitatis gratia adaptabit, & ad pecuniam, & ad honores moderatus erit. *idem, de republic. dial. 9.* Vitam bonam cognoscere vnusquisque debet, & quærere aliquem, qui ipsum doceat & scientem efficiat, vt bonam & malam vitam cognoscere queat, & meliorem eligat: & melior est, quæ animam ducat vbi iustior, deterior vbi iniustior. & diuitias, potentias, principatus, robur, & reliqua valere sinat. *idem, ibid. dial. 10.*

Vitam sanctam & iustam qui viuere vult, non debet separare iocundum & iustum, bonum, & honestum. *Idem, de legibus dial. 2.* Vita iniusta non solùm turpior & nequior est, sed etiam iniucundior vita iusti & sancti. *idem, ibid.* Vitam honestissimam laudare oportet. *idem, ibid. dial. 5.* Vita temperata est per omnia mansueta, dolores & voluptates quietas, molles item cupiditates, & amores nõ insanos inducens: intemperata verò per omnia acuta, vehementes dolores, & voluptates concitans, & insanas cupiditates, & amores exhibens: ita tamen vt in temperata vita voluptates excedant dolores, contra in temperata dolores voluptates excedunt, magnitudine, multitudine, & frequentia. *idem, ibid.*

Vitam nostram præcipuè Sol, & Luna moderantur. *Macrobius in somnium Scip. lib. 1.*

Vita perfecta veráque in illa intellectuali natura viget, in aliis verò vitæ imperfectæ, & vitæ imaginès, & non magis vitæ quàm non vitæ sunt, & omnia viuentia ex vno principio viuunt, neque alia æquè viuunt; necessarióque sequitur ipsum viuendi principium primam vitam perfectionémque esse. *Plot. En. 1. lib. 4. cap. 3.* Vita hominis non aliud censenda est quàm vitalis quidam discursus ex anima, corpore, fortunáque permixtus; quarum rerum permistio rectè rationi respondeat, & earum vnaquæque ad summum sui roboris gradum ascendat: mutuus ipsarum complexus felicitatis nomen meretur, quod fit cum imperium animus instar ducis exercet, obsequitur corpus militis more, cooperatur fortuna, vt instrumentum. *Max. Tyrius serm. 24.*

Vita illa probanda quæ degustauerit malum, modò id tantùm dalibaris virtute instructa. *idem serm. 35.*

Vitam hominibus dij occultauerunt: nam maxima sine labore consequi proprium est diuinitatis bonum; apud nos verò non solum virtutes, sed etiam cætera præclara sudore quæruntur. *Syn. de somn.*

Vita in præsenti oritur virtus & vitium; cum virtute oritur præmium, cum vitio pœna; in futura vita consumitur virtus & vitium, illic enim præmium & pœna impletur. *Marsilius Ficinus in Platonica Theologia lib. 18. cap. 10.* Vita nostrò si ad voluntatem conferatur, quam breuissimum est; si ad ætatem mundi, pũctum; si ad æternitatem Dei, etiam puncto minus. *idem, in epist. lib. 10.* Vita per se nulli sufficit nisi gratia boni, ergo bonum vitã præstantius est. *idem, in Dion. Areop. de trinit.* Vita vt ante se essentiam postulat, sic cognitio vitam, non enim cognoscit nisi viuat. *idem, in Dion. Areop. de diuin. nom.*

Vitam secundùm virtutem cum agimus, facilius, & minori cũ labore viuimus. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 18.* Vitam nostram Plato itineri comparat, in quo dirigendo ratio aurigæ refert vicem, affectus partim superiores, partim inferiores, geminos equos referunt, album & nigrum. *idem, in Plat. Lathe.* Vita sola illa eligenda est quam Deus, id est ratio diuinitus infusa producit. *idem, in Plat. Critonem.*

Vitæ quotidianę sortes talorum iactibus comparantur, quas emẽdare oportet, vt iactus talorum artificio quodam emendari videntur. *idem, in Plat de rep. dial. 10.*

Vita in nobis vbique mentis splendor vltimus est, & summo mens est vitæ gradus supremus. *Idem, in Plot. En. 1 lib. 1. cap. 12.* Vitam nunquam perire existimauit Numenius & Plotinus, quia vita sit quædam æternitatis, id est primæ intelligentiæ splendor, & indissolubile vinculum vniuersi. *idem, ibidem.* Vitæ nostræ forma & sors peragitur, vel completur quodammodo à tota dispositione mundana, quæ vndique concurrit, tum quando animam corpus affectat, & eligit, tum quando corpus ingreditur. *idem, in Plot. En. 2. lib. 3. cap. 15.*

Vitæ nostræ dispositio non talis duntaxat est, qualem sola cœlestia fortè decernunt, sed qualem potius inferioris materiæ præparatio, & locus, & natura parentum, imaginatióque & cætera quæ circunstant vnà cum cœlestibus coniuncta conficiunt. *idem, ibid.* Vitæ nostræ sors non à fato, sed ab affectione, & electione animæ exorditur, pérque acceptum dæmonum quodammodo expeditur. *idem, ibid.*

Vita Christiani non in disputando, & ostentando disciplinam, sed in humilitate & pietate perficitur. *Ioan. Franc. Pic. Mir. de stud philoso. lib. 1. cap. 8.* Vita authorum plurimum valet ad eorum dictis adhibendam fidem, nam credendum est magis probis viris veritatem illucescere quàm reprobis. *idem, ibid. lib. 2 cap. 3.* Vita animalium non modò brutorum, & eorum actiones, sed ipsius hominis etiam plurimum pendet. *idem, de imagina. cap 5.*

Vita hominum quid aliud est quàm somnium manifestum, per quam animus demersus in corpus præ nimia satietate, ac crapula vix rerum somniat substantias? *Gabr. Barat. de remio lib. 4.* Vita felici breuis est, longa misero. *idem, de temp. lib. 8.*

Vitæ quælibet mutatio periculosa, sed illum cui rerum necessariarum nihil deest, & qui querelæ neutiquam obnoxius habetur, nihil aliud nisi amentia à consuetis studiis trãsfert, vt certa pro incertis relinquat, Numæ Pompilij responsum cum regnum aspernabatur. *Franc. Patr. de regno, lib. 1. cap. 7.*

Vitæ totius exercitationis præcepta non possunt simul tradi, quum singulæ quæque ætates diuerso studio teneantur. *idem, ibidem. lib. 3. cap. 1.* Vitam philosophorum inter omnes perfectissimam docet Plato. *Iac Carp. in Alci. par. post. c. 20.*

Vita vt se habet ad mortem & ad futuram gloriam.

Vita & mors sunt contraria. *Plat. in Phædo.* Vita cum laudatione, & bonorum verborum pronunciatione finienda est. *idem, ibid.* Vitam iustè transigere in magna potestate iniusta faciendi constitutum difficile est, & multã laude dignum

pauci enim sunt tales. *Idem, in Gorgia.*

Vitæ duce hoc sermone vtemur qui nobis comparet, vt iustitiam, & reliquam virtutem exercentes & viuamus, & moriamur. *Idem, ibid.*

Vitam qui piè degerit, eum dulcis & cor exhilarans, ac senectutis nutrix spes comitatur, quæ maximè versatilem mortalium mentem gubernat. *Idem, de republica dialogo primo.*

Vitæ futuræ spe allectus homo probus quietem agit, & quæ sua sunt facit & vt in tempestate dum puluis & turbo à vento fertur, sub murum secedens, & alios iniquitate repleri spectans, bene secum agi putat, si ipse ab iniustitia, & impiis factis purus, & præsentem vitam dugat, & discessum ex ipsa cum pulchra spe placidus, & hilaris faciat. *Idem, ibidem, dial. 2.*

Vita æterna laudibus celebranda est, ex qua ipsa vita, & omnis vita, & sub qua per omnia viuentia viuere pro modo cuiusque diffunditur ab ipsa angelorum vita, per quam immortales, & quo immortales dicuntur, quia ex se non habent, vt sint immortales, sed ex causa illa vitafica vniuersam vitam efficiente, & continente: & diuina vita est causa ipsius vitæ ex qua immortalitatem habent animæ. Ex illa animalia omnia viuunt, ex illa plantæ per extremum vitæ fastigiũ viuunt, illius vitæ munere forte sublato iuxta diuinum eloquium deficit omnis vita, sed quæ participando ipsius infirmitate iam defecerant, illuc conuersa iterum reuiuiscunt. *Dionysius Areopagita de diuinitatis nominibus.*

Vitam primam qui intuetur, supra quam æstimari possit hac ipsa gaudebit, omnem aliam aspernatus, inferiores enim vitæ tenebræ sunt. *Plo. En. 6 lib. septimo ap. decimoquinto.*

Vitam si quis ægrè ferat, non veram vitam ægrè fert sed eam quæ morti miscetur respuere iudicatur. *Idem, ibid. cap. 29.*

Vitam æternam continet sanctimonia abstinens mortalibus, corpus autem pinguefactum cogit animam esurire, à felici vita cadentem, auget mortale, expelleos & impediens vitam æternam contaminat animam, corpoream eam reddens & ad id quod est diuersum deflectens. *Porph. de fobrio.*

Vitæ omnes sunt in errore, cùm primùm post discessum non fit sobitò reditus. *Syn. de somn.*

Vita otio vrbano & negotio conteritur, & frequenti rusticatione plurimum augetur, sicut rus vitæ alimenta necessaria suppeditat vrbi, & vrbs illa consumit. *Marsi. Ficin. de vita cælitus comparanda, libro 3. cap. 23.*

Vitæ finis in primis noscendus est, vt ad eum actiones omnes dirigere valeamus. *Idem, lib. 1. cap 5.*

Vitalem facultatem & pro loci, & pro dignitatis conditione medium inter summas, ac infimas corporis nostri partes locum obtinere patet. *Leo Hebræ. de Amo. dialog. 2.*

Vitium est morbus quidam, & turpitudo, & debilitas habitus animæ. *Plat. de repub. dial. 4.*

Vitij principia sunt voluptates & dolores, cupiditates & timores ex corpore accensæ, sed animæ immixtæ, quæ variis nominibus proferuntur: nam & amores, & iucunditates, & desideria exoluta, & iræ concitatæ, & indignationes graues, & cupiditates variæ, & voluptates immoderatæ suot: insumma verò absurdè se habere ad affectiones, & sub harum dominio esse virtutis ac vitij finis est, nam in bis multum esse, aut superiorem esse, bene aut malè nos afficit, as ad bos impetus multum auxilij afferunt corporis temperamenta quæ acida, aut calida, aut aliàs alia sunt ad biles atras, & frequentissimas libidines nos ducunt: fluxionibus etiam infestatæ partes morsus acres inducunt, & formas inflammatorum magis quàm sanorum corporum, per quas tristitiæ, & obliuiones, & desipientiæ, & pauores efficiuntur: multum enim possunt consuetudines, in quibus in ciuitate, & domi educantur, & quotidianus victus animam frangens, aut ad fortitudinem corroborans: nam & sub dio versari, & simplicia alimenta, & gymnasia, & mores eorum cum quibus versamur maximam ad virtutem & vitium vim habent: & hæ quidem causæ à parentibus, & elementis magis inducuntur, quam ex nobis nisi segnities est discedentibus nobis à conuenientibus operibus. *Timæus locrus de anima mundi & natura.*

Vitia intenduntur & remittuntur, est enim alius alio impudentior & iniustior, nec tamen se vitia cuncta sequuntur, sunt enim contraria quædam quę in idem congredi nequeant nec quisquam inueniri potest omnium vitiorum maculis inquinatus, vt nec corpus cunctis morborum corruptionibus simul afflictum. *Alc. cap. 29.*

Vitium cognoscimus, non quando illud integrum videmus, est enim infinitum, sed cùm partem videmus reliquam suspicamur. *Plotin. En. 1. prima libro octauo capitulo nono.*

Vitium inuoluntaria res est à voluptate penitus pertractata. *Maximus Tyrius sermo 17.*

Vitiũ partim in habitu, partim in motu est; quod mouetur tam ad effectum vergit, ideò peius est eo quod in habitu tantum est. *Philo Iud. in lega allegoriam, lib. 2.* Vitia inter nos ipsos sunt, bona verò solùm apud Deum. *Idem, de profugis.*

Vitium est supplicium nascens. *Marsi. Fic. in Platonica Theolog. lib. 18 c. 10.* Vitiis ciuilis societas non modò minuitur, sed etiam funditus labefactatur, & virtute conseruatur & augetur. *Franc. Patric. de repub. lib. 6. c. 5.*

Vituperationes, & laudes sunt viri vnius sapientis, & non multorum insipientium. *Plat. in Crit.* Vituperare vel laudare cùm vis aliquem, multâ prouidentiâ vtendum est, ne quid non rectè dicas. *Idem, in Men.* Vituperare vel laudare qui aggrediuntur statim vt prolatum est studium aliquod in disputationem, videntur non rectè facere. *Idem, dial. 1. de legib.* Vituperare res incurabiles, & in peccato procul progressas, nequaquam iucundum est, sed aliquando necessarium est. *Idem, ibid. dial. 2.*

Vituperari grauiter & supra modum præstat, quàm ieiunè & exiguè laudari. *Bess. Cardin. in calumniatorem Plat. lib. 5. c. 3.*

Vituperatio est clarissimarum rerum extenuatio. *Francisc. Patricius de reg. lib. 9. c. 19.*

Viuere bene amplectendum est, non viuere. *Pla. in Crito.* Viuendum si non est nobis corpore corrupto, multò minus anima ab iniustitia corrupta. *Idem, ibid.* Viuens omne fit ex mortuo. *Idem, in Phædone.* Viuit pessimè, qui iniustitiam habet, & ab ea non liberatur. *Idem, in Gorgia.* Vt viuamus lõgissimo tempore non elaborare nos oportet. *Idem, ibidem.* Viuendum optimè considerandum est, non autem viuendõ. *Idem, ibid.* Viuere honestè cùm non liceat, potius eligendum est honestè mori. *Idem, in Menexeno.* Viuendum non est ei qui suos pudore afficit, & tali nec homo quisquam, nec Deus amicus est, nec viuenti, nec mortuo. *Idem, ibid.* Viuere fœliciter qui vult hoc habere debet, vt neq; ipse alios iniuria afficiat, nec ab aliis iniuria afficiatur: horum alterum non admodum difficile est, verum vt quis iniuria non afficiatur admodum difficile est, & nõ potest aliter hoc ipsum quis perfectè habere nisi perfectè bonus fiat, quod & ciuitati adesse necesse est. *Idem, de legib. dial. 8.*

Viuens omne ex mente profluit, & omne viuens per mentem permanet immortale, & maximè omnium immortalia est homo qui Deum capit, qui diuinæ conformator essentiæ: huic soli ex omni viuentium genere Deus ipse congreditur nocte per somnia, die per portenta, per aues, per intestina, per spiritum, per Sibyllam; propter quæ verè dicitur homo scire quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. *Merc. Trism. Pim. c. 12.*

Viuere bene est opus rationis vel intellectus. *Plot. En. 1. lib. 4. c. 2.* Viuere æquiuocè dicitur de planta, de bruto, & plenitudine, atque exiguitate; differentiam habet, certè proportione quadam analogica tam bene viuere, quàm viuere de iis omnibus dicitur. *Idem, ibid. cap. 3.* Viuere quod nunc dicitur sine Deo, vestigium vitæ est supernam imitans vitam, illic enim viuere est mentis actus, actus quoque deos generat, dum attingit Deum tactu quodam occulto atque tranquillo: generat autem pulchritudinem, iustitiam & ipsam virtutem. *Idem, En. 6. lib. 9. c. 9.*

Viuere est medium inter esse & intelligere. *Mar. Fic. in Plato. Phileb. lib. 1. c. 21.* Viuere bene, non viuere est exoptandum. *Idem, in Plat. Crit.*

Viuere multis modis capitur, primò pro ipso primo actu: secundò pro operatione quæ emergit ab ipsa anima per potentias: tertiò pro modo & ratione viuendi. *Gab. Burat. de homi. felic. lib 6.* Viuentium quatuor sunt genera, plantæ, bruta, homines, corpora cœlestia. *Idem, de mundo, lib. 7.*

Viuentia omnia fiunt vel fiunt secundùm vniuersi totam rationem, & quæ in cœlo sunt omnia & quæcunque per totum distribuuntur, nec pars vlla tantam ingenita potentiam habet, vel ad rationes mundi seminarias ex suo ordine deturbandas, vel ad res, quæ secundùm eiusmodi rationes proficiscuntur, è sua specie permutandas, & quamuis mutationem quandam tum in melius, tum in peius possit afferre, non tamen à natura propria potest extrudere, facit verò deterius vel secundùm corpus debilitatem inferens, vel secundùm animam, quatenus ex accidenti quodam prauitatis causa fit in anima illa compatiente, & à superiori tradita inferiori, vel quando corpore malè composito impedimẽtum affertur ad actionem animæ per corpus explendam, vt si lyra non ita composita temperatáque sit, vt queat perfectam suscipere harmoniam ad musicos tonos perficiendos. *Plot. En. 2 lib 3. cap 13.*

Viuere imprudenter, intemperanter, impiè, non tam est viuere, vt ait Democritus, quàm diu mori. *Porphyrius de sobrietate.*

Viuimus

Viuimus prius anima quàm corpore, sed vita corporis in anima locata est. *Chalci. in Tim. Pla.*

Viuificans omne in diuinis generibus causa gignitiua est: non omnis autem fœcundus ordo viuificans est. *Proclus ele. Theol. propo. 155.*

Viuere & esse idem est, esse habet ex se anima, ergo & vitam. *Idem, ibid. prop. 189.*

Viuendi bene causa efficiens sola est cum Deo solo familiaritas. *Phi. Iud. de profug.*

Viuere vnum diem cum virtute potius est quàm mille annos in vmbra mortis, id est in vita mala. *Idem, de eo qui rerum diuin. sit hæres.*

Viuere ea in terra dicimus, quæ sua quadam interiori virtute per omnem partem mouentur sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum. Vbi ergo est motus intimus ibi vita, at in anima est intimi motus fons. *Mar. Fic. in Plat. Theologia, lib. 3. cap. 2.*

Viuentes in omni ætate lautissimâ quadam curiositate, sæpe minus tuti viuunt. *Idem, de vita producenda lib. 2. cap. 4.*

Viuendum est hodie, qui cras viuit nunquam viuit, qui hodie viuere vult Deo viuat, in quo heri & cras nil aliud sunt quàm hodie. *Idem, in epistolis libro primo.*

Viuere bene est verum intelligere, consultare bene, velle bonum, agere bona; primum sapientiæ est, secundum prudentiæ, tertium iustitiæ, quartum perseuerantiæ: primum à Deo est, secundum à primo, tertium à Deo & homine, quartum à tertio: qui ita viuunt, viuunt homines, qui aliter animalia viuunt. *Idem, ibid.*

Viuendi ratio optima est, vt cogites, & coneris, quam maximè potes secundum mentem viuere. *Idem, ibid.*

Viuere beatè nil aliud est quàm veritate gaudere. *Idem, ibid. lib. 3.*

Viuit tranquillè & certè solus ille, qui non extra se in rebus mortalibus, sed intra se ipsum æternis vitam agit. *Idem, ibid.*

Viuere est actus in viuo per vitam. *Idem, in Plat. Parm. cap. 45.*

Viuere in essentia prima est intus agere, intelligere agere est in se ipsam, suique notitia in se reflecti, qui sanè actus nullo modo vergit ad corpus; meritò eo vsque naturam intellectualem extendi putamus, quousque cognitio sui, & quædam à materia segregatio. *Idem, in Plotini En. 1. libro quarto. capitulo 9.*

Viuere imprudenter, intemperanter, impiè, non tam male viuere est, quam diu mori, vt ait Democritus. *Idem, in Plot. En. 2. lib. 7. cap. 3.*

Viuentibus omnibus principium motus inest, ad motiones inter se differentes indifferens, aut ad certam motus conditionem determinatur ab alio, aut potius ex seipso: ab alio plantæ scilicet ab vniuersa natura, & à quotidiana quadam indigentia, opportunitate, occasione, concursu circunstantium causarum, ab alio rursus bruta ab eorum occursu quæ sentiuntur, dum imaginationem huc illuc impellunt, necessitate naturæ præterea seruientem. Animal verò rationale intuitum motionis suæ principium sæpe ad cæteros motus sua quadam per se concepta notione & electione definit, & quo magis accedit intelligentiæ, eo magis in agentium ordine computetur, & à patientibus segregatur: & vtraque animalia & ratione carentia, & ratione prædita ad decus mundi tanquam ipsius quædam partes conducunt. *Idem, ibi. lib. 3. cap. 13.*

Viuit quicquid est in mundo, vel vita propria, vel communi non minus, quàm quicquid est in quolibet animali, principaliter quodam mundanæ animæ beneficio. in cuius semina ria ratione rationes omnes viuentium continentur, & vbique ratio seminalis in anima vigens tum in anima communi tum in propria quauis principium est motionis, & generationis, & formationis principium. *Idem, ibid.*

Viuendi & intelligendi munera ex ipso bono velut principio communissimo, ac fine, ex ipsa verò essentia prima profluunt, vt radice propria & quadam potestate formali. *Idem, in Plotini En. tertia. libro sexto. cap. 2.* Viuentium proprium est agere in se, mouerique ex intimis. *Idem, in Plotini En. 4. lib. 4. cap. 8.*

Viuendi optimè cupidos maximè prodest cogitare iustitiam, & præmium ingens in cœlo esse consequuturos. *Idem, in Plat. de repub. dial. 10.*

Viuendi genera tria sunt, ciuile, contemplatiuum, religiosum. *Io. Pic. Mirand. in epistolis.*

Viuendum tamdiu est, quandiu commoda vitæ plura sunt quàm incommoda. *Franc. Patricius de republica libro quinto. capitulo 7.*

Viuentes hymnis honorare non est tutum, expectandus enim est finis. *Iacob. Carp. in Alcinoi parte post. cap. 20.*

Vltimum in elementis est terra, in corporibus materia prima, in rebus intellectualibus anima nostra, in rebus omnibus esse. *Dion. Areop. de diu. no.*

Vmbræ ita se habent ad corpora, vt Mathematicæ ad diuina. *Marsil. Fic. in Plat. That.*

Vmbræ quasi naturam aliquam habent ad res attinentem, per quam mutua quædam fieri possit compassio. Proclus ait solere magos miris modis afficere rerum imagines & vmbras, hisque affectis res ipsas afficere. *Idem, in Plato. sophista capitulo 63.*

Vmbræ non solum sunt radiales & spiritales imagines quæ duntaxat resultant ex lumine, sed vt lucretius ait quæ sublato lumine procedunt secúmque materiam corporum trahunt & naturam *Fic. in Pla. soph. cap. 36.*

Vngues iuxta sacrificium ne inciderent præcepit Pythagoras, quia inter sacra non leuia, sed grauia tractanda sunt. *Fic. in epi. lib. 5.*

In Vnione diuina siue natura illa essentiam superante commune est vnicæ, principalique trinitati existentiæ essentiam superans, deitas diuinitate superior, bonitas bonitate præstantior, ideotitas ipsa totius proprietatis omnia separantis, omnia superans, vnitas principio eminentior ineffabile, vicissimque multis actibus prædicabile; ignoratio notitiâ, ac vicissim per omnia intelligibile, omnium positio, omnium negatio, excellentia quoque omnem positionem, ablationémque excedens: personarum præterea ratione principij dominantium si dicere licet mansio in se inuicem, & sedes, integrè supra modum lumina lampadum, vt sensibilibus propriisque vtamur exemplis, in domo vna cùm sint, & tota in totis mutuò sunt, etsi certa interim & exacta à se inuicem discretione propria secernuntur, discretione quidem coniuncta, & vicissim vnione inter se discreta. *Dionysius Areop. de diuin. nominib.*

Vnione ab omni nihil prorsus decidit, nam quod penitus instabile, & infinitum, & nulla sede firmum indefinitúmque fingitur, nec per se quicquam est, nec existit in aliquo. *Idem, ibidem.*

Vnio tandem fit à summa vnitate. *Marsilius Ficinus in Plato. Parmenide, capitulo 48.*

Vniones quibus beati, vel angeli, vel animi Deo iunguntur appellant vel ἐπιβολὰς vel προσβολὰς primam iactas, ictus, aspectus, intuitus, secundum perceptiones, acceptiones, susceptiones. quæ distinctio ex hoc originem ducit, quod Platonici visum fieri putant per extra missionem radiorum, Peripatetici contra imagines à re videnda suscipientes: at beatus non Deum accipit, sed beatum sibi Deus assumit. *Idem, in Dionysij Areop. de diui. nomini.*

Vnita sunt in causa efficiente, quæ in materia sunt distincta, nam in illa sine separatione est distinctio, & sine confusione vnio. *Idem, in Plato. Philebo libro primo. cap. 17.*

Vnionis prima causa Deus est, cuius vi mens & anima in vnum omnia vinciunt: mens, vt mens est, formas duntaxat producit: anima vt anima formarum motum; vnionem verò dant vt primi vnius veritate participant. *Idem, ibidem. lib. 2. cap. 4.*

Vnitas omnis post vnum verum est acquisita, & causata, verumtamen vnum verum primum est causam vnitatis faciens acquirere, non acquisitum. *Aristoteles de causis. capitulo tertio, propositione trigesimaprima.*

Vnitas vnitatis omnis viuifica, superessentialis essentia, intellectus non intelligibilis, ineloquibile verbum, verbi & intelligentiæ, nominisque vacatio, hæc sanè iuxta nullum existentium est causa omnibus, vt finis, ipsa verè non est, tanquam omni essentia superior. *Dionysius Areop. de diuinis nomi.*

Vnitas intellectu est superior. & omnes supereminet intellectus, & ipsum vnum cogitatione præstantius nullis cogitationibus excogitari potest. *Idem, ibid.*

Vnitates diuinas appellant Theologi excellentes quasdam ineffabiles & supra modum incognitæ singularitatis, stabilitatis veræ firmitates, secretas penitus, nusquam verò prodeuntes *Idem, ibid.*

Vnitas principij habens rationem progignit propriâ sibi multitudinem *Proclus element. Theol. propositione 21.*

Vnitas omnis principalis duplicem producit numerum, alterum quidem per se perfectarum substãtiarum alterum verò illuminationum in aliis substantiam habentium. *Idem, ibidem, prop. 64.*

Vnitiones quæ ab vno illustrant entia, aliæ semper participantur aliæ aliquando: & eodem modo intellectuales participationes duplices, & animarum animationes, & aliarum formarum similiter. *Idem, ibid.*

Vnitates per se perfectæ ab vno prouenerunt. *Idem, ibid.*

Vnitas omnis simul cum vno statuit ens illius participe ens; *Idem, ibid. prop. 137.*

Vnitatum omnis multitudo participatarum ab aliquo sensibili corpore, mundana est. *idem, ibid. prop. 165.* Vnitatum multitudo omnis illustrans enter ens, arcana, & intelligibilis est: arcana quidem, vt vni coniuncta: intelligibilis autem, vt ab ente participata. *idem, ibid. prop. 162.* Vnitatum multitudo omnis participata ab imparticipabili mente intellectualis est. *idē, ibid. prop. 163.* Vnitatū omnis multitudo participata ab imparticipabili anima supermundana est *ibid. prop. 164.*

Vnitas alia numerorum est genitrix, alia materia numeris substracta. *idem, in Eucl. lib. 2. cap. 11.* Vnitates duæ in Deo, vna circa circulare agens intelligentiámque essentiarum effectrix, alia iuxta rectum, sensibilisque ortum præbens. *idem, ibid.* Vnitate perditâ deperditur essentia, ergo vnitas conseruat essentiam, & eandem conficit, & esse. *Fic. in Plot. en. 6. lib. 9. c. 1.*

Vnitatis excellentiam declarant Peripatetici: nam docent formæ & vnitatis eandem esse naturam, quoniam quo quidque ens est, eodem fit & vnum; ideò cùm ex forma fit ens, eadémque vnum, meritò formæ, & vnitatis naturam eandem esse, sed rationem diuersam: nam formę proprietas est per potentiam formabilem se diffundere, vnitatis verò proprietas simpliciter in se consistere, & interim cætera vnire, & intus, & extra: constat vnitatis rationem non solùm esse à forma, ideóque ab essentia differentem, sed simpliciorem etiam, & priorem, & magis ad celsitudinem principij pertinentem. *Fic. in Plotin. En. 6. lib. 9. cap. 2.*

Vnitatem, & multitudinem ad ens ipsum quasi conditiones quasdam eius sequi non recipiunt Platonici, quod Peripatetici ponunt, sed potius præcedere, quatenus ex ipso simpliciter vno ad ens & cuncta deriuantur, latiúsque vnum prædicari quàm ens, siquidem priuationes, vt habitus similiter dicuntur vnum. *Fic. in Parm. c. 57.*

Vnitas, veritas, bonitas, vnum sunt, & hæc tria sunt super angelum: super vnitatem verò nil aliud est, nec super veritatem, nec super bonitatem. *Pic. Plato. Theolog. lib. 2. cap. 1.* Vnitas in se habet infinitam potestatem, vt dispersio infinitam imbecillitatem. *idem, ibid. c. 4.* Vnitas est status fundamentum, id enim stare in quauis natura dicitur, quod vnum in ea conditione habitum ita possidet, vt ab eius naturæ vnitate non discedat. *idem, ibid. lib. 3. c. 1.*

Vnitas quædam est in tota rerum essentia, essentiæ fundamentum, & cuiuslibet conseruatio, procedens ab vnitate diuina, super essentiam in se manente, & ita omnia implente, quatenus præsentia sua ex se procreat vnitatem quandam in qualibet re creanda, superessentialem cuiuslibet essentiæ productricem, & conseruatricem: & cùm hæc vnitas præstantior est essentiâ, conijcimus hanc vbicunque est præsentia vnitatis diuinæ, fieri, atque conseruari. *Fic. in Plot. Enn. 3. lib. 9. c. 8.*

Vnitas antecedit & motum & statum & actum intelligentiæ, qui motus est quidam à potentia intelligendi ad verum intelligibile tanquam bonum. *Fic in Plo. En. 3. lib. 9. c. 4.* Vnitas principium numerorum non est numerus. *idem, in Plotin. En. 5. lib. 2. c. 1.* Vnitati ipsi nō negat Plotinus inesse omnia, sed esse ibi distincta scilicet rationibus absolutis, vnde rationibus relatiuis considerari illic distinctio potest; sed in secundo distinctionem formarum ponit rationibus absolutis inter se differentium. *idem, in Plot. en. 5. lib. 3. cap. 15.*

Vnitatis ipsius ratio non est eadem & entis ratio, vnitati enim opponitur multitudo, enti non ens; nec ratio entis superior est vnitate, est igitur vnitas iure superior cùm ea sit vnum, imò ipsa vnitas est supremitas & primitas, siquidem ratio vnitatis & simplicitatis est eadem. *Ficin. in Plot. En. 5. lib. 3. c. 15.* Vnitatem esse, aiunt Pythagorici, idipsum per quod entium quodlibet determinatur vnum; atque est ipsa vnitas numeri, partiúmque infimum, à qua velut seminario, radicéque sempiternæ rationes, proportionésque in vtramque partem infinitæ procedunt, hic multiplicando, inde diuidendo: item vnitatem esse speciem specierum, omnes numeros & numerorū rationes in se continens. *idem, in Plot. En. 2. lib. 6. c. 11.*

Vnitas in opposita sibi multitudine dominans, nec ex se existit, nec ex opposita prodiit multitudine, igitur ex vnitate pura super essentiam vbique multiplicem in seipsa simpliciter consistentem. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 9. cap. 5.* Vnitatem esse causam, & rationem entis ait Boetius, & Auicenna, & Auerrois confitentur vnitatem vniuscuiusque suam esse naturam. *idem, ibid.*

Vnitas per propriam sibi summam simplicitatem omnium obtinet principatum, & ob prouidentiam vniuersam beneficū declarat imperiū. *Fic. in Dion. Areop. de trinit.* Vnitatis participatio ad priuationem, & materiam primam vsque protenditur, nec tamen entis huc vsque participatio, nam esse per formam distribuitur. *idem, ibid.*

Vnitas diuina tantum efficax est vt contraria etiam in vnum conciliet. *ibid.*

Vnitatem appellamus in Deo ipsam infinitatis diuinæ singularitatem, nulli foris communicabilem: discretionem verò dicimus processionem rerum ex Deo manantium. *ibid.*

Vnitas summa vt in principio numerorum concurrit cum infinita naturalium virium multitudine, sic in principio rerum penes ipsam naturæ vnitatem inæstimabilem innumerabilis existit rationum idealium multitudo: nec eiusmodi multitudo impedit summam vnitatem, sed necessario comitatur. *Fic. in Dion. Areopagit. de diuin. nom.*

Vnitatem ab essentia penitus absolutam sic nos contemplari oportet ab vnitate cum essentia iuncta, vt natura nos docet à calore, vel lumine mixto frigori, & tenebris, ad calorem lumenque purissimum prouenire, & à substantia incorporea quidem, sed coniuncta corpori, ad incorpoream substantiam à corpore separatam, & ab ente temporali quod quodammodo est non enti permixtum ad ens æternum. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 2.*

Vnitatis ratio alia est ab entis ratione, entis enim rationi multitudo, & compositio non repugnant, vnitatis autem rationi repugnant, nam non ens huic non vnum est oppositum, dicere verò non ens non est prorsus idem atque non vnum dicere, siquidem non vnum non necessario nihilum significat, sed diuersam etiam multitudinem, vnum igitur ens non est ipsum simpliciter vnum, sed quoquo modo compositum, & multitudini permixtum. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 2.*

Vnitas cum essentia iuncta nos perducit ad vnitatem ab essentia penitus absolutam, quæ qua ratione simplicior est quàm essentia, eadem est necessitate superior. Hoc nomine rerum principium, finémque omnium propter summam simplicitatem, virtutemque vnitate significatam Parmenides nominauit. *idem, ibidem.*

Vnitas est in causa vt res fiat, sit, & seruetur, qua amissa disperditur. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 41.*

Vnitas est in causa non solum, vt res sit, sed vt sit vnum aliquid, partim in se ab alijs distinctum, partim subiens cum cæteris rationem. *idem, ibid.* Vnitas & bonitas non sunt duo quædam, sed vnum, siquidem vbique vnire & bene facere vnum est; & tam vnitas, quàm bonitas nihil superius admittit, nihil enim vel vnitate simplicius est, vel bonitate melius cogitari potest. *ibid. cap. 49.*

Vnitas cuiusque entis est quodammodo essentia sua superior, vt ipsa simpliciter vnitas est supra ens vniuersum. *Fi. in Pla. Parm. cap. 50.* Vnitas essentiam sibi familiarem modo quodam coaguli vbique continet. *idem, ibid.*

Vnitas cum vnione communi semper vnitatem propriam seruat, & ab alijs distinctam proprietatem. *ibid.*

Vnitas est proprium Dei nomen, vnitas supra essentiam Deus vnicus atque primus; vnitates in essentijs sublimibus eminentes dij multi sunt atque secundi. *ibid.*

Vnione omnia seruantur, & perficiuntur, vt multitudine pereunt. *Fic. in Plot. En. 6. lib. 7. cap. 8.* Vnius, & boni eadem est amplitudo, & potestas. *Idem, in Pla. Parm. cap. 78.*

Vnitatis alicuius est particeps omnis hæc quam cernimus multitudo rerum; nam si nullius, nec vniuersi hoc rerum genus vnum esset. *Idem, in Plato. Phileb. lib. 1. cap. 4.*

Vnius vis vsque ad priuationes, & materiam currit, mentis verò vis non, quia mens est species, & speciebus agit: igitur supra mentem vnum ipsum est. *Fic. in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 4.*

Vnius proprium est vnire, vt caloris calefacere. *idem, ibid. cap. 5.*

Vnitate omnia seruantur, dissolutione intereunt, vnum verò efficere est ipsius vnius officium, quare si cuique vnitum esse bene esse est, cuique vnio bonitas est, & simpliciter bonum, & simpliciter vnum idem est, quod omnibus simul præstat vnitatem, & bonitatem: ideò quæ à bono descendunt, ab vno quoque decidunt, & quæ ab vno abeunt, propter discordiam abeunt etiam à bono. *ibid.*

Vnius signum esse hoc ipsum aliquid, ne intelligas simpliciter vnitas, sed alicuius vnius, id est vnius entis. *Ficin. in Plat. soph. cap. 17.* Vnitas non est corpus, nam non diuiditur in partes, & si fingatur diuidi non secatur, sed potius multiplicatur in se ipsam, non in partes vllas, nam pars toto solet esse minor, at nulla vnitas maior vel minor est vnitate. *Idem, in Plat. de repub. dial. 7.* Vnitas, & numerus ad incorpoream nos essentiam erigunt, & similiter figuræ, quarum ratio vera in mente potius reperitur quàm in corpore. *idem, ibid.*

Vnitas dum sola manet, nec lineam, nec latus, nec diametrum facit. *Fic. in Plato. de repub. dial. 8. cap. 5.*

Vnitas ipsa vt numerorum, figurarúmque principium est, ita lateris ac diametri, atque ad vtrumque potentiam habet. *Idem, ibid.*

Vnitas dimensionum, ac numerorum principium videtur principio

cipio vniuersi simillimum, quoniam dum sua omnia procreat, eminentissimum interea permanet atque simplicissimum: ob hoc & dimensiones quasi puncti, & punctorum positione procedunt, & numeri quasi suo quodam motu profluunt, etsi pares processione quadam, impares conuersione. *Fic. in Plat. de repub. dial. 8. cap. 8.*

Vnitas cùm nullas habeat partes, nec par est, nec impar, at cùm se adhibet numero pari iam nato, imparémque reddit, videtur impar: & qua rursus impari finito se accommodans facit parem, par rursus apparet: quod Aristoteles ait in Pythagorico, quanquam Pythagorici vnum libentius impar appellarunt, quia paris proprium est non mutare numerum cui additur, nam si pari additur par parem seruat, si impari imparem. *Idem, ibid.*

Vnitatem Archytas vult imparium esse ideam, duitatem verò parium, & hanc non tam numerum, quàm primum ab vno casum numerum primum verò esse ternarium, mysterium Christianæ trinitati simile. *Fic. in Plat. de rep. dial. 8. cap 8.*

Vnitas est similis opifici mundi, duitas materiæ indeterminatæ, vt ait Archytas. *idem, ibid.*

Vnitas & propter simplicissimam eminentiam nullus est numerus, & propter virtutem omnium efficacem est omnes numeri, *ibidem.*

Vnitas est communis numerorum mensura. *Ficin. in Plat. Timeum, cap. 29.* Vnitas significat ipsam animę vnitatē, simplicitatémque sublimem, & propriam diuinæ vnitatis imaginem in ipsa manentem. *idem, ibid. cap 33.*

Vnitate nihil simplicius excogitari potest. *Ficin. in Plot. En. primam lib. 7. cap. 2.* Vnitas vera, essentia, & species est in mente prima, in mentibus alijs, in animabus ratione præditis, at in inferioribus non vera, sed imaginaria boni proportio. *idem, ibid.* Vnitati diuisio contingere nequit: ideò cùm sit simplicissima & prima, meritò idem est ac bonitas, ne sint duo principia prima, & binarius sit ante vnitatem. *idem, in Plot. En. 2. lib 9 cap. 1.*

Vnitas sola à se profecta non egreditur à se, sed indiuidua simplicitate, & solitaria sibi hæret, quia superest sibi, nullius indiga, plena suis diuitijs. *Io. Pic. Mir. in H ptaplum, lib. 3. cap. 5.*

Vnitas primum in rebus est, qua vnumquodque sibi ipsi vnum sibique constat, & cohæret, est ea secundò per quam altera alteri creatura vnitur, & per quam demum omnes partes mundi sunt vnus mundus, est tertiò & omnium principalissima, qua totū vniuersum cū suo opifice quasi exercitus cum suo duce est vnum; adest trifaria hæc vno vnicuique rei per suam vnam simplicem vnitatem deriuatā ab illo vno, quod & primum vnum, & trinum simul atque vnum est à patre inquam, filio, & spiritusācto, nam & patris potestas omnia producens suam omnibus largitur vnitatem, & filij sapientia rite omnia disponens, omnia inuicem vnit & copulat, & spiritus amor omnia ad Deum conuertens totum opus opifici nexu charitatis adiungit *Idem, ibid. lib. 6 in proæmio.*

Vnitas est qua vna quęque pars dicitur vna. *Gabriel Burasellus de ente, & vno, lib. 2.*

Vnitas apud Pythagoricos par impar nominatur, quòd hæc sui multiplicatione modò duplata modò triplata ex se quasi pariat duos primos numeros, vnum parem binarium, alterum imparem ternarium: & par est in numero infinitorum, impar in numero finitorum. *Ia. Carp in Alc. cap 32.*

Vniuersale se melius habet ad demonstrationem, quàm particulare. *Pro. in Eucl. lib. 1. cap. 6.*

Vniuersale quod est in multis, duplex, est alterum in sensibus, alterum in imaginibus. *Idem, in Euc. lib. 2. cap. 1.*

Vniuersale aliud est, quod hominibus verum dicit, de quibus prædicetur, aliud quod omnia comprehendit. *ibid. lib. 4 cap. 8.*

Vniuersale omne est intellectus, & è contra omnis intellectus est vniuersale, non quod vniuersale existat præter omnia particularia existentia, his enim omnibus ablatis aufertur & vniuersale; inalterabile autem est & vniuersale & intellectus *Arist. Theolog. Aegypt. lib 8. cap. 6.* Vniuersale vnum multiplicatur in particularibus. *idem, ibidem. cap 7.*

Vniuersalia despicere prius non potuit Aristoteles, (etsi hominum quod scimus solertissimus, & facundissimus, & admirandus esset) quam conatus esset & sibi, & sensui repugnantia dixisse, hæc sunt, scientias actu singularium esse, & non vniuersalium, & artifices principaliter nosse in diuiduum, per accidens verò ipsum commune. *Syrian. in 12. meta. cap. 7.*

Vniuersalia particularibus antiquiora sunt, & in ordine principiorum potiora. *Ficin. in Plat. Parmenidem. cap. 34.*

Vniuersale colligi nequit defectu inductionis, qua non potest vniuersalis propositio certo & exactè corrogari. *Io. Pic. Mir. in exam. van. doctr. gen. lib. 5. cap. 12.*

Vniuersale cùm colligatur ex omnibus particularibus colligi non potest inductione, cum omnia particularia sumere non possumus. *Idem, ibidem. cap. 13.* Vniuersale nullum est quod non patiatur instantiam *ibid.*

Vniuersale multipliciter accipi potest, pro vniuersali in essendo, vel in prædicando: in essendo dupliciter, vel vt causa effectiua, velut formalis, & illa quidem non inhærens, sed exemplaris, vniuersale in prædicando illud est quod dicitur in multis & dicitur de multis. Vniuersale in causando scilicet effectiuè sunt intelligentiæ, de quibus Aristot. dicit. ferè autem & difficillima sunt hominibus ad cognoscendum, quę maximè sunt vniuersalia. Vniuersalia & formæ & exemplares sunt illæ, quas Aristoteles modo terminos, modo rationes, modo quod quid erat, Plato verò ideas appellauit. *Gab. Bur. de idea. lib. 1.*

Vniuersale trifariam accipi potest, in causando, in repræsentando, in prædicando. *idem, de remus lib. 4.*

Vniuersales substantię apud Aristotelem per se tales sunt, quales res singulæ, in quarum communione existunt, scilicet corporearum corporeæ, incorporearum incorporeæ, quanquam omnes harum notiones in intellectu corporis sūt expertes *Iac. Carp. in Alcin. 2. digr.*

Vniuersalis substantia non est, vel non consistit nisi in rebus singulis, vt quæ rerum singularum essentiam constituit & continet; notio ab hic cogitatione abstrahitur, & in intellecto vt affectio in suo subiecto recipitur. *idem, ibid.*

Vniuersalia apud Aristotelem secundùm perfectionem essentiæ existunt tantum in communione rerum singularum non tanquam in alio, sed vt in se ipsis: in intellecto verò dicuntur esse per aliud quodammodo, hoc ipso scilicet quòd eorum essentia in communione rerum singularium verè existēs intellectui repræsentatur per notionem tanquam per imaginem. Platonicæ verò ideæ sunt in sola mente prima opificis Dei, & in rebus tantùm deprehenduntur per imaginem quę partibus materiæ communicatur, & in his adumbrata facit res numero differentes. *Iac. Carp. in Alc. 2. digr.*

Vniuersi corpus nisi animatum esset, vt quod eadem quæ nostrum habet, & præstantiora, animam nostram, à qua corpus nostrum accepisset. *Pla. in phil.*

Vniuersum composuit Deus vnum animal, quod omnia animalia in seipso habet mortalia, & immortalie, & diuinorū quidem ipse est opifex, mortalium verò productionem filijs suis absoluendam demandauit. *idem. in Tim.*

Vniuerso cuncta tanquam membra ipsius vndique concinunt naturam nacta quam possident, simulque implētia proprio motu vniuersi vitam. Quæ verò accidunt extrinsecus, partim naturali appetitui aduersantur, partim consentanea sunt. *Plot. En. 2. lib 3 cap. 13.*

Vniuerso nihil malum accidit, nec præter naturam, sed quod videtur deterius materia fit. *Idem, ibid. cap. 10.*

Vniuarsum hoc semper animâ præsente adfuit, & nullum fuit tempus in quo non animaretur nec potuit vnquam absente anima corpus subsistere, nec materia vnquam informis existere valuit. *idem, En. 4. lib. 3. cap. 9.*

Vniuersum existimandum est esse animal vnum omnia intra se continens, vnam habens animam per singules sui partes se diffundētem, quatenus quodlibet pars est eius: pars autem eius est quodcunque in ordine sensibili continetur; & certè quantum ad corpus attinet, pars est omnino, quantum etiam mundanæ est animæ particeps, eatenus & hac ratione pars mundi censetur. Iam quæ animam hanc solam participant vndique sunt partes, quæ verò insuper aliam habent animam ea hoc ipso habent vt omnino non sunt partes, patiuntur tamen ab alijs vt vniuersi aliquid habeant; nam quod remotum esse videtur, in eo est propinquum. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 32.*

Vniuersum ad partes tum ea seipso munera sua sponte diffundit, tum alio attrahente ad aliquam eius partem demittit aliquid suis partibus insitum, & illuc vigore naturali protractum, eùm qui exoptat non fit alienus, at si qui precatur malus est, nil mirum est impetrare: nam & ex fluminibus mali hauriunt, & qui largitur quid largiatur ignorat, sed tantùm largitur. *Plot. En 4 lib 4. cap 42.*

Vniuerso quicquid comprehenditur, singulatim natura, dispositionéque prædium est, sic ad vniuersum conducere facere & pati, *idem, ibid. cap 45.*

Vniuersum hoc tam mirabilem potestatem habet & ordinem, in quo silenti quodam, occultóque iussu & via iustè omnia dispensantur, sub diuino iudicio, cuius sentētiam nulli prorsus licet effugere. *Plot. En. 4. lib. 4. cap. 45.*

Vniuersum verum est, & illius vniuersi veri est imago, Id est visibilis huius mundi natura, quod verè est nullum ens habet ante ipsum, & hoc in illo vbique existente fundatur. *idem, En. 6. lib. 4. cap. 2.*

Vniuersum Arist. facit minus particolare, dum singulares, & in-

diuiduas essentias primas & principales appellat, species & genera ipsarum secundas substantias, easque primis inferiores & minores: in qua re incurrit maximam ignorantiæ reprehensionem, nam alio in loco sibi contradicit, vt in libris de demonstratione. *Georg. Gemist. de Plat. & Arist. philosoph. diff. cap.* 4. Vniuersum materiæ, particulare formæ habet rationem, vt ait Aristoteles quod falsum est, cùm vniuersum perfectum sit totum, & acto sit; particulare imperfectum, pars, & ab actu contentum. *idem, ibid. cap.* 5.

Vniuersum in tria diuidendum est, in exemplar, & simulachrum, & materiam. *Ficin. in Plat. Tim. cap.* 39. Vniuersum hoc à summo Deo habere omnia, & actionem, & virtutem pariter, & essentiam, Platonici omnes absque controuersia confitentur. *idem, ibid. cap.* 8. Vniuersi distributionem cùm tractat Plato, quinque capitibus id potissimùm absoluit: nam primò agit de ipsa rei ipsius, vt ita dixerim, subsistentia ac fundamento, siue corporis siue animæ, secundò de partium vtriusque concordia, tertiò de specie ex partium concordia resultante, quartò de virtutibus speciei, quintò de actionibus quæ à virtutibus oriuntur. *ibid. c.* 27.

Vniuersi finis & habitus optimus in eo consistit, vt principio & authori Deo vndique conformetur. *Fic. in Plot. En.* 3. *lib* 8. *c.* 2. Vniuersi ordo qui paulatim euoluitur in materia simul totus est immutabilisque in vtroque Ioue, tum in primo qui est intellectus purus mundi artifex segregatus, tum in Ioue secundo, qui est intellectualis anima, dux mundi coniunctus. Nemo cogitatione discurrit ambiguo more de rebus agendis. *idem, in Plot. En.* 4. *c.* 10.

Vniuerso tribuit Plato figuram dodecaedram, quæ duodecim facies habet, propter sphæras duodecim, ac signa duodecim in Zodiaco. *Fic. in Plat. Timæum, c.* 40. Vniuersi centrum & cardinem probabile est non esse fecem terream, sed ignem. *idem, in Plot. En.* 1. *lib.* 1. *c.* 7. Vniuersi intellectuali ratione ordo mirabilis, perspectus purgatis tantum mentis oculis principium suum offert quasi incomparabilem summitatem, simplicitatem, potestatem, bonitatem. quod principium vbi sic illuxerit, non est quærendum quid sit, vel propter quid. *idem, in Plot. En.* 6. *lib* 8. *cap.* 11.

Vniuocam rationem non prohibet quod aliis entibus magis aut prius inest, aliis autem posterius, & minus. *idem, in Plat soph. c.* 33.

Vnum quot dicitur modis.

Vnitum aliquid tribus modis esse potest, essentiâ, puncto, & momento: essentia, vt vna substantia sit nō pluribus ex substantiis composita. puncto, vt non dispergatur in plures partes: momento, vt quicquid habere potest vnquam nutu oculi nanciscatur, nec per varia temporum momenta sit varium: & sic est angelus; anima verò vnum retinet essentiâ, & puncto, amittit momentum; materia mundi vna est essentia, non vna puncto & momento. *Ficin. in Plat. Theolog. lib.* 4. *cap.* 2.

Vnum in triplici ordine reperitur; in his quæ fluunt, & sensibilia nominantur, in iis quæ semper sunt, & intelligibilia appellantur, sola mente percipienda; & in iis quæ supra sensum, & intellectum sunt. *Ficin. in Plat. Parmen.* Vnum animale, quod aliquo modo est, aliquo modo non est, opposita patitur: nam mouetur, non mouetur, alteratur, non alteratur, fit, interit, non fit, non interit. *idem, ibid. c.* 39.

Vnum tribus dicitur modis, aut quod cum ente æquatur, aut quod superius est, aut quod inferius: quod æquatur præcipuè de ipso ente primo, omnes rerum species proprietatesque pariter affirmantur, de vno supremo omnia hæc similiter negantur, est enim non forma, sed causa: de vno infimo, id est materia omnia hæc æquè negantur, nihil enim habet in se ipsa formale. *Fic. in Plot. En.* 3. *lib.* 6. *c.* 2.

Vnum aliud est simplicitate essentiæ, vt, Deus, aliud simplicium cognitione, vt angelus, & anima quorum vnumquodque est vnum coniunctione materiæ & formæ: aliud est cōtinuitate vnum, vt plante & petra; aliud est compositione vnum, vt area, alia aggregatione, vt populus; alia præpositione, vt rector nauis; alia accidente, vt diuersa subiecta eiusdem qualitatis dicuntur vnum; alia numero, vt diuersa accidentia in eodem subiecto: alia ratione, & hoc duobus modis, nam alia ratione consortij vt ens, alia ratione sacramenti, vt spiritus, aqua sanguis dicuntur vnum, alia natura, vt participatione speciei vnus homo sunt plures homines, alia natione & lingua, vt Itali, alia more, vt hoc duobus modis: vel consensu virtutis & delectationis, vt multitudo videntium erat cor vnum: vel consensu eiusdem vitij, vt adhærentes meretrici fiunt vnum corpus. *Gab. Bur. de ente & vno, lib.* 2.

Vnum quid est, in quo & quid proprium.

Vnum cùm sit partium exors non potest esse totum, & sic non vnum principium erit solum, sed vnum & totum: & sic vnius & totius ratio erit diuersa: & rursus plura quàm vnum omnia sunt, & cùm id quod factum est semper factum sit totum, quare neque essentiam, neque productionem velut quæ sit, appellare oportet eum qui vnum, aut totum inter ea quæ sunt non ponit: & quod non totum est, nec quantum quid esse oportet: nam quod quantum quid est, quantum sanè fuerit, tantum necesse est ipsum totum esse. *Plato in sophista.*

Vnum si esset principium, partium exors esse debet, si verè vnum est. *ibid.*

Vnum secundùm omnem motum si vnum est immobile est, nec in eodem est, nec quiescit, nec stat, nec idem, nec cum alio, nec cum seipso erit, nec rursus aliud, neque à seipso, neque ab alio fuerit. *Plato in Parmenide.* Vnum fieri nequit, nam quod in aliquo fit necesse est nondum in illo esse, cùm adhuc fiat: nec extra illud penitus, siquidem iam fit: at cùm partes non habeat nullo modo fieri poterit, quod enim partes habet, alia pars iam in illo, alia extra simul fuerit: non ergo fit, nec mouetur, nec alteratur. *idem, ibid.*

Vnum si est vnum, cùm nusquam sit nec in se, nec in alio, nec stare nec moueri potest, quia si mouetur, aut fertur, aut alteratur, hi enim soli motus sunt: si verò vnum alteratur à seipso fieri non potest vt vnum adhuc sit, non ergo secundùm alterationem mouetur, nec secundùm lationem, cùm non habeat partes, nec in aliquo sit moueri non potest. *Plat. in Parme.* Vnum si est vnum, nec partes habebit, nec totum erit: nam si nullam partem habet, neque principium, nec finem, neque medium habet, ergo infinitum est, & absque figura: nam nec rectum, nec rotundum est, si non habet partes. *idem. ibid.*

Vnum si est vnum nusquam est, nec in alio, nec in seipso. *Plat. in Parmenide.* Vnum nec antiquius, nec recentius est, nec eandem ætatem habet, quia si eandem vel cum seipso vel cum alio ætatem habet, æqualitate temporis, & similitudine participabit: at vnum nec similitudinis, nec æqualitatis particeps est. *idem, ibid.*

Vnum non est in aliquo tempore, cùm nec antiquius, nec recentius sit. *ibid.*

Vnum nec æquale, nec inæquale est, nec sibi, nec aliis: si æquale, easdem cum eo quod æquale est mensuras habet: quod eiusdem non est particeps, easdem mensuras habere non potest, aut alia eadem: nec plures mensuras, partes enim haberet. *Plat. in Parmenide.*

Vnum & idem diuersæ naturæ sunt. *idem, ibid.*

Vnum aut aliud, aut idem, neque cum seipso, neque cum alio est, nec simile, nec dissimile alicui erit, nec sibiipsi, nec alij: nam simile est, quod idem patitur, idem natura seorsum ab vno apparuit, & si vnum pateretur quid, præter hoc quod vnum est, pateretur sanè vt plura quàm vnum esset, quod impossibile est. *ibid.*

Vnum non est particeps vllius temporis, nec vnquam factum est, nec fiebat, nec erat vnquam, neque nunc factum est, neque fit, neque est, nec postea fiet, nec erit. *Plat. in Parmenid.*

Vni nec est nomen, nec oratio, nec scientia, nec opinio. *idem, ibidem.*

Vnum etiam figuræ particeps est, aut rectæ, aut rotundæ, aut mixtæ, & ipsum in seipso erit, & in alio. *ibid.*

Vnum & ab aliis, & à seipso aliud est, & idem cum aliis & cum seipso, & simile & dissimile, & sibiipsi & aliis. *Plat. in Parmenide.*

Vnum ipsum in seipso & in alio esse necesse est, & moueri, & stare: nam stat si ipsum in seipso est, & quod in alio est mouetur: & sic idem cum seipso, & aliud à seipso, & cum aliis idem, & ab aliis aliud. *idem, ibid.*

Vnum aliud est ab his quæ non vnum sunt: & quæ non vnum sunt, omnia alia ab vno sunt. *ibid.*

Vnum quatenus aliud erit simile, quatenus idem dissimile, vnum quatenus idem patitur, non aliud patiatur, & cùm aliud non patiatur simile sit, & quatenus aliud patiatur, aliud sit & dissimile, ergo cùm vnum idem sit cum aliis, & aliud ab aliis, secundùm ambo, & secundùm vtrumque, & simile fuerit, & dissimile aliis. & sibiipsi simile, & dissimile apparebit, cùm visum sit & idem, & aliud à seipso. *Plat. in Parmenide.*

Vnum quatenus in aliis est alia tangit, quatenus in seipso alia tangere nequit, seipsum autem tangit. *idem, ibid.*

Vnum cùm ipsum in seipso sit, etiam circum seipsum extrinsecus fuerit: & dum ambit seipsum maius seipso fuerit, dum verò continetur minus, & sic vnum maius, & minus ipsum seipso fuerit. *Plato in Parmenide.*

Vnum

Vnum ad seipsum sic se habet, vt quod cum in seipso nec magnitudinem, nec paruitatem habeat, neque excedatur à seipso, nec seipsum excedat, sed ex æquo cùm sit semper æquale sibi ipsi sit, ergo & ipsi & alijs æquale erit. *Idem, ibid.* Vnum & æquale est, & maius, ac minus seipso, & alijs. *ibid.* Vnum & æquale & plus & minus numero est, & ipsum seipso, & alijs. *ibid.*

Vnum tempore participat & est, & fit & recentius & antiquius ipsum seipso, & alijs; & rursus neque recentius nec antiquius, neque seipso, nec alijs, dum tempore participat. *Plat. in Parmen.*

Vnum si præter naturam non est factum, nec prius, nec posterius alijs factum est, sed simul. *idem, ibid.*

Vnum & ipsum seipso, & aliis, & antiquius est, & recentius, & est, & fit, & neque recentius, neque antiquius, neque est, neque fit, neque seipso, nec aliis; & vt recentius fiat necesse est vt præterito, præsenti, & futuro participat, si tempore participat, erat igitur vnum, & est, & erit, & fiebat, & fit, & fiet, & fuerit quoque illi; & illius aliquid, & erat, & est, & erit, & scientia ipsius fuerit, & opinio, & sensus, & nomen, & oratio ipsi est; & quæcunque alia huiusmodi circa alia sunt etiam circa vnum sunt. *Plat. in Parm.*

Vnum cùm transmutatur in repentino est, nam non in quiete dum adhuc stat, nec in motu dum adhuc mouetur, sed hæc repentina natura admirãde quædam inter motum & quietem insidet, quæ in tempore nihil est, in hanc, & ea hac & hoc quod mouetur transmutatur ad statum: & quietem, & quod stat motum. *Plat. in Parm.* Vno participat & totum & pars, nam vnum totum erit cuius partes partes sunt. *idem, ibid.*

Vnum cùm in multa transit, & multa in vnum, nec vnum est, nec multa, nec secernitur, nec coagmentatur; & dum à simili ad dissimile, & ex dissimili ad simile transit, nec dissimile est nec simile, nec assimilatur, nec dissimile fit; & dum ex paruo in magnum, & æquale, contraria transit, neque paruum, nec magnum, nec æquale nec inæquale, neque augescens, neque decrescens, neque quod æquatur, nec quod non æquatur fuerit; quas omnes affectiones vnum patitur si est. *Plat. in Parmenide.*

Vnum si est, alia ab vno sunt, nec vnum sunt alia, alioqui alia ab vno non essent, nec vno alia omnino priuantur, sed participant quodammodo. *Plat. Parmen.*

Vnum cùm multa fit, & fiat, & pereat, cùm vnum fit, vt multa sit perdit, & cùm multa fit, vt vnum sit perdit; & cùm vnum fiat & multa, necesse est & secerni & coagmentari, & cùm simile dissimile fit, & assimilari & dissimile fieri, & cum maius, minus, æquale fit, & augeri, & minui, & æquari, & cũ à motu cessat, & quum à quiete ad motũ transit oportet nõ in vno tempore esse. *Idem, ibid.*

Vnum vbi prius quieuit postea moueatur, & vbi prius mouebatur postea quiescat, fieri non potest vt hæc patiatur absque hoc vt transmutetur. *Plat. in Parmen.*

Vnum & alia nũquam in eodem sunt, seorsum igitur; nec partes habet quod reuere vnum est. *idem, ibid.* Vnum si non est differt ab hoc si non vnum non est, & totum contrarium est, si dicas si non vnum non est, & si dicas si vnum non est. *ibid.*

Vnum si non est ens, & æqualitate, & magnitudine, & paruitate participat: & quodammodo essentiã si non est, & etiam non essentiã si non est. *Plat. in Parm.* Vnum si non est, nec cognoscitur quid dicatur, & esse vni impossibile est si non est, at participare multis necesse est, & ipsi dissimilitudo est ad alia: nam cùm alia ab vno, alia sint quoque & diuersa erunt, & diuersa aliena sunt, aliena dissimilia. *Idem, ibid.*

Vnum si non est alia non erunt, nam cùm vnum non sit, secundùm vnum esse non poterunt, sed vt insomnium in somno apparens apparet pro eo quod vnum putatum est multa esse. *Plat. in Parm.* Vnum quod non est moueri videtur quandoquidem etiam imitationem ea eo quod est ad id quod non est habet, & vnum quod non est stat & alteratur, & non alteratur, & dum alteratur fit, & perit, & dum non alteratur nec fit, nec perit. *idem, ibid.*

Vnum cùm non est vsquam, nec abijcit, nec accipit, nec vllo modo participat essentia, nec fit, nec perit, nec alteratur, nec mouetur, nec stat, nec ipsi est aliquid eorum quæ sunt, nec magnitudo, nec paruitas, nec æqualitas, nec similitudo, nec diuersitas, nec eadem, nec alia: quid vero illius, aut illi, aut quid, aut hoc, aut huius, aut alius, aut alii, aut aliquando, aut postea, aut nunc, aut scientia, aut opinio, aut sensus, aut oratio, aut nomen, aut aliud, quodque ex his quæ sunt, circa id quod non est penitus non erit. *Plat. in Parm.* Vnum dũ omnia apparet, idem, pari & simile esse videtur, nec tamẽ sunt. *Idem, ibid.*

Vnus est ipse creator omnium; de cœlo cuncta descendunt in terram, & in aquam, & in aerem, ignis solum, quod sursum versus fertur, viuificum, ei deseruiens: at quicquid de alto descẽdit generans est, quod sursum versus emanat nutriẽs. *Mer. Tris. Asc. cap. 1.* Vnum si abstulerit, nec forma totius erit, nec pars vlla, nec quicquam erit in rebus, vnum namque omnia in seipso vniformiter anticipat, & comprehendit. *Dion. Areop. de diu. nom.*

Vnum vbique est, implet omnia; & si ipsum esset vbique, tantũ ipsum esset omnia, at quoniam etiam nusquam est, fiunt per ipsum omnia, quoniam est vbique, diuersa verò ab ipso quoniam est & nusquam: & vbique est, & nusquam, quia oportet super omnia vnum esse, ideò necesse est implere & facere cuncta, nec tamen omnia hæc esse quæ facit. *Plot. En. 3. lib. 9. cap. 3.*

Vnum necessariò est quod nil aliud sit præter nudum vnum; essentiã sua à quolibet segregatum & quodcunque singulatim vnum intelligatur, & dicatur. *idem, En. 6 lib. cap. 11.* Vnum est natura vna prædicata de multis, quam & ante illud quod multis inest, oportet existere per seipsam. *idem, ibid.* Vnum in enimo habemus absque eo quod aliquid vnum appellatur. *idem, ibidem. cap. 12.* Vnum est circa sensibile secundùm participationem quandam, intelligibile enim est, & cogitatio ipsum modo intelligibili percipit. *idem ibid. cap. 13.* Vnum relationem quandam significare non est putandum, non enim desinit esse vnum nisi per propriã passionem, quoniam moles per accidentalem diuisionem à vno fit duo, desinit esse vnum non tamen desinit esse moles, quasi vnitas ibi aliud sit quàm moles. *idem, ibid. cap. 14.* Vnius præsentia est in causa vt vnum sit, & sic de duobus, & aliis numeris. *Idem, ibid.*

Vnum si non est nihil esset, nec quantitas, nec essentia, nec sanitas, nec pulchritudo. *idem, ibid. lib. 9. cap. 1.* Vnum quicquid amittit, & esse simul amittit. *idem, ibid. cap. 2.* Vnius naturæ cùm sit genitrix omniũ, meritò nullũ existit illorũ, igitur nec quid existit, nec quale, nec quantũ, non est intellectus, non anima, nõ mouetur, non quiescit, non est in loco, non in tẽpore, sed secundũ se est vniforme, imò informe sit per omnẽ existens formã super motũ, super statũ, hæc enim circa ens versantur, quæ quidẽ ipsum multa cõficiunt. *idem, ibid. cap. 3.* Vnius ipsius natura talis existit, vt sit fons omnium optimorum & potestas entia generans, permanens in seipsa, nec diminutionem subiens generando, nec in rebus genitus requiescens. *idem, ibid. cap. 5.* Vnum non residet in alio, nec sic est indiuiduum, vt quiddam minimum, est enim omnium maximum, non magnitudine, sed potentia. *idem, ibi cap. 9.* Vni non inest intelligentia, ne in eo sit inde diuersitas, nec motus est vllus, est enim motu, & intelligentia superius: tamen etsi nec cognoscit, nec intelligit seipsũ non tamen in ipso est ignorantia, nam ignorantia contingit ad alterum quando hoc illud ignoret; at quod solum est, nec cognoscit, nec habet aliquid, quod ignoret; sed cùm sit vnum vnitissimum, vt ita dixerim, intelligentia sua non indiget, & ab illo intelligentiam, conscientiam, animaduersionem propriam, & sui ipsius agnitionem, & aliorum perceptionem auferre prorsus debemus: nec secundùm conditionem intelligentis sed potius secundùm ipsum intelligentiæ actum Deum existimare decet. *idem, ibid. cap. 6.*

Vnitum omne aliud est ab ipso vno, nam si est vnitum particeps erit vnius, & vnius particeps & vnum est & non vnum. *Proc. elem. Theol. prop. 4.* Vnum vni contrarium est. *idem, elem. phy. def.* Vnius omne particeps & vnum est & non vnum. *idem, elem. Theol. prop. 2.*

Vnum omne quod fit, fit vnũ participatione vnius, & quatenus passum est participationem vnius vnum est. *idem, ibid. prop. 3.* Vnum cùm efficimur multitudinem fugientes beati, & diuini efficimur. *idem, in Alc. 1.*

Vnum in ordine entium si est, id est si sit intelligibilis ipsa & intellectualis substantia, est essentia ab ipso quodammodo differens, habet partes, totum, & est multitudo infinita, in ipso vnum alterum est & ipsa essentia alterum, & in ipso est vniuersus numerus. *Mar. Fic. in Plat. Parm. cap. 17.* Vnum duntaxat est id in vnoquoque genere quod summum est, & puram illius generis habet naturam rebus aliis non immixtam, nec minuitur per mixtionem. *idem, in Pla. Theo. lib. 2. ca. 7.*

Vnum sunt quorum forma vna est. *idem, ibid. lib. 11. cap. 1.* Vnũ ipsum simpliciter extat super ideales vnitates per quaslibet multitudines latissimè regnans. *idem, in Plat. Parm. cap. 4.*

Vnum tantum est quod suum esse est. *Idem, in Plat. Phi. lib. 4. ca. 1.* Vnum sempiternum quomodo multa sit & vnum vicissim, vetus & difficilis dubitatio est, nam facile cognitu est de vno genito, & caduco. *idem, ibid. cap. 4.* Vnum si multitudinem haberet, non esset vnum, sed vnitum. *idem, in Plat.*

Parmen.c.56. Vnum non habere figuram significat nullum habere, vel habitorum esse discrimen idearum absolutis inter se proprietatibus differentium. *idem, ibid.* Vnum in alio esse non potest vt in causa, nec in se ipso per vllam suiipsius comprehensionem intellectui alicui notam, alioquin duæ in eo quædam partes, aut vires, aut rationes diuersæ forent, altera comprehendentis, altera comprehensi, quæ diuersitas ab vnius natura aliena est. *idem, ibid. cap. 62.* Vni Plato negat prædicamenta; dum negat vnum, aut alterum negat substantiam; dum simile & dissimile negat qualitatem; dum æquale & inæquale quantitatem, dum iunius & senius tollit quando, passionem & actionem sustulit vna cum motu, & vbi & locum sustulit dum in aliquo esse negaret, habitum quoque & relationem passim aufert, vbi nihil habere probat, cum nullo congruere: & vltra prædicamenta decem ens etiam aufert transcendens, cui saltem quinque illa genera vbique conueniunt. *idem, ibid. c. 66.*

Vnum hic non accipitur à Plotino, vt de vno quod est primo ente superius, sed de vno in ente primo naturaliter vigente, quod ante entium, & idearum multitudinem suo quodam ordine regnat, in quo vno sunt vnitates omnes, atque ex iis numeri certi antecedentes ideas, & de ideis pariter prædicabiles, imò hoc ipsum entis vnum ipsæ pariter vnitates existit, & natura entis vnitatibus his fœcunda quasi seminibus iam ideas parit numeris deinceps eas minoribus, maioribúsque componens. Similiter & quæ ideis inferiora nascuntur, nisi certis numerorum proportionibus fœcunditas entis tum penes seipsam, tum extra progrediatur, aut nihil nasceretur vnquam, aut omnia temerè, & inordinatè contingent. *idem, in Plot. En 6. lib. 6. c. 11.*

Vnum ens dicitur totum intelligibilium, & intellectionum genus, præcipuè verò intellectus primus cum intelligibili primo, deinde cætera generis eiusdem. *idem, in Plat. Parm. cap. 80.* Vnum ens etsi appellatur totum, est tamen indiuisibile. *idem, ibid. c. 81.* Vnum ens est, tum cunctæ partes suæ simul, tum etiam ipsum totum, vt ita dixerim, forma totalis. *idem, ibid. cap. 85.* Vnum ens cùm non sit primum vniuersi principium, quodammodo multiplex esse potest. *Marsi. Fic. in Plat. Parmen. c. 89.* Vnum quatenus differentes in se rationes admittit, & tangens se simul, & tactum à seipso dici potest. *idem, ibid. c. 89.* Vnum ens in suppositione septima non solum in animam per se mobilem degeneratum excogitamus, nec solùm in fluxum ab alio dependentem præcipitatum, sed in ipsum omnino non ens resolutum, forsan in nihilum propriè iam prolapsum, metaphoricè verò in ipsum simpliciter vnum, vt ita dixerim, restitutum. *idem, ibid.*

Vnum, de quo in septima suppositione agitur, posset quis informem materiam intelligere, quæ ita nullo modo est, vt essentiam formalem per se nullam habeat, participatione verò vnius existit vnum. *idem, ibid.* Vnum si fingatur partim esse, partim non esse, id est si tollatur è medio intelligibilis & intellectualis omnis substantia pura, quæ solùm & simpliciter est, comparat octaua suppositio quid futurum sit, tunc anima falsas imaginaretur imagines, & vt somnia imaginaretur. *idem, ibid.* Vnum ens si nullo modo in rebus in vniuerso sit, non modò intellectus è medio tollitur, sed & anima, quæ partim in entibus computatur, & hac ablata sensibilia cuncta disperdantur, sed etiam vmbratilia sensus, imaginationésque peribunt, nec vsquam erit materia. *idem, ibid.* Vnum in ordine entium si est, id est si sit intelligibilis ipsa & intellectualis substantia, est multitudo infinita, id est vniuersa, & per cogitationem infinitè replicabilis, & quatenus ibi per intelligibilem numerum multiplicatur essentia; eatenus multiplicatur & vnum, est finitum, habet principium, medium, & finem, atque figuram. *idem ibidem.*

Vnum animale dum dicitur non ens, etiam aliquo modo subintelligitur esse, si verè intelligatur & dicatur. *idem, ibidem.* Vnum quod est in natura intellectualis animæ cogitatur omnia fermè opposita perpeti, atque ista vicissim, & in tempore quodam; sed in momento quodam inter opposita comperto nullum pati videtur oppositorum. *idem, ibid.* Vnum intelligibile si prorsus desierit, adeò vt pro ipso nec anima regnat, nullum oppositorum de illo prædicari poterit, nec cognosci, nec nominari poterit. *idem, ibid.* Vnum quod est in natura intellectualis animæ cùm dicitur moueri & quiescere, intelligatur vtrumque in quodam tempore pati, sed interim intelligitur in momento quodam subito inter motum & quietem excogitato, neque quiescere, nec moueri. *idem, ibid.* Vnum intelligibile si funditus pereat anima simul intereunte, alia statim nihil penitus eruot, nec vlla erit vsquam cognitio; nulla prorsus imaginatio, nullus sensus. *idem, ibid.*

Vno intelligibili si sublato restat anima dement reliqua non erunt, nisi somnia & figmenta quædam diuissa innumerabiliter infinita: apparebunt forte vnum, neque tamen erunt vnum. *idem, ibid.*

Vnum aliquid est extra totum multitudinem omnium, à quo omnis multitudo procedit, quod omnium est principium. *Ficin. in Plato. Phileb. libr. 1. cap. 4.*

Vnum quod genitum est, & circa materiam est diffusum, nihil mirum est si à perfecta vnitate degeneret oppositáque patiatur, & multitudinem. *Idem, ibid. cap. 4.*

Vnum aliquid cùm dicit Plato singula profert; cùm ipsum vnum, primum omnium principium intelligi vult, cùm monas vel monadas, principium numeri; cùm vnitates, rationes æternas omnium, quæ sunt in mente diuina mundi totius opifice. *ibid. cap. 17.*

Vnum quod est substantiâ, multiplex esse potest qualitatibus. *Fic. in Plat. soph. cap. 32.*

Vnum prorsus est indiuisibile, quia quod diuiditur in minora secatur, at vnum in aliquid vno minus secari nequit. *Idem, in Plat. de republica, dial. 8. cap. 8.* Vnum est identitatis, & æqualitatis, & similitudinis principium, in quibus Deo simile non iniuriâ videri potest. *ibid.* Vnum apud Pythagoricos est æquilaterum, etsi simplex. *ibid. cap. 9.*

Vnum & ens non æquè materiæ congruunt, ergo eadem inter se esse non possunt. *Ficin. in Plato. Timæum, cap. 39.* Vnius, & entis ratio non est omnino inter se eadem, nam exercitus non est minus ens quàm domus, nec domus quàm continuum, est tamen minus vnum: est autem ratio eadem vnius, & boni, & quatenus quodlibet particeps est vnius, eatenus & boni, & vicissim. *idem, in Plotini En 6. lib 1. cap 11.* Vnum esse debet quod diuersorum multitudini exhibet vnionem. *idem, in Plat. phil. lib. 1. cap. 21.*

Vnum ab vno oriri debet. *idem, in Plato. conuiuium, or. 6. cap. 18*

Vnum ait Plotinus esse entia omnia, quæ constant non esse vnum indiuisibili essentiæ vnitate, sed ex eo dicit vnum esse, quia ab vno sunt, & ad vnum vnitate quadam naturalis desiderij confluunt, & quia omnia separata, quæ appellat entia, sunt in se inuicem nullis locorum terminis prohibentibus, item quia inferiora inter gradus entium præcipuam actionem suam peragunt sub forma & actu superiorum. Similiter ait Plotinus de vnione animarum rationalium cum anima vniuersa. Ne igitur suspiceris Plotinum putare, nec mentes, nec animas esse numero plures: & in libro de numeris ait entia omnia vnum esse, non vnum vt vnitas numeralis, sed vt vnus numerus, id est millenarius; sic significat cùm ait animas omnes esse vnum. *Ficin. in Plotini En. 2. lib. 5.*

Vno excepto reliqua omnia multiplicia sunt, & quadruplicem patiuntur indigentiam, si quidem in eo totum eget partibus, pars parte, partes toto, denique cuncta quodam extrinsecus componente. *Fic. in Plot. En. 6. lib 9 cap. 6.* Vnum non diuisione, sed repetitione totius in vnum hoc, & illud se diffundit, & diuisione semper multiplicatur: ens diuisione minuitur, & totus in entia deriuatur. *idem, ibid.* Vnum solum habet quod ad principia pertinet, nihil quærere, nihil accipere, nihil amittere, alioquin vnum non erit. *ibid.*

Vnius virtute vbique fit vnio, nec ob aliam causam facilius similiora vniuntur, quàm quoniam in qualitate sunt vnum. *Fic. in Plot. En. 6 lib 9 cap. 11.*

Vnum quòd secundùm accidens est vnum, per se causam habere non potest. *Ioannes Franciscus Picus Mirandul. de pranot. lib. 5 cap. 8.*

Vnum, & ens opinatur Aristoteles, item verum, & bonum æquale esse: contra Academia tota resistit vnum asserens esse prius ente, id est simplicius & communius. *Io. Pic. Mir. de ente & vno. cap. 2.*

Vnum, & ens cùm Arist. dixit esse æqualis ambitus, accepit vtrunque transcendenter: cùm verò Plato dicit esse prius ente, per vnum intellexit Deum, & per ens verbum à Deo productum *Gabr. Buratel. de ente & vno. lib. 2.*

Vnum magis fit ex intellectu & intelligibili quàm ex materia, & forma. *Idem, de animo. at.*

Vnum vt ente superius & de quo dicitur.

Vnum ipsum atque bonum essentiâ superius & ignotum: quid sit in ipsa vnitate trinitas, & in trinitate quilibet æquè Deus, æquè bonus nec dici, nec intelligi potest: ipsæ quia etiam sanctarum virtutum conuenientes vniones angelis siue eas tactus dicere oportet, siue perceptiones circa bonitatem plusquàm ignotam & præfulgentem, ineffabiles sunt, nobisque incognitæ, angelis solis illic insunt qui super cognitioni angelicæ modum his digni habiti sunt. His vnionibus in-

bus intellectus quoque Deo conformes angelos imitantes quantum fas est vniri, cum per totius intellectualis actionis vacationem eiusmodi vnio mentium Deo raptarum ad ipsum lumẽ excelsum confecta sit, consequẽter lumen ipsum propria admodum ratione per ablationem omnium celebrant; ad hoc ipsum mirabiliter illuminari ex beatissima ad idem vnione, quod omnium rerum causa est: ipsum verò nihil est ex omnibus, vt quod ab omnibus entibus sit supra modum essentia segregatum. *Diony. Areopag. de diui. nomin.*

Vnum ipsum est super eos; post ipsum vnum est ens, & intellectus, tertiò natura animæ. *Plot. En. 5 lib. 1. cap. 10.* Vnum esse ante multitudinem necesse est à quo proueniat multitudo, nam omni numero prius est vnum, alioqui si ordini rerum non præsit vnum, multa forent inter se dispersa, aliudque aliunde sorte quadam in congeriem concursurum. proinde afferent ex vno quodam intellectu in se simplici actus progredi multos, verumtamen id quod ante hos actus existit esse simplex asseuerabunt, deinde cognoscent actus semper existentes esse substantias quasdam, siue supposita quædam, & cùm supposita quædam sint, nimirum diuersa erunt ab eo à quo procedunt, manente illo simplici, dum quod ab eo procedit multitudo quædam in se eusdit, pendétque ex illo: quod si illo operante actus eiusmodi inde subsistant, illic quoque multitudo continget: si autem hi sunt actus primi secundum quiddam constituentes, nihil prohibet illud actibus his superius in seipso consistere, secundo autem ipsi proximè inde manantiex actibúsque composito, actuum numerum assignari, aliud enim ipsum est, aliud sunt actus ab illo, quoniam illo non egente proueniunt, alioqui intellectus non erit actio prima. *Idem, En. 5. lib 3. cap. 12.*

Vnius ipsius cognitionem non habemus, nec intelligentiam, ita tamen habemus, vt de eo loqui possimus, ipsum verò eloqui minimè valeamus, quod enim non est pronunciare solemus, quòd autem sit nequaquam, quapropter ex posterioribus verba de illo facere consueuimus, habere ipsum nihil prohibet, quamuis explicare non valemus. *Plot. En. 5. libr. 3. cap. 14.* Vnum ipsum sic habet omnia tanquam inter se nõdum discreta; quæ verò in secundo sunt ratione inter se discernuntur, actu enim iam cernuntur, illud autem omnium est potestas. *Idem, ibid. cap. 15.* Vnum ipsum est mente superius. *Idem, En. 5. lib. 4 cap 1.*

Vnum ipsum non patitur se numerari, ipsum enim mẽsura est, minimè mensuratum, nec aliis est æquale, vt cum aliis in aliquo congruat, ideò de vno nec numerus essentialis, nec numerus ad quantitatem propriè pertinens prædicari potest. *Plot. En. 5 lib. 5. cap. 6.*

Vnum ipsum nomen est quantò melius à nominante ipso primo principio poni potuit, & neque tamen dignum vt natura illa illo significetur: nempe illud auditu attingi nõ potest, neque ab audiente vllo potest intelligi, sed si cui patere potest, occurrit potius intuenti, sed si intuens ipse contendat speciem intueri, nec hoc tanquam speciem intuebitur. *idem, En. 5. lib. 5. cap. 6.*

Vnum ipsum speciem non habere necessarium est, & cùm à specie alienum sit, essentia esse non potest, oportet enim essentiam esse hoc aliquid, ente ergo superius est; & quod ente superius est, non dicit hoc aliquid, nec ponit aliquid, nec nomen ipsius dicit, sed affert solum hoc, scilicet non hoc. *Plot. En. 5. lib. 5. cap. 6.* Vnum ipsum desuper extat, quod cum generibus non numeratur, siquidẽ per ipsum alia sunt, quę ex æquo inter se ad hoc ipsum vt sint genera connumerantur, atque discernuntur. *Idem, En. 6 lib. 7. cap. 3.*

Vnum ipsum si accipitur cui nihil adhibetur, non anima, non intellectus, non aliud quicquam de nullo id prædicabitur, itaque nec erit genus: at si quod adsit enti, in quo ipsum vnum ens appellatur, non erit primò vnum, & vnum ipsum, cùm nullas in se ad se differentias admittat, non potest species procreare, quas nisi genuerit, genus esse non poterit. *Plot. En. 6. lib. 2. cap. 9.* Vnum ipsum de quocunque entia vniuersi affirmatur vt genus, de eodem opposita affirmantur, non ergo potest esse genus. *Idem, En. li. 2. cap. 10.*

Vnum & ens non omnino habent eandem rationem, nam quod non minus est ens sit minus vnum, non enim minus ens est exercitus, & chorus quàm domus, verum est minus vnum, videtur igitur quod in quolibet vnum est. ipsum bonum magis vnum aspicere, & quantum boni consequitur, tantum vnum esse. *Plo. En. 6. lib. 2. cap. 11.* Vnum necesse est vt sit ante motum, & ante ens, non dico de vno quod ente superius est, sed de illo quod de qualibet specie prædicatur, ita vt decem sit antequam sit illud de quo prædicatur decem, sed oportet decem in seipso non aliud aliquid existentem præter decem purè singularitérque existere. *Idem, En. 6. lib. 6. cap. 5.*

Vnum antecedit Ens subsistentia, at si entia præcedebat, non erat numerus entis, sed profectò iam erat in ente, neque tamen entis ipsius numerus erat, adhuc enim ens erat vnum sed numeri vis ipsa subsistens ens in plure diuisit, & vel ipsius essentia. vel actus est numerus; atque ipsum animal, & intellectus numerus est. *Plot. En. 6. lib. 6 cap. 9.* Vnum prædicetur, & de homine, & de non homine, & aliud, & diuersum posterius est vno, & nisi anniterentur ad vnum, cogitatio non diceret aliud, nec diuersum, & sic non est multitudo nisi antecedat vnum, & tandem omnia ad ipsum vnum referuntur. *Idem, ibid. c. 13.*

Vnum primum existit, sed intellectus, speciésque, & ens prima esse non possunt. *idem, lib. 9. cap. 2.*

Vnum & bonum idem sunt apud Platonem, & abstractum est ab omni substantia, & intellectu, & vita. *Suesa. in 12. metaph. vel in 13 secundum lat. ex cap. 7.*

Vnum ipsum per omnes rerum ordines alia comprehendit & ante illa, & post illa, & vnà cum illis agit. *Proc. in Alcib. 1.*

Vnum ipsum Plato supersubstantialem Dei diuinitatem appellat. *Bess. Card. in calumn. Plat. lib. 2. c. p. 3.* Vnum ipsum est creator, vnum & multa est creatura, multa & vnum inferior. *Ficin. in Plat. Phileb. dial. 1. cap 15.*

Vnum rerum omnium principium esse super omnia, & omnia ab illo, disputat in Parmenide Plato, & vt ipsum extra omnia sit, & in omnibus, & omnia ex illo, per illud & ad illud. *Fic. in Pla. Parmen.* Vnum principium esse conatur ostendere Parmenides quo posito ponuntur omnia, & quo ablato auferuntur omnia. *idem, ibid.* Vnum in hoc dialogo cùm dicitur, Pythagoreorum more quæque substantia à materia penitus separata, & absoluta significari potest, vt Deus, mens, anima: cum verò dicitur aliud, & alia, tam materia quàm illa quæ in materia fiunt, intelligere licet *ibid.*

Vnum ipsum, & bonum est non ens, quia ente superius est. *Fic. in Plat. Parmen. cap 36.*

Vnum aliud est ente superius, aliud habet cum ente coniugium; ideò cùm negatur vnum nec esse idem, nec alterum, intelligendum est de vno quod est ente superius: cùm affirmatur & esse idem, & alterum. intelligendum de vno, quod habet cum ente coniugium. *idem, ibid. cap 38.* Vnum vniuersi principium est ente superius, ergo necessariò est super vitam intellectum, & intelligibile, hæc enim enti succedunt. *ibid.* Vnum à non vno, & ab omnibus entis generibus segregatum est, tanquam ente sublimius *ibid.*

Vnum ente prius est ab omnibus absolutum, tanquam principium finale præcipuè, & eminenter efficiens. *Fic. in Plat. Parmen. cap. 52.*

Vnum cùm omnia participant, necesse est verè esse, nam & cætera tantò verius sunt, quantò magis participant vno. *idem, ibid. cap 53.* Vnum verè non est quolibet participantium per multitudinem sibi propriam: ideò oportet verè vnum, & nullius particeps multitudinis, verè in natura rerum existere, & tanto prius esse quàm cætera, quantò est & verius vnum *ibid.*

Vnum nisi sit verè, nulla sunt entia. *ibid.*

Vnum vnicum simpliciter in Parmenide tractatur, de cæteris autem non per se, sed quatenus deriuantur, & superantur à primo. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 53.* Vnum, de quo agitur in Sophista & in Parmenide, non est de vno quodam nomine ita logicè ficto, vel de ente confícto, sed de vno & ente, vt ita dixerim, existente, vel subsistente simò vbi de ipso vno negat essentiam necessario asserturus est ipsum esse super essentiam, summúmque esse Deum. *idem, ibidem.*

Vnum cùm non sit multiplicatum, nec numerosum, nec figuratum, multitudinem, & numerum, & figuram procreat: vt anima, vel natura cùm non sit corpus corpus generat, & intellectus cùm non sit anima procreat animam. *Fic. in Plat. Parmenidem, cap. 54.*

Vni vbi Plato multitudinẽ negat, nil aliud vult quàm & ipsum supra quàm cogitari possit simplicissimum, secretissimúmque esse, & vniuersam ab eo rerum multitudinem formæ sicut ab vnitate numeros proficisci *idem, ibid. cap. 56.*

Vnum quòd res sint, habent ab ipso simpliciter vno, & quòd sint multæ ab ipso vno habent, quia multitudo nil aliud est, quàm vnitas quædam ab ipsa simpliciter vnitate secunda propagata passim, eique distributa. *Ficin. in Plato. Parmenidem, cap. 57.*

Vnum ens, id est intellectus primus vbique est. *idem, ibidem, capitulo 61.*

Vnum omnibus oppositionib. & rebus inuicem quomodolibet oppositis est excellẽtius, vt opposita quælibet & pariter efficere, & in vnũ conciliare possit: nã virtute illius quod est ab

oppositis segregatis opposita copulaetur. *ibid.cap.65.*

Vnum primum ab omni definita perfectione seiunctum sub simplici ratione boni perfectiones omnium, tanquam perfectionem pro cunctis vnam simul & vniuersam continet eminenter. *Ficinus in Pla. Parmenide.cap.65.* Vnum ipsum nullam cum aliis identitatem, & communionem habet. *idem, ibid.cap.67.* Vni quidquid opponitur, tolletur simpliciter ipsum vnum, & redditur vnum aliquid atque multiplex. *Ibid. cap.70.* Vnum imparticipabile supra ens vniuersum extare vaticinamur incomparabiliter simplex, & absque proportione, & quamlibet, & vniuersam essentiam antecellens. *Ibid.cap.77.*

Vnum ipsum est entium principium, quo sublato, penitus nihil est. *Fic.in Plat.Parmen.cap.78.*

Vnum non putauit Parmenides nullo modo cognosci posse, sed non sensu non opinione, non scientia, nec intelligentia duce scientia attingi posse existimauit. *idem, ibid.*

Vnum ipsum simpliciter cùm vaticinamur infinitum prorsus auguramur, quasi negando non multiplex, non compositum, non circumscriptum, non coniugatum: cum verò vnū ens asserimus, iam vnum sub ipsa essentiæ forma comprehendimus definitum, sed mera illa quidem, & penitus vniuersa, quando vnum ens in essentia quodammodo mobili, sed per se mobili cogitamus, iam ens habemus quodammodo cum non ente permixtum pro intellectu puro, deinceps intellectualem animam reportantes. Quando vnum in conditione quadam ab altero mobili reputamus, iam minimum quiddam entis cum quam plurimo non ente referimus. Quando denique motum omnem mixturámque penitus auferimus, tunc omnino non ens somniare videmur, idque geminum, aut quolibet ente deterius & vno priuatum, id est nihilum, aut ente quantumlibet excelso superius, id est ipsum simpliciter vnum. *Fic. in Plat. Parmen.*

Vnum ipsum quod ente superius est, non est in ordine entium vel temporalium, vel æternorum, igitur nec cognosci, nec nominari potest. *Ficin.in Plat. Parmenidem, cap. 16.* Vnum ipsum quod ente superius est, & vniuersi principium cogitatur, si existat, certè nec multitudinem in se vllam habet, nec partes, nec terminos, igitur infinitum, & absque terminis est. *idem, ibid cap. 12.*

Vnum ipsum per se idem est omnium principium quod corpus non est, vt aiunt Democritij, multas enim corpus habet partes; nec corporis qualitas, vt Stratoni, quæ cum corporis partibus est extensa; nec anima, vt Varro, cùm anima & in viribus, & in operationibus sit multitudinis particeps; alia potentia cognoscit, alia facit mala non cognoscendo, & cognoscit non agendo: non mens vt Anaxagoras, mentis actio est vt seipsam intelligat, est ergo in mente quod intelligit, & intellectio, & quod intelligitur, non vita, vt Zenon, est enim vita motus essentiæ; nec essentia ipsa, vt Dynantes, nam vno omnia participant, essentia non omnia; neque ipsum esse vt Alpharabius & Auicebron, nam si vnum esset idem, & esse, idem forsan esset multitudo & nihil; sed supra corpora omnia est animæ ipsius essentia, supra omnes animas mens, super mentes ipsum vnum. *Fic.in Plat. Phi.lib.1. cap.4.* Vno nihil est superius, idem enim vnum, & bonū, ipsum verò bonum principium omnium. *idem, ibid.*

Vno cuncta participant quomodocunque sint, mente verò nō participaet omnia. *Fic.in Plat.phi.lib.1.cap 4.* Vnum ipsum rerum principium quæ producit constat ex vno, & à multis Theologis antiquis traditum est *idem, ibid cap.27.* Vnum superius est ente. *idem, in Plat.soph.cap.31.* Vnum, & bonum idem sunt. *idem, in Plat.Tim.cap.8.* Vnum superius est ente, quoniam latius sese fundit; præsertim cùm priuationi, cui non conuenit ens, tamen conuenit vnum. *idem, ibid cap.34.*

Vnum omnium esse principium patet, quod omnia, vel contraria in vniuerso rediguntur in vnum, scilicet præter naturam suam in vnum ab vnitate coacta. *Fic.inPlot. En.3.li.3.ca 1.*

Vnum in mundo non fit, vt vult Plotinus, ex intellectuali anima propriè, & materia, quoniam intelligentia per actionem, & affectum in oppositum materiæ tendit, vt nec vnū fieri putat in nobis, vt nec anima intellectualis communicata cum corpore, in passionibus corpori propriis, nec corpus cum anima tali in actionibus ad eiusmodi animam propriè pertinentibus: licet tamen dicere intellectualem animam tum in mundo esse mundanam, tum in nobis humanam, atque ex ea, & animali vnum iden confici, quoniam ex illius influxu & materia fit vnum animal sensuale, cui & illa semper inspirat vitam absque continuo illius spiritu perituram. *Idem, in Plot.En.3.lib.8.cap.3.*

Vnum quod est summum bonum, id est Deus, nullum habet respectum; intellectus verò boni filius apud Plotinum duos saltem respectus habet, primum prout est ab vno, atque ita & ipse est vnus, secundum prout existit in se, itaque in multitudinem idearum deriuatur, quas tamen actu vnico omnes habet & conspicit. *Fic.in Plot.En.1.lib 2.cap.8.* Vnum ipsum, vel vnitas est nomen à Pythagoricis inuentū, quo principij rerum simplicitatem, & eminentiam pro viribus designarent, negantes multitudinem, compositionem & determinationem prorsus omnem, de ipso ceterum nihil affirmantes. *idem, in Plot. En.5.lib.5 c.6.*

Vnum ipsum simpliciter non prædicatur de aliquo scilicet generum, aut de ideis vllis, nam quoduis genus, & quæuis idea est in se vnum aliquid multitudinis necessariò particeps; æquiuocè ergo & ratione longè diuersa illud primum, & hęc nominantur vnum, nec minus multitudo, quàm vnum de his generibus, ideisque prædicatur. *Fic.in Plot.En. 6.cap.10.*

Vnum ipsum quod est ente superius de nullo vel generum, vel entium prædicatur, vt genus, quia per indiuiduam sui simplicitatem differentias non admittit, ac nullas diuisiones, adiunctiones, compositiones excipit, per quas solet genus in species deriuari. *Fic.in Plot.En.6.lib.2.c.9.* Vnum ipsum & bonum idem est, ideò multitudo quo longius distat ab vno deterior est. *idem, in Plot.En.6.lib 6.c.8.*

Vnum si ente est communius, fieri poterit vt aliquid nō ens siue nihil sit vnum, & ita de non ente vnum prædicabitur, quod cōfutat in Sophista Plato. *Io.Pic.Mir.de ente & vno.c.7.*

Vnum vt numerus.

Vnum rerum principium statim producit binarium, scilicet principia entium, vel elementa duo, terminum scilicet, & infinitatem, ex quibus omnia entia componuntur; sed ante aliorum entium compositionem, primum ex his conficitur mixtum scilicet ens, primum in se continens vniuersum, vt sicut quodlibet ens ex suo quodam termino infinitóque constatur, sic ens primum ex termino infinitóque primo sit præcipuè mixtum; ex quibus concluditur vnum, & ente, & elementis, & entis principiis esse superius. *Fic.in Plat.Parmen.c.38.*

Vnum similitudinem ad Deum habet, quia quantumcunque multiplicare contenderis dices semel vnum, & nunquam vel diuidis vel minuis vel auges ipsum semel vnum. *Ficin.in Plat.de repub.dial.8.c.8.* Vnum obuium pari imparem facit, impari parem, quia tanquam mas & impar accessu efficax numerum mutat, ex pari faciens imparem, & ex impari parem: cùm par non habeat vim immutandi, sed mutatur & vt fœmina patitur. *idem, ibid.*

Vnum in rebus productis est antiquius numero. *Gabriel Burat. de ente & vno, lib. 2.* Vnum omnium quæ numerum habent prius factum est. *idem, ibid.*

Vnum ad quid refertur, & vt opponitur duobus & multis.

Vnum vt duo fiant causa est participatio dualitatis, vt participatio vnitatis quod vnum fiat. *Plat.in Phæd.*

Vnum omnia esse, & multa participatione non est inconueniens: nam si quis dicet alia esse dextra mea, alia sinistra, alia anteriora, alia posteriora multa dicet, & si quis dicet ita esse vnum hominem vnum dicet. *idem in Parmenide.* Vnum necesse est, cùm vnum sit, & multa, neque vnum, neque multa, & tempore participare, eo quidem quòd est vnum essentia quandoque participare, eo verò quòd non est vnum nonquam essentiā participare, & in alio tempore participes in alio non. *ibid.*

Vnum cùm non sit multa sunt, & easdem inter se diuersa, & contigua inter se, & seorsum, & quæ omnibus motibus moueantur, & quæ vbique stent, & quæ fiant, & quæ pereant & neutra, & omnia huiusmodi, quæ facile est recensere, eueniunt. *Plat.in Parmen.* Vnum si non est non erunt alia, nec multa, nam in multis est vnum, nec apparet vnum, nec multa, nec opinio, nec spectrum aliquod, non similia, non eadē, non alia, nec cōtigua, nec seorsum. *idem, ibid.* Vnum si non est nihil est. *ibid.* Vnum siue est, siue non est & ipsum, & alia, & ad se ipsa, & inter se, omnia penitus & sunt, & non sunt, & apparent, & non apparent *ibid.*

Vnum superessentiale, & hoc quod dicitur ens vnum, & numerum omnem terminat, ipsúmque est, & vnus, & numeri, omnisque entis principium, & causa, & numerus, & ordo. *Dion. Areop de diuin.nomin.* Vnum in corporibus simul est vnum, & multa: nam in lapide aliud color, aliud figura erit. *Plot. En.6.lib 2.c.4.*

Vnum, & multa in ente perfectè constata sunt. *Fic.in Plat.Parmenidem, cap.41.*

Vnū multa esse tribus modis cōsiderari potest, vel aliquid vnū opposi-

opposita circa se habens, vel totum aliquid ex pluribus suis partibus constitutum, vel vnum aliquid simplex commune pluribus esse & multa dispersáq; diffundi. *Idem, in Plato Phileb. lib. 1. cap. 16.*

Vnum ad omnem pertinet communionem, quæ in qualitate si est simile efficit, si in substantia idem, si in quantitate æquale. *Ibid. cap. 29.*

Vnum vt se habet ad essentiam.

Vnum nullo modo essentia participat. *Plat. in Parmen.* Vnum si est est essentia quæ non est idem cum vno, alioqui illa huius essentia non esset, nec ipsum vnum illa participaret, sed simile esset si quis diceret vnum esse, ac si diceret vnum vnũ. *idem, ibid.* Vnum si non est idem & essentia, & si est de vno quod est dicitur & vnum de vno quod est, nonne necesse est, totum quidem vnum ipsum quod est esse, huius autem partes fieri, & vnum, & esse ? & totum est quod vnum fuerit, & partem habet, & sic vnum infinita multitudo fuerit. *ibid.*

Vnum aliud est ab essentia ipsius, siquidem non essentia vnum est, sed vt vnum essentia participat, & quia aliud sunt vnum & essentia, inter se alia sunt, ideò nec cum vno, nec cum essentia aliud idem est, ideò cùm dico essentiam & vnum ambo dico, at quæ ambo appellantur duo sunt, & quæ duo sunt vtrunque ipsorum vnum est; at si vnumquodque ipsorum vnum est, vno quocunque tandem cuicunque coniugationi, & tria fient omnia, & cum tria imparia sint, & duo paria, quia verò cùm duo sint, necesse est etiam bis esse, & cum tria ter, siquidem duobus bis inest, & tria ter, & bis tria, & tria bis esse, paria igitur pariter fuerint, & imparia impariter, & paria impariter, & imparia pariter, ergo omnis numerus, & multitudo infinita. *Plato. in Parme.*

Vnum essentiã participat eo quod est id quod est, & hoc vnum si cogitatione solum per seipsum accipimus absque hoc quo participare ipsum diximus, vnum solum apparebit. *Plato. in Parme.*

Vnum & accipiens & dimittens essentiam, & fit, & perit. *idem, ibid.*

Vnum cùm sit super essentiam, haud ab re super intelligentiã esse censetur, nec absurdè dicetur si dicatur primum illud seipsum non nosse, cùm omnino sit vnum nihil habet in se, quod discat, sed nec alia oportet ipsum nosse; melius enim quiddam, ac maius tradit illis, quàm sit ipsa cognoscere quod bonum est aliorum, potius enim tribuit vt in eodem quoad possent illud attingarent. *Plot. En 5. lib 6. cap. 6.* Vnum ad essentiæ cuiuslibet subsistentiam confert, nullum enim est ens quod non sit vnum, nimirum & ante essentiam extat, & gignit essentiam: ideò & vnum ens dici solet, non eatenus ens quidem, deinde vnum. *Idem, En 6. lib. 6. cap. 13.*

Vnum quod est essentia est, at non quod essentia est statim vnum erit: nam est aliquod ens nullo modo vnum, igitur aut nihil aut multitudo infinities infinita, quod impossibile est, quapropter vnum superius est ente. *Fic. in Pla. Parme. cap. 41.* Vnum dicitur præter essentiam, non propter defectum, sed propter excessum, quia melius est quam essentia; nec extat in essentia vt apex, quoniam foret participatum aliquod & alicuius, & in aliquo, nec foret omnium principium quod esse oportet imparticipatum, & sui iuris, & in seipso tantum, id est non in aliquo, ne cogatur aliunde pendere, & non debet habere duplicem in se naturam, sed vnum esse penitus absolutum. *Idem, ibid.*

Vnum cum essentia non est simpliciter vnum, sed vnum quoddam cum hac differentia assumptum; & essentiæ ratio, & vnius ratio differunt. *Ficin. in Pla. Parme. cap. 77.* Vnum intelligibile etsi dicitur essentiæ particeps est tamen præstantius, & quodammodo superius quàm essentia. *Idem, ibid. ca. 81.* Vnum per potentiam sibi naturaliter intimam progreditur in essentiam, vt essentia per intimam vitam procedit in mẽtem. *ibid. cap. 95.* Vno & multitudine omnia componuntur, multitudinem autem ipsam non est vnum ipsum, neque vicissim. *ibid. cap. 103.*

Vno ab ipso non habente propriam essentiæ, vitæ, intelligentiæ formam, sed aliquid eminentius ita fiunt ista, vt à natura non habente oculos, nec pedes, sed præstãtius aliquid, & oculi, & pedes generantur. *Fic. in Plo. En. 5. lib. 3. cap. 15.* Vnum nullam in se multitudinem, & compositionem admittit, essentia verò, & ens admittunt: ideò vnum cùm sit simplicius essentia, est etiam prius & superius. *Idem, in Plo. En. 1. lib. 7. cap. 2.*

Volucrum genus transformatum est, vt pro pilis pennas producant, ex non malis viris, leuibus tamen, & qui de sublimibus rebus disputant, sed putant demonstrationes de his per visum contingentes constantissimas esse, propter simplicitatem. *Plato. in Timæo.*

Voluntas Dei caret initio, quæ eadem est, & vbique est sempiterna. *Mer. Trismeg. Asclep. cap. 9.*

Voluntas est appetitus secundùm rectam rationem, affectus rationalis, affectus cum ratione secundùm naturam tendens. *Speusip. de Pla. definitio.* Voluntarium est quod seipsum ducit, quod per seipsum eligendum, quod cogitationem perficit. *idem, ibid.*

Voluntas vult bonum. *Plot. En 6. lib 8. cap. 6.* Voluntarium apud nos est quod voluntati seruit, ac eatenus vel fit, vel non fit quatenus ipsi volumus, & quod absque violentia, & cum cognitione peragitur, in nobis est, id est in libero nostro arbitrio est, ad quod agendum ipsi sumus domini. *idem, ibi. ca. 1.*

Voluntarium est cùm cognoscens appetitus bonum esse tanquam ad bonum proficiscitur, inuoluntarium namque est abductio quædam ab ipso bono, coactum dicitur violentiáq; compulsum quod fertur ad id quod non est ipsum bonum. *ibid. cap. 4.*

Voluntas est maxima pars purgationis, huius namque munere tum facta, tum dicta manum porrigunt; hac sublata omnis purgatoria machina caret anima, cum maximum reconciliationis pignus desit; hac de causa & hic & ibi punitionae ordini rerum maximum afferunt adiumentum, dum molestiam oblectamentis opponunt stupidámque purgant ex anima nostra lætitiam. *Synesius de somniis.*

Voluntas semper affectat bonis omnibus perfrui. *Ficin. Plat. Theolo. lib. 14. cap. 3.* Voluntas quæ est rationalis auiditas, sic sequitur intellectum, vt appetitus irrationalis sensum. *idem, ibid. cap 5.* Voluntas in solo primo, & immenso bono quiescit. *Ibid. cap. 10.* Voluntati diuinæ consentire vnica pietas est, vera sapientia, & summa felicitas. *Idem. epist. lib 1.*

Voluntatis affectus nullo modo satiatur bono, quatenus putamus aliquod bonum superesse, sed solo satiatur bono vltra quod nihil est boni, quod nil aliud est quàm Deus. *Fic. epist. lib. 1.* Voluntate sola vbi proceditur, & proficitur, ibi sequi nil aliud est, quàm velle sequi. *Ibid.* Voluntas magis fruitur Deo quàm intellectus. *idem, ibid.*

Voluntatis actus est appetere quæ mens & ratio porrigit. *Ficin. in Pla. de virt.* Voluntatem iustitia, & liberalitas perficit. *idẽ, ibid.* Voluntas, quæ ab intellectu differt, stimolus est ad bonum intelligentiã consequendum. *Idem, in Plat. Phileb. cap. 33.*

Voluntatis actus efficacior est, quàm cognitio, atque liberior, & actionis principium, medium, & finis; ideò mera cognitione nihil fit, mero verò affectu, vel occulto, vel naturali plurima fiunt. *Ficin. in Plotum En. 2. lib 3. cap. 9.* Voluntaria est in diuinis necessitas. *Idem, in Pla. Atlant.* Volumus finem, eligimus quę ad finem. *idem, in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 32.*

Voluisse in magnis satis est, & magnarum rerum magnus conatus profectus est. *Ioan. Picus Mirandul. in Heptaplum, in præfatione.* Voluntas tendit in id quod speramus, & quod speramus in futurum tendit, ergo in futurum voluntas: at non speraremus nisi cognoscaremus; nam incognita nec sperare, nec amare possumus. *Ioan. Franciscus Picus Mirandul. de prænotione lib. 2. cap. 8.* Voluntas & velle in nobis seiunctæ sunt, in Deo idem qui actus simplex & purus est. *idem, in ex. doct. van. gentium. lib. 6. cap 8.*

Voluntas est appetitio cum ratione cupiditati contraria. *Fran. Patricius de regno, li. 1. cap. 5.* Voluntatem homines liberam habent ad vtranque partem: angeli, quia Deo se addixerunt, ab ipso nulla in re declinent: dæmones mali, cùm voluntatem peccato addixerunt, à peccato non resipiscunt. *Iac. Carp. in Alc. parte post dig. 12.* Voluntatem humanam liberam esse ex sese ad bene agendum, & tamen propter corporis contagionem ad malum propensiorem esse cognouit antiquitas. *idem, in Alc. cap. 12.*

Voluptatis diuisio.

Voluptates tres sunt, vna genuina, duæ spuriæ: Tyrannus ad spurium genus longè transgressus est, lege, & ratione præterita. *Pla. de rep. dial. 9.*

Voluptatum species quam esse animæ diximus, tota ex memoria genita est. *idem, in Philebo.*

Voluptates de mente Aristotelis aliæ naturales sunt, aliæ præter naturam, quarum aliæ corrupta quadam flagitiosa natura, aliæ consuetudine pessima nonnullæ morbis aduersisque casibus eueniunt. *Pic. de voluptate. cap. 8.*

Voluptatem duplicem Epicurei asserunt, aliam in motu, aliã in statu: quæ in motu, alia in mente, in sensu altera: illud gaudium, hanc lætitiam nominant. *idem, de volup. cap. 17.*

Voluptas duplex, vna in ipso cognitionis actu, quæ cognitionis integritas est, & est in cognoscente potentia. altera cognitionis comes, quæ in appetitiua potentia est; illa idem est, quod motus, & expeditus actus, ista est appetitionis assensio: illa eiusdem generis cuius cognitio, quia in genere ter-

mini ponitur, cùm ſit expeditæ cognitionis terminus, iſta in genere infiniti, quia eſt inclinatio & diffuſio appetitus in id quod cognitione iudicatum eſt bonum. *Fic. in Platonis Phileb. lib. 1. c. 32.*

Voluptates tam pulchræ quàm non pulchræ eandem ſuſcipiunt diuiſionem; ambæ enim vel reuera, vel ſpecie duntaxat bonæ eſſe videntur. *Leo Heb. de amore, dial. 3.* Voluptates ex mente Platonis, non ſecus ac amor ipſe in ferinas, humanas, diuináſque diuiduntur. *idem, ibid.* Voluptatum quædam puræ, quædam impuræ, item quædam reipſa quædã ſpecie exteriori tantùmodo bonæ. *Leo Heb. de amo. dia. 3.*

Voluptas quid eſt, & vt ſe habet ad dolorem.

Voluptatis & doloris eſt talis nexus, vt qui perſequitur alterum ac apprehendit, fere cogitur ſemper etiam alterum apprehendere, vt quæ duo ſint velut ex vno apice connexa. *Plat. in Phæd.* Voluptas, quæ *ἡδονὴ* dicitur habere videtur hoc nomen, quia ad *ὄνησιν* id eſt vtilitatem tendit; *δ* vel ò inſertum eſt, vt *ἡδονὴ* pro *ἡονὴ* appelletur *idem, in Crat.*

Voluptas eſt res varia. *in Philebo.*

Voluptas & dolor in communi genere eſſe videtur ſecundùm naturam. *ibid.*

Voluptatem ſatis explorare non poſſumus abſque doloris exploratione. *Plat. in Phileb.* Voluptates dolorum comparatione maiores apparent, & ſic dolores voluptatum comparatione maiores apparent *idem, ibid.* Voluptatum ſunt mixtiones aliæ ſecundùm corpus in ipſis corporibus, aliæ ipſius animæ in anima; ſed & rurſus animæ, & corporis dolores, voluptatibus mixtis comperimus, & modò ambo ſimul voluptates, modò dolores appellantur. *ibid.*

Voluptates maximæ, & dolores maximi in animæ, & corporis quadam prauitate, non in virtute conſiſtunt. *Plat. in Phil.*

Voluptates omnes eſſe dolorum quietem non eſt verum, ſed quædam videntur, non autem ſunt, & magnæ aliæ, ac imaginariæ, quæ ſunt doloribus permiſtæ, & maximorum dolorum requies tum circa corporis, tum circa animæ anguſtias. *idem, ibid.* Voluptatibus dolores permixti ſunt, & in corpore abſque anima, & in anima abſque corpore, & in communi in affectionibus inter ſe mutatis. *ibid.*

Voluptatem qui eligit, corruptionem & generationem eligit, non tertiam illam vitam in qua neque dolere, nec gaudere, verum ſapere quis poteſt, quatenus eius fieri poteſt puriſſimè. *Plat. in Phi.* Voluptatem pleriſque malis dæmon quiſpiam immiſcuit. *idem, ibid.* Voluptates ex viſu & auditu maximè innoxiæ ſunt, & optimæ tum ambæ, tum vtraque. *de pulch.* Voluptates non neceſſariæ quędam eſſe videntur legibus aduerſantes, quæ in omnibus oboriri videntur, verùm ſi caſtigentur, & à legibus & à melioribus cupiditatibus cum ratione, ab aliquibus hominibus, aut penitus diſcedunt, aut paucæ & debiles relinquũtur in alijs fortiores, & plures. *de republica dial. 9.*

Voluptas & moleſtia in anima motus ſunt, & quod nec iucundum nec moleſtum eſt, quaſi eſt in medio amborum poſitum. *Plat. de rep. dial. 9.* Voluptas ſæpe quies eſt, & doloris eſt, & dolor voluptatis, quia nihil ſani eſt in huiuſmodi ſpectris ad veritatis voluptatem collatis, ſed impoſtura quædam. *idem, ibidem.* Voluptates circa odores non prægreſſo dolore, de repente immenſa magnitudine oriuntur, & vbi deſinunt, nullum dolorem relinquunt. *ibid.*

Voluptas pura non eſt dolorum ſummotio, nec dolor, voluptatis; at quæ per corpus ad animam tendunt, & voluptates dicuntur, ferè plurimæ & maximæ huius ſunt generis, vt dolorum ſint ſummotiones. *Plat. de rep. dial. 9.* Voluptatis veræ ſimulacbra ſunt voluptates permiſtæ doloribus *idem, ibi.*

Voluptas eſt maxima malorum ineſcatio. *in Tim.*

Voluptates & dolores ſunt duo fontes omnium rerum à natura fluere permiſſi, in quibus ſi quis haurit, vnde, & quando, & quantum oportet felix eſt, ſiue priuatus ſiue reſpublica ſit. *dial. 1. de leg.*

Voluptas & luſus dicitur, cùm nec lædat, nec profit in aliqua re memorabili nec alicuius opere prætij. *Plat. de leg. dial. 2.*

Voluptas nec Deo nec hominibus eſt imprecanda, Deo vt à quo procul conſiſtis voluptas & dolor, homini quia plerunque detrimento eſt, vt quę ad diſcendum tarditatem, & obliuionẽ, & diſſidium & cõtumeliam in anima pariat. *Plat. Dion. c. 3.*

Voluptas non eſt ipſum bonum, nam qui voluptate afficitur nõ affectat idem, nam etiamſi voluptatem ipſam affectare dicatur, nondum tamen idem affectare conuincetur, aliud nãque eſt ſemper illud quo delectatur. *Plot. En. 6. lib. 7. cap. 26.*

Voluptatem ad tollendam non ſufficit, vt auerſentur eius interranea, id eſt auctaria; ſed etiam affectuum irritamenta tollẽda ſunt. *Phi. in leg. alleg. lib. 2.* Voluptas nõ eſt quieſcentium, & ſtãtium, ſed commotorum perturbatione plenorum. *idem, ibid.* Voluptas eſt inimica ſenſui, adulterina enim familiaritate inſinuat ſe ſenſui, & ſaturitatis voluptate omnes ſenſus lexantur: in ebrijs nonne ſenſus fatiſcit, vt in ſobrijs intenditur? *ibid.*

Voluptatis principium non affectus eſt, ſed bruta concitatio ſenſus quæ per mentem fit, nam à mente vt à fonte quodam manant ſenſitiuæ potentiæ iuxta Moſis doctrinam, qui ex Adamo narrat factam mulierẽ, id eſt ex mente ſenſum: ergo vt voluptas ſe habet ad ſenſum, ſic affectus ad mentem. *ibid.* Voluptas quoties præter ſpem incidit, maiorem affert lætitiam. *idem. de vita Moſis lib. 1.*

Voluptas & dolor abſque cognitione nõ fiũt. *Fic. in Plat. Theol. lib. 16. c. 8.* Voluptas eſt rerum condimentum, amoris eſca, incitamentum ingenij, voluntatis pabulum, robúrque memoriæ. *idem, epiſt. lib. 1.* Voluptas necet empta dolore. *idem, epiſt. lib. 3.*

Voluptas quid ſit nunquam ſatis explicauit Ariſtoteles; Peripatetici verò, qui ab Ariſtotele fluxerunt, interpretantes opinionem magiſtri in diuerſas ſunt ſententias diſtributi, nã alij in ſenſibus, alij in eo qui ſenſu appetitu ſequitur voluptatem collocauere. *Fic. de volupta. c. 5.* Voluptas in communi apud Ariſtotelem nil aliud eſt quàm perfectio quædam operationis animi, idem autem cognitionis: & cum omnibus ſenſibus inhæreat voluptas viſus eſt viſionis perfectio, & ſic de alijs. *idem, ibid.*

Voluptatem eſſe Plato vult ſuauem quandam motionem in ſenſibus, quæ ex indigentiæ repletione proficiſcitur. *Fic. de volup. c. 2.* Voluptas, vt inquit Hippocrates, eſt pars morbi teterrimi, quem noſtri comitialem vocant. *idem, ibid.* Voluptas non eſt motus. *ibid. c. 4.* Voluptatem eſſe ſummum bonum ait Eudoxus. *ibid. c. 11.* Voluptas mentis nil aliud eſt quàm illa ipſa perfecta & grata aſſenſio qua voluptas in eo quod mens conſiderat, vtpote familiari, ac ſibi proprio penitus conquieſcit. *ibid. c. 9.*

Voluptatis nomine omnes pro qualibet iucunditate vtuntur. *Ficin. in Plat. Phileb. lib. 1. c. 7.* Voluptas nil aliud eſt quàm quidam animi ſtimulus. *idem, ibid. c. p. 37.* Voluptas nil aliud eſt quàm quies voluntatis in aliquo conuenienti bono. *ibid.* Voluptas non eſt finis, ipſumve bonum, ſemper enim comitatur vel adeptionem boni, vel motum ad bonum, & ita voluptas eſt aliud quàm bonum, vt dolor aliud quàm malum *ibid.*

Voluptas eſt paſſio quędam ab ipſo delectante procedens. *Fic. in Plat. Phileb.* Voluptas eſt affectio quædam, diffuſióque gaudentis. *idem, ibid.* Voluptuoſa vita ſeruilis eſt, corpori enim ſeruit. *ibid.* Voluptas & dolor ad corporeum ſenſum pertinentes præcipuè fiunt in compoſito quodam ex infinito & termino, ex materia & forma, dolor quoties harmonia ſoluitur naturalis, voluptas quoties reſtituitur. *ibid.*

Voluptas quæ eſt ex motu, non ſolùm breuis eſt ac leuis, & moleſtiæ permixta, ſed etiam in multos, & diuturnos, & ingentes dolores continuò prolabitur. *Fic. in Plat. de leg. dial. 7.* Voluptas amantium cum adamata pulchritudine copulatio quædam eſſe definitur. *Leo Hebr. de amo. dial. 3.* Voluptas vel cum ipſomet copulationis & fruitionis actu vna eadémque exiſtere, vel eum ſemper ſubſequi atque concomitari videtur. *idem, ibid.* Voluptas pro pulchritudinis ipſius adamatæ copulatæque ratione, vel maior, vel minor, vel maxima, vel minima, vel finita, vel infinita exiſtere prædicatur. *ibid.*

Voluptas intellectualis affectionis appellationem nequaquam meretur. *Leo Heb. de amo. dial. 3.* Voluptas ſenſibilis animæ ſentientis affectio quædam exiſtis. *idem, ibid.* Voluptas intelligentium eſſentiarum eſt actus quidam intellectualis cuiuſcunque naturalis affectionis penitus expers. *ibid.* Voluptas & ſuperiorum, & inferiorum amantium, quamuis diuerſa quadam ratione, communiſſimus finis exiſtit. *ibid.*

Voluptas rerum omnium procreatarum cum ipſomet Deo coniunctionem atque copulationem cõſequens, cunctorum amorum, qui in vniuerſo conſpiciuntur, ſummus & abſolutiſſimus is eſt. *Leo Heb. de amo. dial. 3.*

Voluptates pro hominum eas amantium atque expetentium naturis differentibus variæ quoque diſſimiléſque redduntur *idem, ibid.*

Voluptatum ſenſibilium eæ quæ ad laudabilem mediocritatem redactæ fuerunt, verè propriéque bonæ honeſtæque ſunt appellandæ. *ibid.* Voluptas eſt amoris finis. *ibid.*

Voluptas vt fit, & in quo.

Voluptatem affert quæcunque affectio in nobis fit, quæ in naturam abit, aceruata, iucunda. *Plat. in Tim.* Voluptas cum generatio ſit alicuius eſſentiæ gratia ſit, & ideò in bonis non eſt ponenda *idem, in Phil.* Voluptates vbi videmus, aut riſum, aut ſummam turpitudinem ſequi conſpicimus, & ipſi

pedo-

pudore afficimur, & obscurãtes quàm maximè occultumue noctiomnia tribuentes, velut sit nefas intueri. *ibid.* Voluptate nihil immoderatius est, ac ubundãti gaudio. *ibid.* Voluptas fit dum natura adaptater, & ad seipsam redit in animantibus, vt esus voluptas. *ibid.*

Voluptas vacua periculo eligenda est. *Max. Tyr. ser. 32.* Voluptas ex omnibus rebus sequenda est. *idem, ser. 33.* Voluptas imaginãdi in regressione similiter ad ordinẽ imaginalẽ consistit, à quo detieis perturbatio. *Ficin. in Plat. de leg. dial. 7.*

Voluptas humana consistit summatim in reditu quodam in habitum naturalem, neque tam reditus ipsius, quàm habitus gratia fit, & optatur: ideò huiusmodi habitus si fieri potest continuè firmus optandus est: & si videtur optabilior oblectatio in motu perpetuo, quàm status ille perpetuus, id fit quia fallit nos imaginatio & opinio animæ mobili coniunctæ corpori, pérque coniunctionem eiusmodi voluptatem mobilem appetentis, quam meritò neglectura sit prænaturalis habitus firmitate, quando posita fuerit supra motum: nam si reuera gustaremus saporem ipsius habitus naturalis extra quem in terris positi sumus, vt motionis ad ipsum vergentes gustamus saporem, proculdubio longiori interuallo habitum regressioni proponeremus, nam reuera in statu omnium expetendorum rationes potiùs quàm in materia mobili collocantur. *Fic. in Pla. de leg. dial. 7.*

Voluptas non versatur in hoc vt certò sentiatur maximum ens, & vehemens, sed vt congruum tanquam sibi bonum. *Fic. in Plat. Parmen. c. 47* Voluptatem natura vt finem non posuit, imò ad operationes explendas illam induxit. *in Plat. Phileb. lib. 1. cap. 37.* Voluptas in quadam voluntatis quiete consistit. *ibid.* Voluptas vbi apparet maior, ibi minus vera, quia minus sincera, siquidem cum stimulo indigentię, & appetitus molesto miscetur, quo cessante desinit simul & vehementia voluptatis *ibid. c. 40.*

Voluptatem in Deo non esse docet Plato, illam scilicet quæ dolorem habet oppositum, & in motu quodam vel indigentiæ expletione versatur: esse tamen in Deo totum id bonum, cuius causa bona videtur voluptas. *Fic. epist. 1.* Voluptas in motu quodam priuationi & indigentiæ semper annexo consistit. *Leo Heb. de amo. dial. 2.* Voluptas longè maior in acquisitione quàm in possessione diuitiarum sentitur. *idem, ibid.* Voluptas superiorum amantium in propria pulchritudine inferioribus impertienda, eisq; sibi adiungendis copulandisq; consistere existimatur. *ibid. dial. 3.* Voluptates quantò magis in spirituali animæ nostræ cõsistunt potestate, tantò minorẽ satietatẽ, ac fastidium in animos nostros inducunt. *dial. 1.* Voluptas quoque in diuinã naturã cadit. *dial. 2.*

Voluptates vt bona vel mala.

Voluptates maximę, & luxus fugiendi sunt, & ab ipsis abstinendum. *Plat. dial. 1. de legib.* Voluptates promptæ & maximę sunt hæ quæ circa corpus existunt. *idem, in Phileb.* Voluptates veræ sunt quæ circa pulchros appellatos colores contingunt, & circa pulchras figuras, & plerasque odorum ac sonorum, & easquæ indigentias habent sensum fugientes, & dolorem non inducentes, repletiones autem sensiles, ac iucundas à doloribus puras exhibent, & figurarum pulchritudo intelligitur quoad rectitudinem. *ibid.*

Voluptas omnis parua, & modica iucundior, & verior, ac pulchrior fuerit quàm magna, & multa, si modò à dolore pura sit. *Plat. in Phileb.* Voluptatis semper generatio est, essentia autem voluptatis omnino non est. *idem, ibid.* Voluptas omnium petulantissima est, & vt fertur in voluptatibus quæ sunt circa Venerem, quæ sanè maximæ esse videntur, etiam peierare veniam apud deos consequitor, tanquam voluptates veluti pueri, neque minimum intelligentię habeant. *ibid.*

Voluptatem persequentes homines porcos, & boues, & equi & aliæ vniuersæ bestiæ: quibus credentes vt augures auibus, iudicant voluptates ad bene viuendum optimas esse, & bestiarum amores magis præstantes testes esse putant, quàm sermones quos musæ philosophicæ velut oracula quædam protulerent. *Plat. in Phileb.*

Voluptas & sapientia non sunt bonum, sed aliud quid tertium ab iis quidem diuersum, vtrisque autem præstantius. *Plat. in Phileb.* Voluptatibus falsis homines mali gaudent, boni veris. *idem, ibid.* Voluptates falsæ sunt in animis hominũ, veras imitantes ridiculo modo, & dolores similiter. *ibidem.* Voluptates falsæ, et dolores magis sunt quàm apparentes, & veræ in animalibus. *ibid.* Voluptates ideò prauæ sunt, quia sunt falsæ. *ibid.* Voluptas vehemens intemperantes, & petulantes ad insaniam vsque detinens, infames efficit. *ibid.* Voluptatum victoriæ compotes feliciter viuunt, si eliter, contra. *de leg. dial. 8.*

Voluptatẽ contemplatiuã cõstituendo summũ bonũ, errat Arist. quia contemplatio esset summum bonũ, si sequatur vel nõ voluptas *Georg. Gemi. de Plat. & Arist. phil. diffe. c. 13.* Voluptates & molestiæ de præteritis & futuris susceptę, animę proprię sunt. *Fic. in Plat. Phileb. c. 3.* Voluptas si esset ipsum bonũ, nulla voluptas esset mala. *idem, in Plat. de repub. dial. 6.*

Voluptas vera dicitur tum propter obiectum verè bonum, tum propter veram obiecti præsentiam, & falsa, tum propter malum tum propter absentiam: nam vbi apparet maior quàm est, aut minor, est falsa voluptas, præsertim ea parte qua fallimur. *Fic in Plat. Phileb. c. 36.*

Voluptates conferendæ sunt ad obiectum quod delectat; si hoc reuera bonum, voluptas bona, contra mala. *idem, ibid.*

Voluptas sponte natura bona semper existit. *Leo Heb. de amo. dial. 3.* Voluptates bonæ simul & pulchræ, amoris, bonæ verò duntaxat minimæq; pulchræ, sensibilis appetitus proprij accommodatique fines esse censentur *idem, ibid.*

Voluptas corporis.

Voluptas corporis menti permisceri non potest, nec lætitia vlla animi cum voluptate corpori congruente. *Plot. En. 6. lib. 7. c. 30.* Voluptates quædam per corpus, aliæ per animam (dicit Plato) aliæ dolori commixtæ, aliæ puræ, aliæ per memoriam fiunt, aliæ secundùm spem excitantur, aliæ turpes, aliæ honestæ, & illæ ex incontinentia & iniustitia suscipiuntur, hæ ex temperantia aut alio quopiam bono cõtingunt, vt gaudiũ quod ex virtutibus percipitur. *Alc. c. 28.*

Voluptates tanquam vmbræ corpora sequuntur. *Auer. in rempub. Plat. tract. 3* Voluptas corporis quæ videtur maxima, dolorem gignit maximè. *Fic. epist. lib 3.* Voluptates corporis sensibus percipiuntur; & cùm quinque sint sensus, quinque quoque erunt voluptatum genera *Fic. de volupt. c. 4.* Voluptas corporis de mente Eudoxi, & Aristippi est quod potior quàm animi, quódq; in ipsa corporis suaui cõmotione omnis beatitudo consistat *ibid. c. 22.* Voluptates corporis vehemẽtissimæ sũt quæ tãgẽdo & gustãdo pcipiũtur. *ib. c. 23.*

Voluptates odoratus, auditus, & visus in reditu quodam ad ordinem sensualem, à quo multis contingentibus quotidie deturbamur, consistit. *Fic. de legib. dial 7.* Voluptates corporis trium præcipuè rerum causã concupiscimus, mente, naturæ indigentiã, doloris mitigatione *idem, de volupt. cap. 13.*

Voluptates corporeas Pythagoras, Heraclitus, Empedocles tanquam seueri morum, vitæque censores in contemptum trudere studuerunt, dicentes voluptatem essentiam aliquam non habere, sed in ipsa doloris fuga illam aliquid apparere, & fortè putant illa sensuum multa oblectamenta esse quædam dæmonum inferiorum venefícia, vt huiusmodi escã nos in rebus mortalibus illaqueant. *Fic. in Plat. Phil. c. 39.* Voluptatem Democriti, Epicurique ab iis electam in corpore quidem indolentiam, in animo verò tranquillitatem vocant. *idem, ibid.*

Voluptas in corpore, & in anima sæpe cum dolore miscetur; quæ aliquando superat dolorem, aliquando superatur, & nonnunquam simul æquatur: sæpe quoque in communi voluptas concursu contingit & corporis & animi, cum corpore sitibũdo, delectatur animus spe vini iam proximi. *Fic. in Pla. Phile. c. 45.* Voluptas tunc in corpore apparet vehementior cùm indigentia maior molestiórque acriorem incitat appetitum, & voluptatis vehementia cum habitu prauo & imperfecto concurrit *idem, ibid. c. 49.*

Voluptates gustus & tactus sunt vehementes, reliquæ non item, propter corporis necessariam indigentiam. *Fic. in Plat. Phileb. c. 49.* Voluptas corporis à maiori mouetur frequenter in minus, & deficit in habitu, delectatio verò mentis à minori procedit in maius, & in habitu proficit. *idem, ibi. c. 52.* Voluptatem ex mẽte Platonis non secus ac amor ipse in ferinas, humanas, diuinásq; diuiditur. *Leo Heb. de am. dia. 3.*

Voluptatum proprietas.

Voluptas & dolor sunt ex his quæ magis & minus suscipiunt. *Pla. in Phileb.* Voluptates illæ excellunt quarum cupiditates maximæ accedunt. *Plat. in Phileb.* Voluptatis naturam cognoscimus ad eas, quæ summæ & vehementissimæ dicuntur, voluptates respicientes. *idem, ibid.* Voluptatibus pluribus non gaudent, qui vehementer ægrotant quàm sani, sed magnitudinem voluptatis sentiunt. *ibid.*

Voluptate solùm illud rectè iudicabitur; quod neque vtilitatem aliquam, neque veritatem, neque similitudinem efficit, & exhibet, nec rursus damnum, sed huius ipsius solùm gratia fit, gratiæ videlicet concomitantis, quam sanè rectissimè quis appellauerit voluptatem, quum nihil horum ad illam sequatur. *Plat. de leg. dial. 2.*

Voluptates à concionatoribus passim vituperatæ elegerunt pro sua defensione impudentiã. *Fic. epist. lib. 10.* Voluptas plena penes diuinam sapientiam tantum assequi potest, & delectatio quædam ex liberalibus disciplinis. *idem, ibidem.* Voluptatis possessione nemo melior fit. *de volupt. c. 2.*

Voluptates impediunt prudentiam, menti infundunt tenebras, deprauant iudicium, & omnino hominis naturam in vitiorũ, & scelerum luto cœnóque prosternunt. *Ficin. de voluptatib. cap.* 2.

Voluptates quo auidius haustæ sunt, eo plura, & vberiora libidinum germina, & semina repullulant. *Idem, ibid.* Voluptatis gratia pestiferæ sunt omnes animi perturbationes, nam sequuntur enim adulteria, homicidia, furta, dissensiones. *ibid.*

Voluptatem affert manifestam reditus in naturam subitus & abundans, at contra nequaquam. *Ficin. in Plat. Timaeum, cap.* 59.

Voluptas tota temporis puncto percipitur. *Iacob Carpent. in Alcino parte poste. cap.* 24. Voluptas non est coniuncta cum motu quolibet ad naturam accommodato, sed cum eo tantùm qui adiunctam habet celeritatem, & vehementiam. *Idem, in Alcinoi defensione.*

Voluptates sensibiles mediocritatem atque temperamentum assecutæ, præter iucunditatem honestatis quoque participes esse videntur. *Leo Hebræus de Amore, dial.* 3. In Voluptatibus appetendis, fruendisque excessus communi nomine luxuria, propriè autem vel incontinentia, vel intemperantia; defectus nimia abstinentia, mediocritas denique vel continentia, vel temperantia nuncupatur. *Idem, dial.* 1.

Voluptuaria vita viuere absque intelligentia, scientia, memoria, & opinione, non est viuere vita hominis, sed pulmonis marini, aut animantis in mari viuentis cum testaceis corporibus. *Plato. in Phil.*

Votum est precatio hominum ad Deum, qua vel bona, vel quę bona videntur efflagitant. *Speusippus in Platonis definitionibus.*

Votis ad ipsam Trinitatem tanquam bonorum originem prouehi nos oportet, atque ita ad illam propius accedentes in hoc ipso gradu optima quæque bona penes ipsam perdiscere, illa enim omnibus adest, non tamen omnia illi adsunt, at quando castissimis precibus illam & intellectu tranquillo & affectu ad diuinam vnionem apto precamur, tunc nos etiam illi adsumus: iam illa nec est in loco vt absit ab illo, aut ab aliis se ad illa transferat: imò dicere etiam hanc in rebus omnibus esse longè deficit ab ipsa infinitate, quæ & excedit, & complectitur omnia, vt nos ipsos ad diuinorum salutariumque radiorum sublimiorem intuitum omnibus eleuamus. *Dionysius Areopag. de diu. nom.*

Voti potestas consistit in consensione quadam partis ad partem compatiendi, vt in neruo cum mouetur pars infima mouetur & summa, & sæpe ex concordia vno neruo pulsato tremit alter, maximè si eadem contemperati sint consonantia. *Plo. En.* 4. *lib.* 4. *cap.* 41. Votum est petitio boni alicuius à Deo. *Philo de sacrificiis Abelis, & Caini.*

Vocem infinitam quia siue Deus, siue homo diuinus animaduertit, vt fama refert, quæ hunc in Ægypto Theuth nomine fuisse dicit, qui primus vocales, & in infinitate, non vnam, sed plures esse intellexit, & alias voces non, sed soni cuiusdam participes, numerum quendam, & harum esse cognouit, & tertiam literarum speciem distinxit, quæ à nobis mutæ dicuntur, & postea soni expertes, ac mutas ad vnam vsque diuisit, & vocales, & medias eodem modo, donec numero ipsarum accepto, & vnicuique ipsarum, & vniuersis elementis appellationem imponeret; & cùm videret, quod nullus nostrum vnum aliquid per se ipsum sine aliis omnibus discere posset, hoc vinculũ rursus considerato, quod id vnum esset, & id omnia quodammodo vnum faceret, vnam his artem grammaticam præfecit. *Pla. in Phi.*

Voces comminus maiores videntur, eminus minores. *Pla. in Protag.* Vox melior est ea quæ vltro absona est, quàm quæ iniuste. *idem, de mendacio.* Vox & auditus ad philosophiæ cognitionem data sunt, nam & sermo ad eadem destinatus est maximam ad ipsam partem conferens, & quantum rursus vocis musicæ vtile est, id ad auditum harmoniæ gratia datum est. *in Tim.* Vox est plaga ab aere, quæ per aures cerebrũmque & sanguinem ad animam vsque distribuitur. *ibid.*

Vox alia velox, acuta est, alia multa & diffusa magna est, alia modica & contracta parua, alia ad rationes musicas ordinata concinna est, alia confusa & à ratione aliena inconcinna, & dissona est. *Timæus locrus de anima mundi & nat.*

Vox est ictus in aere, per aures ad animam proueniens, quarum meatus pertinent ad hepar vsque procedentes in his est spiritus cuius motum est auditus. *idem, ibid.*

Vox est prolatio ex ore secundùm cogitationem. *Speusippus in Plat. definitionibus.*

Vocis articulatæ principales partes sunt nomina & verba, horum autem syllabæ, syllabarum literæ, quæ sunt primæ voces indiuiduæ, & elementariæ, ex his enim totius orationis constituitur continentia, & ad postremas easdem literas dissolutio peruenit orationis. *Chal. in Plat. Timaeum.*

Vox est ictus qui ab aere aurium sensui infertur: ferit si vehemens sit celeriter, si lenta mollius: itaque acria & commota ictu auditum occupat prior, inde circumuecta ac deprehendens tardiorem commutatur & prosequitur sensum. *Plutarchus in Plato. quæstionib.*

Vox ominosa, vel alia quæpiam eius generis nota applicatione per se sola imbecilla est & leuis momenti, & grauem animum attrahere ad actionem nequit: at si ea consiliis duobus pugnantibus vni accesserit, dubium sublata æqualitate discedit, vt motus sequatur & impulsus, vt drachma per se non trahit lancem, sed stanti in æquilibrio ponderi adiecta totam ad se trahit. *Plutarchus de vrbe Theb. & Socratis dæm.*

Vocis actus impartibilis est, argumentum enim est absolutæ præsentiæ cunctis, & vnicuique audientium inesse totum, atque sub vnius formæ ratione similiter omnes implere. *Priscianus in Theophrastum, cap.* 26.

Vocem esse consonantiam vbi ait Aristoteles, intelligendum est de voce actu iam sensibili, vel in actu sensibili posita, dũ iam auditur: auditur autem quando & vox & auditus inter se concordes vnum conficiuntur, dum inter se prorsus contemperantur: nimius enim rei sentiendæ excessus soluit, aut perdit sensuum actionem. *idem, ibid. cap.* 49.

Vox humana auditu, diuina visu percipitur, quia quæ Deus dicit non sunt verba, sed opera quorum iudicium non tam penes aures quàm penes oculos est. *Philo de dialogo.*

Voto in petendo Plato vult bonam peti, & tunc certi & proprij boni petitionem securam esse cùm prudentiam quis fuerit consecutus, alias non. *Ficin. in Plato. Alcibiadem* 2.

Votum est ardens affectus casti animi Deo deditus, & quod bonum videtur exoptans. Huic affectui Zoroaster, & Orpheus suffumigationes, & characteres adhibuerunt, quoties ad secunda numina preces dirigerentur. Mercurius, & Plato cùm superni numinis maiestatem venerabantur, ceteras omnes ceremonias auferebant, solam ac puram animi fragrantiam relinquentes. *idem, ibid.*

Voti perfectio quinque absoluitur: primò est actio quædam diua, quod adorandum est, & qua ratione colendum: secundò assimilatio quædam vitæ nostræ ad diuinam vitam puritate, castitate, sanctimonia, disciplina, ordine proficiscens, diuinam captans beneuolentiam, & animas diuinæ largitioni subiiciens: tertiò est contactus aliquis, per quem essentiam diuinam fermè iam attingimus, & in ipsam summitate quadam animæ vergimus. quartò ingressio quædam in luminis diuini vestibulum: quintò vnio denique vnitatem animæ propriam diuinæ vnitati insinuans penitus & connectens, vnamque iam actionem eandem animæ Deique conflans: adeò vt nec vltra nostri iuris, sed Dei simus splendore obruti, & circumfusi diuino. *Ficin. in Platon. Timæum, cap.* 6.

Votum est vehemens motus animæ nostræ erga numen quod obsecramus. *Ficin. in Plotini En.* 4. *lib.* 4. *cap.* 40.

Vocum consonantia aerea aerium spiritum motu penetrans, affectũmque canentis, & animum secum transferens audientis affectum mouet affectu, & animum afficit animo sensumque mores infundit. *Idem, in Plat. de rep. dial* 9.

Vox septima est penitus dissona; vox octaua maximè consonans. *idem, Plat. de rep. dial.* 2.

Vox, & consonantia duodecima perfectissima est ex diapason & diapente, conueniens rebus amatoriis & nuptiis. *idem, ibid. dial.* 10.

Voces graues acutis perfectius commisceri possunt quam succis succi: primò quia vocales materiæ ob subtilitatem suam continuũmque motum vniformémque in cunctis corporis aerei qualitatem facilius consummatiúsque quam succi & crassi, & ad motum ineptiores, & qualitatibus admodum discrepantes, conflantur in vnum: quod si in vnum, ergo ad vnam, vnamque formam aptius parantur concipiendam: deinde quoniam instrumentum vocis naturale, intrinsecum, virtuti vitali, animali, rationali quam proximum atque obedientissimum, facilius arti obtemperat musicæ, ad vnum ipsum quo spectat conficiendum, quam extrinseca medicis instrumenta: & si cithara pulsetur digitis, fidelius obsequentur musici voto fides quàm medicis herbæ. *Fic. in Plat. Timæum, cap.* 30.

Voces plures ritè commixtæ vnum quendam inuicem resonant rehoatum, virtutis nouæ, & mirabilis fundamentum, vt in corpore ex elementis quatuor naturaliter constituto qualitates elementorum quatuor vnam, & vt quidam aiunt, quintam conficiunt complexionem, videlicet subiectam virtuti speciali occultis modis cœlitus proueturæ. *Ficin. in Pla. Tim. cap.* 30.

Vocibus

Vocibus è pluribus vna quadam ratione conflatis vna subitò nascitur quasi forma communis cunctis, per quam plura fit vnum, & vt vnum percipitur à sensu, & in vnum quendam effectum congrediuntur; num vidimus ex sonante citharam in citharam similiter temperatam repente resonare nonnihil, & ex chorda vibrata statim in chordam æquæ tensam transit vibratio similis. *idem, ibid.*

Vocum omnium discrepantia progreditur vsque ad septimum gradum post quem postea fit ad eadem reuolutio. *Ficin. in Pla. Timæ. cap. 32.*

Vocis secundæ & septimæ asperitas delinitur vocis tertiæ, & sextæ delicatiori mollitie. *idem, ibid.*

Vox est pulsatio quædam aeris perfluens per aures in venas directas in iecur, à capite; huc vsque expeditur auditus. *ibidem. cap. 62.*

Vocem gubernationis vult Plato esse legem, quæ officia erga Deum & homines congrua constituere debet & exequi, alioqui respublica salua esse non potest. *Idem, in Plat. epist. 5.*

Vox vna simplex quantum in se est non dicitur consonantia, dicitur tamen auditui consonare si congruat. *Idem, in Prif. sup. Theoph. cap. 49.*

Vocem putauit Democritus esse aerem in eius figura penetrantem, id est si rotunda vox rotundis, si quadrata quadratis, & simul reuolui, & quadrari fractionibus vocis. Plato dixit esse spiritum per os à cogitatione deductum; Epicurus ait fluxum esse emissum à vocantibus, vel à sonantibus, vel strepitantibus, qui vbi consimilibus figuris obuiam factus fuerit infrangatur, & cum simul auribus inciderit, sensus auditus oboritur. Anaxagoras ait fieri vocem incidente spiritu in aerem solidiorem, vnde & percussio reciprocatur, & vsque ad aures profertur, qua de causa & id quod echo solet appellari dissultat. Stoici voluere aerem non commisceri ex diffractis particulis, corpus item vox ne esset an corporeum dissensere philosophi; Pythagoras, Plato, Aristoteles non esse corpus, Stoici affirmant esse corpus. *Ioan. Franc. Pic. Mir. in exa. van. doct. gentium lib. 1. cap. 25.*

Vox omnes, quæ Deo, & hominibus communiter atribui solet, vt bonitas, sapientia, amor, desiderium, & huiuscemodi alia, differentes dissimillimásque accipit significationes. *Leo Heb. de am. dial. 3.*

Vrbs.

Vrbis curatores eligantur ad vias & ædificiorum structuras, & ornatum hoc pertinentem, vt & homines, & reliquæ bestiæ nullam iniuriam inferant, & vt tum in ipso ciuitatis ambitu, tum in suburbio ea quæ ciuitatibus conueniunt fiant, ad fori gubernationem Ædiles, ad templa sacerdotes. *Plat. de legibus dialog. 6.* Vrbis curatorum cura fit viarum in vrbe, & quæ earum quæ ex regione ad ciuitatem semper tendunt, & extructionum, vt omnes secundùm leges fiunt, & aquarum, quas custodes ad ipsas curatas miserint, & delegarint, quoad fontes iusto modo, & puræ progredientes ciuitatem ornent, simúlque commodent. *idem, ibid.*

Vrbis curatores oportet vt potentes sint, & otium agant, vt publicarum rerum curam gerant, quapropter quisque ex maximis censibus vrbis curatorem proponat quemcunque voluerit; de electis autem, & ad sex quibus plurima suffragia contigerunt redactis, sortiantur tres, quibus hoc studium incumbit. *Pla. de leg. dial. 6.* Vrbis curatores iudicent in cõmuni mulctam vsque ad minam, & cum ædilibus duplum. *idem, ibid.*

Vrbis curatores animaduertere debẽt, vt nullus priuatus quicquam de publico aut extructionibus aut fossis occupet: quin & aquarum pluuialium commodæ profluxionis hos curam gerere oportet, & omnium quæ intra aut extra ciuitatem habitare decuerit. *ibid.*

Vrbium rectores non relinquunt curam regendorum hominum, etiamsi in cœlum recepti sint. *Macrob. in somnium Scip. lib. primo.* Vrbs quomodo condi debeat in libris de republica ne verbum quidem facit Plato, quia illam reliquit cœlo, in libris de legibus in terris ædificat ad exemplaris illius quoad fieri potest imaginem. *Fic. in Plato. de legibus dialog. 4.* Vrbem antequam veteres statuerent, varia superstitione loci genium sacrificiis propitiare consueuerunt. *Franc. Patricius de repu lib. 8. cap. 2.*

Vsura non minus delictum est homicidio. *Idem, de rep. lib. 6. ca. 3.*

Vtrem inflatum mergere faciliusest, quàm quemuis probum virum inuitum ad aliquid agendum cogere. *Philo de eo quòd omnis probus liber.*

Vterus in mulieribus animal est procreandi filios cupidum quod vbi sterile præter tempus diutius fuerit, cum indignatione grauiter fert, & vndique per corpus oberrans, & spiritus transitus obturans, & respirare non finens, tum anxietates alias extremas immittit, tum omnis generis morbos inducit, donec vtrinsque cupiditas & amor, educto velut ab arbore fructu, deinde excerpto in vterum velut aruum animalia præ paruitate visum effugientia, & non efformata conseminent, & ipsa rursus disparantes, magna intus enutriant, & postea in lucem productis his, animalium productionem perficiant. *Plat. in Timæo.*

Vtile.

Vtilitas est circa futurum tempus. *Plat. in Theaet.* Vtile est multis nec quicquam scire, nec se putare, siquidem magis conabuntur facere ea quæ sciunt, aut scire se putant: hæc autem consequentes plus damni quàm vtilitatis consequentur. *idem, in Alcib 2.* Vtile honestum est, damnosum turpe *de rep. dial 5.* Vtilia non sunt ea, sine quibus id fieri non potest vt fiat, alioqui infirmitas vtilis erit sanitati. *de diuitiis.* Vtile est causa quod vnumquodque bene afficitur causâ cuiusdam boni. *Speusippus de Platonis definitionib.*

Vtile & iustum idem esse sentiunt Platonici, at Epicurei & quidam Stoicorum ponentes finem nostrum secundùm naturam viuere, & Peripatetici, qui bonum nostrum ex necessariis complent, non asserunt iustum & vtile idem esse: & similiter qui asserunt hominem esse corpus animatum, vel ex anima & corpore compositum, cædes enim & vulnera fugiunt, etiamsi iniustè *Procl. in Alcibiadem 1.*

Vtilia quod prius exoptantur, & postea diliguntur, iucunda verò quòd exoptantur ac diliguntur, procedit ex diuersitate fruendi his duobus expetitarum & amatarum rerum generibus. *Leo Hebr. de amo. dial 1.*

Vtile in præsenti possessione ipso iucundo multò potentius existit. *idem, ibid.* Vtile atque iucundum ad ipsum honestum, tanquam ad finem ordinantur. *ibid.* Vtilia antequam habeantur exoptantur non diliguntur, iam autem habita diliguntur, nec amplius exoptantur. *ibid.* Vtilia nunquam amari simul, & expeti possunt. *ibid.*

Vtilibus in bonis possidendis, profusus amor diuitiarum auaritia, remissus prodigalitas, moderatus verò ac mediocris liberalitas nuncupatur. *Leo Heb. de amo. dial. 1.* Vtilibus appetendis tristitia quædam interior percipi solet. *idem, ibid.* Vtilitas in continua rei possessione consistit. *ibid.* Vtilium bonorum desideria in infinitum prosiliscuntur. *ibid.* Vtilium bonorum in appetitione excessus cupiditas, defectus negligentia, mediocritas necessarij tantum appetentia, & sufficientia vocatur. *ibid.* Vtilium desiderium ambitio, aut cupiditas appellatur. *ibid.*

Vulcanus ἥφαιστος dicitur, quia φαῖος lucidus dicitur, ad caput nominis attracto. *Plat. in Crat.* Vulcanus artem subtilem amore duce inuenit. *idem, in Symp.*

Vulgus non minima mala facere potest, & ferè maxima, si quis apud ipsum delatus est. *Plat. in Crit.* Vulgi opinio non est curanda, nam nec prudentem nec imprudentem facere potest. *idem, ibid.* Vulgi opinio nihili facienda, sed veritati inhærendum. *ibid.* Vulgus sapientiam, & virtutem sibi vendicans, plenum est contentionibus, & sapientiæ opinione, ac mendacio *in Philebo.*

Vulgus deteriore docere non potest, nec ergo præstantiora docebit, inter se enim maximè dissentiunt. *in Alc. 1.* Vulgus rectè vasto comparatur bruto. *Ficin. in Plat. de republica; dial. 6.*

Vulgus frequenter nomine amplam & communem significationem habente ad vnam tantummodo suarum specierum exprimendam vti consueuit: quod quidem in amoris quoque nomine vsu venisse videtur. *Leo Hebr. de amo. dialog 3.* Vulgus pulchritudinis non secus ac magnitudinis quoque laudem solis corporibus verè propriéque, incorporeis verò propter similitudinem quandam tantummodò quam incorporea cum corporibus habent, accommodare consueuit. *idem, ibid.*

Vulnera, vulnerans, vulneratus.

Vulnerans seruus liberum ex ira, is cuius seruus est tradat ipsum vulnerato, vt cum ipso quicquid velit faciat; si verò ex composito, serui & vulnerati factum hoc esse fraude causetur, litem intendat: & si iudicio non vicerit, triplex damnum rependat; si verò reum peregerit, plagij criminis reus teneatur, qui fraudem cum seruo struxit. *Plat. de legib. dial. 9.*

Vulnera alia non voluntaria, alia ex ira, alia ex timore, alia ex proposito voluntaria fiunt. *Idem, ibidem.*

Vulnus si à germano fratre in germano iræ causa illatus fuerit, parentes, & cognati & mariti, & vxoris vsque ad consobrinorum filios, tam fœminæ quàm viri conueniant, & iudicatum parentibus secundùm naturam puniendum tradãt; si verò controuersia est de animaduersionis, modo cogna-

corum mariti sententia rata habeatur: si verò ipsi id præstare non potuerint, legum custodes hoc tandem permittant. *Pla. de leg. dial. 9.*

Volnerás ex proposito eliquem amicum, exceptis his, quæ lex permitit, occidere verò non potuerit, is qui ita proposuit & vulnerauit misericordiâ indignus est, pœnam dare cogatur vt qui occidit, et dæmoni gratiam referre, & non aduersari, & mortem eh eo qoi vulnerauit auferre, relegationem verò in vicinem ciuitatem fieri, ita vt omni possessione sua per vitam fruatur, & damnum vulnerato soluat; & iudicent, qui de cæde iudicium tulissent, si ex vulneribus sauciams mortuus esset. *Pla. de leg. dial. 9.* Vulnerans parentes filius, aut dominum seruus ex proposito, mors pœna statuta sit, & similiter si frater fratrem, aut sororem, aut soror fratrem, vel sororem vulnerauerit ex proposito, mortis pœna statute sit. *idem, ibid.*

Vulnerans vxor maritum suum ex insidiis occidendi proposito aut maritus vxorem, perpetuò exulet: opes eorum si filij vel filiæ adhuc pueri fuerint tutores curent, & liberorum orborum curam gerant; si verò viri, non necesse est exulem à liberis nutriri, sed ipsi opes possideant. Si non reliquerit filios, ille qui vxorem, vel quæ maritum vulnerauit cognati exulantis ex vtraque parte & mariti & vxoris vsque ad consobrinorum filios conueniant, & vnà cum legum custodibus, & sacerdotibus inito consilio hæredem in domum hanc, quæ in ciuitate quinquies millesima & quadragesima est, constituant, tali modo & ratione vtentes. considerent, quod genus in ciuitate præstantissimum sit ad virtutem & fortunatum, in quo plures filij nati fuerint; vnde vnum patri eius, qui mortuus est, & superioris eius generis filium, velut ex illis adoptent, famæ gratia de se cognominent, & genitorem sibi ipsis & familiæ conseruatorem sancti & sacrorum curatores meliore fortuna quam patri fieri precatur ita secundùm legum hæredem constituant. *Pla. de legib. dia. 9.*

Vulneris ex ira inflicti si quis condemnatus fuerit, primum duplum damni persoluat, si vulnus curabile euaserit, incurabilium verò quadruplum; & item quadruplum si curabile sit, sed turpitudinem quandam magnam, & probrosam attulerit vulnerato: at si quis vulnerato aliquo non solum læserit sauciatum, sed etiam ciuitatis potentiam imminuerit, vt aduersus hostes imbecillior sit: hic cum aliis mulctis etiam ciuitati damnum rependat, nam ad suam militiam etiam pro illo qui non potest militet, & pro illo in militari acie collocetur, aut si hæc non facit, è quocunque volente desertoris actione secundùm legem accusetur: damni verò æstimationem iudices condemnantes faciant. *Plato. de legib. dial. 9.*

Vulnerum ex ira filiis ad parentes iudices sint, qui sexagesimum annum ætatis excesserunt, quibusque filij non adoptiui, sed veri fuerint: si verò quis condemnatus fuerit, in ipsum animaduertant, siue talem mori oportet, siue aliquod maius supplicium pati, aut etiam non multò minus, ex cognatisque ipsius actoris nemo iudicet etiamsi in eadem ætate constitutus sit quam lex definiuit. *Plato de legibus, dial. 9.*

Vulnerans aliquem inuitus damnum simplex rependat. *Idem, ibid.*

Vulneratus per eliquod tempus post vulnus puta per horas septem in vulnerantem proiicit sanguinem, quod fit, quia vulneratus dum vulnerantem aspicit, confestim ad vindictam bilis accenditur, & ab ea sanguis inflammatur, & ad vulnus è vestigio properat, tum vt partem illam foueat, tum ad vindictam, & eodem & spiritus concurrunt ipsi, quia leues sunt ad vulnerantem vsque in eum migrant, & eius calor per aliquod tempus seruatur, quo tempore si vulnerans inspiciat cadauer, vulnus in vulnerantem proiicit cruorem. *Fic. in Pla. conuiuium. or. 7. cap. 5.*

Vultu liberali esse etiam philosophis licet, nam Pythagoras & Zeno pulcherrimi fuere. *Apu. Apol. 1.* Vultus cœli sunt figuræ cœlestes. *Ficin. de vita cœlit. comparanda. lib. 3. cap. 17.* Vultuum nostrorum figura proprias quasdam habet vires alliciendi, vel deterrendi, vnde apparet vim propriam figuris non esse minus quàm coloribus. *Idem, in Plot. En. 4. lib. 4. cap. 35.*

Vxor.

Vxores communes omnium sint, nulla priuatim vlli cohabitet: & rursus liberi sint communes, ita vt neque parens filium suum cognoscat, neque filius patrem. *Pla. de rep. dia. 5.* Vxores communes esse, & communes filios vtile esse, nemo ambigit, sed modo sit possibile plurimam habet difficultatem. *Idem, ibid.* Vxorem, & filios qui negligit, immortelitate se priuat *de legib. dia. 4.* Vxorem pauperiorem se semper præferre oportet, & cum illa societatem inire, hoc enim & ciuitati, & familiis quæ coniunguntur cõmodũ est, *de leg. dia. 6.*

Vxorem à quibus ducat quis, & cui filiam collocet, quisque præ omnibus scire debet, vt nequaquam quoad fieri potest fallatur in talibus. *Plat. de leg. dial. 6.* Vxorem ducens pluris facere debet liberorum inter se æqualitatem quàm nuptiarũ æqualitatem pecuniis inexplebilem, & per opprobrium euertendus est is qui pecuniis inhiat in nuptiis contrahendis, non lege scripte cogendus. *idem, ibid.*

Vxorem non ducens postquam annos quinque & triginta natus nuptiarum exorasit, singulis annis mulctetur, si de maximo censu sit drachmis centum, si de secundo septuaginta, si de tertio sexaginta, si de quarto triginta: & hæc mulcta sit Iunoni sacra; qui quotannis non persoluerit decuplum debeat, & quæstor deæ ab ipso exigat; aut si non exegerit ipse debeat, & de hoc in censuris rationem debeat. Non nubens honore priuetur à iunioribus, & nullus è iuuenibus in aliqua re vltro illi pareat, si aliquem eum cædere aggrediatur, quiuis ei qui iniuria afficitur auxilium ferat, ipsumq; defendat, qui præsens auxilium non tulerit timidus, & malus ciuis à lege pronuncietur. *Plat. de leg. dial.* [illegible]

Vxor, & maritus si propter infelicem morum acerbitatem nullo modo consentiant, decem ex legum custodibus viros medios talem semper curam habere oportet, decem item fœminas connubiis destinatas; & si non possunt reconciliari quærant pro viribus vtrique quibus cohabitent: & qui quidem ex ipsis liberis carent, aut pauciores habent, liberorum gratia etiam cum aliis cohabitent: quibus verò satis est liberorum, & inter se dissentient, consenescendi, & mutuæ curationis gratia, & diuortium, & cum aliis coniunctionem faciant. Quod si vxor moriatur relictis liberis, fœminis, & masculis, ex consilio sit non ex necessitate lex quæ sancit vt vir liberos educat, & non ipsis nouercam inducat: si verò liberos non habet, vt necessariò aliam ducat, donec quot sufficiunt liberos genuerit, & domui, & ciuitati: at si maritus mortuus fuerit filiis quot sufficiunt relictis, mater liberorum vidua manens filios educet: si verò iunior quàm conuenit esse videatur, ad hoc vt sana sine viro viuere possit, cognati inito consilio cum fœminis connubiorum curam gerentibus, quod ipsis & illis videtur de talibus statuant: si verò liberis carent, etiam liberorum gratia nubant. *Plat. de leg. dial. xi.*

Vxorem vir, vel virum vxor si ex ira occiderit, purgetur & exulet nemo, & reuersus cum suis liberis sacris non communicet, nec vnquam eadem mensa vtatur: quod si non paret aut pater, aut filius, impietatis iudicium ipsi dictet quicunque voluerit. *Plat. de legibus, dial. 9.*

Vxorem qui ducit, oportet putare alterã ex domibus, quæ forte ei obuenit, esse velut ad pullos producendos ac educandos destinatam, vt à patre, & matre separatus illic nuptias faciet, & habitet, & se & liberos alat; si enim in amicitiis desiderium affuerit, omnes affectus glutinat, & colligat; verum exaurate consuetudo, & quæ desiderium per temporis intercessionem non habet, efficit, vt affectus præ nimia satietate dilabantur: quapropter matri, & patri, & vxoris cognatis suas habitationes dimittere oportet, & ipsos velut in coloniam proficisci, & habitare, vt illos visitent, simúlque ab ipsis visitentur, & vt gignant, & educent liberos, vitam velut lampada aliis ex aliis tradentes, & Deos semper secundùm leges colentes. *Plat. de legibus, dialogo. 6.*

Vxorum habitationem communem voluit Plato, non autem quoad coitum, sed cum principibus videbitur ad supplendã sobolem *Auer. in Plat. de rep. tract. 1.* Vxoris officium est prudentem maritum suum veluti suum animum, rationémque honorare, ac libentissimè sequi. *Fic. epist. lib. 3.*

Vxorem qui non ducit, statuit Plato in legibus procul ab omnibus publicis honoribus, & muneribus segregandum, & publicis oneribus grauius quàm cæteros ciues esse premendũ: & Mercurius Trismegistus eiusmodi homines, & humana lege infelicissimos, & lege diuina tanquam steriles & siccae arbores indicari. *Fic. epist. lib. 4.*

Vxori corpus suum non aliter quàm Deo animam debet maritus. *Io. Pic. Mirand. epistol.*

Vxoris vitium aut tollendum, aut ferendum est, qui tollit vitiũ vxorem commodiorem præstat, qui fert, se meliorem facit. *Fran. Patr. de rep. lib 4. cap. 4.* Vxorem intactam, & quæ nemini nupserit, ducere prodest viro: duplex enim labor est viduam ducere, prior, vt dedoceat alterius viri mores, alter, vt suis assuefaciat *idem, ibid.* Vxorem ducenti quinque consideranda, mores, ætas, genus, forma, dos, de qua dote tamen parum cogitandum puto si reliqua suppetant. *ibid.* Vxorem nec præsentibus extraneis obiurgare debemus, nec cum ea nihil blanditiis agere. *ibid.*

Vxor caueat ne quid fictè, aut simuletè cum viro agat. *Franc. Patric. de rep. lib. 4. cap. 9.* Vxores rarò egredi è domo debent,

bent, fœmina enim ambulatrix rarò pudica est. *idem, ibid. c. 5.* Vxor hæc duo præcepta seruare debet; vt viro omnia agenda relinquat, quæ foris sunt, ipsa agat quæ intra domesticos parietes fiunt; vt mariti parentes omni beneuolentia complectatur. *ibid.* Vxor Hieronis Syracusani cùm increparetur à marito, quòd cùm ei os malè oleret nunquam monuisset, respondit mulier se excusans, mi vir putabam viros omnes ita olere, proinde tacui. *ibid.*

Vxor Tigranis à viro interrogata, quid iudicaret de pulchritudine Cyri cum quo fuerat in conuiuio, respondit, abs te mi vir nunquam oculos deflexi, itaque alterius viri formam vxor ignoret. *Fr. Patr. de repub. lib. 4. c. 5.* Vxorem in conuiuio ducere laudi nostris est, apud Græcos verò nephas. *idē, de repub. in præf.* Vxorem ex eodem patre sororem natam Atheniensibus licebat ducere. Romanis id erat nephas. *ib.*

Vxor ducenda non modò necessitatis causa, sed iucundioris vitæ gratia non ad libidinem explendam, sed ad propagandam sobolem, & ciuile munus implendum. *Fr. Patr. de repub. lib. 4. c. 3.* Vxoris nomen religionem præ se ferre videtur, fit enim vngendo, puellæ enim maritorum postes cùm primum ingrederentur oleo vngebant, quod à sacerdote acciperent, & lanam stulta superstitione lano, & diis laribus præfigebāt, & lotos deinde quamprimum eodem oleo maritos vngebant. *idem, ibid.* Vxores Ægyptij pro opibus, & voluntate plures habent, & nullus ex eis genitus spurius habetur, etsi ex serua conceptus sit; at sacerdotes eorum vnam tantùm ducere possunt. *ibid.*

Vxores Britanni deni duodenique inter se communes habēt, maximè fratres cum fratribus, & parentes cum liberis, sed nati ex eis eius habentur liberi, à quo primùm virgo quæque ducta est. *Fr. Patr. de rep. lib. 4. c. 3.* Vxores Parthi dulcedine variæ libidinis singuli habent, ideò nulla delicta grauius puniunt adulterio. *idem, ibid.* Vxores antequam acciperent Armeni & Lydi, virgines ad littus maris mittebant statutis diebus ante nuptias dotalem pecuniam quæsituras: quæque turpi vixerant quæstu ob relictam pudicitiam Veneri sacrificium persoluebant. *ibid.*

Vxores vt quisque vnicam duceret, hortabantur Romani Censores. *Fran. Patr. de repub. lib. 4. c. 3.* Vxori turpitudinis, & flagitij causam videat vir ne præbeat: proinde caueat ne quid obscœni in vxoris conspectu loquatur, & se abstineat ab omni alieni corporis congressu si vxorem pudicam habere vult, nulla enim iniuria societatem sancti matrimonij magis dirimit, quàm non modò adulterij deprehensio, sed etiam suspicio; nam viri continentia plerunque seruat vxoris pudicitiam, & hominem longè magis commendatum reddit. *idem, ibid.* Vxorem deformem habere minor molestia est, quàm formosam seruare. *ibid.*

X



XENOCRATES Platonis discipulus, & Origenes eorum sectator, exsecuerunt sibi virilia, vt libidinis incendia prorsus extinguerent. *Fic. in Plat. Theol. lib. 9. c. 3.*

Xenophon Socraticus tanta fuit dicendi suauitate, vt musa Attica vulgò cognominaretur. *Franc. Patric. de regno, lib. 3. c. 6.*

Z



ZENO Citiensis ad tibicinum spectaculum adolescentiam acciuit, vt discerent qualem cornua, lingua, calami, & si quæ alia proportionis & concentus consortium habēt, vocem mittant. *Plut. de anima genit. è Tim.*

Zeno Eleates Parmenidis Pythagorici fuit discipulus. *Fic. in Plat. Parmenidem.* Zeno contra Parmenidis calumniatores disputauit, si rebus sit quædam multitudo, vnio verò nulla, contingere vt res eædem secundùm idem similes inuicem forent, & dissimiles. *idem, ibid. c. 2.*

Zeno Eleates dialogorum inuentor fuit. *Iac. Carp. in Alc. præfa.*

Zeno Citieus, à quo disciplina Stoicorum est profecta, cùm vniuersam philosophiam cuidam animali similem fecerit, dicere solebat in ea logicem ossibus & neruis, carni ethicem, animo physicem respondere. *Iac. Carp. in Alc. c. 3.*

Zeuxis pinxit vuas ita vt aues ad eas aduolarent. *Ficin. in Plato. Theol. lib. 13. c. 3.*

Zodiacus dicitur à signis, quæ Græcè dicuntur ζῴδια. *Macrob. in somn. Scip. lib. 1.* Zodiaci partes æquinoctiis interceptæ, & solstitiis nullam habent vim efficiendi. *Ioan. Pic. Mir. in Astrol. lib. 8. c. 3.*

Zodiacus quasi circulus animalium ab Astrologis sic appellatus. *Leo Heb. de amo. dial. 2.*

Zodiaci duodecim signorum amor ac odium ex ipsorum faustis & infaustis aspectibus, & ex eorum naturis ex sententia Astrologorum elicitur. *idem, ibid.*

Zodiaci signorum variæ, & oppositæ naturæ elementis quodammodo persimiles sunt. *ibid.*

FINIS.





SEMINARII
TOTIVS PHILOSOPHIAE STOICAE

Tomus Tertius.

IOANNIS BAPTISTAE BERNARDI, PATRICII VENETI,
ſtudio & labore collectus.

EX ÆQVITATE ET



PRVDENTIA HONOS.



IN OFFICINA
Iacobi Stœr, & Franc. Fabri Lugdunenſis.
M. D C V.

AVCTORES A QVIBVS OPVS HOC EXCERPTVM EST, sunt hi, qui sequuntur.

Pythagorae Aurea verba, Symbola.

Sententiae

Thaletis.
Musei.
Anaxagorae.
Pythagorae.
Apollinis.
Thaletis, aut Socratis.
Solonis.
Æsopi.
Chilonis.
Pittaci.
Biantis.
Cleobuli.
Periandri.
Anacharsidis.
Misonis Chenei.
Epicteti Enchiridium.
Cebetis Tabula.
Simplicij Commentaria in Epictetum.
Arianus Epictetus.
Alter. Hadriani Aug. & Epict.
Hieroclis in Aureos Pythagorę versus.
Auicennae Logica.
Sufficientia.
De Cœlo, & Mundo.
De Anima.
De Natura Animalium.
De Intelligentiis.
Metaphysica.
Lilius Gregorius Gyraldus in Pythagorae Symbola.

IOAN-



IOANNIS BAPTISTAE BERNARDI, PATRICII VENETI

Seminarij totius Philosophiæ TOMVS TERTIVS.



B Aoimalibus abstine. *Pyth. symb.*

Ab Animalibus abstinendum, hoc dixit ne homioes essent proniores ad effundendum sanguinem, & cædibus abstioerent, vel vt ad faciliorem victum, & ad probabiliores cibos assuefaceret, ne igne opus esset ad coquendum, vel abstinendum ab hominibus ratione carentibus. *Lil. Gre. Gyr. in Pyth. symb.*

Abstine à veotre primom, somoo deinde, luxuria, & ira. *Pythagora aurea Verba.*

Abstractio formæ à materia aliqoando est oon sioe appenditiis, vel aliquibus earum, aliquando est perfecta abstractio, quæ abstrahit intellectam rem à materia, ab aliis appenditiis in materia earum. *Auic. de anim. par. 2. cap. 2.*

Accidentia separabilia sunt, quæ destruuntur in esse, vt sont iuuentus, quæ cito destruitur, at accidentia, quæ oon destruuntor oisi substantia destructa, vt risibilitas io homine. *Auic. log. par. 1.*

Accidentia quæ iam concomitantur esse priocipaliter, & manifeste, non mediante alio accidente, & tunc impossibile est ea remoueri ab esse remanente esse, alia sunt quorum esse accidentis sit alio mediante, quod si non attenditur potuit remoueri à sobiecto. *Auicen. log. par. 1.*

Accideotale aliud est proprium naturæ eius de qoo prædicatur, aliud commune. *Auic. log. par. 1.*

Accidentale aliud est proprium, aliud commune, accidentale oppositum est substantiæ. *Auic. pa. 1.*

Accidens iosepatabile impossibile est esse inseparabile essentialiter, nisi fuerit inseparabile ab omni eo quod communicat cum eo io specie. *Auic. de anim. par. 4. cap. 2.*

Accidens potest esse in accidente, vt rectitudo io linea, sed ambo in subiecto sunt. *Auic. metaphysic. tract. 2. cap. 1.*

Accidentia sunt, quæ constituuntur in corporibus, & quæ pendēt de aoima ex habentibus animam. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 7.*

Accideotia alia sunt comitantia, alia non comitantia, aut comitantur genera generis, si habuerint genera, aut differeotias generum, aut ipsum geous, aut differentiam ipsios, quæ sub ipso est, aut materiam alicuius eorum. *Auic. metaph. tra. 5. c. 4.*

Actiones quæ verbis expositæ sont, non verba ipsa suscipieodæ sunt, & tanquam leges obserua, ne cures qoicqoid de te dictum sit, non enim id est tui arbitrij. *Epict.*

Actionis omnis præcipuum finem boni adeptionem babet, & malum in actionem obiter incidit, cum oon verum & booum desideratur, sed quod videtur esse bonum, & cui cooiuoctum est bonum. *Simp. in Epict.*

Actionum diuersitas oon iodicat diuersitatem virium, cum voa, & eadem vis operatur contraria, & vna vis moueat diuersas actiooes. *Auic. de anim. par. 1. cap. 4.*

Actiooes omoes animali attributæ necessario habent instrumenta, ergo sensus & imagioatio sunt ex alia vi materiali, quæ non est vis mouens. *Auic. de anima, par. 1. cap. 4.*

Actiooes, & passiones, quæ eueniont corporibus, aliquando sunt ex causa extrinseca, & peregrina, aliquando ex se ipsis, quorum quædam instituta sunt ad vnum aliquid, & noo declinant ab eo, & quædam suot iostitura ad multa, & ad varios modos, & aliqui omnium horum modorum adueniunt spoote, aliqui noo spoote. *Auic. suffic. li. 1. cap. 5.*

Actio nulla fit sine agente. *Auic. de anim. par. 4. ca. 5.*

Actiones proueniunt ex intentionibus particularibus. *Auic. de anim. par. 5. cap. 1.*

Actionis diuersæ ex diuersis virtutibus sunt, ita vt concupisceotia non patitur ex nocumeotis, nec irascibilis ex deliciis. *Auic. de anim. par. 5. cap. 7.*

Actio quæ non est per voluntatem neqoe per electiooem, aut prouenit à se ipso, aut à re corporali, quæ differt ab eo, vel à re non corpotali quæ differt ab eo, si proueoit à se ipso, & ipsi côuenit in corporeitate cum aliis corporibus, & differt quia à se prouenit illa actio. tunc intelligitur in sua essentia esse aliquid amplius supta corporeitatem, quod est principium illius actionis ab ipso, & hoc est quod vocatur potentia, at si erit per illud corpus, tunc actio erit per violentiam, & per accidens. si fuerit per rem oon corporalem separatam, oecesse est vt habeat hoc vel ex hoc, vt est corpus, vel ex potentia quæ est in ipso, vel ex potentia quæ est io illo separato. si vero fuerit ex hoc quod est corpus, omne corpus cooueniet io hoc, sed si ex poteotia, quæ est in

ipso, tunc illa potētia est principium pronunciandi illam actionem ab ipso, quamuis discordat à separato, vel per eius adiutorium, ad quod est principium eius primum ab ipso. si autem fuerit ex potentia, quæ est in illo separato, tunc vel ipsamet potentia faciet debere hoc vel propria eius voluntas, & sic ratio redit ad principium, si per voluntatem necesse est, vt illa voluntas sit potius eligens hoc corpus propter proprietatem, qua appropriatur sibi ex omnibus corporibus, vel fortuitu quocūque modo eueneri, si fortuitu tunc non procedit secūdum ordinē sempiternū, & sæpe restat vt sit hoc propter proprietatem, qua appropriatur ei ex omnibus corporibus, vt illa proprietas sit res, à qua volūt esse aduentum illius actionis, deinde necesse est, vt etiā velint; quia ob hoc, vel illa proprietas facit debere esse actionem illam semper, vel est ex ea sæpe, si semper tunc est principium huius, si sæpe nisi sit impediens, est semper. *Auicen.metaphysic. tractat.4. cap.2.*

Actiones naturales, & animales sunt propter finē. *Auic.metaph.tract.8.cap.3.*

Actionem intelligibilem esse nominatam per finem, non est actioni intelligibili, vt intelligibile, sed vt agens intendit finem. *Auic. metaphysic. tract.8.cap.3.*

Acutum omne abs te dimoue. *Pyth.symb.*

Ad lucernæ lumen ne te speculo contempleris. *Pythag.symb.*

Adolescens si impregnauerit fœminam, creatura erit debilis cum est prope quatuordecim annos, & senum, quod est in fine annorum 21. melius est. *Auic.de anim.lib.5.cap.2.*

Adora eum veneris in templum, nec aliquid interim, quod ad victum pertineat, aut dicas, aut agas, nec ex itinere præter propositum in tēplum ingrediendum est, nec orandum, neque etiam si prope vestibulum ipsum transieris. *Pyth.symb.*

Adora & sacrifica nudis pedibus. *Pyth symb.*

Adoraturi sedeant, quia sedentes pacatiorem animum habemus, vel totos intentos esse adorationi. *Lil.Gre.Gyr.in Pyt.symb.*

Adora circum actus, quia cœlum imitari debemus. *Lil.Gre.Gyr.in Pyth.symb.*

Adora cum veneris in templum, nec interea aliud faceito, id est cum ad vitam sacram ingressi fuerimus, non debemus profanis curis de cætero immisceri. *Lil.Gre.Gyr.in Pyth.symb.*

Adulator, adulter, & parasitus, similis est amico vt lupus cani, caue ne decipiaris. *Epict.Sent.*

Ædes tabulis ne ornes, sed modestia, sobrietate, temperantia depingito. *Epict.Sent.*

Ægyprij mysteria naturæ occulta symbolis significabant. *Lil.Gre.Gyr.in præfatio.Pyth.symb.*

Ægyptij describere cœlum volentes fingebant apidem, eo quòd in girum feratur, & serpentem in figuram temporis, & item, pingebant craticulam cui ignis suppositus esset, & cot illi impositum. *Lil.Greg.Gyr.in præfat.Pyth.symb.*

Ægyptij de piscibus rem sacram non faciebāt. *Lil. Gre.Gyr.in Pyth.symb.*

Ægyptus non vescitur piscibus qui in mare nascūtur, quia Osiris magnus Ægyptiorum Deus in mare deiectus periit, quod & Syri etiam faciunt. *Lil.Greg.Gyr.in Pyth.symb.*

Aer facit colorem album non propter commistionem tantum, sed etiam propter permutationem. *Auic.de anim.par.3.cap.4.*

Aer cum fuerit translucens in effectu, & colores fuerint colores in effectu, non est necesse aliud ad habendum visum. *Auic.de anim.par.3.cap.5.*

Aeris natura est vt sit calida & humida. *Auic. de cœlo, & mundo, cap.16.*

Ætates sunt quatuor, ætas puerorum quæ dicitur crementalis, durat ferè ad annos vigintiquinque, ætas status vsque ad annos 35. aut 40. & post ætas diminutionis, & cum remissione vigoris, & dicitur ętas virilis vsque ad sexaginta vel prope, & ætas diminutionis cum diminutione vigoris a 60. vsque in finem. *Auic.de anim.li.12.ca.2.*

Ætas puerilis diuiditur in nouiter genitam, in ætatem motiuam, & in ætatem ante fortitudinem, & est illa, quæ est dentium plantatiua, & est ætas ante luxuriam. *Auic.de anim.lib.12.cap.3.*

Æternitas prima est vere æternitas, quia est mensura mensurās per se, & propter hoc ipsa est creans ex tempore, quæ mensurauit ante tempus. *Auic. de intellig.cap.4.*

Affectiones brutæ non statim in omnibus se accommodant, conformant, & subijciunt rectæ rationi, maxime si tyrannidem occuparunt. *Simpl. in Epict.*

Agitur, & non agir, q̄ sine assensu agit. *Simp.in Epi.*

Agens est causa quæ acquirit rei esse discretum à se ipso, scilicet vt essentiæ agentis, secundum primam intentionem non sit subiectum illius esse quod acquiritur ab eo, nec informetur per illud, sed ita vt in seipso sit potentia illius esse non accidentaliter, & sic oportet vt illud esse non sit ab ipso, in quantum est ipse agens, sed si fuerit fit, quoniam Philosophi non intelligunt per agentem primum motiones tantum vt cōnaturales, sed principium essendi, & datorem instar creator mundi causatur agens naturalis, non acquirit esse rei nisi motionem aliquam ex modis motionum, igitur acquirens esse naturalibus est principium motus. *Auic.metaph.tract.6. cap.1.*

Agens omne cui accidit esse agens indiget materia in quam agat. *Auic. metaph.tract.6.cap.2.*

Agens imperfectus indiget motu, & instrumentis ad hoc vt id, quod est in anima eius habeat esse in materia. *Auic.metaph.tract.6.cap.4.*

Agens naturalis, vel voluntarius non potest agere actionem permanentem propter finem post finem, ita vt non cesset apud aliquem finem. *Auic. metaph.tract.6.cap.5.*

Agens perfectus est cum ex forma, quæ est in eius essentia prouenit esse formæ in suam materiam. *Auic.metaph.tract.6.cap.4.*

Agentis vires, & patientis in vniuersitate non sunt ordinatæ, scilicet cælestes, terrestres, naturales, & animales, nisi vt conducunt ad ordinem vniuersalem cum hac impossibilitate, vt sint id quod sunt, & non inducunt aliqua mala. *Auic.metaph. trac.9.cap.6.*

Album transit in nigrū tribus vijs, 1. in subpallidum, & hæc est progressio pura, deinde ad pallidum, & postea ad nigrum, alia via est subrubrum, deinde ad rubrum, & postea ad nigrum, tertia est ad viride, deinde ad indicum, & postea ad nigrum. *Auic.de anim.s.par.3.cap.3.*

Aliena non sunt concupiscenda, sua vero custodienda, & in vita versandum est rationibus hypotheticis, vt esto nox, esto, dies est, non, conclusionem hanc admissi esse noctua. *Ar. Epict lib.1.cap. 26.*

Alia

Alia quæ sunt genere generalissimo si fuerint in materijs non facit ea debere coniungi posse in vna materia, sed quæ sunt alia specie sub propinquis generibus, quæ sunt sub vno generalissimo impossibile est ea coniungi in vno subiecto, & quę non conueniunt in vno subiecto eodem modo in eodem tempore dicuntur opposita. *Auic. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Aliud differt à diuerso, quia diuersum differt à quolibet, aliud est id, quod aliatur essentialiter. *Auic. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Aliud est oppositum ad idem absolute, & aliud est genere, & specie, & differentia, & accidente, & quòd accidente potest esse res, quæ sit aliud à se ipsa duobus modis, vnus vt sit diuersum numero, aliud essentialiter. *Auic. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Alteritas non cadit in rebus, nisi ex diuersitate materierum, aut accidentium, & dispositionum, aut ex diuersitate, quę est inter vniuersale & particulare, aut inter abstractum à materia, & receptum in materia. *Auic. de anim. par. 5. cap. 2.*

Alteratio omnis, quæ est per essentiam est secundum vnam contrarietatem tantum. *Auic. metaphysic. tract. 8. cap. 2.*

Ambitio dicitur extrema tunica ad perturbandum, quod reliquis perturbationibus ipsa adiutrice exutus animus, hanc postremam exuit, vt tandem ad ipsum bonum nudus perueniat. *Simpl. in Epict.*

Ambitio fallit imprudentes, & virtutes contaminat. *Simp. in Epict.*

Amicitiæ lex nos coniungit, vt nos ab illis ad augumentum virtutis adiouemur, & à nobis illæ, & amicis bene monentibus cedere debemus. *Hierocl.*

Amicitiæ habitus est perfectissimus omnium virtutum fructus. *Hieroc.*

Amicitiam seruare debemus erga omnes homines. *Hieroc.*

Amicitis est concordia. *Alter. Had. & Epict.*

Amicitiæ vtilitas est, duos habere animos, & duo corpora, tum consilia dubijs temporibus, absens adest amico, suauitas maxima cum amico est, fides, & fiducia magna, res lætas amici præsentia auget, curas leuat, ibi opes, vbi amicus. *Simpl. in Epict.*

Amicitia est vinculum virtutum omnium. *Simplic. in Epict.*

Amicum tuum erroris exigui causa, ne aduersum tibi redeas, ferens quoad possis. *Pyth. aurea verba.*

Amici multi potius in tua domo sint, quam multi boues. *Epict. sent.*

Amicos solos bonos hoies facere debemus. *Hieroc.*

Amicus cum amicum dimittit, quia in peius se mutauit, id maxime seruare debet ne charitas illa quam secum habuimus ad inimicitiam vertatur, diligenter enim studere oportet, vt ad id quod debet reducatur, & laborare, & orare, & omnia conari, vt amicus ad salutem pœnitentiæ reducatur. *Hieroc.*

Amici de pecunia, aut gloria, aut de ijs quæ caduca sunt nunquam inuicem contendere debent, & in summa in omnibus amici tolerandi sunt, nisi in vno, si scilicet in peius traducatur, si à studijs philosophiæ ad aliud male viuendi genus exercitium transeat omni industria nitemur amicum ad bonos mores reducere, quod si persuadere non possimus pacifice relinquendus est, quin neque inimicum illum faciemus, propter præcedentem amicitiam, nequeam icum tenebimus, quia in peius se mutauit, & à virtute discessit. *Hieroc.*

Amicus est Pomo citreo similis, foris beatus, nam intra pectus acidū occulcat malo. *Alter. Had. & Epi.*

Amici sunt veri, qui vere ibi statuunt bonum, vbi libera voluntas est, & vbi rectus vsus visorum, non enim est amicitia vbi non est fides, verecundia, communicatio honesti. *Ar. Epict. lib. 2. cap. 22.*

Amicus fidus pecunioso præferendus est. *Simplic. in Epict.*

Amicis ita vti debemus, vt eos vti nobis volumus, & beneficia, quæ à nobis in illos proficiscuntur extenuanda sunt nostra cogitatione, contra amplificanda, quæ illi in nos contulerint: in delictis contrarium faciendum, illorum extenuanda, nostra amplificāda, & propriū nihil existimandū est, & principatu facili cedēdum, est enim alter ipse amicus, & cum fieri nequit, vt aliquādo non delinquamus, facilis sit ad redeundum in gratiā, & deinde confidat & amicum eandem voluntatem obtinere, & non solum amico, sed eius necessarijs beneuolentiā, & officia pręstanda esse, nec absens amicus minus curandus quā præsens. *Simpl. in Epi.*

Amicus qui esse vult debet se à vitiis repurgare, & sui similem quærere, id quòd inuento amplecti quasi dimidio animæ suæ, alterave corporis sui parte reperta. *Simp. in Epict.*

Amare debemus bonos, quia perfectionem hominis seruarunt, propter eorum naturam, & quis recte senserunt, malos vero, quia pro eorum sententia nihil ad electionem amicitiæ præbuerunt ob solam communem naturam. *Hieroc.*

Amor est otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in fœmina furor, in iuuene ardor, in sene risus, in derisore delicti nequities est. *Alter. Hadr. & Epict.*

Angeli nos cognoscunt primo in Deo, deinde in se ipsis inferioris creaturæ causas vident, & vt vnaquęque intelligentia inferiorum se rationes siue diffinitiones continet, quibus desiderat, & cogitur præbere ministerium. *Auic. de intell. cap. 4.*

Angulum quodcunque habet, habet etiam aliquam superficiem sine angulo, & sine lineis. *Auic. de anima. par. 3. cap. 6.*

Animalia recutuis vnguibus ne nutrias. *Pythag. sim.*

Animanti id solum est intolerabile, quod ratione caret, quod habet rationem tolerabile est plagæ suspendium. *Arrian. Epict. lib. 1. cap. 2.*

Animal omne noxias res, earumque causas fugit, & aduersatur, vtiles vero, & earum causas consectatur, & admiratur. *Simp. in Epict.*

Animal non potest habere sensum tangēdi, nisi etiā habeat aliquo modo motum voluntarium, aut in se toto, aut in suis partibus. *Auicen. de anima. par. 2. cap. 3.*

Animal est in se quoddam, nec est vniuersale, nec singulare: si esset vniuersale oporteret nullum animal esse singulare, & si esset singulare non esset aliud, quam vnum singulare, at est quoddam intellectum in mēte, quòd sit animal, animalitas enim non sit singularis, nisi quia adiungitur illi quicquam, quod facit illam, & similiter est in intellectu, quia non fit singularis nisi addiderit intellectus aliquid per quod fiat singularis, deinde non accidit extrinsecus, vt sit vniuersale, ita vt sit vna verissima essētia, quę est animal cui accidit in vniuersalibus extrinsecus, vt habeat ipsamet esse in multis, sed in mēte accidit huic formæ animalitati intellectæ, vt ponatur cōparatio ad mul-

ta,& vt ipsius vnius formæ comparatio certa ad multa, quæ similantur io illa, intellectus enim prædicat illā de vnoquoq; illorū. *Auic.log.par.5.*

Animalitas io se sliquaodo vocator forma generalis aliquando intelligibilis, sed vt est aoimalitas oō est genus,nec in intellectu, nec extra,nisi addatur aliquis respectus,aut in iotellectu, aut extra. *Auic.log.par.5.*

Aoimalis,& qui assimilantur eis homines non sequuotur io suis actiooibus,nisi extimationis iudicium,quod non habet descriptionem ratiooalem.sed ad modum adiooeononis,quæ est in eius animo tantum,quamnis homini propter consortium tatioois accidit aliquid propter quod virtutes eius interiores differunt à virtutibus animalium. *Auicen de anima.par.4.cap.3.*

Animalia non solum habent affectus ad suas concupiscentias,sed circa alium vi mulier erga suum partum,vt aliquem exire è carceribus,quæ est affectus concupiscentiæ virtutis imaginatiuæ. *Auic.de anima.par.4.cap.4.*

Animal cum vult aliquid percipere se velle, aut imaginatur id,& hoc velle non habet ex aliqua virtute apprehendeotium, nam virtutes apprehendentes nil aliud faciunt,quàm indicare, vel apprehēdere sensu,vel existimatiooe sed differt, quia homo imaginatur cibum, sed in tempore famis,non vult autem in tempore satietatis. *Auic.de anim.par.4 cap.4.*

Animalia, & præcipue aues habent artes, coostituunt enim casas, vel oidos quod non fit iouenniendo,nec meditando, sed secundum instinctū naturale insitum vnde noo variantur, nec differuot. *Auic.de anima.par.5 cap.1.*

Animal omne amat naturaliter esse id, quod delectat, & eius permanentiam. *Auicen. de anima. par.3.cap.1.*

Aoimal omne cognoscit animam suam vnam esse, quæ est imperans,& regens suum corpus. *Auic. de anima.par.5.cap.4.*

Animalis partes aut sunt humidæ, vt sanguis, pinguedo,medulla,sperma,& humores: aut duræ vt nerui,venæ, ossa, capilli, cartilagines,& cornua. *Auic.de animal.lib.1.*

Animalia quædam communicant in membris,vt equus,& homo vt in neruo,& carne: alia nō communicant,vel in membro simplici, vel io composito.secundi exemplum homo oon habet caudam,equus habet, primi vt testudo habet concam,ericius spinas. *Auic.de animalibus lib.1.*

Animalia differunt io habitudine,quantitate vt os, oculi nicticoris magnum,in aquila paruum,qualitate colore,& figura,mollitie,& duritie, situ vt in mamillis elephantis, & equæ, actiooe vt elephans naribus accipit, in passione vt oculi vespertilionis debiles, biruodinis contra. *Auic. de animalib.lib.1.*

Animalia alia suot aquea alia agrestia. *Auic. de animal.lib.1.*

Animalium in omni specie sunt quædam agrestia. *Auic.de animalib.lib.1.*

Animal omne cum sit substantiæ humidæ, & in eo sit calor dissoluens humidum, & aer calidus circunstans,necesse habet nutrimento, & ideo iodiget membris nutritiuis. *Auic.de animal.l.1.*

Aoimalia habeot ossa pro sustentamento corporis, & fuodamento suorum motuum, & cartilago composita est ex carne & osse,quia si ossa immediate tangerent carnem,tunc læderetur caro, & susteotaot musculos in eo loco vbi noo conueniebat facere ossa. *Auic.de animal.1.*

Aoimalia quadrupeda figunt pedes aoteriores indif fereoter præter leonem,& camelū,qui figūt semper pedem dextrum prius. *Auic.de anim.lib.1.*

Animal omne mouet aurem præter hominem, & quidam homines mouent,sed raro: & omne animal habet aures præter pisces squammosos,& quædam animalia aquea, & quædam aues, & quod facit sibi simile habent aures præter viperas & delphinum. *Auic.de anima.lib.1.*

Animal omoe inspirans habet pulmonem, & conuertitur. *Auic.de anim.lib.2.cap.1.*

Animal omoe habēs sanguinem habet cor, & diaphragma. *Auic.de anim.lib.2.cap.1.*

Aoimal habens sepum,& zirbum,habet cerebrum pingue,& quod non habet cerebrum non habet medullam vnctuosam. *Auic.de animal.lib.2.cap.1.*

Animalia,quæ ouaot non habent renes, nec vesicam. *Auic. de animal.lib.2.cap.1.*

Aoimal omne habens cornu,& non habens dentes superius,rumioat,& habeot vnum magnum ventrem,& tres ventres,& vnum illorum trium est longius,& alter amplus,& suus terminus est cū ioteftinis. & alij sunt æquales, & suot leues, & habent,multos veotres, quia ei est necessaria multifaria digestio. *Auic.de animal.lib.2.cap.1.*

Animalia,quæ habent squammas, & non faciunt oua,nec generantia animal noo habent pilos,& animal quod habet pilos si est pinguior, plures habet pilos. *Auic.de animal.lib.3.cap.2.*

Animal omne sanguioeum, & quod generat animal habet quinque sensus, oisi quoddam genus muris,cuius oculi sunt cooperti sub corio,& habet pupillam,& coronam, & albedioem. *Auic. de animalibus lib.4.cap.2.*

Animalia etiam alia præter hominem somniant, sed quæ faciuot oua,& quod est testæ mollis vnteum faciunt somnum. *Auic.de animal.lib.4.cap.3.*

Pueri non somniant tecte ante quartum anoum, & quidam non,ante quam sit magni,& quidā nunquam. *Auic.de animalib.lib.4.cap.3.*

Animal omne habens sanguioem, & quod ambulat, dormit, & vigilat, & quod habet palpebras ess cū dormit eas udit. *Auic.de animal.lib.4.cap.3.*

Animal bipes oullum generat sibi simile, præter homioem. *Auic.de animalib.lib.5.cap.1.*

Animal omoe impioguatur propter delitiosum & moderatum exercitium præter porcū,qui impinguatur propter stare in luto,quia pori clauduntur & oihil de eo potest eoaporare,& sua natura præ liatur cū lupo & odit rum. *Auicen.de animal.li.8. cap.1.*

Animalia sale impinguantur, quia facit ea bibere multum: & in habentibus lac sale comesto abundant lacte,io autumno aqua staos est melior currente, & quæ pascuntur in montibus, sunt melioris saporis in suis carnibus, quam ea quæ pascuntur in planis, & quæ habent caudam magis amplam melius patiuntur frigus, quam quæ habeot longam, & quæ habent lanam crispam magis timeot frigus, & paonus cootextus ex lana eius,qui comestus fuit à lupo,facit pediculos multos. *Auic.de animal.lib.8.cap.1.*

Animalia omnia magis impinguantur cum vadunt de calido ad frigidum,quam de frigido ad calidum. *Auicen.de animal.lib.8.cap.2.*

Anima-

Animalia habent suas proprias ægritudines, vt porci squinantia, & apostemata dura, & dolor capitis, & grauitas in interioribus, eanes habent squinantiam, podagram, & rabiem: elephanti accidit ventosa infirmitas, & fluxus ventris, vaccis accidit podagra, dolor capitis, & si vnguntur cornua aufertur illa ægritudo, & vehemens inspiratio, & videntur febricitare, & cadunt suæ auriculæ, & non possunt comedere & moriuntur. *Auic. de anim. lib. 8 cap. 2.*

Animalia omnia nascuntur cum dentibus, præter hominem, & si tardus est partus aliquando oritur cum dentibus. *Auic. de animal. lib. 9. cap. 1.*

Animalia aquosa, quæ habent sanguinem subtilem sunt timida, quæ spissum magis audacia sunt. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 6.*

Animal omne carens sanguine contentum est pauco cibo. *Auic. de animalib. lib. 14. cap. 1.*

Animal nullum habens soleam in pedibus mingit post. *Auic. de animal. lib. 14. cap. 7.*

Animal omne completum præter hominem, habet eaudam. *Auic. de animal. lib. 14. cap. 7.*

Animal omne agreste habens sanguinem habet linguam non ligatam. *Auic. de animal. lib. 14. cap. 7.*

Animal omne non indigens mastieatione, vt aues non habet in inferiore mādibula dentes nisi vnū motum, & omne animal mouet mandibulam inferiorem, quoniam superior fatigaretur, quia membra multa continuantur cum illa. *Auicen. de animalib. lib. 14. cap. 7.*

Animalia omnia sanguinea, quæ ambulant, vel volant, aut saltant, sunt diuersa per masculinum, & fœmininum, & inter illa est luxuria, & si non pariunt sibi simile essent de numero generantium sibi simile. *Auicen. de animal. lib. 15. cap. 1.*

Animal generans in alio est masculinum & generās in se per aliud ad complementum, vel partes cōplementi est fœmininum. *Auic. de anim. l. 15. ca. 1.*

Animalium, quæ faciunt oua, quædam sunt, quæ cōplent intra, quædam ponunt intra, & emittunt foras, & quædam complent ex toto foras. *Auic. de animal. lib. 15. cap. 2.*

Animal completum est, quod completur in calidi tate, & humiditate, licet non compleatur in magnitudine. *Auic. de animal. lib. 16. cap. 1.*

Animalia, quæ nō habent matricem, sed imprægnātur sub diaphragmate, receptio spermat s non fit per attractionem, sed per proiectionem. *Auic. de animal. lib. 16. cap. 1.*

Animalia multa diuersarum specierum inter se luxuriāt cum mora, & tempus impræægnationis erit eadem, vel propinqua. *Auic. de animal. lib. 16. c. 2.*

Animal nunquàm inuenitur sine corde, sine epate inuenitur, & quòd habet vngulam integrā, paucos habet filios. *Auic. de anim. lib. 18. cap. 1*

Animal acceptum ab accidentibus suis est res naturalis, acceptū vero per se est natura de qua dicitur, quod esse eius prius est, quam esse naturæ, vt simplex prius est composito. *Auic. metaph. trac. 5. cap. 1.*

Animal cum cadit super indiuiduum in quo sunt accidentia multa, fit ex illa collectione animal signatum. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 4.*

Animalis differētia non est sensus, sed vna de partibus differētiæ, & vnum de comitātibus eam: eius autem differentia est esse animæ, quæ est principium omniū istorum illi. *Aui. metaph. tract. 5. ca. 5.*

Animalia vnguicutuia, vel vncunguia non nutrienda, id est homines rapaces fugere debemus, nec domi familiares habendi sunt. *Lil. Gre. Gyr. in Pythagor. symb.*

Animi mors est impietas, & ignorantia, quæ immensas in vita hominis gignit passiones, nā qui melior ta ignorat, peioribus seruire necesse est, à quibus quis liberari non potest aliter, quam per recordationem intelligendo reducatur ad Deū. *Hieroch.*

Animus noster, nisi virtute prædiius pulchritudinē veritatis conspicere nequit, vt oculus lipposus res nimium lucentes discernere nō potest. *Hieroc.*

Animum nostrum qui mortalem putant astute potius quam vere loquuntur, cum dicant virtutem amare, nam si post mortem nihil nostri remaneret, quod naturaliter virtute, & veritate ornaretur, vt rationalem animum esse dicimus, nullus certe appetitus rerum optimarum putus, & simplex in nobis esset, nam illa opinio à nobis omne studium virtutis eripit, & ad corporis voluptates intrudit. *Hieroch.*

Anima est, quę corpore vtitur, & corpus instrumenti vice est. *Hieroc.*

Animam iudices qui apud inferos sunt, secundum veritatem iudicabunt, nec eam omnino iouitice debere, sed malam esse, & malam curabunt, & pro eius salute medicorum more ferro, & igne mala vlcera curantiū peccatorū culpas exigent. *Hieroc.*

Animus corpore vtitur, corpus animo vsum prębet, cuius curam habere oportet. *Hieroc.*

Anima lauticie delicata fit, & mollitie, vt nimia pat citas sordidam, & immundam. *Hieroc.*

Anima cum ratione & stultitia plena sit, tunc solum inseparabiliter priori intellectui adesse poterit, cum purificata passiones quæ post illam erunt pu re attingit: erit enim pura, si neque stoltitia aliqua, neque voluptate corporis conducatur, vt alia loco, aut tempore curet, immo tantum indulgebit, quantum Diuina lex iusserit. *Hieroc.*

Animus duplici virtute eget, ciuili, quæ supprimat, & corrigat, & deordinat dementiam, & affectiones hominum, inspectiua, quæ superiorum bono cum societatem nobis exhibeat. *Hieroc.*

Animus rationalis in se persistens, triplicem habet potestatē, nā habet aliquid, per quod addiscimus, quod nunc vt hæc meditemur, præcipit, habet aliud per quod, id quod addiscit retinemus, quod in bis vt laborē impēdamus hortatur: habet tertiū per quod intellecta, & retēta cōplectimur, & amamus, quod in hoc vt amemus mouet. *Hieroc.*

Animus, qui a recta ratione & propinquitate Deī decidit, non consequitur vera bona. *Hieroc.*

Animi rationalis purificatione fit, vt prouidentia splendidum corpus leuius factum ad superiora consolandum impedimento non sit. optima autem eius subleuatio est paulatim se curare, à rebus terrenis segregatum iri, ac rerum perpetuarum, quæ materia carent, frequenti consuetudine exercitium habere, & sordes relinquere, quibus iam pollutum fuerat propter coniunctionē quam cum mortali corpore acceperat. *Hieroc.*

Animi rationalis purgatio sunt disciplinæ mathematicæ, liberatio prudēs terū omniū aspectus. *Hiero.*

Animum solum qui curat, & corpus negligit, non totum hominem curat, & qui corpus solum neglecto animo curat, tantundem peccat, qui vtrūque curat huic sacrorum scientiā philosophia adiungit, & hanc sacrarum rerum actionem appello potentiam purificandi corpus splendidum, vt

totius Philosophiæ inspectiuum, & considera-tiuum sit dux intellectus, ciuile veto, & practi-cum, vt potentia sequatur. *Hierot.*

Animi morbus est appetere, quæ fieri nequeunt, & aliena mala non recordari. *Biantis prob.*

Animus efferri non debet ob vllam alienam præ-stantiam, sed facere vt opera consentiant cum rectis opinionibus, & appetitionibus, & sic ali-quo suo bono lætabitur. *Epict.*

Animantium generi omni natura insitum est, vt ea quæ nocitura videantur, earúmque causas fu-giant, & aduersentur, contra vtilia, & earum causas prosequantur, & admirentur. *Epict.*

Animus, virtuti familiaris perenni fonti similis est, qui puram, potabilem, placidam, salubrem aquā suppeditat. *Epict fent.*

Animos curandus potius, quàm corpos, in conuiuiis meditare quemadmodum hæc duo tractes ani-mum, & corpus, quod corpori dederis, statim ef-funditur, quod animo, perpetuo cōseruatur. *Epict. fent.*

Animus dominatur corpori, & iis quæ corpori ad-iuncta sunt, voluntatis experita. *Epict. fent.*

Animi magnitudine, elementia, & humanitate ni-hil præstantius, nihil minutius auaritia, arrogan-tia, voluptate. *Epict. fent.*

Animo mederi magis necessarium est, quam corpo-ri. *Epict. fent.*

Animi affectiones auferuntur si habitum non ali-mus, nec aliquid adiiciatur, quo augeatur, primo dinumera dies, vnde ira loquar, quibus iratus nō fuisti, irasci quotidie solebas, nunc alternis die-bus, deinde post biduum, & post triduum, quod dies trigiota intermiseris rem diuinam facito, remollescet habitus deinde penitus tollitur, & vt in febre, si quis febricitauit, quamuis febris desierit, restant quædam residua, quæ & in affe-ctionibus relinquuntur, quæ si probe non dele-beris flagello in easdem rursus impacto vlcera contrahas. *Ar. Epict. lib. 2. cap. 18.*

Animi impuritas, est in prauis posita opinionibus, purgatio, rectis in ferendis, est autem animus purus, qui decreta habet, qualia debet. *Ar. Epi. lib. 4. c. 11.*

Animi motus ante appetitum, & declinationem Stoici spectauerunt, & conatus, & conatus cau-sam declinationi præposuerunt. *Simpl. in Epict.*

Animus voluptatibus inescatus eō aliquod falsum boni simulachrum animaduertit, incidit in erro-res, & multas molestias cōsequitur. *Simpl. in Epict.*

Animos voluptatis illecebris impulsus, a molestia coneomitatur, ideo bonum animi proprie est vit tos, quæ ideo dicitur ἀρετή, quia sit optabilis. *Simplic in Epict.*

Animus est sibi ipsi causa habitus melioris, & dete-rioris. *Simpl. in Epict.*

Animi libertas non in omnibus metienda est, quod contraria facere potest, nam animi bono semper affixi, & bonum semper amplectentes, bono suo semper inhæreot, nec ad contrarium vnquam abstrahuntur. *Simplic in Epict.*

Animi nostri eum boni sunt bona appetunt, cū ma-li mala, & si curantur a vitio ad virtutem trans-eunt, & si negligantur a virtute, ad vitiom. *Simpl. in Epict.*

Animum qui malus esse potest, fecit Deus qui bo-nus est, & ob id non credendum Deum vitii cau-sam esse, nec malum fieri passus esset, nisi animus ipse sic voluisset *Simpl. in Epict.*

Animus rationis particeps ortus, & interitus expers sit, licet Stoici aliter de eo sentiant. *Simpl. in Epict.*

Animi libertatem qui tollunt non considerant vim assensionis, & negationis, quis enim in se ipso nō cognoscit se velle, & nolle? assentiri, & refraga-ri, tollit etiam discrimen vitiorum, & virtutum laudem, & vituperationem, præmia, & pœnas, delectum, & consilium. *Simpl. in Epict.*

Animus, nec corpus subitas mutationes sine per-turbatione fert. *Simpl. in Epict.*

Animi maxime exercentur cum facillime perferunt aduersa, vt corpora vehementissimis motibus ad valetudinem, & celeritatem acquirendam vtā-tur, si recte de iis sentimus, & præparati ad ea simus. *Simplic. in Epict.*

Animæ brutorum mediæ sunt inter stirpium, & ho-minum animas. *Simpl. in Epict.*

Animus particeps rationis per se mobilis, & appe-titionis, & affectionis suæ plane dominus, ea est dignitate, quam a libera voluntate consequitur, corpore autem vtitor, & affectus habet, quod ad ipsum referatur is pro instrumento vtitur cor-pore, seiunctus ab eo, & supra id eminens, cum noxæ corporis impediunt animi actiones, quæ per corpus fiunt, nullis tamen ipsum animum af-ficiunt malis, at si maiori necessitudine quam par sit contracta non vt instrumentum, sed vt sui partem corpus amplectitur, tunc passionibus in-seruiens prorsus corrumpitur, & morbis animi laborat. *Simpl. in Epict.*

Animus appetito voluptatis, & externorum bono-rum vitiatus, debet purgari earundem rerum fru stratione, & in primis corporis doloribus. *Simpl. in Epict.*

Animum nullus elatus ita fortiter affigit, quam vo-luptas, & voluptatis illecebræ: at bonus medicus ea quibus inhiat animus eum molestiis offerēdo, eadem vt auersetur, facit. *Simpl. in Epict.*

Animi retrahontur a voluptate metu doloris, ante ponentis discessum a corpore. *Simplic. in Epict.*

Animos humanos Deus sic fecit, vt vires etiam il-lis addidit, quibus instructi, absque noxia vti re-bus terrenis, tam allicientibus, quam terrentibus, easque superare possent. *Simpl. in Epict.*

Animus humanus in medio est eorum, quæ semper sursum, sempérque deorsum sunt. *Simpl. in Epict.*

Animi motionem internam esse delectū, & volun-tatem, & a re nulla externa cogi, perspicuum est. *Simpl. in Epict.*

Animum delectu, & voluntate sua nunc præstan-tius eligere, nunc deterius præstantiori præferre est clarum. *Simpl. in Epict.*

Anima est mali causa, quia malum boni specie am-plectitur. *Simpl. in Epict.*

Anima delectum non haberet, si Deus non permi-sisset bonū, vel malū amplecti posse, qua volunta tis libertate nihil datum est excellentius. pugnāc enim inter se Delectus, & Necessitas. *Simp. in Epi.*

Animi libertate sublata, omnes virtutes vna tolli necesse est, & totam formam humanā, esset enim angelicus, vel diuinus. *Simpl. in Epict.*

Anima est quæ intrinsecus mouet, ergo per se mo-uetur, & est principium eorum, quæ oriuntur, & mouentur *Simpl. in Epict.*

Anima vt prædita sunt corpora inferiora, & etiam superiora anima prædita sunt, nam cœlestes ani-mæ eorum causæ sunt, quæ infra Lunam sunt, sed sicut,

ficut,& mouentes,& mobiles,at prima caufa per fe ipfam mouetur, & immobilis eft,mutatur tamen non effentiæ ratione, fed fecundum actiones, non corporis motibus, fed confiderat,deliberat, cogitat, opinatur, fed ante id eft id quod nullo modo mutatur, cuius vna eadémque ratio perpetuo eft,in quo funt formæ, & fpecies omnium rerum.*Simpl.in Epict.*

Animæ naturæ contrariæ funt affectiones,videlicet iniuria,luxuria,auaritia,contumelia, fumíque vitia animorum,quæ qui alit,nec medicinam adhibet,malitiam auget,ac fi muneribus delinitus fa-cit,vt etiam mediocribus hominibus deterior habeatur, hęc non eft medicina.*Simpl.in Epict.*

Animi perfectionis principium,& finis, eft ad Deũ conuerfio,cum & Deum effe,& confulere rebus humanis, & bene,& iufte omnia gubernare credimus, & vltro credimus ijs,quæ ab ipfo geruntur. tanquam ab optimo confilio profecta. *Simplic.in Epict.*

Animo vtilior eft continentia libidinum, quanto ea voluptas maior eft cæteris. *Simplic.in Epict.*

Animo maxime nocet corporis voluptas,clauum enim animo affigit, ideo eam Deus fecit breuem. *Simp.in Epict.*

Animus bifariam læditur, aut cum brutis affectibus affligitur, aut cum feipfum fuo iudicio corrupto non difcernit,vt diuerfum abeuntis affectionibus. *Simpl.in Epict.*

Animum nutriũt cõcocti fermones, & frugiferi inde fermones efflorefcunt,fimile enim eft homini vomenti non concocta proferre fermones, quæ audieris, fed non ex animo protuleris,& doctrina confirmato.*Simp.in Epict.*

Animi humani perfectio omnis eft conuerfio ad Deum.*Simpl.in Epict.*

Animæ fcientia maius adminiculum eft ad cognofcendas difpofitiones corporales,quam corporis adminiculum ad cognofcendas difpofitiones animales.*Auic.de anima ex proœm.*

Anima poteft dici vis, vel potentia comparatione affectionum,quæ emanant ab ea,& comparatione formarum fenfibilium,&intelligib.lium,quas recipit. & poteft dici forma comparatione etiam materiæ in qua exiftit,ex quibus cõftituitur fubftantia vegetabilis,& animalis,poteft etiam dici perfectio,quia per illam perficitur genus, & habent effe fpecies.*Auic.de anima,par.1.cap.1.*

Animæ nomen imponimus omni eo,quod eft principium emanandi à fe actiones, quas non funt vnius modi,& funt voluntariæ.quod nomen animæ non eft ex eius effentia.*Auicen.de anima,par.1.cap.1.*

Animæ definitio recipit corpus, prout opus recipitur in definitione artificis.*Auicen.de anima,par.1.cap.1.*

Anima forma eft,quia habet effe in materia. *Auic. de anima,par.1.cap.1.*

Anima eft principium motus,& apprehenfionis,apprehenfionis, vt habet principium recipiendi: motus,vt habet principium agendi. *Auic. de ani. par.1.cap.1.*

Anima eft perfectio corporis naturalis ex quo emanant eius perfectiones fecundæ propter inftrumenta,quibus iuuantur ad opera vitæ,quorũ primum eft nutrimentum,& augumentum,ideo anima,quam inuenimus in animali,& vegetabili,eft perfectio prima corporis naturalis inftrumentalis habentis opera vitæ. *Auicen.de anima,parte 1.cap.1.*

Anima eft principium,& vegetationis,eft enim caufa,vt qua vegetabile,& animale,funt illius complexionis, quam habent. *Auicen.de anima, parte prima.*

Anima eft conftituens fuum proprium fubiectum, & dat ei effe in effectu. *Auicen. de anima, parte prima.*

Anima cum feparatur a corpore, accidit ei forma inanimalitatis, quæ eft ficut oppofita formæ complexioni,quæ eft congrua animæ. & deftruitur fpecies, & eius fubiectum, & anima fubftituit in eo aliam formam, propter quam remaneat materia in effectu in fui natura,& illud corpus habebit aliam formam,& alia accidentia, & peribunt aliquæ partes, & feparabuntur a fubftantia,poftquam mutatum eft totum, & poft animæ feparationem non erit feruata effentia materiæ. fed quæ erat fubiectum animæ, fit nunc fubiectum alterius ab illa, ergo anima non eft in corpore,vt in fubiecto,ergo eft fubftantia. *Auicen.de anima,parte 1.cap.3.*

Anima vegetabilis non eft in caufa, vt corpus fentiat, fed fenfibilis. *Auicen. de anima,parte prima, cap.3.*

Anima vegetabilis non eft nifi in rebus vegetabilibus,& intellectus, in quo conueniunt anima vegetabilis,& fenfibilis,fic eft in vegetabilibus,vt in fenfibilibus, & eius effe, & vt effe rei vniuerfalis in rebus.Auicen.de anima,*parte prima, capit. tertio.*

Anima vegetabilis fola non facit corpus animale, fed opus eft inftrumentis fentiendi, & motus, quæ prouenıunt ab anima fentiente.*Auic.de anima,par.1.cap.3.*

Anima,quæ eft in animali congregat principia, fiue materias fui corporis, & componit eas eo modo quo merentur fieri corpus eius,& feruat hoc corpus quod non diffoluitur, donec in ipfo eft anima. *Auicenn. de anima, parte tertia, capit. tertio.*

Anima eft continens vires fentiendi, & vegetandi cum ipfa fit vna, & fine illa hæ effe non poffunt. *Auic. de anima, par.1.cap.3.*

Anima eft perfpectiua corporis in quo eft, & afferuatiua eius iuxta ordinem ipfius, quod naturaliter debet diffolui, & difpergi,& conferuat rem, quæ eft præter naturam eius. *Auicen. de anima, par.1.capıt.3.*

Anima eft perfectio fubiecti, quod eft conftitutum ab ea,& conftituit,ac perficit eam. *Auic.de anima,par.1.cap.3.*

Animæ actiones diuiduntur, in quibus conueniunt vegetabilia, & animalia, vt nutrire, & generare, & fentire, imaginari, & mouere voluntaria, in quibus conueniunt animalia omnia, aut plura ex eis,& percipere intelligibilia,inuenire artes,meditari de creaturis,difcernere inter pulchrum,& fœdum,in quibus homines verfantur.*Auicen.de anima,par.1.cap.4.*

Animæ fenfibilis vis motiua,quæ imperat motui eft vis appetitiua,& defideratiua, quæ vis cum imaginatur,forma,quæ appetitur,aut refpuitur, imperat aliæ virtuti mouenti,vt moueat;vna vocatur vis concupifcibilis, alia vocatur irafcibilis. *Auicen.de anima,par.1.cap.5.*

Animæ fenfibilis vis concupifcibilis eft vis moueri

impetans, vt appropinquatur ad ea quæ putantur necessaria, aut vtilia apprtitui delectamenti. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Animæ sensibilis vis irascibilis est vis imperās moueri ad repellendum id, quod putatur nociuum, aut currumpens appetitum vincendi. *Auicen. de anima, par. 1. cap. 5.*

Animæ sensibilis vis motiua, vt efficit motum est vis insusa neruis, & musculis, contrahens chordas, & ligamenta coniuncta membris versus principium, aut relaxans, & extendeos in lungum, & conuertens chordas, & ligamenta e conuerso contra principium. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Animæ sensibilis vis apprehendens est duplex, alia apprehendit de foris, alia abintus, quæ apprehendit a foris sunt quinque sensus. *Auicen. de anima, par. 1. cap. 5.*

Anima vegetabilis est prima perfectio corporis naturalis instrumentalis, ex hoc quod generatur, augetur, & nutritur. *Auicen. de anima, parte prima, cap. 5.*

Anima sensibilis habet duas vires: motiuam & apprehendentem, motiua aut est mouens, vt imperata motui, aut quia efficit motum. *Auicen. de anima, par. 1. cap. 5.*

Anima vegetalis habet tres vires, nutritiuam, quæ est vis conuertens corpus a corporeitate, in qua erat in similitudine corporis, in quo est, & voit ei pro restitutione eius, quod solotum est ex illo, aliam augumentatiuam, quæ est vis angeos corpus, in quo est ex corpore, quod ipsa assimilat illi augumento proportionali in omnibus suis dimensionibus, quæ sunt longitudo, latitudo, & spissitudo, & perducit ad perfectionem: tertia est generatiua, quæ est vis accipiens de corpore, in quo est partem illi similem in potentia, & operatur in ea per attractionem aliorum corporum, quæ illi assimilat generari, & commisceri, & conuertit illam in similitudinem ipsius in effectu. *Auicen. de anima, par. 1. cap. 5.*

Anima sensibilis est perfectio prima corporis naturalis instrumentalis, secundum quod apprehendit particularia, & mouetur voluntarie. *Auicen. parte prima, cap. 5.*

Anima humana est perfectio prima corporis naturalis instrumentalis, secundum quod attribuitur ei agere actiones, electione, deliberationis, & inuenire meditando, & vt apprehendit vniuersalia: perfectio sumitur in diffinitione animæ, non autem in diffinitione virtutis animæ. *Auicen. de anima, par. 1. cap. 5.*

Animæ sensibilis vis apprehendens ab intus, aut apprehendit formas sensibiles, aut intentiones sensibilium, & harum alia apprehendit, & operatur simul, & aliæ apprehendunt, & non operantur, & quædam apprehendunt principaliter, aliæ secundario. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Animæ rationalis humanæ vires diuiduntur in virtute sciendi, & virtute agendi, & vnaquæque vocatur intellectus æquiuoce, vel secundum similitudinem. *Auicen. de anima, parte prima, capit. quinto.*

Animæ rationalis humanæ vis actiua est illa, quæ est principium mouens corpus hominis ad actiones singulas, quæ sunt propriæ cogitationis, secundum quod intentionibus conueoit ad placitum, quæ appropriantur ei. *Auicen. de anima, parte 1. capit. 5.*

Animæ rationalis humanę vis contemplatiua est illa, qua habet anima propter debitum quod debet ei, quod est supra ipsam, vt patiatur ab eo, & perficiat per illud, & recipiat ex illo, tanquam anima nostra habeat duas facies, vnam deorsum ad corpus, quam oportet nullatenus recipere aliquam affectionem generis debiti naturæ corporis, aliam faciem sursum versus principia altissima, quam oportet semper recipere aliquid ab eo, quod est illic, & affici ab illo, & ex eo quod est infra eam generantur mores. Sed ex eo quod est supra eam, generantur sapientiæ, & hæc est virtus actiua, contemplatiua autem est virtus, quæ solet informari à forma vniuersali nuda à materia. *Auicen. de anima. par. 1. cap. 5.*

Anima humana non pendet ex corpore, sed habet se ad corpus, vt forma. *Auicen. de anima, parte a. cap. 1.*

Anima cum occupata fuerit circa interiora, non solet curare de exterioribus, quantum deberet, & cum occupata fuerit circa exteriora, prætermittit virtutes interiores. & sic de alijs potentijs, & cum est sedata, vt est separata accidit, vt operetur. *Auic. de anima, par. 4 cap. 2.*

Animæ necessariæ sunt virtutes interiores ad recipiendum origines absentium duobus modis, vno, vt imaginetur in illis intentio visa stabiliter, alio vt fiot vt iuuantes, & deseruientes ei ad eius libitum non impedientes eam, neque trahentes eam post se. *Auic. de anima, par. 4. cap. 2.*

Animæ humanæ maiorem habent comparationem cum substantijs angelicis, quàm cum corporibus sensibilibus, & non est illic occultatio aliqua nec auaritia, sed occultatio est secundum receptibilia, aut quia sunt infusa corporibus, aut quia sunt inquinata ab his, quibus deprimuntur deorsum. cum autem ocianur ab his actionibus merentur videre, quod est illic. *Auicen. de anima, parte 4. capit. 2.*

Anima multoties operatur in corpore alieno, vt in proprio, vt oculus fascinans. *Auic. de anima, par. 4. cap. 4.*

Animæ humanæ prima virtus est intellectus contemplatiuus, qui index est veri, & falsi de vniuersalibus. & de bono, & malo, quæ est in particularibus, ille iudex est de necessario possibili, & impossibili, hæc actiua de honesto, inhonesto, licito, & illicito. principia contemplatiui sunt propositiones per se notæ, actiui propositiones probabiles, ex auctoritatibus famosis, experimenta ex opinionibus, & experimenta certa. *Auic. de anima. par. 5. cap. 1.*

Animæ humanæ substantia ex se habet, vt sit apta perfici, ita vt præter illam nil sit ad eius perfectionem necessarium, & id habet ab intellectu contemplatiuo, & apta ad conseruandum se ab impedimentis sibi accidentibus ex consortio, quam aptitudinem habet ab intellectu actiuo. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Anima humana habet alias virtutes, & est substantia solitaria habens per se aptitudinem ad actiones, quarum quædam sunt, quæ non perficiuntur, nisi per instromenta, & per vsum eorum aliquo modo, quædam vero sunt, quibus non sunt instrumenta necessaria aliquo modo. *Auicen. de anima, parte 5. cap. 1.*

Anima non habet esse à corpore, sed ab essentia nuda à

da à materijs,& mensuris. *Auicen. de anima, parte 5. cap. 4.*

Animæ esse pendet à principiis impermutabilibus, & quæ non possunt destrui, ideo nulla causa destruit animam. *Auicen. de anima, parte quinta, cap. 4.*

Animæ substantia habet duas actiones, vnam comparatione corporis, quæ vocatur practica, aliam comparatione sui,& principiorum suorum, quæ est apprehensio per intellectum, & vtræque se impediunt, & difficile est conuenire simul. *Auic. de anima, par. 5. cap. 2.*

Animam rationalem adiuuant virtutes animales, quia sensus tollit ei singularia, ex quibus acquiauntur quatuor: vnum quod ratio separata vnumquodque vniuersalium à singularibus abstrahendo intentiones eorum a materia, & ab eius appendiciis, & a consequentibus eam. Secundum quod anima ponit habitudines inter quæque vniuersalia secundum affirmationem, & negationem, & per se nota recipit, & quod non est per se notum dimittit quousque inueniat medium terminum. tertium est acquirere propositiones experimentis. quartum est verba, quibus facile creduntur, quia probabilia sunt. *Auic. de anima, par. 5. cap 3.*

Anima humana non fuit prius existens per se,& inde veneris in corpore, vnum enim sunt in specie, & diffinitione, nam si posuerimus, quod prius habuerint esse per se,& non inceperint esse cum corporibus impossibile est, vt animæ in ipso esse habeant multitudinem. *Auicen. de anima, parte quinta, cap. 3.*

Anima rationalis per se operatur actiones suas absolute, virtutes corporales retrahunt eam a sua actione. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 3.*

Anima incipit esse cum incipit materia corporalis apta ad seruiendum ei, & corpus creatum est regnum eius, & instrumentum. & propter corpus illud creatur anima. *Auicen. de anima. parte quinta, capit. 3.*

Anima habet perfectionis principia, mediante corpore. *Auic. de anima, par. 5. cap. 3.*

Anima separata a corporibus primo habuerat esse, & essentiam per se propter diuersitatem materierum, quas habebat, & propter diuersitatem temporis suæ creationis, & propter diuersitatem affectionum suarum quas habebat, secundum diuersa corpora, quæ habebat: nos enim vere scimus, quod qui facit esse in illa intentionem vniuersalem, ex qua fit singularis tantum impossibile est, vt faciat esse singulare eam, nisi addiderit supra specialitatem eius intentionem, ex qua fiat singularis aliqua de intentionibus, quæ consequuntur in creatione, & comitatur, siue nos sciamus eas, siue non. *Auic. de anima, par. 5. cap. 3.*

Anima si esset absque corpore, vna anima non posset esse alia ab alia numero. *Auic. de anima, par. 5. cap. 3.*

Anima rationalis non est vna in omnibus corporibus, essent multæ propter relationem, tunc aut omnes essent sapientes, aut omnes essent insipientes, & non latet vnum quod vident in anima alterius. *Auic. de anima, par. 5. cap. 3.*

Anima rationalis non moritur destructo corpore, quia quicquid destruitur, ad destructionem alterius pendet ex eo aliquo modo, sed quicquid pendet ab aliquo, aut est eo posterius, aut eo prius essentia, non tempore, cum habeat eum eo esse simul, si sunt simul, tunc relatiua erunt ad alterum: si anima pendet à corpore, vt eo posterius, tunc corpus erit causa animæ, priorem vero eorpore non esse animam probauimus ante. *Auic. de anima, par. 5. cap. 4.*

Animæ rationales non fuerunt creatæ, & multiplicatæ, nisi cum aptitudine corporum, quia ob id oportet tribui esse à causis separatis. *Auic. de anima, par. 5. cap. 4.*

Anima non sic pendet ex corpore, quasi impressa in eo, sed ita vt circa quod occupatur, cognoscit & patitur ex illa. *Auicen. de anima, part. 5. cap. 4.*

Anima humana prius est intelligens in potētia, deinde fit intelligens in actu. *Auicen. de anima, part. 5. cap. 5.*

Anima intelligit, quia apprehendit in seipsa formam intellectorum nudorum a materia, & vt sit nuda, aut accidit, quia intellectus eam nudat, aut quia forma in se ipsa nuda est a materia. *Auic. de anima, par. 5. cap. 6.*

Anima seipsam intelligit, &, hoc quod est intelligere se ipsam, facit eam intelligere se esse,& intelligentem, & rem intellectam, & intellectum in eo autem, quod intelligit cæteras formas non facit ita, ipsæ enim in corpore per se sunt semper, & in potentia, & in intellectu quamuis in aliquibus rebus exeant ad effectum. *Auic. de anima, par. 5. cap. 6.*

Animam fieri res intellectę, secundum Auicennam est impossibile, non enim potest vna res fieri alia. *Auic. de anima, par. 5. cap. 6.*

Animæ animalis discretæ sunt virtutes, & vnicuique virtuti per se separatim attribuuta, sunt instrumenta. *Auic. de anima, par. 5. cap. 6.*

Anima humana dum est in corpore, non potest recipere subito intelligentiam. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 6.*

Anima cum separatur a corpore, & ab accidentibus corporis, tunc poterit coniungi intelligentiæ agenti, & tunc inueniet in ea pulchritudinem intelligibilem,& delectationem perennem. *Auicen de anima, par. 5. cap. 6.*

Anima si est vna oportet vt sit membrum vnum, per quod principaliter pendeat ex corpore,& ex quo regat corpus, & augmentet, & fiat mediante spiritu.& per hoc diffunditur in alia membra. *Auic. de anima, par. 5. cap. 8.*

Anima viuificat animal ex corde, & ab ipso emanant aliæ virtutes ad reliqua membra. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 8.*

Animæ motes oculi maxime significant. *Auicen. de animal. lib. 1.*

Anima continet materiam, præparat enim eam per virtutem diuinam, quæ est in ea, vt ipsa sit causa multitudinis causatorum particularium. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Animæ primæ duæ sunt vires, prima est apprehensiua, secunda motiua, & hæc est vis desideratiua in illa. anima igitur apprehendet, & vt consequatur id, mouet corpus cui adhæret, & per hoc viuificatur corpus illud. *Auicen. de intelligentijs, cap. 4.*

Animæ cœli vita, & si sit composita simplicius tamē habet esse respectu vitæ totius cœli, quoniam in vita cœli inuenimus eius principium, & fund-

licet in vita animæ, sed motio quæ est animæ primæ perfectio, est rediens super excellentiam illius, quæ vero est perfectio vitæ cœli motio, qua mouetur primum, licet cœlum, & anima eius nõ sint multa, sed ipsum est quicquid anima eius est, & non conuertatur, & sic vita animæ eius, non erit aliud à vita sua, & sic erit vt & illi. *Auicen. de intelligentiis cap.4.*

Anima quæ recipit impressiones ab anima prima, ab ea meretur sine medio dici intelligibile, anima autem in fine, quoniam ab anima prima recipit impressiones, & pendet per eam, merebitur dici anima animales. Itaque intelligentiæ debent dici intelligentiæ tantum, quoniam intelligentia post primam non dicitur pendens nisi per intelligentiam. *Auicen. de intelligentiis cap.4.*

Anima non habet esse post non esse, nisi cum fuerit esse corporum secundum modum commistionis, per quam adaptatur feci eius instrumẽtum. *Aui. metaphysic. tract.4. cap.2.*

Anima cuiusque cœli est eius perfectio, & eius forma, nec est substantia separata, nam esset intelligentia, non anima, nec moueret nisi ad modum desiderij, nec contingeret variatio ex motu corporis, nec ex consortio corporis contingeret imaginatio, & æstimatio. *Auic. metaphy. tract.9. cap.4.*

Animæ rationalis perfectio est, vt foret intelligibile, & describatur in ea forma totius, & ordo intellectus in toto, & bonitas fluens in esse, & vt incipiens a principio totius procedat ad substãtias excellentiores spirituales absolute, & deinde ad spirituales pendentes aliquo modo ex corporibus, & deinde ad animas mouentes corpora, & postea ad corpora cœlestia, deinde vt hæc omnia sint descripta in anima, secundum dispositiones, & vires eorum, quousque perficiatur in ea dispositio esse vniuersitatis, & sic transeat in intellectum instar esse totius mundi, cernens pulchritudinem absolute bonitatem, & decor verus fiat vnum cum ea insculpta eius exemplo incedens, secundum viam eius conuersa in similitudinem substantiæ eius. *Auicen. metaphysic. tract.9. cap.7.*

Animam immortalem, multorum est opinio, primum Pythagoram significasse, & cum in noua corpora ingredi dicebat, monebat non desiderandam post mortem hanc ipsam vitam. *Lil. Gre. Gyr. in Pyth. Symb.*

Annulum ne feras. *Pythag. symbola.*

Annulus si positus fuerit in pelui, ita vt non potest videri, & postea impleueris aqua peluim annulus videbitur. *Auic. de anima par.3. cap.7.*

Annulum angustum ne feras, idest non debet homo se ipsum in seruitutem conijcere. *Lil. Gre. Gyr. in Pyth. symb.*

Annus est vnus pater qui habet duodecim filios, quorum singulis sunt triginta filiæ forma dissimili aliæ albæ, aliæ nigræ, quæ quamuis immortales, tamen omnes intereunt. *Cleobuli probl.*

Ante opus considera

Ne te prius molli somno tradideris, quam diurna opera ter mente reuolueris;

Qua transiui? quid egi? quid quod agendum fuerit, prætermisi? a primo incipiens discurras ad reliqua. *Pyth. aurea verba.*

Apes non veniunt ad locum maliodoris, & non quiescunt nisi in loco boni odoris, & vbi est dulcedo. *Auic. de animalib. lib.4 cap.2.*

Apes cibantur ea melle, & non quærunt comedere de melle alieno, & si infirmantur non exeunt de domo, & tunc comedunt suum mel, & quod generatur super tibias apum est cera, & est fæx mellis, & aliquando cibus eius. *Aui. de animal. lib.8. cap. 6.*

Apes masculi non habent acum, & appetunt pungere, & non possunt. *Auicen. de animal. lib. 8. cap.6.*

Apes cum inueniunt aluearia munda, operantur in eis domos cereas sextiles, & capiunt illam ceram super flores, & super extremitates arborum, & primo ædificant domum regis, deinde masculorum, & postea apum paruarum, & domos vacuas propter mundificationem. Masculi non operantur nisi ad comedendum mel. *Auic. de animal. lib. 8. cap.6.*

Apum rex non exit nisi cum toto exercitu, & cum amittunt regem visu, sequuntur olfactu. & si rex non potest volare, ferunt illum. *Auic. de animal. lib.8. c.6.*

Apum rex melior est rubeus, alter est niger vt carbo, & est duplus in quantitate ad apem quæ mellificat, & melior est apis minor, & rotunda, masculus est magis piger, & apes quæ pascuntur in pratis, & montibus sunt minores, & apes bonæ faciunt mel simile, & leue. *Auic. de animal. lib.8. cap.6.*

Apes trahunt ceram pedibus anterioribus, & eam trahunt, & pedibus mundificant per medios, qui dicuntur brachia, & per posteriores. *Aui. de animal. lib.8 cap.6.*

Apum aculeus est eius arma, & cum eo mittunt humiditates molles, & apes mellificantes interficiunt masculos volentes nocere eis, & reges malos. *Auic. de anim. lib.8. cap 6.*

Apes appetunt origanum, & melius est album, & quando acceperit florem, & infirmatur, & apes operiunt se a vento, & potant aquam claram si ue prope, siue a remotis, & non potant nisi cum eiiciunt suum squibalum, & plus faciunt mel in vere, & in autumno, & mel veris est melius & mel album est quod ponitur in cera virginia, & si ponitur in cera antiqua est citrinus, & melius est quod habet colorem aureum, & peius quod habet colorem russum. *Auic. de animalib. lib.8. cap.6.*

Apes diuidunt opus suum: quædam ducunt materiam a flore, aliæ eam materiam ratificant, & faciunt ceram, aliæ adducunt potum pullos, nec ca dunt super animal, nec super cibum. nec pugnant cum aliis nisi cum vespis, & cum his, qui appropinquant ad suum alueare, & cibant se de rebus dulcibus, & si pungunt & dimittant aculeum, moritur illa apis, & forte interficiunt quẽ pungunt. *Auic. de animal. lib.8 cap 6.*

Apes percipiunt frigus, & pluuias, quod patet quia tunc non exeunt, & pluuia Australis corrumpit apes. *Auic. de animalib. lib.8. cap.6.*

Apibus placet percussio, & cantus, quibus mediis redeunt ad alueare, & alueare in quo auditur magnus strepitus, est magis fertile. *Auicen. de animalib. lib.8. cap.6.*

Apis quando vna pendet ab alia in alueari, significatur exitum futurum, & tunc custos spargit super eas vinum bonum dulce, & ponit iuxta alue arium

uearium vnum agrestæ, & fabæ, & melga balnstia, mirtus, papauer, sisimbrium, & amygdalæ. *Auic. de anim. lib. 8. cap. 6.*

Appetitionibus rerum externarum sic statim occurrendum est, & videndum si versantur in rebus nostræ potestati subiectis, an alienis, & si in alienis, illud in proptu sit, nihil id ad nos attinere. *Epict.*

Appetitionem, & declinationem qui collocat in rebus in nostra potestate non positis, is & rebus desideratis sæpe frustratur, & in eas incidit quas declinat, quia in aliorum sunt potestate, & sic constat talem infortunatum, calamitosum, & infælicem esse. *Epict.*

Appetitiones, vel declinando, vel appetendo videndum est ne nimia alacritate modum excedas, & quasi septa transiliendo vires eneraes, nam hoc in plerisque animi vigorem eneruat, & corpora consumit. *Epict.*

Appetitus est animi in rem appetendam propensio. *Simpl. in Epict.*

Appetitus a ratione alieni, id est ira, & cupiditas corporibus annexi sunt ab alio mouentur, nec penitus sui sunt iuris, nec in appetitibus sunt, quãuis intus ij quoque mouētur, immo animus rationalis cum se ipsum dederit irrationalibus motibus impellitur, nec amplius liberos in sua potestate motus habet, cũ vero iuxta suã naturã agit suoque arbitrio, tunc libere agit. *Simpl. in Epict.*

Appetitus omnis est motus internus animi appetentis, ab eo ipso progressus, non extrinsecus insertus. *Simpl. in Epict.*

Appetentia quæ appetunt sentire necesse est, & ad id moueri. *Simpl. in Epict.*

Appetitum non prouocat egestas, sed id quod appetĩdi vim habet, aliqua re egens ad egestatem propulsandam appetitum prouocat. *Simp. in Epict.*

Appetenda non cogunt appetentem. *Simpl. in Epict.*

Appetitio est quædam extensio, manente eo, quod appetit, & non recedente, vt manus extendimus, quamuis loco non moueamur. *Simplic. in Epict.*

Appetitio est motus quidam non intrinsecus, & opinio sic, & similia, sed aliàs conuenienter, ad rei naturam appetere, & opinare, aliàs ab ea tecedit: nam sæpe decipimur specie recti & boni. *Simp. in Epict.*

Appetitiones modo res veras, & vere vtiles rappræsentant, atq; iocundas, modo inania simulachra, vt somnia comminiscuntur. *Simpl. in Epict.*

Appetitionum probandarum regula sumitur à natura appetitionum, an scilicet ad animi, corporis, fortunęve bona pertineant, an ad voluptatem, & vtilitatem referantur, fieri ne possint, an secus, an ad Dei, & hominum prudentiam vtilitati aliquid probantium, an improbantium, magnificientium, an negligentium: nam quidquid Deo, & probatis hominibus probatur in eo cum suæ salutis studio elaborandum est, sed vna regula est, quæ pendet a diuisione rerum nostrarum, non alienarum, nam cum nostri arbitrij non sint, neque malum nostrum, neque bonum esse possunt. *Simp. in Epict.*

Aptitudo est perfectio eius, quod est in potentia in comparatione vnius oppositorum. *Auic. de anim. par. 4. cap. 5.*

Aptitudo perfecta est, vt non sit in natura ei impediens id quod est in potentia in ea, vt aquæ aptitudo cum est calefacta ad infrigidandum. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 3.*

Aqua natura sua est frigida, & humida, & restringitur non in vltimo. *Auic. de cælo, & mundo, c. 16.*

Aquila non comedit aquilã, nisi vt ex ea extrahat, quod illa comedit, & si non inuenit, comedit eam propter voracitatem. *Auic. de anim. lib. 8. cap. 1.*

Aquila reponit de sua venatione de residuo cibi propter tempus necessitatis, & nõ venatur prope suũ nidũ, sed in locis remotis. *Auic. de ani. l. 8. c. 5.*

Aquila locum in quo moratur, tenet liberum ab omnibus auibus, nec permittit aliquam auem illuc accedere, ne luxurietur cum sua fœmina. *Auic. de animal. lib. 8 cap. 5.*

Aquila ponit pullos suos contra Solem, & si eius oculi lachrymantur, interficit eos. *Idem ibidem.*

Arbitrij humani est appetitio earum rerum, quæ fieri possunt, & quæ fieri non possunt, & earum, quæ nocent, & sic earum fuga. *Simp. in Epict.*

Arbitrij nostri est, ea expetere, quæ secundum naturam nobis competunt. *Simp. in Epict.*

Arborem mitem nec violandam, nec cædendam, id est innoxios innocentésque prorsus non inquietandos, sed sinendos esse. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. Symb.*

Argumentatio in se est cuius propositiones in se ipsis sunt veræ, & apud sapientes sunt notiores conclusione, & eius ordinatio concludit: argumentatio vero per comparationem est cum aduersarius concedet propositiones. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 9.*

Armenti facies tempore luxuriæ debet esse versus Septentrionem, quia meliorabitur, & aries qui habet venas sub lingua albas, facit filios albos, & si nigræ nigros, & ruffæ ruffos, & variæ varios: & si potant aquas salsas recipit appetitum ad luxuriam citius, & in anno quando arietes senes festinant ante iuuenes ad coitum, significatur, quod ille annus erit fertilis. *Auic. de animalib. li. 7. ca. 1.*

Artes non inseruntur a vitæ necessitatibus, sed animus ad eas necessitates subleuandas excogitat, & apponit artes. *Simpl. in Epict.*

Ars omnis in principio est cruda, & immatura, sed maturatur paulatim, & decoratur, & perficitur: sic fuit philosophia antiquitus apud Græcos. *Auic. metaph. tract. 7. cap. 2.*

Artificis excellentia cognoscitur ex instrumentis, & frequenter veritatem attingimus. *Simpl. in Epict.*

Artificis virtus differt a virtute instrumentorum, quamuis ob instrumenta opus aliquando peius conficitur. *Simp. in Epict.*

Argentum est inuidiæ locus *Alter. Had. & Epict.*

Asinæ non generant nisi tempore caloris, & in calidis regionibus, quia semen est frigidum. *Auic. de anima. lib. 16. cap. 2.*

Astrologis non est credendum. *Auic. metaph. tract. 10. cap. 1*

Athenienses scripserunt Persarum regi non magis redigi in seruitutem posse, quam pisces, capti enim pisces moriuntur, aut denuo abeunt. *Ar. Epict. l. 3. c. 25.*

Attractio fit per fila longa cum constringuntur. *Auic. de animalib. lib. 13. cap. 4.*

Auditus est vis ordinata in neruo expanso in superficie nerui optici ad apprehendendum formam eius, quod sibi aduenit, & commotione aeris, qui constringitur inter percutiens, & percussum, restringens ei constrictione exacta, ex qua pronenit sonus, & prouenit eius commotio ad aerem collectum quietum, qui est in concauitate nerui

optici mouens illum ad instar sui motus,& commotiones illæ tangunt neruum. *Auic. de anima, par.1.cap.5.*

Auditus fit cum commotio aeris,aut aquæ peruenit ad neruum expansum intus in aure receptibilem soni,ante quem est côcauitas,in qua est aer quietus, mouetur motu eius, qui peruenit ad ipsum, & postquam est quasi paries super quem est neruus expansus,sentiens sonitum,tunc sentitur sonitus. *Auic.de anima,par.2.cap.6.*

Auditus apprehendit sonos magnos, & per hoc aliquando errat, quia putat fieri a magnis corporibus,cum tamen fiant a paruis,ideo non comprehendit magnitudinem,& sic circa numerum. *Auicen.de anima,par.3.cap.8.*

Auditus fit à neruis cerebri, qui pertingunt ad cartilaginem,& expanduntur in superficie eius. *Auic.de anima.par.5.cap.8.*

Auditus fit in vtraque parte capitis, quia visus, & olfactus occupant interiorem partem capitis. *Auicen.de animal.lib.12.cap.12.*

Aues quæ habent vngues curuos ponunt in anno semel,&aliquâdo plus,&maior numerus ouorum suorum est decem,vel parum plus. *Auicen.de animal.lib.lib.6.cap.1.*

Aues omnes habentes vngues vncosos comedunt carnes,& transglutiunt festinantet. *Auic.de anim. lib.8.cap.1.*

Aues venatiles raro potant. *Auic.de anim.lib.8.c.1.*

Aues minus potant qoàm cætera animalia, & quæ habent vngues curuos potant raro valde. *Auic.de anim.lib.8.cap.2.*

Aues cum infirmantur,segregant suas pennas. *Auic. de animal.lib.8.cap.2.*

Aues venatrices sunt paucorum filiorum,quia labore quærunt victum,sed quæ non volant multum, vt gallinæ,nec indigent venatione, sed pulli statim à natiuitate colligunt grana, multa faciunt oua. *Auic.de animal.lib.17.cap.1.*

Augmentatiua virtus tollit ab vna parte corporis nutrimentum,quo indigebat, & addit aliæ parti, & ei vnit, vt vna pars augeatur potentius quam alia,ministrante sibi nutritiua hoc. *Auic. de anima,par.2.c.1.*

Augmentû virtutis in suo robore fit ex augmento substantiæ in quantitate. *Auic.de an.p.4.c.5.*

Augmentum longitudinis difficilius fit,quam latitudinis, namque in augmento longitudinis oportet, vt nutrimentum diffundatur in membris duris,in latitudine aliquando sufficit carnes augeri,& ipsi deficuit nutritiua virtus. *Auic.de anima,par.2.cap.1.*

Augmentum est incrementum,quod corpus recipit in suis tribus dimensionibus, quæ sunt longitudo,latitudo,& profunditas, quod fit æquale in omnibus suis partibus,ita vt non inueniatur magis in vno loco,quam in alio,nec plus in interiori,quàm in exteriori,& quod fit simile sine differentia huius,vel illius,& sine permutatione corporis,quod creuit à sua dispositione, vel aliquid quam fit extra illud, quod non fit de natura eius, sed conuertitur in eius naturam. *Auic. de cælo,& mundo,cap.3.*

Augurium,& omen,& diuinatio si mali aliquid portêdit,nihil ad te pertinet:nam bonum, & malum in te est,& inuictus esse potes,si in nullum certamen descendas, in quo vincere tui arbitrij non est. *Epict.*

Auricularum particulæ sunt cartilaginosæ, & sunt pulpæ,& foramen tortuosum,vt in eo augumentarentur sonitus,& vt statim frigus non veniret ad medullam, factum est longum, & est via inter aurem,& palatum non manifesta. *Auic.de animal. lib.12.cap.12.*

Aurum habenti ne læteas in filiorum generatione. *Pythagora Symbola.*

Aurum ex metallis solum rubiginem non admittit: nam alia metalla, quantum terræ participia sunt, tantum in rubiginem mutantur. *Hieroc.*

Aurum est mancipium mortis. *Alter.Had.& Epict.*

B



BEATITVDO ab animo, & voluntate pendet. *Epict.sent.*

Beatus is est, qui corpore est sanus, & animo bene institutus est. *Thaletis problem.*

Bene audire si cupis,disce bene loqui, edoctus bene facere conari, ita id consequeris,vt bene audias. *Epict.sententia.*

Bene faciendum vltro est, & vt Sol oriatur,non expectat,preces,sed statim splêdet,sic tu nec preces, nec applausus expecta, & sic amaberis. *Epict.sent.*

Binarius inquantum habet principium,& finem tantum imperfectus est. *Auic.metaph.tract.4.cap.3.*

Bona facere nos sedulo non decet tanquam in nobis foret, nec etiam sine Dei auxilio illa perficere posse credendum est. *Hieroc.*

Bona a Deo sunt impetranda: nam virtus in hominis animo est imago Dei, & omnis imago exemplar habet, vt subsistat, vanum est ergo quod inspicimus,si non aspicimus ad cuius similitudinem bonum illud adepti sumus. *Hieroc.*

Bonus si esse volueris primû credito te malum esse, castigato affectus, ne illi te puniant, opinionem non tam verere, quam ipsius rei veritatem, Bene audire si cupis disce bene loqui, edoctus bene facere conare, ita id consequeris vt bene audias. *Epict.sent.*

Bonus vir nemo paupertatem cum turpibus diuitiis commutatam velit. *Epict.sent.*

Bonis potius,& in nullum malum incidere beatos facit,bonis,& vtilibus rebus excidere,aut in noxias excidere infelices. *Simpl.Epict.*

Bonum malus cum minore malo coniunctum omnis homo amplectitur, præsertim si bonum esse nostrum, malum vero alienum esse videatur. *Simp. in Epict.*

Bonum & malum in nobis est, ideo a nobis,nec ab alio,nec per alium accidit. *Simpl.in Epict.*

Bonum est, quod cuiusque naturæ conuenit, quoque id suam habet perfectionem. *Simp.in Epict.*

Bonum & malum ibi est,vbi appetitio & declinatio versatur siue secundum naturam, siue contra. *Simplic.in Epict.*

Bonitas pura non est nisi necesse esse per se, & dicitur etiã bonitas id quod attribuit rebus suas perfectiones,& suas bonitates. *Auic.metaph.tract.8. cap.6.*

Bonum purum est esse cui non coniungitur priuatio, nec priuatio substantiæ, nec priuatio alicuius quod sit substantiæ, sed semper est in effectu, & id quod est possibile esse per se non est bonum purum.quia potest pati priuatione. *Auic.metaph. tract.8.cap.6.*

CALA-

C



ALAMITATEM facilius feres, si cum inimicis tuis peius agi videas. *Thaletis probl.*

Calamitates vt morbus, paupertas, dedecus in ciuitate, perditio charissimarum rerum sunt indecora in hac vita, sed non omnino mala, non enim nocent animo, nisi horum cogitatione ad vitium labatur, mala omnino sunt, quæ ex voluntate oriuntur, vt peccata, quorum natura non fert, vt vitiis eis adiungatur, vt iniustitia, luxuria, & huiuscemodi, quę boni adiunctionem non capiunt. *Hieroc.*

Calamitates magna bona nobis afferunt, primum homines eas mansueto ferunt, vt diuino iudicio satisfiat, tum propter virtutem, quam iam possident, qua molesta faciliora fiunt, tum bene de futura vita speratur, nequaquam igitur nos turbari debet, si nobis qui boni facti sumus per summam virtutem diuina offeruntur, per mediam, humani postea maxime purgamur ex hoc, quia æquo animo talia ferimus. *Hieroc.*

Calor hecticorum, quamuis sit multo fortior calore tertianorum non sentitur, quia complexio illa facta est tanquam naturalis. *Auic. de anima, par. 2. cap 3.*

Calor fit ex motu, & emollit materias, & dissoluit eas. *Auic. de cælo, & mundo, cap. 16.*

Calor naturalis post tempus status recipit diminutionem, quia calor aeris circunstantis aufert humiditatem interiorem, & adiutorium calori extrinseco in consumendo humidum est calor naturalis intrinsecus, & propter hoc iuuant ad hoc motus animalis, & tandem diminuitur, & constringitur, quia corpus patitur dissolutionem, & dissolutio terminatur per humiditatem, & aggregatur humiditas extranea, quæ extinguit calorem, vel per strangulationem, & summersionem, vel propter contrarietatem in quantitate, & illa humiditas est phlegmatica frigida, & ista est mors naturalis. *Auicenn. de animalibus libro 12. cap. 3.*

Calor iuuenum, & puerorum est æqualis secundum radicem, sed in pueris est maior secundum quantitatem, in iuuenibus secundum qualitatem. *Auic. de anim. lib. 12. cap 3.*

Calor naturalis est primum instrumentum animæ. *Auic. de anim. lib. 12. cap 6.*

Calor qui prouenit à supercœlestibus habet virtutem, quam non potest habere calor ignis, nam ille dat vitam. *Auicenn. de animalibus, libro primo capite primo.*

Calidi in corpore sunt spiritus, cor, & sanguis post sanguinem caro epatis, quæ est quasi sanguis coagulatus, post hanc venæ pulsatiles, quia recipiunt calorem a sanguine, & spiritu, & postea venæ non pulsatiles, & post cutis palmæ, quæ est temperata. *Auic. de anim. lib. 12. cap. 2.*

Calidum aut dicitur calidum, quia calefacit tactu, vt ignis, aut cum est intra receptum calefacit, aut quia multum de sua specie calefacit, & paucum non, vt apium, aut quia cum recepit calorem tarde deponit, vt plumbum, aut secundum essentiam, vt in lapide, & per accidens, vt glacies. *Auic. de anim. lib. 12. c. 6.*

Camelus solus habet additamenta in dorso, & aliquis habet duo. *Auic. de animal. lib. 1.*

Camelus non luxuriat super matrem suam, & quidam cum fecisset eum luxuriare super matrem suam, camelus cognita matre interfecit hominem. *Auicen. de animal. lib. 8. cap. 7.*

Canes generant vsque ad annos decem & octo. *Auic. de animal. lib. 5. cap. 2.*

Canes fœminæ menstruant omnibus septem diebus, quo tempore non recipiunt coitum, nisi post mundationem, & eius lac est spissum, & masculus post sex menses suæ natiuitatis luxuriatur, & aliquando citius: canes generosi viuunt decem annos, & fœminæ tresdecim, & non eijcit dentes nisi caninos. *Auicen. de animalib. lib. 7. cap. 1.*

Canibus vtendum ad lyram, ne scilicet perturbatis molestarentur somniis, ante soporis initium canibus ad lyram vtebantur, per lyram enim honestam temperantiam significabant. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symb.*

Capillorum, & vnguium superfluitates, postquàm absciderıs pessunda. *Pyth. symb.*

Capilli sunt ex vapore exeunte per poros, cum ille vapor fuerit spissus, & porus non fuerit largus, & sunt propter pulchritudinem, vt barba, & iuuamentum vt supercilia, & aliquando per solam superfluitatem, & per iuuamentum vt super pectinem. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 2.*

Capilli generantur ex vapore, qui est fumus, & est perennis in poris, & tunc coagulatur, & materia sua naturalis est fumosa, & instrumentum est porus, & si ista superfluitas erit spissa, capilli erunt spissi, si subtilis, subtiles, & cum fuerit cutis spissa, & superfluitas spissa, vnus pilus erit propinquus alteri, & foramina non erunt incarnata, & constricta, & non cum altero, sed ampliata ampliatione cutis siccæ foraminum, sed crispitudo erit propter tortuositatem pororum. & nigredo est propter caloris acritatem, & canities propter cruditatem, & ruffus propter æqualitatem, & forte nigredo, & crispitudo erit propter impressionem aeris extrinseci. & caluities est, quia desiccatur medulla, & incipit ante, quia illud vas est magis amplum, & materia magis humida, & cito recipit exsiccationem: sed mulieres, & castrati natura est magis humida, & pori magis angusti, ideo non fiunt calui, & sunt ruffi, & postea albi, & rufi citius albescunt. *Auicenn. de animalib. lib. 19. cap. 1.*

Capilli primi qui fiunt cani sunt capilli temporum, & postea superciliorum, & fiunt cani: quia sunt in loco sicco & pili pectinis, quia sunt in loco calido. *Auic. de anim. lib. 19. cap. 1.*

Capilli mortalitatis symbolum sunt, mortui enim sunt, nec doloris sensum habent. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. symb.*

Capræ si antequam imprægnetur, confricarentur mamillæ prius exit sanguis, postea quasi sanies, & post eam lac, quod est aquosum dulce, vt illud quod exit post partum, & caper fuit in ciuitate, quæ dicebatur chimanx, qui habebat additamenta prope virgam ad similitudinem mamillarum, & exiuit lac per confricationem, ex quo factus est caseus, & coiuit cum capra, & genuit filium, qui habebat eadem additamenta, ex quibus exibat lac. *Auic. de animalib. lib. 3 cap. 3.*

Caper montanus medetur suam plagam, in qua remansit ferrum cum comestione herbæ, quæ dicitur pulegium, eiicit ferrum. *Auicenn. de animal. lib. 8. cap. 4.*

Caput habet duas ferras fallaces, & duas veras, prima ferra communicat cum fronte, & est ad modum arcus, & dicitur coronalis, alia quæ est in medio secundum longitudinem dicitur sagitta lis, & est talis (-, & tertia communicans inter occipicium, & suam basim, est vt figura anguli, cuius acutum coniungitur cum sagitta, & dicitur ferra laude, sed duæ ferræ mendaces sunt, secundum capitis longitudinem æque distantes futuræ, quæ dicitur sag. ta ex vtraque parte auriculæ, & non profundantur ad interius, & ideo dicuntur ferræ fallaces. *Auicen. de animalib. lib. 12. cap. 10.*

Capitis figura naturalis est, vt sit rotunda, quia est est magis capax, & minus recipit læsiones, & est cū aliquali longitudine, in acutum aliquantulum ante, & retro rotūda. *Auic. de animalib. lib 12. cap. 10.*

Caput habet quinque ossa, quatuor sunt vt parietes, & 5. vt basis, & sunt duriores, quam illud supra, quia casus supra latera sunt plures, & quia in superiori parte debet esse raritas, & carere ponderositate. *Auicen. de animalib. 12. cap. 10.*

Carnis natura est recipere sensum, quamuis egeat neruis ad id percipiendum. *Auicen. de anima. parte 2. cap. 3.*

Caro inter omnia membra est magis temperata, & post illam cutis, & magis temperantia cutis est manus, & eius palma, & palmæ index, & indicis extremitas eius. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 5.*

Caro nigra saporosior est, quia est magis digesta. *Auic. de animalib. lib. 19. cap. 1.*

Castrati, qui coeunt, quorum virga non est exsiccata cum coeunt emittunt quoddam sperma subtile, & attritum. *Auic. de animal. lib. 2. cap. 1.*

Caudam nigram quod habet ab eo abstine, terrestrium enim Deorum est. *Pythag. symb.*

Casus, & fortuna nihil sunt, sed omnia ad certum finem referenda sunt. *Simpl. in Epict.*

Casus, vel fatum est cum res non fuerit sperata, nec formidata, & non est semper, nec sæpe. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 13.*

Casus est causa rerum naturalium, & voluntariarum per accidens, nec semper eueniens, nec sæpe, & est in quocunque est per aliquid, & non est causa essentialis, quæ illud induxerit. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 13.*

Causa prima immutabilis, & immobilis, quæ in operando eandem habet substantiam, & bonitatem nō adiectam, sed per se ipsam, & ex se ipsa sub sistentem omnia ad bene esse producens. *Hierot.*

Causarum consideratio rerum existentium, quæ causæ in opifice Deo sunt, ad summam Dei intelligentiam nos ducit, cui adiuncta est simul Dei similitudo. *Hierot.*

Causæ essentiales rerum naturalium sunt quatuor, efficiens, forma, materia, & finis. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 10.*

Causa efficiens in rebus naturalibus aliquando dicitur principium motus in alio a se, secundum hoc, quod est aliud, & hic motus intelligitur omnis exitus de potentia ad effectum per formam in materia, & est causa conuertendi illud, & mouendi de potentia ad effectum. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 10.*

Causa efficiens est respectu finis, facit enim finem esse, & finis alio respectu est causa efficientis. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 11.*

Causæ aliquando sunt essentialiter, aliquando accidentaliter, propinqua, & remota, propria, & communes, particularis, vniuersalis, simplex, cōposita, in potentia in effectu, & aliquando immiscentur inter se. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 13.*

Causæ casuales sunt cum sunt propter aliquid, sed sunt efficientes eorum per accidens. *Auic. suffic. lib. 1. cap 13.*

Causæ essentiales debent prius creari, deinde accidentalis. *Auic. de anima, par. 5. cap. 4.*

Causa est quæ necessario est per se, & non per aliud, & illa est prior. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 9.*

Causæ primæ ex effectibus suis cognoscuntur, quia sunt non quid sunt non in sapientia remanēt absentiæ, & in effectibus veluti in quandam lucem prolatæ cognitioni non testant apparere. *Auicen. de intelligentiis, cap. 2.*

Causæ primæ non tantum causari dicimus, sed propter sui excellentiam causare dicimus, earum autem excellentia non est hoc, vt a nulla causa superiore sint, est enim vna, & eadem causa omnium, per quam, in qua, & ex qua rerum omnium causæ occasionales factæ sunt primitus. ideo præfertur omnibus supereroltans, & superexcellens singula. *Auicen. de intelligen. cap 3.*

Causæ quæ exeunt ab intelligentia, sunt duæ primæ forma cœli vltimi, & hæc est eius anima a qua est motus animalis proximus, & si non primo, quæ non intelligit bonitatem, & per hunc modum non exit a causato primo, nisi per naturam intelligibilem, quæ inest illi, secunda causa est corporeitas, quæ est inuenta in totalitate cœli vltimi, & hic instituit cum appendiciis eius materiam primam. vnde materia prima in se ipsa est resolubilis, & possibilis, & quia corporeitas sequitur intelligentiam per hunc modū, tunc hoc non est, nisi per naturam intelligentiæ essendi possibile. *Auic. de intelligen. cap. 4.*

Causa prima intelligit suam essentiam, & id quod facit debet esse cum sua essentia, & ipse scit quomodo bonitas est in omni quod est, sequitur formam suam forma eorum, quæ sunt intellecta apud eum secundum ordinem, quem intelligit, sed non sequitur eam, vt lux lucidum. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Causæ primæ intelligentia non causatur, & perficitur in aliquo, quod sit ex eo, & ideo eius scientia non recipit diminutionem, quia scit id quod est ex eo, per modum sui, & non per modum rei scitæ. *Auicen. de intelligen. cap. 4.*

Causa eius est id cuius remotio est causa remotionis alterius. *Auic. metaph. tract. 2. cap. 4.*

Causæ sunt forma, materia, agens, & finis. *Aui. metaph. tract. 6. cap. 1.*

Causa finalis est per quam acquiritur esse rei discretum ab ea. *Auic. metaph. tract. 6. cap 1.*

Causa formalis est, quæ est pars essentiæ in qua est id per quod res est in effectu. *Auicen. metaphys. tract. 6. cap. 1.*

Causæ essentiales rei propter quas est esse rei in effectu, necesse est vt sint cum ea, nec præcedant in esse, sic vt possint remoueri remanente causato. *Auic. metaphys. tract. 6. cap. 2.*

Causæ sunt causæ causatorum necessario, vel ad instar sui esse, vt calefactio ab igne, vel alio modo, vt calefactio ex motu. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 3.*

Causa finalis in suo esse in anima prior est cæteris causis. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Causa finalis non est causa, vt est inuenta, sed inquātum

tum est ad aliquid: vnde secundum modum quo est causa est causata causatum, scilicet cum causa finalis habuit esse, si enim non habuerit esse in effectu, secundum suum esse fuerit prima suo esse in effectu. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Causa omnis, vt est causa habet certitudinem, & causalitatem. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Causa prima est solum causa medium est, & causa, & causatum, causatum vltimum non est causa, sed causatum solum, vnde non potest esse collectio causarum, quia non sit causa non causata. *Auic. metaph. tra. 8. cap. 1.*

Causæ omnes in omni genere causarum sunt finitę. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 1.*

Causa finales cum stabilitus ipsius esse, stabilitur etiam ipsum finitum. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 3.*

Causa prima perfecta ast, nam nihil deest illi de suo esse, & de perfectionibus sui esse, nec aliquid generis sui esse egreditur ab eius esse ad aliud à se, vt egreditur ab alio à se, & omne esse est exuberans ab eius esse, & ab illo fluit, est bonitas pura. *Auic. metaph. tract. 8 cap. 6.*

Causa prima libera est à materia, & ab eius appendicijs, & ab omni corruptione, nec habet contrarium, nec genus, nec quidditatem, nec qualitatam, nec quantitatem, nec quando, nec vbi, nec simile sibi: vt est altissimus, gloriosus, & non habet diffinitionem, nec fieri de eo potest demonstratio. est enim omne quod est, & tamen non est aliquod ax his. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 5.*

Causa prima est esse, bonitas pura, perfectio pura, & id desiderat omnes res iuxta modum suũ, quia per eam perficitur omne eius esse. *Auicen. metaphys. tract. 8. cap. 6.*

Causa prima non intelligit nisi vniuersaliter, & cũ hoc non deest ei aliquod singulare, quia ipsa se ipsam intelligit, & cum sit principiũ omnis quod ast intelligit principia eorum, quæ sunt ab eo, & quidquid nascitur ab eis, & quidquid est ex rebus omnino ast necessarium esse propter eam. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 6.*

Causa prima apprehendit particulares res, in quantum sunt vniuersales, scilicet inquantum habent proprietates si appropriatur eis indiuiduum, hoc erit respectu temporis alicuius, vel dispositionis alicuius. Si vero accipiatur illa dispositio cũ proprietatibus suis erit etiam in ordine eorum, sed abstrahetur à principiis cuiusque eorum, scilicet sua species à suis indiuiduis, vnde abstrahetur à rabus indiuidualibus. *Auicen. metaph. tract. 8. cap. 6.*

Causæ primæ esse intelligentem, & intellectum non facit debere esse multitudinem in eo vllo modo, non potest esse, vt necesse essa intelligat res, per ses, sed quia est principiũ omnis esse, tunc intelligit ex se ipso id cui ipse est principium, & eorum est principium, quę sunt perfecta in singularitata sua, & eorum, quę sunt generata corruptibilia secundum suas species vno modo, & secundũ sua indiuidua alio. *Auic. metaph tract. 8. cap. 6.*

Causa prima est sciens ordinẽ bonitatis in esse, quoniam ex eo est, & quoniam diligit se ipsam, quæ est principium totius ordinis bonitatis non patitur ab eo, nec concupiscit, nec inquirit, est enim expers omnis imperfectionis. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 7.*

Causæ primæ scientia est apprehendens id, quod iã est, & quod possibile est esse. Cuius relatio ad ipsa erit inquantum sunt intellecta, non inquantum sunt in singularibus. *Auic. metaph. tra. 8. ca. 7.*

Causa prima quidquid intelligit, intelligit per suam essentiã, & per hoc intelligit quod est post se ipsum, & quamuis eorum alia sint ante alia, intelligit tamen simul. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 7.*

Causa prima dicitur intelligentia secundum intentionem primam, & intelligit res simul ita, vt per eas nõ multiplicatur in sua essentia, nec vt imaginatur certitudo suæ essentiæ esse hoc, quod ipsa imaginet eas, sed quod fluunt formæ eorum ab eo intellectæ, vnde ipse aptior est, vt sit intelligentia etiam ipsæ formæ fluentes à sua intelligibilitate, & intelligit se ipsam, & est principium omnis quod est. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 7.*

Causæ primæ scientia est sua volũtas, & posse quod est ei est ipsa sua essẽtia, & omniũ principium est per suam essentiam, & quod ab ipso fluit est de sua liberalitate. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 7.*

Causa propinquá motus primi est anima, non intelligentia, & cœlum est animal obediens Deo. *Auic. metaph. tract. 9. cap. 1.*

Causa nulla potest perfici per causatum essentialiter, sed accidentaliter. *Auic. metaph. sum. 9. cap. 3.*

Causæ altiores non operantur propter nos id quod operantur, nec intendunt aliquid propter res, nec inducit eas aliquid, nec accidit eis electio, hæc autem non fiunt casu, sed prima causa intelligit se ipsam, & intelligit ordinationem bonitatis, ve ast melius, & inde fluit ipsa talis fluxio quo perfectius peruenitur ad ordinem secundum possibilitatem, & hæc est intentio vera. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 5.*

Causales res sunt quæ non sunt semper, nec sæpe. Naturales vero quæ sunt semper, vel sæpe. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 2.*

Causalitas causæ finalis est causa esse aliarum, igitur esse aliarum causatum est è causalitare illius, eius autem causalitas non est causa esse earum prius, nisi sit imaginata in anima, vel in alio consimili. non est causa causæ finali in sua causalitate, nisi causa alia præter causam, quæ mouetur ad eam, vel ad quam ipsa per se mouetur. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Causatum primum omne est in Deo, deinde in se ipso, deinde in effectibus suis videt causas. visio autem ibi intellectus causarũ intelligibilia: sunt ipsæ intalligentiæ. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Causatum primum cum sit intelligens primam formam, & formam, quæ sequitur ipsam, tunc duæ formæ intellectæ sunt duæ intelligentiæ intelligentis in ea, quarum vna est superior alia, & reliqua inferior illa propter superius, & inferius intellecta, & tunc intelligentia superior perfectiua intellectum erit, & influit virtutem, quam recipit à suo intellectu glorioso, per intelligentiam inferiorem, quæ est sub ea, intelligentia causata primo. & tunc hæ duæ intelligentiæ componunt causatum primum, in quo existunt, & altera earũ est finita, quæ propinqua est illi quod est terminus omnis entis, reliqua autem est infinita. quia quod possibile, & factum in se ipso, non habet in seipso substantiam, & propter hoc non est finis alicui enti. & tunc ast intelligentia tantum, & componitur ex finito & infinito, ita finita, cum tamen inter causata non sit simplicius. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Causatum eget aliquo, quod det sibi ipsum esse per

se tantùm, sed inceptio & alia huiusceemodi sunt res, quæ accidunt ei, & causatum eget datore sui semper, & incessanter, quandiu habuerit esse. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 1.*

Causatum omne babet principium, & omne incipiens habet materiam & formam. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Causatum est quidquid habet qualitatem præter vnitatem. *Auic. metaph. tra. 8. cap. 4.*

Crrebrum ne edas. *Pythag. symb.*

Cerebri pars anterior mollior est, & mollities vtilior est ad sentiendum, pars vero posterior, vicinior spinæ est durior, & paulatim duritirs accedat ad spinam. *Auicenn. de anima, par. 5. cap. 8.*

Cerebrum, & epar, transmittũt ad cor aliquid quod iuuat ad eius operationem, & epatis operatio est istud quod suscipit à corde, & intestinis per venas meseraicas fixas in cima. *Auic. de animal. lib. 3. cap. 7.*

Cerebrum non sentit, non enim dolet propter apostema in sui substantia. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 6.*

Cerebri medulla habet in sui longitudine dimensiones tres in ventriculos, & omnis ventriculus babet in sui latitudine duas partes, & tunc pars anterior diuiditur in duo: dextrum, & sinixtrum, & sunt vnius quantitatis, & pars anterior iuuat olfactum, & super eiectionem superflui per strannationem, & adiuuat ad diuisionem spiritus visibilis, & super opera virtutis formatiuæ, & in cõprehensionibus extrinsecis, & ventriculus posterior, implet vacuitatem membri magni, & est nuca, & secundum post est diuisio spiritus visibilis, & ibi viget virtus memoratiua, ventriculus medialis est via à virtute formatiua ad memoriã. *Auic. de animal. lib. 12. cap. 7.*

Cerebri medullam cooperiunt duę membranæ, vna dura versus testam, alia mollis versus cerebrum quòd fit ne medulla testam tangeret, & lædetetur ab osse, & ista membrana est etiam ligamentum venarum pulsatilium, quæ sunt supra medullam. *Auic. de animal. lib. 12. cap. 7.*

Certissimum est mors. *Alter. Had. & Epict.*

Cerui si mordentur à serpente, comedunt cancros, & liberantur. *Auic. de animal. lib. 8. cap. 4.*

Charitas communiter respicit ad omnes, proprie vero ad solos bonos. *Hieroc.*

Chænix est diurnus cibus, & dimensum, quod alicui in dies impartitur. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Cibum ne in scaphium immittas, id est sordidos, & inhonestos homines nõ esse nutriẽdos, vt Plutarchus interpretatur sapientem sermonem non esse immittendum in flagitiosi & scelerati hominis animum. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. symb.*

Circumuolui omnia videntur ei, qui incepit videre aliquid circumuolui, quia cum simulachrũ impellitur ad vnam partem spiritus, & non ad aliam, virtus quasi impellitur cũ suo instrumento ad partem inclinationis simulachri, instrumẽtum enim obedit illi ad partem quã petit virtus, & propter hoc contingit in spiritu motio ad illam partem propter subtilitatẽ sibi & suam velocitatem ad recipiendum motum, tanquam sequatur motum simulacbri. *Auic. de anima, par. 3. cap. 8.*

Ciuibus qui præesse vult nõ tam pretium donariorum curet, quam virtutem incolarum. *Epict. sent.*

Ciues sic tractandi vt cognati, & si vicinior arctiore deuincitur necessitudinis vinculo. *Simp. in Epict.*

Ciuitatem bene ordinantem oportet, vt omnes, qui in ciuitate sunt habeant aliquem statum laudabilem: ita vt ab vnoquoque proueniat vtilitas ciuitati, *Auic. metaph. tract. 7. cap. 4.*

Coagulum oemo animal haber nisi ruminans præter lepus, & dico quod in ventre vtsi reperitur coagulum, quod etiam forte reperiri potest in alio animali. *Auicenn. de animalibus libro tertio cap. 7.*

Coagulo careot omnia animalia, quæ habent vnicum ventrem, & quæ babent pilos in pedibus, non habent coagulum, quia suum nutrimentum est bumidum multum, & nec vrsus babet coagulum. *Auic. de animal. lib. 13. cap 5.*

Coeunt omni tempore bomo, & omnia domestica, vt canes, & porci, & virorum est magis desiderium hyeme, mulierum vero in æstate propter lęsionem earum à frigore. *Auicenn. de animalibus lib. 5. cap. 1.*

Cœlum est culmen immensum, aer mundus. *Alter. Hadria. & Epict.*

Cœlestia non cognosces, si quæ ante pedes sunt, nõ vides. *Anicula. Thaleti in foueam prolapso.*

Cœlum non accipit augumentum, nec generationem, vel corruptionem, & est finitum. *Auicen. de cœlo, & mundo, cap. 4.*

Cœlum si esset infinitum, circulus in quo mouetur deberet esse infinitus, sed nullus circulus est infinitus, ergo nec cœlum. *Auic. de cœlo, & mundo, cap. 5.*

Cœlo nulla figura conuenientior est, quam sphærica, nulla enim capacior est, & est mensura omnibus rebus. *Auicen. de cœlo, & mundo, capit. 8.*

Cœlo sphærica figura multis modis conuenit magis, quia cœlum est corpus simplex, & vnius naturæ, & necesse est vt habeat figuram finitam, & perfectam; habet sphæra vnam superficiem, quæ sphæram ambit, & vnum est propinquius simplici, quam id, quod est amplius vno: est etiam sphęra ex partibus similibus. *Auic. de cœlo, & mundo, cap. 8.*

Cœli sunt multi, & multæ stellæ, quia mouentur pluribus motibus in diuersis dispositionibus, vt per boc perficiatur corporum generatio, quæ generantur, in mundo vegetantur, & aluntur. *Auic. de cœlo, & mundo, cap. 12.*

Cœli omnes conueniunt in hoc quod mouentur omnes motu circulari, & diuersitas est inter illos, quia mouentur velociter alius alio. *Auic. de cœlo, & mundo, cap. 14.*

Cœlestes sphæræ reuoluuntur circa suum centrum. *Auic. de cœlo, & mundo. cap. 14.*

Cœli habent splendorem, sed minorem, quam stellæ: ideo splendor cæli non videtur *Auic. de cœlo, & mundo, cap. 14.*

Cœlum non mouetur remanentibus stellis fixis in eo, quod est causa propter quam non corrumpitur cælum. *Auic. de cœlo, & mundo, cap. 15.*

Cælum est animal obediens Deo. *Auic. metaph. tract. 9. cap. 1.*

Cæli principium motus non est natura, nec est per violentiam, sed per voluntatem. *Auicen. metaph. tract. 9. cap. 2.*

Cæli anima est vt comparatio animæ nostrę animalis ad nos. *Auic. metaph. tract. 9. cap. 2.*

Cęli substantiæ accidit, quod est in potẽtia sui situs, & vbi, assimilatio vero bonitatis vltimæ facit, vt

sempet

semper maneat in perfectione, quæ plenior esse potest rei semper, & hanc perfectionem non fuit possibile retinere, io vno, retinuit in specie & per successionem. *Auicen.metaph.tract.9. ca.2.*

Cælorum vniuersitatis motor primus, vnus tantum est. *Auic.metaph tract.9.cap.2.*

Cælorum vnaquęque sphærarum habet motorem proprium, propinquum, desideratum, & amatum, sed vniuersitatis cælorū est vnus motor primus. *Auicen.metaph.tract.9.cap.2.*

Cœlestia corpora non communicant in motu circulari, nisi propter desiderium amati communis, nec fiunt diuersa, nisi quia eorum principia amata desiderabilia post illud primum sunt diuersa. *Auicen.metaph.tract.9. cap.3.*

Cœlestis motus est animalis proueniēs ab anima eligente, renouata electionibus continuis suarum partium, vnde numerus intelligentiarum separatarū post primum principium erit secundum numerum motuum. *Auic.metaph.tract.9.cap.3.*

Cœlestes vires, quæ sunt impressæ in suis corporibus, non agunt, nisi mediantibus suis corporibus. *Auic.metaph.tract.9.cap.4.*

Cœli cōueniunt in natura iudicij motus circularis, & hoc iudicium adiuuat esse materiæ, & in quo differunt est principium præparationis materiæ ad diuersas formas. *Auicen. metaphysicor. tract. 9. cap.5.*

Cæsar est publicæ lucis caput. *Alter. Hadria. & Epistet.*

Cogitatiua in comparatione animæ humanæ est vis ordinata in media concauitate cerebri, vbi est neruus, & solet componere aliquid de eo, quod est in imaginatione cum alio, deinde aliquid ab alio vt vult. *Auic de anima,par.1.cap.5.*

Cogitatiua est virtus ab intellectu imperata, vt cōponat sensibilia intra se, & diuidit ea inter se, secundum formam visibilem, quamuis non credamus esse, vel non esse, sed si loco intellectus virtus animalis illi imperat, vocatur imaginatiua. *Auic.de anima,par.4.cap.1.*

Cogitatiua virtus conuertitur ad formas, quæ sunt in virtute formali ad componendum eas, & resoluendum eas, quoniam sunt ipsius subiecta, & cum eis composuerit formam, aut diuiserit, possibile est vt reponat in illa. *Auicen.de anima, part. 4.cap.2.*

Cogitatio dicitur esse ex memoria, intellecta visione, & voluntate. *Auicen.de intelligentiis, tractat. 1.cap.4.*

Colera innaturalis generatur aliquando in epate, aliquando in stomacho, & quod in epate est subtilius, & cineratur, sed pessima generatur in stomacho ex adustione vitellinæ, & tunc nigrescit combustum, & immiscetur naturale cum illo, & efficitur viride, & pessimum comburitur multum, & efficitur viridissimum, & est quasi venenum. *Auic.de animalib.lib.12.cap.5.*

Colligenda nō sunt, quę ceciderint, id est modestos nos esse debere, vel suarum rerum neminem esse amatorem ardentiorem. *Lil.Greg.Gyr.in Pythagora symbola.*

Color est qualitas, quæ perficitur ex luce, & solet penetrare corpus prohibens affectione lucentis ab eo inter quod, & lucens fuerit corpus medium. *Auic.de anima,par.3.cap.3.*

Colores permiscentur, & fiunt, vt si misceatur album, & nigrum fit subpallidum, & si lux permisceatur fuerit quasi nubes super quam reuerberatur quasi fumus niger, qui admistus est igni erit rubor, si nigredo superauerit, erit citrinus, si nigredo fuerit victa sit superabundantia albedinis resplendentis, si non fuerit citrinus permistus nigredini, nec in eo erit splendor sit viride, & si nigredo erit occulta, & albedo manifestior erit rubor, si nigredo fuerit superans, primo erit color fuscus, si secundo erit color foliorum porri, si magis & magis erit viriditas illa intensa, quæ caret nomine, si autem admisceetur albedo erit color vari, cui si admisceetur nigredo cum paruo rubeo erit indicus. cui si admisceetur indicus erit carminium. *Aui.de anima,par.3.cap.4.*

Columbi domestici ponunt forsasse decies in anno. *Auicen.de animalib.lib. 6.cap.1.*

Columbæ retinent oua interius, quando damnificatur nidus, & quando auferuntur pennæ per damnificationem, ita vt non possit se cooperire, aut quando sunt infirmæ, & confricant se, quia id quod videtur osculum, est confricatio non osculum. *Aui.de ani.lib.6. c.1.*

Columba sæpe duodecies ouat in anno, & postquàm fuerit trium mensium in ætate, & tenet ouum in ventre per dies quatuordecim, cubat per viginti duos dies, & postquam exit ab ouo decem octo diebus incipit volare: & quidam dicunt fœminam viuere per sexaginta annos, & perdices per sexdecim annos. *Auic.de animalib.lib.6.cap.1.*

Columba parit ouum masculum prima die, & sequē ti fœminam, & mas cubat oua omni die media, & fœmina in sequenti medietate, & post viginti dies mater frangit ouum, & calefacit pullos primo mater, & post pater, & fœmina semper melius custodit pullos. *Auic.de animalib.lib. 6.cap.1.*

Colurnus est cum circulus mouetur à primo situ indirectum, secundum rectam lineam centro non discedente ab eo. *Auicen.metaph.tract.3.cap.9.*

Comedere non oportet in curru, id est quiere manducandum, vel non esse dandam operam luxuriæ, & desidiæ. *Lil.Greg.Gyr.in Pythag.symb.*

Cōmunia magis nota sunt quoad rationes nostras, quamuis non sint nota quoad naturam. *Aui.suffi. lib.1.cap.1.*

Communia si comparantur ad non communia, quā tum ad intellectum, inueniemus res communius notiores quantum ad intellectum, sed cum cōtulerimus eas inter se, quantum ad ordinem essendi qui requiritur à natura vniuersalis res speciales erunt notiores quantum ad naturam. *Aui.suffic. lib.1.cap.1.*

Comparatio non est ad se ipsum, sed ad id quod nō est ipsum. *Auic.log. par.1.*

Comparatio prioris, & posterioris est inter duo, quæ sunt in intellectu. *Auicen. metaphysic.tract.3. cap.10.*

Complexio est qualitas veniens ex reciproca qualitatum passione contrariarum in corporibus sibi permistis. *Auic.suffic.lib.1.cap.6.*

Complexio est res accidens ex qualitatum contrariarum operatione in particulis minimis, & diuidentibus, & alterantibus se ad inuicem. *Auic. de animalib.lib.12.cap.2.*

Composita in sua simplicia resolui non est malum. *Simplic.in Epict.*

Compositorum cognitio fit duobus modis, aut quia sunt apta, vt ex eis fiat compositio, aut quia sunt & res, quibus accidit huiuscemodi intellectus,

sic in logica ab ita hæc cognitio consideratur, sed vt prædicata, aut subiecta, & vt vniuersalia, aut particularia. *Auic. log. par. 1.*

Compositum notius est quantum ad sensum, quia sensus prius sentit, & comprehendit totum, deinde discernit, sed quantum ad intellectum simplex, antequam compositum, quia non scitur natura compositi, nisi priusquam cognoscimus simplicia eius. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Composita, & simplicia in compositis existentia habent hoc, vt possint coniungi effectus permanendi, & potentiam destruendi in rebus simplicibus separatis per se, impossibile est hæc duo coniungi. *Auic. de anima par. 5. cap. 4.*

Compositum omne ex duobus non est, nisi ipsæ coniuncta, nisi accidat illi alteratio, & passio, quæ sit forma tertia, & intellectus tertius ab illis, & iudicium de vnoquoque illorum idem est, quod de composito. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 7.*

Compositum ex materia, & forma est omne id in quo est aliquid acquisitum in effectu, & in eo est etiam præparatio ad recipiendum aliud. *Auic. metaphysi. tract. 2. cap. 3.*

Compositum ex aliquibus duobus est aliud ab illis tertium, quorum vnumquodque eorum pars est. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 5.*

Concupiscere aliena iniquum est. *Simplic. in Epict.*

Conscientiæ bonæ fructu lætandum, euentu malo nō dolendum. *Simplic. in Epict.*

Consequentia sunt illa inter quæ non est aliquid sui generis, ꝓ quod est cum consequentia non differunt specie, vt domus, & domus. *Auic. suffic. lib. 3. cap. 1.*

Consequentia quæ differunt specie, vt homo & planta, sunt quæ vniuntur in aliquo communi, & essentiali, vt est corporeitas, aut in accidentali, vt albedo, & ratio adunat partem. *Auic. suffic. lib. 3. cap. 2.*

Permisceri est cum tota essentia vnius infunditur in totam essentiam alterius. *Auic. suffic. lib. 3. cap. 2.*

Consilium bonum gignit virtutes, & perficit, & continet, earumque est mater, nutrix, & custos: eius effectus est electio, optimæ vitæ, eius quod electū est exercitatio, & rectè consultorum immutabilis seruatio. *Hieroc.*

Consilium malum est mater malitiæ, quæ est destructio immortalis vitæ. *Hierot.*

Constitutionis cuius vis rei partes duæ sunt, vna est id, quod est actu, altera est id, quod est in potentia, quod est illi vt subiectum, *Auic. de animal. par. 1. cap. 1.*

Consuetudinis vis magna est, nam si recordaberis sæpe ea quæ in nostra potestate non sunt, erepta facilia cum illa inciderint, perturbari non sinent, vt & alia consueta, quamuis grauia, & corporibus, & animis tolerabilia fiunt, & a paruis est incipiendum, nam qui maiora initio incipit facile succumbit, & frustratur, & fractis viribus fit imbecillis, & desperat. *Simp. in Epict.*

Consuetudo praua sensim corrigenda, nam si quis quater in die edere consueuit, si totum diem ieiunare statim conatus fuerit, & corpus mutatione subita turbabit, & ipse moleste viuet, sed si à quaternario ad ternarium descenderit, & sic ad binarium assuescat, facilius semel tantum edere consuescet. *Simp. in Epict.*

Consuetudo maximam vim habet, & ad eam tollendam contraria consuetudine vti debemus: secundo rationi obtemperandum, & nihil faciendum, quod ratio recta non præcipiat: tertio nullum visum statim admittere, sed parumper expectare, & experiri visa. *Ar. Epict. lib. 3. cap. 12.*

Consuetudo vocatur illa actio, cuius principium est imaginatio cum natura, vt suspicatio: nam mores non roborantur, nisi frequentatione passionis. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Consule ante opus nequid temere agas.

Miseri quippe hominis est aliquid dicere, vel agere temere. *Pythag. aurea verba.*

Consulendi tempus opportunum est, cum adhuc opus non inceperimus. *Hierot.*

Contemptio eorum, quæ in nostra potestate non sunt, est via vnica: nam si eximijs honoribus affectum aliquem videris, aut Imperator, aut Senator, aut Consul, non prædicas ipsum beatum, visio enim decipit. *Epict.*

Contentio omnibus locis aliena est, tum conuiuiorum sodalitatibus indignissima: nam nec ebrius sobrium docebit quicquam, nec sobrius ebrium, vbi sobrietas abest, inanis est contentionis labor. *Epict. sent.*

Contentionem aufugies si considerabis eum, cum quo disseris, aut esse præstantiorem, & cum audiendus, & ei parendum si par assentiendum est, si inferior persuadendum. *Epict. sent.*

Continentia voluptatem durabilem affert, & corpori, & animo vtilitatem. *Simp. in Epict.*

Contrariorum separationem, & alterius in alterum mutationem non esse malum manifestum est, alterius enim interitus alterius ortus est. *Simp. in Epict.*

Continuum non habet partes in actu, sed accidit ei vt intersecetur propter causas quæ interrumpunt transitum. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Continui termini non habent esse in actu; sed in potentia, quia non fiunt in actu, nisi io incisione, aut aliqua termini designatione, aut tactu, aut æqui distantia, aut accidenti, aut positione. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Contraria non se constituunt, sed destruunt. *Auic. metaph. tract. 3 cap. 6.*

Contrarium vnius non est nisi vnum, medium est id, quod quamuis sit diuersum, est tamen consimile, ideo oportet vt conuersio primum fiat ad illud, dum aliquid mouetur ad contrarium, nigrum enim prius fit citrinum, vel viride, vel rubeum, deinde album. *Auicen. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Contraria sunt illa quæ conueniunt in genere, & subiecto. *Auic. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Contrarietas est vltimum distantiæ inter opposita, quæ conueniunt in genere, & in materia. *Auicen. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Contumeliæ auctor non est, qui conuincitur, aut verberet, sed opinionem de eis tanquàm contumeliosis conceptam, cum igitur te quispiam irritarit, opinione te irritatum scito. *Epict.*

Conuiuator venit conuiuium laudatione, & obsequio, si non es conuiuatur non dedisti quanti venit conuiuium. *Epict.*

Conuiuia externa, & popularia deuitanda sunt, sed si aliquando se tulerit occasio, vide ne in vulgarem consuetudinem prolabaris, nam si sodalis pollutus fuerit, & quem tetigerit necessario, pollutus erit etiam si ipse purus fuerit. *Epict.*

Conuiuans debet ministris impartiri de ijs, quæ sunt: quod si per tempus præstare commode nequiueris, memēto tibi otioso ministrare negotiosos. *Epi. sent.*

Cor

Cor ne vores. *Pyth. ſymb.*

Cor eſt, & vocatur illud principium primum a quo virtutes emanant ad cerebrum, quarum quædam ſuas actiones perficiunt in cerebro, & in partibus eius. *Auicen de anima, par. 5. cap. 28.*

Cor eſt primum membrum, quod fit a ſanguine, ex quo colligitur ſanguineum eſſe à corde, & non ab epate. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Cor, medulla, & epar ſunt res indigentes proprio ſitu, ideo creator poſuit illa in loco competenti, prout fuit neceſſarium, & cum ſperma ſit ſimile in ſuis partibus, ideo in eo non ſunt ſegregati ſpiritus vitalis, animalis, & naturalis. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 4.*

Cor eſt multum calidum, quia in eo ſpiritus, & calor ſunt principia vitæ. *Auic. de animal. lib. 12. c. 1.*

Cor eſt in medio pectoris, & declinat parum verſus ſiniſtram, vt elongaretur ab epate, & animalia maioris cordis, ſunt magis timida vt lepus. *Auic. de animal. lib. 13. cap. 3.*

Cor eſt caro fortis, vt ſit remotum ab occaſionibus, & eſt compoſitum ex filis lungis, quæ iuuant ad attractionem, & circunductis quæ iuuant ad expulſionem, & tranſuerſis, quæ iuuant ad retentionem, ex illo naſcuntur venæ pulſatiles à parte ſuperiori in eo ſunt tres ventres duo magni, & vnus mediocris, vt in eo ſit locus nutrimenti, quod eſt ipiſſum forte, & alius in quo generatur ſpiritus ex ſanguine multum ſubtili, & eſt via media inter illos, & venæ habent duas tunicas, & interior eſt durior, quia obuiat percuſſioni ſpiritus, & generatio arteriæ fit à parte ſiniſtra, & à parte ſiniſtra naſcuntur duæ, vna vadit ad pulmonem, & ramificatur in eo ad recipiendum aerem, & ad ducendum ſanguinem, quo nutritur. *Auic. de animalibus libro 13. cap. 3.*

Cor generatur ſi eius complexio fuerit debilis, tarda, & frigida, & ſi ſuper ipſum venit aliquod, quod ipſum debilitet generatur fœmina, ſi contra generatur vir. *Auic. de animalib. lib. 18. cap. 1.*

Cor non edendum, id eſt non animum angoribus cruciandum, nec doloribus affligendum, & eadem cauſa cerebrum non eſſe edendum addit, quod alij interpretantur obliuionem fugiendam eſſe, de corde, & cerebro noluit Deus ſibi ſacrificia fieri. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora ſymbola.*

Cornu omnium animalium eſt vacuum, præter cornu cerui. *Auic. de animalib. lib. 1.*

Coronam ne decerpas, id eſt ne homines vrbium leges in quibus eſſe contigerit, offendant, & violent, nec contra principes loquendum eſt. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. ſymb.*

Corporis morbus eſt impedimentum, vt pedis claudicatio eſt impedimentum, & non eſt voluntatis, niſi nos velimus, & ſi conſuleris recte alterius rei, non ſui, eſſe impedimentum. *Epictet.*

Corpus ſi læditur indignamur, & animum lædi a quocunque permitti non rubeſcimus. *Epict.*

Corpori quæ ſeruiunt, eatenus adhibeantur, quatenus animo ſunt vſui, quidquid ad oſtentationem, & delitias attinet repudiato. *Epict.*

Corporis vinculum, & natura morte, & vitium pecunia ſoluit, animi vero vinculum virtus magnitudine animi, doctrina exercitatione. *Epict. ſent.*

Corpus omnium ſordidiſſimum curamus, quod ſi quinque tantum diebus victu corpus curandum eſſet, eam ferre moleſtiam non poſſemus. *Epict. ſent.*

Corpore qui valent, & æſtus, & frigus tolerant, ſic qui animo bene conſtituti ſunt, & iram, & dolorem, & lætitiam, & cæteros affectus ferunt. *Epict. ſent.*

Corpus mortale ad deductionem humanæ vitæ, pro inſtrumento nobis datum eſt, & neque ſuperfluo cultu pingueſcere decet, neque nimia indigentia affligere oportet. *Hieroc.*

Corporis curam habere debemus, non ſimpliciter, ſed corporis, & intellectui ſeruientis. *Hieroc.*

Corpus non eſt præponendum animæ, ad cuius vſum eſt nobis traditum, nec omnino negligendum propter ipſam animam, ſed de corpore, vt de inſtrumento curam habere debemus. *Hieroc.*

Corpus ſapientes ſubtile animi vehiculum appellarunt, cuius diligentiam, & curam habere debemus, vt virtutis exercitium, & veritatis ſuſceptionem adipiſci poſſimus. *Hieroc.*

Corpora impura, quo magis aluntur, eo magis lædi ait Hippocrates, quod multo magis de animis verum eſt. *Simp. in Epict.*

Corporum mutatio, & diſſolutio, non eſt malum, cum eorum natura talis ſit, nec aliter ſe haberi poſſunt. *Simp. in Epict.*

Corporis morbus non eſt malus, nec ipſi corpori, cum tali natura ſit præditum, vt ad compoſiti ſpectet diſſolutionem, & reſtitutionem ſimplicium ſuis totis. *Simp. in Epict.*

Corpora non poſſunt eſſe ſimplicia, quæ ſubiecto cõſtant, & forma, ergo corpora eſſe non poſſunt principia. *Simp. in Epict.*

Corporis læſionem ſi ægre ferimus, multo magis animi læſiones moleſtius ferendæ ſunt. *Simp. in Epict.*

Corpus eo ſalubrius, quo tenuior victus, ideo vtile eſt ab ineunte ætate ſic aſſuefactum. *Simpl. in Epict.*

Corporis res, vt veſtitus, victus, pecuniæ duo continent, vſum, & acquiſitionem, ijs vti debemus, vt ad nudam corporis curationem faciunt, remouendo omne ſuperuacaneum, quod ad gloriam, & diuitias pertinet acquiſitionis modus eſt vſus, corporiſque neceſſitates. *Simp. in Epictet.*

Corpora alia non nutriuntur, nec augumentantur, nec generantur, alia nutriuntur, & augumentantur, & generant ſibi ſimilia, alia ſentiunt, & mouentur voluntarie, cum non habeant id ex ſua corporeitate, reſtat vt in earum eſſentia ſit aliud principium, quod dicitur anima. *Auic. de anima, par. 1. cap. 1.*

Corpus naturale eſt ſubſtantia in qua poſſibile eſt intelligi lineam vnam, & aliam lineam ſecantem illam ſuper rectos angulos, & aliam lineam ſecantem ambas illas ſuper rectos angulos, & quamuis mutentur hæ dimenſiones, dummodo reſtent hæ tres dimenſiones, corpus tamen eſt. *Auic. ſuffic. lib. 1. cap. 2.*

Corporis naturalis principia, quibus apprehenditur corporeitas naturalis corporis, quædam ſunt partis eſſentiæ eius, & eam demonſtrant, & hæc digna ſunt vocari principia, quorum vnum ſic eſt corpori, vt materies lecto, aliud vero vt forma lectica

abstractis à lecto, & materies quę est in lecto vocatur hyle, subiectum, materia, origo, & elementum, diuersis respectibus, & forma, quæ est in lecto, dicitur forma. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 2.*

Corpus non habet ex natura motus diuersos, sed ea violentia. *Auic. de anima. par. 3. cap. 6.*

Corpus vltra causas materiales, & formales habet, & efficientes, & finales: efficiens est quod imprimit formam, quæ est in corporibus in materia eorum, & perficit materiam per formam ex vtrisque constituit compositum, quod agit per formã, & patitur per materiam. finalis est propter quam impressæ sunt formæ in materia. *Auic. suffic. li. 1. cap. 2.*

Corpus vt est mutabile habet aptitudinem recipiẽdi id, quod remotum est ab illo, scilicet rem receptibilem eius, quod mutatum est de illo, & eius quod permutauit illud, & forma habita, & priuatio eius erat cum forma permutata. *Auic. suffic. lib. 1. cap 2.*

Corporũ alia sunt receptibilia generationis, & corruptionis, id est quorum hyle renouat formam, & amittit formam, & quædam quæ non sunt generabilia, & corruptibilia, sed esse eorum est perpetuum. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 3.*

Corporibus, quæ apud nos sunt, actiones, & motus aduenient, vel ex causis, quæ sunt extra ea, vt caliditas aquæ, vel ea se ipsis, vt aqua calefacta frigescit sua natura. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 5.*

Corpus omne habet naturam, materiam, formam, & accidentia, natura est vis, ex qua venit motus eius, & permutatio, quæ sunt in eius essentia, & similiter quies eius, & status. forma eius est essentia eius, ex qua est id quod est, materia eius est id quod intelligitur subiectum esse suæ formæ. accidentia sunt ea quæ quando materia eorum fuit informata forma eorum, & constituta fuerit eorum specialitas, aut simul coniungantur, aut accidunt estrinsecus, & fortassis natura rei aliquando erit ipsa forma aliquando non erit, sed in simplicibus natura est ipsa forma: nam si cõsiderantur actiones, & motus quæ veniunt ex illa vocatur natura, at si consideratur vt constituit speciem, forma vocatur. *Auic. suffic. libr. 1. capit. 6.*

Corpora simplicia sunt id, quod sunt in actu ex suis formis, & non sunt id, quod sunt ex suis materiis. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 6.*

Corporis dispositionis sunt solutio continuationis, & dolor. fames, & cupiditas. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 4.*

Corpus destruitur ex causis, quæ sunt eius propriæ, ex permutatione complexionis, & compositionis. *Auic. de anima, par. 5. cap. 4.*

Corpus vnum nõ potest esse simul in duobus locis, & vnum locum solum habet vnum locatum. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 7.*

Corruptibile omne, & quod desierit esse est in subiecto, aut est causa subiecti. *Auicen. sufficient. lib. 2. cap. 11.*

Corpus perfectius est è rebus quantitatem habentibus, quia omnes dimensiones habet. *Auicen. de cælo, & mundo, cap. 1.*

Corporum diuersitas in motibus naturalibus est diuersitas suarum dispositionum naturalium. *Auic. de cælo, & mundo, cap. 2.*

Corpus non potest non habere motum sibi naturalem. *Auic. de cælo, & mundo, cap. 2.*

Corporum quædam sunt simplicia, quædam composita, simplicium simplex est motus, compositorum iuxta dominantem qualitatem. *Auic. de cælo, & mundo, cap. 2.*

Corpus necessario est in mundo diuersum in natura sua ab aliis corporibus, quod mouetur motu circulari per naturam suam, & cum motus circularis sit substantiæ simplicis, & motus simplex non sit corporis simplicis, ergo motus circularis erit corporis simplicis. *Auicenn. de cælo, & mundo, capit. 2.*

Corpus omne est finitum, nam corpus inducit superficiem, & superficies infert finem, ergo nõ est corpus infinitum. *Auicen. de cælo, & mundo, capite 5.*

Corporum vnumquodque habet motum, & quietem, aut natura, aut vi, & vnicuique corpori locus est naturalis, sed motus per vim est motus de loco ad quem mouetur corpus naturaliter ad contrarium eius loci vnde motum fuit, naturalis enim motus est ad contrarium motus violenti. *Auicen. de cælo, & mundo, cap 5.*

Corpora quæ vehunt alia motu naturæ, non vehunt nisi secundum compositionem vnius ad aliud, quam habet in leuitate, & ponderositate. *Auicen. de cælo, & mundo, cap. 7.*

Corpus quod mouetur ab anima, quæ in eo est, necesse est, vt habeat motum naturalem alium, præter motum animalem. *Auicen. de cælo, & mundo, cap. 7.*

Corpora, quæ mouentur a naturis simplicibus, aut propter grauitatem, aut propter leuitatem, aut propter aliud grauitatis, aut leuitatis. figuras habent sphæricas. *Auicen. de cælo, & mundo, cap. 9.*

Corporis prima compositio est secundum complexionem originalem, & complexio prima secundum quatuor primas qualitates, sed secunda cõpositio est secundum humores, quousque fiant membra consimilia, tertia vt sunt membra instrumentalia. *Auicen. de animalibus libr. 11. capite 1.*

Corpus sensibile formatur ex materia informi, & forma, vnde fateri oportet corpora in incorporea posse resolui, quæ mirabili harmonia corpus constituunt, ita vt naturalem suum statum in ipso non amittant intrinsecum. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Corpus est substantia in qua potest poni dimensio, quocunque modo volueris incipere, & illa a qua primum inceperis erit longitudo, & alia secat illa secundum angulos rectos, & erit latitudo, & alia secat illas ortogonaliter in eodem loco sectionis, & sic dicunt quòd est longum, latum, & profundum, quòd potest diuidi in infinitum, non quod diuidatur, sed possibile est diuidi. *Auic. metaph; sit. tract. 2. cap 2.*

Corpus est substantia composita ex quodam per quod habet potentiam, quæ est materia eius, hoc est hyle, & ex quodam per quod habet effectum, & est forma eius. *Auic. metaph. tract. 2. cap. 2.*

Corpora composita sunt ex materia, & forma, nec hæc materia corporalis potest in effectu spoliari à forma. *Auic. metaph. tract. 2 cap. 3.*

Corpus omne a quo prouenit actio non per accidens, neque per violentiam alterius corporis,

agit

agit per aliquam potentiam, quæ est in eo. quòd autem proueniat per voluntatem, & electionem, manifestum est. *Auicen. metaph. tract. 4. cap 2.*

Corporeitas non inuenitur in homine ante animalitatem, nisi quodam modo prioritate, scilicet cum accipitur corporeitas ex intentione materiæ non generatæ. *Auicen. metaph. tract. 5. cap. 5.*

Corpus vt corpus non est aptum esse rationale, vel irrationale, sed prius est necesse esse habens animam ad hoc vt fiat rationale, vt homo non est aptus ad esse masculinum, vel fœmininum, nisi vt animal. *Auicen. metaphysic. tract. 5. capite 4.*

Corporis cælestis materia mouetur ab infinita virtute. *Auicen metaphy. tract. 9. cap. 2.*

Corporum formæ, & perfectiones sunt duobus modis, aut sunt formæ quarum existentiæ sunt propter materias corporum, & ideo eorum existentia est in materiis corporum illorum, aut sunt formæ, quarum essentia est per se ipsas, non propter materias corporum, vt animæ. quia vnaquæque anima non appropriatur corpori, nisi quia eius actio est propter illud corpus, & in illo. *Auicen. metaphysic. tract. 9. cap. 4.*

Corpus non fit corpus calidum, nisi inquantum ipsum sequitur aliud in motu ad hoc, vt calefiat illud quod non est violentum, sed naturale, & cum completum est seruetur in loco conuenienti, & aptiori ad conseruandum illud, calidum vbi est motus, frigidum vbi est quies. cuius causa est leuitas, & grauitas. *Auic. metaphysic. tract. 9. cap. 5.*

Creatio est dignior modus dandi esse, quia priuatio iam est remota omnino, & inducitur esse. *Auic. metaphy tract. 6. cap. 2.*

Creatio est dare rei esse post non esse absolute. *Aui. metaphy. tract. 6. cap. 2.*

Creatura ante eius ortum, & exitum vertit suam faciem super suos pedes, & suas palmas super volumina genuum, & suas nares intra sua genua, & oculos sursum, & colligit sua genua ante se, & est equitans super solas plantas, & sua facies est versus dorsum matris suæ, & facit istud totum pro defensione cordis. *Auicen de animalib. lib 9. cap. 5.*

Credere supponit intelligere, & non è conuerso. *Auic. logica, par. 1.*

Credolitas, & fides non sunt ab vno solo intellectu. *Auic. logica, par. 1.*

Credere debes de Deo, & diuinis rebus omnia, quia nihil tam mirabile dicitur, quod non sit credendum. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Crimen aut verum, aut falsum, si verum, veritas nō est moleste ferenda, & quod facere non piget, audire piget; si falsum, ille qui mentitur læditur. *Simplic. in Epict.*

Crucia te ipsum cum quid feceris turpe, cum bona perfeceris tibi gratulare, hæc exercere, hæc meditari, hæc te amare oportet, hæc te in diuinæ virtutis vestigiis collocabit per eum, qui in animo nostro quadruplicem fontem perpetuo fluentis naturæ tradidit. *Pythagoræ aurea Verba.*

Culcitra est insomni voloptatorium. *Alter. Hadr. & Epict.*

Cupiditas gloriæ dicitur extrema tunica, quia alios exuens dicitur ipsa magis animo adhærescere. *Simpl. in Epict.*

Cupiditate solotus liber est. *Epict. sent.*

D



ÆMONES hic Pythagoras appellat animas hominum virtute præditos, & veritate tanquam doctos, & peritos. *Hieroc.*

Dęmonis terreni nomen non conuenit nisi naturæ existenti homini. *Hieroc.*

Delectatio in coitu fit ex cursu materiæ illius calidæ, & viscosæ super membrum in quo facit quasi titillationem acutam, & sequitur conglutinatio, & vnitio in eodem ex eadem materia, & tunc erit illa delectatio super reparationem eius quod recesit à sui consistentia, & cum humiditas, quæ exit à muliere non generat, non appellatur sperma. *Auicen. de animalib. libr. 9. cap. 13.*

Delectatio in luxuria totaliter non est à spermate, & à suo descensu, sed per motum spiritus, & spiritus exit in descensu spermatis mulieris, & maris. *Auicen. de animalib. lib. 15. cap. 3.*

Delectatio cuiusque virtutis, plena est acquisitio suæ perfectionis *Auic. metaph. tract. 8. cap. 7.*

Delinquendum raro. *Epict sent.*

Delphin sibilat, & habet pulmonem, sed postquam fuerit super terram, non facit vocem. *Auicen. de animalib. lib. 4. cap. 2.*

Delphin trahit in ventre decem mensibus, & filius illius complet quantitatem sui corporis in decem annis, & parit in æstate, & non in alio tempore, & aliquando se abscondit in pelago triginta diebus, & non apparet, & est pia super filios suos, & viuit triginta annis. *Auicen. de animalib. lib. 6. cap. 2.*

Delphini diligunt homines, & maxime pueros. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 7.*

Denarius est aggregatio ex nouem, & vno, cum accepta fuerint vtraque simul, & peruenit ex eis continentis aliquid ab eis quod est decem. *Aui. metaph. tract. 3 cap. 5.*

Denarius perfectus est vt numerorum finis, & in se reuoluitur, & nunquam deficiens inuenitur, omnem in se numerum recipit, ideo mundus appellatur, quo iustitiā, & sedem significabant, & mysticè pro vitæ præmio intelligitur. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symbola.*

Densitas fit duobus modis, vna ex coniunctione partium dispersarum in aere, qui est inter eas qui cum exit ex ipsis, ipsæ redeunt in locū suum, ita vt non sit inane, cui opposita est raritas, alia densitas est non quod partes dispersæ coniunguntur, sed quia ipsa materia aliquando recipit maiorem corpulentiam. *Auic. suffic. libr. 2. cap. 9.*

Dentes equi, cum est senior tanto habet dentes albiores, & canis contra. *Auicenn. de animalibus lib. 1.*

Dentes habet aliquos homo, qui nascuntur post annos viginti. *Auic. de animalib. lib. 1.*

Dentes equorum senium sunt albi. *Auic. de animal. lib. 7. cap. 1.*

Dētes sunt triginta duo, & fortasse deficiūt in aliquibus hominibus quatuor dētes, & in superioribus

ſunt duo dentes ampli,& duo contrarij,& tot ioferinres,& iſti ſunt ad incidendum,& duo canini ad frangendum ſurſum, & omnes alij ad molendum ſunt quatuor,ſiue quinque ſurſum, & in imum,& præter illi quatuor, qui oaſcuntur prope triginta annos,& dicuntur dentes intellectus. habent radices acutas,& impinguntur in mandibulis, & ſuper quodlibet foramen naſcitur quoddam additamentum,quod iuuat ad retentionem,& io illo loco ſuot ligamenta fortia, & præter molares omnes alij habent vnam radicem. *Auic. de animal. lib. 12. cap.14.*

Dentes molares in inferiori mandibula ad minus habent duas radices,& in inferioribus dentibus iotellectus ſunt tres radices, & molæ fixæ in ſuperiori ad minus habent tres radices,& forte quatuor: & ſi molæ fuerint magnæ erunt multæ maxime ſuperiores,& inter oſſa ſoli dentes ſentiunt,& in homine iuuant ad formationem literarum. *Auicen. de animalibus,lib.12.cap.14.*

Dentes inter alia oſſa ſemper creſcuot propter eorum conſumptionem continuam. *Auic.de animalib. lib. 16.cap.2.*

Dentes non fraogendi,id eſt ne maledicentes, & obtrectatores ſimus. *Lil.Greg.Gyr.in Pyth.ſymb.*

Dentes prima eſt genitura humidæ oaturæ, & nutrimentum quoddam communis, & prioris naturæ, vt ait Iambicus. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. ſymb.*

Deſcriptio nil aliud exigit,niſi vt oratio componatur ex conſequentibus rem,quæ ſunt ei paria,quæ habebit,quidquid continetur ſub ea,& nihil aliud ita vt ſigoificet eam,ſignificatione ſigni conuenientis: eſt enim,vt in ea accommodetur genus,aut proximum,aut longioquum,& deinde apponantur accidentia,aut proprietates,quod ſi ita non fuerit, erit deſcriptio vitioſa. *Auic.log.par.11.*

Deſiderium eſt imaginatio rei,vel cooeupiſceotia, & iudicare,quod delectabitur in illa ſi adfuerit. *Auic. de anima,par.4.cap.3.*

Deterius ob ſalutem præſtantioris, oegligendum eſt. *Simp in Epict.*

Deos immortales,vt leges iubent honora, deinde heroes beatos,& poſtea terreſtres dæmones. *Pythagora aurea Verba,*

De Dijs, rebúſque diuinis nihil tam admirabile dicitur quod non debeas credere. *Pythag.ſymb.*

Dijs eum voueris,exi ad opus: nam iſta ſi tenebis cognoſces immortalium Deorum mortaliúmq; hominum conditionem qua procedunt,& contineotur omnia,cognoſces quantum fas eſt naturam circa omnia ſimilem,ne te ſperare contingat,quę ſperanda non ſunt,neque te quicquam lateat, *Pythag. aur. Verb.*

Deus ſolus ſapiens eſt *Pythag.prob.*

Deus eſt omnium antiquiſſimus, ortu enim caret. *Thaletis problemata.*

Deum noo ſolum iniuriæ hominum latent, ſed nec cogitationes. *Thales problem.*

Deus trahit primas ſapientiæ. *Thales.problem.*

Deo libandū,& ſacrificandū,& vnicuiq; primitiæ offerēdæ ſuot,ritu patrio,caſte noo luxurioſe,nec indiligenter,nec ſordide,nec ſuper facultates. *Epict.*

Dei voluntas libenter ſequēda,quā ſi nō libenter ſequuntur homines coacti,& improbi ſequētur. *Epi.*

Deorum muneribus acquieſcendum. *Epict.ſent.*

Diuitiarum,& cæterarum rerum corpori neceſſariarum corpus eſt vnicuique modus,ſi in eo inſtiteris modum ſeruabis. *Epict.*

Diues an ſis, vel eſſe malis inquire in te ipſo; an beatus,quod ſi diues, ſcito neque booum eſſe, neque omnino penes te,ſin beatus, id & bonum eſſe, & penes te:nam opulentia eſt vſura ad breue tempus à fortuna conceſſa: Beatitudo vero ab animo, & voluptate pendet. *Epict.ſent.*

Diuitiæ in bonis non ſunt,luxus in malis, modeſtia in bonis:modeſtia vocat ad frugalitatem, & paranda bona,opulentia ad luxum,& abſtrahit à modeſtia, difficile eſt vel in diuitijs modeſtiam colere,vel in modeſtia parare diuitias. *Epict.ſent.*

Deum eſſe,rerum humanarum curam habere,& nihil negligere homo bonus credere, eiq; ſe ſubmittere, vt boni ciues legibus, debet. *Arr. Epict.lib.1. cap.12.*

Dijs gratias agere debemus,quod ſuperiores nos fecit ijs rebus,quæ in noſtra poteſtate noluit eſſe, & ſolum rationem a nobis repetaot,quæ noſtri arbitrij ſunt,ideſt recte viſorum vſus. *Ar.Epict.lib.1.cap.12.*

Deo placet ſi quis iuſte quidquid facit operatur,& grato aoimo,æqualiter,continenter,& modeſte, nec ob ea,quæ io noſtra poteſtate oon ſunt, iraſcitur. *Arr.Epict.lib.1.cap.13.*

Deus vbique eſt,omnia iotuetur, & in die,& in nocte. *Arr.Epict.lib.1.cap.14.*

Deus homines omnes ad fœlicitatem,ad conſtantiam condidit,earúmque rerom inſtrumenta dedit,quarum alia cuiuſque propria,alia aliena, ac aliena, & prohiberi, & cogi, & adimi poſſuot, oec propria ſunt,quæ vero prohiberi noo poſſunt,propria ſuot. *Arr.Epict.lib.3.cap.24.*

Dij ſunt oculorum ſigna,mentis numina, ſi metuis timor eſt,ſi contines religio eſt. *Alter. Hadria.& Epictet.*

Deus eſt qui omnia tenet. *Alter.Had.&* Epict.

Deus, leges,& homines prudentes conſilium,& voluntatem inſuentes, vt quæ in noſtra poteſtate ſunt peccata,rectéque facta diſcernunt,non autem ipſas actiones, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, & quæ conſilijs,& voluntatibus diſcernuntur. *Simp. in Epi.*

Deus fons,& principium omnis bonitatis, non prima bona tantum produxit,quæ per ſe bona ſuot, nec bona tantum eum his quæ in bono æterno permanent,ſed externa etiam,quorum oatura fert, vt ab en,quod ſecoodum naturam eſt, auerti queant ad id quod malum dicimus. *Simp.in Epict.*

Deos eſſe natura non homines ſolum,ſed & brutæ animantes,& ſtirpes,& lapides, ea denique omnia, quæ ſunt pro ſua virili ad numen reſpiciunt,& homines à pueris à parentibus ad pietatem aſſuefiunt, & omnes homines,& barbari, & Græci tam ſuperiori tempore, quam nūc id atteſtaotur,id eſt deos eſſe Acrnthoitis exceptis qui,vt ait Theophraſtus, cum deos non colerent,ſubito voiuerſi à terra abſorpti fuerunt. *Simplic.in Epict.*

Deos Græci θεὺς dixerunt, eo quòd currunt, primo ad ſtellas quæ in cælo circumaguntur, poſt ad incorporeas quoque naturas,rerum cauſas, & ad vnicum rerum principium id nomen tranſtulerunt. *Simplic.in Epict.*

Dei figuram ne inſculpas anulo. *Pythag.Symb.*

Dei ſimulachrum triplex primū eſt incorruptum, & immortale Dij immortales,ſcilicet ſecundum heroes,vltimum Dæmones ſubterranei. *Hierot.*

Dei voluntas eſt lex, quæ perenniter manens cuncta peragit,& ad perpetuitatem conſeruat. *Hierot.*

Dei bonitas eſt cauſa creationis rerum, nam naturaliter bo-

ter bonus est. *Hieroc.*

Deum honorabis non si quid sibi dederis, sed si te dignum feceris, vt ab eo data suscipias, & animo sibi similis fias. *Hieroc.*

Deus mundum non ex fortuna, sed certis legibus ordine produxit. *Hieroc.*

Deum semper præferre oportet si aliud nos ducat lex diuina, ad aliud nos ferant præcepta parentum, nam in his solum parentibus non est obtemperandum, in quibus ipsi diuinis legibus non obediuntuer, in cæteris omnibus parentes colemus. *Hieroc.*

Deum non esse, credere est, qui Deum ignorat, & curare non putat humana. *Hieroc.*

Deus ad nulla mala occasionem præbet, immo quantum in ipso est semper omnibus æque splendentia bona immittit, non ostendere autem semper omnibus, quoniam lumen, & oblita bona plerique non aspiciunt, sed rabus terrenis indulgent propter curam, quam habent ad inferiora.

Deo nullum nomen conuenit, nam omne nomen distinctam aliquam notionem complectitur, sed ex iis nominibus, quæ rebus ipso posterioribus indita sunt, honoratissima queque illi tribuimus. *Simplic. in Epictet.*

Deus curat, & administrat vniuersa, & ea non spernit vt res viles, quas condere non est dedignatus. *Simplic. in Epict.*

Deus curat homines, nam magna est pars mundi homo, at si non curat, vt res parua, minora facilius curantur, & si totum mundum curat, ergo & partem, ergo & hominem *Simp. in Epict.*

Deus semper omnibus adest exemptus ab omnibus, & eius prouidantia, quia vbique est, & est bonus, & vt à Solis lumine illustrantur omnia, alia vident, alia videntur, alia virent, alia generantur, alia caodescnot, alia nigrescunt, alia deosantur, alia liquefiunt prout cuiusque captus est, ita immensæ bonitatis omnia participia sunt nihil Deo faciente, vel distracto. *Simplic. in Epictet.*

Deos muneribus, donariis, precibus, & beneficiis, & supplicationibus à sententia deduci, & veniam dara peccatoribus, si simpliciter dicitur nefas est, sed si eos qui peccarunt, ex animo delictorum penitet, ista conducunt ad rauersionem ad Deum, cum sint argumenta pœnitentiæ non animo tantum summisso, sed etiam corpore inflexo, & prostrato, & rebus externis consecrandis, & in ea, quæ Deo probantur impendendis, Deus autem numquàm amouetur à nobis, sed nos impietate, & peccatis à Deo amouemur, & per pœnitentiam ad Deum accedimus, & cum Deo coniungimur. *Simp. in Epict.*

Deus est princeps, & principium omnis pluralitatis, & in ipso non est pluralitas. *Auic. de intelligentiis, cap. 1.*

Deus omnia in se habet per esse in sapientia, per ordinem, & in amore vtrorumque omnia semper esse secundum vocationem, & cum ex Deo facta sunt, non possunt ad nihilum redire, & sic quòd maneat esse, in causis, quod corrumpatur in effectibus. *Auic. de intelligentiis, cap. 1.*

Deus est pura simplicitas, simplex puritas, & id in quo est id quod est, quia inuenitur liber ab omni adiacentia, & multitudine, per quam & in qua est omne esse, & omnis vnitas habens fixionem, & quod est, si est habet fixionem in ea, & nihil ita est quod fuit, vel erit à præsentia istius, & in eo omnis vnitas non pura in prima vnitate pura fixa est, vt quod vnum est, ideo sit, quia ab vno primo est, & esse primum, & eius vnius est vna, & eadem causa, & est causa omnis entis. *Auic. de intelligentiis, cap. 1.*

Dei vita, & voluntas non est secundum vitam, & voluntatem nostram, quia est volens secundum modum intelligibilis pure, & vita eius est hæc eadem voluntas, ideo volitum primi non est secundum volitum nostrum: quoniam omnia sunt illi præsentia, & creat singula in se ipso. *Auic. de intell. cap. 4.*

Deus tria in se habet, quòd est, quòd fulget, quòd alia facit intelligere, vt in Sole: est, fulget, & illuminet. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Deum describere volentes Aegyptii oculum pingebant, cui & baculum substituebant, vt per hoc intelligatur quod omnia videat, & ei sit regia dignitas per sceptrum, oec vnquàm labefactari posse per baculum semper stantem significabant. *Lil. Greg. Gyr. in præfatio. Pythag. symb.*

Dei figuram ne in anulo insculpas, idest sermonem, & sententiam de Deis ne facile manifestes, & diuulges, at id significat symbolum ne in delitijs, & propatulo Dei effigiem, ac memoriam habeamus: nam non temere, & vulgo Dei nomen pronunciandum est. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Deis non libes ex viribus imperans, id est purgatas Deo actiones offerre debemus. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symbola.*

Dextram ne ad omnia facile inicias. *Pyth. symb.*

Dextera non cuiqoe facile porrigenda, id est amicitia non est ineunda temere, & inconsulto cum omnibus. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Diaphragma primum factum est, quia membra nutritiua emittunt ex se odorem malum, & fœtidum, vt per ipsum veniret aer purus, & non immistus cum illo vapora malo, & fuit stomachus subtus, quia nutrimentum est ponderosius aere. *Auicen. de animalib. lib. 13. cap. 1.*

Diaphragma si percutitur mouet risum. *Auicen. de animalib. lib. 13. cap. 5.*

Dictionum significatio est tribus modis, parilitatis, continentiæ, & comitantiæ, parilitatis, vt animal significat habens animam sensibilem, continentiæ vt significatio corporis ab animali, concomitantiæ, vt ex vere significatione fundamentum. *Auic. log. par. 1.*

Dicet apte qui oratione tamipse iuuatur, quam alios iuuare potest, qui vero magis læditur, & lædit, is dicendi imperitus est. *Ar. Epict. lib. 2. cap. 24.*

Dies an nox prius fuit, nox vno die prior extitit. *Thaletis problem.*

Differentia est perfectio speciei ex hoc quod est species. *Auic. de anima, par. 1. cap. 1.*

Differentiæ nomen intentionem primam significat, & secundam: prima est cum dicitur quòd differentia est qua differt aliquid ab aliquo substantialiter, secunda à volgo est facta. *Auic. log. par. 1.*

Differentia alia communis, alia propria, alia magis propria. *Auic. log. par. 1.*

Differentia communis est id per quod potest aliquid differra ab aliquo, quod iterum potest differre per illud ab ipso, & per quam aliquid potest differre à se ipso in duobus tëporibus. *Auic. log. par. 1.*

Differantia propria est id quod accidentibus est prędicabile comitans, & harum propriarum dif-

ferentiarum sunt quędam pe t quę semper fit differentia, & sunt quædam, quæ sunt subiecti sui, quibus fit differentia, sed non semper. *Auic. log. par.* 1.

Differentiæ aliȩ sunt separabiles, aliæ inseparabiles, inseparabilium, aliæ substantiales, aliȩ accidentales. *Auic. log. par.* 1.

Differentia magis est quæ constituit speciem adiuncta genere, & concurrit naturæ, & eam perficit, & cæteræ differentiæ post hanc adueniunt, *Auicen. log. par.* 1.

Differentiæ aliæ faciunt aliud, aliæ alteratum, aliud id est cuius natura est alia, alteratum communius, est quàm illud. *Auic. log. par.* 1.

Differentia est vniuersale simplex prædicatum de specie in quale quid est secundum essentiam generis sui. *Auicen. logic. par.* 1.

Differentia nulla constituit de speciebus, quas continet genus nisi vna tantum. *Auic. log. par.* 1.

Differentiæ duas habent comparationes, vnam qua constituunt genus, aliam qua illud diuidunt, & ita diuidunt genus, & constituunt speciem, sed genus generalissimum non habet, nisi diuisiuas differentias, & species specialissimæ non habent, nisi constitutiuas. *Auic. log. par.* 1.

Differentiæ priuatiuę sunt comitantes rerum comparatione intentionum, quibus carent, quas ponere aliquando cogimur cum non habeamus positiuum nomen, & ideo priuationes, vt priuationes non sunt intentiones constituentes rem, sed accidunt, & concomitantur respectiue. *Auic. log. par.* 1.

Differentiæ veræ sunt solum constitutiuæ cum diuidunt. *Auic. log. par.* 1.

Differentia vna non prædicatur prima prædicatione, nisi de vna specie semper, nec prædicatur in quale quid de multis speciebus, nisi secundario, & mediante aliquo. *Auic. log. par.* 1.

Differentiæ sunt quibus constituitur essentia rei, siue habeat esse in indiuiduo, siue non habeat, & sunt quibus fit quale esse rei, siue res habeat esse numero, siue nec. *Auic. suffic. lib.* 2. *cap.* 8.

Differentię non acquirunt generi certitudinem, sed acquirunt ei esse in actu, vt rationale. *Auic. metaphysic. tract.* 1. *cap.* 8.

Differentię vniuscuiusque est alia differentia vsque in infinitum, quia omne, quod continetur sub intentione communiore differt ab eo quod sibi conuenit in illa per differentiam sibi propriam. *Auic. metaph. tract.* 5. *cap.* 6.

Difficile quid est nosce sese. *Thaletis problem.*

Difficile est res mutatas in peius pulchre ferre. *Biantis problem.*

Difficile est arcana tacere, otium recte collocare, iniuriam posse ferre. *Chilonis problem.*

Diffinitiones plures, & integras nulla res habere potest, sed vni rei vna est propria definitio. *Auicen. logic. par.* 1.

Diffinitio vt fiat cuiuscunque rei, si est illa res incomplexa nomine tantum significatur, sed si substantiæ intentio fuerit composita ex intentionibus, ex quibus est eius esse, ita vt hæ dent ei esse, quia de substantialibus magis propriæ sunt ei genus, & differentia, ideo definitio composita erit ex genere, & differentia, sed si genus non haberet nomen, poneretur generis definitio, & sic de differentia, nam aut comprehendit omnes intentiones rei, aut ostendit partes. *Auicen. log. par.* 1.

Diffinitio omnis, vel descriptio est declaratio. *Auic. log. par.* 1.

Diffinitio in qua non ponitur genus definiti, licet signet eius naturam, & sit ei æquale, tamen eam non complet. *Auic. log. par.* 1.

Diffinitio vere determinat vnam naturam. *Auicen. metaph. tract.* 5. *cap.* 5.

Diffinitio est composita ex nominibus determinantibus, in quibus tamen non est determinatio alicuius rei signatæ. *Auic. metaph. tract.* 5. *cap.* 5.

Diffinitio est demonstrans quidditatem rei. *Auicen. metaph. tract.* 5. *cap.* 5.

Diffinitio rei significat omne id ex quo constituitur essentia eius, vnde contingat, vt contineat materiam aliquo modo. *Auic. metaph. tract.* 5. *ca.* 5.

Digestiua virtus est, quæ dissoluit nutrimentum in animalibus, & præparat illud ad hoc, vt diffundatur æqualiter. *Auic. de anima, par.* 2. *cap.* 1.

Digestio summa est quarta digestio, namque nutrimentum primo digeritur in stomacho, & post fit sanguis in epate, & tertio in venis, & quarto in membris, & post quodlibet mẽbrum præparatur illud ad similitudinem sui, & tunc tali nutrimento fit sperma. *Auic. de animal. lib.* 14. *cap.* 3.

Digestio aliqua fit in masticatione, quia membrana in lingua, & palato est eadem cum interiori tunica stomachi, & saliua adiuuat calore, in stomacho fit digestio cum admiscetur aquositas potus, ex vniuerso generatur succositas, quæ de facili transit ad venas epatis, & per venas meseraicas transit ad epar sine qua aquositate non fieret trāsitus nutrimenti per illas venas graciles, quæ aquositas non ob aliud est necessaria corpori, & ibi fit digestio, & accidit ibi, vt in omni decoctione, scilicet res spumosa, quæ est cholera, & fæx melancholica, & sanguis, & si ista decoctio fuerit ibi superabundans, fit inde res adusta, & si non est completa concoctio phlegma, & spuma combusta est cholera adusta, & fæx adusta est melancholia adusta, & ambæ sunt non naturales, & melior in bis est sanguis, qui in epate est hicorosus ob aquositatem, a qua purgatur in venis, quæ aquositas per venam rectam magnam fertur ad renes, & cum ea est sanguis, qui dat nutrimentum renibus, & postea aqua transit ad vesicam. *Auic. de animal. lib.* 12. *cap.* 4.

Disceri non est nisi vt habeatur aliquid in futuro. *Auic. de anima, par.* 4. *cap.* 3.

Discipuli erga Doctores bonarum artium præstare debent, quæ erga parentes, & forte alunres, cum non corporis, sed nostri ipsorum sint, & non naturali necessitate, sed bona voluntate. *Simpl. in Epict.*

Dispositio, quæ separat id, quod est per naturam, nō est dispositio naturalis. *Auic. metaph tra.* 9. *c.* 2.

Disserendi ars est instrumentum, quo cętera iudicare possumus. *Ar. Epict. lib.* 1. *cap.* 17.

Diuisibile omne aut est mensura, aut habens mensuram. *Auic. suffic. lib.* 2. *cap.* 11.

Diuersum est magis commune, quam aliud. *Auicen. metaph. tract.* 7. *cap.* 1.

Diuinis de rebus absque lumine ne loquaris. *Pythagoræ symbola.*

Diuina lex iubet sua tueri, aliena non sibi vendicare, sed iis cum dantur vti, cum non dantur ea non desiderare, & cum quis repetit expedite restituere, & statim habere gratiam pro eo tempore, quo vtenda dedit. *Ar. Ep. l.* 2. *c.* 16.

Diuina

Diuina prouidentia omnia ex non entibus produxit ordine incomprehensibili omni intellectui, vnde quædam essentiali dignitate alia aliis præferuntur, ita vt ea, quæ circa vniuersalem causam primaime creduntur, & intelliguntur esse nulla superiore creatura interposita, principalissime vniuersalitatis condite, vel conditione, creduntur, & prædicantur, deinde alia ex aliis à summo vsque ad deorsum, id est ab initio intellectualis creaturæ vsque ad infimum omnium, quod est corpus. *Auic. de intellig. cap.* 4.

Diuinos sermones, ac diuina præcepta qui immiscent corruptis, ac obscænis verbis non secus faciunt, ac qui cænoso puteo lympidissimam infundunt aquam. *Lil. Greg. Gyr. in præfat. Pythag. symb.*

Doctrina sæpe non prohibet nos errare, tum quia agens non est assecutus doctrinam perfecte, tum quia assecutus est eam, sed plurimum prætermittit eam, & abundat in suo sensu, tum quia desidiam prætermittit eam, tamen quamuis ita sit inquirens scientiam non ita accidit error, vt illis qui non habent doctrinam, & poterit corrigere suum errorem, vt fit in neglectis. *Auicenn. log. par.* 1.

Doctrinæ exercitia conferunt ad securitatem errorum. *Auic. log. par* 1.

Doctrinalis scientiæ subiectum est mensura, siue intellecta absque materia, siue in materia, & numerus, siue intellectus absque materia, siue in materia. *Auic. metaph. tract.* 1. *cap.* 2.

Dolor, tristitia, solicitudo, & memoria non sunt accidentia corporis, vt est corpus, sed dispositiones rei coniunctæ cum corpore, nec sunt nisi cum est coniunctio cum corpore, habet enim et corpus propter animam. *Auic. de anima, par.* 4. *cap.* 4.

Dominus cuiusque is est, qui ea, quæ ille vult, aut non vult, potestatem habet, vel conseruandi, vel eripiendi, ergo qui liber esse vult, nec cupiat, nec auersetur quicquam eorum, quæ apud alios sunt, sin minus seruire, necesse est. *Epict.*

Domo cum discesseris ne reuertaris, furiæ enim cōgredientur. *Pythag. symb.*

Domus ornamentum innatum indelebile, perenne est modestia. *Epict. sent.*

Dormiendum non esse in meridie, id est in manifesta luce non esse conniuendum. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. symb.*

Dorsum iuuat vt sit via nuchæ, vt custodiat membra nobilia anteriora, & quia sit basis omnium ossium, & ad eleuationem, & depressionem, & incuruationem corporis, ideo est factum de multis spondilibus. *Auicenn. de animalibus, libro* 14. *cap* 3.

Dorsi pectini circunstant duo ossa dextra, & sinistra, & coniunguntur cum medio iunctura forti, & sunt quasi fundamentum omnium ossium superiorum, eleuatum ad superiora, & quodlibet eorum diuiditur in quatuor, & quod est apud partem syluestrem dicitur testium, & os illorū quod est versus anteriora dicitur os pectinis veneris, & posteriora dicitur ancha, & quod est versus domesticum, dicitur pixis coxæ. *Auic. de animal. lib.* 14. *cap.* 4.

Dualitas est primum numerorum, & est vltima paucitas numerorum, quę paucitas est respectu aliorum numerorum, sed in se non est pauca. *Auic. metaph. tract.* 3. *cap.* 5.

E

EBRIETATEM vitabis si ebriorum deformitatem ante oculos tibi posueris. *Anacharsidis probl.*

Echo adoranda est cum flat ventum, id est procul à litibus se recipiant ciues. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. symb.*

Efficiens communis potest intelligi duobus modis, vno qui facit primum opus, ex quo cætera opera habent ordinem, alio modo qui participatur ad modum vniuersalis, primo modo est inesse essentia vna numero, secundo modo est res intellecta, complectens essentias multas conuenientes in intellectu, vt sunt efficientes. *Auic. suffic. lib.* 1. *cap.* 2.

Elatio animi vanitatis est argumentum, & à recta viuendi ratione aliena est, est enim tumor inanis, & præter naturam ad exteriora se diffundens auulsus ab interioribus. *Simp. in Epict.*

Electio nullo pacto potest extra moueri, quin licet res eligenda extrinsecus sit, electio tamen ipsa, & motus ad rem eligendam intus existit. *Simpl. in Epict.*

Elementa perceptibilia sunt generationis & corruptionis, & multiplicantur numero, & spem simul, & per voluntatem, quæ est in vnoquoque eorum propter corpus, per corporales dispositiones, quæ sunt in suis materiis, igitur formæ continuam generationem, & corruptionem, quare natura continet eas, & res, quæ sunt per generationem, & corruptionem. *Auic. de intellig. cap.* 4.

Elementaria corpora sunt generata corruptibilia, vnde oportet vt eorum principia propinqua sint res recipientes varietatem, & motum, & quod intelligentia pura non sit eorum causa sola. *Auic. metaph. tract.* 9. *cap.* 5.

Elementa habent materiam in qua conueniunt, & formam in qua differunt, vnde oportet vt ad esse diuersitatum suarum formarum cooperetur diuersitas corporum cælorum, & ad esse conuenientiam eorum in materia cooperetur conuenientia dispositionis corporum cœlorum. *Auic. metaph. tract.* 9. *cap.* 5.

Elixum ne asses, id est benignitas, & mansuetudo non est inducenda ad iram. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. symb.*

Enchiridij scopus modo sint qui obtemperarent animum nostrum in eam asserere libertatē, in qua a parente, & auctore Deo productus est, vt neque formidet quicquam, nec vlla re doleat, neq; vlli deteriori naturæ seruiat. *Simp in proœ. Epict.*

Enchiridion inscribitur, quod vt pugio militibus, ita hic libellus his qui recte viuere student, paratus, & in promptu perpetuo esse debet. *Simpl. in proœm. Epict.*

Entium, quæ denudari possunt à motu, veritas est duplex, aut necessaria, vt Deus, aut non necessaria, sed sit, vt non est hoc, impossibile, & vnitas causalitas, & numerus, qui est multitudo, & hæc aut considerantur, vt sunt id, quòd sunt ipsa, & eorum consideratio non variatur in hoc, quòd spoliata sunt, sed erunt tunc de tota consideratione, quæ est in rebus ex hoc quod non sunt in materia, quia hæc ex hoc, quod sunt in ipsa non sunt in materia, aut considerantur secundū hoc, quod accidit eis nō habere esse, nisi in materia, &

hoc diuiditur io duo, quia aut accidit, quia impossibile est eas intelligi, nisi io respectu ad materiā specialem, & motum, vt cuosideratio de vno, vt est ignis, aut aer, & de multis vt sunt elementa, & de causa vt est calor, aut frigus, & de secundo intelligibili, vt est aoima, id est principium motus corporis. *Auic. log. par. 1.*

Entia quorum esse non est ex voluntate nostra, vel opere, diuiduntur in duo in res, quæ commiscentur motui; & in res, quæ oon commiscentur motui. quæ commiscentur motui, diuiduotur in duo, aut iores, quæ non habeot esse, nisi quia possibile est ipsas admisceri motui, vt est humanitas, aut in res, quæ habent esse absque hoc, & quę nō habent esse, nisi quia admisceri possibile est motui diuiduntur in duo, quia sic suut quod ooo possunt esse, nec intelligi absque materia propria, vt forma humana, aut sic, vt intelligi possunt absq. materia, sed non esse, vt quadratura ad quā intelligcodam non est necesse aliqua materia, nec cōsiderari secundū aliquam dispositionem motus, res quæ commiscentur motui, & habent esse sine illo sunt, vt identitas, vnitas. *Auic. log. par. 1.*

Eotia aut habent esse non ex nostro arbitrio, vel opere, aut habent esse ex nostso arbitrio, & opere, primatum cognitio vocatur philosophia speculatiua, secundarum philosophia actiua. *Auicen log. par. 1.*

Ens vt ens est subiectum metaphysices, & inquirit consequentia entis, vt est eos siue aliqoa conditione. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 1.*

Entium alia sunt omni modo in actu, alia sunt in acto, secuodum aliquid, & secundū aliquid in potentia, & quięquid est io putentia solet exire ad effectum, qui est oppositus ei, & alius fit subito, alius non fit subito. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Entia omnia causantor à scientia Dei, & artificialia causantur ab iotellectu artificis. *Aui. de intel. c. 4.*

Ens primum dat omnibus esse, vt vita prima dat omnibus vitam, iotelligentia dat eis, quæ sunt sub intelligentia scieotiam, quia non illuminatur nisi iuuamento iotelligentiæ, & luminis primo simile, ideo tria inueoimus in ipsa, quòd est, quòd fulget, quòd illuminet inde illa disciplinabilia, quæ suot in discipliois tradita, non intelliguotur nisi ab alio illustrentur. *Auicenn. de intelligentiis, cap. 4.*

Ens & si non est genus, nec prædicatum æqualiter de iis, quæ sob eo sunt, tamen est intentio de his, quæ sub eo sunt, in qua cooueniuut secuodum prius, & posterius. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 6.*

Enthymema est imperfecta ratiocinatio. *Ar. Epict. lib. 1. cap. 8.*

Enthymemata, & epicheremata tot modis in oratione mutari possuot, quot modis ea quæ inter se parem vim habent mutari possunt, hoc fere mudo, si mutuaros es, & non reddidisti, debes mihi peconiam, vel nonne cū motuatus sis, & non reddideris pecuoiam mihi debes? *Ar. Epictet. lib. 1. cap. 8.*

Epar oon habet fila in se, quia non oportebat mooeri. *Auicen. de animalib. lib. 1.*

Epatis sobstantia diuersa est à substantia venarom, & non est remotum, vt substantia eius fiat ab eo, quod discurrit per arterias, ex epate nascuntur instrumenta nutrimenti. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 1.*

Epar est membrom in qou generatur sanguis, & est caro rubea quasi sanguis coagulatus, & est vacua à neruositate, & in ea sparguntur venæ, & illæ venæ sunt à stomatho, & intestiois, mediantibus ramis venientibus à cima epatis, & in ipso venit vena pulsatilis, quæ ei præbet calorem, & venæ quæ sunt propinquiores epati sunt subtiliores, & membrana quæ comprehendit epar ligat ipsum cum membrana, quæ cooperit stomachum, & intestina, & cum diaphragmate, & cum lateribus posterioribus, & continuatur cum corde per venam magnam. *Auic. de animalib. lib. 13. cap. 7.*

Epiglotis compoonitur quasi ex partibus circularibus, quarum quędam sunt circulares, quædam circuli portiones, & voa obuiat alteri, & qoæ est propinqua isoplio quę caret nomine est circolaris, & pars anterior est cartilago, reliqua membrana, & durities eius iuuat in emissione vocis. *Auic. de animal. li. 13. cap. 1.*

Epistola est tacitus ouocius. *Alterc. Had. & Epict.*

Epicteti vitam, & obitum scripsit Artianus, & Enchiridium composuit delectis ex Epicteti disputatiooibus locis oeccessarijs. *Simp. in proœm. Epict.*

Equi & muli impinguantur ex potu, & asini ex multo poto aquæ, & cameli, & equi appetont potum aquæ turbidę, ideo si est clara equi eam motu pedum turbidant, & postea bibunt. *Auicen. de animalib. lib. 8. cap. 1.*

Equus qoi per astutism luxuriauit com matre, re cōgnita, proiecit se io terram, & mortuus est. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 7.*

Equa si impręgnarur ab equo si post coit eum asino, corrumpetur quod est in vtero propter frigus, si coit cum equo non corrumpitur. *Auic. de anim. l. 16. c. 2.*

Equæ sæpe vomunt spetma equi, qoia nun multom appetit matrix attrahere sperma eqoi, & mingūt ipsum, ideo custodes equarum laborant io hoc, vt retineant. *Auic. de animal. lib. 16. cap. 2.*

Ericę calor est infusus in membris, & differt à complexiooe membrorum. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 5.*

Eruditi quare præstant indoctis, spe buoa. *Chilonis problem.*

Erythinum uon edas, sed Pythagoras abstinendum putat etiam à scaro, à mugilibus, & labrace, & ab vrtica marina, quia veneris stimulos affert, & abstinendum à Trigla, quia per eam sermonis numeri mysterium colerer, nec edenda est vulua, quia est generandi sedes, & per id coitum & venerem fugiendam monet, & à morticinis aoimalibus, id est ab his, quæ per se mortua sunt. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Essentias retum prout soot in intellectu seqountur suppositio, prædicatiu, vniuersalitas, particularitas in prædicaodo, & essentialitas, & accidentalitas. *Auic. log. par. 1.*

Essentiæ retum aut sunt in ipsis rebus, aut in intellectu, vnde habeot tres respectus, vnus essentiæ, vt ipsa non est relata ad aliquod tertium esse, nec ad id qood sequitur eam, vt ipsa est sic, alias respectus, vt est in singularibus, & alius vt est in intellectu. *Auicen. log. par. 1.*

Essentiæ rerum, quæ sunt extta non habent in se essentialitatem, nec accidentalitatem omuino, nec est aliquod complexum, vel incomplexum, nec propositio, nec argumentatio, nec cætera huiuscemodi, & cum eas cōsiderare volumus, vt sciamus opus est colligere eas in intellectu,

& tunc

& tunc accident eis dispositiones propriæ intellectui, præcipue cum contendimus apprehendere incognita ex cognitis. *Auic.log par.1.*

Essentiam omne quod est id quod est habet, & qua est eius necessitas, & qua est eius esse. *Auic.log. par.1.*

Essentiam rei significat secundum sensum vulgare id, quod significat intentionem, qua res est id, quod est, quòd tunc fit cum res habet omnes suas proprietates substantialiter tam communes, quam proprias. *Auicen.log.par.1.*

Esse omnia, quæ in mundo sunt habent siue præsentia, siue preterita, siue futura, in sapientia creatoris, & angelorum intellectualium secundum aliquid, & in animabus, quæ sunt angeli cœlorum habent esse secundum aliud. *Auic.de anima, par.4. cap.2.*

Esse, vel fieri quicquid incipit necessario eius effectio est ex duabus causis, vna est materia ex qua fit, altera est priuatio, & sic de eo quod destruitur. *Auic.de cœlo, & mundo.cap.4.*

Esse diuidi potest in duo, quorum vnum non est necessarium, impossibile etiam non est si cadit sub esse, aliud quod cum consideratum fuerit per se eius esse, est necessarium. *Auic. metaph. tract. 1. cap.7.*

Esse duobus modis est, vnum est id quod cum fit in aliquo, eius existentia, & species acquisita est in se ipsa, non est sicut pars eius, nec potest esse sine eo, & hoc est, quod est in subiecto, aliud est quod est, sed non est in aliquo hoc modo, quoniam nullatenus est in subiecto. & hoc est substantia. *Auic. metaph.tract.2.cap.1.*

Essentia rei quę est in potentia non potest esse causa rei, quæ est in effectu, quia oporteret vt eius essentia prius esset, deinde fieret causa alterius, siue prioritas sit tempore, siue essentia. *Auic. metaph.tr.2.cap.4.*

Esse est id quod vere desideratur. *Auic.metaph.tract. 8.cap.6.*

Exercitatio omnis iisdem rebus perficitur, per quas principalis actio ad quã exercemur. *Simpl.in Epict.*

Exercitationes neque contra naturam, neque admirabiles esse debent. *Ar.Epict.lib.3 cap.12.*

Existimatio de nobis in nobis non sita est, quamuis occasiones quasdam nosipsi ei præbeamus, sed in iis qui de nobis existimant, penes eos enim est. existimare quicquid velint. *Simp.in Epict.*

Externa sunt materia voluntatis, quibus illa tractandis suum illa, aut bonum, aut malum consequantur. *Ar.Epict.lib.1.cap.29.*

Extimatio de nobis non est nostra, nec in potestate nostra sita. *Simp.in Epict.*

Extimatiua vis est ordinata in summo mediæ concauitatis cerebri, apprehendens intentiones non sensatas, quæ sunt in singulis sensibus, & in imaginatis videtur operari compositionem, & diuisionem. *Auic.de an.p.c.1.5.*

Extimatiua abstrahit à materia intentiones immateriales, quamuis accidat illas esse in materia. *Auic.de anima, par.2.cap.2.*

Extimatio mediante virtute imaginatiuæ ostendit formas animę, & penes eam consistit redditio formarum sensibilium. *Auic. de anima, par.3.cap.8.*

Extimatiua est virtus, quę apprehendit res ita vt sensus doceat aliquid de ipsis, & aut sunt sensibiles, vt cum videmus cæruleum iudicamus esse mel, & dulce, & operatur in homine iudicia propria, coniuncta cum singularitate, & forma sensibili. *Auic.de an.p.4.c.1.*

Extimatio fit multis modis, vno dispositio à diuina clementia, alio quod fit per experientiam, alio ad modum similitudinis. *Auic.de anima, par.4.cap.4.*

Extimatio habet dominium inter virtutes apprehendentes in animalibus, cupiditas, & ira habent dominium inter virtutes mouentes, quas sequuntur desideratiua, & postea virtutes mouentes, quę sunt in musculis. *Auic.de anima, par. 4.c.4.*

Ex intelligentia prima ex hoc quod intelligit, & ex hoc quod est possibilis in se ipsa, procedit sphæra prima cum suis partibus, idest materia, & forma. *Auic.de intel.c.4.*

F



Fabis abstine. *Pythagoræ symbola.* Fabis abstineto, non solum homines præcipit Pythagoras, sed & bouem, cui cum in antem locuturus esset à fabulo perpetuo abstinuisse, ait Iamblicus, & Politianus, abditum mysterium, ita vt Tymycha Pythagorica, cum eam Dionysius cogeret reuelare, ipsa arcanum ne proderet, mordicus sibi linguam præcidens in faciem Tyranni expuisse dicitur. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symbola.*

Faba si macerata ad Solem per aliquod temporis spacium dimittatur, feminis humani odorem contrahit, & ea florente si vnà cum flore in olla circumlita concludatur humóque obruatur, & post aliquos dies effodiatur pudendi muliebris effigiem habere reperietur, & mox etiam puerilis capitis, Lucianus ait, Si viridem fabam folliculo cauas apparere virilibus genitalibus similem, coctum si nocturno tempore ad Lunam certo spatio demiseris sanguini persimilem fieri. *Lil. Greg.Gyr.in Pythag.symb.*

Fabis abstineto, id est à suffragijs, quæ per fabas bicolores vt plurimum feruntur, vel cum stimulent Venerem ab ipsis, idest à Venere abstinendum. Plicatæ Arcadiæ Populi cum omnibus qui hospitati erant, Cererem ipsa legumina dedisset præter fabam, eam hoc argumento impuram putarunt, Gellius non credit Pythagoram fabas, sed pro fabis testiculos intellexisse, alij ideo putant, quia in ipso fabæ flore lugubres litteræ reperiantur, & magia existimant mortuorum animas fabis in esse, & quòd fabæ quòd malum succum habent, insomnia turbulenta faciunt. *Lil.Gre.Gyr.in Pyth.symb.*

Facere nihil absque ratione consuesce. *Pythagoræ aurea verba.*

Facile quid est alium monere. *Thaletis problem.*

Facta aliena nec laudemus, nec vituperemus, nisi eius scopo cognito, vt si quis lauat cito, dicendum cito lauet, non male lauit, si quis multum bibit, dicito multum bibisse, non male. *Epict.*

Facta in hoc coæterna factori sunt, quia principium numquam fuit sine causis primis, & in hoc non coæterna, quia factori suo non sunt coæterna, & ea precidit factor, nã essent coessentialia, vt nullũ sine altero manere potest, sed factor, & facta non sunt coessentialia relatiua, sunt semper & simul, & factor sine facto esse non potest, & factum sine factore esse non potest, vt per rationem causæ, & causati coæterna esse non desinunt, quia

erat in causa, quando non erat in effectu. *Auic.de intellig.cap.2.*

Facta aliquo modo Deo coæterna sunt, quia nunquàm fuit sapientia sine primordialibus rerum causis in se factis; quod autē nō omnino coæterna, quia causæ rerum primę proptes infinitam sui diffusionem, & incōprehensibilem altitudinem, & ineffabilis puritatis excellentiam nullo percipiuntur intellectu, excepto eo qui eas in principio formauit, ex effectibus vero illarum cognoscitur, quia sunt non quid sunt. *Auic.de intell.c.2.*

Familiarem rem si probe administrare cupis, Lycurgum imitare, ciues enim virtute muniuit, sic tu ne magnam domum complectere, nec altis turribus eam adornato, sed habitatores beneuolentia, fide, amicitia confirma, sic nullo modo mali ingredientur. *Epict.sent.*

Fames est desiderium calidi, & sicci. *Auicen.de anima.par.2.cap.3.*

Farinam attingere nefas erat flamini diali, quod sit cibus imperfectus, & indigestus. *Lil.Greg. Gyr.in Pythagoræ symbola.*

Fel & vesica non accipiunt nutrimentum à superfluitate, quæ decurrit in ea, quia corpus vtriusque est nervosum. *Auic.de animalib.lib.13.cap.5.*

Fel, quæ non habent cholera sua spargitur cum suo sanguine ad negocium sui corporis, & cistis fellis est ad mundificandum sanguinem. *Auic.de animalib.lib.14.cap.1.*

Fetiunt magis imparata tela, quam præparata. *Simpl. in Epictet.*

Ferrum est omnium artis instrumentum. *Alterc.Hadr. & Epictet.*

Fidem non facit de alio quod non sufficit ad intelligendum illud esse, vel non esse. *Auicen. logic. parte 1.*

Figurarum tria sunt genera, quædam sunt linearum sectarum, aut circunflexarum, quędam rectarum, & circunflexarum, quędam sunt vnius lineæ ambientis vndique, & harum aliæ sunt rotundæ, aliæ non, vt oui, & lenticulæ figura. *Auicen.de cælo, & mundo, cap.8.*

Filium cur deploras cum lachrymis nihil proficias, ob hoc ipsum quod nihil proficit. *Solonis probl.*

Filij vt iu parentes fuerint, tales suos filios in se ipsos experientur. *Simpl.in Epict.*

Finis est ad quem actio defertur. *Simp.in Epict.*

Finitæ cuius omnes partes sunt, tunc totum finitum erit, sed omnes partes firmamenti finitæ sunt: ergo firmamentum finitum est. *Auic. de cælo, & mundo.cap.5.*

Finem aliquid non habere dicitur duobus modis, aut secundum potentiam agendi, cui nihil potest resistere, aut secundum qualitatem, cum eius distensio, longitudo & magnitudo, & rotunditas, non habet terminum iuxta quem terminatur. *Auic.de cælo, & mundo.cap.5.*

Finis verus non est nisi apud quem est quies. *Auic. metaph.tract.6.cap.5.*

Finis est ille propter quem res est, & aliquando est in aliquibus rebus in ipso agente solum, vt gaudium, & victoria, & aliquando in alio ab agente, qui aliquando est in subiecto, vt perfectio motuum qui proueniunt ex cogitatione, vel natura, aliquando est in aliquo tertio, vt cum quis aliquid agit, vt alicui placeat. *Auic.metaph. tract.6. cap.4.*

Finis alius est per essentiam, alius est necessarius: finis pes essentiam est causa, quæ quæritur propter se ipsam, necessarium est, vel quod est aliquid, quod necesse est esse ad hoc, vt sit finis, inquantum ipsum esse est causa finis aliquo modo, vt duricies ferri, vt incidat, vel vt sit necesse esse, vt sit finis non quod ipsum sit causa, sed quia est concomitans eam, vel est aliquid cuius esse comitatur causam finalem, vt causa filiorum, & coniugij causa finalis. *Auicenn. metaphysic. tracta. 6. cap. 5.*

Finis vno respectu est finis, & alio respectu est verum bonum, vel putatur. *Auicen.metaphysic.tract. 6.cap.5.*

Finis qui acquiritur actione agentis diuiditur in duo, in finem, qui est forma, vel intentio in patiente receptibili actionis, & in finem, qui non est forma, nec intentio in patiente receptibili vllo modo. est igitur in agente. *Auicen. metaph. tract.6.cap.5.*

Flegma est sanguis non decoctus, & suum iuuamentum est quòd quando deficit nutrimētum ipsum, se staurat, & tunc si multum fuerit in illo corpore, potest per multum temporis durare sine cibo, & sale contingit aliquando hominibus sanis. *Auic. de animalib.lib.8.cap.2.*

Flegma est materia sanguinis, & si sit sanguis amittit multum de sua humiditate. *Auic. de animalib. lib.12.cap.2.*

Flegma est materia sanguinis, & dulce: in comparatione ad corpus est parum frigidum, sed ad sanguinem est multum frigidum, & cum sit necessarium ad omnia membra, ideo non habet membrum determinatum, fit salsum immixtione tesserium amarorum, cum humiditate aquosa, sed si particulæ multæ essent adustæ, esset amarum, & potest fieri salsum per putrefactionem in ipso, & in transmissione choleræ ad intestina aliquando accidit oppilatio, & dicitur cholerica, & egestio erit tunc alba, & color citrinus, & aliquando citrinatur cholera in se, & accidit cinis in ea, & sua citrinitas adunatur cum aquositate sua, & est res pessima. *Auic.de animalib.lib.12.cap.5.*

Fælicitati nullus aditus relinquitur, vbi turbæ sunt, vbi terrores, vbi molestiæ, vbi appetitiones irritæ, & auersationes inanes, vbi inuidia, & æmulatio. *Ar.Epict.lib.3.cap 22.*

Fælicitatem omnes ponunt in adeptione desideratarum rerum, & in euitatione fugiendarum. *Simplic.in Epictet.*

Fœlicitas verissima non perficitur, nisi per rectitudinem illius partis animæ, quæ est practica. *Auic. metaph.tract.9.cap.7.*

Fœminæ sæpe non habent futuram in capite. *Auic. de animalib.lib.1.cap. 29.*

Fœminæ quæ multum appetunt luxuriari sæpe abortiunt. *Auic.de animalib.lib.8.cap.1.*

Fœtus cuiuslibet generis ex sene malus est. *Auic.de animalib.lib.5.cap.2.*

Forma omnis perfectione suæ naturæ conuenienti prædita bona est, & non mala. *Simpl.in Epict.*

Forma omnis est perfectio, sed non omnis perfectio est forma. *Auic.de anima, par.1.cap.1.*

Forma differt à priuatione, quia forma est essentia per se ipsam, scilicet est additum esse super esse, quod habet hyle: priuatio vero non addit esse super esse quod habet hyle, sed comitatur eā ad modum comparationis eius ad hanc formā cum non habuerit esse, nisi in potentia ad recipiendū illam,

illam, & hæc priuatio non est priuatio absolute, sed est priuatio habens aliquem modum essendi, quia est priuatio rei cum præparatione, & aptitudine ad illam in materia designata. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 2.*

Formam appeti ab hyle, & eam assimilari masculo, & hyle fœminæ non concedit Auicenna, nisi figurate loquendo. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 2.*

Formæ aliæ generantur, & corrumpuntur, & ipsæ sunt, quæ in generatis, & corruptibilibus sunt, aliæ quæ nec generantur, nec corrumpuntur, & sunt, quæ in sempiternis dicuntur creare formæ non generari, nec corrumpi, quia non sunt compositæ ex materia, & forma, vt generentur, & corrumpantur. *Auicen suffic. lib. 1. cap. 3.*

Formæ, & esse perfectio non est nisi ex comparatione priuationis, quæ contingit ei aliquo respectu, & constitutio priuationis, & esse est ex comparatione ipsius ad formam. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 3.*

Forma dicitur essentia, quæ quando fuerit habita in materia constituit speciem, & forma dicitur ipsamet species, & figura, & depictio, & dispositio congregationis, & ordo viuendi, vt lex, & omnis affectio quæcunque fuerit, & certitudo cuiuslibet rei. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 10.*

Forma quæ est in anima principium est eius, quod contingit in materia. *Auicen. de anim. par. 4. cap. 4.*

Forma impressa in materia corporali non est nisi aliquid subsistens in rebus singularibus visibilibus, & vnaquæque pars earum habet comparationem in effectu, aut in potentia ad vnamquamque partium formæ. *Auic. de anima, par. 5. cap. 2.*

Forma non habet esse nisi in hyle, quia ipsa dat esse hyle, vel ipsa est in hyle, vt hoc quod causa non est nisi cum causato, non quod causa sit illi causa essendi causato, sed quod cum fuit causa in effectu, sequitur ex ea esse causatum, & est cum ea, sic cum forma habuerit esse sequitur, & hoc vt constituit aliquid, quod adiungitur suę essentiæ, & quod constituit est res in effectu, & dat illi esse. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Forma non est per materiam nisi fortasse secundum accidens, quia forma non est in effectu, nisi per eam *Auic. de intellig. cap. 4.*

Forma corporeitatis, vt forma corporeitatis in se non diuersificatur, quia est vna natura simplex, quę non potest specificari differentijs superuenientibus sibi, inquantum est corporea, sed si superuenerint differentiæ, quæ sunt res sibi adiunctæ extrinsecus, erunt aliquæ ex formis à materia separabilibus, & iudicium de eis non est, vt de veris differentijs, nam diuersificatur tantum vt est calida, vel frigida, vel quia terrestris, vel terrestris. *Auic. metaph. tract. 2. cap. 2.* e

Forma materialis non habet esse separata à materia. *Auic. metaph. tract. 2. cap 4.*

Forma quamuis non separatur ab hyle, tamen non constituitur ab hyle, sed à causa, quæ acquirit sibi hylem, hoc autem quod hyle causa sit sui, & in ipsa hyle est, vt hoc quod causa non est nisi in causato: nam cum forma habuerit esse forma sequitur, vt constituat aliquid, quod aliquid coniungitur suę essentiæ, & id quod constituit est res in effectu, & dat ei esse. *Auic. metaph. tract. 2.*

Forma est res ex qua fit aliquid primum, quæ fit in materia, & ex earum coniunctione fit corpus. *Auic. metaph. tract. 2. cap. 2.*

Forma est semper pars quidditatis in compositis. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 5.*

Forma aliquando dicitur omnis intentio, quæ in effectu est adaptata vt agat ita, vt substantiæ separatæ etiam sint formæ, & secundum hanc intentionem dicitur forma omnis dispositio, & actio quæ est in recipiente vnito, vel composito: ita vt motus, & accidentia sunt formæ, dicitur etiam forma id per quod constituitur materia in effectu, & tunc substantiæ intelligibiles, & accidentia non erunt formæ, & dicitur forma id per quod perficitur materia, quamuis non constituatur per illud in effectu, & dicitur forma quidquid fit in materiis per artificium: & dicitur forma proprie species rei, & genus eius, & differentia eius, & hoc totum, quia totalitas totius formæ est etiam in partibus. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 4.*

Formæ rerum naturalium sunt apud causas præcedentes naturam aliquo modo, apud naturam vero sunt secundum solitum cursum suum aliquo modo. *Auicen. metaph. tract. 6. cap. 4.*

Forma finis, & efficiens aliquando est vna res diuersis modis, quod in artificio contingit, nam ipsum artificium est forma artificiati in anima, eo quod in anima fabri est forma, motus ad formam domus. *Auic. metact. tract. 6. cap. 4.*

Forma omnis sensibilis, & imaginabilis non apprehenditur, vt est sensibilis, & imaginabilis, nisi cum instrumento diuisibili, & sicut attribuere ad quas ex multis actionibus ei quod est necesse esse est ei imperfectio, sic etiam attribuere ei multa ex modis intelligendi, sed necesse esse non intelligit quidquid est nisi vniuersaliter, & cum hoc non deest ei aliquod singulare. *Auicen. metaph. tract. 8. cap. 6.*

Formam ab aliquo fluere cuius natura est vt intelligatur, differt à fluere ab aliqua forma intellecta, inquantum est intellecta tantum, absque additione aliqua. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 7.*

Forma omnis est causa, vt sua materia sit in effectu: nam materia non habet existentiam. *Auicen. metaphysic. tract. 9. cap. 4.*

Formicæ fugiunt à fumo toracis, & si ad foramen earum fouearum ponitur, aut sulphur, aut arse cutis, aut origani agrestis, moriuntur, & omnia animalia fugiunt à fumo cornu cerui. *Auicen. de animalib. lib. 4. cap. 2.*

Formidinem parit animæ sanguis tenuis, aquosus, frigidus, clarus. *Auicen. de anima, parte quarta. capit. 6.*

Fortis animo, & audacissimus est, qui habet sanguinem grossum non turbidum, cum fuerit multi caloris. *Auic. de anima, par. 4. cap. 6.*

Frigus fit ex quiete, & constringit materias. *Auic. de calo, & mundo. cap. 16.*

Fortitudinem sibi sociam, & adiutricem capit in duris, & asperis rebus, qui ratione & recta vtitur mente. *Hieroc.*

Fortunæ gratiam habeo, quia homo sum, non bestia, vir non mulier, Græcus non barbarus. *Thalet. vel Socrat problem.*

Fortuna est vt matrona nobilis, quæ in seruus se impingit. *Alter. Had. & Epict.*

Fortuna est sine iudicio proxima meta, alienorum bonorum casus ad quem venit splendorem ostendit, à quo recedit, vmbram facit. *Alterca. Hadr. & Epict.*

Fortunæ sunt tres, vna cæca, quæ vbilibet se impin-

git, alia insana, quæ concedit cito aufert, tertia surda, quæ miserorum preces non exaudit. *Alter. Hadria. & Epict.*

Fortunæ munera non sunt solida, & firma, insistit enim saxo rotundo, quæ dat alicui, ab illo aufert, & alij concedit, à quo iterum auferet: qui ei fidem habet, maximas patitur iacturas, bonam esse aiunt qui accipiunt, malam qui amittunt *Cebetis Tabula.*

Fortuita actio vocatur cum sola imaginatio fuerit principium desiderij. *Auicen metaphysic. tract. 6. cap. 5.*

Frigidi in corpore sunt phlegma, sepum, & pinguedo post capillus, & ossa, cartilago, & post ligamentum, & post chorda, & membrana post oertut, nuca, medulla cutis. *Auicen. de animalib. libr. 12. cap. 2.*

Frons lata significat stultum, rotunda iracundum. *Auic. de animalib. lib. 1.*

Frustra vocatur cum finis, qui est virtuti mouentl, qui est terminus motus cum fuerit, & non fuerit finis alius, qui est post illum quem intendit desiderium, qui est finis desiderij, vt qui iuit ad locum in quo putabat inuenire amicum, & non inuenit, dicitur frustra fuisse ad illum locum. *Auicen. metaphysic. tract. 6. cap. 5.*

Forum est certus locus in quo alius alium fallat, & circumueniat. *Anacharsidis problem.*

Forum est templum libertatis, arena litigantium. *Alter. Hadr. & Epict.*

Fugare decet omni studio ab vniuersisque machinamentis, ferro, & igne abscidere, à corpore morbum, à victa luxum, ab animo ignorantiam, domo discordiam, ciuitate seditionem, ab omnibus denique intemperantiam. *Pythag. symb.*

Fatum quod appellamus, id pendet à Dei prouidentia, à rerum serie, à voluntate hominum. *Herod.*

G



GALLINÆ maiores corpore ferunt plura oua, vsque ad sexaginta, & sunt quædam, quæ dicuntur Regis Hadriani, & sunt longæ corpore, & ponunt quotidie, & sunt quæ ponunt quotidie bis. *Auic. de animalib. lib. 6. cap. 1.*

Gallum nutrias quidem, ne tamen sacrifices, Soli enim, & Lunæ dicatus est. *Pythagora symbola.*

Gallum nutrias, non tamen sacrifices, alij interpretantur milites habendos, sed ad sacra, sed ad verbis custodiam, alij idem de gloriosis hominibus intelligunt, alij pro gallo amantes intelligunt. *Lil. Greg. Gyr in Pythagora symb.*

Gallus est Soli, & Lunæ dicatus, fabulæ Marti satellitem fuisse tradunt, gentes Aesculapio rem sacram facientes gallum mactabant, & Lacedæmonij cum hostes profligassent gallum mactare solitos, & Ioui sacrum esse dixerunt antiqui. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symbola.*

Gaudium est de accidentibus virtutum apprehendentium. *Auic. de anima, par. 4. cap. 4.*

Gaudio duo debentur, confortatio virtutis naturalis, & spiritus à dissolutione, quia cogit eum gaudium dilatari. *Auicen. de anima, par. 4 cap. 5.*

Gaudium parit animæ sanguis moltus clarus, temperatus inter grossitiem, & tenuitatem, propter abundantiam spiritus splendentis puri temperatæ consecutionis; & inter tenuitatem, & grossitiem generati ex eo. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 4.*

Geminorum causa est multitudo spermatis, quousque fundatur in aliam partem vsque ad interius orificium in matrice, quousque impleat in circuitu. *Auicen. de animalib. lib. 7. cap 5.*

Generis natura imperfecta est, & interminata, nisi perficiat eam natura differentiæ, cui cum ipsa aduenit fit species. *Auicen. de anima, part. 1. cap. 1.*

Genus est quod prædicatur de pluribus differentibus in eo quòd quid est. *Auic. log. par. 1.*

Generis eiusdem vocabantur illi, qui à Cæsare descendebant, & dicebantur Cæsares, & qui ab vna prouincia, vt ab Aegypto, Aegyptij, & ab artibus, & officiis, & tandem vt aiunt Logici, est genus vnum in intellectu, quod habet comparationem ad multa, quæ conueniunt in eo. *Auic. log. par. 1.*

Genus est quasi semen differentiæ, & proprij, non tamen intrat in substantiam eorum. *Auicen. log. par. 1.*

Genus aliud est genus, quod non potest esse species, quoniam supra illud non est aliud communius genus, & aliud quòd supra se potest esse aliud communius genus, & potest fieri species, & sic de specie, vt possit fieri genus, & quæ non potest fieri. *Auicen. logic. par. 1.*

Genus naturale cum dicitur dare ei, quod est sub se nomen suum, & diffinitionem, hoc non est verum, nisi accidentaliter. *Auic. log. par. 3.*

Genera generum plura sunt, quàm vnum, & sunt finita, species specierum, quæ sunt in natura finitæ sunt, in se autem infinitæ sunt in potentia, indiuidua vero infinita sunt secundum generationem, & prioritatem, & posterioritatem, & sensationem, & collocationem de eis in tempore terminato, finitum est diuisio. *Auicen. log. par. 3.*

Generis cognitio prior esse debet cognitione speciei, cum genus sit pars in diffinitione speciei, & ideo debent cognosci principia rerum communium prius, quam res communes, & hæc prius quam res minus communes. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Grues, & apes habent principem, formicæ habent coadunationem, & non habent principem. *Auic. de animalib. lib. 1.*

Generis natura, quæ est corpus est substantia in qua potest ostendi coniunctio aliquorum, quæ solent in ea coniungi, fit ergo collectio longa, lata, & profunda. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 3.*

Generis natura si non prædicantur de collectione, non prædicantur de indiuiduo, sed esset pars indiuidui. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 4.*

Genus, & differentia in definitione, vt vnumquodque eorum est pars definitionis, ex hoc quod est definitio non prædicatur de definitione, nec definitio de ipsis, non enim dicitur definitio esse genus tantum, vel differentia, vel è conuerso, sed vt genera, & differentiæ sunt naturæ consequentes naturam, prædicantur de definito. *Auic. metaphy. tract. 5. cap. 5.*

Genera generalissima nulla sunt contraria. *Aui. metaphysic. tract. 7. cap. 1.*

Generatiua virtus habet duas actiones, quarum vna est creare corpus, & figurare, & formare, altera est attribuere partibus eius in permutatione secunda

cunda formas earum, id est virtutes, dimensiones, & numeros, & figuras, asperitatem, & lenitatem, & his adhærentia: cui inseruiunt nutritiua, & augumentatiua, quæ cum auctum habent quasi ad perfectionem corpus resurgit generatiua, & generat sperma, & semen, in quo quiescit virtus eiusdem generis procreandi, vt conseruetur species, nutritiua vero, & augumentatiua versatur circa particularia. *Auicen.de anima, par. 2.cap.1.*

Generatio fit per formam, non per priuationem, & priuatio fit per priuationem, non per formam, & res fit ex hyle, & priuatione. *Auicen.sufficient.lib. 1.cap.2.*

Generatis omnibus communia principia sunt forma, materia, priuatio. *Auic.suffic.lib.1.cap.3.*

Generatum omne corruptibile est, quia eius virtus permanendi finitur, & ob hoc corruptio ei necessaria est. quia est generatum, vel compositum ex materia, & forma: in cuius materia est virtus permanendi ipsam formam, & virtus corrumpendi. *Auicen.de anima, par. 5.cap.4.*

Generatum esse post illud ex quo generatur, necesse est esse in omni generatione alicuius de aliquo. *Auicen.metaph.tract.8. cap.2.*

Generatio est quoddam quod accidit post vitam, sed postquam vi, est specificata post se, res est terminata per se: ergo hæc & similia sunt, & vniuersitate dispositionum consequentium post specificationem vitæ in speciem, quamuis sit comparatiua fini, vnde quidquid fuerit de passionibus, & comitantibus secundum hunc modum non sunt de differentiis generum. *Auicen.metaph.tra. 5.cap.4.*

Geometria, quæ est de disciplinabilibus, non potest carere materiis in sui definitione absolute, quamuis careat specie materierum. *Auic.metaph.tract. 7.cap.2.*

Gladiator est sine crimine homicida. *Altercat.Hadria. & Epictet.*

Gladius est regimen castrorum. *Altercat.Hadria. & Epictet.*

Gladium acutum auerte, id est abstinendum ab iis, qui periculum afferre possunt, alij malam linguam interpretantur. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Gloriam ex actionibus tuis ne ambias, nec aliquid facias ostentationis causa. *Epict.*

Grammatica progreditur vsque ad distinctionem litterarum, sed an scribendum, vel ne non considerat. *Ar. Epict.lib.1.cap.1.*

Grues cum volant ascendunt multum in aerem, & si non se vident propter nebulas, percutiunt fortiter aerem, vt se sentiant, & cum dormiunt ponunt vigiles, vt cæteras custodiant, & ponunt caput sub ala præter regem, qui dormit capite discoperto, & si sentit tumultum expergefacit alias per sonitum quem facit. *Auic.de animalib.lib. 8. cap 4.*

Gustus est vis ordinata in neruo expanso super corpus linguæ ad comprehendendum sapores solutos ex corporibus contingentibus ipsum cum permiscentur humori vnctuoso linguæ permixtione permutanti. *Auicen. de anima, par. 1. capite 5.*

Gustus apprehendit sapores, dulcedinem, amaritudinem, acetositatem, stipticitatem, ponticum, acuitatem, vnctuositatem, salsedinem & insipiditatem, & medios sapores. *Auic.de anima, par. 2.cap.4.*

Gustus vtilitas est in actione per quam perficitur corpus, quæ facit desiderare nutrimentum. *Aui. de anima, par.2.cap. 4.*

Gustus reddit sapores si saliua expers est saporum, si aliquibus saporibus est admixta non reddit. *Auicen de anima, par. 2.cap.4.*

Gustus apprehēdit sapores, cum gustauerit gustum diffusum multum, & apprehendit numerum cum inuenit plures gustus in corporibus, secundum motum, & quietem, & quasi figuram apprehendit, sed leuiter, sed ad hoc tactu iuuatur. *Aui. de anima, par.3.cap.8.*

Gustus fit à neruis cerebri pertingentibus linguam, & palatum. *Auic.de anima, par.5.cap.8.*

H



HABITVS omnis, & facultas consentaneis operibus retinetur, & augetur, deambulationis deambulando, cursionis currendo, lectionis legendo, & si intermittas, difficilius operabis. *Ar. Epictet. libr. 2. cap.18.*

Habitus, & priuatio non haberet medium in subiecto. *Auic.metaph.tract.7. cap.1.*

Haruspicum responsis parendum. *Epict.*

Herbam molochinam sere, non tamen edas. *Pythagoræ symbola.*

Herbam molochin sere, ne tamen edas, videtur inuitare nos ad mansuetudinem, molochia herba est inter maluæ species. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Heri qui postulant vt famulus sit ipso melior stultus est. *Simp.in Epict.*

Heroes sunt medium genus earum substantiarum, quæ ratione vtuntur. *Hieroc.*

Heroes appellantur Deorum filij, non quod ex mortalium coniunctione geniti sint, sed quod ex simplici eorum causa proueniunt, vt lux concurrens substantiæ lucentis corporis. *Hieroc.*

Heros quilibet est anima rationalis, liquido & puro corpori adiuncta, similiter & homo anima rationalis cum corpore immortali sibi innato. *Hieroc.*

Hititij sentiunt ventum Septentrionalem, & Austrinum antequam flat; nam se abscondunt. *Auic.de animalib.lib.8.cap.4.*

Hirundinem domi ne recipias. *Pythag. symb.*

Hirundinem domi ne suscipias, intelligendum ne garrulis, & nugacibus fidem præstemus, nec corū consuetudinem, ac consortium habeamus, vel cauendum ab amicis, qui infælicitatis tempore recedunt, vel ne ingratum, instabilémq; amicum, & conuictorem nobis comparemus. *Lil.Greg.Gyr. in Pyth.symb.*

Homo delectatur lucrando. *Biantis problem.*

Homines ab iniuriis maxime deterreri possunt, si ij qui læsi non sunt, æque iniquis animis tulerint, atque ij qui læsi sunt. *Solonis problem.*

Homo res quæ non sunt in sua potestate, vt corpus & huiuscemodi, quæ aliena sunt non sunt putanda propria, sed tantum id, quòd suum est, suum putare, & sic semper fælix erit, sed si aliena sua putabit, semper perturbatus erit. *Epict.cap.3.*

Homo si sua bona in sua potestate posita, rectè amplexus fuerit, nemo illum coget, aut impediet sic appetere, & nihil invitus aget, a nemine lædetur, inimicum non babebit, & nihil detrimenti capiet. *Epict.*

Homo eum appetit ea, quæ in sua sunt potestate, non mediocriter ad ea incitatus esse debet, sed omnia alia relinquere, & in aliud tempus differre: nam si appetit magistratus, & opes fortasse, nec hæc consequitur ob priorum illorum desiderium, & illis omnino excidit, per quæ sola libertas, & fælicitas comparatur. *Epict.*

Homines perturbantur non rebus, sed iis quæ de rebus habent opinionibus, vt mors non est malum, alioqui & Socrati ita visum esset, sed opinio de morte malum eam facit, ideo si impedimur, & distrahimur non alios culpemus, sed nosmetipsos, idest nostras opiniones. *Epict.*

Homini omnia secunda accident, si ea quæ fiunt, vt fiunt ita velit fieri, non autem velit fieri, vt vult. *Epict.*

Homo ad se conuersus inquirere debet, qua facultate sit instructus ad vsum eius, quod illi inciderit, si formosum, vel formosum videris temperantia in promptu erit, si labor tolerantia, si conuicium patientiam inuenies, quod si irate assuefeceris, visis non obtemperabis. *Epict.*

Homo si proficere vult, hæc missa facere debet, si mea neglexero non erit vnde viuam, nisi castigauero puerum malus erit, præstat enim perire fame, timoris, & molestiæ expertem, quam copiis rerum omnium circumfluentem, animo viuere perturbato, & puerum malum præstat, quam te infælicem, a paruis auspicare, si puerum vocas fieri posse cogita, vt non sit præsto, & vt nihil agat ex animi tui sententia, nec ei tam bene fit, vt tuarum perturbationum habeat ille potestatem. *Epict.*

Homo si proficere vult non debet recusare quo minus ob rerum externarum neglectum amens, vel fatuus habeatur. *Epict.*

Homo scire nihil putare debet, etsi ab aliis quis videtur, ipse sibi diffidere debet, & facile non esse conseruari in eo statu, qui ast naturæ consentaneus, & res externas amplecti, sed aliter non posse fieri, vt alterum curet, alterum negligat. *Epict.*

Homo stultus est si vult vt liberi, vxor, amici perpetuo viuant, & floreant, & si seruum peccare non vult, idem enim est ac si vitium non esse vitium velit. *Epict.*

Homo in vita sic versari debet, vt in conuiuio, si quid circumfertur partam eius modeste capiat, præterit, nec detinere debet, nondum adest, expectare debet, donec ad ipsum veniat, si sic erit circa externa aliquando dignus erit conuiuio Deorum, sed si oblata non acceperit, sed despexerit, imperii quoque consors erit. *Epict.*

Homo si eiulantem aliquem viderit in luctu ob dolorem rerum externarum, cognoscat non illum casum eum affligere, sed conceptam de eo opinionem, & oratione sua eum subueoire debet, & si res tulerit cum eo congemiscere, sed cauendum ne intrinsecus etiam congemiscat. *Epict.*

Homo res externas vt sunt accipere debet, at non eas eligere. *Epict.*

Homo si cœpit studium sapientiæ sumere, statim se parare debet, quasi futurum vt irrideatur, & dicant subito philosophum ipsum esse, & vnde supercilium istud? ille habare supercilium non debet, sed omnia optima à Deo concessa, sed si in eodem statu permanserit, sciat iis tandem admirationi fore, qui illum prius deriserunt, at si illis succubuerit, sciat dupliciter fore deridendum. *Epict.*

Homo si cupit aliquibus videri philosophus, se da statione eiectum esse sciat, satis enim illi sic à se ipso videri philosophum esse. *Epict.*

Homo non se cruciare debet, si sine honore viuit, quia malum est in vitio viuere, sed cum locum in ciuitate habeat quem potuit integritas, & verecundia conseruata. *Epict.*

Homo eum vidit illi aliquem prælatum esse in conuiuio, aut salutationa, aut in dando consilio, gratulari debet illi cui bona ea contigerant, sin mala ne doleat, eáque sibi non accidisse gaudeat, cum illa non agat propter quæ illa parantur, sciat fieri non posse, vt in illa incidat. *Epictet.*

Homo ad sua ita affectus esse debet, vt ipse affectus est ad aliena, vt si filius alterius obiit, omnes dicunt humanum est, idem agendum si ipsi id acciderit, & non flendum, séque miserum appellare. *Epict.*

Homo in familiaribus congressibus non debet commemorare sua facta, non enim vt illi iocundum est ea recensere, sic aliis suaue non est ea audire, & nec risum mouere debet, obseruantiam in se aliorum minuet, & periculum est vt ad obscœnitatam progrediatur, & si quis in hunc sermonem inciderit, vel obiurgari, vel ostendere id sibi displicuisse debet. *Epict.*

Homo eum aliquid facit, non videndum quid vulgus iudicet: nam si perperam facis, rem ipsam fuge, sin recte quid eos veretis qui non recte reprehendunt? *Epict.*

Homo in conuiuijs, & in omnibus rebus iustitiam seruare debet, & sumere, quæ ad corpus attinent, & reuerentiam conuiciatori conseruare. *Epict.*

Homo non debet quod optimum est eligere, sed quæ ipsi accommodata sunt: nam si personam eius assumit, quę suas vires excedet indecore geret, & quam ipse sustinet negliget. *Epict.*

Homo vt in deambulando cauere debet ne clauum calcet, vel pedem distorqueat, sic in degenda vita ne gubernatricem actionum mentem suam lædat, ideo in quaque re caute obseruare debet. *Epict.*

Homo si quis illi malediceret, vel fuerit, opinari debet id ei ex officio esse faciendum, si male iudicet damnum sibi facit, qui decipitur, & sic æquo feret animo dicens, ita illi visum est. *Epict.*

Hominis plebei status est, & nota nunquam s se ipso, nec vtilitatem, nec damnum expectare, sed a rebus externis. *Epict.*

Hominis proficientis signa sunt neminem reprehendere, neminem laudare, vel culpare, accusare, & nihil de se prædicare, quasi aliquid sit, vel sciat, si in aliquo impeditus est, se ipsum accuset, si laudatur deridere laudatorem, si reprehenditur non se defendere, & se ipsum obseruare, vt inimicum, & insidiatorem. *Epict.*

Homo eum præcepta intellexit, ea seruare, & secundum ea cito agere debet, nec differre. *Epict.*

Homo natus in paupertate non debet discere cupe-

cupere, nec ob diuitias, & amictum, & alias res externas efferri debet, sed ob humanitatem, & beneficentiam. *Epist. sent.*

Homines profectò mirabiles sunt illi qui neque viuere velint, neque mori. *Epist. sent.*

Homines lepidi sunt, qui rebus nostræ potestati non subiectis gloriantur, diuitiis, magistratu, solum virtute gloriari oportet. *Epist. sent.*

Homo illustris maxima adiumenta ciuitati afflictæ affert si ipse paucis sit contentus, vt in portubus pyræ paucis sarmentis magnam edentes flammam et rantibus in mari nauibus, multum afferunt iuuamenti. *Epist. sent.*

Homines delictis suis parare defensionis gaudent. *Epist. sent.*

Hominibus, quæ fortuitis casibus contingunt, quam ante quàm sortem habueris, sine perturbatione feras. *Pythagoræ aurea verba.*

Homo purgatur per philosophiam & ad similitudinem Dei traducimur virtute, & veritate; virtuti irrationalis vehementia perturbationum extruditur: veritas diuinam speciem, quam ex natura secum habet, reassumit. *Hieroc.*

Hominem bonum facit ciuilis philosophia per acquisitionem virtutum, inspectiua vero per splendorem intellectus, & veritatis similitudinem Dei exhibet. *Hieroc.*

Hominibus pijs dicebat Apollo Pythius tantum gaudeo quantum cœlo. *Hieroc.*

Homo pius, & religiosus est, qui diuinarum rerum artem habet, & eius perfectionem, tanquam honorem optimum causæ bonorum omnium, hoc est Deo, cum studio acquirendi offert, ac Deum, qui natura bene factor est rependit, & vt capacem accipiendi bona se faciat, eos honorat, qui semper ipsa bona largiuntur. *Hieroc.*

Hominis potestate non sunt corpus, pecuniæ, & simpliciter omnia, quæ extra animum nostrum permanent, non enim in nostra potestate est principatum acquirere, vel seruare, sed in nostra est potestate eas, vel accipere, vel relinquere cum virtute. *Hieroc.*

Homines qui omnino mortem fugiunt, vel cupide pecunias conseruare desiderant, necessarium est magnas exercere iniurias, & contumelias. *Hieroc.*

Hominibus calamitates neque a fato, aut fortuna omnino eueniunt, nec forte, aut casu, nec omnis hominis vita in eorum voluntate ponenda est, sed quæ nos peccamus ad voluntatem nostram referre oportet, & omnia bona principaliter a Deo data, ad prouidentiam referenda sunt. *Hieroc.*

Humanos casus, qui ægre fert, & effœminati luget, sponte sibi dolorem, & ægritudinem auget, tum deditus propter paupertatem mæstitudini impotens omnino fiet, nec sibi ex se aliquid suppeditare poterit, nec a proximis adiutus erit, nisi quis misericordia motus aliquid sibi largiatur quod etiam homini in tanta indigentia existenti mœrorem auget. *Hieroc.*

Hominis diligentiores sunt circa omnes res, quam circa semetipsos, pro quibus diligentiam vehementissimam habere deberent. *Hieroc.*

Homo sapiens non negligit corporis salutem, id enim nutrit ad animæ necessitatem. *Hieroc.*

Homini non est vtile quidquid præter virtutem est, immo damnum est. *Hieroc.*

Homini id maximum affert damnum, quod illum a similitudine Dei abducit. *Hieroc.*

Homo ea facere in omni re debet, quibus roboratur virtus, & firmatur. *Hieroc.*

Hominis vilis, & timidi est dicere, aut facere stulta. *Hieroc.*

Homo malus, & sceleftus suam animam immortalem esse non vult, ne apud inferos iudicem inueniat, ne cruciatus pœnam inueniat. *Hieroc.*

Hominis vita vitiosa molestijs ex necessitate plena est, & doloribus, virtuosa vero suauitatibus, & dulcedine. *Hieroc.*

Homo inferiorum est primus, superiorum vltimus, vt primus Dijs immortalibus comparatur, quia intellectum habet, vt vltimus, quandoq; mortalibus commiscetur, quod eum fit, quia legem Dei præteriit ab dignitate sibi conueniente decidit: nam vt vltimus generum ratione vtentium non semper intelligit, si semper intelligeret non esset homo, sed Deus, & Angelorum ordini misceretur. *Hieroc.*

Homo ex ignorantia existentiæ rerum, & sperat, quæ non sunt speranda, & quæ fieri non possunt excogitat, idem euenit si putet animam mortalem cum corpore ob ignorantiam immortalitatis, quæ animis nostris inest, expectat, quæ expectare non decet, nec vt fiant possibile est idem, qui putant mutari in Deorum genus, aut in feram, & in brutum animal mutari, vel in plantam errat, ignorans firmum, & immutabile, quod per existentiam speciei inest animis hominum: semper enim animus manet, atque homo nunc in Deum, nunc in feram acquisitione vitii mutari dicitur cum naturaliter, neque fera fit, neque Deus, sed aptus ex vtrisque similitudinem accipiat. *Hieror.*

Homo, qui ærumnas relinquere cupit, mortalem naturam primo amoueat oportet, fieri enim non potest, ne malis, quæ illam sequuntur ex necessitate repleatur, vt discessus a Deo nos amissione pennarum ad locum morientium impulit, quibus mala superuenire necesse est, sic remotio a terrenarum rerum mortalium affectione pennas reddit, quibus ad locum ærumnarum vacuum nos abducit. *Hieroc.*

Homines soli a malis liberantur, qui ad disciplinam ostendentem nobis propria bona accedunt, & qui participant societate diuorum virorum, at pauci sunt, qui quo pacto a malis liberentur intelligant, cognoscentes qua forte vtantur. *Hieroc.*

Homo a natura habet vt superiora consideret, inferiora ordinet, ad illa perficienda veritate, ad hæc virtute ciuili indiget. *Hieroc.*

Hominem nefas est ad genus Deorum accedere putare, nisi illum qui animo veritatem acquisiuerit, & virtutum in spirituali ipsius vehiculo puritatem. *Hieror.*

Homo quid videre non potest alterius animum. *Alt. Had. & Epist.*

Homines peccant cupiditate. *Alter. Had. & Epist.*

Homo lassus non fit lucrum faciendo. *Alter. Hadr. & Epist.*

Homo pauper est quem vt puteum desertum omnes aspiciunt, & suo loco illum relinquunt. *Alter. Hadr. & Epist.*

Homo quid est Balneo similis, prima cella tepidaria vnctuaria, infans natus perungitur, secunda

cella sudatoria pueritia est, tertia cella assa per ferentaria iuuentus, quarta cella frigidaria senectus omnibus æquat sententiam. *Alter. Had. & Epict.*

Homo est pomo similis, poma vt in arboribus pendent, sic sunt & corpora nostra, aut matura cadunt, aut si citu acerba ruunt. *Alter. Had. & Epict.*

Homo est vt lucerna in vento posita. *Altercat. Had. & Epict.*

Homo est loci hospes, & legis imago. Calamitatis fabula, mancipium mortis, vitæ mora, quo fortuna sæpe suos ludos facit. *Alter. Had. & Epict.*

Homo duo permixta habet in suo ortu, corpus commone cum cæteris animantibus, & mentem cum Diis, alij ad cognationem inclinant illam infœlicem, & miseram, pauci ad hanc diuinam, & beatam. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 3.*

Humo maledicus, & subdolus nil aliud est, quam vulpes, aut aliquid infælicius. *Arr. Epict. libr. 1. cap. 3.*

Homo appetere non debet, nisi quæ in potestate sua sunt. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 4.*

Homo duobus modis conuertitur in lapidem, vno rationis, altero reformidationis, cum quis ita est obfirmato animo, vt rebus euidentibus assentiendum esse non putet, nec a pugnantibus recedendum. *Arr. Epictet. lib. 1. cap. 5.*

Homo non solum est spectator Dei, & operum Dei, sed & explicator, & eo vsque contemplati ea debemus vbi natura nobis desiit: desiit autem in contemplatione, & intelligentia, & totius vitæ ratione naturæ conuenienti. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 6.*

Homini liberam potestatem Deus dedit, & bene, & male agendi, nec ipse sibi vim aliquam ad eam probandam, vel impediendam reseruauit. *Arr. Epictet. lib. 1. cap. 6.*

Homo si tanta contentione ad munera animi accederet, quanta ad externa, fælix esset. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 10.*

Homo si perfectus esse vult, se exercere primo debet in minimis rebus, & ab iis facto initio ad maiora transeundum. *Arr. Epictet lib. 1. cap. 18.*

Homo est animal ratione particeps mortale, rationis vsu eum separamos a feris, & ab ouibus, & aliis eius generis si ventris causa cum propter inguem, cum temere, cum sordide, aut inconsiderate adoues declinat, si pugnaciter, noxie, iracunde, impetuose ad feras declinat. *Arr. Epict. li. 2. cap. 9.*

Homo si grammaticam, si scientias, si res externas amittit in damno ea deputat, si modestiam, mansuetudinem, & verecundiam amiserit nihili pendit, & priores sunt res externę, & non voluntarie perire possunt. hæc autem sua culpa, illa nec amittere, nec habere turpe est, hæc & non habere, & amittere probrosum, & calamitosum est, nemo enim sine iactura malus est. *Epict. libr. 2. cap. 10.*

Homines his rebus student, eaque amant, quæ bona sunt, sed si non cognoscit, & bona, & mala putans bona esse amat, sapiens solum bona tantum amat, & non mala, alij nihil perinde amant, atque vtilitatem, & id quod vtile, bonum esse credunt. *Ar. Epict. lib. 2. cap. 22.*

Hominis vitiosi animus inconstans est, iudicij expers alias aliis vincitur visis. *Ar. Epict. lib. 2. ca. 22.*

Homo bonus in tribus se exercere debet, in appetitione, & auersione, vt neque appetendo frustretur, neque aduersando in id incidat, quod nō vult, alter in animi concitatione, & auocatione, itemque officij locus, vt ordine, vt considerate, & non negligenter res administret, tertius versatur in eo ne fallamur, & frustra habeamur, denique in assensionibus horum præcipuus est is, qui in perturbationibus versatur. *Arr. Epict. lib. 3. cap. 2.*

Homo duo a se auferre debet arrogantiam, & diffidentiam, arrogantia est eorum, qui sibi nihil deesse putant, diffidentia eorum qui existimant se inter tot casus rebus prosperis vti non posse, arrogantiam tollit reprehensio, diffidentia necat philosophia, quæ ostendit quomodo sine impedimento appetitione, & auersione vti liceat. *Ar. Epict lib. 3. cap. 14.*

Homo in quacunque actione priusquam eam facere aggrediatur, antecedentia, & consequentia, atque naturam suam considerare debet si placet aggredi, sin non relinquere oportet. *Ar. Epict. lib. 3. cap. 15.*

Homo ex omnibus rebus externis fructum capere debet, ex malis hominibus, morte, & omnibus aliis. *Arr. Epict. lib. 3. cap. 20.*

Homo cum aliqua re afficitur, ea sic affici debet, vt eripi illam posse statuas, & perturbatione vacandum esse si eripitur, & omnia tibi data esse, vt terræ fructus, qui tempore congruo dati sunt, quo transacto non amplius haberę potes. *Arr. Epict. lib. 3. cap. 24.*

Homo semper cogitare debet à Deo in hoc mundo factum esse, & curare debet suam stationem rite tueri, & Deo suam præstare obedientiam, si Deus non illo eget in hoc mundo amplius, in discedendo parendum, vt liber, vt mandatorum Dei obediens, & hæc noctu, hæc interdiu cogitare, nosce enim oportet se natum esse mortalem. *Ar. Epict. lib. 3. cap. 24.*

Hominis proprium est contemptus mortis, appetere, aut non appetere, abhorrere, ab aliqua re, reliqua sunt aliena. *Ar. Epict. lib. 3. cap. 26.*

Homo surgens è lecto mane statim cogitare debet, quæ illi desunt ad vacuitatem perturbationum, & quid ad animi tranquillitatem, quid fuit à societate alienum, quid neglectum fuit. *Ar. Epict. lib. 4. cap. 6.*

Homo cum aliquid boni facere debet tunc facere: nam si se emendare vult hodie, & dicat cras animaduertam, nil aliud dicit quam hodie ero impudens, importunus, abiectus, penes alios erit me dolore afficere, irascar hodie, inuidebo: si cras conducit, multo magis hodie, vt in cras possis, nec in tertium diem reiicias. *Ar. Epict. libr. 4. cap. 12.*

Homines qui his præceptis à Epicteto traditis obtemperant, vitam beatam possident, nec tamen necesse habent post mortem remunerationem polliceri, quamuis & hæc omnino secutura sit. *Simplic. in proœm. Epictet.*

Humo vulgaris demersus in materiæ sordibus, ab eáque oppressus, non est magis rationis particeps, quam animal brutum, ac verbo potius homo quam re ipsa, qui vero verus homo est id curet, vt corpori mens imperet, & corpore, vt instromento, vtatur. *Simplic. in proœm. Epict.*

Homo est, animus rationis capax, qui corpore, vt instrumento

ſtrumento quodam vtimur. *Simp. in proœm. Epict.*

Hominem, qui curare vult curet animum, nam qui corpus curet, non hominem, ſed inſtrumentum curat, qui pecuniam curet, & id genus alia, non hominem, non inſtrumentum, ſed quæ inſtrumento ſeruiunt, curat. *Simp. in proœm. Epict.*

Hominum animi corporis addicti deſideriis libertatem ſuem amittunt. *Simp. in Epict.*

Homo bonum ſuum, ac malum in ſemetipſo poſitum habet. *Simp. in Epict.*

Homo cum afficitur iis, quæ ſui iuris non ſunt, ſi ea eripiuntur, ea etiam amittit, quæ in ſua poteſtate ſunt, & quo illi nemo eripere poteſt, rectum appetitum, & rectam declinationem. *Simplic. in Epict.*

Hominis boni, & ſapientis, vita iucundior eſt, alioqui non eam amplecteretur, & in ea ſuauiter non acquieſceretur. *Simp. in Epict.*

Homo relinquere debet, quæ cum animi ratione præditi vita non conſentiunt, vt ſordidæ diuitiæ principatus imperia, deliciæ, & corporis voluptates: differre vero debet res externas, quæ prudenter tractatæ bonis animi non officiunt, vt parate domum, vel ſeruitium, legitimæ nuptiæ, ingenuorum liberorum procreatio, iuſtus magiſtratus, & aliquando rerum neceſſariarum curatio. *Simp. in Epict.*

Homines qui à praua conſuetudine ad meliorem vitæ rationem tranſire incipiunt, primum euomere debent malę vitæ venenum, & tum demum bonæ vitæ cibis ali. *Simp. in Epict.*

Homines res externas deſiderantes ſeruis infæliciores ſunt: nam illi inuiti abſurda herorum mandata exequuntur, illi autem & lætantur, & rationes comminiſcimur, quibus ea conſequamur. *Simp. in Epict.*

Homo cum aliquid rerum externarum illi accidit, quæ malum videatur aſſueſcere debet ad taciturnitatem, donec æſtum animi deferbuiſſe intellexerit, & canem ſuum internum latrare deſiiſſe: Socratem enim vehementer commotum tacuiſſe aiunt. *Simp. in Epict.*

Honor omnis non eſt admittendus, ſed prudentum tantummodo, quorum teſtimoniis tuto credi poteſt. *Simp. in Epict.*

Homo mereri de omnibus non poteſt, & ſi voluntes in ipſo eſt, facultas autem non eſt in ipſo, multę enim aliarum cauſarum adiutamenta deſiderat. *Simp. in Epict.*

Homines deſideriis fruſtrantur, & in his, quæ fugimus incidimus, ideo herum rerum auctores odimus, nec non eos qui cum poſſunt non auerſant eas à nobis, ſed conniueant. *Simpl. in Epict.*

Homo ſi differt vne die ad bona peragende preſſio petit vnoquoque die nota quædam imprimitur, & vel boni, vel mali qualiſcunque ſit acceſsio. *Simpl. in Epict.*

Homines omnes impoſtura ſeducit, errorem, & ignorantiam propinens. *Cebetis Tab.*

Homines naſcentes genius mandet quid eis faciendum, in vita, ſed impoſtura illis propinat errorē, & ignorentiam, hanc ſequuntur opiniones, cupiditates, & voluptates quas ſinguli emplectuntur quo homines amplectuntur aliæ ad ſalutem, aliæ ad interitum, ſed ob poculum impoſturæ quem biberunt temere oberrant. *Cebetis Tabula.*

Homines fortunæ bonis ditati incidunt in incontinentiam, luxuriam, auaritiam, aſſentationem, quæ eos amplectuntur, eiſque pollicentur vitam ſuauem, & delicioſam, & omnis moleſtiæ expertem, ſi quis amplexus fuerit eas, ad tempus vita iocūda fruuntur, & ſi talis nō ſit, at vbi reſipiſcit ipſis ſeruire cogitur, omnie perperi indecoréque ſe gerere, & omnia pernicioſe cōmittere, & pœnæ traduntur mœſtitiæ, ærumnæ, luctui, & deſperationi: deinde infælicitati, in qua ſemper manet, niſi pœnitentia forte fortuna ei occurrit, quæ ei opinionem, & voluptatem aliam inſerit ad verem eruditionem, cum perduxeris. *Cebet. Tab.*

Homo ad veram eruditionem via ſatis ardua accedit, & eum ad hanc viam conducunt continētia, & tolerantia, quę hortantur homines ne deſperēt per ignauiam, & fore vt poſt parui temporis difficultatem in amœnam viam perueniant, & vbi ad rupem peruenerint eis dant robur, & fiduciā, ac eos perducturos ad veram eruditionem pollicentur, & eam facilem eſſe viam oſtendunt & perducunt eum in pratum amænum in locum Beatorum in quo omnes Virtutes ſunt, & beatitudo, & ibi eſt firma eruditio aſſociata à merito, & ſedulitate, eius munera ſunt ſecuritas, vacuitas à perturbatione, & fiducia, & purgato homine ad Virtutes eum ducunt, quę ad beatitudinem eum perducunt, quę eum coronat corona beatifica, & & tunc omnibus affectibus dominatur. *Cebetis Tabula.*

Hominibus in vitam intrantibus genius præcipit vt bonis animis ſint, fortunæ fidem haberi vetat, & nihil firmi haberi, quod illi acceptum refertur: idque eius ingenium monet, vt quæ dederit, eripiat, & rurſus plura largiatur, & rurſus auferat ea, quæ dederat, & reliqua, quæ habebat, & iubet quidquid ab ea datur, quam primum ad conſtantem, & tutam largitionem accedi, quam ab eruditione ſunt accepturi, & ea eſt vera ſcientia, rerum vtilium, largitumque conſtans tuta, & immutabilis, & a luxuria, & cæteris vitiis aufugere, & a falſa eruditione diſcedere, & ei nullam fidem habere. *Ceb. Tab.*

Homini genus præcipit vt à falſi nominis eruditione accipiat literas, & cæteras diſciplinas, quo ad veram eruditionem, & ſi nihil conferunt, commodæ tantum ſunt. *Cebetis Tabula.*

Hominis perfectio, inquantum eſt homo, eſt cognoſcere veritatem per ſe, & bonum propter acquirendum eum. *Auic. log. par. 1.*

Hominis ſingularis eſſentia eſt humanitas. *Auicen. log. par. 1.*

Homines quidam ſunt verorum inſomniorū, quod ſit cum anima eius conſueuit dicere verum, & vincere fallacem imaginationem, pluribus contingit percipere, & allegorizare ſomnium ſuum, quorum anime ſolicita fuit circa id quod vidit, & cum dormiunt remanet eadem ſolicitudo, & virtus imaginatiua incipit repræſentare contrarium eius, quod repræſentauerat antea. *Auic. de anima, par. 4. cap. 2.*

Homines facile diſcunt, qui facile imprimunt, quod audiūt, & in hoc neceſſe eſt humor memoriæ vero neceſſaria eſt materia a qua difficulter deletur, quod imprimitur, & neceſſaria eſt ſiccitas, & difficile eſt habere hæc duo ſimul. *Auic. de anima, par. 4. cap. 3.*

Homo ſolus non poteſt per ſe acquirere neceſſaria ipſi, ſed hæc preparat ex conſortio, quia alius hoc præparat alius illud. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homini necessaria est vox, quæ diuiditur in multa elementa, ex quibus fiunt multæ compositiones sine labore corporis, post vocem est nutus, sed vox magis indicat, quam nutus. *Auic. de anima, par 5. cap. 1.*

Homo habet multas proprietates actionum ab anima procedentium, quæ non inueniuntur in aliis animalibus quarũ prima est esse hominis, quòd non potest permanere sine societate in sua vita. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homo propter societatem hoc proprium habet, vt ex actionibus, quas solet agere sint quædã quas non licet agere, quod docetur dum est puer, & conualescit in eo, & a pueritia sua consueuit audire, quòd non est licet agere, ita vt earum contemptio fit quasi naturalis, aliæ sunt diuersæ ab his, primas appellat turpes, & has honestas. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homo habet proprium quod habet necessitatem ad discendum, & docendum, & alia, quæ inducit eum ad dandum, & accipiendum iuxta mensuram iustitiæ, facere conoentur, inuenire & artes. *Auic. de anima, par. 5. cap. 22.*

Homo si solus esset moreretur, aut vita eius esset mala, & peior quam esse potest, propter nobilitatem hominis, & ignobilitatem cæterorum animalium, *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homo proprium habet, vt cum apprehenderit aliquid, quod rarissimum est sequitur admiratio, quam sequitur risus, at cum apprehenderit aliquod noxium sequitur anxietas, & postea luctus. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homo de possibilibus cogitat, non enim cogitat de impossibilibus, & necessariis, ne de præteritis, & hinc oritur virtus desideratiua. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homo futura præuidet, quæ debet facere, & quando, & quod est magis proprium est formare intentiones vniuersales, intelligibiles, omnino abstractas à materia, & ex cognitis intelligibilibus progredi ad incognita credendo & formando. *Auic. de ani. par. 5. c. 1.*

Homo habet virtutem, quæ propria est conceptionum vniuersalium, & aliam qua cogitat de conceptibus singularium de eo quod debet fieri, & dimitti, quod prodest, & quod obest, quod bonestum, quod inhonestum, quod bonum, & malum, & fit ad modum syllogismi. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homo habet iudicans sensibile, iudicans imaginabile, iudicans existimabile, iudicans contẽplans, iudicans agens. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Homines ita sunt apti ad discendum, vt aliqui non indigeant multis ad coniungendum se intelligentiæ, qui gradus est omnibus altior, & intellectus iste debet vocari intellector secondus, quia est illius generis, vt intellectus in habitu. *Auic. de anima, par. 5. cap. 6.*

Homo solus coit in somnio. *Auicenn. de animalib. lib. 5. cap. 2.*

Homo non bene luxuriat nisi ad sexaginta annos in regionibus calidis, & mulier vsque ad quinquaginta, sed in pluribus vsque ad quinquaginta viri, & fœminæ ad quadraginta nouem. *Auicen. de animal. lib. 5. cap. 2.*

Homo fuit in terra Denasaciæ quem si serpentes mordebant, moriebantur, & cum Auicenna iuisset in illa terra inuenit eum mortuum, sed eius filius fecit plura mirabilia, inter quæ fuit, quòd quando eum momordit serpens ferè moriebatur, & sour anhelitur occuit serpenti. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 2.*

Homines cum nascuntur sunt sicut flores, & cum possunt luxuriare sunt quasi fructus, & signum initij iuuentutis est vocis mutatio. *Auic. de anim. lib. 9. cap. 1.*

Homines, qui multum coeunt cito senescunt. *Auic. de animal. lib. 9. cap. 1.*

Homines si in anno quattodecimo luxuriantur statim vox iuuenis venit in completam mutationẽ vocis virorum, & quidam valde diu conseruant vocem primitiuam, tunc crescunt mamillæ, & fissuræ inguinum abscondumur propter siccitatem cartilaginis ibi existentis, & generatur sperma, & fit forte post vigesimum secundum annum, & mulieribus veniunt menstrua, & incipiunt crescere earum mamillæ, & vox mulieris tunc mutatur, & tempore menstruorum mulieres multum appetunt, & quanto magis coeunt tanto magis appetunt, & multoties aufertur epilepsia cum peruenit ad quartum decimum annum. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 1.*

Homo habet caput duplum maius, respectu sui corporis, quàm cætera animalia, quia eius magnitudo est necessaria multum, virtutibus animalibus, & spiritualibus, & cogitationibus rationis, quæ non habent cætera animalia. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 6.*

Hominis virga cum est longa non multum generat propter longitudinem viæ. *Auicen. de animalib. lib. 15. cap. 1.*

Homo est fortior omnibus animalibus in coloribus oculorum. *Auic. de animal. lib. 19. cap. 1.*

Homo inter homines nobilior est, cuius anima fit intelligentia in effectu, & acquirit mores, qui sunt honestatis practicę, & ex his ille excellentior est, qui est aptus ad prophetiam. *Auicen. metaphysic. tract. 10 cap. 1.*

Homo non debet reddere malum pro malo. *Auic. metaph. tract. 10. cap. 1.*

Homo solus non posset sufficere gubernationi sui ipsius, sine consortio alicuius adiuuantis se in necessitatibus suorum negociorum. *Auicen. metaphy sic. tract. 10. cap. 2.*

Hominem nogacem è domo eijciendum, Græca sententia est. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Honestas æterna est cum improbo viro in morte omnia pereunt. *Epict. sent.*

Honora in primis figuram, & anee, & figuram, ac pretium donariorum trium. *Pithag. symb.*

Hospes nullo modo violandus est, sed defendendus. *Simp. in Epict.*

Humanitatis est parcere sic fuit Lycurgus qui eiecm instituit, a quo mulctatus altero fuit oculo, & Pittacus quendam a quo læsus fuerat dimisit, sic tu cum nihil ferociter egeris nullius facti te pœniteb it, nec vnquam accusaberis. *Epict. sent.*

Humanus animus rationis particeps, triplici ratione preditus est, vna qua ad deterius, corporeum illud, & brutum, altera, qua ad se ipsum, tertia, qua ad id, quod præstantius est mouetur, triplicem quoque vitã, & appetitionem habet; cum corpori, & brutæ vitæ dederit sese, tunc illius egestatem suam esse ratus, necessario vna cum illo appetit, & hæc est appetitio illius, quæ libertatem controuersam habeat, cum vero vitam suam

viuit,

viuit, aut præstantiorem, tunc appetitionem eius vitæ consentaneam, & eius bonum desiderantem, & tunc animi est auctoritas, vt hæc vel illa desideret, & delectus verus est qui præstantiora amplectitur, non sæpe fit vt corpore appetente cibum animus vltro ieiunium desideret, vel propter legem itaiubentem, vel corporis cura. *Simp. in Epict.*

Humanus spiritus generatur ex elementis, & efficit vultum ad similitudinem cœlestium corporum. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 5.*

Humanus animus adhuc depressus phantasiis, potest si pure vixerit inferiorum se causas causatas comprehendere. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Humiditatum sunt quatuor humores, & postea illa humiditas, quæ est in mulieribus, quæ est superfluitas sanguinis. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Humidum est continuatio partium, non in vltimo, sed erunt sparsæ hinc inde. *Auicen. de cælo, & mundo, cap. 16.*

Humiditas, quæ præcedit partum masculi est quasi aqua saniosa, fœminæ vero est sanguinolenta. *Auic. de animal. lib. 9. cap. 5.*

Humidius in corpore est flegma, post sanguis, pinguado, sepum, & postea medulla, post nucha, post caro mamillæ, testiculi, pulmones, epar, & spleo, renes, musculi, & cutis, sed pulmo non est multum humidus. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 2.*

Humiditates humorosæ sunt bonæ, & sunt sanguis, cholera, melancholia, & flegma. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 5.*

Humiditatum corporis quædam sunt primę, vt quatuor humores, quædam secundæ sunt quædam superfluitates & humiditates, & sunt trium modorum, vna quæ dispergitur per membra, vt ros, & est habilitata vt transeat in nutrimentum cum membrum habuerit dissolutionem, & humefeat mambra cum sint exsiccata per aliquem motum fortem, secunda humiditas est, quæ propria est coagulationi, & est eibus alteratus ad membra secundum speciem complexionis, tertia est intraos membra a principio crementi, & suum initiũ fuit a materia embrionis, & eius initium fuit ab humoribus. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 5.*

Humor est corpus humidum concurrens, & alteratur ad bonum, & est vna pars quæ accidit ex substantia cibi. *Auic. de animal. lib. 12. ca. 5.*

I



IDAM est cum multa vno modo ponuntur vnum, & hoc per accidens in quantitate dicuntur æqualia, in qualitate similia in relatione comparatiua, in substantia si sunt idem genere dicuntur homogenea, & si in specie talia, & idem propria conuenientia. *Auic. metaph. tr. 7. c. 1.*

Ignem gladio ne scalpas. *Pythag. symb.*

Ignis natura sua est calidus, & siccus, & maior vis caloris est in eo, quod tangit cœlum, & illi propioquior est, & ita dissoluitur vltra modum, quousque deueniat ad vltimum siccitatis. *Auicen. de cælo, & mundo, cap. 16.*

Ignis non potest induci ad finem vtilem, qui intenditur per ignem, nisi esset adurens, & dissoluens, & ideo hæc comitantur necessario, vt noceat, & destruat multa. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Ignem gladio ne scalpas, alij interpretantur potentiorum iram, & superborum non commouendam, alij malitiam & impotentiam, alij furantem, & iracundum non irritandum, vel diuinam naturam non gladio linguæ impetendam, & maledicentia. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symb.*

Ignem symbolum esse diuinæ naturæ, ideo in templis seruatur, ait Porphyrius. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symbola.*

Ignorantia malitiam induxit, sed rerum peritia opportunitatem quærit; nam multa quæ bona sunt, & virtuti innituntur mutatione temporis fiunt vitiosa. *Hierot.*

Ignorantia vbi est, ibi & inscitia, & mala rerum necessariarum disciplina. *Ar. Epist. lib. 1. cap. 11.*

Ignotum non ostenditur per ignotum. *Auicen. logic. par. 1.*

Illa deuita quæ inuidiam concitant. *Pythagora aurea verba.*

Illius esto tripos cuius sapientia vincit. *Appollinis problemat.*

Illustratio diuina tollitur, si quid inquinatum, aut perturbatum diuinorum operum inest, vt si elementa sermoni subtrahuntur, aut immutantur, non manet eadem sermonis forma. *Simp. in Epict.*

Imaginatiua vis imprimit sibi formas rerum materialium, vt materiales, sed nudas a materia, aliquo modo abstractionis non perfectæ. *Auicen. de anima, par. 1. cap. 4.*

Imaginatio est vis ordinata in extremo anterioris concauitatis cerebri retinens quod recipit sensus communis a quinque sensibus, & remanet in ea post remotionem illorum sensibilium. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Imaginatio fit cum abstrahitur forma à materia maiori abstractione, ita vt abstrahendo consideret formam a materia separatam. *Auicen. de anima, par. 2. cap. 2.*

Imaginatio est quasi conseruatrix, & formæ, quæ sunt in ea non sunt semper imaginatæ ab anima in effectu. *Auic. de anima, par. 3. cap. 8.*

Imaginatiua est thesaurus eius, quod apprehendit sensus cuius locus est anterior pars cerebri, vnde cum contingit in ea infirmitas, corrumpitur hic modus formalis, aut ex imaginatione formarum, quæ non sunt, aut quia est difficile ei stabilire id quod est in illa. *Auic. de anima, par. 4. cap. 1.*

Imaginationem retrahit anima a sua actione propria duobus modis, vno eum occupatur anima sensibus exterioribus, & conuertit virtutem formalem ad operandum in suis exterioribus, & mouet eam per id, quod reddit ei de illis, ita vt non permittit imaginatiuam cogitare; alio modo anima præualet super eam in suis actionibus, quæ comitantur eidem cognitione, & cogitatione, & hoc duobus modis, vno cum dominatur imaginatiuæ, & subiicit eam sibi, & sensum communem cum ea ad componendum formas aliquas, & disiungendum, sed quod appetit anima vehementer, vnde non licet imaginatiuæ agere, quod debebat agere naturaliter, sed trahit ad partem, quam trahit eam anima rationalis: alio cum reuocat eam ab imaginationibus, quę non assimilantur rebus extrinsecis, & retrahit eam ab ijs falsificando eas. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 2.*

Imaginatiua virtus in aliquibus hominibus est fortissima, ita vt sensus ei non dominatur, nec formaliter ei resistat. *Auic. de anima, par. 4. cap. 2.*

Imaginatio non potest imaginari nisi forma imaginabilis descripta fuerit in illo corpore, idest cerebro descriptione, quæ fit communis virtuti, & corpori. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 3.*

Imaginatio, concupiscentia, & ita sunt affectiones animæ, vt anima habet corpus, & sunt corporis, quamuis sint animæ ex hoc quod est habens corpus, & sunt corporis ex hoc quod principaliter sunt animæ ipsius corporis, quamuis sit animæ quod habet corpus non dico ex corpore. *Auic. de anima, par. 4. cap. 4.*

Immobile quod est eodem modo semper se habet, quod aliunde mouetur mouentis expectat facultatem. *Simplic. in Epict.*

Imperatoris iniussu non decedendum a præsidio, idest noli sponte ex hac vita migrare. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symb.*

Imperium est optimum depicti ligni, idest legum. *Pittaci problem.*

Impietas est omnium malorum maximum.

Imprægnatio fit cum duo semina concurrunt simul, sed cum non concurrunt non fit impregnatio. *Auic. de animal. lib. lib. 10. cap. 1.*

Improbitatem qui aspicit in diuitiis, & fortunæ splendore, non debet præcellere diuitiarum magnificentia, sed peruersitatem morum aspernari debet, vt viperam in aurea cista videns, non ob materiæ pretium deliges, sed ob pestiferam naturam aduersari debet. *Epict. sent.*

Impurum purum complecti nefas est. *Hierocl.*

Inane nihil est. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 8.*

Inceptio alicuius rei non est aliud, quam esse postquam non fuit. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 1.*

Incipiens est: omne iam debet esse tunc, quia postquam eius causa debet esse tunc, & ipsum debet esse. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 2.*

Incognitum duobus modis, secundum intellectum, & secundum credulitatem, & ambo hi modi non fiunt cogniti, nisi acquirendo, & non acquiritur, nisi ex prius cognito, & ex affectione, & proprietate, quam habet illud cognitum, propter quam mouetur animus à scientia cogniti ad sciendum incognitum. *Auicen. log. par. 1.*

Incogniti cognitioni prosunt definitio, descriptio, exemplum, signum, nomen. *Auic. log. par. 1.*

Incorruptibile non generatur, nec corrumpitur, quia non habet contraria, & hoc ei aduenit ex parte suæ formę, quæ prohibet eius materiam ab eo, quod est in natura eius, non ex parte materiæ obedientialis, & sic hyle est communis. *Auicen. sufficient. lib. 1. cap. 3.*

Indiuiduum non fit indiuiduum, nisi cum adiungun tur naturę speciei proprietates extraneæ commu nicantes, aut non communicantes, & designatur ei aliqua materia hæc, vel illa. *Auic. log. par. 3.*

Indiuiduum vt homo singularis fit cum voitas coniungitur humanitati, & non ideo est species, quia est coniunctio ex natura, & accidente, vel non comitante, vel comitante, sed non constituente, & quæ sunt huiusmodi non constituunt speciem. *Auicen. log. par. 3.*

Indiuidualitas est de dispositionibus, quæ accidunt naturis subiectis generalitati, & specialitati, vt accidit ei generalitas, & specialitas. *Auic. log. par. 3.*

Indiuiduum est quod non potest intelligi posse prædicari de multis. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 1.*

Indiuiduum, vt succedat post indiuiduum non est finis naturæ vniuersalis, quæ est virtus infusa in substantias coelorum, quasi gubernantem vniuersitatem generationum, sed naturæ particularis, quæ est virtus propria regiminis vnius indiuidui. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Ineruditi sæpe, & multum peccat quod ob affectionum commotionem, & ob rationis ignorationē verum bonum, & malum nondum iudicant, neque se a bruta natura, vel nuda cogitatione remouerint. *Simpl. in Epictet.*

Infælix is est, qui infælicitatem ferre non potest. *Biantis problemat.*

Ingenitis rebus in potentia id, quod prænalet impossibile est esse corpus, aut virtus, quæ sit in corpore. *Auic. de anima, par. 5. cap. 2.*

Ingenij tardi signum est in rebus corporis immorari, cum omnia ad animum est transferenda. *Epict.*

Iniuriam, qui intulerint, iniuriam quoque pati oportet, nam diuinum iudicium purgat homines ns vitiis, quæ impedimento esse videntur ad fælicitatem humanæ vitæ. *Hierocl.*

Incuria est finis ad quem peruenit motus si fuerit finis desideratus imaginatione, non cogitatione. *Auicen. metaph. tract. 6 cap. 5.*

Instans non haber esse in actu vllo modo, sed in intellectu, & in comparatione ipsius temporis, sed non est eius esse, nisi inquantum accipitur in intellectu continuans distensionem in directum. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 12.*

Instans primum in quo quid fuerit quietum, mobile, generatum, & corruptum non est: nam tempus diuiditur in potentia infinite, & falsum est dicere instans, aut destruitur paulatim, aut extenditur finis eius cum eo ad nihilum, aut subito destruitur, & tunc eius destructio fiet in instanti. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 12.*

Instans aliquando sumitur pro tempore propinquo præsenti instanti, nam intellectus aliquando non percipit prioritatem vnius, & posterioritatem alterius, & sunt aliquando tantum inter se proxima quod intellectus non percipit inter illa, nisi eum mora, & diu considerauerit. *Auic. suffic. libr. 2. cap. 13.*

Instans est in tempore, vt vnitas in nomero, prius & posterius in tempore, vt par impar in numero hora, dies, mensis, & anni, vt duo, tres, & quatuor in numero. *Auic. suffic lib. 2. cap. 13.*

Instrumentum suum qua quis apprehendit aliquid apprehendere non potest. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 2.*

Insufficiens est id, quod eget alios, quod attribuat sibi completionem post completionem. *Auic. metaphysic. tract. 4. cap. 3.*

Intellectus rerum alius est ab vsu, Dei operibus vtuntur bruta, nos autem & vtimur, & intelligimus. *Ar. Epictet. lib. 1. cap. 6.*

In intellectu sunt, aut res formatæ in intellectu apprehensæ extrinsecus, aut res accidentales ei secundum quod sunt in intellectu, quę non fuerunt repræsentatæ in aliquo extrinseco. *Auicen. log. par. 1.*

Intellectiua vis est, quæ apprehendit, & vnit in se formas rerū, prout sunt separatæ a materia, & ab omnibus appendiciis eius, quas accidit esse, aut figura, aut numerus. *Auic. de anima, par. 1. cap. 4.*

Intellectiua virtus abstrahit intelligibilia a quantitate designata, & ab vbi, & a situ, & a cæteris omnibus. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Intellectiua virtus intelligit se ipsam, per se ipsam, non

non per instrumentum. *Auicenn.de anima, part.5. cap.2.*

Intellecta forma, quæ emanat à virtute, quæ acquirit animæ intelligere cum voluerit, coniungitur intelligentiæ est intellectus adeptus. *Auic.de anima, par.5.cap.6.*

Intellectus habetur ab vno solo verbo, sed in paucis contingit. *Auic.log par.1.*

Intellectus materialis tunc dicitur cum anima nondum recipit aliquid de eo, quod est perfectio quantum ad eam, vt materia prima, quæ nullam habet formam, sed est subiectum omnium formarum. *Auic.de anima, par.1.cap.5.*

Intellectus ex habitu est cum formæ intelligibiles inceperint in illo consistere adeptæ post per se nota, siue intelligibilia prima, sed non considerat illa, nec conuertitur ad illa in effectu, nisi vt sunt repositæ apud eum, vt cum voluerit considerare illas formas, & intelligat eas, & intelligat se eas intelligere. *Auic.de anima, par.1.cap.5.*

Intellectus accommodatus est cum intellectus qui est in potentia vnitur cum eo qui est in actu. *Auic. de anima, par.1.cap.5.*

Intellectus actiuus eget corpore, & virtutibus corporalibus ad omnes actiones suas, contemplatiuus vero eget corpore, & eius virtutibus, sed non semper, nec omni modo, sufficit enim ipse sibi per se ipsum. *Auic.de anima, par.5.cap.1.*

Intellectus habet potestatem multiplicandi intentiones, quæ sunt vna, & adunandi, quæ sunt multæ. *Auic.de anima, par.5.cap.5.*

Intellectus quod non possit formare ea, quę sunt in vltimo intelligibilitatis & abstractionis à materia, hoc non accidit ex eo, quod sit in essentia ipsarum rerum, nec ex aliquo quod sit in natura intellectus, sed quia anima impedita est in corpore ex corpore, quod in multis agit corpore. *Auicen.de anima, par.5.cap.5.*

Intellectus cum apprehendit aliqua inter quæ est prius, & posterius solet intelligere cum illis tempus necessario non in tempore, sed in momento. *Auic.de anima, par.5.cap 5.*

Intellectus subtilissimus res aliquando apprehendere non potest, quia excederet eum, debilia autem, vt motus, & tempus, & materia aliquando difficile intelligit, quia sunt debilis esse. *Auic. de anima, par.5.cap.5.*

Intellectus non apprehendit priuationes in effectu absoluto, sed per habitum eius. *Auicen. de anima, par.5.cap.5.*

Intellectus noster purus non habet multitudinem vllo modo, nec ordinem formarum, ipse enim est principium omnis formæ ab eo emanantis in anima. *Auic.de anima, par.5.cap.6.*

Intellectus noster est intellectus intelligēs formas, & creās illas, non cuius est formare, aut quia est in forma animæ formare enim animæ hominis sapientis, vt anima est formare, ordinare, & distinctę. *Auic. de anima, par.5.cap.6.*

Intellectus noster prius quam in memoriam, & in cognitionem veniat non irrationabiliter dicitur non esse, est enim per se inuisibilis, dum autem in cognitiones venerit, & ex quibusdam phantasiis formam acceperit, non immerito dicitur esse. *Auic.de intell cap.5.*

Intellectus in potentia est ipsæ tenebrę, cui cum appropinquat intelligentia agens, & coniungitur ei illuminat ipsum, vt secundum quantitatem sui luminis recipiat formam ab intelligentia agente, in qua est formatum multitudo, & per eius receptionem fit intellectus in effectu. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intellectus in effectu est ad modum visionis in effectu, sicut tria concurrunt ad visionem intellectus intellectum, & lux. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intellectus in potentia est vis animæ apta comprehendere, & rerum quidditates, & formas singulas, quæ sunt in materia corporali. *Auicen.de intellig.cap.4.*

Intellectus in anima humana duo sunt in potentia, & in effectu. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intellectus debet esse impassibilis, passibili enim existente ipso accidit illi, vt circa sensum, dolet enim sensus in sentiendo valde sensibile, at intellectus delectatur, & non læditur. *Auicen.de intellig. cap.4.*

Intellectus animę humanę exceditur à causa prima, tunc fit quod omnis intellectus animæ humanæ exceditur à causa prima, & non sufficit ad apprehendendum eam, nisi secundum quòd confertur ei de lumine causæ primæ, & propterea quæ abundantius recipiunt, excellentius apprehendūt. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intellectus in effectu proprium est, vt sit non rationis pars, sed terminus, & perfectio. *Auicen.de intelligent.cap.4.*

Intellectus coniungit res cum rebus propter diuersitatem respectuum, non propter necessitatem. *Auic.metaph.tract.3.cap.10.*

Intellectus est inquisitor veræ, & puræ voluptatis, & hæc inquisitio appellatur electio. *Auic.metap. tract.9.cap.2.*

Intelligentia habet hoc ex hoc, quod est principiū, & substātia agens, & creans, quod autem est eius proprium est principalitate eius ad animam est eius intelligibilitas in effectu, quod vero est proprium animæ ex hoc quod informatur ex ea, & recipit ab ea est eius intelligibilitas in effectu. *Auic.de anima, par.5.cap.6.*

Intelligentia est prima creaturarum intellectualiū, & est omnibus creaturis melior, & sapientior, quoniam ipsa omnium, quæ post se sunt causas videt, in ipsa enim sunt quædam theophaniæ, id est intellectuales naturæ quædam diuinæ apparitiones non ipsa principalia rerum exempla. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intelligentia omnis est locus rationis, vel definitionis quam continet, & non aduersatur illi, vt sit locus diffiniti. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intelligentia dum intelligit, est possibilis in se ipsa, & habet naturam intellectualem in se ipsa ex quo sit, vt ex ea causæ descendant diuersimode propter varias rationes quas inuenimus in illa, licet non descendant ex ea descensu considerato per hos modos & rationes, nisi quia intelligit eas in se ipsa. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intelligentia quòd componatur ex multis intelligentiis non fit nisi propter multa intellecta, quæ sunt apud illam. *Auic.de intellig.cap.4.*

Intelligentia est causa rerum, quæ exeunt ab ea, sed per modum suum per quem intelligit ea, nam in ipsa sempiterna sunt, quamuis res sint destructibilis. *Auic.de intell.cap.4.*

Intelligentia intelligit se ipsam, vt causas intelligat in effectibus, & appareant ei in illis, sed non apparent causæ in effectibus suis, nisi postquā pro-

cesserunt ex intelligentia intelligente eas in se ipsa, igitur intelligentia intelligit se ipsam, vt exirent ab illa ea, super quæ tradit suum regiman, & hoc est regimen post primum nobilius. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia superior imprimit formas quas recipit ab vniuersali primo, intelligentiæ inferiori quæ cum ea est, & inferior intelligentia recipit eas non per modum receptorum, sed recipientis, quoniam in ea sunt minoris vnitatis & maioris multiplicitatis. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia omnis primo in vniuersali forma prima, deinde in se ipsa inferiores causas videt. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentiæ formæ sunt intelligentiæ seiunctæ, multitudo in vnitate, & seiunctio cum indiuisibilitate. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia per diuinam virtutem regit animam cœli, & naturam, quæ est illi obediens, naturam hic intelligitur primorum corporum qualitates yliadis, in materiis illorũ ylialibus, quòd est quãdo ipsa est disponens, quæ sunt in materiis cœlorum, secundum quarum dispositiones quasdam sunt cœli ad inuicem. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia continet animam. & eadem anima intelligit bonitatem per virtũtem, quam habet ex illa, & per eandem est ibi operatin intelligibilis, & voluntas formandi, quæ est in ea, & per intelligentiæ virtutem sequitur operatio animalis, ipsa enim est forma adhærens corpori, & illius corporis proximus motor, & si non sit primus, & quia præparat aliam materiam, tunc recipit virtutem diuinam per intelligentiam, per quam est illi diuina operatio: ergo intelligentia continet animam, & naturam: nam continet generationem. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia est status singulorum, quæ sunt post eam, quoniam in ipsa, & per ipsam stant illa, non tamen est in ipsa status illorum primus, sed secundus, & mensura conuenienti mensurat omnia quæ sunt post illam. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia est vnum retinens ea, quæ consequuntur ex ea per diuinam virtutem, quæ est in ea, vt non pertranseat ex eis aliquid omnino, quoniam in ipsa est virtus, quæ non cessat perfici in forma apud quam stant singula. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentiæ vnitas est, sicut vnitas speciei. *Auic. de intellig. cap 4.*

Intelligentia non est vniuersale per modum vniuersalis quod præcessit. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia non dat scientiam eis, quę sub ipsa sũt, nisi per modum formæ, quoniam formæ descendunt ab ea super illas, quæ sunt post eam, & ipsa apprehendunt eam, & ipsa apprehendit eas, & intelligunt bonitatam magnã: ita vt anima, quæ recipit impressiones ab anima prima ab ea meraat sine medio dici intelligibilis. *Auic. de intellig. c. 4.*

Intelligentia agens non coniungitur intellectui in potentia, nisi in intellectum imprimatur aliqua forma, & formæ cum acquiruntur extrinsecus acquiruntur, descendunt enim ab intelligentia, quę est forma separata in intellectum materialem, ita vt visio in potentia sit visiu in effectu. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentia est lux veritate lucis superioris. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Intelligentiæ separatæ sont plures numero, igitur non habẽt esse similiter ex primo, sed necesse est, vt excellantior omnibus illis sit essa, quod primum est ex eo, post quod sequitur intelligentĩa, sub vnaquaque intelligentia est cœlum cum sua materia, & forma, quæ est anima, & intelligentia inferius ea, tria autem sunt in ea, inquantum intelligentia intelligit primum seqnitur esse alterius intelligentiæ inferioris ea, inquantum intelligit se ipsam sequitur forma cœli vltimi, & eius perfectio, quæ est anima, & vt intelligit se ipsam sequitur corporeitas quæ continetur in totalitate cœli vltimi. *Auic. met. aph. tract. 9. cap. 4.*

Intelligibilium est subiectum substãtia non corpus, nec habens corpus. *Auic. de anima, par. 5. cap. 2.*

Intelligere faciunt intellectus compositi santientis, compositum componitur ex multis, & inter multa sunt vna, ergo in omni composito sunt aliqua vna, & vnũ in omni composito vocatur simplex, & quia impossibile est scire naturam compositi ignoratis eius simplicibus connenit prius cognoscere simplicia, quàm composita. *Auic. log. par. 1.*

Intelligibilis potentia assiduitate intelligendi difficilia acquirit virtutem faciliusintelligendi. *Auic. de anima, par. 5. cap. 2.*

Intelligibilia formari fit tribus modis, vno cum aliquid formatur in anima in effectu distincte, & ordinate, sed aliquando illa distinctio, & ordinatio non est accessoria, sed commutabilis: secundo cum intellectus re iam acquisitus, & secundum operationes, sed anima auertitur ab eis, & non respicit ad id, quod iam intellexerit, sed est mutata ab illo intellectu in aliud: tertio cum aliquod dubium quæritur quòd iam scisti, vel scire potes, sed tunc exitus respondet, securus inde te scire respondere quamuis non sit postea apud te ordinata illa responsio, sed incipis præordinare in tua anima, vt reddendo responsum, quod proueoit ex illa certitudine sciendi illud, quod babes, ante distinctionem, & eius ordinationem. *Auic. de anima, par. 5. cap. 6.*

Intelligibilis omnis apprebensio est similitudo aliqua ad formam separatam à materia, & ab eius accidentibua materialibus. *Auic. de anima, par. 5. cap. 6.*

Intentio intellecta aliquando sumitur de ea quę ast, vt cum sumimus de cœlo per considerationem, & sensum formam eius intellectam, & aliquando forma intellecta non sumitur de his quæ sunt, sed quia intelleximus est ipsa, vt cum intellectus vnus formam artificialem, quæ non est, quam adinuenimus. *Auicen. metaph. tract. 8. cap. 7.*

Intestina multa sunt, & quædam circumuoluta, vt nutrimentum faceret moram in eis, quousque epar sumat sibi necessaria, & sunt sex, sunt multa & conuoluta ne cito egereret, & semper indigeret nutrimento: primum intestinorum est duodenum, quod est rectum, deinde ieiunum, postea gratilia intestina inter se inuoluta, post saccus, post colun, & postea longaon, quæ omnia coniuncta sunt cum dorso, & superiora sunt tenuiora, inferiora, duriora, & interior pars est seposa, vt reprimat siccitatem stercoris, & superiora non sunt seposa, habent tamen quandam vnctuositatem. *Auicen. de animal. lib. 13. cap. 6.*

Intestinum ieiunum inuenitur vacuum duabus de causis, prima quia massa ptisanaria cum venit ad ipsum, statim festinat ad exitum, & pars attrahitur ad epar, secunda cito transit propter cholerã, quæ vadit ad cistim fellis ad istud in intestinũ.

Auic.

Auic. de anima lib. lib. 13. cap. 6.
Intestinum duodenum continuatur cum fundo stomachi, & eius orificium est orificium stomachi, & est in directo isophagi, sed est strictius isophago *Auicen. de animalib. 13. cap. 6.*
Intestinum cæcum factum est, vt in eo compleatur stercus; & per completam suctionem epatis extrahatur nutrimentum. *Auic. de animal. li. 13. c. 6.*
In via ne scindas. *Pythag. symb.*
Inutilia quę nobis sunt sæpe nobis placēt, siue quod earum naturam ignoramus, siue quod brutis affectibus interdum indulgemus, at si beati esse volumus, acquiescere necesse est iis, quæ ab vniuersitate fiunt. *Simp. in Epict.*
Iouis sceptrum ex cupresso conficitur. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*
Iouis sacerdotem Romani sub vitem ingredi nolebant, quod eum scilicet ebrium fieri non deceret, & ederam non attingere, quia eius odor, vt putabant, in furorem mentis agnotur. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. symb.*
Iracundię commotiones sunt ambitio, & vana gloria *Simp. in Epict.*
Ira ex sanguine flauo tenui citius accenditur, & citius extinguitur. *Auic. de anima, par. 4. cap 6.*
Iracundiam parit animę sanguis clatus, distemperatus in calore propter multam eius ascensionem, & sui motus velocitatem. *Auic. de anima, par. 4. cap. 6.*
Irascibilis accidentia sunt, timor, dolor, & tristitia, propter commotionē, quam habeot virtutes apprehendentes, cum enim mouentur sequentes formationem intelligibilem, aut imaginabilem fit timor, cum non timet confortatur, & accidit ei inde dolor, vnde venit ira cum non potest repellere illud, aut cum sentit aduentum eius. *Aui. de anima, par. 4. cap. 20.*
Irascibilis virtus, & quod peodet ex ea non eget mēbra præter principium: actio enim eius vna est, & congruit complexioni calidissimæ, & eget ea. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 8.*
Isophagus est ad nutrimentum, & est ex membrana, & carne, & elanduntur in coniunctione sua laxa, vt teneat minorem locum. *Auic. de animalib. libr. 13. cap. 1.*
Isophagus componitur ex carne, & tunicis membranalibus, quæ sunt intetius, & in membranis sunt fila longa, vt facilius transglutiat, & super istam membranam est alia contexta ex multis filis in circuitu, quæ adiuuat ad expulsionem, quādo facit vomitum. *Auicen de animalib. lib. 13. cap. 4.*
Iudex iustus non accusatur a iustis, nec apud iniustos causam dicit. *Epict. sent.*
Iudicare qui rectè vult, neminem nec accusatorum, nec reorum cognoscere debet, sed ipsum ius. *Epi. sentent.*
Iudex sępe errabit in iudicando, si ipse in vita nunquam deliquit. *Epict. sent.*
Iudicare iniuste pręstat à condemnato iniuste accusari, si recto, quam a natura iure reprehendi. *Epict. sent.*
Iudicandi qui facultatem habet non exploratur, vt lapis quo aurum exploratur, non & ipse ab auro vicissim exploratur. *Epict. sent.*
Iudicem ab alio iudicari turpe est, vt recto ad rectius, sic iniusto ad iustius. *Epict. sent.*
Iudicio recto considera singula. *Pythag. aur. verb.*
Iudices principaliter contra homicidam sentētiam ferunt, per coincidentiam autem contra hunc hominem, quoniam sua ductus voluntate homicidæ conditionem accepit. *Hieroc.*
Iugum ne transilias. *Pythag. symb.*
Iugum ne transilias significat nos æquitatis, & iustitiæ viam non deserere debere, at Cyrillus interpretatur auarus ne esto. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*
Iuppiter quid agit? alta deprimit, extollit humilia. *Aesopi problem.*
Iurare de rebus mobilibus, quæ euenire, & non euenire possunt, non est dignum, at de his, quæ necessario coniunguntur, & maxima sunt, tutum est iurare, & decorum. *Hieroc.*
Iurans sæpe facile ad periurium incidit. *Hieroc.*
Iurandum non est ex consuetudine, nec per incontinentiam, quam mores, & bonæ artis dirigent, linguam vero consuetudo continentiæ a iureiurando auertit. *Hieroc.*
Iuramenti sinceritas, ciuili virtute seruatur: nam ij solum, qui virtutes ciuiles possident, liquido iurare in rebus humanis possunt. *Hieroc.*
Iuramentum quod in rebus humanis versatur, est quoddam vestigium iuramenti, quod est diuinarum legum seruatio, & hoc dirigit eos, qui pro necessitate illo vtuntur. *Hieroc.*
Iusiurandum colere, & seruare maxime debemus in iis, quæ iuramus quantum in nobis est sine exceptione. *Hieroc.*
Iuramentum à Pythagora appellatur nunc, seruatio diuinarum legum, quo omnia, quæ creata sunt, ad cognoscendum Deum sibi annectuntur, & adaptantur, quorum aliqua, quæ semper cum Deo sunt, semper iusiurandum colunt, & seruant, aliqua quæ nonnunquam a Deo discedunt quod cum fit, impij sunt, & iuramentum infringunt, & diuinæ legis ordinem, & fidem iuramenti prætermittunt. *Hieroc.*
Iuramentum est causa seruans omnia in ipsa eadem existentia, & ita illa firmans, vt iuramenti fide teneantur, & legis ordinem seruent. *Hieroc.*
Iusiurandum cole. *Pythag. aurea verba.*
Iusiurandum, qui seruare vult, non sæpe, & ex fortuna, non vt accidat, non ad sermonis complexionem, non ad narrationis fidem iureiurando vti, sed illius vsum quantum possibile est, seruare in rebus necessariis, & magnis, & cum nulla alia videatur esse salus, nisi per veritatem a iureiurando prouenientem. *Hieroc.*
Iusiurandum colere non solum est præceptum fide, & liquide iurandi, sed abstinendi a iuramento, seruabimus si semper iuste iuremus, si iuramentis non abutimur. *Hieroc.*
Iusiurandum recusa si fieri potest omnino, sin minus quantum potest. *Epict.*
Iusiurandum Deum citat testem, & sponsorem faciendorum, quæ dicuntur, & eum producere ob res humanas est contemptus quidam. *Simpl. in Epictet.*
Iustitiam exerce verbo simul, & opere. *Pythagorę aurea verba.*
Iustitia omnes virtutes continet, tanquam eius partes. *Hieroc.*
Iustitia si animus noster circumseptus fit, decorū & debitū erga Deos, & homines, seruabimus. *Hiero.*
Iustitiæ est suum cuique tribuere, & cum est animi gubernatrix, cuique animi parti suum officium præscribit. *Simpl. in Epict.*

Iustitia lance, & statera significatur. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Iuuenes, & si eorum complexio sit sicca, minus retinent, quam pueri, quia sunt agilis motus, & multum calidi *Auic. de anima par. 4. cap. 3.*

Iuxta sacrificium ne incidas vngues. *Pyth symb.*

L



LABOREM nullum dixit Diogenes, cuius finis non esset fiducia, & animi potius, quam corporis robur. *Epict. sent.*

Lac fit ex sanguine superfluo, & sanguis, qui transit in lac non est decoctus decoctione summa. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Lac fit ex sanguine in venis, & in eo sunt tres substantiæ, serosa, butirosa, & caseata, & quanto est spissius, tanto esset magis caseus spissus. *Auicen. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Lac animalium, quæ habent cornua, & carent dentibus in mandibula superiori, citto coagulatur, & calor magis coagulat lac, quàm frigus. *Auic. de animalib. lib 3. cap. 3.*

Lac coagulatur lacte ficuum. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Lac si exprimerentur mamillæ hominum emitteretur, & abundaret multum si sæpius exprimeren. ur. *Auic. de animalib. lib. 3 cap. 3.*

Lac magis sanum habent mulieres nigræ. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Lac coniunctum partui, & quod est multum remotum a partu, nihil valet. *Auicen. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Lac in mulieribus abundat post partum, & aliquæ emittunt lac etiam à poris in circuitu, & aliæ sub ascellis, & aliquando generatur in mamillis plus, qui si ibi remanet excitat dolores, & durat lac in muliere per duos annos, & aliquando amplius. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 5.*

Laudare quempiam, aut reprehendere ob communia signa non conuenit nec artem, aut inscitiam illi tribuere, ita & à maleuolentia, & temeritate erimus immunes, vt si quis celeriter lauit non erit dicendum male lauit, sed celeriter lauit, fiunt autem rectè quæ à rectis desideriis proficiscuntur, male quæ a malis, & donec decretum cognoscitur ea quo quisque singula facit factum, nec laudare, nec reprehendere licet; decreta autem de rebus externis non facile iudicantur. *Arr. Epict. lib. 4. cap. 9.*

Lædi a semetipso deterius est, quam ab alio. *Simplic. in Epict.*

Lege quæ statuta sunt serua. *Pythagora aurea verba.*

Leuitas non est de affectionibus agentibus in corpore, vt mutet naturam eius, quod offendit in illam, nec est de virtutibus repellentibus a suis corporibus aliquid, ita vt elongare faciat corpora a se. *Auic. de anima, par. 3. cap. 6.*

Leo naturaliter timet ignem, & homines debiles, & senes ab eo facile euadunt, & viuunt multum. *Auicen. de animalib lib. 8. cap. 7.*

Lepus si fertur ad terram Aneti, moritur. *Auic. de animalib. lib. 8 cap. 2.*

Liberi educandi sunt, vt post nos relinquamus, qui Deos colant. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symbola.*

Libertas est nomen virtutis, vt seruitus vitij; vtrunque voluntatis opus, quæ quibus attributa non est, ea neutrum horum attingit. *Epict. sent.*

Libertas est innocentia. *Altercat. Hadr. & Epict.*

Liberum, quod natura est non potest ab aliu perturbari, quàm à semetipso. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 19.*

Liber non est, qui viuit in peccatis, mærens, dolens, & perturbatus. *Arr. Epict. lib. 2. cap. 1.*

Liber non est, qui præter animi sui sententiam adulatur. *Arr. Epict. lib. 3. cap. 26.*

Liber est qui viuit, vt vult, qui nec cogi, nec prohiberi, nec vim pati potest, cuius appetitionis non impediuntur, desideria non frustrantur, auersiones non sunt irritæ, ergo nemo improbus liber. *Arr. Epict. lib 4. cap. 1.*

Liberalis est qui extra se donat non propter retributionem: nam qui dat propter retributionem dicitur venditor, vel accommodator, vel fœnerator. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Ligna cupressiua non coaceruanda, idest ne ex sacris rebus, & Deo dicatis nobis opes ad delitias comparemus, ac eas in nostros vsus proprios conuertamus, vel non esse nos debere nimis solicitos de sepultura, & funere. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symb.*

Ligna in via non sunt secanda, ne scilicet nimijs curis vitam discruciemus, vel ne publica turbare velimus. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Linguam in primis coerce, Deum imitans. *Pythagora symbola.*

Lingua apud homines & bonum, & malum est. *Anacharsidis problem.*

Lingua facta est propter gustum, vt manus molendinarij inducendo cibum, & hominis lingua est propter loqui, & mouetur a nouem musculis, & homines qui mouent multum linguam in sermone habent linguam latam, & non multum ligatam. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 12.*

Locus est quid maximum, capit enim omnia. *Thaletis problem.*

Loci essentiam non intelligimus, nisi comparatione, quam habet ad corpus, quod moratur in eo, & discedit ab eo, & ad illum accedit per motum. *Auic. suffic. lib. 2 cap 5.*

Locus est superficies, quæ est finis corporis continentis, & æqualis, & permanens locatis, & eam complent locata, & nihil plus, & discedit ab ea in motu, & accedit ad eam, cum locatum trahit ad eam, & impossibile est esse in ea duo corpora simul. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 9.*

Locus non est prior motu causalitate, sed est prior eo natura, ita vt si fuerit motus, erit locus non autem si fuerit locus erit motus. *Auicen. suffic. lib. 2. cap. 9.*

Locus est comitans causam materialem motus. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 9.*

Locus non est nisi aliquid in quo vicissitudinantur corpora locata. *Auic. suffic. lib. 2. cap 9.*

Locus non est continens primum, sed id quod continet aliquid discretum a se, & continens discretum est à contento. *Auicen. sufficient. libro secunda, capite 9.*

Locus non mouetur per se ipsum, sed accidentaliter. *Auic. suffic. lib 2. cap. 9.*

Locus non est superficies absolute, sed est superficies ex intellectu circumscribentis. *Auicen suffic. lib. 2. cap. 9.*

Logica vt philosophia tractat, diuidit & inquirit res vt habent esse, non est pars philosophiæ, sed vt prodest

prodest ad hoc est instrumentum, at vt philosophia tractat de omni inquisitione speculatiua, & de omni modo est pars philosophiæ, & instrumentum cæterarum partium philosophiæ. *Auicen. logica, par.1.*

Logicæ scientiæ finis est prodesse ad sciendum qualiter debeat esse dictio dans intellectum, qui afferat scientiam veritatis essentiæ rei, & qualis sit, quæ ostendit illam, quamuis non perueniatur per eam ad veritatem essentiæ ipsius, & qualis sit vitiosa, quæ videtur hoc facere, & non facit, & quæ facit fidem necessariæ veritatis, & quæ verisimilitudinis, & quæ falsa. *Auicen. logica, par.1.*

Logica eget homo nisi sit diuinitus inspiratus. *Auic. log.par.1.*

Logica tractat de vocibus, quia non potest ratio eom ponere intellecta, quin eum illis proferat verba. *Auicen.log.par.1.*

Logicæ subiectum sunt intentiones intellectæ secundo, quæ apponuntur intentionibus prima intellectis, vt per eas veniatur de incognito ad cognitum, non vt habent esse intelligibile. *Auic.metaph.tract. 1.c.2.*

Longissimum est spes. *Alterc. Had. & Epict.*

Loqui non oportet de rebus diuinis sine lumine, idest sine scientia, & cognitione. *Lil.Greg. Gyr. in Pythagoræ symbola.*

Loqui sæpe pænitet, tacere ounquam. *Lil.Greg.Gyr. in Pythag.symb.*

Loquendum non est aduersum Solem, idest non esse repugnandum contra manifesta, alij non incidendum esse in insidias dicunt, vel aduersus diuinitatem non esse loquendum. *Lil. Greg.Gyr in Pythag. symb.*

Lumen est affectio corporis habentis lucem, cum oppositum fuerit illi, & fuerit inter ea corpus receptibile lumen, vt aqua, & aer, quæ adiuuant, & non impediunt. *Auicen. de anima, part. 3. capite 1.*

Lumen est qualitas quam mutat corpus non transluceens a lucido, & translucens efficitur per eam translucens in effectu. *Auicen. de anima, parte 3. capit.3.*

Luna est diei adiutrix, noctis oculus, fax tenebrarum. *Alter. Had. & Epict.*

Lupi, & canes aborrent comedere alia præter carnes, nisi in necessitate, vt lupus comedit terram in magna necessitate. *Auicen. de animalibus, libro 8.capite 1.*

Lux est pars compositionis huius visibilis, quam vocamus colorem, & est quoddam, quod enim admixtum fuerit colore, quo est in potentia, tunc ex vtroque prouenit id, quod est color in effectu, propter commiscibilitatem. *Auicen de anima, par. 3.cap.3.*

Lux & si non sit manifestatio coloris, & tamen causa manifestandi colorem, & causam resultandi in alio. *Auicen de anima, par.3 capit.3.*

Lux est qualitas, quæ ex sua essentia est perfectio translucentis, vt est translucens, est etiam aliqua qualitas in eo, quod est visibile ex sua essentia, & non per aliud, & ideo prohibet videri id quod est post ipsum. *Auic.de anima, par.3.cap.3.*

Luxuria, & ira non est miscenda, luxuria cito perit, ira diu permanet. *Epict.sent.*

Luxoriam, aut iniuriam Deo placere, nemo tam amens est, vt existimet. *Simp.in Epict.*

Luxuriant vacca duorum dentium, & equus duorum dentium, & capra, & ouis vnius anni, porcus quatuor mensium, porca sex mensium parit, & masculi sunt meliores ad genetandum tribus annis complectis, & canes incipiunt luxuriari ab octo mensibus, & qui tarde luxuriant sunt vnius anni, equi quidam luxuriant post tres annos, & vsque ad viginti annos, melius generant, licet luxurient ad triginta tres annos, & masculi, qui non stant fœminis suis, viuunt vsque plusquam quadraginta annos, & equa viuere potest vsque ad annos quadraginta, & iam visus fuit equus annorum septuaginta, & asinus luxuriat post tertium annum, nec incipit priusquàm post duos annos eum dimidio. *Auic.de animalib.lib.5.cap.2.*

M



MAGNATES accedere non solent, qui sibi viuunt, ideo si quid negocij futurum est eum aliquo ex proceribus, proponendum est quid in ea re fecisset Socrates, aut Zenon, & ita ratio non deficiet vt recte id administret. *Epict.*

Mali natura in mundo non existit, cum sit aberratio à scopo. *Epict.*

Malum positum est in mala voluntate, & in hac cautionem habere debemus, at in his quæ in nostra potestate non sunt fiduciam habere debemus: nam mors & labor non est terribilis, sed opinio, & timor mortis, & laboris terribilis est, ideo morti non fuga opponenda est, sed neglectio timoris, constantia, & alacritas. *Arrian. Epictet. lib. 2. cap.1.*

Malum hominis est causam suam male agere, sua non curare, & externa attendere. *Arrian. Epict. libro 3. cap.18.*

Mala non voluntaria nec à Deo, nec à legibus puniuntur, & malum nunquam, vt malum ab animo amplectitur, sed vt quoddam bonum. *Simplic. in Epict.*

Malum est peccati accidens, & affectio contra naturam eius penes quod est, qua caret eo, quod eius naturæ conuenit, & ipso bono *Simp.in Epict.*

Mala non sunt illa, quæ per se expetenda non sunt, quia sæpe multum conferre possunt ad id, quod per se se expetendum est; si enim mala essent, ad bonum non conferrent, vt sectiones membrorum, & vstiones amplectitur, & mercedem pro his damus, & medicis gratias agimus: Quod si mala essent, noo facturt essemus. *Simplic. in Epict.*

Malum sit cum anima auertitur a Deo ad brutam vitam si inclinat, & non imperare, sed cupiditatibus seruire mauult. *Simp.in Epict.*

Mali nullius causa Deus est. *Simpl.in Epict.*

Mali plerunque in mala incidunt, si paulisper resipuerint intelligent se, neque fortunatos, neque beatos esse, sed contra miseros, & infœlices, & si secunda fortuna in rebus externis, aut plerunque, aut etiam semper vti magis infœlices erunt. *Simplic. in Epict.*

Malum esse peius est ipso non esse. *Simplic. in Epict.*

Malitia non habet essentiam, sed est vel priuatio substantiæ, vel priuatio vtilitatis dispositionis substantiæ. *Auic.metaph.tract.8.cap.6.*

Malum non est malum, nisi inquantum est priuatum

perfectione, & est malum per habitum melitiæ. *Auicen.metaph.tract 4.cap.2.*

Malum dicitur multis modis, vt defectus, & est igno rantia, debilites, & deformites, vt dolor, & tristitia, in quibus est alique apprehensio causæ, non emissiones tei tantum. *Auicen.metaph.tract. 9.cap.6.*

Melum per essentiam est priuatio, nec est quælibet priuatio, sed priuatio priuati iudicij naturarum rerũ a perfectionibus suę speciei, & suæ naturæ, malum per eccidens est priuatum, vel rettahens e iure suæ priuationis, non autem est bonum ex pri uatione absolute, nisi ex eius nomine, nec est etiam malum quod fit, ne aliud sequatur malũ, nisi id in cuius neture est eliquid in potentia; & hoc fit propter meteriam, & malum sequitur materiã propter aliquod principium quod sibi accidat, & propter eliquid nonum, quod postea aduenit. *Auicen metaph tract.9 cap.6.*

Malum sequitur materiam propter eliquod principium, quod sibi accidit, quia imprimunt causę extrinsecæ eliquam dispositionem, quæ prohibet eius propriam aptitudinem e perfectione, ex que prouenit melum, circe illum, aut quod contingit extrinsecus, vt vel prohibens interpositum, & te trehens a perfectione, vel contrarium ediunctem destruens perfectionem. *Auicen. metaph tract. 9. cap. 6.*

Malum multis modis dicitur, dicitur enim opus ebominebile, & dicitur malum principium eius, scilicet mores, & dicitur malum dolor, & tristitie, & huiusce modi, & defectus rei a sue perfectione, & amissio rei quam naturaliter debebet hebere. *Auicenn. metaphysic. tractat. 9. cap. 6.*

Malum quod est in actionibus, vel est respectu eius, quæ amisit suem perfectionem propter aduentum eius ed illum, vt iniuria, vel respectu eius, qui amisit perfectionem quam debet habere in gubernetione suorum, vel ciuitatis, vt fornicatio. *Auic.metaph.tract. 9.cap.6.*

Maledicendum non est aliis, ne audias quę nolis. *Chilonis problem.*

Maledicta si quis eccusetur in te dixisse, ne refuta quæ dicta sunt, sed responde, eum nescisse cætera tua vitia, nam alioqui non telia sola fuisse dicturum. *Epictet.*

Masculi stant vt in pluribus in parte dextre vteri, fœminæ in sinistra, quia est megis frigida, at cum sperma est magnum, & multum etiam aliquando mas est in parte sinistra. *Auicen. de animalib. lib. 9.cap 1.*

Masculus formatur in matrice celerius quàm fœmine, & minimum tempus est in formatione masculi est triginta dierum. *Auicen.de animalib. libr. 9. cap.5.*

Mesculinum, vel fœmininum fit, vel alteratur si coitus fit vel versus Septentrionem, vel Austrum, & fit ventus Meridionalis, vel aliqood accidens inducit frigos in matrice, & fortis calor facit masculum, nisi excedat ite vt non generet, & si forte fuerit semen patris assimilabitur patri, si matris metri, si nemo superauerat neminem essimilabit. *Auicen de animalib.lib.18.cap.1.*

Materia vt est in potentia receptibilis formarum vocatur hyle, & secundum id quod est in actu sustinens formam vocetur sobiectum, & vt est communis omnibus formatis vocetur materia, & vt omnia resoluuntur in illam, & est ipsa pars simplex receptibilis formæ totius compositi, vocatur elementum, & vt eb ille incipit compositio dicitur origo. *Auicen. suffic.lib.1.cap. 2.*

Materia est, quæ dicitur hyle, hebet naturam, quæ generaliter intelligitur, quod est res, quæ solet recipere aliam rem in sua essentia, quem priue non habebat, vnde est quicquid est, & est in illa non accidentaliter, & aliquando est simplex, aliquando eumposita post simpliecem, & est principium ex intellectu, quie est vna ex duabus partibus genereti. *Auicen. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Meteria est pars, quæ non constituit in actu, quia esse materiæ non sufficit, vt sit in actu res, sed vt sit in potentiæ. *Auic.suffic.lib.1.cap. 10.*

Materia naturaliter obedit enimæ, & fit ex ea iuxta ipsius voluntatem, & multo plus quam contrariis egentibus in se. *Auicen. de anima, parte 4. cap. 4.*

Meteria informata dimensione non potest infundi in aliam dimensionem, & ideo impossibile est, vt corpus infundatur in immensionem aliquo modo. *Auicen suffic.lib. 2.cap.7.*

Materia dum mollis est magis apta generationi eius, quod ex ea generatur, aut vegetatur ex ea, & quãto appropinquatur duritiei, minus est apta, quia calor agit in mereriam humidam, & ideo in pueris, & adolescentibus vegetatio, & augmentatio velocior est, quàm postea. *Aui.de cœlo, & mundo,c. 11.*

Materia omnis cõsistit ex quibusdam qualitatibus, quibus si nudata fuerit, nulla ratione comprehenditur, vneque autem species quahtetis retione à subiecto separatur. *Auicen. de intellig. cap.4.*

Materia sine formis in nullo intelligi potest. *Auic. de intellig.cap.4.*

Materia cum est in effectu subiicitur prædicamentis, vt componatur ei, & cum causa consideratia prædicatur eum illis, eo quod est in illis per earum modum, non per modum materialem, & tunc contingit eam prædicari in genere per modum generis, & in specie per modum specialem, vt secundum esse suum in ceusis sit prædicamentum secundum esse materiale, subiicitur ei. *Auic. de intellig.cap. 4.*

Materia vltima non est composita ex materie, & forma, nec potest esse sine forma. *Auicen.metaphysi. tract.2. cap.3.*

Materie, & forma non sunt reletæ. *Auicen.metaph. trac.2.cap. 4.*

Materiæ, & formæ hebitudo est talis, quod præter eam vnum earum est causa, alterum causatum. *Auic.metaph.tract.2.cap.4.*

Materie est id quod habet esse in potentia, & hoc est eius proprium, sed in effectu est per formam. *Auicen.metaph.tract.a.cap.4.*

Meterie cum mouetur ad recipiendum vnitetem formæ quæ facit speciem, accidunt ei eccidentia ex complexionibus, & cæteris alijs, quibus variatur eius dispositio in actiones prouenientes ex ille, non ex hoc quod recipit formem generis, aut formam differentiæ, quia non quidquid recipit de dispositionibus, & quod eccidit ei est de vniuersitate eius quod continet sub fine ad quem mouetur in generando. *Auicen. metaphysic. tract. 5.cap.4.*

Materia

Materia est causa, quæ est pars essentiæ rei in qua est id per quod res est in effectu, & in qua requiescit potentia esse eius. *Auicen.metaphy tract. 6.cap.1.*

Materiale principium comparatur ad compositum, vt comparatio causæ, semper, quia est pars constitutionis compositi, & pars in se ipsa prior est tota, quia constituit essentiam eius, sed comparatio eius ad illam nō intelligitur, nisi tribus modis, vno quod nec præcedit, nec sequitur eam in esse, alio, quia materia eget tali quale est hoc in constitutione in effectu quod sit priua ea in esse essentiali quasi esse suum non dependeat a materia, tertio vt materia sit constituta in sua essentia, & ducta in actum, & præcedat rem, & constituat eam, & sic primus motus est secundum relationem essendi simul, & duo alij modi secundum relationem prioris, & posterioris: in primo horum duorum prioritas est quod est in materia: in secundo eorum prioritas est materiæ. *Auic.suffic.lib.1.cap.10.*

Materiale principium est id in quo est potentia essendi rem. *Auic.metaph.tract.6.cap. 4.*

Matrices sunt asperæ interius vt detineant sperma. *Auicen.de animalib lib.9.cap.2.*

Matrix in tempore coitus debet esse humida temperate, vt sudoris humiditas, aut lachrymarum oculi, cum aspiciunt Solem, aut vt saliua hominis eum delectatur in cibo, tempore vero imprægnationis debet esse sicca. *Auic. de animalib. libr. 10.cap. 1.*

Matrix est posita posterius, vesica interius intestinis, vt sit culcitra inter illa, & custodiatur inter illa propter creaturam. *Auicen.de animalib.libr.15. cap.1.*

Mederi oportet quoad possis. *Pythagoræ aurea verba.*

Medicina duplex vna corpora curat, altera sanitatem conseruat, sic & animus non solum curatur, sed & conseruatur. *Simpl.in Epict.*

Medullam maximam habet homo respectu sui corporis. *Auic.de animalib.lib.1.*

Medulla est membrum frigidum. *Auicen.de animalib. lib.17.*

Medulla pueri est sanguinea, & iuuenum est ea acutiori sanguine, quam senum, & medulla est lutitamentum ossium *Auic de animalib. libr. 12. cap.6.*

Mel corrumpunt araneæ si nascuntur in aluearia, & propter hoc corrumpuntur apes. *Auic. de animalib.lib 8. cap.6.*

Melanuros ne gustes, id est ne commercium habeas cum improbis. *Lil.Greg Gyr.in Pythag.symb.*

Membranæ omnes inuoluentes membra pectoris, nascuntur à membranis laterum, & quæ inuoluentis nutritiua nascuntur à membrana, quæ supponitur musculis ventris. *Auicen.de animalibus,libr. 1.cap.4.*

Membranæ tres circundant creaturam, vna circundat totum, & in ea texuntur venæ, quarum venæ pulsatiles veniunt ad locum non ramisicatum, & non pulsatilea, terminantur ad vnam venam circumuolutam, & ad illam descendit vrina creaturæ, & alia membrana in qua adunatur sudor creaturæ, & tertia quæ est subtilior in qua adunatur humiditas subtilis, quæ fluit a creatura. *Auicenn. de animalibus libro 9. capite 5.*

Membrum omne in sua compositione naturali assimilatur suo nutrimento in sua constitutione accidentali sibi propinquo. *Auicen.de animalib. libro 12 cap.2.*

Memoria, & reminiscentia est vis ordinata in posteriore concauitate cerebri, retinens quod apprehendit vis æstimatiua de intentionibus non sensatis singulorum sensibilium. *Auic.de anima, parte 1. cap.5.*

Memoria, virtus, est thesaurus apprehendentes intentionem, cuius has est posterior pars cerebri, & cum ibi accidit infirmitas, corrumpitur custodia harum intentionum. *Auicen.de anima, par. 4. cap.1.*

Memores valde sunt quorum animæ non habent multos motus, nec dispergantur cogitationes eorum. *Auic.de anima.par.4.cap.3.*

Memoria est in loco posteriore cerebri, ideo vt spiritus cogitationis sit in medio inter thesaurum formarum, & thesaurum intentionum, & spatium quod est inter vtrumque, est æquale vt illæ, & æstimatio diminuetur in toto cerebro. *Auic. de anima.par 5. cap.8.*

Mendaria patienter audire oportet, & experiri, quibus malis liberemur, si in communi hominum conuersatione iisdem passionibus, vt illi obnoxij, auxilio autem, & beneficio disciplinæ contrarij illis fiamus *Hier.*

Mens est velocissimum, quia percurrit omnia. *Thaletis problemat.*

Mentis interuentu omnia in ordinem redacta sunt, omnia enim simul fuere. *Anaxag. problem.*

Menstruum cum tardatur dolet mulier, & cum venit grauescit corpus, & cum absconditur quasi suffocatur, & cum menstruatur complete, post erit tempus imprægnationis, & post imprægnationem raro accidunt menstrua, quia illud necessarium est creaturæ, & exitus menstrui aliquando facit abortum. *Auicen. de animalib. libr. 9. cap.1.*

Menstruus sanguis diuidit se in imprægnata in tres partes, in cibum, in potum, in lac; hic enim ascendit ad mamillas, & alia est superfluitas quæ quiescit intus vsque ad tempus partus, & eiicitur. *Auic.de animalib. lib.9 cap 5.*

Menstruus sanguis est superfluitas vltimæ digestionis, sed non peruenit ad digestionem spermatis, vt nec illud quod dicitor sperma mulieris nō peruenit ad eam digestionem, vt sperma viri, quia mulier est mare debilior. *Auic.de animalib.lib.15. cap. 3.*

Mensa muta, & præsepe idem fere sunt. *Simplic. in Epict.*

Mensura implendi, & euacuandi corpus est ratio coaptans, & coniungens corporis habitum operibus animi, sic ea exercitia eligimus, & nutrimenta, quæ non nimium corpus pinguescant, & vltra modum mentem impediant. *Hierocl.*

Mensura extremorum est adiunctum, quod est inter duo extrema. *Auic. suffic.lib.2.cap.7.*

Mensuram indicare est, vel vt mensura indicat mensuratum, vel cum mensuratum indicat mensuram. *Auic.suffic.lib.2 cap. 12.*

Mensura cuiusque rei minor est omnibus his quæ mensurantur. *Auicenn. de cœlo, & mundo, capite 8.*

Mentiendum non esse primus locus est, deinde cur non sit mentiendū, postea id præceptis diffe-

rendi declarare nos deceptos non esse,& in eo perpetuo laborare. *Epict.*

Metaphysica differt a topica, & sophistica, quia ipsa non loquitur de quæstionibus singulatum scientiarum,& a topico in fortitudine,& potentia,a sophistico voluntate. *Auic.metaph.tract.1.cap.3.*

Metaphysica monstrat principia singularum scientiarum, quæ inquirunt dispositiones vniuscuiusque esse. *Auic.metaph.tract.1.cap.2.*

Metaphysica est scientia de rebus separatis a materia, definitione,& definitionibus. *Auic.metaph.tract.1.cap.2.*

Metaphysicæ quæstiones quædam sunt causæ esse, inquantum esse est causarum, quædam sunt accidentalia esse, quædam sunt principia singularum scientiarum. *Auic.metaph.tract.1.cap.2.*

Metaphysica nobilior est scientia, quia est certitudo veritatis,& nobilius scitum, quod est Deus, & causæ quæ sunt post eum, & etiam cognitio causarum vltimarum omisisse,& cognitio Dei, quatuor sunt, quæ in ea inquiruntur, quædam sunt separata a materia,& eius appenditiis, quædam sunt commixta materiæ, sed admodum, quo commiscetur causa, constituens,& præcedens, materia non est constituens illa: quædam sunt quæ inueniuntur in materia,& nõ in materia, vt causalitas,& vnitas quapropter ea quæ habent communiter, vt sint talia suntq́; ad certificationem sui non est opus esse materiam, omnia autem communicant in hoc quod esse eorum non est materiale, scilicet vt esse eorum sit ex materia, & quædam sunt res materiales, vt motus, & his aliquibus inquirit, secundum esse quod habent. *Auic.metaph.tract.1.cap.2.*

Metaphysicæ vtilitas est profectus certitudinis principiorum scientiarum particularium, & certitudo eorum, quæ sunt eis communia, quid sint, quamuis illa non sint principalia causalia, & est vt vtilitas regentis ad id quod regitur. *Auic. metaph. tract. 1. cap.3.*

Miles est murus imperij, defensor patriæ, gloriosa seruitus, potestatis iudicium. *Altercat. Hadr. & Epict.*

Mingendum non est aduersus Solem, idest in omnibus rebus pudor seruandus. *Lil.Greg.Gyr.in Pythagoræ symbola.*

Mueros homines cognosces cum suorum sint malorum causa, qui bona cum prope sunt, nec vident, nec audiunt: solutionem malorum pauci admodum intelligunt: tale factum lædit mentes hominum qui reuolutionibus quibusdam ex aliis ad alia feruntur infinitis malis obnoxij lætifera discordia insita latenter obest, cam tu cuita cedendo, postquàm venerit, ne exaugeas. ô Iuppiter pater a malis, vel libera homines, vel ostende illis quo dæmone vtantur, at tu confide quoniam diuinum genus hominibus inest, his enim sacra natura proferens vniuersa demonstrat, quorum si quid fuerit reuelatum, abstinebis ab iis, a quibus abstinendum iubeo, quòd si medicinam adhibueris, animam ab his laboribus liberabis: verum abstine a mortalibus, quæ supra diximus in purgatione, solutionéque animæ. *Pythag.aurea verba.*

Mobile dum mouetur est in duplici potentia, vna ad quam itur per motum,& altera ipse motus. *Auic. suffic.lib.2 cap.1.*

Mobile ex se ipso non quiescit propter quietem alterius, nisi cum quies alterius fuerit in esse, aut in opinionem opinatoris. *Auic.suffic.lib.2.cap.1.*

Mobile est a quo est principium motionis, scilicet in quo est perfectio prima eius quod est in potentia ex se ipsa, ita vt si omnia quæ sunt, ita vt sint omnia apud ipsum maneant in sua dispositione, eius tamen dispositio est, vt mutetur, immobile est id a quo non est principium mutationis. *Auic. suffic. lib.2.cap.9.*

Mobilia duo possunt simul se moueri,& perficere suũ cursum simul vnum maiorem, alterum minorem quod fiet, aut propter diuersitatem velocitatis, vel propter diuersitatem quietum permixtarum, & possunt simul incipere,& simul perficere cursum. *Auic.suffic.lib.2.cap.11.*

Mola fit cum mulier somniat coitum,& clauditur super illo spermate matrix, aut coit mas, & sperma maris non intrat in matricem, sed fœminæ tantum,& complexio matricis bona coagulat illam materiam,& coagulatur,& caliditate, & siccitate,& frigore. *Auicen.de animalib.lib.10.cap.1.*

Molestia duo tantum sunt frustratio eorum, quæ volumus,& eorum quæ nolumus perpessio, quæ ambo nobis non accident, si intenti erimus iis rebus, quæ penes nos sunt. *Simp.in Epict.*

Molestis rebus nemo volens immoratur. *Simplic. in Epict.*

Mollities neruorum prope medullam non significat originem a medulla, quia accidit ob id, quòd nerui applicantur ad medullam, & possumus dicere quod medulla oritur a neruo, & neruus non fieret se humidum, nisi vt medulla nascatur ab eo. *Auic. de animalibus, lib.3 cap.1.*

Monumentum est saxa stigmosa, otiosi viatoris spectatio. *Alter.Had.& Epict.*

Morbum fugare oportet omni malo a corpore, ignorantiam ab anima, luxum a ventre, seditionem a ciuitate, discordiam a familia: in summa ab omnibus intemperantia. *Lil.Greg.Gyr.in Pythag.symb.*

Mortem, fato omnibus insitam esse scito. *Pythagora aurea verba.*

Mors non est malum, nam si esset & Socrati mala visa esset, sed opinio quam nos habemus de morte, malum eam facit; nam alios accusare ob suam calamitatem inerudit est hominis, se ipsum, eius qui erudiri cœpit, nec se, nec alium erudit. *Epict.*

Mors, & exilium, & omnia, quæ in malis habentur quotidie ante oculos habenda sunt, & omnium maxime mors, sic nihil humile, nec impense cogitabis,& cupies. *Epict.*

Mors improbæ vitæ præstat. *Epict. sent.*

Mors est nulli timenda, si sapiens degat inimica vitæ numen animantium, metus parentum, liberorum præda testamenti gratia post mortem sermo, supremæ lachrymæ post memoriam obliuio, fax rogi, onus sepulchri, titulus monumenti omnium malorum finis. *Alter.Had.& Epict.*

Mortuus coronatur, quia agonem se vitæ transegisse testatur. *Alter.Had.& Epict.*

Mors est perpetua securitas. *Alter.Hadr & Epict.*

Mormopolius ligantur vt parem post obitum esse se sciat. *Alter.Had.& Epict.*

Mare est iter incertum. *Alter.Had.& Epict.*

Mors immatura humana vi illata, quæ omnium atrocium rerum atrocissima videtur, non est atrox. *Simplic.in Epict.*

Mors toti conducit, cum vnius interitus est alterius generatio,& natura partem contemnit, propter totum. *Simp.in Epict.*

Mortali in loco malum est, cum ea natura sit, vt per-

uer-

uerti possit, ideo anima natura immutabili prædita, cum sola est, nullius mali particeps est. *Simp. in Epict.*

Mors & si non sit ex lege naturæ particularis, est tamen ex lege naturę vniuersalis, vt anima exuatur a corpore ad fœlicitatem Beatorum, quæ est causa propter quam treatus est homo, & quia alii homines debent habere esse, & si omues viuerent cæteros non caperet locus, nec sufficeret eis victus, nec in potentia materia esset sufficientia aliorum, tum & ipsis debeatur esse quale est horum esse, nec illi mereretur priuationem semper nec isti vitam semper. *Auic. suffic. lib 1. cap. 7.*

Mors, & Ethica non est vt non tendat ad finem, sed propter defectum corporalem in comitando in materia formam eius, & conseruando eam in illa per restitutionem eius, quod resolutum est ex ea. *Auic suffic. lib. 1. cap. 14.*

Morum disciplina, & ciuilis facultas in officiis versatur. *Simp. in Epict.*

Mores non roborantur nisi frequentatione passionis. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Motio est dispositio mobilis, quia motus confertur mobili secundum quod est in eo, dispositio est motus non mobilis, quia comparatio motus ad subiectum est alia ab intellectu comparationis subiecti ad motum quamuis se comitentur in esse. *Auicen. suffic lib. 2. cap. 1.*

Motus voluntarius duplex est, alius motus localis de loco ad locum, & est motus contrahendi, & extrahendi membra animalis, ex quo non prouenit motus totius de loco ad locum. *Auicen. de anima, par. 2. cap. 3.*

Motus principium, aut est pręparans, aut perficiens, præparans est id, quod præparat materiam, & perficiens est id, quod tribuit formam constituentem species naturales, & est extranaturalia. *Auicen. sufficient lib. 1. cap. 10.*

Motus est perfectio prima eius, quod est in potentia, vt est adhuc in potentia. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Motus variæ datæ sunt diffinitiones, quia mutabilis est in sua natura, vt non inueniantur dispositiones eius stabiles in actu, & eius esse inter præteritum, & futurum. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Motus est nomen duorum intellectuum, vnum quod non est possibile, vt habeat esse in actu stabili in signatis, & aliud quòd possibile est, vt habeat esse in actu stabili in signatis indiuiduis, vel sensibilibus, sed describitur forma eius stabilis in intellectu propter comparationem mobilis ad duo loca, vnum quem dimisit, & aliud ad quem peruenit, aut describitur in imaginatione. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Motus pendet ex sex rebus: motum, mouens, in quo est, a quo est, & ad quod est, & tempus. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Motus habet principium, & finem, secundum potentiam, & secundum effectum, sed potentia est duobus modis, aut secundum propinquitatem ad effectum, & secundum elongationem ab effectu. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Motus, mouere, & motio sunt vna essentia, cum accipitur respectu sui ipsius est motus, cum accipitur in respectu eius in quo est, est motio, cum accipitur in comparatione eius a quo est, vocatur mouere. *Auic. suffic. lib. 2.*

Motus, cogitationes, & considerationes, sunt aptantes animum ad incipiendum enunciationem. *Auic. de anima, par. 5. cap. 5.*

Motus non est in prædicamento substantiæ, cum forma substantiales non recipit magis, & minus, & generatur, & corrumpitur subito. *Auicen. sufficient. lib. 2. cap. 3.*

Motus est in quantitate, prout augetur subiectum, & prout minuitur, & cum sine augumento, & diminutione subiectum recipit mensuram maiorem, vel minorem ex dissolutione, vel restauratione sine separatione suarum partium. *Auicen. sufficient lib. 2. cap. 3.*

Motus est in situ. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 3.*

Motus non est in prædicamento habendi per se ipsum, & primo. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 3.*

Motus est in quatuor prædicamentis tantum, in quantitate, qualitate, vbi, & situ. *Auicen. suffic. lib. 2. cap. 3.*

Diffinitio vnius contrarii elicitur a diffinitione alterius contrarii. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 4.*

Motus naturalis rectus necessario discedit a loco, & tendit in locum, & id a quo discedit, esse debet discretum ab illo in quod tendit. *Auic. suffic lib. 2. cap. 8.*

Motus in tenuioribus citius fit, in crassioribus tardius, cuius causa est potentia resistendi, quę maior est in corpore grosso, quàm in tenui. *Auic. sufficien. lib. 2. cap. 8.*

Motus rei essentialiter est, vt separetur ab omni, quod est cum illa, & contineat illam separationem suæ essentiæ, non causæ comitantis, & propter hoc stabilitur locus. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 9.*

Motus non est tempus, quia aliquando est motus velox, & aliquando tardus: tempus vero non est tempore velocius, nec tardius, & aliquando duo motus sunt simul, & duo tempora non sunt simul. *Auicen. suffic. lib. 2. cap. 10.*

Motus mensurat tempus, quia indicat mensuram eius per id quod fit in eo prius, & posterius. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 12.*

Motus omnis simplex, aut est rectus, aut circularis, quia motus non potest esse sine linea, & lineæ simplices sunt solum, aut rectæ, aut circulares. *Auic. de cælo, & mundo, cap. 2.*

Motum esse in hoc, vel in illo prædicamento potest intelligi quatuor modis, vnus quod prædicamentum quamuis non sit subiectum motus per se, est tamen subiectum eius cum medio, vt extremitas corporis qua mediante accidit corpori superficies, secundus non inuenitur in libris, tertius quod prædicamentum genus est motus, & motus est species eius: quartus quod substantia mouetur de vna specie, quæ est in vno prædicamento ad aliam, & de vno modo ad alium, & hæc est nostra intentio. *Auicen. suffic. lib. 2. cap. 3.*

Motus omnis voluntarius habet principium propinquũ, & principium longinquum: propinquum est virtus mouens quæ est in musculis membri, & principium quod hoc præcedit est concupiscibilis virtutis desideratiuę, principium longinquum est imaginatio, aut cogitatio. *Auic. metaph. tra. 6. cap. 5.*

Motus animalis principia sunt desiderium, & quia desiderium sequitur imaginationem, vel cogitationem, igitur primum principium erit imaginatio, vel cogitatio. *Auic. metaph. tract. 6. cap. 5.*

Motus omnis proueniens a natura, remouetur per dispositionem non naturalem. *Auicen. metaph. tract. 9. cap. 2.*

Motus non est naturalis corpori absolute hoc est corpori existenti secundum suam dispositionem

natutalem. *Auic. metaph. tract. 9. cap. 2.*

Motus omnis qui est per naturam potest separari ab eo cui inest per naturam propter aliquam dispositionem, quæ ei accidit. *Auic. metap. tract. 9. cap. 2.*

Motus sensibilis non potest esse nisi corporis, nam omne quod mouetur est necesse, vt sit in locum, & motus non est nisi mutatio de loco ad locum, & nihil occupat, vel implet locum, nisi corpus. *Auic. de cælo, & mundo, cap. 2.*

Motus circularis non est a natura, si esset, tunc esset a dispositione non naturali ad dispositionem naturalem, ad quam cum peruenisset quiescerent, nec quantum est in se posset redire ad dispositionem illam non naturalem: nam naturalis non agit per electionem, sed ad modum seruientis, & ad modum eius, quod committatur per essentiam *Auicen. metaph. tract. 9. cap. 2.*

Mouens nullum mouet se ipsum, sed extra est id quod mouet. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 1.*

Mouentis motio non potest fieri, nisi tribus motibus, aut impellendo, aut attrahendo, aut vehendo. *Auicen. de cælo & mundo, cap. 7.*

Mulieres sciant non ob aliud illis honorem haberi, nisi vt se modestas præbeant, verecundas, & rem perantes. *Epict.*

Mulieribus raro accidit egritudo ex sanguine, & raro emittunt sanguinem per nares. *Auicen. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Mulieres habentes carnem multam, & multum sanguinem habent, vbera plena lacte, sine partu: & in vetulis quando rescinduntur menstrua, aliquando vbera sunt plena sanguine sine partu. *Auicen. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Mulieres in hominibus sunt magis piæ, magis conuertibiles, & inuidæ, timidæ, inuerecundæ, stultæ, mendaces, fraudulentæ, & magis recipiunt fraudes, magis recolunt viles res, & magis pigræ molles, & paratæ ad consuetudinem. *Auicen. de anima lib. lib. 8. cap. 3.*

Mulieres fecundum plurimum sunt obedientes, & maioris dominationis, & timoris, & debilitatis, præter leopardas, & lupas. *Auic. de animal. li. 8. ca. 3.*

Mulieres, quæ multoties coeunt, nun hab nt delectationem in coitu. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 1.*

Mulieres habent testiculos, & vasa spermatica, quæ sunt plena humiditate spermatali, quæ est magis humida, quam sperma viri. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 2.*

Mulier impregnata appetit stulta, & contraria, propter retentionem menstruorum, quę retentio mutat colorem oculorum mulieris, & colorem venarum, quæ sunt in lingua ad virorem, & dolorem pectinis propter constrictionem orificii matricis, quod accidit in principio, vel iuxta tempus impregnationis trium dierum, & nausea augetur cum incipiunt capilli crescere. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 4.*

Mulier non inuenitur, quæ peperit post quinquaginta annos, vir potest generare vsque ad annos septuaginta octo, & aliquando vsque ad nonaginta, sed raro, & aliqua mulier est sterilis cum vno viro, & fœcunda cum alio, & è conuerso, & sic contingit in viro, aliquando homo in iuuentute facit fœm nas, & cum peruenit ad complementum facit masculos, & aliquando non potest generare antequam compleatur eius complexio, aliæ pariunt facile, sed difficile retinent in ventre, aliæ cōtra, aliæ semper faciūt masculos, aliæ fœminas. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Mulieres quæ pariunt vno partu masculum, & fœminam, raro mater & filij viuunt, sed cum duæ fœminæ, vel duo mares, sæpe viuunt, & cum impregnatur supra primam impregnationem, vt in pluribus abortiunt. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Mulieres cum comedunt multum sal, non nascuntur eius filio vngues propter acumen salis. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Mulieres, quæ gerunt masculum sunt in omnibus melioris modi, quam quæ gerunt fœminam, & citius parit. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Mulier habens in vulua plagas non potest impregnari, & de infirmitatibus est cum adunatur in ea aqua in similitudine ydropis, & est ægritudo difficilis. *Auicen. de animalib. lib. 10 cap. 1.*

Mulieri vir debet tribuere necessaria, quia ipse dominatur, & ipsa sibi obtemperat, & filios nutrire, & doceat vt filius seruiat, & obediat parentibus, & reuereatur, & commendet eos, ipsi enim sunt causæ eius esse, quia propter eum multum laboris sustinuerunt. *Auic. metaph. tract. 10. cap. 4.*

Mulier custodiri debet, est enim parui sensus, & dicitur bilis, & magnæ voluptatis ex cuius communione prouenit ignominia, & verecundia maxima. *Auicen. metaph. tract. 10. cap. 4.*

Multi variique sermones partim boni partim mali vulgo circumferuntur quibus ne mouearis, neque te coerceri permittas; si quid falsum dicatur moderate feras: quod tibi nunc dico omnino perficito. *Pythagoræ aurea Verba.*

Multa quæ sunt conuenientia in specie, & genere non sunt sola absque consortio alterius adiuuantis, quod est causa essentiæ, quod in se ipsa est cōueniens vnum, nec facit diuersa, nisi quod est aliud ab ipsa, & hoc non est vnum ab ea, nisi per ligationem alterius vnius, quod reducit eam ad vnum aliquid: oportet vt illa sit vna ex intelligentiis separatis, sed vltima earum, quæ sequitur nos, a qua propter consortium motuum cœlestiū fluit aliquid in quo est descriptio formarū mundi inferioris secundum modum patiendi, vt in intelligentiis est descriptio formarum, secundum modum agendi, a qua postea fluunt formæ appropriantes ea, non solum per se ipsa, sed propter consortium corporum cœlestium. *Auic. metaph. tract. 9. cap 5.*

Multitudinem non timere debes. *Epict. sent.*

Multitudo rerum, aut est ex ea essentia, & forma, aut ex comparatione, quę est ad materiam, & originem multiplicatam ex locis, quę circundant vnāquamque; materiam secundum aliquid, aut ex tēporibus propriis vniuscuiusque illarum, quæ accidunt illis accidentibus, aut ex causis diuidentibus illam. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 3.*

Multitudo intelligitur, vel vt in re sit ex vnitatibus plus quam vna, & hoc non fit respectu alicuius vllo modo, alia est vt sit in ea, quantum est in aliquo alio, & insuper aliud, & hoc est in respectu, & multitudo absoluta opposita est vnitati oppositione: qua aliquid oppositum est suis principiis, ex quibus perficitur, alia opponitur paucitati oppositione relationis, nec est contrarietas inter multitudinem, & vnum cum vnitas constituat multitudinem. *Auicen. metaphysic. tract. 3. cap. 5.*

Multitudo cum destruitur primo destruuntur eius vnitates, & dum ipsæ destruuntur ipsa destruitur. *Auic.*

Auic.metaph.tract.3.cap.6.

Multum & vnum non sunt contraria, quia ipsorum non est vnum subiectum. *Auicen.metaph.tract.3.cap.6.*

Mulorum species non est naturalis, quia si esset naturalis conseruaretur a natura quod exiit ab eis. *Auic.de animalib.lib.16.cap.2.*

Mundus totus perfectus est eo quod habet omnes dimensiones, & non terminatur ab alio corpore. *Auic.de cælo, & mundo, cap.1.*

Mundus est tantum vnus. *Auicen.de cælo, & mundo, cap.6.*

Muscæ faciunt sonum per motum alarum. *Auic.de animalib.lib.4.cap.2.*

Musculi motus generantur ex plerisque neruis, sed cum pertranseunt musculos ex illis, & ligamentis generantur chordæ, quarum extremitatis continuatur vt plurimum cum ossibus, & aliquando cum non ossibus, & aliquando cum membro moto nulla chorda mediante. *Auicen.de anima, par.5.cap.8.*

Musica progreditur vsque ad discernendam cantilenam, sed an canendum, vel ne non considerat. *Arrianus Epist.lib.1.cap.1.*

Mundus est pulcherrimum quippe Dei opus. *Thaletis problem.*

Mirabile quod non est, ne etempus præteritum, nec futurum sentit. *Auic.suffic.lib.2.cap.11.*

N



Ares factæ sunt propter sternutationem, & expulsionem medullæ, & propter inspirationem, & non spirat per os. *Auic.de animalib.lib.1.* Nasi ossa composita sunt ex duobus ossibus terminatis ad duos angulos in sursum, & ad duas bases sub, vt duo trianguli, & super ipsos est cartilago, & in medio est durior, & in fine mollior. *Auic.de animal.lib.12.cap.12.*

Natura, & consilio, quæ geruntur, ordinem setuant, & ad finem certum referuntur, & causam habere oportet, cuius causæ alia sit causa, quousque ad eam peruentum fuerit, quę non sit ex eorum numero, quę oriuntur, sed ex se ipsa causam habeat, vt a causis mobilibus ad immobile ascendamus. *Simp.in Epist.*

Natura, & intellectus non sufficiunt sine doctrina ad acquirendam definitionem dantem sibi intellectum & rationem facientem finem, & cum acquisierit doctrinam aliquando fallitur aliquo modo. *Auic.log.par.1.*

Naturæ infinitæ sunt actiones in diuidendo, & operando in potentia, & effectu, ars vero non potest elicere quicquid est latens illam ad effectum. *Auic.de anima, par.3.cap.4.*

Natura intendit indiuiduum vagum, non signatum alioqui destructo indiuiduo signato destrueretur esse, & ordo eius. *Auicen.suffic.lib.1.cap.1.*

Naturas communes, & generales omnes homines quasi eodem modo cognoscũt, sed differunt, quia quidam illorum sciunt specialia, & pertingunt ad illa, & perscrutantur diuisionem, alij perdurant in scientia generalium, alij sciunt animalitatem, alij humanitatem. *Auic.suffic.lib.1.cap.1.*

Natura vocatur omnis vis, ex qua venit actio non sponte, & fortasse sine cogitatione, & discretione. *Auicen.suffic.lib.1.cap.5.*

Natura est qua corpora naturalia sunt naturalia. *Auic. suffic.lib.1.cap.5.*

Natura est primum principiũ motus rei in qua est, & quietis eius per se ipsam, non per accidẽs, quòd intelligendum motus si contingit fieri, & quietis si fuerit, & primum principium, scilicet efficiens ex quo venit motus in alium a se, scilicet corpus mobile, & propinquum, vt inter illud, & mobile non sit medium rei in qua est dicitur ad differentiam à violento, & artificiali per se, quia semper mouet cum est in dispositione, nisi prohibeatur, & mouet per essentiam. *Auicenn. suffic. libro 1. cap.5.*

Natura non mouetur ab vno gradu animalitatis ad alium gradum superiorem, nisi postquam perfecerit quidquid est in gradu illo. *Auic. de anima, par.3.cap.8.*

Natura dicitur ad modum particularis, & ad modum vniuersalis, particularis est natura propria vniuscuiusque indiuidui, vniuersalis aut erit vniuersaliter considerata, vt species, vt erit vniuersalis absolute, & ambæ non habent esse in signatis indiuiduis, nec sunt essentiæ existentis, nisi in intellectu. *Auic.suffic.lib.1.cap.7.*

Natura posuit speciebus sensibilibus, & vegetabilibus terminos in magnitudine, & paruitate quos non excedunt. *Auic.suffic.lib.2.cap.3.*

Natura est virtus, quæ est principiũ motus, & quietis, immo vniuersitatis eorum accidentium, quæ proueniunt ex materia corporali. *Auicen.metaph. tract.1.cap.4.*

Naturæ illæ quæ non egent materia ad permanendum, vel incipiendũ, si est impossibile est eã multiplicari, & species huiuscemodi est vna numero, nec multiplicatur differentiis, nec materiis, nec accidentibus: differentiis non, propter sui specialitatem, materiis non, quia abstracta, & nuda: accidentibus non, quoniam accidentia, aut inseparabiliter comitantur naturam, & tunc non est multitudo, quæ est sub specie, aut sunt accessibilia non comitantia naturam, quorum accessio fit propter hoc quod pendent à materia: iudicium vero de hoc cum fuerit species est, vt esse eius sit vnum numero: natura enim generis non potest esse, nisi in speciebus, & deinde constituit essentiam specierum. *Auicen. metaphys. tract.5. cap.2.*

Naturæ finis essentialis est, vt quod generatur sit stabile, & cum hoc sit impossibile in vno indiuiduo designato: nam omne quod generatur corrumpitur, hoc facit in specie, & hæc intentio est causa perfectiua actionis vniuersalis, ideo necesse fuit vt sit indiuidua sine fine post indiuidua, ideo infinitas indiuiduorum est accidentalis. *Auic.metaph.tract.6.cap.5.*

Naturalia se habent aliquo modo ad naturam. nam quædam sunt subiecta illius, quædam sunt impressiones, & motus, & dispositiones, quæ emanant ex illa. *Auic.suffic.lib.1.cap.1.*

Naturale est quicquid est comparatum naturæ, & id est aut in quo est natura, aut quod est per naturam in quo est natura, id est quòd formatur natura, aut cuius natura est, vt pars suæ formæ, quod est per naturam, id est impressiones, & motus, & quidquid est eiusdem generis cum illis, & quòd habet naturam, id est quod habet in se hoc principium naturale, & hoc est corpus mobile ex sui natura, & quietum ex sui natura, & quod est ex natura est cuius esse est in actu, aut sua existen-

tia in actu ex natura,siue sit esse primum, vt indiuidua naturalia, siue sit esse secundum, vt species naturales. *Auic.suffic.lib.1.cap.7.*

Naturaliter dicitur id, quod imitatur naturam quocunque modo,siue sit id,quod ab ea exigitur, vt indiuidua,& species substantiales, siue concomitantia illam,vt accidentia comitantia, aut subsequentia. *Auic.suffic.lib.1.cap.2.*

Naturales in suis probationibus, & in perfectione suæ doctrinæ debet retinere omnem comprehensionem materiæ,& formæ simul, & forma cõfert scientiam, quid sit ipsa res in actu,magis quàm materia, & materia confert sibi scientiam potentiæ essendi in pluribus dispositionibus, & ex vtrisque perficitur cognitio substantiæ rei. *Auic. lib.1.cap.9.*

Naturalium virtutum confortatio sequuntur tria, temperantia complexionis spiritus,largitas reparandi loco eius,quod dissolutum est, & conseruatio spiritus a vi dissolutionis. *Auic.de anima,part. 4.cap.5.*

Naturalis scientiæ subiectum est corpus, vt est subiectum motui,& quieti. *Auic.metaph.cap.2.*

Naues sunt tumiscimæ illæ quæ in naualia sunt reducta. *Anacharsidis problem.*

Nauigantes in numero nec mortuorum, nec viuorum habendi. *Anacharsidis problem.*

Nauigantes absunt à morte quatuor digitis. *Anacharsidis problem.*

Nauis est domus erratica, vbilibet hospitium, numina Neptuni, anni cursuum tabellarium. *Alter. Had. & Epict.*

Nauta est amator pelagi,firmi desertor, cõtemptor vitæ & mortis, Vndæ cliens. *Alter.Had.& Epict.*

Necesse esse per se non habet causam, & necesse est esse omnibus modis: nam si necesse esse haberet causam sui esse,eius esse esset per illam, & quid quid est cuius esse est per aliquid cum consideratum fuerit per se non habet esse necessarium, quidquid autem consideratum per se sine alio non habet esse necessarium, non est necesse esse per se, vnde patet quòd si quod necesse est esse per se habetet causam, non esset necessarium esse per se,igitur necesse esse non habet causam. *Auic. metaph.tract.1.cap.7.*

Necesse esse idem per se, & per aliud impossibile est. *Auic.metaph.tract.1.cap.7.*

Necessitas duplex vna libertati voluntatis opposita,altera cum eadem coniuncta,externa liberta tem tollit,interna libertatem confirmat. *Simpl.in Epict.*

Necessaria fortiter aggredienda, & euentus anceps æquo ferendus animo. *Simp.in Epict.*

Ne facias ea quę quandoque te possint afficere pœnitentia. *Pythag.aurea verba.*

Ne feceris quæ te lædere possint. *Pythagora aurea verba.*

Ne fortunæ bona propter opportunitatem effundas,neque sis illiberalis, mediocritas enim in omnibus optima. *Pythag.aurea verba.*

Nemo te aut agendo, aut dicendo ad id inducat quod tibi non sit melius. *Pythag.aurea verba.*

Nerui motus pluris qui sunt in cerebro nascuntur à posteriore parte cerebri,quæ est durior,& eius duritics est vtilior motui. *Auic.de anima,part.5 ca.8.*

Nerui quidam faciunt ad sensum,& quidam ad motum. *Auic.de animal.lib.1.*

Neruus applicatur cordi per applicationem, & non nascitur a corde vt neruoso, sed a quadam substantia dura occulta in substantia cordis. *Auic. de animal.lib.3.cap.1.*

Nerui motus magis indigent duritie, quam nerui sensibiles. *Auic.de animal.lib.12.cap.7.*

Neruorum omnium si caput esset principium quantitas eius deberet esse maior, & tunc ponderaret supra corpus nimium. *Auic.de animal.lib.12.c.7.*

Nerui facientes sensum oriuntur ab anteriore parte, quia est magis humida, motiui a posteriore, quia est magis sicca. *Auicen.de animal.lib.12.cap.8.*

Neruorum paria septem nascuntur a medulla, primum par a duabus anterioribus medullis vbi nascuntur duæ mamillæ olfactus,& supponuntur sibi in modum crucis,& procedunt ad oculos,& aperiũtur vt possint recipere humorem vitreum, & vt possit spiritus ire de vno oculo in alium, ideo si clauditur vnus oculus, vigoratur alius,'& vt spiritus redeat in eadem distantia ne omne visum videatur duo, & etiam vt inter se confortentur in illa coniunctione, secundum par oritur post originem primi,& diuiditur in musculos oculi,& est multum grossum,& debile propter sui mollitiem, tertium par nascitur a medio eius medullæ,quę est anterius,& eius quod est posterius sub basi cerebri, & miscetur cum quarto pari,& diuiditur ab illo per quatuor ramos,vnus exijt per foramẽ per quod intrat vena apoplectica, alius per foramen in ossibus temporum, & alius per foramen secundi paris;quartus transit per foramen quod est in mandibula superiori,par quartum nascitur post tertiũ, & est propinquius medullę basis,&venit ad palatum,par quintum nascitur a duabus partibus medullæ, & vadit ad telam auricularum, & à medulla anteriore, & fit sensus auditus,par sextum oritur à posteriore cerebri,par septimum habet initiũ à termino communicante termino medullæ,& nucæ, & spargit se ad musculos mouentes linguam. *Auic. de animal.lib.12.cap.8.*

Neruorum principium dupliciter medulla est: nam quorundam est mediate principium, quorundam immediate. *Auic.de animal.lib.12.cap.8.*

Neruorum iuuamentum aliud est per se,vt quod dat mediante sensu medullam, & motum ad omnia membra,aliud per accidens est,quod nerui oriuntur a cerebro,& faciunt carnem nimis fortem, & faciunt membra insensibilia sentire,nerui principium sunt medullæ,& finis cutis. *Auic.de animal. lib.12.c.8.*

Nerui qui procedunt à nuca sunt octo paria, vnum par a spondili primo, & spargitur in musculo capitis:secundum par est super inter spondilia primum,& secundum:tertium par oritur à spondili inter secundum,& tertium:par quartum est a foramine,quod est inter tertium,& quartum spondile:par quintũ inter spondile,quartum,& quintum:par sextum, septimum,& octauum exeunt ex aliis foraminibus, secundum supradictum ordinem. *Auic.de animal.lib.12.cap.8.*

Nocivum est occasio in se, quæ per se ducit ad malum, & nocumentum est intentio, quæ perducit de bono ad malum. *Auic.metaph.tract.1.cap.3.*

Nominis significatio est,vt sit illius intentionis,quę est ex prima impositione, & eius significatio alia est principaliter, vt cum dicimus animal significare coniunctionem corporis habentis natuiam sensibilis,alia secũdario, vt corpus significat intel-

intellectum animalitatis. *Auic.log.par.1.*

Nomen ſubſtantiale, aut prædicatur in quid, aut non, quæ prædicantur in quid differunt in communitate, & in proprietate, & quę ſint communia ſunt etiam eorum alia communiora, & hæ ſunt genera, & minus communes ſunt ſpecies, & hæ ſpecies, aut ſit genus ſpeciei, aut non. *Auic.log.par.1.*

Nomen commune ſubſtantiale, aut ſignificat eſſe, aut non, ſi ſignificat eſſe, aut ſignificat eſſe commune differentibus numero non ſpecie, tunc mẽbrum ſignificans eſſe continebat genus, & ſpeciem, quæ eſt ſtatim poſt ſingularia, & excludit rẽſpectum ſpeciei, ſecundum intentionem, quæ eſt in relatione generis ſecundum communiorem intentionem, & poſtea prædicatum de multis differentibus ſpecie in quid diuiditur in id de quo aliquid non prædicatur, & eſt genus tantum, & in id de quo aliquid prædicatur, & eſt ſpecies, & poteſt intelligi de intentione communi, & erit ſpecies, quæ poteſt eſſe genus, & ſecundum intentionem propriam, vt ſit ſpeciei ſpecialiſſima. *Auic.log.par.1.*

Nomen incomplexum, aut ſignificat vnum, aut multa, ſignificans vnum eſt nomen ſingulari, ſignificans multa, aut hæ differunt ſpecie, aut numero, quæ ſignificant multa differentia ſpecie, aut prædicantur in quid, aut in quale quid, in quid genus, in quale quid differentia: accidentale vero eſt accidens commune, quæ differunt numero, aut prædicantur in quid, & eſt ſpecies, aut in quale quid, & eſt proprium, quæ diuiſio, & ſi eſt vulgaris, reprehendenda tamen eſt non comprehendẽs ſpeciem ſecundum intentionem relatiuam, nec differentiam, vt eſt differentia. *Auicen.log.par.1.*

Notiones communes omnibus eædem ſunt, & notio notioni non repugnat, ſed oportet diſcere eas accommodare naturæ congruenter, & poſtea diſtinguere, alia eſſe in noſtra poteſtate, alia non, in noſtra poteſtate eſt voluntas, & omnes voluntariç actiones, reliqua non ſunt in noſtra poteſtate, & bonum ei accommodare debemus, quod in noſtra poteſtate eſt. *Arr. Epict. lib.1.cap.22.*

Nox eſt laboranti requies, graſſanti lucrum. *Altercat.Had. & Epict.*

Nuca eſt, vt pars cerebri penetrans foramina ſpondilium ad hoc, vt id quod fit exterius non elongatur a mẽbris, a qua nuca generantur nerui, & transmittuntur ad propinqua locs, quæ debent moueri per illos. *Auic.de anima,par.5.cap.8.*

Nuca non continuatur cum cerebro, quia medulla cerebri eſt frigida, ſpinalis medulla eſt calida, & non deſiccatur quia accipit continue humiditatem a cerebro. *Auicen. de animalibus, libro 12. capit.6.*

Numen eſt quod neque principium, nec finem habet. *Thaletis problem.*

Numerus quaternarius in medio exiſtens monadis non genitæ, & ſeptemnarij numeri ſine matre, gignentium, & genitorum potentias ſimul accipit hic enim ſolus intra decem, & gignit aliquem, & ab aliquo gignitur. bis duo, quatuor facit: bis quatuor, octo. prima ſolida demonſtratio refertur monadi, linea binario, ſuperficies ternario triangularis enim ex omnibus figuris, quæ rectis lineis conſtant principium eſt ſolidum quaternarii numeri principium eſt, prima enim Pyramis in quaternario numero conſpicitur. *Hieroc.*

Numeri quaternarii cognitio rerum opifices eſt maximum præceptorum a Pythagora diſcipulis traditorum. *Hieroc.*

Numerus quaternarius multa in ſe continet; nam iudicialis potentiæ quatuor ſunt, intellectus, diſciplina, opinio, ſenſus, omnia quæ exiſtunt colligauit elementa, numeros, horas, anni, ætatum compagines. *Hieroc.*

Numerus in ſingula ſpecie rerum, quæ ſunt exiſtit, a Deo dependet, & primus numerus eſt apud illum, ab eo eſt apud nos, cuius finis eſt Decas: nam qui vltra numerare vult in idem reuertitur: decadis vis eſt quaternarius numerus, in ipſo enim finitas quædam adiuncta eſt: nam ſecundum compoſitionem à monade ad quaternarium omnia coaceruatio decas fit: vnum enim duo, tria, quatuor decadem cumplent. *Hieroc.*

Numerus quaternarius eſt medietas numeralis, monades, & ſeptemnarii æqualiter enim ſuperatur, & ſuperat ternario. *Hieroc.*

Numeralis monas omnes numeri potentias in ſe continet, ſeptemnarius tanquam ſine matre, & virgo ſecundum dignitatem à monade habet, non enim ab aliquo numero gignitur. *Hieroc.*

Numeri materiæ cognitio, vt eſt numerus non pertinet ad diſciplinalem ſcientiam. *Auic.log.par.1.*

Numerum conſiderat metaphyſicus, vt de eius eſſentia, & de eo quod accidit ei, vt non pẽndet ex materia, nec eſt innixus in ea. *Auicen. metaph.tract.1.cap.4.*

Numerorum vnuſquiſque ſpecies eſt per ſe, & eſt vnus in ſe, inquantum ipſe eſt ipſa ſpecies, & inquantum eſt ſpecies habet proprietates. *Auic. metaph.tract.3.cap.5.*

Numerus eſt proueniens ex aggregatione vnius, & vnius ita vt numerentur omnes vnitatẽs. *Auicen. metaph tract.3.cap.5.*

Numerus definiri debet per aliquam ex ſuis proprietatibus ſine conſideratione compoſitionis eorum, ex quibus compoſitus eſt, & tunc illa erit eius deſcriptio non definitio ſubſtantialis, vel per conſiderationem compoſitionis eorum, ex quibus compoſitus eſt. *Auic.metaph.tract.3.cap.5.*

Numerus habet eſſe in rebus, & in anima. *Auicen.metaph.tract.3. cap.5.*

Nutrimentum eſt corpus, quod ſolet aſſimilari naturæ corporis, cuius dicitur eſſe nutrimentum, & reſtaurat quantum ei reſolutum eſt de illo, aut plus, aut minus. *Auic.de anima, par. 1.cap.5.*

Nutrimentum non ſemper permutatur in naturam nutriti ſubito, ſed primo permutatur aliquantulum a ſua qualitate, & aptatur permutationi in ſubſtantia nutriendi, in qua operatur virtus digeſtiua, & nutritiua, *Auic.de anima,par.2.cap.1.*

Nutrimentum non ſolum reſtitui, quod ſolutum eſt, ſed etiam auget, & aucto animali reſtituit, id quod ſolutum eſt, & deſtructa hac virtute animalia non erunt amplius viua. *Auicen.de anima,par. 2.cap.1.*

Nutrimentum hominis noſcunt ea quæ habent eſſe naturalem ſine artificio, nec ex illis eſt eius vita bona, ſed & ad victum, & ad veſtitum illa præparare oportet. *Auic.de anima,par.5.cap.1.*

Nutrimentum non eſt in quo non ſit aliquid ſicci, aqua dat viam penetrationi nutrimenti. *Auic.de animalib.lib.1.*

Nutritiua virtus reſtaurat, quod ſolutum eſt, & aſſimilat, & vnit. *Auic. de anima,par.2.cap.1.*

Nutritiua virtus est, quæ deducit nutrimentum primo in sanguinem, & humores, quibus habet in se virtutem propriam nutritiuã, quæ est in eo quæ per mutat nutrimentum in similitudinem eius proprium, & vnit ei. *Auicen. de anima, par. 2. cap. 1.*

Nutritiua virtus dat nutrimentum vnicuique membro secundum eius magnitudinem, & vnit nutrimentum secundum mensuram, quam habet æqualiter. *Auicen de anima, par. 2. cap. 1.*

O



CVLI pupilla potest esse de ijs quæ in nocte lucent, & illuminant, & iactant radios super es quod est illis oppositum, vt leonis, & serpentis, & ideo multa animalia vident in tenebris, quia ex oculis exit lux. *Auicen. de anima, par. 3. cap. 7.*

Oculorum glaucedo accidit, aut propter naturam tunicarum propter naturam humiditatum, & causa in humiditatibus est, quoniam si fuerint claræ, & prope extra, & erit crystallinus multæ quantitatis, & albuginis modicum erit oculus glaucus, nisi aliquod contrarium acciderit à tunica, & si humiditatis fuerior obscuræ, & crystallinos paucus, & albuginis multum, ita quòd faciat obscuritatem, aut crystallinus profundus, erit oculus niger, & cum in tunicis est iniuncta, & tunc illa sit nigra, oculus erit niger, & si vara, vel glauca, oculus erit varus, vel glaucus. *Auic. de animalib. lib. 19. cap. 1.*

Oculus niger propter causam albuginei humoris vetat transitum colorum, quoniam vetat translucentiam, & impressiones, & similiter, qui erit pro pter obscuritatem humiditatis abundantis, & si erit oculus glaucus propter paucitatem humiditatis albugineæ, videbit plus in nocte, quam in die. *Auicen de animalib. lib. 19. cap. 1.*

Oculos glauco habent infirmi, & senes: quia multiplicatur humiditas extraoes, & dissoluitur oatu talis. *Auic. de animalib. lib. 19. cap. 1.*

Oculi profundi sunt parui speculationis illius, quod remotum est ab illo, sed causa discretionis est claritas humiditatis, & sua subtilitas. *Auicen. de animalib. lib. 19. cap. 1.*

Odores non habent nomen, nisi duobus modis: primo vt placent, & non placent, alio vt denominantur secundum similitudinem ad saporem, vt odor dulcis, & acidus. *Auic. de anima, par. 2. cap. 5.*

Odor possibile est vt sit vapor, & possibile est vt vapor permutetur propter odoriferum, & fiat odor, & fiat idem quod vapor, quia quidquid habet partes subtiles, & solet diffundi cum attigerit instrumentum odorandi, & offenderit in illo, siue fuerit vapor, siue aer permutatur in odorem, & per ipsum sentitur odor. *Auic. de anima, par. 2. cap. 5.*

Ollæ vestigium in cinere confunde. *Pythag. sym.*

Ollæ vestigium in cinere confunde, idest post inimicitias nullum iræ vestigium non seruare debere, vel non conseruandum cor plenum curis, & solicitudinibus. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Oleo sedem ne abstergas. *Pythag. symb.*

Olfactus est vis ordinata in duabus carunculis anterioris partis cerebri similibus mamillarum capitibus ad apprehendendum id, quod offert ei aer attractus de odore, qui est impermixtus cum aere, aut de odore impresso in illo ex permutatione quæ fit ex corpore odorifero. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Olfactus non apprehendit magnitudinem, nec figuram, nec motus, & quietes, sed numerum. *Aui. de anima, par. 3. cap. 8.*

Olfactus fit à duabus carunculis, quæ sunt in prima parte cerebri similibus mamillarum capitibus. *Auic. de anima, par. 5. cap. 8.*

Officia omnia in vniuersum mutuis affectionibus sunt metienda, pater est, & si malus curam eius agendum cedendum ei in omnibus, si conuicietur, si verberet ferendum, non enim cum bono patre, sed cum patre coniunctus es, & sic de omnibus officium consideres. *Epictet.*

Omnia vnde oriuntur ab vno, & in idem resoluuntur. *Musei problem.*

Opinio hominis est mensura omnium actionum, si bona crimine caret, si mala ipsa pœnam sustinet. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 28.*

Optimum est ea quæ adsunt boni consulere. *Pittaci problem.*

Optimum, & pessimum est verbum. *Altercat. Hadria. & Epictet.*

Opulentia est vsura ad breue tempus a fortuna concessa. *Epict. sent.*

Opus quodlibet, quod aggressurus es, id tibi subiicito, cuiusmodi sit, vt si quid animo acciderit illud non sit nouum, & si res necessaris nõ est eam ne suscipere debes. *Epict.*

Oratio petenda est è rebus, & factis, non res & facta è verbis, neque enim verborum causa res geruntur, sed propter res verba fiunt. *Missonu Chenet problemat.*

Oratori rectè dicenti si gratulari videaris facilitatis est, & benignitatis. *Simpl in Epict.*

Orationis finis actio est, & omnis oratio si facta desint, vana, & inanis est. *Simp. in Epict.*

Orationes prosunt hominibus, & sacrificia, & Letaniæ pro pluuia, & huiuscemodi. *Auicen. metaph. tract. 10. cap. 1.*

Ossa, quę sunt ad defendendum, aut sustentandum, non sunt concaua, quia non habent opus ad motum, quæ sunt ad motum sunt concaua. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 9.*

Ossa leonum sunt dura, & non habent foramen, & cum colliduntur emittunt ignem. *Auicen. de animalib. lib. 12. cap. 9.*

Otiosum, aut superfluum, nihil est in natura. *Auic. de anima, par. 5. cap. 4.*

Oues si sunt bonæ vsque ad annos vndecim luxuriant, sed omnes vsque ad octo, & possunt ad septem annos. *Auic. de animalib. lib. 5. cap. 2.*

Oues in terra Annubiæ nigrorum pariunt agnum cornutum. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 2.*

Oua magis custodiunt fœminæ, quàm masculi, & pulli ex ouis in æstate veniunt in complementum in decem octo diebus, & in hyeme frigida in septuaginta quinque. *Auic. de animalib. lib. 6. cap. 1.*

Oua fœminina habent vtrumque caput acutum, & masculs, quæ habent rotunditatem: & si ponantur in loco calido, per se nascuntur. *Auicen. de animalib. lib. 6. cap. 1.*

Oua venti sunt minora, & minoris delectationis. *Auic. de animalib. lib. 6. cap. 1.*

Oua omnia scutam habent testam, & membranam, albumen, & vitellum. *Auic. de anim. lib. 6. cap. 1.*

Oua

Oua tot sunt in piscibus, quod si venirent ad vitam, nimis multiplicarentur. *Auicen. de animalib. lib. 6. cap. 2.*

Oua venti, si ipsas superuenit masculi luxuria, accipiunt virtutem generatiuam. *Auic. de animalib. lib. 10. cap. 1.*

Oua venti fiunt cum fœmina non habet masculum, & si non habet, & sint iam bona, & illi deest modus luxuriandi, redeunt oua venti. *Auicen. de animalib. lib. 17. cap. 1.*

Oui albumen, & calidum, & vt est calor aerius, & aliquantulum aquosum, & vitellum, & vt calor corporum terrestrium, ideo albumen, & materia animalis, vitellum est nutrimentum. *Auicen. de animalib. lib. 17. cap. 1.*

P



PANIS non frangendus, idest vita hominis non sit consumanda, alij concordiam conseruandam esse aiunt: nam vt ex pane victus humanus cõstat, sic ex cõcordia, amicitia, & pax. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symb.*

Panem Macedones sumebant, & gladio diuisum vterque libabat in signum pignoris sanctissimi coeuntium, ideo Alexander Macedo Roxanis captus amore cum eam vxorem duceret panem afferri iussit. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Parasiti quidam qui tanquam pisces adescantur. *Alt. Had. & Epict.*

Parentes, & propinquos honora. *Pythagoræ aurea verba.*

Parentum verus honor erit, quem intentio ad virtutem tradit, nec parcere debemus laboribus, ac periculis, immo hæc omnia parentibus libentes subijcere, & subministrare, & nihil relinquere decet ob nostras necessitates, quod illorum curam pertineat, tantóque id magis decorum, & magis honestum fiet, quanto laboriosius erit, & seruile, nec impensis parcere, sed gaudere, & lætari in laboribus, & impensis, quas illis erogamus, & qui hæc facit læte legem virtutis seruat, & naturæ charitatem reddit. *Hieroc.*

Parentibus corpora curare prompte debemus, & libenter pecunias suppeditare. *Hieroc.*

Parere debet cito mulier cum dolor incipit inferius. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Paria inferis, imparia superis sacrificato, notat primum mensem superis, secundum inferis sacrum esse. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Partus mulieris est grauior quam aliorum animaliũ, & retentio anhelitus iuuat partum, & anhelitus impedit, & vmbilicus debet nodificari, ne foras exeat sanguis, & anima: sed postquam coagulatur sanguis supra secundinam quasi in speciem vermis, non nocet solutio illius nodi. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Passio non fit, vt patiens abstrahat virtutem agentis, aut qualitatem eius, sed vt recipiat ab eo consimile eius, sed alterius generis quam sit illa. *Auic. de anima. par. 3. cap. 7.*

Pater si improbus est filij in patrem affectionem non soluit voluntas, est enim naturalis, non voluntaria. *Simplic. in Epict.*

Pater si malus est ei officia quæ patri debentur, præstandi sunt, omnibus enim modis obseruandus, & curandus est, eorum mandata alacriter exequenda sunt, ijs exceptis, quæ animi vitia prouocant, hæc enim citra eorum offensam, quantum fieri potest, recusanda sunt, vt quæ patri animorum displiceant, cedendum in reliquis omnibus est, & in rebus exterois, & in corpore. *Simp. in Epict.*

Patria potestas apud Romanos ea erat, vt & filios vendere, & occidere liceret. *Simpl. in Epict.*

Pauo viuit vigintiquinque annos, & ponit oua postquam fuerit annorum trium, & complentur sui colores, & ponit vno anno duodecim oua successiue, & cubat ea triginta diebus, sed melius a gallinis cubantur, quia pauo ea frangit volens luxuriari cum pauona, & gallina cubat duo oua pauonum, & ea nutrit. *Auicen. de animalib. lib. 6. cap. 1.*

Paupertas non parit dolorem, sed cupiditas, neque diuitiæ a metu liberant, sed ratio. *Epict. sent.*

Pauper fœlix ætatem exigit, rarissime vero id accidit in diuitijs, & magistratibus. *Epict. sent.*

Pax est tranquilla libertas. *Alter. Had. & Epict.*

Peccatum qui facit, facit id quod non vult, ideo si pugna ostendetur peccare desistet, sed si non ostẽderis te ipsum accusato. *Arr. Epict. lib. 2. cap. 26.*

Peccata existunt, aut ratione, quod fieri debeat non dictante, ob prudentiæ penuriam, aut eam quidem quamuis languidè, tamen perspiciente quid facto sit opus, sed brutis appetitionibus ob neglectam institutionem, tyrannice aduersus languidum iudicium rationis insurgentibus. *Simp. in Epict.*

Pecuniam in tempore cumula, & cum res postulat, erogare discito. *Pythagoræ aurea verba.*

Pedem dexterum præmitte in calceos, in lauacrum vero sinistrum. *Pythag. symb.*

Pedem dexterum prius induendum, sinistrum vero prius lauandum, id est ad bona opera, & ciuiles actiones incitemur, quæ ad calceatos pedes referuntur, ad mollia, & luxui pertinentia, quæ balneis significantur pigriores esse debere. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag.*

Pœnitentia fit non dictis, sed factis cum læsos a nobis iniuria, & contumelia, ludibriove placamus, vel ipsos, vel eorum posteros, cum odimus iniuriam, cum iniustos auersari, eorum consuetudinem, qui iustitiam venerantur expetendo nosipsos castigamus, donec plane repurgemur, & pœnitentiæ euidens argumentum est eadem non committere, nec minora illis, quæ vera pœnitentia virtus amplecti debet. *Simp. in Epict.*

Perdicis fœmina impręgnatur ex vento flante a parte sui mariti, & auditus sonitus eius, & catula perdix extrahit linguas suas ad commiscendum se tempore coitus. *Auic. de animalib. lib. 5. cap. 1.*

Pericula, & rerum difficultates virum monstrant. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 24.*

Periurium non deterius adulterio est. *Thal. prob.*

Periurij mater est vitium, & malitia, quæ infirmitate morum iusiurandum supprimit, & calcat. *Hieroc.*

Per viam publicã ne vadas, interpretatur nos sequi nõ debere multorum, & vulgi errores, vel ne in gentiũ viam abieritis. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Percussio fit cum duo corpora sibi inuicem occurrũt, aut vnum stet, & aliud occurrit, & maiorem partem habet illud corpus quod durius est, secundus motus est cessio aeris, aut fuga, & eius inter illa constrictio. *Auic. de anima, par. 2. cap. 6.*

Perfectio duplex prima, & secunda, prima est propter quam species sit species in effectu, secunda est aliquid ex eis, quæ consequuntur speciem rei, aut ex actionibus eius, aut ex passionibus eius.

Auicen. de anima. par. 1. cap. 1.

Perfectio, totum, & vniuerſum penè ſunt cognata in ſignificatione. *Auicen metaph. tract. 4. cap. 3.*

Perfectio cauſati inferior eſt perfectione cauſæ agentis. *Auic. metaph. tract. 9. cap. 2.*

Perfectionis omnis adeptio reſpectu recipientis eſt bonum, reſpectu agentis non eſt liberalitas, niſi fuerit non per retributionem. *Auicen. metaphyſi. tract. 6. cap. 5.*

Philoſophum eſſe apud nuſquam profiteatis, nec apud imperitos multum diſputes de præceptis, oſtentatio vndecunque eſt tollenda, ſi aliquid dixerit te nihil ſcire, & non commotus fueris ſcito rem incertam eſſe: nam & oues non fænum ferunt opilionibus, ſed paſtu intra ſe concocto foris ferunt lanam, & lac, & tu non verba, ſed opera oſtendis. *Epict.*

Philoſophi ſtatus eſt omnem vtilitatem a ſe ipſo expectare. *Epict.*

Philoſophi eſt homines vitioſos monere, vt Medici ægrotos. *Epict. ſent.*

Philoſophi nerui ſunt appetitus, fruſtrationis expers, auerſatio caſibus non obnoxia, affectio conueniens propoſitum accuratum, aſſenſio conſiderata. *Arrian. Epict. lib. 2. cap.* 8.

Philoſophia nihil maius Deorum immortalium munere datum eſt. *Simp. in Epict.*

Philoſophus in Republica locum hunc tenere debet, vt ſit quidam opifex fidelium, & moratorum ciuium. *Simp. in Epict.*

Philoſophiæ ciuilis duę ſunt ſpecies, altera moralis, altera ſacrarum rerum: illa per virtutem nos ſtultitia purgat, hæc per ſacra myſteria terrenas cogitationes detruncat. *Hierot.*

Philoſophiæ practicæ finis non eſt, vt ſciat tantum, ſed vt ſciat quid debet agere, & agat, vnde eſt cognitio ſentẽtiæ, quæ eſt in opere, vnde indignior eſt ſpeculatiua. *Auic. log. par. 1.*

Philoſophię intentio eſt comprehendere veritatem omnium rerum, quantum poſſibile eſt homini comprehendere. *Auic. log. par. 1.*

Philoſophiæ ſpeculatiuæ finis non eſt, niſi perfectio animæ, vt ſciat tantum, & verſatur circa res quæ habent eſſe non ex noſtro arbitrio, vel opere, ergo eſt apprehenſio ſententiæ, quæ non eſt opus, vnde dignior actiua. *Auic. log. par. 1.*

Philoſophiæ ſpeculatiuæ finis eſt agnitio veritatis. *Auic. log. par. 1.*

Philoſophiæ practicæ veritas probatur teſtimonio legis diuinæ, & eius finis eſt cognitio bonitatis. *Auic. log. par. 1.*

Philoſophia practica ſpectat, vel ad ſcientiam ſcientiarum, per quas ordinatur conſortium humanũ commune, & vocatur ſciẽtia ciuilis, aut per quas ordinatur cõſortium humanum familiare, & vocatur ſcientia domeſticalis, aut per quas ordinatur modus vnius hominis ſecundum honeſtatem animæ ipſius, & vocatur ſcientia moralis. *Auic. log par. 1.*

Philoſophia ſpeculatiua comprehendit tres partes, naturalis, doctrinalis, & diuina, & naturaliũ ſubiectum eſt corpora, vt mouentur, & quieſcunt, & inquiruntur ipſorum accidentia, doctrinalium quantitas puræ, vel quod habet quantitatem diuinæ res a materia ſeparatę ſecundum eſſentiam, & definitionem. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 1.*

Philoſophia alia actiua, alia ſpeculatiua, & ſpeculatiua eſt illa in qua quæritur perfici virtus animæ ſpeculatiuæ per acquiſitionem intelligentiæ, & effectu, ſcilicet per adeptionem ſcientiæ imaginatiuæ, & creditiuæ de rebus quæ nõ ſunt noſtra opera, nec noſtræ diſpoſitionis, & in his eſt finis certitudo ſcientiæ, & opinionis: actiuæ ſunt in quibus quęritur perfici anima de rebus quæ ſunt noſtra opera. *Auicen. metaph. tract. 1. cap. 1.*

Pictura eſt veritas falſa: nam poma picta, aurum, videmus, & non eſt verum. *Alter. Had. & Epict.*

Pili qui naſcuntur in naribus ſignificant hominem eſſe mediocrem, & habere bonum auditum. *Auic. de animalib. lib. 1.*

Pili animalis complexione calidi, criſpi ſunt. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 2.*

Pili cani fiunt propter caloris ſuperfluitatem, & aliquãdo accidit capillus canus in infirmitate, & in conualeſcentia, poſtea reuertitur naturalis coloris. *Auicen. de animalib. lib. 3. cap. 2.*

Pili quidam de proprietate hominis naſcũtur in eo poſterius, vt pectoris, & aſcellarum, & poſt fit caluities in anteriori parte capitis, quia medulla non applicatur fortiter oſſi, quia illa pars medullæ anterior eſt ſubtilior, vt citius acciperet impreſſiones: & mulieres, quia ſunt multum humidæ non fiunt caluæ, & caſtrati, quia ſunt frigidi, & non diſſoluitur in illis humiditas per calorem. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 2.*

Piramis eſt cum triangulus recti anguli mouetur ſuper latus continens rectum angulum extremitate, cuius lateris ſeruante centrum circuli, & extremitate ſecundi lateris deſignante circunferentiam circuli. *Auicen. metaph. tract. 3. cap. 9.*

Piſces non reſpirant, nec habent pulmones, & accipiunt per brancos. *Auic. de animalib. lib. 2. cap. 1.*

Piſcis nullus habet teſticulos, nec omne quod non habet pedes. *Auic. de animalib. lib. 2. cap. 1.*

Piſces guſtant, & ideo appetunt quædam cibaria, & quædam renuunt, & niſi audirent non fugerent propter ſonitum, & niſi olfacerent non venirent ad rete propter lac, & alias res in rete olfactibiles. *Auicen. de animalib. lib. 4. cap. 2.*

Piſces qui morantur in pelago habent carnes ſuas magis molles, & qui morantur in loco, vbi tanguntur a vento, & frigore magis duras. *Auicen. de animalib. lib. 5 cap. 2.*

Piſces, qui ſunt in ripa, habent carnes ſaporoſiores, & ſaniores, quia ſunt ibi meliora paſcua. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 2.*

Piſces augumentãtur anno pluuioſo in hyeme, & æſtate: quia tempore pluuiæ aqua maris fit dulcis, & piſces iuuãtur a pluuia. *Aui. de animalib. l. 8. c. 2.*

Piſces non patiuntur epidemiam, vt animalia, quæ ſunt ſuper terram, ſed quãdo aſcẽdit ſtella Aſcoalabon, quæ eſt in Cancro patiuntur, & tonitruum nocet piſcibus. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 2.*

Piſces quidam mutant ſuos colores, ſecundum colores loci habitationum quouſq; aſſimilãtur ei, & videtur vt lapis. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 5.*

Piſces omnes habent multa oua, & ſunt citrina, quia non ſunt completa, & non complẽtur niſi extra, & maſculus rigat illa quadam humiditate, cum qua completur generatio in eis; excepta rana, quæ ouat vnum ouum ſolum. *Auicen. de animalib. lib. 17. cap. 1.*

Piſces, & coruos luxuriari per os falſum eſt, nam quod ittorat per os corrumpitur in ſtomacho. *Auic. de animalib. lib. 17. cap. 1.*

à Piſcibus abſtineto, quia non lædunt hominem, ideo

ideo impium est piscem lædere, & non ad saturitatem eduntur, sed ad luxum. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symbola.*

Pisces primi inter cætera animalia creati sunt, ideo ignobilissima, vt homines vltimi creati nobilissimi. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Plusquam perfectum est id cui est esse, quod debet habere, & ab eo exuperat esse ad cæteras. *Auic. metaph. tract. 2. cap. 3.*

Pœna spectat ad malorum correctionem: nam dare pœnam vtilius est, quàm non puniri. *Hierocl.*

Pœna si non esset in vitiis non esset quoque meritū, neque beneficiorum laus. *Hierocl.*

Populo inuisi esse solent, qui consuetam vitæ rationem negligere videntur. *Simp. in Epict.*

Possibile esse non habet esse, nisi cum necessarium est respectu suæ causæ. *Auicen. metaphysi. tract. 1. cap. 7.*

Possibile est veritas per aliud a se, & est falsitas in se ipso, quidquid est præter necesse esse, quod est vnum falsum est in se. *Auicen. metaph. tract. 1. cap. 9.*

Potentia triplex secundum prius, & posterius vna aptitudo absoluta, a qua non exiuit aliquid ad hoc in effectu, nec habetur aliquid propter quod exeat, vt infantis potentia ad scribendū, alio modo aptitudo quandiu non habet res, nisi id propter quod est possibile eam peruenire ad effectū sine medio, vt potentia infantis ad scribendum cum fuerit adultus, tertio aptitudo cum perfecta fuerit instrumenta, vt scriptoris: prima appellatur absoluta materialis, secunda potentia facilis, vel possibilis, tertia est perfectio. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Potentia differt ab aptitudine, quia potentia est super contraria æqualiter, aptitudo non est super contraria æqualiter: nam omnis homo potest gaudere, & tristari. *Auic. de anima, par. 4. cap. 5.*

Potentia ante motum est duplex vna iam in illo, & altera perueniendi ad illud. *Auicen. suffic. libr. 2. cap. 1.*

Potentia dicitur multis modis, primo vt actiones validas animalium, appellarunt potētias, deinde cum animal potest facere quod vult, & nō facere quod non vult, & cum non patitur nisi paucū, & quæ nullo modo patitur, & fortitudinem appellarunt potētiam, postea appellarunt potētiam omnem dispositionē, quæ est in aliquo principiū variationis ab illo in aliud, quamuis nō sit ibi volūtas, ita vt calorē vocauerūt potētiam, deinde possibilitatē dixerunt esse potentiam, deinde perfectionem huius potētiæ vocauerūt actum, quamuis non sit actus, sed passio, aliquādo vocatur bonitas, & vehementia istorum geometræ cum inuenerunt aliquam lineā esse latus quadrati vnius, & aliquando est quæ non potest esse latus illius quadrati, posuerunt illud quadratum potentiam illius lineæ. *Auic. metaphy. tract. 4. cap. 2.*

Potentia, quæ est principium motuum, & actionum, quædam est comes rationalitatis, & imaginationis, quædam nō, quæ est comes quasi fit eiusdem generis cum illis. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 2.*

Potentia passiua cum obuiat actiuæ, vt passio perueniat in his rebus, est potentia perfecta. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 2.*

Potentia passiua aliquando est perfecta, aliquando imperfecta, & aliquando propinqua, aliquando remota. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 2.*

Potentiarum quædam perueniunt natura, quædam consuetudine, quædam artificio, quædam ea sui differt quòd prouenit ex artificio ab eo quòd prouenit consuetudine, quia quòd prouenit ex artificio indiget instrumentis, quod ex cōsuetudine non eget instrumentis. *Auic. metaph. tract. 4. ca. 2.*

Potentiam essendi vocamus possibilitatem essendi, & quòd sustinet potentiā essendi vocamus subiectum, hyle, materiam. *Auicen. met. physic. tract. 4. cap. 2.*

Potentia absolute est prior effectu, & est prior eo, nisi in solo tempore. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 2.*

Potentia effectus prior est dignitate, & perfectione. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 2.*

Potenti quid agendum adhibenda clementia, vt cū homines magis reuereantur, quam formidine. *Chilonis problem.*

Potestas iuxta necessitatem habitat. *Pythagoræ aurea verba.*

Prædicatio fit duobus modis, aut vniuoce, vt Socrates est homo, vniuoce enim homo prædicatur de Socrate, aut denominatiue, vt albedo: de homine dicitur enim homo albus, idest habens albedinē, nec dicetur qd homo sit albedo. *Aui. log. par. 1.*

Prædicatum aut est de multis, aut de vno, de pluribus quinque voces, de vno indiuidua. *Auicen. log. par. 1.*

Prædicati de multis non accidit omni, vt genus nisi aliquo respectu, vt animali accidit generalitas aliquo respecto, scilicet respectu cōmunitatis, non enim negamus quin intentio minus communis prædicetur de magis communi, sed nō de omni si autem genus prædicatur de prædicato de multis, vt prædicatum de multis prædicatur de genere esset impossibili. *Auicen. log. par. 1.*

Prædicari in quid, differt a prædicari quasi in quid, vt differt esse, & hoc quod dicimus contineri in esse: prædicabile quasi in quid est omne id quod continetur in intentione facta de esse, & illud solum non significat esse: prædicabile in quid est illud solum quod respondetur ad quid: genus sem per significat in quid, differentia vero continetur in esse, & quasi in quid, quoniam est pars eius quod respondetur aliquid, sed in quibusdam non in aliis. *Auic. log. par. 2.*

Prædicabile aliud constituit quidditatem subiecti, aliud comitatur eius quidditatem, & non constituit illam, quia non est necesse, & omnis intentio nimis communes quæ non continetur sub intentione communiore, differt per conuenientibus secum in illa per differētiam, quæ intelligitur esse intentio diuersitatis suæ essentiæ, & suæ quidditati. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 6.*

Principis custodia optima si beneuolentia non armis muniatur. *Periandri problem.*

Principium, & finis omnium rerum est id quod ab omnibus appetitur, & ad quod omnia referuntur, & id bonum est. *Simp. in Epict.*

Principium ad vnum reducuntur omnia cum inter se differant, suisque differentiis compleantur, vt pulchra omnia, siue sint in corporibus, siue in animis, ad vnum reducuntur pulchritudinis fontem. *Simpl. in Epictet.*

Principium primum quæ immediate producit, quia cum eo cohærent, a bonitate non recesserunt, cū immobilia, & immutabilia sint, in eadem semper beatitudine collocata, non indiga boni sunt, sed semper per se sunt bonitates: cætera cū ab eo di-

ſtent, participatione habent bonum, ſed extrema, idest corpora, vt eſſentiam, & motum aliunde habent, quia diuiſionem admittunt inſtabilia ſunt, at animi qui & ſe ipſos, & mouent, & corpora mouent, bonum appetunt. *Simplic. in Epict.*

Principia duo omnium rerum, qui dixerunt, bonum ſcilicet & malum, omnino negant Deum, quem ipſi bonum appellant, nec & omnipotentem celebrant, nec ſummam ei potentiam tribuunt, nec eum qui fons eſt bonitatis, & lucis dicitur, bonitatem, & lucem impartiri omnibus credunt, plura enim probra ipſorum orationem conſequuntur. *Simp. in Epict.*

Principia ſimplicia eſſe oportet: nam compoſita ex ſimplicibus conſtant. *Simplic. in Epict.*

Principium primum eſt affirmationem, vel negationem verum eſſe, & inter ipſa non eſſe medium. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 9.*

Principium materiale habet omne quod incipit eſſe, & poteſt non eſſe. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 2.*

Principium eorum, quæ ſunt a cauſa prima vnum numero eſt, & eius eſſentia, & quidditas eſt vnitas non in materia, vnde nihil corporum, vel formarum, quæ ſunt perfectiones corporum, eſt cauſatum eius propinquum, quia primum cauſatum eſt intelligentia pura, quæ eſt forma non in materia, & ipſa eſt prima intelligentiarum ſeparatarum, & videtur ipſa eſſe principium mouens corpus vltimum per viam deſiderij. *Auicen. metaph. tract. 9. cap. 4.*

Priuatio eſt aberratio, & fruſtratio formæ, vt claudicatio inceſſus. *Simplic. in Epict.*

Priuatio vt priuatio non habet opus, vt ſit ibi perfectio, aut permutatio. *Auic. ſuffic. lib. 1. cap. 2.*

Priuatio eſt rei deſignatæ priuatio in re deſignata, in qua eſt illa in potentia, ergo habet priuatio aliquem modum generationis accidentaliter, & corruptionis accidentaliter, & ſit priuatio cum forma ſeparatur a materia, & eius corruptio eſt cum recipitur forma in materia. *Auic. ſuffic. lib. 1. cap. 3.*

Priuatio multis modis dicitur, quod debet eſſe in aliquo & non eſt in eo, non quod non ſit illius modi, vt ſit in eo, quamuis ſit illius naturæ, vt ſit in aliquo, & cuius natura eſt eſſe in genere alterius rei, nec eſt in ipſa re, quia non eſt illius modi, vt ſit in ea, ſiue ſit genus proximum, ſiue longinquum, & cuius natura eſt eſſe rei non abſolute, ſed in ipſa hora, quæ præterijt, & amiſit per violentiam, & quod res amiſit integritatem ſuam, & prædicatur de priuatione negatio, non è conuerſo. *Auicen. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Priuatio aliquando eſt in materia, aliquando eſt eomes eſſentiæ, quæ facit eſſe priuationem alterius eſſentiæ in materia, & non eſt ſimiliter cum priuatione, & hæc ſint contraria quorum oppoſitionis cauſa non eſt alietas generum, ſed quòd eſſentiæ eorum ipſa diffinitione ſui, & diffinitione ſuarum differentiarum repugnaret coniungi, & deſtruunt ſe. *Auicen. metaphyſic. tract. 7. cap. 1.*

Priuatio vt priuatio non deſideratur, niſi inquantum eam ſequitur eſſe, & perfectio. *Auicen. metaph. tract. 8. cap. 6.*

Priuationem quidquid aliquo modo pati poteſt, non eſt omnibus modis expers malitiæ, & imperfectionis. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 6.*

Prius, & poſterius conueniunt in vno ſecundum ambiguitatem, ſcilicet quod prius, vt prius aliquid eſt quod non eſt poſterius, ſed nihil habet poſterius, quod non habeat prius. *Auic. metaph. tract. 4. cap. 1.*

Propoſitiones cum conceduntur firmæ eſſe debent vſque ad finem diſputationis, ſed ſi non fuerint ratæ vſque ad extremum, non ſunt conceſſiones habendæ ratæ, non enim tam peccat qui ea retractat quam qui Capitolium euertiſſet. *Arrian. Epict. lib. 1. cap. 7.*

Propoſitiones quia efficiunt concluſionem, aſſimilantur cauſæ efficienti, & concluſio, vt concluſio eſt res præter ipſas propoſitiones. *Auic. ſuffic. lib. 1. cap. 10.*

Propoſitiones per ſe notæ neceſſariæ ſunt in probatione certiſſima. *Auicen. de cælo, & mundo, capit. 16.*

Propria quæ aptantur, & conſequuntur formas, & quæ habent ſpecies omnes, & ſemper non ſuſcipiunt magis, & minus, at quæ conſequuntur materias plurium recipiunt magis, & minus. *Auic. log. par. 2.*

Proprietatum quædam eſt poſſibile negare actu, & quædam eſt poſſibile negare in intellectu ab re, & & quædam impoſſibile eſt negare eſſe aliquo modo cum ſit accidens, & quædam impoſſibile eſt negare cum ſit ſubſtantiale. *Auic. log. par. 1.*

Proprietas ſecundum Logicos dicitur duobus modis, vno modo cum dicitur de omni intentione, quæ eſt propria alicuius ſiue abſolute, ſiue comparatione alicuius, alio modo cum dicitur de aliquo, quod eſt proprium alicuius ſpeciei per ſe, & non alterius, aliquando etiam quòd eſt ſpeciei omnis, & ſemper. *Auic. log. par. 1.*

Proprium vniuerſale eſt quod prædicatur de indiuiduis vnius ſpeciei in quale quid non ſubſtantialiter, ſiue ſit commune ſemper, ſiue non. *Auicen. logic. parte 1.*

Prouidentia diuina omnibus merita tribuit, manifeſtum ergo eſt animum immortalem eſſe. *Hierocl.*

Prouidentia ex ſingulis quæ in mundo fiunt rebus laudari facile poteſt ſi duo hæc inſunt, facultas cuiuſque rei perſpiciendi, & gratus animus, alioqui vel vtilitates rerum conditarum non intelligit, vel gratiam pro ijs non habebit. *Arr. Epict. lib. 1. cap. 6.*

Proximorum cultus, ſecundus eſt ab illo, qui parentibus debetur, ordinatus eſt curam prudenter mereri debemus, & ſecundum naturę propinquitatem, tantum poſt patrem, & matrem ſingulis tribuere, quantum affinitas docet. *Hierocl.*

Prudentia habitus eſt, quæ optima eſt pars rationalis eſſentiæ noſtræ ex qua aliæ animi potentiæ ordinantur, & apte diſponuntur, vt animoſitas ad fortiter agendum, cupiditas, vt à placitis abſtineamus, iuſtitia, vt indebua coerceamus, hæc virtus mortalem hominem in nobis ornat ex ſuperabundante ſibi innata virtute hominis immortalis. *Hierocl.*

Prudentia eſt dux diuinorum bonorum recte animo hominis collocata ſuffragatur ſibi, vt de omnibus bene conſulat, & mortem fortiter, & pecuniarum perditionem æquo animo ferat, & omnes rerum mutationes, & illas ſequentem fortunam ſapienter, & intrepide ſupportare prudentia, vt poſſimus ſcire. *Hierocl.*

Prudentiæ proprium opus eſt Deorum legibus obtemperare, quæ non quærit, vt non moriamur, ſimili-

similiter pecuniarum naturam non ignorare, quæ a nobis modo acquiruntur, modo amittitur, prout quædam determinatę causæ volunt, quibus resistere stultitia est: nam domini esse non possumus eorum, quæ nostra non sunt. *Hieroc.*

Pudere qui sui consueuit, habet semper secum custodem quem venatur. *Hieroc.*

Pudor sui ex necessitate facit, vt turpia, & indigna vitæ qui ratione vtitur, vitamus. *Hieroc.*

Pulcher est non qui faciem exornat, sed qui bonis moribus præditus est. *Thaletis problem.*

Pulchra singula sunt cum pro natura cuiusq; pulcherrime se habuerint, & cum natura cuiusque est diuersa, diuersa etiam ratione quodlibet eorum pulchrum esse videtur. *Arr. Epict. lib. 3. cap. 1.*

Pulcher homo est si virtute humana est præditus, virtus autem humana est iustitia, continentia, modestia, & cæteræ virtutes. *Arr. Epict. lib. 3. cap. 1.*

Pueri quamuis sint humidi, tamen firmiter tenent, quia animæ eorum non occupantur circa quæ occupantur animæ maiorum, nec mouentur ab eo quod stant in aliud. *Auic. de anima, par. 4. cap. 3.*

Puer post quadraginta dies ridet, & hæc est prima actio, quam operatur anima rationalis in suo corpore, & somniat post duos menses. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Pueris cum accidit ægritudo secundum materiam augetur ægritudo in augumento Lunæ, quia tunc augumentantur omnes humiditates. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 5.*

Pueris accidit mala digestio propter magnam gulositatem, & inordinatum modum commixtionis. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 3.*

Puer exigit somnum, vt cum nascitur appetit lachrymas. *Auic. de animalib. lib. 17 cap. 1.*

Pupillis, & viduis, vt parentis loco esse debes. *Simpl. in Epictet.*

Pulmo nutritur ex sanguine calidiori admixto cum multa cholera, & sunt adunatæ in eo multæ superfluitates ex vapore nutrimentorum, & e catarrho capitis, & est siccior epate. *Auicen. de animalibus, libro 12. cap. 2.*

Pulmo est ex p[illegible]tibus venis, scilicet, & arteriis non dimicatis, & venis non pulsatilibus, & in eo est caro parum alba, mollis, & rara, quæ eum implet, & est sarus, vt accipiat, & expellat aerem, & est duarum partium dextra, & sinistra, & sinistra est duarum partium, dextra trium, & est quasi culcitra cordis. *Auicen. de animalib. lib. 13. cap. 2.*

Pulmonem habens, habet & vesicam, & renes. *Auic. de animalib. lib. 13. cap 5.*

Punctum non potest puri vt suo motu designet lineam, dicitur ad imaginandum non tamen, vt esse possit. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 4.*

Puro, & sine delitijs victu contuetee. *Pythagora aurea Verba.*

Pythagoræ præcepta purgant nos à desidia, & diuinorum scientiam inferunt. *Hieroc.*

Pythagoræ verba dicuntur aurea, quia vt optima sunt, sic aurum in rebus humanis optimum est. *Hieroc.*

Pythagoricæ disciplinæ finis est, vt ad diuinorum bonorum adquisitionem perfecti omnino, & alacres efficiamur, vt quando moriendi tempus aduenerit relinquentes in terris mortale corpus, & eius naturam deponentes, vt Athletæ certaminum, philosophia accincti, leues ad cœlestem sedem perueniamus. *Hieroc.*

Pythagoreorum mos fuit huius mundi opificem, & patrem Iouis nomine magnificare: nam Iouis nomen imago quædam est in voce operatricis existentiæ. *Hieroc.*

Pythagoram alij Samium, alij Syrium, alij Tyrium, à quibusdam Græcis Tyrrhenum, ab alijs Hebræum fuisse proditum est, & vt ait Theodoretus à circumcisione non abstinuit ab Hebræorum monimentis Prophetis, & Mose multa desumpsit. *Lil. Greg. Gyr. in præfat. de symb. Pythag.*

Pythagoras vescebatur melle, & fauo, quia sine hominum labore parantur, & quasi sit cœlestis cibus, milio, & pane, vino penitus abstinuit, lactucis vescebatur, quia ventrem sistant. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symbola.*

Q




VÆ ignoraueris ne facias, sed quantum necesse est disce. Atque ita vitam iucundissimam transiges. *Pythagora aurea Verba.*

Quæ perpeti recusas, ne cui idem feceris. *Epict. sent.*

Quæstiones an logica sit pars Philosophiæ, vel non, superfluæ sunt, tum quia cognitio, & solicitudo harum rerum non prodest: tum quia alio modo, & alio intelligunt de philosophia. *Auicen. logic. par. 1.*

Qualitatum passiuarum instrumentum primum est humiditas, & hæc est, quæ recipit figuram, quam sequitur siccitas, quæ conseruat figuram, & iuuat ad retentionem formæ. *Auicen. de anima, par. 2. cap. 1.*

Qualitas non sentitur, nisi dum membrum tangens fuerit contrarium illi qualitati ex qua patitur, cum pertulerit, & quieuerit passio, qualitas fiet complexio membri, & tunc non sentietur. *Auic. de anima, par. 4. cap. 5.*

Qualitates sensibiles sunt accidentia. *Auicen metaph. tract. 3. cap. 7.*

Quantitas est illa in qua possibile est esse aliquid de illa quod per se ipsum potest esse vnum numerans, siue hoc possit esse in se, siue sit ex positione. *Auic. metaphysic. tract 3. cap. 4.*

Quantum continuum, vel est stabile habens esse similiter cum suis partibus, vel non si non est stabile, sed renouatur esse eius per successionem vnius post alium est tempus, si vero fuerit stabile, & sit mensura tunc, vel erit illa, quæ est perfectio ex mensuris, & est corpus, vel duæ superficie, vel vna linea, & hæ sunt quantitates continuæ per se. *Auicen. metaphysic. tract. 3. cap. 4.*

Quies est priuatio motus. *Auicen. sufficient. lib. 2. cap 4.*

Quies est motus priuatio in eo, quod moueri solet. *Auic suffic. lib. 2. cap. 13.*

R



ANA non dat vocem, nisi in aqua, & habet linguam cõiunctam cum mandibula, & cum facit vocem mandibula est in aqua, & illa vox dicitur coax, & cum exit aquã fa-

cit aliam vocem. *Auic. de animalib. lib. 4. cap. 2.*

Rana cantans non inuenitur in terra Caraman. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 2.*

Raro vel cum molestia quid spectatur senex Tyrānus. *Thaletis problem.*

Ratiocinandi, & differendi facultas sola prospicit tum se ipsam, quænam sit, quid possit, & quanti sit existimanda, tum cæteras vniuersas. *Arr. Epi. lib. 1. cap. 1.*

Ratio cernit aliquando quod dicit, & aliquantisper pugnat pro illo, excitatis etiam apperitionibus, & declinationibus rectis, licet obscuris, sed brutis affectibus eam vincentibus, & distrahentibus suis cupiditatibus, vi seruiat cogitur. *Simp. in Epict.*

Rationale, vt differentia est hominis non prædicatur de Angelis. *Auic. log. par. 1.*

Rationale non est conditio, vt ex ea pendeat animal, vt animal quaorum ad intentionem animalis, & eius certitudinem, sed ad hoc vt habeat esse signarum. *Auic. metaph. tract. 8. cap 5.*

Receptibile omne non est receptibile omnis rei, vt lana non potest recipere formam ensis. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 5.*

Recipera est ex vna vi, quæ est alia ab ea ex qua est retinere. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Recitationibus non etis præsens, nec ad illas accesseris, & si accesseris grauitatem, & constantiam tuera, & caue ne cui sis molestus. *Epict.*

Recordatio non inuenitur, nisi in solo homine, reliqua, si memorant, memorant tantum, & si memorant non desiderant, nec cogitant inde. *Auic. de anima, par. 4. cap. 4.*

Recordatio est inquisitio, vt habeatur in futuro quale habebatur in præterito. *Auicen. de anima, par. 4. cap 3.*

Recordantur citius, qui magis percipiunt nutus. *Auic. de anima. par. 4. cap. 4.*

Recordari cum quis intendit non vadit, ad id quòd intenditur per aliqua, quæ sequitur acquisitio intentionis necessario, sed ad modum signorum: nam cum habetur id, quod est propinquius intentioni, anima mouetur ad intentionem tali dispositione, quale ipsa est. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 3.*

Recte fiunt, quæ secundum naturam fiunt. *Arr. Epi. lib 1. cap. 21.*

Regi, & misero commune est nasci, & mori. *Alter. Had. & Epict.*

Regnum est id, quod sine societate est, pars Deorum. *Altercat Hadria. & Epictet.*

Reipoblicæ maxime prodest sapiens, si alium sapientem ciuem fidelem, & verecundum effecerit. *Epict.*

Reipublicæ regendæ rationem disceito eam administraturus, vt si nauem gubernaturus esses eius gubernandi artem edisceres. *Epict. sent.*

Reipublicæ qui curam habet moderatos ciues beneficiis afficere studeat, improbos vero vehemētius castigar, & corrigit eum qui rationi, & legi aduersatur, vt equiso bonos pullos alit, & malos alteros grauius castigans, alteris æquare studet. *Epictet. sent.*

Reipublicæ benemeritus eris, non si tuta ædium in altum eduxeris, sed si ciuium animos euexeris, præstat enim in paruis domibus magnos habere animos, quam in magnis ædibus humilia delitescere mancipia. *Epictet. sent.*

Respublicas non faciunt tranquillas, & florentes mœnia, & saxa, sed virorum animi, ornati disciplina. *Epict. sent.*

Reipublicæ quod debetur vltro confer priusquam postuletur. *Epict. sent.*

Respublica fœlix cum vnusquisque ciues suos intētus est operi aliena non curar. *Simp. in Epict.*

Rempublicam iuuat philosophus doctrina, & exemplo. *Simp. in Epict.*

Relatio alia est de qua duo extrema sunt diuersa, vt duplum dimidium, quædam sunt conuenientia, vt æquale, & æquale; & diuersorum quædam diuersitas est terminata, vt dimidium, & duplum, & quædam quorum non est certificata, sed innititur certificata, vt multiplex, totum, pars quædam quorum nullo modo est certificata, vt magnum paruum. *Auicen. metaphys. tract. 3. cap. 10.*

Relatio non est quæ non sit accidens. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 10.*

Relatiua habent in se relationem respectu alterius, quæ non est illa intentio, quam habet in se aliud respectu illius. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 10.*

Relatiua suor quorum quidditas dicitur respectu alterius. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 10.*

Relatiua habent esse in singularibus. *Auicen. metaphys. tract. 3. cap. 10.*

Religio erga Deos immortales est de eis habere rectas opiniones, vt sentias, & eos esse, & bene iustéque vniuersa administrare, parendum eis est, & in omnibus acquiescendum, vt quæ a mente præstantissima regantur. *Epict.*

Religionis pars non parua est liquidum, & verum iusiurandum. *Hieroc.*

Religionis ratio, & sermo omnium bonorum nobis est principium, & semen. *Hieroc.*

Religio omnium virtutum dux est, qua media ad Deum est ascensus. *Hieroc.*

Religio, vt est virtutum omnium mater, ita à religione discessio est omnium vitiorum dux. *Hieroc.*

Remotio vnius est causa remotionis alterius, differt ab hoc quòd ex remotione vnius necesse est remouere alterum. *Auicenn. metaphysic. tract. 2. cap. 4.*

Ren dexter altior est sinistro, quia propinquior est epati, & quia fortior, & maior, & minoris sepi. *Auicen. de animalib. lib. 14. cap. 1.*

Res quædam in nostra potestate sunt, quædam non sunt, in nostra potestate sunt opinio, appetitus, desiderium, auersatio, & vt vno verbo dicam omnes nostræ actiones, quæ liberæ sunt, nec ab aliis prohiberi possunt nostri arbitrij non sunt corpus, & in summa quæ ipsi non agimus, in hæc nullum ius habemus. *Epictet. cap. 1.*

Res singulæ, vel quæ delectant, vel quæ vsui seruiunt, vel quæ diliguntur considerandæ cuiusmodi sint, si olim agitas ea confracta ne perturbaberis, si filiorum, aut vxorem diligis, cogita te hominem diligere, eo mortuo ne perturbaberis. *Epict.*

Rebus externis vti debemus ita, vt ad Dei rerum omnium gubernatoris curam referamus, vt necessaria necessariis, vt victus, vestitus, & domicilium, prout homini frugi satis sit, commoda commodis, vt vxor, liberi, res familiares, & similia, cum dantur accipienda, animo semper in id quod principaliter appetendum est intento, diuitias vero principatus, & delitias, cum vitæ rationi consentanea coniugi nequeant, ne obiter quidem admittenda sunt

da sunt,& si a Deo ad nauem, id est ad veram patriam retrahimur his omnibus relictis curre ad hæc omnia non respiciens. *Epict.*

Res externæ non perduntur, sed restituuntur, filius obiit, redditus est, prædium est ereptum, id quoque est redditum, at improbus est, qui eripuit, quid tua refert si per quem is qui dederat, abs te repetierit, sed quandiu concesseris id tanquam alienum curato, vt cauponum viator. *Epict.*

Rerum omnium antecedentia,& consequentia considerand a, ante quidquid gerendum suscipias. *Epictet.*

Res omnes habent duas ansas vnam tolerabilem, alteram intolerabilem, vt si frater faeit iniuriam, qua facit iniuriam, non est tolerabile, qua frates tolerabilis,& ea sic præhendenda sunt, qua tolerabilia. *Epictet.*

Res omnes, quæ sub ortum cadunt, quia constant ex contrariis aliqua ex parte inter se consentiunt, aliqua dissentiunt, vt ignis, vt calidus aeri consentit, vt siccus aeri opponitur. *Simp.in Epict.*

Rerum scientiam duobus modis suscipimus, aut per doctrinam auditu, aut per inuentionem aspectu, sponte mala habere dicuntur hi, qui neque ab aliis addiscere, neque per se inuenire volunt. *Hieroc.*

Res non sunt incognitæ, nisi quantum ad nos dispositio vero,& id quod accidit rebus ex eo quod inuitamur per eas de incognitis ad cognita est dispositio, & accidens, quòd accidit eis in intellectu, quamuis ipsæ habeant esse præter hoc, ideo logica est necessaria. *Auic. logic.par.1.*

Rerum quædam sunt semper, quædam sæpe, vel frequenter, differt semper a sæpe: quia ei quod est semper non aduersatur aliquod contrarium. *Auic. suffic.lib.1.cap.13.*

Res vna potest esse ratione vnius, vt fiat sæpe, & ratione alterius raro. *Auic.suffic.lib.1.cap.13.*

Res conuenientes in natura, quæ non specificantur differentijs substantialibus non multiplicantur ex esse, sed ex materiis sustinentibus, vnde cum materia fuerit vna, non multiplicantur vllo modo, vnde non sunt duæ dimensiones. *Auic. suffi.lib. 2. cap.7.*

Res aliquando est causata in sua causalitate, aliquando in suo esse, in sua causalitate, vt dualitas ab vnitate. *Auicen metaph.tract.6.cap.5.*

Res aliæ sunt, quarum esse possibile est esse, nisi male absolute, aut sunt res quarum esse est bonum, & impossibile eas esse malas imperfectas, aut sunt res in quibus præualet bonitas, aut in quibus præualet male, aut sunt res æquales ad vtramque dispositionem. *Auicen. metaphysic. tract. 9. cap.6.*

Resoluere est separare in intellectu vnamquamque partium rei, quæ sunt in illa. *Auicen. suffic. lib. 2. cap.9.*

Reuertendum non est eum veneris ad terminos, idest non est timēda mors, terminus enim ipsa est quem transire non licet, vel non in concupiscentija, & desiderijs mutata vitæ ratione viuendum esse, ne ijsdem illecebris vtendum quibus antea. *Lil. Greg. Gyr.in Pythag.symb.*

Risibilitas in homine de necessitate consideratur ad principia ex quibus conflatur humanitas. *Auic. log.par.1.*

Risu effuso abstine. *Pythagoræ symb.*

Risus non sit multus, nec ob multa, nec effusus. *Epictet.*

Risus est lætantis animi ebullitio quædam, fitque spiritu intumescente, & sonitum edit ebullitioni non dissimilem. *Simp.in Epict.*

Rogus est contentio crediti, persolutio debiti. *Alter. Hadr.& Epict.*

Roma est fons imperij orbis terrarum, mater gentiū, rei possessor, Romanorum contubernium, pacis æternæ consecratio. *Alter. Had.& Epict.*

Rubrum aliquid ne suscipias. *Pythag.symb.*

S



SACERDOS solus appellatur Dei amator, solus Deo effundere preces nouit, qui propriam animam, quasi quoddam simulachrum Dei ædificat. *Hieroc.*

Sacerdotem vt ait Plutarchus in festis diebus præcedebant qui iubebant, vt ab operibus homines desisterent. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag.symb.*

Sacrificium est delibatio. *Alter. Had.& Epict.*

Sacrificandum non est sine farina, idest vt mundi sacrificemus,& mente candida. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symbola.*

Sacrificandum nudis pedibus, idest inter sacrificandum mundanis curis relictis, & a scelerum inquinamentis purgati rei diuinæ operam darent, alij mortuorum vitam conspicere interpretantur. *Lil. Greg.Gyr.in Pythagoræ symbola.*

Sæpe quod fit si remouetur contrarium,& prohibentia fit necessario quòd patet,& in naturalibus,& in voluntarijs. *Auic. suffic. lib. 1.cap.13.*

Sæpe quod est in naturalibus est id quod debet esse semper, nisi sit aliquod impediens. *Auic. metaph. tract.4.cap.2.*

Sal apponendus, idest amicitia non est dirimenda, alij iustitiam seruandam interpretantur, alij ad affectiones nostras,& modestiam pertinere aiunt: nam & plurimus,& minimus respuitur, per sale sapientia, & prudentia designatur: antiqui ad placandos Deos sal apponebant. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag.symb.*

Sal à putrefactione omnia conseruat, ex purissimis enim rebus aqua, scilicet,& mare constat tametsi ex omni penè re salem chemici confieri tradunt. *Lil. Greg.Gyr.in Pythag.symb.*

Salem,& mensam non præterito, prouerbium est de seruanda amicitia. *Lil.Greg.Gyr.in Pyth.symb.*

Salem ante alios cibos hospitibus apposuere antiqui. *Lil.Greg.Gyr.in Pythag.symb.*

Sal sumitur pro lepore, & facetia, pro acrimonia. *Lil. Greg. Gyr.in Pythag.symb.*

Sale Ægyptij abstinuerunt, adeo vt & pane sale conditonon vescerentur,& ebrioa,& delyrantes oleo, & sale perungere solebant antiqui. *Lil.Greg.Gyr.in Pythag symb.*

Saliua hominis ieiuni interficit animalia pungitiua. *Auic.de animalib.lib.8.cap.2.*

Sanguis humanus vbi sparsus est locus lapidibus obruendus est, idest discordiarum memoriam, ac bellorum penitus abolendam, vel desideria a corde excludere debemus,& offensam, quæ ex eis contraximus humanè sati faciendo abscondere. *Lil. Gre. Gyr.in Pyth.symb.*

Sanguinem ludat homo, aut quia eius sanguis multus est in quantitate, aut quia est paucus, subtilis, & feruens. *Auic.de animalib.lib.3.cap.3.*

Sanguis cum homo dormit conuertitur ad interiora, ita vt si findatur cutis hominis dormientis,

non exit sanguis, vt in vigilante: & hominum mulieres habent maiorem sanguinis quantitatem, quàm mulieres cæterorum animalium, & iden habent menstrua, alia animalia non, & sanguis virorum est exterius, mulierum interius. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Sanguis senum est niger, spissus, & paucus. *Auic. de animalib. lib. 3. cap. 3.*

Sanguis menstruus in muliere est materia, & ab aliis locis fit album, & viscosum, & discurrit ad matricem, ex cuius cursu delectatur matrix. *Auic. de animalibus, lib. 9. cap. 3.*

Sanguis omnis permutatus existens in matrice vocatur menstruum quocunque modo sit mutatum in qualitate, & quòd dicitur sperma mulieris erit sanguis, & æquiuoce vocatur sperma. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 3.*

Sanguis est calidus, & humidus, naturalis est rubeus boni odoris, & dulcis, innaturalis est, aut eum fit mixtio, aut quia in se mutatur per calorem, & frigus, mixtione fit, aut cum humor extrinsecus intrat in ipso. *Auicen. de animalib. lib. 12. cap. 5.*

Sani ægrotantes sunt qui aliena negocia curant. *Alterc. Had. & Epict.*

Sanitatem corporis ne neglexeris, sed mensuram cibo, potuique, & exercitationibus adhibe, mensuram vero illam dico, quæ nullis te molestiis afficiet. *Pythagora aurea verba.*

Sapientiam, & eruditionem, quarum possessio constantior est cæteris rebus, parare sibi debet iuuenis ad senectutem. *Biantis problem.*

Sapiens est qui necessitati se accommodat, & rerum diuinarum conscius. *Epict.*

Sapientiæ studium versatur in purgatione, & perfectione vitæ humanę. *Hieroc.*

Sapientia prima neque diminuta est, neque completa, sed super completa, & disponens omnia in ipsa, & tunc non fiet, quoniam apud illam sunt ideæ, & quæcunque facta sunt in ipso, vita sunt. *Auic. de intellig. cap. 1.*

Scientiæ cognitio demonstratione comparatur, quę est ratiocinatio ex euidentibus propositionibus rite collocatis, quę propositiones firmamenta rationum non desiderent. *Simp. in Epict.*

Scientiarum partes sunt, aut speculatio de concipiendo ea, quæ sunt cum hoc, quod habent in motu esse, & essentiam, & pendent ex materijs proprijs in specie, aut speculatio secundù quod sunt separata ab iis in intellectu tantum, aut secundum quod sunt separata ab iis in esse, & intellectu, prima est scientia naturalis, secunda est disciplinabilis pura, & scientia de numero, scilicet illa, quæ est notior nam cognitio de materia numeri, vt est numerus non pertinet ad disciplinalem, pars tertia est scientia diuina. *Auic. log. par. 1. c. 2.*

Scientiæ naturalis subiectum est corpus sensibile, vt subiacet mutationi, & in scientia naturali quod inquiritur sunt accidentia, quæ ei accidunt, & hoc quod tale est, & ea sunt accidentia, quæ vocantur essentialia, & sunt cohærentia, quia ei cohærent, ex eo quod est corpus sensibile, siue sint formæ, siue sint accidentia, siue coniuncta ex illis. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Scientiæ aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Scientia omnis habet suum proprium subiectum, cuius dispositiones inquirit, ergo Deus non est subiectum huius scientiæ, quia quæritur in ea. *Auic. metaph. cap. 1.*

Scientia quæuis debet stabilire esse suum subiectum. *Auic. metaph. cap. 1.*

Scientiæ omnis inquisitio non est de principiis, sed de consequentibus principia. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 2.*

Scientiarum omnium principia minus communium sunt in scientia communiori. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 2.*

Scientiæ omnes communicant in vna vtilitate, quæ est acquisitio perfectionis humanæ animæ in effectu præparantis eam ad futuram felicitatem. *Auic. metaph tract. 1. cap. 3.*

Scito non multa ex iis hominibus bonis fortunam afferre. *Pythagora aurea verba.*

Scitur vnaquæque res duobus modis, vno, vt intelligatur tantum, vt cum nomen habeat quo appelletur, repræsentetur animo eius intentio, quamuis non sit veritas, vel falsitas, vt cum dicitur homo, altero modo vt eum in intellectu sit credulitas, vt eum dicitur, omnis albedo est accidens. *Auic. log par. 1.*

Scorpiones si intoxicant porcum, & porcus vadit ad aquam, moriuntur. *Auicen. de animalibus lib. 8. cap. 2.*

Sedere non oportet in chœnice, id est habenda est ratio æque præsentis, & futuri victus: Picus seniot exposuit, id est rationalem partem, qua anima cuncta metitur, & examinat ne otiola desidia temittendos amittamus, sed rationis exercitatione, ac regula ditigamus assidue, & excitemus: alij non esse de victu semper cogitandum. *Lil. Greg Gyr. in Pythag. symb.*

Sedes non est abstergenda oleo, id est non esse abutendum rebus optimis, vel quod magis placet, assentationibus non est vtendum. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. symb.*

Sempiternum est id, quod est cum tempore, & non est in tempore, cuius esse est cum diuturnitate totius temporis, & quod in diuturnitate vnum, & idem est, est sine omni permutatione absolute, & sine aliqua comparatione horæ post horam, id est semper. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 13.*

Senatus est ornamentum vrbis, splendor ciuium. *Alter. Had. & Epict.*

Senes ne constringaris aliquo humano vinculo, sed totus ad discessum intentus esto, & à naui ne recedas, ne quando vocatus deficias. *Epict.*

Senes propter humorem, qui præualet in eis non memorantur ea, quæ vident. *Auic. de anima, par. 4. cap. 3.*

Sensus est aliqua affectio. *Auic. de anima, par. 2. ca. 2.*

Sensus communis est vis ordinata in prima concauitate cerebri recipiens per se ipsam formas omnes, quæ imprimuntur quinque sensibus, & redduntur ei. *Auic. de anima, par. 1. cap. 5.*

Sentire est recipere formam rei à materia nudam, ita vt informatur per eam sentiens. *Auic. de anima, par. 2. cap. 2.*

Sensus vis, & imaginatio in suis comprehēsionibus particularium incipiunt primum ab imaginatione singulari, quæ magis habet similitudinē cum intellectu communi, donec veniat ad imaginationem personalem, quæ est indiuiduum purum ex omni parte. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Sensus dispositio in secunda dispositione rationis, quòd magis simile est communi, vt nouus in se ipso cognoscit, sed in tempore imaginatio acquirit

rit per sensum indiuiduum speciei, non signatum proprietate. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Sensus communis est vis cui reddontur omnia sensata. *Auic. de anima, par. 4. cap. 1.*

Sensus communis, imaginatio, & phaotasia sunt qoasi vna virtus, & oon diuersificantur in subiecta, sed io forma: nam sensus cum sit sensus exteriores discernunt aliquo modo, & iodicant phantasia, & imaginatio retinent. *Auic. de anima, par. 4. cap. 1.*

Sensus communis reddit virtuti formali quasi ad reponendum qoicqoid reddunt ei sensus exteriores, & ipsa reponit, & aliquando virtus formalis reponit quædam quæ non sunt apprehensa sensu. *Auic de anima, par. 4. cap. 2*

Seosus destruuntor aliquando apprehendendo sensibile difficile, vt visus splendore maximo, auditus maximo tooitruo. *Auic. de anima, par. 5. cap. 2.*

Seosos communis, & virtus formalis fiunt in prima parte cerebri spiritu replēte ipsum ventriculum. *Auic. de anima, par. 5. cap. 8.*

Sententiam optimam, vt aurigam tibi præpone. *Pythagora aurea verba.*

Sentiens omnis sppreheodit suum sensatum, & priuationem sui sensati. *Auicen. de anima, parte 2. cap. 2.*

Serpeotes, & reliqua serpentia viuuot multo tempore absque nutrimento. *Auicen. de animalib. lib. 8. cap. 1.*

Serpentes cum comedoot scorpiones, citius interficiunt. *Auic. de animalib. lib. 8. cap. 2.*

Sermones solum suot, qui sont veri: nam si solum rationalis substantiæ dignitatem seruant, falsi non sunt sermones: nam nos ad malitiam, & falsitatem ferunt. *Hieroc.*

Seruire multos homines paucis lectulis absurdum est. *Epict. sent.*

Seruus voluntate, & studio oemo liber est, malum vincolum est, vt fortona corporis, sic animi vitium: nam corpore solutus, vinctus animo seruos est, cootra solutus animo, vinctus corpore liber est. *Epictet. senent.*

Serui tot habēdi quot ad vsum rei familiaris accommodati sunt, & ad necessaria apri, & opere exigantur tum diligentes, tum tolerabiles: nam plerique dominorum sunt hostes. *Simplic. in Epict.*

Siccitas est constrictio materiei, & aut ita est, vt partes sint in vltimo continuationis aliarum partium cum alijs. *Auicen. de cælo, & mundo, capit. 16.*

Siccius in corpore est capillus, deinda os, & cartilago, ligamentum post membra, & venę non pulsatiles, & post pulsatiles, & neroi facientes ad motum post cor, post nerui sensuum, deinde cutis. *Auicen. de animalib. lib. 12. cap. 2.*

Silentiom maiori ex parte, & recum, & cum eris in homioum coogressum serues, aut dicito necessaria, & cum paucis. *Epict.*

Silentium seruare debemus, & si ploribus verbis opus est, non verba faciemus de gladiatoribus, de ludis circensibus, de pugilibus, de cibis, aut potibus, nec de hominibus comparando, siue vituperando, siue laudando, sed traduc tales sermooes familiares ad res grauiotes, sed si sunt ibi homines, qui aliud vitæ institutom sequuntur taceto. *Epict.*

Silentium seruare oportet, idest lingua compescenda, alij id pertinere ad sacrificandi consuetudinem interpretantur. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Silentio solum Deum, quem Aegyptij colebaot, qui rerum omnium auctor est. *Lil. Gre. Gyr. in Pyth. symb.*

Silentium Pythagoræ discipuli quioquenoio seruabaot, alij triennio, sed biennio minus nulli. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Similitudine omnia solent ad iouicem coniuogi dissimilitodine, & si propinqua sunt disiunguotur. *Hieroc.*

Simplicia prius cognoscenda, quam composita: nam ex simpliciom cogoitiooe pendet compositorum cognitio. *Auic. log. par. 1.*

Simplicium destructionis potentia, quæ sont io materia, est in substantia, qoam haber materia, oon in eorum substantia. *Auicen. de anima, parte 5. capit. 5.*

Simplicitas non constituit esse elementorum, sed perficit eorum naturam, ioquaotum est simplex. *Auicen. met aph. tract. 8. cap. 2.*

Simulachrum plosquàm vnum videtur io aqua mota, quia angulus qui habetur inter lineam visus directi in aqua, & linea Solis directam in aqua, penes qoem aogulum consistit nostrum videre, non remanet vnus, & propter commotionem multiplicatur. *Auicen. de anima, par. 3. cap. 8.*

Simulatio non decet bonum virum. *Simplic. in. Epictet.*

Singularia designata si comparantor ad res speciales, quantum ad intellectum singularia oon suoe nec posteriora, nec priora, nisi interuenerit vis sensibilis interior, quia tunc singularia erunt notiora, quam vniuersalia: singularia eoim depinguntur io vi seosibili interiore, & post ex illis iotellectus abstrahit communitates, & diuersitates, & naturas communium specialium, & cum comparaoerimus ea, quantum ad naturam, communia specialia eruot notiora quamois initium abstractionis eorum est a singularibus designatis. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Singulare vagum duplex aliud est, quando formatur in sensu de singulari eminus apparenti, aliud quando imaginatur, quod est corpos absque appreheosione animalitatis, vel humanitatis. *Auic. suffic. lib. 1. cap. 1.*

Singularia cuiuslibet speciei non sont diuersa in intellectu essentiæ, sunt vnum in eo, sed debent esse diuersa accidentibus. *Auicen. metaphysic. tract. 1. cap. 8.*

Singulare non habet diffinitiooem, qoamuis composita habent aliquam diffinitionem. *Auicen. metaphy. tract. 5. cap 5.*

Sitis est desiderium humidi, & frigidi. *Auicen. de anima, par. 2. cap. 3.*

Solem versus ne mingas. *Pythag. symb.*

Solem versus ne loquaris. *Pythag. symb.*

Sol est splendor orbis, qui tollit, & pooit diem, per quem scire nobis corsum horarum datur. *Alterc. Hadr. & Epictet.*

Sol quia est nobis propinquior, & velocioris motus ideo maiorem calorem ab eo sentimus. *Auicen. de cælo, & mundo. cap. 14.*

Solitudo est status eios, qui adiumentis caret, non quod sit solus, est autem in solitodine homo etiam si in media Roma esset modo caret adiomentis a qoa liberator consoetudine hominis fidelis, verecundi, & vtilis, sed qui pacem internam habet oon sentit solitudinem. *Arr. Epict. lib. 3. cap. 13.*

Somnus est mortis imago. *Altercat. Hadria. & Epict.*

Somnianter somuiant quæ sunt propria somnianti, & ad ipsum pertinent, vel ad suos, vel ad suam terram, vel ad suam ciuitatem, vel ad suum clima. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 2.*

Somnia oaturalia sunt quæ veniuot ex virtutum humorum temperantia cum spiritu virturem formalem, & imaginatiuam generante, & aliquando repræsentat id, quod est in corpore, & quod est illi accidens. *Auic. de anima. par. 4. cap. 2.*

Somnia omnia ooo sunt vera, nec de ipsis est multum curandum: oon enim virtus imaginatiua semper repræsentat quod emaoat a cœlestibus. *Auic. de anima, par. 4. cap. 2.*

Somnia quæ fiunt io mane magis vera sunt, quia cogitationes hac hora quiescunt, & motus humorum sunt finiti, & seruitium imagioatiuę est tunc meliur, quod animę præstat. *Auicen. de anima, par. 4. capit. 2.*

Somnia mendacis, malitiosi, ebrij, infirmi, tristis, & in quo præualet mala complexio, aut solicitodo, nec alia nisi videntur in mane non suot vera. *Auic. de anima, par. 4. cap. 2.*

Somniorum verorum homioes sunt, qui magis temperatæ sunt complexionis, & qui siccæ est complexionis, & si non bene retiocat, tamen beoe recipit, qui humidæ, cito recipit, & cito amittit, calidæ est agilis in suis motibus, & frigidæ est piger, & ex bis ille est verior qui soler verum dicere. *Auicen. de anima, parte 4. cap. 2.*

Somnium Regis Herculis non scientes ioterpretes ioterpretari ille dormiendo in alio somnio iotellexit ioterpretatiooem. *Auicen. de anima, parte 4. cap. 2.*

Somnus est priuatio vigiliæ in qno anima ab exterioribus coouertitur ad interiora, aut propter lassitudinem, quæ cootingit exterioribus, aut propter lassitudinem, quæ venit ex illis, qnia instrumenra oon suot illi obedientia. *Auic. de anima, par 4. c. 2.*

Soous non est aliquid stabilis essentiæ, oec habet fixum esse, vt possit stabiliri esse eius. *Auic. de anima, par. 2. cap. 6.*

Sonus est quod accidit ex scissione, & percussione, scissio est cū partis inter se separaotur, percussio, fit cum duo corpora se inuicem percutiuntur, sed sed ex omni percussione non oritur soous, vt si corpora mollia percutiuntur non sentitur sonus, & sic de scissione. *Auic. de anima, par. 2. cap. 6.*

Sonus accidit ex commotione molis corporis impetuosi constricti, inter duo corpora cootraria sibi resistentia, secundum quod sic est, & sicut aqua, & aer. *Auic. de anima, par. 2. cap. 6.*

Sonus, & vigilia, ægritudo, & sanitas sunt corporis dispositiones, quorum principia in ipso sunt, sed noo habet ea corpus, nisi ex hoc quod est habens animam. *Auic. de anima, par. 4. cap. 4.*

Spatium infinitum esse impossibile est. *Auicen. metaph. tract. 7. cap. 2.*

Speculatiua doctrina omnis habet subiectum, & non tractat nisi de dispositionibus eius, & accidentibus, & voius doctrinæ est tractare de subiecto, & alterius de eius accidentibus. *Auic. log. par. 1.*

Speculum non inspicere ad lucernam debemus, id est non ad mentitam lucem conscientiam, sed ad solarem, & diuinam lucem contemplandum. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Sperma quousque generatur animal, accidunt ei multæ geoeratiooes, quas cōtinuant permutationes secundū qualitatē, & quantitatem, & sperma non cessat permutari paulatim, cum sit adhuc sperma, quousq; perueniat ad terminum quo denudetur a forma spermali & vertatur in coagulatum sic, vt conuertatur in dura, deiode in osta, & alia. *Auicen. sufficient. libro 2. cap. 3.*

Sperma fit ex sanguine bono, & decocto decoctione bona, & completa. *Auic. de animal. lib. 3. c. 3.*

Sperma quādo exit de corpore homiois multum discoloratur, & debilitatur suum corpus magis quā si quadragies exiret de suo corpore sanguis taotus, quia sperma est res habilitata ad transeundū in membra, & cum exit aufertur naturale outrimentum membri. *Auic. de animal. lib. 3. cap. 3.*

Sperma omne animal habens, sanguinem habet, & est viscosum animalium habeotium pilos, & si descendit ad fuodum aquæ habet virtutem generatiuam, & nigrorum est album *Auicen. de animalib. lib 3. cap. 3.*

Sperma si noo exit per quinqne dies bene reteotum est, & si ioungatur vulua cum liquida pice, aut olibano, & cerusa desolutis in oleo clauderur facilius orificium matricis, quòd fieri debet aliquantulum post tempus imprægnationis, ne si statim fieret damnificaretur sperma. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 1.*

Sperma quod est spissum melius est, & qnod est subtile, & fiosum, generat fœmioas. *Auic. de animali. lib. 9 cap. 1.*

Sperma plus abundat io hominibus, quàm in aliis animalibus æqualibus sibi corpore, & albi non multum pingues, & macri plus abundant in spermare, quam nigri, & fusci, quia io illis abundat multa humiditas, quæ est materia spermatis, & mulieres albæ sugunt magis sperma viri, quam aliæ. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 1.*

Sperma siue viri, siue mulierum est sanguis mutatus, & sperma viri, & sperma mulieris æquiuocantur in nomioe spermatis. *Auicen. de animalibus libr. 9. cap. 1.*

Sperma mulieris non babet in se virtutem generatiuam, sed potestatem tantum, vt in ea fiat generatio. *Auic. de animalib. lib. 9. cap. 3.*

Sperma ooo dicitur, nisi quod exit cum delectatione a testiculis cum impulsione forti, & humiditas quæ exit a mulieribus oon est sperma. *Auic. de animalib. lib. 9 cap. 3.*

Spermatis eiectio omnis noo inducit debilitatem, et cum sperma est superfluum confortat. *Auic. de animalib. lib. 10. cap. 1.*

Sperma e . superfluitas digestioois vltimæ, & albescit. propter fortitudinem digestionis, & cum fit cum nimio conamine exit sanguinolentum. *Auic. de animalib. lib. 15. cap. 3.*

Sperma mouetur ad geoeraodum creaturam, oon per causam extrinsecam, sed sua oatura propria. *Auicen. de animalib. lib. 16. cap. 1.*

Sperma non est pars membrorum, sed spiritus principium traoseuotis ad membra, & operatur illa. *Auic. de animalib. lib. 16. cap. 1.*

Sperma licet habeat virtutem motiuam, non tamen operari potest sine extrinseco, materia conueoiēti, & circunstante. *Auicen. de animalib. libr. 16. cap. 1.*

Sperma maris aliquando operatur totum, & aliquādo pars illius, & sola pars vadit ad matricem si est parua aliquando oon operatur. *Auicen. de animalib. lib. 16. cap. 1.*

Sperma venit a medulla, quia in oculis accidit in coitu,

coitu, quod profundantur, & sentitur euacuari cerebrum, & a corde, quia in tempore coitus festinat attractio anhelitus. *Auicen. de animalibus, libro 16. capit. 2.*

Spermatis complexionem caloris sequatur, quia puer non habens adhuc calorem completum, & senex a quo diminuitur calor faciunt fœminas, vt in pluribus, & medij masculos. *Auicen. de animalib. lib. 16. cap. 1.*

Sperma est quædam superfluitas cibi non per corruptionem, aut per liquefactionem, & non est superfluitas primæ digestionis; neque secundæ, phlegma, sputum, & cholera sunt huiusmodi, sed est superfluitas vltimæ digestionis. *Auicen. de animalibus, libr. 16. cap. 2.*

Spes est suauis hominibus. *Brantij problem.*

Spes moderanda: nam nec nauis vna anchora, nec vitam vna spe niti debet, & pedibus, & votis ea perambulanda sunt, quæ fieri possunt. *Epictet. sententia.*

Spes est vigilanti somnus, expectanti dubius euentus. *Altercat. Hadria. & Epictet.*

Spes est imaginatio alicuius rei eum affirmatione, vel opinione quod erit. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 3.*

Speciei nomen logicum est secūdum duas intentiones, vna communior, quam dicunt referri ad genus, & definiunt dicentes, quod sub genere posita est, alia magis propria quam definiunt secundum aliquem respectum, vt species specialissima sed inter hos duos actus est differentia cum tantum secundum primam intentionem refertur ad genus, sed secundum secundam intentionem non refertur ad ipsum, secundum primum modū intentio speciei non est vt genus, secundum intentionem speciei, iuxta secundum modum constituens illam. *Auic. log. par. 1. cap. 7.*

Species specialissima est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero tantum in quid, quę limitatio ab Auicenna inuenta fuit. *Auicen. logic. parte prima.*

Species est id de quo prędicatur genus in quid. *Auic. log. par. 1.*

Species est quæ posita est sub genere, quòd intelligendum est quòd id quod est superius contentum sit in eius significatione. *Auicen. logica, parte prima.*

Species tertia prouenit cum multæ naturæ diuersæ cōueniunt, vt ex ternario, & binario fit quinquenarius tertia species ab illis. *Auicen. logica, parte secunda.*

Species est natura prædicata in esse, & intellectu vtraque similiter, videlicet cum terminatum fuerit esse generis per illa, quæ terminant ipsum erit in effectu, & non erit opus poni, nisi signatum tantum. *Auicen. metaph. tract. 5. cap. 4.*

Species omnis discrepat ab alijs sibi conuenientibus in genere per differentiam, & ipsa differentia est quædam intentio, quæ est, aut communior ex prædicatis, aut contenta sub aliquo, quòd est communius ex prædicatis. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 6.*

Sphinx hominibus proponebat quędam ambagibus similia, quæ qui intellexerat manebat incolumis, qui non assecutus erat a sphinge occidebatur, sphinx est hominibus amentia. *Cebetis Tabula.*

Spiritus, qui est in corde passionis sunt gaudium, timor, dolor, & ira. *Auicen. de anima, parte quarta, capit. 5.*

Spiritus qui est in corde, cum fuerit multus, & multa materia, ex qua fit proximus continuitate, & quod temperatæ complexionis in tenuitate, & spissitudine, & lux eius fuerit resplendens, erit aptissimus gaudio. *Auicen. de anima, parte quarta, capit. 5.*

Spiritus est vehiculum virtutum animalium corporalium, & est corpus subtile spirituale diffusum in concauitatibus. *Auicen. de anima, parte quinta. capit. 8.*

Spiritus complexio perficitur in cerebro, qui est aptus ad vehiculum virtutis sensus, & motus ad corpora ad hoc, vt fint apta ad exercendum suas actiones. *Auicenna de anima, parte quinta, capit. 8.*

Spiritus est primum quod generatur in tela, quę circundat semen in matrice, qui spiritus est fundamentum virtutum animalium, & quia radix huius spiritus est id quod cecidit in matricem inuolutum cum spermate, tunc non est remotum quin sperma, secundum se totum fit locus primus spiritus, vel quod fit in eo locus propter spiritum, in quo spiritus ipse aduocatur, & ab eo postea diuidatur, & locus spiritus erit cor, & erit clausura virtutis informatiuæ. *Auicen. de animalib. lib. 9. cap. 4.*

Spiritus est primum sensibile. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 6.*

Splen non est membrum essentiale, quia multa animalia carent eo. *Auicen. de animalibus, libr. 13. capit. 5.*

Stateram ne transilias. *Pythagoræ symbola.*

Stellæ sunt litora gubernatorum. *Altercat. Hadria. & Epictet.*

Stellæ & si conueniunt in calefaciendo, & splendendo tamen non sunt igneæ naturæ. *Auicen. de cœlo, & mundo, cap. 13.*

Stellæ sunt de natura corporis in quo reuoluuntur & de natura earum splendor fit. *Auicen. de cœlo, & mundo, cap. 13.*

Stellæ non habent motum differentem a cœlis, namque mouentur ab Oriente in Occidentem, vt cœli moto veloci, ab Occidente vero in Oriente motu tardo vt cœli. *Auicen. de cœlo, & mundo, cap. 14.*

Stellæ inter se differunt quantitate splendoris. *Auic. de cœlo, & mundo, cap. 14.*

Stellarum lumen ad nos pertingit, cœli vero lumen non peruenit ad nos, ideo a cœlo non percipimus calorem, sed a stellis. *Auic. de cœlo, & mundo, ca. 14.*

Sterilitas oritur cum sperma est multum aquosum, & sperma mulieris non recipit operationem ab illo, sed corrumpitur, cum recedit ab æqualitate, & complexio matricis est mala, aut eius orificium oppilatum, aut instrumenta spermatis eruit læsa, aut vt complexionis, aut instrumentalis. *Auic. de animalib. lib. 16. cap. 2.*

Sterilitas fit propter complexionem duorum spermatum, & propter matricem, cum mulier est masculina, & non curat luxuriare, & matria non est conueniens ad recipiendum, & propter virgā hominis cum non emittit sperma rectè, aut instrumentum fit arctum, & non potest complere eiectionem, aut magnum, & non inuolui in membrana, & si vir est effœminatus qui facit sperma aquosum, si ponatur in aqua, & supernatant. *Auicen. de animalib. libr. 16. cap. 2.*

Stoica doctrina innititur fundamento naturæ hu-

manæ, quę posita est in ratione, & manet, quęque corpore, vt artifex instrumento quopiam vtatur. *Simp. in proœm. Epict.*

Stomachi orificium est amplius, & durius in membrana, quam orificium inferius, & est vnus panniculus concauus cooperiens linguam, & os interius isophagi, & iuuat attractionem in concauitate, & maxime in eleuando epiglotim, cum debet transire bolus, & isophagus est de substantia stomachi, sed non cum intestina sit, sed tes continuata cum illa, & stomachus in ascensu est pyramidalis, versus diaphragma ampliatur, & rotundus est vt facilius applicetur dorso, & est duarum tunicarum, quarum interior est filorum longorum propter attractionem, & exteriora in circuitu propter expulsionem, & cum illa immiscentur quædam fila, quæ iuuant retentionem, & fundus, & carnosius, vt sit calidum, & orificium neruosum, vt sit sentiens, & decoquit calore naturali, & calore exteriorum, vt epate, & splene, epar in dextro, & in alto splen in imo, & sinistro, & additur zirbus, qui est sepofus, vt foueat calorem quem retinet propter suam viscositatem grossam, & super zirbum est membrana, & post mitach, & post musculi ventris, & ligamenta, & sepum, & à posteriori dorsum: mirach iuuat ad eijciendum stercus, & vesicam ad eijciendum vrinam, & ventositates grossas intestinorum, & ad eijciendam creaturam. *Auicen. de animalib. lib. 13. cap. 15.*

Stramentis surgens collige ipsa figuramque confunde. *Pythagoræ symbola.*

Stramenta confunde cum è lecto surgis, id est è lecto surgens, quasi dicat è somno mortales huius vitæ erigens te ad diei lucem, hoc est, ad cœlestium diuinarumque rerum contemplationem, stragula complicato, idest, corporeos sensus desrito. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symbola.*

Stragula semper conuoluta sunt habenda, alij ad verecundiam referunt, at meliua alij nos admonere putant, vt semper parati simus, tanquam peregre abituri, ne si ab hac mortalitate sit migrandum nos imparatos mors offendat. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagoræ symbola.*

Studio digna sunt, quæ & rite confici possunt: nam qui in rebus irritis laborat, desipit, & si qua aliqood operępretium, & constantiam habent. *Simplic. in Epictet.*

Stultus dicitur qui facit aliquid nullo proposito fine. *Auic. metaph. tract. 8. cap. 3.*

Suauissimum est voti fieri compos. *Thaletis problemat.*

Subiectū, & id in quo aliquid est differunt, quia subiectum intelligitur id, quod cum est in sua specialitate existens per se, & deinde sit occasio existendi aliud in se, non vt pars eius, id vero in quo aliquid est, est id in quo cum aliquid aduenit sit per illud alterius dispositionis, cuius non erat, & potest vocari materia subiecta. *Auic. metaphysic. tract. 2. cap. 1.*

Substantiales proprietates ex intelligibilibus intentionibus debent necessarie intelligi ad subiectum hoc modo, esse enim non intelligitur in intellectu, nisi præcedat prius eorum intellectus: accidétia vero intelligere non est prius, quam intelligere ipsum esse, nec esse constituunt, sed ipsum concomitantur, & consequuntur. *Auic. log. par. 1.*

Substantiale verbum, aut est aptum significare esse aliquo modo, aut non est eptum, & quod significat, aut quod significat esse multorum, quæ non differunt substantialiter, aut significat esse multorum, quorum essentiæ differunt substantialiter: primus modus differt a secundo, quia significat esse collectionis. *Auic. log. par. 1.*

Substantiale ratione diuersorum potest esse substantiale. *Auic. log. par. 1.*

Substantiale esse vniuersale, aut significat minus commune, & vocatur species, aut notat quale esse, & vocatur differentia, sic vniuersale esse accidentale, aut est proprium, & vocatur proprietas, aut in ipso multa conueniunt, & vocatur accidens commune. *Auic. log. par. 1.*

Substantiæ esse, vt est substantia non pendet à materia. *Auic. metaph tract. 1. cap. 5.*

Substantia constituit esse accidentibus, nec constituitur ab accidente, igitur substantia præcedit accidens in esse. *Auicenn. metaphysic. tractat. 5. capit. 1.*

Substantia omnis, aut est corpus, aut non corpus, si non corpus, aut est pars corporia, vel non, sed separatum a corpore, si pars corporis, aut est forma, aut materia, si fuerit separatum a corpore, aut habet aliquo modo ligationem cum corporibus propter motum, quo mouet illa, & vocatur anima, vel erit separatum omnimodo a materijs, & vocatur intelligentia. *Auicen. metaphysic. tractat. 2. capit. 1.*

Substantię accidit accidens, & constituitur per eam, accidenti vero non accidit substantia, sic vt ipsa constituatur in illo. *Auicen. metaphysic. tract. 3. cap. 3.*

Substantia est cui prius datur sua diffinitio, & vere, cætera non diffiniuntur, nisi per substantiam. *Auic. metaph tract. 5. cap. 5.*

Sufficiens est id cui est vere beatum aliquid, per quod est acquisitum ei complementum sui in se ipso. *Auic. metaph tract. 4. cap. 3.*

Supercilia data sunt propter defensioné oculorum à puluere, si sunt secundum lineam rectam significant fœmininum, si descendunt per incuruationem à parte nasi significat acutum, & quando incuruātur ad lachrymale siluestre significat iocularorem, & lachrymale domesticum parum significat astutum, & si ibi habet multam carnem est malus, & astutus, & quando habet supercilia dependétia est inuidus, oculi mediocres bonum, & purum indicante, est in se ad anterius sluirum profundi subtilem oculos tenens diu apertos inuerecundum, tremulos, leuem. *Auicen. de animal. lib. 1.*

Super modium ne sedeas. *Pythag. symb.*

Syllogismi hypothetici partim sunt disiuncti, partim complexi, disiuncti cum est alterum, alterum esse non potest, & tum alterum non est, est alterū, vt aut dies est, aut nox est, at qui nox est, ergo dies non est, sic cum alterum statuitur, alterū tollitur, alterius negatione, alterum affirmatur, vt at qui dies non est ergo nox, & illud est disiunctum, in quo particula hæc, aut posita est, copulatū est cum duobus ita cōplexis, vt alterum antecedat, alterum subsequatur affirmationem antecedétis sequatur consequens, & negatione consequentis tollitur antecedens, vt si dies est, nox non est, at qui nox est, non ergo dies. *Simp. in Epict.*

Symbolum plura significat: nam & collatio illa est, qua plures in vnum quid conferunt ad celebranda con-

da conuiuia, significat etiam ipsum interdū conuiuium, dicitur etiam signum, quod vel epistolis, vel vasis imprimitur, ne resignentur à quibus nō oportet, significat & bellicum signum, & tesseram, quo in bello vti consueuimus, aliquando indicium, quo aliquid cognoscimus, & anulum ou pignus, numisma vt sit indicium principis, vel ciuitatis, & ethymologiam, seu argumētum, & vaticinium, & augurium, ita vt Græci ita diffiniunt, vt sit quo aliquid coniectamus, & cognoscimus. *Lil. Greg. Gyr in præfat. Pythag. symb.*

Symbolum positione fit, τεχμήριον naturale est, & in hoc differunt. *Lil. Greg. Gyr. in præfat. Pythag. symbola.*

Symbolorum proprium est vt mæandris obscurisq; sententiarum inuolucris inuoluantur, vt cum grauitate, & breuitate quadam plurimum sensus sub his intelligatur. *Lil. Greg. Gyr. in præfat. Pyth. symb.*

Symbolorum pleraque prouerbiorum naturam habent. *Lil. Greg. Gyr. in præfat. Pythag. symb.*

T



TACTVS est vis ordinata in neruis cutis totius corporis, & eius carnibus ad apprehendendum id, quod tangit illum, & afficit contrarietate permutante complexionem, & affectionem corporis. *Auicen. de anima, par. 1. cap. 5.*

Tactus est primus sensuum propter quem animal est animal. *Auic. de anima, par. 2. cap. 3.*

Tactus differt ab aliis sensibus, quia aliorum sensuum quidam sunt, qui non habent nec voluptatem, nec dolorem, & quidam dolent, & delectantur, mediantibus aliis sensibus. *Auic. de anima. par. 2. cap. 3.*

Tactus habet instrumentum naturale, quod est caro neruosa, ex quo sentit, aut neruus, & neruus sentit ex tactu, quamuis non sit ibi medium aliquo modo. *Auic. de anima, par. 2. cap. 3.*

Tactus sensus conseruat corpus ab accidentibus, quæ multum nocerent, si consisterent in aliquo membrorum, cui acciderent, ideo oportet vt totum corpus ponererur sentiens per tactum. *Aui. de anima, par. 2. cap. 3.*

Tactus excellentior est in homine, quia complexio eius est vicinior æqualitati. *Auicen. de anima, par. 2. cap. 3.*

Tactus apprehendit magnitudinē, numerum, figurā, situm, motum, & quietem, mediante duritie, & mollitie, in plerisque fit aliquando mediante calore, & frigiditate. *Auic. de anima, par. 3. cap. 8.*

Tactus fit à neruis cerebri, & musculis diffusis per totum corpus, & plures nerui ad sentiendum nascuntur à prima parte cerebri. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 8.*

Tanguntur calor, & frigiditas, humiditas, siccitas, asperitas, lenitas, grauitas, leuitas, & duricies, & mollities, viscositas, & solubilitas supradictas sub sequuntur, sed præter has sentiuntur solutio continui, & voluptates. *Auicen. de anima par. 2. cap. 3.*

Teipsum maxime omnium verere. *Pythagora aurea verba.*

Temperantia in homine octo fit modis, aut secundum speciem, vt homo est temperatus respectu equi, & ita dicitur tēperatus non in collatione sui modi, sed ad alterum modum in illa specie, vt fœmina respectu maris, aut secundum collationem ad suum modum, vt fœmina respectu fœminarum, aut in vno modo respectu alterius in eodem modo, & in eadem specie, & dicitur temperatum respectu sui secundum diuersum tempus. *Auic. de animalib. lib. 12. cap. 1.*

Templum ex itinere præter propositum non est ingrediendum, idest non licet rebus prophanis sacra commiscere. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Templa ingredienda per dextram, per sinistram egrediendum, dextra vt imparia numeri, sinistra paris *Lil. Greg. Gyr. in Pythag.*

Tempus est sapientissimum, inuenit enim omnia. *Thaletis problem.*

Tempus non percipit, qui non percipit motum, homini enim infirmo, vel dolenti elongatur tempus voluptuoso vero abbreuiatur. *Auicen. suffic. li. 2. cap. 10.*

Temporis vnaquæque pars tempus est. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 10.*

Tempus est numerus motus, cum alicuius fuerit motus per prius, & posterius non tempore, sed transitu, & est etiam quod per se ipsum est mensura omnis eius, quod ex se ipso habet prius, & posterius, & cuius posterius non est cum priore ipsius. *Auicen. suffic. lib. 2. cap. 11.*

Tempus habet esse in materia mediante motu: nam si non esset motus, & mutatio nō esset tempus, nō enim esset ante, & post: ergo tempus non habet esse, nisi fuerit renouatio dispositionis in qua oporter, vt semper eat. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 11.*

Tempus non habet esse in actu in instanti comparatione sui, sed in potentia propinqua effectu, hoc est quod contingit, vt in tempore fiat instās semper, aut actu alicuius ponentis, aut vt motus perueniat ad ipsum, & faciat illud distinctionem cōmunem inuisibilem, vt principium ascendendi in Oriente, & descendendi in Occidente, aut aliud simile. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 12.*

Tempus mensurat motum, quia facit eum habere mensuram, & quia sua quantitate ostendit quantitatem suæ mensuræ. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 12.*

Tempus numeratur à motu, quia facit numerum tēporis, quo est prius, & posterius, vt & motus a tempore numeratur, cum sit numerus motus. *Auicen. suffic. lib. 2. cap. 12.*

Tempus fit ab instanti cū procedit in cursu in prioritate, & posterioritate motus, aliuqui si non esset instans non numeraretur tempus. *Auicen. suffic. lib. 2. cap. 12.*

Tempus numeratur etiam à priori, & posteriori, vt sunt eius partes, & acquirunt partem propter esse instantis, & postquàm ante, & post sunt temporis partes, & omnis pars potest diuidi, vt lineæ partes, tunc vnitas magis cōuenit instanti, & numerare magis cōuenit vnitati: nā instās numerat, vt & punctū, & non diuiditur. *Aui. suff. li. 2. c. 12.*

Tempus inesse debilius est quàm motus, quia & si tempus non sit relatiuum, relatio tamē concomitatur illud, sed falsum est dicere ipsum nullo modo habere esse. *Auic. suffic. lib. 2. cap. 13.*

Tempus nō habere esse, aut dicitur quòd nō habeat esse in instanti absolute, aut quod non sit in instāti, quod modo est: nos concedimus quod tempus non habet esse hoc modo, nisi in anima, & in intellectu, sed esse absolute, quod est oppositum ad non esse absolute, hoc est verum esse, quod

si hoc esse non fuerit verum, eius negatio erit vera. *Auicen.suffic.lib. 2.cap.13.*

Temporis continuationis motus causa est continuatio motus, vt est continuatio motus, & hoc non est, nisi continuatio spatij collata motui, ita vt non sit ibi quies, & hæc continuatio non est causa, qua tempus sit continuum, sed est causa vnitatis temporis. *Auicen suffic.lib.2.cap.13.*

Temporis causam ponimus continuationem spatij non absolute, sed vt est motui, & per illam motus est continuus, tempus enim est res accidentalis motui, & res quæ concomitatur motum, & mensuratur per ipsum. *Auicen.suffic.lib.2. cap.13.*

Tempus est accidens, & pendet ex motu. *Auic.metaph. tract.3 cap.4.*

Tentationum dolores vtiles sunt nobis, siue volentibus, siue inuitis. *Arr. Epict.lib.3.cap.25.*

Ternarius inquantum habet principium, medium, & finem, perfectus est. *Auicen. metaphysic. tract. 4. cap.3.*

Terra est horreum Cereris, cellarium vitæ. *Alte. Had. & Epict.*

Terra tangenda est cum tonat, idest memores esse oportet nostræ originis, & mortalitatis, sed cum superior te arguit, illi te subijce, & humilem præbe. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symb.*

Terra est frigida, & sicca, quia elongatur a calore, & frigiditas dominatur in ea in vltimo constrictionis. *Auic.de cælo, & mundo, cap.16.*

Terra est in medio mundi quieta, & circum ipsam voluitur cœlum. *Auicen. de cælo, & mundo, capit.16.*

Testiculi creati fuerunt pendentes, vt melioraretur ordo vasorum spermatis, quoniam illa vasa creata fuerunt tortuosa, vt materia spermatis retardaretur propter digestionem, & iuuant ad æqualitatem electionis, ne nimium festinet, & in eis completur sperma, & omne animal carens crure caret virga, & testiculis. *Auicen. de animalib. lib. 15. cap.1.*

Theatra frequentare non est necesse, sed si quando tempus tulerit, te nulli nisi tibi ipsi studere appareat, idest ea duntaxat fieri velis, quæ fiunt, & eum solum vincere, qui vincit, clamore, irrisione, longiore commotione abstineto, & post discessum ne multum de ijs, quæ ibi acciderunt disputa, cum nihil ad tui correctionem faciant. *Epict.*

Timemus eos, qui nobis nocent, aut commoda nostra interuertunt. *Simp. in Epict.*

Timor est oppositus spei, ad modum contradictionis. *Auic.de anima, par.4.cap.3.*

Timor est passio per quam aliquis putat aliquid futurum sibi nociturum. *Auicen. de anima, part. 5. cap.1.*

Totum separatur a quocunque eo a quo separantur ea ex quibus aliquid componitur. *Auic.de anima, par.5.cap 2.*

Totum numeratur partibus suis, & vnaquæque partium est de essentia eius, vniuersale non numeratur partibus suis, nec partes sunt de essentia eius. *Auicen.metaph.tract.5.cap.2.*

Totum ex hoc quod est totum non est, nisi in his rebus. *Auic.metaph.tract.5.cap.2.*

Totius natura non constituit partes, quæ sunt in illo, sed ipsum constituitur ex illis, natura vero vniuersalis constituit partes, quæ sunt in illo. *Auic.metaph. tract.5.cap.2.*

Totum non est totum vnicuique parti per se, vniuersale vero etiam si esset prædicaretur tamen de omni particulari, & eius partes, & omnes sunt finitæ, totius autem infinitæ sunt, & totum requirit, vt omnes partes sint præsentes. *Auicen.metaphy.tract. 5.cap.2.*

Trachea ducit aerem ad cor, & pulmonem, & caput eius est epiglotis, & sunt instrumenta inspirationis. *Auicen. de animalib lib.13.cap.1.*

Tragœdia nil aliud est, quam perturbationes hominum externas res admirantium, tali versuum genere demonstratæ. *Arr. Epict.lib.1.cap.4.*

Transitus est stans in vnoquoque instanti illius temporis creatis cum eo. *Auicen. sufficien. lib.2. cap.1.*

Tristitiam, & iracundiam pertinacia animæ parit sanguis grossus, turbidus, distemperatus in calore. *Auic.de anima.par.4.cap.6.*

Trinitas perfectissima est inter cætera colenda. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag.symb.*

Trutina iustior prouerbium est, quod de probissimis viris dicitur. *Lil.Greg.Gyr.in Pythag.symb.*

Tuba, quid est? belli incitamen, castri signum, arenæ admonitio, scenæ commissio, funeris deploratio. *Alter. Had. & Epict.*

Turpe nihil committas, nec coram alijs, neque tecum. *Pythagoræ aurea verba.*

Turpe quod est semper fugiendum est, nec vnquam circunstantijs eligendum est. *Hieroc.*

V



ACCA viuit vsque ad quindecim annos, gerunt ventrem per nouẽ menses, & aliquando decem, & qui prius nascitur est debilior, & vtilior partus est quinque annorum: pascua, & quies, auget vaccæ vitam, cum parit vber eius est lacte plenum, quia statim natus filius lactat. *Auic.de animalib.lib.7.cap.1.*

Vaccæ impinguantur ex omni re ventosa, sicut orobo fabis, & ordeo, & earum cornua si inunguntur cera molli, redduntur mollia, & cum oleo, aut pice, aut medulla cornua aufertur ab eis dolor, qui accedit pedibus ex itinere, & quando rescinditur ab eis luxuria, crescunt multum, appetunt potum aquæ claræ. *Auicen.de animalib.lib.8.cap.1.*

Vates consulendi in his rebus, quorum exitus nobis incerti sunt ante rem peractam. *Epict.*

Vates non sunt percunctandi de ijs, quæ ratio præscribit, & constat, quid agendum. *Epictet.*

Vate non est opus in his, quæ in nostra potestate sunt, & in ijs, quæ non sunt in nostra potestate, ea nec appetenda, nec declinanda sunt, ergo ad vatem, nec appetitionem, nec declinationem afferendam esse constat. *Epictet.*

Venæ duæ nascuntur ab epate, vna à parte sima, quæ attrahit, & defert nutrimentum, alia a gibbo, & est vena concaua, quæ defert nutrimentum ad membra. *Auic.de animalib.lib.13.cap.7.*

Venerea ante nuptias fugienda, si attigeris ea legitime vtendum, neque tamen iniquus sit ijs, qui illa vtuntur, nec eos arguas, neque passim iactes te illa non vti. *Epict.*

Venereæ res, & cibus quamuis naturalis, & violensus, si recte assuefiat sine vi acquiescit. *Simpl. in Epict.*

Ventis flantibus æquora adora. *Pythag symb.*

Venus

Venus cur nuda pingitur? Nuda Venus picta est, nudi pinguntur Amores; Queis hæc nudæ placent nudos dimittat oportet. *Altercat. Hadr. & Epict.*

Venus Vulcano nupta est, quia Amor ardore incenditur. *Alter. Had. & Epict.*

Venus straba est, quia prauus amor. *Altercat. Hadr. & Epict.*

Verbis mitibus cede, & operibus vtilibus. *Pythagora aurea Verba.*

Verbum, aut est complexum, aut incomplexum, complexum autem est in quo inuenitur pars significatiua intellectus, qui est pars intellectus significati à tota significatione essentiali, vt homo scriptor, incomplesum est cuius pars non significat partem intellectus totius significatione essentiali, vt hoc verbum homo. *Auicen. log. par. 1.*

Verbi incomplexi pars, vt actu pars est eius verbi nihil significat, at in potentia forte aliquid significare poterit. *Auic. log. par. 1.*

Verbum est, aut complexum, aut incomplexum, & incomplexum, aut particulare, aut vniuersale, & tractatio de incomplexis præcedere debet tractationem complexorum: & animus occupari non debet circa tractationem horum verborum singularium, quia infinita sunt, & si essent finita, vt particularia non inseruirent sapientiæ, sed circa voces vniuersales versatur hic liber. *Auic. log. par. 1.*

Verbum essentiale est quo respondeatur ad quid, quod vero significat proprietatem est accidentale. *Auic. log. par. 1.*

Verbum vniuersale incomplexum aliud est substantiale, quod significat esse, & aliud est substantiale quod non significat esse, & aliud est accidentale. *Auicen. log. par. 1.*

Verecundia est passio cum homo percipit alium fecisse aliquid ex his, quæ illicitum est facere. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Veritas cuiusque rei est proprietas sui esse, quod ei stabilitum est, & dicitur veritas cuius esse est certa scientia. *Auicen. metaph. tract. 8. cap. 6.*

Veritati cedendo præstat vincere opinionem, quam opinioni cedendo vinci a veritate, quare cum opinione non danda est opera, vt quouis modo vincas: nam ea inuenta, id consequeris, ne vincaris, at veritas ipsa penes sese vincit, penes alios opinio. *Epictet. sentent.*

Vesicam quæ non habent vrina transit in stercus. *Auic. de animalib. lib. 14. cap. 1.*

Vespilo est quem multi deuitant, & nemo fugit. *Alte. Had. & Epict.*

Vestitus mundus esse debet, non luxuriosus. *Simp. in Epict.*

Vias populares fuge, per diuerticula vade. *Pythagora symbola.*

Victoria est belli discordia, pacis amor. *Alter. Had. & Epict.*

Videre non est ex permutatione aeris secundū dispositionem, quæ adiuuet visum aliquo modo. *Auic. de animalib. par. 3. cap. 5.*

Videntur res maiores cum tunicæ vueæ foramen angustiatur, cum dilatatur minor videtur. *Auic. de anima, par. 3. cap. 8.*

Vigilia est dispositio in qua anima imperat sensibus, & virtutibus mouentibus exterius voluntarie, cui non est necesse. *Auicen. de anima, par. 4. cap. 2.*

Viro, qui pondus eleuat, auxiliare, non tamen cum eo deponas, qui deponit. *Pythagora symbola.*

Viro qui pondus eleuat, auxiliare, non tamen cum eo deponas, sic interpretantur ad virtutem tendentis præcepta in dies augenda esse: otio se dedentes relinquendos, nec cum his communicandum: potest & in eos dici, qui pridem aliquod sanctioris vitæ institutum professi ad laxiorem demum se viuendi normam transtulerunt, vel ad virtutes, & labores cooperandum non ad ignauiam. *Lil. Greg. Gyr. in Pythagora symbola.*

Virtute præstantior ex hominibus sit tibi amicus. *Pythagora aurea Verba.*

Virtuti, & veritati idem seruire non potest. *Epictet. cap. 4.*

Virtus potior diuitijs, nam pecunijs augetur improbitas. *Epict. sent.*

Virtutis effectus est prosperitas, hominis munus est in appetitione, & aspernatione, vt nunquam voto frustretur, nec in contraria incidat, in persequendo, & fugiendo, vt sit extra peccatum, in assentiendo, & sustinendo assensu ne fallatur. *Arrian. Epictet. libr. 1. cap. 4.*

Virtutem ciuilis philosophia gignit. *Hieroc.*

Veritate nil maius inesse putare debet homo in rebus humanis, ita si iuremus, ac si non iuremus. *Hieroc.*

Virtutis normam, qui seruare student fieri non potest, vt cum illis conueniant, qui à virtute aberrarunt. *Hieroc.*

Virtutum finis est amicitia, principium est religio. *Hieroc.*

Virtutum omnium principium, & ortus est prudentia, finis, & perfectio iustitia: in medio consistunt fortitudo, & continentia. *Hieroc.*

Virtutes ab intellectu ad animum nostrum traductæ resplendent, & huius propria sunt species, & perfectio, & bene viuendi causa, ad eas vero partes, quæ ratione carent, vt mortale corpus participatio aliqua virtutum pertransit, vt ea quæ rationabili essentiæ innata sunt, pulchritudine impleantur, & mensura. *Hieroc.*

Veritatem æquo animo acquirere posse impossibile videtur, nisi affectiones quæ sine ratione sunt, per morales virtutes iubente intellectu coordinaremus. *Hieroc.*

Virtus summa est prouidentiæ leges imitari, per quas omnia secundum propriam vim conuenienti sibi bono adiungitur, & consistere in terminis ab opifice Deo statutis, quibus omnia per speciem discreta sunt. *Hieroc.*

Virtutis vnius diuersæ sunt actiones secundum diuersa receptacula. *Auicen. de anima, parte 1. capit. 4.*

Virtutes apprehendentes impelluntur naturaliter ad suum comprehensibile, quasi delectentur in illo, *Auic. de anima, par. 3. cap. 8.*

Virtutum habitus fit ex frequentatione suarum actionum. *Auic. de anima, par. 4. cap. 5.*

Virtutes apprehendentes per instrumentum ex perseuerantia operis fatigantur. *Auicen. de anima,*

par.5 cap.2.

Virtutes corporis debilitantur in fine ætatis iuuenilis, quę est circiter annos quadraginta, at virtus intelligibilis non corroboratur plerunque, nisi post annos quadraginta. *Auicen. de anima, par. 5. cap. 2.*

Virtus aliqua non est impossibile, vt eius principium sit in vno membro à quo eat ad aliud in quo illa virtus perficiatur, deinde redeat ad primum membrum. *Auic. de anima, par. 5. cap. 8.*

Vis aliquando erit principium actionis in effectu, aliquando non. *Auic. de anima, par. 1. cap. 4.*

Visis resistendum Deum adiutorem inuocandum, explorare si visa bona: nam ingens est certamen, diuinum facinus, regnum agitur, libertas agitur, vacuitas perturbationum agitur si semel victus dicis post vincam, scito ta ita male habiturum, vt nescias te peccare. *Arr. Epictet. libr. 2. cap. 18.*

Visus est vis ordinata in neruo optico ad apprehendendam formam eius, quod formatur in humore crystallino ex similitudinibus corporum habentium colorem, quæ eueniunt per corpora radiosa in effectu ad superficies corporum tersorum. *Auic. de anima, par. 1. cap 5.*

Visus cum apprehendit formam, quia non abstrahit formam abstractione vera a materia, sed est necessarium materiam adesse ad hoc, vt forma hæc apprehendatur in illa. *Auic. de anima, par. 2. cap. 2.*

Visus sensus non delectatur, nec dolet, sed anima est, quæ delectatur intus, vel dolet, & sic auditus, olfactus gustus dolent, & delectantur cum afficiuntur conuenienti qualitate, aut inconuenienti: tactus aliquando dolet propter qualitatem tactiuam, aut delectatur: aliquando dolet, & delectatur, non mediante alia qualitate, quæ sit primum sensatum, sed propter solutionem continuitatis, & propter suam continuitatem. *Auic. de anima, par. 2. cap. 3.*

Visus si tangeretur a re visiua non videret. *Auic. de anima, par. 2. cap. 4.*

Visibile ex sua essentia prohibet videri id, quod post se est. *Auic. de anima, par. 3. cap. 3.*

Visiuus spiritus existis in neruo optico concauo, qui clauso vno oculo interdum vadit ad alterum, quia concauitas est eis communis. *Auic. de anima, par. 3. cap. 7.*

Visibilis virtus est extra sensum communem, quamnis emanet ab eo, idest videt, & non audit, nec olfacit. *Auic de anima, par. 3. cap. 8.*

Visus videt visibilia circumferri, cum spiritus, qui est in anteriori parte ventriculi crebri mouetur circulariter, & virtus visibilis reddiderit illic formam sensatam, propter spiritum qui est receptibilis eius virtutis; non quiescit in loco suo, sed mouetur, & succedit alia pars, quæ recipit eam formam post receptionem illius antequam deleatur de illa, & sit circulariter quod circumfertur, non est nisi visum, quod variatur circa id quod videtur. *Auicen. de anima, parte 3. cap 8.*

Visus apprehendit magnitudinem, & numerum, & figuram, & situm, & motum, & quietem, mediante colore, & videtur, quod apprehensio motus, & quietis percipiatur virtute alia, præter sensum. *Auicen de anima par. 3. cap 8.*

Visus perficitur humore crystallino, qui est vt aqua lympida, quæ recipit formas visibiles, & reddit eas spiritui visibili, & fit perfectio vidēdi in contactu neruorum concauorum. *Auicen. de anima, parte 5. cap. 8.*

Visus exigit humiditatem aquosam, claram, quę recipiat impressionem, & suum instrumentum esse debet substantia crystallina. *Auicen. de animalib. lib. 12. cap. 11.*

Visus acumen, aut secundum assertionem rei a remotis, aut secundum fortitudinem discretionis rei visæ. *Auic. de animalib lib. 19 cap. 1.*

Vita quæ à fortuna pendet torrenti flumini similis est, turbulenta cœnosa imperuia tumultuosa non diuturna. *Epict. sent.*

Vita beata differt a luxuriosa: nam illa modesta, sua sorte animo contenta, bona consuetudine, temperantia frugalitate paratur, hæc intemperantia delitiis, perturbatione ordinis in modestia, finis illius vera laudatio, huius vituperatio. *Epict. sent.*

Viuere beatè qui cupit non captet laudem è luxu: modus sit cibi, & potus, appetitus sit voluptas, prandia, & cœnæ non sint petulantes, neque seueræ; sed hilares, & frugales. *Epict. sent.*

Vitam tranquillam si cupis operam dato, vt contubernales tui omnes fiot boni, erunt boni si eos institueris alios volentes, alios inuitos, ac postea subactos dimiseris: nam cum iis, qui fugerint, & improbitas fugiet, & vitium, cum iis, qui tecum transierint, vna remanebit, & bonitas, & libertas, præstat eum vno libero siturum esse, & libetum, quàm cum multis seruire. *Epict. sent.*

Vitæ longiori, & deteriori, breuior, & melior omnibus vtique modis præferenda est. *Epict sent.*

Vita est quæ alij placet, alij displicet. *Altercat. Had. & Epict.*

Vita optima est breuissima. *Alter. Had. & Epict.*

Vita est ex rebus indifferantibus, at vitæ vsus nō est indifferens. *Arr. Epict. lib. 2. cap. 5.*

Vitam sine inuidia pertransiemus sorditatem fugiētes, & dalitias, & stultam superbiam, ex quibus duo mala nascuntur erogatio pecuniarum importuna, & retentio: quarum illud pro superbia vituperatur, hoc pro auaritia. *Hierоc.*

Vita est corpus quoddam splendidum sine materia, quod vitam hanc materialem gignat, per quam nostrum mortale animal completur compositū, & vita rationali, & corpore materiali, quod imago quædam est hominis constituti ex rationali existentia, & corpore splendido, & sine materia. *Hieroc.*

Vitæ longioris est animal sanguineum, & est elephans, & post hunc homo. *Auicen. de animalib. lib. 18. cap. 9.*

Vita creata prima est motio proueniens ex duabus diuersis viribus, & est proueniens ex apprehensione, & motione actiuæ virtutis desideratiuæ, ita vt passio, & actio desideratiua redeant supra essentiam eandem, quia cum apprehensione intelligentiæ committitur voluntas, tunc ipsa intelligeret Deum, & rerum causas, & moueretur circa ipsam, & mouet seipsam, vt incipiat esse in tempore bonitas quam intuit. *Auicen. de intellig. cap. 4.*

Vita prima nō dat vitam eis, quæ viuunt sub ea, nisi per modum formæ, quoniam processio formarū est, cum id quod fuerit apprehensum, & desideratum, sequitur motus actionem virtutis desideratiuæ, & perficitur vita. *Auic. de intellig. cap. 4.*

Vitis

Vitis tres vuas gignit, voluptatis, ebrietatis,& molestiæ. *Anacharsidis problem.*

Vitiorum plura sunt genera, quod rationi aduersatur ast imprudentia, animositati timor, cupiditati pecuniarum, & voluptatis affectio, & omnibus animi passionibus iniustitia. *Hieroc.*

Vitia nostra calamitatem concipiunt, ac Dei iudiciũ prauitatem punit, quibus opportune iterum mũdamur, si diuina virtute, & lege nostræque voluntatis impetu ad bonum proficiscentes a malis absoluitur. *Hieroc.*

Vitium corporis habitum corrumpit, multo enim facilios labimur potu, quam cibo. *Hieroc.*

Vitia ea nostra voluntate nascuntur. *Hieroc.*

Viuemus optime, & iustissime, si ea ipsi non fecerimus, quæ in aliis reprehendimus. *Thaletis problem.*

Viuentibus male viuere non est malum, vt viuentibus bene non est bonum: sic de morte, & de fortunæ bonis, sed qui recte eis vti sciet bene viuet, sin male, male viuet. *Cebetis Tabula.*

Vngues facti sunt per quatuor iuuamenta, vt confirment extremitates digitorum, ne lædantur, & debilitentur in comprehẽsione, & vt digitus per ipsos possit colligere res minutas, & ob scalpationem, & vt sint arma. *Auic. de animalib. lib. 14. cap. 2.*

Vngues, & venæ sunt materiæ terrenæ, & in eis est humiditas aliquantulum vnctuosa, & non liquescunt, sed albescunt. *Auic. de animalib. libr. 16 cap. 2.*

Vnguium, & crinium præsegmina vrina non inspergenda, idest rerum externarum curam non esse negligendam. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. symb.*

Vnitas aliquo modo est initium quantitatis, quod sit initium numeri patet, continui autem similiter, quia continuationi aliqua vnitas est causa formalis; mensura enim non est mensura, nisi in quantum mensuratur, sed esse eius, vt mensuratur, non est nisi vt numeratur: & esse eius vt numeratur est esse eius, vt habet vnitatem. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 1.*

Vnitas non est illius naturæ, vt separetur e substantia in qua est. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 3.*

Vnitas vel dicitur de accidentibus, vel de substantia. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 3.*

Vnitas non intrat definitionem substantiæ, vel accidentis, sed fortasse est concomitans eam. *Auicen. metaph. tract. 3. cap. 3.*

Vnitas cum sit accidens, tunc numerus, qui accidens est prouenit ab vnitate. *Auicen. metaphysic. tract. 3. cap. 3.*

Vnitas vt mensure opponitur multitudini, vt est mensurata. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 6.*

Vnitati propria sunt identitas homogenea conuenientia, & æqualitas, & similitudo. *Auic. metaph. tract. 7. cap. 1.*

Vniuersalia dicuntur nec generari, nec corrumpi duobus modis, primo quia non fuit hora in mũdo prima in qua habuit esse primum singulare, aut prima singularia in qua nõ prædicantur de illis aliquod vniuersale, & fuit hora ante illud in qua nullum illorum habuit esse, & in corruptione contrarium: secundo, vt considerentur quid sunt: nã quòd homo generetur, vel corrumpatur nõ est intellectus, quod homo sit homo, sed quodam quod hominem concomitatur, & non est de eius substantiæ. *Auicen. sufficien. lib. 1. cap. 3.*

Vniuersale est id quod intellectu non est impossibile prædicari de multis. *Auicen. metaph. tract. 5. cap. 1.*

Vniuersale tribus dicitur modis, vt prædicatur primo de multis, vt homo; secundo intentio quæ possibile est prædicari de multis, & si nullum illorũ habeat esse in effectu, tertio quod nihil prohibet opinari, quin prædicetur de multis, quòd tamen ei aliquod prohibet, vt Sol, & Luna. *Auicen. metaph. tract. 5. cap. 1.*

Vniuersalitas non accidit naturæ alicui, nisi cum ceciderit in formatione intelligibili. *Auicen. metaphy. tract. 5. cap. e.*

Vniuersale non habet esse per se solum in sensibilibus. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 2.*

Vniuersale, vt vniuersale non est nisi in formatione. *Auic. metaph. tract. 5. cap. 2.*

Vnum secundum essentiam aliud est vnum genere, aliud vnum specie, & hoc idem est vnum differentia, & aliud est vnum comparatione, aliud vnum subiecto, aliud vnum numero, & vnum numero aliquando est continuatione, aliquãdo perfectione, aliquando propter speciem suam, aliquando propter suam essentiam. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 2.*

Vnum specie est vnũ differentia, constat quòd quicquid est vnum genere multa est specie, vnum autem specie est aliquando multa numero, aliquando non. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 2.*

Vnum genere aliquando est propinquo genere, aliquando remoto, & sic de specie. *Auic. metaphysi. tract. 3. cap. 2.*

Vnum secundum accidẽs est, cum de aliquo cui adiunctum est aliud dicitur, quod ipsum est alterũ, & dicitur quòd vtraque sunt vnum, & hoc est, vel subiectum, vel prædicatum accidentale, vt cum dicimus Petrus, & filius Ioannis sunt vnum, vel sunt duo prædicata de vno subiecto, vt cum dicimus Philosophus, & filius Ioannis sunt vnum, vel sunt duo subiecta vnius prædicati, vt cum dicimus quod nix, & gipsum sunt vnum in albedine, eo quod accidit prædicari de vtrisque vnum accidens. *Auic. metaph. tract. 3. cap 2.*

Vnum verum est id in quo est multitudo in potentia tantum, post hoc est aliud vnum in quo est multitudo in effectu. *Auic. metaph. tract. 3. cap. 2.*

Vnum continuale dignior est aggregali: in illo enim non est multitudo in effectu, in aggregali vero est multitudo in effectu. *Auicen. metaph. tract. 3. cap. 2.*

Voluntatem liberam amittit qui aliquid extra voluntatem suam liberam magnifacit, extra eã sunt non modo imperia, sed etiam vita priuata, & non solum occupatio, sed & otium, sed vtendum vnaquaque re, vt oportet, & appetitum è rebus externis tollendum, & adeo sola quæ sui arbitrij sunt, omnis voluntas applicanda. *Arr. Epict. lib. 4. cap. 4.*

Voluntatium interdum cum inuito miscetur, cum res expetenda non plane expetenda est, sed eius particeps quod auersemur. *Simp. in Epict.*

Voluntatis rami sunt irascibilis, & concupiscibilis, quæ vult delectabile, & vtile ad acquirendum: irascibilis autem vult vincere, & repellere nociuum. *Auic. de anima, par. 4. cap. 4.*

Voluntas non est desiderium, quia voluntas aliquando roboratur, desiderio autem non accidit motus aliquo modo, vt imaginatio firma est, nec

tamen aptetur quod imeginatur. *Auic. de anima, par. 4.cap 4.*

Voluntas ex concupiſcentia vult delectationem, ex virture affectandi deſiderium extre intentionem ad victoriam. *Auic. de anima, par. 4.cap. 4.*

Voluptatis elicuius ſi imeginem animo conceperis moderare tibi, ne ab ea mouearis, ſed rem examina, & tibi ipſi deliberandi præbe ſpatium, deinde vtriuſque temporis memento, tum eius quo voluptate perfrueris, tum eius, quo percepta voluptate dolebis, teque ipſe obiurgabis, & bis ille confer, ſi ebſtinueris fore, vt gaudeas, & te ipſum collaudes, quod ſi tibi ſuſcipiendæ rei videbitur eſſe tempus, eem ne te vincant eius blanditiæ, & ſuauitates, ſed illud oppone, quanto præſtantior ſit talis victorie conſcientiæ. *Epict.*

Voluptates quæque rariſsimæ maxime delectent, ſed ſi quis excelſerit modum, ſuauiſsima quæque fiunt moleſtiſsima. *Epict. ſent.*

Voluptas omnis naturaliter dependet ab aliquo actu, non ipſa per ſe ſubſiſtit, ſed rebus adiuncta eſt: ideo viles, & vitiolos actus malæ ſequuntur voluptates, meliores vero virtutes imitentur. *Hieroc.*

Voluptates, & calamitetes in medio ſitæ ſunt, ex quibus qui, vnde, quando, & quentum oportet, acquirit, fœlix eſt: qui vero harum rerum menſuram ignoret infœlix. *Hieroc.*

Voluptatem, qui cum turpitudine eligit, quamuis parumper ob illud dulce lætatur, tamen propter turpitudinem ad moleſtam pœnitentiam venit, at qui virtutem aliis rebus præponit, & ſi propter inconſuetudinem aliquantulum patiatur, tamen coniunctio boni minuit leborem, & tandem à virtute puram voluptatem colligit. *Hieroc.*

Volupras diſcedit ab homine, qui ob voluptatem eliquid turpe facit, turpitudo manet. *Hieroc.*

Voluptas corporis in ſenſu eſt, nam quod ſenſu caret voluptatem non ſentit. *Simp. in Epict.*

Voluptas corporis non eſt extimanda, cum poſt factum nihil intereſt inter eum, qui percepit, & inter eum qui non percepit, excepta cogitatione ſuauitetes, quod declarat memorie eorum, quibus in ſomniis fruimur, quæ obſcurum bebent voluptatis veſtigium. *Simp. in Epict.*

Vox reperitur in omni animali, quod hebet arteriam, & pulmonem, & non det vocem niſi animal quod reſpirat. *Auic. de animalib. lib. 4. cap. 2.*

Vocis grauitas fit propter fortitudinem emittentis, & aliquendo propter debilitatem, vt in vitulis, & veccis voces ſunt grauiores, quam taurorum. *Auic. de animalib. lib. 19. cap. 1.*

Vrbium ornamente, ſunt ciues manſueti, & iuſti. *Epict. ſentent.*

Vrina quadrupedum eſt ſpiſsior, quàm hominis. *Auic. de animalib. 7. cap. 1.*

Vrſam Dauniam, quæ feritate horribilis erat, quæ cum omnia arua, & pecora vaſtaret ed ſe Pythagoras vocauit, & manu blanda permulſit, domique pane, & pomis aluit, nec multo poſt eam adiurauit, vt de cætero animalibus abſtineret, illa ebiens in ſolitis ſyluis diuerſare de cætero animalibus abſtinuit. *Lil. Greg. Gyr. in Pythag. ſymb.*

Vtile in ſe eſt occaſio coniuncta, quæ per ſe ducit ad bonum. *Auicen. metaph. tract. 1. cap. 3.*

Vtilitas eſt intentio, quæ per ſe ducit à malo ad bonum. *Auic. metaph. tract. 1. cap. 3.*

Vtile omne neturalitet delectet quentum ad eum, cui prodeſt. *Auic. de anima, par. 5. cap. 1.*

Vxor edoleſcenti non eſt ducenda, quia nondum venit tempus, at ingraueſcente ætete non, quia iam præterijt tempus. *Thaletis problem.*

Vxor non eſt ducende propter opes, id eſt non ad inanem mundi gloriam inſpectandum. *Lil. Greg. Gyr. in Pyth. ſymb.*

Y



Lx eſt apta ed quodlibet, & per ſe, in ſe, & reſpectu ſui eſt in potentia. *Auic. metaph. tract. 2. cap. 2.*

Z



IRBVS eſt compoſitus ex duabus telis ſubtilibus, & ſepoſis, & cooperit ſtomachum, & inteſtine, & ſplen, & venas meſeraicas, & inuoluit ſtomachum inuolutione, quæ prouenit ad illud quod coniungitur de eo cum dorſo. *Auic. de animalibus libro decimo tertio, capite quinto.*

Seminarij Philoſophiæ Stoicæ finis.





LVCILII ANNAEI SENECAE

SENTENTIOSE DICTA,

EX LIBRIS EIVS, QVOS INIVRIA temporum nobis non inuidit, excerpta.

Catalogus Librorum Senecæ Philoſophi.

AD EBVCIVM LIBERALEM, DE BENEFICIIS.

PRIMI LIBRI GEMMÆ.

Caput primum. Sententia prima.

INTER multos ac varios errores temere inconſultéque viuentium, nihil propemodum dixerim nocentius, quam quod beneficia nec dare ſcimus, nec accipere.

2 Beneficia ſine vllo delectu magis proiicimus, quam damus.

3 Non opus eſt ad liberandum fidem facultatibus, ſed animo.

4 Reddit beneficium qui libenter debet.

5 Quum in omni officio magni æſtimetur dantis voluntas, qui tarde fecit, diu noluit.

6 Demus beneficia, non fœneremus.

7 Dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitauit, quum daret.

8 Hoc & magni animi & boni propriũ eſt, non fructum beneficiorum ſequi, ſed ipſa, & poſt malos quoque bonum quærere.

9 Qui beneficium non reddit, non magis peccat quam qui non dat.

Cap.2. 1 Beneficiis ſi detraxeris iudiciũ, deſinunt eſſe beneficia, in aliud quodlibet incidunt nomen.

2 Beneficiorum ſimplex ratio eſt, tantum erogatur: ſi reddet aliquid, lucrum eſt, ſi non reddet, damnum non eſt.

3 Qualiſcumque priorum euentus eſt, perſeuera in alios conferre.

Cap.3. 1 Non vllum tam immanſuetum animal eſt, quod non cura mitiget, & in amorem ſui vertat.

Cap.5. 1 Non poteſt beneficium manu tangi, animo cernitur.

2 Multum intereſt inter materiam beneficij & beneficium.

3 Itaque nec aurum, nec argentum, nec quicquam eorum quæ à proximis accipiuntur, beneficium eſt: ſed ipſa tribuentis voluntas.

4 Eſt recte factum, quod irritũ nulla vis efficit.

5 Quid habet per ſe corona pretioſum? quid prætexta? &c. nihil illorum honor eſt, ſed honoris inſigne: Sic non eſt beneficium, id quod ſub oculos venit, ſed beneficii veſtigium & nota.

Cap.6. 1 Eſt ergo beneficium, beneuola actio tribuens gaudium, capiénſq; tribuendo, in id, quod facit prona & ſponte ſua parata.

2 Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, ſed qua mente. Quia beneficium, non in eo, quod fit, aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis, aut benefacientis animo.

Cap.11. 1 Vtique cauebimus, ne munera ſuperuacua mittamus: vt feminæ aut ſeni arma venatoria, aut ruſtico libros, aut ſtudiis ac literis dedito, retia.

2 Æque ex contrario circumſpiciemus, ne dum grata mittere volumus, ſuũ cuique morbum exprobratura mittamus, ſicut ebrioſo vina, & valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit eſſe, non munus, in quo vitium accipientis agnoſcitur.

Cap.12. 1 Ipſa res euaneſcẽtem memoriã excitet.

2 Plures ſunt, apud quos non diutius in animo ſunt donata, quam in vſu. Ergo ſi fieri poteſt, conſumi munus meum nolo.

Cap.15. 1 Ego nullius puto expetendum eſſe beneficium, cuius vile iudicium eſt.

SECVNDI LIBRI GEMMÆ.

Cap.1. 1. NVlla res, vt maioribus noſtris, grauiſſimis viris viſum eſt, carius conſtat, quam quæ precibus empta eſt.

Cap.2. 1 Illud beueficium iucundum, victurúmque in animo ſcias, quod obuiam venit.

2 Quemadmodum in ægris opportunitas cibi ſalutaris eſt, & aqua tempeſtiue data remedij locum obtinnit: Ita quamuis leue & volgare beneficiom ſit, ſi præſto fuerit, ſi proximam quamque horam non perdidit, multum ſibi adiicit, gratiámque pretioſi, ſed lenti & diu cogitati muneris vincit.

Cap.4. 1 Hęc itaque cutæ habebis, ſi grate æſtimari, quæ præſtabis voles, vt beneficia tua illibata & integra ad eos, quibus promiſſa ſunt, perueniant, ſine vlla, qood aiunt, deductione.

Cap.5. 1 Veriſsimum eaiſtima, quod ille comicus dixit: Quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis?

2 Quemadmodum acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit ad pœnam: & miſericordiæ genus eſt, cito occidere: quia tormentum vltimum finem ſui ſecum affert: quod antecedit tēpus, maxima venturi ſupplicii pars eſt: ita maior eſt muneris gratia, quo minus diu pependit. Elt eoim bouarum etiam rerum ſollicita expectatio.

3 Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempos & argumentum amicæ voluntaris. Tarde velle nolentis eſt.

Cap.10. 1 Lacerat animum, & premit frequens meritorum commemoratio.

Cap.11. 1 Præcipue parcamus auribus. Admonitio tædium facit, exprobratio odium. Nihil æque in beneficio dando vitandum eſt, quam ſuperbia. Quid opos arrogantia vultus? quid tumore verborum? ipſa res te extollit. Detrahenda eſt inania iactatio. Res loquentur, nobis taeentibus. Non tantum ingratum, ſed inuiſum eſt beneficium ſuperbe datum.

Cap.13. 1 O ſuperbia magnæ fortunæ! ô ſtultiſſimum malum: vt a te nihil accipere iuuat! Vt omne beneficium in iniuriam conuertis. Vt te omnia nimia delectant. Vt te omnia dedecent: quoqoe altius te ſubleuaſti, hoc depreſsior ea, oſtendiſque te non agnoſcere iſta bona, qoibus tantum inflatis.

Cap.14. 1 Sont quædam nocitura impetrantibus: quæ non dare, ſed negare, beneficium eſt. Æſtimabimus itaque vtilitatem potius, quam voluntatem petentium. Sæpe enim noxia concupiſcimus, nec deſpicere quàm perniciosa ſint licet: quia iudiciom interpellat affectus. Sed cum ſubſedit cupiditas, cum impetos ille flagrantis animi, qui conſilia fugat, cecidit, deteſtamur pernicioſos malorum munerum aoctores. Vt frigidam ægris negamus, & lugentibus ac ſibi iratis ferrum, aut amantibus, quicquid contra ſe vſurus ardor petit: ſic ea, quæ nocitura ſunt, impenſe ac ſubmiſſe, nonnumquam etiam miſerabiliter rogantibus perſeuerabimus non date.

2 Exorari in pernitiem rogantium, ſæua bonitas eſt. Quemadmodum pulcerrimom opus eſt, etiam inuitos noleniéſque ſeruare: ita rogaotibus peſtifera largiri, blandum & affabile odium eſt. Beneficium demus, quod vſu magis ac magis placeat, quod numquam in malum vertat. Peconiam non dabo, quam numeraturum adulteræ ſciam: ne in ſocietatem turpia facti, aut conſilii veniam. Si potero, reuocabo: ſin minos, non adiuuabo ſcelus. Siue illum ira, quod non debebat, impellit, ſiue ambitionis calor abducit à tutis: non committam, vt poſſit quandoque dicere, Ille amando me occidit.

Cap.15. 1 Dabo egenti; ſed vt ipſe non egeam. Succurram petituro; ſed vt ipſe non peteam: niſi ſi futurus ero magni homitiia, aut magnæ rei merces.

2 Reſpiciendæ ſunt cuique facultates ſuæ, vireſque; ne aut plos præſtemus, qoam poſſumus, aut minus.

Cap.17. 1 Multi ſunt tam prauæ naturæ, vt malint perdere quæ præſtiterunt, quam videri recipiſſe, ſuperbi & imputatores.

2 Optimus ille, qoi dedit facile, nunqoam exegit: reddi gauiſus eſt, bona fide quid præſtitiſſet, oblitus, qui accipientis animo recepit.

Cap.18. 1 Maiore dilectu quærendum eſt, cui debeamus, quam cui præſtemus. Nam, vt non ſequātur vlla incommoda (ſequuntur autem plorima) graue tormentom eſt debere cui nolis. Cōtra iucundiſſimum eſt, ab eo accepiſſe beoeficium, quem amare etiam poſt iniuriam poſſis.

2 Venenom aliqoando proremedio fuit, non ideo nomeratur inter ſalubria.

Cap.19. 1 Non videtur dediſſe beneficium, qui malo aoimo profuit.

Cap.22. 1 Qui grate beneficium accepit, primam eius penſionem ſoluit.

Cap.24. 1 Nihil magis præſtandum eſt, quam vt memoria nobis meritorum hæreat, quæ ſubinde refricanda eſt: quia oec referre poteſt gratiam, niſi qui meminit; & qui meminit, iam refert.

Cap.25. 1 Qui gratus futurus eſt, ſtatim dum accipit, de reddendo cogitat.

Cap.27. 1 Non patitur auaritia quemquam eſſe gratum. Numquam enim improbæ ſpei, quod datur ſatis eſt. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt: multoque concitatior eſt auaritia, in magnarum opum congeſtu collocata. Vt flammæ infinito acrior vis eſt, qoo ex maiore incendio emicuit.

2 Vltra ſe cupiditas porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit; quia non vnde venerit, reſpicit, ſed quo tendat.

Cap.28. 1 Quotidie querimur, malos eſſe felices. Sæpe quæ agellos peſſimi cuiuſqoe tranſierat, optimorum virorum ſegetem grando percuſſit. Fert ſortem ſuam quiſque, vt in cæteris rebus, ita in amicitiis. Nullum eſt tam plenom beneficium, quod nō vellicare malignitas poſſit: nullom tam anguſtum, quod non bonus interpres extendat. Numquam deerunt cauſæ querendi, ſi beneficia a deteriore parte ſpectaueris.

Cap.29. 1 Vix ſibi temperant, quin eo vſque impudentiæ prouehantur, vt naturam oderint, quod infra Deoa ſumus, quod non in æquo illis ſtetimus.

2 Quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit parens noſter, quanto valentiora animalia ſub iugum miſerimos, quanto velociora conſeqoamur: quam nihil ſit mortale, non ſub ictu noſtro poſitum.

3 Ita eſt; cariſſimos nos habuerunt Dij immortales, habentque. Et qui maximus tribui honos potuit, ab ipſis proximos collocauerunt.

Cap.30. 1 Qui libenter beneficium accepit, reddidit.

TERTII LIBRI

OSMMÆ.

Cap.1 1 NOn reddere beneficiis gratiam, & eſt turpe, & apud omnes habetor.

a Ingratus

2 Ingratus est, qui dissimulat, ingratus, qui non reddit: Ingratissimus omnium, qui oblitus est.

3 Hic nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elepsum est.

4 Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui obrepsit oblinio.

Cap.3. 1 Prima omnium ac potentissima (causa, quæ oos merita nonnumquam maxima celat) quod nouis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus, inspicimus; non io id quod est, sed in id quod appetimus, intenti. Quicquid enim domi, vile est. Sequitur antem, vt ibi quod acceperis leue nouorum cupiditas fecit, auctor quoque eorum non sit in pretio.

2 Ad præterita rari animum retorquent. Sic fit, vt præceptores, eorumque beneficia iotercidant; quia totam pueritiam relinquimus.

Cap.4. 1 Præsentia bona noodum tota in solido sunt, potest illa casus aliquis incidere, futura pendent, & incerta suot.

2 Memoriç minimum tribuit, quisquis spei plurimum.

Cap.14. 1 Interitura tantæ rei dignitas, si beneficium mercem facimus. Non est incitandus animus ad auaritiam, ad querelas, ad discordiam; sua sponte in ista fertur. Quantum possumus resistamus, & querendi occasiones amputemus.

Cap.15. 1 Generosi animi est, iuuare & prodesse. Qui dat beneficia, Deos imitatur, qui repetit, fœneratores.

Cap.17. 1 Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel.

Cap.18. 1 Nolli præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, iogenuos, libertinos, seruos, reges, & exules. Non eligit domum, nec censum; oudo homine contenta est.

Cap.21. 1 Qnamdiu præstatur, quod a seruis exigi solet, ministerium est: vbi plus quam quod seruo necesse est, beneficium.

Cap.28. 1 Vnus omnium parens mundus est, siue per splendidos, siue per sordidos gradus: ad hunc prima cuiusque origo perducitur.

Cap 36. 1 Hæc (beneficii acceptio a liberis) non destruit parentum venerationem, nec deteriores illi liberos facit, imo etiam meliores. natura enim gloriosa est virtus, & anteire priores cupit. Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vincendi spe venerit.

QVARTI LIBRI
GEMMÆ.

Cap.2. 1 EGo sine virtute nego beatam vitam posse constare.

Cap.3. 1 Istud non est beneficium, sed fœnus, circumspicere, non vbi optime ponas, sed vbi quæstuosissime habeas, vnde facilime tollas. Quod cum longe a Diis remotum sit, sequitur vt liberales sint. Nam si vna beneficii dandi causa sit vtilitas, nulla autem ex nobis vtilitas Deo spectanda est, nulla Deo dandi beneficii causa est.

Cap.6. 1 Si pauca quis tibi donasset iugera, accepisse te diceres beneficium, immensa terrarum late patentium spacia negas esse beneficium? (quæ Deus dat.)

Cap.7. 1 Quæcumque voles illi (Deo) nomina proprie aptabis, vim aliquã effectũq; cęlestẽ cõtinẽtia. Tot appellationes eius possũt esse, quot munera,

Cap 8. 1 Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat. Opus suum ipse implet. Ergo nihil agis ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ.

Cap 9. 1 Plurima beneficia ac maxima in nos Deus confert, sine spe recipiendi.

Cap.10. 1 Non est beneficium, nisi quod ratione datur: quoniam ratio, omnis honesti comes est.

2 Pauperi viro bono dabo. Erit enim in summa inopia gratus: & cum omnia illi deerunt, supererit animus. Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, non gloriam.

Cap.11. 1 Nec quicquam cura sanctiore componimus, quam quod ad oos non pertinet.

Cap.13. 1 Multa quæ summam vtilitatem aliis afferunt, pretio gratiam perdunt. Mercator vrbibus prodest, medicus ęgris, mango venalibus; sed omnes isti quia ad alienum commodum pro suo veniunt, non obligant eos quibus prosunt.

Cap.14. 1 Non immerito in numero peccantium refertur, quę pudicitiam timori præstitit, non sibi. Eodem modo qui beneficium vt reciperet dedit, non dedit.

Cap.15. 1 Nunquid dubium est, quin contraria sit beneficio iniuria? Quomodo iniuriam facere, per se vitanda ac fugienda res est: sic beneficium dare per se expetendum.

Cap.16. 1 Quid tam laudabile, quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam?.

Cap.17. 1 Superuacuum est, quo natura imus, impelli. Quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem cum nascitur trahit: Ita ne ad hoc quidem, vt honesta per se petat. Placet suapte natura: adeoque gratiosa virtus est, vt insitum sit etiam in malis, probare meliora. Quis est, qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera & iniurias opinionem bonitatis affectet? Qui non ipsis quæ impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque iis videri beneficium dedisse, quos læsit?

2 Neminem reperies, qui non nequitiæ pręmiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit. Etiam qui non sequuntur, illam vident.

Cap.18. 1 Hominem imbecillitas cingit: non vnguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum & infirmum societas munit. Duas res dedit: quæ illum obnoxium cęteris, validissimum facerent, rationem & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi, dominium omnium animalium dedit. Societas terris genitum, in alienæ naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari iussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hæc fortes nos facit; quod licet contra fortunam aduocare. Hanc tolle, & vnitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes.

2 Denique ingratum voco, quisquis metu gratus est.

Cap.20 1 Id propter se expeti dicitur, quod quãuis habeat aliqua extra se commoda, sepositis quoque illis ac remotis placet.

2 Gratus animus ipsa virtute propositi sui capitur.

Cap.25. 1 Pudeat vllum venale esse beneficium

Gratuitos habemus Deos. Si Deos imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis sol oritur, & piratis patent maria.

Cap.27. 1 Omnia in omnibus vitia sunt: sed non omnia singulis extant. Hunc natura ad auaritiam impellit: hic libidini, hic vino deditus est: aut si nondum deditus, ita formatus, vt in hoc illum mores sui ferant.

Cap.28. 1 Satius est prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos.

2 Frumentum publicum tam fur, quam periurus, & adulter accipiunt, & sine delectu morum quisquis ciuis est. Cum aliquid est, quod tanquam ciui, non tanquam bono datur, ex æquo boni & mali ferunt. Deus quoque quædam in vniuersum humano generi dedit, a quibus excluditur nemo.

Cap.30. 1 Hic egregiis maioribus ortus est: qualiscumque est, sub vmbra suorum lateat. Vt loca sordida repercussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum luce splendeant.

Cap.32. 1 Deos videre est vt alios indulgentius tractent, propter parentes auosque; alios propter futuram nepotum: pronepotumque ac longe sequentium posterorum indolem. Nota est in illis operis sui series. Omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ea abdito subit.

Cap.33. 1 Difficilis humani animi coniectura est.

2 Dum verisimilia me in hoc aut illud impellant, non verebor beneficium dare ei, quem verisimile erit gratum esse.

Cap.36. 1 Multum in eo, ne indigno beneficium des. Hoc tamen quantum sit, attendendum. Si leue, conniueamus. Si vero magno mihi aut detrimento, aut rubori futurum, malo semel excusare quare negauerim, quam semper, quare dederim.

2 Demens est, qui perstat in errore.

Cap.37. 1 Multa interim reges, in bello præsertim, opertis oculis donant.

Cap.38. 1 Non est leuitas, a cognito & damnato errore discedere: & ingenue fatendum est: aliud putaui: deceptus sum. Hæc vero superbæ stultitiæ perseuerantia est: quod semel dixi, qualecumque est fixum, ratumque sit.

Cap.40. 1 Nec ideo beneficium nouum reiicere debeo, quia nondum prius reddidi. Accipiam tam libenter, quam dabitur: & præbebo me amico meo exercendæ bonitatis suæ, capacem materiam. Qui noua accipere non vult, acceptis offenditur.

2 Breuiter dicam, qui nimis cito cupit soluere, inuitus debet: qui inuitus debet, ingratus est.

QVINTI LIBRI
GEMMÆ.

Cap.1 1 PRopositum optimi viri, & ingentis animi est, tam diu ferre ingratum, donec feceris gratum. Nec te ista ratio decipiet. Succũbũt vitia virtutibus, si illa nõ cito odisse ꝑperaueris.

Cap.5. 1 Non est turpe vinci beneficiis a parente. Quid ni non sit turpe, cum a nullo turpe sit? Quibusdam enim & pares & impares sumus. Pares animo, quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus: impares fortuna, quæ si cui obstitit, quo minus referret gratiam, non ideo illi tanquam victo erubescendum est. Non est turpe, non assequi, dummodo sequaris.

Cap.15. 1 Hoc iam amplius est, Beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est.

Cap.17. 1 Grati simus aduersus Deos, grati aduersus homines, grati aduersus eos, qui nobis aliquid præstiterunt: grati etiam aduersus eos, qui nostris præstiterunt.

Cap.19. 1 Non quæritur, an profueris mihi, sed an beneficium dederis. Prodest enim & animal, & lapis, & herba: nec tamen beneficium dant, quod nunquam datur, nisi a volentibus.

Cap.25. 1 Sapientibus melius iudicare fuisset, quid rerum nostrarum status posceret.

SEXTI LIBRI
GEMMÆ.

Cap.1 1 ETiam quod discere superuacuum est, prodest cognoscere.

Cap.2. 1 Nonnumquam vsu beneficii longiore prohibetur, beneficium quidem ipsum non eraditur.

Cap.4. 1 Non beneficium tollitur, sed beneficii gratia: & efficitur, non, ne habeam, sed ne debeam.

Cap.6. 1 Quomodo si quis scriptis nostris, alios superne imprimat versus, priores literas non tollit, sed abscondit: sic beneficium superueniens iniuriam apparere non patitur.

Cap.8. 1 Beneficium aliquis nesciens accipit, nemo a nesciente.

2 Quidam nobis prosunt, dum nolunt: imo quia nolunt: non tamen ideo illi beneficium debemus. Quid si perniciosa illorum consilia fortuna deflexit in melius, an existimas me debere ei quicquam, cuius manus cum me peteret, percussit hostem meum, qui nocuisset, nisi errasset?

3 Non tamen hi beneficium dederunt, quamuis profuerint. Quia telum quo missum sit, non quo peruenerit, quæritur. & beneficium ab iniuria distinguit, non euentus, sed animus.

Cap.9. 1 Non est beneficium, nisi quod a bona voluntate proficiscitur, nisi illud agnoscit, qui dedit. Profuit aliquis mihi dum nescit, nihil illi debeo. Profuit cum vellet nocere, imitabor ipsum.

Cap.15. 1 Nihil venditori debet, qui bene emit.

Cap.23. 1 Scias non esse hominum tumultuarium & incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum natura nihil habet quo magis glorietur, aut certe, cui glorietur.

Cap.24. 1 Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam, parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fouent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad vltimum audacem iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Adolescentibus quoque ac iam potentibus sui, si remedia, metu aut intemperantia reiiciunt, vis adhibetur, ac seruitus. Itaque beneficiorum maxima sunt, quæ a parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus.

Cap.26. 1 Non est beneficium iniuriæ finis.

2 Poteris inire gratiam, si, quia vulneratus sum, sanas:

sanas: non, si vulneras, vt sanandus sim. Numquam cicatrix, nisi collocata vulneri, placuit: quod ita coisse gaudemus, vt non fuisse mallemus. Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum: quāto inhumanius ei optas, cui beneficium debes?

*Cap.*27. 1 Quod vnum in voto tuo honestum videri poterat, turpe & ingratum est, nolle debere. Optas enim, non vt tu facultatem habeas, referendæ gratiæ, sed vt ille necessitatem implorandæ. Superiorem te facis, & quod nefas est, benemeritū ad pedes tuos mittis.

2 Si inficiareris quod acceperas, minus peccares: nihil enim nisi quod dederat, amitteret. Nunc vis illum subiici tibi iactura rerum suarum, & status mutatione in id deuocari, vt infra beneficia sua iaceat.

3 Pessime cum eo agis, cui vis a diis noceri, a te succurri; inique cum ipsis diis. Illis enim durissimas partes imponis, tibi humanas. Vt tu prosis, dij nocebunt.

4 Quicquid non efficis, Dei munus est: iniuria vero, quicquid optas. Sat est. Tibi non aliter debemus irasci, quam si feceris.

Cap 28. 1 Nullius metus tam gratus est finis, vt non gratior sit solida & inconcussa securitas.

*Cap.*29. 1 Neminem tam alte secunda posuerūt, vt nō illi eo magis amicus desit, quia nihil absit.

*Cap.*32. 1 Regalis ingenij mos est, in præsentium contumeliam, amissa laudare, & his virtutem dare vera dicendi, a quibus iam audiendi periculum non est.

*Cap.*34. 1 In pectore amicus, non in atrio quæritur. Illo recipiendus est, illic retinendus, & in sensibus recondendus.

2 Multum interest, vtrum properes referre gratiam, vt reddas beneficium, an vt ne debeas. Qui reddere vult, illius se commodo aptabit, & idoneū illi venire tempus volet. Qui nihil aliud quam ipse liberari vult, quacumque ad hoc cupiet peruenire: quod est pessimæ voluntatis.

Cap 37. 1 Quamadmodum illi seruauerunt bonorum ciuium officium, qui reddi sibi penates suos noluerunt clade communi, quia satius erat duos vnico malo affici, quam omnes publico; ita non seruat grati hominis affectum, qui bene de se merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipse submoueat: qui etiam si bene cogitat, male precatur.

*Cap.*38. 1 Se quisque consulat, & in secretum pectoris sui recedat, & inspiciat quid tacitus optauerit. Quam multa sunt vota, quæ & iam sibi fateri pudet: quam pauca quæ facere coram teste possimus.

*Cap.*42. 1 Tam cum vitio est recipere quod non debes, quam, non dare quod debes.

2 Male agit qui famæ, non cōscientiæ gratus est.

SEPTIMI LIBRI

GEMMÆ.

*Cap.*1. 1 EGregia hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiam si maximis comparetur, solet, plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi & in vsu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.

2 Inuoluta veritas in alto latet. Nec de malignitate naturæ queri possumus: quia nullius rei difficilis inuentio est, nisi cuius hic vnus inuentæ fructus est inuenisse. Quicquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit.

*Cap.*2. 1 Illa est voluptas & homine & viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies: sed perturbatione carere, & ea quæ hominum inter se rixantium ambitus concutit, & ea quæ intolerabilis ex alto venit, vbi de Diis famæ creditum est, vitiisque illos nostris æstimauimus.

*Cap.*9. 1 Omnium rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet periculo, crescit.

2 Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia, auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumtis, mulier parum liquido nudā se non esse iurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, vt matronæ nostræ, ne adulteris quidem, plus sui in cubiculo quam in publico ostendant.

*Cap.*10. 1 Quid agis auaritia? quot rerum caritate aurum tuum victum est? omnia ista, quæ retuli, in maiore honore pretioque sunt. Nec volo tuas opes recognoscere, laminas vtriusque materię, ad quas cupiditas nostra caligat. At, me hercule, terra quæ quicquid vtile futurum nobis erat protulit, ista defodit, & mersit, & vt noxiis rebus ac malo gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit. Video ferrum ex iisdem tenebris esse prolatum, quibus aurum & argentum; ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, aut pretium.

2 Quid sunt istæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & sanguinolentæ centesimæ? voluntaria mala, ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subiici oculis, quod teneri manu possit, inanis auaritiæ somnia.

3 Cum bene ista per quæ diuitias suas disposuit ac fudit, circumspexerit, superbumque se fecerit, si, quicquid habet, ei quod cupit comparet, pauper est. Dimitte me, & illis diuitiis meis redde. Ego regnū sapientiæ noui magnum, securum. Ego sic omnia habeo, vt omnium sint.

*Cap.*14. 1 Semper contra fortunam luctata virtus, etiam circa effectum propositi operis corruit.

*Cap.*19. 1 In pessima ab optimis lapsus, necesse est etiam in malo vestigia boni teneat. Nunquam in tantum virtus extinguitur, vt non certiores animo notas imprimat, quam vt illas eradat vlla mutatio.

2 Nemo in summā nequitiam incidit, qui vmquam hæsit sapientiæ. Altius infectus est, quam vt ex toto elui, & transire in colorem alium possit.

*Cap.*25. 1 Aristippus aliquando delectatus vnguento, male inquit istis effeminatis eueniat, qui rē tam bellam infamauerunt, idem dicendum est: Male illis improbis, & importunis beneficiorum suorū quadruplatoribus eueniat, qui tam bellam admonitionem inter amicos sustulerunt.

*Cap.*27. 1 Si indignaris ingratos esse, indignare luxuriosos, indignare auaros, indignare impudicos, indignare ægros deformes, senes pallidos. Est istud graue vitium, est intolerabile, & quod dissociet homines, quod concordiam, qua imbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissipet.

*Cap.*28. 1 Forsan vitium, de quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu inuenies.

2 Meliorem illum facies ferendo, vtique peiorem exprobrando.

Cap.29. 1 Quædam nomina bona, lentus ac sapiens creditor fecit: qui sustinuit, ac mora fouit.

2 Nutriamus fidem languidam.

Cap.30. 1 Vt corporum, ita animorum molliter vitia tractanda sunt. Sæpe quod explicauit mora, pertinacia trahentis abruptum est.

2 Nemo non superioris dignitatem querendo, etiamsi non inquinauit, aspersit.

Cap 31. 1 Imitemur illos (si Deos) Demus, etiamsi multa in irritum data sint. Demus nihilominus aliis, demus ipsis, apud quos iactura facta est. Neminem ab excitanda domo ruina deterruit, & cum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus, & vrbes haustas sæpius eodem solo condimus. Adeo ad bonas spes pertinax animus est. Terra marique humana opera cessarent, nisi male cadentia iterum tentare libuisset.

1 Non est magni animi dare & perdere, hoc est magni animi, perdere & dare.



LIBRI EPISTOLARVM AD LVCILIVM GEMMÆ.

Epistola prima.



VÆNAM tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen iactura, quæ per negligentiam fit.

2 Dum differt vita, transcurrit.

3 Tanta stultitia mortalium est, vt quæ minima & vilissima sunt, certe reparabilia, imputari sibi, cum impetrauere patiantur: nemo se iudicet quicquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc vnum est, quod ne gratus quidem potest reddere.

4 Vt visum est maioribus nostris: Sera parsimonia in fundo est. Non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet.

Epist.2. 1 Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt.

2 Distrahit animum librorum multitudo.

3 Cum multa percurreris, vnum excerpe quod illo die concoquas.

4 Cui cum paupertate bene conuenit, diues est: Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirēda computat? Quis sit diuitiarum modus quæris? Primus, habere quod necesse est: proximus, quod sat est.

Epist.3. 1 Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis suis obsessus, quàm quod amicos sibi putat, quibus ipse non est. Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Post amicitiam credendum est, ante amicitiā iudicandū.

2 Tu quidem ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis.

3 Multi fallere docuerunt, dum timent falli: & aliis ius peccandi suspicando fecerunt.

4 Itaque (quod apud Pomponium legi) animo tuo mandabitur. Quidam adeo in latebras refugerunt, vt putent in turbido esse, quicquid in luce est.

Epist.4. 1 Adhuc nō pueritia in nobis, sed, quod est grauius, puerilitas remanet: & hoc quidem peius est, quod autoritatem habemus senum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium.

2 Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. Hoc quotidie meditare, vt possis æquo animo vitam relinquere.

3 Nullum bonum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus.

4 Neminem eo fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere.

5 Magnæ diuitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem illa naturæ, scis quos nobis terminos statuit? Non esurire, non sitire, non algere. Vt famem sitimque depellas, non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium graue, & contumeliosam etiam humanitatem pati. Non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est, quod natura desiderat, & expositum.

6 Ad manum est, quod sat est.

Epist.5. 1 Illud te admoneo, ne eorum more, qui nō proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo aut genere vitæ notabilia sint.

2 Quemadmodum delicatas res desiderare, luxuriæ est, ita vsitatas, & non magno parabiles fugere, dementiæ est.

3 Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argento; nec ille minor est, qui sic argēto vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi est, pati non posse diuitias.

Epist.6. 1 Hoc ipsum argumentum est in melius trāslati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulatio fit, cum s[illegible]sos ægros esse senserunt.

2 Ego cupio in te omnia transfundere, & in hoc gaudeo aliquid discere, vt doceam: nec me illa res delectabit, licèt eximia sit, & salutaris, quam mihi vni sciturus sum. Si cum hac exceptione detur sapiētia, vt illam inclusam teneam, nec enunciem, reiiciam. Nullius boni sine socio iucunda possessio est.

3 Plus tibi viua vox & conuictus, quam oratio, proderit. In rem præsentem venias oportet. Primum quia homines amplius oculis quam auribus credūt. deinde, quia longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla.

4 Quæris quid profecerim? Amicus esse mihi cœpi.

5 Qui sibi amicus est, scito hunc amicum omnibus esse.

Epist.7. 1 Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus adimit. Vtique quo maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est. Nihil vero est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt.

2 Vni-

2 Vnicum exemplum aut luxuriæ, aut auaritiæ multum mali facit. Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes, quamuis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricuit.

3 Recede in teipſum quantum potes: cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo iſta fiunt: & homines dum docent, diſcunt.

Epiſt. 8. 1 Hanc ſanam & ſalubrem formam vitæ teneto, vt corpori tantum indulgeas, quantum valetudini ſat eſt. Durius tractandum eſt, ne animo malè pereat: cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit aduerſus infeſta corpori. Hanc vtrum ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt. Scito hominem tam bene culmo, quam auro, tegi. Contemne omnia, quæ ſuperuacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te præter animum nihil eſſe admirabile, cui magno nihil magnum eſt.

2 Mihi crede: qui nihil agere videntur, maiora agunt, humana diuináque ſimul tractant.

3 Epicurum compilamus, cuius hanc vocem hodierno die legi: Philoſophiæ ſeruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem, qui ſe illi ſubiecit & tradidit, ſtatim circumagitur: hoc enim ipſum philoſophiæ ſeruire, libertas eſt.

1 Sapiens etiamſi contentus eſt, ſe tamen habere amicum vult; ſi ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat.

2 Ad amicitiam fert illum nulla vtilitas ſua, ſed naturalis irritatio. Nam, vt aliarum nobis rerum innata dulcedo eſt, ſic amicitiæ. Quomodo ſolitudo in odio eſt, ſic in dulcedine appetitio ſocietatis. Quomodo homini hominem natura conciliat, ſic ineſt huic quoque rei ſtimulus, qui nos amicitiam appetentes faciat.

3 Niſi ſapienti ſua non placent, omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui.

Epiſt. 10. Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.

Epiſt. 11. 1 Quæcumque attribuit conditio naſcendi, & corporis temperatura, cum multum ſe diuque animus compoſuerit, hærebunt. Nihil horum mutari poteſt, non magis quam acceſſi.

2 Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tamquam illo ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.

3 Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat.

4 O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, atque ordinet.

5 Elige igitur Catonem. Si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum, Lælium, elige eum, cuius tibi placuit & vita & oratio: & ipſius animum ante te ferens, & vultus, illum ſemper tibi oſtende, vt cuſtodem vel exemplum.

Ille beatiſſimus eſt, & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſolicitudine expectat.

Epiſt. 13. Multum adiicit ſibi virtus laceſſita.

Epiſt. 14. 1 Multis ſeruiet, qui corpori ſeruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus viuere debeamus, ſed tamquam non poſſimus ſine corpore.

2 Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis charum eſt.

3 Nunquam in tantum conualeſcet nequitia, nunquam ſic contra virtutes coniurabitur, vt non philoſophiæ nomen venerabile & ſacrum maneat.

4 Is maxime diuitijs fruitur, qui minime diuitiis indiget.

Epiſt. 15. Neque ego te iubeo ſemper imminere libro aut pugillaribus. Dandum & aliquod interuallum animo, ita tamen, vt non reſoluatur, ſed vt remittatur.

Epiſt. 16. 1 Ab Epicuro dictum eſt: Si ad naturam viues, nunquam eris pauper, ſi ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.

2 Nullus terminus falſo eſt.

Epiſt. 17. 1 Multis ad philoſophiam obſtitere diuitiæ, paupertas expedita eſt, ſecura eſt.

2 Quemadmodum nihil differt, vtrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces; quocumque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transfert; ſic nihil refert, vtrum animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur. Malum ſuum illum ſequitur.

Epiſt. 18. 1 Certiſſimum argumentum firmitatis ſuæ capit (animus) ſi ad blanda & in luxuriam trahentia, nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius eſt, ebrio & vomitante populo, ſiccum & ſobrium eſſe, illud temperantius non excerpere ſe, nec inſigniri, nec miſceri omnibus; & eadem, ſed non eodem modo, facere. Licet enim ſine luxuria agere feſtum diem.

2 Non iucunda res eſt aqua & polenta, aut fruſtum hordeacij panis, ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem: & ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunæ iniquitas poſſit.

3 Nemo alius eſt Deo dignus, quam qui opes contempſit. quarum poſſeſſione non tibi interdico; ſed efficere volo, vt illas intrepide poſſideas: quod vno conſequeris modo, ſi te etiam ſine illis beate victurum perſuaſeris tibi, ſi illas tanquam exiturus ſemper aſpexeris.

4 Immodica ira gignit inſaniam.

Epiſt. 19. 1 Auida felicitas eſt, & alienæ auiditati expoſita.

Epiſt. 20. 1 Multum eſt non corrumpi diuitiarum contubernio.

2 Nemo naſcitur diues; quiſquis exiit in lucem, iuſſus eſt lacte & panno eſſe contentus.

Epiſt. 22. 1 Nihil eſt tentandum, niſi cum apte poterit, tempeſtiueque tentari.

2 Turpe eſt cedere oneri.

3 Non eſt vir fortis & ſtrenuus, qui laborem fugit; verum vbi creſcit illi animus, ipſa rerum difficultate.

4 Percepit ſapientiam, ſi quis tam ſecurus moritur, quam naſcitur.

Epiſt. 23. 1 Leuium metallorum fructus in ſummo eſt; illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſidue plenius reſponſura fodienti. Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem: & quodcunque inuectitium gaudium eſt, fundamento caret.

2 Male viuunt, qui ſemper viuere incipiunt.

3 Non poteſt ſtare paratus ad mortem, qui modo incipit viuere. Id agẽdum eſt, vt ſatis vixerimus.

Epiſt.24. 5 Si vis omnem ſollicitudinem exuere, quicquid vereris ne eueniat, euenturum vtique propone: & quodcumque illud eſt malum, tecum ipſe metire, ac timorem tuum taxa. Intelliges profectò aut non magnum, aut non longum eſſe, quod metuis, nec diu exempla, quibus confirmeris, colligenda ſunt.

2 Multo ſerior eſt ad occupanda pericula virtus, quàm crudelitas ad irroganda.

3 Non hominibus tantum, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua.

4 Hæc in animo voluta, quæ ſæpe audiuiſti, ſæpe dixiſti: ſed an vere audieris, an vere dixeris, effectu proba. Hoc turpiſsimum eſt, quod nobis obiici ſolet, verba nos philoſophiæ, non opera tractare.

5 Epulæ cruditatem afferunt: ebrietates neruorum torporem tremoremque: libidines, pedum, manuum, articulorum omnium deprauationes. Pauper fiam? inter plures ero. Exul fiam? Ibi me natum putabo, quò mittar. Alligabor? Quid enim? nunc ſolutus ſum? ad hoc me natura graue corporis mei pondus aſtrinxit. Moriar? hoc dicis deſinam ægrotare poſſe, deſinam alligari poſſe, deſinam mori poſſe.

6 Mors nos aut conſumit, aut emittit. Emiſsis meliora reſtant onere detracto: conſumptis nihil reſtat: bona pariter malaque ſublata ſunt.

7 Turpe eſt aliud loqui, aliud ſentire: quanto turpius aliud ſcribere, aliud ſentire?

8 Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit.

9 Hunc ipſum quem agimus diem, cum morte diuidimus.

Epiſt.25. 5 Panem & aquam natura deſiderat, nemo ad hæc pauper eſt: intra quæ quiſque deſiderium ſuum clauſit, cum ipſo Ioue de felicitate contendat, vt ait Epicurus, cuius aliquam vocem huic epiſtolæ inuoluam. Sic fac, inquit, omnia tanquam ſpectet aliquis. Prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe tuis cogitationibus iudices. Hoc quidem longe magnificentius eſt, ſic viuere, tamquam ſub alicuius boni viri, ac ſemper præſentis oculis. Sed ego etiam hoc contentus ſum, vt ſic facias quęcumque facies, tanquam ſpectet aliquis. Omnia nobis mala ſolicitudo perſuadet.

2 Tum præcipue in te ipſe ſecede, cum eſſe cogeris in turba. Diſsimilem te fieri multis oportet.

Epiſt.26. 1 Carpimur: Singuli dies aliquid ſubtrahunt viribus.

2 Iunior es. Quid refert? non dinumerantur anni. Incertum eſt quo te loco mors exſpectet. Itaque tu illam omni loco exſpecta.

3 Vna eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ, qui vt non eſt abiiciendus, ita minuendus eſt: vt ſi quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere.

Epiſt.27. 1 Aliquod bonum manſurum circumſpice. Nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi inuenit. Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, ſecurum; etiam ſi quid obſtat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vmquam diem vincunt.

2 Bona mens nec commendatur, nec emitur; & puto ſi venalis eſſet, non haberet emptorem.

3 Numquam nimis dicitur, quod numquam ſatis dicitur.

Epiſt.28. 1 Animum debes mutare, non cælum.

2 Non ſum vni angulo natus: patria mea totus hic eſt mundus.

3 Triginta tyranni Socratem circumſtiterunt, nec potuerunt animum eius infringere. Quid intereſt, quot domini ſint? ſeruitus vna eſt. Hanc qui contempſit, in quantalibet turba dominantium liber eſt.

4 Initium eſt ſalutis noticia peccati, egregie hoc mihi videtur dixiſſe Epicurus. Nam, qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes.

5 Quantum potes, teipſum coargue: inquire in te: accuſatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, nouiſsime deprecatoris: aliquando te offende.

Epiſt.29. 1 Non eſt ars quæ ad effectum caſu venit.

2 Quis placere poteſt populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis fauor quæritur.

3 Cæterum ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi intrante te, clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint, ſi tota ciuitate te feminæ puerique laudauerint, quid ni ego tui miſerear, cum ſciam, quę via ad illum fauorem ferat?

Epiſt.30. 1 Magna res eſt hæc, Lucili, & diu diſcenda, cum aduentat hora illa ineuitabilis, æquo animo abire.

Epiſt.31. 1 Generoſos animos labor nutrit.

2 Fac te ipſum felicem, facies autem ſi intellexeris bona eſſe, quibus admixta eſt virtus: turpia, quibus malitia coniuncta eſt.

3 Non eſt viri timere ſudorem.

4 Deus ille maximus potentiſsimuſque ipſe vehit omnia.

5 Subſilire in cælum ex angulo licet.

Epiſt.32. 5 O quando videbis illud tempus, quo ſcies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placiduſque eris, & craſtini negligens, & in ſumma tui ſatietate.

2 Ille demum neceſsitates ſupergreſſus eſt, & exauctoratus ac liber, qui viuit vita peracta.

Epiſt.33. 1 Depone iſtam ſpem, poſſe te ſummatim deguſtare ingenia maximorum virorum. Tota tibi inſpicienda ſunt, tota tractanda. Res geritur & per lineamenta ſui ingenij opus nectitur, ex quo nihil ſubduci ſine ruina poteſt.

5 Numquam inuenietur, ſi contenti fuerimus inuentis. Præterea qui alium ſequitur, nihil ſequitur, nihil inuenit, immo nec quærit. Quid ergo? non ideo per priorum veſtigia? Ego vero vtar via veteri: ſed ſi propiorem inuenero, hanc muniam. Qui ante nos iſta mouerunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata, multum ex illa, etiam futuris relictum eſt.

Epiſt 34. 5 Pars magna bonitatis eſt velle fieri bonum. Scis quem dicam bonum? perfectum, abſolutum, quem malum facere nulla vis, nulla neceſsitas poſsit.

2 Non eſt huius animus in recto, cuius acta diſcordant.

Epist.36. 1 Aliquid est, quod nõ sit discendũ? Minime. Sed quemadmodũ omnibus annis, studere honestum est: ita non omnibus institui. Turpis & ridicula res est elementarius senex.

2 Mors, quam pertimescimus, ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret.

Epist.37. 1 Si vis tibi omnia subiicere, te subiice rationi. Multos reges, si ratio te rexerit.

Epist.38. 1 Eadem est, inquam, præceptorum conditio, quæ seminum, multum efficiunt, & si angusta sunt: tantum idonea mens rapiat illa, & in se trahat. Multa inuicem & ipsa generabit, & plus reddat, quam acceperit.

Epist.39. 1 Habet hoc in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenij virum humilia delectant & sordida: magnarum rerum species ad se vocat & extollit. Quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, non magis quam quiescere: ita noster animus in motu est, eo mobilior & actuosior, quo vehementior fuerit. Sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit.

2 Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia.

3 Tunc consummata est infelicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.

Epist.41. 1 Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos; hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est.

Epist.43. 1 Vix quemquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Ianitores conscientia nostra, nõ superbia, opposuit. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subito aspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum, aurésque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tute scias? ô te miserum, si contemnis hunc testem.

Epist.44. 1 Quis generosus? Ad virtutem bene a natura compositus.

2 Non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem; cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere.

Epist.47. 1 Libenter ex his qui a te veniunt, cognoui familiariter te cum seruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt? imo homines. Serui sunt? imo contubernales. Serui sunt? imo humiles amici. Serui sunt? imo conserui, si cogitaueris tantundem in vtrosque licere fortunæ. Itaque rideo illos, qui turpe existimant cum seruo suo cœnare. Quare? Nisi quia superbissima consuetudo cœnantem dominum stantium seruorum turba circumdedit.

2 Deinde arrogantiæ prouerbium, iactatur. Totidem esse hostes, quot seruos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Alia interim ea inhumana prætereo, quod nec tamquam hominibus quidem, sed tamquam iumentis abutimur.

3 Hæc præcepti mei summa est: Sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velles viuere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in seruum liceat; veniat in mentem, tantundem in te domino tuo licere. At, ego, inquis, nullum habeo Dominum. Bona ætas est. Forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes? viue cum seruo tuo clementer. Comiter quoque & in sermonem admitte, & in consilium, & in conuictum.

4 Sibi quisque dat mores: ministeria casus assignat.

5 Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed strarum eius ac frænos; sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. Seruus est? fortasse liber animo.

6 Nulla seruitus turpior est, quam voluntaria. Quare non est, quod fastidiosi te deterreant, quo minus seruis tuis hilarem te præstes, & non superbe superiorem.

7 Non potest amor cum timore misceri.

Epist.48. 1 Nec potest quisquam beate degere, qui se tantum tuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere.

2 Etiamsi multum superesset ætatis, parce iam dispensandum erat, vt sufficeret necessariis. Nunc quæ dementia est, superuacua discere in tanta temporis egestate.

Epist.49. 1 Eo magis vtique indignor, aliquos ex hoc tempore, (quod sufficere ne ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissime fuerit) in superuacua maiorem partem erogare. Negat Cicero, si duplicetur sibi ætas, habiturum se tempus, quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos. Tristius inepti sunt. Illi ex professo lasciuiunt; hi agere seipsos aliquid existimant.

2 Vt ait Tragicus, veritatis simplex oratio est. Ideoque illam implicare non oportet. Nec enim quicquam minus conuenit, quam subdola illa calliditas, animus conantibus magna.

Epist.50. 1 Quid nos decipimus? non est extrinsecus malum nostrum: intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.

2 Nihil est quod non expugnat pertinax opera, & intenta & diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis. Curuatas trabes calor explicat; & aliter natæ in id finguntur, quod vsus noster exigit. Quanto facilius animus accipit formam, flexibilis, & omni humore obsequentior? Quid enim aliud est animus, quam quodammodo se habens spiritus.

3 Ad neminem ante bona mens venit quã mala.

4 Quemadmodum virtutes receptæ exire non possunt, facilisque earum tutela est, ita initium ad illas eundi arduum: quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ est; formidare inexperta.

Epist.15. 1 Nobis militandum est, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ sunt inprimis voluptates; quæ (vt vides) sæua quoque ingenia ad se rapuerunt. Si quis sibi proposuerit quantum operis aggressus sit, sciet nihil delicate, nihil molliter esse faciendum.

2 Non emolliendus animus. Si voluptati ces-

sero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati.

3 Quæ sit libertas quæris? nulli rei seruire, nulli necessitati; nullis casibus fortunam in æquum deducere.

4 Effeminat animos amœnitas nimia; nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio.

5 Seuerior loci disciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit.

6 Proiice quæcumque cor tuum laniant: quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis reuellendum erat. Voluptates præcipue exturba, & inuisissimas habe, latronum more, quas Philetas Ægyptij vocant. In hoc nos amplectuntur, vt strangulent.

Epist. 52. 1 Adiuuare nos possunt, non tantum qui sunt, sed & qui fuerunt. Ex iis autem qui sunt, eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos volunt, & in priuato circulantur; sed eos qui vita docent, qui cum dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent quid vitandum sit, nec vnquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur.

2 Quid lætaris, quod hominibus illis laudaris, quos nun potes ipse laudare?

Epist. 56. 1 Omnia vitia in aperto leuiora sunt: morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt. Et auaritiam itaque & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ, tum perniciosissima scias esse cum simulata sanitate subsidunt.

Epist. 58. 1 Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit iuuenis. Nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore. Nihil ex his quæ videmus manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum.

2 Paucos longissima senectus ad mortem sine iniuria pertulit.

Epist 59. 1 Hoc quæram, quod mecum sæpe dispicio, quid ita nos stultitia tam pertinaciter teneat. Primo, quia non fortiter illam repellimus, nec toto ad salutem impetu nitimur: deinde, quia illa, quæ a sapientibus viris reperta sunt, non satis credimus, nec apertis pectoribus haurimus, leuiterque tam magnæ rei insistimus.

2 Illud præcipue impedit, quod cito nobis placemus: si inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti; quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos affirmantibus assentimur, cum sciamus illos sæpe mentiri. Adeoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contraria cum maxime facimus. Mitissimum ille se in ipsis suppliciis audit, in rapinis liberalissimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperantissimum. Sequitur itaque, vt ideo mutari nolimus, quia nos optimos esse credimus? Alexander cum iam in India vagaretur, & gentes ne finitimis quidem satis notas, bello vastaret, in obsidione cuiusdam vrbis, dum circuit muros, & dum imbecillissima mœnium quærit, sagitta ictus, diu persedere, & incepta agere perseuerauit. Deinde cum, represso sanguine, sicci vulneris dolor cresceret, & crus equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus absistere, omnes, inquit, iurant me Iouis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat. Idem nos faciamus, cum pro sua quenque portione adulatio infatuat, dicamus: vos quidem me dicitis prudentem esse; ego autem video quam multa inutilia concupiscam, nocitura optem. Ne hoc quidem intelligo, quod animalibus satietas monstrat, quis cibo debeat esse, quis potioni modus: quantum capiam adhuc nescio.

3 Omnes tendunt ad gaudium: sed vnde stabile magnumque consequantur, ignorant. Ille ex conuiuiis & luxuria. Ille ex ambitione, & circumfusa clientium turba. Ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil sanantibus literis. Omnes istos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt, sicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat: sicut plausus & acclamationis secundæ fauor, qui magna sollicitudine & partus est, & capiandus.

4 Omnem luxuriosi noctem inter falsa gaudia, & quidem tamquam supremam agunt. Illud gaudium quod Deus, Deorumque æmulus sequitur, non interrumpitur, non desinit. Desineret si sumptum esset aliunde. Sed quia non est alieni muneris, nec arbitrij quidem alieni est. Quod non dedit fortuna, non eripit.

Epist. 60. 1 Quantum est quod naturæ datur? paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hos itaque (vt ait Salustius) ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominum: quosdam vero ne animalium quidem sed mortuorum. Viuit is qui se vtitur; Qui vero latitant & torpent, sic in domo sunt, quasi in conditiuo. Horum licet in limine ipsum nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.

Epist 62. 1 Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est.

Epist. 63. 1 Id agamus, vt iucunda fiat nobis amissorum recordatio. Nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est.

2 Mihi amicorum defunctorum cogitatio, dulcis ac blanda est. Habui enim illos tamquam amissurus; amisi tamquam habeam.

Epist. 65. 1 Maior sum, & ad maiora genitus, quam vt mancipium sim mei corporis; quod equidem non aliter aspicio, quam vinculum libertati meæ circumdatum.

Epist. 66. 1 Quemadmodum minora lumina claritas solis obscurat, sic dolores, molestias, iniurias, virtus magnitudine sua elidit, atque opprimit, & quocumque affulsit, ibi quicquid sine illa apparet, extinguitur, nec magis vllam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus.

2 Nemo patriam, quia magna est, amat, sed quia sua.

3 Secundum naturam est, gaudere liberorum pietate, patriæ incolumitate.

Epist. 67. 1 Nihil est virtute præstantius, nihil pulcrius, & bonum est & optabile, quicquid ex huius geritur imperio.

Epist. 68. 1 Gloriari otio, iners ambitio est.

2 Quid in otio facio? vulnus meum curo. Si ostenderem tibi pedem turgidum, liuidam manum, aut contracti cruris aridos neruos, permitteres mihi vno loco iacere, & fouere morbum meum. Maius malum est hoc, quod non possum tibi ostendere. In pectore collectio & vomica est. Nolo

laudes

laudes, nolo dicas, ô magnum virum ! contempsit omnia, & damnatis humanæ vitæ furoribus fugit. Nihil damnaui nisi me : non est quod proficiendi causa venire ad me velis. Erras, qui hinc aliquid auxilij speras. Non medicus, sed æger hic habitat.

3 Otium tibi commodo, in quo maiora agas & pulchriora, quam quæ reliquisti. Pulsare superbas potentiorum fores, digerere in litteram senes orbos, plurimum in foro posse, inuidiosa potentia ac breuis est, &, si verum æstimes, sordida.

4 Non est quod existimes vllam ætatem aptiorem esse, ad bonam mentem, quam quæ se multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit, quæ ad salutaria, mitigatis affectibus, venit.

Epist.69. 1 Quemadmodum ei qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis; nihil enim facilius quam amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos & aures, ab his, quæ reliquit, auertat.

2 Illud tecum licèt cogites; nemo nisi suo die moritur. Nihil perdis ex tuo tempore. Nam quod relinquis, alienum est.

Epist.70. 1 Non viuere bonum est, sed bene viuere. Itaque sapiens viuit quantum debet, non quantum potest. Videbit vbi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. Cogitat semper, qualis vita, non quanta sit.

2 Citius mori vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori aut male, ad rem pertinet : bene autem mori, est effugere male viuendi periculum.

Epist.71. 1 Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat.

2 Quid mutationis periculo exceptum? Non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus, quamuis Deo agente ducatur; non semper tenebit hunc ordinem : sed illum ex cursu aliquis dies deiiciet.

3 Magnus animus Deo pareat; & quicquid lex vniuersi iubet, sine cunctatione patiatur. Nam in meliorem emittitur vitam, lucidius tranquilliusque inter Diuina mansurus.

4 Virtutem animosam & excelsam incitat, quicquid infestat.

5 Luxurioso frugalitas pœna est, pigro supplicij loco labor est: delicatus miseretur industrij, desidioso studere, torqueri est.

6 Magno animo de rebus magnis iudicandum est: alioquin videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est.

7 Animus noster ad vera percipienda caligat.

8 Magna pars est profectus, velle proficere.

9 Quando continget omnibus oppressis affectibus, & sub arbitrium adductis, hanc vocem emittere? vici. Quem vicerim, quæris? Non Persas, non extrema Medorum, nec si quid vltra Dacas bellicosum iacet; sed auaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qui victore gentium vicit.

Epist.72. 1 Tempus nullum est parum idoneum studio salutaris

Epist.73. 1 Quisquis de accipiendo cogitat, oblitus accepti est. Nec vllum habet malum cupiditas maius, quam quod ingrata est.

2 Soli lunæque plurimum debeo: & non vni mihi oriuntur : anno, temperantique annum Deo priuatim obligatus sum, quamuis non in meum honorem descripta sint. Stulta auaritia mortalium possessionem proprietatemque discernit, nec quicquam suum credit esse, quod publicum est. At ille sapiens, nihil iudicat suum magis, quam cuius illi cum humano genere consortium est.

Epist.74. 1 Quisquis se multum fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis, & inexplicabilem fecit.

2 Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excutere : quorum alia inter diripiendum manus scissa sunt, alia infida societate diuisa, alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant prensa : ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt, quædam, quia nimis captabantur, amissa, & dum auide rapiuntur, excussa sunt.

3 Iuuenilia nonnunquam ingenia cupido gloriæ, in contemptum tam ferri, quam ignium misit. Species quædam atque vmbra virtutis, in mortem voluntariam trudit.

4 Non facit collectio amicorum sapientem, non facit stultiorem detractio.

5 Quemadmodum in corporibus futuri languoris signa præcurrunt : quædam enim segnitia neruis inest, & sine labore vllo lassitudo, & oscitatio, & horror membra percurrens. Sic firmus animus multo antequam opprimatur, malis quatitur.

Epist.75. 1 Multum operæ impendi verbis non oportet. Hæc sit propositi nostri summa; quod sentimus, loquamur : quod loquimur, sentiamus. Concordet sermo cum vita. Ille promissum suum impleuit, qui & cum videas illum, & cum audias, idem est.

2 Ego, inquis, spero me posse & amplioris ordinis fieri. Optauerim hoc nobis, magis quam promiserim. Præoccupati sumus: ad virtutem contendimus inter vitia districti : pudet dicere; honesta colimus quantum vacat.

3 Optima, & noxa carentia exspectant nos, si ex hac aliquando fæce in illud euadimus sublime & excelsum: tranquillitas animi, & expulsis erroribus absoluta libertas. Quæris quæ sit ista? non homines timere, non Deos, nec turpia velle, nec nimia; in seipsum habere maximam potestatem. Inæstimabile bonum est, tuum fieri.

Epist.76. 1 Quid stultius, quam quia diu non didicerit, non discere?

2 Tamdiu discendum est, quam diu nescias; &, si prouerbio credimus, quamdiu viuas. Nec vlli hoc rei magis conuenit, quam huic, tam diu discendum est, quemadmodum viuas.

3 In illo loco, in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent : & hi plerisque videntur nihil boni negotij habere, quod agant; Inepti & inertes vocantur. Mihi contingat iste derisus. Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia: & ad honesta vadenti contemnendus est ille contemptus.

4 Nulli sapere casu obtigit. Pecunia veniet vltro, honor offeretur, gratia ac dignitas fortasse ingerentur tibi; virtus in te non incidet, ne leui quidem opera aut paruo labore: sed est tanti laborare, omnia bona semel occupaturo. Vnum enim est bonum, quod honestum.

5 Id in quoque optimum est cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? ratio: hæc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est; cætera illi cum animalibus satisq; communia sunt.

6 Magna pars est apud imperitos mali, nouitas.

*Epist.*78. 1 Nihil æque, Lucili virorum optime, ægrum reficit, atque adiuuat, quam amicorum affectus: nihil æque exspectationem mortis ac metum surripit.

2. Ne indulgeas otio, ad quod vergit iners valetudo.

3 Contemne mortem. Nihil triste est cum huius metum effugimus. Tria hæc in omni morbo grauia sunt; metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum.

4 Morieris non quia ægrotas, sed quia viuis.

5 Quod acerbum fuit, retulisse iucundum est.

6 Est, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus.

7 His necesse est videri omnem vitam breuem, qui illam voluptatibus vanis, & ideo infinitis metiuntur.

*Epist.*79. 1 Veritas in omnem partem sui semper eadem est.

2 Tenue est mendacium; perlucet, si diligenter inspexeris.

*Epist.*80. 1 Cogito mecum, quam multi corpora exerceant, quam ingenia pauci: quantus ad spectaculum non fidele & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo: quam imbecilli animo sint, quorum lacertos humerosque miramur.

2 Libera te primum metu mortis. Illa nobis primum iugum imponit. Deinde metu paupertatis. Si vis scire quam nihil in illa mali sit, compara inter se pauperum & diuitum vultus. Sæpius pauper & fidelius ridet. Nulla solicitudo in alto est. Etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit: horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis & supputata tristitia; & quidem grauior, quia interdum non licet palam esse miseros: sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem.

3 Omnium istorum (subaudi diuitum) persona ta felicitas est.

4 Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipse considera.

*Epist.*81. 1 Cito inerti otio vita torpebit, si relinquendum est, quicquid offendit.

2 Nemo mihi videtur pluris æstimare virtutem, quam qui boni viri famam perdidit, ne cōscientiam perderet.

3 Minimum ex nequitia leuissimumque ad alios redundat; quod pessimum ex illa est, & (vt ita dicam) spississimum, domi remanet, & premit habentem: quemadmodum Attalus noster dicere solebat, Malitia ipsa maximam partē veneni sui bibit.

4 Quæris, quid sit, quod obliuionem acceptorum nobis faciat? cupiditas accipiendorum. Cogitamus, non quid impetratum, sed quid impetrandum sit. Abstrahunt a recto, diuitiæ, honores, potentia, & cætera, quæ opinione nostra cara sunt, pretio suo vilia. Nescimus æstimare res: de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. Nihil habent ista magnificum, quo mentes in se nostras trahant, præter hoc quod mirari illa consueuimus. Non enim quia concupiscenda sunt, laudantur, sed concupiscuntur, quia laudata sunt: & cum singulorum error publicum fecerit, singulorum errorem facit publicus.

*Epist.*82. 1 Otium sine literis mors est, & hominis viui sepultura.

*Epist.*83. 1 Singulos dies tibi meos, & quidem totos indicari iubes. Bene de me iudicas, si nihil esse in illis putas, quod abscondam. Sic certe viuendum est, tanquam in conspectu viuamus: sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit. Et potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clusum est. Interest animis nostris, & cogitationibus mediis interuenit.

2 Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam perspicit. Quid facturi sumus, cogitamus, & id raro; quid fecerimus, non cogitamus.

3 Non est animus in sua potestate, ebrietate deuinctos. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat; sic vino æstuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum alienumque est, pariter effundunt.

4 Quam turpe est, plus cibi ingerere, quam capiat, & stomachi sui non nosse mensuram: quā multa ebrij faciunt, quibus sobrij erubescant: nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania.

5 Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam, remouet: Plura enim pudore peccandi, quam bona voluntate, prohibitis abstinent. Vbi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat emergit.

6 Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij solis offensionem: ita ebrietates continuæ, efferant animos. Nā cum sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent.

Epist 84. 1 Alit lectio ingenium, & studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit.

2 Apes debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciēdum idoneos carpunt: deinde quicquid attulēre disponunt, ac per fauos digerunt.

3 Talem animum esse nostrum volo, vt multæ in illo artes, multa præcepta sint, multarum ætatum exempla, sed in vnum conspirata.

4 Quæcumque videntur eminere in rebus humanis, quamuis pusilla sint, & comparatione humillimorum extent, per difficiles tamen & arduos tramites adeuntur.

*Epist.*85. 1 Sic sapiens imperturbatus dicitur, quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor.

2 Melius cum illo ageretur, qui vitium vnum integrum haberet, quam cum eo, qui leuiora quidem, sed omnia.

3 Numquam perniciosa seruant modum.

4 Vtique quo prudentior est, hoc magis se ad id, quod est optimum, extendet, & id omni modo consequi cupiet.

*Epist.*87. 1 Virtus extollit hominem, & supra cara mortalibus collocat; nec ea, quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expauescit.

*Epist.*88. 1 Quid mihi prodest, scire agellum in partes diuidere, si nescio cum fratre diuidere? Quid prodest colligere subtiliter pedes iugeri; & comprehendere etiam si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens? Doces me quomodo nihil perdam ex finibus meis? at ego discere volo, quomodo totos hilares amittam.

2 Satis abundeque prouisum est, vt ab insidiis tutus

tutus essem. Nunquid me crastina non fallit hora? Fallit. n. quod nescienti euenit. Ego quid futurum sit nescio: quid fieri possit, scio. Ex hoc nihil desperabo, Totum exspecto. Si quid remittitur, boni consulo.

3 Plus scire velle quam sit satis, intemperantiæ genus est. Quid, quod ista liberalium artium consectatio, molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt?

4 Philosophi quantum habent superuacui, quantum ab vsu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones, & coniunctionum ac præpositionum proprietates descenderunt, & inuidere Grammaticis, inuidere Geometris. Quicquid in illorum artibus superuacuum erat, transtulere in suam. Sic effectum est, vt diligentius sciant loqui, quam viuere. Quantum m. h facit nimia subtilitas, & quam infesta veritati est!

Epist. 89. 1 Quicquid legeris, ad mores statim referas. Illos compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates tuas publicasque, quantum potes, vexa: & istis dicentibus, Quousque eadem? responde, Ego debeo dicere, quousque eadem peccabis? Remedia ante vultis, quam vitia desinere. Ego vero eo magis dicam, Et quia recusatis, perseuerabo. Tunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem, tactus expressit.

2 Infelices, quod non intelligitis vos maiorem famam habere, quam ventrem.

3 Stude, non vt plus aliis scias, sed vt melius.

1 Quis dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum immortalium munus sit, quod viuimus: Philosophiæ, quod bene viuimus? Itaque tanto plus nos debere huic, quam Diis, quanto maius beneficium est bona vita, quam vita: pro certo deberetur, nisi ipsam Dii philosophiam tribuissent: cuius scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus.

Epist. 90. 2 Sufficit ad id natura, quod poscit. A natura luxuria desciuit, quæ quotidie seipsam incitat, & tot seculis crescit, & ingenio adiuuat vitia. Primo superuacua cœpit concupiscere, inde contraria: nouissime corpori animum addixit, & illius deseruire libidini iussit. Omnes istæ artes, quibus aut excitatur ciuitas, aut strepit, corporis negotium gerunt: cui omnia olim tanquam seruo præstabantur, nunc tanquam Domino parantur.

3 Iam rusticitatis & miseriæ est, velle quantum sat est. Incredibile est, mi Lucili, quam facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducat a vero.

4 Virtus non contingit animo, nisi instituto & docto, & ad summum assidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem sed sine hoc nascimur: & in optimis quoque antequam erudias, virtutis materia, non virtus est.

Epist. 91. 1 Nouitas adiicit calamitatibus pondus, nec quisquam mortalium non magis quod etiam miratus est, doluit. Ideo nihil nobis improuisum esse debet. In omnia præmittendus animus: cogitandumque non quicquid solet, sed quicquid potest fieri. Quid enim est, quod non fortuna cum voluit, & florentissimo detrahat? quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quo speciosius fulget? quid illi arduum est, quidve difficile? Non vna via semper, ne tota quidem incurrit.

2 Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, rerumque nostrarum, si tanta celeritate repararentur cuncta, quanta finiuntur. Nunc incrementa lente exeunt, festinatur in damnum: nihil priuatim: nihil publice stabile est: tam hominum quam vrbium fata voluuntur.

3 Consurgamus aduersus fortuita; & quicquid inciderit, sciamus non esse tam magnum, quam rumore iactetur.

4 Hoc vnum scio: omnia mortalium opera, mortalitate damnata sunt; inter peritura viuimus.

5 Sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria. Multa ceciderunt, vt altios surgerent, & in maius. Timagenes felicitati vrbis inimicus, aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc vnum doloti esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent.

6 Formetur animus ad intellectum, patientiamque sortis suæ, & sciat nihil inausum esse fortunæ. Aduersus imperia illam idem habere iuris, quod aduersus imperantes: aduersus vrbes idem posse, quod aduersus homines.

7 Æquat omnes cinis. Impares nascimur, pares morimur.

8 Conditor ille iuris humani, non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Vbi vero ad finem mortalium ventum est: disce de, inquit, ambitio: omnium quæ terram premunt siremps lex esto. Ad omnia patienda pares sumus: Nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior. Alexander Macedonum rex discere Geometriam infelix cœperat, sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupauerat. Ita dico, infelix ob hoc, quod intelligere debebat falsum se gerere cognomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest? Erant illa quæ tradebantur, subtilia, & diligenti intentione discenda: non quę percipere posset vesanus homo, & trans Oceanum cogitationes suas mittens. Facilia, inquit, me doce. Cui Præceptor. Ista, inquit, omnibus eadem sunt æque difficilia. Hoc puta rerum naturam dicere. Ista de quibus quereris, omnibus eadem sunt, nulli dari faciliora possunt: sed quisquis volet, sibi ipsi illa reddet faciliora.

9 Temeritas est, damnare quod nescias.

Epist. 92. 1 Solis vis & lux integra est, etiam inter opposita: & quamuis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quotiens inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem: quoniam multum interest, vtrum aliquid obstet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti opposita (sc. incommoda) nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget: nobis forsan non æque apparet ac ouet: sibi eadem est, & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. Hoc itaque aduersus virtutem possunt calamitates, & damna & iniurię, quod aduersus solem potest nebula.

2 Incredibilia nobis hæc videntur, & supra humanam naturam excurrentia. Maiestatem enim eius ex nostra imbecillitate metimur, & vitiis nostris, nomen virtutis imponimus.

Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur, & spectat in cælum: ita animus, cui in quantum vult, licet porrigi, in hoc a natura rerum formatur est, vt paria Diis velit, & sic vtatur suis viribus, ac se in spatium suum extendat.

3 Nemo liber est, qui corpori seruit.

4 Diserte Mecenas ait: Nec tumulum curo. Sepelit natura relictos. Alte cinctum putes dixisse.

Habuit enim ingenium, & grande, & virile, nisi illud ipse discinxisset.

Epist.93. 1 Non vt diu viuamus curandum est; sed vt satis.

2 Quid illum octoginta anni iuuant, per inertiam exacti? Non vixit iste, sed in vita moratus est: nec sero mortuus est, sed diu.

3 Laudemus, & in numero felicium reponamus eum, cui quantolumcumque temporis contigit, bene collocatum est.

4 Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus, sic & in minore temporis modo potest esse vita perfecta.

5 Quæris quod sit amplissimum vitæ spatium? vsque ad sapientiam viuere. Qui ad illam peruenit, attigit, non longissimum finem, sed maximum.

Epist.94. 1 Præcepta dare scienti, superuacuum est: nescienti parum.

2 Legem breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa diuinitus vox sit. Iubeat non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo.

3 Nulla res magis animos honesta induit, dubiosque & in prauum inclinantes reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora: & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus me Hercule ipse sapientum iuuat: & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim quemadmodum prosit, sicut illud intelligam, profuisse. Minuta quædam, vt ait Phædon, animalia, cum mordent, non sentiuntur: adeo tenuis illis & fallens in periculum vis est. Tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conuersatione virorum sapientum eueniet. Non deprehendes, quemadmodum aut quando tibi possit: profuisse deprehendes.

4 Erras, si existimas nobiscum vitia nasci, superuenerunt, ingesta sunt. Itaque monitionibus crebris, opiniones quæ nos circumsonant compescamus.

5 Nihil quod auaritiam nostram irritaret, posuit in aperto natura. Pedibus aurum & argentum subiecit, calcandumque ac premendum dedit, & quicquid est, propter quod calcamur & premimur.

6. Aurum & argentum, & propter ista, numquam pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, abscondit. Nos in lucem propter quæ pugnaremus, extulimus. Nos & caussa periculorum nostrorum, & instrumenta, disiecto terrarum pondere, eruimus. Nos fortunæ mala nostra tradidimus: nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Vis scire quam falsus oculos tuos decipit fulgor? Nihil est istis, quam diu mersa & inuoluta cœno suo iacent, fœdius, nihil obscurius. Quid ni? Quando per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur: Nihil est illis, dum fiunt, & a fæce sua separantur, informius. Denique ipsos opifices intuere, per quorum manus sterile terræ genus & informe perpurgatur: videbis quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animus, quam corpora: & in possessore eorum, quam in artifice, plus est sordium.

7 Magna pars sanitatis est, hortatores insaniæ reliquisse, & ex isto cœtu inuicem noxio procul abiisse.

8 Non est per se magistra solitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: sed vbi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari ac conspici fructus est.

Epist.95. 1 Noli rogare quod impetrare nolueris. Interdum enim obnoxie petimus id quod recusaremus, si quis offerret.

2 Non semper ad actiones rectas præcepta perducunt, sed cum obsequens ingenium est. Aliquando frustra admouentur, si animum opiniones obsident prauæ.

3 Cibus postquam cœpit, non ad tollendam, sed irritandam famem quæri, & inuentæ sunt mille condituræ, quibus auiditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, & neruorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distinctusque venter, dum male assuescit plus capere, quam poterat. Inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti, articulis obrigescentibus, neruorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium.

4 Immunes erant ab istis malis, qui nondum se delitiis soluerant: qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant: aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata. Excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat ex simplici caussa valetudo. Multos morbos multa fercula fecerunt. Vide quantum rerum per vnam gulam transiturarum permisceat luxuria terrarum marisque vastatrix. Necesse est itaque tam diuersa inter se dissideant, & hausta male digerantur, aliis alio nitentibus. Nec mirum, quod inconstans variusque ex discordi cibo morbus est, & illa ex contrariis naturæ partibus in eundem compulsa redundant. Inde tam multo ægrotamus genere, quam viuimus. Maximus ille medicorum, & huius scientiæ conditor, feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atque hæ iam & capillis destituuntur, & pedibus ægræ sunt. Non mutata feminarum natura, sed vita est. Nam cum virorum licentiam æquauerint, corporum quoque virilium vitia æquauerunt. Non minus peruigilant, non minus potant, & oleo & mero viros prouocant. Æque inuitis ingesta visceribus, per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: æque niuem rodunt, solatium stomachi æstuantis. Libidine vero, nec maribus quidem cedunt, pati natæ. Dii illas deæque male perdant; adeo peruersum commentæ genus impudicitiæ, viros ineunt.

5 Innumerabiles esse morbos miraris? Coquos numera. Cessat omne studium, & liberalia professi, sine vlla frequentia, desertis angulis præsident. In rhetorum ac philosophorum scholis solitudo est. At quam celebres culinæ sunt, quanta nepotum focos iuuentus premit?

6 Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet.

7 Nullum intra se manet vitium. In auaritiam præceps luxuria est. Honestatis obliuio inuasit.

Nihil

Nihil turpe est,cuius placet pretium.

8 Nihil proderit dare præcepta, nisi prius amouerit obstantia præceptis: non magis quam proderit arma in conspectu posuisse,propiusque admouisse,nisi vsuræ manus expediuntur.

9 Quid est cœna sumptuosa flagitiosius, & equestrem censum consumente?

10 Primus est Deorum cultus, Deos credere. Deinde,reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est: scire, illos esse qui præsident mundo, qui vniuersa vt sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent, cæterum castigant quosdam, & coercent, & irrogant pœnas, aliquando specie mali puniunt.

11 Quemadmodum folia virete per se non possunt,ramum desiderant,cui inhæreant, ex quo trahunt succum:sic ista præcepta si sola sunt, marcent: infigi volunt.

Epist.96. 5 Nihil mihi vnquam incidet, quod tristis excipiam,quod malo vultu:nullum tributum inuitus conferam. Omnia autem ad quæ gemimus, quæ expauescimus,tributa vitæ sunt.

2 Volebam viuere, carere tamen incommodis omnibus.Tam effeminata vox virum dedecet.

Epist.97. 1 Omne tempus Clodios, non omne Catones feret.Ad deteriora faciles sumus: quia nec dux potest,nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce,sine comite procedit: non pronum iter est tantum ad vitia:sed præceps. Et quod plerosque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata, artificibus pudori sunt, offendúntque : errantem in vita,peccata delectant.

Epist.98. 1 Malus animus omnia in malum vertit; etiam quæ specie optimi venerant. Rectus atque integer,corrigit prauа fortunæ, & dura atque aspera ferendi scientia mollit: idemque & secunda gratè excipit modestéque,& aduersa constanter atque fortiter.

2 In æquo est dolor amissæ rei, & timor amittendæ. Nec ideo præcipio tibi negligentiam. Tu vero metuenda declina, & quicquid consilio prospici potest, prospice. Quodcumque læsurum est, multo ante quam accidat,speculare, & auerte. In hoc ipsum tibi plurimum conferet fiducia,& ad tolerandum omnium obfirmata mens. Potest fortunam cauere, qui potest ferre. Certe in tranquillo non tumultuatur. Nihil est miserius nec stultius quàm semper timere.

3 Plus dolet quam necesse est, qui ante dolet quam necesse sit. Eadem enim infirmitate dolorem non æstimat,quia non exspectat.

4 Ceterum tam improbi sunt, (sc. mortales) tamquam obliti quo eant,quo illos singuli dies trudant,vt mirentur aliquid se amittere , amissuri vno die omnia. Quicquid est ; cui Dominus inscriberis, apud te est , tuum non est. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & inuictum est. Tam necesse est perire , quam perdere; & hoc ipsum,si intelligimus, solatium est , æquo animo perdere , quod periturum est.

Epist.99. 1 Anguste fructus rerum determinat, qui tantum præsentibus lætus est. Et futura & præterita delectant:hæc,exspectatione; illa, memoria.

2 Primum superuacuum est dolere, si nihil doleudo proficias. Deinde , iniquum est queri de eo, quod vni accidit,& omnibus imminet.

3 Eo æquiore animo esse debemus , quod quos amisimus, sequimur.

Epist.101. 1 Omnis dies omnis hora, quam nihil simus,ostendit;& aliquo argumento recenti,admonet fragilitatis oblitos,cum æterna meditantes , respicere cogit ad mortem.

2 Quam stultum est ætatem disponere! ne crastino quidem dominamur. ô quanta dementia est, spes longas inchoantium!

3 Omnia, mihi crede , etiam felicibus dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur , per manus exit: & ipsam quam premimus oram , casus incidit. Voluitur tempus,rata quidem lege,sed per obscurum.

4 Maximum vitæ vitium , quod imperfecta semper est, quod etiam aliquid ex illa differtur.Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit, non indiget tempore.

5 In spe viuentibus,proximum quodque tēpus elabitur,subitque auiditas, & miserrimum atque miserrima omnia efficiens,metus mortis.

6 Excutienda vitæ cupido est , discendumque nihil interesse , quando patiaris , quod quandoque patiendum est:quam bene viuas referre,non quamdiu:sæpe autem in hoc est bene,ne diu.

Epist.102. 5 Veritatis vna vis,vna facies est.

2 Numquam falsis constantia est. Variantur & dissident.

3 Nibil æque, & eloquentiam, & omne studium auribus deditum vitiauit, quam popularis assentio.

4 Quid interest inter claritatem & gloriam,dicam. Gloria multorum iudiciis constat, claritas bonorum.

5 Nullum sæculum magis ingeniis clusum est, nullum non cogitationi peruium tempus , cum venerit dies ille , qui mixtum hoc diuini humanique secernat: corpus hoc, vbi inueni , relinquam: ipse me Diis reddam : nec nunc sine illis sum, sed graui terrenoque detineor. Per has mortalis æui moras, illi meliori vitæ longiorique præluditur. Quemadmodum nouem mensibus nos tenet maternus vterus , & præparat non sibi,sed illi loco, in quem videmur emitti , iam idonei spiritum trahere , & in aperto durare : sic per hoc spatium , quod ab infantia patet in senectutem , in alium naturæ sumimur partum. Alia origo nos exspectat,alius rerum status. Nondum cælum nisi ex interuallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice.

6 Veniet qui te reuelet dies,& ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat.

7 Imaginare tecum,quantus ille sit fulgor , tot sideribus inter se lumen miscentibus. Nulla serenum vmbra turbabit : æqualiter splendebit omne cæli latus.Dies & nox,aeris infimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem totus aspexeris, quam nunc per angustissimas oculorū vias, obscure intueris, & tamen admiraris tam procul. Qid tibi videbitur Diuina lux, cum illam suo loco videris? Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit,nihil humile,nihil crudele.

8 Cogita quantum nobis exempla bona prosint. Scies magnorum virorum,non minus præsentia,esse vtilem memoriam.

Epist.103. 1 Erras, si istorum, tibi qui occurrunt,

vultibus credis: homioom effigies habent, animos ferarum: nisi quod illarnm perniciosior est primus incursus: quos transire non queunt. Numquam enim illas ad oocendnm nisi necessitas misit. Aut fame, aut timore coguntur, ad pugnam. Homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine periculum sit: vt cogites, quod sit hominis officinm. Alterum intuere, ne lædatis, alterum ne lædas. Commodis omnium lætetis, moueatis incom modis: & memineris quæ præstare debeas, quæ cauete.

2 Licet sapere sine pompa, sine inuidia.

*Epist.*104 1 Indulgendum est honestis affectibns, & interdum etiamsi premunt causæ, spiritus in honorem suorum vel cum tormento reuocandus, & in ipso ore retinendus est, cum bono viro viuendum sit, non quamdiu iuuat, sed quam diu oportet.

2 Diuitias iudicabis bonum? Torquebit te paupertas, &(quod est miserrimum) falsa. Quamuis enim multum possideas, tamen, quia aliquis plus babet, tanto tibi videberis deſici, quanto vinceris.

3 Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. Nulla ara loco discitur.

4 Fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt quæ fugis. Te igitor emenda, onera tibi detrahe: & desidera saltem intra modum continere. Omoem ex animo erade nequitiam. Si vis peregrinationes babere iucundas, tuum comitem sana. Hærebit tibi auaritia quamdiu auaro sordidoque conuixeris. Hærebit tumor, quamdiu cum superbo conuersaberis. Numquam sæuitiam in tortoris contubernio pones. Incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est. Auarus, corruptor, sæuns, fraudulentus, multum nocituri, si prope te fuissent, intra te sint. Ad meliores transi.

5 Vnus est huius vitæ fluctuantis & turbidæ portus, Euentura contemnere, stare fidenter, aperte tela fortunæ aduerso pectore excipere, non latitantem, nec tergiuersantem. Magnanimos nos natura producit.

*Epist.*105. 1 Nihil tam æque proderit, quā quiescere, & minimum cū aliis loqui, plurimum secum. Est quædam dulcedo sermonis, quæ irrepit & blanditur, & non aliter, quam ebrietas, aut amor, secreta producit.

*Epist.*107. 1 Optimum est pati, quod emendare non posis: & Deum, quo anctore cuncta proueniūt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur.

*Epist.*108. 1 Qui in solem venit, licèt non in hoc venerit, colorabitur. Qui in vnguentaria taberna resederunt, & paulo dintius commorati sunt, odorem secum loci ferunt. Et qui apud philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus.

2 Facile tenera concitantur ingenia ad honesti rectique amorem.

3 Ostreis boletisque in omnem vitam renunciandum est. Hæc enim non cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum satoros cogentia: quod gratissimum est edacibus, & se vltra quam capiunt facientibus, facile descensura, facile reditura. Inde in omnem vitam vnguento abstinemus; quoniam optimus odor in corpore est nullus.

4 Senectus insanabilis morbus est.

*Epist.*110. 1 Quicquid nobis bono futurū erat, Deus & parens noster in proximo posuit. Non expectauit inquisitionem nostram. vltro dedit: nocitura altissime pressit. Nihil nisi de nobis queri possumus. Ea quibus perituri sumus, nolente rerum natura, & abscondente, protulimus. Addiximus animum voluptati, cui indulgere, initium omnium malorum est. Tradidimus ambitioni, & famæ, cæteris æque vanis & inanibus.

2 Tam superuacuæ mihi visæ sunt (sc. diuitiæ) babentibus, quam fuerant spectantib. Hoc itaque mihi ipsi dico, quotiens tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quotiens occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus. Quid miraris? quid stupes? Pompa est. Ostenduntur istæ res, non possidentur; & dum placent, transeunt. Ad veras potius te conuerte diuitias: disce parno esse contentus.

*Epist.*113. 1 O quam magnis homines erroribus tenentur: qui ius dominādi trans maria cupiunt mittere felicissimosque se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud ingens paratumq; regnum. Imperare sibi, maximum imperium est.

*Epist.*114. 1 Talis hominū fuit oratio, qualis vita.

2 Si disciplina ciuitatis laborauit, & se in delitias dedit, argumentum est luxuriæ publicæ orationis lasciuia: si modo non in vno aut in altero fuit, sed approbata est, & recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, grauis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est.

3 Vbi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit. Deinde supellectili laboratur, deinde in ipsas domos impenditur cura, vt in laxitatem ruris excurrant, vt parietes aduectis trans maria marmoribus fulgeant, vt tecta varientur auro, vt lacunaribus pauimentorum respondeat nitor: deinde ad cœnas lautitia trãsfertur, & illic commendatio ex nouitate & soliti ordinis commutatione captatur; vt ea quæ cludere cœnam solent, prima ponantur, vt quæ aduenientibus dabantur, exeuntibus dentur.

4 Vbicunq; videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto desciuisse, non est dubium.

5 Rex noster est animus. Hoc incolumi, cætera manent in officio, parent & obtemperant. Cum ille paulum vacillauit, simul nutant. Cum vero cessis voluptati, artes quoque eius, actusq; marcent, & omnis ex languido fluxoque conatus est.

6 Nunquid, mi Lucili, hic furor est quod nemo nostrûm mortalem se cogitat? quod nemo imbecillum? imo, quod nemo nostrum vnum esse se cogitat? Aspice culinas nostras, & concursantes inter tot ignes coquos nostros. Vnum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aspice veteraria nostra, & plena multorum sæculorum vindemiis horrea. Vnum putas videri ventrem, cui tot consulum regionumque vina conduntur. Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant. Vnum putas videri ventrem, cui & in Sicilia & Africa seritur? Sani erimus, & modica concupiscemus, si vnusquisque se numeret, metiatur simul corpus, sciatque, nec multum capere, nec din posse. Nihil tamen tibi æque profuerit, ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quicquid facies respice ad mortem.

*Epist.*115.

Epist.115. 1 Maiore tormento pecunia possidetur, quam quæritur.

2 Ad solidam felicitatem, quam tempestas nulla concutiat, non perducent te apte verba contexta, & oratio fluens leniter. Eant vt volent, dum animo compositio sua constet, dum sit magnus, & opinionum securus, & ob ipsa, quæ aliis displicent, sibi placens: qui profectum suum vita æstimet, & tantum scire se iudicat, quantum non cupit, non timet.

Epist.116. 1 Nullum vitium est sine patrocinio? nulli non initium est verecundum & exorabile, sed ob hoc latius funditur.

2 Nec vino infirmum animum committamus nec formæ, nec adulationi, nec vllis rebus blande trahentibus.

3 Quantum possumus nos, a lubrico recedamus.

4 Vitia nostra, quia amamus, defendimus: & malumus excusare illa, quam excutere. Satis natura homini dedit roboris, si illo vtamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Nolle in caussa est, non posse prætenditur.

Epist.118. 1 Non faciam, quod Cicero, vir disertissimus facere Atticum iubet, vt etiamsi rem nullam habebit, quod in buccam venerit, scribat. Numquam poterit deesse quod scribam, vt omnia illa, quę Ciceronis implent epistolas, transeam.

Epist.119. 1 Ad maximas te diuitias compendiaria ducam. Opus tamen erit tibi creditore. Vt negotiari possis, æs alienum facias oportet, sed nolo per intercessorem mutueris, nolo proxenetæ nomen tuum iactent. Paratum tibi creditorem dabo Catonianum illud: A te mutuum sumus. Quantulumcunque est, satis erit si quicquid deerit, id a nobis petierimus. Nihil enim, mi Lucili, interest, vtrum non desideres, an habeas. Summa rei in vtroque est eadem: Non torqueberis. Nec illud præcipio, vt aliquid naturæ neges. Contumax est, non potest vinci, suum poscit: sed vt quicquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio: edendum est. Vtrum hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio. Vtrum hæc aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa niue clusero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, sitim extingui. Vtrum sit aureum poculum, an chrystallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert. Finem omnium rerum specta, & superuacua dimittes. Fames me appellat: ad proxima quæque tendatur manus: ipsa mihi commendabit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit esuriens.

2 Qui multum habet, plus cupit: quod est argumentum, nondum illum satis habere: qui satis habet, consecutus est, quod nunquam diuiti contingit, finem.

3 Nunquam parum est, quod satis est, nunquam multum est, quod satis non est.

4 Neminem pecunia diuitem fecit: immo contra nulli non maiorem sui cupiditatem incussit.

5 Hic qui se ad id quod natura exigit, composuit, non tantum extra sensum est paupertatis, sed extra metum.

6 Apud quos falso diuitiarum nomen inuasit, occupata paupertas, sic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus, Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est, Diuitiæ illum tenent.

7 Id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis viuendi iura descripsit, vt salui essemus, non delicati. Ad salutem omnia parata sunt, & in promptu: deliciis omnia misere ac sollicite comparantur. Vtamur ergo hoc naturæ beneficio inter magna numerando: & cogitemus nullo nomine melius illam meruisse de nobis, quam quia quicquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur.

Epist.120. 1 Mala interdum speciem honesti obtulerunt, & optimum ex contrario enituit. Sunt enim, vt scis, virtutibus vitia confinia & perditis quoque ac turpibus recti similitudo est. Sic mentitur prodigus liberalem: cum plurimum intersit, vtrum quis dare sciat, an seruare nesciat.

2 Non voco ego liberalem, pecuniæ suæ iratum. Imitatur negligentia facilitatem: temeritas fortitudinem.

3 Maximum indicium est malæ mentis, fluctuatio, & inter simulationem virtutum, amoremque vitiorum, assidua iactatio.

Epist.121. 1 Tum demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum sit, cum didiceris quid naturæ tuæ debeas.

2 Incertum est, & inæquale, quicquid ars tradit, ex æquo venit quod natura distribuit.

Epist.122. 1 Sunt qui officia lucis noctisque peruertunt: nec ante diducunt oculos, hesterna graues crapulâ, quam appetere nox cœpit.

2 Non videtur tibi contra naturam viuere, qui commutat cum feminis vestes?

3 Cum instituerunt omnia contra naturę consuetudinem velle, nouissime in totum ab illa desciscunt.

4 Caussa ita viuendi quibusdam (sc. nocturnarum auium munus obeuntes) non quia aliquid existimẽt noctem ipsâ habere iucundius, sed quia nihil iuuat obuium, & grauis malæ conscientiæ lux est: & omnia concupiscendi aut contemnendi, prout magno aut paruo empta sunt, fastidio est lumen gratuitum.

5 Tenenda nobis vita est, quam natura præscripsit, nec ab illa declinandum. Illam sequentibus omnia facilia, & expedita sunt: contra illam nitentibus, non alia vita est, quam contra aquam remigantibus.

Epist.123. 1 Inter caussas malorũ nostrorũ est, quod viuimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari; cum plures facere cœperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur: & recti apud nos locum tenet error, vbi publicus factus est.

2 Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem, ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum & praua laudantium sermo diutius hæret, quam auditus: nec facile est animo dulcem sonum excutere. Prosequitur & durat, & ex interuallo recurrit. Ideo claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis. Nam cum initium fecerunt, admissæque sunt, plus audent.

3 Nemo est casu bonus: discenda virtus est. Voluptas humilis res & pusilla est, & in nullo habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quam minima & contemptissima aduolant. Gloria

vanom & volatile quiddam est, auraque mobilius. Paupertas nulli malum est, nisi repugnanti.

Epist. 124. 1 Illud dico, nullo modo prodesse tibi possum magis, quam si tibi bonum tuum ostendo, si te a multis animalibos separo, si cum Deo pono. Quid, inquam, vires corporis alis & exerces? Pecudibus istas maiores ferisque natura concessit. Quid excolis formam? cum omnia feceris, a multis anima libus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum modo vinxeris, vel, vt Scythæ solent, sparseris, in quolibet equo densior iactabitur iuba: horrebit in leonum ceruice formosior. Cum te ad velocitatem paraueris, par lepusculo non eris. Vis tu, relictis in quibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad bonum reuerti tuum? Quod hoc est? animus sc. emendatus ac purus æmulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Quod ergo in te bonum est? Perfecta ratio. Hanc tu ad summum finem euoca, in quantum potest plurimum crescere. Tunc beatum esse te iudica, cum tibi ex te gaudium omne nascetur. Cum in his quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inueneris, non dico quod malis, sed quod velis. Breuem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse iam sentias. Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infelicissimos esse felices.

LIBRI, CVR BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, CVM SIT PROVIDENTIA, AD LVCILIVM, GEMMÆ.

Cap. 1.



QVEMADMODVM tot amnes, tantum superne deiectorum imbrium, tanta me dicamentorum vis fontium non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita aduersarium impetus rerum viri fortis non vertit animum.

2 Marcet sine aduersario virtus. Tum apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit, patientia ostendit.

3 Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortius amat: & operibus, doloribus, ac damnis exagitantur, vt verum colligant robur. Languent per inertiam saginata: nec labore tantum sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit: sed etiam si ceciderit, de genu pugnat.

Cap. 3. 1 Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi.

Cap. 4. 1 Calamitas virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet.

2 Hos Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat.

3 Hanc rationem Dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.

4 Nunquam virtutis molle documentum est.

5 Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit: fragiles sunt, quæ in aprica valle creuerunt. Prosit ergo bonis viris est, vt esse interriti possint, multum inter formidulosa versari, & æquo animo ferre quæ non sunt mala, nisi male sustinenti.

Cap. 5. 1 Labor optimos citat.

2 Per alta virtus it.

Cap. 6. 1 Quare bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri? ille vero non patitur. Omnia mala ab illis remouit, scelera & flagitia, & cogitationes improbas, & auida consilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam. Ipsos tuetur ac vindicat. Numquid hoc quoque a Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum etiam sarcinas seruet? Remittunt ipsi hanc Deo curam; externa contemnunt. Democritus diuitias proiecit, onus illas bonæ mentis existimans.

2 Quare quædam dura patiuntur? vt etiam alios pati doceant. Nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere; quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi & animos inanes, velut longo, fallacique somnio lusi. Auro illos, argento & ebore ornaui: intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas, crusta est, & quidem tenuis.



AD NOVATVM LIBRI PRIMI DE IRA, GEMMÆ.

Cap. 5.

BENEFICIIS humana vita constat, & concordia: nec terrore, sed mutuo amore in fœdus auxiliumque commune constringitur.

Cap. 9. 1 Numquam virtus vitio adiuuanda est, se contenta.

Cap. 10. 1 Absit hoc a virtute malum, vt vnquam ratio ad vitia confugiat. Non potest hic animus fidele otium capere: quatiatur necesse est, fluctuetque qui malis suis tutus est.

Cap. 12. 1 Non ideo vitia in vsum recipienda sunt, quia aliquando aliquid boni effecerunt. Nam & febres quædam genera valetudinis leuant: nec ideo non ea toto illis caruisse melius est. Abominandum remedii genus est, sanitatem debere morbo. Simili modo ira, etiam si aliquando, vt venenum, & præcipitatio, & naufragium, ea inopinato profuit. Non ideo salutaris omnino iudicanda est. Sæpe enim saluti fuere pestifera.

Cap. 14. 1 Neque æquus iudex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam refert. Nemo, inquam, inuenitur, qui se possit absoluere: & innocentem quisque se dicit, respiciens testem, non conscientiam. Quanto humanius, mitem & pacatum animum præstare peccantibus: & illos non persequi, sed reuocare? Errantem per agros ignorantia viæ, melius est ad rectum iter admouere, quam expellere.

Cor-

Corrigendus est itaque qui peccat,& admonitione, & vi; & molliter,& aspere: meliorque tam sibi quā aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim,cui medetur,irascitur?

Cap.16. 1 In sapientis animo etiam cum vulnus sanatum est,cicatrix manet.

2 Primi eius ictus (sc.iræ) acres sunt, sicut serpentium venena a cubili repentium nocent:innoxij dentes sunt,cum illos frequens morsus exhausit.Ergo non paria patiuntur, quia paria committerant: & sæpe qui minus commisit, plus patitur: quia recentiori iræ obiectus, & in tantum inæqualis est, modo vltra quam oportet,excurrit, modo citerius debito resistit.

3 Omnes quos vecors ira animus supra cogitationes extollit humanas, altum quidem & sublime spirare se credunt:cæterum nihil solidi subest,sed in ruinam prona sunt, quæ sine fundamentis creuere. Non habet ira cui insistat, non ex firmo mansuroque oritur, sed ventosa & inanis est tantumque abest a magnitudine animi, quantum a fortitudine audacia, a fiducia insolentia, ab austeritate tristitia, a seueritate crudelitas.

LIBRI SECVNDI
GEMMÆ.

Cap.7. 1 CVm videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena,& illum circum,in quo maximam sui partem populus ostendit:hoc scito,istic tantundem esse vitiorum, quantum hominum.

Cap.8. 1 Numquam irasci desinet sapiens, si semel cœperit.Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt Plus committitur,quam quod possit coercitione sanari.Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine: maior quotidie peccandi cupiditas,minor verecundia est. Expulso melioris æquiorisque respectu,quocumque visum est, libido se impingit: nec furtiua iam scelera sunt. præter oculos eunt. Adeoque in publicum missa nequitia est, & in omnium pectoribus eualuit ,vt innocentia non rara , sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem?Vndique velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

Cap.10. 1 Non irascetur sapiens peccantibus, Quare? quia scit neminem nasci sapientem,sed fieri. Scit paucissimos omni æuo sapientes euadere, quia condicionem humanæ vitæ perspectam habet.

2 Lento adiutorio opus est contra mala continua & fœcunda, non vt desinant, sed ne vincant.

Cap.12. 1 Necesse est prius virtutem ex animo tollas, quam iracundiam recipias quoniam cum virtutibus vitia non coeunt Nec magis quisquam eodem tempore & iratus potest esse, & vir bonus, quam æger & sanus.

2 Nihil est tam difficile & arduum ,quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nullique sunt tam feri & sui iuris affectus,vt non disciplina perdomentur.

Cap.15. 1 Nemo regere potest, nisi qui & regi.

Cap.18. 1 Remedia iræ duo, vt opinor,sunt: ne incidamus in iram,& ne in ira peccemus.

2 Facile est teneros adhuc animos componere. Difficulter rescinduntur vitia,quæ nobiscum creuerunt. Opportunissima ad iracundiam feruidi animi natura est.

Cap.21. 1 Nihil magis fecit iracundos,quam educatio mollis & blanda. Ideo vitiis quo plus indulgetur,pupillisque quo plus licet, corruptior animus est. Non resistet offensis , cui nihil vnquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper mater abstersit,cui de pædagogo satisfactum est. Non vides vt maiorem quamque fortunam maior ira comitetur?

2 Felicitas iracundiam nutrit, vbi aures superbas assentatorum circumstetit.

3 Longe ab assentatione pueritia remouenda est. Audiat verum,& timeat: Interim vereatur,semper maioribus assurgat. Nihil per iracundiā exoret. Quod flenti negatum fuerat,quieto offeratur:& diuitias parentum in cōspectu habeat,non in vsu. Exprobrentur illi perperam facta.

Cap.22. 1 Pertinebit ad rem,præceptores pædagogosque pueris placidos dari. Proximis applicatur omne quod tenerum est,& in eorum similitudinem crescit. Nutricum & pædagogorum retulere mox in adolescentia mores.

Cap.24. 1 Tollenda ex animo suspicio & coniectura,fallacissima irritamenta. Ille me parum humane salutauit , ille osculo meo non adhæsit,ille inchoatum sermonem cito abrupit, ille ad cœnam nō vocauit , illius vultus auersior visus est. Non deerit suspicioni argumentatio : simplicitate opus est , & benigna rerum æstimatione. Nihil nisi quod in oculos incurret , manifestumque erit , credamus. Et quotiens suspicio nostra vana apparuerit,obiurgemus credulitatem.Hæc enim castigatio consuetudinem efficiet non facile credendi.

Cap.25. 1 Inde & illud sequitur,vt minimis sordidisque rebus non exacerbemur. Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata , aut turbatus thorus, aut mensa neglegentius posita. Ad ista concitari insania est. Æger & infelicis valetudinis est, quem leuis aura contraxit , affecti oculi, quos candida vestis obturbat: dissolutus deliciis , cuius latus alieno labore condoluit.

Cap 26. 1 Nulla res magis iracundiam alit,quam luxuria intemperans & impatiens. Dure tractandus animus,vt ictum non sentiat nisi grauem.

Cap.27. 1 Si volumus æqui omnium rerum iudices esse , hoc primum nobis suademus : Neminem nostrûm esse , sine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur. Nihil peccaui,nihil feci.

Cap.28. 1 Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt.

2 Maximum remedium est iræ , mora.

Cap.29. 1 Magis veritas elucet,quo sæpius ad manum venit.

Cap.31. 1 Cum de moribus vnius iudicabis, de publicis cogita. Vbi maxime gaudebis,maxime metues. Vbi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non desunt,sed quiescunt. Semper futurum aliquid quod te offendat, existima.

Cap.33. 1 Hoc habent pessimum animi magnā fortunā insolentes,quos læserunt,& oderunt.

Cap.34. 1 Ira abstinendum est,siue par est,qui lacessendus est,siue superior,siue inferior.Nam cum pari contendere,anceps est ; cum superiore , furiosum ; cum inferiore , sordidum.

2 Quid est gloriosius, quam iram amicitiā mutare.

3 Irascetur aliquis: tu cōtra,beneficiis prouoca.

Cap.35. 1 Si capillorum natura, vel arte iacentium non informis est habitus,cum animo inhorrescunt,tumescunt venæ,concutitur crebro spiritu pectus,rabida vocis eruptio colla distēdit. Tunc artus

trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intra putas esse animum, cuius extra imago tam fœda est? Quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se nisi eruperit?

Cap.36. 1 Quibusdam (vt ait Sextius) iratis profuit aspexisse speculum. Perturbauit illos tanta mutatio sui, velut in rem præsentem adducti non agnouerint se: & quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? animus si ostendi, & si in vlla materia perlucere posset, intuentes non confunderet; ater, maculosusque æstuans, & distortus & tumidus.

Cap.37. 1 Nullus affectus est, in quem non ira dominetur.

LIBRI TERTII GEMMÆ.

Cap.6. 1 NVmquam tam feliciter in multa discurrenti negotia dies transit, vt non aut ex homine, aut ex re offensa nascatur, quæ animum in iras paret.

2 Nulli fortuna tam dedita est, vt multa tentanti vbique respondeat.

3 Facile est, leuia aptare ceruicibus, & in hanc aut illam partem transferre sine lapsu. At quæ alienis in nos manibus imposita, ægre sustinemus, victi in proximos effundimus, & dum stamus sub sarcina, impares oneri vacillamus.

Cap.7. 1 Cum placidissimo & facilimo, & minime anxio morosoque viuendum est. Sumuntur a conuersantibus mores. Et vt quædam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem quoque & siliceum virum emolliit. Auaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem ex diuerso ratio virturum est, vt omne quod secum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio, & salubrius cælum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari. Quæ res quantum possit, intelliges, si videris feras quoque conuictu nostro mansuescere: nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. Retunditur omnis asperitas, paulatimque inter placida dediscitur.

Cap.11. 1 Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat.

Cap.14. 1 Turpem esse dices ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque sequerentur.

Cap.16. 1 Nullum tam arctum est iugum, quod non minus lædat ducentem, quam repugnantem. Vnum est leuamentum malorum ingentium, pati, & necessitatibus suis obsequi.

2 Nec diu potest, quæ multorum malo exercetur, potentia stare.

Cap.24. 1 Dicat quisque sibi, quotiens lacessitur, numquid potentior sum Philippo? illi tamen impune maledictum est. Numquid in domo mea plus possum, quam toto orbe terrarum diuus Augustus potuit? ille tamen contentus fuit, a conuiciatore suo secedere. Quid est, quare ego serui mei hilarius responsum & contumaciorem vultum, & non peruenientem vsque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem. Quis sum, cuius aures lædi nefas sit? Ignouerunt multi hostibus: ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas.

Cap.26. 1 Iniquus est, qui commune vitium singulis obiecit.

2 Omnes inconsulti & improuidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi. Quid lenioribus verbis vlcus publicum abscondo? Omnes mali sumus. Quicquid itaque in alio reprehenditur, id vnusquisque in suo sinu inueniet.

Cap.28. 1 Multos iracundia mancos, multos debiles fecit, etiam vbi patientiæ est nacta materiam. Adiice nunc, quod nihil tam imbecille natum est, vt sine elidentis periculo pereat.

Cap.30. 1 Numquam erit felix quem torquebit felicior.

Cap.31. 1 Nulli ad aliena respicienti sua placet. Inde diis quoque irascimur, quod aliquis non antecedat, obliti quantum sequatur a tergo ingentis inuidiæ. Tanta tamen importunitas hominum est, vt quamuis multum acceperint, iniuriæ loco sit, plus accipere potuisse.

Cap.32. 1 Circa pecuniam plurimum vociferationis est; hæc fora defatigat, patres liberosque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus quam legionibus tradit. Hæc est sanguine nostro delibuta. Propter hanc vxorum maritorumque noctes strepunt litibus, & tribunalia magistratuum premit turba. Reges sæuiunt, rapiuntque, & ciuitates longo seculorum labore constructas euertunt, vt aurum argentumque in cinere vrbium scrutentur.

Cap.33. 1 Si totam mihi ex omnibus metallis, quæ cum maxime depromimus, pecuniam proferas; si in medium proiicias, quicquid thesauri tegunt, auaritia iterum sub terras referente, quæ male egesserat, omnem istam congeriem dignam non putem, quæ frontem viri boni contrahat. Quanto risu prosequenda sunt, quæ nobis lacrimas educunt?

Cap.35. 1 Quid miser expauescis ad clamorem serui, ad tinnitum æris, ad ianuæ impulsum? cum tam delicatus fueris, tonitrua audienda sunt. Hoc quod de auribus dictum est, transfer ad oculos; qui non minus fastidio laborant, si male instituti sunt. Macula offenduntur & sordibus, & argento parum splendido, & stagno non ad solem perlucente.

Cap.36. 1 Naturâ patientes sunt, si animus illos desinat corrumpere, qui quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstetisti? qua parte melior es? Desinet ira & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum.

Cap.37. 1 Admoneri bonus gaudet: pessimus quisque correptorem asperrime patitur.

2 Vitare vulgarem conuictum memento. Solutior est post vinum licentia; quia ne sobriis quidem pudor est.

Cap.40. 1 Castigare irascentem, & vltro obuiam ire ei, incitare est.

Cap.42. 1 Careamus hoc malo, [sc. ira] purgemusq; mentem, & extirpemus radicibus ea vitia, quæ quamuis tenuia vndecumque hæserint, renascentur: & iram non temperemus, sed ex toto remoueamus.

Cap.43. 1 Dum inter homines sumus, colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo simus: detrimenta, iniurias, conuitia, vellicationes contemnamus, & magno animo breuia feramus incommoda.

Dum

Dum respicimus, quod aiunt, versamusque nos, iam mortalitas aderit.

LIBRI PRIMI DE CLEMENTIA AD NERONEM CÆSAREM, GEMMÆ.

Cap.2.

VBi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur, & vitiorum eruptio.

2 Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. Modum tenere debemus: sed quia difficile est temperamentum, quicquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet.

Cap.3. 1 Pestifera vis est, valere ad nocendum.

Cap.6. 1 Peccauimus omnes: alij grauia, alij leuiora, alij ex destinato, alij forte impulsi, aut aliena nequitia ablati; alij in bonis consilus parum fortiter stetimus, & innocentiam inuiti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, sed vsque ad extremum æui delinquimus. Etiam si quis tam bene purgauit animum, vt nihil obturbare eum amplius possit, ac fallere, ad innocentiam tamen peccando peruenit.

Cap.8. 1 Vestra facta dictaque rumor excipit: & ideo nullis magis cauendum est, qualem famam habeant, quam qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sunt.

Cap.11. 1 Tyrannorum execrabilis ac breuis potestas est.

Cap.12. 1 Clementia efficit, vt magnum inter regem tyrannumque discrimen sit: vterque licèt non minus armis valletur, sed alter arma habet, quibus in munimentum pacis vtitur; alter, vt magno timore magna odia compescat.

2 Temperatus timor cohibet animos, assiduus vero & acer, & extrema admouens, in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri suadet.

Cap.14. 1 Nemo ad supplicia exigenda peruenit, nisi qui remedia consumpsit.

Cap.16. 1 Numquid nam æquum est, grauius homini & durius imperari, quam imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister. Fit enim formidulosus & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris.

Cap.18. 1 Quanto non nasci melius fuit, quam numerari inter publico malo natos?

Cap.19. 1 Natura commenta est regem: quod & ex alijs animalibus licet cognoscere & ex apibus quatum regi amplissimum cubile est, medioque ac tutissimo loco.

2 Vnũ est inexpugnabile monimentũ, amor ciuiũ.

Cap.22. 1 Facit consuetudinem peccandi multitudo peccantium. Et minus grauis nota est, quam turba damnatorum leuat: & seueritas, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit, auctoritatem.

Cap.24. 1 Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera. Remissius imperanti, melius paretur. Naturà contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens.

SECVNDI LIBRI GEMMÆ.

Cap.2. 1 A Capite bona valetudo, inde omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorum viget aut marcet.

Cap.3. 1 Clementia est temperantia animi, in potestate vlciscendi; vel lenitas superioris aduersus inferiorem, in constituendis pœnis.

2 Huic contrariam imperiti putant seueritatem; sed nulla virtus virtuti contraria est.

Cap.4. Crudelitas est atrocitas animi in exigendis pœnis.

2 Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent.

Cap.6. 1 Venia est pœnæ meritæ remissio.

AD GALLIONEM FRATREM, DE VITA BEATA, LIBRI, GEMMÆ.

Cap.1.

VIVERE, Gallio frater, omnes beate volunt: sed ad peruidendum quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant.

2 Tutissima quæque via & celeberrima maxime decipit. Nihil ergo magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat; quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus.

3 Nemo sibi tantum errat, sed alij erroris causa & auctor est.

4 Versat nos & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur a cœtu.

Cap.2. 1 Argumentum pessimi turba est. Quæramus quid optime factum sit, non quid vsitatissimum: & quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Vulgum autem tam chlamydatos, quam coronam voco.

Cap.3. 1 Beata est vita, conueniens naturæ suæ: quæ non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est, & in perpetua possessione sanitatis suæ.

2 Omnis ex infirmitate feritas est.

Cap.4. 1 Summum bonum est animus fortuita despiciens, virtute lætus: aut inuicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multa, & conuersantium cura.

Cap.5. 1 Vides quam malam & noxiam seruitutem seruiturus sit, quem voluptates doloresq;, incertissimæ dominæ, impotẽtissimæq; alternis possidebũt.

Cap.13. 1 Voluptas nocet nimia; in virtute nõ est verendũ ne quid nimium sit: quia in ipsa est modus.

Cap.14. 1 Vt feras cum labore periculoq; venamur, & captarum quoque illarum sollicita possessio est: sæpe enim laniant dominos: ita habentes magnæ voluptates, in magnum malum euasere, captæq; cepere. Quæ quo plures maioresq; sunt, eo ille minor ac plurium seruus est, quem felicem vulgus appellat.

2 Quemadmodum qui bestiarum cubilia indagat, & laqueo captare feras magno æstimat, & magnos canibus circumdare saltus, vt illarum vestigia premat, potiora deserit, multisque officiis renunciat: ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit; & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit; nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.

Cap.15. 1 Quicquid ex vniuersi constitutione patiendum est,magno excipiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia: nec perturbati his quæ vitare, nostræ potestatis non est. In regno nati sumus, Deo parēre,libertas est.

Cap.17. 1 Hoc mihi satis est,quotidie aliquid ex vitiis meis demere,& errores meos obiurgare.

Cap 20. 1 Nihil opinionis caussa,omnia conscientiæ faciam: populo spectante fieri credam,quicquid me conscio faciam.

2 Patriam meam esse mundum scio : & præsides Deos supra me circaque me stare, factorum dictorumque censores.

Cap.21. 1 Nec se sapiens indignum vllis muneribus fortuitis putat. Non amat diuitias, sed mauult. Non in animum illas, sed in domum recipit. Nec respuit possessas, sed continet, & maiorem virtuti suæ materiam subministrari vult.

Cap.23. 1 Habebit philosophus amplas opes; sed nulli detractas,nec alieno sanguine cruentas,sine cuiusquam iniuria partas ; sine sordidis quæstibus,quarum tam honestus sit exitus, quam introitus,quibus nemo ingemiscat,nisi malignus.

2 Sicut sapiens nullum denarium intra limen suum admittet male intrantem:ita & magnas opes, munus fortunæ,fructumque virtutis, non repudiabit, nec excludet.

Cap.25. 1 Nihilo miserior ero, si lassa ceruix mea, in manipulo fœni acquiescet, si super Circense tomentum, per suturas veteris lintei effluens,incubabo.

Cap.26. 1 Diuitiæ apud sapientem virum in seruitute sunt:apud stultum in imperio. Sapiens diuitiis nihil permittit : vobis diuitiæ omnia.

2 Sapiens tunc maxime paupertatem meditatur,cum in mediis diuitiis constitit.

Cap.27. 1 Papulas obseruatis alienas,ipsi obsiti plurimis vlceribus.

Cap.28. 1 Proderit primo in seipsum secedere.

2 Pendemus toti ex alienis iudiciis: & id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet; non id,quod laudandum petendumque est.

LIBRI AD SERENVM, DE TRANQVILLITATE ANIMI, GEMMÆ.

Cap. 2.

ALIENTES incrementis inimicissima inuidia: alit enim liuorem infelix inertia: & omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt prouehere.

2 Natura humanus animus agilis est, & pronus ad motus.

3 Scire debemus non locorum vitium esse,quo laboramus,sed nostrum.

Cap.3. 1 Numquam vsque eo interclusa sunt omnia, vt nulli actioni honestæ locus sit.

Cap.4. 1 Ante omnia necesse est seipsum æstimare : quia fere plus nobis videmur posse , quam possumus.

Cap.7. 1 Debet semper plus esse virium in latore, quam in onere.

2 Nihil tam æque oblectauerit animum,quam amicitia fidelis.

Cap.8. 1 Lætiores videbis quos numquam fortuna respexit,quam quos deseruit.

2 Optimus pecuniæ modus est,qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit.

Cap.10. 1 Multi quidem sunt,quibus necessario hærendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt,nisi cadendo descendere.

Cap.11. 1 Sæpe caussa moriendi est , timide mori.

2 Quæ sunt diuitiæ, quas non egestas & fames, & mendicitas a tergo sequatur ? Quæ dignitas,cuius non prætextam , & augurale , & patricia, & sordes comitentur, & exportatio & notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio ? Quod regnum est, cui non parata sit ruina , & proculcatio , & dominus , & carnifex ? Nec magnis ista interuallis diuisa , sed horæ momentum interest, inter solium & aliena genua. Scito ergo,omnem conditionem versabilem esse , & quicquid in vllum incurrit, posse in te quoque incurrere.

Cap.15. 1 In hoc flectendi sumus, vt omnia vulgi vitia non inuisa nobis, sed ridicula videantur: & Democritum potius imitemur quam Heraclitum. Hic enim quotiens in publicum processerat, flebat ; ille, ridebat.

2 Alienis malis torqueri,æterna miseria est, alienis delectari malis, voluptas inhumana.

3 In tuis quoque malis id agere te oportet, vt dolori tantum des,quantum poscet ratio,non quantum consuetudo.

4 Multorum vita est ficta, & ostentationi parata.

5 Danda est remissio animis : meliores acrioresque requieti surgent : vt fertilibus agris non est imperandum ; cito enim exhauriet illos, numquam intermissa fœcunditas : ita animorum impetus assiduus labor franget. Vires recipiunt paulum resoluti & remissi. Nascitur ex assiduitate laborum , animorum hebetatio quædam , & languor.

6 Indulgendum est animo : dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit : & in ambulationibus apertis vagandum , vt cælo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus.

7 Liber non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini , sed quia liberat seruitio curarum animum , & asserit, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit.

8 Catoni ebrietas obiecta est. At facilius efficiet , quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem. Sed nec sæpe faciendum est , ne animus malam consuetudinem ducat ; & aliquando tamen in exultationem libertatemque extrahendus , tristisque sobrietas remouenda paulisper. Nam siue Græco poetæ credimus , aliquando & insanire iucundum est : siue Platoni,frustra poeticas fores compos sui pepulit : siue Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit. Non potest grande aliquid & supra cæteros, loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria & solida contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam, & in arduo positum contingere , quamdiu apud se est.

QVOD

QVOD IN SAPIENTEM NON CADAT INIVRIA,

LIBRI AD SERENVM,

GEMMÆ.

Caput 13.

SCIT sapiens, omnes hos, qui togati purpuratique incedunt coloratos maleque sanos esse: quos non aliter videt, quam ægros, intemperantes.

2 Necesse est a quo quisque contemni moleste fert, suspici gaudeat.

Cap.19. 1 Non est libertas nihil pati? fallimur: libertas est, animum opponere iniuriis, & eum facere se ex quo solo sibi gaudenda veniant: exteriora deducere a se, ne inquieta agenda sit vita, omnium risus, omnium linguas timenti.

LIBRI AD PAVLINVM, DE BREVITATE VITÆ,

GEMMÆ.

Caput primum.

SATIS longa vita, & in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed vbi per luxum ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonæ impenditur, vltima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, trãsisse sentimus.

Cap.2. 1 Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut suæ, odium detinuit.

Cap.4. 1 Tamquam semper victuri viuitis. Nũquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non obseruatis quantum temporis transierit; velut ex pleno & abundanti perditis: cum interim fortasse ille ipse qui alicui vel homini, vel rei donatur, vltimus dies sit.

Cap.7. 1 Præcipitat quisque vitam suam, & futuri desiderio laburat, præsentium tædio.

Cap.9. 1 Maxima vitæ iactura dilatio est.

2 Maximum viuendi impedimentum est, exspectatio quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunæ positum est, disponis: quod in tua, dimittis.

Cap.12. 1 Vsque eo nimio delicati animi languore soluuntur, vt per se scire non possint, an esuriant. Audio quendam ex delicatis, si modo deliciæ vocandæ sunt, vitam & consuetudinem humanam dediscere, cum ex balneo inter manus elatus & in sella positus esset, dixisse interrogando, iam sedeo? Hunc tu ignorantem an sedeat, putas scire an viuat, an videat, an otiosus sit? Non facile dixerim vtrum magis misereat, si hoc ignorauit, an si se ignorare finxit.

Cap.14. 1 O quantum caliginis mentibus humanis, obiicit magna felicitas. Ille se supra rerum naturam esse tunc credidit, cum tot miserorum hominum cateruas, sub alio cælo natis beluis obiiceret, cum bellum inter tam disparia animalia committeret, cum in conspectu populi Romani multum sanguinis funderet, mox plus ipsum fundere coacturus.

Cap.16. 1 Omnis illis speratæ rei longa dilatio est. At illud tempus, quod amant, breue est, & præceps, breuiusque multo fit suo vitio: aliunde enim alio transfugiunt, & consistere in vna cupiditate nõ possunt. Non sunt illis longi dies, sed inuisi.

2 Cum per magna camporum spatia porrigeret exercitum, nec numerum eius, sed mensuram comprehenderet. Persarum rex insolentissimus, lacrymas fudit, quod intra centum annos nemo ex tanta iuuentute superfuturus esset. At illis erat admoturus fatum, ille ipse qui flebat, perditurusque alios in terra, alios in mari, alios in prælio, alios in fuga; & intra exiguum tempus consumpturus illos, quibus centesimum annum timebat.

Cap.20. 1 Turpis ille, qui viuendo lassus citius quam laborando, inter ista officia collapsus est.

LIBRI DE CONSOLATIONE AD POLYBIVM,

GEMMÆ.

Cap. 20.

NIHIL perpetuum, pauca diuturna sunt.

Cap. 21. 1 Maximum solatium est, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri.

Cap.30. 1 Quid noui hominem mori, cuius tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est? Ego cum genui, tum moriturum sciui.

2 Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur.

3 Ne commiseris, vt quisquis extemplo, ac modo scripta tua mirabatur, quærat quomodo tam grandia, tamque solida, tam fragilis animus conceperit.

Cap.33. 1 Nulla domus in toto terrarum orbe est, aut fuit, sine aliqua comploratione.

Cap.37. 1 Quæ per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem: quippe & ipsa intereunt.

LIBRI DE CONSOLATIONE AD MARCIAM,

GEMMÆ.

Cap. 6.

ADVERSI aliquid incurrat oportet, quod animum probet. proinde ne submiseris te, imo contra fige stabilem gradum: & quicquid onerum supra cecidit, sustine, primo dumtaxat strepitu conterrita. Nulla re maior inuidia fortunæ fit, quam æquo animo.

2 Regamur: nec nos illa vis (*sc. doloris*) transuersos auferat. Turpis est nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deseruit,

permisit tempestati nauem. At ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentem & obnixum.

Cap.7. 1 Plus est, quod opinio abiicit, quam quod natura imperauit.

2 Paupertatem, luctum, orbationem, alius aliter sentit, prout illum consuetudo infecit: & imbecillum impatientemque reddit præsumpta opinio de non timendis terribilis.

Cap.9. 1 Non putaui futurum. Quicquam tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri, quod multis vides euenisse? Egregium versum audi, & dignum Publio, Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest. Ille amisit liberos; & tu amittere potes. Ille damnatus est: & tua innocentia sub ictu est. Hic nos error decipit, hic affeminat, dum patimur, quæ numquam pati nos posse præuidimus. Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit.

Cap.10. 1 Pauca vsque ad finem perseuerabunt.

2 Quid opus est partes deflere? Tota vita flebilis est. Vrgebunt noua incommoda, priusquam veteribus satisfeceris.

Cap.11. 1 Et quæ veneraris, & quæ despicis, vnus exæquabit cinis.

2 Quid est homo, quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. iactatu, non tempestate magna vt dissipetis, est opus. Vbicumque arietaueris, solueris. Quid est homo? Imbecillum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum.

Cap.12. 1 Minus homines desiderant ea, ex quibus nihil gaudii lætitiæque perceperant.

2 Nulli fere & magna bona & diuturna contingunt. Non durat, nec ad vltimum exit, nisi lenta felicitas.

3 Maliuoli solatii genus est, turba miserorum.

Cap.15. 1 Iube singulos conferre rationem; nulli contingit impune nasci.

Cap.16. 1 Vt in damna, ita ad incrementa rapidũ veloxque tempus est.

Cap.17. 1 Ad hoc genita es, vt perderes, vt perires, vt sperares, metueres alios, teque inquietares, mortem & timeres, & optares, & quod est pessimum, numquam scires cuius esses status.

2 Nullum non acerbum funus est, quod parent sequitur.

Cap. 19. 1 Mouet lugentem desiderium eius, quem dilexit.

2 Excessit filius tuus terminos, intra quos seruiit. Excepit illum magna & æterna pax: non paupertatis metu; non diuitiarum cura non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non inuidia felicitatis alienæ tangitur, nec suæ premitur, nec conuitiis quidem vllis verecundæ aures verberantur: nulla publica clades conspicitur, nulla priuata, non sollicitus futuri pendet ex euentu, semper in deteriora dependenti.

Cap.20. 1 Non est molestum seruire, vbi si domini pertæsum est licet vno gradu ad libertatem transire. Contra iniurias vitæ beneficium mortis habent. Cogita quantum boni opportuna mors habet, quam multis diu vixisse nocuerit.

2 Dispar cuique viuendi facultas data est.

Cap.22. 1 Felicissimis optanda mors est quia in tanta inconstantia turbaque rerum, nihil nisi quod præterit, certum est.

Cap.22. 1 Nihil est tam fallax quam vita humana: nihil tam insidiosum.

Cap.23. 1 Omne futurum incertum est, & ad deteriora certius.

2 Ingenia quo illustriora, eo breuiora sunt. Nam vbi incremento locus non est, vicinus occasus est.

Cap.26. 1 Cum tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis cædent, & sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materia, vno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit.

LIBRI, AD HELVIAM, DE CONSOLATIONE,

GEMMAE.

Caput secundum.



NVM habet assidua infelicitas boni, quod quos sæpe vexat, nouissime indurat.

2 Nulli non magno constitit bona nouerca.

Cap.5. 1 Id egit rerum natura, vt ad bene viuendum non magno apparatu opus esset.

2 In illis quæ mala vocantur, nihil tam terribile ac durum inuenio, quam opinio vulgi minabatur.

Cap.6. 1 Videamus quid sit exilium, nempe loci commutatio est.

2 Mobilis & inquieta mens homini data est.

3 Illud est manifestum, nihil eodem loco mansisse, quo genitum est.

Cap.8. 1 Ita fit vt placuit nullius rei, eodem semper loco stare fortunam.

Cap.11. 1 Æque exiguo tegitur corpus, quam alitur. Nihil homini natura quod necessarium faciebat, fecit operosum. Si desiderat saturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, variisque coloribus distinctam, & artibus, non fortunæ istæ vitio, sed suo pauper est. Etiam si illi quicquid amisit, restitueris, nihil ages. Plus enim restituto deerit ex eo, quod cupit, quam exuli ex eo quod habuit.

2 Non in pecunia tantum aut alimentis euenit: eadem natura est in omni desiderio, quod non ex inopia, sed ex vitio nascitur. Quicquid illi congesseris, non finis erit cupiditatis, sed gradus. Qui continebit itaque se intra naturalem modum, paupertatem non sentiet: qui naturalem modum excedet, eum in summis opibus quoque paupertas sequetur. Necessariis rebus exilia sufficiunt: superuacuis nec regna. Animus est qui diuites facit. Hic in exilia sequitur, & in solitudinibus asperrimis, cum quantum satis est sustinendo corpori, inuenit, ipse bonis suis abundat, & fruitur. Pecunia nihil ad animum pertinet, non magis quam ad Deos immortales omnia ista quæ imperita ingenia, & nimis corporibus suis addicta suspiciunt. lapides, aurum & argentum, & magni leuatique mensarum orbes, terrena sunt pondera: quæ non potest amare sincerus animus, ac naturæ suæ memor, leuis ipse, & quandocumque emissus fuerit, ad summa emicaturus interim, quantum per moras membrorum, & hanc circumfusam grauem sarcinam licet, celeri & volucri cogitatione diuina perlustrat. Ideoque nec exulare vmquam potest, liber, & diis cognatus, & omni mundo omnique æuo par.

Cap.13. 1 Nemo ab alio contemnitur, nisi a se

ante

ante contemptus est.

2 Inuerecundus est, qui faciem eius (Aristidis) inspuerct, poterat ob hoc moleste ferre, quod sciebat neminem id ausurum puri oris. At ille abstersit faciem, & subridens ait comitanti se magistratui: Admone istum, ne postea tam improbe oscitet.

Cap.15. 1 Optimum inter pietatem & rationem temperamentum est, & sentire desiderium, & opprimere.

LIBRI PRIMI NATVRALIVM QVÆSTIONVM, AD LVCILIVM GEMMÆ.

Cap. 1.



VI ii erat, cur in numero viuentium me positum esse gauderem? ao vt cibos & potiones percolarem.

2 O quam contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit. Quam diu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus.

SECVNDI GEMMÆ.

Cap.4. Habet vnitatem quicquid alicuius rei natiua pars est. Nihil enim nascitur sine vnitate.

Cap.6. 1 Quid est vox nisi intentio aëris, vt audiatur, linguæ formata percussu.

Cap.12. 1 Ante videmus fulgurationem, quam sonum audiamus: quia oculorum velocior est sensus, & multum aures antecedit.

Cap.16. 1 Quid inter fulgurationem & fulminationem interest? Fulguratio est late ignis explicitus: fulmen est coactus ignis, & impetu iactus.

Cap.24. 1 Si ignem permittis ire quo velit, cælũ sc. leuissimi cuiusque sedem, repetet: vbi est aliquid quod eum ferat, & ab impetu suo auertat, id nõ natura, sed seruitus eius fit.

Cap.59. 1 Omnibus rebus, omnibusque sermonibus, aliquid salutare miscendum est.

2 Nullus pernicior hostis est, quam quem audacem angustiæ faciunt: longeq; violentius semper ex necessitate quam ea virtute corrigimur. Maiora aut certe paria conatur animus magnus ac perditus.

3 Omnes reseruamur ad mortem. Totum hunc quem vides populum, quousq; cogitas esse? cito natura reuocabit & condet: nec de re, sed de die queritur. Eodem citius tardiusque veniendum est.

TERTII GEMMÆ.

Præfatio QVi tardius exeunt, velocitate pellant moram.

2 Quid est præcipuum? erigere animum supra minas & promissa fortunæ. Nihil dignum putare quod speres. Quid enim habet dignum quod cõcupiscas? quia diuinorum contemplatione quoties ad humana recideris, nõ aliter caligabis, quam quorum oculi in densam vmbrã ex claro sole redeere. Quid est præcipuum posse læto animo aduersa tolerare: quicquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere.

3 Quid est præcipuum? Altos supra fortuita spiritus tollere: hominis meminisse, vt siue felix eris, scias hoc non futurum diu: siue infelix, scias hoc te non esse, si non putes.

Cap.7. 1 Affirmo nullam pluuiam esse tam magnam, quæ terram vltra decem pedes in altitudinem madefaciat.

Cap.10. 1 Fere aquacissima sunt, quæcumque vmbrosissima.

Cap.18. 1 Permitte mihi, quæstione seposita, castigare luxuriam. Nihil est, inquis, nullo expiante formosius. Ipsa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor suffunditur. Quam æque variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris est. Vacatio longa somniculosæ inertisque luxuriæ. Quam sero experrecta, circumscribi se & fraudari tanto bono sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo & tam pulchro piscatores fruebantur, qui coctũ piscem & exanimem in ipso ferculo etiam experitentur. Mirabamur tantum in illis esse fastidium, vt nollem attingere, nisi eodem die captum piscem, qui, vt aiunt, saperet ipsum mare. Ideo cursu aduehebatur, ideo gerulis cum anhelitu & clamore properantibus dabatur via. Quo peruenere deliciæ? Is pro putrido tam piscis affertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est. Nescio de te magna tibi credere. Ipse oportet mihi credam: huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc fastum peruenit venter delicatorum, vt gustare non possint piscem, nisi quem in ipso conuiuio natantem palpitantemque viderint. Quantum ad sollertiam luxuriæ pereuntis accedit, tanto subtilius quotidie & elegantius aliquid cogitat furor, vsitata contemnens. Illa audiebamus, Nihil melius esse saxatili mullo. At nunc audimus: Nihil est moriẽte formosius. Da mihi in manus vas vitreum in quo exultet, in quo trepidet. Vbi multũ diuque laudatus est, ex illo perlucido viuario extrahitur: tunc vt quisque peritior est, monstrat: vide quomodo exarserit rubor, omni acrior minio. Vide quas per latera venas agat. Ecce sanguineum putes ventrem: quam lucidum quiddam cæruleumque sub ipso tempore effulsit. Iam porrigitur & pallet, & in vnum colorem componitur. Ex his nemo morienti amico assidet, nemo videre mortem patris sui sustinet, quam optauit. Quotus quisque funus domesticum ad rogum prosequitur? Fratrum propinquorúmque extrema hora deseritur: ad mortem mulli concurritur. Nihil enim est illo formosius. Non tempero mihi, quin vtar interdum temerariis verbis, & proprietatis modum excedam. Non sunt ad popinam, dentibus & ventre, & ore contenti: oculis quoque gulosi sunt.

Cap.28. 1 Magno impetu magna ferienda sunt.

2 Quemadmodum campos intuentem, quæ paulatim deuexa sunt, fallunt; sic non intelligimus curuaturas maris, & videtur planum quicquid apparet.

Cap.30. 1 Omne ex integro animal generabitur, dabitúrque terris homo inscius scelerum, & melioribus auspiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, nisi dum noui sunt. Cito nequitia subrepit: virtus difficilis inuento est, rectorem ducemq; desiderat. Etiam sine magistro vitia discuntur.

QVARTI.

Præf. HAbent hoc in se naturale blanditiæ, etiam cum reiiciuntur, placent: sæpe exclusæ, nouissime recipiuntur.

2 Cum quis ad te adulator accesserit, dicito: Tu, ista verba, quæ iam ab alio magistratu ad alium cum lictoribus transeunt, fecto ad aliquem, qui parla facturus, vult quicquid dixeris, audire. Ego nec decipere volo, nec decipi possum. Laudari me a vobis,

nisi laudaretis etiam malos, vellem. Quid autem necesse est in hoc descendere, vt te petere cominus possint? Longum inter vos interuallum fit.

Cap.2. 1 Mira natura fluminis, quod cum cæteri amnes abluant terras & euiscerent, Nilus tanto cæteris maior, adeo nihil exedit, nec abradit, vt contra adiiciat vires, minimumq; in eo sit, quod solum temperet. Illato enim limo, arenas saturat ac iungit, debetque illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas.

Cap.13. 1 Vbi quotidianis cruditatibus non temporis æstus, sed suos sentit, vbi ebrietas continua visceribus insedit, & præcordia bile, in quam vertitur, torret, aliquid necessario quæritur, quo æstus ille frangatur; qui ipsis aquis incalescit, remediis incitat vitium. Itaque non æstate tantum, sed & media hieme, niuem hac caussa bibunt. Quæ huius rei caussa est, nisi intestinum malum, & luxu corrupta præcordia, quibus nullum interuallum vmquam quo interquiescerent, datum est, sed prandia cœnis vsque in lucem perductis, ingesta sunt, & distentos copia ferculorum ac varietate, comessatio altius mersit? Deinde numquam intermissa intemperantia, quicquid ante decoxerat, efferauit, & in desiderium semper noui rigoris accendit.

2 Sicut animo relictos stupentesq; frigida spargimus, vt ad sensum sui redeant; ita viscera istorum vitiis torpentia, nihil sentiunt, nisi frigore illa vehementiore perusseris.

3 Vnguentarios Lacedæmonii vrbe expulerunt, & propere cedere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderent. Quid illi fecissent, si vidissent reponendæ niuis officinas, & tot iumenta portandæ aquæ deseruientia, cuius colorem saporemque paleis, quibus custodiunt, inquinant? At dij boni, quam facile est extinguere sitim sanam? sed quid sentire possunt emortuæ fauces, & occallatæ cibis ardentibus? Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil satis calidum est. Sed ardentes boletos, & raptim condimento suo mersatos, demittunt pene fumantes, quos deinde restinguant, niuatis potionibus. Videbis inquam quosdam graciles, & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros, non sorbere solum niuem, sed etiam esse, vt frusta eius in scyphos suos deiicere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant. Sitim istam esse putas? Febris est: & quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cutem effuso calore deprehenditur. Sed cor ipsum excoquit luxuria, inuictū malum, & ex molli fluidoque durum atque patiens. Non intelligis, omnia consuetudine vim suam perdere? Itaque nix ista, in qua etiamnum natatis, eo peruenit vsu, & quotidiana stomachi seruitute, vt aquæ locum obtineat. Aliquid adhuc quærite illa frigidius, quia pro nihilo est familiaris rigor.

QVINTI GEMMÆ.

Cap.2. 1 HOc interest inter aera & ventum, quod inter lacum & flumen: aliquando per se ipse sol caussa venti est, fundens rigentem aera, & ex denso coactoque explicans.

Cap.15. 1 Nulli mortuo terra tam grauis est, quam istis supra quot auaritia vrgens terrarum pondus iniecit, quibus abstulit cælum, quos in imo, vbi illud malum virus latitat, infodit. Illo descendere ausi sunt, vbi nouam rerum positionem, terrarumque pendentium habitus, ventosque per cæcum inane experirentur, & aquarum in illis fluentium horridos fontes, & altam perpetuamque noctem. Deinde cum ista fecerint, inferos metuunt.

Cap.18. 1 Nulla terra tam longe remota est, quæ non mittere aliquo suum malum possit. Vnde scio an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus fortunæ indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma, an paret classes ignota moliens? Vnde scio, hic mihi, an ille ventus bellum inuehat? Magna pars erat pacis humanæ, maria præcludi. Non tamen queri possumus de auctore nostri Deo, si beneficia eius corrumpimus, & vt essent contraria, efficimus. Dedit ille ventos ad custodiendam cæli terrarumq; temperiem, ad euocandas supprimendasque aquas, ad alendos satorum atque arborum fructus: quos ad maturitatem cum aliis caussis adducit, ipsa iactatio, attrahens cibum in summa, & ne torpeat, promouens. Dedit ventos ad vlteriora noscenda, fuisset enim imperitum animal, & sine magna experientia rerum homo, si circumscriberetur natalis soli fine. Dedit ventos, vt commoda cuiusque regionis fierent communia; non vt legiones equitemque gestarent, nec vt perniciosa gentibus arma transueherent. Si beneficia naturæ vtentium prauitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum est? Nihil inuenies tam manifestæ vtilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Sic ventos quoque natura bono futuros inuenerat: ipsi illos contrarios fecimus. Omnes in aliquod nos malum ducunt. Non eadem est his & illis caussa soluendi: sed iusta nulli. Diuersis enim irritamentis ad tentandum iter impellimur. Itaque alicui vitio nauigatur. Egregie Plato dicit, qui nobis circa exitum iam testium loco dandus est, minima esse, quæ homines emant vita. Immo, Lucili carissime, si bene furorem illorum æstimaueris, id est nostrum (in eadem enim turba volutamur) magis ridebis, cum cogitaueris vitæ parari ea, in quibus vita consumitur.

SEXTI GEMMÆ.

Cap.1. 1 HOc habet inter cætera iustitiæ suæ natura præcipuum, quod cum ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus.

Cap.2. 1 Nego quicquam esse quietis æternæ, quod & perire non possit, & perdere. Ego vero hoc ipsum solatii loco pono, & quidem valentissimi; quandoquidem sine remedio timor stultus est, ratio terrorem prudentibus excutit, imperitis fit magna ex desperatione securitas.

2 Ego timeam terras trementes, quem crassior saliua suffocat?

Cap.3. 1 Leuius accidunt familiaria: ex insolito formido est maior. Quare autem quicquam nobis insolitum est? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus: nec cogitamus quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit.

Cap.5. 1 Nulla res consummata est, dum incipit.

Cap.12. 1 Cum terræmotus futurus est, præcedit aeris tranquillitas & quies: videlicet quia vis spiritus, quæ concitare ventos solet, in inferna sede detinetur.

Cap.32. 1 Non aliunde animo venit robur, quam a bonis artibus, quam a contemplatione naturæ.

2 Ingenti animo mors prouocanda est, siue mors æquo iustoque impetu aggreditur, siue quotidiano & vulgari exitu: nihil refert quam minax veniat, quantumque sit, quod in nos trahat; quod a nobis petit, minimum est.

3 Pusilla res est hominis anima, sed ingens res est contemptus animæ. Hanc qui contempserit, securus videbit maria perturbari.

4 Fluit tempus, & auidissimos sui deserit.

5 In puncto fugientis temporis magni pendeo: & magni est modicum fuisse.

6 Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: Moriendum est. Quando? Quid tua? Mors naturæ lex est, mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est. Optabit illam, quisquis timet. Omnibus omissis, hoc vnum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides, effice illam tibi multa cogitatione familiarem: vt si ita tulerit, possis illi vel obuiam exire.

SEPTIMI GEMMÆ.

Cap.1. NEmo vsque eo tardus, & hebes, & demissus in terram est, vt ad diuina non erigatur, ac tota mente consurgat: vtique vbi nouum aliquod e cælo miraculum fulsit.

Cap.25. 1 Veniet tempus, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur.

Cap.27. 1 Tota huius mundi concordia ex discordibus constat.

Cap.30. 1 Egregie Aristoteles ait, numquam nos verecundiores esse debere, quam cum de diis agitur.

2 Ne miremur tarde erui, quæ alte iacent.

3 Neque omnia Deus humanis oculis nota fecit.

Cap.31. 1 Rerum natura, sacra sua non simul tradit. Initiatos nos credimus. In vestibulo eius hæremus. Illa arcana non promiscue nec omnibus patent: reducta & interiore sacrario clusa sunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subibit, aspiciet. Quando ergo ista in notitiam nostri perducentur? Tarde magna proueniunt, vtique si labor cessat: id quod vnum toto agimus animo, nondum perfecimus, vt pessimi essemus. Adhuc in processu vitia sunt.

2 Nondum satis robur omne proiecimus. Adhuc quicquid est boni moris, extinguimus leuitate & politura corporum. Muliebres mundicias antecessimus, colores meretriceos, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero & molli gressu suspendimus gradum; non ambulamus, sed incedimus. Exornamus anulis digitos, in omni articulo gemma disponitur.

Cap.32. 1 Miraris si nondum sapientia omne opus suum impleuit? nondum tota se nequitia protulit. Adhuc nascitur, & huic omnes operam damus: huic oculi nostri, huic manus seruiunt. Ad sapientiam quis accedit? Quis dignam iudicat, nisi quam in transitu nouerit? Quis philosophiam, aut vllum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluuiis interuenit dies, quem perdere licet? Itaque tot familiæ philosophorum sine successore deficiunt.

2 Deinde sub persona, cum diu trita frons est, transitur ad ganeam: philosophiæ nulla cura est. Itaque adeo nihil inuenitur, ex his quæ parum inuestigata antiqui reliquerunt, vt multa quæ inuenta erant, obliterentur. At me hercules si hoc totis membris premeremus, si in hoc iuuentus sobria incumberet, hoc maiores docerent, hoc minores addiscerent, vix ad fundum veniretur: in quo veritas posita est, quam nunc in summa terra & leui manu quærimus.

LIBRI PRIMI CONTROVERSIARVM, AD NOVATVM SENECAM, & Melam, filios, gemmæ.

Proœmium.

V o plura exempla inspecta sunt, plus eloquentia proficitur.

2 Nescio qua iniquitate, & ad malum pronitate naturæ, eloquentia se retro tulerit.

3 Nihil est tam mortiferum ingeniis quam luxuria: siue cum præmium pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est, omne certamen ad turpia, multo honore quæstuque vigentia: siue fato quodam, cuius maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, vt ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur. Torpent ecce ingenia desidiosæ iuuentutis, nec in vllius honestæ rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac somno, & languore turpior, malarum rerum industria, inuasit animos. Cantandi saltandique nunc obscæna studia effeminatos tenent; & capillum frangere, & ad mulieres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. Quis æqualium vestrorum, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, immo quia satis vir est? Emolliti eneruesque quod nati sunt, inuiti manent: expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ.

4 Quis est qui nunc memoriæ studeat? Quis qui non dico magis viribus, sed suis placeat? sententias a disertissimis viris factas, facile in tanta hominum desidia pro suis dicunt: & sacerrimam eloquentiam, quia præstare non possunt, violare non desinunt.

5 Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor: & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur.

6 Nihil est iniquius his, qui nusquam putant esse subtilitatem, nisi vbi nihil est præter subtilitatem.

7 Schemata negabat (Latro) decoris causa inuenta, sed subsidii: vt quod palam aures offensurum esset, si palam diceretur, id oblique & furtim surreperet. Summam quidem esse dementiam, detorquere orationem, cui rectam esse liceret.

Prima controuersia. 1 Lex est Liberi parentes alant, aut vinciantur.

2 Pro adolescente. Quos proues erat fortuna, destituit.

3 Perierat totus orbis, nisi iram finiret misericordia.

4 Diuisio. Quædam iura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt.

5 Color. Non est abdicato quidquam ex gloria sui criminis detrahendum.

Cont.2. 1 Contra puellam. Aliter Deorum numini subiecta vniuscuiusque conscientia est, aliter nostræ æstimationi. Nos tantum quæ feceras palam vidimus: illi, etiam quæ secreta sunt. Indignam sacerdotio dicerem, si transisses per lupanar.

2 Color. Voluerunt Dij immortales in hac puella vires suas ostendere, vt appareret, quam nulla vis humana diuinis resisteret.

2 Poteſt aliquem corrumpere prolapſi in vitia ſæculi praue conſuetudo.

4 Longe recedendum ab omni obſcœnitate & verborum,& ſenſuum.

Cont.3. 1. Lex eſt,Inceſta de ſaxo deiiciatur.

Cont.4. 1 Lex eſt,Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum vtrumque corpus interficiat, ſine fraude ſit.

2 Pars altera. Truces quoque animos miſericors oratura debilitat.

Cont.5. 1 Ex altera parte. Non eſt inuidioſa poteſtas, quæ miſericordia vincit.

Cont.6. 1 Ex altera parte. Inſoleos malum eſt bextra vox: Cum immenſum pondus auri orbis attulerit, cum pecuniæ atras noſtras oncrauerit,quid aliud quam beate ſeruiemus?

2 Color. Beneficium eſt, quod iudicio detur, non quod furore aut morbo.

Cont.8. 1 Ex altera parte. Luxuria,auaritia, deſidia, iniuſtitia, timor, non deſiſcuntur; & quotidie hæc omnia aut caſtigantur, aut puniuntur, in tantum etiam vitiorum tenaces ſumus.

2 Interdum continuatus labor firmiores facit: ſæpe quos labor roborauerat,deſidia conſumpſit.

SECVNDI, GEMMÆ.

Proœmium. HOc melioris ingenij pignus, non corrumpi bonitate alicuius,vt illo male vtaris.

Cont.1. 1 Pro adoptando. Fragilis & caduca felicitas eſt,& omnis fortunæ blandientis ſpecioſus cum periculo nitor: Et ſine cauſa ſæpe fluit, & ſine ratione deſtituit.

2 Narratio. Ad delicias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, cæduntur que gentium ſiluæ;æris ferrique vſus, iam auri quoque in extruendis & decorandis domibus: nempe vt anxij interdiu & nocte ruinam ignemque metuant, qui tectis iniectus eſt fortuitus.

3 O paupertas,quam ignotum bonum es!

4 Quantumcumque eſt, mihi ſatis eſt, vnicus ſum,fortiter fortunam meam feram.

5 Pars altera. Non ignoto ego, quorum inopia per otium in angulis diuitiarum conuictos ſtrepit, accuſatioque conſequitur, neque quieſcere ſinit. Sed nulla materia in rebus humanis virtutes clarius oſtendit.Cenſus ſenatorium gradum aſcendit, cenſus in caſtris ordinem promouet, cenſus in foro iudices legit.

6 Tibi non noueris diuitias eſſe paupertatem.

7 Diuiſio. Aiunt multa vitia diuites habere iſtos,& hoc grauiſſimum,quod ſuos non amant.Nec eſſe quod quiſquam ſe ſatis putet firmum ad repellenda vitia,contactu ipſo nocentia tranſeunti.

8 Color. Non eſt quod putes omnibus diuitias conuenire. Nihil eſt inſolentius nouitio diuite.

Cont.2. 1 Color. Non vides, vti immota fax torpeat,& exagitata reddat ignes?mollit viros otiū, ferrum ſitu carpitur,& rubiginem ducit.Naſo dixit, Vidi ego iactatas motæ face creſcere flammas;
Et rurſus,nullo concutiente,mori.

2 Facilius in amore finem imperes,quā modū.

3 Decentior facies eſt, in qua aliquis næuus ſit.

Cont.3. 1 Lex. Raptor niſi ſuum & raptæ patrem intra 30.dies exorauerit, pereat.

2 Contra raptorem. Non poteſt inexorabilem queri,quem nondum expertus eſt.

3 Facilius eſt iniuriam donare,quam crimen.

4 Nullum tempus vni verbo anguſtum eſt

Cont.4. 1 Pro patre. Non poteſt vno crimine dementia intelligi.

Cont.5. 1 Pro vxore. Sui iuris rerum natura eſt, nec ad leges humanas componitur:modo properat, modo vota præcurrit,modo lenta eſt & demoratur.

2 Non ex formula natura reſpondet, neque ad præſcriptum caſus obſequitur. ſemper exſpectati fortuna mauult, quam regi. Aliubi offenditur improuiſa ſegetum maturitas,aliubi ſeram magno fœnore moram redemit. Licèt lex dies finiat, natura non recipit.

Cont.6. 1 Altera pars. Nemo vitia quæ odit,imitatur.

2 Non coercet vitia,qui prouocat.

3 Diuiſio.Turpe eſt ſic caſtigare vitia,vt imiteris.

4 Intermiſſa vitia vehementius ſurgunt.

Cont.7. 1 Contra vxorem. Magnus pudicitiæ fructus eſt,pudicam credi:& aduerſus omnes illecebras atq; omnia delinimenta muliebris ingenij, eſt veluti ſolum ac firmamentum, in nullam incidiſſe fabulam.

2 Muliebrium vitiorum fundamentum auaritia eſt.

TERTII, GEMMÆ.

Proœmium. DIligentia,maximum,etiam mediocris,ingenij ſubſidium.

2 Magna & varia res eſt eloquentia;nec adhuc vlli ſic indulſit, vt tota contingeret: ſatis felix eſt, qui in aliquam eius partem eſt receptus.

Cont.1. 1 Contra excæcatum. Alam eum,qui propter debilitatem alitur; non alam qui propter alimenta debilitatur. Sic fit, vbi homines maiorem partem vitæ in tenebris ita agunt, vt nouiſſime ſolem quaſi ſuperuacuum faſtidiant.

Cont.5. 1 Pars altera. Crudelius eſt mori,quam ſemper timere mortem.

QVARTI, GEMMÆ.

Cont.1. PRo patre. Nulla flendi maior eſt cauſa,quam flere non poſſe.

Cont.2. 1 Pars altera.Sacerdos non integri corporis,quaſi mali ominis res vitanda eſt.

Cont.5. 1 Pro filio medico. Nihil magis ægris prodeſt,quam ab eo curari a quo volunt.

Cont.7. 1 Contra tyrannicidam. Omnia honeſta opera voluntas inchoat,occaſio perficit. Sepe honorata virtus eſt,etiam vbi eam feſellit exitus. Scelera quoque quamuis citra exitum ſubſederunt,puniuntur. Nec infelix virtus amittit gloriæ titulum; nec gloriam virtutis intercipit fortuita felicitas.

Cont.8. 1 Pro patrono. Nihil eſt venali miſericordia turpius.

QVINTI, GEMMÆ.

Cont.1. PRo incidente laqueum. Ludit de ſuis fortuna muneribus. Et quæ dedit,aufert:& quæ abſtulit,reddit. Nec vnquam tutius eſt eam experiri,quam cum locum iniuriæ non habet.

2 Spes eſt vltimum aduerſarum rerum ſolatium.

Cont 4. 1 Lex. Qui falſum teſtimonium dixerit,vinciatur apud eum,in quem dixit.

Cont.5. 1 Lex. Qui ſciens damnum dederit, reddat quadruplum: qui inſciens, ſimplum.

SEXTI,

SEXTI, GEMMÆ.

Cont.6. Contra vxorem. Quam infelia est domus, in qua adulterii argumentu est.
2 Verba dolor parum considerat.
Cont.7. 1 Pars altera. Quam demens est, cui adulterium pro beneficio imputandum est?

SEPTIMI, GEMMÆ.

Cont.2. Contra patrem. Multas rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt: & hæc est conditio miserrima humani generis; quod nascimur vno modo, multis morimur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes insidiantur huic miserrimæ animæ: & hoc occidere vocatur, sed diutius.
2 Magnum est præsidium in periculis innocentia. Sæuum mare inuoluitur, pro cellæ spumante imperu latera nauigii vrgent, pulsatur vndique nauis periculis. Innocentia tamen tuta est.
3 Non idem omnibus mortalibus natura tribuit ingenium.
Cont.4. 1 Diuisio. Numquam tentari debet in caussa verecunda, improba quæstio.
Cont.8. 1 Contra raptam. Omnis nimia potentia, saluberrime breuitate constringitur.
2 Qui post iniuriam ignoscit, perdit misericordiā.
3 Color. Non est sollicite de eo iudicandum, cui damnato gratulandum.

OCTAVI, GEMMÆ.

Cont. Pro homicida sepeliendo. Omnibus natura sepulturam dedit. Naufragos idem fluctus qui expulit, sepelit. Suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt. Eos quæ viui vruntur, pœna funerat.
Cont.6. 1 Contra diuitem. Sicut ille qui supra cinerem deflet patrimonium, odit incendium: sic qui naufragium deflet, maria detestatur. Fletus humana cum necessitatum verecunda execratio est.
2 Pars altera. Magnus est amor, qui ex misericordia venit.

NONI, GEMMÆ.

Proœmium. Sequitur hoc vsque in forum declamatores vitium, vt necessaria deserant, dum speciosa sectantur.
Cont.1. 1 Pro Cimone. Non potest generosus animus contumeliam pati.
Cont.2. 1 Color. Illi qui tument. & abundantia laborant: plus habent furoris, sed plus etiam corporis. Semper autem ad sanitatem procliuius est, quod potest detractione curari. Illi succurri non potest, qui simul & infanit & deficit.
Cont.3. 1 Lex. Per vim metumque gesta, ne sint rata.
2 Pro patre. Non potui obligari de eis, qui in mea potestate non erant.
Cont.4. 1 Lex. Qui patrem pulsauerit, manus ei præcidantur.
2 Pro filio. Necessitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium est.

DECIMI, GEMMÆ.

Proœmium. Magna debet esse eloquentia, quę inuitis placeat. Cum ingenia fauor hominum ostēdat, fauor alat, quantam vim esse oportet, quę inter obstantia erūpat? Nemo erat, quin cū homini ōnia obieceerat, ingenio multū tribueret.
2 Sunt dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani, & magna exempla in caput inuenientium regerunt: vt iustissima patiendi vice, quod quisque alieno ea cogitauit supplicio, sæpe eaciplat suo. Quæ vos dementia homines tanta vecordia agitat? parum videlicet in pœnas notæ crudelitatis est? conquiritis in vosmetipsos noua, quibus pereatis. Et si quid ab omni patientia rerum natu ra subduxit, sicut ingenium memoriamque nominis, inuenitis quemadmodum perducatis ad eandem rem corporis mala. Facem studiis subdere, & in monumenta disciplinarum animaduertere, quanta & quam non contenta certa materia sæuitia est. Dii melius, quod eo sęculo ista ingeniorum supplicia cœperunt, quo & ingenia desierunt.
3 Multa donanda ingeniis puto; sed donanda vitia, non portenta sunt.
Cont.2. 1 Loquax est virtus, nec ostendit se tantum, sed ingerit.
2 Quicquid licet, non oportet.
3 Ignoscendum est, si adolescens gloriæ cupiditate lapsus est.
Cont.4. 1 Diuisio. Non potuit vlla res lege damnari quæ legi innititur.

LIBRI SVASORIA-
RVM GEMMÆ.

Suasoria prima. Diuisio. Illa demum magna est felicitas, quę arbitrio suo constitit.
Suas.2. 1 Nulli natura in æternum spiritum dedit, statutaque nascentibus in finem vitæ dies est. Imbecilla enim nos materia Deus orsus est: quippe minimis succidunt corpora, indenunciata sorte rapimur: sub eodem pueritia fato est, eadem iuuentus caussa cadit: optamus quoque plerisque mortem: adeo in securam quietem recessus est. At gloriæ nullus finis est, proximique Deo. Sic ages ca satagunt: feminis quoque frequens hinc in mortem pro gloria iter est.
2 Diuisio. Tam diligentes tum auditores erant, ne dicam tam maligni, vt vnius verba surripi non possent. At nunc cuilibet orationes inuertere tuto licet pro suis.
Suas.5. 1 Vt in gaudia interdum surgit animus, & spem ea præsenti metitur; ita aduersis frangitur.
Suas.6. 1 Corpus fragilitatis caducæ, morbis obnoxium, casibus expositum, proscriptionibus obiectum. Animus vero diuina origine haustus, cui nec senectus vlla, nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus, ad sedes suas, & cognata sidera recurrit.
2 Diuisio. Mori tibi vtile est honestum est, necesse est, vt liber & illibatæ dignitatis consummes vitam.

DE QVATVOR VIR-
TVTIBVS.

1 De prudentia.

Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem recte viues, si omnia prius existimes & perpenses, & dignitatem rebus non ex opinione multorum, sed ea earum natura constituas.
2 Prudentis proprium est, examinare consilia, & non cito facili credulitate ad falsa prolabi.
3 Nihil inexpertum affirmes; quia non omne verisimile statim verum est, sicut & sæpius quod primum incredibile videtur, non continuo falsum

est. Crebro siquidem faciem mendacii veritas retinet. Crebro mendacium specie veritatis occulitur.

4 Nihil tibi subitũ sit, sed totum ante conspicies.

5 Boni est viri, etiam in morte neminem fallere.

6 Cogitatio tua stabilis & certa sit, siue deliberet, siue quęrat, siue cõtempletur, nõ recedat a vero.

7 Lauda parce, vitupera parcius.

8 Testimonium veritati, non amicitiæ, reddas.

9 Prudens numquam otio marcet. Habet autem aliquando remissum animum, numquam solutum.

10 Nec quam multis, sed qualibus placeas, cogita.

11 Consilia tibi salutifera aduoca. Cum tibi alludit vitæ prosperitas, tunc te velut in lubrico retinebis, ac sistes, nec tibi dabis impetus liberos, sed circumspicies quo eundum sit: vel quousque.

2. De magnanimitate.

Nihil aliud magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.

2 Scito honestum & magnum genus vindictæ esse ignoscere.

3. De continentia.

Considera rerum, quantum natura poscat, & non quantum cupiditas expetat. Si continens fueris, eo vsque peruenies, vt teipso contentus sis.

2 Virtus tibi ex facili sit, nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum famea excitet, non sapores.

3 Si continentiæ studes, habita non amœnè, sed salubriter, nec dominum esse velis notum a domo, sed domum a domino.

4 Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. A verbis quoque turpibus abstineto, quia eorum licentia imprudentiam nutrit.

5 Si continens es, adulationes enita, sitque tibi tam triste laudari a turpibus, quam si lauderis ob turpia. Lætior esto quoties displices malis, & malorum de te existimationes malas, veram tui laudationem ascribe: Difficilimum continentiæ opus est, assentationes adulatione repellere, quarum sermones animum voluptate resoluunt.

6 Non eris audax nec arrogans, submittes te, non proiicies grauitate seruata. Admoneberis libenter, & reprehenderis patienter. Si merito obiurgabit aliquis, scito quia profuit; si immerito, scito quia prodesse voluit. Non acerba, sed blanda timebis verba. Esto vitiorum fugax ipse, aliorum ecro nec curiosus serutator, neque acerbus reprehensor, sed sine exprobatione correptor, ita vt admonitionem hilaritate præuenias, & errori facile veniam dato.

7 Nullius imprudentiam despicias.

4 De Iusticia.

Quid est iustitia, nisi naturæ tacita conuentio, in adiutorium multorum inuenta.

De moribus.

Bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. Nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur, animus vero non videtur.

2 Verba rebus, non personis æstimanda sunt.

3 Vt licentiosa mancipia animi, imperio coerce linguam, ventrem & libidinẽ. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris.

4 Nondum es felix, si te turba non deriserit.

5 Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus viuere. Optimus ergo animus, & pulcherrimus cultor Dei est.

6 Deuitabis crudelitatem, & ministram crudelitatis iram. Non aliter viuas in solitudine, aliter in foro.

7 Pacem cum hominibus habebis, cũ vitiis bellum.

8 Stultum est timere quod vitare non potes. Male de te homines opinentur, sed mali. Malis displicere, est laudari.

9 Nihil magnum nisi magno animo despicias. Quæ sunt maximæ diuitiæ? non desiderare diuitias. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit.

10 Eleemosyna non tam accipientibus, quam dantibus prodest. Et spes præmii solatium fit laboris. Quæ est maxima egestas? auaritia. Pecuniæ imperare oportet, non seruire. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum. Alium potes effugere, te autem nunquam.

11 Libidinis initia contioebit, qui exitum cogitabit. Beneficii accepti numquam oportet obliuisci, dati protinus.

12 Imago animi sermo est. Qualis vir, talis oratio. Magna res est vocis & silentii temperamentum.

13 Nullum putaueris locum sine teste.

14 Boni iudicis est dispensare, non tantum quid damnandum sit, sed quatenus.

15 Quietissimam vitam agerent homines in terris, si hæc duo verba a natura omnium rerum tollerent, *meum* & *tuum*.

16 Pecunia non satiat auaritiam, sed irritat.

17 Quicquid dicturus es, antequam aliis dixeris, dicito tibi.

18 Stultum est somno delectari, & quasi mortem moliri. Bonis nocet, qui malis parcit.

19 Sæpe ea quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore.

20 Sic habita, vt potius laudetur dominus, quam domus.

21 Obiurgationi semper aliquid blande admisce, facilius enim penetrant verba quę molli vadunt via, quam aspera.

22 Numquam scelus scelere vincendum est.

23 Diabolus aliquando se gloriabitur interfectorem tuæ misericordiæ, nunc intergemiscit, socios tuæ beatitudinis.

24 Post Deum veritatem colendam, quæ sola homines diis proximos facit.

FINIS.

